ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI. IN QUIBUS RES...

Jacques Salian, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

Digitized by Google

37
10 G
3

H. 2. 8.


Digitized by Google

87.10 G 3

ANNALES
ECCLESIASTICI
VETERIS TESTAMENTI.

TOMVS III.

Digitized by Google


Suſpice cœlum, et numera ſtellas, ſi potes.
Inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum. Gen. 11.
ANNALES
ECCLESIASTICI
VETERIS TESTAMĒTI
Quibus connexi ſunt
ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM,
Autore IACOBO SALIANO
Auenionenſi Preſbytero
Societatis IESV.
TOMVS III.
Sic erit ſemen tuum. Geneſ. 15.
Contrita ſunt ferru, teſta, æs, argentum, et aurum. Dan. 2
SVSCITABIT DEVS CŒLI REGNVM, QVOD IN ÆTERNVM NON DISSIPABITVR. Dan. 2
LVTETIÆ PARISIORVM,
EX OFFICINA NIVELLIANA:
Sumptibus SEBASTIANI
CRAMOISY, via Iacobæa,
ſub Ciconiis.
Cum priuilegio Regis. Et ſuperiorum permiſſu
Leonardus Gaultier incidit. M. DC. XXI.

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

Inquibus res geſtæab Orbe condito ad CHRISTI Domini natiuitatem, & mortem, per annos ferè ſingulos digeruntur, & explicantur.

QVIBVS CONNEXI SVNT

ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM.

Quantum ex ſacris, profaniſque Scriptoribus agnoſci, atque ordinari potuerunt.

AVCTORE IACOBO SALIANO AVENIONENSI,
Societatis IESV Preſbytero.

TOMVS TERTIVS.

Qui perpetuam habet hiſtoriæ Primi, & Secundi, & dimidiæ partis Tertij Regum: Magnæ item partis Primi, & Secundi Paralipomenon enarrationem.

Totius Operis diſtributionem pagina abhinc decima demonſtrabit.

LVTETIAE PARISIORVM.
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa ſub Ciconiis.
M. DC. XXI.

CVM PRIVIL. CAESAREAE MAIEST. ET REGIS CHRISTIANISS.

37-10-G-3

Digitized by Google

CHRISTIANISS. AVGVSTISSIMOQVE

PRINCIPI,

LVDOVICO XIII.

FRANCORVM AC

NAVARRÆORVM REGI, S.

PANEGYRICAS inter & panathenaicas orationes, imo pangallicana nobilium ingeniorum opera glorioſa, quibus iampridem tota Gallia circunſonant aures tuæ, Chriſtianiſſime, atque inuictiſſime Rex LVDOVICE, quibus hilareſcunt oculi, animus ad regia iſta facinora magis magiſque excitatur, ac prouocatur in dies, ingerit ſe humaniſſimis hiſce oculis, atque auribus tuis nuncupatoria hæc epiſtola, quaſi myrica humilis inter celſas pinus, rubus inter cedros Libani, & myrtus inter victrices lauros, ſemperque viridantes cupreſſos. Ingerit vtique ſe, ac mirifice geſtit inſidere manibus tuis; ſimulque aditum patefacere huic Annalium Eccleſiaſticorum volumini tertio quod cupimus, LVDOVICO DECIMO TERTIO conſecratum. I.

ET primum quidem volumen, quo Mundi iſtius aſpectabilis molitio, quo ſeculorum initium, quo beatarum mentium origo, quo omnium gentium ortus, progreſsioneſque, quo Patriarcharum ætates continentur; Mundi conditori Deo Opt. Max. Regi ſeculorum immortali, hominum, atque angelorum parenti benigniſſimo, ac propagatori planè dicatum oportuit: Illud ergo nos eius oblatum altari auguſtiſſimo, in ſacrarij eiuſdem tholo ſuſpendimus; agellique noſtri primitias, omnibus ipſi nominibus debitas, libentiſsimi dedimus, atque tranſcripſimus. Is cum vires, animoſque ad progrediendum, II.

rogatus benigniſſime annuiſſet, ab eo digreſſus, redditusſque terris, cum aliud mihi quaſi terreſtre numen inquirendum eſſet, non habui quo prius oculos conijcerem, quam in eos qui diuinum numen in terris vicaria poteſtate repræſentant, & ab eo authoritate proxime accepta, animis noſtris corporibusque moderantur.

III. OCCVRRIT *ergo primum rerum ſacrarum ſummus Antiſtes, & Catholicæ præſul Eccleſiæ, fidei ac morum Magiſter, & diuinorum oraculorum certus interpres; cui magnum Legiſlatorem, ac diuinorum enarratorem operum Moſem, Dei ad populum oratorem, atque interpretem; cui primum, maximumque Pontificem Aaronem, indeq; Eleazarum, Phineem, cæteroſq; ſummos Sacerdotes dicarem: cui mirabile illud Sanctuarium, altaria thymiamatis, & holocauſtorum, menſam, & candelabrum aureum, cæteramque pretioſiſſimam mobilis illius templi ſupellectilem offerrem: cui Hebræum populum, filios Patriarcharum, Prophetarum diſcipulos, Eccleſiam præpotentis Dei, è populo barbaro ſexcentis eductam prodigiis, in deſertis Arabiæ locis quadriginta ipſos annos peregrinantem, diuinis ornatam, edoctamque legibus, quotidiano angelorum cibo enutritam, & promiſſam Chanaanitidem tranſmiſſo Iordane occupantem, donarem atque addicerem.*

IV. CVI *ergo tertium Annalium volumen, quo Regum populi Dei primorum, atque maximorum geſta continentur, inſcribendum fuit, quam primo, maximoque regum omnium Chriſtianiſſimo* LVDOVICO? *Qui à Deo inſtar Saülis electus, inſtar Dauidis dilectus, & quaſi alter Salomon ſapientia maturiſſimè cumulatus fuit: qui Salomoni gloria proximus, Dauidi eximia in Deum pietate ſimilis, Saüle obſequendi laude ſuperior extitit. Nam hic iuſſus adire, ac perdere Iſraëlitici nominis hoſtes Amalecitas, importuna vſus miſericordia, vix dimidiatam obedientiam eſt executus; & anathemate ſacrilegè violato, in ſeſe, domumque ſuam triſtiſſimum anathema infelici ſorte conuertit.*

Tu religioſiſſime princeps diuino commonefactus afflatu, & afflicti populi tui precibus exoratus, extremos iſtos Imperij tui Amalecitas adiiſti, vt auitam Catholicorum religionem reſtitueres; nec prius inde digreſſus es, quam glorioſiſſimum illud facinus cumulate perfeceris; & vt firmum eſſet, ac ſolidum beneficium tuum, Catholicorum præſidiis munita loca firmaueris, Catholicos populos moderatores dederis, ſeminario fouendæ hæreticæ impietati deſtinato, domicilium veræ ſapientiæ, religionis propugnaculum, Chriſtiani populi conſolationem, iuuentutis rectè informandæ palæſtram, ſingulari bonorum omnium plauſu, & gratulatione oppoſueris.

Sed quid Saule ſuperiorem miremur, qui Dauide ipſo, ac Salomone in laudatiſsima, difficillimaque virtutis exercitatione maiorem docere poſſumus, & certis argumentis euincere? Norunt omnes alterum multas inter vxores, pluresque concubinas indigniſſimo adulterio pollutum; & ad illud obtegendum, indigniore optimi, atque innocentiſsimi viri cæde cruentatum. Alterum inter ſeptingentarum reginarum, & trecentarum concubinarum greges, & adoleſcentularum, quarum non erat numerus, à veri Dei cultu impie auerſum, ad nefaria idolorum monſtra, ſtolidiſsima fatuitate ita conuerſum, vt ſua ſingulis fana, aut luſtra verius excitaret, in quibus execrata cum ipſis offerret ſacrificia, & ſacrilega thura pronus incenderet. Res dubia eſſe non poteſt, diuinis non ſemel conſignata monumentis. V.

Tu autem Ludovice omnium quos ille mundi oculus aſpicit puriſsime, ac continentiſsime principum, medio in feruore, atque æſtu florentis adoleſcentiæ, inter flagrantes illecebras voluptatum, inter ſpecioſiſsima irritamenta libidinum, candori, atque innocentiæ tuæ inuidentium ita verſatus es, vt & eas omnes non minus conſtanter, quam glorioſe contempſeris; & in illam ipſam, quæ tibi diuinitus contigit, vxorem, in quam bonorum omnium largitor Deus tot prudentiæ, pietatis, pulchritudinis, demiſsionis animi theſauros largiſsimè profudit, in quam amor, ac veneratio totius populi tui, omniumque ordinum mira animorum inclinatione conſpirat; vxorem, quæ talem coniugem infinito quodam amore proſequitur, et in quam tu vnam omnem cordis tui affectum contuliſti, ſancte temperans fueris, vehementerque moderatus. Tantus eſt ingenitus menti corporique pudor, tantus amor continentiæ! Qualem ergo te prædicemus aduerſus illicitas voluptates, qui talem te aduerſus iuſtas, neceſſariaſque præſtiteris? VI.

Fremuit impuriſsimus cacodæmon, qui hac libidinum eſca magnam mortalium partem in interitum ſempiternum trahit; eoſque in primis, qui cum ſoluti legibus, diuinis perinde atque humanis, vulgo cenſeantur, impunitati impudentiam copulant: fremuit inquam regij iuuenis integritatem præſidiis continentiæ ita ſeptam, atque vallatam, vt in eam irrumpere non poſſet. Itaque machinam comparat elegantiſsimam, ſui contemptricem, alieni prædatricem pudoris; lenocinium adhibet virorum, gratia atque authoritate præſtantium, qui in hac arce expugnanda, prædaque nobiliſsima auferenda probroſam ſibi operam nauent, qui impuriſsima lingua inceſtos amores deprædicent; & eam peſtem, qua corpora, menteſque mollicie franguntur, atque eneruantur, cotem fortitudinis, ſi ſuperis VII.

placet, appellitent. Orant vt vel aſpectum vnum ſtupendæ pulchritudinis puellæ ſibi perſuaderi patiatur. Quid multa? tanta puritatis amatiſsimus Dominus regium iſtud pectus fortitudine ab armauit, tanta oculos conſtantia retinuit, vt in præſentia poſitam pellacissimam Venerem ne vno quidem oculorum coniectu dignatus ſit, ſed animum, corpus, oculoſque ipſos, ne vel minima quidem labe pollutos, domum victor, triumphatorque reportarit: eademq; mox animi magnitudine, ac puritate mentis, & corporis impuras imagines parietibus appenſas, oculis humi deiectis, auerſatus ſit, quæ viuas paulo ante, ſpiranteſque neglexerat.

VIII. *O Principem incomparabilem, angelorum delicias, miraculum caſtitatis! Ergo ſummus ille Eccleſiæ Catholicæ ſecundum Deum paſtor & rector, audito tam admirabili, atque inſolenti regis adoleſcentis facinore, exarſit in amorem tui, quem profuſis etiam, lacrymis teſtatus eſt, & nonnulla nubecula, quæ paternæ ſerenitatis frontem obducere videbatur, diſcuſſa, quæcumque à tuis tam moderati principis nomine petebantur, liberalius etiam quam poſtulabantur, conceſsit. Quantum putas amoris incrementum, glorioſiſsime Princeps, innumeris omnis ætatis, ordiniſque ſubditis tuis, hac tam amabili, mirabilique virtute aggeſsiſti, quam in ſummo difficultatum apice poſitam omnes fatentur, fortes ambiunt, molles languenteſque deſperant, heroës imitatores tui feliciter potiuntur. Quot cenſes apud longe, lateque poſitas gentes (nam virorum principum geſta dictaque, quaſi publico in theatro poſita, ignota vel obſcura eſſe non poſſunt) acquiſiſſe te amatores, atq; admiratores tui? quam luculentam plagam tartareæ illi beſtiæ te inflixiſſe? quem irriti conatus pudorem impudenti inuſiſſe fronti?*

IX. *Plavsit è contrario tibi archangelus ille cuſtos tuus, ille tui protector Imperij, ille ſalutis æmulus ac procurator tuæ; & ſuauiſsimum pulcherrimæ victoriæ ſenſum pectori tuo vtique inſtillauit. Plauſit tibi Ioſephus ille Patriarcha, & ſe longe inferiorem faſſus eſt; merito ſane. Nam pulcherrimo, amabiliſsimoque iuueni certamen fuit contra Ægyptiam mulierculam, nigri fortaſſe fœdique oris, repandi naſi, craſſorum ac prominentium labiorum: mulierem capillo breui, atro, criſpoque; ſcabra, aſperaque cute, ſpiritu contaminato: tibi cum ſpecioſiſsimis Veneris, delicioſiſsimiſq; deliciis, & inſuper cum gratioſis eius fautoribus, non minus verecunde, quam laborioſe ac fortiter pugnandum fuit. Nihil ipſe de me dubitabo confiteri: Hoc ego te nomine, amantiſsime Rex, vehementius admirari cœpi, atque in oculis ferre; & qui iampridem, ratione ipſa exigente: hoc tibi tertium Annalium iſtorum volumen deſtinaram,*

ſenſi in propenſum iam incumbentem hanc molem virtutis heroicæ, vt ad id quod ratio poſtulabat, incredibilis affectus accederet.

X. *Erit ergo liber iſte tuus, teque maxime, vel tacente me, apud omnes Chriſtiani orbis nationes loquetur, & quantamcumque illi vitam Rex ſeculorum dabit, tamdiu ille gloriam tuam, virtuteſque regias prædicabit. Quæcumque enim ſunt Dauidis & Salomonis decora, quæcumque Saülis & Ionathæ, aut Samuelis ornamenta fortitudinis, conſtantiæ, liberalitatis; quæcumque obedientiæ, ac pietatis in Deum, amoris & lenitatis in ſubiectum populum, quæcumque pudoris, atque probitatis argumenta; hæc tu iam nondum vigeſimum egreſſus annum, altiſsimis impreſſa veſtigiis magnificè demonſtraſti. In virtutibus regiis plurimum eminet, magnamq́; iactationem habet in populo liberalitas, & magnificentia. Hæc enim magnorum virorum eſt, atque potentium, & quæ ipſi Deo Optimo Maximo, cuius opes ac potentia cum liberalitate certãt, ſimillimum facit: Hæc eſt quæ æterni numinis benignitatem certatim prouocat, atq́; accerſit in dies: qui cum ſe pauperum parentem dicat, ſuum eſſe putat reddere cumulate, quæ homines eius loco ac nomine, ipſius filiis largiuntur.*

XI. *Qvid hic ego dicam tibi, ter maxime, ac beneficentiſsime Lvdovice, num hanc tibi laudem deeſſe paſſus es? Quocumque te regni grauiſsima negotia, aliquot iam annos compulerunt, ea loca perpetuæ liberalitatis tuæ veſtigiis, & quæ omnẽ exæquabunt poſteritatem, præclarè conſignaſti. Nihil eſt neceſſe numerare, immenſa enim eſſet oratio, præſertim cum habitura ſint, atque habeant iam ipſa laudatores ſuos: nonnulla tantum attingo, quæ vt minutiora videantur, egregium tamen animum produnt, ac prolixe beneficum. Erat qui aduerſa fortuna conflictatus, ad regale hoc miſerorum perfugium confugeret, nonnullamq́; in præſentia benignitatem eblandiri conaretur. Iubet Rex quinquaginta illi aureos nummos dari: cunctatur, vt fit, nonnihil Quæſtor, qui munus diuiſum cupiebat in plures: at prius Rex hanc prudentiam parcitatem interpretatus, acceptum marſupium totum in eundem illum mendicum effudit. O facinus egregium! ſed huic principi vulgare. Mille nummos aureos habet in ſingulos menſes regum more ſpeoſitos, quos in priuatas delicias, animiq́; oblectamenta diſpertiat: ſed eorũ octingentos pauperes paſsim auferunt, vix quinta parte deliciis iſtis reſeruata. Fallor, totum voluptates auferũt, quando ſingularis tibi voluptas eſt benigne facere indigentibus, & diuinã in te benignitatem, multiplici in pauperes miſericordia, prouocare.*

XII. *Ergo recte Lvdovicvs es, Chriſtianiſsime Princeps, quod nomen Refugium populi eruditi homines interpretantur, qualẽ Roma-*

num quondam Senatum magnus orator prædicabat; ad te enim omnes vndique mortales auxilij, opiſque cauſa concurrunt; quorum tu ſpes fallaces eſſe non pateris, neq; expectationem inanem. Recte profecto. In illa enim tua Gallicanorum liliorum inſignia libenter intueris, non Iunonia iſta vulgaria, ſolo candore præſtantia; ſed pulchriora illa, quæ permixtis eleganter coloribus ſpecioſiſsimam in cœlo Iridem referunt, ſpei publicæ ſymbolum & ſalutis: quale plerique olim Imperatores in nummis ſigilliſq́; excudi voluerūt: qualem ſcilicet ſpem ſalutis voluit Dominus, iam inde à Noetico diluuio Iridem eſſe mortalibus, pignus promiſsionis & indulgentiæ; nec tam ſudi, ac tranquilli aëris argumentum, quam ſerenatæ ad beneuolentiam diuinæ frontis indicium: Iridem, quæ rorante in nube, iucundè in orbem rutilans, pacem, & diuinorum beneficiorum rorem late vndiq; profundi teſtatur. Claudius. Alex. Seuerus. Traian. Hadrian. Diadum. L. Ælius.

XIII. *QVID ergo miremur te, humaniſsime Princeps, Catholicorum Bearnenſium, tuam fidem, ac pietatem implorantium grauiſsimis neceſsitatibus occurriſſe? & ingentibus ſub iugo hæreticæ ſeruitutis, quinquageſimum iam annum gementium malis, edictis primum atq; imperio, deinde rebus ipſis, atque optatiſsima iſta præſentia ſuccurriſſe? Nimirum memor es vtriuſq; nominis tui; LVDOVICVS es, vt ſis aſylum ac perfugiū populi, & oppreſſæ, afflictæq; innocentiæ propugnator: Chriſtianiſsimus es, & tam præclaro nomine inter mortales omnes appellaris vnus, vt Chriſti Domini gloriam, religionem, fidem, reſtituas, foueas, tuearis. Repete memoria, gratulationes illas Epiſcoporū, Sacerdotum, Clericq; vniuerſi, præteritorum calamitate temporum auſu ſacrilego expilati, ſuis bonis, ſedibus, iuribus, eccleſiis, tua vnius manu reſtituti. Recole hilaritatem vniuerſi populi recuperatis tēplis, è quibus pulſi ad ſuburbia, in ſacella ſemiruta fuerāt relegati; receptis poſtliminio diuinis officiis, ſacroſancto Miſſo ſacrificio, cæteriſq; Chriſtianæ religionis ſanctiſsimis cæremoniis, ingenti gaudio triumphantis.*

XIV. *ET quid ego exhilaratum Clerum; quid populum Chriſtianum lætitia perfuſum dico? Deus ipſe, ac Dominus noſter IESVS CHRISTVS nouo quodāmodo gaudio delibutus eſt, cum Regem audiuit negantem honorari ſe velle vmbella, aliòue cultu, in illius vrbis aditu, in qua vrbe nulla eſſet eccleſia, in qua Dei filius catholico ritu coleretur; ad quam ipſe Deo gratias acturus deſcenderet, acceptæ diuinitus Bearnenſis hæreditatis. O ter, quaterq; felicem ac fortunatum Principem, cui diuinitus datum eſt de Clero, de populo, de omnibus ordinibus, atq; adeo de Deo, ac Domino ſuo bene mereri! quibus ille te oculis aſpexit, quam prolixa benedictione proſecutus eſt! qua oris ac frontis hilaritate apud cœlites illos Francici regni patronos, atq; protectores dixit, LVDOVICVS ADHVC ADOLESCENS MEAM MIHI RESTITVIT ANTIQVAM DOMVM.* O QVAN-

O quando eluceſcet ille dies, quo die reconciliatis Deo, atque Eccleſiæ Catholicæ ſubditis tuis, tartarea hæreſeon fraude deceptis, hæreſim ipſam non victam, non fucatis ſpoliatam integumentis, ſed ſapientiſſima pietate tua, ac prouidentiſsima fortitudine extinctam videbimus! Quantis tum incedes lætitiis, religioſiſsime Princeps, quantis beatas omnes mentes gaudiis afficies, ſuper tot pereuntium peccatorum millibus, de faucibus inferni tyranni ereptis: quæ te ibi præmia, quæ coronæ, quis triumphus expectabit! Qui tunc erunt plauſus Catholicorum, de certiſſima nunc ruina fratrum, ac propinquorum ſuorum gementium; quæ acclamationes, quæ gratulationes omnium gentium, quæ Chriſtiano nomine cenſentur: cum non vltra duo altaria, duæ Eccleſiæ, duo ſtatus atque reſpubl. Galliam tuam miſere diſtrahent, ſed vnum erit ouile, & vnus paſtor: fides vna, lex vna, Deus vnus, & Rex vnus: Rex inquam vnus, vbique dilectus, vbique honoratus, vbique victor, atque triumphator. Hoc primum ac maximum eſt omnium bonorum deſiderium; hoc ego ſuſpiro maxime Princeps, hoc tibi tantum, tamque diuinum nomen & bonum toto cordis affectu deſidero: hoc ardentibus votis iam tot annos à ſupremo numine tibi ſexcentis ſacrificiis efflagito. Hoc ætas tua capit ac ſpondet; hoc Zelus animarum, de quibus ſupremo Regi rationem redditurus es; hoc vigor iſte animi corporiſque; hoc auita pietas, hoc rerum gerendarum prudentia, felicitaſque pollicetur. Vale igitur, ac ſalue CHRISTIANISSIME REX, *atque in æternum viue. Hanc tibi ab æterno Deo vitam, hanc à Ieſu Chriſto Saluatore noſtro ſalutem precatur*

CHRISTIANISS. MAIESTATI TVÆ

ADDICTISSIMVS,

IACOBVS SALIANVS.
è Societate IESV.

OPERIS TOTIVS DIVISIO.

TOTVM OPVS IN SEX TOMOS, SIVE PARTES DISTRIBVTVM EST.

Primus Tomus ab Orbe condito ad ortum vſque Moſis, annos bis mille quadringentos & ſexaginta tres complectitur, totámque Naturæ legem, libro Geneſeos comprehenſam.

Secundus à natiuitate Moſis, ad pontificatum Heli, & Samuëlem Prophetam progreditur; geſta Moſis, Ioſue, Iudicúmque duodecim comprehendit; & annis ſex & ſeptuaginta, ſuprà quadringentos circumſcribitur. Ab Exodo vſque ad libros Regum.

Tertius hic Tomus habet regnum Iſraëlitarum ſub Saüle, Dauide, & Salomone; Heli & Samuële præmiſſis: centum & ſexaginta annorum decurſu: ex libris Regum, & Paralipomenon.

Quartus à diuiſione regni Iſraëlitici ſub Roboamo, vſque ad Nabuchodonoſorem, & captiuitatem Babylonicam exeuntem protenditur, ex iiſdem libris; additis Tobia, Iuditha, & prophetis eorum temporum.

Quintus ab Imperio Cyri orditur, & Perſarum Monarchiam, magnamque partem Imperii Græcorum amplectitur. Ibi Eſdras, Nehemias, Eſther, & vltimi Prophetæ.

Sextus & poſtremus à regno Antiochi Epiphanis, ad Chriſti Domini mortem decurrit; eóque libri Machabæorum elucidantur, Euangelici libri in ſuos annos digeruntur.

CANDIDO LECTORI, S.

Habes in hoc opere, erudite Lector, non ſolùm vniuerſam veteris ſcripturæ hiſtoriam, per annos ſuos digeſtam (nam id in Euangelica quoque præſtitimus) ſed etiam enarratam, cum expoſitione quamplurimarum, grauiſſimarúmque difficultatum.

In eodem Fl. Ioſephi infinita errata ex Scriptura ipſa, & certiore hiſtoria corriguntur. Emendatoris etiam temporum vis ingens errorum, parachroniſmorum, & ſupputationum erronearum demonſtratur.

Scriptores fere omnes, qui hiſtoriam ſacram, profanamve, aut ex profeſſo tractarunt, aut obiter attigerunt, in annos ſuos digeruntur, traduntúrque compendio; vt propemodum quæcumque ab iis narrata ſunt, paucis comprehenſa ad ſua tempora reuocari poſſint.

Stemmata familiarum illuſtrium, ſacræ, prophanæq; hiſtoriæ, diſpoſita, ſuiſque auctoribus teſtata proponuntur.

Pontifices Hebræi ad mille quingentos annos, ab Aarone ſcilicet ad Chriſti Domini paſſionem, per annos ſingulos annotantur.

Addimus denique παράλληλα illuſtrium quarumque perſonarum veteris Teſtamenti cum Chriſto Domino, & illuſtrium fœminarum cum beatiſſima Virgine.

FACVLTAS R. P.

PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV.

EGO STEPHANVS CHARLETVS *Præpoſitus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. noſtro Mutio Vitelleſcò Præpoſito Generali eiuſdem Societatis* IESV, *facultatem concedo, vt tertius Tomus Annalium Eccleſiaſticorum veteris Teſtamenti, à P. Jacobo Saliano compoſitus, & eiuſdem noſtræ Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem haſce literas, manu noſtra ſubſcriptas, ſigillo noſtro munitas dedimus. Pariſiis, 26. Junij, anno Domini 1620.*

STEPHANVS CHARLETVS.

PRIVILEGIVM SACRAE
CAESAREAE MAIESTATIS.

FERDINANDVS SECVNDVS DIVINA FAuente clementia electus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ. Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vvittembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis; quod cum demiſſe nobis exponi curarint, NICOLAVS BVON, ET SEBASTIANVS CRAMOISY Typographi Pariſienſes percupere ſeſe, vtilitatis publicæ cauſa, *Annales Eccleſiaſticos veteris Teſtamenti, quibus connexi ſint Annales Imperij Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, atque Romanorum, auctore P. Iacobo Saliano Auenionenſi Societatis* IESV *Presbytero*, iterum prelo ſubiectos in publicum procudere. Metuere autem ne æmulorum fraude, qua recentes id genus editiones lucri captandi cauſa præproperè, nonnunquam etiam mendosè imitari conſueuerunt, ipſi debito & ſperato laboris, atque ſumptuum ſuorum fructu ab aliis præoccupato deſtituãtur. Ac proinde ſuppliciter nos rogarint, vt indemnitati illorum hoc loco diplomate noſtro Typographico ad certum tempus benigne conceſſo, clementer conſulere dignaremur. NOS pro ſingulari noſtro affectu & propenſione ad rem litterariam promouendam, tum vel maxime iis qui dictum opus magnoperè nobis commendarunt, gratificari cupientes, precibus iſtinſmodi haud grauatim annuendum duxerimus, quemadmodum vigore præſentium annuimus, omnibuſque & ſingulis Typographis, Bibliopolis, aliiſque quibuſcumque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prænominati Auctoris Annales quocumque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem, citra memoratorum Typographorum voluntatem & aſſenſum intra DECENNIVM à prima editionis die computandum recudere, aut alij recudendos dare, ſiue alibi etiam impreſſos intra ſacri Romani imperij, regnorumque & dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines apportare, vendere, vel diſtrahere audeat, ac præſumat. Si quis autem edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non ſolum eiuſmodi libris perperam recuſis & apportatis, quos dicti Typographi eorúmve hæredes, vbicumque inuenti fuerint, ſiue propria, ſiue magiſtratus ibidem authoritate atque auxilio ſibi vendicare poterunt, priuandum, ſed & pœnâ decem marcharum auri puri, cuius ſemis prædictis Typographis, eorúmve hæredibus, alter vero ſemis fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, toties, quoties contra factum fuerit, pendatur, omni ſpe veniæ ſublata mulctandum decernimus, dummodo tamen eiuſmodi Annales nihil in ſe ſcandaloſum, aut orthodoxæ religioni Catholicæ, ſacrique Romani imperij conſtitutionibus aduerſum, vel bonis moribus contrarium, ſiue in præfatione, ſiue in contextu, ſeu alias quocumque modo contineant, & dicti Typographi terna, vt minimum memoratorum Annalium exemplaria ſuis ſumptibus, quamprimum ad cancellariam imperialem aulicam tranſmiſerint. Mandamus ergo vniuerſis noſtris, & ſacri Romani imperij, regnorumque ac ditionũ noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, præſertim vero iis qui in magiſtratu conſtituti, vel proprio, vel ſuperiorum nomine & loco, iuris & iuſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quemquam priuilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè & impunè tranſgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, ſi quos fortè

compererint, præſcripta pœna mulctari, aliiſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam euitare voluerint. Harum teſtimonio litterarum, manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in Ciuitate noſtra Viennæ, die decima tertia menſis Auguſti, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo, vigeſimo, regnorum noſtrorum Romani primo, Hungarici tertio, & Bohemici quarto.

FERDINANDVS.

VTH.L. VON. VLM.
Ad mandatum ſacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.
HERMANVS QVESTAMBERGH.

Priuilege du Roy.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre: A nos Amez & feaux Conſeillers les gens tenants nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & autres nos Iuſticiers, & à chacun d'eux ainſi qu'il appartiendra, Salut. Nos chers & bien amez NICOLAS BVON, & SEBASTIEN CRAMOISY Marchans Libraires demeurans en noſtre ville de Paris, nous ont fait tres-humblement remonſtrer que le R. P. IACQVES SALIAN Religieux de la Compagnie de IESVS les a choiſis pour imprimer vn grand Oeuure par luy composé, & lequel il deſire faire veoir, & mettre en lumiere ſous noſtre bon plaiſir, iceluy intitulé *Annales Eccleſiaſtici veteris Teſtamenti, ab origine mundi vſque ad Chriſtum paſſum: Quibus annexi ſunt Annales Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum,* &c. & qui doit contenir ſix volumes: lequel Oeuure ne ſe pouuant faire qu'auec long eſpace de temps, & grandes aduances & deſpences, leſdicts Buon & Cramoiſy n'oſeroient en faire l'entrepriſe, craignans qu'apres auoir employé leur temps & deſpenſes, autres perſonnes nos ſubiets le fiſſent, ou ſuſcitaſſent les eſtrangers à ce faire, ſi par nous n'y eſtoit remedié, leur donnant pour ce nos lettres de Permiſſion & Priuilege neceſſaires. A CES CAVSES, inclinans à l'humble ſupplication deſdits expoſans, & voulans leur ayder à l'execution de la bonne intention qu'ils ont de ſeruir au public, par l'impreſſion d'vn ſi bel Oeuure, & auſſi pour leur augmenter le courage à continuer de bien faire, apres qu'il nous eſt apparu de l'acte d'approbation dudit Oeuure du R. P. Eſtienne Charlet Prouincial de ladite Societé, en datte du premier de ce mois, & ſeellé, cy attaché ſoubs le contreſel de noſtre Chancellerie, leurs auons permis & octroyé, permettons & octroyons de grace ſpeciale par ces preſentes, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & diſtribuer, tant de fois, en telle forme & maniere que bon leur ſemblera, ledit Oeuure entier ou ſeparément, ou par Epitome ou Abbregé, tant en Latin qu'en François. Faiſant tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous Libraires, Imprimeurs & eſtrangers, & à toutes autres perſonnes de quelque qualité qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Oeuure entier ou ſeparément, ou par Epitome & Abbregé, ny en Latin, ny en François: & de n'en vendre, ny diſtribuer aucuns autres exemplaires que de ceux qui ſeront imprimez par leſdits ſupplians, ou de leur commun conſentement & volonté: & ce pendant le temps & eſpace de dix ans entiers & conſecutifs, à commencer du iour de l'acheuement de l'impreſſion dudict Oeuure, à peine de confiſcation de tous les exemplaires qui ſe trouueront auoir eſté faits au preiudice, & contre l'authorité de cette noſtre volonté, & de trois mil liures d'amende, le tout applicable au profit deſdicts ſupplians, & de tous leurs deſpens, dommages, & intereſts: à la charge d'en mettre deux exemplaires à noſtre Bibliotheque publique, à preſent gardee au Conuent des Cordeliers de ceſte ville de Paris, auant que les expoſer en vente, ſuiuant noſtre Reglement, à peine d'eſtre de-

cheuz du preſent Priuilege. SI VOVS mandons que du contenu en ces preſentes vous faciez, ſouffriez & laiſſiez iouyr leſdits Buon & Cramoiſy plainement & paiſiblement, & à ce faire ſouffrir & obeyr ceux qu'il appartiendra, en mettant au commencement ou à la fin dudict Oeuure ces preſentes, ou vn bref extraict d'icelles, voulons qu'elles ſoient tenues pour deuëment ſignifiees. Et pource que deſdictes preſentes leſdicts expoſans en pourront auoir affaire en pluſieurs & diuers lieux, voulons qu'au Vidimus d'icelles deuement collationné par l'vn de nos amez & feaux Conſeillers, Notaires, & Secretaires, ou faict ſous ſeel Royal, foy y ſoit adiouſtee, comme au preſent original: CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le 17. iour de Ianuier, l'an de grace mil ſix cens dix neuf, & de noſtre regne le neufieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil, RENOVARD.

Deſierunt Operæ typographicæ in hac tertia Operis parte laborare, die 25. Ianuarij 1621.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

AVTHORIS

IN TERTIVM TOMVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI.

Candido Lectori, S. P.

I. *Inquiritur in Euangelium S. Lucæ.*

ERAT propemodum in exitu volumen hoc tertium, candide atque erudite Lector, cum incidit in manus meas nondum prælo miſſus in lucem, ſed exaratus manu libellus quidam, hominis vtique non leuiter eruditi, qui me nec opinantem pene ad initia primire uocauit. In cuius ipſo aditu ac limine, atque adeo nomine libelli miratus ſum imperitæ plebi ſerias parari diſputationes: & Romanæ linguę, ignaris quaſi in theatrum dari vernacula lingua quæſtionem, quæ de Euangelii vel integritate, vel fide, non leuem illis iniiciat dubitationem. Accurata enim diligentia, ſtudioque non vulgari conatus eſt author eius ſacroſanctum Lucæ Euangelium gemini erroris arguere, atque eius emendationem polliceri: ex ſerie
ca.3. generationum à S. Luca recenſitarum, tres omnino dimouendo, atque expungendo; duas ab initio catalogi ſurſum verſus progredientis, tertiam ſub eiuſdem extremum: denique molitur ex albo progenitorum Chriſti Domini Leui, Mathat, & Cainam iuniorem tanquam hypobolimęos, atq. irreptitios exterminare.

II. *Suſcipitur defenſio.*

AVDAX ſane negotium, ac periculoſa diſquiſitio veritatis, quæ tot iam ſeculorum firmata conſenſu, & venerandi prærogatiua ſuffragij honorata, non debuit opinor, non neceſſariis præſertim de cauſis, labefactari. Quod bipertita ab hoc Scriptore diſceptatione ſuſcipitur, altera quæ propinquos B. Ioſephi ſponſi Deiparæ Virginis progenitores petit, quæ aut modice nos tangit hoc tempore, aut alterius eſt loci. Altera quæ Semum nepote priuat, filium eripit Arphaxado: quos ab iniuria vindicare, ſi conſtantes in tuenda veritate eſſe volumus, nec diſſimulatione, ac ſilentio quodammodo præuaricari, noſtri eſt inſtituti. Itaque quod ad priorem illam partem attinet, ſatis nunc quidem, fortaſſe, officio functi fuerimus, ſi eius diruerimus fundamentum, grauiſſimi, antiquiſſimique Patris authoritate nixum: ſic enim neceſſe erit vt quidquid inædificatum eſt, in ruinam, vel leuiter impulſum cadat, deinde ſi pro mutis, quos

in certamen producit teſtibus, vocales aliquos ſanctiſſimos, omniquᵉ exceptione maiores euocauerimus ad ſubſellia, vt cum diſerte ſententiā dixerint, & maiorem quam taciturni fidem faciant, & clarius audiantur.

III. *Fundamentum Emendatoris, ex S. Irenæo.*

Vt ergo in hanc aciem deſcendamus, negamus magnum Irenæum voluiſſe duas & ſeptuaginta duntaxat ſtabilire generationes apud Lucam, (l. 3. c. 33.) ab Adamo vſque ad Chriſtum Dominum; aut exacte numerum earum proferre: quo modo alij quoque è ſanctis Patribus, Scripturæ conſuetudinem ſecuti, non ſemper exactum numerum retulerunt. Occurrit nunc Sanctus Ambroſius, qui libro 5. in Lucam, ait Euangeliſtam Matthæum ab Abrahamo ad Chriſtum quadraginta duas generationes enumeraſſe, Lucam vero quinquaginta; cum ſint reuera quinquaginta quinque, aut numeratis extremis, ſex & quinquaginta: Ergo ne Irenæus quidem accuratius ſibi numerandum putauit. Primùm quia nihil ad eius intererat inſtitutum an ſeptuaginta duæ, aut ſeptuaginta quatuor, aut quinque, ſeptémve ponerentur: Itaque in progreſſu orationis numerum illum plane miſſum fecit. *Propter hoc*, inquit, *& Lucas initium generationis à Domino inchoans, in Adam retulit, ſignificans quoniam non illi hunc, ſed hic illos in Euangelium vitæ regenerauit.*

IV. *Diruitur.*

Accedit quod eas generationes Irenæus linguis comparat, in quas diuiſum, ac diſpertitum eſt humanum genus, cum inſanæ illæ ſubſtructiones Babylonicæ in cœlum educerētur; quarum numerum perobſcurum eſſe; nedum plane certū, argumēto eſſe poſſunt, quæ de iis Pererius noſter, noſque ipſi diſputauimus in illum locum, & multiplex ſcriptorum, qui eas (an. m. 1931 n. 13 & ſeqq) prodiderunt diuerſitas, & earum primaria diſtinctio longe impeditiſſima: quod niſi faſſus fuerit qui voluerit, aut potuerit experiri, refellatur oratio mea. S. poſtremo hic Antiſtes numerum certum ac definitum, pro incerto ac probabili poſuiſſe cenſendus eſt, & ſeptuaginta duas pro vniuerſis: id illa ipſius verba plane conuincunt, atque conficiunt. *Significans*, inquit, *quoniam ipſe eſt, qui omnes gentes, exinde ab Adam diſperſas, & vniuerſas linguas, & generationem hominum cum ipſo Adam in ſemetipſo recapitulatus eſt*, quod eſt, redegit in ſummam, atque collegit.

V. *Omiſſio Africani, &c. nihil eum iuuat.*

Nam quod Iulius Africanus apud Euſebium, aliique nonnulli ex antiquis patribus illum ſecuti, Leui & Mathat omiſerunt, parum admodum iuuat aduerſarium; cum id vnum illi propoſitum habuerint docere, nihil abſurdi narrare Euangeliſtas, qui eundem Ioſephum dixerunt Heli ac Iacobi filium eſſe: num enim propterea illos extruſerunt foras? Num quis omnino ſcriptor probatus proferri poteſt, qui eos dixerit in alienum locum irruiſſe, & non in proprio ſtetiſſe, ac ſuo? Quo iure nos ipſos credamus tam lynceos, & in Scripturis ſacris perſcrutandis tam perſpicaces, nihil vt præ nobis maiores noſtri, hiſce mille quingentis & octoginta annis vidiſſe in eis, aut agnouiſſe videantur? Quo quæſo tempore, quo loco, qua occaſione: quo authore, qua ſpe, quibus artibus hi duo iniuſtam in ſacroſancto Euangelio, atque illegitimam ſedem occupauerunt? fingenda ſunt omnia, aut plane, quod ſatius fuerat, obmuteſcendum. Præſertim cum è contrario pugnent omnes ad vnum editi libri, & innumerabiles exarati manu, quos omnes neceſſe eſt vna ſententia damnare falſitatis, vna cum ſanctorum patrum commentariis, in quibus integer habetur ille textus.

(lib. Eccleſ. l. 1 c. 7. An. … Auguſt. Dam…c.)

VI. *Verus gene*

Eos certe ante mille & ducentos annos reperio apud Ioannem Hie-

roſolymitanum patriarcham, in libro de inſtitutione primorum monachorum, quem nobis exhibet Bibliotheca veterum patrum. *Prædictus Iamne*, inquit, *in quo ſexta illarum generationum ætas terminatur, genuit filium nomine Melchi, in quo incæpit harum generationum ætas ſeptima. Hic autem Melchi genuit Leui, & iſte Leui duos habuit filios, vnum qui à B. Luca appellatur Mathat, ſed ab illo dicitur Melchi, nomen aui ſui retinens.* Hæc ibi. Vbi vides, erudite lector, eos nominatim deſcriptos, quos nouus hic Scriptor expungendos putat. Nec Mathat omitti ab Africano, Euſebio, Ambroſio, Auguſtino, ſed vocari Melchi, aui ſui nomine, vt Ioannes Hieroſolymitanus affirmat. Eoſdem quoque leges apud Ioánem Damaſcenum oratione tertia de B. Mariæ natiuitate. Sed accedat qui merito inſtar multorum eſſe poteſt, ſanctus Aug. qui non ſingulos tantum, ſed vniuerſos tueatur gradus. Is enim libro 2. quæſtionum Euangelicarum ita ſcribit. *Quid ſibi velit quod ſeptuaginta ſeptem perſonæ, ſecundum generationes quas Lucas ſecutus eſt, inueniuntur quæri poteſt. Nam & huius numeri mentionem Dominus fecit, cum eum Petrus de dimittendis peccatis fratris interrogaſſet. Ait enim non ſolum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties eſſe dimittendum.* Cui dubium eſſe poteſt, ſi tres illi excludantur, numerum hunc conſtare non poſſe? Clarius etiam ſerm. 15. de verbis Domini. cap. quarto. *Matthæus generationem Chriſti commemorat, qua deſcendit ad nos: ideo quando natus eſt Chriſtus cæpit numerare deſcendendo, Lucas autem, quia tunc cæpit numerare quando baptizatus eſt Chriſtus, ibi eſt initium aſcenſionis. Iſte aſcendendo numerare cæpit, numerando autem compleuit generationes ſeptuaginta ſeptem. A quo numerabat, intendite à quo. Exorſus eſt numerare vſque ad ipſum Adam, qui primus peccauit, & nos cum peccati obligatione generauit. Peruenit vſque ad Adam, & numerantur generationes ſeptuaginta ſeptem, hoc eſt, à Chriſto vſque ad Adam, quas diximus ſeptuaginta ſeptem*, &c. Idem habet li. 2. de conſenſu Euang. cap. 4. pene totidem verbis. Ergo eum numerum ſummus hic Eccleſiæ Catholicæ doctor agnoſcit, quem ille huius detruncationis conſcium putat. Audiamus S. Hieronymum in epiſt. ad Damaſum Papam. *Aiunt*, inquit, *ab Adamo vſque ad Chriſtum generationes eſſe ſeptuaginta ſeptem.* Et ne putes eum aliorum referre ſententiam, non proferre ſuam, ſubdit, *lege Lucã Euangeliſtam, & inuenies ita eſſe, vt dicimus:* ſic ipſe. Addo poſtremo Baſilium, aut certe fratrem eius Nyſſenum Gregor. *Septima & ſeptuageſima ætate poſt Adam Chriſtus apparuit.* Habemus ergo teſtes, iudiceſque, qui rem, de qua eſt quæſtio, perſpicue loquantur, atque definiant, & aduerſariæ opinioni, cum taciturnis eius teſtibus, pudorem iniiciant.

Venio ad alterum diſputationis caput, in quo aduerſarius noſter nihil ſibi reliquum fecit ad diligentiam conquirendorum teſtium, qui poſteriorem Cainam ſuo è gradu dimotum, ad præclara illa Epicuræorum intermundia penitus amandarent. Neminem tamen vnum in cana illa patrum antiquitate reperit, qui illum redundantem dixerit, aut ſuperfluum; neminem qui audacter, qui temere, qui imprudenter inſertum: ſed tacita duntaxat omiſſione non agnitum, vt ignotum hominem, & in ſuis codicibus nõ repertum præteriiſſe. Denique in annorum epilogiſmis eius rationem non habuiſſe, oſtendere potuit: quod ipſum quam vere fuerit, ſolidéque perfectum deinceps nobis inſpiciendum eſt. Nam

Marginalia (left): cap. 31. — tom. 4. q. 6. — ep. 25. q. 1. — Homil. de hominis product. cuius init. Sapiens ille Salomõ.

Marginalia (right): rationum numerus agnoſcitur, à Ioan. Patriarcha. — S. Damaſceno. — Hieronymo — Baſilio. — VII. Cainam retinẽdum eſſe.

Nec inſertũ in Lucam.

Firmamentum diſputationis eius, & caput eſt, S. Lucam non aliunde quam ex libro Geneſeos, aut Paralipomenon ſeriem, & gradus generationum accipere potuiſſe: quibus in locis cum in Hebraicis fontibus abſit Cainam, eum ab Euangeliſta poſitum non fuiſſe, ſed aliunde poſtea irrepſiſſe: *Alioqui ſecum ipſe pugnaret*, inquit, *Spiritus ſanctus, qui Lucæ ſuggereret vnum generationum gradum, quem à Moſe iuſsiſſet omitti.* cap.10.& 11 cap.1. v.18.

VIII. Lucam non accepiſſe ex Hebræis libris,

VERVM hæc oratio duo habet errata minime diſſimulanda, niſi ego vehementer erro. Quis enim illi, niſi valde imprudẽs, ac rerum imperitus conceſſerit, S. Lucam, nonniſi ex alterutro illo loco, huius genealogiæ ſeriem accipere potuiſſe? Vnde ergo didicit intermedios illos patres, Ioſephum inter & Dauidem, quorum magnam partem nullus plane ſuggerit veteris inſtrumenti liber? Cedo quod illi ſacrorum voluminum tradidit Melchi, & Ianne, & Nahum, & Heſli, & Nagge, & alios pleroſque, qui apud hunc vnum reperiuntur Euangeliſtam? Neque tamen diuinum ſcriptorem tam temerarium fuiſſe putandum eſt, illa vt nomina proprio excogitata Marte procuderet. Nimirum quo ex fonte Moſes, quo Eſdras, quo cæteri antiquiſſimæ, atque obliteratæ ſcriptores hiſtoriæ, hauſerunt prima illa naſcentis mundi, pereuntis, renaſcentiſq. miracula, primoſque eiuſdem ſatores, ac propagatores, ex eodem & beatus Lucas hauſiſſe dicendus eſt. Omnes diuino illius afflante numine, cui nihil ignotum eſt, nihil præteritum, nihil obſcurum, iſta didicerunt, poſteriſque tradiderunt. Niſi forte Spiritus ille diuinus minus affuit ſcribentibus Apoſtolis, & Euangeliſtis, qui primitias Spiritus abundanter acceperunt, quam veteris Teſtamenti patribus, ac prophetis, apud quos ne lex quidem ipſa quidquam ad perfectum adducebat.

ſed à Spiritu ſancto.

Rom.8.23 Heb.7.19.

IX. Et potuit ex alijs libris didiciſſe.

VERVM ex libris ſane didicerit Euangeliſta, cur ab illis tantum duobus? quidni adierit Septuaginta interpretes eximiæ ſemper in Eccleſia authoritatis viros, quorum verſione Apoſtoli, Euangeliſtæ, Chriſtus ipſe vſi reperiuntur? cur non ab aliis etiam acceperit, qui ſæpe in veteri Scriptura memorantur? cur non in vnũ aliquem illorum inciderit libellorum, quos Hebræi ſumma fide ac religione perſcriptos, conſeruabant in adytis, ac penetralibus ſuis, porroque in filios, nepoteſque propagabant? Quod cum à quibuſdam ſacerdotibus minus obſeruatum eſſet, per occaſionem Babylonicæ captiuitatis, iſque poſtliminio in patriam reuerſi quæſitam genealogiæ ſuę ſcripturam non inueniſſent, eiecti ſunt de ſacerdotio, nec ab Atherſatha, is erat Eſdras ipſe, permiſſi ſunt comedere de Sancto ſanctorum. Nec eſt cur parem in cæteris tribubus diligentiam, regia præſertim, deſideratam fuiſſe ſuſpicemur.

X. Potuit Spiritus ſanctus omittere aliquid in vno loco, & in alio ſuggerere.

VERVM enimuero, quæ eſt iſta Spiritus ſancti à ſeipſo diſſenſio, quæ pugna confligentium mutuo ſententiarum, ſi gradum vnum procreationum à Moſe omitti voluit, poſteaque à Luca, vel potius à Septuaginta viris repræſentari? Valde illum in Scriptura peregrinum atque hoſpitem eſſe neceſſe eſt, cui nouum ſit aut inſolens, bene multa in Regum voluminibus, Deo nihilominus Scriptorem regente, omiſſa eſſe, quæ ſupplentur in libris, qui propterea Paralipomenon appellantur. Plurima à ſanctis Matthæo, Marco, atque Luca prætérita, quæ dilectus Domini Ioannes partim ſuppleuit, partim diſtinctius explicauit: qui tamen etiam ipſe multa à ſe prætermiſſa de Chriſto Domino, ſemel, iterumque confitetur; & quidem tanta copia, vt non ſolum ca.20.&21.

quintus aliquis Euangeliorum liber inde conſcribi, ſed mundus vniuerſus libris affatim repleri poſſet. Hos ergo, qui iam ſunt in manibus, Euangeliſtas, aut quoſcumque alios Dominus excitare voluiſſet, rerum à ſe geſtarum, dictarumque ſcriptores, inſanum profectò ſit contrarios inter ſe eſſe, aut fore arbitrari, ſi iſte hæc, ille illa, alius alia, ſinguli plurima, nemo vniuerſa conſcripſiſſet.

XI. *Potuerunt Septuaginta omiſſa ſupplere.*

IACET ergo profectò illa criminatio, non potuiſſe de ſacris hiſtoricis aliquem, quamuis Spiritu ſancto animum illius calamumq. dirigente, quædam omittere, quę ab alio poſtmodum, eodem Spiritu afflante ſupplerētur. Vnde & conſequens eſt potuiſſe illos Septuaginta viros, qui non meros agebant interpretes, ſed prophetas; quique Spiritum illum Scripturarum authorem inhabitantem habebant, vt plerique ſanctorum patrum ſcripto prodiderunt, non ſolum ea in græcum ſermonem cōuertere, quæ in Moſe reperiſſent, ſed ſupplere etiam, quæ ab illo iuſta quidem, parum tamen nobis explorata ratione fuiſſent prætermiſſa. Nec magis dubitandum eſt eos Cainam in vertendo Moſe ſupplere potuiſſe, quam Spiritum
2. Petr. 1. 21. ipſum ſanctum, qui per eorum ora loquebatur. *Non enim voluntate humana*, ait princeps Apoſtolorum, *allata eſt aliquando prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*; in quorum numero iſti, de quibus agimus Septuag. interpretes, meritiſſimò cenſeantur.

XII. *Vt Spiritu ſancto pleni.* *teſte Aug.*

l. 18. de Ciu. cap. 43. AVDI enim grauiſſimum ſanctiſſimi Auguſtini teſtimonium. *Spiritus enim qui in prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in Septuaginta viris quando illa interpretati ſunt: qui profectò authoritate diuina & aliud dicere potuit, tanquam propheta ille vtrumque dixiſſet, quia vtrumque idem Spiritus diceret, & hoc ipſum aliter, vt ſi non eadem verba, idem tamen ſenſus bene intelligentibus diluceſceret: & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam vt hinc oſtenderetur non humanam fuiſſe in illo opere ſeruitutem, quam verbis debebat interpres, ſed diuinam potius poteſtatem, quæ mentem replebat,*
q. 19. in Ioſ. t. 4. *& regebat interpretis.* Et rurſum alibi, *Proinde potius exiſtimandum eſt Septuaginta interpretes, quæ authoritate prophetica, ex ipſa mirabili conſenſione, interpretati eſſe perhibentur, hæc addidiſſe.* Et lib. de conſenſu Euangeliſtarum diſſerens de varietate codicum Græcorum, & Hebræorum, nihil occurrere probabilius exiſtimat, quam illos Septuaginta eo Spiritu interpreta-
l. 2. c. 66. tos, quo & illa quæ interpretabantur dicta fuerant. Quid S. Hieronymus, qui paulo auſterior in eos fuiſſe exiſtimatur, nonne illos ait Spiritu ſancto plenos, ea quæ vera fuerunt tranſtuliſſe? Et rurſum, *Illis ſignatur*, inquit, *quid Septuaginta interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus ſancti authoritatem: licet in Hebræis voluminibus non legatur.* Quibus plane conſentit Epiphanius. *Septuaginta duo*, inquit, *ſine mutua inter ſe collatione, ex Spiritu ſancto ſub vnum conſenſum totam interpretationem ediderunt, & vbi appoſitione opus fuit, ſermonis gratia appoſuerunt, & conſonanter inter ſe conſenſerūt, ac ediderunt; & hoc cum ignorarent quid quiſq. per ſe interpretaretur.*

Hieronymo Epiphanio.

Præf. ad Domnionem in l. Paral. ibi.

De ponder.

XIII. *Neque priuata temeritate Cainam addiderunt.*

HABES ergo non vulgari autoritate confirmatum Septuag. interpretes, & addere vertendo potuiſſe, & reuera dictante Spiritu ſancto, addidiſſe: ſed eadem veritas ratione quoque demonſtranda eſt. Nego enim fuiſſe quempiam aliquando mortalium tam effuſè temerarium, aut audaciæ tam proiectæ, qui non vnam aliquam commutare vocem in ſacroſanctis codicibus, ſed integram hoc loco periodum inſerere, atque inferſire

Ethnici. auſus fuerit: Non Ethnicos, non Hæreticos, non Catholicos. Ethnicis enim ſcripta ſacroſancta aut ignota fuerunt, aut magnæ habita venerationi, vt Ptolemæi Philadelphi docet hiſtoria; quem S. Auguſt. ait pro ingẽti beneficio, etſi regia poteſtate timeri poterat, ſacros ab Eleazaro pontifice libros accepiſſe. Vt rectiſſimum ſit exiſtimare eos non auſos attingere diuina Biblia, qui aliis prophanorum authorum libris manus inferre, contra gentium, ac naturæ iura crederent; qui que bonorum authorum monimenta, tanquam ſacra depoſita, pie inuiolateque ſeruanda ducerent: eaque vt aurum, vt gemmas, vt terræ fruges, quam maxime integra, atque incorrupta poſſidere glorioſum putarent. l. 8. de Ciu. c. 11. Ioſeph. præ. in l. ant.

XIV. *Aut Hæretici.* Scimvs Hæreticos priſcis illis temporibus vehementer fuiſſe impudentes, adeo vt totos Euangeliorum libros, ſpecioſo cuiuſpiam Apoſtoli nomine fucatos, tanquam ſanctos atque legitimos Chriſtiano populo venditarent. Meminit Hieron. quorundam Euangeliorum, quæ ad eius vſque tempus perſeuerabant, *quæ à diuerſis authoribus edita, diuerſarum Hæreſeon fuere principia, vt eſt illud*, inquit, *iuxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiã, & Bartholomæum, duodecimque Apoſtolorum, & Baſilidis, atque Apellis, & reliquorũm quos enumerare longiſſimum eſt. Fingunt autẽ*, ait Epipha. de Melchiſedecianis, & *libros ſibi ipſis commentitios ſeipſos decipientes.* Nimirum qui hæreſum ſuarum firmamenta, in veris diuiniſque voluminibus inuenire non poterant, in fictitiis, homines improbiſſimi, ſuique ipſorum voluntarii deceptores insererent, quæ perfricta frõte oſtentarent. Non diffiteor veriſſime dictum à Petro Apoſtolo, eſſe quædã in epiſtolis Pauli difficilia intellectu, *quæ indocti & inſtabiles deprauarent, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Ad quod illi facinus non vtique nulla ſpe, aut cupiditate ferebantur. Nemo eſt qui ſine aliquo honoris & gloriæ præmio, incitamento voluptatis; aut vtilitatis emolumento velit eſſe improbus. *Cui bono?* aiebat olim cautus ille iuriſconſultus. Nempe addita illa cupiebant, quibus hæreſes quas adamarant, ſtabiliri poſſent: illa detracta, quæ ſuos errores confoderent. Quæ ergo ſpes, quæ omnino vtilitas hęreticum hominem ad hoc crimen impelleret? Quid obſecro poterat cuiuſquam ſectariorum intereſſe in Patriarcharum catalogo legi, aut non legi iuniorem Cainam? Denique vt id factum daretur, num paſſus eſſet ſanctiſſimus ille rector Eccleſiæ Catholicæ Spiritus ſanctus, impium additamentum ſacræ hiſtoriæ tot iam ſeculis adhæreſcere?

Quæ cauſa illis libros ſacros fingendi, aut deprauãdi.

Præfat in Euang.

Epiph. hæreſ. 55.

Caſſi⁹ apud Cic. pro Mil. & Sext.

XV. *Multoque minus Catholici.* De Catholicis multo facilius conſtare poteſt neminem eò ſacrilega temeritate prouectum, vt non voculam aliquam diſtorquere, addere, detrahere, ſed in vno loco ſex ſeptemue dictiones, in alio vocabula omnino viginti nouem Moſaico textui inſerere non dubitarit. Quod enim fuerit illud os, quod pectus tam ferreum quod auderet fulmen illud diuinæ maledictionis contemnere, quod Ioannes Euangeliſta ſub extremum diuinæ ſuæ reuelationis, coniecit aduerſus eos qui aliquid adiicere, aut detrahere auderent ad ea, quæ in eo libro dictaſſet Spiritus ſanctus. Quam pœnam nullus opinor dixerit minus quadrare in deprauatorem Geneſeos, quam Apocalypſis; libri maximi Prophetarum, quam maximi Euangeliſtarum. Dicam equidem quod ſentio, atque vt arbitror dicam vere, neminem in Chriſtianorum caſtris græcum, latinum, barbarum inueniri potuiſſe, qui conſcius tam audacis non dicam facti, ſed cogitationis, non penitus exhorreſceret, non totis artubus cõtremiſceret, c. 10. & 11.

Neque irrepſit per imprudentiã.

Nam quod aliqui non dolo malo iſtam Cainæ ætatem,ſed per imprudentiam adiectam ſuſpicãtur, vereòr vt ſatis pudenter iſta ſuſpicentur.Quomodo enim tot verba, tam belle inter ſe,quam cum præcedentibus,& ſequentibus decore cohærentia, vel ex amanuentium quantauis imperitia, vel ex multarum interpretationum confuſione,coniunctione,diſtractione naſci potuerunt? Traiectiones admitti poſſunt verborum, ac ſententiarum repetitiones,omiſſiones. Adiectiones autem tantas,tam cohærentes vndique,atque conſtantes nec opinantibus excidiſſe, nemo prudentibus viris,ac ne ſibi quidem ipſi prudenter perſuadeat.

XVI. *Sed addidit Spiritus ſanctus per Septuaginta.*

Ne ergo quæramus authorem alium ſuppletæ generationis huius,præter Spiritum ſanctum; ne aliũ ſcriptorem præter Septuaginta viros, quos ille habuit à ſecretis: qui vtique cauſam habuit, vt illud argumentum ex priore noſtra diſputatione iteremus, cauſam inquam legitimam habuit, cur Cainam iuniorem à Moſe omitti voluerit; ſicut & cur tres reges in Euangelio Matthæi omitti vellet;cur autem falſo, ac mendaciter eum qui non erat insereret,cauſam omnino habere nõ potuit.Illius itaque impellente motione ſinguli,vt erãt ſecluſi locis, ſtylo,animoque conſpirantes, quartum à Noemo patriarcham Cainan ſcriptis ſuis inſeruerũt, hęſitque perpetuo in codicibus eorum incorruptis;donec ſcioli aliqui male feriati exorti ſunt,qui cum Græca Hebræis contuliſſent,vidiſſentque Cainan ab Hebræis abeſſe codicibus,quem licenter adiectum putarunt,licentius etiã ſuſtulerũt.Id facinus nõ temere tribui poteſt Aquilæ,Symmacho,Theodotioni,viris origine Iudæis,aut Samaritis; quorum Aquila *proſelytus & contentioſus interpres* ab Hieronymo dicitur,qui ab Eccleſia propter aſtrologiæ ſtudium expulſus,Iudæus factus eſt, & abnegato Chriſto circumciſionem accepit.Symmachus autem & Theodotio ab eodem *Ebionitæ,& hæretici iudaizantes* appellantur, qui multa myſteria Saluatoris ſubdola interpretatione celarint. quibus præclare conſentit Epiphan. niſi quod Theodotionem Ponticum,& Marcionitam vocat.

an.mun. 1694. nu.2.& ſeqq.

Epiph.de menſ.

de opt gen. interp. vide Epiph.de pond.

XVII. *Vnde nata videatur librorum Græcorum diuerſitas.*

Isti ergo mala mente ac fide verſionem Hebræorum librorum agreſſi, Septuag.interpretibus valere iuſſis,quæ in Hebræo non reperiebant,non poſuerunt,& fortaſſe non ſine nota ſeniorum,qui interpretes egiſſent patrum fideles:qui fuit quorundam zelus,patrum noſtrorum atque auorum memoria,qui vt ſe linguæ ſanctæ peritos oſtẽtarent, eos viros multorum errorum arguere non dubitarunt, quos olim ſancti patris viros ſanctos, ac Prophetas honorificentiſſimè appellarunt.Inde ergo Græcorum codicum nata ac proſeminata diuerſitas: & cum è patribus alij in has, in illas alij verſiones incidiſſent,ita Cainan aut prætererierunt, aut cæteris patriarchis annumerarunt. Itaque apparet tamdiu in codicibus Græcis Cainan fuiſſe conſeruatum, quamdiu incorrupta fuit eorum interpretatio; & cum aliorum verſionibus in hexaplis ita compoſita,vt neque confuſa eſſet neque perturbata;donec nata eſt communis editio,quæ vnam conflaret ex pluribus adiectis obelis & aſteriſcis. Illam autem cum puram, Dei beneficio,reperiſſet Euangeliſta, controuerſum hunc patriarcham in hiſtoriam euangelicam tranſtulit. Ex quibus facile intelligi poteſt omnia teſtimonia contra hanc veriſſimam ſententiam,Euangeliſtæ, & Septuaginta interpretum autoritate roboratam,ſponte corruere; & quæ Caina careant,Ebionitarum hæreticorum,& fidei deſertorum verſiones ſapere, non eorum virorum qui Spiritu ſancto pleni,plenam,integramque pro-

genitorum Chriſti genealogiam ediderunt.

XVIII. *Reſpondetur omiſſionibus patrum. Euſebij.* Ne tamen ſingulorũ teſtium examen, vel negligentia, vel metu aliquo defugiſſe videamur, etſi pleriſque in primo noſtro volumine ſatisfactum eſt, vbi Capellum ſectarium Caluini diſcipulum, eadem cum hoc ſcriptore ſentientem refellebamus; iuuat hoc loco breuiter ire per ſingulos. Euſebij chronicon profertur in primis, Græcè à Scaligero editum, in quo nulla fit Cainæ mentio. Neque id mirũ, cum Latino minime reſpondeat prior ille liber, quem iudicio ſuo, atque arbitratu ille conſarcinauit ex Euſebio, aliiſque ſcriptoribus, Græca vtique, aut Scaligeriana fide. Cum ergo totus ille locus in Græco deſit, non mirum eſt Cainam quoque deeſſe. In Latina autem verſione Euſebij in præfatione cuius eſt initium *Incipiunt tempora*, tam in editione Pontaci, quam Scaligeri, cum bis ponatur Arphaxadi familia, priore loco deeſt Cainan, poſteriore ſuum occupat locum, quod nemo mirabitur, qui ſciat illud in more poſitum Euſebio, vt eadem de re diuerſis in locis diuerſa dicat, prout illa apud diuerſos reperiebat autores. Itaque vt alia taceam Carthaginis ortum tribus quatuorve in locis diuerſum refert. Apud eundem quoque reperies excerpta ex priore libro chronologico, vbi hæc leguntur. *Arphaxad autem vixit annos centum triginta quinque, fiunt ſimul anni duo millia quadringenti ſeptuaginta octo, & genuit Cainan. Cainan autem vixit annos 130. fiunt ſimul anni duo millia ſexcenti octo, & genuit Salam.* Et rurſum aliquanto poſt. *Et Arfaxad genuit Cainan, vnde fiunt qui ab oriente Samaritæ. Cainan autem genuit Salathec, vnde fiunt Salathij.* Hæc ibi. Ex quibus videas pro qua ſententia Euſebius ſtare cenſendus ſit.

an. mun. 2964.

in theſau. temp. p. 95

p. 47.

XIX. *Beroſi, &c. de generatione decima Abraha.* Nam quod Beroſus apud Ioſephum, & Ioſephus ipſe, Eupolemus apud Euſebium, & alicubi Epiphanius; Gregorius item Turonenſis, & ſi qui alii Abrahamum decimum à Noemo fuiſſe dixerunt, vt libenter id fatemur, ita negamus à Septuaginta interpretibus ſumptum eſſe. Nam Ioſephus ex Hebraicis libris antiquitates ſuas ſe hauſiſſe profitetur, Beroſus & Eupolemus idem ab Hebræis, qui à clade decem tribuum toto terrarum orbe ſparſi fuerunt, haud dubie didicerunt; ſicut & pleraque alia, quæ apud Ioſephum & Euſebium occurrunt. Epiphanio in promptu fuit tam Hebræos fontes adire, quam legere Septuaginta interpretes; alij poſteriores vulgatã editionem ſunt ſecuti, & quoddam decimi numeri myſterium, quod viri eruditi à Moſe obſeruatum tradiderũt, vt alibi quoque notauimus. Apparet nimirum Moſem decem ætates, quæ diluuium anteceſſerunt, cum totidem generationibus, quæ illam humani generis cladẽ exceperũt, componere voluiſſe, vt Adamus Semo filio Noemi, Noemus Abrahamo reſponderet. Eſt enim inter eos, vt in parallelis, non ſolum æqua diſtantia, ſed nonnulla conuenientia, & quaſi reſponſus nobiliſſimarũ in hoc mundi ædificio columnarum. Adamus quaſi primus incola mundi conditi, Semus primus eiuſdem reſtaurati: Nam Noe ad priorem decadem, primamque mundi ætatem pertinet. Ille primus generationum author ante diluuium, iſte primus ab ea eluuione factus eſt mortalium parens. Eſt & concentus non modicus Noemum inter & Abrahamum. Ille animalis mundi, iſte ſpiritualis factus eſt reparator: vterque veri Dei, apud impios ac profanos homines, conſtans prædicator & cultor fuit: vterque è pereuntium cœtu euocatus ad ſalutem: vterque poſteritati ſuæ factus eſt virtutis exemplum. Sed hæc, aliaque id genus myſteria, impedire non de-

l. 1. ant. c. 6. & 7.

vide an. m. 2694. n. 7.

buerunt ſanctos interpretes, quo minus integram, nulláque ex parte diminutam generationum ſeriem, gradúſque perſcriberent.

A t Ioſephus S. Lucæ coæuus Cainan non ponit. Credo, ſecutus eſt enim Hebræos codices, vt dicebam; quod ipſe de ſe glorioſè magis, quàm verè profitetur, vt in præfatione ſecundi tomi demonſtrauimus. Modo enim hos, modo illos ſequitur; ſæpe etiam vtriſque deſertis, propriam ingreditur viam, & vt ait quidam, XX. *Reſpondetur Ioſepho.*

l. 1. ant. c. 6.

Libera per vacuum ponit veſtigia princeps,

præeundi appetentior quàm ſequendi: qui & hanc ipſam Patrum ætatem, parum fideliter, ne quid dicam grauius, repræſentauit. Nam cum prima fronte videatur cum Septuaginta interpretibus conuenire, ab iis tamen in tota ſumma diſtat annis 179. Deinde diſtat, quia omittit Cainan, quem illi poſuerunt. Tertio quia tollit Nachori 59. annos. Quarto quia tranſponit annos Sarug & Ragau. Quinto quia decem annis tardiorem facit ortum Arphaxadi, quàm aut Græci, aut Hebræi. Poſtremo quia cum ætatem ſingulorum Græco more ponat, ex his epilogiſmum Hebraicum trahit, totis ſeptingentis annis à præmiſſis diſcrepantem, vt in primo Abrahami anno demonſtrauimus.

Schol. 4.

D e Antiocheno Theophilo, & Africano in promptu eſt dicere, ſecutos quidem illos fortaſſe codices Græcos, qui tum erant in manibus, qui Hebræo textui propiores videbantur; Septuaginta vero non ſecutos in his ætatum gradibus; qui hoc ipſo quod aliquo modo ab Hebræis differrent, corrupti videbantur. Quanquam non ſatis cauſæ video condemnandi interpretem Theophili, qui forte incidit in exemplaria, quæ habebant Cainan. Neque Theophili chronologia illorum temporum ſatis emaculata eſt, cum in ea tam in Græco quam in Latino textu legamus Sethum ab Adamo genitum anno vitæ ſuæ trecenteſimo trigeſimo, ſigma in tau migrante. Quid quod epilogiſmus eius, ab inundatione terrarum vſque ad ortum Iſaaci, quem laudat aduerſarius, corruptus eſt, nihilque plane illum iuuat? Numerat enim annos mille triginta ſex, cum etiam non computato Caina, mille & ducenti reperiantur. Denique in eodem libro, vno in loco ab ortu rerum ad diluuium annos conſtituit bis mille trecentos viginti duos; aliquanto autem poſt 2242. qui eſt verus numerus apud Septuaginta, vt expoſuimus anno Adami centeſimo trigeſimo primo. XXI. *Antiocheno Theophilo.*

τλ pro σλ.

Orthodoxographiæ
ϐςμβ. p. 148.
βτκβ. p. 344.

Epiphanivs autem plane noſter eſt, diſertis enim verbis Cainan Arphaxadi filium Salæ patrem prædicat, initio Panarij primum; vbi & Tharam parẽtem patriarchæ Abrahæ in vigeſima ab Adamo generatione numerat, quæ omiſſo Caina foret decima nona. Deinde in Anchorato ſemel atque iterum eiuſdem eſt veritatis aſſertor, cum in ea fidei anchora emendatum oportuiſſet, ſi quid in toto volumine aduerſus hæreſes, per imprudentiam fuiſſet admiſſum. Rurſus diſputans aduerſus Manichæos, in eadem patriarcharum ſerie Cainan ponit. Quid eſt ergo, inquies, quod Hæreſi quinquageſima quinta, aduerſus Samaritas de Melchiſedeco diſputans Cainan omittit, cum tamen propoſitæ quæſtionis intereſſet eius annos inſerere; vt tanto validius probaret Epiphanius, alium eſſe à Semo Melchiſedechum, nec illius vitam in huius annos incurrere. Verum prudenter id factum eſt ab Epiphanio, contra Samaritas diſputante, qui ſolas Scripturas Hebraicas admittebant, atque adeo ſolos quinque libros Moſis, vt autor eſt idem Epiphan. in hæreſi nona, & in Anacephalæoſi: & re- XXII. *Epiphanio, qui noſter eſt.*

ĉte notauit Raderus noſter, in ſuis ad Chronicum Alexandrinum notis: ſicut ſi nobis nunc contra Iudæorum haſce quiſquilias diſputare contigerit, non erit integrum teſtimonia legis & prophetarum ex Septuaginta virorum interpretatione mutuari. At in libro de ponderibus & menſuris Iacob in vigeſima ſecunda ætate ponitur, qui inſerto Caina eſſet ab Adamo vigeſimus tertius. Reſpondeo Epiphanium aliquando Moſaicam chronologiam vſurpare voluiſſe, ne eam contemnere ac reſpuere videretur. Itaque cum eo loco myſteria quædam numeri vigeſimi ſecundi perſequeretur, quæ in opere ſex dierum in totidem rerum productarum generibus apparerent, & in viginti duobus Hebræorum literarum elementis, & in viginti duobus eorum libris, etiam illud ex eorundem Hebræorum obſeruatione adiecit, vt ab Adamo ad Iſraelem duas & viginti ætates conſtitueret. Vt quædam quaſi quadriga æqualibus rotis componi poſſet.

XXIII. *Sicut & Sulpitius.* NOSTER ergo eſt S. Epiphanius, noſter Seuerus Sulpitius in ſacra ipſius hiſtoria, vt qui à diluuio ad Abrahamum mille & ſeptuaginta annos enumeret, qui alioqui fuiſſent nongenti & quadraginta duntaxat, vt fatetur is, quo cum initum eſt nobis hoc certamen. *Nazianzenus.* Noſter Gregorius Nazianzenus in poëmate de Chriſti genealogia; quem locum mirum eſt ab aduerſario corruptum dici potuiſſe, cum eam vocem ratio carminis exigat, aut alia in eius locum intrudenda ſit; proindeque verior eſt illa eiuſdem confeſſio, cum, ſicut & S. Auguſtinum, communi non errori, quod de tantis viris licentius dictum videatur, ſed Eccleſiæ ſententiæ ſubſcripſiſſe. *Auguſtinus.* Noſter eſt ergo S. Auguſtinus, ſemel, iterum, tertiò, eadem ſententia, non per coniecturas obſcure deducta, ſed aperte, ac ſine vlla ambiguitate recitata: *Cur Hieronymus omiſerit.* Cum Hieronymum, quem ille ſuum eſſe putat, Cainan non admiſiſſe, liceat duntaxat quibuſdam ſuſpicionibus æſtimare. Nempe Hebræos libros, à quibus ille abeſt, Latinitate donarat, nec per erat contra ſuam ipſum verſionem pugnare diſſerendo. Noſter Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha, noſter author chronici Alexandrini, noſter Marianus Scotus, & Georgius Syncellus, quos in ortu Cainæ retulimus.

χαϊνάν. — *l.16. de Ciuit. c.3. & 10 & lib. qq in Gen. q.23.* — *an. mun. 1694. n.3.*

XXIV. *Oroſius, Iſidorus, &c.* OMITTIT Oroſius, & Iſidorus, eoſque ſecutus Gregorius Turonenſis, vt ipſe fatetur. Audio, ſed omittit duntaxat, & frigida eſt iamdudum nuda iſthæc omiſſio. Iſti, & ſi qui alij annos ex Græcis libris, perſonas ex Hebræis, iuxta Hieronymi editionem mutuati ſunt. Nec noui aliquid affert Gazæus, cum ait abeſſe ab Hebræo Cainan, & in Græcis obeliſco, aut obelo potius, ſignatum, quo id ſignificabatur. Quare autem Freculphus, aut Beda nobis opponatur ab aduerſario, ſane non intelligo, habet enim tantum chronologiam ab editione vulgata deſcriptam. Itaque iniuſtum putarunt inſerere Cainan, quem in illa non reperiſſent; ſicut & ipſe Hieronymus cum Moſem ex Hebræo conuerteret. Ergo Abrahamum ipſi quoque decimum à Noëmo numerarũt, & epilogiſmum Hebræis conſentaneum, alio reiecto poſuerunt. *Quamuis*, inquit Freculphus, *B. Hieronymus in chronico Euſebij, & Oroſius in prima fronte ſuorum librorum, à quibus etiam Ioſephus non longe exorbitat, aliter ſentiant in numero annorum, dicentes à natiuitate Abrahæ vſque ad totius orbis diluuium inueniri ſupputando retrorſum annos nongentos & quadraginta duos.* *l.1. ca.35.*

XXV. *Reſpondetur de manuſcripto cod.* QUÆ denique vis in manuſcripto vno ſiue Gallico, ſiue Anglicano, in quo Cainam in Euangelio Lucæ omiſſus fuerit, vt omnibus omnium Bibliothecarum id genus libris opponi poſſit? Quod ille ius dare poſſit ho-

minibus cupidis nouitatis, ad perturbandam receptam vbique gentium Euágeliorum, reliquorumque ſacrorum librorum editionem, à ſacroſanćto & œcumenico Concilio Tridentino, & ſede Apoſtolica probatam, emendatam, eiuſque iuſſu editam? certe ne gypſatæ quidem æui noſtri hęreticorum manus, à Græcis codicibus, quos ediderunt in lucem, eradere Cainan ſunt auſæ. At Chriſtianus Maſſe Cameracenſis aliter ſentit, ac ſcribit. Ita eſt, & quidem ſtylo fortaſſe liberiore. Sentiunt & alij nomine tenus Chriſtiani, ſectarios dico pleroſque, Lutheri, Caluinique gregales, quorum nonnullos in primo Cainæ anno retulimus; Quo minus ſane videtur opinio probanda Catholicis, quorum illi ſpreta doctrina, per abrupta ferri, & ſpiritu nouitatis, ac ſingularitatis ducti, deteriora ſequi conſueuerunt. Sentiunt & alij Catholici, quorum ibidem catalogum reperire potes. *Hæretici Cainam impugnãt.*

XXVI. *Quem retinent plerique ex Societate Ieſu.*

POSTREMVM in acie quaſi fortiſſimum triarium collocat Aduerſarius Cornelium à Lapide Belgam, virum vtique è Societate IESV doctiſſimum, qui in commentariis in Geneſim ſuis, Cainan iuniorem in Patriarcharum catalogo inſeri parum probauit. At habemus eiuſdem togæ, inſtitutique viros non paucos, ex omnibus Chriſtiani orbis regionibus, qui communem nobiſcum ſententiam, tutioremque amplectantur. Robertum dico Bellarminum, ac Franciſcum Toletum, viros omnibus in locis, in quibus Chriſtianum nomen & doctrina celebratur, longe clariſſimos, doctrina, pietate, ac dignitate præſtantes. Habemus & his nihilo deteriores Alphonſum Salmeronem, Sebaſtianum Baradium, Franciſcum Riberam; Iacobum Gordonum, Henricum Samerium, Martinum del Rio, Matthæum Raderum, Ioannem Marianam, omnes ſcriptorum præclaris monimentis inſignes, quos vni, quamuis inſigniter erudito, opponamus, quos huius ſententiæ fautores, patronoſque laudauimus, anno mundi milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto: quibus alij quoque egregij viri ita conſentiunt, vt contrariam opinionem parum Concilio Tridentino conſentaneam putent.

XXVII. *Conſentanee Concilio Trident.*

...ſſ. 4. PERSPICVVM enim eſt ab illo ſacroſancto Concilio cõſtitutum eſſe, grauiſſiméque ſancitum, vt quicumque Chriſtiano nomine cenſentur, libros omnes, qui ſacrorum bibliorum volumine continentur, *integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis ſuſcipiant*, qui ſecus faxit, anathema ſit. Quis autem dubitet, in hiſce libris ſacroſancta Euangelia principem locum tenere; & in numero omnium partium, maiores, minoreſque contineri? ſicut in humano corpore non ſolum caput & brachia, ſed oculi etiam, & digiti partium nomine comprehenduntur. Ergo & illa S. Lucæ ſententia, quæ Cainan Chriſti Domini progenitoribus annumerat, in partibus eius ponenda eſt. Neque vero inter errata, quod nonnulli dictitant, quorum tamen nulla facta videtur à Synodo mentio, reijci, atque amandari poteſt. Quæ enim eiuſmodi ſunt, aliter in his codicibus, in illis aliter leguntur, & à ſanctis Patribus nunc hoc, nunc illo modo recitantur; aut aliquam habent cum cæteris verbis, aut cum ſententia ipſa, aut omnino cum recta ratione diſcrepantiam. Illa autem S. Lucæ aſſertio, perpetuo conſtanterque omnibus hæſit in libris, Græcis, Latiniſque vulgatis, hæretque in hodiernum diem; & egregie cum veteri hiſtoria, Septuaginta teſtibus munita, iiſdemque viris Spiritu ſancto plenis,

quos vnos Eccleſia Catholica tot ſeculis ſecuta eſt, cum probato à ſanctis Patribus generationum numero, cum ſententia ipſa, verbiſque Euangelicis congruit, atque conſpirat.

XXVIII. *Concluſio.* MANEAT ergo in ſacroſancto Lucæ Euangelio, & in ſacra hiſtoriæ Patriarcharum veritate; non ille ſolum Cainas, qui orbis vniuerſi eluuionem anteceſſit, ſed is quoque qui eam tertia à Semo ætate conſecutus eſt. Maneant Heli, & Mathat & Leui & Melchi & Ianne, ceterique omnes quos idem Euangeliſta recenſuit, tam Chriſto Domino propiores patres, quam ab eodem remotiores aui, proauique; nemo deinceps qui Ieſu Chriſti fidem amplectatur, dubiam facere auſit Euangelij fidem, nemo ætates Patriarcharum, numero ſeptem ac ſeptuaginta comprehenſas, ſanctorum Patrum apertis, illuſtribuſque teſtimoniis crebro celebratas, labefactare moliatur: nemo Septuaginta teſtibus, iiſdemque viris ſapientibus, ac Prophetis illudere conetur, eorumque autoritatem, aut aperta vi petere, aut cuniculis oppugnare, ac deterere. Nemo huiuſmodi errata ſacris affingere codicibus audeat, quæ nihil habeant à reliqua ſententia diſcrepans, nihil à verbis alienum, nihil quod fucum, quod temeritatem, quod imprudentiam, quod ignorantiam redoleat. Maneat integrum cum ſuis omnibus partibus, atque particulis Euangelium, ne iota quidem vnum, ne vnus apex à lege noſtra prætereat: nihil inde ob Hebraicorum librorum ſilentium, nihil ob quorundam antiquorum taciturnitatem, aut recentiorum nimiam diligentiam, curioſamve indagationem decerpatur. Ne, proh pudor! Spiritui ſancto præſcribatur, quid cuique debeat Scriptorum ſacrorum ſuggerere. *Dominus eſt, quod rectum eſt in oculis ſuis faciat.* NOS eius Scripturam, ſinguloſque illius apices, ſacroſanctos rati, religioſa veneratione exoſculemur.

XXIX. *Lectori Sal. & Vale.* HÆC te volebam, candide atque erudite lector, in huius tertij voluminis aditu, ne forte in libellum, cuius ante memini, improuiſa ſecuritate, non innoxia tamen fortaſſis incideres, quod bona tua Scriptoriſque cum venia dictum velim; cum quadum tibi quartum volumen paro, tuque interea Heli & Samuelem, reliquoſque Reipublicæ Hebræorum principes, atque heroas inuiſis, tuis me apud Deum opt. maximum piis feruidiſque precibus commendo: vt qui dimidiam partem ſuſcepti curriculi dedit conficere, nunc iter, reſumptis viribus animiſque reflectentem, & carceres ipſos, longo licet interuallo, incipientem intueri, bonus ac peritus auriga ne deſerat. Vale. Pariſiis ex Collegio Claromontano Societatis IESV, Ianuarij 12. anni à ſalutifero partu Virginis CIƆ DCXXI. ipſo periodi vitæ noſtræ tertio atque ſexageſimo ineunte.



ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI TOMVS TERTIVS.

ANNVS MVNDI 2900. DILVVII 1244. QVARTÆ ÆTATIS 437. EXITVS AB ÆGYPTO, ET DATÆ LEGIS 357. SANCTVARII IN SILO 311. HELI IVDICIS, AC PONTIFICIS 1. ISAI 21. TROIANÆ CLADIS 30. TAVTÆI 20. IMPERII ASSYRIORVM 969.

ANTE CHRISTVM 1153.

Eſa.33.22.

Num.I. Proluſio in hiſtoriam Regum. Dominus iudex.

D*ominus Iudex noſter, Dominus legifer noſter,* Dominus Rex *noſter, ipſe ſaluabit nos.* [a] Sic magnus ille quondam vates Eſaias, priora illa ſecula cum futuris conferens, atque componens; priſca penè faſtidiens, ad futura exultans, atque anhelans, diuino videtur afflatu ceciniſſe; & in antiquis illis iudicibus, legum latoribus, Regibus, Chriſtum Dominum veriſſimum Iudicem, Regem, Legiſlatorem noſtrum agnouiſſe; itáque illis omnibus antetuliſſe, vix vt vniuerſi, ad huius vnius magnitudinem, puncti inſtar viderentur obtinere. Prædicent nobis, inquiet, alii Ioſuas, Othonieles, Aodas; celebrent Baracos, Debboras, Gedeones; Admirentur Iephtas, Samſones, atque Samueles, *Dominus* Ieſus filius Dei *Iudex noſter*, cui omne iudicium dedit Pater; qui conſtitutus eſt Iudex, non Hebraici vnius populi, ſed viuorum, atque mortuorum: Iudex omni ex parte integerrimus atque ſanctiſſimus, qui populo ſuo, pro cuiuſque meritis, diuinam diſtribuit hęreditatem; & quibus merita liberaliter contulit, eis pręmia magnificentius, mercedémque largitur.

II. Dominus legifer, præ Moſe, & omnibus legum cond.

Magnus enimuero Legiſlator Moſes, & quo totis quatuor annorum millibus toto in orbe terrarum, non ſurrexit maior; imò qui Phoronæos, Cecropes, Minoas; Dracones, Solones, Lycurgos; Numas, Charondas, Zaleucos; adde etiã Iſidem, Cererem, Mercurium, qui & dii exiſtimati ſunt, & Theſmophori appellati; reliquoſque vbique gentium legum conditores tanto poſt ſe reliquit interuallo, quantum par eſt vel præceptorem diſcipulos, vel videntem cæcutientes, & eum qui Deum ipſum coram videbat, & cum eo reuelata facie loquebatur, eos qui ſolo naturæ corruptæ lumine vtebantur, pietate, ſapientia, omníque virtute ſuperare. At ne hîc quidem ipſe Moſes aliquid omnino eſt ad illũ, cui magnus Iſaias canit, D*ominus legifer noſter*; cuius ipſa voluntas lex eſt, & regula iuſtitiæ, atque æquitatis. Qui eiuſmodi promulgauit legem, vt ad eam collata Moſaïca

lex, imperfecta, infirma, inutilis; [a] eius inſtituta, infirma atque egena elementa, merito cenſeantur. Legem, quæ gratiam, quæ charitatem, quæ vitam æternam, ſanctiſſimorum ſacramentorum interuentu, largiatur. Legem, quæ non intolerabili pondere naturam opprimat, ſed eius adiuuet infirmitatem; non quæ terrore concutiat, ſed amore ſuſtentet; non quæ doceat iuſtitias carnis, atque iudicia; [b] ſed quæ iuſtos efficiat coram Deo; non quæ cœli ac terræ creationem pateſaciat; ſed quæ eructet abſcondita in ſinu patris, ab omni retro æternitate, dicens. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* [c] Vere *Dominus legifer noſter.*

a Heb 7.18.
b c. 9.10.
c Ioan. 1.

III. *Dominus rex, & princeps magnus.*

Magnus planè Abraham, magnus Iſaac & Iacob, magnus Dauid, Salomon, Ezechias; Magnus Ioſaphat, Ioſias, aliiq; Reges, & Principes populi Dei, ſed tu Domine Rex noſter es, & pater; *Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* [d] Si à te diſceſſerimus, *quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai.* [e] Quid nobis cū Salomone, eiúſque poſteris? nū poterunt iſti ſaluare nos? ſine eo qui loquitur iuſtitiam, & propugnator eſt ad ſaluandum? *Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos; Ipſe reget nos in ſecula*, quoniam *regni eius non erit finis.* Alii quoque ſunt Iudices, alii legum conditores, alii reges & principes: Sed ipſe eſt qui in illis, & per illos iudicat mortales, cum recte iudicant, qui legibus orbem temperat, per quem *Reges regnant, & legum conditores iuſta decernūt*; [f] Illi vicarii, famuli, adminiſtri; ipſe vnus *Dominus Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos*; [g] quia nō eſt aliud ſub cœlo nomen, in quo oporteat nos ſaluos fieri, quam *Dominus Ieſus noſter.*

d Eſa. 63. 16
e 3 Reg. 12. 16.
f Prou 8. 15
g Eſa. 33. 22.

IV. *Id deinceps oſtendetur.*

Et hactenus quidem horum titulorum, quos propoſuit ſanctiſſimus hic, nobiliſſimuſque vates, explicati ſunt duo, in vmbris ac figuris ſuis, Moyſe, inquam, atque Iudicibus, in libris, quibus eorum geſta deſcripta ſunt, & in ſuos annos non negligenter digeſta, nunc ad tertium ordine titulū, dignitate primū progrediendum eſt, & ſummi Regis noſtri imagines regiæ perluſtrandæ, bonóque in lumine, ſi quo modo poſſumus, collocandæ; & in iis Dominus Rex noſter inueſtigandus, atque celebrandus. Quicquid enim in eis eſt ſapientiæ, ac prudentiæ rerum gerendarum, quidquid fortitudinis & ſanctitatis, quidquid magnificentiæ, gloriæ, maieſtatis, id totum in illo cumulatiſſimè reperietur, à quo, tanquam bonorum omnium fonte, profecta ſunt omnia, & propter quem riuuli omnes gratiarum in vniuerſos mortales redundarunt. Ad cuius regiā maieſtatē honorandam, tertius hic quoq; noſter deſudat labor, quoniam ei iampridem noſtra conſecrata ſunt omnia. Ducet autem initium ab anno bis milleſimo nongenteſimo: qui quinquageſimum octauum iubilæum, ab ortu rerum concludit, quem iuxta
1. X. græcam Chronologiam Syncellus vocat ͵αϡϛ, aut potius ͵δτνε. 4355. I

V. *Heli fit Pōtifex poſt Achitobū.*

Vita functus erat Samſon, honorificéq; ſepultus; & ſimul cum eo terminata, & mirabiliter extincta ſeruitus Iſraelitarū, qua eos Philiſthæi quadraginta ipſos annos oppreſſerant, non tam cladibus, quā tributis; donec ipſi, poſt varias acceptas à Samſone clades, ingenti ruina in tēplo Dagonis ſui, ab eodem opprimerentur. Mortuus etiam erat, tacita atq; ignota morte, Pontifex Achitob; quando vtrique muneri ſuffectus eſt Heli, Aaronis; non ex Eleazaro, & Phinees, vt cæteri adhuc, ſed ex Ithamare filius, vt affirmat Ioſephus, [h]; cum communi ſcriptorum conſenſu, ſub extremum quinti antiquitatum libri; vbi pleróſque omiſit pontifices, qui Ozim ſecuti, noſtrum hunc Heli anteceſſerunt, vt ſupra in primo Iephte anno docuimus. Quoniam ergo ex Eleazaro Heli progenitus non fuit, in primo Paralipomenon [i] inter pontifices non numeratur, ibi enim non tam Pontifices, quam filii Aaronis ex Eleazaro numerantur.

h l. 5. c. vlt. & l. 8. c. 1.
i c. 6.

VI. *Et qua ex cauſa.*

Quid autem cauſæ interuenerit cur Heli potius, quam filius Achitobi factus fuerit Pontifex, proditum literis non puto, niſi quod Hebræi, apud Lyranum, tradunt Eleazari poſteros, negligenter officio functos eſſe, ſiue in erudiendo populo, ſiue in arguendo, fortè Sadoc, (hoc enim illi nomen fuit, quo rurſum affectus eſt is, qui regnante Salomone pontificatum geſſit) infirmiore adhuc ætate fuerit, & ad ſummi Antiſtitis functionem parum idonea; fortaſſis etiam non ſatis vulgò moribus probatus. Cum ē contrario Heli annum ageret octauum ſu-

pra quinquageſimum, [a] & moribus admodum placidis probaretur; vt ex nimia in filios indulgentia intelligimus; opibus etiam, vt apparet, floreret, ac liberis, & alioqui in filiis Aaronis numeraretur, facile in eum vniuerſi populi ſtudia conſpirarunt. Id tamen ex diuina potius permiſſione, quam primaria ipſius voluntate factum videtur: qui quondam, viuo etiam tum Moyſe, dixerat Phineæ, fore tam ipſi, quàm ſemini eius pactum ſacerdotii ſempiternum, propter expiatum ſcelus filiorum Iſraël in cæde Zambri. [b] Sed hæc quædam quaſi pontificum parentheſis fuit, & poſtmodum ad progeniem Phinees reditum eſt, vt ſuo loco dicemus.

a 1. Reg. 4. 15.
b Nũ. 25. 13.

VII. *Fit & populi Iudex.* Quod ad iudiciariam, & politicam attinet adminiſtrationem, eadem Heli pontifici collata eſt: ſicque in vnum eundémque virum eccleſiaſtica & ciuilis authoritas cecidit, quod nondum ab ipſo Aarone contigerat, neque multis poſt ſeculis contigit. Si cauſam requiramus, *Poſt Sampſonem*, inquit Clemens Alexand. [c] *cum nullus eſſet qui præeſſet, populum iudicauit Heli ſacerdos 40. annis.* Genebrardus ſignificat prius factum Iudicem, quam Pontificem; *Heli ſacerdos*, inquit, *Iudex factus, tranſtulit ſummum ſacerdotium de domo Eleazaris in ſuam.* Frigebat nimirum ambitio & ſua quiſque negotia malebat pacificè, quàm communia inuidioſè tractare. Nec populo viro bellatore opus erat, iacebant quippe inteſtini hoſtes Philiſthæi, cæterique circumpoſiti populi quieſcebant. Itaque facile eſt intelligere communi conſenſu populi, vtramque eidem dignitatem, eadem opera eſſe collatam. Neque vero dubium eſſe poteſt quin Heli iudex fuerit. Nam Scriptura perſpicue, *Et ipſe*, inquit, *iudicauit Iſrael 40 annis.* [d] Et Paulus [e] *Et poſt hæc dedit Iudices, vſque ad Samuel prophetam.* Atqui Samuel poſterior eſt Heli. Clare Theodoretus *Deus*, inquit, *eum qui 40 annos duplici magiſtratus honore dignus fuerat habitus, erat enim & Iudex & Pontifex, deſpiciens locutus eſt cum paruo puero Samuele nimirum, quem ſpiritu Prophetico afflabat.*

c l. 1. Strom. c. 11.
Chron.
d 1. Reg. 4. 18.
e Act. 13. 20
q 12. in 1. Reg.

VIII. *Cur nõ annumeratus Iudicibus alys.* Quid eſt ergo quod Glycas, [f] & Zonaras [g] aiunt poſt Samſonem nullum apud Hebræos iudicem amplius extitiſſe? An fortaſſe repellere voluerunt Simmicharem Sulpitii Seueri in l. 1. Sacræ hiſtoriæ; de quo tamen nihil ipſe aſſeuerat, ſed rem vt parum compertam in medio relinquit. Et Sigonius exiſtimat ex voce *Simmichal.* Michas, de quo Scriptura poſt Samſonem texit hiſtoriam, factum vocabulum, verius quam iudicem, Simmichar, pro quo Theophilus apud Serarium [h] Semigarem habet, Cedrenus Samanem; An Samgarem ex vltimis Aodi temporibus huc tranſtulerunt? De Badane autem, quem Samſoni ſuffectum cupit Scaliger, iam ſupra dictum eſt, illum eundem cum Baraco videri. Nam quod Rupertus, lib. 4. de victoria Verbi Dei, c. 10. ait. Heli de numero Iudicum tolli, myſticum eſt, non hiſtoricum. *Cur*, inquit, *cum Iudicibus cæteris ille non annumeratur?* in eodem ſcilicet Iudicum libro, *an idcirco de numero tollitur, vt pulchram collationem tibi facere liceat, & tot annumerare iudices ante regnum David, quod habere Iudices alios*, ſcilicet Apoſtolos, *regnante iam Chriſto filio David?* Malim dicere, vt Samſon in eo quoque Domini figura eſſet, quod ille vltimus populi Iſraëlitici Iudex; Chriſtus omnium populorum vltimus futurus eſt Iudex.

f p. 2. Annal.
g To. 1. Annal.
h q. 55. in c. 16.
contra Paræum.
i. M. 2817. nu. 1.

IX. *Verior cauſa,* Idem tamen Rupertus aliam mox rationem hiſtoricam ſubtexuit, non annumeratum aliis propter contemptum verbi Domini; *quia in diebus eius*, inquit, *calce abijcere legem Domini nimia fere omnibus licentia fuit*; Id tamen de familia Heli videtur tantum dici, in cap. 2. primi Regum [i]. Nec deprauatior fuit populus ſub Heli, quam ſub Abimelecho, aut aliis Iudicibus, quando ſæpe viguit idololatria, ob quam toties addicti ſunt ſeruituti. Quid quod Samuel hoc modo è Iudicum numero excluditur? quem tamen iudicaſſe Iſraëlem certò conſtat [k]. In illo tamen duodenario numero non fuit, nec calce abiecit legem Domini. Denique ipſemet Rupertus [l], ipſum Samuelem duodecimum, & nouiſſimum iudicum vocat. *Iudicum numerus.* Qui tamen reuera quindecim numerantur, etiam omiſſo legiſlatore; qui reipſa Iudex, ac moderator populi fuit. Ioſue, Othoniel, Aod, Barac, Gedeon, Abimelech, Thola, Iaïr, Iephte, Abeſan, Aialon, Abdon, Samſon, Heli, Samuel. Hos tamen duos ſeorſim à cæteris poſitos crediderim: quòd cum Samuel Regibus quam maximè coniunctus ſit; eiuſque ortus ſine Heli explicari non potuerit, conueniens fuit Regum volumina ab ipſo Heli ducere initium.

k 1. Reg. 2. 29.
l 1. Reg. 7. 15. 16.
m in 1. Reg. c. 2.

X. *Heli & Samuel cur Regibus adiungãtur*

Quæ etiam nobis cauſa fuit, Scripturam ſecutis, cur Heli & Samuelem, tametſi veros vt dixi Iudices, populique ſui moderatores ac principes, ad hunc tertium Tomum primis Regibus deſtinatum retulerimus; qui eſt ſecundus populi Hebræorum ſtatus, ſecunda Euangeliſtæ Matthæi teſſaradecade repreſentatus. Cæterum non habetur in Scriptura cuius filius aut nepos fuerit Heli; quoniam tota generationis ſeries, ab Ithamare Eleazaris fratre, vſque ad Heli prætermiſſa eſt. Deinceps autem plerique inuenientur filii Heli ac nepotes. Nihil admodum ab eo geſtum in Reipub. aut ſacrorum adminiſtratione refertur; quia vt diximus, quieta fuerunt hæc tempora plurimis annis, Philiſthæorum principibus omnibus à Samſone moriente occiſis, atque contritis. Neque hactenus quidquam à Iudicibus pacis tempore factum Scriptura narrauit: vt vel hinc coniectura ducatur quieta fuiſſe Iſraëlitis omnia hoc tempore.

XI. *Aſcendit Elcana in Silo.*

Porrò quod ad Samuelem, eiuſque parentes attinet, dictum eſt iam ſupra,[a] ſuo vt opinor loco, quomodo Elcana, Annam primùm duxerit vxorem, deinde propter eius ſterilitatem alteram ſuperinduxerit, & quidem admodum fœcundam, adeo vt nunc multi eius filii à ſcriptura, filiæque memorentur, quibus Elcana ſuas partes diſtribuebat. *Aſcendebat* autem Elcana *de ciuitate ſua* Ramatha, *ſtatutis* à lege *diebus*,[b] feſto ſcilicet Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, ſemel autem cum tota familia ſua, quando cum ea coram Domino epulabatur, & ſingulis partem ſuam tribuebat, ſiue id in feſto Tabernaculorum, vt quibuſdam placet; ſiue potius in ſollennitate Azymorum, quæ erat maxima omnium ſolennitatum, quando plures quam vllo alio tempore in domum Dei confluebant.

Ophni & Phinees.

In qua iam tum *erant duo filii Heli, Ophni & Phinees ſacerdotes Domini*; Erant quippe filii Aaronis ex Ithamare, vt ſupra diximus,[c] & adhuc iuniores in ordine ſuo, cum patre nondũ põtifice, miniſtrabãt: adhuc fortaſſe boni ac religioſi. Nunc autẽ Patre facto Pontifice, admodũ inter ſacerdotes eminebant; è quibus Ophni, primogenitus vt apparet, ad ſummum ſacerdotium poſt parentis obitũ deſtinabatur.

[a] An. M. 2889. n. 1. & ſeqq. & an. M. 2894. n. 1 & 2.
[b] Exod. 23. 17 & c. 34. 23. Deut. c. 16. 16. apud Vatabl.
[c] n. 5. & 6.

XII. *Cum familia ſua.*

Aſcendit autem in hoc anno Elcana in Silo, ſicut per ſingulos annos ſolebat,[d] cum tota familia, obtulitque hoſtias pacificas Domino quarum pars Domino ſuccendebatur, pars in iura ſacerdotum cedebat, reliqua offerentis erant, de quibus, ſecundum legem, coram Domino epulabatur cum ſuis.[e] Neque enim in Paſchate, quod feſtum hic ſignificari putamus, ſolus agnus offerebatur, ſed oues quoque, ac boues, qui Phaſe quoque nomine comprehendabantur.[f] *Deditque Phenennæ vxori ſuæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes*, victimarum ſcilicet; etſi partes interpretatus ſit Rupertus[g] veſtes ſecutus traditiones Hebræorũ in lib. Regũ quæ habentur apud S. Hieronymum. *Has partes*, inquit, *veſtes intelliguntur, quæ in eiſdem tribus feſtiuitatibus, iuxta morem illius gentis vxoribus & liberis, ac famulis tribuebantur.*

Partes num veſtes.

Sed hic mentio eſt victimarum, & epularum, non veſtium, vnde poſtmodum de Anna legimus. *Illa flebat, & non capiebat cibum*; & vir eius ad eam, *Quare non comedis?* ideoque aliqui *partes* vertunt diſtributiones. Nec res dubia eſt, conſentiunt interpretes. Audi & Ioſephum.[h] *Is cum ſacrificatum veniſſet in Siluntem, vbi tunc Dei tabernaculum fuiſſe diximus, & de epulo partes vxoribus ac liberis diſtribueret &c.* Idem ſentit Origenes, & Chaldæus; eademq; phraſi atq; ſententia dicebat Eſdras.[i] *Ite comedite pinguia, & bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparauerunt.* Rupertum quoque tacito nomine refutat Comeſtor in hũc locum: aut ſi mauis Hierony. cum ſatius ſit Hebræos, quos ipſe refert accuſare.

[d] c. 1. v. 7.
[e] Deut. 12. 7. & 16. 11.
[f] Deu. 16. 2.
[g] l. 1. Reg. c. 3.
[h] l. 5. c. 11.
[i] 2. Eſdr. 8. 10

XIII. *Sacrificij cauſa.*

Nec eſt quod cuipiam aurem vellicet illa Ioſephi locutio. Is cum *ſacrificatum veniſſet*, non magis quam illa quæ habetur in textu, *Et immolauit Elcana*, quæ in Hebræo quoque Græcoque reperitur. Non enim obtulit ſacrificium ipſe per ſeſe, cum non eſſet ſacerdos, vt ſupra diximus,[i] ſed Leuita duntaxat, ſed per ſacerdotes; Ideoque videtur nominatim hoc loco facta mentio Ophni & Phinees ſacerdotum, hoſtias ſcilicet populi acceptantium, & offerentium eorum nomine Deo.

Non miniſtrandi, vt Leuita.

Sed & illud obiter cum Abulenſi moneo,[k] Elcanam non ſacrificiorum cauſa duntaxat venire ſolitum in Silo, ſed miniſtrandi etiam, ſecundum vices Leuitarum;[l] quo tempore vxorem, familiámue reliquam ſecum non ducebant, quoniam tunc Leuitis ab vxoribus abſtinendum erat;[m] alioqui immundi fiebant, & ad miniſtrandum in tabernaculo inhabiles. Nunc autem aſcendebat

[i] an. M. 2889.
[k] in c. 1. q. 9.
[l] Nũ 18. 2. 3. Deut. 18. 7.
[m] Leu. 15. 16

quaſi vnus de populo, & poterat ducere vxores & filios, qui ex deuotione ad templum, ſiue locum Deo dicatum proficiſcebantur.

Cum ergo Elcana plures ſacrificii ſiue hoſtiæ pacificæ partes dediſſet Phenennæ, quas illa filiis ſuis, filiabúſque diſtribueret; Annæ, quæ nullam habebat prolem, *dedit partem vnam triſtis, quia Annam diligebat*; pro triſti, quam vocem Sept. non habent; in Hebræo eſt *facierum*, pro quo Vatabli verſio habet, demiſſo vultu; quod ſatis cum vulgata conuenit; alii autem aſpectabilem, electam, honorabilem præ aliis, ad conſolationem eius in ſignum beneuolentiæ, quæ eſt ſententia Chaldæi paraphraſtæ; & Abulenſ. alii volunt dediſſe vnam quidem partem, ſed vultu amico ac beneuolo, vt defectus plurium partium, vultus hilaritate ſuppleretur, ita Caiet. Hieronymus & Comeſtor explicāt partem duplicem, quæ vna quidem eſſet, ſed optima, & æquiualeret duabus; quæ expoſitio in ſecundam incidit, & habent ſuam ſingulæ probabilitatē, & potuit Elcana triſtis eſſe in corde ſuo præ amore in Annam, & tamen vultu hilaritatem, ad eiuſdem conſolationem, præferre.

אַפָּיִם

poſt q.11. | 1. Reg. c. 1 in tradit. in 1. Reg.

Triſtis porro erat Anna, quia D*ominus concluſerat vuluam eius. Affligebat quoque eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quod Dominus concluſiſſet vuluam eius.* Inſipiens mulier, & de fœcunditate ſuperbiens, ſterilem, cui compati debuerat, vexabat; oblita eius ſterilitatem cauſam eſſe fœcunditatis ſuæ. Neq; enim Elcana duxiſſet Phenennam, niſi Anna ſterilis fuiſſet; inepta quæ non cogitaret hanc ſterilitatem multo cum fœnore, poſtmodum compenſatum iri. Potuit autem hæc muliebris exprobratio, atque inſultatio ex inuidia naſci, vt vult Caiet. quia videbat Annam præ ſe à marito diligi. *Anna*, inquit Ioſephus, [a] *videns alterius liberos cum matre conſidentes, in lacrymas prorupit, admonita orbitatis & ſolitudinis.* Nec propterea inuidiæ accuſatur Anna; nō enim de alieno bono triſtabatur, ſed ſine culpa, dolebat de malo ſuo.

a l. 5. c. 11.

b l. 1. Reg. 1. 7.

Phenennæ porro culpa tantò erat maior quanto diuturnior, ſic enim [b] *faciebat per ſingulos annos, cum redeunte tempore aſcenderent ad templum Domini*, tabernaculum videlicet Siluntinum, quod hoc tempore erat inſtar templi Domini. Eam autem illa occaſionem ſumebat inſultandi Annæ, & eam prouocandi ad lacrymas; *illa* enim *flebat, & non capiebat cibum*; erántque ei lacrymæ eius panes die, ac nocte, [c] dum dicebatur ei quotannis, & fortaſſe quotidie, vbi eſt filius tuus. Has enim exprobrationes penè quotidianas fuiſſe putat Abulenſis hoc loco, [d] quoties videlicet contingeret eas inter ſe contendere: id autem frequentiſſimum fuiſſe colligere licet ex Phenennæ moribus, & inſolentia, quam Annæ patientia acuebat potius, quàm retundebat. Maiorem autem exprobrandi occaſionem habebat inter ſolēnes epulas in domo Domini, marito partes victimarum diſtribuente. Anna verò animi ſui dolorē lacrymis ſuis aut leuabat, aut teſtabatur.

c Pſal. 41. 4

d in exp. tex.

Quòd cùm videret Elcana, *Anna*, inquit, *cur fles, & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum?* ex cuius videlicet mœrore veræ, & non fucatæ lacrymæ proficiſcuntur. *Numquid non ego melior tibi ſum quam decem filij?* vel quos habet Phenenna, & vult Lyranus, cum Hebræis, & Pſeudophilone; vel quos haberes carendo marito, qui tibi pluris eſſe debet quam decem filii, & amor erga te meus quàm amor decem filiorum erga te. Sic ferè Caiet. & Vatab. Quantò hoc veriùs iuſtiúſque dicere poteſt mortalibus, variarum rerum deſiderio gementibus, aut iacturam lamentantibus, amantiſſimus ille ſponſus animarum noſtrarum, vt in ipſius vnius amore ac prouidentia acquieſcamus, *numquid non ego melior tibi ſum quam decem filij?* imo quam orbis terrarum vniuerſus. Hanc quoque conſolationem crebrius à viro repetitam fuiſſe conſentaneum eſt, quemadmodum exprobratio crebriùs iactabatur, vt vulneri ſua medicina præſto eſſet. Sed & illud credibile eſt, Elcanam, ſi quando ad eum Anna querelas detulit, verbis Phenennam ſuper linguæ ſuæ intemperantia, caſtigaſſe.

Ecquis autem iſtarum lacrymarum finis? Conceptus, ortúſque Samuelis. quamdiu autem irritæ fuerunt, atque inanes? aut potius quamdiu earum dilatus eſt fructus? Vtique ad præſentem annum, quo Samuelem conceptum putamus & anno ſequente ineunte natum. Satis enim conſtat eum à morte Heli Rempub. Hebræorum iudiciaria poteſtate partim ſolum, partim cum Saule ad

miniſtraſſe annis triginta octo; biennio enim poſt mortem Samuelis mortuus eſt Saul, vt ſuo loco dicetur, in cuius Saulis obitu abſoluti ſunt anni 40. quos D. Paulus, [a] ab Heli ad Dauidis regnum enumerat. Ioſephus ſcribit [b] Samuelem cum Saule 18. annis Rempub. gubernaſſe. Eos ſi prædictis Samuelis annis detraxeris, remanent 20. Quoniam verò ſub ipſum annum electi Saulis in Regem Scriptura Samuelem ſenuiſſe refert, [c] quando poſuit filios ſuos Iudices Iſraël, tantò verius, probabiliúſque erit hoc ſenium, quantò vlteriùs ad ſuperiores annos ortum Samuelis ſummouerimus. Poſito autem hoc anno conceptu Samuelis, natiuitate autem ſequentis initio, vixerit Samuel cum Heli annis 39. quibus ſi prædictos 20. adiunxeris, fient 59. anni, quo tempore quis rectiùs dici poteſt ſenuiſſe, quam 52. aut 3. quartóve, iuxta eorum ſententias, qui tardiùs eum natum dixêre.

[a] Act. 13. 21.
[b] l. 6. ant. c. 14.
[c] 1. Reg. 8. 15 & ca. 12. 2.

XIX. *Confirmatur ratio temporis.*

Et hanc ſententiam ſequitur Torniellus; quę inde quoque confirmatur, quod quo magis differtur Samuelis natiuitas, hoc minus cōgrua erit eius ætas ſummo magiſtratui, eo tempore, quo mortuus eſt Heli: quæ ætas in noſtra ſententia erit annorum 39. in aliorum autem opinione, eo minor, quo magis eius ortum diſtulerint. Illud præterea Samuelis ortũ accelerari ſuadet, quòd ante Saulis inaugurationem, Samuel duos de filiis ſuis conſtituit Iudices Iſraëlis, ſubalternos illos quidem, ſed tamen Iudices; proindéque ætate matura, 30. vel 35. annorum; quod requirit vt quamprimum Samuelis ortus aſſignetur. Sed nec transferre eum licet ad poſtremos Samſonis annos, quoniã quando Anna Deum orauit pro obtinendo filio, Heli erat ſummus ſacerdos, & vt pontifex ſedebat ſuper Solium honoratum, vt notat Vatablus, & Abulenſ. & Hebræi quidam apud eum aiunt illum eodem die Iudicem factum fuiſſe, atque pontificem. quin & Theodoret. q. 5. in 1. Regum, & Ioſephus eum vocant ἀρχιερέα, licet Sacerdos duntaxat in Latino, Hebræo, Græcóque dicatur. ſed ea vox ſæpe principi ſacerdotum tribuitur.

XX. *Adit Anna domum Dei,*

Erit itaque deinceps hîc annus, cæteríque conſequentes Annæ, non triſtitiæ, & lacrymarum, non exprobrationis ab æmula vel pudoris, ſed conſolationis & lætitiæ, póſtquã mox vltimùm coram Deo ac Sacerdote, votum nuncupando plorauerit. Exhilarabit eam in conceptione filii, afflictorum, & mœrentium, præſertim ſine culpa ſua, conſolator. Cum igitur Elcana dilectam ſibi Annam conſolatus eſſet, & ad comedendum inuitaſſet, *comedit illa & bibit in Silo.* In gratiam videlicet mariti ſui, à quo tenero affectu ſe inuitari ſentiebat, & cui vt par erat mutuum amorem, & venerationem debitam exhibebat; & concepta voti faciendi voluntate venit in Tabernaculum fœderis. Magis quidem indefinitè in Hebræo habetur, & Græco textu, poſt cibum ſumptum, vel expletis epulis Annam adiiſſe ſanctuarium; vt tamen ipſa quoque nominatim comediſſe intelligeretur, quod de aliis ſatis conſtabat Hieronymus diſtinctè de ea dixit, quod confuſè in hebræa, & grçca lingua tradebatur.

XXI. *Vbi orauerit Anna.*

Surrexit ergo Anna poſt prandium, & venit in Domum Dei, vbi inuenit Pontificem Heli *ſedentem ſuper ſellam ante poſtes Templi* Domini. Exiſtimari poſſet Heli ſediſſe ante tentorium quod erat in introitu tabernaculi, Annam autem veniſſe in atrium, & intra illud prope tabernaculum oraſſe. Id tamen non probatur, tum quia in atrio tabernaculi nemo ſediſſe legitur, tum quia illuc mulieres, ac ne Leuitæ quidẽ, ſed ſoli ſacerdotes ſacris operaturi, vel paraturi victimas admittebantur, ſi credimus Abul. [d] etſi alibi aliter [e] tum quia cum tabernaculum eſſet totum ligneum, nihil erat in eius aditu, præter quinque columnas, & velum, ſiue tentorium, quo operiebatur totius tabernaculi aditus, cum ſuis columnis, vt conſtat ex 26. Exodi; [e] hîc tamen fit mẽtio poſtium templi, qui lapidei fere ſunt, & fores ſuſtinent hinc & inde; fores autem in tabernaculo nullæ erant.

[3] X.
[d] qu. 4. in c. 18. num.
[e] qu. 24. in c. 1.

XXII. *Quæ tum diſpoſitio Domus Dei.*

Dicendũm ergo videtur, eo tempore quo Sanctuarium manſit in Silo, Tabernaculum quidem ipſum obtectum fuiſſe decenti aliquo tecto, contra cœli iniurias, vt alibi cum Abulenſi dictumeſt, [f] ipſum autem atrium muro aliquo cinctum. Circa quem eſſent habitationes Leuitarum, proportione locorum, qui in deſerto diuinitus, ad caſtrametandum fuerant aſſignati, ſic vt ad orientalem plagam Pontifex & Sacerdotes habitarent, ſicut olim Moyſes & Aaron in deſerto; Ad fores igitur illius muri ſedebat Pontifex in atrio,

[f] v. 36. 37.
[g] a. m. 2590. n. 7.
num. 3.
num. 3. 38
1. Reg. 4. 18.

ſeu veſtibulo ſanctuarii, quò totus populus venire ſolebat, ſiue ad orandum, ſiue ad agendum cum Pontifice vel ſacerdotibus: illic expectabat & Iudex & Pontifex, ſi quis eo conuento opus haberet. Eóque veniſſe Annam
a 1.Re.4.18 orationis cauſa exiſtimandum eſt; eodem & illum nuncium [a], qui captam à
b q. 24.iii
c.1.Reg. Philiſtæis arcam Domini nunciauit. Vide Abulenſ. in hunc locum [b].

Venit itaque Anna ad orationis locum, *cùm eſſet amaro animo*, admodum videlicet ægro ac triſti, propter exprobrationes æmulæ ſuæ, & propter ſterilitatẽ, quam forte tribuebat peccatis ſuis, & de more in genua procidens coram Deo, non ita longe à ſolio ſacerdotis; non enim longe aberat ſenex, qui motum labiorũ eius obſeruauit, *orauit ad Dominum flens largiter*, feruore videlicet deuotionis, ſpei, deſiderii, compunctionis accẽſa, qui motus animi facilè, in verborum idem ſignificantium iteratione ſe produnt, & effundens animam ſuam in conſpectu Domini, proferendo de corde ſuo, & repræſentando coram Domino afflictionem ſuam, ſterilitatem, exprobrationes, *mentem meam exinaniui apud Dominum*,
c Tob.3.11. ait Chryſoſtom. hom. 1. de fide Annæ. Sicut poſtea Sara filia Raguelis [c] in perſimili cauſa, *tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, ſed in oratione perſiſtens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab iſto improperio liberaret eam.*

Sed Anna ad orationem plenam animi, plenam ſpiritus, plenam doloris, plenam veritatis, adiecit inſuper votum dicens; *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem*, filium ſcilicet maſculum, *dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* Accommodat Anna humana diuinis; cenſentur enim inter homines non reſpicere, non videre, non noſſe, aut obliti eſſe, qui amicorum neceſſitatibus opem, quam poſſunt, non ferunt; ſed in iis taciti, im-
d Abul q.13. motique diu ipſos verſari patiuntur; [d] Vouet ſub conditione, quia quod voueba-
& ſeqq. tur nondum erat in rerum natura, & pro eo impetrando fiebat promiſſio Domino. Petit filium maſculum, quia fœmina inepta erat ad miniſtrandum Domino Et vouet ſe daturam filium ad miniſtrandum Domino, qui iam, hoc ipſo quod primogenitus erat, & Leuites, ex diuina lege additus erat Dei miniſterio, ſed promittitur ad perpetuum miniſterium, *vt maneat coram Domino iugiter*, vt eadem Anna paulo inferius, cum alii Leuitæ non cõtinenter, ſed per vices Domino mi-
e 18.6. niſtrarent, vt ex Deuteron. intelligitur, vbi [e] vbi ſtatutum eſt Leuitem poſſe miniſtrare Domino in loco quem elegerit Dominus, ſicut reliqui Leuitæ, qui ſtabunt eo tempore coram Domino.

Nihilominus de huius voti æquitate dubitari poteſt, non enim poteſt quis vouere niſi rem, quæ iuris ſui eſt, & pro tempore quo eſt iuris ſui: at filius non eſt paterni iuris pro tota vita, ſed pro tempore pueritiæ, aut adoleſcentiæ; cum enim maiores facti ſunt, tranſeunt de paterno iure ad proprium, vt ait Abulenſis hoc
f q.21. loco, [f] quomodo ergo rectè Anna filium diuino famulatui obligat ad totam vitam, præſertim ſine filii, qui nondum erat, aut mariti conſenſu, in cuius poteſta-
g Num. 30 te propriè filii eſſe dicuntur, & quo non annuente irritum erat votum. [g] Reſpon-
7.8. dendum eſt cum eodem, non potuiſſe obligari Samuelem, niſi pro tempore, quo erat ſub parentum poteſtate, manſiſſéque liberum, vt grandior factus, votum de ſe factum obſeruaret, aut antiquaret, quod tamen perpetuò obſeruauit. aut certè dicendum matrem ſub ſpe ratihabitionis vouiſſe, nec falſam fuiſſe expectationem ſua. Videtur autem Elcana in hoc votum cõſenſiſſe, re ab vxore cognita, & inſu-
h c.1.21. per aliqua dona vouiſſe domino, cum infra dicatur, [h] aſcendiſſe Elcanam, vt immolaret Domino hoſtiam ſolennem, & votum ſuum.

Quoniam autem ad Nazaręatum quoque perpetuum addicitur Deo, ſoláque cæſaries perpetuò nutrita memoratur, dubium eſt an ad alias Nazaręatus conditiones, naſciturum filium obliget mater, in primiſque ad abſtinentiam à vino ad quã iamdudum Samſon fuerat obligatus; an tantum ad conſeruationem co-
i q.22. 6. mæ. Reſpondet Abulenſis, [i] Samuelem ad totius Nazaręorum votum obligatum fuiſſe, eámque matris fuiſſe intentionem, præcipua Nazaręatus ceremonia memorata. Certè de abſtinentia vini, plerique patres Samueli teſtimonium
k l. 2. con. perhibent. *Samſon & Samuel*, ait S. Hieronymus, [k] *vinum & ſiceram non bibunt, erant*
Iouini.
ſub med.
l l.5.c.11. *enim filij repromiſſionis, & per abſtinentiam, ieiuniumque concepti.* Ioſephus, [l] *Itaque*

& comam alebat, & aqua tantum in potu vtebatur, degebatque circa fanum, cuius miniſteriis educabatur. Theodoretus, [a] *Cum autem peperiſſet impleuit promiſſum. Conſeruauit enim eius comam, & eum docuit aquæ potionem, ea eſt enim lex Nazaræorum.* Omitto Zonaram Ioſepho de more ſubſcribentem. ſed addo Chryſoſtomum [b], imò & ſeptuag. interpretes, qui etiam in voto Annæ hæc verba ſupplent, *vinum, & quidquid inebriat non bibet,* quæ Philo agnoſcit, in libro de Temulentia. [c] *Quamobrem,* inquit, *& Samuel Regum Prophetarúmque maximus, vinum & quidquid potum inebriat, ſicut ſacra eloquia teſtantur, ad extremum vſque diem non bibit.*

a q. 1 in 1. Reg.
b in homil. de fide Annæ c. 1.
c Græc. Lat. p. 103.

XXVII. *Eius patiētia in obiecta ebrietate.* Et hactenus quidem habes in hac ſancta muliere, deuotionis, & pietatis exemplum non vulgare, accipe nunc eximium patientiæ. *Factum eſt enim, cum illa multiplicaret preces coram Domino, vt Eli obſeruaret os eius,* quod afflicti animi æſtus aliquo modo ſequebatur, *loquebatur enim Anna in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Aeſtimauit ergo eam Eli temulentam; dixitque ei, vſquequo ebria eris? digere pauliſper vinum quo mades:* Septuaginta in editione Romana Baſilienſi, & Aldina hæc verba non pontifici, ſed famulo eius attribuunt. Καὶ εἶπεν αὐτῇ τὸ παιδάριον Ηλι, quo modo legit Sanctus Chryſoſtom. [d] idque in argumentum vertit patientiæ Annæ, vt mox dicemus; addūtque, καὶ πορεύου ἐκ προσώπου κυρίου: quod Ioſephus quoque retinuit: *& recede à conſpectu Domini,* Suſpicioni autem patrocinatur tempus, vt notat Chryſoſtomus, [e] *vnde autem,* inquit, *hoc ſuſpicari potuit Sacerdos? Neque enim ridentem vidit, neque ſaltantem, neque vertigine concidentem: non audiuit vllum verbum obſcœnum, aut illiberale ſonantem, vnde igitur concepit hanc ſuſpicionem? haud ille quidem temerè, nullaque de cauſa, ſed ex diei tempore: erat enim meridies cum precaretur illa &c.*

d Hom. 1. de Anna hom. 15. in Acta.
e Homil. 1. de Ann.

XXVIII. *Vnde orta ſuſpicio.* Et poſt pauca, *Quod omnes faciunt tempus relaxationis, illa fecit tempus deprecationis poſt conuiuium accurrens ad ſupplicationem fontes lacrymarum emiſit.* Vidit ergo mulierem Sacerdos incomitatam fortaſſe, nam oratio ſeceſſum amat, ac ſolitudinem, alieno tempore, diutius ſine voce preces ſubmurmurantem; accedebat forte rubor in facie, natantes lacrymis oculi, geſticulationes capitis, manuum, brachiorum, qualia ingentes animi æſtus non aduertantibus excutiunt, & comitantur. Itaque exiſtimauit temulentam; iudicio quidem falſo, non tamen, vt videtur, plane temerario: & forte pleraſq; iam mulierculas inuenerat in iſtiuſmodi culpa, poſt paſchales epulas. Cumque eſſet ſacrorum, & Reipub. princeps, exiſtimauit ſui muneris eſſe, eam in culpa, vt videbatur, flagranti deprehenſam, grauius obiurgare,

XXIX. *Quæ probēt Annæ patientiam ex Chryſoſt.* Quantam autem patientiam iſta verba teſtantur. *Nequaquam, inquit, Domine mi: Nam mulier infelix nimis ego ſum; vinumque & omne quod inebriare poteſt; non bibi, ſed effudi animam meam in conſpectu Domini. Ne reputes ancillam tuam, quaſi vnam de filiabus Belial, quia ex multitudine doloris, & mœroris mei locuta ſum vſque in præſens.* Hic potiſſimum, ait Chryſoſt. [f] licet huius mulieris philoſophiam perſpicere. Domi exprobrabat ęmula, venit in templum, & Sacerdotis puer afficit illam contumeliā, & increpat ipſe Sacerdos. Effugerat domeſticam tempeſtatem, venit in portum, & rurſus inuenit vndas, venit acceptura medicamen, & vulnus exaſperatum eſt. Scitis quomodo animi in mœrore conſtituti aduerſus contumelias, & conuitia ſint affecti. Quemadmodum acerba vulnera ne leuem quidem manus contactū ferunt; ſic & animus perturbatus, difficilis eſt, ac moroſus, & ad omnia indignatur, quouiſque verbo mordetur & offenditur. Verum hoc non accidit huic mulieri, ne tum quidem, cum à puero conuitiis peteretur. Nam ſi Sacerdos fuiſſet conuitiatus, non erat perinde miranda tolerantia; propterea quod dignitatis magnitudo, ac magiſtratus authoritas, vel inuitam illam compuliſſet ad modeſtiam. Nunc verò nec aduerſus ſacerdotis puerum indignata eſt; 4 quo magis etiam ſibi conſiliauit Deum. Hæc & plura Chryſ.

f Homil. 1. de Anna.
4. ꝶ.

XXX. *Multa eius argumenta.* Vides igitur inſignem mulieris modeſtiam, & quam multa in vno exemplo patientiæ argumenta concurrant, 1. Primum mulieri infirmæ ac fragili, & perturbato iam animo, afflictóque noua ingerebatur afflictio; 2. ſecundò mulieri, quæ nullo modo ſe conſciam iſtius culpę eſſe ſentiret, Nam

Quæ venit ex merito pœna, ferenda venit.

3. tertiò quod conuitiū, pręſertim in honeſta, atq; honorabili matrona, atrox eſſet

ac probroſum, non enim tantum ebria dicitur, vt in Hebręo, Latinóque textu,
ſed ebrioſa; id enim valet illa vox *vſquequo*, & Septuag. μεθυσθήσῃ *inebriaberis*. quar- 4.
tò, quod non à Pontifice, ſed à paruulo, iuxta Chryſoſtomum, & Septuaginta 5.
Interpretes, accepit iniuriam. quintò, quod pro fœdo conuitio honorificam
reddit appellationem, *Nequaquam*, inquit, *Domine mi. Qui contumelioſè*, ait idem
S. Pater, *locutus fuerat, eum appellat Dominum. Non dixit quod plerique ſolent homines.*
Iſtáne Sacerdos? iſtáne qui alios docet, temulentiam, ac vinolentiam mihi exprobrat? Nos con-
tra ſi quando conuitiis appetimur, cùm oporteret excuſare, & in gratiam redire, frequenter ex-
citamus incendium, ac ferarum in morem inſilimus in conuitiatores, præfocantes, obſtricto collo
5 χ. *trahentes, pro dictis ſupplicium repoſcentes.* 5 ſic Chryſoſtom.

Sextò, quod nec iudicii temeritatem in ſacerdote arguit, nec Phenennam XXXI.
ęmulam, fontem doloris ſui accuſat, *Obſerua*, inquit idem Chryſoſtomus, *quomo-* 6.
do neque hic commemorat æmulæ conuitia, neque traducit illius malitiam, nec domeſticam ca- Neminem
lamitatem exaggerat euulgans, ſed hactenus aperit ſuam anxietatem, vt tantum ſeſe apud Sa- arguit.
cerdotem purgaret, ne à Sacerdote malam referret opinionem. Denique ita neminem vel-
licat, vt ſuam innocentiam modeſtè prudentérque tueatur. Non enim ſolum cu- 7.
mulate purgat ebrietatem obiectam, ſed oſtendit id vitii genus ad filias Belial
pertinere, profligatę ſcilicet vitę, vel pudoris.

Cæterum filii, filięque Belial, vt hoc obiter notemus hoc loco, dicuntur qua- XXXII.
Iud. 19. 22. ſi abſque iugo, vt ſcriptura ipſa [a] interpretatur, qui ſcilicet iugum diuinæ legis Qui dicantur filij Belial in genere.
excuſſerint, & infrenes abſque diſciplina viuant, Theodotio habet hic, εἰς μίαν τῶν
c. 2. 20. ἀπαιδεύτων, de quibus Dominus apud Ieremiam [b] *A ſeculo confregiſti iugum meum, ru-*
piſti vincula mea, dixiſti non ſeruiam. Ex quo intelligitur huiuſmodi voce ſiue con-
c. 22. 5. uitio, omne vitii genus contineri. Vnde in 2. Regum [c] *torrentes Belial* dicuntur vi-
ri improbi, qui quaſi torrentes inundantes Dauidem inuaſerant. Sic 2. Parali-
c. 13. 7. pom. [d] filii Belial dicuntur homines ſcelerati, qui Ieroboamo tyranno, contra
Roboamum adhæſerant. & apud Prophetam Naum Belial dicuntur, impii Aſ-
ſyrii Iſraëlitarum vaſtatores. In ſpecie autem vt hîc de ebrioſis dicitur, ita Iudi- In ſpecie.
c. 19. 22. cum 19. de libidinoſis, [e] in Deuteronomio de Idololatris atque Apoſtatis à fi-
Deu. 13. 13. de, [f] & capite ſequenti libri huius, [g] de ſacrilegis filiis Heli. & cap. 10. & 25.
1. Reg. 2. de ſuperbis & contumacibus, quales erant Nabal, & qui nouum Regum Sau-
.17. c. 10. lem contemnebant. Rurſum in ſecundo Regum [h] vir ſanguinum, & vir Be-
7. c. 25. 17. lial copulantur, & infra c. 20. 1. vir Belial, vocatur ſeditioſus, & rebellis. In 3.
2. Reg. 16. Reg. [i] viri Belial dicuntur falſi teſtes aduerſum Nabot. Denique ipſe princeps
3. Reg. 21. & caput ſceleratorum omnium Diabolus Belial dicitur, & Chriſto Domino
2. Cor. 6. Principi electorum omnium opponitur ab Apoſtolo Paulo. [k] De quo etiam
6 σχ. Diabolo ea verba Ieremiæ, quæ attulimus recte vſurpantur. 6

V. 17. *Tunc Heli ait ei, vade in pace, & Deus Iſrael det tibi petitionem tuam, quam rogaſti eũ.* [l] XXXIII.
Non quærit quid illa particulariter rogarit, ſed vniuersè ei bene precatur. quæ Dimittitur
eſt ſententia ſancti Chryſoſtomi. *Conſidera*, inquit, *& Sacerdotis prudentiam. Non* ab Heli.
inquiſiuit curioſè de genere calamitatis, non exactius ſcrutatus eſt angoris cauſam, ſed quid ait?
vade in pace dabit tibi Dominus Deus Iſrael omnem petitionem quam ab eo petiſti. Mulier ex
accuſatore fecit patronum. Tanta res eſt humanitas ac manſuetudo. Pro contumelia copio-
ſo accepto viatico diſceſsit, eúmque nacta eſt propugnatorem, & interceſſorem, quem habue-
q. 5. in 1. Reg. *rat obiurgatorem. Probro appetita*, inquit Theodoretus, [m] *quod eſſet ebria, leuiter tulit,*
& depulſa ſuſpicione docuit affectionem qua laborabat, & Pontificalem aſſecuta fuit benedi-
ctionem. Heli beneprecatus Annæ ipſam dimittit, ipſa autem ſimul gratias agẽs,
ſimul eius preces iterato petens, *vtinam*, inquit, *inueniat ancilla tua gratiam in ocu-*
lis tuis, nec peculiariter quid petierit exponit: quod ſentit etiam Abulenſ.

Significat tamen D. Gregorius in hunc locum, Annam declaraſſe deſiderium XXXIV.
ſuum Heli, quem ait pro voto fœcunditatis precatum eſſe. Sed Ioſephus rem a- Bene precãténe, an Prophetãte.
pertè affirmat. *Quæ cùm reſpondiſſet*, inquit, *aquam ſe potare, ſed mæſtam quod liberis*
careat, precibus à Deo ſterilitatis remedium petere. Bono animo eam eſſe iuſſit, pollicitus habi-
turam ex Dei munificentia filium; vult ergo Sacerdotem prophetaſſe, cui conſentit
Chaldæus paraphraſtes, & Chryſoſtomus quem retuli; Latina tamen & Gręca
verſio, & textus Hebræus oſtendunt eum tantum fuiſſe bene precatum. idque
omnes verſiones Latinæ confirmant. Caietanus rem in dubio relinquit; & reue-

ra vtraque probabilis eſt, fateor tamen probabilius videri Heli nunc in gratiam Annæ prophetiam edidiſſe diuinitus; Idque non parum confirmat illa conſtantia, atque æquanimitas qua deinceps hæc ſancta mulier fruebatur, quæ rectius prophetiæ, quam bonæ precationi tribuatur.

XXXV. *Anna æquanimitas & conſtantia.* Abiit itaque mulier ab orationis loco, rediit ad coniugem, reliquamque familiam, quam orandi cauſa domi reliquerat, poſtridieque *ſurrexerunt mane, & adorauerunt coram Domino, reuerſique ſunt, & venerunt in domum ſuam* Ramatha; Quid porrò eſt *vultus Annæ non fuiſſe amplius in diuerſa mutatos*? triſtitiam nimirum ac lætitiam alternatim vultui eius non inſediſſe; nec vltra illam vultu præ ſe tuliſſe triſtitiam. Nec mirum, cum enim ex corde eiecta eſſet, non potuit ſine hypocriſi, facies teſtari triſtitiam, quæ non erat. *Cor hominis*, ait Sapiens, [a] *immutat faciem illius, ſiue in bona, ſiue in mala.* Nec erat ſancta matrona in earum claſſe de quibus ille. a Eccl. 13. 31.

Quo non ars penetrat? diſcunt lacrymare decenter, Ouid.
Quóque volunt plorant tempore, quóque modo.

Et ſcriptura ipſa, [b] *Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcat vultum ſuum tanquam vrſus, & quaſi ſaccum oſtendit, in medio proximorum eius.* b Eccl. 25. 24.

XXXVI. *Concipitur Samuel.* Reuerſis domum coniugibus, *cognouit* Elcana *vxorem ſuam.* In Silo quippe ob Domini, & loci ſancti reuerentiam, dierúmque ſanctorum abſtinuit, quod Dionyſ. & Caiet. notarunt. Dominus autem dedit mulieri fœcunditatem; id enim ſignificat illud, *Et recordatus eſt eius Dominus; & factum eſt poſt circulum dierum,* id eſt poſt aliquot dies, *concepit Anna, & peperit filium*: non tamen eodem anno, licet ad Paſcha eam in Silo veniſſe dicamus, [c] ſed ſub initium ſequentis. Nec obſtat quod Lyranus & Hebræi ſentiunt Samuelem conceptum & natum eodem anno, quo mater eius eum à Domino poſtulauit. Id enim ſignificat intra vnius anni ſpatium votum matris, conceptionem & natiuitatem filii contigiſſe; non tamen eodem ciuili currente, quem in Ianuario inchoamus. Quod ſi feſtus dies quo venit Elcana in Silo, eſſet ſolemnitas Pentecoſtes, vel Tabernaculorum, tanto magis Samuelis natiuitas ad annum ſequentem pertineret. 7 c ſupr. n. 11. & 12.

7. ※.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2900.

1. n. iv. SIquidem iuxta ea qua diximus an. m. 131. ſchol. 2. Græci annos numerant vſque

Ad Diluuium	2262.
Ad ortum Iſaac,	1332.
Ad ortum Iacob	60.
Ad eiuſdem obitum	147.
Ad ortum Moſis	118.
Ad ortum Heli	436.
	4355.

tribus ergo tãtum annis diſtat Georgius Syncellus à noſtra chronologia; cúmque ſuam dicat eſſe κατὰ τὴν ἀκριβῆ, καὶ εὐαγγελικὴν παράδοσιν, ex accurata & Euangelica traditione, patet ipſum & iuniorem Cainan admittere, & ortũ Abrahami in annum patris 130. conijcere.

2. n. xxi. Nam q. 24. in c. primum primi Reg. ait Iſraelitas omnes de populo ſolitos ingredi in atrium, vt ibi ſacrificarent, & epularentur poſtquam ſacerdos acceptam à Laico victimam Deo obtuliſſet in pacificum ſacrificium. Vide tamen quæ diximus an. Moſis 82. n. 91. Et Vatablus nominatim obſeruat victimas pacificas non ſolitas comedi in atrio, ſed extra atrium, vbicumque viſum fuiſſet iis, qui ſacrifium pacificorum curauerant. Ex eius itaque mente illud. *Ibi epulamini coram Domino,* quod Deuter. 12. 12. & alibi ſæpius vſurpatur, c. 14. 26. c. 16. 11. c. 27. 7. c. 26. 10. non præciſè accipiendum eſt de ambitu tabernaculi; nam in hiſce ſolennitatibus atrium tot conuiuis capiendis par eſſe non potuiſſet. Imo vix omnia animalia ſacrificiis deſtinata capiebat. Vide ann. Heli 4. n. 12.

De more dixi, expreſſum id ſæpius, in Scriptura. Nam Salomon in dedicatione templi *vtrumque genu* in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum. 3. Reg. 8. 54. quod repetitur 2. Paral. 6. 13. Leuitæ quoque *incuruato genu* adorauerunt 2. Paral. 29. 30. Salomonem imitatus eſt Eſdras; 1. Eſdr. 9. 5. Quin Deus ipſe apud Eſaiam c. 45. 24. *mihi,* inquit, *curuabitur omne genu.* Quod æmulatus dæmon iubebat *curuari genua* coram Baal 3. Reg. 19. 18. *Daniel tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo ſuo,* ſicut & ante facere conſueuerat. Dan. 6. 10. Idem conſueuerat Michæas, Michæ. 6. 6. Et Paulus flectit *genua ſua* ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in cuius diuino nomine *omne genu* curuatum iri ait: & ipſemet Chriſtus Dominus *poſitis genibus orabat;* Luc 22. 41. Nec aliter in faciem, niſi poſitis prius humi genibus procidebat. Matth. 26. 39. quod in veteri quoque lege non ſemel reperies, nec aliter Elias 3. Reg. 18. 42. *pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua.* Vi- 3. n. xxiij. Epheſ. 3. 14.

mirum procidit primum in genua, tum inclinauit caput ſuum verſus terram ad genua ſua. Nec obſtat quod ipſamet Anna aliquanto poſt ait ſe ſtetiſſe orantem Dominum, ibi enim *ſtare* idem eſt quod *adeſſe*, vt alibi non raro, nec ſemper rectam corporis poſitioné ſignificat. Nec aliter acceperim mulieres ſanctas ſtetiſſe iuxta crucem. Ioan. c. 9. 25. Itaq; vbi Ioannes & Lucas habent, *ſtabant*, aut *ſtabant à longe*, Marcus & Matthæus habent, *erant à longe aſpicientes*. c. 15. 40. c. 27. 55. ſed de his hactenus.

Non negauerim animum meum illa ſuſpicione pulſari, ne hoc loco memoratus puer ſacerdotis, non eius famulus eſſet, ſed filius iunior; qui contemptim dicatur παιδάριον, qué Heli pro ſua nimia in liberos indulgentia coram ſe peccantem, & mulieri ſanctæ contumelioſè inſultantem non reprehéderit; quod in famulo nequaquam videtur fuiſſe laturus. Nam παῖς & pro famulo, & pro filio ſæpè ſumitur. Luc 11. 7. *pueri mei mecum ſunt in cubili*; & Luc 1. 76. *Tu puer Propheta altiſſimi vocaberis*. *Seruate puerum Abſalon*, aiebat Dauid. Denique iidem modò filii, modo pueri vocantur. Hebr. 2. 13. Eſa. 8. 18. Ier. 20. 15. 1. Mac. 13. 16

Addo hic pauca quæ ſubdit; ſunt enim elegantia. Atqui his ipſis factis ſuſpicionem de nobis confirmamus. *Nam ſi cupis exprobrantibus oſtendere te non eſſe temulentum, oſtende per manſuetudinem, oſtende per humanitatem, non per contumelias & conuitia. Nam ſi percuſſeris eum qui te affecit contumeliis, temulentiam tuam condemnaturi ſunt omnes. Sin magno pertuleris animo, factis ipſis depuleris malam de te ſuſpicionem. Id quod tum hæc mulier fecit. cum enim diceret, Nequaquam Domine re nimirum ipſa declarauit falſam eſſe illius ſuſpicionem.* Hactenus S. Chryſoſt. 5. n. xxx.

Septuaginta eam vocem varie vertunt, hoc loco, & cap. ſeq. λοιμὸν ſiue λοιμὸν, id eſt perniciem aut peſtem, pro λοιμικὴν, vel λοιμώδη, pernicioſam, vel peſtilentem; ſic ille ſe fatetur perniciem communem adoleſcentium, periurum, peſtem &c. 6. n. xxxii

Sub hæc initia Heli, Hectoris filii Ilium receperunt, expulſis Antenoris poſteris, Heleno ſibi ſubſidiū ferente. ſic Euſeb. in chron. Scalig. Græco, Latinóque, Pontaci autem paulo ſuperius id refertur. Vide Scaliger in eum locum. 7. n. xxxvi

ANNVS MVNDI 2901. DILVVII 1245. 4. ÆTATIS 438. EXITVS ET DATÆ LEGIS 358. SANCTVARII IN SILO 312. HELI IVDICIS, ET PONTIF. 2. VITÆ SAMVELIS. ISAI 22. TROIANÆ CLADIS 31. TAVTÆI 21. IMPERII ASSYRIORVM 970.

ANTE CHRISTVM 1152.

I. *Ortus Samuelis eiuſque nomen.*

NAſcitur hoc anno ineunte Samuel, magnus aliquando Propheta Domini futurus; & init vitam cum nouo ſeculo ab exortu rerum trigeſimo: iuxta ea quę ſuperiore anno ſtabilita reliquimus. [a] *Peperit ergo Anna filium, vocauitque nomen eius Samuel; eò quod à Domino poſtulaſſet eum*. Θεαίτητον ἄν τις εἴποι, ait Ioſephus, conſentiunt Septuag. Chaldæus & Theodoretus. [b] Idque rectiùs eſt quam, vt quidam interpretari maluerunt, *Poſitus à Deo*, aut, *nomen eius à Deo*. Deducitur enim à verbo Saal, quod eſt poſtulare, ſed vocabulo ita corrupto ait Vatablus, vt ſola prima litera remanſerit; quoniam id nomen à muliere, non à viro docto impoſitum fuerit. rectè ille quidem, ſi lingua Hebræa, ei iam tum à libris petenda fuiſſet, quæ tamen materna erat. שָׁאַל

II. *Aſcendit Elcana in Silo.*

Aſcendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino *hoſtiam ſolennem*, id eſt, ſolitam quotannis offerri eo tempore, vt vox ipſa indicat, vnde Hebraicè, Græcéque dicitur ſacrificium dierum, ſiue anniuerſarium, quod videlicet ſtatis diebus celebrioribus recurrebat, vt interpretatur Abulenſis, etſi non neget accipi poſſe de magnificentiore ſacrificio in gratiarum actionem pro beneficio ſibi recens, & Annæ dilectæ collato. Sed addidit præterea votum ſuum. Non enim tantum vxoris ſuæ votum approbauit, ſed peculiare etiam addidit & proprium, pro amore in Annam ſuo, & prolis ex ea ſuſcipiendæ deſiderio. Quod autem votum illud fuerit, quia explicatum non eſt, diuinari non poteſt. Cum autem exiſtimaret Elcana Annam ſecum in Silo de more aſcenſuram, ibique lætiùs iam matrem factam epulaturam, illa cum bona coniugis venia, differre maluit profectionem.

III. *Cur eo non delatus puer quadrageſimo die.*

Et *Anna non aſcendit*, ait Scriptura. *Dixit enim viro ſuo, non vadam donec ablactetur*

infans, & ducam eum vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter. Rectè quidem exiſtimauit Anna nihil opus eſſe deferre tunc infantulum in Silo, quem rurſum reducere oportuiſſet ad id vſque tempus, quo amoueretur à lacte, quando offerendus eſſet Domino, nec vllo pretio redimendus, ſed in domo Domini relinquendus. Nec opus erat vt quadrageſimo ab ortu die offerretur Deo, licet eſſet primogenitus; lex enim quæ id videtur exigere, ad eos duntaxat pertinebat, qui redimendi erant quinque ſiclis, quod non conueniebat Leuitis, ideóque neque Samueli Leuitæ, qui etiam propter peculiare votum perpetui Nazaræatus de ipſo conceptum, Deo conſecratus redimi non debebat; vt docet Abulenſis q. 28. [a] vt minimè neceſſe ſit, cum Dionyſio ad diuinam inſpirationem confugere. S. Chryſoſtomus hom. de Anna, & Samuelis educatione ait Annam in templum non iuiſſe, quia cum nollet apparere in conſpectu Domini vacua, nec donum quod oblatura erat, adhuc idoneum eſſet vt traderetur, voluit differre templi viſitationem, vt ſimul poſſet dare oblationem. [a] In c. 1. l. 1. Reg.

IV. *An mater ad purificationem aſcenderit.*

Sed fuerit illa ſane immunis à culpa filii cauſa, certe purificatio, cui mulier, edito infante ſubiacebat ex lege, ſine culpa, atque adeo ſine ſcandalo vicinorum & cognatorum non videtur omitti potuiſſe. Quidam exiſtimant hanc legem, vt pleraſque alias, nondum in vſu fuiſſe, vſque ad templum à Salomone conditum; quod parum probabile videtur, cum extaret iampridem locus, quem elegerat Dominus, in quo coleretur; Nec dici poteſt mulierem potuiſſe per alium, puta maritum ſuum offerre ſacrificium purificationis ſuæ, id enim ex facto B. Virginis oſtenditur, quæ dicitur aſcendiſſe cum coniuge, vt darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, ergo ex lege Domini ambo parentes dabant hoſtiam. An id factum indulgente, ac diſpenſante Pontifice? qui ne diſpenſare quidem potuit niſi in morbo, aut ſimili quapiam neceſſitate, quæ hîc non apparet.

V. *Non aſcendiſſe, & ſine culpa.*

An dici poteſt nihil legitimum ab hac ſancta muliere prætermiſſum eſſe, ſiue circa oblationem filii, ſiue in purificatione ſua; ſed ſanctè, atque integrè legem ab ea fuiſſe ſeruatam. Et oblatio quidem filii tam prompta neceſſaria non fuit, quia redimendus non erat. Matris autem purificatio facta fuerit, nec tamen narrata, vt pleraque alia omittuntur. Cui rei temporis diſpoſitio ſatis fauet. Cum enim ſub initium Ianuarii filium peperiſſet, venerit ad nonum Februarii in Silo; & ritu purificationis perfuncta, domum redierit, nec eo ſub vicina feſta Paſchalia redire voluerit cum marito. Sed aliud videtur Scriptura requirere; ad excuſandam hanc profectionem. An potius cum Abulenſi dicendum, [b] legem purificationis ad mulieres Leuiticas non pertinuiſſe, ſicut nec redemptionem primogenitorum; quia illa ſacrificia erant iura debita Leuitis à reliquo populo, ideoque à Leuitis, in quibus erat Anna, non debebantur, nec offerri oportuiſſe, nec conſequenter purificationis cauſa in Silo aſcendere. Sicque nihil contra legem, aut ædificationem peccauit, nec dedit æmulę copioſam obtrectandi materiam. [b] q. 26. in c. 1. l. 1. Reg.

VI. *Conſenſit & maritus.*

Hæc autem cum rectè intelligeret Elcana Leuites, nihil de mandato legis obiecit vxori, circa ipſius purificationem; ſed *fac,* inquit, *quod bonum tibi videtur; & mane donec ablactes eum, precorque vt impleat Dominus verbum ſuum.* Non quod peculiare quodpiam editum fuerit de Samuele vaticinium; Sed vt explicat Abulenſis, cum Dominus exoratus conceſſit filium, iuxta parentis votum, diuturnam quoque illi vitam videtur ſpopondiſſe, iuxta intentionem eius, vt poſſet Domino iugiter miniſtrare. Nunc ergo dum Elcana orat vt impleatur verbum Domini de Samuele, orat vt is viuere poſſit, & diu coram Domino miniſtrare.

LACTATVR SAMVEL.

ANNVS MVNDI 2902. DILVVII 1246. 4ᵃ. ÆTATIS 439.
EXITVS ET DATAE LEGIS 359. SANCTVARII IN SILO 313.
HELI IVDICIS ET PONTIFICIS 3. VITÆ SAMVELIS 2. ISAI 23.
TROIANÆ CLADIS 32. TAVTÆI 22. IMPERII ASSYR. 971.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1151.

PRÆTERITVS, præſenſque annus lactationi Samuelis datus fuit, cũ eximio gaudio, atque adeo tacita veneratione Annæ matris. Id eleganter de more à S. Chryſoſtomo [a] expoſitum in educatione Samuelis enarranda non pigebit adſcribere. *Sedit*, inquit, *& lactauit infantem. Ergo conſpiciebas deinceps infantem illum, non tantum vt infantem, verum etiã vt rem Deo conſecratam: eóque matri geminus amoris ſtimulus inſitus eſt, alter à natura, alter à gratia.* Ac mea quidem ſententia etiam reuerebatur puerum ſuum. Etenim ſi qui phialas, poculaue aurea Deo dicaturi ſunt, poſtquam ea iam confecta acceperint, domique repoſuerint, nequaquam ea quaſi prophana vaſa intuentur, ſed tanquam Deo ſacra, nec audent ea temerè, citráque cauſam attingere, quemadmodum cætera. Multo magis hæc mulier ſimili animo attendebat ad puerum, etiam priuſquam illum in templum induceret: Et diligebat impenſius tanquam filium, & curabat tanquam Deo dicatum, exiſtimans ſe per illum ſanctificatum iri, quando domus ipſius iam erat facta templum, vt quæ prophetam ac ſacerdotem intra ſe contineret. Hactenus S. Chryſoſtomus. I. *Lactatur Samuel cũ matris gaudio.*

Erat & alia cauſa venerationis, matribus aliis, filiiſque communis, & ſuperiore illa non minor, Sanctitas, inquam, & diuina gratia, illis tunc per Circunciſionẽ, nunc per ſanctum Baptiſmi lauacrum collata, qua, qui puri & immaculati ſunt corpore, etiam animis puri & ſancti fiunt, ſicut Angeli Dei. Conſtat autem cæteris paribus, quo fundamentum venerationis eſt maius, eo maiorem illi, qui eo præditus eſt, venerationem deberi, vt viro docto quã diuiti, & viro virtute præſtanti, quam erudito. At diuina gratia, vt diuinum & ſupernaturale donum, reliqua terrena & naturalia ornamenta multis omnino partibus antecellit, quippe quæ hominem reddat diuinæ naturæ conſortem atque participem, qua proportione vas fictile inauratum, ad vas aureum accedit. Decori tamen ſemper habenda eſt ratio in externa adminiſtratione & politia, maiorque tribuendus eſt honos patri peccatori, quam ſeruulo ſancto, aut puerulo innocenti. II. *Et, veneratione.*

Samuelem materno lacte educatum, etſi ſatis illa confirmant; *Mane donec ablactes eum*, & rurſum illa, *Manſit ergo mulier, & lactauit filium ſuum, donec amoueret eũ à lacte;* id tamen etiam exigit ipſa ratio. Quomodo enim id officii recuſaret mater, vnigenito filio, quem vnicè amabat, atque adeò venerabatur, vt diximus [b]; quomodo hunc ſibi honorem præcipi, hanc tam gratam perpetuæ delectationis ſegetem, ab alia demeti pateretur: cum illa ſeptem Mechabæorum martyrum mater ſeptimo filio ſuo dicat: *Miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi.* Octauus filiorum Iſai erat Dauid, qui Dominum alloquens ait, [c] *tu es qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ.* Vbi eandem oſtendit eſſe cuius ex ventre extractus eſt, & cuius ex vberibus nutritus. Eodem illud ex Canticis pertinet, vbi frater & ſoror eodem materno lacte nutriri dicuntur, eademque vbera ſugere [d] Sic Sara quondam lactauit puerum, quem peperit Abrahamo iam ſeni [e] Eandem habuit Moſes matrem & nutricem, [f] imò ſi Ioſepho credimus, omnem aliam, præter maternam, faſtidiuit mamillam. Denique in hoc quoque fas eſt credere Samuelem Chriſti Domini geſſiſſe figuram, qui eandem habuit beatiſſimam virginem matrem, & nutricem. Iuxta illud, [g] *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Quæ verba apparet bonam illam mulierem, ex conſuetudine Hebraïcarum mulierum, protuliſſe. III. *Materno lacte more ſolito.*

Idipſum natura ipſa manifeſtè docet, quæ non alium ad finem lac matribus dedit, quam vt prolem ſuam, non in vtero ſolum, ſed extra quoque nutriant, & hoc altero incitamento, prolis ſuæ amorem ſibi magis magiſque concilient; cũ IV. *Quamque id ſit rationi conſentaneum.*

a c.8.14.

erat, à trigeſimo ad quadrageſimum annum. Eſt & alius locus in libro Numer. vbi Legiſlator, [a] *Hæc eſt*, inquit, *lex Leuitarum à viginti quinque annis & ſupra, ingredientur vt miniſtrent*, id eſt aggredientur ad miniſtrandum, *in tabernaculo fæderis*, non enim reuera ingrediebātur in tabernaculum, ac ne in atrium quidem, vt quibuſdam placet; [b] ſed pergit. *Cumque quinquageſimum ætatis annum impleuerint ſeruire ceſſabunt.* Sed id intelligendum eſſe de laborioſis operibus, non autem de omnimoda vacatione à cultu Tabernaculi: patet ex iis, quæ ibidem ſubiiciuntur; *Eruntque Miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fæderis, vt cuſtodiant, quæ ſibi fuerint commendata, opera autem ipſa non faciant.*

ba.m.2903 n.21.& ich. 2.& a. moſ. 82.nu.91.& 92.

Sed quid opus eſt coniecturis? nonne ipſamet Anna vouerat ſe daturam eum Domino omnibus diebus vitæ eius? Et ſeptuaginta clare dicunt, *Et ego commodo eum Domino cunctis diebus, quibus vixerit ipſe in vſum Domino* Quibus conſentit Chaldæus, & D. Chryſoſt. in homilia de educatione Samuelis, Abulenſis, aliique paſſim interpretes. Euaneſcit itaque illa opinio de Samuele à matre ad aliquod tempus duntaxat, & non potius ad totam vitam oblato. Quod autem tandiu non manſit in miniſterio tabernaculi; ſed defuncto Heli, ad ſupremum populi magiſtratum vocatus eſt, id extra intentionem, & ſcientiam matris fuit.

Adorauerunt itaque Dominum Elcana cum tota familia ſua, eumque ſacrificio pacifico; & oblatione infantuli Deo conſecrati honorauerunt. *Anna verò*, vt ait Theodoretus, [c] *non ſolum ob ea quæ accepit laudibus celebrauit donatorem, ſed etiam hymnum prophetia temperauit, & filij gratiæ fuit particeps. Nam cùm concepiſſet prophetam, prophetat poſt partum.* Sic ipſe; & rectè quidem ait hymnum prophetia temperatum: non enim totum canticum prophetia eſt: Antecedit enim exultatio quædam animi Deo de accepto ſacrificio gratias agentis, & in Domino glorianti, cuius ſolius ſit hoc opus, quod ipſa in ſe agnoſcit & prædicat. Qua occaſione orationis ſuæ vela latius expandens omnipotentiam diuinam extollit, cui in promptu ſit omnia commutare pro arbitrio. Vbi etiam prophetat ſe multa mox prole honorandam: Phenennam verò in hoc genere deteriorem fore. Refert autem Comeſtor [d] ex Hebræis, refert & Abulenſis, ſingulis deinceps annis Annam filium filiámue ſuſcepiſſe, vſque ad ſextum à Samuele; è contrario autem Phenennam vnum de filiis vel filiabus ſuis, propter quos in ſuperbiam elata cognatam contempſerat, ſingulis annis amiſiſſe. Quòd ſi verum non eſt, ſatis tamen concinne excogitatum eſt. Denique de Chriſti Domini iuſtitia, iudicio & regno, breuiter quidem, ſed eleganter Philoſophatur.

c q.5 in c.1. 1.Reg.

d in c.2.v.5. c.2.21.

Et abijt Elcana Ramatha in domum ſuam, vtique cùm Anna, reliquáque familia; relicto filio ſuo in domo Dei, ſub manu & cura ſummi Pontificis Heli; donec poſt annos aliquot impleretur illud. *Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini, ante faciem Heli Sacerdotis.* De hac porrò matris, filiique ſeparatione, non ingratum erit audire Chryſoſtomum in homilia de educatione Samuelis. *Adduxit*, inquit, *ac reliquit. Nec puer à mamma diuulſus moleſtè tulit*, ſed ad Deum reſpexit qui matrem creauerat; nec ipſa mater doluit à puero ſeiuncta; propterea quod naturalem affectum vicit interueniens gratia; & vterque ſe alteri conuiuere exiſtimabat. Quemadmodum eodem in loco fixa vitis in longum producit palmites, & vua multo interuallo pendens cum radice habet commercium. Itidem & in hac accidit fœmina, quæ in vrbe manens, vſque ad templum extendit ſuum palmitem, atque illic vuam ſuſpendit maturam; nec interuallum illud vllum attulit impedimentum; *cùm charitas, quæ ſecundùm Deum eſt, puerum matri copularet.* Hæc & plura ibidem ſanctus Chryſoſtom. in laudem ſanctæ Matronæ.

c.2.11.

hom. 1. de Anna.

Cuius vt prophetiam, non modicum vtique laudis argumentum, omittamus; certè hanc ipſam filii oblationem hoc rerum ſtatu, eximiæ virtutis materiam fuiſſe negari non poteſt. Eximiæ quidem virtutis fuit vouere & iam tum ſperata ſeſe conſolatione priuare. Sed ea ſpes planè anceps, atque incerta fuit, anceps quoque & ſub conditione promiſſio. Et circa huiuſmodi obiecta penè nulla interuenit lucta paſſionum; quæ in præſentia dunta-

xat feruntur: aut reipſa inquam præſentia, aut quæ vi imaginationis præſentia fiunt. Hæc enim facultas præterita reuocat ad ſe, eaque reguſtanda exhibet amori; & futura anticipat, & prælibat, quaſi iam forent in conſpectu poſita.

XVIII. *Magna cū laude fortitudinis.* Acceptum autem iam filium dare Deo, & quaſi depoſitum reſtituere illi qui dederat, quem tot lacrymis precibúſque coëmerat, propterquem tot annis ieiuniis ſeſe, ſuſpiriiſque confecerat, hoc demum non muliebris, ſed penè heroïcæ virtutis fuit. Contra matrem quippe luctabatur vnicus filius, atque vnigenitus; *ob tā egregium filiū.* filius, vt par eſt credere de eo filio, qui diuino munere donatus eſſet, vehementer amabilis, & multis naturæ, gratiæque donis egregiè locuples; filius qui matrem à longo denique luctu, & exprobratione moleſtiſſima liberauerat, filius ad quem apud ſe retinendum maternus amor omnes extimulabat affectus, maximúmque in primis metum, ne quid tenello adhuc infantulo deeſſet, ne qua famuli cuiuſpiam oſcitantia Samuelem ſuum in morbum, mortémque coniiceret. Poſtremo ſeparare à ſe filium ſuum, id erat euellere à ſe lumen oculorum ſuorum, viſcera ſua, gaudium cordis ſui, & penè ad priſtinam ſterilitatem redire, niſi ipſa ſe ſuo illo vaticinio conſolata eſſet, *Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt.*

XIX. *Et bene precatur Heli.* Diſceſſuris porrò benedixit ſummus ſacerdos, dixitque Elcanæ, *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore quod commodaſti Domino.* Quæ dicta ſunt ab Heli, ſimulátque Anna abſoluit orationem ſuam, vt notauit Abulenſis, ſed interiecta ſunt quædam de filiis Heli, antequam diſceſſus Annæ & Elcanæ recitaretur; vt eadem narratione & Samuelis exaltatio, & deiectio Heli tangeretur, quoniam huius occaſione illa exaltatio facta eſt. fœnus autem vocat Samuelem, qui ſit quaſi pecunia fœneraticia, quam Dominus vtendam acceperit, pro qua quotannis ſoluturus ſit aliquid Annæ & Elcanæ, tanta largitate, vt cito ſortem adæquaturus ac ſuperaturus ſit. Aut ſi placet fœnus ſit idem Samuel. quaſi prima vſuræ perſolutio. & fructus fœcunditatis ab Anna diuinitus acceptæ; ſed prior ſenſus melior eſt, non enim alios deinceps filios Anna Domino dedit, itaque S. Chryſoſtomus, *Initio*, inquit, *non dixerat, Reddat tibi; ſed quid? Det tibi Dominus quidquid poſtularis, verum poſteaquam illa Deum fecerat debitorem, ait, reddat tibi, bonam de futuris ſpem præbens. Etenim ſi dedit cum nihil deberet, multo magis redditurus eſt poſtquam accepit. Et hic primus ex prædictione, & poſt hunc cæteri ex benedictione duxerunt originem: totus autem mulieris fructus ſanctificatus eſt.* Ita S. Chryſoſt.

fœnus Domini Samuel. (c. 1. 10.)

(hom. 2. de Ana. to. 1.)

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2903.

1. n. VI. VIDE Franciſc. Suarem in 3. p. D. Thom. tom. 2. diſput. 7. & Pinedā in ſuo Salomone l. 1. c. 17. n. 3. vbi id poſt Dionyſ. Chart. ex Epiphanio refert. Nicephorus autem l. 2. c. 3. ex Euodio. Vide & mariale Caniſii l. 1. c. 12. & Baronium tom. 1. in Apparatu Annalium, & in Martyrolog.

2. n. VII. Pro tunica Septuaginta habent *διπλοΐδα μικρὰν*, id eſt exiguam veſtem fulfultā aliquo rudiore panno, vocem Hebræam *meghil*, quidā vertunt pallium, alij veſtem, interulam. alii Abulenſis putat fuiſſe ephod Leuiticum, quo induebatur inter miniſtrādum. Caiet. & Dionyſ. omne genus veſtium intelligunt. quod onus veſtiendi puerum Deo dicatum apud parentes maneret.

ANNVS MVNDI 2905. DILVVII 1249. 4[z]. ÆTATIS 442. EXITVS ET DATÆ LEGIS 362. SANCTVARII IN SILO 316. HELI IVDICIS ET PONTIFICIS 6. VITÆ SAMVELIS 5. ISAI 26. TROIÆ 35. TEVTÆI 25. IMPERII ASSYRIORVM 974.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1148.

I. *Heraclidarum reditus.* CADIT in annum ſextū Heli, Sabbaticus quadrageſimus ſextus; tot enim annorum hebdomadas reperies ab ingreſſu Iſraëlitarum in Chananitidem, duce Ioſue; annos autem 322. quibus ſi addideris annos in deſerto tranſactos, inuenies annum exitus & datæ legis 362. quem vides in noſtro indice exhiberi. Ad eundem Heli annum in Euſebio Scaligeri refer- (*Annus Sabaticus. 46.*)

abducuntur, ex nimio cibo humidiore, ac tenuiore effici debiles, molles & ſtolidos; porro triennii tempus plus nimio longum, biennium vero eſſe legitimum. Cum ergo iam duobus totis annis lacte nutritus eſſet Samuel, & aliquot inſuper menſibus, vſque ad feſtum Paſchatis, quo videtur Anna cum tota familia de more in Silo aſcendiſſe; rectè ſub initium huius anni tertii dicemus eum ſugendi materna vbera finem feciſſe; nec aliter triennium matris Machabæorum [a] accipiendum putarim.

a 2. Macha. 7. 27.

IV. *Eodemque oblatum.*

Dicendum ſecundò hoc ipſo tertio anno Samuelem à matre in Silo ad Heli fuiſſe delatum, eodem Domino in templo oblatum, eodem ſacrificia facta in gratiarum actionem; eodem canticum Deo à matre decantatum, & ibidem relictum eodem tempore, vt maneret iugiter in conſpectu Domini. Si enim ſeptimum, aut decimum, aut etiam duodecimum annum pueri expectandum putemus, quomodo mulierem ſanctiſſimam tandiu Tabernaculo Domini credemus carere potuiſſe? Præſertim cum peregrinatio non admodum longa eſſet, & Ramatha à Silo vix bidui itinere abeſſet, ſi topographiæ Adricomii credimus. Cæterum Scriptura ſatis docet de qua ablactatione loquatur, cum ait *Et lactauit filium ſuum, donec amoueret eum à lacte.* Quis vnquam dixit puerum anno ſeptimo, decimo, vel duodecimo amoueri à lacte? & non potius ſecundo, vel tertio?

V. *Idque confirmatur à Septuag. Theodoreto, Chryſoſtomo.*

b q. 5. in 1. Reg. μόσχον ὁμόχρονον

Theodoretus hoc ipſum tempus plane confirmat, [b] *Cum primum autem ablactaſſet,* inquit, *cum obtulit Deo, & cum eo vitulum ei tempore æqualem, qui pro eo accepit mactationem & ſacrificium;* certè vituli non ſunt 7. 10. vel 12. annorum. Id nimirum didicerat à ſeptuaginta ſenioribus, qui habent, ἐν μόσχῳ τριετίζοντι in vitulo trimo: quomodo habet & Sanctus Chryſoſt. in homilia de educatione Samuelis, vbi etiam ait Samuelem à prima ſtatim pueritia, à mamma matris veniſſe ad mammam ſpiritualem. Deinde cum Scriptura [c] vocet infantulum, eiuſmodi illum fuiſſe ſignificat, qui maternis adhuc vlnis indigeret, vnde adductionem eius, quàm Græci, Latinique codices habent, S. Gregorius non ſemel delationem interpretatur. Voce autem infantuli rectiſſimè Diuus Hieronymus vim Hebraïcæ phraſis expreſſit, vbi dicitur, *erat autem puer puer,* id eſt valde puer, aut vt Chaldæus paraph. puer puerulus, ſiue lactens vt Vatablus vertit; Septuaginta vocant παιδάριον quod autem eum Theodoretus vocat κομιδῆ νέον ad aliquanto poſteriora tempora videtur pertinere, cum ſtabat ante faciem Domini accinctus ephod lineo, vbi non vltra *infantulus* appellatur, ſed *puer.*

c c. 1. 24.
in c. 1. Reg

c. 2. 18.

VI. *Et communi Hebræorum conſuetudine;*

Caietanus ita certum putat Samuelem triennem Domino oblatum fuiſſe; vt inde probet conſuetudinem offerendi pueros eius ætatis Deo. *Niſi,* inquit, *fuiſſet conſuetudo vt pueſli trium annorum dicati Deo, ſaltem Leuitici generis in domo Domini remanerent, nequaquam fuiſſet oblatus, & receptus Samuel triennis.* Ex qua eſt etiam communis ſententia beatiſſimam Virginem tertio ętatis anno in templo fuiſſe præſentatam, ibique vitam cum aliis Deo dicatis Virginibus, vſque ad deſponſationem ſuam tranſegiſſe, ſub paterna Sacerdotum, vel Leuitarum cura: multóque magis Dei, qui ex ea naſciturus erat, ſingulari prouidentia; & Archangeli fortaſſe Gabrielis, accuratiore cuſtodia.

l. 2.

VII. *Educabantur parentum ſumptibus.*

Sicut ergo non eſt exiſtimandum beatiſſimam Virginem in templo verſantem oneri fuiſſe, ſic neque Samuelem. Eſtque non parum credibile, ibi eum parentum ſumptibus educatum, dum aliquid miniſterii in domo Dei exhibere poſſet, ne grauarētur Sacerdotes. Ad quod innuendum facit, quod Mater quotannis ſtatis diebus afferebat ad eum tunicam paruam, quæ enim puerulo de veſtibus prouidebat, quidni etiam ſumptus præberet in victum: quod affirmat etiã Caietanus. *Eſt idem probabile,* ait Dionyſius, in tantæ electionis puero, tam ſupernaturaliter dato fuiſſe ab infantiæ annis aliquid *ingenioſitatis, capacitatis, & agilitatis ſupra vires naturæ, ita vt in quinto, aut ſexto anno, poſſet aliqua parua obſequia exercere.* Sic ipſe.

c. 2. 19.

VIII. *Sacrificiũ gratiarum actionis.*

Quod ad ſacrificium gratiarũ actionis, ita de eo ſcriptũ eſt; *Et adduxit eum ſecum poſtque ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini.* Ioſeph addit parētes decimas ad Pontif. attuliſſe, quas memorat præter ſcripturã, omiſſis vitulis, vino, ac farina, quæ Scriptura narrauerat; ſed pergit, *& adduxit eum ad domũ Domini in Silo. Puer autē erat adhuc infantulus, & immolauerũt vitulum. Quæ vltima verba Co-*

Quoniam verò in cantico Annæ, vbi nos habemus *donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata eſt*; Hebræi hæc verba Annę, & Phenennæ nominatim attribuunt; & quia in Hebræo legitur, *Donec ſterilis peperit ſeptem*, videntes hic tantum quinque numerari, quidam duos Samuelis filios huic numero aggregarunt; alii autem hanc fabulam commenti ſunt, quam tangit Abulenſis in expoſitione cantici Annæ. Phenennam ſcilicet decem habuiſſe liberos, Anna autem vnum pariente, Phenennam ſepeliſſe duos de ſuis; Et ideo nato quarto filio Annæ, octo iam Phenennæ mortui erant, ita vt duo ei tantum reliqui eſſent. Cum ergo quintum concepiſſet Anna, timuit Phenenna mortem duorum ſuperſtitum. Itaque deiiciens ſe coram Anna, eam obnixè rogauit, eius vt precibus duo qui reliqui erant ſibi conſeruarentur. Quod cum factum eſſet, illi duo ad quinque liberos Annæ annumerati ſunt, vt diceretur peperiſſe ſeptem, quæ quinque duntaxat peperat, Sic illi.

VII. *Quo numero.* *Filii Phenenna.*

a c.4.1. b Luc.8.2. c Apoc.1.

Parum profectò probabiliter; ſiue quia, ex communi doctorum ſententia, numerus ſeptenarius hoc loco, vt alibi paſſim, pro pluribus indefinitè ſumitur; vt cum apud Eſaiam, mulieres ſeptem dicuntur apprehenſuræ virum vnum[a]; & Dominus eieciſſe dicitur de muliere peccatrice ſeptem dæmonia[b]; & Draco habuiſſe capita ſeptem, & totidem diademata.[c] ſiue quia hæc calamitas, non vnam affligeret Phenennam, quæ in culpa erat, ſed maritum etiam eius Elcanam, qui innoxius tot filiis orbaretur; ſiue quia non certo conſtat quinque tantum liberos ab Anna genitos; eo quod fieri poteſt vt Samuel eo numero excludatur, & poteſt etiam eo comprehendi. Excludi certè quidem docuere Septuaginta, apud quos legimus, καὶ ἔτεκεν ἔτι τρεῖς υἱούς, καὶ δύο θυγατέρας. *& peperit inſuper tres filios, & duas filias*; Idque ad maiorem Dei liberalitatem pertinet, quod ſentit etiam Abul. & Torniel. Hinc autem emendandus eſt Ioſephi textus, apud quem & numerus filiorum excidit, vna cum voce, *inſuper*, & numerus præterea filiorum deprauatus reperitur, niſi placet eam culpam non exſcriptoris eſſe, ſed Scriptoris ipſius. habet enim, Ἐλκάνῃ δὲ ἐκ τῆς Ἄννης υἱοὶ γίνονται, καὶ τρεῖς θυγατέρες. Elcanæ autem & filii ex Anna nati ſunt, & tres filiæ. contra omnium librorum & linguarum auctoritatem.

VIII. *An ſeptenario; corrigitur Ioſephus.*

Interea vero dum Anna liberis augetur, & Samuel ætate creſcit, ac ſapientia, filiorum Heli improbitas ac nequitia maiora in dies accipit incrementa. Itaque à Scriptura primum in genere, quaſi impii, profani, ex leges accuſantur; dum dicuntur filii Belial, Dei & officii ſui ignari; ea ſcilicet ignorantia, qua impius noluit intelligere, vt bene ageret[d]; & vice verſa, iuſti memores ſunt mandatorum Dei, ad faciendum ea[e]. Deinde Sacrilegii arguuntur, quia circa ſacrificia peccabant multipliciter. Primum quia non accipiebant de ſacrificio pacifico, quod fuerat à lege conſtitutum[f], armum ſcilicet dexterum, & pectuſculum; ſed quod à fuſcinula pueri ſacerdotis caſu raperetur. Secundò quoniam præuertebant tempus accipiendi quod ipſorum erat, ſumentes ante oblatum Domino adipem, quod eadem leuitica lege vetabatur.[g] Tertiò quia carnem, contra quam ferret conſuetudo capiebant, vt eam aſſarent, vt eſt in Hebræo, nolentes elixari. Quartò quia hæc non beneuolè, ſed vi ac minis accipiebant, ex quibus conſequens erat, vt populus à ſacrificando retraheretur.

IX. *Filiorum Heli malitia.* *Sacrilegiũ triplex.*

d Pſal. 35.4. e Pſal. 102.18. f Le.7.31.32. g Leu.7.30.

Accuſantur tertio fornicationis, aut adulterii, aut ſi mauis inceſtus; quod ipſi Deo conſecrati, & matrimonio coniuncti, dormirent cum mulieribus, quę obſeruabant ad oſtium tabernaculi, vt ſcilicet ſub quadrageſimum, vel octogeſimum diem purificarentur; vt referunt ex Hebræis Comeſtor, Lyranus, Vatablus, Dionyſius. Quod etiam quidam intelligunt de virginibus, quæ iuxta templum aſſeruabantur, vt ſuo tempore nuptui traderentur; aut potius de mulieribus illis, de quarum ſpeculis dicitur Moſes feciſſe labrum æneum cum baſi ſua; excubabant enim ipſæ in oſtio Tabernaculi, vt in Exodo dictum eſt[h], ibique in oratione vigilias agebant, relicta vanitate & ornatu ſeculari, vt notant Emanuel Sa & Vatablus ex Rabi Abra-

X. *Fornicationes, & adulteria.*

h c.38.8.

ham. vide & Abulenſem q. 12. Ex quo tanto maior apparet nequitia profanorum iſtorum ſacerdotum. Videntur enim fuiſſe, quantum rudia illa tempora ferebant, quaſi moniales Domino conſecratæ, quibus iſti flagitioſiſſimè abutebantur, cùm magna infamia, & populi ſcandalo. Hæc de improba filiorum Heli vita, quæ plurimos annos tenuit: huc autem cum Scriptura retulimus, quæ ſancta Samuelis initia in diuino miniſterio, iſtorum ſacrilegiis componit, opponitque.

ANNVS MVNDI 2911. DILVVII 1255 QVARTÆ ÆTATIS 448. EXITVS ET DATÆ LEGIS 368. SANCTVARII IN SILO 322. HELI IVDICIS, ET PONTIFICIS 12. VITÆ SAMVELIS 11. ISAI 32. EXCIDII TROIÆ 41. TAVTÆI 31. IMPERII ASSYRIORVM 980.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1142.

I. *Ratio temporis.* MVlta fuit ac frequens, diuturnáque filiorum Heli malitia atque improbitas; ſed modica, rara, tardáque parentis ſacerdotis caſtigatio; non enim prius eos reprehendiſſe legitur, quam *eſſet valde ſenex*. Id eſt, vt Abulenſis interpretatur, fere octo & 90. [a] annorum; paulo enim ante mortem ipſius hæc contigiſſe putat. verum ex ſerie narrationis ſacræ apparet hanc reprehenſionem Heli contra filios ſuos, & rurſum alteram viri Dei contra ipſum, quæ cap. 2. continentur, præceſſiſſe diuinam Samuelis vocationem, quæ capite tertio deſcribitur: atqui Ioſephus author eſt Samuelem exacto duodecimo anno Prophetam agere cæpiſſe; priora ergo illa ſub annum Heli ſeptuageſimum; qui eſt præſens annus, eiuſque magiſtratus duodecimum contigerunt; ad quem etiam retulimus reprehenſionem eiuſdem aduerſum filios ſuos, dilata in ſequentem viri Dei contra Heli Prophetia, vt poſtmodum annus 13. Samuelis primam reuelationem; ei factam contineat.

[a] q. 11.

II. *Querelæ ad Heli deferuntur.* Deferebantur itaque ad Senem querelæ de filiorum ipſius ſacrilegiis, omnique nequitia, *audiuit* quippe *omnia, quæ faciebant filii ſui vniuerſo Iſraeli*, vt ignorantia excuſari non poſſet; & faciebant tanto audacius, atque intemperantius, quanto ſibi minus à iudicibus Eccleſiaſticis, laicisue timebant; qui tot iam annis eundem haberent Pontificem, Iudicem, & Patrem; atque adeo perquam mollem, atque indulgentem patrem: qui fortaſſe mallet domeſticorum ſuorum peccata ignorare, quam caſtigare. Cum ergo hæc crimina, quę in populum vniuerſum perpetrabantur, crebris omnium ſermonibus vſurparentur; ad Heli quoque rumore nuncio ſunt delata. Ob quæ ille attonitus ac mærens, vt par eſt credere, erat enim alioqui vir bonus, & timens Deum, quod ſequentia perſpicue demonſtrabunt; non dubitabat aliquam ſibi ac domui ſuæ propterea, ac fortaſſis etiam toti populo imminere calamitatem; Seuocatis ergo adſe filiis ſuis Ophi & Phinees dixit eis.

III. *Filios arguit.* *Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas, ab omni populo?* quæ ſcilicet neque admitti ac defendi poſſunt, vt pote res peſſimæ; neq; negari aut vlla tergiuerſatione celari, vt quæ coram populo fiant, & ab omni populo accuſentur. *Nolite filij mei, non eſt bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Ex eo enim quod graues eſtis, ac moleſti ſacrificantibus; & ea in-

tur Heraclidarum, ſiue poſterorum Herculis reditus in Peloponneſum, Hyllo duce, ſed irrito conatu, cum Hyllus ſingulari certamine cum Echemo Rege Tegeatarum congreſſus occubuiſſet, & ex pacto ante certamen inito, ad quinquaginta inſuper annos Peloponneſo faceſſere Heraclidas oporteret, vt refert Diodorus pluribus,[a] Pauſanias & Apollodorus obſcurè, & aliud agendo tãgunt; cæterum minimè certus eſt hic Heraclidarum annus, cum in Euſebio Pontaci in vltimo Samſonis anno reperiatur. Hoc ipſo autem anno, qui eſt Teutæi 5. refert Euſebius genitum ab Aſcanio Aenææ filio Iulium, a quo familia Iuliorum orta. Propter ætatem autem paruuli, quia nundum regendis ciuibus idoneus erat, Siluium Poſthumum fratrem ſuum regni hæredem reliquiſſe. Verum hæc in Euſebii chronico græco non reperiuntur. Scribit autem Dionyſius Halicarnaſſæus l. 1. Siluium poſt Aſcanii mortem non ſine controuerſia regnum adeptum eſſe, quod Iulius Aſcanii filius natu maximus paternum ſibi regnum depoſceret, ſed eam litem populum diremiſſe, & regnum quidem Siluio tradidiſſe, quod is matre natus eſſet, ad quam ſolam regni hæreditas pertineret, Iulo vero pro regno Sacerdotium fuiſſe attributũ, quo inquit, ad noſtram ætatem fruitur gens Iulia, autoris appellationem referens; & omnium quas ego ſciam familiarum maxima atque illuſtriſſima. Hæc Dionyſ. plurib. vide Seruium in 1. Aeneid. ibi. Regnúmque à ſede Lauini transferet.

[a] l. 4. pag. 181.

II. Siluius Poſthumus Rex. Iulus ſacerdos.

ANNVS MVNDI 2907. DILVVII 1251. QVARTAE ÆTATIS 444. EXITVS ET DATÆ LEGIS 364. SANCTVARII IN SILO 318. HELI IVDICIS, ET PONTIFICIS 8. SAMVELIS 7. ISAI 28. TROIÆ 37. TAVÆTI 27. IMPERII ASSYRIORVM 976.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1146.

I Initia miniſterii Samuelis.

AD ſeptimum Samuelis annum, quo infantiæ tempus expletur, non incongruè referre poſſumus initia miniſterii Samuelis, nihil enim in re ſeria ſatis commodè ab ætate hac teneriore fieri poteſt; multo minus in ſacro miniſterio. Idque Scriptura ipſa innuit, quæ infantulum nominat cum oblatus eſt; deinceps autem cum miniſterii eius meminit, puerum vocat. *Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini, ante faciem Heli ſacerdotis*, & rurſum, *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini puer accinctus ephod. lineo*; deinde *magnificatus eſt puer Samuel apud Dominum*, id eſt creuit, ſiue grandis euaſit, vt eſt in hebræo, denique *Puer Samuel proficiebat atque creſcebat, & placebat tam Domino quàm hominibus*, nimirum interim dum Anna mater eius alios quinque liberos ſuſcepit, quod de anno Samuelis circiter duodecimo accipi poteſt. [a] Poſt quem cœpit diuinis collegiis frui, vt poſtmodum cum Ioſepho dicemus.

c. 2. v. 11. 18. 21

ex ſept. ἐμεγαλύνθη

v. 26.

II Qualia eſſent quæque eius mores.

Quibus verbis pueri præclara indoles, & bona educatio, inſtitutioque puerilis, & eius occupatio ſignificatur: egregio exemplo teneræ ætatis maturè Deo conſecrandæ, antequam, huius vitæ ſordibus inquinetur. Illud autem miniſterium ante faciem Heli Vatablus explicet, Samuelem de mandato Heli feciſſe omnia pro illa ætatula, canendo & pulſando inſtrumenta muſica docente Heli, diſcendo legem & muſicen. Scriptura nihil exprimit, ſignificatque duntaxat puerum indutum ephod lineo, ſteriſſe coram Heli in procinctu ad agendum, quod ille innueret, aut iuberet. Porrigebat librum Sacerdoti cum opus foret, ac reponebat in loco ſuo, cum reddebatur; præferebat ſeni lumen, quando illo opus haberet; mox enim oculi eius caliginoſi fuiſſe perhibentur: hunc aut illum è ſacerdotibus, ad eius nutum accerſebat, aliáque id genus pluſcula. Sed omnia multa cum gratia, candore, ac diligentia, nihil in eo querulum, aut liti-

ducitis in mores, quæ nec populo grata ſunt, nec diuinæ legi conſentanea; populum auertitis à ſacrificiis, non ſolum quæ vltrò erant oblaturi, ſed ab iis quoque quæ Dominus ipſe à populo exigit, iuxta diuerſas legis cæremonias. Quod autem mulieres quoque contaminatis, quæ excubant in oſtio tabernaculi, nónne eas facitis ab ipſo tabernaculo abhorrere, cum ibi, veras ſordes cõtrahant, vbi legales erant purgaturi. & ſic legem & templum Domini, quod malitia veſtra ſit illis in graue ſcandalũ, non colant, aut frequentent, ſed oderint ac deteſtentur. ſicque eorum peccata in caput veſtrum redundent.

Si peccarit vir in virum, placari ei poteſt Deus; qui in omni culpa offenditur; ſi quis enim filium, famulum, ſubditum lædit, vtique parentem, herum, Principem violat, ad quem ille pertinet; nec poteſt quiſquam rem ſibi quampiam, quæ ſit alieni iuris vſurpare, niſi cum iniuria legitimi Domini. Non ægrè tamen homini in hominem peccanti placabitur communis Dominus, ſiue quia ipſi ſe mutuo non raro afficiunt iniuriis, & compenſatione quadam vti debent; iuxta illud, *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; ſiue quia infirmiora ſunt retinacula, quæ nos ab offendendo proximo, quam quæ à Deo iniuria afficiendo cohibere poſſunt; qui & ſummus eſt, & ſummum in nos habet imperium, & ſummis in nos beneficiis ſingularem à nobis beneuolentiam, fidẽ, obedientiam, cultum, venerationemque promeretur. In hanc ſententiam nomen Dei hoc loco accipit Abulenſis, ſicut & ſeptuag. & cæteri paſſim interpretes; Caietanus tamen, Chaldæus paraph. & Vatablus Deum hic Iudicem interpretantur, qui propterea Elohim dicitur. in hanc ſententiã. Si quis in alium peccauerit, iudicabit de eo Iudex, & habebit patronum, qui eius cauſam ſuſcipiat; cum autem Deus ipſe offenſus fuerit, *quis eſt qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum ſuam in ambobus?* (Iob. 9 33.)

Prior tamen expoſitio vt ſimplicior, ita & probabilior videtur, vt velit Heli diſtinguere peccata, quæ homines in Deum directe, & quæ indirecte committunt, quorum hæc faciliorem veniam inueniunt, illa difficiliorem. Nam ſubdit *ſi autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* non enim ait Heli, peccata in Dominum expiari non poſſe; ſed difficilius multo, quam quæ directè contra homines committuntur. Quoniam peccata illa ex genere ſuo grauiora ſunt, & ad veniam illis impetrandam non quilibet idonæus; ſed vir quiſpiam eximia ſanctitate, & apud Deum. Quæ videtur etiam ſententia illius loci, *Non pro illo dico, vt roget quis.* [a] Peccata porro filiorum Heli erant directe contra Deum, quia erant contra præcepta primæ tabulæ, illud maximè quo cultus Domini, & cæremoniæ ad illum pertinentes continentur; In quibus vindicandis ſeueriſſimum ſe Dominus exhibuerat, vt in duos filios Aaronis ignem alienum vſurpantes, in Core, Dathan, & Abiron, ſacerdotium ſibi vendicare volentes; in hominem ligna in ſabbato colligentem. ſic & in iſtos Heli, quos vna eademque die gladius Philiſtæorum ſuſtulit, breuíque tota domus funditus concidit. (a 1. Ioã. 5. 16)

Quid autem filii Heli, qui neque Deum timebant, neque homines reuerebantur? *non audierunt vocẽ patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos.* Ita in Hebræo quoque ad verbum, Septuaginta etiam epitaſin quandam addunt, quia volens voluit Dominus occidere eos. quaſi impœnitentiæ iſtorum, & negationis gratiæ ad obedientiam, & conuerſionem neceſſarię, cauſa fuerit decretum Domini, de ipſis in tali ſtatu interficiendis. *Quomodo*, inquit Gregor. [b] *Domino competit velle occidere peccatorem, & mortem peccatoris nolle?* Sed in præfato teſtimonio ſequitur, vnde veritas agnoſcatur; ait enim, *ſed vt conuertatur & viuat.* Qui enim peccatorem vult viuere & conuertatur, ſi hunc inconuertibilem diuina præſcientia neſcit, occidit. vult ergo Dominus occidere, *ſed eos quos prænoſcit conuerti nolle.* Sic Sanctus Gregorius ſignificans illud quia non cauſam ſed conſecutionem ſignificare, in hanc ſententiam, non audierunt vocem patris, neque conuerſi ſunt, ex quo conſecutum eſt vt eos Deus vellet occidere. Quia iſti vehementer peccauerant, [c] inquit Abul. meriti erant vt ſibi gratia negentur, & cor docile, ad obtemperandum ſalutaribus parentis monitis, ex qua inobedientia cum grauius deliquiſſent, mortémque magis promeriti fuiſſent, Deus enim illis inflixit. (b in 1. Reg. c. 2. Ezech. 18. c q. 21. in c. 2. Reg.)

EXITVS AD ÆGYPTO. AN. 369.

VII. *Heli nimia in ſuos indulgentia.*

RVINA DOMVS HELI PRÆDICITVR.

Accuſant omnes patres nimiam Heli indulgentiam in filios, quos leuibus tantum verbis arguere in magnis ſceleribus ſatis eſſe duxit, cum poſt admonitiones & obiurgationes, eos à conſpectu ſuo eiicere, à miniſterio templi excludere, & Iudicibus plectendos tradere, iuxta legem Domini oportuiſſet. [c] Quæ eſt in primis ſententia S. Hieronymi. [d] *Et eodem vitio*, inquit, *offendat Deum, quo offendit Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios, ſed quia non abiecerat delinquentes, retrorſum cecidit, & mortuus eſt Filiorum iniquitas*, ait Theodoretus, [e] *non egebat lenibus medicamentis, ſed acerrimis, & aſperrimis. Oportebat ergò, cum poſt primam, & ſecundam admonitionem perſeueraſſent in nequitia, eos à templi ambitu expellere. Nam non ipſi ſoli legem tranſgrediebantur, ſed etiam erant aliis exemplum vt tranſgrederentur. Quoniam autem pluris fecit naturam, quàm creatorem, à Deo ei data gratia fuit priuatus.* Seuerius etiam S. Chryſoſtomus lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ, vbi inter alia. *Verùm quia non omnia quæ fuerant agenda,, vt ea reſecarentur, vitia molitus eſt, & ipſe cum illis vna periit. Namque & minas ille addere debuerat, & à ſuo eos conſpectu amouere, atque etiam abdicare, & verberibus afficere. multoque illis grauius, & durius inſtare. Quia igitur nihil horum egit, verborumque tantum monitis contentus fuit, & illis & ſibi ipſi Deum aduerſum infeſtúmque conſtituit, cum eque improbè & intempeſtiuè filiis parceret, & ſuam ſimul & illorum ſalutem perdidit.* Quibus verbis omnes æquè in æternum periiſſe ſignificat, ſed ea de re iterum in eius obitu diſſerendum erit[f].

c Deut. 21. 18.
d l. 1. cõtr. Iouin.
e q 10. in 1. Reg.
f 4. m 29. 39 n. 29 & ſeq.

ANNVS MVNDI 2912 DILVVII 1256 QVARTÆ ÆTATIS 449. EXITVS ET DATÆ LEGIS 369. SANCTVARII IN SILO 323. HELI IVDICIS, ET PONTIFICIS 13. VITÆ SAMVELIS 12. ISAI 33. EXCIDII TROIÆ 42. TAVTÆI 32. IMPERII ASSYRIORVM 981.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1141.

I. *Ratio temporu.*

DIſtulimus in hunc annum viri Dei prophetiam aduerſus Heli, quã aliqui apud Serarium putant ortum Samuelis anteceſſiſſe, nec vllam ſuæ aſſertionis cauſam afferunt; & fortaſſe tardius natum Samuelem putauerunt, vt propterea maturè monitum Heli crediderint. At is natus eſt, vt ſuo loco diximus, ſub ipſũ initiũ Põtificatus Heli; quo initio, nõ eſt credibile tanta infamia flagraſſe domũ Heli; Ea enim eius electioni vtique vehementer obſtitiſſet; Audiſſetq. merito; *Si quis domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* [a] cum ergo ante Samuelis ortum omnia recte haberent, in cuius rei ſignum, cum primum memoratur Elcanæ aſcenſus in Silo, ſtatim nominantur Ophni & Phinees, ſed ſine vllo plane veſtigio repręhenſionis: non conuenit ſeriem ſacræ narrationis commutare, & præteritum in pluſquam perfectum vertere.

a 1. Tim. 3. 5

II. *Vir Dei mittitur ad Heli, & quis.*

Dicamus ergo potius, cum Heli laxior eſſet in corrigendis filiis, miſiſſe Dominum hoc anno ſabbatico ordine 47. à quo corrigeretur ipſemet Pater. ſed quem? *virum Dei*, ait Scriptura, Prophetam videlicet aliquem illorum temporum, à nomine ſcriptiſque incognitum. Ita putat Abulenſis, [b] cum communi interpretum ſententia; poſtmodum tamen nomine viri Dei mauult intelligi Angelum, qui vir Dei appelletur, ſicut is qui à parentibus Samſonis eſt viſus; idque ex eo ſuadet quod tum rari erant Prophetæ, *& ſermo Dei erat pretioſus in diebus illis*; vt initio cap. ſequentis ſcriptum eſt. Verum huic raritati non officit, quod vnus aliquis Propheta, ſemel intra tot annos, apparuerit. Audi S. Auguſtinum. [c] *Hoc* inquit, *euidentius ad ipſum Heli ſacerdotem miſſus loquitur homo Dei: cuius quidem nomen tacetur, ſed intelligitur officio, miniſterióq; ſuo ſine dubitatione Propheta.* quæ totidẽ verbis leges apud Eucherium in l. 1. Reg. c. 2. fine. vocat & Chryſ. Prophetã l. 3. cõtra vitup. vitæ. monaſt. Itaque ſtemus in communi ſententia, multóque magis explodamus Hebræorum deliria, qui apud D. Hieronym. in tradit; putant hunc

b q. 22. fin.
l. 2. 3.
c l. 17. de Ciu. c. 5.

virum

Vide Abul q. 21. in c. 2. Reg. c. 23. med.

virum Dei fuiſſe Phineem, ante trecentos fere annos mortuum, aut etiam Heliam, vix poſt ducentos annos naſciturum; minus abſurde Seder Holam, hunc virum Dei Elcanam fuiſſe dicit.

Quid autem hic vir Dei? denunciat cladem imminentem familiæ Heli, quod mox per Samuelem quoque Deus facturus eſt; vt ſæpius, atque à pluribus admoniti Pater, filiique corrigantur, & Prophetiæ comminationem tantum habeant, non immutabile decretum.[a] in qua re Dominus bonitatem ſuam patefecit; ſimul etiam Prophetiæ Samuelis adoleſcentuli præſtruebat fidem, cum inſcius in eadem veſtigia incurreret, quæ vir Dei ante ſignaſſet. Principio autẽ exprobrat antiqua in familiam ſacerdotalem beneficia, cuius poſteri ingrati, & dignitatis ſuæ contemptores facti eſſent, Deúmque grauiter offendiſſent. Sic & Nathan Dei iuſſu reprehenſurus Dauidem[b] primum recenſet beneficia diuinitus in eum collata, *Ego vnxi te in Regem ſuper Iſrael &c.* tum ipſum infigit accuſationis aculeum. *Quare ergo contempſiſti verbum Domini &c.* poſtmodum intentantur pœnæ, quibus factus eſt obnoxius. Idem eſt ſtylus Samuelis aduerſus Saulem[c] & Domini contra Salomonem,[d] ſed hæc poſtea.

a Abul. q. 23 in c. 2.

b 2. Reg. 12. 7. 9.

c 1. Reg. 15. 17.

d 3. Reg. 11. 9.

Venit ergo vir Dei ad Heli, & ait ad eum. Hæc dicit Dominus. Nunquid non aperte reuelatus ſum domui Patris tui, id eſt Leuiticæ tribui, in qua Moyſes & Aaron, *cum eſſent in Ægypto in domo Pharaonis: Et elegi eum* ſcilicet Aaronem ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, *vt aſcenderat ad altare meum, & adoleret mihi incenſum, & portaret ephod coram me*, quæ ſunt tria officia ſacerdotalia, offerre hoſtias in altari holocauſtorum, adolere incenſum thymiamatis, & Dominum cum ephod conſulere, & ab eo referre oracula populo enuncianda. Hæc enim maxime eminent in ſacerdotali, ſiue Pontificali munere: nec fuit honori tantum id munus, ſed vtilitati, Nam *dedi*, inquit, *domui patris tui, omnia de ſacrificiis filiorum Iſrael*, id eſt omnia quæ deſtinaram miniſtris meis; de ſacrificiis quæ mihi offerrentur, ſiue partem aliquam de omnibus ſacrificiis, eam tradidi familię tuę. Hęc vniuersè de domo Aaronis iuxta S. Auguſtini interpretationem[e].

e l. 17. de ci. c. 5.

Sequitur accuſatio, quę peculiariter pertinet ad domum Heli. *Quare*, inquit, *calce abiecistis victimam meam, & munera mea, quæ præcepi vt offerrentur in templo.* id eſt contemptui habuiſtis, vt ea ſolent, quæ petuntur calcibus, quia ſcilicet non ſeruaſtis conſtitutas à me ſacrificiorum ceremonias, ſed eas arbitrii veſtri eſſe voluiſtis. In Græco eſt, prout legitur etiam apud Theodoretum, *quare intuitus es in thymiama meũ, & in ſacrificium meũ impudenti oculo.* ſignificãdo non circa ſolas victimas fuiſſe peccatũ, ſed circa altare quoque thymiamatis. Nimirũ contemptus proditur, & geſtu pedum & oculorum, aliiſque pleriſq; ſignis: eſt autem ſingularis impudẽtię, ea quæ ſunt veneratione digniſſima, non ſolũ animo parui facere, ſed externo etiã geſtu cum contẽptu cum aliorũ ſcandalo, patefacere. Pergit accuſatio, *& magis honoraſti filios tuos quã me, vt comederetis primitias omnis ſacrificii Iſrael populi mei.* Alluditur ad illud, antequã adolerẽt adipẽ veniſſe puerum ſacerdotis, vt raperet quidquid libuiſſet, ſignificatq; quod Deo primũ incendendũ erat, quaſi primitiæ, id à ſacerdotibus in vſus ſuos acceptũ fuiſſe, & ſic Deo prælatos, magiſq; honoratos fuiſſe in Hebręo eſt, *vt ſaginaretis vos de primitiis*, Et ſcholiaſtes Græcus ἐνευλογεῖσθαι quod habẽt Sept. interpretatur πιαίνεσθαι impinguari. 1.

1 σχ.

Accuſationẽ ſequitur pœna peccati, quæ eſt abdicatio Heli, & poſterorũ eius à sũmo Pontificatu; *Loquens*, inquit, *locutus ſum vt domus tua, & domus patris tui, miniſtraret in cõſpectu meo vſque in ſempiternum.* Dubium eſt quam domum patris Heli Scriptura intelligat, pertinet enim ad domum eius, à quo immediate genitus eſt; pertinet quoq; ad domum Ithamaris, à quo habuit vt eſſet ſacerdos, deniq; & ad domũ Aaronis patris omnium Pontificum atque ſacerdotum.[f] Theodoretus in hunc locum, hanc domum de Aaronis domo intellexit, à qua, per Chriſti aduentum, & mortem, auferendum eſſet ſacerdotium Iudaicum, & penitus extinguendum. ſic enim habet. *Et videtur quidem prædictio, eius genus nudare ſacerdotio, tacitè autem ſignificant minæ illæ ceſſationem Iudaici ſacerdotii. Dixi enim*, inquit, *domus tua, & domus patris tui tranſibunt coram me vſque in ſeculum.* Hoc autem non eſt pollicitus Ithamari, ſed Aaroni. Ipſe ergo id pronunciauit aduerſus omnem tribum. Ea autem quæ cernuntur ferunt teſtimonium

f q. 10. in 1. Reg.

Ex quo enim Chriſtus Dominus fuit actus in crucem, dirutum quidem fuit eorum templum: deſerta autem fuerunt ſancta ſanctorum, priuatique ſunt &c. Sacerdotio, & Prophetia. ſic Theodoretus. quæ eſt etiam S. Auguſtini, vt dixi, ſententia. l. 17. de ciu. c. 5 & Eucherii l. 1. Re. c. 3. & 4. Num. 17.

VII. *Aaronicæ ...ne.*

Confirmatur autem iſta interpretatio ex eo quod promiſſio hæc ſempiterni ſacerdotii facta eſt Aaroni, cuius electionem ad id munus virgæ floreſcentis indicio comprobarat, eamque deinceps in tabernaculo teſtimonii conſeruari voluerat. nec quidquam penè ſępius iteratur in libris Moſis, quam electio & conſecratio Aaronis, & filiorum eius, vt ſacerdotio Domino fungerentur; præſertim Exod. 28. 29. & 30. & nominatim Exodi 40. *Applicabiſque Aaron & filios eius, ad fores tabernaculi teſtimonij, & lotos aqua indues ſanctis veſtibus, vt miniſtrent mihi, & vnctio eorum, in ſacerdotium ſempiternum proficiat.* vox tamen *ſempiterni* neque in Hebræo legitur, neque in Græco. Sed illuſtrior eſt etiam iſta promiſſio, in perſona Phinees nepotis Aaronis Numer. 25. 12. *Ecce do,* inquit, *ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quam ſemini eius pactum ſacerdotii ſempiternum, quia Zelatus eſt pro Deo ſuo &c.* eodemque modo habetur in Hebræis, Græciſque codicibus. Et ſapiens de eodem iubnii, *Ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis, principem ſanctorum & gentis ſuæ, vt ſit illi ſacerdotii dignitas in æternum.* Atqui Heli non fuit de ſtirpe Phinees, ſed Ithamaris, nec vlla reperitur facta promiſſio aut Heli, aut parenti eius immediato, aut omnino vlli de familia Ithamaris. Accedit, vt notat S. Auguſtinus quod ſuperiora oſtendunt, virum Dei non de proximo patre agere, ſed de eo qui fuerat in Ægypto, in domo Pharaonis. Eccl. 45 30.

Cui promiſſum ſacerdotium.

VIII. *Aut potius ipſius Heli.*

Rectius tamen videntur Abulenſis, & Caietan. exiſtimare hic eam domum intelligi, quæ mox ſacerdotio priuanda ſit, quod domui Aaronis non conuenit, vt quæ rurſum à Salomone in poſſeſſionem ſacerdotii miſſa eſt, vſque ad poſtrema tempora Synagogæ, conuenit autem domui Heli, à qua breui tranſiit ſacerdotium. Deinde de eadem domo Heli mox dicitur præciſum iri brachium eius, & de filiis eius partem magnam occubituram, cum ad virilem ætatem peruenerit, nominatímq; Ophi & Phinees; quæ domui Aaronis non conueniunt. Nec obſtat quod alibi non legitur illa promiſſio facta domui Heli, ſeorſim à domo Aaronis. ſatis enim eſt, vt Lyranus quoque notauit, eam hoc loco legi, etſi tum cum facta eſt, ſcripto tradita non fuerit. Denique prior illa pars Prophetiæ huius ad Aaronē pertinet, poſterior autē iſta ad Heli, & proximā ipſius familiā.

IX. *Non mutato diuino conſilio.*

Num autem exiſtimandus eſt nunc Dominus, aut conſilium, aut ſententiam mutaſſe, qui dicat. *Nunc autem dicit Dominus, abſit hoc à me: ſed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Viles ſcilicet & contempti, vt ex Gręco, & Hebræo liquet, nedum gloria ſummi ſacerdotii fulgeant. Reſpondendum eſt Deum minime obnoxium eſſe mutationi, *Ego quippe Dominus*, inquit ipſe, *& non mutator*, [a] Sed omnia ab ęterno præuidentem, omnia conuenienter diuerſis rerum mutabilium ſtatibus ordinaſſe, & prouidentiam rebus aptaſſe. Itaq; paulo ante, ſub mortē Samſonis, domū Eleazari, exigentibus eorū culpis ſummo ſacerdotio priuaſſe, & domui Ithamaris tribuiſſe; [b] rurſū hanc domum, culpa Heli & filiorum eius, de ſummo Pontificatus ſolio deieciſſe, & domum Phinees poſtliminio reſtituiſſe: Totā deniq; domū Aaronis, vniuerſāque gentē penitus ſacerdotio priuaſſe, ſuccedēte ſacerdote in æternū Chriſto Domino ſecundum ordinem Melchiſedech, mutatione in rebus, non in ipſo facta. a Malac. 3. 6 b Abul. q. 29. in c. 2. 1 Reg.

X. *...ior pœna, ...itæ breui...s.*

Inde ſpeciatim ad Heli, ipſiuſq; domū conuerſus ei primo vitæ breuitatem in pœnā prædictorum ſcelerū denunciat; tum deiectionē familiæ ipſius, eius æmula florēte, vt vrantur inuidia, & diſcant Deū honore afficere eos, à quibus honoretur. *Ecce dies veniunt,* inquit, *& præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui,* id eſt dignitatē ſummi ſacerdotii, quæ robur eſt familiæ tuæ, ſicut plerique explicant, in quibus è recētioribus Vatablus & Lyranus; & ex antiquioribus S. Greg. & Rupertus. At cū ſequatur *vt nō ſit ſenex in domo tua,* videtur potius Dominus minari, & denūciare, vim ſe ac vigorē viuacis naturæ immatura morte pręciſurum; iuxta illud, *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, S. Auguſtinus ſecutus Septuag. interpretes, pro brachio ſemen poſuit, id eſt poſteros, Chaldæus, ſeminis fortitudinem, eadem ſentētia. Ea pœna primum in Ophni &

Phinees, qui iuuenili ætate florebant, impoſita eſt, qui mox vno die ambo mo-
rituri prædicuntur, tum in illis 85. viris, qui Saulis iuſſu, in ciuitate Nobe oc-
ciſi ſunt, quorum pars maxima non peruenerat ad canos.

Altera pœna eſt æmulationis & inuidiæ, qua affligendi erant poſtea filii He- XI. *Altera æmulationis.*
li. *Et videbis*, inquit, *æmulum tuum in templo, in vniuerſis proſperis Iſrael.* Id videlicet
contigit, quando eiectus eſt à Salomone Abiathar, de filiis Heli, & Ithamaris,
& Sadoc de filiis Eleazari in eius locum ſuffectus eſt, vt hæc prophetia imple-
a c. 2. v. 17. retur, vt eſt in tertio Regum, [a] quo tempore Iſraelitæ ſumma gloria ac proſpe-
ritate floruerunt; Id autem Heli non vidit ipſe per ſe, ſed viderunt & paſſi ſunt
poſteri eius in generatione quarta, intra centum, & ſeptem circiter annos, inui-
dia, paupertate, & vitæ breuitate oppreſſi, cum eorum æmuli proſperis interim
rebus ſecundiſſimè fruerentur. In quarta inquam generatione, nam Heli ge
nuit Phinees, ex quo Achitob pater Abimelech, quem occidit Saul, cui re-
gnante Dauide ſucceſſit Abiathar, qui ſecutus partes Adoniæ, à Salomone Sa-
b 3. Reg. 2. 27. cerdotio priuatus eſt.[b]

Quod autem ſequitur, *veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo*, XII. *Confirmatur.*
id eſt non priuabo prorſus tuam familiam ſacerdotio, videtur ad conſolationem
c. in c. 14. 1. Reg. in illud ergone Ionathas morietur. allatum, vt videtur intellexiſſe S. Gregorius: [c] cum tamen in pænam dictum eſ-
ſe ſubiuncta declarent, ſequitur enim *vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua*: præ
inuidia alienæ fœlicitatis, quam tuis ereptam, æmulis tuis Dominus conceſſe-
rit, quoniam autem hæc viſurus non erat Heli, vt certior fieret humano modo
de calamitate futura, in tota ſua familia, datur illi ſignum, quod viſurus, ac ſua
ipſe experientia probaturus eſſet, quaſi dolorum initiū, & prælibaratio futurorū
malorum. Ex natura autem ſua, vtraque ęquè incerta erant, vt pote futura con-
d vide Abul q. 31. in c. 2. 1. Reg. tingentia; [d] ex prophetica vero reuelatione, vtraque æque certa, vt pote primæ,
ſummæ, atque immutabili veritati nixa. *Hoc erit*, inquit, *tibi ſignum, quod venturum
eſt duobus filijs tuis Ophni & Phinees, in die vno morientur ambo.*

Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciat, & ædi- XIII. *Sacerdos fidelis promittitur Chriſtus.*
ficabo ei domum fidelem & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. Hæc magnificen-
tiora ſunt, ac ſplendiora quam vt alteri cuiquam à Chriſto Domino conuenire
e l. 17. de ciuit. c. 5. med. videantur. Ideo S. Auguſtinus[e] cum hanc totam prophetiam verſaret, *quod au-
tem ſequitur*, inquit, *ad illum iam pertinet ſacerdotem, cuius figuram geſſit huic ſuccedendo
Samuel. Proinde quæ ſequuntur de Chriſto Ieſu noui teſtamenti vero ſacerdote dicuntur. Et
f q. 10. in c. 1. Hebr. 4. 14. 15. ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelem &c. Hæc autem*, ait Theodoretus [f] *nulli quidem homi-
ni conueniunt, ſed ſoli Domino noſtro Ieſu Chriſtoque, quod attinet ad humanitatem, nomina-
tus fuit noſter Pontifex*, & mox, *& illud omnibus diebus, non conuenit hominibus morta
libus, qui viuunt breui tempore*; verum ſenſum hunc myſticum eſſe, non hiſtoricum,
ipſemet Theodoretus mox fatetur, vt dicemus.

Hiſtoricum autem ſi requiramus, proxime laudatus Auguſtinus ſignificare XIV. *in hiſtorico ſenſu Sado[c]*
c. 3. videtur, hic intelligi Samuelem qui Heli ſucceſſerit, quem mox Dominus ſuſci-
tauit, & crebrius ad ſe vocatum, dono prophetiæ, & ſuæ familiaritatis dignatus
g a. m. 2889 n. 4. vide Comeſt. l. 1. c. 4. eſt. Sed is origine ſacerdos non fuit, nedum Pontifex, [g] vt qui ad Aaronis fami-
liam non pertineret, ſed ad Caathitas, vt ſupra demonſtratum eſt. Comeſtor
ait quoſdam autumare ſacerdotium ad Samuelem translatum, in quibus S.
h q. 10. in 1. Reg. Hieron. quod ipſe improbat. Perſpicue Theod. [h] *Ergo prædictio*, inquit, *pro-
priè quidem conuenit Seruatori noſtro, ſed ſi ſpectes hiſtoriam, Sadoco, qui genus ducens ab Elea-
zaro, ſacerdotium accepit per Salomonem. Aemulus domus Heli*, ait Hieronymus in tra-
dit. Sadoc ſacerdos extitit, qui eiecto Abiathar à Salomone ſacerdotium ſuſce-
i 3. Reg. 2. 27. pit, ſicut in Melachim legitur, [i] vbi ſcilicet dicitur eiectus Abiathar, *vt impleretur
k in c. 2. 1. Reg. poſt q. 31. ſermo Domini quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.*

Itaque minimè dubia res eſt, in eamque conſpirant omnes interpretes, No- XV. *Futura miſeria filiorum Heli.*
minatim Lyranus, Abulenſ. [k] Dionyſ. Caietan. Vatablus, Emanuel Sa. Signi-
ficatur autem Sadocum filium Eleazari, & reliquos deinceps eius filios glo-
l o. cit. in ſchol 70 Sixt. in c. 2. Reg. rioſos in Pontificatu fideliter adminiſtrando & opulentos fore, coram Regibus
(nam Theodoretus, vel Diodorus Tharſenſis Chriſtos legunt numero multitu-
dinis) Interim autē filios Heli, non tantum à Pontificatu excluſum iri, ſed ma-
gna inſuper indigentia premendos, atque affligendos, vt cogantur ſupplices fie-

ri Pontifici, vt participent pani, & pecuniolæ oblationum, in pœnam ſcilicet præſentis gulæ, & auaritiæ. quæ eſt ſententia Hebræi textus, & Græci. In vulgata autem habetur ſacerdotes filios Heli venturos, & per intermedios deprecatores rogaturos, vt vitæ aliquod ſubſidium obtineant, exiſtimat autem Serarius pro *offerat* legendum videri *auferat*, id eſt accipiat, *quemadmodum*, inquit, *ſenſus videtur eſſe in Hebræo, Chaldæo & Septuag. & quod ſequitur de parte ſacerdotalium ſalariorum ſignificat.* 2. Hunc porrò mœrorem, & inuidiam eleganter explicat Auguſtinus,[z] de Iudæis & Chriſtianis poſt Chriſtum; iſtis florentibus, illis inuidia tabeſcentibus. Vide in eandem ſententiam Rupertum, Gregorium magnum, & Eucherium. z l. 17. de ciu. c. 5. 2. ℞. in l. 1. Reg. c. 10. l. 2. c. 3

SCHOLIA IN ANN. MVND. 2912.

I. n. v. QVidam hunc honorem aliter interpretantur, vt ſcilicet prætuliſſe dicatur Heli filios ſuos Deo, quia peccantes coram omnibus, ſecreto arguebat; & quidē mollio re brachio; cum Deus palam inhonoraretur, in neglectu præceptorum, & cæremoniarum ſuarum. honori enim ſacerdotum parcere volebat, quem tamen illi coram populo prodegerant: & ſic eorum crimina tacitè approbabat. ſed ſenſus in textu expreſſus, multo melior eſt, ac probabilior.

Quomodo offerat tortam panis, vt accipiat bucellam: explicat Abulenſis, filios Heli venturos tanquam quilibet de populo, & facturos huiuſmodi oblationem, ad veniam obtinendam pro delicto ſuo; & quia laicis non licebat comedere de iis, quæ offerebant pro peccato, ait eos petituros de eo particulam ſacerdotem, propter egeſtatem ſuam; cum tamen in cæteris oblationibus populi, iura ſua integra perciperent, vt pote ſacerdotes. 2. n. xv.

ANNVS MVNDI 2913. DILVVII 1257. 4[a]. ÆTATIS 450. EXITVS ET DATÆ LEGIS 370. SANCTVARII IN SILO 324. HELI IVDICIS, ET PONTIF. 14. VITÆ SAMVELIS 13. ISAI 34. EXCIDII TROIÆ 43. TAVTÆI 33. IMPERII ASSYRIORVM 982.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1140.

POſſumus ſub hos circiter annos coniugium Iſai, qui & Ieſſe, parentis Dauidis conſtituere, & natiuitatem primogeniti eius Eliabi, vt ex 1. Regum conſtat,[a] & 1. Paral. 2.[b] vt Dauide naſcente poſſit eſſet iam ætate admodum matura, & illo adoleſcente, cum aliis duobus fratribus militare in regio exercitu contra Philiſthæos. ſed hæc incertum annum habent. Quæ autem de Samuele dicenda ſunt, ex tertio capite primi Regum, certam habent temporis ex Ioſepho notam; eamque haud dubiè ſatis probabilem, probatam certè Torniello, in hunc mundi annum: & multo ante Abulenſi, & Zonaræ in primo Annalium tomo, & nuper Serario in hunc locum. Ioſephus autem, *Porrò Samuel* [illegible] ἤδη δωδέκατον. *exacto anno ætatis duodecimo, Prophetam agere cœpit.* ergo decimo tertio, quem nunc agimus 1. cui ſatis conſentit Theodoretus q. 12. vbi quærens quamobrem Samueli, cum eſſet admodum iuuenis, Deus apparuerit; & reſpondet, *Ad arguendum Pontificem, qui ſenuerat, adoleſcentulus dignus eſt habitus, cui Deus appareret. Erat enim adeo iuuenis, vt Dei doctrinam nondum poſſet ſuſcipere.* & mox. *Sed tamen eam ætatē antiquæ prætulit Deus; & eum qui octoginta & ſex annos vixerat, & 40. annos duplici magiſtratus honore dignus fuerat habitus, erat enim & Iudex & Pontifex, deſpiciens, locutus eſt cum paruo puero, docens quanto ſit canitie melior iuuentus ornata virtute.* Sic Theodoret[c].

I. *Coniugium Iſai, & ortus Eliab. Initium prophetiæ Samuelis.* a c. 17. 13. b c. 2. v. 13.

1. ℞.

c q. 11. 1. Reg 4. 15.

II. *Quæ Heli & Samuelis ætate.* Neceſſarium porro eſt in illos ſex & octoginta annos irrepſiſſe mendum; nam ſi totam ætatem Heli hoc numero comprehendit, verum id eſſe non poteſt, cum ex Scriptura conſtet, conſentientibus Hebræis, Chaldæiſque codicibus,

cum ad annum duodecenteſimum perueniſſe: etſi Septuaginta exceptis bibliis regiis, & Complut. minore numero prætermiſſo eum nonagenarium vocarint; vnde S. Ignatius in epiſt. ad Magneſianos. *Samuel*, inquit; *puer paruulus Heli nonagenarium reprehendit, quod filios ſuos pluſquam Deum honoraret.* quæ tamen repræhenſio potius ad præcedentem Prophetiam pertinet. c. 2.29. Eo autem tempore Samuel puer non erat, ſed vir annorum vndequadraginta; & ei ſtatim in Iudiciaria poteſtate ſucceſſit. Quod ſi Theodoretus prædicto numero aſſignare voluit ætatem Senis, reſpondentem ætati Samuelis, qua primum dono Prophetiæ donatus eſt; dicendum erit eum egiſſe tum annum non 86. ſed ſeptuageſimum
a.n.18.19. ſecundum; iuxta ea quæ ſuperius, anno primo Heli diſputata ſunt. Itaque ex S. Ignatio, & Theodoreto illud tantum ſumamus hoc loco, Samuelem puerili adhuc ætate vocatum à Deo fuiſſe, que eſt S. quoque Chryſoſtomi ſententia l. 3. de prouidentia. *Samuel*, inquit, *à puero nutritus in templo, Deo ſemper charus & gratiſſimus fuit, tantáque virtutis indicia à prima ſtatim ætate prætulit, vt antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles Prophetas inſcriberetur.* Denique ætatem Samuelis minimè dubiam Scriptura reliquit, cum illum Scriptura latina puerum, Hebræa
נער Naghar, Græca παιδάριον, hoc ipſo in loco appellarit, id eſt adoleſcentulum.

c.3.v.1.& 9. Additur etiam circunſtantia temporis, quo Deus ſpiritu Prophetico afflauit Samuelem, quando ſcilicet *ſermo Domini erat pretioſus*, id eſt rarus, rarique erant Prophetę, & in iis tamen Samuel adoleſcentulus: aut certè viſiones eorum non erant publicè notæ, vnde ſequitur, *non erat viſio manifeſta*; Sicque explicat Chal-
v.19.& 20. dæus paraphraſtes; Alii autem, vt Caiet. non erant viſiones quas certo conſtaret eſſe diuinas; quod tamen de viſionibus Samuelis manifeſtum fuiſſe, infra ex certis euentis probatur. Lyranus ait propter malitiam filiorum Heli, & negligentiam patris in eis corrigendis, ceſſauiſſe reſponſiones, & reuelationes Domini; Nec tamen plane ceſſauiſſe conſtat, quando intra paucos annos & ſenex,
ſup. an. m. 2900. n. 34. & puer, & mulier, & vir Dei, Prophetiæ dono decorati reperiuntur, Heli inquam, & Samuel, Anna, & innominatus Propheta, de quo proximo anno dictum eſt.

Contigit autem quodam tempore, cum Heli iaceret in lectulo ſuo, & oculi eius, prę ſenectute, ita caligarent, vt clarè videre non poſſet; & Samuel quoque dormiret apud eum intra templi ſepta, cum nox adhuc eſſet, vtpote nondum extinctis templi lucernis; contigit inquam tunc vt Samuel à Domino vocaretur; hæc eſt legitima huius loci ſententia, quæ nonnullam habet traiectionem verborum, eratque dudum non recta interpunctione corruptus. vt fa-
l.1.c.11. 1.Reg.c 5. tetur Lyranus, imo & Hierony. in tradit. in hunc locum & Rupertus & Comeſt. & noua emendatio, quamuis repugnate Abulenſi.
q.1.inc 3. Itaque non eſt Scripturæ mens Heli non potuiſſe videre lucernam Dei, antequam extingueretur, id eſt non potuiſſe ad lucernam videre, ſed tantum interdiu poſt extinctas lucernas, vt quidam expoſuerunt; aut vt putauit Caiet. non potuiſſe videre lucernam, niſi plene ardentem & lucentem, non autem cum eſſet prope extinctionem, & maligna luce intermicaret; Sed admodum retuſam fuiſſe in ſene oculorum aciem, vt ægrè videret; quo erat ei magis neceſſarium Samuelis miniſterium. Deinde autem ad deſcribendum tempus nocturnum, quo facta eſt reuelatio Samueli, addita eſt circunſtantia lucernæ non extinctæ,
a c.27.21. b c.24.3. lucebat enim noctu, & manè extinguebatur, vt habetur in Exodo,[a] & Leuitico[b].
2 ꝁ c a.m.2544 n.459. & ſupra à nobis diſputatum eſt.[c] 2. ꝁ. vide Hieronym. in tradit. in hunc locum. Nonnulla porro apparet in Græca verſione diuerſitas; licet enim in regiis bibliis habeatur, ὁ λύχνος τοῦ θεοῦ πρὶν κατασβεσθῆναι, antequam lucerna extingueretur, quod cum Hebraicis, & Latinis congruit, quo modo habent etiam Complutenſes. In Sixtianis tamen, Baſilienſibus, Aldinis, aliiſque paſſim habetur ἐπισκευασθῆναι
d q. 11. antequam instructa eſſet; quo modo legit, explicatque Theodoretus.[d] *Significat oratio*, inquit, *quod ſtatim poſt veſperam, cum ipſi cæpiſſent dormire, apparuit Samueli Dominus Deus, veſpere enim ſolent accendere ſacram lucernam. circa mediam noctem iniiciebant oleum*, Imo mane potius, cum aptabantur, vt in veſpertinem tempus eſſent inſtructæ, ſed pergit. *volens ergo ſcriptor ſignificare tempus, dixit lucernam nondum fuiſſe inſtructam.* ſic ipſe, qui licet matutinum & antelucanum

tempus videatur in veſpertinum commutaſſe, in re tamen ipſa eadem eſt ſententia; nam cum extinguebantur mane, ſimul etiam inſtruebantur, & aptabantur, vt veſperi accenderentur [a].

[a] Exodi 30. 7.

VI. *Locus quietis Samuelis.*

Locus quoque in quo quieſcebat Samuel dubitatione non vacat; etſi enim Scriptura dicat, dormiſſe in templo Domini, vbi erat arca Dei, non tamen exiſtimandum eſt eum intra Sanctum Sanctorum, vbi erat arca Dei cubile habuiſſe; illuc enim nomini mortalium, præter vnum ſummum Pontificem, idque ſemel in anno duntaxat, [b] penetrare licuit; Chaldæus ait eum dormiſſe in atrio Leuitarum, & vocem emiſſam diuinitus, è loco in quo erat arca Dei. Vatablus exiſtimauit Sacerdotes & Leuitas habuiſſe habitationem in atrio tabernaculi; illos quidem in interiore parte, iuxta ipſum tabernaculum, iſtos autem in remotiore loco. Sed prius docere oportuit aliquos intra templi, ſiue ſanctuarii atrium habitaſſe ante conſtructum à Salomone templum. Exiſtimo ergo probabilius Samuelem Pontifici dilectum, & illi familiariter miniſtrantem, in eadem cum illo domo, quæ Sanctuario adiaceret, fuiſſe verſatum, vt poſſet toties ad eum, & quidem eadem, vt videtur, nocte recurrere. quæ videtur interpretatio Comeſtoris, atque Dionyſii: nec alia videtur exhedra Lyrani, & Serarii. vide Oecumenium in c. 9. ad Hebræos.

[b] Leu. 16.

VII. *Semel iterumq; vocatur.*

Cum ergo Samuel iuxta templum non longe à Pontifice dormiret, ſemel iterumque diuinitus ad eum miſſa vox eſt, qua ab Angelo proprio nomine vocabatur; itáque miſſa, vt expergefactus vocem à ſe auditam minimè dubitaret, nec tamen vllum videret, à quo vox profecta videri poſſet; quod diuina prouidentia eum in modum adminiſtrabat, vt Samuel ratus eam eſſe vocem ſenis, ſua opera indigentis, ad eum ocyus accurreret; & Heli certo diſceret nihil hic ex cōpoſito fieri, ſed rem diuinibus, ipſomet interueniente, denunciari. Si enim, vt rectè notauit Abulenſis, [c] apparuiſſet Angelus Samueli, adiungens voci formã aliquam, qualis pridem Ioſuæ, Gedeoni, aut parentibus Samſonis apparuit, didiciſſet ille quidem eadem, quæ poſtea didicit, ſed fidem Pontifici non feciſſet, qui rem totam puerilibus ſomniis tribuiſſet: ſicut ex prima, ſecundáque reſponſione, quibus is iuſſus eſt ſomnum, lectumque repetere, intellectum eſt.

[c] q. 2. in c. 3.

VIII. *Nulla ei ſpecie apparente.*

Vtrumque à Patribus confirmatur. Angelicam enim vocem, ad vocem Heli attemperatam fuiſſe eleganter tradidit Gregorius magnus [d]. *Puer autem*, inquit, *quia loquente Deo ad Heli cucurrit, vocem profectò Deus Heli ſimilem protulit. Quid ergo eſt quod diuinæ locutionis vox ab Heli voce non differt, niſi quia & per patres veteres ipſe locutionem profert.* ſic ipſe, conſentaneè illi oraculo. *Qui vos audit me audit* [e]. Sic etiam & fidei Senis, & pueri timori, conſultum fuiſſe, rectè intellexit Rupertus [f]. *Puerum dormientem*, inquit, *Dominumque necdum ſcientem, cui necdum reuelatus fuerat ſermo Domini, Dominus tertio vocando excitauit*, & in illum ſuæ moderatus eſt gratiam vocationis, vt prius is, contra quem mittebatur, vocatum illum eſſe à Domino ſciret, quam ipſe, qui vocatus eſt. Sicque factum eſt, vt is qui viſionem indicare timuiſſet, celare non auderet, tacere non poſſet.

Cur adierit Heli.

[d] l. 3. c. 1. in hunc lib.
[e] Luc. 10. 16.
[f] l. 1. Reg. c. 11.

IX. *Egregia Samuelis obedientia.*

Promptitudo porrò adoleſcentuli eò laude dignior, quò illa ætas ſomni profundioris eſt, eiuſque amantior; nocte nihilominus intempeſta, nihil ſibi in tenebris metuens, ſępius vocatus, ſemper promptè ſurrexit, quamuis ſæpius ſpe ſua fruſtratus; & iuerit, imo cucurrerit ad Dominum, & quaſi parentem ſuum Heli. Cum ergo iam tertiò vocatus eſſet, ſurrexit impiger tertiò; nec dubitauit tertiò interpellare ſacerdotem, ratus ſatius eſſe toties illum ſine neceſſitate fatigare, quam ſemel, ignauia ſua, eius deeſſe neceſſitati. Hic Heli, non inſcius viarum Domini, in ætate tam prouecta, Domino illuſtrante intellexit, quod Samuel, cui necdum ſermo Domini reuelatus fuerat, ſuſpicari non poterat, puerum videlicet à Domino vocari. Itaque ait ad Samuelem, *vade & dormi, & ſi deinceps vocauerit te, dices, loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Credidit enim haſce vocationes apparatum quendam eſſe; & mox aliquid diuinitus denunciatum iri Samueli, qui humilitate verborum aditum pararet reuelationi.

X. *Vltima eius vocatio.*

Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco ſuo. *Et venit Dominus* quartò, *& ſtetit,*

v. 15. ſub aliqua ſcilicet apparenti forma, propterea enim poſtmodum tota reuelatio appellatur viſio; & quidem ſub forma illuſtri, quæ in nocte cerni poſſet; quod
v. 10. confirmat paraphraſtes, qui ait gloriam Domini Samueli reuelatam. Sic ſanctus
a Act. 7. 2. Stephanus [a] ait Deum gloriæ apparuiſſe Abrahamo. Ab angelo itaque Samuel iterata nominatione proprii nominis excitatus, & memor iuſſionis Præceptoris
v. 11. ſui, *Loquere*, inquit, *Domine, quia audit ſeruus tuus. Et dixit Dominus ad Samuelem. Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierint tinnient ambæ aures eius.* Inhorreſcent videlicet, & quaſi in clamore ſubito, ac vehementi, pulſatus aurium ſenſus tinnitum edet; Septuag. ἠχήσει τὰ ὦτα *reſonabunt aures*.

Illud autem verbum, quod facturus erat Dominus, & quidem poſt non paucos adhuc annos; ſed tam certò, ac ſi iam res præſens eſſet, illud inquam verbum, capite ſequenti, interprete Hieronymo cõtinetur. [b] *Comminatio eſt*, inquit, *Domini ſuper Heli, & ſuper domum eius, eò quòd in peccato filiorum Heli Arca Dei caperetur, & Iſrael rueret, & filii eius interirent, & domus Heli Sacerdotio domus Domini priuaretur; & ob id factum audientium aures tinnirent, ſtupore vehementi*. ſic ibi. Certè in nuncio Arcæ captæ, vlulauit ciuitas vniuerſa, adeò vt clamoris ſonus aures Heli perculeret. quæ eſt communis Lyrani, Abulenſis, Vatabli, Serarii, & aliorum interpretatio, Abulenſis tamen mauult intelligi eam cladem, qua tota familia Heli, præter vnum Abiatharem, cum vniuerſa ciuitate Nobe extincta eſt; [c] cũ ingenti vtique totius multitudinis vociferatione; ſed ſatius eſt vtraque, cum Hieronymo, in hac denunciatione comprehendere, quæ non in ſolam domum Heli, ſed in totum fertur Iſraëlem. XI. Qua Domini comminatio

b in tradit · in hunc locum. · c ca. 22. 19.

Peculiariter autem aduerſus domum Heli iſta ſubduntur. *In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli, omnia quæ locutus ſum ſuper domũ eius, incipiam & complebo*. Quæ verba oſtendunt non fuiſſe admodũ propinquã cladem, quæ denunciabatur; vt malitia filiorum Heli compleretur, & inexcuſabiles fierent, tam ipſi, quam eorum parẽs; dilata verò fuit executio ipſa viginti ſex annos; totidem enim vſque ad mortem Heli, & filiorum eius numerantur; tanta eſt Domini longanimitas, & indulgentia peccatorem expectantis, & diſſimulantis peccata hominum propter pœnitentiam. Sed quia, pro ſuæ ſcientiæ infinitate, eorum impœnitentiam præuidet, propterea vltionem certò futuram aſſeueranter affirmat, ſic vt vltio perpetua futura ſit, & nullis muneribus, aut victimis expiabilis. *Prædixi enim*, inquit, *ei, quod iudicaturus*, id eſt puniturus, *eſſem, domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos*, condignè videlicet, & pro grauitate peccatorum. XII. Aduerſus domũ Heli · Domini lõganimitas.

Idcirco iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus, vſque in æternum. Graue omnino, ac ſeuerum Dei iudicium circa prætermiſſam correptionem fraternam: cui & grauiſſima pœna impoſita ſit, quæque in ſtuporem agat vniuerſos, qui audituri ſint; & quod irreuocabili decreto, & quaſi lata ſententia impoſita ſit, qualia ſunt quæ apud homines iureiurando firmantur. Pœnam autem culpæ debitam intelligit, non culpam ipſam; ad quam remittendam, quandocunque ingemuerit peccator, paratus eſt Deus: pœnam autem non item, quàm omnino vult exolui, vel in hac vita mitius, vel ſeuerius in futura; Ideóque, quæ videtur Domini in familiam Heli ſeueritas, lenitas eſt & clementia. XIII. Immutabilis comminatio.

Hac reuelatione accepta Samuel continuit ſe in lecto ſuo, vſque mane, ſolicitus de re tam triſti Pontifici, ac præceptori ſuo denuncianda, veritus ne eum magna triſtitia afficeret; aut propter ætatem fidem non faceret. Itaq; apertis de more ſub auroram templi foribus, tacitus quieſcebat. *Vocauit ergo Heli Samuelem, & interrogauit eum, Quis eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus ad te?* Suſpicabatur enim valde probabiliter, Deum eſſe, qui puerum vocaſſet, neque id fruſtra; ideóque aliquid illi reuelaſſet, quod ſua intereſſet non ignorare; ſiue id ad publicã rem ciuilemq; pertineret, quam ipſe adminiſtrabat; ſiue ad rem diuinam, in qua præpoſitus erat Pontifex; ſiue ad priuatam, & ſuam, de qua iam dudum
d. 11. c. 16 per quam acerbum, à viro Dei, acceperat nuncium. Et vniuersè futurorum cognoſcedorum auidi ſumus, & præſtantium virorum ſententias, vt res cognitione dignas, libentius accipimus vt notat Abulenſis; [d] quanto ergo magis ip- XIV. Exquiritur ab Heli.

XITVS B ÆGY- TO AN. 70.

DENVNCIATVR HELI FVTVRA CALAMITAS.

ſius Dei oraculum accipiamus? Quin etiam videtur Dominus hanc ei auxiſſe cupiditatem, quoniam propter ipſum Deus iſta Samueli reuelauerat.

XV. *t Samuelem ad reuelandum urget*

Itaq; *Orote*, inquit Heli, *ne celaueris me. hæc faciat tibi Deus, & hæc addat ſi abſconderis à me ſermonẽ ex omnibus verbis quæ dicta ſunt tibi.* Potens omnino, atque efficax eſt oratio eorum, qui in poteſtate conſtituti, erga ſubditos precibus vti malunt, quam mera iuſſione, atque imperio; ſic enim fidelius, faciliúſque votorum compotes fiunt. *Indicauit itaque ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo.* Suadebat v. 18. autem denunciationem iſtam etiam illa imprecatio malorum, vt Theodoretus interpretatur, ex Hebræorum loquendi modo, quæ Heli in Samuelem imprecabatur, ſi vel falſum diceret, vel veritatem taceret. Suadebat & Dei iuſſio; etſi enim ea in textu expreſſa non eſt; ea tamen ex ſimilibus intelligi poteſt, nihil enim frequentius occurrit in prophetis, quam *loquere filiis Iſrael, dic domui Iacob, vade & clama in auribus Hieruſalem*; & his multa ſimilia.

XVI. *Acquieſcit Heli diuino iudicio, cũ laude Theodoreti.*

Verùm egregiam Sacerdotis reſponſionem audiamus, reſpondit enim, *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Theodoretus tam interrogationem q. 12. Heli, quam reſponſionem eius commendat, eiúſque virtuti tribuit. *Eius pietatem*, inquit, *verba quoque oſtendunt; Nam primum quidem non puduit eum rogare adoleſcentem vt ei declararet, quæ à Deo fuerant annunciata. Sed & eum aſtrinxit iureiurando & execrationibus, nihil vt eum celaret ex iis quæ ſibi ſignificata fuerant: Deinde cùm latam didiciſſet ſententiam, laude dignam emiſit vocem, Dominus eſt; faciet quod placitum fuerit coram ipſo.*

S. Chryſoſt.

Quin etiam ſanctus Chryſoſtomus, lib. 3. contra vituperatores vitæ Monaſticæ, ait Heli admirandum fuiſſe in cæteris; neque habuiſſe Deum quod ei crimini daret, præter filiorum neglectionem: *Eius*, inquit, *philoſophiam omnem cum ex aliis locis intueri licet, tum ex ipſa quoque calamitate caſuum ſuorum. Primùm enim cum iſta omnia audiſſet, ſeque ad ſupremum cruciatũm perueniſſe conſpiceret, non acerbè, non grauiter, non indignanter tulit. Non dixit, Quidnam iſtud eſt? vt feciſſent plurimi: Num enim ego Dominus ſum aliorum voluntatis? peccatorum meorum pœnas perſoluere habeo. filij ætatem habent, ipſique ſoli merentur cruciari. Nihil omnino horum dixit, ne cogitauit quidem. Cæterum vt ſeruus fidelis & gratus, & qui vnum tantum ſibi obſeruandum nouit, vt quæcunque Dominus ſuus ei intulerit æquanimiter, & faciliter ferat, quamtumlibet illa triſtia & acérba ſint, ita pleniſſima philoſophiæ verba edidit, Dominus, inquit ipſe, quod gratum eſt in conſpectu ſuo faciat.* Hactenus Chryſoſt. cui conſentit Procopius.

XVII. *Et recentiorum.*

Eandem ſententiam Lyranus, Abulenſis, Dionyſius, Caietanus, Serarius, aliique recentiores valde commendant, adeò vt aliqui ex tam humili & patienti reſponſione ipſius eliciant, quod acceptando ſuper ſe & ſuos diuinæ ſententiæ, atque animaduerſionis æquitatem, tam contritionem peccatorum ſuorum, quem remiſſionem obtinuerit, vt pro iis temporali, non ęterna pœna puniretur. Eadem quondam videtur fuiſſe Iobi mens atque oratio, cùm in medio cladium [a] Iob. c. 6. 10. ſuarum æſtu.[a] *Hæc mihi ſit*, inquit, *conſolatio, vt affligens me dolore non parcat; nec contradicam ſermonibus Sancti.* Eadem & Dauidis, cùm fugeret Abſalonem in pœnam peccatorum ſuorum.[b] *Si autem*, inquit, *dixerit mihi, non places: præſtò ſum faciat quod* [b] 2. Reg. 15. 19. *bonum eſt coram ſe.* quę verba tanquam ab humili, & contrito corde profecta, & ſeſe diuinæ animaduerſioni, cum ſingulari obedientia, & patientia permittente, nemo ſatis laudare poſſit.

XVIII. *Quibuſdã repugnantibus.*

Magnus tamen Gregorius, & eum ſecutus Rabanus in deteriorem partem in hunc locum. videntur hanc Heli reſponſionem accepiſſe, nec exiſtimaſſe veræ fuiſſe humilitatis, quia non ſe ad emendationem culpæ obtulit, nec cœpit exinde flagitioſorum ſacerdotum ſcelera; digna vltione vindicare. Elegerit potius minarum Dei cauſas incurrere, quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare. Denique ait, ita minanti ſibi Deo reſpondere, eſſe de ordinatiſſima Dei miſericordia inordinatè confidere. *De omnipotentis etenim Dei miſericordia*, inquit, *ordinatè confidit, qui hoc quod peccando delinquit, pœnitendo corrigit, flendo tergit.* Rupertus etiam melius & conſultius ait feciſſe Achab,[c] quam Heli, quia ad minas propheticas, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, &c. [c] 3 Reg. 21. 27.

XIX. *Quibus ſatisfit.*

Veruntamen dici poteſt Heli iam grandæuum florẽtes ætate filios vltra coërcere non potuiſſe: & quod in ſe fuit, tunc non negligenter præſtitiſſe, licet ſurdis caneret cantilenam. Dominus autem neminem obligat vltra vires ac facul-

Denvnciatvr Heli fvtvra calamitas.

tatem. Culpa admiſſa erat, ei pœna debebatur, denunciatur, admittitur, quid peccatur? cur deteriore accentu afficiatur eius oratio, ego ſanè non video: nónne hæc ſatisfactio ad pœnitentiam pertinet? Et quis nouit an in ſacco & cinere dormierit, cæteráque pœnitentis animi ſigna dederit, quæ licet ſcripta non ſint, dubia tamen cùm ſint, in meliorem partem accipienda ſunt potius, quam ruina impellenda ſuper miſerum & afflictum ſenem.

XX. *Quid hîc Ioſephus ſcripſerit.*

Cęterum Ioſephus, ne eius obliti videamur, hâc totam hiſtoriam paucis perſtrinxit, & dum breuitati ſtudet, quæ Pontifici à viro Dei, dicta ſunt, & quæ à Samuele, permiſcuit, atque confudit. *Samuel*, inquit, *exacto ætatis anno duodecimo prophetam agere cœpit. Quadam enim nocte dormientem Deus nomine vocauit. Tum ille ratus à Pontifice ſe vocari, accurrit ad eum: Quo negante à ſe vocatum, Deus idem tertio fecit. Tum Elis rem perſpiciens ait. Ego me Samuel, nunc quoque vt ante ſilui, ſed Deus te vocat, Quapropter præſto eſſe te reſponde. Itaque rurſum Deo vocante, rogauit quæ iuberet, paratum ſe ad miniſterium offerens. Tum Deus, Quando*, inquit, *præſto es, Audi imminere Iſraelitis cladem maiorem, quam credibile eſt*, in Græco eſt, quam dici, aut credi poſſit, *Et filios Elis ambos vnà die perituros, & ſacerdotium meum migraturum in familiam Eleazari. Elis enim pluris fecit filios ſuos, quam meum cultum, idque ne cum ipſorum quidem commodo. Hoc oraculum cùm ab adiurato extorſiſſet Pontifex, alioqui ſe non contriſtaturo, certiorem iam expectationem exitij filiorum habuit.*

λόγου μείζονα, καὶ πίστεως.

XXI. *At peccauit.*

Permiſcuit inquam atque confudit. Neque enim Deus per Samuelē de morte filiorum Pontificis, quidquam ipſi nunciauit, ſed per virum Dei: neque per virum Dei imminere dixit Iſraëlitis magnam aliquam cladem, ſed per Samuelem. Itaque Ioſephus cum prophetiam per virum Dei datam miſſam faciendam putaſſet, quòd eodem pertineret, quo Samuelis vaticinium, quæ per priorem illum Prophetam dicta fuerant, atque denunciata, Samueli tribuit, & interim pœnam prǫmaturæ mortis poſterorum Heli, & familiæ ipſius paupertatem, ac tabeſcentem æmulationem, & pœnam nullis vnquam muneribus, aut victimis expiabilem, imò & totum Samuelis oraculum, excepto verbo, propter quod ambæ aures tinniant auditoribus, penitus prætermiſit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2913.

1. n. I. PSeudophilo in antiq. biblicis hæc octauo anno Samuelis contigiſſe tradit, ſed nihil probat. Idem ait Heli dicente filiis ſuis, Pœnitentiam agite, & recedite de via veſtra iniqua, illos reſpondiſſe, quando ſenuerimus tunc pœnitentiam agemus. quæ appareat ſumpta de triuio, & carere fide.

2. n. IV. Dionyſius, ſecutus Lyranum & Abulenſem, ait de ſeptem lucernis 4. mane extinctas fuiſſe, eáſque rurſum veſperi accendi ſolitas. At Lyranus numerum non poſuit, Abulenſis autem ait per diem 4. arſiſſe. idque ex Ioſeph. refert, & elicit ex c. 30. Exodi; ſed non rectè, vt probauimus anno m. 2544. n. 459. & ſeqq. Serarius nihilominus in hunc locum, cum Toſtato ſentit.

ANNVS MVNDI 2919. DILVVII 1263. 4^a. ÆTATIS 456. EXITVS ET DATÆ LEGIS 376. SANCTVARII IN SILO 330. HELI IVDICIS ET PONTIFICIS 20. VITÆ SAMVELIS 19. ISAI 40. EXIDII TROIÆ 49. TAVTÆI 39. IMPERII ASSYRIORVM 988.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1134.

I. *Annus Sabbaticus 48.*

HEli octauum ſupra ſeptuageſimum annum ætatis agens ad mediū ſimul vtriuſque magiſtratus tempus peruenit, in quod ipſum tempus ſabbaticus annus, ordine 48 incurrit; quem, ſicut & præcedentem, & aliquot deinceps conſequentes, puto ab Iſraëlitis, temporum fauente tranquillitate, fuiſſe obſeruatum, negligentius fortaſſe, ſi eo quoque negligentiam Heli trahere placet. His porrò annis res Iſraëli-

ticæ, quantum quidem ſcriptis proditum nouimus curſum ſuum tenuerunt, filij Heli conſtantes in malitia ſua; Samuel autem in virtute ac probitate. Quod nominatim ſanctus Gregorius obſeruat: qui propterea notat ſæpius à Scriptura repetitum Samuelem coram Heli Domino miniſtraſſe, quoniam ſignificare voluit eum non ſolum humiliter inchoaſſe, ſed in eadem virtute perſeueraſſe, & profeciſſe; contra quam plerique faciant.

Quidam namq;, inquit, *Prælatorum ſanctæ Eccleſiæ magiſterio ſubditi, rudes obediunt; ſed cum paulò altius per conuerſationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam perſiſtunt. Quos bene Agar Saræ ancilla ſpiritaliter deſignat, quæ cum de Abraham viro eius concepiſſe ſe vidit, dominam deſpexit &c.* Et paulò poſt, *Quia ergo Samuel etiam nunc coram magiſtro miniſtraſſe memoratur, quid eſt niſi quia electis auditoribus formam præbet vt quo altiori vita proficiunt, ſeruare bonum obedientiæ nunquam obliuiſcantur. Nam tunc verè proficiunt ſi ad altitudinem meritorum, & fortitudine conantur operis, & virtute humilitatis.* Hæc S. Pater, quæ iuuit huc in hac temporum inanitate tranſtuliſſe.

Addere tamen licèt hunc eſſe tertium annum regni Siluii Poſthumi apud Euſebium, qui Dioniſ. Halicarnaſſæo teſte fuit Aeneæ filius, ex Lauina Latini filia, quę poſt mortem mariti, regnante Aſcanio, grauida ſeceſſit in ſyluas, vbi editũ filiũ Siluium vocauit. Poſthumi etiam cognomen accepit, quod poſt humatum patrem natus eſſet. A quo deinceps omnes Albanorum reges Siluii appellati ſunt. Regnum autem tenuit vno & 30. annis, vt vterq; ſcriptum reliquit.

ANNVS MVNDI 2920. DILVVII 1264. QVARTAE ÆTATIS 457. EXITVS ET DATÆ LEGIS 377. SANCTVARII IN SILO 331. HELI IVDICIS, ET PONTIFICIS 21. VITÆ SAMVELIS 20. ISAI 41. EXCIDII TROIÆ 50. TAVTÆI 40. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 989.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1133.

INCIDIT in hunc annum Tautæi mors, principis Aſſyriorum vigeſimi ſeptimi Euſebio, Africano 28. quia hic à Belo, ille à Nino numerandi ſumpſit initium; ſed Africanus quatuor inſuper annis auxit periodum regni eius, vt initio Tautæi, ſecundo Samſonis diximus. Sed multo maior eſt in ſequentibus regibus inter vtrumq; diſſentio, vt mox dicemus.

ANNVS MVNDI 2921. DILVVII 1265. 4æ ÆTATIS 458. EXITVS ET DATAE LEGIS 378. SANCTVARII IN SILO 332. HELI IVDICIS ET PONTIFICIS 22. VITÆ SAMVELIS 21. ISAI 42. EXCIDII TROIÆ 51. THINÆI 1. IMPERII ASSYRIORVM 990.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1132.

TEVTÆO Thinæum ſubiicit Euſebius in Aſſyriorum imperio, multum Georgio Syncello, & Scaligero reclamantibus, quod 4. Reges ab Africano, in catalogo Regum Aſſyriorum recenſitos prætermi- 42.
ſerit; nimirum Arabelum, qui annis 42. regnauerit; Chalaum, qui 45.
45. Anabum, qui 38. & Babium, qui 37. qui ſunt anni omnino 162. 38.
Atq; hoc, inquit Scaliger, *peſſimi exempli* παρεγχείρημα, *ideò ab eo patratum, vt Regnum* 37.
Teutami in Troiana tempora conueniret. Facinus profectò neque bono viro, neque homine 162.

Eccleſiaſtico dignum. Sic ipſe, qui non diſſimilem culpam tribuit Cteſiæ. *Sane Cteſiam*, inquit, *vt erat homo vaniſsimus, aliquot Reges detraxiſſe minime dubitamus, vt æram Chaldæorum initio Nini accommodaret, cum tamen eius initium ſit à 18. anno Semiramidis*. Scriptorem antiquiſſimum vanitatis accuſat, imò & plagij aduerſum Reges, nulla probatione vſus, nullo teſte, neque aduerſus illum, neque pro ſe; tanta fuit hominis confidentia, exiſtimantis auditurum ſe ab omnibus, αὐτὸς ἔφα. ſed hæc obiter prius illud videamus.

1 ; can. iſag. p 313.

Scaligeri plagiariam accuſationem contra Euſebium, quatuor Reges de catalogo Principum Aſſyriorum ſubducentem, vt Teutami regnum in Troiana tempora conueniret, nonnulla ſunt quæ dubiam faciant, Primùm quòd illi Reges ſiue additi, ſiue prætermiſſi nihil mutant Teutami tempora ſiue à Belo, ſiue à Nino ducatur initium numerandi. Dicendúmque potius erat veritum Euſebiũ ne Sardanapali, vel Arbacis regnum vlterius produceretur, quam eius rationibus conueniebat. Secundò ſi retrogrado placet ordine numerare annos Euſebij
l. 2. à Sardanapalo, vel Arbace ſurſum verſus, incidet quidem Teutamus in Troiana tempora, ſed incidet conſentiente Diodoro Siculo, & Cteſia Gnidio, quem ille ſequitur, & omnibus Græcis, Latiníſque, qui poſt Euſebium vixerunt, ſi Syncellum, & Scaligerum exceperis.

Cui nihilominus ſua retrograda Chronologia non admodum bene ceſſit in
p. 131. & 132 hoc ipſo de regno Aſſyriorum argumento; nam l. 2. canonum Iſag. in tertia Dynaſtia Aſſyriorum, ait 21. Pyritiadis Templum Salomonis conſtructum fuiſſe. Verum ab eo anno vſque ad vltimum Sardanapali non numerat niſi 145 annos; cùm apud Euſebium qui Eupalis 32 templi fundamenta ponit, 213 numerenter, nimirum quod reperiuntur à numero Euſebiano 984. vſq; ad 1197. Deinde vult anno Thinæi nono exciſum Ilium; à quo vſque ad Arbacem duodetrecentos tantum numerat; vbi Euſebius habet 362. à numero videlicet 835, ad 1197. Eodémque modo falſum eſſe neceſſe eſt annum eius Exodi Hebræorum, & nati
a. m. 2803. Moſis, & Abrahæ, quem vult natum ducentis & 59 annis ſerius, quam velit Eu-
l. 18 de ciu. c. 19. ſebius, anno ſcilicet Beluchi 31. non Nini 43. vtut ſit, ſequendus eſt nobis Euſebius, vt diximus anno Soſarmi primo, ne maioribus damnis minora ſarciamus; ponendúſque deinceps Thinæus cum annis ſuis triginta, qui eſt Euſebio 28. Africano 33. Porrò hîc Thinæus male apud D. Auguſtinum, operarum vitio, legitur Oneus. qua de re iterum in Dercyli anno 1.

ANNVS MVNDI 2926. DILVVII 1270. QVARTAE AETATIS 463. EXITVS ET LEGIS 383. SANCTVARII IN SILO 337. HELI IVDICIS ET PONTIF. 27. VITÆ SAMVELIS 26. ISAI 47. EXCIDII TROIÆ 56. THINÆI 6. IMPER. ASSYR. 995.

ANTE CHRISTVM 1127.

EST hîc annus ſabbaticus ordine quadrageſimus nonus, quo tempore Samuel Propheta ſextum ſupra vigeſimum agebat annum, demonſtrabátque in dies maiora virtutis ac diuinæ ſapientiæ incrementa; vt verè de eo illud vſurpari poſſet; *Creuit autem Samuel, &*
1. Reg 3 19. *Dominus erat cum eo*, præ cæteris videlicet Iſraëlitis, qui prophetiæ dono carebant, cum iis enim peculiariter eſſe dicitur, quos ſingulari aliquo
Gen. 26. 28. & c. 39. 3. priuilegio afficit, vt Iſaacum diuitiis, Ioſephum rerum gerendarum prudentia, Gedeonẽ fortitudine, Samulem prophetia, ídque ea verba confirmant; *& non*
Iud. 6 12. *cecidit ex omnibus verbis eius in terram*. Quod non ſolum ad prophetiam contra Heli enunciatam pertinet; ſed pleráſque alias particulares, quæ in ſcripta relatæ non fuerunt, niſi in genere, vt habetur v. 21. qua de re paulò poſt. Cæterum ſub hoc tempus exiſtimamus ductam à Samuele vxorem, breuique ex ea Ioëlem primogenitum ſuum ſuccepiſſe; neque ita multo poſt Abiam. Id vt maturius faciamus, iniecta pene manu cogit nos Iudicis officiũ eis à Samuele paren-

c. 19.31. & ſeq. 2930. 80. 3010. — II Ortus Berzellaj.

Cadit in hunc annum ortus Berzellai, amici Dauid, ac benefactoris dum regno ab Abſalone pulſus eſſet, vt in 2. Regum ſcriptum eſt pluribus. Is octogenarius Regem traduxit Iordanem; quod arbitramur regni Dauidis trigeſimo primo contigiſſe, vt ſuo loco dicetur, qui annus à præſenti eſt octogeſimus, erit enim mundi 3010. vnde conſequens eſt eum hoc anno natum. Non ignoramus Torniellum ſcribere Berzellai ante ſex annos in lucem editum, eò quod Dauidis annos aliter ac nos digeſſerit; nos tamem permanemus in ſententia.

ANNVS MVNDI 2933. DILVVII 1277. QVARTAE ÆTATIS 470. EXITVS ET DATÆ LEGIS 390. SANCTVARII 344. Heli Ivdicis, et Pontificis 34. vitæ Samvelis 33. Isai 54. Excidii Troiæ 63. Thinæi 13. Imperii Assyriorvm 1020.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1120.

350. 40. — I. Septimus Iubilæus Moſaicus, & confirmatio chronol.

SEptimo Iubilæo Moſaico conſecratus eſt hic annus; eſt enim trecenteſimus & quinquageſimus, ex quo Hebræi tranſmiſſo, duce Ioſue Iordane, in Chananitidem ſunt ingreſſi, poſt annos quadraginta ab Exitu ex Aegypto in deſerto peregrinando conſumptos, ex quo vides confirmari annum datæ legis in indice poſitum. Sed confirmat etiam magis exactam chronologiam annus ſabbaticus quinquageſimus, qui in hunc annum neceſſario, & ſponte ſua cadit, ſepties enim 50. numerum exhibet, 350. Qua de re vide quæ tomo 2. diſputata ſunt, anno Moſis 81. (n. 698. ſchol. 42.) à cuius ortu hic annus eſt ſeptuageſimus ſupra quadringēteſimum, qui numerus etiam probat annum exodi & datæ legis, ſublatis enim ex eo annis 80. remanent 390. probat quoque annum ingreſſus in Chananitidem. Si enim ab annis quartæ ætatis abſtuleris 120. annos, quos vixit Moſes, reliqui omnino erant 350. qui eſt annus traiecti Iordanis.

II. Clareſcit Samuel vaticiniis.

Hoc porro tempore magnis apud vniuerſum populum incremētis gloria Samuelis augebatur. Nam diuinitus ei multa præmonſtrabantur, quæ cum Dei iuſſu populo enunciaſſet, & euentis ipſis Dominus, qui ſimul illi aditum ad totius Reipublicæ gubernacula muniebat, confirmaſſet, meritò eum totus Iſrael reuerebatur. Cum præſertim ad hanc Dei gratiam, vitæ integritas, moreſque inculpati accederent. *Et cognouit*,[a] inquit Scriptura, *vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabeæ, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* Cognitum eſt omnibus Iſraelitis, ab oppido Dan, quod ſitum erat prope Libanum ad fontes Iordanis, & ſeptentrionalem plagam regionis ipſorum, vſque ad Berſabee, vrbem ad auſtrum poſitam, in extremo tribus Simeonis, Samuelem verum eſſe, ac fidelem Domini Prophetam. In Græcis codicibus, præterquam in Complutenſibus, & aliis inde ſumptis, nulla eſt mentio Dan neque Berſabee, quæ ſunt extrema longitudinis terræ Chananæorum, vt alibi diximus, ſed habetur ἀπ' ἄκρων τῆς γῆς ἕως ἄκρων, *à ſummo terræ vſque ad ſummum*, ſiue ab extremo ad extremum.

a c. 3. v. 20. 1 σχ.

III. Frequentibus in Silo.

Pluribus porro vaticiniis illuſtrem redditum eſſe Samuelem illa verba demonſtrant, [b] *Et addidit Dominus vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo.* Perrexit nimirum Dominus ſæpius in Silo Samueli apparere, quoniam ibi primum cœperat ſe illi communicare, aut vt in Hebræo eſt, conſpiciendum præbere. Non de vna ſola ſuperueniente viſione dicitur, ait Caiet. ſed ſummariè multiplicatæ apparitiones diuinæ factæ in Silo ſcribuntur; & dicitur in Silo, ad differentiam aliarum viſionum, quas habuit Samuel poſtquam receſſit à Silo. Conſentit Abulenſis, additque huiuſmodi oracula, non fuiſſe in ſacros relata codices, quod vel ad Samuelis exaltationem, vel depreſſionem domus Heli, quæ hoc loco maxime agitur, nihil admodum pertinerent.

b 1. Reg. 3. 21.

IV. Cum certo euentu.

Ibid. Vatable. Emon S2.

Sequentia autem verba, *Et euenit ſermo Samuelis vniuerſo Iſraeli*, quidam codices plane non habent, alij ad initium ſequentis capitis retulerunt, præſertim Hebræi;

Exitvs ab Ægypto an. 330.

Samvelis vaticinia.

qui legunt, *Et fuit verbum Samuelis ad omnem Iſrael*; eiſque verbis quidam interpretum ſignificari volunt, Deum ſiue à Samuële rogatum, ſiue vltro illi apparentem, edixiſſe, vt Iſraëlitæ contra Philiſthæos expeditionem ſuſciperent, a quibus videlicet vexari incipiebant, idque Samuëlem ad vniuerſum populum retuliſſe. Cui expoſitioni illud nonnullam affert probabilitatem, quod poſtmodum ſubditur. [a] *Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthiim?* non enim ſatis idoneũ haberet locum illa Iſraëlitarũ querela, niſi Domini voluntate, ac iuſſu arma ſuſcepta forent. Verum S. Gregorius completam rebus prophetiam probabilius interpretatur. Sicut & ſanctus Hieronymus in tradit. in hunc locum, & deinceps recentiores interpretes. 2 Addunt porro Septuag. in pleriſque editionibus, de Heli & filiis eius. *Et Heli erat ſenex valde*, nimirum nonagenarius, *& filij eius euntes ibant*, ſolita videlicet, & pridem iam trita progrediebantur via, *& mala via eorum in conſpectu Domini.* Nimirum veriſſimum eſt illud prouerbium; [b] *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.*

An ſuſcepta diuinitus expeditio in Philiſthæos.

a cap. 4. 3.

2. ℞. Aldina Sixti Rom. Baſil.

b Prou. 22. 6.

V. *Phinees an Pontifex viuo patre.*

Huc pertinet quod ſcribit Ioſephus, [c] Phineem, quem ipſe maluit Phineeſem appellare, ſacerdotio iam functum fuiſſe viuo patre; eo propter ſenium, hũc ei honorem concedente. Quod licet incredibile non ſit; nuſquam tamen hic Phinees in Pontificibus à Scriptura numeratur, ſed integri anni 40. patri attribuuntur. Cęterum ſi quem filiorum ſibi Heli in Pontificatu ſubſtituit, aut functiones eius potius per aliquem exercuit, hunc honorem Ophni potius, qui tanquam primogenitus prior ſemper nominatur, quam Phinees attributum eſſe arbitrarer. Primogenitis autem hunc honorem ex diuina ordinatione attributũ nemo dubitat. Propterea enim Eleazarus Ithamaro antelatus eſt. Caruiſſe autem videtur liberis, ideóque ad filium Phinees tranſiit ſummum ſacerdotium, vt ſuo loco dicemus.

c l. 5. ant. c. 11. extrem.

SCHOLIA IN ANN. MVND. 2933.

1. n. 1. Fidelitatem ad prophetiã refert Chaldæus paraphr. quem ſecuti ſumus. Nec alia mẽs LXX. ſenioribus, cum aiunt διὰ πιςὸς σαμουὴλ εἰς προφήτην τῷ κυρίῳ. Hieronymus adverbum ſecutus Hebræum etiam illius traiectionem retinuit, *quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini.* Arias Montanus vertit, *in prophetam Domino*, vt habet Septuag. in hanc ſententiam, quam habet Vatabl. cognouiſſe videlicet populum, Samuëlem idoneum eſſe, qui aliquãdo euaderet in Prophetã. Verùm Hebræũ aliter intellexit Hieronymus, imò & Pagninus, & phraſis Hebræa, & Græca ad præſens quoque tempus pertinet, & reuera Samuel iam erat Propheta. Sic Dominus eſt Dauidi *in Deum protectorem, & in domum refugii*, & factus eſt Iſaiæ *in ſalutem.* Sic *in caput eſſe*, vel *in caudam*, Deuter. 28. 44. eſt primum eſſe, vel vltimũ & *eſſe in ruinam, & reſurrectionem, & in ſignum contradictionis.* & ſexcenta id genus alia propoſitionem habent penè redundantem, cæterũ Benedictus lapſus memoria, ſitum inuertit vrbium Dan & Berſabee.

2. n. IV. 2. Comeſtor l. 1. Reg. c. 5. certam quãdam, ſiue reuelationem, ſiue oraculum refert, quo Deus præceperit Samuëli, & Samuël populo, ex Domini mandato, vt abijceret à ſe diuinos, & ariolos, & id genus hominum peripſemata, Cedrenus ait Samuëlem 38. anno Pontificatus Heli cœpiſſe ius populo dicere, quod ſi admittimus, id non ex officio, ſed ex mandato peculiari Heli factum eſſe accipiendum eſt. Non enim Iudex populi fuit, niſi extincto Heli, Nec abſurdum eſt opinari Heli moribundum in Samuëlem officium Iudicis, in vnum de filiis, Pontificatus onera depoſuiſſe, prout ex Ioſepho ſignificauimus. n. 5.

ANNVS MVNDI 2939. DILVVII 1283. QVARTÆ ÆTATIS 476: ET VLT. EXITVS, ET LEGIS 396. SANCTVARII IN SILO 350. ET VLT. HELI IVDICIS, ET PONT. 40. ET VLT. VITAE SAMVELIS 39. ISAI 60. EXIDII TROIÆ 69. THINÆI 19. IMPERII ASSYRIORVM 1008.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1114.

I. *Finis quartæ ætatis, et ſanctuarij in Silo.*

Celebris eſt hic annus, multiſque rebus memorabilis; eo quippe quartam ætatem, terminamus, quæ Iudicum in Hebræorũ Repub. adminiſtrationem, à Moſe vſq; ad Heli per annos 476. comprehendit, 1 Etſi enim Samuelem non negamus Iudicem, ſummúmque in hac Repub. magiſtratum; Eius tamen anni cùm non ſatis ab annis Saülis Regis diſtincti ſint, imò à D. Paulo, Ioſepho, Hebræis, & Euſeb. cõiuncti; 1. ℞.

In eius initio Regum ætatem duximus inchoandam, vt proximo anno dicemus. Hoc ipſo anno, poſt trecenteſimum & quinquageſimum, quo ſanctuarium in Silo ſubſtiterat, impletum eſt illud Dauidis. [a] *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici*; quod Seder Olam [b] etiam obſeruauit. Erat nimirum Arca Domini virtus, & propugnaculum Iſraëlitarum Deum timentiũ, contra hoſtes eorum; erat gloria, & decor eorum; qui Deum illic præſentem, & oracula fundentem habebant. Nec mutamus de hac mora Sanctuarij, aut Arcæ in Silo ſententiam, etſi non ignoramus Seder Holam [c] & Genebrardum in Ioſue exiſtimaſſe Ædem in Silo ſtetiſſe 369. annis; indéque in ſolitudinem fuiſſe redactam. nam ipſi nihil probant, pro nobis facit ſeries annorum accuratè ſeruata. Hic denique annus eſt, quo Pontifice, & Iudice, & filiis eius ſubito interitu extinctis, intellectum eſt tardè ad vindictam diuinam iram procedere, ſed tarditatem, ſupplicij grauitate compenſare. Hæc quo modo facta ſint, cum Scriptura dicendum eſt. [d]

[e] Bellum geſtum eſt à Philiſthæis contra Iſraëlitas, & ab iis ſemel iterúmque infœliciter pugnatum, ſed vt hoc omnino conſtet, de belli tamen huius cauſis non ita conſtat. Ex parte Dei hæ cauſæ ſatis in promptu ſunt, atque adeo iam ante non ſemel expromptæ; voluntas videlicet vlciſcendi, tam Heli & filiorum eius, quam Iſraëlitarum peccata. Nam, vt illos omittam, de quibus hactenus ſatis multis egimus, certè hoc quoque tempore manſiſſe Idolum Michæ apud Danitas, ex libro Iudicum certum eſt, [e] & quidem non ſine cultu, vt videtur, & in Othoniele diſputauimus, [f] *Manſit*, inquit Scriptura, *apud eos*, Danitas *Idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo*. Satis id longum tempus ad Dei iram quantumuis patientis inflammandam. Lyranus excitatum ait hoc bellum à Deo, [g] non ſolum vt eo punirentur Heli cum filiis ſuis, ſed populus quoque, qui occaſione eorum ſubduxerat ſe à debita Dei reuerentia, & ſacrificiis. Verum Deos quoque alienos in medio eorum adhuc fuiſſe, ex ſequentibus ſatis liquet. [h]

Quod ad Philiſthæos attinet, videtur hæc pugna hoc loco ex abrupto & repentè naſci; neque enim vlla eius cauſa à Scriptura memoratur. Dicendum videtur, conſentaneè iis, quæ de Samſone tomo ſecundo dicta ſunt, [i] & 40. annorum ſeruitute, qua Iſraëlitæ Philiſthinorum dominatui ſubiacuerunt; [k] dicendum inquam, Palæſtinos iſtos hoſtili ſemper animo in Iſraëlitas fuiſſe, à quibus non dubitarent diuiſam ſibi iampridem ac deſtinatam regionem ſuam vniuerſam, ſi quomodo eorum voluntati facultas reſpondiſſet; [l] Id autem odium maximè exaggeratum fuerat à morte Samſonis, per quem omnes eorum principes & flos ipſe populi, ac iuuentutis templi ruina contrucidati fuerant, & extincti; vireſq; eorum ita acciſæ, magno vt in lucro ponerent quod Iſraëlitis non dederentur. [m] Cumq; pluribus annis, neceſſitate magi ſe, quam voluntate continuiſſent, & à repetenda vltione abſtinuiſſent, reſtauratis iam apud ſe rebus perſoniſq; ſeipſos ad vindicandam patrum ſuorum, Deorúmq; ignominioſam cladem excitarunt. Præſertim cum ſibi rem fore intelligerent, non cum fortiſſimo aliquo Samſone, qui quocumque iret terrorem ſecum, mortemq; trahebat; & millenos bellatores mactabat inermis, & ſolus. Sed cum molli, & cæcutiente, & decrepito ſene; qui ne in domeſticos quidem retineret imperium; nihil vt iam prohibere videretur, quin Philiſthæi viris, armis, opibuſque potentes, imperium in Iſraëlitas ipſos 40. annos interruptum, & iampridem glorioſè acquiſitum, & conſeruatũ; & caſu quodam, non bellica virtute amiſsũ, glorioſius recuperarent.

Itaque apparatur bellum conſcribitur miles, educuntur copię, venitur ad Aphec, quæ ciuitas in tribu Iſachar ab Adrichomio ponitur, [n] in via vallis Iſraël, non longè à montibus Gelboë. At enimuero cum ab eodem Adrichomio lapis adiutorij, ad quem conſtat Iſraëlitas in hoc bello caſtrametatos eſſe, ponatur in tribu Dan, lapiſque hîc tam vicinus fuerit Aphec, vt ex vno loco alterius clamores exaudirentur, certè aliam fuiſſe hanc Aphec ab illa, quàm Adrichomius exiſtimat, neceſſariò dicendum eſt. Eſt enim inter eam, & lapidem, qui dicitur adiutorij, quem Septuag. & S. Hieron. vocant Abenezer,

a Pl 77.60.
b c 13.
c c.11. fin.
d c.4 1 Re.
e c 18 31.
f an eius 22 n.25 & ſeq.
g vide an. m.1933 n.4
h c.7.3.
i a.m 2860 n 1. & ſeq.
k Iud. 13 1
l Abul. q. 2. in c 4.
m vid an 20 Saml. n.48. & 51.
n in ea tribu n.7.
o verſ. 6.

iter plurium dierum. Accedit quod vrbes primariæ Philiſthæorum, de quibus mox multa mentio, vicinæ ſunt huic rupi: ab illo autem Aphec valdè remotæ. Denique Silo debet eſſe vicina caſtris Iſraëlitarum; vt inde Arca Dei facile peti poſſet, & eodem ipſo die prælij, fugitiuus vnus in Silo perueniret.[a] *a c. 4. v. 12. & 16.*

V. *Quis belli dux apud Hebræos, & quæ copia.*

Quo porro duce Iſraëlitæ contra Philiſthæos arma ſumpſerint, non memoratur. Certè non fuiſſe quemquam de filiis Heli, videtur ſignificari paulo poſt, cum duo filij Heli, cum Arca fœderis Dei fuiſſe dicuntur, & cum ea, nec prius vocati videntur. *v. 4.* Quamquam hoc non impedit, quo minus alter, amboue, in priore prelio, ac conflictu fuerint: & Deo, qui vltrice manu bellum hoc totum moderabatur, permittente populo ſuggeſſerint, vt Arca transferretur in caſtra. Siue ergo illi belli duces fuerunt; ſiue alius quiſpiam vices Iudicis, ac Pontificis tenuit: ſiue nullus cum ſumma auctoritate præfuit, *Egreſſus eſt Iſrael obuiam Philiſthæis in prælium, & caſtrametatus eſt iuxta lapidem adiutorii:* qui ſcilicet ita poſtea, authore Samuele,[b] vocatus eſt, & erectus in monimentum diuini auxilij. *b c. 7. 12.* Quam numeroſus autem fuerit exercitus, non niſi ex cæſorum numero, qui primum 4. millia, deinde 30. millia fuerunt, pręter captiuos; fugitiuóſque intelligi poteſt.[c] *c v. 2. & 10*

VI. *Prius prælium cum clade Iſraëlitarum.*

Quid multa? inſtructæ ſunt vtrinq; acies, concrepuerũt tubæ, initum certamẽ, velites, omniſque leuis armatura procurrerunt. vixque ſtataria pugna ſucceſſit, cum iniecto, diuinitus vt apparet, terrore vehemẽti, *terga vertit Iſrael Philiſthæis,* quibus fugitiuorum tergo imminentibus, *cæſa ſunt in illo certamine, paſſim per agros quaſi quatuor millia virorum; & reuerſus eſt* ex pugna, fugáque *populus in caſtra.* Nec multo aliter Ioſephus.[d] *Per idem tempus,* inquit, *Palæſtini, ſuſcepta expeditione contra Iſraelitas, caſtra metati ſunt apud vrbem Aphecam, & nemine ibi occurrente, vlterius proceſſerunt. tandem congreſsi prælio, Hebræorum circiter quatuor millia peremerunt, reliquis trepide in caſtra compulſis.* *d l. 5. c. 11. anti. ſub fi.* Quod ait Philiſthæos vltra vrbem Aphecam progreſſos, præter Scripturam quidem eſt; Adrichomio tamen non fauet. Nam ſi vltra Aphecam progreſſi ſunt, tanto magis à lapide Adiutorij diſceſſerunt, cui oportebat fieri propiores.

VII. *Eorundem admiratio.*

Dixerúntque maiores natu de Iſrael;[e] *quare percuſsit nos Dominus hodie coram Philiſthijm?* *e 1. Reg. 4. v 3.* quidam hanc interrogationem ſuperbiæ tribuunt; eámque verba ipſa ſpirare videntur; pręſertim cum non Philiſthæos, ſed Deum ipſum percuſſorem agnoſcant; ſub cuius potenti manu, exemplo Ioſue,[f] & aliorum Iſraëlitarum,[g] accepta clade tumorem animi comprimere debuerunt; & nõ ſibi diuinũ auxiliũ, quaſi debitum arrogare, vt ait Rupertus,[h] qui etiam ſtultam, & vanam hanc pręſumptionem vocat. *f Ioſue c. 7 6. g Iud. 20. 26. h l. 1. c. 13.* D. quoque Gregorius ait illud, *Quare?* non eſſe inquiſitionis interrogationem, ſed querelam admirationis, quam vult etiam ad ſuperbiam pertinere. *Qui admiranter interrogant,* inquit, *maiores natu de Iſrael fuiſſe memorantur; quia profectò ſuperbi quique, in ſua ſuperbia gloriantes, ad diuinorum myſteriorum cognitionem pertingere nequaquam potuerunt.*

VIII. *Eiuſque cauſa.*

Aliò tamen deriuant aliqui interpretes iſtam admirationem, iuxta ea, quæ præcedenti anno diximus;[i] quod ſcilicet Dominus, qui percuſſiſſe dicitur Iſraëlitas, cum eos à Philiſthæis cædi permiſit, ipſos per Samuelem ante monuiſſet, vt egrederentur ad bellum contra Philiſthæos. *i Heli. 2. 39 n. 4.* Sed ea interpretatio perpaucorum eſt, & non habetur in textu, aut perobſcurè habetur, vt ex dictis patet; Malim itaque verba hæc ſtupidæ ſuperbiæ, populi duræ ceruicis tribuere; qui ſe, multorum magnorúmque ſcelerum reos, perexiguas adhuc pœnas luere non intelligebant: & impleri illud quod per Moſem Dominus fuerat comminatus,[k] *Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, & per ſeptem fugias, & diſpergaris per omnia regna terræ.* *k Deut. 28. 25.* Abul.[l] incuſſum diuinitus Hebræis timorem putat; idque ab eis ſignificatum, cùm ſe à Domino percuſſos dixere. *l q. 4. in c. 4* Quid autem hi maiores natu conſilij cæperint, hoc rerum ſtatu, audiamus.

IX. *Quid conſilij cæperint.*

Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini,[m] *& veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.* *m c. 4. 3.* Quo in facto ita eos laudat Caietanus, vt ipſos nihilominus peccati arguat, ſic enim ait. *Deuota intentio, ac commendanda ſpes, ſi facta reſpondiſſent intentioni ac ſpei. Fiducia enim in Arca Domini quamuis in ſe bona ac ſancta*

ſit, inſufficiens tamen eſt, niſi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt iſti ad exteriorem ceremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum ſuorum, & in hoc peccauerunt relinquentes veram cauſam percuſsionis ſuæ. quibus nõ diſſimilia ſunt, quæ habet Autor mirabilium ſacræ ſcripturæ. [a] Theod. [b] inquirens cur Deus permiſerit vt Arca ab hoſtibus caperetur, *Hebræos*, inquit, *docuit vt legitimè viuentes, in Dei confiderent prouidentia: legem autẽ tranſgredientes, neque in ipſa, neque in Arca non tangenda confiderent. Cur enim legem transgredientes, Arcam ad auxilium traherent, quæ legẽ intus habebat ſitam?*

An rectè Arcam petierint.

a l.2.c.7. b q.15.

Ioſephus [c] imprudentiæ hoc factum tribuit, licet in grauiſſimo metu factum dicat. *Quamobrem*, inquit, *Hebræi periculum extremum inſtare putantes, mittunt ad Pontificem, atq; Senatum, qui poſtulent Arcam in aciem proferri, vt eius præſentia freti hoſtem ſuperent. Ignari eum qui ſententiam ſemel aduerſum eos tulerat fore vt vincerentur, maiorem eſſe quam Arcam, quæ propter ipſum erat veneranda.* ſic ipſe. At è contrario, quia ignari erant quid contra ipſos Dominus ſtatuiſſet, rectè in Arcæ præſentia confidebant. Et quãuis Deus denunciaſſet eis, fore vt vincerentur; poterant tamen ſperare, ſi ipſi agerent pœnitentiam, Dominum quoq; pœnitentiam acturum ſuper malo, quod locutus erat vt faceret, & non facturum, [d] vt illuſtri Niniuitarum exemplo poſtea declaratum eſt.

c l.5 c 11.

X. *An imprudenter.*

d Ierem.18. 8.

Rectè autem Hebræi in præſenti metu, ac rerum diſcrimine, ad Arcam Dei, quaſi ad ſacram anchoram confugiebant; vt ſuis animus ex Dei præſentia, hoſtibus terror incuteretur. Moſes quippe exemplo præluxerat, [e] qui dum caſtra in deſerto mouebantur, & populus ſe in viam dabat, Arcam iubebat præcedere, & cùm eleuaretur Arca dicebat, *Surge Domine & diſsipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua*; Cùm autem deponeretur aiebat [f] *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.* Illud quoque quod 14. numerorum à Moſe notatum eſt, Iſraëlitis aſcendentibus contra Dei voluntatem, ad pugnandum contra Amalecitas, & Chananæos, Arcam Teſtamenti Domini non receſſiſſe de caſtris, argumento eſt eam deferri ſolitam in exercitu, ad præſidium populi Dei: quod Deo ipſo iubente, ad vrbem Iericho factum eſſe conſtat [g]. Denique eius conſuetudinis, præter aſſertionem S. Athanaſij in lib. de interpretatione Pſalmorum, ad Marcellinum, viuo adhuc Moſe, non obſcurum indicium eſt, quod ad bellum contra Madianitas miſſus eſt Phinees [h] *cum vaſis ſanctis*, id eſt cum Arca fœderis, & aurea lamina, vt Hebræi interpretantur, apud Lyran. Abul. Vatab.

XI. *Aut laudabiliter potius.*

e Num.10. 35 35. f v.44. g Ioſ 6. q. in fine. h Num 31.6

Vniuersè autẽ loquendo, vt rectè diſputat Abul. [i] Deus vult vt ſemper confidamus eum daturũ nobis quod petimus, licet ipſe ſtatuerit non dare: cùm enim ignoremus quid ille ſtatuerit, eámq; ignorantiam ipſe norit, vult vt de eius bonitate confidamus, quidquid tandẽ euenturum ſit; quaſi facturus ſit, quod maximè expedit nobis: vult fruſtratos expectatione, nihilominus iterum ſperare, ac confidere nos recepturos quod petimus, ſi expediat nobis; Itáque ratiocinari, Deum non reddidiſſe irrita vota noſtra, defectu bonitatis, quaſi nollet, aut potẽtiæ, quaſi nõ poſſet nos reddere voti compotes; ſed ex peculiari in nos amore, ac prouidẽtia, qua videret ſatius eſſe nos fruſtrari poſtulatis, quã obtinere petita; Eodémq; modo ſi ſecundo, & tertio, ſæpiúſq; res nobis præter expectationem contigerit.

i q.5 in 4. p K.

XII. *Quare Deo ſemper confidendum.*

Eadémq; nunc cauſa Iudæorum fuit, rectáq; fuit confidentia ſperantium ſe, præſente Arca Domini, à præſenti periculo liberatũ iri, ſiue iãdudum boni eſſent, Deóq; rectè famularentur, ſiue recens ad ipſum cõuerterentur à vita deprauata; nam non conuenit bonos non confidere de ſpeciali Dei auxilio in Arcæ præſentia; id enim ad eius contemptum redundaſſet; nec conuenit eos qui conuertuntur, diffidere de præſenti Dei bonitate, propter peccata pręterita, cũ ipſe profiteatur ſe immemorem fore peccatorum pręcedentiũ, quoties ingemuerit peccator. Itaq. ſi ad veram pœnitentiam & ipſi, & ſacerdotes eorũ confugiſſent, ſperare debebant ſe non fraudatum iri à deſiderio ſuo; imò conſolationẽ accepturos in humilitate ſua. Nec ab euẽtis oſtenditur eos non rectè ſperaſſe; rectè enim ſperantur bona, ab eo, qui vult & poteſt ſemper benefacere, ſed ab occulto Dei iudicio, videntis non conuenire facere, hoc loco vel tẽpore quod ab eo poſtulatur.

XIII. *Rectè Hebræos Arcæ præſentia confiſos.*

Cùm ergo Iudæi nõ viderentur ſibi conſcij criminis alicuius, cuius cauſa proximam cladem paſſi eſſent; ſed eam abſentiæ Arcæ tribuerent; dixerunt ſuggerẽtibus fortaſsè ſacerdotibus, [k] *Afferamus ad nos de Silo Arcã fœderis Domini, & veniat*

XIV. *Deuocatur in caſtra.*

k 1 Reg 4 3.

in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum. Miſit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim. Allata eſt autem à ſacerdotibus, ideóque ſubditur ad id ſignificandum. *Erantque duo filij Heli cum Arca fœderis Dei Ophni & Phinees.* Tulerunt autem coopertam, ne ſi nuda, vel videretur à populo, vel tangeretur à Leuitis, id eis capitale foret, vt conſtat ex 4. Numero. Etſi autem ordinariè, & ex præſcripto legis non licere tadire ſanctum ſanctorum, niſi ſummo Pontifici, in feſto propitiationis, & cum multis ceremoniis; extra ordinem tamen adire licuit, vt in deſerto cùm mouenda eſſent caſtra, aut Arca in bellum deducenda eſſet; tunc enim Pontifex cum ſacerdotibus eo introibant, omiſſis ceremoniis illis, quæ propriæ erant diei propitiationis; & Arcam inuolutam, eo modo quo à Deo præſcriptum fuerat, deferebant; qua de re pluribus Abulenſ. [a] in hunc locum. a à q. 6. ad 11.

XV. *Educitur ab Heli, deducitur ab eius filiis.*

Acquieuit itaque Heli voluntati populi, & maiorum natu Iſraëlis, & cum filiis eduxit Arcam è ſanctuario, multo vtique cum timore ac ſollicitudine; quod tam illa Scripturæ verba ſignificant: *Erat enim cor eius pauens pro Arca Dei.* quam illa Ioſephi. *Venit*, inquit, *Arca in exercitum, & cum ea Pontificis filij, accepto à patre mandato, ſi amiſſa Arca viuere ſuſtineant, ne vnquam in conſpectum ſibi veniãt.* Noluit tamen vt ſibi manus conſciſcerent; aut ſe vltro iugulandos darent. Nam non ſuſtinere viuere amiſſa Arca, nihil aliud eſt hoc loco, ſi mitem quærimus interpretationem, quam pro illa conſeruanda, & ab hoſte protegenda, vitæ iacturam facere. Prius enim illud deſperationis eſt, poſterius fortitudinis, illud Ethnicorum, & Barbarorum eſt; hoc virorum fortium, & Deum timentium. c. 4. 13.

XVI. *Excipitur cum læta vociferatione.*

Cumque veniſſet Arca fœderis Domini in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael timore grandi, & perſonuit terra; repercurſum exhibens à longe ſonum, vt pro ſimplici geminus, aut etiam multiplex, Echo ludente, exaudiretur; fuit autem vociferatio, vel inuocantium, hac tali, ac tanta occaſione diuinum auxilium, & mirabilia præteritorum temporum inſtaurari cupientium, vel præ ingenti fiducia exultantium, & quaſi victoriam iam tenentium manu. ſi forte clamore ſuo ad Arcæ præſentiam, vt olim muri Iericunthini, ita nunc omnes Philiſthæorum phalanges corruerent. *Et audierunt Philiſthum vocem clamoris, dixerúntque. Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt* per exploratores aliquos, *quod Arca Domini veniſſet in caſtra.* De qua, diuináque in ea præſentia, vt Hebræis vicini, multa inaudierant mirabilia, vt ex ſequentibus patet.

XVII. *Et timore Philiſthæorum.*

Timuerunt ergo Philiſthum dicentes, venit Deus in caſtra. ſiue Arcam putauerunt Deum, ſiue in ea reſidentem diuinitatem, maximum præſidium Hæbræis, magnam ſibi timoris materiam aduenisſe crediderunt; magna quadam opinione de Hebrçorum Deo concepta, in gratiam populi ſui, & ruinam hoſtium eius. Et male ominantes, quaſi ſibi non vltra contra homines, ſed cõtra Deum ipſum pugnandum eſſet, *ingemuerunt, dicentes væ nobis. non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius*, apud Hebræos dum carerent Deo ſuo; nunc eo præſente, & iacula ſua eorum manibus vibrante, *væ nobis*: actum eſt de nobis: quantum eis nunc nouæ virtutis acceſſerit, tantum deceſſerit nobis. Sed & cauſam legitimi timoris repetunt ab illis terribilibus operibus, quæ olim Deus Hebræorum contra hoſtes populi ſui perpetrarat. *Quis nos ſaluabit*, inquiunt, *de manu Deorum ſublimiũ iſtorum*, quorum ſcilicet virtuti Dij noſtri longè, multúmque cedunt, ſicut & Dij Ægyptiorum, in quos exercuit iudicia, ipſóſque Ægyptios maximis contriuit plagis, dum eos in mari, quod deſerto adiacet, funditus perderet. 2 v. 7.

2. x.

XVIII. *Qui reſumunt animos.*

Deinde verò reſumptis animis, *confortamini*, inquiunt, *& eſtote viri Philiſthiim*, vt ſcilicet mori fortiter, quam turpiter viuere, & hebræorum ſubiici ſeruituti malitis; aut enim moriendum eſt nobis, quibus contra Deum ipſum pugnandum eſt, aut ſeruiendum Hebræis; ſed abſit vt *ſeruiatis Hebreis, ſicut illi ſeruierunt vobis*, per annos ſcilicet 40. [b] de quibus in lib. Iudic. actũ eſt, [c] anno mundi 2860. & ante Iephte iudicẽ per ann. 18. cũ enim infœliciſſima ſit ſeruorũ conditio, tũ eorum maximè, qui ſerui fiant eorum, quibus antea dominati fuerant; idq; duplici de cauſa, vt notat Abulenſ. [d] prior eſt quoniam grauior eſt huiuſmodi ſeruitus: Nam qui è ſeruis facti ſunt Domini, memores malorum quæ paſſi b c. 13. 1 c c. 10. 8. d q 11. in fi.

paſſi ſunt ab alijs, quos nunc ſeruos habent, eos tractant acerbius ad vlciſcendas iniurias ſuas. Poſterior quia vilior eſt huiuſmodi ſeruitus; tanto enim quis fit vilior, quò ad inferiorem conditionem deijcitur, nemo autem magis videtur deſcendere, quàm vt fiat ſeruus ſerui ſui.

3. X.

Pugnauerunt ergo Philiſtiim, & cæſus eſt Iſrael, & fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum, & facta eſt plaga magna nimis, & ceciderunt de Iſrael 30. millia peditum. 3 *Et Arca Dei capta eſt; Duo quoque filij Heli mortui ſunt Ophni, & Phinees.* Breuis & luculenta narratio maximę cladis, valdéque deplorabilis. Cum ergo Philiſthæi magno animi ardore pugnarent, & deſperata victoria, ſeruitutem morte propria redimere ſtatuerent, ita pugnabant, vt non inulti caderent, è contrario Iſraelitæ, animoſiores facti ex præſentia arcæ Domini, & fiducia in eius auxilio, diutiſſime reſtiterunt, tantóque maiore numero à præualentibus Philiſthæis cæſi ſunt, donec deſperata victoria, Arca propugnatoribus nudata, deſertis caſtris, fuga ad ſua ſe tabernacula receperunt: oppida videlicet, ac domos, in quibus habitabãt, nec fugerunt in caſtra vt antea, quia agnita ſua paucitate, nec ea tutari ſe poſſe ſperabant, nec in ijs prælium reparare ac redintegrare: pręſertim Arca Dei, præſidio ſuo ignominioſe priuati; nec ſine cauſa Deum ſibi infenſum arbitrati, cuius nutu victoria, ipſis tanta clade affectis, ad hoſtes ſuos deuolaſſet.

a lib. 5 c. 11.
fi.
ἰυδυς ἐτράπησαι.

Vtrorumque expectationum ait Ioſephus, [a] *euentus fefellit. Nam poſt conflictum ſperata Hebræis victoria contigit Palæſtinis; & quam cladem hi timuerant, eam Hebræi paſſi, cognouerunt fruſtra ſe in arca fiduciam collocauiſſe. Namque primo impetu in fugam ſunt auerſi, in qua triginta hominum millia ſunt amiſſa, inter quos Pontificis filij ceciderunt, & Arca quoque in hoſtium poteſtatem deuenit*; Rectius opinor, dixi paulò ante cum Abulenſi, Iſraelitas non ſtatim aufugiſſe, tanto præſertim nixos pręſidio, ſed diu conſtanterque reſtitiſſe, eamque cauſam fuiſſe tantæ cædis, quæ in repentina fuga fuiſſet multis partibus minor. Nec crediderim cæſos in fuga ſacerdotes, vt ſignificauit interpres, ſed in arca Domini contra Idololatras fortiter defendenda occubuiſſe, vt putat idem Abulenſis, [b] qui de eorum etiam ſalute minime deſperandum putat, quod tempus ad pœnitentiam ſatis diuturnum habuerint, & vitam in Dei gloria defendenda poſuerint, qui fortaſſe à principio ſibi fuga conſulere potuiſſent.

b q. 17.

c. q. 13. in 1. Reg.
d ſupra n. 9.

Theodoretus autem inquirẽs [c] quam ob cauſam Deus paſſus eſſet arcã in hoſtiũ venire poteſtatem cum duas rationes proponeret, alterã ad puniendos Hebræos legum, quæ in arca erant, trangreſſores, de qua dictum eſt, [d] alteram adfert, vt Philiſthæi eius virtutem docerentur, qui eam primum quidem timuerant, poſt victoriam autem deſpexerant, & eam veluti manubias, idolis dedicarent ſuis. Dominus ergo arcam ſuam, argumentum præſentiæ & beneuolentiæ erga Iſraelitas, & indignis abſtulit, & indignioribus dedit, vt vtroſque debita animaduerſione puniret. Nam & illi hoc tanto præſidio deſtituti, in ſummam rerum omnium deſperationem venerunt: & hi pluribus per eam malis victores affecti ſunt, quam ſi ab Iſraelitis in acie victi cecidiſſent. Hæc fere Theodoretus pluribus. Quamquam & Arcam Dei, fundamentum Iudaicæ religionis, à Iudæis ad Ethnicos eſſe tranſlatam non obſcurè docet, pietatem & religionem, & ſacerdotium, à gente Iudaica ad Gentiles tranſlatum iri, & ſacerdotium Iudæorum, quorum ſtatim ſacerdos extinguitur, pariter interiturum, vt notauit Eucherius Lugdun. [e] & S. Auguſtinus. [f]

e in 1. Reg. c. 6.
f l. 17 de ciu. c. 5.

Hactenus clades; nunc quæ eam immediatè ſunt conſecuta videamus. *Currens autem vir de Beniamin ex acię venit in Silo in die illa*, illa ipſa videlicet die, qua malè pugnatum eſt, & quidem in ſignum maximi mœroris & luctus, *ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput.* Sicut amici Iob [g] eo primum in ſtatu luctuoſiſſimo exclamantes plorauerunt, ſciſsiſque veſtibus ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum. Hunc fuiſſe Saulem propterea dixerunt Hebræi, quia is de tribu Beniamin fuit; adeo iſtis placet leuiculas ſectari coniecturas. *Dicunt Hebræi* ait Lyranus, *iſtum fuiſſe Saul qui capta arca, videns tabulas teſtimonij in manibus Goliath Gethei, quas in Arca acceperat, abſtulit eas de manibus eius, & fugiens reportauit eas in Silo.* Copioſius etiam biblicus quidam Philo fabulatur. Ait enim in hac pugna fuiſſe Goliathum illum Philiſthæum, eúmque pugnãdo ad Arcam vſque veniſſe, apud

g Iob. 2. 11.

quam erant Ophni & Phinees filii Heli, & Saul filius Cis; & illos quidem à gigante manu ſiniſtra interfectos fuiſſe; dextra vero correptam Arcam: Saulem porro, quia leuis erat pedibus, fugiſſe in Silo, & renunciaſſe acceptam cladem.

XXIII. *Improba-ur.*

Quæ ſanè temporibus refelli non poſſunt. Goliathi enim, & Saulis ætas, ſatis huic narrationi congruit, vt ſequentia demonſtrabunt; redolent tamen apertè poſteriorum Rabbinorum officinam, & in fabulis à Toſtato numerãtur.[a] Nec credibile eſt apertam, vt docet[b] idem, eo tempore ſaltem, à Philiſthæis arcam; à qua ſibi vehementer timebant, & quam mox honorificè tractarunt, collocantes in templo Dei ſui; nec probabile eſt Saulem tunc adoleſcentulum, auſum inuadere Goliathum, & clauam de manibus Herculis extorquere, qui poſtea Rex,[c] in pleno ætatis robore, ſibi ab eo male metuebat. Ioſephus certè,[d] qui alia multa & ipſe excogitauit, hoc tamen non vidit. *Hanc cladem*, inquit, *& arcæ captiuitatem poſtquam in Siluntem Beniamita quidam iuuenis 4 ægrè ſeruatus è prælio, renunciauit, tota vrbs repleta eſt luctu*; *vlulauit* ait Scriptura *vniuerſa ciuitas*; Nimirum iuuenis cum eiulatu ad portam vrbis, & per vicos omnibus obuiis dicebat, periimus, conclamatum eſt, arca Dei capta eſt; quæ ſinguli cum ingenti animi dolore excipientes, clamores cum nunciis, nam alii ſuper alios fuga lapſi, eadem nunciabant, lacrymáſque confundebant. Cúmque alii alios lamentabile nuncium edocerent, tota re pene momento peruulgata *vlulauit ciuitas vniuerſa*.

a q. 18. in c. 4. 1. Reg.
b q. 2. in c. 6
c 1. Reg. 17. 11.
d l. 5 ant c. vlt
4. 𝔛.

Luctus ci-uitatis.

XXIV. *Sollicitudo Pontificis.*

Interea autem Heli, cuius vt oculi caligabant, ita & aures, vt fit, obſurdeſcebant, *ſedebat ſuper ſellam contra viam ſpectans*, eam ſcilicet viam, qua iter erat ad prælii locum, æſtuans incredibili ſolicitudine, non tam pro filiis, etſi eos ſciebat vna, eademque die morte violenta perituros, & merito æſtimare poterat, hanc ipſam eſſe decretoriam illam diem: Nec pro populo, licet eius priorem didicerat cladem, infauſtum poſterioris omen, ac triſte præludium. Sed *erat cor eius pauens pro arca Dei*, quam inuitus ex vrbe, populi ac maiorum natu voluntate dimiſerat; reformidans, vt mens malorum præſaga eſt, ne fortè Dominus ſacerdotum, ac populi ſceleribus offenſus, eam in oſtium poteſtatem venire pateretur, in qua communis omnium ſalus, & totius populi gloria vertebatur: quáq; amiſſa, de religione ac ſacerdotio actum eſſe videbatur, imo reipſa repudiati, ac relicti videri poterant à Deo ipſo, ad eorum hoſtes infenſiſſimos tranſeunte.

XXV. *Addiſcit cladem.*

Etſi autem obſurdeſcebant præ ſenio Pontificis aures, audiuit tamen ſonitum clamoris: multis iam clareſcentem locis, dixitque, *quis eſt hic ſonitus tumultus huius?* & diſſimulantibus fortaſſe domeſticis, & fatalem ſeni plagam imponere formidantibus; adductus eſt coram ille ipſe nuncius, qui primus ciuitatem dederat in tumultum. *At ille feſtinauit, & venit, & nunciauit Heli.* *Ego*, inquit, *ſum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie.* Iam fugæ mentio delibat calamitatem, & perſonæ conditio narrationi præſtruit fidem. *Cui ille ait, Quid actum eſt, fili mi?* *Reſpondens autem ille, qui nunciabat. Fugit*, inquit, *Iſrael coram Philiſthiim. & ruina magna facta eſt in populo*; *Inſuper & duo filij tui mortui ſunt, Ophni & Phinees, & arca Dei capta eſt. Cumque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt.* Decimo ſecundi menſis die, vt in Hebræorum calendario notatum eſt, Is enim dies, tot cladibus, ac funeribus cumulatus, ieiunio à Iudæis deinceps celebratus eſt.

XXVI. *Et à caſu diſtinguitur*

Intelligi porro poteſt ſublimiorem fuiſſe thronum, in quo ſedere ſolebat Pontifex, ſiue ad iudicandum, ſiue ad capiendam quietem. Id affirmat Ioſephus.[e] *Eli Pontifex*, inquit, *qui ad alteram portam ſublimis in ſella ſedebat, audito eiulatu, ſuſpicatus id quod erat, noui aliquid mali ſuis accidiſſe, iuuenem accerſit. Cúmque audiſſet euentũ prælij, tam militum, quam filiorum cladem, ſatis æquo animo tulit, vt qui Deo prænunciante, iam ante hæc præſciuerat. Solent enim longe grauius afficere, quæ præter expectationem accidunt. vt autem etiam Arcam in hoſtium poteſtatem veniſſe cognouit, inſperato malo ictus, & doloris impatiens, prolapſus è throno exhalauit animam.* περιαλγήσας, ἀποκυλισθεὶς ἀπὸ τοῦ θρόνου, τελευτᾷ. vehemẽti dolore affectus, deuolutus è throno mortuus eſt; & quidẽ fractis ceruicibus, vt in Hebræo, ac vulgata legimus: in Græcis autem fractis ſcapulis. quomodo habet etiam S. Chryſoſtom.[f]

e l. 5. ant. c. 12. ἐφ᾽ ὑψηλοῦ θρόνου.

XXVII. *Vſq; mo-...*

f l. 3. contr. Vitup. v. m.

Nimirũ ad tam triſte nunciũ, lingui animo cœpit & corpore, cor eius elãguit,

& frigido vultum ſudore madens de ſella retrorſum cecidit, iuxta oſtium. Chryſ. l. c. σκοτωθεὶς ὑπὸ τῆς ἀθυμίας ἔπεσεν ἀπὸ τοῦ δίφρου. prę mœroris magnitudine obtenebratus cecidit à ſella. Ex quo intelligitur, neque ſublimen hanc fuiſſe cathedrã; neque iudiciarium thronum, & ſi id ad captandam probabilitatam Ioſephus ſẽſiſſe videatur, quem ſequitur de more Zonaras; ſed ſellam ſatis humilem, quæ retro nihil haberet quo dorſum inniti, & caſus à tergo prohiberi poſſet; vt ex ipſa ſcriptura, & Abulenſis interpretatione liquet; qui tamen ſedem altam fuiſſe putat, vt cadens totus ſupra caput incumberet; ſed ſeni ſemineci, non fuit neceſſarius ex alto caſus. Ne quis autem doloris impatientiæ hanc ruinam tribueret, ſubiecit ſcriptura[a]. *Senex enim erat vir & grandæuus*, octo ſcilicet & 90. annorum, vt paulo ante dixerat. De quibus Iſraelitas annis 40. iudicarat. Vt ſcilicet caſum corporis infirmitati, non deſperationi tribueremus.

[a] c. 4. 15. 18.

XXVIII. *Anni vitæ, & magiſtratus Heli*

Hæc eſt chronologia vulgatæ editionis, cum Hebræo textu omnino conſpirantis, Chaldeóque paraphraſte. At 70. in vtraque annorum Heli periodo videntur diſſentire. Nam, vt ſuperius quoque attigimus, [b] in priore illa rotundum 90. annorum numerum poſuerunt; quo modo legit iampridem S. Ignatius in epiſt. ad Magneſianos, & reliqui Græci patres, tametſi in Theodoreto typis edito anni duntaxat 6. & 80. reperiantur, [c] errore non dubio. In duobus quippe manu ſcriptis legimus ὀκτὼ καὶ ἐνενήκοντα, vt in Hebraico fonte.

[b] a. m. 2913. n. 1. & 2.

[c] q. 12 in 1. Reg.

Alteram periodum controuerſam facit Euſebius in chronico, qui ait in Hebræorum libris inueniri Heli iudicaſſe populum annis 40. in ſeptuag. vero interpretatione 20. quod Syncellus apud Scaligerum refert ab Africano mutuatum. S. quoque Chryſoſt. l. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ, ait Heli 20. annis iudicaſſe Iſraëlem; eãdem eius ſacerdotio diuturnitatem tribuit Seuerus Sulpicius. Comeſtor [d] ait etiam in Paralip. haberi Heli iudicaſſe Iſraelem 20. annis. 5 quod fieri nequit, niſi velimus ſcripturam ſibi repugnare. Verum nuſquam, fere nunc reperitur in Septuag. ille numerus, qui Euſebio probatus non eſt, vt qui dederit Heli annos expanſos 40. & ante eum Clemens Alexandrinus, [e] & ante vtrumque Ioſephus l. 5. extremo [f] cui adde chronicon Hebræorũ c. 13. Euſebium autem ſequuntur S. Auguſtinus, Beda, Iſidorus, Gregorius magnus, [g] qui in vtraque annorum periodo ſuo more Philoſophatur, Comeſtor, Cedrenus, Zonaras, Marianus Scotus, Hermannus contractus, Freculphus, & omnes ad vnum recentiores. ne operam in numerandis ponamus non neceſſariam.

Græc Lat. p. 458.

[d] l. 5. c. 6.

5 χ eſt in bibl. Sixti.

[e] l. 1. Strom c. 21.

[f] l. 5. Ant. c. 11.

[g] l. 3. in Re. c. 2. vide Canũ de locis l. 11. c. 5. ad 11.

XXIX. *Quæſtio de Heli ſalute; & qui eũ damnare videantur. Chryſoſt. Theodoret.*

Illa potius quæſtio operam noſtram deſiderare videatur, de qua [h] plerique Patrum quæ eſt de æterna Heli ſalute, diuerſa ſcripto prodiderunt. Nam Sanctus Chryſoſtomus, quem ſupra retulimus. [h] ait ob neglectam filiorum correctionem ipſum cum illis vnà periiſſe μετ' ἐκείνων ἀπώλετο. & infra, *Cumque improbè, & intempeſtiue filÿs parceret, & ſuam ſimul & illorum ſalutem perdidiſſe.* καὶ τὴν ἑαυτοῦ προσαπώλεσε σωτηρίαν. & rurſum, ipſum ait quamuis alioqui virtute prædictum, nihil excuſare potuiſſe quo minus, & miſerè, & infœliciter periret: contemptuſque illius ſcelus, inſtar fluctus tetri & ingentis, cunctas eius virtutes tranſiliſſe, vniuerſáq; eius rectè facta, ſua magnitudine operuiſſe. Theodoretus [i] ait Heli propter filiorum ſuorum prauitatem, τὴν πανωλεθρίας ψῆφον. exitij accepiſſe ſententiam. Gloſſa ordin. in ea verba; *Porro filÿ Heli, filÿ Belial.* poſt aliqua de ipſorum filiorum malitia recenſita, ſubdit, *Vnde & Heli pro eorum iniquitate damnatus eſt, quia eos minus ſeuera animaduerſione plectebat.*

[h] a. m. 2911. n 7.

[i] 6. q. 11.

Gloſſ.

XXX. *Hormiſda.*

Inhorreſcit fortaſſe animus tuus candide lector, & tinniunt aures in vocabulo damnationis, ſed audi etiam Hormiſdam Papam, in epiſtola, quæ extat apud Illuſtriſſimum Baronium, anno Chriſti 523. [k] *Valde*, inquit, *metuo, & contremiſco illam damnationem, quam ille Sacerdos propter ſtultam indulgentiam accipere meruit, qui pro eo quod filios ſuos negligenter caſtigauit, & eos nec cadere, neque excommunicare voluerit, ipſi filÿ vna die occiſi ſunt: & 30. millia de populo interfecti ſunt: & Arca teſtamenti capta eſt, & ipſe retro cadens, fractis ceruicibus mortuus eſt, & nomen ipſius de libro vitæ deletum eſt; &c.* Explicat hic Pontifex quam damnationem intellexerit, cum ait illum de libro vitæ deletum fuiſſe. Quid magnus Gregorius in Paſtorali; [l] *Quia falſa pietate ſuperatus*, inquit, *ferire Heli delinguentes filios noluit, apud diſtrictum iudicem*

[k] tom. 7. edit. colon.

Grego. magnus.

[l] p. 2. c. 6.

Eucherius. *ſemetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit.* Et in expoſitione primi Regum. [a] *Magnus*, inquit, *nobis timor incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cuius peccata propria nulla referuntur.* Eucherius in eundem librum. [b] *Filii Heli diuina ſacrificia temerantes, peccabant coram Domino, & deridebant per eos multi ſacrificia Domini. Vnde Heli ſacerdos pro eorum iniquitate damnatus eſt, quod eos peccantes minus ſeuera animaduerſione plectebat.* *S. Hieron.* Denique Hieron. in epiſt. ad Sabinianum diaconum, [c] ſignificat Heli ſacerdotem, alioqui ſanctum, de ſolio ſuo corruentem inſanabilem periiſſe. His poſtremo adde, repentinam mortem, atque improuiſam, inferorum ianuam non ſine cauſa cenſeri.

a l. 2. c. 3.
b l. 1. c. 2. fine
c tom. 1. ep 47. ſub. fin

XXXI. *Contraria ſententia probabilior.* Nihilominus dicendum videtur Heli æternę damnationis pœnas euaſiſſe, quod ad illam quidem culpam attinet, nimiæ in filios indulgentiæ: quam tamen vnicam Sancti Hieronymus, atque Chryſoſtomus agnoſcunt. Neque enim impœnitens mortuus eſt, ſed agnouit culpam, & diuino iudicio, tametſi ſeueriſſimo acquieuit, dicens *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* [d] Accedit quod pœnas peccato ſuo debitas luit; dum filios, quos contriſtare noluerat, perdidit; & ſacerdotio, cuius abuſum permiſerat, ſpoliatus; & vita, quam negligenter traduxerat, violenter priuatus eſt ab eo, à quo *non conſurgit duplex tribulatio*, [e] Cũ conſtet impios ac reprobos fere ducere in bonis dies ſuos; quia videlicet tota ſeueritas animaduerſionis diuinæ contra ipſos, illis in inferis reſeruatur. [f] *Calix* quippe, *in manu Domini vini meri, plenus mixto; fæx eius non eſt exinanita, bibent* in ęternum *omnes peccatores terræ.*

d 1. Reg 3. 18.
e Nahũ. 1. 9
f Pſal. 74. 9.

XXXII. *Qui ei ſaueant Theodoret.* Prędictis autem patrum ſententiis alias opponere poſſumus; & illas ipſas, nec incommoda, nec violenta interpretatione explicare. Nam Theodoretus quæſt. 12. in hunc librum, eius animi demiſſionem, quæ non exigua eſt prædeſtinationis nota, vehementer commendat: & pietatem in addiſcenda diuina denunciatione, & obedientiam in admittenda, ſubeundáque lata contra ſe, filios, domúmque ſuam vniuerſam ſententia. *Laude dignam*, inquit, *emiſit vocem, Dominus faciat quod in oculis ſuis placuerit. Quin etiam cum filiorum ſuorum cognouiſſet cædem, non puſillo, & abiecto animo id tulit, & Pater, & Senex. Cum autem accepiſſet Arcam Dei captam fuiſſe ab hoſtibus, è ſella decidens, ingenti animi mærore confectus vitæ finem accepit.* *Abulenſis.* ſic ipſe. Cui conſentiens Abulenſis in ea verba. [g] *Cùmque ille nominaſſet Arcam Dei*, ait Senem ad nuncium Arcæ captæ elanguiſſe corde, & non remanſiſſe in eo ſpiritum, ac totum velut palpitantem defeciſſe, & quamuis fuiſſet ætate iuuenili, morte tamen ſua libenter Arcæ captiuitatem fuiſſe redempturum. *Ideo nemini dubitandum eſt*, inquit, *circa ſtatum Heli, ſicut de filiis eius, & quibuſdam aliis. Nam iſtud deſiderium, & zelus maximus religionis, qui cum charitate erat, eo quod propter Deum erat, liberare poterat illum ab omni crimine, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* *Lyran. Carthuſ. Serar.* Eadem ſentit Lyranus, [h] & Carthuſianus ar. 7. & Serarius.

g poſt q. 18. in c. 4.
h in c. 4. ſub finem.

XXXIII. *Eumque laudent.* Quid quod a nonnullis ſanctorum egregiis titulis honoratur? S. Hieronymus, quem paulo ante laudaui, ait Heli ſanctum fuiſſe ſacerdotem, S. Gregorius, vita propria iuſtum. S. Chryſoſt. [i] virum in primis moderatum, ac probum appellat, cui nihil habuerit Deus, quod crimini daret, præter filiorum neglectionem, in cæteris admirandum extitiſſe. Seruum Deo fidelem ac gratum. virum grandæuum atque honorabilem; qui ſine querela genus Hebræorum rexerat. Theodoretus pietate præditum, ac rectè factis ornatum. quæ illi verba nunquam de homine, quem putaſſent reprobum, quique malè periiſſet, dicturi erant.

i l. 3. contra vit. v. m.

XXXIV. *Explicantur patrũ ſententiæ, Chryſoſt.* Nec tamen hi patres ſecum pugnare conſendi ſunt. Quod enim idem S. Chryſoſtomus de perdita Heli ſalute dixit, id de corporis ſalute, ac vita dixit; idque appertè docent, quę ſequuntur; Ait enim iſtiuſmodi patribus, qui nil tale perpeſſi ſunt, quale Heli; prouidendum eſſe, ne ſeuerius etiam quam ille puniãtur; moxque alterius vitæ mala proponit. vbi inter alia. *Plurimi igitur, vt dixi, eiuſmodi multa perpeſſi ſunt. Sin vero aliqui effugiſſe forte viſi ſunt; iſti non in finem penitus, ſed in capitis ſui malum effugerunt. Acerbiores enim, ac longè diriores, cum exceſſerint è vita, pœnas luent.* & iterum. *Ne plurimi ex dilatione iudicii pigriores fiant, aſſumit interim Deus quoſdam pecatis obnoxios. eoſque hic pœnis excrucians, per illos admonet reliquos, quænam ipſos, quantaque ſupplicia maneant. vtque addiſcant, quod etſi hac in vita nulla animaduerſione plectantur, poſt eius tamen exceſſum punientur, & quidem longè grauius, ac durius.*

Quod autem ait idem Chryſoſtomus negligentiam Heli omnes eius obruiſſe virtutes: intelligendum eſt, eas ad pœnam ei deſtinatam diuinitus in hac vita, tollendam nihil valituras, ſicut de muneribus, & ſacrificiis Dominus dixerat, propter decreti immutabilitatem. Id voluit D. Hieronym. cum ait Heli inſanabilem periiſſe.

Theodoreti autem exitium eodem modo accipiendum eſt, de malis videlicet vitæ eius, ſicut & gloſſæ damnatio; ſicut Eucherii quoque, ac magni Gregorii, ex quo illa ſumpta videtur. Idque ex illo ipſo Gregorio probari poſſe videtur. Nam in eadem expoſitione primi Regum [a]. *Heli*, inquit, *vita propria iuſtus, ſed authoritate paſtorali remiſſus, à viro Dei audiuit, Pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem peruenerit: veruntamen non auferam penitus ex te virum ab altari meo; vt ſacra Scriptura hic apertè monſtraret, & pro diſſolutione percuſſum, & pro præterita conuerſatione reſpectum*; qui reſpectus ad præſentem vitam Heli non pertinet; imo neq; poſterorum eius, vt ſupra dicebamus; [b] pertinet ergo ad futuram.

Ad Hormiſdam vero non ſanè video quid facile reſponderi poſſit; niſi obiter exempli cauſa id à Pontifice dictum eſſe; nec facere rem de fide. Quomodo autem potuit mors improuiſa eſſe in ętate decrepita hominis Deum timentis? & in tempore belli, & poſt cladem acceptam, & in pauore alterius imminentis?

Neque verò idem de filiis, quod de patre dicendum videtur; Eorum quippe mortem improuiſam faciebat ætas florens, & fiducia in Arcæ pręſentia; cumq; eorum culpa legatur, pœnitentiæ nullum vſquam veſtigium reperitur. Et poſſumus Abulenſi, bene de filiis Heli ſperanti opponere Dionyſium, in ea verba, *Et non audierunt vocem patris ſui*; [c] *Auribus cordis*, inquit, *id eſt increpationi, & iuſſioni ſui patris non acquieuerunt, quia obdurati erant conſuetudine vitioſa.* Et paulo poſt. *Hi ergo non obtemperauerunt patri ſuo; quia Dominus voluit eos occidere, quod tam vitioſi eſſent, vt gratiam, ſine qua nemo conuertitur, eis iuſtè ſubtraheret. Nec tamen propterea ad vitia neceſſitate ferebãtur, cum eſſent liberi arbitrii compotes. Et ſi feciſſent quod erat in eis, non fuiſſent à Deo derelicti. Idcirco eorum damnatio non eſt Deo imputanda. Et quoniam Deus præcognouit filios Heli per temporalem pœnam non conuertendos, voluit eos etiam morte infernali occidere.* Ita Dionyſ. quo cum videtur ſentire Lyranus, licet rem minus explicet.

Gregorius autem minime obſcure[d]. *De reprobis vero ſubiungitur*, inquit, *Et non audierunt vocem patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos. Qui vult peccatorem viuere v. conuertatur, ſi hunc inconuertibilem diuina præſcientia noſcit, occidit. Vult ergo Dominus occidere, ſed eos quos prænoſcit conuerti nolle*, & paulò poſt. *Dum ergo occidere velle dicitur, peccatorum impietas maxima, & inemendabilis oſtenditur, quæ voluntariè diuinæ iuſtitiæ executione puniatur.* Et alio in loco in ea verba, *Quis orabit pro eo? Quis ei interceſſo. remanet, cum ille ſe transgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro aliis ordinatus eſt? Qu. profectò culpæ magnitudo monſtratur; quia plerique eorum à Domino in impœnitentis cordi. caliginem proiiciuntur, & nulla hominis adhortatione reſipiſcunt; Quare aptè ſubiungitur non audierunt vocem patris ſui &c.* Ecce D. Gregorius iſtos filios Heli in exemplum reproborum ponit, & eorum qui in impœnitentis cordis caliginem proiiciuntur; quæ certiſſima via eſt ad damnationem æternam. Et de his hactenus, nunc quę de Heli ſuperſunt paucis expediamus.

Nurus autem eius, [e] *vxor Phinees prægnans erat, vicináque partui & audito nuncio quod capta eſſet Arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus*, adde & Leuirum, ſiue fratrem mariti ſui, & triginta millia de populo, in quo vt in honoratis familiis plerique eam conſanguinitate, atque affinitate contingebant, *incuruauit ſe, & peperit*; idque non ſponte ſua, & quaſi ſibi mortem acceerſens, ideóque ſubditur *irruerant enim in eam dolores ſubiti*, ex magnitudine ſcilicet inſperatæ calamitatis immenſęque triſtitiæ cor eius obruentis, & omnia eius viſcera conturbantis, ac celeratus eſt partus ſiue maturus, ſiue immaturus, vt aiunt Abulenſ. & Lyranus Vatablus autem & ante eum Abulenſ. illud *incuruauit ſe* interpretantur decubuit, & compoſuit corpus ſuum in modum parturientis, non ex voluntate partus per vim abigendi, ſed cedendi neceſſitati naturæ.

Ioſephus hunc partum ſeptimeſtrem fuiſſe dicit, & tamen vitalem. *Eadem di.* inquit, [f] mortis ſcilicet Heli, & fortaſſis eadem ipſa hora, qua tota clamoribu. & eiulatu confundebatur domus, *Phineenſis quoque alterius è filijs vxor obiit, no*

a in c. 14. ... ol. 1075.

b an. mun. 912. n. 12.

upra n. 20.

c c. 2. v. 25.

d l. 2. expoſ. in 1. Reg. c. ...

bid c. 5.

e c. 4. 19. 1. Reg.

f l. 5. c. 12. & vlt.

Sept. habuit ταγμάτων, militum in ſuos ordines redactorum. nec Ioſephus pedites dixit aut equites; habet enim tantum τρισμυρίους. triginta millia, bellatorum ſcilicet. Vocantur pedites, ait Abulenſis q. 16. in hoc c. 4. quia
Iſraelitæ pedites. omnes Iſraelitæ tunc erant pedites, nec in vſu habebât ex equis, aut curribus pugnare. Itaq; per antitheſim de Ægyptiis canebant; *hi in curribus, & hi in equis, nos autem*, qui ſcilicet vtriſque caremus, *in nomine Dei noſtri inuocabimus.* tangit autem cauſam, cur curribus, & equis abſtinerent; ne ſcilicet in præliis eis potius, quam auxilio diuino confiderent, vide pluribus Abul. l. c.

4.N.XXIII Iuuenem vocat Ioſephus, huiuſmodi enim curſores ſunt, & nunciis ferendis idonei; Scriptura virum de Beniamin vocat in Latino, Græco, Hebræoque textu; nec alia vis iſti vocabulo quam ſi dixiſſet, *quidam*, vt aliqui verterunt. Et certe ſi Saul fuit, vtique iuuenis, imo adoleſcens fuit.

5. Numer. XXVIII. Si quis probabiliter illos 20. annos tueri vellet, dicere poſſet 20. annos poſt Samſonis mortem ſine iudice fluxiſſe; qui tamen annis Heli aggregentur, vt in ſuperioribus Iudicibus non ſemel contigit; & poſſet id dici ſine errore, in tota annorum ſumma. Verum cum Scriptura hoc loco, linguis omnibus cõſentientibus, dicat Heli 40. annis iudicaſſe Iſraelem, Ioſepho etiam conſentiente, id nõ videtur dicendum: non enim ad diuerticula, niſi impedita via regia, diuertendum eſt, nec ſubtiles explicationes, & callidæ, vbi nihil eſt difficultatis in plano & aperto textu.

Illa porro vltima verba capitis quarti; *Eo quod capta eſſet arca Dei*, non mulieris, ſed Scri- 6.N. XLI.
toris ſunt in editione noſtra, vt notarunt Vatablus, & Emanuel Sa. quod Abulenſis non videtur animaduertiſſe: in Hebræo autem, & Septuaginta, videntur eſſe ipſiuſmet puerperæ; quod vult etiam Caietanus. Cæterum quo die interiit Heli, aiunt Rabbini in chronico ſuo, c. 13. initio. *Dominus deſeruit Tabernaculum Silo, & repulit tentorium Ioſeph.* quia ſcilicet Silo erat in tribu Ephraim filii Ioſeph, vbi à Ioſue olim collatum fuerat tabernaculum. Ioſue 18. 1.

In prophana hiſtoria, altum hoc loco ab Euſebio ſilentium.

Quartæ Ætatis, quæ eſt Iudicum, finis.

QVINTA MVNDI AETAS, QVAE EST REGVM HEBRAEORVM.

ANNVS MVNDI 2940. DILVVII 1284. QVINTÆ ÆTATIS 1. EXITVS ET DATÆ LEGIS 397. ARCA APVD Philisthæos. Samvelis Ivdicis 1. Achitobi Pontif. 1. Isai 61. Excidii Troiani 70. Thinæi 20. Imperii Assyriorvm 1009.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1113.

I. *Proluſio ad quintam ætatẽ mundi.*

ABſolutis aliquando, diuino fauente numine, quatuor mundi ætatibus; iuxta eam diſtributionem, quam primo tomo notauimus[a], ac ſecuti ſumus, in quintam vt alacriores ingrediamur, eos imitemur licet, qui in montem altiſſimum conituntur; qui vbi bonam itineris ardui partem confecerunt, fixo parumper gradu, ſpiritum reſumunt, liberiuſque reciprocant: ſimulq; reſpectantes ad radices vſque montis, quæ iam fuerint emenſi, non ſine voluptate oculis, animóque remetiuntur.

1. Infantia *2. Pueritia* *3. Adoleſcentia.* *4. Iuuẽtus.*

Vides ergo, erudite lector, primam illam mundi ętatem, quam infantiam dicunt, quæ Adami fuit, & primorum Patriarcharum; ea 1656. annorum fuit; quam emenſi, ad alteram venimus eiuſdem mundi Pueritiam, quæ fuit Noë, & poſteriorum Patriarcharum 382. annis definitam[b]. Tertia fuit mundi adoleſcentia, quam à nobiliore parte, Abrahæ dicamus, & Hebræorum, annis 425. comprehenſam. Quartam ætatem, mundi iuuentutem vocemus, ſi placet, ea Moſis fuit, & Iudicum populi Dei, quæ & 476. annis circunſcribitur. Quæ omnes ſimul coniunctæ, egregiè præſenti anno mundi, quo quintam inchoamus reſpondent.

II. *5. Virilis.*

Qvinta igitur ſequitur virilis ætas, in qua corpus humanum pleno ac perfecto robore fruitur, ſicut populus Iſraelitarum ſub Regibus ſuis, Dauide in primis, atque Salomone; Erit ergo hæc Regum ætas, ducémque habebit Dauidem Samuele & Saule regnum potius pręparantibus quam inchoantibus; & ad ſolutam vſque à Cyro captiuitatem per annos 576. protendetur, annis captiuitatis ad eandem ætatem relatis; nam & noctes ſuis diebus naturalibus annumerantur.

6. Senectus. *7. Decrepita.*

Sexta demum erit Zorobabelis, cæterorúmque principum ac ſacerdotum, in Hebraici populi ſenectute, imo & orbis ipſius, tot imperiis collapſis, & ipſo quoque Romano collabente, anniſque cenſetur omnino 536. Septima eſt Chriſti ætas, & tempus Euangelii, quam non iniuria ætatem mundi decrepitam vocabimus; eam enim S. Euangeliſta[c] *nouiſſimam horam* vocat, Petrus *nouiſſima tempora*, Paulus *plenitudinem temporum*; quam diuturna vero futura ſit iſthæc ætas, is ſolus nouit, qui nouit omnia. Nam octauam æternam fore, in cælis, vel in inferis, omnes norunt, qui verum Deum norunt.

8. Æternitas.

III. *Cur hinc quinta inchoetur.*

Congrvvm autem fuit hinc ætatem quintam, quam Regum appellauimus, exordiri; à Samuelis inquam magiſtratus initio; tametſi aliquot adhuc annis Saulis inauguratio differenda ſit. Quoniam vtriuſque tempora valde coniuncta ſunt, & ęgre ſeparari poſſunt, & Paulus Apoſtolus vtriuſque annos ſimul extulit, dum Sauli annos tribuit 40.[d] quos & Euſebius omnino coniunxit in chronico, quem poſteriores Chronologi fere ſecuti ſunt, & magna ex parte Ioſephus;[e] ait enim Samuelem cum Saule annis octodecim Reipublicæ præfuiſſe, ſolum autem duodecim, ſed de iſta Ioſephi chronologia alio loco viderimus. Quin & Philo in libro de Temulentia,[f] Samuelem, vtique propter ſimul regnantem Saulem, Regibus annumerare non dubitat. Clemens Alexandrinus Saulem non ſolum cum Samuele, ſed cum Heli etiam regnaſſe tradidit. σὺν οἷς Σαὺλ ἐβασίλευσεν ἔτη εἰκοσιεπτὰ καταχώς. ſed hic annorum numerus ſine dubio

a ann. mun. 2463 n. 16.
b a m. 2039. n. 2.

1. 1656.
2. 382.
3. 425.
4. 476.
5. 1.

2940.

5. 576.
6. 536.

4052.

c 1. Ioa. 2. 18. 1 Petr. 1. 20. Ephe. 1. 10.
d Act. 13. 21
e l. 6. ant. c. 14.
f Græc. Lat. p. 200.

mendoſus eſt, quod ego non moror hoc loco: ſicut nec regni Saulis cum ipſo quoque Heli coniunctionem, illud tamen hic non omiſerim commodùm contigiſſe vt hic primus quintæ ætatis annus in annum ſabbaticum incideret 51. quod conuenit etiam cum ſupputatione Tornielli.

MORTVO porro Heli, eiuſque filiis; & repub. Hebræorum, Iudice ac Pontifice, in vnius hominis interitu destituta, nemo admodum erat in vniuerſis Iſraëlitarum tribubus, in quem populus libentius oculos coniiceret, quam in vnum Samuelem; qui iamdudum Propheta audiebat à Dan Berſabee, [a] & annum agebat ætatis pene quadrageſimum: licet eum aliqui hoc tempore adoleſcentem, ſi ſuperis placet, fuiſſe putent; vt Dionyſius; [b] & Abulenſis, [c] qui ait Heli mortuum eſſe, quum Samuel eſſet ſatis paruæ ætatis; quæ ex ſupra dictis anno primo Heli iacere neceſſe eſt. [d] nec erat rerum gerendarum inſolens, qui vltra annos 35. cum Heli totius populi Iudice, atque Pontifice familiariſſimè vixerat; adde quod præter vitæ innocentiam, multis iam magniſque virtutibus, in oculis populi clareſcebat. Poſtremo vxore iam auctus erat, & liberis; vt ante dixi [e] ad quod fatendum, licet annum certum aſſignare nequeamus, compellit, quod filii eius aliquandiu Iudices fuerunt, antequam Saul eligeretur in regem, aut Rex omnino flagitaretur, vt ex c. 8. conſtat [f].

MORTVO itaque Heli Samuel ad totius gubernationem communibus ſublectus eſt votis atque ſuffragiis, qua de re nulla eſt apud quemquam quod ſciam dubitatio; omneſque chronologi Samuelem Heli immediatè ſubſtituunt, cum Euſebio, & Alexandrino Clement. Hunc autem Heli, ex cepit Samuel Prophetes, quod tamen à Ioſepho diſſimulatum videtur, aut obliuioni traditum. Certe id Scriptura non obſcure ſignificat, *iudicabat*, inquit, *Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ*; nimirum à morte Heli fuit politicus in Republica princeps, ſicut Gedeon, & Samſon, & cæteri; à morte inquam Heli, nam eo viuo, priuatus fuit, neque negotium publicum geſſit. quandiu autem eam exercuerit poteſtatem, & an regnante Saule, ſub quo eum conſtat magna præditum fuiſſe auctoritate, ſuo loco dicetur. Sed fuerit ne etiam Pontifex nec ne, & ſi non fuit, quis tandem Heli in Pontificatu ſucceſſerit, non exigua eſt dubitatio, quæ non facile ex ipſa Scriptura, vel Ioſepho dirimi poteſt.

SVNT qui Samuelem ſummum ſacerdotem, ſimul & Iudicem ſcribant, in primiſque S. Auguſtinus, [g] *Nam & Heli*, inquit, *Sacerdote reprobato, Subſtitutus eſt in Dei miniſterium Samuel, ſimul officio functus Sacerdotis, & Iudicis.* Nec mutat ſententiam in Retractationum libro, [h] ſed confirmat potius, aitque eum fuiſſe ex filiis Aaron. Et contra fauſtum Manichæum, [i] *Nonne ab ipſo exordio*, inquit, *commutatum eſt ſacerdotium in Samuelem, reprobato Heli, & commutatum regnum in Dauid reprobato Saule.* Ergo ex ſententia S. Auguſtini, vt iſti ambo reges veri fuerunt, ſic & ambo illi viri Pontifices. Et rurſum in Pſal. 98. *factus eſt Samuel ſacerdos magnus, ſacerdos ſanctus illo tempore.* Sanctus Gregorius in expoſitione l. 1. Regum, cum non ſemel Pontificem vocat. Anna apud S. Chryſoſt. [k] ait ſe labores ſuos in Dei Sacerdotis educationem impendere, & rurſum ſerm 2. & 3. Chryſoſto. eum Prophetam vocat, ac ſacerdotem. In epiſtolam autem ad Hebræos eundem Pontificibus aggregat. S. Ignatius epiſt. 3. ad Magneſianos, eum Pontificem, ſiue ſummum ſacerdotem vocat, ſicut & S. Clemens in conſtitutionibus Apoſtolicis [l]. Cedrenus ait Samuelem Heli in ſacerdotio, & populi gubernatione ſucceſſiſſe. quod Sulpitius quoque Seuerus exiſtimauit, & Adrichomius in chronico ſuo [m].

NIHILOMINVS Samuelem non fuiſſe ſacerdotem, ex eo certiſſimum eſt, quod in lege Moſaica ea dignitas vni familiæ Aaronicæ alligata erat, ad quā minimè dubium eſt Samuelem non pertinere, vt alibi demonſtratum eſt [n] & ſcriptura ipſa dubitare non ſinit, [o] ex qua idipſum S. Hieronymus profitetur diſputans contra Iouinianum, & author qq. vet. Teſt. q. 46. & autor quæſtionum ex vtróque teſtam. q. 46. eique veritati omnes nunc qui rem accuratius inſpexerunt, vltro aſſentiuntur, nominatim Abulenſis, Bellarm. Genebrad. Serarius, Ioan. Arboreus Theoſoph. l. 17. c. 4. Torniellus.

a l. 1 Reg. c. 3. 20.
b in 1. Reg. 13.
c in c. 1. l. 1. Reg. ante q. 13.
d n. 18. & 19.
e a. Heli 27.
f 1. Reg. 8. 4. 5.
l. 1. Strom. 1. p. 140.
g l. 17. de Ciuit. c. 4.
h l. 2. c. 43.
i l. 12. c. 33.
k ſerm. 1. de Anna verſus finem
l l. 8. c. 1. & 46.
m a. m. 2850
n an. mun. 2889 n. 4.
o 1. Par. 6. 34.

Samuelis Sacerdotium. Cap. 1.

MINIME tamen improbanda eſt Sancti Hieronymi ſententia, ſcribentis in primam Corinth. vbi ſic legitur. *Et pſalmiſta dicit, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius. Quem ſacerdotem fuiſſe illa res probat; quia & ſacerdoti ſucceßit, & hoſtias offerebat. De quo etiam ſecundum hiſtoriam dictum eſt, Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem. Qui quamuis non ſit ex genere Aaron, tamen de tribu Leui eſſe in Paralip. legitur; quia ipſe hunc conſtituit, qui & illum. Ita enim Aaron elegit, vt alios poſtea eligendi non amiſerit poteſtatem.* Hæc Sanctus Hieronymus volens Samuelem priuilegio diuino factum extra ordinem ſacerdotem: quo fere modo Paulus factus eſt Apoſtolus, etſi in duodenario illo numero non fuerit. Et in hanc ſententiam interpretari poſſumus eos omnes patres, qui Samuelem ſacerdotem dixere. Hoc extraordinarium Samuelis ſacerdotium amplectitur Serar noſter[a]. nec tamen ita Heli ſucceſſiſſe putandus eſt Samuel, vt etiam Pontifex fuerit, nuſquam enim reperitur in Pontificum catalogo; & qui eum ex antiquis dixere Pontificem, ita putauere, quia nullus facile apparebat in Scriptura, qui videretur Heli in Pontificatu ſucceſſiſſe; vtroque præſertim ipſius filio hoſtili ferro interempto. Ecquis ergo proximus ab Heli Pontifex fuerit?

IX. *Inquiritur ſucceſſor Heli in Pontificatu.*

NON nominatur ille quidem in Scriptura, vt dixi; ex ea tamen id recte colligi poteſt, vt ſupra anno Heli 13. explicatum eſt[b]. Cum enim Pontificatus in familia Heli perſeuerarit, vſque ad eiectum à Salomone Abiatharem, & Sadocum ſubſtitutum; neceſſe eſt vt in eadem familia Pontificem inquiramus. Cum ergo duo tantum filii Heli memorentur, Ophni & Phinees; & vterque mortuus ſit eodem ipſo die quo Pater, neuter illi ſuccedere potuit. Ad filios ergo ipſorum Heli nepotes veniendum eſt. De filiis Ophni altum eſt, ac perpetuum in Scriptura ſilentium. Filios autem Phinees inuenimus duos, [c] Ichabod, & Achitob; quorum ille cum eo die natus ſit, quo die pater & auus mortui ſunt, ſi vixit, quod Abulenſis non putat, vt proximo anno diximus, [d] nullo modo potuit idoneus eſſe ad Pontificatum. Supereſt ergo Achitob, primogenitus Phinees, qui ætate quoque ad eam dignitatem non immatura eſſe potuit, cum auum haberet duodecentenarium, & patrem, vt videtur, ſexagenarium.

X. *Videri Achitob eius nepotem.*

ACHITOB ergo proximus ab Heli Pontifex fuit; Itáq; ſentit etiam Sigonius, in 5. lib. de rep. Hebræorum, c. 2. & in ſacra hiſt. Sulpitii, qui & Ioſephum laudat authorem, quod non facile apud eum reperias. Sentit & Torniellus, & Genebrardus in Chron. Serarius in c. 7. primi Regum, Abulenſis in eiuſdem libri c. 14. Achitobi porro geſtæ res in obſcuro manſerunt, eius quippe luminibus claritas Samuelis Iudicis & Prophetæ obſtruxit, qui, vt ait Torniellus, [e] ea quæ ad religionem pertinebant pene ſolus adminiſtrabat. Quandiu autem eum magiſtratum geſſiſſe videatur, in eius obitu dicetur. Ad agnoſcendam vero Pontificum ſucceſſionem in familia Heli, eius ſchema hic breuiter digeramus.

a in c. 7. 1. Reg. q. 1.
b n. 14. & 15.
c 1. Reg. 14. 3.
d n. 39.
e in an. m. 2940. n. 2. In ea verba Portabat ephod.

- Heli Pontifex è familia Ithamaris, ſucceſſit Achitobo Eleazareno, & 40. annis Iudex & Pō-tifex fuit; filios habuit mali nominis duos
  - Ophni, qui videtur fuiſſe primogenitus. an. Heli 34. n. 5. eius nulla in Scriptura memoratur proles. mortuus eſt in bello 1. Reg. 4. 11. 17.
  - &
  - Phinees, qui genuit, vt habetur 1. Re. 14. 3.
    - Achitob ex quo orti ſūt, vide a. m. 2962. num. 8.
      - Achias, cuius eſt mentio, 1. Re. 14. 3. & 18. quidam putant eundē eſſe cum Achimelec. quem Saul cū tota familia iuſſit occidi 1 Re. 22. elabēte.
        - Abiathar 1. Reg. 22. 20 qui diu Pontifex fuit ſub Dauide; in quo ceſſauit pōtificatꝰ in domo Heli, 3. R. 2. 26.
          - Achimeles filius Abiatharis 2. Reg. 8. 1. Par. 18.
          - Ionathan 2. Reg. 15. 27. 36. vid. an. Dauid. 16. n. 6.
    - &
    - Ichabod, qui creditur perbreuis fuiſſe vitæ. vide ſupra, an. Heli 40. n. 39.

Samuelis autem ac Reipub. Hebræorum quis ſtatus hoc tempore fuerit, non eſt difficile diuinare: ſed primum Chryſoſtomum audiamus. [a] *Samuel*, inquit, *cum intueretur magiſtrum in mortem illam miſerabilem deuectum, ita confuſus, atque turbatus eſt, vt decebat gratum, amabilémque diſcipulum. interea & Iudaicas calamitates flere cogebatur.* Et rectè ille quidem. Nam humana prudentia rem æſtimando, niſi Dominus Philiſthæis mentem abſtuliſſet, ne parta victoria vterentur, in ſumma illa trepidatione hominum, ac confuſione rerum, de Repub Hebraica actum eſſe videbatur. Cum enim tribus illā rebus maxime niteretur, Diuino præſidio, Sapientum conſilio, flore iuuentutis, ea ſimul omnia pene conciderant. Nam Arca Domini in hoſtium venerat poteſtatem, & ea tam inopinato caſu priuatus populus, Deo ſe plane carere, atque ab eo derelictum ſe atque abiectum, tranſitione ad hoſtes facta, non ſine cauſa ſuſpicabatur. Summus inſuper Iudex, ſummúſque Pontifex, cum tota prope familia, & multa ſacerdotum, Leuitarúmque turba, quæ Arcam Domini comitabatur, memento perierant. Triginta quatuor hominum millia, robur vtique Reipub. in acie gemino prælio ceciderant, multique de more in ſeruitutem abducti erant. Quid ſpei reliquum eſſe poterat Iſraelitis, niſi Philiſthæi, toti in Arca occupati, obliti illorum fuiſſent?

[a] l. 3. de prouid.

In hac itaque tanta tempeſtate, ac pene naufragio Reipublicæ, omnium oculi in Samuelem intuebantur: qui vt Propheta eximius, Deóque dilectiſſimus, Deum populo conciliaret, propitiumque illi redderet, & rurſus, vt rerum gerendarum non inſolens, ob longam cum Heli conſuetudinem, ad clauum Reip. fluctuantis ſedere vtiliter poſſet, & totius regni vires, ad repugnandum hoſti victori contrahere. Philo Biblicus, cuius non ſemel meminimus, ait Samuelem à prælio, & à Silo abfuiſſe cum capta eſt Arca, & Heli mortuus eſt, quod ante triduum pugnæ à Deo miſſus eſſet in vrbem Amatham, vbi futura erat eius habitatio: audito autem nuncio vehementer apud Dominum lamentatum eſſe, & mortem à Domino propter Arcæ captiuitatem poſtulaſſe. Dominum autem promiſiſſe ſe eam reducturum, & eos qui eam abſtulerant euerſurum, & plebem ſuam de inimicis ſuis vindicaturum. Cúmque Samuel diceret Dominum quidem vindictam ſumpturum, ſed ſecundum longanimitatem ſuam: nos tamen, inquit, qui nunc morimur quid faciemus? reſpondit Dominus breui ſe de eis vltionem ſumpturum. Hęc ex illo Philone, non abſurdè.

Quidquid ſit ſatis conſtare videtur Seniores populi, harum ſimiliúmque rerum conſideratione permotos; accedente inſuper inſpiratione diuina eius, qui ſalutem populi in Samuelis prouidentia, curaque poſuerat, & per eum rem in integrum reſtituere volebat, Samuelem, vt ante diximus, magna omnium ordinū conſenſione elegiſſe. Ipſum autem, cum magna in Deum fiducia, populi curam ſuſcepiſſe, & in ſpem bonam erectum, præſentium malorum remedia

n. 5.

vndique circunſpectaſſe: Populum à trepidatione confirmaſſe, eúmque ad fiduciam in diuina bonitate, ac prouidentia collocandā erexiſſe: ad ſyncerum Dei cultum, huius occaſione calamitatis, accendiſſe; idololatria, aliiſque vitiis, quę negligentia Heli, aut exorta, aut roborata fuerant, extirpatis. Denique munus omne religioſiſſimi, & ſapientiſſimi magiſtratus diligenter executum eſſe. cuius rei iuſtiſſima coniectura duci poteſt, tum ex minime dubia virtute Samuelis, tum ex iis, quæ de eo ſub initia capitis 7. referuntur.

XIV. *Philiſthæi cur Arcam impunè viderint, capiũt, auferunt.*

INTEREA *Philiſthæi tulerunt arcam Domini, & aſportauerunt eam à lapide adiutorij in Azotum*[a]. nec vlla in eos propterea plaga deſæuiit, quod in arca ſiue tangenda ſiue denudanda, parum religioſe ſe gererent; neque enim eos tangebat illa lex[b]. *Hoc facite eis* (Caathitis) *vt viuant, & non moriantur, ſi tetigerint Sancta ſanctorum.* Neque rurſum illa, *Alii nulla curioſitate videant, quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.* vbi autem non eſt lex, neque præuaricatio, in iis præſertim, quæ non prohibita ſunt quia mala; cum ſint natura ſua ἀδιάφορα. ſed mala ſunt quia prohibita. Ideóque Oza, & Bethſamitę, qui vt Iudæi, lege tenebantur, cum eam violaſſent, diuinam ſenſerunt animaduerſionem. Et quamuis lex iſta Philiſthæos obligaſſet, iuſta tamen eos ignorantia excuſaſſet, qui nihil in eam perpetrarent, quod recta ratione damnari poſſet; licet Theodoretus ab eis poſt victoriam deſpectam fuiſſe dicat, honorificè potius tractarent, ſicut eam honore dignam eſſe arbitrabantur: vt diſputat Abulenſis[c] in hunc locum, Nam

[a] 1. Reg. 5. 1. [b] num. 4. 19 20. q. 11. [c] q. 1. 2. 11. in c. 5.

XV. *Et collocant in templo Dagonis. moxque affliguntur, & cur*

TVLERVNT *Philiſthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon* maximi ſcilicet deorum ſuorum; neque ad eius pedes, quaſi victam, triumphatámque abiecerunt, ſed ſtatuerunt eam iuxta Dagon, ſuppari eam cum Deo ſuo honore afficientes. Eos nihilominus poſtmodũ multis grauibuſq; malis afflixit, poſtquã viſa eſt eſſe in ipſorum poteſtate. Primum ne Philiſthæi virtuti ſuæ tribuerent
1. non ſolum victoriam de Iudæis relatam; ſed de ipſo eorum Deo, quem Arca contineri putabant, iuxta illud: *Venit Deus in caſtra*. & rurſum illud, *hi ſunt dii, qui percuſſerunt Ægyptum &c.* quod in magnam veri Dei contumeliam redundabat.
2. Secundò, vt afflicti malis, ab ea violanda, metu grauiorum, abſtinerent.
3. Tertiò vt cogerentur Arcam remittere in locum ſuum; quam alioqui valde optaſſent apud ſe retinere, rati ea ratione Hebræos omni præſidio ſpoliatum iri, ſéque eos facile perpetua ſeruitute oppreſſuros. Nondum autem aderat tempus, quo Deus & Arcam & Hebręos plane deſereret, de quo tempore multo poſt vaticinatus eſt Hieremias Propheta[d].

[d] c. 3. 16.

XVI. *Optaſſent Arcam retinere.*

QVOD autem dicitur Arca deducta in templum Dagonis Philiſthæi, non eſt quod quiſquã in eo templo fallatur, ratus in eodem Samſonem cum Philiſthæis ruina oppreſſos occidiſſe. Id enim templum in Gaza fuit, hoc autem in Azoto; nec mirum primarium Deum, in omnibus primariis vrbibus templum habuiſſe, *Parta de Hebræis victoria*, ait Ioſephus[e], *ſacráque Arca, quemadmodum diximus capta, Palæſtini cum cæteris ſpoliis Azotum eam deferunt, & in fano Dei ſui Dagonis inter donaria collocant.* D. quoque Chryſoſtomus[f], & Theodoretus[g], Arcam quaſi exuuias & opimum quoddam ſpolium aiunt fuiſſe Philiſthæis. ſi forte Deus Hebręorum ſuis iratus, vellet alienigenis eſſe beneuolus. Non enim cæſis Hebræis, Deũ ipſorum infirmum, ſed ipſis iratum eſſe perſuaſum habebant: vt alio quodam tempore[h] Ammonitæ, cum Holofernes perditum iret Hebręos, profeſſi ſunt.

[e] l. 6 ant. c. 1 [f] l. contra Gentiles. [g] q. 13. in 1. Reg. [h] Iudith. 5.

XVII. *Prior Arca pugna cum Dagone.*

CVM ergo Philiſthæi iam ſibi ab Iſraelitarum Deo, & Arca eius, quam tantopere formidauerant, ſecuri viderentur, imo & ab ea ſuis irata præſidium expectarent, quam primum ſenſerunt, quam ea ſibi funeſta eſſet, ac Deo ſuo quem illi Arcæ oblatione, quaſi opimis ſpoliis, honorare voluerunt. *Grande ſpectaculum*, inquit Rupertus,[i] *grande miraculum. Tranſlata ab Iſrael gloria Domini, capta ab Allophylis Arca Domini, victoriam de victoribus verſa vice exigit: primumq; in Deum ipſorum, Dagon, deinde etiam ſuper homines aggrauantur manus Domini.* ſic Rupertus; recto ſane ordine, vt prius ille in ſuo ſimulacro puniretur, à quo omne peccati principium; qui ſibi Domino Deo in eius Arca inſultare videbatur. *Cum ſurrexiſſent*, inquit Scriptura,[k] *Azotii diluculo altera die*, ſacrificuli nimirum Deum ſuum honoraturi, *ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.*

[i] in l. 1. Reg c. 14. [k] 1. Reg. 5. 3

XVII. *Eius conuenientia.*

Hoc initiũ certaminis Arcæ Dei aduerſus Dagonis idolũ; noctu initũ aduer-

ſus principē tenebrarum; & quamprimum initum, ne idoli caſus alteri cuipiam cauſæ, & non Arcæ Dei ab infidelibus tribueretur. Iacebat idolum in ſignum debellandæ à vero Deo idololatriæ: & iacebat pronum in terra, quaſi Arcam inuitus Dęmon adorare cogeretur, qui ſibi à cæcis Philiſthæis adorationem extorquebat: quod obſeruarūt Ioſephus, & Theodoretus. [a] Sacrificuli autem hoc animaduerſo prodigio attoniti, & Dei ſui honori conſulentes, bene mane, antequā ignominioſa deiectio Dei ſui vulgaretur, *tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum.* Et fortaſsè ſtupidi hanc ignominiam non agnouerunt, ſed fortunæ vel caſui rem attribuerunt. Verum quamprimum prouidit Dominus, vt ne ignominia aduerſarij ſui cælari poſſet. ſequitur enim.

a l. 6. ant. c. 1. q. 13. in 1. Reg.

RVRSVMQVE *mane die altera conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra, coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* Quomodo remanſerat in loco ſuo, ſi iacebat ſuper faciem ſuam in terra? Abulenſis quem ſequitur Serarius, locum ſuum interpretatur, locum in quo fuerat deiectus coram Arca ad adorandum illam, quem ſcilicet iam bis occupatum proprium ſibi ac ſuū feciſſe videbatur; vel locum ſuum intelligamus ſibi debitum; nam aſcendere molienti ſuper altitudinem nubium, dictum eſt, *ad infernum detraheris, in profundum laci.* [b] Ex communiore tamen interpretum ſententia dicendum videtur hoc idolum ſuperiore parte ſui, ſpeciem humanam retuliſſe, inferiore piſcem: quæ pars in loco ſuo remanſit, ſuperiore corruente, & in faciem ſuam proſtrata. Quod textus Hebræus ſignificat, cùm ait ſolum Dagon remanſiſſe in loco ſuo: propriè enim Dagon accepit pro piſce, ea ſcilicet parte, quæ piſcis formam habebat. Dag enim piſcem ſignificat, ex quo Dagon per formam diminutiui.

b Iſai. 14. 15.

AVTHOR mirabiliū Scripturæ, [c] *Primo die,* inquit *Dagon coram Arca proſtratus repertus: iterum in loco ſuo reſtituitur, craſtina vero fractus ad limen in centum partes, capite, & manibus ſpina dorſi eius truncata reperitur,* &c. Alludit hic author ad Septuag. qui relictæ ſpinæ meminerunt, ἡ ῥάχις Δαγὼν ὑπελείφθη. [d] Iſidorus: *Etiam & illud ad magnam pertinet ædificationem, & ſignificationem in ipſa ruina Dagon Dei ſui, atque fractura, quod dorſum illius ſolum inuenerunt, fractis eius omnibus membris,* &c. quæ totidem pene verbis leguntur apud Eucherium, [e] cum eadem interpretatione fugacis idololatriæ, & dorſum inſtar fugientium exhibentis. S. Chryſoſt. [f] & manuum & pedum idoli meminit: *Arca,* inquit, *in idoli Dagonis templum perlata, ſtatim idoli ſtatua delapſa in caput iacebat. Vbi autem diuinæ virtutis robur hac ruina illi minime agnoſcentes, idolum de integro excitatum in ſede ſua collocarunt; poſtridie ſub auroræ tempus eò cùm acceſſiſſent, viderunt non iam collapſum idolum, ſed prorſus diffractum Huius enim manus ab humoris auulſæ, vna cùm pedibus ad templi limen exil erant, reliqua idoli parte, & ea quoque diuulſa, aliò diſperſa* Lorinus quoque [g] ait Dagonem truncum manus pedéſque ante Arcam iactatum.

c l. 2. c. 7. 1. 𝔛.

d l. 1. Reg. c. 3.

e l. 1. Reg. c. 6.

f l. contra Gent. Græ. Lat. p. 780.

g in Pſal. 77 v. 65. Baſil.

NEQVE verò Chryſoſt. memoria lapſus putandus eſt: legerat quippe in Septuag. *Et ecce Dagon collapſum in faciem ſuam coram Arca Dei, & caput Dagon, & ambo veſtigia pedum eius abſciſſa, ſuper anteriora liminum, & ambæ iuncturæ manuum eius iacentes ſuper limen.* Quomodo pedes in piſce? niſi hac quoque parte idolum monſtroſum fuit. Certè editio Romana pedum nullam mentionem facit, manuum autem iteratam. Caute Theodoretus [h] nec manuum meminit, nec pedum. *Poſtridie,* inquit, *eum inuenerunt contritum, & extremis partibus priuatum.* καὶ τῶν ἄκρων παντὰ ἐστερημένον. Rectiùs itaque, certiúſque eſt manus tantum in hoc idolo agnoſcere, cum editione vulgata; præſertim cum ei Hebræa volumina exactè conſentiant, & Hebræis Chaldæa paraphraſis.

h q. 13.

INFERIORE ergo parte idoli immota manente, ſuperior collapſa prona iacuit ante Arcam, ſed manibus truncata, iiſque ſupra limen abiectis. *Propter hanc cauſam,* ait Scriptura, [i] *non calcant ſacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum eius, ſuper limen Dagon in Azoto, vſque in hodiernum diem.* Sicque quod illi in idoli ſui venerationem fecerunt, Dominus retulit ad victoriæ ſuæ, de Deo Philiſthinorum, memoriam poſteritati quoque ipſorum propagandam. Tribuebāt illi victoriam Deo ſuo; Deus deuictum ipſum deiecit, ante faciem ſuam pronum, atque ſupplicem, verum Deum in Arca adorantem. Eam victoriam

i c. 5. 5.

ſacrificuli occultare voluerunt; ſed eam Deus ita redintegrauit, vt nullo modo diſſimulari tegiue poſſet. Remedium aliquod poterat ex temporis longinquitate ſperari; prouidit Dominus vt per hoſtes ſuos eius memoria fieret ſempiterna, dum limen templi non audent attingere. 2 2. ✠.

XXIII. *Quid hîc Cedrenus peccet.* Cedrenus autem [a] non recte videtur intellexiſſe; illud quod Scriptura dicit; [a p. 49. Gr. Lat.] de huius fani limine non calcato à ſacerdotibus vtique in honorem, ac reuerentiam aduerſus Deum ſuum. At ipſe ait *id fanum in honore eſſe deſiiſſe*; quaſi vellet dicere à nemine deinceps frequentatum eſſe, quia Scriptura dicit, neminem tangere ſolitum templi limen. Sed alia quoque peccat hic author, vt cùm ait Azotios Arcam Dei ad ſimulachri pedes conſtituiſſe. cùm Scriptura dicat Arcam conſtitutam iuxta Dagon. Septuaginta autem illud de non calcato fani limine explicantes addunt, *ſed tranſilientes tranſiliunt*, quod habet etiam S. Hieron. in c. 1. Sophon. nimirum ſaltu in templum ingrediebantur, eóque iterato diſcedebant; vt ſtulta hac ceremonia lapſus multorum & cachinnus, non deuotio excitaretur. [ibid. ὑπερβαίνοντες ὑπερβαίνουσι.]

XXIV. *Quid Ioſephus quoq;.* Nec peccat leuius Ioſephus, qui memor prophanæ illius ſuæ interpretationis [b] in ea Scripturæ verba, *Diis non detrahes*, turpi & adulatorio, vt apparet, ſilentio tacuit Dagonis ignominiam, tantumdem de diuina gloria detrahens. Neq; enim auſus eſt dicere diffractum idolum, capútque eius ac manus ad templi ianuam abiecta; ne idolis addicti Romani, quorum gratiã ambiebat, offenderentur: quaſi Deus Iſraëlitarum cum aliis Diis pacem habere non poſſet; ſic nec populus eius in eandem cum aliis Rempub. poſſet coaleſcere; ideóque in barbaras, deſertáſque terras exterminandum. Sic autem ait. *Sequenti vero die mane venientes, vt adorarent deum ſuum, inuenerunt eum è baſi excidiſſe, & pronum proſtratum ante Arcam. Quod ægre ferentes in priſtinum locum eum reponunt, cúmque ſæpius illuc accedentes, ſemper proſtratum & adorabundum reperirent*; at ſemel tantum atque iterum id factum conſtat; *ſtupor maximus ac perturbatio totum populum inuaſit*. ſic Ioſephus. [b l. 6 ant. c. 1 vid. an. Moſis vlt. n. 231 232.]

XXV. *Clades Azoti propter Arcam.* Sed multo maior populum inuaſit perturbatio, quando à Deo ſuo, ad ſeipſum ſenſit calamitatem eſſe conuerſam. Nam [c] *aggrauata eſt manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos, & percuſſit in ſecretiore parte narium Azotum, & fines eius.* Hoc primum loco plaga cæpit, in quo primum Philiſthæi ſibi viſi ſunt de Iſraëlitarum Deo, & eius Arca triumphare. Et quidem plaga ignominioſa, & pudenda, quæ ipſos, præter cruciatum, confuſione repleret. 3 Quod poſtea cecinit Dauid. [d] *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis.* [c 1. Reg. 5. 6] [3. ✠.] [d Pſal. 77. 66.]

Morbus eorum. hoc morbi genus luculenter explicat Theodoretus, [e] *Deinde, inquit cùm noluiſſent cognoſcere differentiam inter verum Deum & eius æmulum Diabolum, illius Arcam, & huius ſimulachrum, & Arcæ quem conueniebat cultum non tribuiſſent, inciderunt in varias affectiones & ægritudines. Nam vt Septuag. quidem ſunt interpretati, percuſſi ſunt in ſedibus; vt autem Aquila, laborarunt exedente vlcere, quod dicunt Phagedænam, Ioſephus autem docuit eis fuiſſe morbum dyſenteriæ. Sed nemo exiſtimet eſſe inter ſe diſcrepantes diuerſas illas editiones. Nam dyſenteriæ ſuccedit morbus ſedis; frequens enim excretio inflammauit particulam illam, & ſedis morbum paſſi ſunt, vt qui Arcam diuinam impie locauerant.* piè quidem opinione ſua, re autem vera impiè. *nempe apud Deum falſo appellatum.* Sic Theodoretus. [e q 13. in 1. Reg. εἰς τὰς ἕδρας ἐπλήγησαν.] [τῆς φαγεδαίνης.]

XXVI. *quam iniuſtus, & grauis.* Hac pœna punitos putat Gloſſa interlin. [f] Azotios, reliquoſq; Palæſtinos, eadem quippe in omnes poſtmodum plaga deſæuiit, eo quod nefandi criminis præpoſteræ libidinis rei eſſent. idque non obſcurè ſignificat Rupertus hoc loco. ſed hæc cauſa remotior; proxima enim erat Arcæ detentio. Ioſephus autem, quem Theodoretus retulit, addit etiam interaneorum euomitionem. *Poſtremo*, inquit, *grauiſſima peſtis Azotiorum vrbem atque agrum adorta eſt, correpti enim dyſenteria, cruciabiliter moriebantur: nonnulli interanea vitioſa, morboque corroſa euomebant.* ſic ipſe, aut interpres potius; nam Ioſephus hæc plenius, atque copioſius. deiiciebant videlicet, vna cum pure, ſanguine, & vermibus, inteſtinorum fruſta viciſſim prominentia cum doloribus acutiſſimis. accedente etiam extrinſecus cruciatu, vt mox dicemus. [f in 1. Reg. c. 14.]

XXVII. *Alterum à murib. malum.* Nec ſe continuit hæc peſtis mœnibus ciuitatis: pagi enim, & villæ Azotiorum eodem mobo afflictæ ſunt, quas Scriptura finium nomine comprehẽdit.

Et inſuper *ebullierũt villæ & agri in medio regionis illius*, addunt 70. *& in nauibus*, vicina
enim eſt mari ciuitas, *& nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in ciuitate.*
Quam regionem dixit, nunc ciuitatem appellat, qualis eſt apud Cæſarem Re-
morum, Pariſiorum, Heduorum. Cæterum hanc totam ſententiam, quia in He-
bræo modo non reperitur, aut Chaldæo, Caietanus ſuperfluam eſſe dixit, Ly-
ranus, Abulenſis, Burgenſis, & Dyoniſ. à gloſſatore quopiam additam, & ex ca-
pite ſequenti mutuatam; Vatablus & Pagninus in ſua verſione prætermiſerunt.
Arias etiam ex verſione Græca ſeptuag. imo etiam ex editione vulgata ſuſtu-
lit in biblijs regiis.

Verum integra habetur iſta ſententia in editione Aldina, Sixtiana, Baſileenſi
ſeptuaginta interpretum, & habebatur etiam Ioſephi tempore, nam eos ſecutus XXVIII.
a l. 6. c. 1. Ioſephus, [a] *Ager vero*, inquit, *totus ſcatebat muribus, qui omnia vaſtantes, nec ſegetibus* Qui terræ
parcebant, nec cæteris fructibus; Et Theodoretus, *Intulit*, inquit, *Deus ſupplicia etiam re* frugibus,
*bus inanimis. Immiſit enim murium multitudinem in vites & ſegetes, qui omnes eorum fru
ctus perdiderunt Per hæc autem docuit. quod ipſe quoque Ægyptiis diuerſas intulit plagas,*
vt ipſi quoque ante confeſſi erant. Itaque huiuſmodi ſententia non ſolum vt ve-
ra, quod fatentur omnes, ſed etiam vt germana atque legitima, vt habetur in
editione vulgata correcta, agnoſcenda, ac retinenda eſt. eamque integram apud
b l. 1. Reg. c. 14. Rupertum leges. [b] Et, vt ait Serarius, hic pretereunda non fuit, cum capite ſe-
quenti malorum, hoc loco enumeratorum repetitio tantum fiat, idque non ar-
guit hanc ſententiam eſſe additamentum, ſed ei potius præbet authoritatẽ, quod
alterum alteri benè congruat, & concinat.

Præter calamitatem autem quam mures fructibus afferebant, hominibus XXIX.
c l. 1. ſacr. hiſt. etiam noxij, ac pernicioſi erant. Audi enim Seuerum Sulpitium, [c] *Inde mures* Hominiſque infeſti.
per omnem regionem exorti, noxiis morſibus multa hominum millia letho dabant. Id non re-
ctè dictum putat Sigonius, in illum Sulpitij locum. [d] Probauit tamen Grego-
d in l 1. Reg. rius magnus, *Modus*, inquit, *interfectionis exponitur quia quiſquis mari hac interfectione
dicitur, dum ad purgandum ventrem exiret, in ſuperiori parte natium morderi à muribus perhi
e l. 1. Reg. c. 7. betur.* Comeſtor quoque [e] *Computreſcebant*, inquit, *prominentes extales eorum, quod
Ioſephus dicit factũ ex crudeli paſſione dyſenteriæ; ita vt putrefacta egererent inteſtina, & mu-
f in pſalm. 77. v. 66. res ebullientes de agris, corrodebant extales eorum.* Idem tradit Lorinus, [f] & Abulenſis,
non ſemel [g].

g in c. 5. q. 15. 16. 19. Nec alia mens fuit authoris mirabil. ſacræ Scripturę [h] apud S. Auguſtinum. XXX.
h l. 2. c. 7. to 3. *Nam & extales eorum foras prominebant, & ingens ſoricum, & inſolens copia,* ijs ſcilicet Conuenientia cladis huius.
infeſta, *per totam prouinciam diffundebatur. Conuenienter quippe Dominus illis vtramque
pœnam parauerat, qualem rerum ipſarum conueniens ratio exigebat. Quatenus qui miſera
animalia diuino cultu venerabantur, per miſerrima animalia, in aduentu dominicæ legis, quæ
in Arca erat, caſtigarentur: & qui tabernaculi Domini interiora, id eſt Arcam extra limites ſuos
protraxere, hi interiorum ſuorum foras prominentium fœda affligerentur clade.* ſic ille. De-
nique idem videtur innuere Scriptura, quæ ſimulatque dixit enatos mures, ſta-
tim ſubiecit, magnam mortis confuſionem in ciuitate factam eſſe. Eam porrò
productionem murium ſupernaturalem fuiſſe ait Abulenſis, ſiue propter mul-
titudinem, ſiue propter productionis celeritatem, quod vtrumque verbo *ebul-
lierunt*, ſcriptura ſignificauit Septuag. ἐξέζεσαν, & ἀνεφύησαν *efferbuerunt*, & *expullularunt.*

Videntes autem viri Azotii [i] *huiuſcemodi plagam, dixerunt, non maneat Arca Dei Iſrael
i 1. Reg 5. 7. apud nos; quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Et ſtatue- XXXI.
runt quidem Azotij Arcam à ſe dimittere, ne penitus interirent; nec tamen Azotii dimittunt à ſe Arcam.
eam ad Hebræos remiſerunt, donec totius gentis ſuæ ſatrapas conſulerent, quo-
niam Arca nunc ad totam Palæſthinorum gentem pertinere videbatur. Ideoque
*mittentes congregauerunt omnes ſatrapas Philiſthinorum ad ſe, & dixerunt, quid faciemus de
Arca Dei Iſrael? Reſponderuntque Gethæi circumducatur.* Deſiderant vehementer
Philiſthæi Arcam retinere apud ſe, tantóque magis, quo maiorem eius vim ac
poteſtatem experiebantur; neque talem machinam Hebræis contra ſe præbere
cupiebant. Itaque diſpiciebant qua ratione eam apud ſe impunè retinere poſ-
ſent; Quod cum Azotiis non contigiſſet, experientia diſcere voluerunt, num-
k q. 16. in c. 5. 1. Reg. qua in vrbe alia ſine damno collocari poſſet. Sic Abulenſ. [k] XXXII.
l q. 13. in 1. Reg. Conijciebant Gethęi, vt ait Theodoretus, [l] non eſſe hanc plagam à Deo Deducitur ad Gethæos

enim, ſimul & calamitates ſunt tranſlatæ. Itaque hinc quoque ablegata eſt ad alios, ſed ne apud illos quidam permanſura, agitatis enim eiſdem peſtibus, ad vicinas vrbes eam tranſmittebant. Atque in hunc modum quinque Palæſtinorum vrbes peruagata eſt Arca: veluti tributum per ſingulas pœnam violatę religionis exigens. Quæ defeſſæ tot malis, & aliis exemplum factæ ne Arcã reciperent, talia hoſpitij præmia referentem, nihil ſupereſſe videbant, *quam vt bono aliquo modo ab ſe ablegarent*. Sic ipſe, de illo autem modo ſacerdotes ſuos, & diuinos conſuluerunt, vt mox dicetur[a].

a cap. 6.

XXXVII. *Labitur in quibuſdã.*

b in ea verba Cumq. veniſſet Arca Dei in Accaron.

Interim non omittamus de Ioſepho monere, illum probabiliter, quod Abulenſis quoque animaduertit[b], dixiſſe arcam quinque Palęſtinorum vrbes peruagatam, licet trium duntaxat nominatim Scriptura meminerit, reliquis in generali illa locutione comprehenſis, *fiebat manus Domini per ſingulas ciuitates*, &c., *percutiebat viros vniuſcuiuſque vrbis*, &c., *fiebat pauor morbis in ſingulis vrbibus*. Labitur tamen, & à Scripturæ hiſtorica veritate diſcedit, quod Gethæos, & ab iis profectũ circũducendæ arcæ cõſilium, miſſos fecit, quod Aſcalonitas, quos Scriptura omiſerat, eorum loco ſuffecit, id quod arguerem fortaſſe vehementius, niſi ipſum viderẽ ſicut & Sulp. Lucif. & Theodoret. q. 13. Septuaginta virorum, quos omiſſis, vel inconſultis Hebræis, ſecutus eſt, autoritate tegi poſſe; in quos tamen irrepſiſſe hoc mendum ex Hebræo, Chaldæo, Latinóq; textu conſtat. Deniq; quia non ſolum Aſcalonitas pro Accaronitis poſuit; ſed quia eos arcam cupide recepiſſe dicit; cum è contrario exclamauerint Accaronitæ dicentes, *Adduxerunt ad nos arcam Dei Iſrael, vt interficeret nos & populum noſtrum*.

XXXVIII. *Variæ mãſiones.*

Etsi autem dixerunt Philiſthæi, *reuertatur in locum ſuum*. Non fuit tamen voluntas Domini vt reuerteretur in Silo, vbi trecentos & quinquaginta annos reſederat, propter peccata filiorum Heli, & populi totius, ibi, vt credibile eſt, perpetrata, ſed vt varias mutaret ſedes, donec in Salomonis templo collocaretur. Nam remiſſa ex vrbibus Philiſthinorum, aliquamdiu in agro Ioſue Bethſamitis ſubſtitit, inde in Cariathiarim, ſiue apud Aminadab in Gabaa, vſque ad vigeſimum annum. *Peracto vigeſimo anno*, ait ſanctus Hieronymus, [c] *translata eſt eadem Arca à Samuele in Maſphat; & de Maſphat tranſtulerunt eam Samuel & Saül in Galgala. Inde translata eſt à Saül in Nobe, de Nobe in Gabaa; de Gabaa translata eſt à Dauid in domum Obed Edom, de domo Obed Edom tranſtulit eam Dauid in Sion; de Sion tranſtulit eã Salomonem in Sancta Sanctorum*. Hæc ibi Hieronymus, quæ diſtinctius ordine temporum paulatim declarabuntur. Nunc ad Philiſthæos de ea remittenda conſultantes reuertamur.

c in trad. in c. 7. l. 1 Reg.

XXXIX. *Quamdiu manſerit apud Philiſthæos.*

* Domitiã fractique plagis Philiſthæi.

Cvm ergo *Arca Domini ſeptem iam menſibus in regione Philiſthinorum* manſiſſet,* euocauerunt ad ſe ſacerdotes & diuinos ſuper negotio Arcæ remittendæ, quod priuſquam attingamus, prædictum tempus conſiderandum eſt. Etſi enim nulla eſt in Hebræis, Chaldæis, Græcis, Latiniſque codicibus de 7. menſibus varietas, rem tamen dubiam putarent Ioſephi Patroni, [d] quod apud eum legant, quatuor ſolis menſibus Arcam apud Palæſtinos detentam. Sed errat proculdubio, niſi mendum in Arithmeticas irrepſit notas: errat & Cedrenus, qui ait Ioſephum dicere, Arcam duobus tantum menſibus apud iſtos alienigenas manſiſſe. Videntur tamen Theodoretus, [e] atque Procopius, longius tempus huic arcæ captiuitati tribuere, qui eam in agro ſub dio manſiſſe volunt ſeptem menſes, vltra tempus, quo in vrbibus Philiſthęorum fuit. *Deinde*, inquit ille, *cum nulla ciuitas auderet Arcam recipere, eam foris reliquerant ſub dio*. Sic enim docuit Hiſtoriographus, *fuit enim*, inquit, *Arca Dei in agro ſub dio alienigenarum menſes ſeptem. Poſtquã autem exiſtimarunt foris manente Arca, ſe eſſe liberatos à plagis à Deo immiſſis, intulit Deus ſupplicia, etiam rebus inanimis. Immiſit enim murium multitudinem in vites & ſegetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt*. Sic Theodoretus, [f] eademque Procopius compendio.

d l. 6. ant. c. 1 μῆνας τέσσαρας.

e q 13. in 1. Reg. ἐν ὑπαίθρῳ πάντων ἔξω καταλιπόντων.

f in 1. Reg. q 13

XL. *An in agro ſub dio.*

Septvag. quidem interpretes huic opinioni occaſionem dederunt, apud quos legimus, *Et fuit Arca in agro alienigenarum ſeptem menſes, & efferbuit terra eorum muribus*. Verum S. Hieronymus in editione vulgata agrum interpretatus eſt regionem, vt intelligeremus 7. menſes, partim in vrbibus, partim in circuitione conſumptos; apud quem etiam nulla eſt hoc loco mentio murium, ſicut

nec in Hebræo; nec Septuaginta volunt, quod ſignificauit Theodoretus, pullulaſſe tum primum mures, cum Arca ſub dio relicta eſt, cum eorum iam ante ſuperiori capite meminerint, & Arcam ſub dio relictam, neque Scriptura tradat, neque Ioſephus. Abulenſis autem [a] ait iſtos 7. menſes incepiſſe ab Octobri noſtro, vel Nouembri, vſque ad principium Maij, vel finem eius. Torniellus autem eos inchoat à ſeptimo menſe anni ſacri. Cuius temporis ratio petitur ex triticea meſſe Bethſamitarum, ſub quam incidit reductio Arcæ. Totis ergo ſeptem menſibus abfuit Arca à terra: Iſraëlitarum, eoque toto tempore Diis, hominibus, frugibuſque Palæſtinorum infeſta, eos ad eam remittendam, & quidem cum muneribus compulit.

a q. 3. in c. 6. 1. Reg. ann. m. 2939 n. 1. 1 Reg. 6. 13. vide infra n. 53.

XLI. *Conſiliũ de Arca remittenda.*

PRINCIPES itaque Philiſthinorum accitu Accaronitarum euocati, cum iam communi conſenſu ſtatuiſſent neceſſario reſtituendam Arcam Dei, eámque rem ad religionem ſpectare animaduerterent, perſonas, religionis apud ſe opinione præſtantes, aduocandas cenſuerunt, vt in hac redditione ij ritus, ac ceremonię adhiberentur, quæ placando numini forent idoneæ. *Vocauerunt ergo ſacerdotes, & diuinos*, qui ipſa Dei ſecreta rimantur, vſque ad futurorum cognitionem, Septuaginta addunt incantatores, ſiue maleficos, qui nomine diuinorum comprehenduntur, qui ſcilicet omnes Dagoni famulabantur, *dicentes, Quid faciemus de Arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum ſuum.* verebantur enim ne in hac ipſa re defectu aliquo admiſſo, nouam ſibi pœnam accerſerent.

ἱερεῖς, μάντεις, ἐπαοιδούς.

XLII. *Cum expiatione peccati.*

HI ĩſti, ſi remittitis Arcam Dei Iſraël, nolite dimittere eam vacuã, ſed quod debetis reddite ei pro peccato, *& tunc curabimini, & ſcietis quare non recedat manus eius à vobis.* Peccatum violatæ rei ſacræ, etiam ſacrificuli idolorum, & mancipia Sathanæ agnoſcunt; quodque ſacrificio religioſo expiandum ſit; eóque modo curatos, agnituros experientia ipſa, vnde profectæ fuerint illæ clades; quæ niſi votis nuncupatis, & rite perſolutis, iuges, perpetéſque futuræ ſint. Reſpondent iſti non dimittendam Arcam vacuam, non quidem iis, quæ in ea includi ſolebant, quæ nequaquam putandi ſunt Philiſthæi attigiſſe, præ reuerentia ac timore, vt diſputat Abulenſis, [b] ſed non ſine muneribus ac donariis, quæ cuiuſdam ſatisfactionis nomine debeantur. Id enim lex naturæ dictat, quæ omnes mortales obligat.

b q. 2. in c. 6.

XLIII. *Ideſt donariis aureis.*

TVM Philiſthæorum Satrapæ, [c] *Quid eſt*, inquiunt, *quod pro delicto reddere debeamus ei? Reſponderúntque illi: Iuxta numerum prouinciarum Philiſthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & ſatrapis veſtris. Facietiſque ſimilitudinem anorum veſtrorum*, id eſt humani corporis, *& ſimilitudines murium, qui demoliti ſunt terram, & dabitis Deo Iſraël gloriam, ſi forte releuet manum ſuam à vobis, & à diis veſtris, & à terra veſtra.* Vni tantum Dagoni damnum illatum Scriptura retulit. Cùm enim experti eſſent Philiſthæi quantum damni accepiſſet Dagon in Azoto, ne idem in cæteris vrbibus contigeret, Arcam in profana domo collocabant, vt ait Toſtatus; [d] ex ſimilitudine enim pœnæ Dagoni illatæ facile conijcere poterant, quid ſupplicij & dedecoris aliarum ciuitatum ſimulachris immineret; plurali tamen deorum numero vtuntur hi vates, vel ex vſitato inter eos loquendi modo; ſicut in deſerto de ſacrilego vitulo dictum eſt, *hi ſunt dij tui.* Vel ex eo quod periculum erat, ne damnum vni deorum, & quidem primario illatum, in alios deinceps deriuaretur. Itaque non ſine quadam exaggeratione accipiendum videtur illud Origenis, [e] *Cultus ipſe Dæmonum deſtruebatur, vtpote ſimulachris eorum, templiſque ad ingreſſum Arcæ Domini corruentibus.*

c 1. Reg. 6. 3.

d in c. 5. q. 18.

Aug. l. 10. de ciu. c. 17.

e hom. 16. in 23. Num.

XLIV. *Non incongrua ſatiſfactione.*

NON incongrue porrò videtur excogitata iſta ſatisfactio, nec temerè à Scriptura recitata. Nam S. Gregorius, [f] *Spiritus ſanctus*, inquit, *quo inſpirante tota hæc hiſtoria ſcribitur, nunquam tam vilia promeret, ſi in huius vilitatis arcano, magna quædam & pretioſa valde myſteria non ſignaret*; quæ ab eodem S. Patre lector petet. Non incongrua vero eſt ſatisfactio, ſiue quia donaria offerunt numero prouinciarum ſuarum conſentanea, ne vlla quæ in culpa fuerit ac pœna, ſatisfactioni deſit, ſiquia genere ipſo pretioſa ſunt, vt ſic doni exigua moles, valore ſubleuetur: ac compenſetur: ſiue quia malis pręſentibus, ſupra quæ propitiandus eſt Deus, conuenientia. Et quamuis ignominioſa eſſent offerentibus; grauiſſimis tamen

f in 1. Reg. l. 3. c. 4.

edomiti

edomiti malis, ignominiam ſanitati, ac ſaluti poſthabendam putarunt.

XLV. *An mures plures quam que.*

a c.6.18.

b l.3.c.4. in 1 Reg.
c l.1. Reg. c 7.

ET numerus quidem priorum donariorum minimè dubius eſt, poſteriorum autem dubitatione non caret; etſi enim diſtincta mentio quinque murium aureorum paulo ante facta eſt, inferius tamen [a] videtur affirmari totidem factos fuiſſe mures aureos, quot fuerunt in regione Philiſthinorum ciuitates, & oppida, atque adeò pagi, ac villæ, certe Hieronymus ita videtur intellexiſſe. Nam in tradit. in 1. Regum. *Sic itaque intelligendum eſt*, inquit, *quod ab vrbe murata vſque ad villam, quæ erat abſque muro, & vſque ad Abel magnum dederint mures.* Idem ſenſit S.Gregor. [b] & apertiùs Comeſt. [c] qui Iſidorũ quoq; laudat; apud quem tamen id nuſquam reperi. Clariſſime Caiet. hoc loco, *licet ani aurei*, inquit, *fuerint quinque, numerus tamen murium fuit longe maior, quia fuit iuxta numerum, non ſolum ciuitatum*, ſed etiam villarum, quas poſſidebant quinque principes Philiſthinorum.

XLVI. *Non videri.*

d c.6.v.5.
e l.ant.6. c 1.
f l.q.13.
g l.2.c.7.

VERVM ſi quid hic poſterior locus habet ambigui, ex perſpicua ſuperiore oratione explicandus eſt: [d] in qua pari numero mures & ani fieri iuſſi ſunt. Neque plures mures Ioſephus memorat, [e] neque Theodoretus, [f] neque author mirabil. Scripturæ ſacræ, [g] neque recentiores interpretes Lyranus, Abulenſis, Hugo Cardinalis, Serarius, Dionyſ. Emanuel Sa, & ſi qui alij, qui illa verba, *ab vrbe murata, vſque ad villam, quæ erat abſque muro*, negant ſignificare ſingulas villas, & vicos ſuppeditaſſe aureum murem, ſed ſingulas proportione opum ſuarum ſuppeditaſſe aliquid, ad ſumptus quinque murium, aut potius decem donariorum; quam expoſitionem facile recipiunt verba Hieronymi, atque Gregorij. Nec cauſam afferre poteſt Caietan. cur non plures quoque ani fabrefacti fuerint; aut cur pagi pari cum magnis vrbibus ſumptu grauati fuerint. Sic ergo res habuit, vt quoniam omnes pagi, villæ, oppida ad vnam quinq; prouinciarum pertinebant; ſingulæ prouinciæ, ęſtimato pretio duorum donariorum, illud in omnem ſuum populum congrua proportione diſtribuerint.

XLVII. *Similitudo pœna Philiſthæorũ, & Ægyptiorum.*

QVONIAM autem videbantur Satrapę iſti difficiles in hac ignominioſa ſatisfactione exhibenda, quæ pręter acceptas iam totis 7. menſibus clades nonnullo ſumptu grauandi erant; inſtant arioli, vrgentque eos exemplo Ægyptiorum, qui nullum peruicaciæ ſuæ fructum, præter interitum ſuum, receperunt, poſt dimiſſos Iſraëlitas, quos tanta animorum obſtinatione oppreſſos ſeruitute retinuerant. *Quare*, inquiunt, *aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Aegyptus, & Pharao cor ſuum? Nónne poſtquam percuſſus eſt, tunc dimiſit eos, & abierunt?* cum ſcilicet potuiſſet ſua damna, ſuique populi lucrifacere. Nec male ſingula reſpondent ſingulis, Pharao Satrapis, Ægyptij Palæſtinis, captiuitas Arcæ, captiuitati Hebræorum; vtrobique plagæ, vlcerum & beſtiarum, vtrobique idem Deus vtroſque percutiens populos, cum ſuis ipſorum diis; *nam & in diis Aegyptiorum exercuit vltionem.* [h]

h Num. 33.

XLVIII. *Prudens conſilium diuinorum Philiſth.*

QVOD ſi etiamnum dubitatis, ab arca ne, an aliunde vobis clades iſta contigerit, agite quamprimũ conſtruite plauſtrum nouum, & accipite *duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi. Tolletiſque Arcam Domini, & ponetis in plauſtro, & vaſa aurea, quæ exoluiſtis ei pro delicto, ponetis in capſellam in latus eius*; neque enim ſatis eis erat animi ad aperiendum arcam, vt in eam donaria immitterant: & Hebræis, qui eam non aperiebant, ignota manſiſſent, *& dimittite eam vt vadat. Et aſpicietis, & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande, ſin autem minime, ſciemus quia nequaquam manus eius tetigit nos, ſed caſu accidit.* Hoc iſtorum conſilium fuit, vt Ethnicorum neque ineptum, neq; improbabile, neque reprehendendum, quod Philiſthæi ſtudioſe executi ſunt, publicæ incolumitatis cura perurgente & vaſtitatis agrorum.

XLIX. *Arca reſtitutio mirabilis.*

QVINIMO ſi rem ipſam conſideremus, aut conſulamus antiquos, mirabilẽ fuiſſe hunc reſtitutionis modum, nec ſine diuino & extraordinario eius concurſu factum fatebimur. Nam nec vaccæ erant aſſuetæ iugo, vt ſperandum eſſet eas de illo excutiendo potius, aut confringendo cogitaturas, quam de trahendo plauſtro, quod cum nouum eſſet difficilius quoque trahebatur (etſi vtrumque ad Dei honorem relatum videri potuit, vt ei plauſtrum & vaccæ dicarentur, quę nunquam profanis miniſteriis addictę fuiſſent) Adde quod nec

iter norant, nec ductorem habebant, aut ſtimulatorem bubulcum, vt in triuio
3. poſitæ, vt ait Ioſephus, omnem aliam viam potius, quam legitimam aditur æ vi-
4. derentur. Et inſuper vitulos habebant in ſtabulo, quorum mugitu retrahebantur domum, materno eas amore ſtimulante. Quin etiam ſi ad Hebræum textum & Græcum attendimus, maior vis naturæ afferebatur, quoniam vaccæ lactentes eductæ ſunt domo, & plauſtro alligatæ, vitulis, vt fit, matres ſequentibus: qui mox in ſtabulum reducti, mugientes matres ad ſe vehementius retrahebant. Nam Pagninus habet, *ligate vaccas in plauſtro, & reducite filios earum, qui ſunt poſt eas ad domum*, vel reducite vitulos earum ab eis domum. Septuag. ἀπαγάγετε τὰ τέκνα ἀπὸ ὄπισθεν αὐτῶν εἰς οἶκον.

L. *Ex Auguſtino & aliis.*

S. Auguſtinus [a] haud obſcurè diuino inſtinctui hanc reductionē tribuit, ait enim. *Deinde ipſi prodigiis acti, deformiiſque puniti, Arcam diuini teſtimonii populo vnde ceperant reddiderunt. Ipſa autem redditio qualis fuit? Impoſuerunt eam plauſtro, eique iuuencas ſubiunxerunt à quibus vitulos ſugentes abſtraxerant, & eas quo vellent ire ſinerunt. Etiam hinc vim diuinā explorare cupientes. At illæ ſine homine, ſine duce ac rectore, ad Hebræos viam pertinaciter gradientes, nec reuocatæ mugitibus eſurientium filiorum, magnum ſacramentum ſuis cultoribus reportarunt. Hæc atque huiuſmodi Deo parua ſunt, ſed magna terrendis ſalubriter, erudiendiſque mortalibus.* Hoc ergo opus ex Auguſtino, etſi paruum fuit, Dei tamen fuit. Procopius ait Deum hariolorum ſententiæ obſecundauiſſe. Theodoretus ipſam Arcam & onus & aurigam fuiſſe. φορεῖον δὲ ἦν ἡνίοχον τὴν κιβωτὸν ἔχουσα. Idem ſentit Abulenſis, & alii paſſim interpretes.

[a] l. 10. de ciuit. c. 17.

LI. *An opera dæmonum.*

ORIGENES tamen id dæmonum artibus tribuit, [b] *Quis ergo in his*, inquit, *ſi diligenter inſpiciat præſcientiam hanc, quæ de boum directione prædicta eſt, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compoſitam; & non operatione quadam dæmonum miniſtratam, qui pertimuerint Arcæ Domini virtutem, qua non ſolum affligebantur, & puniebantur Allophyli, verum & ipſe cultus dæmonum deſtruebatur, vtpote ſimulachris eorum, templiſque ad ingreſſum Arcæ Domini corruentibus.* Verum ſi hoc miraculum fuit, & quod fatetur Abulenſis, [c] & ſupra naturæ vires, non vtique dæmoni, ſed Deo tribuendum eſt, qui potuit alterutris vti adminiſtris, bonis tamen potius videtur viſus, quoniam hæc reductio in bonum Iſraelitarum dirigebatur; Aduentitium autem erat, atque ex accidente, quod per hanc reſtitutionem idololatria, eique addicti Philiſthæi vexari deſinerent, quod dæmones appetebant.

[b] in c. 23. num. hom. 16.

[c] q. 13. in c. 6.

LII. *Deducitur in agrum Bethſames.*

PHILISTHAEI ergo, ait Scriptura, *duas vaccas, quæ lactabant vitulos iunxerunt ad plauſtrum, vituloſque earum concluſerunt domi. Et poſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum.* 6. *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes, & non declinabant, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram;* vt ſolent indomita animalia, quę tritæ orbitæ raro inhærent, ſed impetu facto, quo furor egit eunt. Ideoque *Satrapæ Philiſtiim ſequebantur, vſque ad terminos Bethſames*, ne vaccæ Arcam & donaria, aliquo œſtro percitę, in præceps ferrent, & ipſi progreſſione earum obſeruata, iuxta ſacerdotum ſuorum conſilium ſententiam ferrent. Rectè autem diuina prouidentia deduxit Arcam in terram Bethſames, quæ erat vrbs leuitica, [d] vt in eorum cura relinqueretur Arca, quorum erat rerum ſacrarum cuſtodia.

5 ε.χ. 6.χ.

[d] Ioſue 21. 15.

LIII. *Et quo id tempore.*

PORRO *Bethſamitæ metebant triticum in valle*, ait Scriptura [e] erat ergo menſis Maius, extremus potius, quam iniens, quoniam primitiæ meſſis triticeæ offerebantur Deo in ſolemnitate hebdomadarum, ſiue Pentecoſtes, vt in Exodo [f] præſcriptum eſt, ea ſolennitas raro citra dimidium Maij, crebro vltra illud cadit: at primitiæ ſpicarum facilè octo aut 10. diebus communem ac legitimam meſſem antecedunt; itaque Toſtato potius [g] in huius definitione temporis, quam Torniello quem ille refutat accedimus; præſertim cum eſſet æſtas, vt ait Ioſephus, [h] & fruges ex aruis comportarentur. Vnde & conſequens eſt, vt hanc Arcæ reſtitutionem ad ſequentem annum pertinere fateamur, cum non exigua parte cladis Palæſtinorum; ſed quia hæc exactius diſtingui non facile poterant, ſeptem menſes, quibus Arca Domini fuit in regione Palæſtinorum, ad hunc primum Samuelis annum retulimus.

[e] c. 6. 13.

[f] c. 34.

[g] q. in c. 6. ſupra n. 40

[h] l. 6. ant. c. 2. θέρους ὥρα.

LIV. *Bethſamitarum lætitia.*

BETSAMITÆ itaque *eleuantes oculos ſuos viderunt Arcam*, è loco editiore in ſubiectam planiciem deſcendentem, *& gauiſi ſunt, cum vidiſſent.* Quantum fuerit hoc

gaudium ex magnitudine triſtitiæ in eius amiſſione coniici poteſt, cum tota ciuitas Silo, imò & omnis Reſpublica Iudæorum, lamentis ſeſe, atque vlulatibus dedidit. Nunc ergo Bethſamitæ, & cum iis Hebræi omnes illud Dauidicum præcinere potuerunt. [a] *Secundum magnitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Lætati ſunt quia recuperauerunt gloriam ſuam, quæ tranſlata fuerat: quia receperunt virtutem ſuam, quam tradiderat Dominus in captiuitatem, quia pulchritudine ſua iterum potiti ſunt, quæ data erat in manus inimicorũ. [b] Quid ni lætarentur recepto obiecto proximo, ac glorioſiſſimo religioſi cultus ſui; pignore diuinę apud ſe præsẽtiæ, oraculo pręnũcio futurorũ, & diuinitatis interprete; teſtimonio diuinę erga ſe beneuolẽtię, & mirabiliũ operũ Domini monimento, & quidem ſine prælio, ſine pretio redẽptionis.

a Pſal 93. 19.

b Pſal. 77. 61.

c l. 6. c. 2.

Lætitiæ eiuſdem teſtis eſt Ioſephus; [c] *At quod ſpectaculum*, plauſtri ſponte ſubſiſtentis, *à vicanis mox cum gratulatione concurſum eſt. Cùm enim eſſet æſtas, & fruges ex aruis comportarentur; vt viderunt Arcam, præ gaudio mittentes opus è manibus, ad plauſtrum illud properabant.* Addit etiã mox peracto ſacrificio ſplendide epulatos, quod Scriptura ipſa ſignificat, [d] dum meminit victimarum præter holocauſtum; idque conſuetudo ipſa confirmat. *Iudæi autem*, ait Sulpitius, & intelligit viros de tribu Iuda, qui reuera erant in tribu Dan; *vbi referri Arcam viderunt, certatim ex oppido Bethſamis cum gaudio obuiam ruere, feſtinare, exultare, grates Domino referre.* Nec lætati duntaxat, ſed admirati etiam ſunt, vt ait Theodoretus; [e] & iure id quidem, cum viderent plauſtrum nullo ductore, ſponte ad ſe iter facere, & vltro apud ſe ſubſiſtere, quamuis ampla coram ſe obiecta planicie, vt ait Ioſephus. Timuerunt etiam fortaſſe, cum à longe ſequentem globum Philiſthæorum principum viderunt: poterant enim & ipſi dicere

d c. 6. 15. vide Adric. in tribu Dã n. 14.

e q. 13. ibid.

Æneid. 2.

Quidquid id eſt, timeo Danaos, & dona ferentes.

ſed metus ſine damno fuit. Damnum Philiſthæorum fuit, vtilitas Hebræorum. venerant enim pacifici, & plane perſuaſi ſe à Deo Iſraëlitarum caſtigatos, pacem & veniam, cum ramis oliuæ fortaſſe poſtulabant.

Et *plauſtrum venit in agrum Ioſue Bethſamitæ, & ſtetit ibi;* diuino vtique nutu, vt ibi mox ſacrificaretur, loci commoditate inuitante. *Erat* enim *ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plauſtri, vaccaſque impoſuerunt ſuper ea holocauſtum Domino.* Expreſſum non eſt à quibus ligna conciſa fuerint, aut vaccæ impoſitę in holocauſtum. Et conſtat quidem Leuitas, puta qui in illo Leuitarum oppido habitabant, quod prius erat, Arcam è plauſtro depoſuiſſe, & capſellam cum donariis lapidi magno impoſuiſſe; ex quo etiam apparet conſequenter, eoſdem concidiſſe ligna, & ſacrificaſſe; quæ Philiſthæi ſuppeditabant, nec reputatum eſt eis in peccatum, quod ignari legis vaccas in ſacrificium obtuliſſent; quæ iam ex Arcæ tractione Deo conſecrata videbantur, licet peccarent iſti Bethſamitæ ſacerdotes. Nomine enim Leuitarum latè ſumpto, etiam ſacerdotes, qui reipſa erant Leuitæ, comprehenduntur. Itáque hunc locum interpretantur Abulenſis, Lyranus, Gloſſa conſentiente Serario. Clarè Seuerus Sulpitius, *Mox Leuitæ quorum hoc negotium erat* (ſacerdotes videlicet) *ſacrificium Deo celebrant bouéſque eas, quæ Arcam adduxerant, immolant.*

Svspicari tamen non incongrue opinor poſſumus, quod video quibuſdam etiam Rabbinis in mentem veniſſe, hoc ſacrificium à Philiſthæorum ſacerdotibus, qui proceres illos populi ſui, vel honoris, vel religionis cauſa comitabantur, coram ſuis, eorúmq; voluntate ſacrificaſſe, priuſquam peracto voto recederẽt: primò quia vaccas ſacrificauerunt contra præſcriptum Moſaïcæ legis, quę requirit in quaque ſpecie offerri Deo maſculum in holocauſtum; quod nunquam à legitimis ſacerdotibus attentatum fuiſſet, ei peccato pœna capitis imminẽte, vt cæteris ſacrilegiis. 2 Quia non ſuper altare, ſed ſuper profanum lapidẽ, nõ conſecratũ Deo, ſacrificarunt; quod mox Bethſamitæ imitati ſunt, rati nõ ſine exẽplo, [f] rem non fore ingratam Deo. 3 ſeruit huic ſuſpicioni ipſa phraſis. Cum enim legamus ſcriptum. *Leuitæ autem depoſuerunt Arcam*, ſignificatur præcedentia non à Leuitis, ſed ab aliis, puta alienigenis, quorum erant & vaccæ, & plauſtrum, facta eſſe; non à Leuitis, qui nullum ad ea ius habebant, ſed tantum ad donaria, quæ offerebantur à Philiſthæis, in redemptionem publicæ incolumitatis. 4.

f Iud. 6 20.

Exitus datae ... gis, 397

Arca apud Bethſamitas.

Denique ſic vitamus hyſterologiam in textu; [a] & prçuaricationem in ſacerdotum conſcientia. a v 14. & 15.

LVIII. Lapis idem des Arca, altare

Lapis porro ille magnus gemino vſui ſeruiuit, propter magnitudinem, ſiue longitudinem ſuam, nam factus eſt in vna parte quaſi ſedes, ſiue altare Arcæ Domini; in altero autem extremo fuit inſtar altaris holocauſtorũ, ſicut lapis in quo ſacrificauit Gedeon. [b] Cùm autem Bethſamitæ eſſent contermini Philiſthæis, hic lapis magnus, erat quaſi terminus agri vtriuſque populi. Vnde cùm vellet Scriptura dicere omnem plane regionem Philiſthinorum, vrbes, oppida, villas, agrumque totum pependiſſe tributum, ad decem illa donaria exoluenda, adiecit, *vſque ad Abel magnum*, quo nomine ne quippiam aliud intelligeremus à prædicto lapide, ſubdidit, *ſuper quem poſuerunt Arcam Domini.* Videntur autem Palæſthini omnem omnino regionem ſuam his donariis conficiendis contribuere voluiſſe; vt omnium non ſolum perſonarum, ſed agrorum etiam incolumitati, quæ his redimebatur donis, conſulerent, quoniam ager totus, perſonæque omnes huius cladis participes fuerant. b Iud 6.10.

LIX. Sacrificium Abel magnus an ciuitas.

Avthor traditionum Hebraïcarum in 1. Reg. *Abel magnum*, inquit, *ciuitas eſt in termino Iſrael. Abel magnum idcirco vocatur, cum antea Bethſamis vocitata ſit, ſiue propter luctum Bethſamitis ibi factum, ſiue propter diſtinctionem ciuitatis Abel Bethmaca, de qua exclamauit mulier ſapiens ad* Ioab, [c] &c. Vult ergo hic author qui Hieronymus putatur, Abel magnum eſſe vrbem, & quidem eandem cum Bethſames, eique conſentit Adrichomius in tribu Dan. [d] & Caietanus, ſi tamen Abel interpretetur luctus. Lyranus non vrbem agnoſcit, ſed lapidem, qui prius Aben, mox ex euentu cladis dictus ſit Abel, Abulenſis idem ſentit, [e] niſi quod amanuenſium culpa putat Aben in Abel commutatum; quod quidã quoque Rabbini ſentiunt, quomodo area Athad dicta eſt *Planctus Aegypti*, ſiue *Abel Meſraim*, ob funus Iacobi ibi, cum magno Ægyptiorum planctu, celebratum. c 2. Reg. 20 d n. 14. e q. 23. in med. Gen. 50. 11.

LX. An potius ſaxum ingens.

Existimo itaque cum hiſce ſcriptoribus, aliiſq; nonnullis, Abel magnum non eſſe hoc ſaltem loco ciuitatem, vel oppidum, ſed lapidem magnum; quod Scriptura videtur exigere, ſequitur enim, *Super quem poſuerunt Arcam Domini*, quo modo in Hebræo quoque, ac Græco legitur, atqui ex præcedentibus conſtat, poſitum fuiſſe ſupra magnum lapidem. 7. Nec recte dicatur arcam poſitam ſuper vrbē, id eſt in vrbe, nec ligna compoſita ſuper eam, cum vaccis in holocauſtum. [f] Deinde hìc locus dictus eſt eſſe in agro Ioſue Bethſamitis; [g] at vrbs non eſt in agro priuati hominis, ſed vice verſa priuatorum fundi in agro ſunt, ſiue intra fines vrbis: quod etiam notauit Dionyſ. Porro dicitur etiam lapis illo eodem loco fuiſſe; dum hæc hiſtoria ſcriberetur. Itáque legit ex antiquis S. Grego. ex recentioribus Abulenſis. nam Arca vix vnum ibi diem alterúmve manſit, vt ait Serarius. is autem lapis viſitur vſque in præſentem diem. 7. ℣. f c. 6. v. 14. g v. 18. Vatabl. Eman.

LXI Quæ hic peccet Ioſephus.

Non deſunt autem etiam hoc loco, quæ in Ioſepho ex Scriptura emendentur. Poſtquam enim in vtramq. partem à Philiſthæis diſputatum ait de remittenda aut retinenda Arca, idq; probabiliter admodum, vt apparet ex v. 9. ſubdit ſententiam probatæ prudentiæ hominum viciſſe, quibus remitti Arcam placebat, nec retineri rectè hactenus. Illud autem non rectè, quod ab his modum retinendæ Arcæ ſuggeſtum dicat, cum à ſacrificulis & diuinis id conſilij datum Scriptura dixerit. Non rectè quoque quod cum eum anorum, & mariſcarum puderet oblatarum, eas in aureas hominum ſtatuas, ἀνδριάντας videlicet, commutauit: ſigilla potius, ſiue ἀγάλματα diceret, vel communi vocabulo εἰκονίσματα cum Septuag. nec erat quod eum in huiuſmodi oblatione puderet, cum in eos qui hæc afferunt redundet pudor: ægri enim confuſio eſt, non medici. 1. 2. 3.

LXII. Aliam eodem emendanda.

Non recte etiam quod has ſtatuas in teſtimonium gratitudinis Deo dedicaſſe ait, quod eius fauore inquit, ſeruati eſſent ex ea peſte, quam humanis remediis euadere non poſſent. At Scriptura, *quod debetis*, inquit, *reddite ei pro peccato, & tunc curabimini*, & iterum *ponetis vaſa aurea, quæ exoluiſtis ei pro delicto.* Non ergo in gratiarum actionem quod curati eſſent, ſed pro peccato vt curari poſſent oblata fuerant illa donaria. Non rectè denique illud dictum videtur, incluſos domi vitulos, ne impedimento matribus eſſent, & vt fœtuum deſiderio magis properarent. At neque equuli impediunt equas in curru, ſed eas infatigabiles διασωζομένους ἐξ αὐτοῦ νοσήματος. v 3 v. 8. 4.

perſequuntur: & vituli incluſi matres potius retracturi erant mugitu ſuo, quam
monituri vt cito redirent, quæ rediture nunquam erant. Illud autem non eſt
abſurdum, licet à Scriptura omiſſum, quod ait plauſtrum ad triuiũ productũ,
ibique relictum, vt quamcunque viam vellent vaccæ inirent. Vide S. Auguſt.[a]

a l. 10 de ciuit. c. 17.

LXIII. *Luctus Bethſamitarũ, & eius cauſa.*

Transeamvs deinceps ad Bethſamitarum luctum; nam hîc quoque extrema
gaudij luctus occupauit. *Percuſſit enim Dominus de viris Bethſamitibus, eò quod vidiſ-
ſent Arcam Domini, & percuſſit de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia ple-
bis.* Duo hîc ſi non dubia, certè admirabilia: ipſa magnitudo cladis huius, &
animaduerſionis in populum iſtum, & tenuitas culpæ, quæ illam anteceſſit.
Quis enim non miretur non ſolum crimini datam viſionem Arcæ, ſed tanto etiã
crimini, quantum tanta pœna teſtatur? Itaque certatim interpretes cauſam
iſtam aggrauant, ne nimius videatur diuinæ ſeueritatis rigor. Lyranus quatuor
memorat cauſas percuſſionis huius; primam ex Hebræis ineptam lætitiam, ex
leuitate animi, non ex debita reuerentia profectam; alteram holocauſtum inde- 1.
bite oblatum, cum mares tantum offerri deberent in holocauſtum; tertiam cu- 2.
rioſitatem in Arca nuda videnda, quod capitali pœna in lib. Num.[b] ſancitum 3.
fuerat; quartam addit quod Arcam Domini diutiùs ſub dio dimiſerunt, ſine lu- 4.
minaribus, & cultu debito.

b c. 4. 10.

LXIV. *Examinãtur.*

Vervm prima illa cauſa inepta eſt, & hominũ temerè iudicantium; neq; enim
Bethſamitarum lætitia à Scriptura reprehenditur, altera vel vera non eſt, ſi id ſa-
crificium à Philiſthæis ſacerdotibus peractum eſt, iuxta ea quæ paulò ante dice-
bamus,[c] vel eorum tantum ſacerdotum delictũ fuit, à quibus ſacrificatum eſt;
nec debuit paucorũ culpa in totius populi perniciem redundare: vt notant Serar.
& Abul.[d] Tertia probabilior eſt, quæ etiam ex Hebræo textu amplificatur, in
quo habetur, *quia aſpexerunt ea, quæ erant in Arca Domini*, vt vertit Pagnin. vt alij, *quia
introſpexiſſent in Arcam Domini*, aut curioſitate ſola incitati, aut ſtudio cognoſcen-
di, an Philiſthæi aliquid abſtuliſſent eorum, quæ in ea ſeruari ſolebant, aut è con-
trario quippiam appoſuiſſent, ſicut donaria ſua in capſella ad latus applicarant.
Non abeſt ab hac ſententia Ioſephus, qui non viſam tantum Arcam dicit à Beth-
ſamitis, ſed profanis etiam manibus, cùm non eſſent ſacerdotes, attrectatã. Quar-
ta autem cauſa incerta eſt: neque enim conſtat quam diu fuerit apud Bethſami-
tas. cultus autem & luminaria, non adhibebantur niſi erecto tabernaculo; quod
tunc erat adhuc in Silo.

Cauſa probabilis.

c n. 57.
d q. 25. in hoc c. 6.
Abul. q. 26. & Serar.

LXV. *Alia cauſa ex Sept. & Theod &c.*

Theod.[e] eumq; ſecuti Procop. & Cedren. iuxta verſionẽ Septuag. Interpretũ
aliam afferant cauſam cladis huius. Sic autem habent interpr. *Et non ſunt delectati
filij Iechoniæ in viris Bethſames, quia viderant Arcã Domini.* Theod. verò, *filij quidem Ie-
choniæ*, inquit, *vt impij & ſeruientes idolis, ægre tulerunt videntes Arcam, & merito luerunt
ſupplicium. Populus autem fuit caſtigatus, vt qui noluerit pro Arca adire periculum, & ſeptem
menſes eam reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellũ non ſuſceperit. Cùm ergo oſtendiſſet Deus
ſe eorum auxilio non indigere, & quantum cultum & honorem ab impiis alienigenis accepiſſet,
eos caſtigauit, vtpote qui magis impii quam alienigenæ fuiſſent.* Illos de populo primarios,
filios Iechoniæ vocat, illuſtris vt apparet cuiuſpiã viri familiam, quam impietas
obſcurauit, nec improbabilis eſt hæc impietas, in corruptiſſimo tum populo, qui
tam diu improborum ſacerdotum exemplis deprauatus fuerat.

e q. 14.

LXVI. *Punita ſeuere curioſitas, & quare.*

Nihilominvs libentius acquieuerim illi cauſæ,[f] quæ Latinis, Hebraïciſque
codicibus conſentanea eſt, quam paulo ante tertio loco numerauimus, vt nõ vi-
ſam tãtum Arcam dicamus, (id enim culpa vocat, ſi caſu contigerit denudari, &
non cum videntium ſcientia & volũtate) ſed curioſé nudatam, inſpectam, attre-
ctatam quod ad quendam contemptum pertinet, vnde Eucherius,[g] *& ideo iſti*,
inquit, *non de viſione, ſed de deſpectione & temeritate mulctati ſunt.* conſentit Rupert.[h]
quod Dominus non iuſta ſolum animaduerſione puniuit, præſertim ſi alioqui
fuerunt impij, & falſorum numinum cultores, vt ait Cedrenus cum Procopio &
Theodor. ſed neceſſaria. Periculum enim erat, ne Iudæi Arcam Domini, quæ ſep-
tem menſibus in profanorum, atq. impiorum hominum poteſtate fuerat, viliorẽ
ac contemptibilem putarent, cum magno totius Moſaïcæ religionis detrimẽto;
quæ hac tam ſeuera animaduerſione delinquentium in eam magis, magiſque ſta-
bilita eſt, vt notauit Abul.[i] ſed quæ tandem fuit hæc animaduerſio?

f Abul. q. 26
g in 1. Reg. c. 2.
h 1. Reg. c. 6.
i q. 26. in fin.

LXVII. *Quot occiſi.*

PERCVSSIO fuit, non quæ morbo percuſſos affligeret, ſed quę mortē violentam afferret, vt omnes conſentiunt cum Ioſepho, quod autem genus mortis, omnes ſilent. Hebræi non diſtinguunt plebem a populo, ſed ita explicant, vt dicantur occiſi ſeptuaginta, ſupra quinquaginta millia, quā ſententiam exhibent quoque Septuaginta, & probant Emanuel Sa, Serar, Eucherius quoq; diſertè habet populum & plebem hoc loco, pro vna eademque re indifferenter accipi, quod totidem verbis habet, etiam Angelomus; & confirmat ſiue Hieronymus, ſiue author traditionum Hebraïcarum, cum Ruperto, [a] qui eius verba de more tranſcribit.

Aldi. Rom. Baſil. Reg.

[a] 1. Reg. c. 16.

LXVIII. *An tantū 70.*

SED quomodo tam leuem ob culpā ait Serar. tantam populi ſui ſtragē Deus edidiſſet? quæ admiratio multorum fuit, etiam antiquorum, quos ad varias huius loci cōpulit interpretationes. Hieron. in tradit. ex quo pleriq; certatim, Rupert. Lyran. &c. *Hos ſeptuaginta viros*, inquit, *iudices ſeptuaginta Hebræi intelligunt, quorum merito, & gloriæ quinquaginta millia viri cōparabantur, ſicut & de Dauid dicitur. Quia tu vnus pro decem millibus computaris*, idemque ſentiunt Rabini recentiores, quibus præiuit Ioſephus, qui nullam facit quinquaginta millium mentionem; ſed tantum 70. *Cæterum* inquit *indignatio Dei Bethſamitas inuaſit, ex quibus ſeptuaginta occidit, quod, cum non eſſent ſacerdotes, profanis manibus contrectare Arcam ſint auſi*. Et mouit Abulenſ. [b] Ioſephus, vt putaret adiectitium eſſe numerum 50. millium, quoniam is a Ioſepho tacitus fuiſſet. Addit etiam non videri probabile tot hominum millia vno die, aut minori etiam tempore concurriſſe ad videndam arcam; nec tantū fuiſſe oppidū Bethſames, vt 50. millia ciuium caperet; & eo etiā plures: non enim omnes occiſi ſunt, ſed ſuperfuit populus, qui lugeret occiſos. Poteſt & ſenſus eſſe, inquit Emanuel Sa, in eo populo, in quo 50 millia hominum erant, percuſſos fuiſſe Septuaginta. atque id fortaſſe voluit indicare Chaldæus, cum addit *in vniuerſitate*, quaſi dicat, cum omnis populus 50. millibus hominum conſtaret. Sic ipſe.

[b] q. 28. in c. 6.

LXIX. *Retinetur communis ſententia.*

CHALDÆVS autem habet, *Et occidit in ſenibus populi 70. viros, & in vniuerſitate 50 mille viros*. Dicendum eſſet, 50. millium virorum. Nec ea expoſitio textui Hebræo, aut Latinæ, Grecæve interpretationi quadrare poteſt. Itaque ſimplici verborum intelligentiæ, cum communi interpretum ſuffragio, adhæreamus. Cum Theodoreto [c] (apud quem pro 40. millibus, legendum 50. ex Codice Græco) Procopio, Gregorio magno, [d] Beda, Ruperto, [e] Eucherio, Angelomo, Comeſtore, Cedreno, aliiſque recentioribus: idque confirmatur ex eo quod hic dicitur populus *percuſſus plaga magna*, quod haud ſcio, an ſatis in 70. virorum cæde, ex vſu Scripturę vſurpetur. Nec Abulenſis probat tam breui tempore Arcam manſiſſe apud Bethſamitas, aut eodem ipſo die omnes occiſos. Quin potius credibile eſt, Arcam delatam in vrbem, & decenti quopiam in loco poſitam, ibique à toto populo ſat diu curioſè ſpectatam, tractatamque; à maioribus vſque ad minores, qui non ad vrbem ipſam tantum, ſed ad pagos circumpoſitos pertinebāt, quibus Bethſamitarum nomen, propter vicinitatem, accōmodatur.

[c] q. 14.
[d] in 1. Reg. c. 4 ſub fi
[e] in 1. Reg. c. 16.
in Chron.

LXX. *Arca menſibus aliquot manſit in Bethſames.*

NON conſtat quidem quam diu apud Bethſamitas Arca permanſerit. Nam ſi tantam cædem conſideres, eam aliquot dierum, atque adeo menſium ſpatio probabile eſt cōtigiſſe, dum populus cauſam graſſantis apud ſe mali minus animaduertit, eadem, qua paulò ante Philiſthæi, negligentia. Rurſum autem cum Bethſamitæ nuncient habitatoribus Cariathiarim non admodum à ſe diſtantibus, vnius fere diei iter interiicit Adrichomius, [f] reduxiſſe Philiſthæos Arcam Domini, non ita veterem eam reductionem eſſe oportuit, vt nemini noua res eſſet. Quamquam dici poteſt Bethſamitas obiter reductionem iſtam, vt rem ſatis notam, nūciaſſe vicinis ſuis; intendentes pręcipue illos euocare ad Arcā apud ſe collocandam. Itaque menſes aliquot, tam Bethſamitarum morbis & mortibus funeribúſque, quam deliberationi de Arca à ſe dimittenda, legationique ad ciues vrbis Cariathiarim, non incongruè, vt arbitror, tribuemus, vt tota mora Arcæ apud Philiſthæos, & Bethſamitas vnius circiter anni fuerit. Sed quid eſt quod timeamus pauculos menſes commorationi Arcę apud Bethſamitas tribuere, cum Genebrardus [g] in Chronico dubitet an ei viginti annos tribuat?

[f] in tribu Dan: ad 7. horas.
[g] in Chron. in Heli.

LXXI. *Non tamen annis.*

VERVM ea res in dubium vocari non debet, neque poteſt. Cùm enim conſtet Samuelem poſt 20. annos commorationis Arcæ in Cariathiarim egiſſe cum

populo, eúmque congregaſſe in Maſphat, & victoriam de Philiſthæis reportaſſe, multo antequam Saul eligeretur in Regem, aut omnino Rex à populo peteretur, certè ſi iſtis viginti annis totidem alios commorationis Arcæ in Bethſames præmiſſos dicamus, oportebit annum vigeſimum Arcæ in Cariathiarim incidere in annum mortis Saulis; nam quadrageſimo ab hinc anno occidetur Saul, cum iam ante vnum vel alterum annum mortuus eſſet Samuel, nedum populum exhortari poſſet, aut cum hoſte pugnare.

Cvm ergo apud Bethſamitas funera funeribus cõtexerẽtur, & in dies vrbani, paganíque morbis ſternerentur & mortibus, luxerunt vehementer; quod non meliore conditione fuiſſent quam Philiſthæi, quod plaga magna ipſi quoque licet diuerſa fuiſſent affecti. Itaque ipſi quoque conſilium cœpere Arcam à ſe dimittendi; rati, aut ſe indignos eſſe, qui rem tantę ſanctitatis apud ſe retinerent; aut Deum in Arcæ præſentia ſeuerius agere, quam vt eam ſeueritatem ipſorum infirmitas ferre poſſet, quæ videtur eſſe vis eorum verborum. *Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? Et ad quem aſcendet à nobis?* Cumque variæ ſententiæ dicerentur; placuit eam deferri in vrbem Cariathiarim; ſiue quod ea ciuitas eſſet nobilior, atque honoratior; idque in Arcæ honorem cederet; ſiue quia interior in regione Hebręorum, & ab hoſte in feſto Philiſthęo remotior, ſimulque ab eorum vi, atque incurſibus munitior. LXXIII. *Conſilium capiunt de ea dimittenda.*

Miservntqve *nuncios ad habitatores Cariathiarim.* Importunum enim fuiſſet, ac fortaſſe periculoſum Arcam non præmonitis mittere: nulláque facta calamitatis ſuæ mentione dixerunt, *Reduxerunt Philiſtiim Arcam Domini, deſcendite, & reducite eam ad vos*; quod illi libenter fecerunt. Etſi enim, vt credibile eſt, plagam ipſi Bethſamitarum non ignorarunt, aut Philiſthæorum; ſed ſciebant quoque iſtos eſſe idololatras hoſtes Dei ſui, illos autem dedicerant ſe aduerſus Arcam parum reuerenter habuiſſe, cui malo vt occurrerent, elegerunt apud ſe viri honeſti ac religioſi domum, in qua eam collocarent, & ad eius cuſtodiam filium eius ſanctificauerunt, ille vocabatur Abinadab, iſte Eleazar, qua dere iterum aliquid anno ſequente. LXXIII. *in Cariathiarim.*

a l. q. ant. c. 2. Iosephvs autem [a] vt hunc annum concludamus, cum dixiſſet ſeptuaginta viros apud Bethſamitas occiſos, propter Arcam ab ipſis parum reuerenter attrectatam. *Ea res*, inquit, *lætitiam vicanorum nouo luctu nonnihil obſcurauit, eo magis quod ſuos non fatali morte, ſed diuina vltione extinctos deſiderabant; quamobrem indignos ſe ducentes, qui hoſpitium Arcæ præberent, mittunt nuncios ad vniuerſos Hebræos, qui certiores faciant de Arca à Palæſtinis reddita. Illi re cognita transferunt eam in Coriathiarim, vrbem vicinam Bethſamitis; atque ibi apud Aminadabum quendam leuitam, opinione religionis ac iuſtitiæ celebrem, in ædibus eius collocant; idoneum ſacrario locum exiſtimantes, vbi vir iuſtus haberet domicilium. Cura Arcæ commiſſa eſt eius filiis, quam per viginti annos ſumma cum laude geſſerunt.* LXXIV. *Quid hic Ioſephus.* ἔκλαυσαν

Non indecore minuit admodum luctum Bethſamitarum interpres, cum videret cladem à Ioſepho vſque adeò diminutam. Sed nec Ioſepho ſuccenſeo quod dixerit miſſos à Bethſamitis nuncios, πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Ἑβραίων, licet ad ſolos Cariathiarenos miſſos Scrip. tradere videatur, rémque totam ſignificet inter ipſos tranſactam. Nam aut Samuelem, aut Achitobum Pontificem, aut vtrumque etiam ſuper ea re admonitos fuiſſe facile conceſſerim. De mora verò Arcæ in Cariathiarim, in qua valde fallitur Ioſephus, alio in loco dicendum erit. LXXV. *Mendoſe.*

Erat hoc tempore Saul ætate matura, annorum circiter triginta; Suſceperat enim iam ex vxore, tres liberos, Ionatham, qui vbique inter fratres ſuos primo loco à Scriptura memoratur: [b] & regni hæres atque ſucceſſor apertè demonſtratur, cum illi à patre dicitur,; *quandiu filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum.* Suſcepit deinde Abinadab, ſecundo genitum, qui Ieſſui dicitur in 1. Reg. & tertium Melchiſua, omnes viuo Heli. Quartum autem & poſtremum; quantum quidem à Scriptura diſcere poſſumus, ſuſcepit hoc anno, qui in 1. Paralip. Eſbaal dicitur, à ſeptuaginta Ἰσβααλ quæ vox redditur ignis idoli, vel ignis dominantis, alluſione facta fortaſſe ad cladem idoli Dagon, aut Palæſtinorum dominantium Iſraelitis. In ſecundo autem Regum dicitur Iſboſeth [c] id eſt vir confuſionis; quod in media rerum perturbatione, & confuſione regna- LXXVI. *Saulis fili 4. Ionatha. Abinadab Melchiſua Esbaal.*

b 1. Reg. 3:. 2. 1. Paral. 8 33. & ca 9. 39. 14. v. 49. lo. cit. apud Ariam

c ca 2. 10.

re cæperit, hinc patre mortuo cum tribus filiis, inde Philiſthæis victoribus publicæ rei interitum molientibus: & Dauide inſuper in regnum imminente; & hoc eius nomen notius eſt, & frequentius vſurpatur.

LXXVII. *Ortus Isbosethi.* Hoc inquam anno natus eſt Iſboſeth, quippe qui 40. annorum erat[a] cum pater eius Saul extinctus eſt. Cum autem Reipub. adminiſtratio ſub Samuelis magiſtratu, & regno Saulis 40. annorum fuerit, vt ex Pauli aſſertione[*] iuncta communi expoſitione conſtat,[b] neceſſe eſt Iſboſethum hoc primo Samuelis anno natum eſſe; Idque confirmat Abulenſis, in cap. 2. ſecundi Regum,[c] vbi & Rabanum refutat, qui idcirco primo regni Saulis anno natum putauit Iſboſethum, quia Sauli ſeorſim à Samuele 40. annos attribuit; vt videtur ſenſiſſe D. Paulus, qui ſolum Saulem nominauit in Actis. verum in illis annis includi etiam Samuelis principatum, qui minimum 20. annorum fuit, communis eſt interpretum, & chronologorum ſententia.[d] Idque ex eo liquet, quod alioqui ſumma annorum ab exitu ab Ægypto ad templi fundationem non 480. annorum fuerit; ſed tot anni huic ſummæ addendi erunt, quot Samueli ſeorſim tribuentur. Conſentit Abulenſi Torniellus.[e] Supponit autem hæc ſententia Iſboſethum ſtatim à morte patris regnare cœpiſſe; quod verum eſſe in regni eius initio dicturi ſumus.

a 2. Reg 2. 10.
b Act. 13. 21.
c q. 11.
d vide ſup. l. c. n. 3. 1. Reg. 7.
e a. m. 2940 n. 7.

SCHOLIA IN ANNVM PRIMVM SAMVELIS.

XX. N. 1. HIc author mirabilium mendoſo codice Septuaginta interpretum vſus videtur, ſicut & Lucifer Calaritanus: pro ἑκάστων enim, legerunt ἑκατὸν. Vide notas in verſionē Latinam τῶν 70. in c. 5. Baſilienſes habent ἀφεδρῶν ἑκάστων abiunctum quodlibet.

XXII. N. 2. Vide Serar. in hunc locum. Abulenſis negat hoc obſeruari ſolitum, præterquam apud Azotios, vt indicat textus ipſe; ſed addit etiam, ne ſolitos quidem Azotios calcare locum, in quo iacuerat truncus ipſe idoli, tanquam æquè ab Dagone conſecratum, aut etiam amplius. Scripturam autem de limine tantum meminiſſe, quia id difficilius erat in limine obſeruari.

XXV. N. 3. Quidam vt Pagninus & Caiet. illum ſedis morbum ex Hebræo verterunt mariſcas, quæ ſunt tubercula vlceroſa circa podicem in modū ficuū, vnde & fici a Martiale dicūtur.

Dicemus ficos Caciliane tuos.

Græci ſeruata metaphora σῦκον & σύκωμα. & σύκωσιν, συκάμινα quoque, & συκόμορα dixere. Nec aliud intellexit Satyricus mariſcarum nomine; mariſca enim genus eſt ficorum

——podice leui

Cæduntur tumidæ medico ridente mariſcæ.

Medici etiam fungos appellauere, propter ſimilitudinem quandam. ſed de his ſatis.

LI. N. 4. Caietanus putat iſtos ariolos, & ſacrificulos non fuiſſe Philiſthæos genere, ſed alienigenas, & diuerſorum deorum cultores; eo quod de ipſis Philiſthæis & eorum terra, & diis in ſecunda perſona loquantur. Vtique parum firmo argumento. Quoties enim Moyſes alloquens Iſraelitas dixit, *Dominus Deus veſter pugnabit pro vobis?* Deut. 3. 22. Sic Ioſue c. 1. 13. *Deus veſter dedit vobis requiem.* Et Saul, *vt adorem Dominum Deum tuum.* 1. Reg. 15. 30. Et Eſaias, *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo.* Iſai. 7. 11. & Ieremias, *Dereliquiſti Dominum Deum tuum.* c. 2. 17. & id genus alia ſexcenta; Quid quod ipſi mox in prima perſona loquentes, ſe Philiſthæos aperte declarant: v. 9. *ipſa fecit nobis hoc malum grande.* & rurſum, *nequaquam manus eius tetigit nos.*

De hac Capſella ſic Theodoretus q. 13. in 1. Reg. *Ea vero donaria poſuerunt in quodam vaſe quod Septuaginta vocarunt.* Boergaz, βοεργαζ. in 70. Sixti habetur ἐν θέματι βερεχθὰν, in Hebræo eſt בָּאַרְגַּז quod eſt *in capſa.* pergit Theodoretus, *Ioſephus autem dicit loculum, vel marſupium,* habet autem γλωσσόκομον, quod arculam quoque, & capſulam vertas. Symmachus λαρνάκιον, alii aliter; vide Procopium, & ſcholiaſtem Græcum, & Latinum 70. interpretū. LII. N. 5.

Quærit Abulenſis q. 14. in cap. 6. quid factum ſit iſtis aureis Philiſthæorum anis & muribus. Reſpondetque videri repoſita ab Iſraelitis in Sanctuario, tanquam anathemata omnibus conſpicua, in monimentum diuinæ animaduerſionis in hoſtes populi ſui: quos plagis edomitos, cum pretioſis donariis reſtituere coegerit arcam ſuam, quam habebant in poteſtate, quod in magnam Dei gloriā redundabat, & populum ad veri Dei cultū acuebat. Non diffitetur tamen dici poſſe hoc aurum, quod nulli profano vſui ſeruierat, in aliqua Sanctuarii vaſa transformatum fuiſſe. Huc pertinent, & ſeditioſorum thuribula, æneuſque ſerpens, imo & manna in vaſe cōſeruatum, & virga Moſis & Aaronis, quæ populo diuinorum beneficiorum memoriam identidem renouabant, ideoque & conſeruabantur. vide eundem pluribus in quæſt. 14. LII. N. 6.

Caietanus hoc loco; A quatuor, inquit, deſcribitur vbi poſita fuerit Arca; primum a lapide magno tanquā loco propriiſſimo: deinde ab agro Ioſue tanquā loco prædicti lapidis; tertio à magna planitie tanquā loco communi, cuius pars erat ille ager, & demum à ciuitate Bethſames tanquam a proprietate territorii, ſic Caietanus. LX. N. 7.

ANNVS MVNDI 2941. DILVVII 1285. QVINTÆ ÆTATIS 2. EXITVS ET LEGIS 398. ARCÆ IN CARIATHIARIM 1. Samvelis Ivdicis 2. Achitobi Pontif. 2. Isai 62. Exidii Troiani 71. Thinæi 21. Imperii Assyriorvm 1010.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1112.

EXtremo quidem anno ſuperiore tranſlata eſt Arca Domini in Cariathiarim; eius tamen hic primus annus dicetur, breui tempore prætermiſſo, vt expeditior ſit chronologia, quæ annos obſeruat, exhibetque Iulianos. Celebris itaque eſt hic annus nouis Arcæ Domini ſedibus, poſt repulſum à Domino tabernaculum Silo; ex quo enim inde abducta eſt plurimos peruagata locos, in Bethſames, & quinque Palæſtinorum ciuitatibus, nullibi habuit fixam & conſtantem ſedem, donec in Cariathiarim collocata eſt, ad annos ferme quinquaginta, quando inde à Dauide in ciuitatem Dauid tranſlata eſt. Valde autem Ioſepho aſſentior [a] hanc tranſlationem non priuata vnius aut alterius oppidi voluntate factam eſſe, ſed Achitobi Pontificis, in primiſque Samuelis Iudicis, & Prophetæ conſenſum, & vero etiam Senatus, & maiorum natu populi totius auctoritatem interueniſſe; deniq; vt Ioſephus ait τῇ κοινῇ τῶν ἱερέων. Quin etiam perſuaſum habeo conſultum ſuper ea Dominum, vel in Silo à Pontifice, vel alibi à Samuele Propheta, de Cariathiarim reſpondiſſe; & omnes tantæ authoritati libenter ceſſiſſe. I. *Arca in Cariathiarim*

a l. 6. ant. c. 2.

Fvit autem hæc vrbs, temporibus Moſis & Ioſue, Gabaonitarum, priuſquam occuparentur ab Hebræis, vt conſtat ex Ioſue nono. [b] poſtea tribui Iudæ aſſignata eſt, Ioſue 15. [c] vbi Cariathbaal quoque dicitur, & vrbs ſyluarum vertitur mox tamen ſorti Dan attributa eſt, quando diminuta eſt portio Iudæ, & in eius quaſi ſinum tribus Dan, & Simeonis allectę ſunt. Ioſue 19. Sed quare hæc potiſſimum vrbs electa eſt, ad diuini huius theſauri cuſtodiam? An quia terminus erat tribuum Iudæ, Beniamini, & Dan? [d] an quia celſo in loco, vt Silo, & natura ipſa munito, & à Philiſthæorum incurſibus remotior? & pene in medio poſſeſſionis Hebræorum, 4. milliaribus prope Ieruſalem; quæ illi diuturnior parabatur ſedes. An denique metus nobiliores inceſſerat ciuitates, ne ipſis fortaſſe contingeret quod proxime Bethſamitis, & dudum ante contigerat Philiſthæis? II. *Quæ fuerit ea vrbs, cur electa*

b c. 9. 17.

c verſ. 60 & cap. 18. 14

d Adrich. in tribu Dan n. 17.

De communi ergo conſenſu *venerunt viri Cariathiarim* in Bethſames, indeque eductam Arcam, *reduxerunt*, detulerunt videlicet humeris ſuis, vt moris erat, ad eumque finem annuli erant lateribus eius affixi: [e] & credibile eſt id factum à ſacerdotibus ad maiorem reuerentiam, quam illi recens conciliabat metus. *Intulerunt autem eam in domum Abinadab in Gabaa*, qui erat collis vrbis Cariathiarim, in quo erat hęc domus. Cúmque ibi non eſſet Sanctuarium, oportuit eam inferri in priuatam domum. Porro Gabaa non eſt hoc loco, vt putauit Lyranus, proprium vrbis vocabulum, quæ ad tribum Beniamin pertinebat, de qua Iudicum 19. [f] ſed eſt commune vocabulum, collem ſignificans, ſiue excelſam vrbis illius partem; idque probant tum Septuaginta interpretes, qui pro Hebræa voce Gabaa, poſuerunt βουνόν, id eſt collem; tum ſcriptura ipſa, in primo Paralip. [g] vbi habetur Dauidem cum vniuerſo populo, aſcendiſſe *ad collem Cariathiarim, qui eſt in Iuda, vt afferret inde Arcam Domini Dei*. Itáque ſentiunt Theodoretus, [h] Abulenſis, [i] Serarius, Torniellus: non tamen Ioſephus, etſi eum aliqui referant ita ſentientem. III. *Ibi Arca in colle poſita.*

e Exo. 37. 5.

f v. 12. 14. 16 &c.

g c. 13. 6.

h q. 20 in l. 1. Reg.

i q. 9. in c. 7. 1. Reg.

Illvd potius ſenſit, ſcripſitque, curam Arcæ commiſſam fuiſſe filiis Abinadabi; reſpexit enim in illum locum ſecundi regum, [k] vbi alii duo filii Abinadabi, Oza ſcilicet & Ahio memorantur. Hic tamen ſolus nominatur Eleazarus, quem Scriptura ſanctificatum ait, vt cuſtodiret Arcam. quo modo habent etiam IV. *Et commiſſa Leuit*

k c. 6. v. 3. ἡγίασαν.

Septuag. At Chaldęus paraphraſtes, *& præfecerunt ad cuſtodiendam Arcam Domini.* itidem Ioſephus, vt dixi. Recte, approbante Vatablo, Emanuele, Toſtato,[a] neque enim hic vlla conſecratio requirebatur, aut Leuitica, aut ſacerdotalis, quandoquidem nullum eius miniſterium requirebatur circa Arcam; ſed tantum cuſtodia. Eum Leuitam fuiſſe, & Leuitæ filium iam ex Ioſepho[b] dictum eſt; cui ſuffragatur Theodoretus[c] ſed potuit tamen etiam merè laicus eo munere fungi, vt poſtea Obededom. qui Gethæus fuit, oriundus ſcilicet ex Philiſthęis, vt Theodoreto placet, qua de re dicemus anno Dauidis 10. n. 33. & Dauid Iudam habuit parentem, non Leui, qui tamen diu Arcam Domi ſuæ cuſtodiuit. qua de re vide pluribus Abulenſem.[d]

a q 19. in c 7.
b l. 6 ant. c. 3.
c q. 20. in 1 2 Reg.
2. %.
d q. 22. in c. 7.

V. *Cur non reducta in Silo.*

VIDEO erudite lector Siluntem te hic habere ſollicitum; nec ſine cauſa requirere, cur ARCA eo reducta non fuerit hoc tempore. At ego etiam Sanctuarium, ſiue Tabernaculum amiſiſſe arbitror, nedum Arcam recuperaſſe: cuius amittendæ cauſam meliorem nullam habeo, quam Deum, ſiue conſultum, vt dixi, ſiue vltro apparentem. Id prohibuiſſe autem, vt credere par eſt, offenſum tam populi, quam ipſorum etiam ſacerdotum peccatis, de quibus multa eſt in hoc ipſo libro querela.[e] Addo Rupertum,[f] & myſticam cum illo cauſam. *Nuſquam*, inquit, *ex tunc in Silo Arca reducta fuiſſe legitur, quia repulit, & ſpreuit locum illum Deus: in typum videlicet Synagogæ, in qua quondam erat Sanctuarium Domini, ſed repulſa & ſpreta eſt, & omne ſanctum alio tranſmigrauit.* Huc quoque pertinet illud Ieremiæ.[g] *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei Iſrael.* quod non ſolum ad tabernaculum refertur, quod erat quaſi domus Dei, iuxta illud,[h] *Sanctificabo tabernaculum teſtimonii, & habitabo in medio filiorum Iſrael*; ſed ad ipſam Arcam, in qua quaſi in throno, & ſolio ſuo ſedere dicebatur. De ea ſiquidem,[i] *Inde*, inquit ipſe, *præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim.* Vacua ergo manſit domus, Domino eius cum ſolio ſuo eam deſerente, ipſorummet manibus, qui ſe ea reddiderant indignos.

N. 1.
e cap. 2 & 3
f l 1. Reg c 17.
g c. 7 12. Vide a. m. 2583. n. 199.
h Exod. 29. 44. 45.
i Exod. 25 22.

VI. *E Silo tabernaculum quoque tranſlatum.*

VERVM ne manſit quidem domus ipſa vel vacua in Silo, ſed aliò tranſlata eſt. Hæc enim videtur mens Dauidis cum ait in Pſalmo 77. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus. Eleganter expoſuit*, inquit Auguſtinus, *quare repulerit tabernaculum ſuum, cum ait, vbi habitauit in hominibus. Cum ergo digni non eſſent in quibus habitaret, cur non repelleret tabernaculum, quod vtique propter ſe non inſtituerat, ſed propter ipſos, quos iam iudicabat indignos in quibus habitaret.* Et quamuis proprie repuliſſe, ſiue reliquiſſe, vt eſt in Hebræo, dicatur Dominus tabernaculum Silo, quando inde cum Arca receſſit; plerique tamen hunc locum accipiunt de tranſlatione Arcæ, in quibus Ribera,[k] Lorinus,[l] Torniellus,[m] Chriſtophorus à Caſtro[n] quaſi repulit hoc loco, ſit idem quod tranſtulit: aut deſertam fecit Silo, & ſpoliatam tabernaculo. Non tabernaculo illo Siluntino, quod Hebræi in Seder holam dicunt conſtructum muris lapideis, ſed tabernaculo ipſo Moſaico, quod ex Silo repulſum dicitur, ait Lorinus, quatenus inde tranſlatum, nec illuc amplius reductum. Denique D. Hieronymus in locis Hebraïcis,[o] non ſolum Arcam, ſed tabernaculum etiam è Silo migraſſe tempore Samuelis aperte ſignificat.

v. 60. ibid.
k l. 1. de templ. c 2. n. 6.
l in Pſal. 77 v. 60.
m in ann. 2940. n. 5.
n in c. 7. ier n. 8. c 11. fin
o Verbo Selo.

VII. *In Nobe & quando.*

QVO autem tempore facta fuerit iſta tranſlatio, ex Scriptura ſtatui certo non poteſt. Abulenſis in cap. 7. primi Regum,[p] putat probabiliter poſt mortem Heli ſacerdotis, per monitionem alicuius Prophetæ, quaſi Deo accepta non eſſet habitatio in Silo, tranſlatum fuiſſe tabernaculum in Nobe, vbi illud fuiſſe, ex clade, quæ ibi contigit, minimè obſcurum eſt. Subdit autem illud ibi manſiſſe toto tempore, quo Samuel iudex fuit in Iſrael, & aliquanto etiam tempore in regno Saulis, ergo ſub eius initia eo tranſlatum eſt. Quod diſertè affirmat chronicon Hebræorum in c. 13. Ei aſſentitur Lorinus,[q] Ribera, Chriſtophorus à Caſtro, Serarius in c. 7. primi Regum; nec repugat Torniel. In eam ſententiam laudantur Auguſtin. Euthymius, Ianſenius, Genebrardus in Pſalmos. quorum nemo de tempore tranſlationis tabernaculi quidquam habet; Aſſentiamur autem & nos Abulenſi; nec alium Prophetam monitorem quæramus ab ipſo Iudice, ac Reipub. moderatore Samuele. Suaſit inſuper hanc tranſlationem

p q. 18.
q in Pſal 77 v 60. locis citt

humana prudentia, ne forte Philiſthæi, deletis nuper 34. millibus bellatorum, in Silo impetum facerent; & tabernaculum Arca, id eſt præſidio ſuo nudatum, & alioqui pretioſiſſimum occuparent.

VIII. *Quid denique factum Silo.*

Porro ſi quæramus quid factum fuerit Silo, poſt amiſſam Arcam Domini cũ tabernaculo. Reſpondebunt Hebræi [a] redactam fuiſſe in ſolitudinem. S. Hieronymus in Ieremiam, [b] in ruinas, cineresque collapſum. vtrumque tamen longe poſterius contigit. Nam Roboamo, & Ieroboamo regnantibus Ahias Propheta habitabat in Silo, centum & 20. circiter ab hinc annis. Habitabant & alii etiam poſt incendium templi, & euerſam Hieroſolymam; Quidam enim Silonitæ cum venirent ad Godoliam, ab Iſmaële interfecti ſunt, vt ſcribit Ieremias c. 41. qui eſt annus ab hinc quintus ſupra quingenteſimum. Miſerum tamen fuiſſe ſtatum eius neceſſe eſt, quandoquidem iam tum ab eodem Propheta Silo vſurpata fuerat in exemplum, futuræ Hieroſolymorum, aut eius templi deſolationis. *Dabo domum iſtam ſicut Silo*; [c] quam etiam ob cauſam in iudicium S. Propheta pertractus eſt.

IX. *Vbi deinceps exhibitus cultus religioſus.*

Qvoniam ergo Arca Domini ſeparata erat à Tabernaculo, hoc in Nobe, illa in Cariathiarim collocata, & dubitari non poteſt quin deinceps, viuo ſaltem Samuele, cultus Deo ab Iſraelitis exhibitus fuerit: merito dubitari poteſt an vtróque in loco, vel in altero tantum, & ſi in altero, in vtro ſacrificatum fuerit, cæteráque religioſi cultus obſeruata. In hanc diſputationem fuſiſſimè excurrit Abulenſis [d] in cap. 7. diſputans aduerſus Lyran. pluribus quæſtionibus; eíque conſentiunt Serarius hoc loco, & Ribera in cap. 2. primi libri de templo: ex eodem nos paucula, quæ plurimum lucis hiſtoriæ ſacræ afferre poſſunt, hic attingemus.

X. *Videri in Nobe, apud Sanctuarium.*

Dicimvs ergo ſacrificia, reliquúmque cultum ordinarium, abſente Arca in Sanctuario exhibitum fuiſſe. lex [e] quippe iubebat ſacrificia offerri in altari holocauſtorum coram oſtio tabernaculi; vtrumque autem erat in Sanctuario; Ergo cum nunc tabernaculum eſſet in Nobe, vt diximus, ibi ſacrificabatur; propterea enim ibi habitabant ſacerdotes; [f] indéq; à Saule accerſiti fuerunt; de reliquo cultu diſtinctè habetur [g] panes propoſitionis ibi oblatos, ſublatóſque de more à facie Domini, eademque fuit ratio lucernarum candelabri aurei, & ſuffitus altaris Thymiamatis, circa quæ iugis erat, & quotidiana ſacerdotum occupatio. Cum autem neque altare eſſet apud Arcam in Cariathiarim, neque ſacerdotes vlli, ſed Leuitæ tantũ, quibus etiam non ſacrificandi, ſed cuſtodiendi Arcam demandata eſt cura; perſpicuũ eſt nullũ coram ea ſacrificium quod eſſet, quoquomodo à lege præſcriptũ, oblatum fuiſſe. Adde quod [h] nullum erat ſacerdotibus miniſterium, quod Arcam ipſam attingeret; ſed Pontifici duntaxat ſemel in anno, in feſto expiationis; quod poterat etiam abſente Arca celebrari, aſpergendo ſanguinem in ſancta ſanctorum. Conſentit his Seder [i] Holam ait enim. Quamuis Arca Domini eſſet in Cariathiarim, obtuliſſe tamen Iſraëlitas ſua ſacrificia in Nobe illis 20. annis, quos Scriptura memorat: legimus tamen in Bethel delata ſacrificia: vtique & ſacrificatum.

XI. *An potuit ſacrificari coram Arca.*

Poterant tamen ſacrificia quædam extraordinaria, & libera offerri coram Arca, & reuera oblata ſunt à Bethſamitis, ſine vlla cuiuſquam reprehenſione; & à Dauide dum transferret Arcam in domum ſuam, plurima ſubinde oblata legimus. Nec erat illicitum ſacrificium coram Arca, de ſpontaneis, & poterant aduocari ſacerdotes ad ſacrificandum, vt ait Abulenſis; [k] nec periculum erat idololatriæ, quæ maxime cauebatur, cum determinaretur à lege locus ſacrificiorum, quia coram Arca maxime intelligebatur Deum adorari, non idolum. vide Toſtatum rurſum q. 34. & ſeqq. in c. 7. l. 1. diſputantem contra Nicolaum.

a Seder. c. 11. fi.
b c. 7. v. 12.
v. 5.
c Ierem. 7. 14. c. 26. 6. 9.
d a q. 3. vſq. ad 9.
e Leuit. 1. 3. 5. 11. &c. cap. 17. 3. 4.
f 1. Reg. 22. 11.
g c. 21. 6.
h q. 20. in c. 7.
i c. 13
1. Reg. 6. 15.
1. Reg 10. 3.
2. Reg. 6. 13.
k q. 4. in c. 17. & q. 7.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2941.

III. N. 1. ABul. q. 9. in c. 7. primi Regum, & q. 17. in cap. 13. primi Paral. ait in hoc poſteriore loco haberi in Hebræo Gabaa, ſignificante collem, ſed res aliter habet. Legitur enim Bahalata in Cariath-ieharim, quam vocem quaſi proprium nomen Pagninus retinuit, putátque Vatablus eandem eſſe vrbem cum Cariathiearim; in 2. autem Reg. c. 6. v. 3. & 4. habetur iterum Gabaa pro colle, ſicut & hoc loco.

2 N. IV. Quod tamẽ affirmat Ioſephus l. 7. ant. c. 4. repugnante Abulenſi in c. 7. primi Reg. q. 22. Vatablus adhæret Ioſepho, vultque dictum Gethæum quod peregrinatus eſſet in Geth. ſed hæc vberius an. Dauidis 10. n. 31.

Chronicô Alexandrinum ad 6. Samuelis annum refert initia Pontificatus Achimelechi omiſſo Achitobo ipſius parẽte, vt patet ex primo anno Samuelis. n. 10.

ANNVS MVNDI 2947. DILVVII 1291. QVINTAE ÆTATIS 8. EXITVS ET LEGIS 404. ARCÆ IN CARIATHIARIM 7. SAMVELIS IVDICIS, 8. ACHITOBI PONTIFICIS 8. ISAI 68. EXCIDII TROIANI 77. THINÆI 27. IMPERII ASSYRIORVM 1016.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1106.

I. Annus Sabbat. 52.

SAbbaticvs annus, ordine ſecundus ſupra quinquageſimum, in hunc annum cadit; quem ritè ab Hebræis obſeruatum, facilè adducor vt credam. Non enim aut modica erat authoritas Samuelis apud populum vniuerſum, etiam viuo adhuc, & rerum potiente Heli Pontifice, vt illa verba demonſtrant. *Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel Propheta eſſet Domini*, aut exigua ipſius Samuelis pietas, induſtria, zelus animarum ſibi commiſſarum, vt parum vellet ac poſſet ſibi ſubiectam Rempub. ad neceſſarios, legitimóſque ritus obſeruandos impellere. Id non obſcurè Ioſephus ſenſit, [a] cum ait illis viginti annis, quibus Arca manſit in Cariathiarim, totum populum votis & ſacrificiis operam dediſſe, magnámque religionem, & cultus diuini curam oſtendiſſe. Lyranus [b] ait Samuelem ſtatim à morte Heli, per totum Iſraelem diſcurrere cœpiſſe, & docere populum, vt eum ad Dei cultum reduceret; & ad id excitaſſe argumento acceptæ cladis in morte Heli & filiorum eius, & amiſſione Arcæ. Eadem eſt Caietani ſententia in c. 7. libri huius, Abulenſis item, [c] Serarii, Torniel. [d].

a l. 6. ant. c. 2.
b in c. 7. 1. Reg.
c q. 23. in c. 7
d an. 29 40. n 8.

II. Samuel populum excolit.

Merito itaque affirmare poſſumus Samuelem tam ſeptem præcedentibus quam 13. ſequentibus annis operam dediſſe oppidatim per peculiares, minúſq; ſolennes adhortationes, priuatiſque colloquiis labefactandæ atque extirpandæ idololatriæ, vt re matura, in publicis comitiis vnius Dei cultus ſolenni ritu ſtabiliretur, vti poſtea factum eſt. *Ibat* enim [e] *per ſingulos annos circumiens Bethel & Galgala & Maſphat, & iudicabat Iſraelem in ſupradictis locis, Reuertebaturque in Ramatha, ibi enim erat Dominus eius, & ibi iudicabat Iſraelem;* Egregio profecto boni Principis, & paſtoris exemplo, dignóque in quod vtrique intueantur, vt ipſi quoque domi paſcant gregem ſuum, & viſitent etiam foris. Et ne quis hæc arbitretur à vigeſimo tantùm anno facta eſſe, audi Scripturam. *Iudicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ*, ex quo videlicet ſemel conſtitutus eſt Iudex, adeo vt ne Saule quidem regnante ceſſaſſe videatur. Verum ea de re non nihil poſterius dicendum erit.

e 1. Reg. 7. 16.
v. 15.

III. Quipendit tributa Philiſthæis

Hos porrò annos, ſicut & ſequentes tredecim Hieronymus in tradit. ait fuiſſe *miſeriarum refertos*; quæ tamen illæ fuerint, ipſe non explicat; & altum eſt de ijs in Scriptura ſilentium. Sed à Philiſthæis acceptas fuiſſe, ex horum ſtatu, ac conditione ſatis intelligitur; Eis quippe ſeruiebant hoc tempore. Nam ſub annum etiam vigeſimum dicebat Samuel tibi populo [f] *Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli; & eruet vos de manu Philiſthiim.* Abulenſis autem ex Scripturæ

f 1. c. 7. v 3
q 23.

ſilentio, colligit omnia à bellis quieta fuiſſe per hoſce annos, nec alia etiam contigiſſe, quæ ſtylo digna viderentur; & illæ miſeriæ videntur ex mente Hieronymi ad aliud tempus referendæ, extremos ſcilicet annos Heli. Iſtis autem, de quibus agimus, non aliter videntur Hebræi vexati à Philiſthæis, quam tributis.

ANNVS MVNDI 2950. DILVVII 1294. 5ª. ÆTATIS II. EXITVS ET DATÆ LEGIS 407. ARCÆ IN CARIATH. 10. SAMVELIS IVDICIS II. ACHITOBI PONTIF. II. ISAI 71. DAVIDIS VITÆ I. EXCIDII TROIANI 80. THINÆI 30. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 1019.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1103.

ADEST aliquando nobis annus mundani Iubilęi quinquageſimi noni, annus ſtati, ſolenniſque gaudii, & iubilationis populo Hebræorum in ſuo Moſaico Iubilæo; & toti orbi in mundano & ſuo; præſertim cum ſimul adſit annus lætitiæ ſingularis, non iſti populo tantum, ſed orbi vniuerſo, in ortu clariſſimi ſyderis, cuius Propheticis radiis, nobiliſſimiſq; virtutum regiarum exen[...]lis, mundus vniuerſus illuſtrãdus erat. Adeſt ſanctus Rex, & Propheta Dauid, [...] o nihil neque in Regibus vſquã magnificentius, neque in Dei Prophetis illuminatius, neque in ſapientibus, & alta quadam mente præditis omnium temporum Patriarchis, ad repræſentandum Saluatorẽ expreſſius, neque in ſanctis, & amicis Dei perfectius diuiniuſq; reperitur. Adeo vt ille ipſe Dominus [a] per os Samuelis Prophetæ, interprete Paulo Apoſtolo [b] dicere non dubitarit, quæſiſſe ſe diligenter, tanquã eximii pretii gemmã; & lætantem inueniſſe Dauidem Ieſſæum, virum ſibi longe chariſſimum: qui omnes eius voluntates exequeretur, quas Saul videlicet ante neglexiſſet. — I. *Iubilæus 59. & ortus Dauidis.*

a 1. Reg. 13. 14.
b Act. 13. 22.

NATVS eſt ergo Dauid hoc anno, Iſai parente ſeptuagenario, & primum à ſeptuageſimo inchoante, iuxta ea quæ ſupra anno mundi 2741. diximus, [c] & quidem, vt habetur in primo Paralip. [d] ordine ſeptimus; aut ex primo Regum c. 16. [e] octauus. Eorum vnum plerique non naturalem, ſed adoptiuum fuiſſe putant; in quibus Lyranus, Charthuſ. Abulenſis [f] ex Hebræis, Vatablus, Emanuel Sa. Perſpicuum autem eſt ex 2. Regum c. 5. [g] Dauidem virum fuiſſe 30. annorum cum regnare cœpit, ab hoc autem anno, vſque ad mortem Saulis, cui ſtatim ſucceſſit Dauid, anni 30. numerantur. In exortu porro magni huius, nouique ſyderis, quaſi epocha nominatiſſima, æquum eſt totius mundanæ chronologiæ renouare curſum; Natus eſt ergo Dauid, anno mundi, & Diluuii quem habes in indice, anni huius: ab ortu Abrahę nongenteſimo duodecimo: hunc enim numerum explent tertia & quarta ætas, cum vndecim annis ætatis quintę. In Euſebio, in Theſauro temporum eſt 911. A natiuitate Moſis 487. Samuelis 50. ante iacta templi fundamenta 74. ante eius excidium 496. ante ſolutam à Cyro captiuitatem 566. antè vrbem conditam 352. ante primam Olympiadem 328. — II. *Tempora cum Dauidis ortu cõcurrentia.*

c n. 31.
d c. 2. 15.
e v. 10. & 11 & ca. 17. 12.
f q. 6. in c. 2. pr. Par.
g v. 4.

425.
476.
11.
912.

REDITVS Heraclidarum, ſiue poſterorum Herculis in Peloponneſum refertur in annum ab excidio Troiano 80. ſed poſterior nam prior reditus Hillo duce, ad annum pertinent ab eadem clade trigeſimum. Vide Diodorum Siculũ lib. 4. [h] & Scaligerum in num. Euſebium 866. & 916. quæ vel attingere viſum eſt, ob crebro vſurpatum antiquis, recentioribuſque chronologis, Heraclidarum reditum, ſiue deſcenſum in annorum notis & terminis, & nominatim apud Plutarch. Clement. Alex. & Velleium. Cadit in hunc ipſum annum Thinæi regis Aſſyriorum vigeſimi octaui Euſebio; vel 33. Africano, annus trigeſimus, idemque poſtremus, vt in eiuſdem Thinæi primo anno monuimus. — III. *Reditus Heraclidarum.*

h p. 181. & 182. græc.

ANNVS MVNDI 2951. DILVVII 1295. QVINTÆ ÆTATIS 12. EXITVS ET DATÆ LEGIS 408. ARCÆ IN CARIATHIARIM 11. SAMVELIS IVDICIS 12. ACHITOBI PONT. 12. ÆTATIS DAVIDIS 2. EXCIDII TROIANI 81. DERCYLI PRIMVS. IMPERII ASSYRIORVM 1020.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1102.

I. *Dercyli Imperatoris primus.*

NIHIL habet hic annus ſingulare aut nouum, præter initium noui Iubilei, nouum in Aſſyria regem, Dercylum nomine, quomodo eum omnes vocant, Euſebium & Africanum ſecuti; excepto D. Auguſt. qui l. 18. de ciuit.[a] Oneum vocat, vt putauit Scaliger, ſed deceptus eſt, non enim Oneum vocauit, qui Dercylus eſt, ſed pro Thinæo, Oneum ſcripſit eius amanuenſis; idq; perſpicuè probatur ex eo, quod ipſum Aug. ibid. vocat vigeſimum nonum; qui licet ſit Euſebio vigeſimus octauus, eſt tamen Auguſt. vigeſimus nonus; quoniam numerat hos reges non à Nino, vt Euſebius, ſed à Belo ipſius patre, vt perſæpe monuimus. Confirmatur autem hæc veritas ex ipſomet Auguſtino, qui c. 15. eiuſdem libri Lamparem vocat vigeſimum tertium, ex quo ſequitur, neceſſario Thinæum Euſebij eſſe 29. Conſentiunt autem Euſebius, & Africanus, & cæteri deinceps, in annis regni eius 40. qui in vndecimo Dauidis finientur.

a c. 19.

ANNVS MVNDI 2954. DILVVII 1298. 5æ. ÆTATIS 15. EXITVS ET DATÆ LEGIS 411. ARCÆ IN CARIATH. 14. SAMVELIS IVDICIS 15. ACHITOBI PONTIF. 15. DAVIDIS VITÆ 5. EXCIDII TROIANI 84. DERCYLI 4. IMPERII ASSYRIORVM 1023.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1099.

I. *Sabbaticus 53.*

NVMERATVR hic annus ſabbaticus quinquageſimus tertius; à quo ad Chriſtum vſque ſuperſunt 157. totidem enim in mille & 99. annis, qui reliqui ſunt, reperiuntur. ſed extrema computantur. Hunc autem annũ ſabbaticum ab Hebræis obſeruatum, annitente Samuele, qui eos in dies meliores reddere conabatur, rationi conſentaneũ eſt. Cogimur autẽ, rerũ quæ ad inſtitutũ faciant penuria, aliquot hic annos relinquere.

ANNVS MVNDI 2960. DILVVII 1304. 5æ ÆTATIS 21. EXITVS ET DATÆ LEGIS 417. ARCÆ IN CARIATH. 20. SAMVELIS IVDICIS, ET ACHITOBI PONTIFICIS 21. DAVID 11. EXCIDII TROIANI 90. DERCYLI 10. IMPERII ASSYRIORVM 1029.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1093.

I. *Num hoc primũ anno iudex Samuel.*

ANNI vigeſimi commorationis Arcæ in Cariathiarim fit peculiaris à Scriptura mentio in c. 7. primi Regum. *Et factum eſt*, inquit, *ex qua die manſit Arca Domini in Cariathiarim multiplicati ſunt dies, erat quippe iam annus vigeſimus.* Cum autem hunc annum Samuelis vigeſimum primum ſtatuerimus, nec anarchiam in Republica Hebrçorum inuehendam duxerimus; Videtur tamen Serario[b] veriſimilius ex textu,

b in c. 7. 1 Reg.

Samuelem poſt iſtos annos viginti ad iudicandum acceſſiſſe; concionem capitis huius habuiſſe, ita vt Princeps eſſe cœperit anno ætatis 33. Verum hæc chronologia ſtare non poteſt. quomodo enim anno ætatis 33. Samuel cœperit eſſe iudex, & iudicarit cum Saule 40. annis ante regnum Dauidis; cum ad regnum Dauidis 20. anni, nec plures ſuperſint? quomodo cum Saul poſt biennium regnarit, potuit Samuel ſenuiſſe, & filios populi Iudices conſtituere, vt habetur c. 8. ſequenti. ſi nunc trium & 30. annorum fuit. Qua probabilitate 20. anni difficillimis Reipub. Hebræorum temporibus, ſine ſummo magiſtratu relinquunt? Vera itaque, & communis eſt ſententia Lyrani, Abulenſis, Ge-
1. ✗. nebrardi, 1. Samuelem ſtatim à morte Heli factum eſſe in Hebræorum Repub. iudicem; in eo munere primum iam, ac vigeſimum annum eſſe verſatum; egiſſe autem nunc ætatis annum ſexageſimum, filioſque habuiſſe fere quadragenarios.

II. *An ad hūc annū Arca manſerit in Cariathiarim.*

SED altera etiam exiſtit hoc loco dubitatio, an qui vigeſimus eſt annus manſionis Arcæ in Cariathiarim, idem fuerit etiam poſtremus. Ioſephus quidem id aperte ſignificat, cum ait. *Cura Arcæ commiſſa eſt filijs Abinadab, quam per* 20. *annos cum ſumma laude geſſerunt; tot enim annos in Cariathiari manſit.* Eum de more ſequuntur Zonaras, & Cedrenus, [a] Quin & Hieronymus in tradit. *A tempore*, inquit, *quo reprobatum eſt ſacerdotium Heli, vſque ad Samuelis ducatum, viginti fuerunt anni miſeriarum referti;* videtur dicere annos poſteriores Heli, quibus in Arcæ captiuitate, & multa Iſraelitarum ſtrage terminatis, Samuel factus eſt Iudex. Deinceps enim harum miſeriarum nulla memoria. Sed vide quid adiiciat; *peracto vigeſimo anno translata eſt eadem Arca à Samuele in Maſphath &c.* Quæ totidem verbis refert, ſequiturque Rupertus, [b] Comeſtor, Dionyſius, Angelomus, & alii recentiores, quorum nonnulli referunt hos annos vſque ad Saulis regnum protendi.

III. *An potius vſque ad Dauidem.*

EXISTIMO nihilominus dicendum Arcam Domini manſiſſe in Cariathiarim, vt ordinario domicilio, apud Aminadab, vſque ad regnum Dauidis, qui eam inde tranſtulit in domum Obededom primùm, deinde in Hieruſalem in domum ſuam, anno regni ſui decimo, [c] vt ſuo loco docebimus. Ex quo ſequitur Arcam manſiſſe in Cariathiarim ad annos, vnde quinquaginta, hæc eſt ſententia Toſtati in c. 7. primi Regum, [d] niſi quod de anno Dauidis diſſentit. conſentit Caietanus, negatque vllam inueniri in Scriptura tranſlationem intermediā. Quod ſi quando interea in caſtra deducta legatur, vt cum Saul pugnaturus erat contra Philiſthæos, [e] id ad breue tempus fuit, & ad præſentem neceſſitatem; ſemper enim reducebatur in Cariathiarim, vt diſerte ſcribit Eucherius. Neque dicit Scriptura hoc c. 7. Arcam manſiſſe tamen 20. annis in Cariathiarim vt putauit Ioſephus, ſed vigeſimum annum, ex quo Arca ibi erat, in curſu fuiſſe, cum Samuel vniuerſum Iſrael allocutus eſt. Quod autem plerique dixerunt Arcam fuiſſe in Maſphath, in quibus etiam Lyranus, ſecutus Hebræorum tradit. apud Hieron. non ſatis ex Scriptura probant.

IV. *Non fuiſſe Arcam in Maſphath.*

NON enim ſi Samuel obtulit holocauſtum in Maſphath, aut ſi populus aquam effudit in conſpectu Domini, ibi aut Arcam, aut tabernaculum fuiſſe neceſſe eſt. Nam Prophetis diuina diſpenſatione licuit, vbi libuiſſet ſacrificare, vt Eliæ in monte Carmelo, & Samueli in Ramatha, & in Bethleem. nec ea phraſis, *in conſpectu Domini*, id probat; nam Moſes in monte Sina ſe *in conſpectu Domini* fuiſſe teſtatur, [f] & ſe populumque ſuum inueniſſe gratiam *in conſpectu eius*, & ſe iacuiſſe *coram Domino* 40. diebus. [g] Et infra Samuel, *loquimini de me*, inquit, *coram Domino, & coram Christo eius*; Ita ergo effuderunt aquam in conſpectu Domini, quo modo Abraham ambulauit in conſpectu eius. [h] Idemque omnino de Galgalis dicendum, de quo ex ſequentibus dubitari eodem modo poterat. [i]

V. *Conuerſio Iſraelis ad Dominum.* 2. ✗.

HOC ergo anno vigeſimo ex qua Arca erat in Cariathiarim, *requieuit*, ait Scriptura, *omnis domus Iſrael poſt Dominum. Requieuiſſe poſt Dominum dicuntur*, ait Hiero. [k] *quia abiectis idolorum ſordibus, Domino ſe ad ſeruiendum toto corde tradiderunt.* Hebræi legunt, *& luxerunt*, ſiue lamentati ſunt, *omnis domus Iſrael, & ſecuti ſunt Dominū.* Quamuis Abulenſis [l] ex Hebræo habent feſtinarunt; nā נהה eſt lugere, &

a in c. 7. 1. Reg.
b in 1. Reg. c. 17.
c n. 7. & ſeq.
d q. 11.
e 1. Reg. 14. 18.
f Exod. 33. 34.
g Deut. 9. 18
h Gē 14. 40
i c. 11. 15. & 13. 9.
k in trad.
l q. 23. in c. 7. 1. Reg. ἐπέζλεψαν vel ἐπέστρεψα.

lamentari: & multum abeſt à נוח quod eſt feſtinare, ſiue accelerare. Septuaginta aiunt reuerſos eſſe ad Dominum, 2 id eſt pœnitentiam egiſſe. Idque non vigeſimo denique anno à recuperata Arca, ſed ſtatim ab accepta clade in morte Heli, vt recte Lyran. Abulenſ.[a] Caiet. Torniellus, aliique notarunt. Id tamen hoc loco memoratur, quia ſolenniter in conuentu publico, cum certis ceremoniis prophanus omnis cultus idolorum eiuratus eſt, diuinus autem firmiter ſtabilitus. vox enim requieſcendi, firmitatem, & conſtantiam in propoſito ſignificat. Quamuis hoc ipſum verbum ad fœdus mox ineundum referri poſſit; ſic enim alibi quoque vſurpatum leges. Nam Eſaias.[b] *Requieuit*, inquit, *Syria ſuper Ephraim*; id eſt fœdus & ſocietatem iniit Rex Syriæ, cum rege Iſraelis, contra regem Iuda.

2. ✗. a q. 23. in c. 7. b c. 7. v. 2.

VI. *Exortatio Samuelis ad populũ.*

AIT autem Samuel ad vniuerſam domum Iſrael, *Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, Baalim & Aſtaroth*; quibus nominibus idolorum, quæ in Syria & Palęſtina erant frequentiſſima, deos, deaſque omnes infidelium intelligit. Theodoretus[c] hic Aſtaroth interpretatur ſimulachra *Aſtartes, Aſtartem autem*, inquit, *vocant Venerem ab aſtro accepta denominatione, fabulantur enim eius eſſe Luciferum*. Pergit Samuel, & alteram iuſtitiæ partem, quæ ſequitur declinationem à malo, ingerit. *Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſthiim*; quibus nimirum ſeruitis, & iam tot annos ſeruitutem penſitando tributo profitemini. quę eſt ſententia Toſtati, & colligitur ex 1. Reg. 6. 8. neque enim acerbiorem ſeruitutem ac vexationem, ſi quam tunc exercuiſſent Philiſthæi, Scriptura ſiluiſſet. Adde quod Rabini aliqui aiunt illis 7. menſibus, quibus Arca apud eos fuit, infinitam hominum vim periiſſe.

c q. 14. in fi. q. 26. in c. 7.

VII. *Vbi habita.*

QVONIAM vero non memoratur in textu, ſacro neque apud Ioſephum vbi hæc a Samuele dicta fuerint Iſraelitis, recte intelligere poſſumus cum Lyrano, & Abulenſi, hanc fuiſſe quaſi materiã exhortationum, & concionũ ipſius ad populũ in ſingulis vrbibus, quas concionabundus ſingulis annis obibat, vt ſignificatur inferius.[d] Et hoc ipſo tempore dici poteſt Idolum Michæ ex tribu Dauidica fuiſſe ſublatum, quod Scriptura dixit manſiſſe apud eos omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo,[e] vnde vigeſimum iam annũ aberat. Etſi enim Idololatriæ ſacerdotes, & ſculptile manſiſſe dicatur in illa ciuitate, vſque ad captiuitatem tribus Dan,[f] quę captiuitas plus 300. ab hinc annis contigit: poteſt tamẽ prius illud idolũ inde hoc tempore fuiſſe ſublatũ, deinde ibidẽ aliud quodpiã ei ſimile reſtitutum eſſe, vt alibi etiam expoſuimus; in anno Othonielis 22[g].

d in fin. c. 7. e Iud. 18. 31. f 4. Reg. 15. 29. g n. 26. & ſeqq. vide an. Othon. 22. n. 49.

VIII. *Et quo fructu.*

ABSTVLERVNT *ergo filii Iſrael Baalim & Aſtaroth, & ſeruierunt Domino ſoli.* quibus ſublatis, & inclinata totius populi Iſraelitici in Deum voluntate, indixit Samuel generalia comitia in certam diem, in Maſphath ciuitate Benjamin, vt Adrichomio, placet in confinio tribus Iuda & Beniamin, in loco edito ſita. D. Hieronymus[h] ait fuiſſe in tribu Iuda, & apud eam Iephte habitaſſe iuxta Cariathiarim, vbi quondam Arca teſtamenti fuerat, & Samuel populum iudicarat. Verum de Iephte plerique merito à S. Hieronymo diſſentiunt, quem lapſum memoria apparet ſimilitudine vocabulorum. Illum enim habitaſſe conſtat in terra Galaad trans Iordanem,[i] ibique aliam fuiſſe Maſphath, quæ differentiæ cauſa dicitur Maſpha Galaad, quia ſcilicet alia eſt Maſpha Iuda; & illa Leuitica fuit, non hæc. Abulenſis priorem hoc loco intellexit[k].

Maſphath gemina.

h in loc. Hebr. i Iud. 11. 11. 29. 34. k q. 26. in c. 7. & q. 5. in c. 22.

IX. *Comitia in Maſphath quo fine indicta.*

CONVENERVNT in Maſphath Iſraelitæ Iudicis Samuelis accitu, vbi ſe Dominum pro eis oraturum ſpoponderat, & videlicet veniam, opemque impetraturum. Volebat autem publicam ibi fieri abnegationem idololatriæ, eique dato penitus libello repudii, pœnitentiã ab vniuerſo populo agi, & reconciliari Deo; vt res ipſa docuit, etſi aliam ob cauſam Ioſephus congregatos dicat, vt mox videbimus. *Ibi hauſerunt aquã, & effuderunt in conſpectu Domini*, palam videlicet, ac publicè cũ quadam veneratione, non autẽ coram Arca Domini, vt iam explicatum eſt. Niſi forte placet eos faciẽ, totumq; corpus verſus Cariathiarim, vbi erat Arca, venerabũdos conuertiſſe. vide an. Ioſue vlt. n. 7. nec ea ceremonia cõtenti, *ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt, peccauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Iſrael in Maſphath.*

X. *Pœnitentia Hebræorũ integra.*

TRES hic pœnitentiæ partes videntur non obſcurè adumbratæ, contri-

tio quidem in illa effuſione aquæ, ad ſignificandam perfectam idololatriæ abdicationem, vt nihil in cordibus ſuis impium ac profanum remanere velint, ſed eam funditus interire, ſicut nihil aquę in vaſe remanet cum effuſa eſt, ſed à terra abſorpta perit. Effuſionem aquæ interpretatur Chaldæus effuſionem cordis in pœnitentia. quaſi dicat, hauſiſſe Iſraelitas aquas è puteo cordis ſui, & abunde lachrymatos eſſe coram Domino reſipiſcentes. *Quid eſt*, ait Gregorius, *aquam haurire, niſi de profunda animi pœnitentis confuſione lacrymarum fluenta producere? velut enim aquam haurimus, dum quam profunda iniquitate cecidimus conſiderantes plangimus.* Confeſſio in illis verbis *peccauimus Domino* ſatis agnoſcitur; qualem & Dauid apud Nathan, vtique ex priſco ritu, [a] vſurpauit. Satisfactio denique ſiue vindicta de peccatis aſſumpta, in ieiunio, integri diei, vt ait Ioſeph. à veſpera ſcilicet in veſperam, & Idolorum abiectione. Huius autem pœnitentiæ Samuel teſtis, imo & Iudex fuit, & apud Deum quaſi interpres & ſacerdos, orando videlicet, vti promiſerat.

a Leuit. 16. 21. & num. 5. 7. ὅλην τὴν ἡμέραν.

XI. *Effuſio aquæ an fuerit ſacrificium.*

Cæterum effuſio aquæ ſacrificium non fuit, ſicut nec ij, qui eam effundebant, ſacerdotes; nec materia cuiquam Hebræorum ſacrificiorum idonea, ſed nec libaminibus, quæ fiebant duntaxat è farina, vino, oleo, thure, & ſale; poterat tamē offerri Domino ſignificandæ abiectionis idololatriæ cauſa vt dixi, vel propriæ vilitatis, & infirmitatis; vt cum Dauid [b] in Chriſti perſona dicebat, *Sicut aqua effuſus ſum; & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* quò referri & illud poteſt, *effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* vel denique fieri ſtudio gratificandi Domino, in proprii appetitus mortificatione, vt à Dauide factum eſt in offerenda, & effundenda coram Domino aqua, quam ei milites fortiſſimi, magno cum ſalutis diſcrimine attulerant; quo modo licet plurima alia Deo offerre, iis ſe vltro in eius honorem priuando, quæ eſt frequens religioſarum animarum exercitatio. quod Abulenſis quoque notauit [c].

b Pſal. 21. 14. Gen. 49. 4.

c q. 28. in c. 7.

XII. *Qui Samuel in Maſphath iudicarit populum.*

Illvd autem Samuelis iudicium difficultate non vacat, quam explicare videtur Sapiens, [d] cum ait Samuelem in lege Domini congregationem iudicauiſſe. huc enim videtur alluſiſſe. vniuerſè tamen exponitur à Ianſenio, eum iuxta diuinæ legis præſcripta iudicaſſe, ſine acceptione perſonarum, aut propriorum intuitu commodorum. At magis in rem præſentem Abulenſis, [e] ait iſtud iudicium fuiſſe reconciliationem Iſraelitarum inter ſe; *quia non ſolum*, inquit, *reconciliauit Iſraelitas Domino, ſed etiam inter ſeipſos, vt ſibi iniurias remitterent.* Sed illam quoque interpretationem admittit, vt iudicia exerceret inter eos, dirimendo eorum controuerſias, vt ipſorum Iudex; erat enim Maſphath in eorum oppidorum numero, in quibus iudicem agebat, vt in fine capitis huius habetur. idque tam in ciuilibus cauſis, inquit Toſtatus, quam in quibuſcumque. cauſæ tamen, quæ ad diuinam legem pertinebant, Pontificis erant. ſed aliquid ſingulare datum videtur Samueli, qui & Leuita erat & Propheta, & extraordinarius ſacerdos, vt alibi diximus [f].

d Eccli. 46. 17.

e q. 28. in fi.

f a. m. 2940 num. 8.

XIII. *Inepta Hebræorum expoſitio.*

Non omittam hoc loco Hebręorum de hoc Samuelis iudicio expoſitionem, quam refert Hieronymus in tradit. *Hebræi tradunt*, inquit, *quod coram Domino in eandem aquam maledicta congeſta ſint; & ſicut in lege mulier Zelotypa hauſta aqua probatur, ita & hic idololatræ hac aqua probati ſunt. Ij videlicet qui ſe idola coluiſſe penitus denegabant. Tradunt etiam quod quicunque idololatra hanc aquam guſtaſſet, labia eius ita ſibi adhærerent, vt nequaquam ea ab inuicem idololatra ſeparare poſſet. Hoc indicio idololatra deprehendebatur, & interficiebatur. Quod & ſequentia demonſtrant in eo quod ait, iudicauitque Samuel filios* Iſrael *in Maſphath. Iudicare in hoc loco idololatras ſecundum legem, morti tradere intelligendum eſt.* Dicunt etiam quod Moyſes hoc modo idololatras, qui ſibi vitulum fecerant, probauerit, quando arripuit vitulum & combuſſit, & cōtritum vſque ad puluerem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael. Hæc ipſa retulit Rupertus, [g] & Comeſtor, Serarius, Angelomus, qui hæc Hebræorum deliramenta vocat.

g 1. Reg. 17.

XIV. *Refellitur.*

Improbantvr quoque ab Abulenſi, primum quia hic Samuel hortatorem potius agebat, quam iudicem. & beneuolentiæ vias magis, quam ſeueritatis ſectabatur; præſertim cum ei res eſſet cum vniuerſo populo. Deinde, quia non ad huiuſmodi experientiam, ſed ad orationem, & reconciliationem

cum Deo conuocatus eſt: aut, ſi Ioſephum potius audire placet, ad captandas libertatis vias. Adde quod aqua maledicta dabatur in potum reis, aut iis qui probabantur, quæ hic effuſa in terram dicitur. Denique ieiunauerunt Iſraelitæ in die illa, & dixerunt ſe Domino peccaſſe; at rei puniti fuiſſent, non ieiunaſſent: innoxii autem, non faſſi eſſent ſe Domino peccaſſe. Faceſſat ergo vertiginoſum Rabinorum cerebrum, cum tam ineptis commentis ſuis. veniamus tamen ad non paulo his ſapientiorem, ac cautiorem Ioſephum. cuius hæc eſt de iſto conuentu Hebræorum, comitiiſque Maſphaticis oratio[a]. [a] l. 6. ant. c. 2.

XV. *Quid de his comitiis, Ioſephus.*

Cum populus toto hoc vicennio votis & ſacrificiis operam daret, magnamque religionem, & cultus diuini curam præ ſe ferret, Propheta Samuel animaduerſa eorum promptitudine, putans ſe nactum occaſionem adhortandi ad libertatem, & bona quæ illam ſequuntur, orationem & tempori accommodans & negotio, verba in hanc ferme ſententiam ad eos fecit. Viri Iſraelitæ, quandoquidem nec hoſtis infeſtus eſſe deſinit, & Deus veſtris precibus flexus propitius eſſe incipit, oportet non votis tantum libertatem expetere, ſed eo totis viribus incumbere, vt vel nunc tandem illa potiri contingat. Cauete ergo ne veſtriſmet moribus hac indigni reddamini, ſed pro ſe quiſque colat iuſtitiam, expulſiſque omnibus vitiis ex animo, purgatas mentes ad Deum conuertite, & in eius veneratione conſtanter perſeuerate. Hæc enim facientibus breui omnia bona venient, & in primis noua libertas, & victoria de hoſtibus: quæ neque armis, neque robore corporum, neque copiarum multitudine conſequi licet. Non enim his rebus Deus præmia propoſuit, ſed probitati ac iuſtitiæ, qui veſtram expectationem non fallet, mihi credite. Hactenus Ioſephi concio. 3. 3 ℞

XVI. *Corrigitur.*

IOSEPHI vtique, neque enim Samuelis: A qua, vt vides lector, toto aberrat cœlo. quomodo enim aliter poteſt, cum finem ipſum comitiorum peruerterit, ex quo pendent omnia? conſtat enim populum hoc tempore non ad libertatem, ſed ad pœnitentiam, & verum Dei cultum fuiſſe inuitatum; nec vllum eſt de libertate veſtigium, niſi quod Samuel, confiſus diuinæ miſericordiæ, promittit conuerſis ad Dominum, fore vt Deus eruat eos de manibus inimicorum ſuorum. Id autem non eſt incitare vt totis viribus incumbant ad libertatem recuperandam. Cauſa autem peruertendi hunc finem, vt vidit quoque Abulenſis[b] eſt, quia noluit infamare gentem ſuam nomine idololatriæ, quam nomine vitiorum communi obtexit. Itaque nobiliſſimum populi ſui facinus, maximamque laudem abiectorum idolorum, tacitam prætermiſit. An id timidæ quoque adulationi tribuendum eſt, verentis principes Ethnicos, quibus ſcribebat, offendere, vt iam ſæpius notatum eſt. Verebaturque ne ſi ſcriberet Deos infidelium ſublatos ab Iſraelitis, confractos, exterminatos fuiſſe, ipſi vice verſa Iudæi, qui in Ethnicorum terris commorabantur, vel eiicerentur quaſi impii, vel etiam ſuppliciis afficerentur: vt Chriſtianis illis ipſis temporibus crebro contingebat. quorum malis edoctus, hanc de idolis materiam leui omnino brachio vbique perſtrinxit, vel etiam diſſimulatione, aut taciturnitate contexit.

Quæ illi eſſet cauſa deprauãdi Scripturã.

[b] q. 25. in c. 7.

XVII. *Belli Philiſthæorum cauſa.*

QVOD ad huius belli cauſam attinet referunt Lyranus, & Abulenſis, Philiſthæos à morte Heli habuiſſe Iſraelitas obnoxios tributo, eiſque imperaſſe ne vllos populi conuentus agerent, ne ſcilicet congregati reſpicerent ſe ipſi, & in commune conſilium de excutienda ſeruitute caperent, & ad arma ruerent. Cum ergo percrebuiſſet Iſraelitas in Maſphat Samuelis mandato coactum iri, coëgerunt. & ipſi copias, vt in congregatos nihil minus cogitantes, quaſi ex inſidiis irruerent. Sic enim illud, *Et audierunt Philiſthiim, quod congregati eſſent filij Iſrael*, interpretatur Abulenſis, ne dicamus Philiſthæos tot Satrapiis, dynaſtiiſue diſtinctos, plurimumque ſepoſitos vno eodemque die nuncium accepiſſe de Hebræorum comitiis, coëgiſſe exercitum, & veniſſe in Maſphat, ibidemque pugnaſſe; pugna quippe eodem ipſo die contigit, quo Iſraëlitæ pœnitentiam egerunt in Maſphat, vt ipſe ait. Quod ſi durum videtur illud *quod congregati eſſent* per futurum *congregandi eſſent* interpretari, dicendum erit Iſraëlitas pluribus diebus in Maſphat ſubſtitiſſe: aut certe cum ſua quemque Satrapam legione, vel cohorte, vel præſidiario milite, confeſtim accurriſſe, vt hoſtis imparatus inopina

celeritate opprimeretur.

XVIII. *Adeunt Iudæos in Maſphath.*

Itaqve cum audiſſent Satrapæ Philiſthæorum, Iſraëlitas in Maſphath conueniſſe, rati libertatis id accerſendæ cauſa factum, celeriter accitis, quos ad manum habebant militibus, magnis itineribus eò conuolant. Idque dedita opera permiſit Dominus, vt reuerſis ad ſe, & ſponte liberatis ab idolorum ſeruitute, etiam à Philiſthæorũ potentia liberaret. Tam formidoloſus nuncius ſubito percutit filios Iſraël, ab armis, vt credere par eſt, copiiſque militaribus imparatos. Itaque timuerunt à facie Philiſthinorum, dixeruntque ad Samuelem, *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſthinorum.* (Abul. q.19.) Humanis deſtituti præſidiis ad diuina confugiunt, vt ea dum experientur, diſcãt fructum verę pœnitentiæ, & diuinæ erga ſe beneuolentiæ. Videntur autem alludere ad continentem Moſis orationem [a] pro populo ſuo, contra Amalecitas, Duce Ioſue, pugnante.

a Exod. 17. 11.12.

XIX. *Samuel ſacrificat pro populo.*

At Samuel non ſolum adhibet preces, ſed etiam ſacrificium; tulit enim agnum lactentem vnum, tenerrimum ſcilicet, & herbæ inſcium, eoque acceptiorem Domino, quo gratiorem offerenti: Etſi enim perinde erat Domino, ſi ipſi animal claudum, cœcum, macilentum offerretur; ea tamen lege lata reſpuebat, quia talibus hoſtijs contemni potius, quam honorari cenſebatur, humano more, cui ſe Dominus accommodat, vt per Malachiam [b] prophetam declarauit exemplo ducis, cui optima quæque offeruntur. Tulit ergo agnum lactentem, quem cum offerre poſſet hoſtiam pacificam, & hoſtiam pro peccato, maluit tamen ad Dei honorem offerre illum holocauſtum integrum Domino. Nec timuit diuinam indignationem vſurpato ſacerdotis officio, ſiue id diuina inſpiratione fecit cum eſſet Propheta, vt alias iuſſione diuina cum Dauidem inunxit; [c] vt placet Abulenſi, [d] ſiue vt ſacerdos, extra ordinem vulgarium ſacerdotum, iuxta ea quæ primo anno magiſtratus Samueli diximus. [e]

b c.1.7.8.

c 1.Reg.16. 1.

d q. 30. in c.7 1 Reg

e a.m.2940 n.8.

XX. *Integrum holocauſtũ.*

Qvid eſt autem quod holocauſtum integrum dicit? an aliquando non offerebatur integrum? nónne Dominus odio habet rapinam in holocauſto? [f] & ipſa holocauſti vox integritatem ſonat, eaque ipſa integritate, differebat holocauſtum à reliquis ſacrificiorum generibus. Propterea videntur Septuaginta hãc integritatem ad populum retuliſſe, non enim habent ὁλοκαύτωσιν ὅλην, ſed σὺν παντὶ τῷ λαῷ. At Latinæ editioni Hebræa plane reſpondet, quæ Græcam paraphraſim minime excludit; certe ipſæ temporis anguſtiæ, quas imminens hoſtis afferebat, quæ tantæ fuerunt, vt nondum conſumpto tantulo ſacrificio, ſuperuenerit, & prælium inierit, ſuadent vt dicamus agniculum non diuiſum in partes, vt moris erat, ſed integrum, & fortè cum pelle, pedibus, & inteſtinis, in flammas iniectũ, vt & locus ſacrificij, & ritus eius, ac ſacerdos ipſe præter communem ordinem eſſent, etſi aliter viſum Abulenſi. [g]

f Eſa.61.8.

vide Theſau. in

g q.30. in c. 7.1. Reg.

XXI. *Et orat, atque exauditur; & Dominus pro Iſraele pugnat.*

Dvm ardet holocauſtum, metúque trepidans populus non ceſſat in vota precéſque, & gemitus magis quam arma parat, *Samuel* quoque *clamauit ad Dominum*, non tam ſono vocis, quam ingenti mentis affectu, pro magnitudine, non periculi, ſed præſentiſſimæ cladis. *Et exaudiuit eum Dominus*, & Philiſthæis prælium ineuntibus, aut potius in promiſcuam Iſraëlitarum cædem iam iamque ruentibus, expedit arma ſua Dominus, & *intonat frangore magno ſuper Philiſthæos circumfuſos, & exterruit eos, & caſi ſunt à facie Iſrael.* hæc eſt ſumma rei, quæ mox diſtinctius explicatur; *Egreſſique viri Iſrael de Maſphath*, animoſi videlicet ex hoſtili pauore facti, *perſecuti ſunt Philiſthæos, & percuſſerunt eos vſque ad locum, qui erat ſubter Bethchar*: proprium eſt id nomen ignobilis cuiuſpiam loci, quod tamen Græci interpretes, Latinique retinuerunt, & videtur villa quæpiam fuiſſe pecoribus abundans; nam Bethchar; ſiue Bethchor, vt habent Septuaginta, domus agni vertitur.

לבית־כר Βαιθχόρ.

XXII. *Ex Sapiẽte, & Ioſepho.*

Eadem hiſtoria breuius habetur in Eccleſiaſtico, [h] vnde tamen aliqua lux peti poteſt. Vbi Sapiens in laude Samuelis, inter alia ſic ait, *Et inuocauit Dominum omnipotentem, in oppugnando hoſtes circunſtantes vndique, in oblatione agni inuiolati* [4]. *Et intonuit de cælo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam, & contriuit principes Tyriorum, & omnes Duces Philiſthiim.* Ioſephus autem; [i] *Samuel iubet ſecuro eos eſſe animo, neque enim auxilium Dei defore, & mactato agno*

h c.46 19.

4. χ. γαλαθηνοῦ lactentis.

i l.6. an.c.2.

lactente, rogat Deum vt in ſe ſperantes protegat, & à vi Palæſtinorum tutos faciat: neue patiatur iam iterum ab eodem hoſte cladem accipere; hac vltima egregiè litatum eſt, & Deus præſens ac propitius inſignem victoriam annuit; Sed priuſquam totum flamma abſumeret, nondum ſacro peracto, hoſtis in conſpectu aciem explicat, rem factam ſe habere putans; interceptis Iudæis imparatis ad pugnam, & tantum non inermibus, vt qui non in hoc in eum locum conuenerant; At longe aliter accepti ſunt, quam crederent, etiamſi quis prædixiſſet. addit & alia quę mox referemus, Tertullianus autem, [a] *cum maxime*, inquit, *Samuel offerebat holocauſtum, in nullo magis procuratam audimus Dei clementiam, quam abſtinentia populi. Et Allophyli prælio admonebant, ibidem Dominus intonuit voce magna ſuper Allophylos, & confuſi ſunt, & corruerunt in conſpectu Iſraelis: & proceſſerunt viri Iſrael ex Maſpha, & perſecuti ſunt Allophylos, & vſque Bethchor ceciderunt paſtos impaſti, armatos inermes*, &c.

[a] l. de ieiuniis c. 7.

XXIII. *Diuinam fuiſſe victoriam.*

Ex hiſce autem locis perſpicuum eſt in primis, non humanam fuiſſe hanc, ſed diuinam victoriam, Samuelis precibus, & ſacrificio impetratam, quod Samuel ipſe ex loci denominatione proteſtatus eſt, *vocauit* enim *nomen loci illius, lapis Adiutorij*, *dixitque*, *Hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus*, volens diuini beneficij memoriam, in omnē poſteritatem propagari; Quod notauit etiam Author. [b] mirab. ſacræ Scripturæ. *Ingenti*, ait, *cœli fragore perterrebat; quatenus per hoc & Iſrael non propria virtute viciſſe intelligeret, & hoſtes Dei profectionem & auxilium erga hunc eſſe populum ſcirent*, Secundum eſt, Obſeſſos quodammodo fuiſſe Iſraëlitas in ciuitate Maſphath, hoſte vndique circumfuſo, vt clare loquitur Sapiens, & ſignificat Ioſephus, cum explicatā aciem memorat, & Samuel ipſe cum ait, hoſte iam conterrito, & diuinitus debellato, egreſſos denique Iſraëlitas de Maſphath; quod Ioſephus non negat.

[b] l. 2. c. 8. apud Aug. tom. 3.

Obſeſſos Iſraelitas.

παρετάξαντο εἰς μάχην.

loc. cit.

XXIV. *A Philiſt. & Tyriis.*

COLLIGIMVS etiam tertiò non ſolos Philiſthæos, ſed cum iis etiam Tyrios oppugnaſſe Iſraëlitas in Maſphath: Ex quo intelligi poteſt, eos fœdere cum Palæſtinis ſibi vicinis, & ad idem littus maris occidui habitantibus, coniunctos fuiſſe. 4. Solius tonitrui vtroque Scripturæ loco fieri mentionem, quo ita exterriti fuerint, & redditi attoniti, vt facile à ſuperuenientibus Iſraëlitis cæderentur. Cœlum enim in ſe armatum ſibi perſuaſerant, vt non ſine cauſa lapides grāndinis, quos olim Adoniſedec [c] cum ſuis experti fuerant, reformidabant. Quoniam tamen in libro Eccli. dicuntur contriti, Domino de cœlo tonante, nihil abſurdi eſt dicere, eos grandine multa verberatos; neque coruſcationes & fulmina defuiſſe. Quæ confirmat, & de more amplificat Ioſephus; *Deinde*, inquit, *fulminibus crebris attoniti*, fulmen pro tonitru poſuit interpres; eſt enim in Græco βροντῆς ἐξαφθείσης, *& ignitis fulguribus oculos ac manus ſemiuſtulati, vt ne arma quidem retinere poſſent, in fuga ſpem totam ponebant.* Hæc ille.

Deum viū tonitribus. grandine, coruſcatione, fulmine.

[c] Ioſ. 10. 11. ἐξέτριψεν.

XXV. *Terræ motu, & hiatibus ex Ioſepho.*

SED hic addit Ioſephus, quæ nullum habent in Scriptura fundamentum. Ait enim terram, iubente Deo, ſub pedibus eorum intremuiſſe, eoſque vacillante veſtigio nutaſſe, nonnullos etiam in improuiſos hiatus eſſet prolapſos; quæ deinde alij Ioſepho nixi retulerunt. Illud autem non admodum moror, quod pro loco Bethchar, ipſe Chorrhæos ſubſtituit, potuit enim Ioſephi tempore ita dici locus. Chorrhęos tamen Scriptura longe ſeiungit à Philiſthęis, collocatque in montibus Seir, [d] & crebrius horrhæos vocat, Gen. 36. [e] Sed hi tempore Samuelis nulli erant, deleti iampridem ab Idumæis, vt Moyſes ipſe confirmat; [f] Fugerint ergo Philiſthæi, non domum verſus, ſed ad Idumæos; lapidem quoque adiutorij, non probauit Ioſephus, mutauit certe. *Samuel*, inquit, *in perturbatos irruit, cæſiſque plurimis, reliquos vſque Chorrhæos, id loco nomen eſt, perſequi non deſtitit, & fixo ibi ſuæ victoriæ, fugæque hoſtium termino, qui trophæi vice eſſet. appellauit eum fortem, in ſignum donatæ à Deo contra hoſtem fortitudinis.* At nemo vertat Hebræum Eben haghezer fortem, aut lapidem fortitudinis, ſed cum Septuaginta Ἀβενέζερ, λίθον τοῦ βοηθοῦ, quod vertit S. Cypr. [g] lapidem auxiliatorem:

[d] Gen. 14. 6. [e] v. 20. 21. 29. &c. [f] Deut. 2. 22.

ἰσχυρόν.

[g] l. 2. teſtim.

XXVI. *Victoriæ fructus pax: an diuturna.*

IAM quod ad huius effectum victoriæ attinet, magna omnino clade affectos fuiſſe Philiſthæos cum ſociis neceſſe eſt; qui bellum deinceps contra Iſraëlitas redintegrare, nec auſi ſunt, nec potuerunt. *Et humiliati ſunt Philiſthiim*, ait Scriptura, *nec appoſuerunt vltra vt venirent in terminos Iſrael;*

ceſſarunt nimirum aliquandiu, dum ſcilicet Samuel Reipublicæ, ſine alio principe præfuit. Nam eo adhuc viuo, & regnante Saule Philiſthæi, contra Iſraelitas bella geſſerunt, vt ſequentia docebunt. Itaque illud *vltra* de ſpatio quodam temporis, non de toto deinceps tempore accipiendum eſt, vt cum Iſaias [a] de aduentu Meſſiæ loquens ait, *non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium*; illo ſcilicet tempore ortus Meſſiæ erit altiſſima pax. Ita Dominus dicebat Dauidi: *Ponã locũ populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo, & non turbabitur amplius; nec addent filij iniquitatis vt affligent eum ſicut prius.* At ſtatim à morte Salomonis turbæ maximæ, & perpetuæ enatæ ſunt. Sic ergo accipienda ſunt illa verba; *facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis* de ſolius Prophetæ gubernatione, quæ ab hac victoria non fuit diuturna. Etſi aliter Ioſephus ſentire videatur. Cum enim, vt ex ipſo, aliiſque dicemus, Saul ſedecim, aut vt alii malunt, 18. annis viuo Samuele regnarit, & vtriuſque anni ſint tantum 40. neceſſe eſt poſt hunc & ſequentem annum Saulem factum fuiſſe Regem.

XXVII. *Receptio amiſſarum ciuitatum.*

Alius huius victoriæ effectus eſt, non ſolum recuperatio libertatis, vt ſui omnino iuris effecti, tributum pendere ceſſarent; ſed amiſſarum quoque aliàs ciuitatum receptio. Victoria enim vſus Samuel eas vel vi cepit, vel in deditionem accepit. quæ eſt Ioſephi ſententia. *Poſt hanc*, inquit, *cladem hoſtis nunquam bellum inſtaurare eſt auſus, ſed cohibente metu, & accepti incommodi memoria, intra ſuos fines ſe continuerunt, & inuerſis rerum vicibus, eorum ferocia in partes victoris tranſiit. Nec his cõtentus Samuel crebris expeditionibus, & multis cædibus eos vaſtauit, donec omnino ſuperbiam gentis perdomaret. Agrum etiam, quem prælio victis Iudæis abſtulerant, quam latè inter Gittam & Accaronem patet, armis recepit.* verum ea res ad ſequentem quoque annum pertinere facilè intelligitur. Neque enim crebræ illæ expeditiones, quas memorat Ioſephus, reliquo anno confici potuerunt. Itaque de his iterum anno ſequenti.

XXVIII. *Filij Samuelis Iudices.*

Hoc quoque anno filii Samuelis iudices in populo à patre poſiti ſunt, cum is iam ſenuiſſet, vt habetur c. 8. primi Regum; agebat autem ætatis annum ſexageſimum, vt pote natus anno primo ſeculi huius. Neque vero poteſt vltra differri iſthæc inſtitutio; cum enim ex eorum mala gubernatione populus occaſionem acceperit petendi Regem; oportet vt populus aliquanto tempore expertus fuerit eorum auaritiam, & iniuſtitiam, vt querela probabilis, & legitima videretur. Id ergo hoc & ſequenti anno experiri potuerunt. Tertio autem anno, eorum gubernationis pertæſi, venerunt ad Samuelem, & Regem petierunt, vt ibi dicetur. Ne autem citius illos iudices Iſraelis à patre conſtitutos dicamus, tum ordo narrandi Scripturæ, quem nulla neceſſitas mutare cogit, perſuadet; tum ætas Samuelis, cuius ſubleuandæ gratia, onus gubernationis in iuniores filios ex parte deriuatum eſt. Id autem hoc minus probabile erit, quo minus ætate prouectum dixerimus fuiſſe Samuelem, cum partem adminiſtrationis ſuæ cum filiis communicauit. vt alio quoque loco iam diximus. [b]

XXIX. *A patre cõſtituti: eorũ nomen.*

Factvm *eſt autem* ait Scriptura, [c] *cum ſenuiſſet Samuel poſuit filios ſuos Iudices Iſrael* Et apparet propria id eum auctoritate feciſſe, ſine vllo populi ſuffragio: erant quippe eius quaſi vicarii, qui ex nutu ipſius & voluntate penderent; fuitque nomen filii eius primogeniti Ioël, & nomen ſecundi Abia. Prior ille in primo Paralipo. [d] dicitur Vaſſeni; itaque binominẽ illum fuiſſe oportet; vtrobique enim dicitur primogenitus; imo in eodem loco vtrumque habet nomen. [e] Elegit autem pater locum Berſabee, in quo vtrumque iudicẽ conſtituit, *Iudicum in Berſabe*, inquit Scriptura, diſſentiente licet Ioſepho, [f] affirmantéque ex proprio iudicio, alterum in Bethel, alterum in Berſabee iudicem conſtitutum; *partito*, inquit, *populo, & ſua cuique iudici parte attributa.* Quod meritò ab Abulenſi, & Serario improbatur, neque à quoquam probari poteſt.

a Eſaiæ 2.4. Abul. q 31. in c. 7.

b vide a. m. 2926. n. vn. n. 4. & 2940.

c cap. 8. 1.

d c. 6. 28.

e v 28. & 33.

f l. 6. c. 3.

SCHOLIA IN ANN. MVND. 2960.

1. N. 1. QVIDAM Genebrardum pro contraria ſententia referunt; non benè. audi illũ, in Heli Iudice, *Deinde collocata eſt arca in Cariathiearim, vbi non ſolum viginti annis manſit apud domum Aminadab, quouſque afferretur magna pompa à Dauide, vt vitioſè colligunt Hebræi e 2. Reg. 6. Verum iam tum præterierant anni 20. cum Samuel Iudicis munere fungens* (non dicit fungi incipiẽs) *ſanctam illam concionem habuit quæ extat*, 1. Reg. cap. 7. Affertur & Canus l. 11. c. 5. qui ſub finem duodecimi arg. negat Samuelem his viginti annis fuiſſe Iudicem, ſed prophetam, & putat poſt hos 20. annos cœpiſſe iudicem eſſe. Nimirum totus eſt in euertenda probatiſſima chronologia 3. Re. c. 6. vbi 480. anni ſtatuuntur ab exitu ab Ægypto vſque ad templi fundationé. Itaque plurima alia turbat, quæ mouenda non ſunt, & quæ referre longum eſſet. Et inter alia ſeparat annos Samuelis à Saüle, & huic 40. annos, illi octo attribuit. quod verum eſſe non poteſt, ſi cœpit iudicare populum anno vigeſimo, ex quo Arca erat in Cariathiarim, vt ipſe vult. Inde enim ad initia Saülis non octo, ſed vix tres anni, ac ne vix quidem reperiuntur. Sed de annis Samuelis & Saülis iungendis dicetur ſtatim poſt annum ſequentem.

2. n. v. Septuag. Xiſti habent, & reſpexit ἐπέβλεψεν omnis domus Iſraël poſt Dominum, eadem plane ſententia, qua in Complut. & Regiis eſt ἐπέστρεψε, nam reſpicere ſe, pro reſipiſcere, & & conuerti ſiue ad Dominum, ſiue ad meliorem mentem, bene Latine dicitur: & reſpicere ad Dominum, contrarium eſt auerti à Domino, hoc peccando, illud pœnitendo.

Cum Samuel oppidatim populum ad libertatem inuitaſſet, antequam venirent in Maſphath, vt Ioſepho placet, mirum eſt eo inermes veniſſe, præſertim cum dicant ſe conueniſſe non ſolum ad ſupplicationes, & ſacrificia, ſed etiam ὅπλα ὅρκοις, vt ſacramento ad militiam adigerentur: Dicendum pro Ioſepho eos habuiſſe arma, ſed perpauca; nec tam cito bellum expectaſſe, & lapides tonitribus grandiniue ſociaſſe, deinde arma fugientium occupaſſe, iiſque hoſtem fugientem punctim cæſimque confeciſſe. Iuxta veritatem autem nil mirum caruiſſe armis, qui nihil de bello cogitabant. 3. N. xv.

Olim legebatur *viri inuiolati.* Itáque legit Nicolaus Lyra. & referebat ad Samuelem, propter erratum Græci textus, vbi αἰνὸς pro ἀρνὸς legebatur, vt recte notauit Ianſenius, qui hunc locum ex l. 1. Reg. emendat, vbi Septuag. ſicut & textus Hebræus, habent Samuelem accepiſſe agnum γαλαθηνὸν, id eſt, lactantẽ, tenerum, & incorruptum. 4. N. xxii

ANNVS MVNDI 2961. DILVVII 1305. QVINTAE ÆTATIS 22. EXITVS ET LEGIS 418. ARCÆ IN CARIATHIARIM 21. SAMVELIS IVDICIS, ET ACHITOBI PONT. 22. DAVIDIS 12. EXCIDII TROIANI 91. DERCYLI 11. IMPERII ASSYRIORVM 1030.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1092.

I. *Reliquiæ victoriæ de Philiſthæis* HOc quoque anno victoriæ Samuelis de Philiſthæis reliquias, atque effecta perſequimur, cum, vt iam diximus, res tota anno præterito non videatur confici potuiſſe, ſiue crebras Ioſephi expeditiones admittamus: ſiue, vt videtur probabilius, mox ab accepta diuinitus clade, & maiore inde timore concepto, pax cum hoſte certis conditionibus inita fuerit; quarum vna eſſet, vt vrbes Iſraëli à Philiſthæis ereptæ, ipſi poſtliminio reſtituerentur. Non enim ſine cauſa hìc fit mentio pacis. *Eratque pax*, inquit, *inter Iſrael, & Amorrhæum*. Quod nomen, vt notarũt plerique interpretes, generale eſt comprehendens omnes nationes Chananæorum, ſicut Gen. 15. 16. in quibus Palæſtini, atque adeò Tyrij comprehenduntur; nam iſtos, qui cum Philiſthæis contra Iſraëlitas militauerant, in pacis fœdere contineri oportebat. Dicuntur autem Iſraëlitæ pacem iniſſe cum Amorrhæo, quia cum peculiari eius gente illam confecerant.

II. *Pax cum eis facta.* Accedit quod vrbes prædictas non bello expugnatas Scriptura dicit, ſed redditas, ſiue reſtitutas. In Hebræo etiam & Chaldæo, cum dicuntur vrbes re-

diiſſe ad Iſraëlem, ſatis ſignificatur rem pacificè fuiſſe tranſactã; nec vrbes tantum, ſed agri quoque, cum terminis vrbiũ, ad priſtinos dominos redierunt, quod
a l.6.c.2.fi. Ioſeph. a nominatim affirmat, etſi oblitus eſt vrbium ipſarum mentionẽ facere, eas fortaſſe agri, in quo illæ erant, nomine complexus. Addit etiam Lyranus in fœdere pacis huius ſeruiſſe Iſraël ſub tributo, quod ambiguè dictum, intelle-
b q. 33. xit Abulenſis b Philiſthæos adactos ad pendendum Hebræis tributum; quod ipſe è contrario factum putat, nec vnquam ceſſaſſe tributum ſoluere Philiſthæis,
c 2.Reg.8. donec frenum tributi à Dauide legimus ſublatum; c verum exiſtimo ſicut victorias inter vtrumque populum, ſic & tributi onus auctum fuiſſe, vel diminutum, aut etiam ſublatum, quod ſenſit Hieronym. in tradit. in eum locum. Et nunc quidem remiſſum à Philiſthæis, ſed ad modicum tempus; neque enim diuturna fuit iſta pax, neque eiuſmodi, vt non præſidio Philiſthæorum in media Chananitide tenerentur, in Gabaa Benjamin: violata vero eſt Ionatha ſtationem prædictam inuadente; vt ſuo loco dicetur.

Rebvs ita cum hoſte compoſitis, Samuel populi negotia ſtudioſè tractare cœpit, iuridicis conuentibus per certas vrbes iamdudum conſtitutis, ad populi commoditatem, vt certis anni temporibus ad ſingulas conferret ſeſe, ibiq; populum iudicaret, reliquo autem tempore populus ad eum veniret in Ramatha. — III. *Samuel populũ regit.*
d 1 1.c.7.15. vide ann. prece.n.12. *Iudicabat quoque*, ait Scriptura, *Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ.* d *Hinc apparet*, inquit Caiet. *quod quamuis creatus fuerit rex Saul, non tamen depoſitus eſt Samuel à dignitate & authoritate Iudicis, quamuis non exerceret officium Iudicis propter ſenectutem, ob quam creauit Regem.* Imò propter importunitatem populi Regem creauit, vt ſequentia docent. Filios potius participes fecit dignitatis ſuæ propter ſenectutem, vt ex initio capitis octaui colligitur, etſi non ea fortaſſe vnica fuit cauſa. Sed cùm pater eſſet, voluit ſenſim filios ſuos exercere iudicis officium, vt poſt mortem Patris, in eo facilius perſeuerare poſſent, & interim patris ſui ſenectutem ſubleuare.

Quandiu ergo per vires & ætatem licuit, *ibat* Samuel *per ſingulos annos, circumiens Bethel, & Galgala, & Maſphath, & iudicabat Iſraelem in ſupradictis locis.* Exiſti- — IV. *Et viſitat annuatim.*
e verſ.16. mo non eandem hîc e eſſe Maſphath, quæ initio capitis. nam illa in confinio erat tribus Iudæ & Benjamin, ideóque ad illam nullo Iordanis impedimento cito peruenerunt Philiſthæi, nec vlla traiecti fluminis, aut in aduentu, aut in reditu facta eſt mentio. Hanc autem in Galaaditide ſitam arbitror, ne alioqui nullus — *gemina Maſphath.*
f q. 33. eſſet trans-Iordanem locus in quo iudicia exercerentur à Samuele. quod ſenſit Abulenſis; f etſi vnicam poſuerit Maſphath trans-Iordanem eas vrbes Ioſephus ne nominauit quidem, ait tamen illas ſingulis annis bis à Samuele aditas, vt ibi populo ius diceret; idque minus conuenit cum eo quod habent Comeſt.
g in 1 Reg. c.8 Carthuſ. Dionyſ. g Samuelem in tribus ſolemnitatibus aſcendiſſe ad illa oppida, ibique populum iudicaſſe, reliquo tempore populum ad eum in Ramatha veniſſe.

Revertebatvr enim ipſe *in Ramatha, quia ibi erat domus eius*, & domus patris eius; vt ſcriptum eſt initio libri huius, *& ibi iudicabat Iſraelem*; ſed illud magis mirum quod *ædificauit ibi altare Domino*, cũ ibi neque Arca eſſet; erat enim vigeſimum iam annum in Cariathiarim; neque ſanctuarium, quod ſub idem tem- — V. *Et habitat in Ramatha. ibique ſacrificat.*
h an. Sam. 1.n.16.& ſeqq. pus quo tranſlata eſt Arca, & ipſum in Nobe tranſlatum eſt, vt ſupra diximus. h Verum cùm eſſet Propheta, merito creditur Deum id ipſi indulſiſſe, cum autem ſacerdos eſſet extraordinarius, ibidem etiam ſacrificare potuiſſe. Id explicatum eſt à nobis anno Samuelis Iudicis primo, num.8. Hic Theodoreti ſententiam adiicio.

i q. 25. in 1.Reg. Is cùm quæſtionem poſuiſſet, i cur cùm Deus iuſſiſſet vt vno tantum in loco Deus coleretur, Samuel alieno in loco altare ædificaſſet. Reſpondet duo: Primum, templo nondum ædificato, licuiſſe Hebræis Deum colere in diuerſis — VI. *Et quare ex Theodor.*
locis. Verùm quia conſtat templo excitato, etiam alibi altaria fuiſſe à ſanctis viris ædificata, vt ab Elia in monte Carmelo: Reſpondet ſecundo Deum, cum ſciret populi propenſionem ad impietatem, diuinum cultum populo circumſcripſiſſe; piis autem, & iis qui ſcirent ſcopum legis, quemlibet locum fuiſſe conſecratum ad Dei cultum. Sed id conſtat ſine diuina diſpenſatione, atque

inſpiratione non licuiſſe, (& quidem vt vitaretur offenſio, & ſcandalum populi) viris ſanctis & Prophetis, quales fuerunt Samuel, Elias, Dauid, adde Gedeonem, & Manue Samſonis parentem, ex iuſſu, aut conſenſu Angeli.

VII. *Filij Samuelis declinant à via recta.*

INTEREA filij Samuelis conſtituti in Berſabee Iudices, [a] id eſt in finibus regni, ad meridiem iuxta Idumæos, cum patrem longe abſentem haberent, & Dei præſentiam non ſatis reuererentur, à via recta patris ſui declinarunt, ſectantes auaritiam, munera accipientes, & peruertentes iudicium; in gratiam videlicet eorum, qui eis munera largiebantur. Cùm ne munera quidem Iudici accipere liceat à litigantibus, licet nihilominus iuſtè iudicet; nam & ſuſpectus redditur aduerſæ parti; & eum à quo munera ſuſcipit, pronum facit ad lites & calumnias, dum expectat venalem ſententiam. [b] His ergo criminibus implicitì promeriti ſunt, vt mox ipſi, & domus eorum in perpetuum ea dignitate priuarentur; & aditum nouæ ac diuerſæ Reipublicæ adminiſtrationi aperirent.

a c 8. 3.
b Abul. q. 2. in c. 8.

VIII. *Teſtimonio etiam Ioſephi.*

AVDIAMVS autem de iiſdem Ioſephum. [c] *In his manifeſtum exemplum exhibitum eſt non ſemper patribus ſimiles naſci filios, ſed interdum ex malis bonos; ſicut tunc contra ex bono mali progenati ſunt. Relictis enim paternis inſtitutis, diuerſiſſimam viam ingreſſi, muneribus corrupti iuſtitiam opprimebant; & in iudicando non tam veritatis, quam lucri reſpectum habebant, ſolutique in luxum, ac delicias, tum Dei voluntatem, tum patris contemnebant, cui nihil magis erat cordi, quam vt in populo iuſtitia, quàm maxime vigeret.* Sic ipſe. *& Theod.* Theodoretus [d] ait Samuelem non luiſſe pœnas propter ſcelera filiorum, ignorantia, ex longinquitate locorum, ſenem excuſante, cum illi in Berſabee, ipſe in Ramatha moraretur; quod iter Adrichomius vult fuiſſe horarum duarum circiter & viginti. Addit etiam Theodoretus culpas filiorum Heli longe fuiſſe maiores, cum illi in Deum, iſti in homines immediatè peccarent.

c l. 6. ant. c 3.
d q. 16. in 1. Reg.

IX. *Annus Sabbaticus.*

EST porrò hic annus Sabbaticus ordine quinquageſimus quartus, quem religio ſit dubitare ſtudioſè ab Iſraëlitis obſeruatum; cum alter tantum annus ageretur à renouato cum Deo fœdere in Maſphath, opera Samuelis.

Initia regũ Lacedam.

HVC refert Euſebius initia regum Lacedęmoniorum, qui ab Ariſtodemo, vno de poſteris Herculis exorti ſunt, poſt eorum reditum in Peloponneſum. nam his multo antiquiores habet Pauſanias initio Laconicorum. Is refert Ariſtodemum geminos filios Lacedæmone reliquiſſe; quorum alter dictus eſt Procles, alter Euriſthenes, ſiue Euriſthæus, prout ipſe vocauit Euſebius, fueruntq; principes duarum familiarum regiarum, quæ ibidem diu principatum tenuere. *Duæ familiæ regiæ Sparta.* Numerat enim ex vtraque familia plurimos reges Pauſanias. & ex eo Carolus Sigonius, in temporibus Lacedæmoniorum. & Scaliger in Theſauro temporũ, [e] vbi è priore familia Euriſthenidarum reges 30. recenſet, Proclidarum autem 26. de quorum ſucceſſoribus nonnulla leges apud Polybium. [f] Euſebius autem omiſſa Proclidarum familia, nouem tantum Euriſthenidas recenſuit, vſque ad primam Olympiadem, quando regnum Lacedæmoniorum defeciſſe tradit.

e p. 368.
f l. 4. init. & p. 304. gr. lat.

ANNVS MVNDI 2962. DILVVII 1306. QVINTÆ ÆTATIS 23. EXITVS ET DATÆ LEGIS 419. ARCÆ IN CARIAT. 22. SAMVELIS IVDICIS 23. SAVLIS REGIS 1. ACHIÆ, QVI ET ACHIMELECH PONT. 1. DAVIDIS 13. EXIDII TROIANI 92. DERCYLI 12. IMPER. ASSYR. 1031.

1. x.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1091.

I. *Ratio temporis.*

CONTROVERSIIS plenus eſt hic annus, quem Dauidis nominauimus decimum tertium: pleriſq; repugnantibus, iis videlicet qui Sauli, ſeorſim à Samuele 20. annos adminiſtratæ Hebræorum Reipub. tribuunt, plenus inquam controuerſiis, quod ad Regis & Pontificis iam nominatorum initia; præſertim quod ad Saulem attinet, de quo quia nihil Scriptura circa regni durationem determinauit, ac ſtatuit; aut ſi quid

videtur

[a] 1. Reg 13. 1.

videtur ſtatuiſſe, [a] iuſtiſſimam dubitationem mouet; multa data eſt in hanc diem Scriptoribus opinandi materia, multæ exortæ ſunt ſententiarum diuerſitates; quas vt breuiter expediamus, & certa ab incertis ſeiungamus, duabus propoſitionibus rem totam definiemus, quarum hæc erit prior.

II. *Samuelis & Saulis anni 40.*

Samuelis Iudicis, & Saulis Regis coniuncta gubernatio, 40. tantum annorũ eſt. vel quod eodem redit, tempus à morte Heli vſque ad initium regni Dauidis, nec plurimum, nec pauciorum annorum eſt, quam quadraginta. Nam ſi hunc numerum vel augeas, vel diminuas, ſtante vbique hactenus ſtabilita chronologia, falſum erit quod ſcriptum eſt 3 Regum 6. anno 480. ab egreſſu Iſraelitarũ ex Aegypto iacta fuiſſe templi Salomonis fundamenta. Deinde S. Paulus in Act. Apoſt, [b] Sauli & Samueli annos tribuit 40. Etſi enim illos ſoli Sauli tribuere videatur, communiſſima tamen eſt ſententia, vt mox patebit, de vtroq; ſimul accipiendos eſſe; & merito quidem, cum ex Scriptura conſtet Samuelem diu cum Saule vixiſſe, eundemq; omnibus diebus vitæ ſuæ iudicis dignitatem tenuiſſe[c] vt ſupra diximus. Imo vix eſt qui Sauli ſoli, & ſeorſim à Samuele 40. annos tribuet, niſi forte Hierony. in traditionibus Hebraicis, & Serarius, in lib. 1. Reg. c. 6, propoſ. 2, & Canus, quem paulo ante refutaui, [d] qui eandẽ in ſententiam Caiet. refert. Sed erit nobis iterum cũ Cano velitatio quarto anno Salomonis.

[b] Act. 13. 21

[c] 1. Reg. 7. 15.

[d] ſub fi l. 1. Reg. ſch. 1. 2. m. 2960

Ideoq; ex S. Pauli ſententia dicendum eſt, ſi anni Samuelis cum annis Saulis coniungantur, quibus partim ſeorſim, partim coniunctim Rempub. Iſraelitarum adminiſtrarunt, 40. tantum annorum numerum efficere.

III. *Qui ita ſentiunt. Euſebius Sulpitius Iſidorus Nicephorus Contius Beda*

Ita ſentit Euſebius in Chronico latinó, vbi Samuel & Saul coniunguntur, (licet in græco ſolus Samuel poſitus fuerit;) ita & l. 10. de pręparat. cap. vlt. ſub finem. Sulpitius Seuerus diſtinctè: [e] de Saule enim agens, *De ætate*, inquit, *imperij eius parum certa comperimus, niſi quod in Actis Apoſtolorum* 40. *annos regnaſſe dictus eſt. Quanquam ego arbitror, tum à Paulo, cuius illa prædicatio refertur*, *etiam Samuelis annos ſub Regis iſtius ætate numeratos*. Sic ipſe: & paulo poſt hanc eſſe chronologorum ſententiam affirmat, Euſebii videlicet, quem plerique omnes ſecuti ſunt. Iſidorus in chronico, Nicephorus Conſtantinopolitanus, cum Antonio Contio. Beda c. 13. Actorum ait Apoſtolum illis 40. annis, vtriuſque gubernationis annos fuiſſe complexũ idq; Paulum tunc ex cõmuni, quæ in populo ferebatur, ſententia affirmaſſe, & mediam illius temporis partem Samueli, alteram Sauli conuenire ex Ioſephi ſententia. Sed hoc poſtremum merito ipſe retractat, in retractationibus in Acta. Nec aliter ſentit Auguſtinus, [f] qui Euſebium perpetuo in ratione temporum ſectatur, & Chryſoſt. [g] dum Samueli annos tribuit 40. Freculphus Epiſcopus [h] in chronico ſuo totidem viceuerſa Sauli. Chronicon Alexandrinum, quod annos 40. bipertito diuidit inter vtrumque Principem; ſicut & Cedrenus, Lyranus, & interlinearis in 13. Act. & Abulenſis in 1. Regum c. 13. q. 1. & alibi.

[e] l. 1. Hiſtr.

Auguſt. Chryſoſt. Freculphus Chronic. Alex. Cedrenus Lyranus

[f] l. 17. de ci. Dei c. 7. & l. 18. c. 2.

[g] hom. 4. in act.

[h] to. 1. l. 2. c. 18.

[i] cr. 9. inſi.

& recens.

Eadem eſt recentiorum ſententia Tornielli, Genebrardi, Mercatoris, & Gordoni, tam in chronolog. quam in queſtionibus, [i] Adrichomi. Ioann. Lucidi. Sebaſtiani Verronii libr. 4. Chronicorum capit. 2. Bellarmini in Chronologia.

Ribera l. 1. de templo c. 1. Pinedæ l. 8. Salomonis c. 2. n. 2. Lorini in c. 13. Act. Abulenſis quæſt. 6. in cap. 9. primi Regum, vbi ait omnes Doctores ita computare; Quibus addi poſſunt è Sectariis functius, Temporarius, Bibliander, Codomanus, Caluiſius, Capellus, Heluicus, Behmus, Cario.

in a. 1. Dau.

IV. *improbãtur alia ſententia, Clem. Alex. Zonaræ. Ioſephi. quæ plures*

Hinc patet quid dicendum ſit de Clemente Alexandrino, [k] qui ait Saulem cum Samuele regnaſſe annis 27. deinde rurſum annis 20. fierent enim 47. anni, quod Scripturæ repugnat. Quid de Ioſepho. qui l. 6. antiquitat. ca. 14. [l] ait Samuelem ſolum præfuiſſe Reipublicæ annis 12, deinde cum Saule annis 18. Saulem vero poſt mortem Samuelis annis 20. vt habet idem Ioſephus in fine eiuſdem libri ſexti. & iterum l. 10. c. 11. In textu tamen græco [m] libri ſexti habet annos viginti duos, ſicut & Zonaras, qui Ioſephum de more ſequitur. ſic enim fierent quinquaginta. vel 52. anni cum quadraginta duntaxat inueniri neceſſe ſit, ſi volumus cum Scriptura ſentire. Refelluntur etiam qui abundantiore errore ſeptuag. annos tribuerunt vt eſt apud Sulpitium Seuerum, & Bedam

[k] l 1. Stro. ca. 11.

[l] verſus fi. pag. 200. græc. lat

[m] græc. lat. p. 342.

in præfatione ſecundi libri expoſitionis allegoricæ in Samuelem: quam opinionem probauit Serarius l.3. Reg. c.6. prop.2.

V. *Pauciores ſ-ue vtrique attribuit. Beda. Herman. Marianus. Driedo. Hebræi.*

REFELLVNTVR & quicunque pauciores eis annos tribuunt; In quibus Beda l. de ſex ætatibus & dicta præfat. cui conſentiunt Hermannus Contractus, & Marianus Scotus, & Driedo l.3. c. de ſupputationibus, qui 32. tantum annos vtrique ſimul tribuunt, idque vt aiunt, ex ſupputatione Ioſephi, ſed poſteriores Saulis annos apud Ioſephum non animaduerterunt. Denique refellũtur Hebræi in Seder Holam [a] qui vtrique principi 13. tantum annos aſſignant; eo in fraudem inducti, quod 20. tantum annis Arcam in Cariathiarim manſiſſe putant, [b] indeq; reductam à Dauide in Hieruſalem, poſt 7. annos regni ſui, itaque de 20. annis ſi 7. auferantur, remanent tantum 13. quorum duobus regnauit Saul, vt dicitur 1. Reg. 13. reliqui ergo erunt 11. Samuelis: ſed fundamento falsò, & inepta duorum locorum Scripturæ interpretatione nituntur. quos tamen ſecutus eſt Conſtantinus Phrygio. Eupolemus autem, [c] qui Hebræorum conſcripſit hiſtorias, eis dat annos vnum & viginti, apud Euſebium de præparat.

Conſtant. Eupolemus.

[a] 1.p. c.13. [b] 1. Reg. 7. & 13. [c] apud Lud. Viu. in 18. de ciu c. 20 lit. c.

VI. *Saülem 18. annis regnaſſe.*

ALTERA propoſitio eſt Saülem decem & octo annis regnaſſe, quorum 16. viuo Samuele, duos ipſo defuncto tranſegit. Hæc propoſitio rebus ipſis geſtis, gerendiſque, & rationi temporis maxime conſentanea eſt. Nam à morte Heli vnum circiter annum manſit Arca Domini, tam apud Philiſthæos, quam Bethſamitas, tum 20 annis in Cariathiarim, ante renouatum fœdus in Maſphath: Inde ſecutum eſt bellum contra Philiſthæos, quod vigeſimum ſecundum annum explet, quo etiam tempore filiorum Samuelis gubernatio experientia probata, reprobataque eſt. Sicque hoc anno vigeſimo tertio à morte Heli, Rex petitus à populo, atque impetratus eſt; quibus rebus conficiendis, præſertim gubernationi filiorum Samuelis, ſpatium idoneum non tribuunt, qui 20 annos Samueli tribuunt, totidemque Saüli. Reliqui ſunt ergo octodecim Saülis anni, qui rebus ipſis aptiſſimè quadrant, vt ex ſingulis annis intelligetur Samuelem autem biennio ante Saülem mortuum fuiſſe, ſuo loco docebimus. Interim Saulis 18. annos ex Ioſepho, Comeſtore,[d] Abulenſi [e] etiam rem accuratius examinante, aliiſque retineamus.

[d] l.1. Reg. c.17. [e] 1 Par. c.19 q.2.

VII. *Non duobus tantum*

QVI autem duos tantum annos Saüli tribuunt, Scriptura capitis decimi tertij primi Regum non bene intellecta, vt ſuo loco videbimus, omnem hiſtoriam Saulis perturbare coguntur. In his Seder Holam, [f] & Phrygio, quos ante retuli, Arias Montanus apud Lorinum, [g] Adrichomius, Vigenerus, Mercator, Verronius, quorum hi 4. 38. annos tribuunt Samueli, & ſcilicet duos Sauli. quod ſi verum eſſet, ſupradicti 40 anni, Samueli potius ab Apoſtolo, quam Sauli fuiſſent attributi. Sit ergo ſtabilitus primus Saulis annus, quo autem id modo factũ ſit, poſtmodũ ex Scriptura dicemus; ſi prius de nouo Pontifice aliquid egerimus.

[f] 1 p. c 13. [g] Act. 13. 21 l 3. c. 13 & l 10. c 3.

VIII. *Põtificatus. Achiæ.*

DE Pontifice igitur probabiliter dicimus, eum cum Saule ad regnum promoto Pontificatum etiam gerere cœpiſſe, Achitobo maturè demortuo. Nam ſub exordia regni Saülis memoratur Pontifex. l.1. Reg. 14. [h] Et inſuper verum eſſe oportet verbum Domini contra domum Heli. [i] *Non erit ſenex in domo tua omnibus diebus, &c. pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem peruenerit.* Cùm ergo Achias Pontificem egerit ſub Saule, & eius initium non prodatur, ad illius principis initium, etiam Pontificis exordia, vt non ſemel fecimus, referemus. Qui autem dicitur Achias filius Achitob, filij Phinees, filij Heli 1. Reg. 14. [k] Idem poſtea dicitur Achimelech filius Achitob. 1. Reg. 22. [l] Quod ſi quis contenderet non vnum eundemque fuiſſe Achiam & Achimelechum, ſed fratres filios Achitobi, qui breui ſpatio alter poſt alterum pontificatum tenuerint, non facile refutari poſſet. Id enim conſentaneum eſſet maledictioni domus Heli. nec eſt in Scriptura locus, qui Achiam & Achimelechum eundem eſſe dicat, ſed tantum eiuſdem patris filios. Hieronymus tamen in trad. Hebr. in 1. Reg. c.21. *Achimelech*, inquit, *ipſe eſt Aia filius Achitob, filij Phinees, filij Heli.* Placet ita eundem ſtatuere binominem, dum nihil certius innoteſcet. Certe regem Achis Achimelechum etiam dictum eſſe reperio. Nam 1. Reg. c.21. dicitur Dauid commutaſſe vultum ſuum *coram Rege Achis*; in titulo vero Pſal. 33. *coram Achimelech.* Achis autem & Achias parum differunt.

[h] v 3 & 18. [i] 1. Reg. 2. [k] v. 3. & 18. [l] v. 9. 11. 12. 20.

IX. *Maiores natu regem à Samuele petere ſtatuunt.*

Iam quod ad mutationem politicæ adminiſtrationis in Repub. Hebræorũ, attinet, & primi Regis creationem, eam Samuel ab ipſa origine repetens, petitionem eius cum authoribus ſuis, petendique cauſam occaſionem, & locum, quoq; modo petitio, tam à Deo, quam à Samuele accepta fuerit, perſpicuè declarat. Petunt maiores natu Iſraël, ne forte Samuel petionem iuuenili tribueret leuitati, illudque occineret. *Ineuntis ætatis inſcitia ſenum conſtituenda ac regenda prudentia eſt.* Aut illud αἰεὶ δ' οἱ νέοι ἀφραδέων· *perpetuo inconſulta iuuentus.* Nec maiorum natu appellatio ætatis tantum eſt, ſed dignitatis, & eminentiæ, ſupra infimam ac promiſcuam plebem. Hanc tamen petitionem Seuerus Sulpitius populari leuitati tribuere videtur. *Hoſtili*, ait, *metu remoto, ſecundis tranquilliſque rebus, corruptis conſiliis more vulgi, cui præſentia faſtidio, inſueta deſiderio ſunt, regium nomen, cunctis fere liberis gentibus ſemper inuiſum, populus deſiderabat. planeque non ſine exemplo amentiæ præoptabat libertatem ſeruitio mutare.* Hæc ipſe, non ſatis memor, vt apparet, regis Ammonitarum Hebræo populo tum imminentis, vt mox dicetur.

Cicer. Homer.

X. *Et petendi cauſas inter ſe conferũt.*

Seniores ergo petunt, neque eorum pauculi deliri, aut male feriati, ſed *vniuerſi*: neque alienigenæ quorum ſuſpecta eſſet poſtulatio, aut quorum nihil intereſſet, ſed *Iſraelitæ*, neque ſinguli, ſed *congregati*. Et primum quidem vt fit, plerique ſeorſim bini, terniue ſuper hoc negatio colloquebantur: Imminere Ammonitem, vt nuper Philiſthæum, neminem eſſe, qui ducem populi in bello, cum ſumma poteſtate agere poſſit. Et Samuelem quidem eſſe præſtantem virum, & Deo, populóque chariſſimum; ſed ſenem, & quidem minimé militarem, ſanctuario & ſacrificiis, non armis caſtriſque aſſuetum. Et illum quidem filios habere ætate florentes, neque rerum fortaſſe gerendarum imperitos, & quibus paterna merita populi gratiam conciliare debeant: ſed eos nihilominus, auaritiæ atque iniuſtitiæ nomine populo ingratos, & à patre degeneres, populum ſibi obſequentem non habituros. Duos inſuper eſſe, quorum alter alteri, ſine inteſtino ac ciuili bello, minimè ceſſurus videatur.

1. *Deeſſe Hebræis bello ducem.*

XI. 2. *Regem eis præſidio, atque ornamento fore.*

Neqve illud obliuiſcebantur, eximium quendam eſſe ſplendorem regiæ maieſtatis, ex qua ſingulis regionibus ac populis multum gratiæ & dignitatis, multũ animi ac virium, multum in omnem partem vtilitatis accreſcat. Populum Iſraëliticum nec ea indignum gloria, & ſi illud ei ornamentum acceſſerit, atque adiumentum, neque Ammonitas illi, neque Idumæos, neque Moabitas, neque Philiſthæos, imo, Deo bene propitio, neque Tyrum & Sidonem, neque Syriam aut Ægyptum, populo Dei parem vnquam, aut ſuperiorem fore. Quidni autem, inquiunt propitium ſperemus Deum, quo cum nuper, authore atque hortatore Samuele, ſimulacris inanium Deorum abiectis, fœdus redintegrauimus, qui nobis in legé [a] conſtituendi ſuper nos regem poteſtatem fecit, & certas in eam rem leges; & iura perſcripſit. *Cùm ingreſſus fueris*, inquit, *terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi: & poſſederis eam, habitaueriſque in illa, & dixeris, Conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Ecce quadrigenteſimum pene iam annum promiſſam nobis Chananitidem incolimus, nec tamen adhuc in mentem venit regem nobis poſtulare.

3. *Regem legi diuinæ conſentaneum.*

a Deut. 17. 14.

XII. 4. *Et vaticiniis patriarcharum.*

Nisi forte mendacem efficere volumus patrem, ac patriarcham noſtrum Iacobũ, [b] qui plenus Deo, cùm filios omnes ſuos benediceret moriturus, apertè vaticinatus eſt regium ſceptrum in tribu Iuda, vſque ad Meſſiæ aduentum minimè defecturum. An Deum ipſum conamur arguere falſitatis, qui non ſolum gentis noſtræ principi Abrahamo dixit, fore vt reges ex eo egrederentur; [c] quod in Iſmaëlitis, & Ceturæ filiis poſſet impletum videri, aut etiam Idumæis, [d] qui octauum iam regem in dedecus noſtrum numerant; ſed illi eidem Iacobo patri noſtro dixit in Bethele, cum ei Iacobi nomen in Iſraëlem verteret. Reges de lumbis eius egreſſuros; Reges inquit. Ne quis forte regulum vnum Abimelechum, tyrannum verius, 70. fratrum ſuorum carnificem, prophetiam expleuiſſe calumnietur. At enim à Domino eligendus eſt, ſi legem ſeruare volumus; quis vetat? & de numero fratrum, quis alienigenam populo Dei præficiendum putat? Adeamus ergo Samuelem prophetam, ipſe nobis apud Deum futurus eſt interpres.

b Abul. q. 8. in c. 8.

c Gen. 17. 6.

d Gen. 36. 31. &c.

XIII. *Veniunt ad Samuelem, & petunt Regem.*

Congregati *ergo vniuerſi maiores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, locũ*

in quam ipſe luſtrata prouincia ſe conferebat, vbi quaſi in hybernis, in propria, paternáque habitabat domo, vbi populo frequenti ius dicebat, venerunt inquã, non tam pertæſi auaritiæ, & iniuſtitiæ filiorum Heli, etſi illa eis occaſio facta eſt, quam ambitioſo regalis gloriȩ deſiderio incitati, & cæterarum nationum æmulatione ſaucij. Nonnullo etiam à Rege Ammonitarum periculo permoti; hoc enim illi in ſua cauſa poſuerunt, vt conſtat ex iis quæ poſtea [a] à Samuele coram rege recitata ſunt, & obiecta populo. Dixeruntque ei: *Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis regem vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.* Hæc iſti.

a 1. Reg. 12. 12.

XIV. *Explicatur petitio.*

CALLIDA vtique, & domo allata, ac meditata occupatione præcluſerunt Samueli reſponſionem. Nam neque rem malam poſtulabant, neq; à diuinis legibus alienam, tametſi populo iſti nouam, atque inſolentem. Et ne ſe ipſe fortaſſe, qui ſummum gerebat magiſtratum, ad populi bella gerenda offerret, prout non ita pridẽ ea contra Philiſthæos fœliciter adminiſtrarat; nihil illi quidẽ in eius vita redarguunt, impedimentum tamen afferunt manifeſtum, quodque in dies augeſceret, nedum minueretur, & cui remedium adhiberi non poſſet, ſenectutem videlicet, propter quam ipſemet ſe munere iudicis magna ex parte abdicaſſet. Quamquam neque ætas admodum deuexa erat, perparum enim erat ſexagenario maior, nec Imperatoris in bello munia viribus & lacertis, ſed iudicio ac prudentia, quibus illa ætas maxime valet adminiſtrantur. Maxime cum Hebræorũ victoriæ hactenus, diuino potius auxilio, quam copiarum magnitudine, aut armorum peritia conſtitiſſent. vt in Gedeone, Iephte, Samſone, & nuper in ipſo Samuele res ipſa docuerat.

XV. *Accuſant filios Samuelis.*

NE autem Samuel filios offerret ſuos, eorum vitam patri diſſimilem ac degenerem accuſant. Quibus nihil patrocinatur pater; ſiue quod nouo & inopinato de filiis nuncio ictus obſtupuit. Quidã enim in quibus Lyran. Theod. [b] & Abul. [c] dicunt malitiam filiorũ Samuelis, hactenus latuiſſe patrem; ſiue quod ne in filiis quidem, poſtulatis eorum acquieſcendum putaret, ita vt illi aut nihil aut modice ad rem præſentem facerent. Nec tamen arbitror Samuelem tam negligentẽ ſuorum, maxime filiorum fuiſſe, & quidem filiorum quibus grauiſſimam iudicandi prouinciam impoſuiſſet, vt cum cætera loca obiret, filiorum obliuiſceretur, nihil inquireret, nihil inquirendo diſceret. Sed & populum Iudaïcum nimis patientẽ faciunt, nimium parcum querelarum. Sciuit itaque, & ingemuit, & remedium, vt par eſt credere, adhibuit, quandoquidem nullam Dei obiurgationem eam ob cauſam, quæ quidem ſcripto prodita fuerit, incurrit.

b q. 16. in 1. Reg.
c q. 6. in c 8

XVI. *Et patrem cum filiis pene exautorant.*

HIC ergo iſti maiores natu in patre facultatem, in filiis voluntatem bene gerendæ Reipub. abeſſe contendunt. Cumque neceſſario præficiendus ſit aliquis populi Iudex, eadem opera Regem, quod per Moſaicas etiam leges liceat, ſibique honorificentius futurum ſit, petere contendunt; & quidem non nomine tenus Regem, ſed qui iudicet populum, qui bello præſit; qui togæ muneribus, militiæque moderetur; qui Rex eo iure ſit, quo qui apud alias gentes optimo. eóque facto non ſolum filios, ſed patrem etiam pene exautorant. Etſi enim deinceps quoque creato Rege iudicauit populum ſuum. Dictum quippe eſt ſupra iudicaſſe eum Iſraëlem omnibus diebus vitæ ſuæ. [d] Non vltra tamen ſupremum geſſit in Repub. magiſtratum, quando Rex illi fuit, cum maiore dignitate, atq; autoritate præpoſitus.

d 1 Reg. 7 v. 15.

XVII. *Iniuſte, atque ingrate*

VERVM vt iniqua non ſit filiorum recuſatio, prȩter omnem ordinem iuris, nullóque eis ad emendationem tempore attributo in gratiam bene de Repub. meriti parentis. Iniuſta certe atque ingrata eſt Samuelis quam diximus, exautoratio, quam Dominus ipſe non obſcurè ſignificat, cùm ait: [e] *non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*· qui tamen nihil in ipſos peccauerat: imò plurima in hanc diem beneficiæ contulerat, Rempub. difficilimis temporibus gubernauerat, hoſtem diuinitus profligarat, ciuitates, agrumque ab eo receperat, populo ius tertium iam ac vigeſimum annum dixerat: toties regionem vniuerſam paterna ſollicitudine luſtrauerat, vt eorum ſumptibus parceret, ac labori: nulli vim, iniuriámue facto, aut verbo intulerat; manuſque ſuas ab omni munere excuſſerat. Debuerunt ergo grati animi nomine expectare, dum ſenex vita pariter at-

e c. 8. v. 7.

que honore illo primario defungeretur. Quid mirum ergo ſi res diſplicuit Samueli; ſuper qua Deus ſibi ſeruum ſuum conſolandum putauit, cum diceret, *Sicut dereliquerunt me, & ſeruierunt diis alienis, ſic faciunt & tibi*, quando alium à te ſectantur magiſtratum; & vtrique reddunt mala pro bonis.

XVIII. *Id Samuel non moretur, ſed iniuriam Dei.*

Vervm enimuero Samuel, vt erat vir ſanctus, propria & domeſtica iniuria modicè tangebatur; habebat quippe animi perturbationes edomitas, & docente charitate didicerat, non quærere quæ ſua ſunt, ſe quæ Domini ſui: ægre tulit petitum à populo regem; quia petendo regem aliquo modo ſe à diuino principatu ſubtrahebant. Quandiu enim rege caruerunt, Deus erat immediatus Rex eorum ac Dominus, [a] iuxta id quod olim in Moſaïco fœdere Deum inter & populum conſtitutum fuerat; dicente Domino; [b] *vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta*. Rege autem ex hominibus accepto, alium præter Deum habituri erant, quem vocarent Regem & Dominum. Et licet non poſſent Deo auferre ſupremam poteſtatem, quæ ei naturaliter competit in res omnes, ei tamen immediatum dominium auferebant, cum alium immediatum agnoſcerent. Idque ſignificat Dominus cum ſe abiectum queritur, & derelictum ab Hebræis, cui conſentiens Samuel, exprobrat populo quod dixiſſet, *Nequaquam, ſed rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus veſter regnaret in vobis.* [c]

[a] Abul. q. 6 & 9 in c. 8.
[b] Exod. 19 v. 6.
[c] c. 12. 12.

XIX. *Peccabant enim.*

Displicvit itaque ſermo in oculis Samuelis, eo quod dixiſſent, *Da nobis regem, qui iudicet nos.* non poterat enim bonus paſtor de peccato populi ſui non dolere, & in eius culpabili deſiderio, plurimúmq; noxio non ingemiſcere. Quomodo enim optimo viro in vnius Dei gloriam, & commune bonum intuenti, diſplicuiſſet petitio, ſi ea culpa vacaſſet? num quis Deum abiicere ſine culpa, ab eoque gubernationem inſtitutam repudiare poteſt? Itaque aliquanto poſt conſtituto rege coram eo, populóque vniuerſo dixit Samuel, [d] *Scietis & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos Regem*, idque miraculo confirmauit; quo viſo agnouit etiam ipſe populus culpam ſuam, dixitque Samueli: *Ora pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum vt non moriamur. Addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis regem.* quorum orationem excipiens confirmáſque Samuel; *Nolite timere*, inquit, *vos feciſtis vniuerſum malum hoc, veruntamen nolite recedere à tergo Domini, &c.* Denique petitionem natura ſua non malam, malam reddebat pactum cum Deo initum, [e] de habendo ipſo in regem proprium atque immediatum, vt illi eſſet hic populus inſtar peculij, in quod proprium exerceret, ac peculiare dominiũ. Nec permiſſio Domini acquieſcentis voluntati eorum, aut prædicentis futuros in populo ſuo reges; aut illis imponentis leges, quando conſtitutus fuerit Rex, impedit ne cum culpa facta ſit poſtulatio. [f] Quæ tamen rectè fieri poterat in aliquo interregno, cum nemo quidquam damni acciperet: aut ſi res à Deo ſub conditione beneplaciti, & ſine pertinacia peteretur.

[d] c. 12. 17.
[e] Exod. 19 5.
[f] Toſt. q. 10 in c. 8.

XX. *In Deum & contra ſeipſos.*

Peccarvnt ergo, & peccarunt contra Dominũ, cuius ſe peculiari dominio, ac prouidentiæ ſubtraxerunt; & quidem tam grauiter, vt eam culpam Dominus ipſe deſertioni ſui, ac idolorum cultui conferre non dubitauerit. *Iuxta omnia opera ſua*, inquit, *quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto, vſque ad diem hanc. ſicut dereliquerũt me, & ſeruierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi.* Sed & contra ſeipſos peccarunt, neq; honori ſuo, neque commodis conſulentes, vt qui non viderint de ſua gloria multum hoc facto decedere. 1. Glorioſius quippe eſt ſummo principi immediate ſubeſſe, quam aliquos habere moderatores interiectos. nec eſt qui neſciat milites regiæ cohortis aut turmæ; multũ cęteros gregarios milites, gloria & honore antecedere. 2. Quin etiam non exiguam commodis ſuis ſecurim iniecere, dum ſe regi ſuo grauiſſimis obnoxios tributis reddiderunt, quæ poſtea querelis, lamentiſque ſunt proſecuti; [g] qui antea ex diuina lege, perexiguum duntaxat cenſum Deo penſitabant. [h] Id vt animaduerterent, populum de huiuſcemodi oneribus voluit Dominus per Samuelem moneri, vt mox dicemus. vt merito poſſet cum prodigo dicere: *Pater peccaui in cælum & coram te.*

[g] 3 Reg. 12 4.
[h] vide a. m. 2144. n. 575. & ſeqq.

XXI. *Cur diſplicuit petitio Samueli.*

Displicvit *ergo*, vt in pauca rem conferamus, *ſermo in oculis Samuelis*, ſiue quia
1. exautorari ſe, & abiici videbat, canoſq; ſuos inglorios, & cũ mœrore deduci ad in-
2. feros. Rege enim futurus erat inferior, qui nullum iam inde à morte Heli ſupe-
3.

riorem habuerat. Siue quia ſpem ſuã de filijs ſuis medio in curſu infringi videbat; 2.
quando non eorum emendatio, ſed exautoratio, atque abdicatio petebatur, ſicq;
familiam ſuam ſicut familiam Heli reprobari. Siue quia ſciebat rem populo ſuo 3.
noxiam fore, qui imprudẽs libertatem ſuam & copias, in egenam ſeruitutem cõ-
mutaret. Siue denique, quod caput eſt, quia rem Deo ingratã eſſe non ignorabat, 4.
cum diuinum gubernandæ Reip. ordinem immutare vellet, eo improbante, cuius eſſet ſupremum in eos, immediatumque dominium: nec eum qui iure ſuo rex eſſet omnium gentium in peculiarem regem habere contenti, fatui regem hominem ambirent. ſeq; eximia illa, & ſingulari Dei prouidentia ac gubernatione priuarent, dum cæteris gentibus ſimiles fieri vellent, quas generali tantum prouidentia regens, permittit ambulare vias ſuas, & ſequi adinuentiones ſuas; cum multo ipſi meliore conditione fruerentur.

XXII. *Triſtitia eiuſdem ex occaſione domeſtica.*

AVGEBAT hanc Prophetæ triſtitiam etiam illud, quod totum hoc malum è domo ſua quodãmodo profectum videbat, cum occaſione malæ adminiſtrationis Iohelis & Abiæ filiorũ ſuorum, populus ad petendũ regem fuiſſet adductus. Vnde Ioſeph. [a] *Populus*, inquit, *videns Remp. cura & diligentia Prophetæ optime conſtitutã, labefactari per filiorũ eius impotentiam, vehementer offenſus, ad patrẽ concurſum fecit, qui tunc habitabat in vrbe Ramatha, & commemoratis filiorũ eius iniquitatibus, quodq; ipſe iam ſenio debilis, more ſolito præeſſe adminiſtrationi rerum non poſſet, obnixe precabatur, vt regem ali quem declararet, qui toti genti cũ imperio præeſſet.* De hac ipſa triſtitia Samuelis, eiuſque cauſa S. Chryſoſt. in lib de Prouid. [b] *Porro*, inquit, *eius filij cum iniqui & mali eſſent, atq. ad culmen iniquitatis peruenissent, & hoc ipſo mœrore illum incredibili afficiebant, & ſibi præſtiti honoris hæredes eſſe non poterant. Succeſſit huic mœrori, imo vero non ſucceſſit: quo enim pacto, cum prior nondum quieuiſſet? ſed adiectus eſt alius. Iſraelitarum ſcilicet iniuſtiſſima petitio: qua in re ita concidit, vt ingenti cõſolatione indigeret.* Sic S. Chryſ. quæ etiam auxit Ioſeph. [c] cũ ait adeo rem hanc hominẽ ſolicitũ habuiſſe: *vt nec cibum, nec ſomnum, præ cura caperet, ſed per totã noctẽ ſe in lecto verſaret multa interim animo voluĩado.* Sic Ioſ.

a l. 6. ant. c. 4.

b l. 3. de Prouident.

c l. 6. c. 4.

XXIII. *Cum modeſtia nihilominus.*

QVÆ nimis amplificata fortaſſe dixerit, qui cogitauerit hominem DEO familiarem, & in ſancta eius prouidentia acquieſcentẽ. Quamuis autẽ Samuel multiplici mœrore, in hocce triſti, atq. inopinato nuncio affectus eſſet, nihil tamẽ vir ſanctus ſibi imprudenter elabi paſſus eſt, nihil dixit, aut fecit eorum, quæ cęteri hominũ in huiuſmodi caſibus ſolent. Nihil apparuit in eo ſuperbũ, iracundum, aut minax; nihil abiectum, humile, ſupplex, indignum ſummo magiſtratu, & tota anteacta vita ſanctè, ſapiẽter, glorioſéq. tranſacta; ſed tacitus collegit ſe, & ad Deũ orandum confugit: niſi forte credibilius eſt non dimiſſum plane ſine vllo reſpõſo populũ, ne ſe contemptos putarent iſti maiores natu, ſed eis quod erat in promptu, dixiſſe Samuelem; grauiſſimi eſſe momenti hoc negotium, ſe rem ad Dominum delaturum, & quæ ab eo didicerit cum fide relaturum; ſicque eos à ſe in alterum diem, ſine vlla cuiuſquam offenſione dimiſiſſe.

XXIV. *Et recurſu ad Deum.*

ORAVIT ergo Samuel Dominum, & populi ſui petitionẽ humiliter expoſuit; optare illum quidem vehementer regem ſibi cum ſumma poteſtate præficere; neque velle cæteris populis conditione deteriorem videri. Sed quoniam ex lege didiciſſent, [d] non poſſe ſe regem conſtituere, niſi diuini ſuffragij pręrogatiua, atq; adeo electio integra præceſſiſſet, ideo ad ſe, quem prophetam noſſent, quaſi ad diuinum oraculum veniſſe, dicentes, *conſtitue nobis regem, qui iudicet nos* proindeq. orare ſe Dominum, vt voluntatem ſuam ſuper hac re pate[illegible]cere dignaretur; & populo ſponte ad deteriora prolabẽti, propitius eſſe ne d[illegible]neret, tametſi ſe ab eo, ſuoſque abijci videret, atque contemni: qui eorum vtilitatem apud Deum atque homines, per totam vitam omni ſtudio, curaque promouiſſet.

d Deut. 17. 14.

XXV. *Dei reſponſio.*

HVIVSCEMODI orationi Samuelis fidem, probabilitatemq; conſiliat ſequens Domini reſponſio, in qua afflictum ſeruum ſuum, mœrentemq animo conſolatur, vt notarunt Ioſeph. atque Chryſoſt. ſimulq; eorũ ratam habet, confirmátque voluntatem, cum enim ſeipſi in lecto iacenti, & inſomni, vt vult Ioſeph. videndũ præbuiſſet. *Audi*, inquit, [e] *vocẽ populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerũt ſed me, ne regnem ſuper eos.* quaſi dicat ferenda tibi eſt æquo animo iniuria, quam vides tibi cum Domino, ac Deo tuo communem: Id enim quoddam ſolatij genus eſt. Sed neque nunc primum contra me peccare incipiunt, *Iuxta omnia opera ſua,*

e 1. Reg. 8. 7

quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto, vſque ad diem hanc, ita nunc quoq; faciunt;
Sicut dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis, ſic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum
audi. Veruntamen conteſtare eos, 3 *& prædic eis ius regis; qui regnaturus eſt ſuper eos*, ſi for-
3 ✱ te malis, periculiſque deterriti, à ſententia deducantur.

Tria ergo continet hæc Domini oratio, conſenſum ſuum in poſtulationem
populi, ſi in propoſita voluntate perſeueret; conſolationem Samuelis afflicti, &
diſſuaſionem,, ne populus vltra ſibi ignotam ſeruitutem accerſat. Acquieſcit er- XXVI. *Explicatur, cur Deus populo conſentiat.*
go Dominus petitioni Iſraelitarum, quæ neque rei eſſet natura ſua malę; ſtatus
enim Reip. monarchicus, omnium ſapientum iudicio, præſtantiſſimus eſt, ſi le-
gitimis finibus contineatur; eúmq; vnum Dominus in cœlo, & triumphanti Eccl.
per ſe ipſe, & in terris in militanti per vicarium ſuum magnificè reprę̨ſentat: ne-
que rei quæ iſti populo diuinitus interdicta eſſet, vt diximus ſupra n. 1. 12. 24. &
a in 1. Reg. c. 8. notatum eſt à Ruperto.[a] Nec tamen ſimpliciter & vniuerſè accquieſcit, pro e-
ximia ſua de eo populo bene merendi voluntate: quia melius eis erat, obſer-
uatum hactenus in Repub. ſtatum retinere, quam illum in nouum atque inſo-
lentem commutare. A Deo enim quaſi à proprio Rege, & peculiari principe, cu-
mulatius expectare poterant, quæcumque à bono Rege optare potuiſſent: idque
etiam experientia ipſa didicerunt.

Populum enim iſtum, vt ante attigimus, & nunc paulo vberius memorare iu-
b Exod. 19. uat, imitando Scripturam diuinam, quę hoc ipſum beneficium crebro ingerit, XXVII. *Peculiare Dei regnū in populū Iſraeliticū.*
atque inculcat auribus populi, ad gratitudinem eliciendam:[b] populum, inquam
iſtum de cunctis populis & nationibus, quaſi regnum & hæreditatem ſuam, ſin-
gulariter elegerat: E populo barbaro, cum mille prodigijs & portentis, per fa-
mulum ſuum eduxerat, pro eo glorioſiſſimum cōtra Pharaonem bellum, prælio
vndecies repetito, confecerat: eundem ipſos 40. annos in horrente, inuia, ac ſi-
ticuloſa ſolitudine, per legionum ſuarū duces angelos deduxerat: cibo per eoſ-
dem quotidie confecto, totidem annis nutrierat, ei potum veſtitúmque prodi-
gioſè prouiderat: ei palam ac publicè ſub ſenſili ſpecie, illuſtri, glorioſa, plena *& gubertio,*
maieſtate apparuerat: ei legem ac præcepta, omnemque politicam gubernatio-
nem, quaſi Rex proprius ſtudioſè perſcripſerat, *non faciens taliter omni nationi*. Nā
iudicia ſua non manifeſtabat eis, ſed permittebat ſibi leges condere, & viuere pro ar-
bitratú ſuo.

Populum ſibi obſequentem, quaſi bonus Rex omnibus ſtatim bonis cumu- XXVIII. *Tum ſibi obtemperantis,*
labat; eóque cum hoſtibus bella gerente, ipſe primus in acie ducebat exercitum
c Exod. 14. 25. vid. Ioſ. 10. 10. 11. 1. Reg. 7. 10. &c. & pugnabat è cœlo grādine, pluuijs, fulminibus, tempeſtate, vt merito illi ve-
reque dicerent,[c] *fugiamus Iſraelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* & Moſes,[d]
Dextera tua, Domine magnificata eſt in fortitudine; dextera tua Domine percuſſit inimicum,
& in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. & Maria. *Cantemus Domino. glori*
d 15. 6. 21. *osè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem eius deiecit in mare.* & Debbora,[e] *De cœlo*
e Iud. 5. 20. *dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerūt.*
Eundem vice verſa populum peccantem per iuſtitiæ ſuæ adminiſtros Moabitas, *quam peccātis.*
Ammonitas, Syros, Palæſtinos, Madianitas caſtigabat, & ſeruitutis ſubiiciebat
vt Reges ſolent ſontes ad triremes, aut metalla damnare, mulctare exilio, ad lon-
ginquas terras deportare. cum autē caſtigatos in gratiā reciperet, ex vniuerſo po-
pulo ſuo, modo ex hac modo ex illa tribu præfectum aliquem ſuſcitabat, aut iudi-
cē, qui eos ab hoſte liberaret, & ex legū Moſaicarum præſcripto gubernaret, nec
tamen eam quā Reges omnes habent; legū condendarum poteſtatem haberet.

Ideóque Gedeon regia ſibi poteſtate ad tertiam vſque progeniem delata, *non*
dominabor, inquit, *veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus*, XXIX. *confirmatur ex Gedeone.*
qui ſcilicet in hoc ſuo populo regnat, vbi pro Rege agnoſcitur, & colitur, ſicut
g l. 2. p. 1071. Græc. Lat Reges ſui in cæteris nationib. Hæc planè mens fuit Ioſephi contra Apionem di-
ſputantis.[g] Cum enim infinitas dixiſſet eſſe apud mortales gentium, legumque
differentias, alióſque monarchis aut principibus ſingulis, alios paucis optima-
tibus, alios denique ipſi multitudini, Reip. gubernacula permiſiſſe. *Noſter autem* *& Ioſepho.*
Legiſlator, inquit, *in nullam harum adminiſtrationum intendens theocratiam inſtituit, vni in*
4. ✱ *primis Deo imperio, atque poteſtate aſsignata.* 4 Rectè ergo Samueli Dominus, *non te*
abiecerunt, ſed me ne regnem ſuper eos. ac ſi diceret, hæc populi poſtulatio nō eſt con-

tra te, vt regno ſpolieris; qui Rex non es; ſed contra me, qui regno ſuper eos, nec tibi regem ſufficere ſatagunt, ſed mihi.

XXX. *An iſti regno regnū humanum repugnet.*

ADVERSARI tamen his videtur, non illud quod Dominus ipſe dixit ad Samuelem, ſe prouidiſſe in filiis Iſai ſibi regem, & quidem virum ſecundum cor ſuum, ſed illud potius, quod dicebat ipſemet Dauid, cùm, quaſi in alieno regno vicarium egiſſet, diceret; [a] *Elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael.* Et rurſum, [b] *ſeditque Salomon ſuper ſolium Domini, in regem pro Dauid patre ſuo.* Ecce thronum regni Domini, & ſolium Domini, etiam viuentibus regibus. Ex quo quis effici illud putet, non recte Dominum conqueri, quaſi dum Rex modo poſtulatur, ipſe regno ſpolietur, cum etiam Regum tempore ipſe nihilominus Rex illius populi eſſet, & regnum eius vere diceretur. Reſponderi autem poteſt id verum eſſe in bonis ac piis regibus. Deum autem conqueri, habita ratione regum plurimorum, qui arbitrio ſuo non diuino populos regunt; iura ſibi præter ius faſque conſtituunt, & diuinis legibus neglectis, leges ipſi ſuas ſeueriſſime obſeruandas curant. Itaque Sapiens [c] magnas Regibus à Rege maximo intentat minas; *quoniam*, inquit, *cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.* Nihil ergo Reges Domini regno derogant, ſi ſe illius Vicarios agnoſcant, cuius gratia & beneficio ſe regnare palam profitentur, ac prædicant. Nam proreges in ſuis quique prouinciis, dum fideles ſunt, nihil de ſuorum regum iure, auctoritate, ac maieſtate diminuunt.

[a] 1. Paral. 28. 5.
[b] c. 29. 23.
[c] Sap 6.

XXXI. *Gratulatio Galliæ, & Regi eius Lud. 13. Chriſt.*

GAVDE itaque mea Gallia, ac vehementer exulta, quæ diuina prouidentia, & munere ſingulari eum accepiſti Regem, ſub cuius laudatiſſimo imperio, Regnum Dei eſſe non deſinas, & Thronus Dei tibi ſingulariter imperantis, quando ad eius nutum ille ſe hactenus, ſubditoſque ſuos ita componit, vt cum in Regibus omnibus, qui Chriſtiano nomine cenſentur, principem locum teneat, illius tamen ſe Vicarium, ac Proregem agnoſcat. Cui Chriſtianiſſimi nomen glorioſiſſimum ita congruit, vt ab eius attauo Ludouico nono nemini magis: quando vtriuſque prima ætas, ſub domeſtica matris religioſiſſimæ diſciplina, ad omnem ſanctitatem, & regiarum virtutum decora informata eſt, & vtriuſque feruor in catholicæ religionis incrementum, & errorum extirpationem illuſtribus ſeſe operibus prodidit. Quæ Deo bene propitio; ætas longinquior ita confirmabit, vt ſicut in Gregorio decimo tertio noſtra memoria ſumma quæque Apoſtolicarum virtutum ornamenta, quibus ſacræ illæ inſulæ ac tiaræ decorabantur, honorauimus; ita Ludouicum decimum tertium in abſolutiſſimis Chriſtianiſſimorum regum exemplaribus numerare valeamus. Non potui, & vero ne debui quidem, optime lector, ſtylum retinere, quin tali occaſione Regi noſtro, cui conſecratus eſt hic liber, non laudem, ſed meritiſſimum virtutis teſtimonium deferrem: nunc amæno è diuerticulo redimus in viam.

XXXII. *Diſſuadet Dominus populo petitionem Regis.*

VT autem nihil ſupra dictis de Samuelis conſolatione adiiciam, quam reſponſione ſua Dominus attigit, ita populo ſuo regem petenti aſſentitur, qui erat tertius in eadem reſponſione locus; vt tamen eorum conſulens vtilitati, propter hominum infirmitatem, id eis diſſuadeat; illiſque tantum non dicat, *Neſcitis quid petatis.* [d] Quamuis enim poneremus omnes reges, vt dignitate primos, ita ſapientia principes, virtute optimos ac ſummos fore: multum tamen eos Domino Deo cedere neceſſe, qui bonorum populi ſui non eget, vt cæteri reges, quique eos omnes beneuolentia in ſubditos, ſapientia, patientia, fortitudine, regiiſque omnibus dotibus longè multumque antecellat. Sed eſto ait Dominus, regem volunt, regem habeant; *verumtamen*, Deum aduerſus ipſos, homineſque *conteſtare*, vt intelligant quomodo à regibus tractandi ſint, vt ſeruientes eis ſciant *quanta ſit diſtantia ſeruitutis Dei, & ſeruitutis regni terrarum.* [e]

[d] Matt. 20. 22.
[e] 2. Para. 12. 8.

XXXIII. *Regio iure propoſito, & quale id ſit.*

DEINCEPS ergo Samuel ius regis deſcribit; quo nomine quidam morem & conſuetudinem intelligunt, quod ſcilicet crebro hæc omnia ſiue iure, ſiue iniuria contingant. Quæ videtur Sulpitii Seueri ſententia in ſacra hiſtoria, vbi agit de Rep. ad reges tranſlata. *At Samuel*, inquit, *placide ſalubri oratione ab inſana voluntate detorquere plebem, dominationem regiam, & ſuperba imperia exponere, libertatem extollere, ſeruitutem deteſtari; poſtremo diuinam eis iram denunciare. ſiquidem homines mente*

corrupti Deum regem habentes, regem ſibi ex hominibus flagitarent. Ita Sulpitius. Ioſephus ait Samuelem promiſiſſe declaraturum ſe populo regem, ſi prius indicaſſet quæ erant ſub regibus ferenda, & in quantis incommoditatibus viuendum. Abulenſis quoque [a] ait non omnia, quæ hic à Samuele numerantur, poſita eſſe quaſi iura regum; ſed tanquam mala, quæ Reges, propter magnitudinem poteſtatis, in ſubditos poterant exercere. Aperte Gregorius, [b] *Ad hiſtoriam,* inquit, *non præcipitur, ſed oſtenditur quid acturi ſint reges reprobi, quid vitaturi ſint boni. A regibus quidem defendendi ſunt ſubditi, non bonis propriis ſpoliandi. Auxilium præſtare ſubiectis debent, agros, vineas, & olueta auferre non debent. Quod ſi non vitanda, ſed agenda ſcripta hæc contendere quis voluerit, tyrannorum ius pro eo rege ſcribitur, qui abiecto Domino poſtulatur.* Hæc & plura Gregorius, quæ communis videtur, maximéque recepta iuris huius interpretatio.

a q. 10. in fin ſup. c. 8.
b in c 10. huius lib. v. finem.

XXXIV. *Alia eius interpretationes.*

CAIETANVS vult hoc ius per nomen regis determinari, ita vt infra ſcripta nō ſint iuris ſimpliciter, ſed iuris regis. Hoc eſt erunt iuris, quia Rex volet eſſe ius, ſiue alioqui licita fuerint, ſiue illicita. Quæ expoſitio in præcedentē incidit, eique fauet illud, *erit,* quaſi dicat voluntarium fore, hoc ius non naturale, quod immutabile eſt, & ſemper idem. Alii proprie ius ſumunt, ſed ad tempus neceſſitatis determinant, vt Lyranus, quem eo nomine impugnat Abulenſis, [c] fortaſſe non recte. Alii denique, vt ait Vatablus, ſine vlla reſtrictione volunt hæc omnia regibus eſſe licita, licet in iis ſolius regis vtilitas, & non populi quæri videatur, quod Gregorius magnus, quem paulo ante retulimus, ius tyrannorum appellauit, additque. *Crudelis ergo lex regni, vltio eſt Dominum abiicientis populi. Non enim iniuſtum erat vt agros, & vineas perderet qui regnantem ſuper ſe Dominum ſponte perdebat. Cuncta ergo quæ contra æquitatem in hoc regio iure continentur æqua eſſe cernimus, ſi in petendo rege quidquid populus deliquerat conſideramus. Nam quod magnum in diuinæ æquitatis examine onus legis eſt, ſi filios & filias in regis opere inuiti ponerent, quos à Dei libertate ſponte tuliſſent. Et quid inconueniens eſſe cernitur, ſi quod ad vltimum ponitur, ipſi fierent ſerui hominum, qui abiiciebant ſuper ſe regnantem Deum.* Hæc magnus ille præſul eleganter.

c q. 20. in c. 8.

XXXV. *Triplex Dominium*

d 1. p. q. 96 a. 3.

SANCTVS Thomas, [d] aliiq; Theologi eum ſecuti, duplex ſtatuunt Dominium, duplicem item ſeruitutem. Aliqui enim pręſunt in ſolam ſubditorū vtilitatem, vt patres filiis, pręlati ſubiectis, & talis prælatio & ſubiectio ſancta eſt, & legi diuinę & naturali, imo etiā ſtatui innocentiæ conſentanea. 1. Aliqui præſunt in propriā duntaxat vtilitatem, vt Heri mancipiis; 2. tyranni iis, quos iugo ſeruitutis oppreſſerunt: quæ ſubiectio propriè ſeruitus eſt, & contra naturæ iura in peccati pœnam inducta. Tertium nihilominus Dominium ex vtroque mixtum aſſignatur: 3. itidémque mixta in vtriuſque vtilitatem ſubiectio. Sicut enim caput omnibus membris præeſt, ita omnia membra capiti famulantur; mutuo tamen ſibi proſunt, & mutuo ſuam & alienam vtilitatem quærunt; nec iniuriam facit caput manui, cum eam ad ſuum quoque obſequium applicat, quia res tota in bonum denique commune redundat. Ita Rex populi quærit vtilitatem, cum dirigit iuſtis legibus, poteſtate tuetur & conſeruat. Populus regem honorat, regi obedit, tributa præſtat, multa exhibet obſequia; vtrimque mutuæ vtilitati in obnum commune ſeruitur. Bonum principis, populi bonum eſt, cuius refert habere caput illuſtre, validum, honoratum; & omnibus bonis circumfluens, quæ in omnia membra redundent. Sed ſingula videamus, quæ quidem quaſi terribilia proponuntur, ad reuocandum à ſententia populum; poſſunt tamen in mitiorem partem exponi, & eſſe tolerabilia.

XXXVI. *Explicatio particularis iuris huius.*

CVM ergo Samuel dixit ad populum, *hoc erit ius regis, qui imperaturus eſt vobis,* non primum deſignat regem, aut certum aliquem virum, qui aliquando Rempub. adminiſtraturus eſſet, ſed indefinitè de quibuſdam hæc affirmat, vt conſentanea non optimis aliquorum principum moribus. *filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum; & conſtituet ſibi tribunos & centuriones.* Hæc reſpondent bellicis temporibus, & publica ſunt, iſta vero magis priuata *conſtituet aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum.* Cum congruis videlicet ſtipendiis. vel ergo hos filios, idemque de filiabus, quarum hic quoque meminit, inuitis parentibus tollet, vel

volentibus, nam & cum vi; & ſine vi aliqua tolli poſſunt, [a] ſi volentibus, nihil durum eſt, aut aſperum; imo optabile, atque πειμάχην: id enim perhonorificum eſt, & vero etiam quæſtuoſum; dum regiis miniſteriis præficiuntur: ſi tollat inuitis, culpa inuitorum erit; qui vltro debent Regi ad bene gerendam Rempub. offerre adminiſtros: regiam item familiam idoneis inſtruere operariis, cum ſubditorum membrorum vtilitas ſit & decus, caput ſuum quam optimo ſtatu eſſe. quæ eſt S. Thomæ ſententia. [b] pergit autem Samuel.

a 1. Reg. 2. 16.
ſ. %.
b 1. 2. q. 105.
c 1. Reg. 8. 14. & ſeq.

XXXVII *Alia iuris huius capita.*

Agros *quoque veſtros,* [c] *& vineas, & olineta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis.* Si id vi, fraude, aut ſine iuſto pretio faciat, tyrannicum id eſt, & hominis male exiſtimantis omnia bona ſubditorum ſui eſſe dominii, ſicut bona mancipiorum ad heros pertinent. Agnoſcit autem hoc loco S. Gregorius iudicium Dei, in eo quod populus hic queritur apud Samuelem, quòd filii eius munera accipiant: ipſe autem Samuel prædicit principem quem petunt non munera, ſed ipſos agros, vineáſque ablaturum. *Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis ſuis.* & iure id quidem; *dignus eſt enim operarius mercede ſua. Seruos etiam veſtros, & ancillas; & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit.* Hæc quoque iniuſta non ſunt, ſi moderata fuerint; pertinent enim ad ius tributi, quod legitimum eſt. Certa etiam obſequia ſubditi dominis præſtare ſolent, quæ ſunt inſtar pretii, aut gratitudinis nomine penduntur; aut teſtificationes ſunt dominii directi, quæ ſunt admodum rationi conſentanea, nedum iniuſta atque tyrannica.

XXXIIX *Quî ſeruitus intelligenda.*

Postrema quoque illa, quæ ad terrendum populum, & à ſententia abducendum dicta ſunt, benigna interpretatione mollienda ſunt. *Vosque*, inquit, *eritis ei ſerui: & clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem.* mollienda inquam ſunt neque enim ſeruorum nomine intelligenda ſunt mancipia, licet ita viſum Abulenſi. [d] eadem quippe voce vtitur Dominus in Hebræo, cum dicit Iſraelitas fore ſuo regi ſeruos, qua cùm ait Regem daturum agros, vineas, & olineta optima ſeruis ſuis; quæ nemo recte data mancipiis interpretetur. Denique illa ſeruitus ſi ſubiectio ſit, obſequium, obligatio ad honorem, amorem & cultum principi exhibendum, nihil ſeruile habet, nihil ingenuo, & libero capite indignum. Sin autem ſit bonorum expilatio, oppreſſio libertatis, vexatio corporum, prohibitio legitimi, & Deo debiti cultus, id vero iniuſtum, impium, & ſeruile eſt. Quod Deus ſe permiſſurum ſignificat, in pœnam poſtulati regis contra voluntatem ſuam.

d q 19. & 20
עבד
Sic in Græco & loc. eadem eſt vox.

nimirum ingenua.

XXXIX. *Iudicum erga Iſraelitas moderatio.*

Intelligi autem facile poteſt ex his, quæ regio iure dicta ſunt contineri, nihil tale ſolitos Iſraelitas ſuis præſtare iudicibus; quod etiam ex duodecimo capite apertiſſimum eſt, [e] vbi Samuel nihil ſe à quoquam accepiſſe profitetur, nemine omnium refragante. Illud autem quod ait Samuel populum elegiſſe regem, id tantum in genere accipiendum eſt, vt ſcilicet maluerit Regem habere, à quo gubernaretur, quam iudicem. Nam in particulari conſtat Deum elegiſſe Saulem, vt poſtea dicemus, deinde Dauidem & Salomonem, eiuſque poſteros: quin & Ieroboam & Iehu, & aliquot de poſteris eorum. Et lex ipſa Moſis id clare docet. [f] *Eum conſtitues regem quem Dominus Deus elegerit*; & ipſum eligendi verbum hoc loco ſtatim petitionis vocabulo explicatur. [g] Erat autem populi eum acceptare, confirmare, & quaſi in poſſeſſionem regni mittere. Qua de re fuſe Pineda lib. 2. de rebus Salomonis, cap. 2. Carol. Sigonius l. 7. de Rep. Hebræorum c. 3. & Abulenſis. q. 14. & 15. c. 8.

e 1. Reg. 12. 3.

Electionem regis non fuiſſe populi.

f Deut. 17.
g 1. Reg. 8. 18.

XL. *Adhæreſcit populus petitioni ſuæ.*

Hæc cum à Samuele Dei iuſſu populo renunciata eſſent, vt is præſenti Reipub. formæ acquieſceret, ne deinde pœnas lueret inconſultæ temeritatis; & cũ Poëta dicere cogeretur. *Heu patior telis vulnera facta meis.* Populi tamen ſibi male conſulentis peruicax rerum nouarum deſiderium, vicit Dei & Prophetæ bene monentis adhortationem. *Noluit enim*, inquit Samuel ipſe, *populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt, nequaquam,* ſcilicet iſta contingent, vel nequaquam acquieſcemus conſiliis tuis. *Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Auertunt iſti aurem & cogitationem à conſideratione rerum à Samuele propoſitarum, & eam transferunt in res quæ ipſos in propoſito, & propria voluntate con-

firment. Idque commune eſt omnibus, qui aliquid ex vehementi perturbatione deſiderant, qui matrimonia ſuſpirant, qui dignitates ambiunt, qui atrocem vindictam anhelant, qui theſauros cupidate deuorarunt, quorum nemo quid in hiſce rebus inſit mali cogitat, ſed ad id vnum, quod in eis amabile eſt, præceps ruit.

temeritas ſeruientiũ affectibus ſuis.

XLI. *Quã Deus iubet admitti.*

RESPONSIONEM populi, indicem fixæ & immotæ voluntatis, ius ſuum in regem aliquem transferentis, à quo pacis, bellique temporibus, ſuprema cum auctoritate regatur, qui legibus ſolutus ſit, nemini ſubiectus in terris, & à cuius voluntate Senatus Conciliumque omne dependeat, hanc inquam populi reſponſionem Samuel, vt Dei legatus, & interpres, ad eum retulit. quod Ioſephus omiſit. Populo autem conſentiens Dominus. *Audi*, inquit, *vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad viros Iſrael, vadat vnusquiſque in ciuitatem ſuam.* Quaſi dicat, confecta res eſt, eritis voti compotes; primo quoque tempore Dominus dabit vobis regem, interim nihil vos moramur, valete. Breuitatem ſententiæ Ioſephus ita ſupplet. *Nunc*, inquit, *abite domum quiſque ſuam, & cum tempus erit accerſam vos, quam primum cognouero quem vobis regem Deus dare velit.* Sic ergo iſta comitia, ſi ea ſic appellare placet ſoluta ſunt.

XLII. *Summa rei deinceps geſta.*

INTEREA Dominus qui Saulem, ab æterno in Regem elegerat, eum poſtmodum Samueli ſecretò declarauit, & ab eodem Propheta ſeorſim ab omnibus vngendum curauit. Deinde autem per ſortitionem populo manifeſtum reddidit. Cuius Samuel deinceps genus & mores primum; tum occaſionem aditi, conſultique Samuelis; deinde quæ ab illo didicerit, quidque fecerit fuſe declarat; poſtremo comitia coguntur in Maſphath edicto Samuelis, in quibus Saul Rex conſtituitur, quæ proximis octauo & nono capitibus continentur, & ad pręſentem annum pertinere noſcuntur.

XLIII. *Qui Rex electus è Beniamin.*

GENVS porro Saulis, & tribus, fidem Prophetiæ videntur labefactare Patriarchæ Iacobi, à quo tribus Iuda Regia prænunciata fuerat, non tribus Beniamin. Dicendum tamen perpetuum regnum tribui Beniamin à Domino præparatum, ſi Saul non peccaſſet, vt dixit ei Samuel; [a] præuiſa vero eius inobedientia, ſtatuit Deus in tribu Iuda regnum perpetuum, idque per Iacobum vaticinatus eſt, vt diſputat Abulenſis. [b] vide etiam D. Greg. in 1. Reg. l. 4. c. 3. Dici etiam poteſt nihil eſſe in hac hiſtoria diſcrepans ab antiquo illo Patriarchæ vaticinio. Non enim dixit nulla in tribu futurum regnum, præterquam in Iudæa, ſed non auferendum de tribu Iuda, vſque ad aduentum Meſſiæ: cui non repugnat ad tempus aliquod ſceptrum in tribu Beniamin, vel Manaſſe fuiſſe, ſub Saule, & Abimelecho, ſi placet; [c] quando eum Scriptura non ſemel Regem vocat. Etſi hic non tam Rex quam tyrannus fuit, vt ſuo loco diximus: [d] quemadmodum magna ex parte Saul, poſtquam à regno verbo abdicatus, tyrannum egit in Dauidem, & Sacerdotes. præſertim cum Dei iuſſu alius in regem aſſumptus, & vnctus eſſet.

a c. 13 v. 13.
b q. 1. in c. 9.
c Iud c. 9. v. 6. 16. 18. 22.
d a m. 2801. nu 8. & 9

XLIV. *Familia Saulis.*

NONNVLLA porro eſt diuerſitas in familia Saulis, & nominatim in auo eius, qui hoc loco primi Regum [e] vocatur filius Abiel; in primo autem Paralip. [f] dicitur Ner, proptereáque eum binominem fuiſſe dicendum eſt, ſicut de filio Samuelis primogenito ante diximus. [g] Eſt autem filius Iemini, idem quod Beniamin. Ben enim filium ſignificat, & idem eſt Iamin quod Iemini. Chaldæus paraphraſtes, pro viro Iemini, vertit ex tribu domus Beniamin. Eſt & nonnulla in vocabulis, & ſeriè generationem diuerſitas in Hebræis, quibus Latini reſpondent, Græciſque codicibus, quam in ſchemate, quod ſubiicimus, animaduertes.

e 1. Reg. 9. 1.
f c. 8. v. 33. & c. 9 v. 39.
g a m. 2960 n. 10.

Aphia, ſiue Aphiach Ἀφιὰχ qui genuit
Bechorath. ex quo ſiue Βεχὼρ, vel Βαχίρ
Seror. ſiue Ἰαρεὶδ Pater
Abiel, qui & Ner, 1. Paral. 8. 33. ſiue Ἀβιὴλ, vel Ἐβιὴλ vnde
Ner pater Abner, qui fuit patruelis Saulis, & princeps militiæ eius. 1. Reg. 14. 50. genuit Iaſielem 1. Paral. 27. 21. cui aſſertioni fauet tribus Beniamin, ibid. &
Cis. Pater Saulis, qui ex Achinoa filia Achimaas ſuſcepit 1. Reg. 14. 49.
Ionathan, Ieſſui, qui & Abinadab, Melchiſua, Elbaal, qui & Iſboſeth. Merob, Michel filiæ.

VBI vides, Ner eſſe auum Saulis, & patruũ, ex interpretatione Pagnini, & Ariæ Montani[a] vbi 70. habent οἰκεῖον id eſt domeſticum S. autẽ Hieron. vertit patruelem. Et mox[b] vbi dicitur. *Porro Cis fuit pater Saul, Ner pater Abner, filius Abiel* in græco legitur. Et Ner pater Abenner filius Iamin, filij Abiel. Iaminũ inſerunt vt auum familiæ Abner, quem Ioab interfecit.[c] Vides & geminum Ner, fratrem & patrem Cis: patrem & auum Abner, quorum tamen vnus omittitur in recta ſerie, & ſub Abielis nomine latet. quo modo & duo Bozi, ſub vnico nomine. Erat Cis pater Saulis vir fortis robore, ἀνὴρ δυνάμεως, vt habent Septuag. ne vocẽ fortis in obliquo ſumas, Saul autem eius filius & ipſe fortis erat. Nã *fortes creantur fortibus, & bonis.*

[a] in ca. 14. 1. Reg. v. 50.
[b] v. 51
[c] 2. Reg. 3. 27.

XLV. *Saulis præſtantia. fortis electus bonus procerus*

Electus enim & *bonus* dicitur, id eſt qui propter animi preſentiam, & fortitudinem, vireſq; corporis, merito alijs palmã præriperet, & præ alijs eligendus eſſet in certamine virtutis, atq; præſtantiæ. pro electo Septuag. habent εὐμεγέθης, ſtatura celſa & procera: tales enim viri cæteris paribus alijs præferuntur. Quomodo autem bonum illic poëta vſurpauit, ſic Samuel vocem Tob.[d] & Sept. ἀγαθὸν ſic vulgò dicimus, *vn bon ſoldas*, & vir ſtrenuus, ἀγαθὸς πρὸς τὸν πόλεμον. *Et non erat de filiis Iſrael melior ille.* ait Scriptura, nimirum ſtatura procerior; eam enim interpretationem confirmat probatio quæ ſubditur. *Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.* ſicut apud Poëtam[e] Ornytus ille

Cæteruis vertitur in medijs, & toto vertice ſupra eſt.

Et ferè huic magnitudini, quæ proportione non careat, fortitudo coniuncta eſt, vt ex multis ſcripturæ locis intelligi poteſt, maxime cũ de gigantibus agitur. Quin etiam inſtar prodigii eſt huiuſmodi hominem ignauum, atque imbellem reperire, ſicut parum cerebri, aut iudicii in magno capite. 7.

[d] an Saul 4. n. 10. in c. 14. 1. Reg
6. %.
[e] Aen. 1
7. %.

XLVI. *Virtute præditus.*

NON deſunt qui hanc bonitatem ad morum probitatem referant, in quibus S. Gregor.[e] Lyranus Abulenſ.[f] ſiue quia bonitas in primis ad virtutem pertinet, ſiue quia Regi maxime neceſſaria eſt, vt ea in omnes ſubditos deriuari poſſit, vt eis non verbis tantum recta præcipiat, ſed preluceat exemplis: idque diuinæ, Saulis electioni conſentaneum eſt: ſiue quia hoc tempore candor eius & innocentia inſignis fuit, vt etiã anni vnius infanti conferri poſſet:[g] ſiue denique quia eximia humilitate prædictus fuit. Samueli enim ei ſignificãti[h] electũ ipſũ à Domino in principem populi, minimũ ſe tribu, cognatione, familia profitetur. Nec verbis tantũ, ſed factis, ipſis demiſſionem animi oſtendit, cũ ad ſummum honorem euehendus latebras petiit, vt quiſpiam in euangelica lege Gregorius. & iam euectus, non deſeruit agriculturã, vt qui ſequens boues de agro reuerteretur. Poſtremo accedit teſtimonium Samuelis, vtique ex ore Domini loquentis,[i] *Nõnne* inquit, *cũ paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es?*

& nominatim animi demiſſione.

[f] l. 4. in 1. Reg c. 3.
[g] q. 4 & 5 in c. 9.
[h] 1. Reg. 13 1.
[i] c. 9. 21

XLVII. *An bonitas Saulis ad corpus referenda.*

DISSENTIT nihilominus Theodoretus,[k] *Non dedit*, inquit, *ei teſtimoniũ virtutis animæ, ſed formam & magnitudinem commendauit.* Cui conſentiunt Procopius, Chaldæus, Vatablus Serar. & paſſim omnes interpretes, quibus ita aſſentior, vt priorẽ quoque ſententiã non reſpuam, modo hyperbolem quã dam in ills verbis agnoſcamus *non erat vir de filys Iſrael melior illo*, cũ ſatis conſtet, vel ipſius Abulenſis cõfeſſione, Samuelem, qui à Deo electus, & ſanctificatus totã vitam in diuino cultu poſuerat, cuius ſanctitatem, & apud Deum gratiam multis, magniſque prodigijs confirmarat, illo fuiſſe meliorem, cum tamen iã Samuel ætate grauaretur,

[k] ca 11. 5.
[l] c. 15 17.
[m] q. 18. in 1. Reg

eiuſq; ſubleuandæ cauſa filios ſibi vicarios conſtituiſſet, Saul, qui multo erat iunior, melior illo erat ad labores gubernationis, bellicos præſertim qui erant in ianuis fortiter, conſtanterque tolerandos.

XLVIII. *Occaſio aditi à Saule Samuelis.*

Occasio porro aditi à Saule Prophetæ, fuit inquiſitio aſinarũ per aliquot dies irrita, à Saule cũ famulo iuſſu parentis facta. quoniã vero Gabaa, vbi Saul cũ patre habitabat, ſita erat in finibus Bẽiamin & Ephraim, ideo quærẽtes tranſierunt per montẽ Ephraim, qui in ea tribu eſt, & per terrã Saliſa & Salim, quas Chaldæus interpretatur ***terram auſtralem, & terram deſerti***, diuino videlicet nutu deſcendentes verſus Ramatha, vbi erat Samuel. licet Hebræi quidã apud S. Hieron.[a] Saliſan ad mare mortuũ collocent, in finibus orientalibus tribus Iuda, eandẽque velint eſſe cum Segor. ſed nihil ad hoc iter locus ille, niſi toto cœlo aberrat in ſua Topographia Adrichomius,[b] qui ſæpe probatus eſt diligentiſſimus. Circumierunt etiã terrã Iemini, tribum ſuã, quæ ad Ramatha, quæ erat in terra Saph, protẽdebatur.

a in cap 14. Geneſ.

b Ephraim & Bẽiamin topogr.

XLIX. *Monitu famuli.*

Cvmq; eò ventum eſſet, nec reperirentur aſinæ, dixit Saul ad famulum, qui ei erat comes, vt reuerterẽtur domum, ne aſinarum iactura leuior eſſet patri, quam ſollicitudo, ne in longa iam abſentia, aliquid eis aduerſi contigiſſet, quod reditũ impediret. At famulus,[c] *Ecce, inquit, vir Dei eſt in ciuitate hac*, nimirum Propheta Deo familiaris, qui per eum futura ignota patefacit hominibus, *vir nobilis* ac fama clarus, iuxta id quod ſupra dictum eſt,[d] *Et cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel propheta eſſet Domini.* nec ſine cauſa; quidquid enim pronũciat certiſſime contingit, neq; ex euentis vaticinium eius vnquã refellitur, vt contingit pſeudoprophetis, & diuinatoribus, qui malis artibus vtentes, occulta vel futura ſe profitentur agnoſcere atq; enunciare. Deus autẽ voluit vt ex euentis falſus Propheta à vero diſcerneretur, vt in Deut. perſcriptũ eſt.[e] Et nimirũ hoc timebat Ionas, cũ iuberetur à Deo euerſionẽ Niniues denũciare. vide autẽ Abul. hoc loco.[f]

c 1. Re. 9. 6.

d 1. Re. 3. 20

e c. 18. 21. 22

f q. 7. in c 9.

L. *De munere deliberant.*

Qvoniam ergo contigerat, aut diuina potius prouidentia factũ fuerat, vt venirent ad oppidũ Samuelis Prophetæ, nã Dominus pridie dixerat[g] Samueli ſe virũ de terra Bẽiamin miſſurũ ad ipſũ, vt vngeretur in regẽ; author fuit Sauli famulus, vt oblata occaſione vterentur, & Prophetã conſulerent de negotio, propter quod venerant, quid ſcilicet iſtis aſinis factum eſſet. Cui Saul, *ecce ibimus. quid feremus ad virum Dei?* Putabant ait Vatablus Prophetã Dei accipere munera. ſicut diuini eorum faciebant. Nũ Cis aut Saul diuinos habebant aut arioles, quos cõſulerent? fruſtra viæ, & quærendi laborẽ ſuſcepiſſent. Ioſephus[h] tamen ait Saulẽ dixiſſe nihil ſe habere *quod mercedem diuinationis daret.* Clarius Hieron. in traditionibus Hebræorum. *Non putabat Saul ſibi aſinas à Samuele aliter indicari, niſi pretio diuinationis.* ſic ipſe, & poſt eum Rupertus,[i] Theodoretus quoque[k] ait Saulem ſuſpicatum fuiſſe Samuelem accepturum munera, quæ tamen ipſe non attuliſſet: ſed contra plurimam eius expertum fuiſſe benignitatem.

g c. 9. v. 16.

h l 6. c. 5. μιϛὶ τ̃ προφητείας.

An quaſi mercede diuinationis.

i l. 1. c. 19.
k q 18.

Vide Abul. q. 13. in c 9.

LI. *An potius honoris ergo*

Vervm neque Saulem legimus, aut ſociũ eius obtuliſſe viro Dei munera, quaſi diuinationis mercedẽ, aut illũ accepiſſe. & merito, qui iã ſciret filios ſuos, munerũ gratia, malè audire apud populum vniuerſũ. Malim itaq; dicere exiſtimaſſe Saulẽ non licere, neq; ante Deum, neq; ante virũ Dei vacuum apparere, quam Saulem aut ſuos alicuius criminis ſuſpicione aſpergere. Idq; ſignificat Theod.[l] cũ ait, *cõiecit enim ad eum aliquid afferendũ, tanquam ad principem & Prophetam*, eadẽque eſt Toſtati mens,[m] & Caiet. in hunc locũ, qui non ad precium, ſed ad honorem hoc referri ait, eo quod Samuel Prophetiã non venderet, ſicut filii eius iudicium. quod dixit Ioſephus.[n] ὑπὸ ἀγνοίας τοῦ μὴ λαμβάνειν τὸν προφήτην μισθὸν ἐπλανῶντο. *errabant ignari Prophetã mercedem non accipere.* Eodẽ pertinet quod ait ſportulam non habemus, id eſt munus, quod offeramus, id aliquando in ſportula ponebatur, vnde & nomen accepit. & ſic ſportulam Latini non raro accipiunt.

l q. 18.

m & in fi. q. 7. & 8 in c 9
n l. 6 c. 5.
continens pro contẽto
vide Budæ. in pand.

LII. *Exiguitas munerum apud antiquos.*

Sed ad quid ait panem deficere *in ſitarciis*, ſiue vt alii legunt, *ciſtarciis*, id eſt ciſtis aut vaſis, vt eſt in Hebræis, Græciſque libris: nũ panes oblaturi erãt viro Dei? ita putat Abul. idq; tribuit ſimplicitati illorũ temporũ, quibus non erat indecorum vnum atq; alterum panẽ, aut quartã partem ſtateris, cuius pretium vix erat ſeptẽ aſſium noſtratium, viro nobili atque honorato offerre. Quin & Iſai[o] mittit ad tribunum militiæ decẽ formellas caſei. Regi autẽ[p] aſinum onuſtũ panibus, & lagenã vini, & hædum vnum, vt Dauid fieret regis armiger. Quæ vt vera ſint, non male tamen videtur Ioſephus intellexiſſe Saulem ſignificare ſibi viaticũ defice-

o 1. Reg. 17. 18
p c. 16. v. 20.

Ioſephi ambitio.

re,vt de regrediendo potius,quã de progrediendo cogitandũ ſit. Noluit tamen meminiſſe panum,ne pauperiorẽ regem ſuum facere videretur. quin & aſinarũ eũ puduit, ideóq; Scripturæ humilitatem aſpernatus,rem aliquantulũ extulit. *Hic Cis*,ait, *cum eximias aſinas,quibus præ cæteris iumentis delectabatur, à reliquo grege aberrãtes amiſiſſet, filium cum vno famulo ad eas quærendas miſit, &c.* rectius immenſum illius ſeculi luxũ,cũ pleriſq; ſcriptoribus arguiſſet,quo Roma totius imperij ſui bonis,& pene 40. prouinciarũ,aut regnorũ rapinis ſaginata,in omnẽ nequitiã diffluebat.

LIII. *Munera indicia grati animi.*

Rursum *puer reſpondet Sauli, & ait: Ecce inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argenti,demus homini Dei,vt indicet nobis viam noſtram,* id eſt id, ob quod ſciendum nos in viã dedimus. vt ſcilicet non ingrati ſimus accepti à viro Dei beneficij, hoc enim nomine & ille accipere poterat,& iſti dare, non autẽ mercedis nomine, ne rẽ ſacram, gratis acceptam & gratis dandam,pecunia æſtimare viderentur. Stater autem argenti, idem eſt cum ſiclo,quomodo eſt in Hebræo, & Sept. verterunt, ſicut & Ioſeph. Siclus autem ſemiuncia argenti eſt in ære gallico, Probauit conſilium famuli Saul, *veni*, inquit, *eamus; Et ierunt in ciuitatem, in qua erat vir Dei*, nondũ enim ingreſſi fuerant; vt etiam ſequentia docent, *cúmq; aſcenderent cliuum ciuitatis,* collẽ ſcilicet,in quo erat Ramatha,vt initio libri huius habetur, *inuenerunt puellas* verſ. 11.
egredientes ad hauriendã aquã,& dixerunt eis, Num hic eſt Vidẽs; 8. quod erat olim Pro- 8. ✕.
phetarũ nomen,ſicut & Prophetiæ viſiones dicuntur; Cũq; duæ ſint Prophetarũ actiones,ignota diuinitus agnoſcere,& ea populo enunciare, à priore functioctione dicebantur videntes,qui nunc à poſteriore dicuntur Prophetæ.

Stater ſiue ſiclus, eiuſque valor.

Videns, Propheta.

LIV. *Saul de Samuele rogat puellas.*

Porro puellæ ad aquandum egreſſæ reſpondentes dixerunt illis, *hic eſt*, in vrbe ſcilicet, móxque ſermone ad vnum Saulem conuerſo, *Ecce ante te, feſtina nunc. Hodie enim venit in ciuitatem quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo.* Habitabat ille quidem in ea ciuitate, ſed aberat aliquando : tunc autem eo venerat ſacrificij cauſa, ad quod pleroſque inuitarat. Sacrificium in hoc loco prandium intelligi- v. 12.
tur, quod præparauerat Samuel populo in Kalendis. At Ioſephus non pran- Hieron. in tradit. v. 19. & 25.
dium vocat, ſed cœnam, idque innuit ſcriptura, quæ ſtatim meminit ſomni, & matutinæ profectionis. Alij tamen in quibus Abulenſis, [a] intelligunt fuiſſe re- a Poſt q. 9. in c 9 in expoſ. text.
uera ſacrificium plurium hoſtiarum pacificarum, quarum pars maxima ad ipſos offerẽtes redibat, vnde epulabantur cum iis, quos inuitare libuiſſet. Samuel autẽ in excelſo vrbis loco excitarat altare, [b] vbi & tanquã extraordinarius ſacer- b c. 7. v. 17.
dos ſacrificauerat, vt ſupra diximus, [c] peculiari Prophetæ priuilegio. c a. m. 1940 n. 8.

LV. *Excelſum Samuelis, & aliorum deinceps.*

Excelsa porro, quorũ deinceps erit crebro mẽtio in his libris, erant colles amœni, denſis arboribus, patuliſq; vmbroſi, in quibus excitatæ erãt aræ ad ſacrificandũ. Ethnici quidẽ, & à Iudaica religione apoſtatæ, ibi idolis ſacrificabãt, ibidẽq; mox epulabantur, ludebant &c. hinc illud nõ ſemel repetitũ apud Ierem. [d] d Ier. 2. 20. c. 3. 6.
in omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frõdoſo tu proſternebaris meretrix. Iſraelitæ vero ibidem ſacrificabant Deo, ſed alieno loco. puta extra ſanctuarium, aut templum, poſtquam fuit excitatum. Etſi autẽ id non placebat Deo, non tamẽ datũ eſt crimini bonis aliquot regibus, quod ea non ſuſtuliſſent, ſed quaſi næuus eorũ gloriam nonnihil obſcurans, iudicatus eſt.

LVI. *Puellæ Saulẽ edocent.*

Pergunt puellæ *Ingredientes vrbem ſtatim inuenietis eum, antequam aſcendat excelſũ*, locũ illum religioſum, reliqua vrbe celſiorẽ, *neq; enim comeſturus eſt populus donec ille veniat, quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedũt, qui vocati ſũt.* Mẽſæ benedictionẽ illis quoq; temporibus vſitatam, apertè ſcriptura ſignificat, & quidem à prima-
rio viro, qualis erat Samuel Propheta: & fortaſſe in aliis locis pater familias; Ad Hebr. c. 7. 7.
pertinet enim ad digniorem benedictio, vt teſtatur Apoſtolus. neque arguerim propterea conſuetudinẽ imponendi munus id puerulo innocenti, qui Chriſtum Dominum repræſentet. Erat autem peculiaris etiã ratio, cur cibi à Samuele benedicerentur, quoniam iam oblati fuerant Deo in ſacrificio, vt placet Abulenſi. Et alioqui par erat accubituros menſæ expectare eũ, qui erat omnium facile princeps, non in Ramatha duntaxat, ſed in tota Repub. Hebræor. ſaltẽ ſi à ſũmo ſacrorũ antiſtite diſceſſeris. nec decorum erat inuitatos ante inuitantem ci-
bũ ſumere, vnde Ioſ. *præbere enim, aiunt, eum epulum, & nihil eſſe in mora, niſi vt ille primus* l. 6. c. 5.
accũbat. ſed omiſit nõ omittẽdã hoſtiæ, ſiue ciborũ deo oblatorũ benedictionem.

Benedictio menſæ etiã quorũ eſſet

LVII. *Ciborũ diſtributio, & fractio panis.*

Addit Vatablus moris fuiſſe apud Hebræos, vt qui gratias egerat præſentiũ

ciborum cauſa, illos frãgeret, & diſtribueret. Hic vero tantũ fieri mentionẽ gratiarũ actionis, quod propter morẽ, fractio & diſtributio facile ſubaudiantur. Addit & Chaldæũ paraphraſtẽ fractionis tantũ meminiſſe, cũ dicit, *Ipſe enim diuiſurus eſt victimã.* verũ apud Chaldæum, qui eſt in bibliis regiis, mentio tantũ eſt benedictionis. Paulus[a] certe benedictionem fractioni coniungit, adeo etiam vt fractionem pro benedictione ſumat, eodẽ modo *accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; diſcipulis ſuis.*[b] quin etiã index diſtributionis huius eſt pars ſeorsũ repoſita, & Sauli, reſeruata ſi forte ille veniret paulo tardius, & inurbanũ videretur vnius hominis gratia, qui nulla dignitate excelleret, triginti viros remorari. ſed hæc aliquanto poſt.

a 1. Cor. 10. 16.

b Matt. 26.

LVIII. *Samuel caſu occurrit Sauli.*

Ascendervnt itaq; Saul cũ famulo *in ciuitatem*; cúmq; ad mediũ vrbis perueniſſent, occurrit eis Samuel, qui domo egreſſus erat, vt aſcenderet in excelſum; vt ait Script. quoniã ergo exiit, vt aſcẽderet nõ exiit vt obuiã iret, ſic enim exiſſet vt deſcẽderet, ſed cũ exiſſet vt aſcẽderet, caſu factũ eſt vt eis occurreret, perinde ac ſi de induſtria eis obuiã ire voluiſſet, etſi enim illũ eadẽ hora venturũ eſſe Domino reuelãte didicerat, tamẽ cũ eũ non cognoſceret, eodẽq; Domino indicante opus haberet, manſiſſet potius domi cũ expectando, quã iret in occurſũ hominis, quẽ tanquã ignotũ præterire potuiſſet. *Dominus autem reuelauerat auriculã Samuelis ante vnam diem quam veniret Saul,* id eſt aperuerat ei rem ſecretã, quales ſunt quæ ad aurem dici ſolent, de eo qui venturus erat ad ipsũ inungendus in regẽ. Reuelatio autem in hæc verba facta fuerat. *Hac ipſa hora quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem ſuper populũ meum Iſrael: & ſaluabit populum meum de manu Philiſthinorum: quia reſpexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.*

Abul.

Vatabl.

Reuelatio de Saule venturo.

LIX. *Hora aduẽtus illius.*

Mira profecto Dei bonitas, qui quamuis recens grauiter offenſus eſſet à populo, atq; adeo abiectus, vt ipſe ait,[c] ne regnaret ſuper eos, eorũ tamen clamore, quaſi dilectiſſimorum filiorum afflictione, mouetur, eiſque remedium parat, & ex malo ipſo auxilium præparat authoribus mali. Cęterum vocabulum horæ in Hebræo non eſt, nec vſquam in Hebræis ſcripturæ libris reperitur, præterquam in Chaldæa dialecto apud Danielem.[d] etſi Scaligero aliter viſum fuerit ait enim Scriptura Danielem tacitum ſecum, *quaſi vna hora* cogitaſſe, & Hebræa huius loci vox עת *ſecundum tempus,* ſiue ſub hoc ipſum tempus, aut hoc ipſo articulo temporis verti poteſt. vt propterea Caietan. male vulgatam editionem improbet, in qua ex poſteriore vſu horæ nomen vſurpatur, cum in aliis linguis tempus magis etiam præciſè ſignificetur. Itaq; Ioſeph. meminit horę vt mox dicetur; & Philo Biblicus nominat horam ſextam, licet nec tempore Samuelis, ac ne multis quidem poſt ſeculis, dies in horas diſtributus eſſet.

c c. 8 v. 7.

שעה

d c. 4. 16.

Horarum vſus non antiquiſſimus.

LX. *Qui Saul liberaturus Hebræos à Philiſthæis*

Neqve vero illud plane admiratione caret, quod ait Dominus, Hebræos liberatum iri de manu Philiſthæorum, & non potius Ammonitarũ. Nam hi nunc imminebant Iſraelitis, & vel ipſo teſte Samuele, vna de cauſis petendi regem, fuit, quod Naas rex filiorum Ammon veniſſet aduersũ eos.[e] Philiſthæi autem afflicti, atq; humiliati quieſcebant, reſtitutis etiã vrbibus,[f] quas dudum Iſraelitis abſtulerant; Accedit quod ne toto quidem regni Saulis tẽpore Iſraelitæ à Philiſthæis liberati ſunt; Reſpondendum eſt regem non eligi vt populum ſuum ab vno aliquo hoſte liberet, ſed ab omnibus. Quia tamen Philiſthæi erant Hebræorũ hoſtes omnium capitaliſſimi, atque potentiſſimi, eo nomine quaſi appellatiue sũpto, omnes hoſtes comprehenduntur, quemadmodum nomine Amorrhæorũ[g] omnes Chananæi, cum ipſis Philiſthæis. Adde quod bellum cõtra Ammonitas, nec graue, nec longum fuit, vt ex cap. 11. conſtat, propterea que omiſſum videri poteſt. At contra Philiſthæos toto Saulis tempore periculoſiſſimè certatum eſt, *Erat,* inquit Script.[h] *bellũ potens aduerſum Philiſthæos omnibus diebus Saul.* donec in Gelboẽ flos ipſe totius populi, cũ Rege & tribus filiis, Philiſth. gladio trũcaretur.

e 1. Reg 12. 12

f c. 7 13. 14

g 1. Reg. 7. 14.

h c. 14. 52.

LXI. *Et quomodo illi bis ſubiecti.*

Cæterum de modo victoriæ Samuelis, & depreſſionis Philiſth. dictũ eſt non ſemel, & conſtitutum Iſraelitas Philiſthæis tributum pependiſſe. Ad quod accedebat etiã grauis illa ſeruitus, ne fabrũ ferrariũ habere liceret in tota terra Iſrael, ne forte facerent Hebræi gladiũ aut lanceã, vt omittamus præſidiũ quod habebãt Philiſth. in Gabaa Bẽiamin, id eſt pene in intimis regni viſceribus. Ab vtraq; ergo hac ſeruitute videtur Saul Iſraẽlẽ liberaſſe, cũ bis ingẽti eos clade affeciſſet, quæ c. 14. & 17. explicantur. Poſtremo autẽ prælio, cũ exigentibus Sau-

i a. m. 2960 n 26 & 2961 n 1 & 2.

k 1. Reg. c. 13. 19.

lis, populíque peccatis, victoria penes Philiſthæos fuiſſet, Iſraelitæ non ſolũ in acie cæſi, fuſi, fugatíq; ſunt, ſed ex vrbibus etiam quas incolebant aufugerunt, vacuáſq; Philiſthęis inhabitãdas reliquerunt.[a] Itaq; redintegrata tunc videtur Iſraelitarum ſeruitus, præſertim cum inter ſe diuiſi alii Dauidem, alii Iſboſethum Saulis filiũ ſequerentur; & multis ſe damnis afficerent: donec rerum potitus Dauid ita iugum ſeruitutis excuſſit, vt illud ipſum Philiſthæis imponeret. Vide Abul [b] in aliam quandam expoſitionem magis inclinantem.

a 1. reg 31. v. 7

b q. 11. in c 9

LXII. *Quæ hic Ioſephus recte dixerit;*

Ioſephvs hanc reuelationẽ ſic exponit, *Samuel hac ipſa de cauſa cõuiuas vocauerat; Nã pridie cũ per totã diẽ precatus eſſet Deum, vt certiorẽ ſe redderet quem creaturus eſſet Regẽ, in craſtinũ ſe id facturũ pollicitus eſt. Circa eandem enim horã miſſurũ ſe Beniamitam quendã iuuenem. Quam ob rem ſedebat in ſolario, expectans præſinitum tempus, quo peracto ad cœnã ſe conferebat. Cumq; Saulem offendiſſet, Deus inſpirauit ei hunc eſſe futurum principem.* Sed præſtat vt rẽ hanc ex ipſo Samuele audiamus, ſi prius lectorẽ monuerimus, recte quidẽ videri Ioſephũ facere, quod Samuelẽ totam diẽ in precibus poſuiſſe dicit, & ſolennem cœnã in eum finẽ paraſſe; illud enim Prophetæ moribus conſentaneũ eſt, hoc Scripturæ narrationi. Illud autẽ non recte, quod Saulẽ iuuenẽ quendam vocat νεανίσκον τινά, immemor quatuor filiorum eius, quorũ quartus vigeſimũ ſecundum iam annum ageret, vt qui in morte patris eſſet quadragenarius, vt oſtendimus ſupra anno primo Samuelis. Non rectè quoque quod occurſum puellarum conſtituat circa portã ciuitatis; cũ factus fuerit in cliuo eius, cũ aſcenderet Saul & famulus eius: itẽ quod ab eis petitas & indicatas ait ædes prophetæ iuxta portam, cum eas peregrini à Samuele, nõ à puellis petierint, eæq; potius in medio vrbis eſſent, vt Scriptura ſignificat, & 70. aperte ſemel iterũq; confirmãt. proptereáq; ex cliuo oſtendi vix poſſent: verum de loco ædiũ dicemus aliquanto poſt. Hæc autẽ accuratius inſpicere, & fidelius exhibere lectori, dum antiquitates ſuas deproperaret, & breuitati nimium ſtuderet Ioſephus non potuit.

ὡς τινὰ νεανίαν. ἐπὶ τὸ δεῖπνον. Vide ſupra n. 54.

N. 76. 77.

v. 14.

LXIII. *Expoſitio prædicti occurſus.* *Porta pro vrbe.*

Transeo ad Samuelis & Saulis occurſum. *Cumq;* inquit, *aſpexiſſet Samuel Saulẽ Dominus dixit ei. Ecce vir quem dixerã tibi, iſte dominabitur populo meo.* Acceſſit autẽ Saul ad Samuelem in medio portę, vrbis ſcilicet, vt pleriq; explicant, Abul. in medio portæ domus, Septuaginta in medio vrbis dixerunt, & portã vrbis pro ipſa vrbe acceperũt. Sic in Geneſi [c] Dominus dixit Abrahæ *Poſſidebit ſemẽ tuũ portas inimicorum ſuorũ*, vbi Sept. vertunt τὰς πόλεις. Idipſũ imprecabãtur Rebeccæ[d] fratres eius, vbi rurſũ iidem Hebræas portas, in Græcas vrbes commutarunt. Sic Exodi 20. v. 10. *aduena qui eſt intra portas tuas.* eaſdẽ ſcilicet tecũ vrbes incolit. quę ipſa phraſis crebrius in lege iteratur. [e] vbi paſſim Septua. *portas* vertunt *vrbes*. Extra legem vſurpat Delbora in cantico ſuo Iud. 5. 8. & Salomon 3. Reg. 8. 37. quo pertinet etiã illud, *& portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* & *vadam ad portas inferi.*[f] & *portæ cœli deſolamini vehementer.*[g]

c c. 22. v. 17.

d c 24. v. 60 שער saghar.

e Deut. 5. v. 14. c. 14. 21. 27. 29 c. 16. 11. 14. 18. c. 17 2 8. c. 24. 14. c 26. 12. c. 28 52. 55 57 c. 31 12.

f Iſa. 38. 10.

g Iere. 2. 12.

LXIV. *Samuel vocat Saulem ad conuiuium.*

In medio ergo ciuitatis, vbi habitabat Propheta, vt paulo ante dictũ eſt, dixit Saül ad Saulẽ, *Indica oro mihi vbi eſt domus videntis*, At iã indicatã à puellis dixit Ioſephus, vtiq; propere nimis. *& reſpondens Samuel Sauli; Ego.* inquit, *ſum Videns. Aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie.* Is locus qui ab Hebręis Bamah dicitur, à Sept. perpetuo retinetur, quaſi propriũ nomen; at Aquila vetus interpres sẽper excelſũ tranſtulit, vt ait Hieron. in locis Hebr. Ea porro loquẽdi forma ſignificatur Samuelẽ magiſtrũ conuiuii fuiſſe, vt notauit Abul. & Ioſeph. cõfirmat, qui ait eum præbuiſſe epulũ ciuibus. Si enim ipſe fuiſſet vnus de inuitatis, non auſus fuiſſet duas ſecũ vmbras adducere; pergit. *Et dimittam te mane, & omnia quæ ſunt in corde tuo indicabo tibi.* quæcũq; ſcilicet à me exquirere volueris, à me diſces. neq; enim facile audiendi ſunt Hebræi in traditionibus ſuis, quas refert Hieron. & ex eo Rupertus [h] Comeſtor, Angelomus, Lyranus, Abulenſis, Dionyſ. Serarius, & ſi qui alii, qui aiunt Saülẽ animo volutaſſe ſe futurum regẽ; quia viderat per viſum ſe in vertice arboris palmæ collocari; quæ viſio ſignũ regale fuerit. Id ſomnium parum probabile reddit tum ſequens Saulis admiratio, tum in lege prohibita ſomniorum obſeruatio.[i]

v. 14. פסח regiis Roma Aldi. Baſil.

h l. 1. reg. c. 19.

LXV. *Eiq; reuelat inuẽtas aſinas, & regiam dignitatem.*

Factvrvs autẽ fidem de promiſſione generali quam dixi, & de eius in regnũ electione, quã proxime dicturus ei erat, antequam quidquam à Saule rogaretur, oſtendit ſibi notam cauſam, ob quam ſe in viam dederit, cum definiti notatione temporis, & quo nunc in ſtatu res ea ſit. *Et de aſinis*, inquit, *quas nudius tertius per-*

i Leu. 19. 26

didiſti, ne ſolicitus ſis, quia inuentæ ſunt. idque etiam in via didicit ante quam rediſſet ad patrem. Conſiliata itaq; ſibi fide per huiuſmodi reuelationem; illa ſtatim potiora inſinuat de principatu in Repub. ſua obtinendo. *Et cuius erunt*, inquit, *optima quæq; Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui*, tradentur ſcilicet; diuerſum enim verbum intelligendum eſt, niſi malis cum aliquibus legere, *cui erunt*, iuxta Hebræa & Græca, quomodo etiam legit D. Gregor. Optima quoq; eius futura dicit, non quaſi ablaturus ſit ſingulis quæcunq; placebunt, vt præcedenti regni iure ſignificabatur, & videtur velle Ioſephus, [a] cum ait *omnia omnium bona in poteſtate eius fore*; ſed quod omnes populares ſuos, in ſingulis quæ bona numerantur anteceſſurus ſit, diuitiis, auctoritate, honore, ſeruorũ & famulorum copia, ædium magnificentia, veſtimentorum gloria, inſignium regiorum decore, pretio, pulcritudine, multitudine ſubditorum, amplitudine vectigalium &c.

quæ magnus futurus ipſe.

[a] l.6.c.5. κεκυρωμένα

LXVI. *Et tota domus eius.*

Affirmat etiam Samuel ex probabilitate, & peruulgata principum conſuetudine, hæc omnia in domum & familiam paternam Saulis eſſe redũdatura, hoc ipſo quod perſonam regiam conſanguinitate, vel affinitate contingerent; Itaq; Abner [b] patruelis eius factus eſt princeps militiæ; & alii ad alias dignitates euecti. Huc pertinet illa Saulis apud ſuos querela, [c] *Audite nunc filij Iemini, nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos & centuriones?* quod videlicet ego poſſum, ille non poteſt. & tamen in eius gratiam coniuraſtis omnes aduerſum me. Nihil tamen vetat quin hæc dici etiam poſſint de poſteritate Saulis, in quam regia dignitas propaganda erat, niſi pater diuinum mandatum violaſſet, vt ei perſpicue teſtificatus eſt Samuel. [d] vide in hunc locũ Abul.[e]

[b] 1.Reg 14.50.
[c] c. 22 7.
[d] ca.13.13.
[e] q.13 in c.9

LXVII. *Quod miratur Saul.*

Respondens autem Saul, re inopinata perculſus, ait *Nunquid non filius Iemini ego ſum, de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?* Hæc diſſimulanter, & ex aulica humilitate à Saule dicta volunt Hebræi, & Lyranus cum eis, propter ſomnium viſæ palmæ. & confirmat Lyranus, quia alioqui non tam facile intellexiſſet obſcuram Samuelis orationem. Sed communem nobiſcum ſententiam ſequitur Ioſephus; [f] *Supra ſpem*, inquit, *meam ſunt iſta Domine, neque enim ea eſt tribus, quæ reges proferat, & familia mea humilior eſt alijs familijs. Tu vero ludis me, & maiora quam pro mea conditione loqueris.* Nec fuit Samuelis oratio difficilis intellectu, hoc præſertim tẽpore, quo propinqua regis creatio omnium ſermonibus iactabatur: & erat adhuc filius vnius anni Saul. Minimã autem ſuam tribum appellat, non ſimpliciter, ſed comparatione aliarum, quæ erant populoſiores, vt tribus, Iuda, & Ephraim, proptereáq; ampliorem terræ portionem ſortitæ erant; vt tribus Manaſſe, quæ geminam ſortem tam citra quam vltra Iordanem conſecuta fuerat; vt tribus Dã, quæ duobus quoq; in locis à ſe admodũ diſiunctis ſedẽ fixerat. Accedebat quod tribus Beniamin pene deleta fuerat à cæteris tribubus, prout in fine libri iudicum copioſe perſcriptum eſt. [g]

Vide Abul q 16.in c.9.
[f] l.6. c.5.
[g] Iud.c.19.20.21.

LXVIII. *In conuiuio honoratur à Propheta.*

Samvel autem vt iam coniecturam aliquam Prophetiæ ſuæ Sauli daret, aſſumpſit eum cum famulo ſuo, *& dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati*, hoc ipſo conuiuatorem ſe oſtendens, atque exhibens, cuius eſt ſuum cuique aſſignare locum. Honorauit ergo Saulem præ omnibus, quoniam eum conſtituit loco omniũ honoratiſſimo. Quid autem Samuel? an alia in menſa ſedit, aut in eadem potius eũ etiam ſupra ſe voluit reſidere, vt ſæpe faciunt qui amicos cõuiuio accipiunt: nec propterea rẽ conuiuis patefecit; qui putarũt Prophetã peregrinis hoſpitibus hunc honorẽ deferre voluiſſe. Quin & famulus ipſe Saulis, honoris Domini ſui particeps factus eſt, vt iã intelligeretur, propter Saulẽ domum omnẽ patris eius honoratũ iri, cum etiã famulus propter ipſum, non leui honore afficeretur. Fortaſſe Sauli à dextris Samuel, à ſiniſtris famulus eius accubuit. quo referas licet illud, *Et comedit Saul cum Samuele in die illa.* alioqui cum aliis quoq; 30. comedit.

LXIX. *Numerus conuiuarũ.*

Erant autem *quaſi triginta viri* inuitati, vt ait Samuel ipſe in Hebręis codicibus, & Latinis, & paraphraſte Chaldæo qui eſt in regiis Bibliis. At Septuag. editionis Romanæ, Aldinæ, Baſilienſis habent conſtanter ὡσεὶ ἑβδομήκοντα, ferme 70. quo modo etiam habet Ioſephus. [h] In editione autem regia Bibliorum, & Geneuenſi eam ſecuta, numerus mutatus eſt, & Hebræo fonti accommodatus; eodemque modo multis aliis in locis. Nec dici poteſt cum Abu-

[h] l.6.ant.c.5.

lenſi fuiſſe reuera 30. viros inuitatos, cum quibus ſederunt Samuel & Saul cũ famulo ſuo; ſeorſim autem accubuiſſe alios 40. qui non pertinebant primariò ad conuiuium, & à Scriptura prætermiſſi fuerint. Verum Septuaginta intrepretes cum Ioſepho aperte teſtãtur 70. fuiſſe inuitatos, non autẽ ibi fuiſſe 70. viros. An ſatius eſt errorẽ in numeros lapsũ fateri? etſi non magna ſimilitudo inter ל & ס.

LXX. *Quæ pars Saulis.*

Dixitque *Samuel coquo; da partem quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres ſeorſum apud te; leuauit autem coquus armum*; in Hebræo, & Græco additur, *& quod erat ſuper eum*, id eſt annexum pectuſculum, vt vult Caiet. Videtur autẽ Samuel, qui ſacrificauerat hoſtiam, pacificam partẽ ſacerdotalem accepiſſe ſibi, pectuſculum ſcilicet, & armũ dexterum, vt eſt in 7. Leuitici.[a] eamq; ſepoſitã reſeruaſſe Sauli ex diſpẽſatione quadã, vt vult Serar. Niſi placet potius eam ceremoniam obſeruatã non fuiſſe, cũ Sacerdos ipſe de ſuo pacificam hoſtiam offerebat; tunc enim & armus, & pectuſculum, & tota hoſtia in eius vſum & conuiuarũ cedebat. Samuel ergo armum cum pectuſculo de præcipua quapiam hoſtia reſeruare voluit Sauli, quem venturũ diuinitus didicerat; eamque à coquo ſeponi voluit, quam is nunc Samuelis iuſſu appoſuit ante Saulẽ. Dixitq; Samuel Sauli *Ecce quod remanſit*, id eſt ſepoſitum fuit, & reſeruatum tibi, non enim inopinatus atque improuiſus veniſti, *pone ante te & comede, quia de induſtria ſeruatum eſt tibi, quando populum vocaui.*

a v. 31. 32.

LXXI. *Ei ſeruata in teſtimonium.*

Legimus in Hebræo, *quia in tempus ſtatutum ſeruatum eſt tibi*, non admodum diuerſo ſenſu, ſic Aquila, εἰς καιρὸν πεφυλαγμένον σοι. in ſchol. Græcis. At ſeptuaginta lõgius abierunt, habent enim; *quia in teſtimonium poſitum eſt tibi à populo*, quo modo legimus in Romana editione, Aldina, & Baſilienſi, imo & regia. Quod Theodoretus [b] exponit indicium futuri regni; proptereaq; videtur Ioſephus portionẽ regiam appellaſſe. Κωλέαν autem ideſt pernam aut tibiam, ait Theodor. ei appoſuit tanquam regnaturo, & pro populo periculum adituro. Hoc enim ſubiecit, *Ecce in teſtimonium poſitum eſt tibi à populo.* & infra. *In teſtimonium poſitum eſt tibi, hoc eſt in ſignum honoris, vt qui ſis alijs præpoſitus & indicium regni. Nam ſicut hæc cum ſint breuiora alijs membris animalis, portant totam molem compacti corporis, & firmiter ſuffulciunt. Ita etiam regium robur, etiamſi ad vnum virum contrahatur, ſuſtinet totũ corpus Reip. & non ſinit cadere.* Sic Theod. Ioſepho ſuffragando philoſophatur. Crediderim autem hęc, ſi dicta ſunt Sauli à Samuele, clanculum, & quaſi ad aurẽ dicta fuiſſe, in eam ſententiam; hanc ei partẽ ſeorſim à populo ſeruatam, populo interim myſterij huius ignaro.

b q. 19.

LXXIII. *Hoſpitio accipitur à Samuele.*

Comedit ergo *Saul cum Samuele in die illa*, [c] ſumpto autem cibo, ideſt cæna peracta, *deſcenderunt de excelſo in oppidum, & locutus eſt cum Saule in ſolario: ſtrauitq; Saul in ſolario & dormiuit.* Non immerito hinc colligimus, dies tum fuiſſe longiores, & æſtuoſos: quandoquidem poſt cænam in excelſo ſumptã, & quidem epularem, deſcenſum eſt in oppidum Ramatha, ſucceſſit confabulatio in ſolario, ſub dio videlicet, loco ſoli expoſito, ibiq; ſtratũ præparatum, deniq; dormitum eſt. Quomodo enim niſi æſtuoſo admodum tempore ſub dio dormiretur? Verum in Hebræo non habentur illa verba, *ſtrauitq; Saul in ſolario & dormiuit.* neq; ea Ioſephus videtur agnouiſſe, vt qui hæc laxius paulo exponit, ac ſolutius. Habet autẽ, *Cum iam hora dormiendi adeſſet, alij quidem ſurgentes domum quiſq; ſuam reuertebantur. Saulus vero apud Prophetam cum famulo pernoctauit.* Habentur tamen in Græcis codicibus Aldinis, Romanis, Baſilienſibus; vt ex Hebræis caſu aliquo excidiſſe videantur, pari licentia ei, qua in regiis Biblijs, è Gręco, Latinóq; textu eraſa ſunt. Ea quippe legit, tranſtulitq; Hieron. agnoſcitq; Gregorius in expoſitione huius loci.

c c. 9. v. 24

LXXIV. *Dormit in Solario.*

Durum fortaſſe viſum eſt dicere, ac fateri Saulem in ſolario dormiuiſſe, id eſt ſub dio, cum periculo valetudinis. At meminiſſe poterant Patriarcham Iacobum apud Laban auunculum ſuum, dicentem; *diu noctuq; æſtu vrebar & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis, ſic q; per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi*; quod ergo Iacob viginti annis fecit, non potuit Saul nocte vna? Sub dio dormiuit idem Iacob, cum ſubiectis capiti lapidibus, ad Bethel iacuit, & ſcalam illam fœtam myſteriis contemplatus eſt. Sub dio ad aream ſuam iacebat Booz, iuxta aceruum manipulorum, vir vtique potens, atq. opulentus, quando Rutha dormientem adiit. Nobis certe non dubia Iarrii noſtri relatione conſtat, in vrbe & inſula Armuſia, ad oſtium ſinus perſici impoſita, ad gradum eleuationis 27. homines in æſtiuis caloribus ſupra tecta domorum, ſiue ſolaria, vaſa quædam, quaſi arcas piſtorias

d l. 4. c. 1. hiſt. Ind.

præparare dormituros, in quas aqua frigida repletas ſe collo tenus immittũt, ibique ſub dio ſomnum capiunt, caloris temperandi gratia. Quin & hoc tempore Hieroſolymorum gubernator, quem vocant Sãgiacum, idem perhibetur factitare, quod retulit P. Canillacius eorundem locorum inſpector. Sed quid vetat intelligere protenſum fuiſſe in ſolario conopæum aliquod, aut tentorium, vt in caſtris moris eſt; quo ex vſu dicebat Vrias. [a] *Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent.*

a l. 2. Reg. 11.11.

LXXV. *Idque confirmatur.*

CVMQVE *mane ſurrexiſſent*, domeſtici videlicet cum Samuele, *& iam eluceſceret, vocauit Samuel Saulem in ſolario*, vbi nimirum quieſcebat adhuc, *dicens ſurge & dimittam te, & ſurrexit Saul.* qui nolunt Saülem dormiſſe in ſolario, in eam ſe difficultatem induunt, quam timebant; quomodo enim non iacebat in ſolario, qui ibi excitatur? aut quid erat opus Samuelem ſupra tectum aſcendere ad excitantandum Saülem, qui inde aberat? nam quod *ſurge* interpretantur, para te itineri, coactum eſt, & quid erat opus Saülem à Samuële vocari ſupra tectum, vt eum dimitteret, iuberetque parare ſe itineri? Sed mittamus hæc. Illud potius à Samuele diſcamus antequam dimittatur Saül, quos cum illo ſermones contulerit; & quia palam audire non licet, ſubauſcultemus tamen ſi placet, & admoueamus aurem propius, ſi quo modo vocem aliquam excipere poſſimus. Verum actũ agimus id iãpridem factũ ab Hebræis: qui & referunt actum à Propheta de timore Dei, & legis cuſtodia non male. Rectè quoque Abulenſ. [b] exiſtimat imbutum præceptis ad Regis munus rite obeundum pertinentibus, quem ſe Deo, principi ac rectori ſuo, quem ſe ſubiecto populo deberet exhibere, quanta erga illum pietate *vti*, atque obedientia, quanta aduerſus hunc iuſtitia, clementia, fortitudine, ſapientia, rerúmque humanarum contemptu; denique regium egit præceptorem longè ſapientiſſimum; quem vbi cœpit non audire, à Deo repudiatus, regem abſolutiſſimum in tyrannum vertit.

Colloquiũ amborum.

b q. 23. in c. 9.

LXXVI. *Dimittitur Saul.*

SED feſtinemus, accincti ſunt itineri, abeũt, *egreſſiq; ſunt ambo, ipſe videlicet, & Samuël. Cũq; deſcenderent*, & eſsẽt iã *in extrema parte ciuitatis.* Erat n. tota ciuitas decliuis, vt pote in colle ſita, in cuius ſupremo vertice erat excelſum ſiue Bama, tum quaſi medio in colle ciuitas; ad cuius extremum cum ventum eſſet, *dic puero*, inquit Samuël, *vt antecedat nos, & tranſeat: tu autem ſubſiſte paulıſper, vt indicem tibi verbũ Domini.* Voluit Samuël ſemotis arbitris vngere Saulem, eúmque amplecti, atque oſculari: ideóque præmiſit famulum. Ex quo etiam intelligere poſſumus hanc inunctionem nequaquam in media via, vt videri poſſet, fuiſſe peractam. Ioſephus & Comeſtor extra vrbem perfectam putãt, ſed textus eis non fauet; extrema enim pars ciuitatis extra vrbem non eſt, niſi eo nomine ſubvrbium intelligatur. Dionyſ. non male vtrúmque conciliat, vt ſcilicet dimiſſio pueri facta ſit in extrema ciuitate, quo celerius antecedente, illi egreſſi ſint vrbem, ibique Samuël Saülem ſeduxerit in locum idoneum, & ſecretum. Qui enim famulum conſcium eſſe myſterij huius noluit, quomodo in oculis ciuitatis eam vnctionem peregiſſet?

Mox inungendus.

LXXVII. *Inſcio famulo.*

AT nunquid irritam rem agebat Samuël, minimèque neceſſariam, quod famulum vellet celare hoc negotium? Iam enim rem ipſam poterat didiciſſe, & vt adhuc ignarus eſſet, totum hoc myſterium breui euulgandum erat; Reſpondeo cum Abulenſi, videri famulum adhuc ignarum fuiſſe diuini in Saülem conſilij. Etſi enim aderat, cum à Samuële dictum eſt Saüli, *cuius erunt optima quæque Iſrael*, verba tamẽ illa ſatis obſcura erãt, & ambigua, & poterãt ab eo de multo inferiore dignitate accipi, præſertim cum Saül ſuam indignitatem obieciſſet, eique Samuël nihil repugnans acquieſcere viſus eſſet; & potuit aliquanto eſſe remotior ab vtróque, & minus ad prima hæc vrbanitatis officia attendere. Quin ne locus quidem, aut armus illi reſeruatus, neque verba, quæ tum à Samuële dicta referuntur, ſatis aperta erant indicia nouę cuiuſdam & inſolentis dignitatis; Apertum autem de regno colloquium ſolius cum ſolo, in ſolario habitum eſt, Propheta de induſtria prouidente, ne quiſquam iſti congreſſui intereſſet.

c q 19. & 20 in c. 9. 1. Reg.

LXXVIII *Intererat communis boni Saulẽ ſecretò inungi.*

INTERERAT autem communis boni neminem huius priuatæ vnctionis, atque inaugurationis eſſe conſcium, extra eum qui eam conferebat, & alterum qui recipiebat. Neque enim famulus hic tantam herilis filij dignitatem, hero præſertim ſciſcitante, ſilere potuiſſet; re autem euulgata, zelus inter proceres populi ac-

cenſus fuiſſet, plurimis eam ſibi ambientibus, qui Saülem nobilitate, opibus, cognatione ſuperarent, & Samuëlem ſuſpectum haberent colluſionis cum Saule, qui diuinam eius electionem, de qua nihil adhuc publicè conſtabat, anteuerteret. facileq; Core aliquis extitiſſet, qui pro imperio, vt ille pro ſacerdotio turbas excitaret in populo. Itaque oportuit diuinã iuſſionem ſecretò impleri; dum publicè per ſortitionem diuina Saulis electio appararet, quæ frenum cupiditati, & ori ſilentium imponeret: ſicut miraculum florentis virgæ motus omnes ambientium ſacerdotium compreſſit. Nec obſtat quod res poſtea euulganda erat; Adueniente enim electione Dei minimè dubia, corda populi ita firmabantur in bona opinione, vt cognitio antegreſſæ vnctionis ſuperueniens eos magis magiſque firmaret: ſin autem ea cognitio anteceſſiſſet quæ dubios faceret, ne ſuperueniens quidem electio, omnem ſuſpicionem colluſionis, quæ animis inſediſſet, prorſus euelleret.

LXXIX. *Inungitur à Samuele.*

SVBSISTENTE ad Samuëlis vocem Saüle; & in genua vt credere par eſt, ſiue ad accipiendum diuinum oraculum, ſiue ad ſacram regni vnctionem, procumbente, *tulit* Propheta, *lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius; & deoſculatus eſt eum, & ait, Ecce, vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt*, habes hîc vnctionem, & quaſi initiationem Regis, à Propheta factam, quæ deinceps nunc à Propheta, nunc à ſummo Pontifice facta reperitur. Nam Dauid ab eodem Samuële Propheta vnctus eſt,

Quorũ munus eſſet reges inungere.

[a] Salomon autem à Sadoco ſummo ſacerdote, [b] Ioas quoque Rex à Ioïada Pontifice [c] & Iehu ab vno de filiis Prophetarum, [d] neque exiſtimandum eſt à Laïcis id munus vſurpatum, etſi Dauid dicat vnctum ſe fuiſſe à tribu Iuda; id enim accipiendum eſt quod eius tribus voluntate, eum Pontifex aut Propheta conſecrarit. Quod ſi quæras vtrius fuerit id munus, reſpondet Abulen. [e] Reges qui vngendi erant, aut ſine vlla dubitatione Reges eſſe debuiſſe, vt qui legitimis Regibus ſuccedebant, vt Salomon Dauidi, Roboam Salomoni, & tunc id munus ad ſummum ſpectaſſe Põtificem; aut dubium fuiſſe Regem, quod in nouam quempiam familiam regnum transferretur, aut tunc primum aliquo in loco regnum inſtitueretur; vt Saülis in Chananitide hoc tempore; & tunc quia Dei voluntas agnoſcenda erat, ad Prophetam aliquem, cui ea nota eſſet, vnctio pertinebat, eaque de cauſa tam Saül, quàm Dauid non ab Achia, vel Abiathare Pontificibus, Sed à Samuële Propheta primum vncti ſunt; eódemque modo Azaël Rex Syriæ ab Elia Propheta, [f] & Iehu Rex Iſraël ab altero Propheta, iuſſu Eliſei.

a 1 Reg. 16. 13. b 3 Reg. c. 1 v. 39 c 2 Paral. 23. 11. d 4. Reg. 9 e q. 2. in c. 10. f 4. Reg. 9. 13.

XXC. *Oleóne ſacro vngeretur,*

Dubia quoque eſt materia vnctionis, oleum ne ſacrum fuerit, an commune & prophanum. Sacrum autem fuiſſe, & idem cum eo quo Pontifices vngebantur & ſacerdotes, omnes doctores tam Hebræi quàm Catholici dicunt, vt fatetur Abulenſis [g] Hebræi tamen apud Vatablum aſſerũt ſolos reges Iuda hoc vnctos oleo, Saülem verò communi; quia ſcilicet reprobandus erat. Fuit autem verius vnguentũ vnguentarij arte confectum, quàm ſimplex oleum. Nã, vt ex 30. Exodi conſtat, ex myrrha, cinnamomo, caſia, & oleo compoſitum erat, eáque tota ſuppellex ſanctuarij, vna cum Pontifice, & filiis eius, vngebatur. quod quare balſamũ vocet Vatablus ſane non intelligo, cum hoc ſimplex ſit, illud mixtum atq; compoſitum. Nec obſtet quod lex ſeuerè prohibet, ne id vnguentum in alios vertatur vſus, aut eo vnguatur qui alienus eſt à ſacerdotio, aut non eſt de genere ſacerdotali. ſic enim intelligirur illud [h] *Quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur* Alienus enim ſiue externus hoc loco, vt explicat Genebr. in Pſalm. 88. in ea verba, *vnxi eum.* non ſignificat non Hebræum, ſed non ſacerdotem. Sicut Num. 18. *Quæ intra velum ſunt per ſacedotes adminiſtrabuntur, ſi quis externus acceſſerit, occidetur.* quod habetur etiam Num. 3. 10. quibus in locis eadem vox eſt in Græcis, Hebræiſque codicibus; verum mens legis eſt ne quis tali vnguento vtatur ad prophanos vſus, & ad delicias, ideoque nominatim cauetur, ne caro hominis vngatur ex eo. at vnctio regum, ſicut & ſacerdotum ſacroſancta eſt, & Dauidis iudicio etiam in capitali hoſte formidabilis: [i] nec ad delicias aſſumitur, ſed ad ſanctificationem; nec caro inungebatur; ſed in crines modicè infundebatur, quæ eſt ſententia Abulenſis, Serarij & Pinedæ, lib. 2. de rebus Salom. cap. 6. [k]

g q. 1. in c. 10 1. Reg. h Exod. 30. v. 33. verſ. 7. i 1. Reg. 24 7. k § 1. n 2.

XXCI. *An etiam communi.*

NIHILOMINVS dici poteſt Pontifices nunquam niſi ſacro illo oleo, ſiue vn-

guento fuiſſe vnctos, quod nemo in controuerſiam vocat: Reges autem aliquando ſacro, aliquando communi initiatos fuiſſe. Ita ſentit hoc loco Abulenſis, [a] cumque ſecutus Serarius; Pineda diſſentiente l.2. de Salom. c. 6. idque probatur ex praxi, quæ in ſacra obſeruatur hiſtoria. Nam vt omittam Hebræos, qui communi oleo à Samuële tamen ex tempore conſecrato, inũctum Saülem affirmant, vt dixi, quibus conſentit Ioſephus, [b] qui nudum oleum ex lecytho memorat, certe apparet oleum ſacrum, quod in Sanctuario diligenter aſſeruabatur, quale nulli fas erat conficere ſibi priuatim, aut aſſeruare, apud Samuelem hoc tempore non fuiſſe, ſed in Nobe, quæ ſatis diſtabat à Ramatha. Cumque clanculum hæc vnctio facienda eſſet, vt diximus, non potuit inde peti oleum ſacrum, niſi plurimis conſciis, & pluribus etiam ſuſpicantibus. Idemque de priuata vnctione Dauidis dicendum eſt, in qua certiſſimum à Saule mortis diſcrimen adibat Samuel, tanquam ſuſcitator tyrannidis, omneſque ſacerdotes, quaſi eiuſdem tyrãnidis adminiſtri, ſi id oleum vel ille petiiſſet, vel ab iſtis accepiſſet. Neque tutior fuiſſet à clade Dauid cum patre totaque familia, tanquam æmulus imperij tyrannus, cum fautoribus ſuis. Denique minime par eſt credere, aut Hazaëlem regem Syriæ, aut Iehu, reliquoſve Iſraëlitarum reges, æmulos, atque inimicos regum Iuda, oleum ſacrum è Sanctuario Domini, vel accepiſſe, vel impetraſſe, quod videntur Hebræi voluiſſe, cum ſolos reges Iuda oleo ſacro inunctos tradiderunt.

a q. 1. in c. 10.
b l.6. c.5 & Genebr. in Pſal. 88. num. 78.
3. Reg. 19. 15

XXCII. *An id priuilegiu regum Iuda.*

VICE verſa de quibuſdam regibus ſatis conſtat eos inunctione Pontificia conſecratos. Nam de Salomone legimus, Sadocum ſacerdotem præſente Nathan propheta, & Banaïa principe militiæ, ſumpſiſſe cornu olei de tabernaculo; & vnxiſſe Salomonem; ad accipiendum commune oleum nihil opus erat adire tabernaculum. Ioas quoque [c] qui in templo à Ioiada Pontifice vnctus eſt in regem, ineptum fuerit arbitrari, alio quopiam oleo quam ſacro, quod erat in manibus, inunctum fuiſſe, idem de Abſalone rerum potiente Ieroſolymis dicendum videtur; nam conſtat inunctum totius populi volũtate, [d] & habebat ſibi ex Dauidis voluntate, ſpecie tenus conſentientes Sadocum & Abiatharem ſacerdotes, [e] qui ei oleum ſacrum, aut vnctionis officium negare non poterant. Eodẽ modo mortuo Ioſia, in ſeditione populari Ieroſolymis vnctus eſt Ioachaz ſecundo genitus, [f] cum regnum Ioacimo primogenito deberetur, cui etiam mox à Pharaone reſtitutum eſt. Et de his regibus accipio illud Iſidori, [g] *Deinde quoque & reges eodem chriſmate ſacrabantur.*

c 2. Paral. c. 23. 11.
d 2. Reg. 19. 10.
e 2. Reg. c. 15.
f 4 Reg. 23. 30.
g l.2 c 25. de eccl. off.

XXCIII. *An in vſu vnctio apud exteras gentes.*

FVISSE autem in vſu vnctionem apud exteros reges, vt ea inaugurarentur, & ſupremum iſtum magiſtratum tanquam ſolenni ceremonia inirent, ægrè in exotica antiquitate reperias; duas tamen eius rei ſacræ literæ ſuggerunt coniecturas. Altera eſt inunctio Hazaëlis regis Syriæ, [h] quam Dei iuſſu, utique ex priſco ritu, Elias executus eſt; neque enim apparet nouam vllam induci in eam gentẽ ceremoniam, nec cauſa cur induceretur vſquam occurrit. Alteram ſuggerit apologus Ioatham filij Gedeonis, Iudicum 9. [i] vbi dicuntur ligna conueniſſe, *vt vngerent ſuper ſe regem*: & mox vti rhamnus ait, *ſi me regem conſtituitis*, in Hebr. & Græc. eſt *vngitis*: petuntur autem apologi, vt notum eſt, ab iis rebus, quæ in communi more verſantur. Etſi tum primum apud Hebræos, vſurpante Abimelecho, regis audiretur nomen. [k] Quo in loco Serarius [l] contendit apud Orientales populos vſurpatam iam regum vnctionem, quos Sichimitæ in ſui regis vnctione imitati ſint.

h 3. Reg. 19. 15.
i verſ. 8.
k Iud. c. 9. v. 6. 16 18.
l q. 10 in c. 9.
m in Eſ. l. 12.

XXCIV. *Qui negẽt, quid; probabilius videatur.*

ID tamen videtur negare Hieronymus, [m] qui in cap. 45. Eſaiæ de Cyro loquens: *Iſte*, inquit, *appellatus eſt Chriſtus, id eſt vnctus Domini, quod erat inſigne apud Hebræos regiæ poteſtatis, vt quomodo apud nos diadema & purpura ſolis Imperatoribus datur, ſic apud Hebræos regnaturi perfunderentur vnguento Vnde & Saul Chriſtus Domini dicitur; & in Pſalmis legimus, Nolite tangere chriſtos meos.* Sic Hieronymus. Et ex eo Rabanus in Gloſſ. conſentit Auguſt. [n] *Hoc nomen*, inquit, *quod appellatur chriſtus vnctionis eſt, nec in aliquo regno alibi vngebantur reges & ſacerdotes, niſi in illo regno, vbi Chriſtus prophetabatur, & vngebatur, & vnde venturũ erat Chriſti nomen. Nuſquam eſt alibi omnino, in nulla gente, in vllo regno.* Sic Auguſt. S. Chryſoſt. hom. 1. ad Rom. ait. S Patriarchas, quos Dauid Chriſtos vocat, Pſam. 104. 15. dici vnctos

n in Pſ. 44. in ea verba *vnxit te De⁹.*

à ſpiritali oleo; non à materiali; *οὐδὲ γὰρ*, inquit, *τότε ἦν ἡ παρασκευὴ τῆς χρίσεως ἐν τῷ ἐλαίῳ.* *neque tunc erat confectio vnctionis olei*, priorem nihilominus ſententiam, fateor videri probabiliorem, quam ſatis confirmat citato loco Serarius. Neque dum ſanctus Hieronymus de vſu Hebræorum affirmat, id plane de aliis gentibus negat, apud quas nihil eo de ritu ſcriptum reperitur; quo modo poſſis, ſi neceſſe eſt, interpretari ſanctos Auguſtinum, atque Chryſoſtomum, qui id maxime pugnabant, ne nomen Chriſti ab Ethnicis vſurpatum, ſuiſque regibus attributum diceretur: quod tanto foret euidentius; ſi ne vnctio quidem vſurpata eſſet.

XXCV. *Vas vnctionis.* Lenticvla porro, quæ hoc loco memoratur, vas eſt vnguentarium, ex lentis figura ita nuncupatum, vt bonis authoribus probari video; tametſi quadratum ab aliquibus putetur: in quibus Rupert. in 1. Reg. c.23. legi qui fictile, legi etiam qui aureum, vel argenteum crederent, vt Lyranus, & Abulenſis. Idque credibile facit, tam liquoris præſtantia, quam dignitas actionis: quidam vertunt phialam, cornu vocatur in 3. Regum. Vnguentarias huiuſmodi pixides vocat Dauid in Pſalm. 44. *eburneas domos*. Porro Hebræam vocem פך Ioſephus ἀγγεῖον, Septuag. φακόν, retenta Hebræa voce verterunt. D. Hieronymus lenticulam vocauit obſeruata vocis origine. φακὸς enim & φακῆ genus leguminis eſt, & genus vaſis eiuſdem formæ, ſicut & lenticula, quam qui à liniendo deduci volunt falli videntur, etſi Iſidorum laudent mallem, à leniendo, quod vnguenti & olei proprium eſt, ſed probabilitas veritati cedere neceſſe eſt. Sequitur vt ipſam prophetæ actionem videamus. phac.

XXCVI. *Quis illius modus ex Hebrais.* Effvdit, ſeu vt quidam Hebræum vertunt, ſtillare fecit ſuper caput eius, oleum ſcilicet è vaſculo; qui modus vnctionis habetur quoque in 4. Regum. [a] vbi agitur de vnctione Iehu. Quo vtroque ex loco infirmari poſſe videtur illa Hebræorum traditio ex Rab. Salomone apud Lyranum, [b] & Abulenſem, [c] quæ fert iſtam actionem fieri ſolitam in fronte Regis inter palpebras in modũ coronæ, ſacerdotibus autem in vertice in modum decuſſatæ crucis. Audi Genebrard. [d] *Secundò, tradunt Rabbini, vnctionem factam forma χ Græcorum, ſiue crucis Burgundicæ & decuſſatæ. R. Salomon excipit Reges: Nam eos tradit inauguratos, non* χιαστοειδῶς, *ſed in modum coronæ in fronte, inter ſupercilia, deinde in capite. nempe quia non vngebantur, vt eorum maieſtas eſſet ſacra qualis eſt Pontificum, ſed politica profana, &c.* Sic ipſe. Nimirum Chriſtum crucifigendum repræſentabat illa crux: at eundem gloria & honore coronandum, & cuius regni nullus futurus erat terminus, nullus finis, circularis forma regiæ vnctionis egregie repræſentabat. Vtrumque autem fieri potuit, vt & ſacrum oleum inſtillaretur in verticem, ibique digito crux decuſſata, vel corona figuraretur, indeque in mediam frontem deduceretur, vt ibi alterutra formaretur figura.

In modum crucis & coronæ.

a 4. Reg. 9. 6.
b 1. Reg. c. 1.
c Abul. q. 37.
d in Pſal. 88. ex M.S.

XXCVII. *Duratio vnguenti Moſaici,* Refert idem Genebrardus è Talmudicis [e] & ante eum Lyran. [f] & poſt vtrumque Pineda noſter lib. 2. de rebus Salom. c. 6. [g] Vnguentum à Moyſe factum ad inungendos pontifices & reges ſeruatum reuerenter in tabernaculo in vaſe magno, indeque accipi ſolitam portionem aliquam ad vngendum regem, ſiue pontificem; duraſſeque non ſine miraculo, vſque ad captiuitatem Babylonicam; & citra diminutionem ſuffeciſſe inaugurandis pontificibus, & regibus per annos nongentos. (in noſtra chronogia duo tantum ſupra nongentos reperiuntur). Sed ſane Hebræi, ait Pineda, ſemper ſigna quærunt, cum tamen hic non videatur miraculis opus. Nam illud oleum renouabatur vbi opus erat, & ceremonia quapiam aut benedictione conſecrabatur. ſic ipſe. Perſtat nihilominus in ſententia Genebrardus, idque confirmat ſimili prodigio, ampullæ diuinitus allatæ ad reges Galliæ conſecrandos, *quod etiam hodie poſt mille & octoginta ſeptem annos Rhemis, ſanctum chriſma ſuggerit*, hæc ipſe, quæ ſcribebat an. Chriſti 1582. ex quo anni 37. elapſi ſunt. Quo chriſmate poſtremum inunctus eſt Lvdovicvs XIII. rex Chriſtianiſſimus, ante annos ferme decem; Audi hac de re canentem Garaſſum noſtrum in ſimpulo Sacrorum Rhemenſium.

e in Pſal. 88.
f in c. 1. 3 Reg.
g § 1. n. 4.
loc. citat.

Et S. Ampula Remẽſis. an X 1610.

Henric. IV.

Perpetuo manet in Phiala cœleſtis oliui
Nobile fermentum, & quo plus depromit in auro
Virgula felici ſenſim lentanda metallo,
Plus habet, & nunquam fundo rareſcit inani:

Plus habet, & nunquam fundo rareſcit inani.
Fluxit enim Lodoice tibi, fluxitque parenti
Largius vnguentum, nec auarius exiit vlli,
Iuſtus ad æternas regni qui venit habenas, ſic ipſe.

Conſtat tamen parentem apud Carnutes inunctum, oleo quidem ſacro, ſed Turonibus, non Rhemis petito; quod hæc vrbs regi tum non pareret, flagrante etiamtum ciuili bello.

Id autem prodigium altero ſiue prodigio, ſiue diuino priuilegio confirmatur: quo Galliæ reges inuncti pollent in ſtrumarum morbo curando. quo priuilegio ſcimus Henricum IV. Chriſtianiſſimum vehementer in fide Catholica fuiſſe confirmatum.

XXCVIII. *Oſculum Regis.* Vnctione peracta Samuël oſculatus eſt Saülem, quod oſculum negat Abulenſis [a] ad ceremonias inaugurationis Regis pertinere, nec repugnat Pineda [b] *quia oſculum*, inquit ille, *eſt maioris ad minorem, vel æqualis ad æqualem, non minoris, niſi maior iuſſerit: in vnctionem autem Regis nullus eſt maior ipſo, ac ne æqualis quidem, ſed omnes ſunt ſerui eius. Itaque priuato affectu Samuel Sauli valedicens oſculatus eſt eum.* ſic ipſe. Peccauit ergo, qui Regem iniuſſus auſus eſt oſculari. Rectius opinor dixerimus, Samuëlem loco Domini, qui hominum miniſterio vtitur, vnxiſſe Saülem, vt verba illa clamant, *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam.* & mox. *Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem:* ſic eiuſdem Dei loco deoſculatum eſſe, & vnxiſſe quidem in ſignum diuinæ maieſtatis, & potentiæ illi, quantum fert humana conditio, communicatæ; deoſculatum vero fuiſſe in ſignum diuini in ipſum amoris, quo ille tunc purus & innocens plenus erat, & charitatis, qua Deum viciſſim proſequi debebat: oſculum enim eſt mutuæ beneuolentiæ. Quatenus ergo Samuel Dei agebat vicarium hoc toto in negotio, eo maior fuit; ſicut ſacerdos, qui Regis confeſſionem ſacramentalem excipit, eique loco Dei ac Domini Ieſu Chriſti benedictionem, ac beneficium abſolutionis impendit; ipſo maior eſt, vel Apoſtolo teſte, [c] atq; adeo ipſius iudex in conſcientiæ foro. Nihil ergo vetat hanc ceremoniam in Regis cõſecratione recipere, cum Serario in hũc locum; quæ tamen ad ipſius eſſentiam ac naturam non pertineat, ſicut nec reliquæ cęremoniæ; adeo vt omiſſæ conſecrationem irritam faciant.

An ceremonia mutationis. *Symbolum charitatis,*

XXCIX. *Et communicationis gratiæ,* Qværit Theodoretus [d] hoc loco cur cum Saülem inunxiſſet Samuel, eũ deoſculatus eſt; reſpondetq; gratia, quæ ſibi inerat, eum impertiri voluiſſe. *Nam Dominus quoque*, inquit, *cum inſufflaſſet in Apoſtolos dixit, Accipite Spiritum ſanctum, etenim ex plenitudine eius nos omnes accepimus. Sic propheta deoſculatus eſt regem inauguratũ, & conſecratum, vt eum gratia, quæ ſibi inerat, impertiret.* Quod myſterium explicãs Pineda, [e] ait eo facto deſignari oportere legem & ſacerdotalem ſcientiam, quæ in ordine & pectore ſacerdotis reſident, intimo ſpiritu hauriri à rege initiato, quod per oſculum, quo ſpiritus communicatur, oportunè intelligitur. Et quoniam oſculum indicium eſt pacis, hoc etiam oſculo ſignificari voluit Gregorius ad regis officium pertinere pacem inter Deum & homines conciliare, adde etiam pacem cum populo ſuo, cuius caput & pater eſt, & quaſi ſponſus, conſeruare: vt totum Reip. corpus & familia mutua partium cõſenſione vigeat, conſeruetur, vt amicis venerationi ſit, hoſtibus formidini. *Et pacis.*

XC. *Alia adiuncta, ſiue ceremoniæ regiæ initiationis.* Alias quoque ceremonias legimus adhibitas in regum inauguratione, Salomonis præſertim & Ioas, quæ ſtudioſius ſunt obſeruatæ, quod vterque ſuo tempore æmulum haberet imperij, Salomon quidem fratrem Adoniam, [f] qui ſe tũ propria autoritate intrudebat in regnum; Ioas vero alteram quaſi Proſerpinam, ſceleſtiſſimam Athatiam, [g] nepotum ſuorum carnificem cruentiſſimam, quæ ſeptimum iam annum regno Iudæ incubabat. In hac autem prima Saülis vnctione, quæ clanculum facta eſt, obſeruari non potuerunt; nam ambo in auito aut paterno ſolio, in quo rex ius dicebat populo, collocati ſunt, capiti diadema impoſitum eſt, liber legis Moſis datus in manus, cuius obſeruationem Rex ſpondebat. Tum fauſtis acclamationibus populus eum proſequebatur, iteratiſque vocibus, & feſtiuis tubarum clangoribus ei vitam fœlicem ac diuturnam precabatur. Accedebant varia ſacrificia, in gratiarum actionem, quæ in populares epulas, ac conuiuia redundabant: quæ hîc ſatis eſt attigiſſe, vbi prima regis

[a] q.3. in c. 10.
[b] l.1. de Salom. c.8.
[c] Ad Hebr. 7.7.
[d] q.20. in 1 Reg.
[e] l.1. de Salom. c.8.
[f] 3. Reg. 1.
[g] 4 Reg 11

habetur inſtitutio; quæ ſuis locis, Deo bene propitio, diligentius explicabuntur: etſi iam hoc totum argumentum latè & eruditè tractauit Pineda noſter, lib. 2. de rebus Salomonis.

XCI. *Verba Samuelis cõſecrantis Saulem.*

SVPERSVNT autem nobis hoc loco verba quibus Samuel vſus eſt inaugurando Saule, ſunt autem hæc. *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principẽ; Et liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt.* cuius orationis poſteriorem partem, hypercritici quidam ex textu ſacro expunxerunt, ſicut nonnulla ſequentia. in quibus Arias Montanus, qui ea tam ex græco regiorũ bibliorum, quam ex editione vulgata eorundem ſuſtulit, aut ſublata non reſtituit, Lyranus & Dionyſius tanquam gloſſemata, è margine in textum irrepſiſſe putant. Caietanus dicit eſſe ſuperflua; nimirum quia in hebræo nunc non inueniuntur. At illa inuenerunt Septuag. vt ex Aldina, Baſileenſi & Romana editione conſtat, & agnouit ante mille annos Gregorius, & ante mille & quingentos Ioſephus, ait enim *Caput iuuenis oleo perfundit, ſimulque Regem ſalutat, Deum illi honorem hunc ratum facere dicens pro tutela Hebræorum quorum iniurias bello Palæſtinis illato, vlciſci debeat.* Addere potuit Ammonitas & Moabitas qui ad orientem erant vt Philiſthæi ad occaſum; Amalecitæ & Idumæi ad meridiem; ſed & alios per circuitum hoſtes debellaſſe, ex cap 14. extremo perſpicuum eſt.[a] a v. 47. & 48

XCII. *Dantur ſigna Sauli.*

CÆTERVM cum Saul pro ſuo tum candore, ac ſimplicitate ad tam inopinatã dignitatem attonitus, admirabundus hæreret vt Theodor.[b] quoq; animaduertitur Samuel ei ſigna dedit, pro illius conditione gentis ac conſuetudine temporum; erant enim plerique tardi corde ad credẽdum. Ea ergo ſigna cum ſibi diuinitus prænunciata ex ipſis euentis certo cognoſceret, de collata quoque ſibi diuinitus Principis dignitate minime dubitaret. Ex euentis enim diſcernendum verum prophetam à falſo iam pridem Dominus in lege docuerat.[c] Excuſſa autẽ dubitatione futurum erat vt ſe maturè publicæ vtilitati procurandæ vt Regem decebat addiceret; certus Dominum ſecum eſſe. non erant autem futura vſui alijs iſta ſigna, quibus res ipſa quæ confirmabatur erat ignota. Noli porro audire Abulenſem[d] hoc loco, vbi Gedeonem & Abrahamum, in petendis ſignis à Deo arguit infidelitatis. Cum enim dixiſſet Iſraelitas, etiam alioqui viros bonos, Deo credere non ſolitos in rebus magnis, niſi daret eis ſigna, exemplum affert Gedeonis & Abrahami; quos ab hac calumnia vindicauimus, Gedeonem an. m. 2768. n 27. & ſchol. 6. Abrahamum vero ann. m. 2119. nu. 13. & 14. Signa porro tria fuerunt.

b q. 21.
c Deuter. 18. 21. 22. v 7.
d q. 4 in c. 10.

XCIII. *Primum ſignum.*

PRIMVM eſt. *Cum abieris*, inquit Samuel, *hodie à me* id eſt nunc, erat enim in procinctu; poteſt autem referri per traiectionem non malam, ad verbum ſequens, vt dicatur hodie inuenturus *duos viros iuxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin in meridie*, 9. Rectè in meridie, qua parte ſcilicet attingebat tribum Iuda, quæ eſt ad meridiem tribui Beniamin. Gabaa vero, quæ erat Saulis patria, ſita erat in oppoſitis finibus Beniamin, à parte ſcilicet Septentrionali. Itaque hoc ſepulchrum non erat in itinere, quo ex vrbe Samuelis ibatur in Gabaa vrbem Saulis, ſed remotum admodum; proptereaque Hebræi quibus aſſentitur Vatablus, nec repugnat Lyranus, Chartuſ. Serarius. poſt ea verba. *inuenies duos viros* ſubintelligi volunt, *qui nunc ſunt iuxta ſepulchrum Rachel.* Sicque Samuel gemino miraculo tũ præſentia tempore, loco autem multum diſtantia videt; tum futura etiam proſpicit, ſubdit enim, *dicentque tibi: inuentæ ſunt aſinæ ad quas ieras perquirendas, & intermiſſis pater tuus aſinis ſolicitus eſt pro vobis*, priori ſcilicet curæ grauior altera, maiorque ſucceſſit. *& dicit, quid faciam de filio meo?* ſiue quid factum fuerit filio meo? nunquid ei contigerit quippiam mali?

9 ✠. vide Tab Adricho. R. ſalom.

XCIV. *Alterum ſignum.*

ALTERVM ſignum eſt. *Cumque abieris inde, & veneris ad quercum Thabor*, Comeſtor ait eſſe nomen viri, nec diſſentit Dionyſ. mons enim Thabor, qui erat in finibus tribus Iſſachar & Zabulon, longe ab hac via diſiunctus erat, ſeptentrionem verſus, in medio Galilææ campo, vt videre eſt apud Hieronymum in locis Hebraicis, & tabulas topographicas Adrichomii. Quidam pro quercu quercetum habent, alii planiciem, quia Hebræa vox *Elon* vtrumque ſignificat. illud rectius, ſed rectiſſima vna quercus exponitur, & ab Hieronymo, & à Septuag. Et magis pertinet ad certitudinem Prophetiæ, etiam vnicam arborem præmonſtrari.

Pergit autem Samuel, *Inuenient te ibi tres viri deſcendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini, cúmque te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.* D. Hieronymus eúmque de more ſecutus Rupertus, ait hos viros orationis cauſa iter ſuſcepiſſe in Bethel, [a] vbi Iacob lapidem erexerat.

a Gen. 28. v. 18.

Intelligendum eſt autem hos tres viros non potuiſſe occurrere Saüli in aſcenſu Bethelis, nam Bethel erat vltra Gabaa verſus orientem, ſed explicandum eſt cum Septuaginta, inuenient te, id eſt, inuenies eos in itinere proficiſcentes in Bethel, quo modo Chriſtus dicebat, *ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Anteceſſerant videlicet iſti tres viri in itinere ſuo, & aliquanto lentiùs incedebant propter onus, vt facilè fuerit Saüli expedito celerius ambulando eos aſſequi, & antecedere. Illud quoque non oſcitanter prætereundum, etiam in Bethel, loco iampridem religioſo, hoc tempore ſacrificatum eſſe: etſi ibi neque arca eſſet, neque tabernaculum. Illa quippe erat in Cariathiarim, hoc in Nobe, vt ſupra diximus, putat autem Vatablus in Bethel fuiſſe adhuc altare Iacob, Dei iuſſu excitatum, Geneſ. 35. ante annos 657. tot enim numerantur ab anno mundi 2305. quo id erectum eſt, vſque ad præſentem. Ad quid autem iſti duo panes, quos gratis oblatos, vt vult Abulenſis, iubetur accipere? Memento illud ex capite præcedenti, *panis defuit in ſitarciis noſtris.* Cæterum Ioſephus hæc ſigna tranſpoſuit: nam ſecundum ſignum primo loco poſuit, & primum ſecundo, tum de tribus hœdis ſuſtulit duos, nihil veritus rapinam in ſacrificio. Septuaginta pro tribus panibus, habent tria vaſa panum, de quibus duos quaſi primitias Saüli dederint, quod etiam notauit Theodorus. *Ex iis*, inquit, *quæ ad Deum afferuntur, ad eum afferunt primitias*, non ſine myſterio deſtinata Deo munera cum Rege eius vicario communicantur, diuina prouidentia rem in manibus inſciorum adminiſtrante, ſed pergamus ad tertium ſignum.

XCV. *Explicatio.*

an.m.2941. n.7. 2305. 657. | 2962. c.6.v.7. l.6.ant.c.5.

Ioſephus & 70.

q 21.

Primitiæ regum.

POST *hæc*, ait Samuël, *venies in collem Dei.* Quis fuerit hic collis Dei non vna eſt opinio, prima eſt Chaldei paraphraſtæ qui vult ſignificari Cariathiarim, in qua vrbe erat collis, vbi habitabat Abinadab, cuius in domo erat arca Dei, vt habetur initio, capitis ſeptimi, & ſupra expoſitum eſt, (anno mundi. 2941. n. 2. & 3. cui plerique aſſentiuntur, in quibus R. Salomon, Vatablus, Emanuël Sa, Dionyſius, Serarius, quibus fauet quod collis Dei appelletur, vtique propter arcam Dei, & quoniam Prophetæ in hoc colle habitabant, æquum eſt, exiſtimare viros Dei apud arcam Dei habitaſſe.

XCVI. *Tertium ſignum in colle Dei & vbi ſe fuerit. An in Cariathiarim.*

Secunda opinio eſt Lyrani, qui alterum quendam collem intelligit, eo quod arca Dei non eſſet vltra in Cariathiarim, ſed tranſlata eſſet in Maſphat; quæ videtur ſententia Sancti Hieronymi in tradit. [b] cui conſenſerunt Rupertus, [c] Rabanus, Angelomus, qui ferè eius verba tranſcribunt, verum iſta tranſlatio arcæ in Maſphat parum probata eſt, vt ſupra oſtendimus, [d] cui opinioni fauere poteſt, quod non videatur credibile Philiſthæos, qui in hoc colle ſtationem habuiſſe dicuntur, apud arcam Dei, quam non ſine cauſa malè metuebant, habitare voluiſſe.

b in c 7. b l. 1. Reg. c. 19. an m. 2960. n. 2. & 3. & 4. d 2. 4. ætat. 416.

TERTIA opinio eſt Abulenſis in hunc locum, quæ videtur multo probabilior, & probata eſt Terniello; Ille igitur arbitratur collem hoc loco eſſe proprium nomen vrbis Gabaa, in qua habitabat Saül cum familia ſua, quæ dicta eſt Gabaa Benjamin, [e] & Gabaa Saülis. Itaque hoc tertium ſignum ei in ipſo aditu patriæ ſuæ contigiſſe. Idque confirmat multipliciter. Primum quod ea
1 vox, quæ à Septuaginta & Hieronymo & Pagnino, aliſque appellatiuè in
2 collem vertitur; eadem omnino ratione in Hebræo ſcribatur, quæ in iis locis
3 quibus Gabaa Benjamin, & Gabaa Saülis appellatur: quodque videatur conueniens, ſigna illi data in patria ſua terminari; ſed firmior certiorque pro-
4 batio ex Scriptura ipſa ſumitur, [f] quæ locum iſtum à Philiſthæorum ſtatione deſcribit; conſtat autem ex ſequentibus ſtationem Philiſthinorum fuiſſe in Gabaa Benjamin, vbi à Ionatha percuſſa dicitur. Adde quod contigit hoc ſignum in loco, vbi Saül valde cognitus erat, vt illa verba ſignificant *videntes autem omnes qui nouerant eum heri & nudius tertius, &c.* quod loco habita-

XCVII. *Videri in Gabaa vrbe Saülis idq; probatur.*

e 1 Reg. 13. 15. c. 11. 4. | f c 13. v. 13.

tionis ordinariæ in primis conuenit, vt maior eſſet admiratio eorum qui illum cognoſcebāt: qui animaduerſa mutatione diuinitus in eo facta diſponebantur ad credendum, cum electum à Deo ad regnum, ad quod breui aſſumendus erat. Alio autem in loco nulla fuiſſet admiratio: habitus enim fuiſſet vnus aliquis de filiis prophetarum.

XCVIII. *Aliæ probationes.* Svggerit aliam quoque probationem Scriptura, quod Saül eodem in loco, in quo admirationem prophetando concitauerat, inuenit patruum ſuum,

5. virum iam grandem natu, à quo interrogatus eſt de iis, quæ ipſi contigerant; probabilius autem eſt domi in patria ſua ſenem iuuētum eſſe, quam alibi. Ad-

Ga. do etiam Cariathiarim multum abfuiſſe à Gabaa, ſi quid tabulis Adrichomi credimus, vt nullo modo Saüli in patriam reuertenti occurrere poſſet, Rama-

6 tha enim, Cariathiarim & Gabaa triangulum faciunt iſoſceles, cuius angu-

Ca. lus in Cariathiarim, aut rectus ſit, aut recto proximus. Denique Ioſephus [a] vocem hebræam gabaath non eſt interpretatus collem, ſed oppidum quod [a l.6.ant. c.5.]

7. vocauit Gabatha, & alibi [b] Gabath Saülis, vbi interpres λόφον, male vertit [b l.6. de bel. c.2.] vallem, cum debuerit collem, ſiue tumulum. Nec abſurdum eſt hoc oppi-

Ra. dum dici collem Dei, collem quidem, quia locus erat editus, Dei vero, quia ibi non Arca Dei, ſed Prophetæ Dei habitabant. *Collis Dei*, inquit Hieron. in Tradit., *locus erat vbi Prophetæ habitabant;* idem affirmant Rupert. Angelom. Abulenſis.

XCIX. *Statio Philiſtinorum ſignum ſeruitutis Iſraelitarum* In hac vrbe erat ſtatio, ſiue præſidiū Philiſthinorum, manifeſto argumento perſeuerantis adhuc Iſraëlitarum ſeruitutis ſub iugo Philiſthæorum; cuius cauſa pridie dixerat Dominus Samueli, vnctum iri ab ipſo, qui ſaluaret populum Domini de manu Philiſthæorum, qua de re vide quæ ſup. diximus. [c] Ergo [c N. 60. & 61.] in conditionibus pacis nuper inter Hebræos & Philiſthæos initæ, ita vrbes reſtitutæ ſunt Hebræis, vt præſidium militare in Gabaa retineretur, ad tributum ſuis temporibus exigendum, qua de cauſa videtur hoc præſidium alibi [d] [d 2. Reg. 8.1] frenum tributi appellatum, ſiue ad continendam in pace regionem, & comprimendos ſubitos Iſraëlitarum motus, ſi qui forte exiſterent; ſiue ad inuigilandum ne qui fabri ferrarij quippiam operis in gratiam Hebræorum molirentur, aut omnino tota regione ſubſiſterent. Sic poſterioribus temporibus milites Antiochi Epiphanis præſidium habuerunt in Arce Ieroſolymorum. [e] Sicut [e 1 Mac. c.1 35 & c.3. v. 45.] hoc ipſo tempore Iebuſæi, quos denique Dauid ſuſtulit, vt ſuo loco dicetur, ex arce Sion. [f] Sed reddamus reliqua verba Samuelis, quæ ad tertium ſignum [f 2. Reg. 5. 6.7.] pertinent.

C. *Varia excelſa, & qui in eis propheta. Siue Cantores.* Et *cùm ingreſſus fueris ibi vrbem* Gabaath, *obuium habebis gregem prophetarum, deſcendentium de excelſo*, loco ſcilicet orationis & ſacrificiorum in eadem vrbe: qualia multa tum reperiebantur, in Bethel, in Cariathiarim, in Ramatha, in Gabaa Benjamin, &c. *Et ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam: ipſoſque prophetantes.* Non erant iſti prophetæ quales vulgo celebramus, qui diuino illuſtrati lumine aut occulta reuelabant, aut futura prædicebant, vt Moſes, Samuel, Elias, Iſaias. Sed viri ſapientes, & in lege Domini, diuiniſque myſteriis exercitati, qui diuinas laudes celebrabant, vt Dauid in pleriſque Pſalmis, & tres pueri in fornace; nec celebrabant tantum recitando, ſed canebant etiam, & ad muſicos vocis modos adhibebant inſtrumenta muſica, vnde & poſtea cantores dicti ſunt: quorum cum ingens eſſet copia, eos Dauid in 24. claſſes diſtribuit, vt habetur in primo Paralipomenon, capite vigeſimo quinto. Eorumque principes erant Aſaph, & Heman, & Idithun. Hi ergo cum in templo, aliove religioſo loco, præſertim ſacrificij tempore, canerent, dicebantur prophetare. Nam eodem in loco filij prædictorum dicuntur prophetare in citharis, & pſalteriis, & cymbalis, [g] & mox diſtributi ad cantandum in templo Domini in cymbalis, & [g 1. Par. 25. v.1. & 6.]

CI. *Erant religioſi conuentus à Samuele inſtituti.* pſalteriis, & citharis. Huc pertinet illud Dauidis, *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus, quare triſtis eſt anima mea, & quare conturbas me.* Quibus inſtrumentis nihil opus fuit futura prædicentibus.

Scribvnt aliqui, in quibus Comeſtor, & Lyranus huiuſmodi religioſorum hominum conuentus Dei laudibus decantandis deſtinatos, à Samuele fuiſſe

inſtitutos. Et res magnam habet probabilitatem, nec apparet oculos in hæc tempora circunferenti, cui potius inuentum id tribui poſſit, quam illi, qui à teneris templo innutritus, & ſpiritu Dei plenus, non exiguam vitæ ſuæ partem in Dei laudibus ponebat: Et cum plurimum ſanctitatis opinione, & prophetiæ laude clareret Leuita genere, voto Nazaræus, priuilegio Sacerdos, dignitate Iudex, Deo conſecratus antequam natus, minime dubium eſt eum multos habuiſſe eiuſdem vitæ approbatores ac ſectatores, qui in eius ſe diſciplinam darent, quoſque ipſe poſtea in varia loca diſtribueret, qui populis Dei venerationem & amorem, cum religioſa cantus delectatione, inſtillarent. Hæc ergo hiſce temporiporibus inchoata, magna Dauide, & Salomone rerum potientibus, incrementa ceperunt, vt ſuis dicetur locis.

CII. *In quibus aliqui veri propheta. An & Saul.*

PORRO in his cantoribus nonnullos extitiſſe prophetas, qui futura prædicerent, occulta reuelarent, quibus primaria prophetæ ſignificatio conueniret, facile intelligi poteſt. Idque Lyranus, Comeſtor, Abulenſis concedunt; idemque videtur voluiſſe Ioſephus, [a] qui de Saule, *Inde progreſſus*, inquit Samuel, *ad oppidum Gabatha in cœtum prophetarum incides, & correptus diuino ſpiritu vna cum illis prophetabis, vt quotquot hæc viderint attoniti miraculo dicant, vnde hæc felicitas Ciſi filio?* Quid miraculi eſt dicat aliquis vnũ, pluresve videre diuinas laudes cũ muſicis inſtrumentis celebrantes? Certe S. Auguſt. [b] ſpiritum propheticũ Sauli conceſſum putat. Non tamen ſtabilem, vt in Prophetis, ſed tranſeuntem. *Tantum*, inquit, *diſtat inter prophetiam prophetarum, ſicut Eſaias, ſicut Hieremias, & cæteri huiuſmodi fuerunt, atque iſtam tranſitoriam, quæ in Saul apparuit, quantum diſtat inter loquelam humanam quam loquuntur homines, & cum eadem loquela humana, propter neceſſarium prodigium aſina locuta eſt, in qua ſedebat Balaam propheta. Accepit enim hoc ad tempus illud iumentum, vt Deus quod ſtatuerat demonſtraret, non vt habitu perpetuo inter homines beſtia loqueretur. Aut ſi hoc exemplum maiore differentia remotum eſt, multo minus mirandum eſt homini reprobo datam fuiſſe ad momentum temporis affectu tranſitorio prophetiam, quando illi dederat, & qui aſinam cum voluit loqui fecit.* Hæc inter alia S. Auguſtin. quæ ex parte repetit Eucher. huic ſententiæ Hebræi valde conſentiunt, qui apud S. Hieron. in tradit. aiunt Saulem ibi propheraſſe de futuro ſeculo, de Gog & Magog, de præmiis iuſtorũ, & pœnis impiorum, quæ poſt eum Rupertus, Angelomus, Comeſtor, Lyranus, Dionyſius, Serarius retulerunt. Verum de Saulis prophetia iterum commodius aliquanto poſt. Pergit autem Samuel.

[a] l. 6. ant. c. 5
[b] l. 2. ad Simpl. q. 1. tom. 4.

CIII. *Aut potius inter celebrantes Dei laudes.*

ET *inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* [c] *Tanquam ex abdito diuinitatis ſecreto repentinus ſignificatur afflatus.* ait Auguſtinus. Prænunciat Samuel futurum vt Saul repente imbuatur diuinitus quodam ſpiritu intelligentiæ, quo poſſit cum cęteris, qui huic ſtudio pridem incubuerant, ſcienter & perite in Pſalmos & cantica prorumpere, quamuis hactenus eiuſmodi ſcientiæ fuiſſet plane imperitus, atque inſolens. Nec poſſit modo, ſed eodem ſpiritu fortiter & efficaciter impellente voluntatem, incipiat conſonam cęteris muſicam eructare, & quæ intus Deus inſpirabat, pronunciare. Nam & Balaam volens populo Hebræo maledicere, benedictiones inuitus, Deo id agente, pronunciabat, vt non mirum Saulem nihil repugnantem voluntate, ferri ad enunncianda quæ Deus inſpirabat, hæc ex mente Abulenſis, [d] cui Serarius, Vatabl. Lyranus, aliique interpretes communiter conſentiunt. In eáque rei nouitate ſatis idonea eſt admirationis ſequentis materia, nec minor quam in prædictione futurorum. Mutari autem in virum alium, ait Abulenſis eſſe de inſciente, & imperito talium rerum, fieri ſcientem: & doctorem antequam fuiſſet diſcipulus. ſed alia etiam anteceſſit in Saule mutatio, de qua mox dicetur.

[c] l. 2. ad Simplici q. 1.
[d] q. 67. & 8. in c. 10.

CIV. *Spiritu trãſeunte, non permanẽte.*

QVAMVIS autem non annumeremus Saulem in Prophetis illis, qui diuinum lumen accipiebant ad agnoſcenda, reuelandaque illa, quæ ſunt humanæ intelligentiæ imperuia, & inacceſſa, eodem tamen modo dubitari poteſt, an eum quem illi tribuimus ſpiritum, permanentem habuerit, an tranſeuntem. Et conſtat quidem eos qui humana induſtria ſapientiam illam acquiſiuerant, qua egregios conceptus de diuinis rebus concipiebant, & efferebant in vulgus, huiuſmodi prophetiam habuiſſe permanentem, ſicut alium quempiam habitum ſcientiæ, quem ſtudioſi acquirunt, quo deinde liberè, & conſtan-

Et quare.

ter vtuntur. Quibus autem ille modus prophetiæ diuinitus infuſus eſt, ſi per modum habitus fuerit infuſus, eum conſtantem habent, & perſeuerantem; ſin autem per modum actus, tranſeuntem, vt toties iterari oporteat, quoties prophetant. Videtur autem infuſus Sauli per modum actus. Sic enim putat [a] S. Auguſtinus, licet de alio genere prophetiæ loquatur, non enim magis hanc illi tribueret permanentem. Deinde quia noluit eum Deus conſtituere prophetam, [b] ſed dare illi prophetiam in ſignũ mutationis in eo factæ, ad quod ſufficiebat ſemel prophetare: itaque idem Auguſtinus, [c] *Si autem hoc mouet quod poſtea Saul malo ſpiritu inuadente præfocabatur, qui prius prophetiæ ſpiritum acceperat, neque hoc mirandum eſt. Illud enim factum eſt ex diſpenſatione aliquid ſignificandi, hoc ex merito vindicandi.* quæ apud Eucherium quoque leges. Idem docet Abulenſis. [d] Itaque finito quamprimum actuali illo influxu, deſiit prophetare, donec iterum poſt aliquot annos inſiluit in eum idem ſpiritus, cum adiret Samuelem, [e] ad comprehendendum Dauidem, & prophetauit, ſicut & nuncij quos præmiſerat.

a loc. cit. ad Simp.
b Ibid.
c q. 9. in c. c. 10.
d 1. Reg. 19. 23.
e q. 9. in c. 10. 1. Reg.

CV. *Probatur ex Scriptura.*

INDEX huius actualis influxus, eſt ipſe modus loquendi Scripturæ: non enim eum vſquam prophetam appellat, ſed *prophetabis*, inquit, *cum eis*, &, *videntes quod eſſet cum prophetis, & prophetaret.* &, *num Saul inter prophetas?* Dicit etiam ſpiritum inſiluiſſe in eum, quod ſubitum quendam motum ſignificat, & tranſitum, vt notat Abulenſis, ſi autem manſiſſet, diceretur requieuiſſe ſuper eum. Sicut cap. 11. Num. [f] de Septuaginta viris, qui Moyſi dabantur in ſubſidiũ dicitur, *Cumque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt, nec vltra ceſſauerunt*, licet aliter Græci legant. Et Theodoretus q. 23. in hunc librum. [g] At de Saule mox dicitur eum ceſſaſſe prophetare, & veniſſe in excelſum. Itaque non recte Pagninus vertit hebræam vocem, *requieſcet ſuper te ſpiritus*, quam Septuaginta interpretati ſunt ἐφαλεῖται *inſiliet.* & infra ἥλατο *inſiluit.* quin & ipſemet in Theſauro vertit, *& tranſibit ſuper te.* Arias Montanus vertere maluit, *& proſperabit*, propter illud quod ibi ſequitur, *& mutaberis in virum alterum.*

f cap. 11. 25. Vide a. m. 2545. n. 159.
g c. 10. v. 13.
ותצלח
צלח

CVI. *Concluſio vaticinij de tribus ſignis.*

EXPLICATIS tribus hiſce ſignis, quibus Saul de diuina erga ſe electione, & propinqua in regium ſolium promotione certior reddebatur, concludens Samuel ait. *Quando ergo euenerint ſigna hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt*: quaſi dicat, vide vt Deum loquentem audias, tam priuata inſpiratione ſuggerentem quid facto ſit opus in quoque negotio, quam in lege ſua tibi per ſe, perque ſacerdotes ſuos prophetas, apertè loquentem; humanis enim legibus ſolutus nullum habebis ſuperiorem, cuius ex arbitrio, aut voluntate pendeas, quã expoſitionẽ tangit Emanuel Sa, & Serar. quo etiam retulerim illud *regaliter age* Hieron. in tradit. Aliter exponit Chald. cũ Lyrano fac quæcunque poteris ad decenter & potenter regnandum; ſignificando vt pararet ſe ad comparendum coram populo, non plebeio, aut ruſticano more, ſed regio. quam expoſitionem improbat Abulenſ. quod ei parum illa verba congruant quæ ſequuntur, *quia Dominus tecum eſt*, quæ ad auxilium quoddam pertinent à Deo accipiendum, quod in apparandis armis, aut veſtibus regiis minus expectandum, aut requirendum videtur. Ideoque ſic explicat, ſuſcipe animoſe defenſionem populi, hoſtem quamuis potentem fortiter inuade, neque eum time, quia Dominus exercituum tecum eſt. Quippe qui in lege per Moſen dixerat. [h] *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem quam tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum eſt.*

Regia authoritas.

h Deut. 20. 1.

CVII. *Quorſum mandetur deſcenſus in Galgala.*

QVONIAM verò in aggrediendis negotiis magni momenti, ac periculi plenis, non ſemper habiturus erat Samuelem ad manum, vt per eum conſuleret Deum; monet vt tunc temporis proficiſcatur in Galgala, nuncio interim ad Samuelem miſſo, ſpondetque Samuel fore vt intra ſeptiduum, illuc ſe ſiſtat, ad Deo ſacrificia, illius nomine offerenda, & Dei exquirendam, addiſcendamque voluntatem. quod cum obſeruatum non eſſet à Saule, cum Philiſthæi à Ionatha irritati imminerẽt ipſi, peccauit contra præceptum, ei hoc loco diuinitus datum, & reprobatus eſt. Prius tamen in expeditione contra Ammonitas, nihil fuit neceſſe Saulem, aut Samuelem deſcendere in Galgala, Dei conſulendi cauſa,

a 1.Reg.11.7 quia vterque tum ſimul erant, vnde dicitur, [a] *Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saul & Samuel, ſic fiet bobus eius.* Quod ſi poſtmodũ vbi irritati ſunt Philiſthæi contigiſſet Samuelem eſſe cum Saule, non fuiſſet neceſſe illos deſcendere in Galgala. Sic fere Abulenſis cum Andrea quodam interprete, quem improbauit Lyranus.

CIIX. *Altera expoſitio.*

Lyra. autẽ ipſe hoc pręceptum Samuelis non vult generatim, & indefinite ſumere, ſed applicat ad ſacrificia in Galgalis celebrãda, pro ipſius electione in regẽ quo modo intellexit hunc locum Ioſeph. [b] *Venies autem Galgala me accerſente, vt pro his Deo pacificas hoſtias immolemus.* Serar. vtrãmq; opinionem iungendam putat, ego priorem prætulerim: neque enim video cui vſui ſint 7. illi, qui hoc loco memorantur dies, qui ea fortaſſe de cauſa à Ioſepho omiſſi fuerunt. neque enim intra ſeptem dies ſacrificatum eſt in Galgalis, in gratiarum actionem pro electione Saul; prout narratur cap. ſequenti extremo. [c] Nam poſt publicam regis electionem, menſis ferme interceſſit, antequam Naas rex Ammonitarum Hebræos bello peteret; cum tamen bellum hoc fœliciter peractum fuerit, ante quam hoſtiæ ille pacificæ in Galgalis offerrentur:

b l.6.c.5.

c ca.11.v.15.

CIX. *Saul regreditur ad ſuos,*

Hactenvs Samuel Saulem electum à Deo, & conſecratũ in regem priuatim inſtituit, & de futuris præmonuit, eumque ſignis confirmauit, quę omnia mox contigerunt, etſi tertium tantum diſtinctius explicetur. Sequitur enim [d] *Itaque cum auertiſſet humerum ſuum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa.* Potuerunt vtique tria ſigna vno eodemque die contingere: nam Adrihomius non amplius disiungit Ramatha à Gabaa Benjamin, quam 10. circiter horarum itinere, & contigiſſe vult Abulenſ. Illud autem in primis conſiderandum, quod præter illam immutationem Saulis, quæ prius enunciata, poſterius euenit, in occurſu illorum prophetarum, de quibus diximus; alia in digreſſu Samuelis contigit, qua dicitur ei Deus cor aliud immutaſſe; quod Theodoretus ita explicat, Deum mutaſſe illi cor nouum, vt cum dudũ ruſticano eſſet ingenio ac moribus, ſolumque terram colere didiciſſet, deinceps rex conſtitutus ſpiritum regium acciperet. Non male Abulenſ. & Pineda [e] hãc mutationem ad fortitudinem referunt, quod vnctio ſymbolum ſit fortitudinis, & virtutis militaris, fortitudo autem effectus ſancti Spiritus; quare quos vnctio vngebat, ſpiritus roborabat, ergo Sauli recens inuncto immutatum eſt cor aliud. D. Gregorius prophetare Saulis, & mutari in virum alterum; de illuſtratione intellectus, & affectu charitatis, duobus magnis Spiritus ſancti donis, interpretatur. Nazianzenus autem Gregorius dubitandum negat, quin Saul per inhabitantem Spiritum ſanctum fuerit in ſpiritualem virum commutatus, vt ait Serar. Verum hæc non ad priorem quam Ioſephus breuitatis cauſa omiſit, ſed ad poſteriorem mutationem pertinent.

d 1.Reg 10. 9.

Duplex Saulis immutatio.

e l.5. de Salom.c.4.§.8 n.11.

CX. *Et ſignorũ experiẽtia. cum populi admirationes*

Adeptvs ergo Saul per ſacram Prophetæ inunctionem ſpiritum regium, ſpiritum fortitudinis, ſpiritum magnitudinis animi, & latitudinem cordis, quo omnes ſubditos recipere, & confouere poſſet; progreſſus didicit repertas aſinas, & paternam de ſe ſollicitudinem; inuenit, qui ad orandum pergerent, & ſe primitiis panum honorarent; Denique venerunt in Gabaa patriam ſuam, in qua erat collis Dei, & habitatio prophetarum laudantium Deum. qui interno motu incitati, deſcenderunt cum pompa de excelſo, & Sauli vrbem ſubeunti cantantes occurrerunt: ſtatimque *inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. Videntes autem omnes* ciues eius, *qui nouerant eum heri, & nudiuſtertius, quod eſſet cum Prophetis, & prophetaret,* admirati ſunt videlicet. Cum enim eum iampridem noſſent, & ante biduum vidiſſent aut triduum prophetiæ prorſus expertẽ, mirabantur mutationem inopinatam; & eius cauſam inter ſe ſtudioſius inquirebant dicẽtes, *Quænam res accidit filio Cis?* vt ſcilicet prophetet; qui propheta nõ eſt, neque filius Prophetæ, cuius diligentia in hoc prophetiæ genere ſit inſtitutus? quomodo ergo *Saul inter Prophetas?* & non potius inter agricolas, aut bellatores?

f 1.Reg. 10. 12.

CXI. Pater, ſit doctor prophetarum

Dvbitationem autẽ habent illa verba quæ ſequuntur, [f] *Reſponditque alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum.* Etſi enim in Hebræo textu ita legatur, & apud Chaldæum paraphraſtem, Omnes tamen græci libri habent, καὶ τίς πατὴρ αὐτοῦ, &

quis pater eius? Aldina etiam editio, & Baſileenſis addunt, *οὐ Κίς; nonne Cis?* idque videtur probandum cum de ſolo Saule agatur. Probabilior tamen eſt Hebræa phraſis, quam retinuit in editione vulgata Hieronymus, in hanc ſententiã. Cum plerique omnes rei huius nouitatem mirarentur, quod qui non eſſet prophetæ filius, & paterna cura educatus in hoc ſtudio prophetandi, tamen prophetaret, extitit è turba aliquis qui aliis reſpondens diceret, *Et quis pater eorum?* quis doctor & magiſter eſt prophetarum? nonne Deus qui ſpiritum, prophetiam, & ſcientiam largitur quibus placet? S. Hieronymus, & Chaldæus hoc loco patrem doctorem interpretantur, vt cum Eliſeus Eliam inclamabat, [a] *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* Gregorius autem eleganter, *Quid mirum eſt ſi mirabiliter doceant, cum non ipſi ſint qui loquuntur, ſed ſpiritus patris eorum, qui loquitur in eis?* a 4. Reg. 2. 12.

CXII. *Ceſſat Saul prophetare, & adit excelſum oraturus.*

PROVERBIO itaque celebratum eſt, *Num Saul inter prophetas*, ſi cui aliquando bonum aliquod præter expectationem, aut dignitatem contigiſſet. Cum autem aliquantiſper cum cæteris prophetaſſet Saul ad portam vrbis, & in oculis totius ciuitatis, ceſſauit influxus ille diuinus, vt qui actualis eſſet & tranſiens, & conſequenter ceſſauit Saul prophetare. *Non habuit*, inquit Theodoretus qu. 23. *perpetuum donum prophetiæ: ad declarandum autem & oſtendendum ſpirituale donum prophetauit illo tempore.* ſic ipſe. Eo ergo ceſſante, venit ad excelſum, vnde paulo ante prophetæ deſcenderant, venit ad collem Dei orationis locum, qui diuinis ſubinde laudibus reſonabat, nempe vt illic Deo gratias, de collatis ſibi beneficiis ageret, ſimul etiam gratiam Reipublicæ bene ſuſcipiendæ, atque adminiſtrandæ ab eo poſtularet. Id enim loci conditio, ad quem aſcendiſſe dicitur, & præſens Saulis virtus, cui cor nouum contigerat, & ſtatus Reipubl. minime tum liberæ, vel pacificæ facile perſuadent.

CXIII. *Venit domũ, agit cũ patruo,*

EO pietatis munere perfunctus, venit Saul domum, ſuiſque, vt vult Ioſeph. Samuelis nomine ſalutatis, & ſuper hoc prodigo admirantibus, *Dixit patruus Saul ad eum, & ad puerum eius, quò abiſtis?* Erat is Ner frater Cis, proptereaque patruus Saulis, qui à Septuag. in bibliis Regiis πατράδελφος, à cæteris vocatur οἰκεῖος, domeſticus; forte quod eadem cum fratre domo vteretur: qui non rectè vocatur à Ioſepho Abenner, ſiue Abner; nam Abner erat patruelis Saulis, vt infra dicitur, [b] id eſt filius patrui, non autem patruus: nec à patruele facta eſt interrogatio, ſed à patruo fratre fortaſſis abſente: nec petit cur huc venerit; quippe qui eſſet, non in Cariathiarim, vt aliqui ſuſpicati ſunt, ſed in patria, ac paterna domo. Quærit autem quo abierint, vt ex loco diſcere poſſet, quid factum fuiſſet vt prophetaret; Illi autem, id quod erat, reſponderunt, iſſe ſe ad quærendas aſinas, *quas cum non reperiſſemus*, inquiunt, *venimus ad Samuelem*, prophetam ſcilicet, qui oculta cognoſceret, ac patefaceret. b 1. Reg. c. 14. v. 50.

CXIV. *Nec ſecretũ regni prodit*

NOMINATO Samuele, propheta ac viro Dei, meritò exiſtimauit Ner ſe ad ipſum quaſi fontem perueniſſe aduentitiæ huius prophetiæ, inquirit ergo ac ſcrutatur. *Indica mihi*, inquit, *quid dixerit tibi Samuel*; totum ordinem rei geſtæ ſcire deſiderat, diſcit autem tantum, quid de aſinis Samuel reſpondiſſet. Vltro ſcilicet declaraſſe inuentas eſſe; addiderit etiam fortaſſe ſe à Propheta exceptos conuiuio, plurimumque honoratos; quin etiam prædixiſſe illũ quos in itinere inuenturi eſſent, & fore vt in vrbis ingreſſu prophetaret; hæc enim omnia publica erãt, & poterant tacente Saule, à famulo patefieri: *De ſermone autẽ regni, quem locutus ei fuerat Samuel, non indicauit ei.* Nimirum neque ſibi prædictum ſe regem fore, neque inunctum in regem, neque ſigna ſibi in eius rei confirmationem data, & nominatim prophetiam, quæ ipſos in admirationem traxerat. Rem ſecretam noluit ipſe patefacere, integrum negotium Samueli relicturus. Sed quæ fuit huius cauſa ſilentij? Audi Ioſephum. [c] c l. 6. ant. c. 5.

CXV. *Et quibus de cauſis.*

PERCONTANTE *cognato ſuo Abennaro*, (imo Nero patruo vt diximus) *quem præ cæteris diligebat quomodo ſucceſſiſſet peregrinatio, nihil illum celauit, ne hoc quidem quod apud prophetã fuiſſet, & ex eo cognouiſſet inuentas eſſe aſinas, de regno tantũ tacuit, ne ea res vel credita inuidiã, vel nõ credita vanitatis opinionẽ ei contraheret. Quamuis enim amicus eſſet, & cognatus, tutius tamen ac conſultius arbitratus eſt ſilentiũ, reputans credo humanæ naturæ infirmitatẽ, quod nemo conſtans in amore, ſed etiam ſi manifeſto diuino ſuffragio fælicitas con-*

tingat, tamen alios ſibi præferri iniquè & inuidè ferunt. ſic ipſe nimirum vnuſquiſque mauult ſibi bene eſſe quam alteri. Ergo timor ab inuidia, Sauli ſilentium imperauit, idque probat Abulenſ.[a] Alii volunt eum ex humilitate tacuiſſe, quod ſe parum idoneum ad tantum munus arbitraretur; quo pertinet illud,[b] *cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es.* Lyranus aliam cauſam affert, fidelitatem ſecreti, obedire nimirum Samueli voluit, quem ſciebat nolle adhuc rem patefieri, ideoque remotis ipſum arbitris vnctionem peregiſſe, & de ipſa re aut obſcure, aut ſecreto eſſe locutũ. Integrum ergo illi negotiũ voluit reſeruare: quaſi iam illud ab Angelo didiciſſet,[c] *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt.* 5.

a q. 15. in fi.
b c. 15. v. 17
c Tob 11. 7

CXVI. *Comitia regni in proximum annum indicuntur.*

Vervm quia, eodem ipſo Angelo teſte, *opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt,* poſt aliquam dilationem, ſi forte ſtudia populi regem ambientis refrigeſcerent, ſtatuit Samuel populum conuocare; vtique Deo annuente, ſine quo nihil illum maioris momenti ſuſcepiſſe certum eſt, & generalia omnium tribuum comitia in Maſphath indicere, ad eligendum publice regem, aut agnoſcendam potius electionem diuinam. Ea prius indici per omnes tribus debuerunt, & idoneum aſſignari tempus, vt quam minimo omnes incommodo conuenire poſſent. Hanc comitiorum indictionem, in proximum veris initium, hoc quoque anno factam putamus, quando etiam ex præſcripto legis ad paſchalem ſolennitatem conueniendum erat; ſimulque vitabãtur profectiones hyemales, quæ pleriſque impediuntur incommodis. verum rationem temporis proximo anno exactius exquiremus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2962. SAVLIS 1.

1. De anno Dauidis vt initio anni huius ſignificaui controuerſia eſt nobis cum iis qui annos 40. Samuelis & Saulis duas in partes æquales diuidunt, in quibus Abulenſis, & Torniellus, qui volunt ſtatim & immediate à vigeſimo anno Arcæ in Cariathiarim, petitum factumque regem. Verum contra pugnat ſeries narrationis Scripturæ quæ multa facta memorat interea. Interiecta eſt enim in primis gubernatio filiorum Samuelis, quam probari prius oportuit, quã reprobari. Ioſephus quoque multa prælia contra Philiſthæos interiicit, vt omnino bienniũ neceſſarium videatur, quod Saulis annis auferatur.

2. N. XXV. In illis verbis *ſicut dereliquerunt me,* particula ſimilitudinis non eſt in Hebræo, quia illi æquiualens *iuxta,* anteceſſit. Itaque quidam quaſi parentheſin legunt illud, *& dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis.* in hanc ſententiã; Secundum omnia opera quæ fecerunt, ab eo die quo eduxi eos ex Ægypto (cum dereliquerunt me, & coluerunt Deos alienos) ſic faciũt etiam tibi. Vide hic Vatabl.

Ibidem 3. In Hebræo vis eſt in verbis, *vocem eorum audi, veruntamen cum conteſtando conteſtatus fueris in eos.* Quaſi dicat, cum Deum hominesque teſtes aſſumpſeris, fore vt eos aliquando pœniteat inconſultæ temeritatis. Eadem fere ſententia Moſes Deut. 31. 28. *Congregato ad me omnes maiores natu &c. & inuocabo contra eos cælum & terram.* Sciebat quidem Deus populum perſtiturum in ſententia, voluit tamen humano more adhiberi diligentiam ad diſſuadendum id quod futurum erat aliquando noxium; ne poſſent ignorantiam excuſare, & cum inſipientibus dicere *non putabam.*

Vis aliqua eſt in verbis Græcis, quæ hic deſcribo, quod parum fideliter conuerſa fuerint, ſic ergo habent, Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης, εἰς μὲν τούτων οὐδὲν ἀπεῖδεν, ὡς δ' ἄν τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, θεοκρατίαν ἀπέφηνε τὸ πολίτευμα, θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν, καὶ τὸ κράτος ἀναθείς. &c. *Aliqui enim vnius imperio, alij paucorũ potentiæ, alij multitudini rerum publicarum adminiſtrationem tradiderunt. Legiſlator autem noſter, nihil horum animo complexus, theocratiam, ſi licentius hoc verbo vti fas eſt, Reipublicæ adminiſtrationem appellauit, Deo vnis imperio, ac poteſtate potius attributa.* 4. N. xxix.

In muliebribus miniſteriis ponit, quæ vnguentis conficiendis præfectæ ſint, non ad curanda vulnera, ſed ad curandam cutem, ad molliciem, atque delicias 70. μυρεψούς vocant, quaſi dicas *vnguenti coctrices,* ἕψειν enim coquere eſt: alii vertunt pigmentarias, fucorum videlicet effectrices, ad depingendas facies mulierum parum honeſtarum. 5. N. xxxvi.

Focarias 70. vocant μαγειρίσσας, id eſt coquas, ſiue coquinarias, alii cupedinarias. Abulenſis ex dialecto hiſpanica focarias vocat concubinas, quo modo vulgo de concubinis dicitur, *entretenir à pot & à feu.* Tam Leui autem occaſione excurrit in materiam de concubinis & vxoribus a q. 24. ad 235. Quæſtione porro 6. ait Ioſephum dicere populum Hebræorum petiuiſſe à Samuele, vt faceret regẽ aliquem de filiis ſuis, ratum eum minus grauiter laturum, quod principatus non auferretur de domo eius. Verum inciderit Abulenſis in deprauatam aliquam verſionem; id enim Ioſeph. nõ dixit. alioqui non impune tuliſſet. Panificas, ſiue piſtrices, 70. πεσσούσας vocant, à

πέσσω Æolica dialecto, Attici vero dicunt πέπτω quod ſpecialiter de concoctione panis dici lexicographi notarunt.

6.N.XLV. Hebræi aliqui hanc bonitatem, pulchritudinem interpretantur; in quibus Ioſephus qui eum vocat τὴν μορφὴν ἄριστον: quia eadem vox bonum & pulchrum ſignificat, & bonitas pro pulchritudine non raro à Scriptura ſumitur, vt notauit S. Auguſt. lib. 15. de ciuit. c. 23. *filii Dei*, inquit, *acceperunt uxores filias hominum, cùm eas amarent bonas, id eſt pulchras. Conſuetudo quippe Scripturæ huius eſt etiam ſpecioſos corpore bonos vocare*. ſic ipſe:

7.Ibidem Idque pluribus Scripturæ locis facile eſt cõfirmare, maxime cum de gigantibus agit, quos vocat *potentes à ſeculo viros famoſos*, Gen. 6. 4. vide ibid. c. 10. 8. 9. vbi de Nemroth. Et Nu. 13. 33. 34. Deuter. c. 2. v. 10. 11. 20. 21. de filiis Enacim. Deut. 3. v. 11. de rege Og. Ioſue c. 14. 12. & c. 15. 14. de Cariatharbe.

8.N.LIII. Parentheſis quæ verſu nono poſita eſt, locomota videtur aliquibus, & natiuam habere ſedem poſt verſum vndecimum. Eodem tamẽ loco inuenitur in Hebræis, Græcis, Latiniſq; codicibus. Hinc autem non malum argumẽtum ſumi poteſt contra eam ſententiam, quæ Samuelem huius libri authorem facit. cum enim dicit olim dictum videntem, qui hodie Propheta dicatur, vtique phraſim obliteratã ſignificat, quæ tamen à Saule vſurpatur: Cum autem olim vſurpetur, non de iis quæ noſtra, ſed auorum potius & proauorum memoria contigerunt, quomodo eam vocem Samuel vſurpat cribens de re quæ ſe iam ſene, & pauculis annis ante contigerat? certe vox *olim* nõ niſi de rebus antiquis vſurpatur, ſicut nec Hebræum *lepanim*. Itaque non abſurde Beda, & Dionyſius, putant hanc parentheſim ab Eſdra Propheta, ſcripturas diuinitus renouante inſertam; quamuis id improbet Abulenſis. q. 9. in c. 9; quod ſi non placet, dicamus ſcriptorem huius libri fuiſſe non modico tempore Samuele poſteriorem. לפנים

9 N.LV. In his Aſa, 3. Reg. 15. 14. & filius eius Ioſaphat. 3. Reg. 22. 44. & Ioas, etiam viuo Ioiada ſacerdote. 4. Reg. 12. 3. & filius eius Amaſias. 4. Reg. 14. 4. Idem de Azaria, ſiue Ozia filio eius Scriptura teſtatur, 4. Reg. 15. 4. At de Ezechia laudatiſſimo principe ipſum excelſa diſſipaſſe ſemel, iterumque profitetur.

10.N XCIII Vbi in vulgata legimus, *Inuenies duos viros in finibus Beniamin in meridie*, in Hebræo habetur in Seſach, quaſi id ſit proprium loci nomen, quod Pagninus & Tigurina retinuit. pro quo Græci quidam codices habent ἐν σηλῷ ἐν Βακαλάθ. ſed addunt Græci omnes libri μεγάλα ἁλλομένους. *magnopere ſaltantes*. Quidam non putantes μεγάλα habere vim aduerbii, quaſi adiectiuo nomini, addiderunt ſubſtantiuum, *foueam*, legeruntque *magnas foueas ſalientes*, quod in vulgatam editionem irrepſerat; ſic enim legit, non ſolum Lyranus & Abulenſis, ſed etiam S. Gregorius, quæ etiam verba myſtice de more ſæpius deinceps interpretatur. Abulenſis in Hebræo legit Becilza, & interpretatur *in ſaltando*, verum legitur Beſelſach in regiis Bibliis, ad hoc vocabulum accedit, צלח quod *proſperare, & tranſire* ſignificat; quod S. Hieronym. in hoc ipſo capite vertit *inſilire* v. 6. & 10. Eo itaque Septuag. reſpexerint. בצלצח

ANNVS MVNDI 2963. DILVVII 1307. 5ª. ÆTATIS 24. EXITVS ET DATÆ LEGIS 420. ARCÆ IN CARIATH. 23. SAMVELIS IVDICIS 24. SAVLIS REGIS 2. ACHIÆ PONT. 2. DAVIDIS 14. EXCIDII TROIANI 93. DERCYLLI 13, IMPERII ASSYRIORVM 1032.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1090.

I. *Res anni huius, & ratio temporis.* SECVNDVS hic Saulis annus celebris eſt tum populi totius comitiis in Maſphat ad creandum regem, tum bello Ammonitico, tum denique aliis comitiis in Galgala: res tota reliquo capite decimo, vndecimo, & duodecimo, 1. Regum continetur.

ET vt à comitiis ducamus initium, ea in decimum fere menſis Niſan indici, celebrarique potuerunt; quibus cito expeditis ſucceſſit paſchalis ſolennitas, quæ cum dies aliquot tenuiſſet,[a] *Dimiſit Samuel omnem populum, ſingulos in domum ſuam. Sed & Saul abiit in domum ſuam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus.* Inde fere poſt menſem [b] ſuſcitatum eſt a rege Ammonitarum bellum, decimo octauo circiter ſecundi menſis die, tenuitque dies ſeptem, aut ad ſummum octo. Clade autem Ammonitis illata, ventum eſt in Galgala,[c] ibique conuenit omnis populus ad confirmandum Sauli regnum: quæ res facile ad feſtum hebdomadarũ, ſiue Pentecoſtes protracta eſt, quando primitiæ frugum triticeæ meſſis offerebantur Domino, vt ex 34.[d] Exodi conſtat. Quod feſtum illis verbis à

a 1. Reg. c. 10 v. 25. & 26.
b c. 11. v. 1.
c v. 15.
d v. 22.

Samuele ſignificatur. *Nunquid non meſſis tritici eſt hodie?* [a] oblatis enim primitiis incipiebat meſſis, quæ vtique vnius diei non eſt, itaque merito illud *hodie* feſtum primitiarum ſiue Pentecoſtes interpretabimur. ſic enim in libro Numerorum [b] appellatur, nec Ioſephum moror, [c] qui hoc tempus modiam æſtatem fuiſſe ſignificat, quod medii potius veris fuit.

a 1. Reg c. 12. v. 17.
b Num. c. 28. 26.
c l. 6. c 6.

Comitia porro ipſa, ſi qua fuerunt hactenus ab ipſo Ioſue, vel Moſe habita, celeberrima fuiſſe, nemo iure dubitauerit: Agebatur enim res longe maxima, quæque maxime totius Reipub. intererat: de capite ſcilicet, ac principe ipſius cum ſumma poteſtate conſtituendo. Ipſa etiam rei nouitas, & priſtinæ gubernationis commutanda forma magnam excitabat expectationem; Non enim iſtiuſmodi mutationes ſine magnis motibus, & totius politici corporis, perturbatione contingunt, ſicut noua & inſolens vitæ ratio corporis humani ſtatum non mediocriter labefactat. Studia etiã vniuerſi populi, regem iamdudum flagitantis, & ab aliquot menſibus expectatione ſuſpenſi, quam in tribum, familiam, aut perſonam ea dignitas caderet, comitia hæc frequentiora, celebrioráque faciebant. Conuenerunt igitur omnes à Dan vſque Berſabee, & qui citra Iordanem, & qui vltra morabantur: Et conuenerunt in Maſpha ciuitatem, in confinio Beniamin & Iuda poſitam, vt ante diximus: nec ita longe à Cariathiarim, vt ait Hieronymus, cui conſentiens Adrichomius trium horarum iter interiicit. II. *Horum comitiorum celebritas.*

Qvoniam vero legimus Samuelem conuocaſſe populum ad Dominũ in Maſpha. [d] & mox *ſtate coram Domino per tribus veſtras*; & iterũ, *conſulerunt poſt hæc Dominum vtrúmnam venturus eſſet illuc*; *Reſponditque Dominus, ecce abſconditus eſt domi*. denique legimus Samuelem deſcriptum librum poſuiſſe coram Domino, pleriq; in eam ſententiam adducti ſunt, vt Arcam Domini, inuitante vicinia, è Cariathiarim in Maſpha hoc tempore tranſlatã putarent, quibus præiſſe videtur S. Hier. in traditionibus hebraicis: [e] qua dare iam in ſimili dubitatione diſſeruimus in vigeſimo primo anno Samuelis. [f] Et quamuis concedi poſſet ſine vllo incommodo Arcam ad tempus delatam in Maſpha, vt comitia in cõſpectu Domini maiori cum pace agitarentur; [g] & ijs peractis in ſuum referretur locum, ſicut poſtea in Gabaa contigiſſe legimus: [h] Scripturæ tamen verba, quæ retulimus, neque vlla alia id fateri compellunt. Alioqui enim etiam in Galgala delatam fateri oportebit. Nam ca. 11. extremo dicitur *fecerunt ſibi regem Saul, coram Domino in Galgala*, & paulo ante dictum eſt tres viros aſcendiſſe ad Deum in Bethel. [i] & Saulẽ in collem Dei in Gabaa, in quibus locis certo conſtat non fuiſſe arcam, neque ſanctuarium, vt propterea ibi homines dicerentur eſſe coram Domino, ſed omnis locus in quo aliquis ſpecialis cultus Domino exhibetur, vel ad quem aliqui religionis cauſa adibant, dicebatur eſſe coram Domino, vt ait Abulenſis q. 17. in fine. III. *Et locus, an coram Arca Domini.*

d c. 10. v. 17. 19. 22. 25.
e in c. 7.
f a. m. 2660 n. 4.
g c. 12. v. 18.
h c. 11. v. 15.
i 10. v. 3.

Qværat autem aliquis, quid opus comitijs & ſortitione fuerit, cum iam electus à Deo fuiſſet in regem, & eiuſdem iuſſu inunctus à Samuele? Verum in promptu eſt reſponſio; Opus enim erat declarari coram omnibus, & ſuſcipi regem Saulem: ideóque omnes in vnum cogi oportebat. Et quoniam aliæ tribus nobiliores erant, ac populoſiores Beniamitica; & aliæ in ea ipſa tribu familiæ, quæ familiæ Saulis dignitate pręſtarent, vt ipſemet ingenuè apud Samuelem profeſſus eſt: Nunquam Samuel aut Saul huic tantæ inuidiæ ferendæ pares eſſe potuiſſent, niſi Deus ipſe, qui ſortes erat pro diuina ſua prouidentia temperaturus, ſortitione minime ſuſpecta, quem ipſe elegiſſet in regem, & à populo recipi vellet coram omnibus declaraſſet. Ita ſentit Theodoretus. [k] *Ne diuinis quidem*, inquit, *credebant prophetis, qui improbam agebant vitam. Ne ergo conÿcerent homines eſſe humanæ gratiæ electionem, iuſſit mitti ſortes*: ſed quæ his priora ſunt ipſius Scripturæ ordine videamus. IV. *Cur inſtituta comitia.* *Declarando regi, & vitandæ inuidiæ.*

k q. 25. in 1. Reg.

Congregato vniuerſo populo, Samuel, qui, ignota tum Saulis dignitate, omnium Iudex erat & caput, hanc ſummi omnium principis nomine ad filios Iſrael orationem habuit. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ego eduxi Iſrael de Aegypto, & erui vos de manu Aegyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos. Vos autem hodie proieciſtis Deum veſtrum, qui ſolus ſaluauit vos de vniuerſis malis & tribulationibus veſtris. Et dixiſtis, nequaquam*. ſcilicet acquieſcemus verbis tuis, *ſed regem conſtitue ſuper*, V. *Samuelis in comitijs oratio.*

nos. Exprobrat primùm populo ingratitudinem, prout iam edoctus fuerat à Domino, cum ad eum retulit ſeniorum poſtulationem; [a] ingratitudinem, inquam, populi, qui ſapientiſſimũ moderatorẽ, & de ſe grauiſſimis in periculis optime ſẽper meritum, quaſi malæ fidei, ac malæ adminiſtrationis conuictum abdicent, & alio in locũ eius atque immediatam gubernationẽ ſuffecto, quantũ in ipſis eſt repudient. Deinde iubet populũ per tribus & familias ad ſortitionẽ diuidi; de qua priuſquam ago libet elegantem huius loci paraphraſim ex Ioſepho referre.

VI. *Ex Ioſepho*

Hæc *iuſſit me Dominus,* inquit, *ſuo nomine ad vos perferre. Ego vos in libertatem vindicaui, primùm Aegyptiorum ſeruos, deinde à vicinis regibus toties victos, ac ſubiugatos: pro quibus beneficijs hanc mihi gratiam repoņitis, quod abrogato mihi, quantum in vobis eſt imperio, quaſi neſciatis vtiliſſimũ eſſe homini à Deo regi, vnũ è veſtro numero digniorẽ exiſtimatis qui vobis præſit; qui ſubditis tanquã pecudibus, pro ſua libidine vtẽs quidlibet in quemuis licere ſibi volet. Non enim fieri poteſt vt homo erga hominem ſic affectus ſit, quemadmodũ ego erga eum quem ipſe condidi.* Rectiſſime quidam; nimirum puriſſimus eſt Dei amor in homines, & ab omni priuati emolumenti affectu purgatiſſimus, cum nos amorem ſemper in nos ipſos inflectamus. Deinde ſummus, quoniam in ipſo ſumma ſunt omnia: tum nullo primum amore prouocatus, ſed multis iniuriis indigniſſimè laceſſitus. Accedit quod non ſolum beneuolentiſſimus ſed beneficientiſſimus eſt: denique quantum quidem in ipſo eſt, perpetuus eſt, & æternus; quæ ab humano amore longiſſime abſunt. Concludit autem Ioſephus. *Eia quando plus apud vos poteſt impetus animi temerarius, quam vel religio vel beneficiorum memoria, digeratur multitudo per tribus & familias, & fiat ſortitio.* Hactenus Ioſephus.

Diuini amoris præ humano præſtantia.

VII. *Sortitio in declarando rege.*

Religioſus, inquit Caietanus, *vſus ſortium ſignificatur, per ſtare coram ſummo Deo, vt non ex caſu, ſed ex diuina prouidentia expectarent effectum ſortis, eleuatis in Deum manibus, & deuote commendando cauſam Deo.* Addit & ignotum nobis eſſe huius ſortitionis modum. Sed conſulamus magiſtrum, ſic enim merito appellare poſſumus ac debemus, diligentiſſimum illum, ac pene omniſcium Epiſcopum Abul. quo nos plurimũ, in hiſce noſtris annalibus, vti ingenuè profitemur, & quidem eadem ſeruata libertate, quã olim M. Tull. ſua dederat Academia. Alphonſ. ergo Toſtat. [b] primum ait populum vniuerſum in ſuas tribus ita diſtributũ vt ſuus ſingulis attributus eſſet locus, ſuus itẽ ſingulis familiis ac domib⁹, ne quiſquam in aliena domo, familia, vel tribu poſitus ſortẽ in errorẽ induceret; Deinde cũ voce & ſcripto reperiri poſſet is, qui quęrebatur futurus populi princeps, ſcriptionem adhibitam, ſic vt quod tribus ius habebant vt eligi poſſent, tot ſchedulę propriis earum nominibus inſcriberentur, ac complicarentur. & quidem omnino ſimiles atque æquales. tum autem in ſinum vel vrnam coniicerentur.

Abul. laus. — b q. 19. in c. 10.

VIII. *Sortes in ſinum, aut vrnam cõiectæ.*

Sinvm Scriptura memorat; Nam Salomon *ſortes,* inquit, *mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* [c] Apparet, ait Ianſen. morem fuiſſe vt ſortes in ſinum alicuius colligerentur, vnde ſua cuique educeretur. Communiſſimus modus fuit, vt in vrnam coniicerentur nomina ſcripta in ſchedulis, & ab aliquo fido, & innocente publice educerentur, ne qua fraus interueniret; quem modum in profanis ſcriptoribus paſſim legimus. Hinc illa. [d]

c Prou. 16. 33.

d Hor. l. 2. Od. 3.

——— *omnium*
Verſatus vrna, ſerius ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

e l. 3. Od. 1.

De eadem quaſi ſortito moriendi neceſſitate [e]

——— *æqua lege neceſſitas* (:)
Sortitur inſignes, & imos
Omne capax mouet vrna nomen.

f lic. 6.

Et Virgilius, [f]

Quæſitor Minos vrnam mouet; ille ſilentum
Conſiliumque vocat. vitaſque, & crimina diſcit.

IX. *Educta per tribus.*

Coniectis ergo totidem in vrnam ſchedulis, quot tribus erant Iſraeliticæ, vrnaque verſata. Samuel, vel aliquis vir ſanctus eduxit omnium primam tribum Beniamin; quo facto reliquæ omnes tribus, cum omnibus ſuis domibus, ac familiis, ſpe ſua deciderunt. In tribu vero Beniamini vlterius ad familias procedendum fuit, & à ſingulis familiis ſiue cognationibus (eæ ſeptem in hac tribu 26. Numerorum recenſentur) ſingulæ ſchedulæ eodem modo ſcribendæ, & in ſinũ,

familias. — verſ. 38.

vrnamue coniiciendæ. Verum quot omnino familiæ hoc tempore in hac tribu fuerint ſciri non poteſt, quoniam tempore Othonielis in bello, quod inter ipſã cæteraſque tribus exarſit, omnes pene deletæ ſunt? Quin ne vllus quidem in filiis Beniamin reperitur, qui dictus ſit Metri, ſiue Matri, vt eſt in Hebræo, aut in 70 Mattari. propterea que dubium eſt ſitne id proprium, an commune vocabulum; de quo Lyranum conſule, & Abulenſem. A familiis ventum eſt ad domos, & à domibus ad viros. Etſi enim nulla eſt in hoc textu mentio diuiſionis familiæ in domos, & domus in viros, vtramque tamen habet, ſuppletque Theodoretus. [a] *Cum ſors*, inquit, *cecidiſſet in tribum Beniamiticam & rurſum eſſet diuiſa in partes, & domos, & viros, ſors cecidit ſuper Saulem*; in Græco eſt, καὶ πάλιν εἰς πατριάς, καὶ οἴκους, καὶ ἄνδρας διαιρεθείσης, τῷ Σαοὺλ ψῆφος ἀπεκληρώθη, & rurſus in familias, & domos, & viros diuiſa eſſet, Sauli ſortito calculus obtigit, relicto videlicet patre, fratribus, & filiis Saulis.

מטרי *ματταρί.* — Domos. — Viros. — a q. 24.

X. *Saul an iuuenis, vt à Ioſepho vocatur.*

POSTREMO, ait Ioſephus, [b] *cum viritim ſortitio fieret, ſors Saulem regem prodidit; Iuuenis vero qui hæc præſciebat, abdiderat ſe, ne putaretur libenter ad regnum accedere.* Iuuenem crebro vocat Saulem, cuius quarto loco genitus filius Iſboſeth, qui patri in regno ſucceſſit quadragenarius, nunc quartum & vigeſimum agebat annũ, Ionathas autem primogenitus circiter trigeſimum, ſi viginti inſuper, vt par eſt, ſuperaddantur patri, quinquagenarius fuit, ſeni quam iuueni propior: Scriptura certe nuſquam iuuenem vocat, aut iuuenem fuiſſe ſignificat. Et decuit à Deo extare exemplum quod mortales in eligendis principibus ſequerentur. Etſi enim mox Dauidem valde iuuenem elegit, ſciebat tamen non niſi ætate matura illum ad regni adminiſtrationem peruenturum. Pergit autem Ioſephus de eius demiſſione ac moderatione animi ita diſſerere. *Tanta fuit præditus modeſtia, ſimul & tẽperantia, vt cum plerique vel modica fœlicitate potiti, vix ſui præ lætitia ſint compotes, & omnibus ſe ob oculos ingerant; hic tot populorum Rex declaratus ac Dominus*, ſingulas tribus populos vocat, *non modo non oſtentaret ſe, verum etiam è ſubditorum conſpectu ſubduceret, vt non abſque negotio poteſt inueniri.*

b l. 6. ant. c. 5 *ηνίοχοι.* — *Eiuſdem modeſtia.* — ἔθνη.

XI. *Quî abeſſet Saul.*

MIRVM tamen videatur quomodo viritim itum ſit in ſuffragia, in vna domo, nec animaduerſa ſit abſentia, non puerculi alicuius, ſed viri qui quatuor iam eſſet liberorum parens. Dicendum vtique cum Abulenſi [c] non ſuum quemquem ſcripſiſſe, ac dediſſe nomen; ſed ab vno quopiam, qui ſingulos probe noſſet, atq; nominatim fuiſſe deſcripta nomina ſingulorum, ipſomet Cis fortaſſe, qui non animaduerteret adeſſetne filius, nec ne. *Cumque nuſquam comparente Saule*, ait Ioſeph. *omnes eſſent ſolliciti, hæſitantes quidnam fieri oporteret, Propheta precibus Deum appellat, vt latebras indicet, deſideratumq; iuuenem exhibere dignetur. Quod vbi impetratum eſt, mittit qui eum adducant: & poſtquam venit, in medio populi iuuenem ſtatuit vniuerſis conſpicuum, vt qui humerorum tenus ſupra omnes excelleret, & ipſa ſtatura maieſtatem regiam præ ſe ferret*; Sic ipſe nec ſane dubium, quin ſpecie oris ipſius ac dignitate, gratus omnibus fuerit atque amabilis; accedente præſertim virtutum amabiliſſimarum comitatu. Nam *Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus*. Sed redeamus ad Prophetam.

c q. 22. in c. 10. — Ibid.

XII. *Conſulitur à Samuele Dominus.*

QVÆSIERVNT *ergo eum*, ait Samuel, *& non eſt inuentus*, in familia ſcilicet, aut tribu ſua, aut omnino in toto cœtu Iſraelitarum, *& conſuluerunt poſt hæc Dominum, vtrumnam venturus eſſet illuc* ſpõte ſua videlicet, an vero quærendus eſſet, & vbi. non conſuluerunt omnes, aut etiã plures Dominũ, ſed vnus omnium nomine ac volũtate. Is fuit vel ACHIAS Pontifex, quẽ ineptũ ſit exiſtimare à talibus, tantiſq; comitiis abfuiſſe, vel Samuel Propheta. Et ille quidem potuit indutus ſacris veſtibus conſulere Dominum, præſertim ſi Arca præſens fuit; ſed quia id erat operoſius, & Samuel diuina familiaritate fruebatur, credibilius eſt eum, à maioribus natu rogatum, conſuluiſſe Dominum precibus. Itaque viſum Ioſepho, quem modò retuli, & Abulenſi. [d] imo & Septuag. interpretibus, qui Samuelem diſertè nominant. Serarius ait per vrim & Thumin à Samuele inuentum; fortaſſe à Pontifice dictum voluit, iis enim nihil Samueli opus erat, ſed Pontifici. Verum de Samuele, poſt Septuaginta virorum teſtimonium, minime dubitandum eſt.

d q. 23. in c. 10.

XIII. *Qui ei Saulis latebras patefacit.*

RESPONDIT Dominus abſconditũ eſſe domi, id eſt inter ſupellectilem domeſticam, quã Hebræi & Sept. vocant vaſa, neq; meminerunt domus; Creditur autẽ à Lyrano hæc domus fuiſſe, in qua familia Cis hoſpitium habebat: domus enim illius propria erat in Gabaa, vt in fine capitis huius dicitur, ibi autem

tionis ordinariæ in primis conuenit, vt maior eſſet admiratio eorum qui illum cognoſcebãt: qui animaduerſa mutatione diuinitus in eo facta diſponebantur ad credendum, cum electum à Deo ad regnum, ad quod breui aſſumendus erat. Alio autem in loco nulla fuiſſet admiratio: habitus enim fuiſſet vnus aliquis de filiis prophetarum.

XCVIII. *Aliæ probationes.*

Svggerit aliam quoque probationem Scriptura, quod Saül eodem in loco, in quo admirationem prophetando concitauerat, inuenit patruum ſuum, virum iam grandem natu, à quo interrogatus eſt de iis, quæ ipſi contigerant;
5. probabilius autem eſt domi in patria ſua ſenem iuuetum eſſe, quam alibi. Ad-
Ga. do etiam Cariathiarim multum abfuiſſe à Gabaa, ſi quid tabulis Adrichomi credimus, vt nullo modo Sauli in patriam reuertenti occurrere poſſet, Rama-
6 tha enim, Cariathiarim & Gabaa triangulum faciunt iſoſceles, cuius angu-
Ca. lus in Cariathiarim, aut rectus ſit, aut recto proximus. Denique Ioſephus [a] vocem hebræam gabaath non eſt interpretatus collem, ſed oppidum quod a l. 6. ant. c. 5.
7. vocauit Gabatha, & alibi [b] Gabath Saülis, vbi interpres [Greek], male vertit b l. 6. de bel. c. 2.
vallem, cum debuerit collem, ſiue tumulum. Nec abſurdum eſt hoc oppi-
Ra. dum dici collem Dei, collem quidem, quia locus erat editus, Dei vero, quia ibi non Arca Dei, ſed Prophetæ Dei habitabant. *Collis Dei*, inquit Hieron. in Tradit., *locus erat vbi Prophetæ habitabant;* idem affirmant Rupert. Angelom. Abulenſis.

XCIX. *Statio Philiſtinorum ſignum ſeruitutis Iſraelitarum.*

In hac vrbe erat ſtatio, ſiue præſidiũ Philiſthinorum, manifeſto argumento perſeuerantis adhuc Iſraëlitarum ſeruitutis ſub iugo Philiſthæorum; cuius cauſa pridie dixerat Dominus Samueli, vnctum iri ab ipſo, qui ſaluaret polum Domini de manu Philiſthæorum, qua de re vide quæ ſup. diximus. [c] Ergo c N. 60. & 61.
in conditionibus pacis nuper inter Hebræos & Philiſthæos initæ, ita vrbes reſtitutæ ſunt Hebræis, vt præſidium militare in Gabaa retineretur, ad tributum ſuis temporibus exigendum, qua de cauſa videtur hoc præſidium alibi [d] d 2. Reg. 8. 1
frenum tributi appellatum, ſiue ad continendam in pace regionem, & comprimendos ſubitos Iſraëlitarum motus, ſi qui forte exiſterent; ſiue ad inuigilandum ne qui fabri ferrarij quippiam operis in gratiam Hebræorum molirentur, aut omnino tota regione ſubſiſterent. Sic poſterioribus temporibus milites Antiochi Epiphanis præſidium habuerunt in Arce Ieroſolymorum. [e] Sicut e 1 Mac. c. 1 35 & c. 3. v. 45.
hoc ipſo tempore Iebuſæi, quos denique Dauid ſuſtulit, vt ſuo loco dicetur, ex arce Sion. [f] Sed reddamus reliqua verba Samuelis, quæ ad tertium ſignum pertinent. f 2. Reg. 5. 6. 7.

C. *Varia excelſa, & qui in eis prophetæ. Siue Cantores.*

Et cùm ingreſſus fueris ibi vrbem Gabaath, *obuium habebis gregem prophetarum, deſcendentium de excelſo*, loco ſcilicet orationis & ſacrificiorum in eadem vrbe: qualia multa tum reperiebantur, in Bethel, in Cariathiarim, in Ramatha, in Gabaa Benjamin, &c. *Et ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam: ipſoſque prophetantes.* Non erant iſti prophetæ quales vulgo celebramus, qui diuino illuſtrati lumine aut occulta reuelabant, aut futura prædicebant, vt Moſes, Samuel, Elias, Iſaias. Sed viri ſapientes, & in lege Domini, diuiniſque myſteriis exercitati, qui diuinas laudes celebrabant, vt Dauid in pleriſque Pſalmis, & tres pueri in fornace; nec celebrabant tantum recitando, ſed canebant etiam, & ad muſicos vocis modos adhibebant inſtrumenta muſica, vnde & poſtea cantores dicti ſunt: quorum cum ingens eſſet copia, eos Dauid in 24. claſſes diſtribuit, vt habetur in primo Paralipomenon, capite vigeſimo quinto. Eorumque principes erant Aſaph, & Heman, & Idithun. Hi ergo cum in templo, aliove religioſo loco, præſertim ſacrificij tempore, canerent, dicebantur prophetare. Nam eodem in loco filij prædictorum dicuntur prophetare in citharis, & pſalteriis, & cymbalis, [g] & mox diſtributi ad cantandum in templo Domini in cymbalis, & pſalteriis, & citharis. Huc pertinet illud Dauidis, *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus, quare triſtis eſt anima mea, & quare conturbas me.* Quibus inſtrumentis nihil opus fuit futura prædicentibus. g 1. Par. 25. v. 1. & 6.

CI. *Erant religioſi conuentus à Samuele inſtituti.*

Scribvnt aliqui, in quibus Comeſtor, & Lyranus huiuſmodi religioſorum hominum conuentus Dei laudibus decantandis deſtinatos, à Samuele fuiſſe

inſtitutos. Et res magnam habet probabilitatem, nec apparet oculos in hæc tempora circunferenti, cui potius inuentum id tribui poſſit, quam illi, qui à teneris templo innutritus, & ſpiritu Dei plenus, non exiguam vitæ ſuæ partem in Dei laudibus ponebat: Et cum plurimum ſanctitatis opinione, & prophetiæ laude clareret Leuita genere, voto Nazaræus, priuilegio Sacerdos, dignitate Iudex, Deo conſecratus antequam natus, minime dubium eſt eum multos habuiſſe eiuſdem vitæ approbatores ac ſectatores, qui in eius ſe diſciplinam darent, quoſque ipſe poſtea in varia loca diſtribueret, qui populis Dei venerationem & amorem, cum religioſa cantus delectatione, inſtillarent. Hæc ergo hiſce temporibus inchoata, magna Dauide, & Salomone rerum potientibus, incrementa ceperunt, vt ſuis dicetur locis.

CII. *In quibus aliqui veri propheta.*

Porro in his cantoribus nonnullos extitiſſe prophetas, qui futura prædicerent, occulta reuelarent, quibus primaria prophetæ ſignificatio conueniret, facile intelligi poteſt. Idque Lyranus, Comeſtor, Abulenſis concedunt; idemque videtur voluiſſe Ioſephus, [a] qui de Saule, *Inde progreſſus*, inquit Samuel, *ad oppidum Gabatha in cœtum prophetarum incides, & correptus diuino ſpiritu vna cum illis prophetabis, vt quotquot hæc viderint attoniti miraculo dicant, vnde hæc felicitas Ciſi filio?* Quid miraculi eſt dicat aliquis vnũ, pluresve videre diuinas laudes cũ muſicis inſtrumentis celebrantes? Certe S. Auguſt. [b] ſpiritum propheticũ Sauli conceſſum putat. Non tamen ſtabilem, vt in Prophetis, ſed tranſeuntem. *Tantum*, inquit, *diſtat inter prophetiam prophetarum, ſicut Eſaias, ſicut Hieremias, & cæteri huiuſmodi fuerunt, atque iſtam tranſitoriam, quæ in Saul apparuit, quantum diſtat inter loquelam humanam quam loquuntur homines, & cum eadem loquela humana, propter neceſſarium prodigium aſina locuta eſt, in qua ſedebat Balaam propheta. Accepit enim hoc ad tempus illud iumentum, vt Deus quod ſtatuerat demonſtraret, non vt habitu perpetuo inter homines beſtia loqueretur. Aut ſi hoc exemplum maiore differentia remotum eſt, multo minus mirandum eſt homini reprobo datam fuiſſe ad momentum temporis affectu tranſitorio prophetiam, quando illi dederat, & qui aſinam cum voluit loqui fecit.* Hæc inter alia S. Auguſtin. quæ ex parte repetit Eucher. huic ſententiæ Hebræi valde conſentiunt, qui apud S. Hieron. in tradit. aiunt Saulem ibi prophetaſſe de futuro ſeculo, de Gog & Magog, de præmiis iuſtorũ, & pœnis impiorum, quæ poſt eum Rupertus, Angelominus, Comeſtor, Lyranus, Dionyſius, Serarius retulerunt. Verum de Saulis prophetia iterum commodius aliquanto poſt. Pergit autem Samuel.

An & Saul.

[a] l. 6. ant. c. 5

[b] l. 2. ad Simpl. q. 1. tom. 4.

CIII. *An potius inter celebrantes Dei laudes.*

Et *inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* [c] *Tanquam ex abdito diuinitatis ſecreto repentinus ſignificatur afflatus.* ait Auguſtinus. Prænunciat Samuel futurum vt Saul repente imbuatur diuinitus quodam ſpiritu intelligentiæ, quo poſſit cum cęteris, qui huic ſtudio pridem incubuerant, ſcienter & perite in Pſalmos & cantica prorumpere, quamuis hactenus eiuſmodi ſcientiæ fuiſſet plane imperitus, atque inſolens. Nec poſſit modo, ſed eodem ſpiritu fortiter & efficaciter impellente voluntatem, incipiat conſonam cęteris muſicam eructare, & quæ intus Deus inſpirabat, pronunciare. Nam & Balaam volens populo Hebræo maledicere, benedictiones inuitus, Deo id agente, pronunciabat, vt non mirum Saulem nihil repugnantem voluntate, ferri ad enunciandа quæ Deus inſpirabat, hæc ex mente Abulenſis, [d] cui Serarius, Vatabl. Lyranus, aliique interpretes communiter conſentiunt. In eáque rei nouitate ſatis idonea eſt admirationis ſequentis materia, nec minor quam in prædictione futurorum. Mutari autem in virum alium, ait Abulenſis eſſe de inſciente, & imperito talium rerum, fieri ſcientem: & doctorem antequam fuiſſet diſcipulus. ſed alia etiam anteceſſit in Saule mutatio, de qua mox dicetur.

[c] l. 2. ad Simplici q. 1.

[d] q. 67. & 8. in c. 10.

CIV. *Spiritu trãſeunte, non permanẽte.*

Qvamvis autem non annumeremus Saulem in Prophetis illis, qui diuinum lumen accipiebant ad agnoſcenda, reuelandaque illa, quæ ſunt humanæ intelligentiæ imperuia, & inacceſſa, eodem tamen modo dubitari poteſt, an eum quem illi tribuimus ſpiritum, permanentem habuerit, an tranſeuntem. Et conſtat quidem eos qui humana induſtria ſapientiam illam acquiſiuerant, qua egregios conceptus de diuinis rebus concipiebant, & efferebant in vulgus, huiuſmodi prophetiam habuiſſe permanentem, ſicut alium quempiam habitum ſcientiæ, quem ſtudioſi acquirunt, quo deinde liberè, & conſtan-

ter vtuntur. Quibus autem ille modus prophetiæ diuinitus infuſus eſt, ſi per modum habitus fuerit infuſus, eum conſtantem habent, & perſeuerantem; ſin autem per modum actus, tranſeuntem, vt toties iterari oporteat, quoties prophetant. Videtur autem infuſus Sauli per modum actus. Sic enim putat [a] S. Auguſtinus, licet de alio genere prophetiæ loquatur, non enim magis hanc illi tribueret permanentem. Deinde quia noluit eum Deus conſtituere prophetam, [b] ſed dare illi prophetiam in ſignū mutationis in eo factæ, ad quod ſufficiebat ſemel prophetare: itaque idem Auguſtinus, [c] *Si autem hoc mouet quod poſtea Saul malo ſpiritu inuadente præfocabatur, qui prius propheticæ ſpiritum acceperat, neque hoc mirandum eſt. Illud enim factum eſt ex diſpenſatione aliquid ſignificandi, hoc ex merito vindicandi.* quæ apud Eucherium quoque leges. Idem docet Abulenſis. [d] Itaque finito quamprimum actuali illo influxu, deſiit prophetare, donec iterum poſt aliquot annos inſiluit in eum idem ſpiritus, cum adiret Samuelem, [e] ad comprehendendum Dauidem, & prophetauit, ſicut & nuncij quos præmiſerat.

Et quare.

a loc cit. ad Simp.
b Ibid.
c q. 9. in c. c. 10.
d 1. Reg. 19. 23.
e q. 9. in c. 10. 1. Reg.

CV. *Probatur ex Scriptura.*

Index huius actualis influxus, eſt ipſe modus loquendi Scripturæ: non enim eum vſquam prophetam appellat, ſed *prophetabis*, inquit, *cum eis*, &, *videntes quod eſſet cum prophetis, & prophetaret.* &, *num Saul inter prophetas?* Dicit etiam ſpiritum inſiluiſſe in eum, quod ſubitum quendam motum ſignificat, & tranſitum, vt notat Abulenſis, ſi autem manſiſſet, diceretur requieuiſſe ſuper eum. Sicut cap. 11. Num. [f] de Septuaginta viris, qui Moyſi dabantur in ſubſidiū dicitur, *Cumque requieuiſſet in eis ſpiritus, prophetauerunt, nec vltra ceſſauerunt*, licet aliter Græci legant. Et Theodoretus q. 23. in hunc librum. [g] At de Saule mox dicitur eum ceſſaſſe prophetare, & veniſſe in excelſum. Itaque non recte Pagninus vertit hebræam vocem, *requieſcet ſuper te ſpiritus*, quam Septuaginta interpretati ſunt ἐφαλεῖται *inſiliet.* & infra ἥλατο *inſiluit.* quin & ipſemet in Theſauro vertit, *& tranſibit ſuper te.* Arias Montanus vertere maluit, *& proſperabit*, propter illud quod ibi ſequitur, *& mutaberis in virum alterum.*

f cap. 11. 25. Vide a. m. 1545. n. 159.
g c. 10. v. 13.
וצלחה
וצלח

CVI. *Concluſio vaticinij de tribus ſignis.*

Explicatis tribus hiſce ſignis, quibus Saul de diuina erga ſe electione, & propinqua in regium ſolium promotione certior reddebatur, concludens Samuel ait. *Quando ergo euenerint ſigna hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt*: quaſi dicat, vide vt Deum loquentem audias, tam priuata inſpiratione ſuggerentem quid facto ſit opus in quoque negotio, quam in lege ſua tibi per ſe, perque ſacerdotes ſuos prophetas, aperte loquentem; humanis enim legibus ſolutus nullum habebis ſuperiorem, cuius ex arbitrio, aut voluntate pendeas, quā expoſitionē tangit Emanuel Sa, & Serar. quo etiam retulerim illud *regaliter age* Hieron. in tradit. Aliter exponit Chald. cū Lyrano fac quæcunque poteris ad decenter & potenter regnandum; ſignificando vt pararet ſe ad comparendum coram populo, non plebeio, aut ruſticano more, ſed regio. quam expoſitionem improbat Abulenſ. quod ei parum illa verba congruant quæ ſequuntur, *quia Dominus tecum eſt*, quæ ad auxilium quoddam pertinent à Deo accipiendum, quod in apparandis armis, aut veſtibus regiis minus expectandum, aut requirendum videtur. Ideoque ſic explicat, ſuſcipe animoſe defenſionem populi, hoſtem quamuis potentem fortiter inuade, neque eum time, quia Dominus exercituum tecum eſt. Quippe qui in lege per Moſen dixerat. [h] *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem quam tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum eſt.*

Regia authoritas.

h Deut. 20. 1.

CVII. *Quorſum mandetur deſcenſus in Galgala.*

Qvoniam verò in aggrediendis negotiis magni momenti, ac periculi plenis, non ſemper habiturus erat Samuelem ad manum, vt per eum conſuleret Deum; monet vt tunc temporis proficiſcatur in Galgala, nuncio interim ad Samuelem miſſo, ſpondetque Samuel fore vt intra ſeptiduum, illuc ſe ſiſtat, ad Deo ſacrificia, illius nomine offerenda, & Dei exquirendam, addiſcendamque voluntatem. quod cum obſeruatum non eſſet à Saule, cum Philiſthæi à Ionatha irritati imminerēt ipſi, peccauit contra præceptum, ei hoc loco diuinitus datum, & reprobatus eſt. Prius tamen in expeditione contra Ammonitas, nihil fuit neceſſe Saulem, aut Samuelem deſcendere in Galgala, Dei conſulendi cauſa,

a 1.Reg.11.7 quia vterque tum ſimul erant, vnde dicitur, [a] *Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saul & Samuel, ſic fiet bobus eius.* Quod ſi poſtmodũ vbi irritati ſunt Philiſthæi contigiſſet Samuelem eſſe cum Saule, non fuiſſet neceſſe illos deſcendere in Galgala. Sic fere Abulenſis cum Andrea quodam interprete, quem improbauit Lyranus.

CIIX. *Altera expoſitio.*

LYRA. autẽ ipſe hoc pręceptum Samuelis non vult generatim, & indefinite ſumere, ſed applicat ad ſacrificia in Galgalis celebrãda, pro ipſius electione in regẽ quo modo intellexit hunc locum Ioſeph. [b] *Venies autem Galgala me accerſente, vt pro his Deo pacificas hoſtias immolemus.* Serar. vtramq; opinionem iungendam putat, ego priorem prætulerim: neque enim video cui vſui ſint 7. illi, qui hoc loco memorantur dies, qui ea fortaſſe de cauſa à Ioſepho omiſſi fuerunt. neque enim intra ſeptem dies ſacrificatum eſt in Galgalis, in gratiarum actionem pro electione Saul; prout narratur cap. ſequenti extremo. [c] Nam poſt publicam regis electionem, menſis ferme interceſſit, antequam Naas rex Ammonitarum Hebræos bello peteret; cum tamen bellum hoc fœliciter peractum fuerit, ante quam hoſtiæ ille pacificæ in Galgalis offerrentur.

b l.6.c.5.

c ca.11.v.15.

CIX. *Saul regreditur ad ſuos,*

HACTENVS Samuel Saulem electum à Deo, & conſecratũ in regem priuatim inſtituit, & de futuris præmonuit, eumque ſignis confirmauit, quę omnia mox contigerunt, etſi tertium tantum diſtinctius explicetur. Sequitur enim [d] *Itaque cum auertiſſet humerum ſuum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia ſigna hæc in die illa.* Potuerunt vtique tria ſigna vno eodemque die contingere: nam Adrihomius non amplius diſiungit Ramatha à Gabaa Benjamin, quam 10. circiter horarum itinere, & contigiſſe vult Abulenſ. Illud autem in primis conſiderandum, quod præter illam immutationem Saulis, quæ prius enunciata, poſterius euenit, in occurſu illorum prophetarum, de quibus diximus; alia in digreſſu Samuelis contigit, qua dicitur ei Deus cor aliud immutaſſe; quod Theodoretus ita explicat, Deum mutaſſe illi cor nouum, vt cum dudũ ruſticano eſſet ingenio ac moribus, ſolumque terram colere didiciſſet, deinceps rex conſtitutus ſpiritum regium acciperet. Non male Abulenſ. & Pineda [e] hãc mutationem ad fortitudinem referunt, quod vnctio ſymbolum ſit fortitudinis, & virtutis militaris, fortitudo autem effectus ſancti Spiritus; quare quos vnctio vngebat, ſpiritus roborabat, ergo Sauli recens inuncto immutatum eſt cor aliud. D. Gregorius prophetare Saulis, & mutari in virum alterum; de illuſtratione intellectus, & affectu charitatis, duobus magnis Spiritus ſancti donis; interpretatur. Nazianzenus autem Gregorius dubitandum negat, quin Saul per inhabitantem Spiritum ſanctum fuerit in ſpiritualem virum commutatus, vt ait Serar. Verum hæc non ad priorem quam Ioſephus breuitatis cauſa omiſit, ſed ad poſteriorem mutationem pertinent.

d 1.Reg.10.9.

Duplex Saulis immutatio.

e l.5. de Salom.c.4.§.8 n.11.

CX. *Et ſignorum experientia cum populi admiratione*

ADEPTVS ergo Saul per ſacram Prophetæ inunctionem ſpiritum regium, ſpiritum fortitudinis, ſpiritum magnitudinis animi, & latitudinem cordis, quo omnes ſubditos recipere, & confouere poſſet; progreſſus didicit repertas aſinas, & paternam de ſe ſollicitudinem; inuenit, qui ad orandum pergerent, & ſe primitiis panum honorarent; Denique venerunt in Gabaa patriam ſuam, in qua erat collis Dei, & habitatio prophetarum laudantium Deum. qui interno motu incitati, deſcenderunt cum pompa de excelſo, & Sauli vrbem ſubeunti cantantes occurrerunt: ſtatimque *inſiluit ſuper eum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. Videntes autem omnes* ciues eius, *qui nouerant eum heri, & nudius tertius, quod eſſet cum Prophetis, & prophetaret,* admirati ſunt videlicet. Cum enim eum iampridem noſſent, & ante biduum vidiſſent aut triduum prophetiæ prorſus expertẽ, mirabantur mutationem inopinatam; & eius cauſam inter ſe ſtudioſius inquirebant dicẽtes, *Quænam res accidit filio Cis?* vt ſcilicet prophetet, qui propheta nõ eſt, neque filius Prophetæ, cuius diligentia in hoc prophetiæ genere ſit inſtitutus? quomodo ergo *Saul inter Prophetas?* & non potius inter agricolas, aut bellatores?

CXI *Pater, doctor prophetarum*

f 1.Reg.10.12. DVBITATIONEM autẽ habent illa verba quæ ſequuntur, [f] *Reſponditque alius ad alterum dicens: Et quis pater eorum.* Etſi enim in Hebræo textu ita legatur, & apud Chaldæum paraphraſtem, Omnes tamen græci libri habent, καὶ τίς πατὴρ αὐτοῦ, &

quis pater eius? Aldina etiam editio, & Baſileenſis addunt, μὴ Κὶς; *nonne Cis?* idque videtur probandum cum de ſolo Saule agatur. Probabilior tamen eſt Hebræa phraſis, quam retinuit in editione vulgata Hieronymus, in hanc ſenrentiã. Cum plerique omnes rei huius nouitatem mirarentur, quod qui non eſſet prophetæ filius, & paterna cura educatus in hoc ſtudio prophetandi, tamen prophetaret, extitit è turba aliquis qui aliis reſpondens diceret, *Et quis pater eorum?* quis doctor & magiſter eſt prophetarum? nonne Deus qui ſpiritum, prophetiam, & ſcientiam largitur quibus placet? S. Hieronymus, & Chaldæus hoc loco patrem doctorem interpretantur, vt cum Eliſeus Eliam inclamabat, [a] *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* Gregorius autem eleganter, *Quid mirum eſt ſi mirabiliter doceant, cum non ipſi ſint qui loquuntur, ſed ſpiritus patris eorum, qui loquitur in eis?* [a 4. reg. 2. 12.]

CXII. *Ceſſat Saul prophetare, & adit excelſum oraturus.* Proverbio itaque celebratum eſt, *Num Saul inter prophetas*, ſi cui aliquando bonum aliquod præter expectationem, aut dignitatem contigiſſet. Cum autem aliquantiſper cum cæteris prophetaſſet Saul ad portam vrbis, & in oculis totius ciuitatis, ceſſauit influxus ille diuinus, vt qui actualis eſſet & tranſiens, & conſequenter ceſſauit Saul prophetare. *Non habuit*, inquit Theodoretus qu. 23. *perpetuum donum prophetiæ: ad declarandum autem & oſtendendum ſpirituale donum prophetauit illo tempore.* ſic ipſe. Eo ergo ceſſante, venit ad excelſum, vnde paulo ante prophetæ deſcenderant, venit ad collem Dei orationis locum, qui diuinis ſubinde laudibus reſonabat, nempe vt illic Deo gratias, de collatis ſibi beneficiis ageret, ſimul etiam gratiam Reipublicæ bene ſuſcipiendæ, atque adminiſtrandæ ab eo poſtularet. Id enim loci conditio, ad quem aſcendiſſe dicitur, & præſens Saulis virtus, cui cor nouum contigerat, & ſtatus Reipubl. minime tum liberæ, vel pacificæ facile perſuadent.

CXIII. *Venit domũ, agit cũ patruo.* Eo pietatis munere perfunctus, venit Saul domum, ſuiſque, vt vult Ioſeph. Samuelis nomine ſalutatis, & ſuper hoc prodigo admirantibus, *Dixit patruus Saul ad eum, & ad puerum eius, quò abiſtis?* Erat is Ner frater Cis, propterea que patruus Saulis, qui à Septuag. in bibliis Regiis πατράδελφος, à cæteris vocatur οἰκεῖος, domeſticus; forte quod eadem cum fratre domo vteretur: qui non rectè vocatur à Ioſepho Abenner, ſiue Abner; nam Abner erat patruelis Saulis, vt infra dicitur, [b] id eſt filius patrui, non autem patruus: nec à patruele facta eſt interrogatio, ſed à patruo fratre fortaſſis abſente: nec petit cur huc venerit; quippe qui eſſet, non in Cariathiarim, vt aliqui ſuſpicati ſunt, ſed in patria, ac paterna domo. Quærit autem quo abierint, vt ex loco diſcere poſſet, quid factum fuiſſet vt prophetaret; Illi autem, id quod erat, reſponderunt, iſſe ſe ad quærendas aſinas, *quas cum non reperiſſemus*, inquiunt, *venimus ad Samuelem*, prophetam ſcilicet, qui oculta cognoſceret, ac patefaceret. [b 1. reg. c. 14. v. 50.]

CXIV. *Nec ſecretũ regni prodit.* Nominato Samuele, propheta ac viro Dei, meritò exiſtimauit Ner ſe ad ipſum quaſi fontem perueniſſe aduentitiæ huius prophetiæ, inquirit ergo ac ſcrutatur. *Indica mihi*, inquit, *quid dixerit tibi Samuel*; totum ordinem rei geſtæ ſcire deſiderat, diſcit autem tantum, quid de aſinis Samuel reſpondiſſet. Vltro ſcilicet declaraſſe inuentas eſſe; addiderit etiam fortaſſe ſe à Propheta exceptos conuiuio, plurimumque honoratos; quin etiam prædixiſſe illũ quos in itinere inuenturi eſſent, & fore vt in vrbis ingreſſu prophetaret; hæc enim omnia publica erãt, & poterant tacente Saule, à famulo patefieri: *De ſermone autẽ regni, quem locutus ei fuerat Samuel, non indicauit ei.* Nimirum neque ſibi prædictum ſe regem fore, neque inunctum in regem, neque ſigna ſibi in eius rei confirmationem data, & nominatim prophetiam, quæ ipſos in admirationem traxerat. Rem ſecretam noluit ipſe patefacere, integrum negotium Samueli relicturus. Sed quæ fuit huius cauſa ſilentij? Audi Ioſephum. [c] [c l. 6. ant. c. 5.]

CXV. *quibus cauſis.* Percontante *cognato ſuo Abennaro,* (imo Nero patruo vt diximus) *quem præ cæteris diligebat quomodo ſucceſſiſſet peregrinatio, nihil illum celauit, ne hoc quidem quod apud prophetã fuiſſet, & ex eo cognouiſſet inuentas eſſe aſinas, de regno tantũ tacuit, ne ea res vel credita inuidiã, vel nõ credita vanitatis opinionẽ ei contraheret. Quamuis enim amicus eſſet, & cognatus, tutius tamen ac conſultius arbitratus eſt ſilentiũ, reputans credo humanæ naturæ infirmitatẽ, quod nemo conſtans in amore, ſed etiam ſi manifeſto diuino ſuffragio fælicitas con-*

tingat, tamen alios ſibi præferri iniquè & inuidè ferunt. ſic ipſe nimirum vnuſquiſque 2.
mauult ſibi bene eſſe quam alteri. Ergo timor ab inuidia, Sauli ſilentium imperauit, idque probat Abulenſ.[a] Alii volunt eum ex humilitate tacuiſſe, quod ſe parum idoneum ad tantum munus arbitraretur; quo pertinet illud,[b] *cum eſſes* 5.
paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es. Lyranus aliam cauſam affert, fidelitatem ſecreti, obedire nimirum Samueli voluit, quem ſciebat nolle adhuc rem patefieri, ideoque remotis ipſum arbitris vnctionem peregiſſe, & de ipſa re aut obſcure, aut ſecreto eſſe locutũ. Integrum ergo illi negotiũ voluit reſeruare: quaſi iam illud ab Angelo didiciſſet,[c] *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt.*

a q. 15. in fi.
b c. 15. v 17
c Tob 12. 7.

CXVI. *Comitia regni in proximum annum indicuntur.*

Vervm quia, eodem ipſo Angelo teſte, *opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt,* poſt aliquam dilationem, ſi forte ſtudia populi regem ambientis refrigeſcerent, ſtatuit Samuel populum conuocare; vtique Deo annuente, ſine quo nihil illum maioris momenti ſuſcepiſſe certum eſt, & generalia omnium tribuum comitia in Maſphath indicere, ad eligendum publice regem, aut agnoſcendam potius electionem diuinam. Ea prius indici per omnes tribus debuerunt, & idoneum aſſignari tempus, vt quam minimo omnes incommodo conuenire poſſent. Hanc comitiorum indictionem, in proximum veris initium, hoc quoque anno factam putamus, quando etiam ex præſcripto legis ad paſchalem ſolennitatem conueniendum erat; ſimulque vitabãtur profectiones hyemales, quæ pleriſque impediuntur incommodis. verum rationem temporis proximo anno exactius exquiremus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2962. SAVLIS 1.

1. De anno Dauidis vt initio anni huius ſignificaui controuerſia eſt nobis cum iis qui annos 40. Samuelis & Saulis duas in partes æquales diuidunt, in quibus Abulenſis, & Torniellus, qui volunt ſtatim & immediate à vigeſimo anno Arcæ in Cariathiarim, petitum factumque regem. Verum contra pugnat ſeries narrationis Scripturæ quæ multa facta memorat interea. Interiecta eſt enim in primis gubernatio filiorum Samuelis, quam probari prius oportuit, quã reprobari. Ioſephus quoque multa prælia contra Philiſthæos interiicit, vt omnino bienniũ neceſſarium videatur, quod Saulis annis auferatur.

2. N. XXV. In illis verbis *ſicut dereliquerunt me*, particula ſimilitudinis non eſt in Hebræo, quia illi æquiualens *iuxta*, anteceſſit. Itaque quidam quaſi parentheſin legunt illud, *& dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis.* in hanc ſententiã; Secundum omnia opera quæ fecerunt, ab eo die quo eduxi eos ex Ægypto (cum dereliquerunt me, & coluerunt Deos alienos) ſic faciũt etiam tibi. Vide hic Vatabl.

Ibidem 3. In Hebræo vis eſt in verbis, *vocem eorum audi, veruntamen cum conteſtando conteſtatus fueris in eos.* Quaſi dicat, cum Deum homineſque teſtes aſſumpſeris, fore vt eos aliquando pœniteat inconſultæ temeritatis. Eadem fere ſententia Moſes Deut. 31. 28. *Congregato ad me omnes maiores natu* &c. *& inuocabo contra eos cælum & terram.* Sciebat quidem Deus populum perſtiturum in ſententia, voluit tamen humano more adhiberi diligentiam ad diſſuadendum id quod futurum erat aliquando noxium; ne poſſent ignorantiam excuſare, & cum inſipientibus dicere *non putabam.*

4. N. XXIX. Vis aliqua eſt in verbis Græcis, quæ hic deſcribo, quod parum fideliter conuerſa fuerint, ſic ergo habent, Οἱ μὲν γὰρ μοναρχίαις, οἱ δὲ ταῖς ὀλίγων δυναστείαις, ἄλλοι δὲ τοῖς πλήθεσιν ἐπέτρεψαν τὴν ἐξουσίαν τῶν πολιτευμάτων. Ὁ δ' ἡμέτερος νομοθέτης, εἰς μὲν τούτων ἴδον ὃν ἀπεῖδεν, ὡς δ' αὖ τις εἴποι βιασάμενος τὸν λόγον, θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, θεῷ μᾶλλον μόνῳ τὴν ἀρχὴν, καὶ τὸ κράτος ἀναθείς. &c. *Aliqui enim vnius imperio, alij paucorũ potentiæ, alij multitudini rerum publicarum adminiſtrationem tradiderunt. Legiſlator autem noſter, nihil horum animo complexus, theocratiam, ſi licentius hoc verbo uti fas eſt, Reipublicæ adminiſtrationem appellauit, Deo vni imperio, ac poteſtate potius attributa.*

5. N. XXXVI. In muliebribus miniſteriis ponit, quæ vnguentis conficiendis præfectæ ſint, non ad curanda vulnera, ſed ad curandam cutem, ad molliciem, atque delicias 70. μυρεψούς vocant, quaſi dicas *vnguenti coctrices*, ἕψειν enim coquere eſt: alii vertunt pigmentarias, fùcorum videlicet effectrices, ad depingendas facies mulierum parum honeſtarum.

Focarias 70. vocant μαγειρίσσας, id eſt coquas, ſiue coquinarias, alii cupedinarias. Abulenſis ex dialecto hiſpanica focarias vocat concubinas, quo modo vulgo de concubinis dicitur, *entretenir à pot & à feu.* Tam Leui autem occaſione excurrit in materiam de concubinis & vxoribus a q. 24. ad 235. Quæſtione porro 6. ait Ioſephum dicere populum Hebræorum petiuiſſe à Samuele, vt faceret regẽ aliquem de filiis ſuis, ratum eum minus grauiter laturum, quod principatus non auferretur de domo eius. Verum inciderit Abulenſis in deprauatam aliquam verſionem; id enim Ioſeph. nõ dixit. alioqui non impune tuliſſet. Panificas, ſiue piſtrices, 70. πεσσούσας vocant, à

XITVS T DATÆ EGIS AN. 20.

πέσσω Æolica dialecto, Attici vero dicunt πέττω quod ſpecialiter de concoctione panis dici lexicographi notarunt.

N.XLV. Hebræi aliqui hanc bonitatem, pulchritudinem interpretantur; in quibus Ioſephus qui eum vocat τὴν μορφὴν ἄριστον: quia eadem vox bonum & pulchrum ſignificat, & bonitas pro pulchritudine non raro à Scriptura ſumitur, vt notauit S. Auguſt. lib. 15. de ciuit. c. 23. *filii Dei*, inquit, *acceperunt vxores filias hominum, cùm eas amarent bonas, id eſt pulchras. Conſuetudo quippe Scripturæ huius eſt etiam ſpecioſos corpore bonos vocare*. ſic ipſe:

.Ibidem Idque pluribus Scripturæ locis facile eſt cõfirmare, maxime cum de gigantibus agit, quos vocat *potentes à ſeculo viros famoſos*, Gen. 6. 4. vide ibid. c. 10. 8. 9. vbi de Nemroth. Et Nu. 13. 33. 34. Deuter. c. 2. v. 10. 11. 20. 21. de filiis Enacim. Deut. 3. v. 11. de rege Og. Ioſue c. 14. 12. & c. 15. 14. de Cariatharbe.

.N.LIII. Parentheſis quæ verſu nono poſita eſt, locomota videtur aliquibus, & natiuam habere ſedem poſt verſum vndecimum. Eodem tamẽ loco inuenitur in Hebræis, Græcis, Latiniſq; codicibus. Hinc autem non malum argumẽtum ſumi poteſt contra eam ſententiam, quæ Samuelem huius libri authorem facit. cum enim dicit olim dictum videntem, qui hodie Propheta dicatur, vtique phraſim obliteratã ſignificat, quæ tamen à Saule vſurpatur: Cum autem olim vſurpetur, non de iis quæ noſtra, ſed auorum potius & proauorum memoria contigerunt, quomodo eam vocem Samuel vſurpat cribens de re quæ ſe iam ſene, & pauculis annis ante contigerat? certe vox *olim* nõ niſi de rebus antiquis vſurpatur, ſicut nec Hebræum *lepanim*. Itaque non abſurdè Beda, & Dionyſius, putant hanc parentheſim ab Eſdra Propheta, ſcripturas diuinitus renouante inſertam; quamuis id improbet Abulenſis q. 9. in c. 9. quod ſi non placet, dicamus ſcriptorem huius libri fuiſſe non modico tempore Samuele poſteriorem. לפנם

In his Aſa, 3. Reg. 15. 14. & filius eius Ioſaphat. 3. Reg. 22. 44. & Ioas, etiam viuo Ioiada ſacerdote. 4. Reg. 12. 3. & filius eius Amaſias. 4. Reg. 14. 4. Idem de Azaria, ſiue Ozia filio eius Scriptura teſtatur, 4. Reg. 15. 4. At de Ezechia laudatiſſimo principe ipſum excelſa diſſipaſſe ſemel, iterumque profitetur. 9 N.LV.

Vbi in vulgata legimus, *Inuenies duos viros in finibus Beniamin in meridie*, in Hebræo habetur in Seſach, quaſi id ſit proprium loci nomen, quod Pagninus & Tigurina retinuit. pro quo Græci quidam codices habent ἐν σήλῳ ἐν Βακαλάθ sed addunt Græci omnes libri μεγάλα ἅλλοντες. *magnopere ſaltantes*. Quidam non putantes μεγάλα habere vim aduerbii, quaſi adiectiuo nomini, addiderunt ſubſtantiuum, *foueam*, legeruntque *magnas foueas ſalientes*, quod in vulgatam editionem irrepſerat; ſic enim legit, non ſolum Lyranus & Abulenſis, ſed etiam S. Gregorius, quæ etiam verba myſtice de more ſæpius deinceps interpretatur. Abulenſis in Hebræo legit Becilza, & interpretatur *in ſaltando*, verum legitur Beſelſach in regiis Bibliis, ad hoc vocabulum accedit, צלח quod *proſperare, & tranſire* ſignificat; quod S. Hieronym. in hoc ipſo capite vertit *inſilire* v. 6. & 10. Eo itaque Septuag. reſpexerint. 10.N XCIII מצלצח

ANNVS MVNDI 2963. DILVVII 1307. 5ª. ÆTATIS 24. EXITVS ET DATÆ LEGIS 420. ARCÆ IN CARIATH. 23. SAMVELIS IVDICIS 24. SAVLIS REGIS 2. ACHIÆ PONT. 2. DAVIDIS 14. EXCIDII TROIANI 93. DERCYLLI 13, IMPERII ASSYRIORVM 1032.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1090.

I. *Res anni huius, & ratio temporis.*

SECVNDVS hic Saulis annus celebris eſt tum populi totius comitiis in Maſphat ad creandum regem, tum bello Ammonitico, tum denique aliis comitiis in Galgala: res tota reliquo capite decimo, vndecimo, & duodecimo, 1. Regum continetur.

ET vt à comitiis ducamus initium, ea in decimum fere menſis Niſan indici, celebrarique potuerunt; quibus cito expeditis ſucceſſit paſchalis ſolennitas, quæ cum dies aliquot tenuiſſet, [a] *Dimiſit Samuel omnem populum, ſingulos in domum ſuam. Sed & Saul abiit in domum ſuam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus.* Inde fere poſt menſem [b] ſuſcitatum eſt à rege Ammonitarum bellum, decimo octauo circiter ſecundi menſis die, tenuitque dies ſeptem, aut ad ſummum octo. Clade autem Ammonitis illata, ventum eſt in Galgala, [c] ibique conuenit omnis populus ad confirmandum Sauli regnum: quæ res facile ad feſtum hebdomadarũ, ſiue Pentecoſtes protracta eſt, quando primitiæ frugum triticeæ meſſis offerebantur Domino, vt ex 34. [d] Exodi conſtat. Quod feſtum illis verbis à

a 1. Reg. c. 10 v. 25. & 26.
b c. 11. v. 1.
c v. 15.
d v. 22.

Samuele ſignificatur. *Nunquid non meſſis tritici eſt hodie?* [a] oblatis enim primitiis incipiebat meſſis, quæ vtique vnius diei non eſt, itaque merito illud *hodie* feſtum primitiarum ſiue Pentecoſtes interpretabimur. ſic enim in libro Numerorum [b] appellatur, nec Ioſephum moror, [c] qui hoc tempus modiam æſtatem fuiſſe ſignificat, quod medii potius veris fuit.

a 1. Reg c. 12. v. 17. b Num. c. 28. 26. c l. 6. c 6.

II. *Horum comitiorum celebritas.*

COMITIA porro ipſa, ſi qua fuerunt hactenus ab ipſo Ioſue, vel Moſe habita, celeberrima fuiſſe, nemo iure dubitauerit: Agebatur enim res longe maxima, quæque maxime totius Reipub. intererat: de capite ſcilicet, ac principe ipſius cum ſumma poteſtate conſtituendo. Ipſa etiam rei nouitas, & priſtinæ gubernationis commutanda forma magnam excitabat expectationem; Non enim iſtiuſmodi mutationes ſine magnis motibus, & totius politici corporis, perturbatione contingunt, ſicut noua & inſolens vitæ ratio corporis humani ſtatum non mediocriter labefactat. Studia etiã vniuerſi populi, regem iamdudum flagitantis, & ab aliquot menſibus expectatione ſuſpenſi, quam in tribum, familiam, aut perſonam ea dignitas caderet, comitia hæc frequentiora, celebrioráque faciebant. Conuenerunt igitur omnes à Dan vſque Berſabee, & qui citra Iordanem, & qui vltra morabantur: Et conuenerunt in Maſpha ciuitatem, in confinio Beniamin & Iuda poſitam, vt ante diximus: nec ita longe à Cariathiarim, vt ait Hieronymus, cui conſentiens Adrichomius trium horarum iter interiicit.

III. *Et locus, an coram Arca Domini.*

QVONIAM vero legimus Samuelem conuocaſſe populum ad Dominũ in Maſpha. [d] & mox *ſtate coram Domino per tribus veſtras*, & iterũ, *conſulerunt poſt hæc Dominum vtrúmnam venturus eſſet illuc*; *Reſponditque Dominus, ecce abſconditus eſt domi.* denique legimus Samuelem deſcriptum librum poſuiſſe coram Domino, pleriq; in eam ſententiam adducti ſunt, vt Arcam Domini, inuitante vicinia, è Cariathiarim in Maſpha hoc tempore tranſlatã putarent, quibus præiſſe videtur S. Hier. in traditionibus hebraicis: [e] qua dare iam in ſimili dubitatione diſſeruimus in vigeſimo primo anno Samuelis. [f] Et quamuis concedi poſſet ſine vllo incommodo Arcam ad tempus delatam in Maſpha, vt comitia in cõſpectu Domini maiori cum pace agitarentur; [g] & ijs peractis in ſuum referretur locum, ſicut poſtea in Gabaa contigiſſe legimus: [h] Scripturæ tamen verba, quæ retulimus, neque vlla alia id fateri compellunt. Alioqui enim etiam in Galgala delatam fateri oportebit. Nam ca. 11. extremo dicitur *fecerunt ſibi regem Saul, coram Domino in Galgala*, & paulo ante dictum eſt tres viros aſcendiſſe ad Deum in Bethel. [i] & Saulẽ in collem Dei in Gabaa, in quibus locis certo conſtat non fuiſſe arcam, neque ſanctuarium, vt propterea ibi homines dicerentur eſſe coram Domino, ſed omnis locus in quo aliquis ſpecialis cultus Domino exhibetur, vel ad quem aliqui religionis cauſa adibant, dicebatur eſſe coram Domino, vt ait Abulenſis q. 17. in fine.

d c. 10. v 17. 19. 22. 25. e in c. 7. f a. m. 2660 n. 4. g c. 12. v. 18. h c. 11. v. 15. i 10. v. 3.

IV. *Cur inſtituta comitia?* *Declarando regi, & vitandæ inuidia.*

QVÆRAT autem aliquis, quid opus comitijs & ſortitione fuerit, cum iam electus à Deo fuiſſet in regem, & eiuſdem iuſſu inunctus à Samuele? Verum in promptu eſt reſponſio; Opus enim erat declarari coram omnibus, & ſuſcipi regem Saulem: ideóque omnes in vnum cogi oportebat. Et quoniam aliæ tribus nobiliores erant, ac populoſiores Beniamitica; & aliæ in ea ipſa tribu familiæ, quæ familiæ Saulis dignitate pręſtarent, vt ipſemet ingenuè apud Samuelem profeſſus eſt: Nunquam Samuel aut Saul huic tantæ inuidiæ ferendæ pares eſſe potuiſſent, niſi Deus ipſe, qui ſortes erat pro diuina ſua prouidentia temperaturus, ſortitione minime ſuſpecta, quem ipſe elegiſſet in regem, & à populo recipi vellet coram omnibus declaraſſet. Ita ſentit Theodoretus. [k] *Ne diuinis quidem*, inquit, *credebant prophetis, qui improbam agebant vitam. Ne ergo conijcerent homines eſſe humanæ gratiæ electionem, iuſſit mitti ſortes*: ſed quæ his priora ſunt ipſius Scripturæ ordine videamus.

k q. 25. in 1. Reg.

V. *Samuelis in comitijs oratio.*

CONGREGATO vniuerſo populo, Samuel, qui, ignota tum Saulis dignitate, omnium Iudex erat & caput, hanc ſummi omnium principis nomine ad filios Iſrael orationem habuit. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ego eduxi Iſrael de Aegypto, & erui vos de manu Aegyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos. Vos autem hodie proieciſtis Deum veſtrum, qui ſolus ſaluauit vos de vniuerſis malis & tribulationibus veſtris. Et dixiſtis, nequaquam.* ſcilicet acquieſcemus verbis tuis, *ſed regem conſtitue ſuper,*

vrnamue coniiciendæ. Verum quot omnino familiæ hoc tempore in hac tribu fuerint ſciri non poteſt, quoniam tempore Othonielis in bello, quod inter ipſã cæteraſque tribus exarſit, omnes pene deletæ ſunt? Quin ne vllus quidem in filiis Beniamin reperitur, qui dictus ſit Metri, ſiue Matri, vt eſt in Hebræo, aut in 70 Mattari. propter eaque dubium eſt ſitne id proprium, an commune vocabulum; de quo Lyranum conſule, & Abulenſem. A familiis ventum eſt ad domos, & à domibus ad viros. Etſi enim nulla eſt in hoc textu mentio diuiſionis familiæ in domos, & domus in viros, vtramque tamen habet, ſuppletque Theodoretus. [a] *Cum ſors*, inquit, *cecidiſſet in tribum Beniamiticam & rurſum eſſet diuiſa in partes, & domos, & viros, ſors cecidit ſuper Saulem*; in Græco eſt, καὶ πάλιν εἰς πατριὰς, καὶ οἴκους, καὶ ἄνδρας διαμερισθείσης, τῷ Σαοὺλ ψῆφος ἀπεκληρώθη, & rurſus in familias, & domos, & viros diuiſa eſſet, Sauli ſortito calculus obtigit, relicto videlicet patre, fratribus, & filiis Saulis.

(Margin: מטרי ματταρί. — a q. 24. — Domos. — Viros.)

Postremo, ait Ioſephus, [b] *cum viritim ſortitio fieret, ſors Saulem regem prodidit; Iuuenis vero qui hæc præſciebat, abdiderat ſe, ne putaretur libenter ad regnum accedere.* Iuuenem crebro vocat Saulem, cuius quarto loco genitus filius Iſboſeth, qui patri in regno ſucceſſit quadragenarius, nunc quartum & vigeſimum agebat annũ, Ionathas autem primogenitus circiter trigeſimum, ſi viginti inſuper, vt par eſt, ſuperaddantur patri, quinquagenarius fuit, ſeni quam iuueni propior: Scriptura certe nuſquam iuuenem vocat, aut iuuenem fuiſſe ſignificat. Et decuit à Deo extare exemplum quod mortales in eligendis principibus ſequerentur. Etſi enim mox Dauidem valde iuuenem elegit, ſciebat tamen non niſi ætate matura illum ad regni adminiſtrationem peruenturum. Pergit autem Ioſephus de eius demiſſione ac moderatione animi ita diſſerere. *Tanta fuit præditus modeſtia, ſimul & tẽperantia, vt cum plerique vel modica fœlicitate potiti, vix ſui præ lætitia ſint compotes, & omnibus ſe ob oculos ingerant; hic tot populorum Rex declaratus ac Dominus*, ſingulas tribus populos vocat, *non modo non oſtentaret ſe, verum etiam è ſubditorum conſpectu ſubduceret, vt non abſque negotio poteſt inueniri.*

(Margin: b l. 6. ant. c. 5 νεανίσκον. — X. Saul an iuuenis, vt à Ioſepho vocatur. — ἔθνη. — Eiuſdem modeſtia.)

Mirvm tamen videatur quomodo viritim itum ſit in ſuffragia, in vna domo, nec animaduerſa ſit abſentia, non puerũli alicuius, ſed viri qui quatuor iam eſſet liberorum parens. Dicendum vtique cum Abulenſi [c] non ſuum quemquem ſcripſiſſe, ac dediſſe nomen; ſed ab vno quopiam, qui ſingulos probe noſſet, atq; nominatim fuiſſe deſcripta nomina ſingulorum, ipſomet Cis fortaſſe, qui non animaduerteret adeſſetne filius, nec ne. *Cumque nuſquam comparente Saule*, ait Ioſeph. *omnes eſſent ſolliciti, hæſitantes quidnam fieri oporteret, Propheta precibus Deum appellat, vt latebras indicet, deſideratumq; iuuenem exhibere dignetur. Quod vbi impetratum eſt, mittit qui eum adducant: & poſtquam venit, in medio populi iuuenem ſtatuit vniuerſis conſpicuum, vt qui humerorum tenus ſupra omnes excelleret, & ipſa ſtatura maieſtatem regiam præ ſe ferret*; Sic ipſe nec ſane dubium, quin ſpecie oris ipſius ac dignitate, gratus omnibus fuerit atque amabilis; accedente præſertim virtutum amabiliſſimarum comitatu. Nam *Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus*. Sed redeamus ad Prophetam.

(Margin: c q. 22. in c. 10. — Ibid. — XI. Qui abeſſet Saul.)

Qvæsiervnt *ergo eum*, ait Samuel, *& non eſt inuentus*, in familia ſcilicet, aut tribu ſua, aut omnino in toto cœtu Iſraelitarum, *& conſuluerunt poſt hæc Dominum, vtrumnam venturus eſſet illuc* ſpõte ſua videlicet, an vero quærendus eſſet, & vbi. non conſuluerunt omnes, aut etiã plures Dominũ, ſed vnus omnium nomine ac volũtate. Is fuit vel Achias Pontifex, quẽ ineptũ ſit exiſtimare à talibus, tantiſq; comitiis abfuiſſe, vel Samuel Propheta. Et ille quidem potuit indutus ſacris veſtibus conſulere Dominum, præſertim ſi Arca præſens fuit; ſed quia id erat operoſius, & Samuel diuina familiaritate fruebatur, credibilius eſt eum, à maioribus natu rogatum, conſuluiſſe Dominum precibus. Itaque viſum Ioſepho, quem modo retuli, & Abulenſi. [d] imo & Septuag. interpretibus, qui Samuelem diſertè nominant. Serarius ait per vrim & Thumim à Samuele inuentum; fortaſſe à Pontifice dictum voluit, iis enim nihil Samueli opus erat, ſed Pontifici. Verum de Samuele, poſt Septuaginta virorum teſtimonium, minime dubitandum eſt.

(Margin: XII. Conſulitur à Samuele Dominus. — d q. 23. in c. 10.)

Respondit Dominus abſconditũ eſſe domi, id eſt inter ſupellectilem domeſticam, quã Hebræi & Sept. vocant vaſa, neq; meminerunt domus; Creditur autẽ à Lyrano hæc domus fuiſſe, in qua familia Cis hoſpitium habebat: domus enim illius propria erat in Gabaa, vt in fine capitis huius dicitur, ibi autem

(Margin: XIII. Qui ei Saulis latebras patefacit.)

comitia non habebantur. Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde. Id factum fuiſſe ab ipſo Samuele Septuaginta tradiderunt, quia ſcilicet iuſſu eius id factū eſt; neque enim decebat Samuelem ſenem, Prophetam, principem populi in oculis tantæ multitudinis currere. Hebræa & Chaldæa vulgatæ conſentiunt, quemadmodum & Ioſephus. Et curſus iuuenilem ſapit alacritatem. Minime autem audiendus eſt hoc loco Abulenſis, qui domum hanc, quam paraphraſtice S. Hieronymus adiecit, putat fuiſſe in Gabaa, eoque excurſum ab aliquibus; qui locus ſi trium horarum itinere diſtabat, vt diximus, oportuit populum vniuerſum plurimas horas in comitio expectare. Hoc autem res apud eum eſt incredibilior, quod deceptus in nomine Maſphath putauit habita fuiſſe hæc comitia in terra Galaad, vbi habitabat Iephte, quæ Maſpha ab hac plurium dierum itinere diſtabat, erat enim illa trans Iordanem in extrema tribu Gad; hæc autem in qua habita ſunt comitia, in tribu Beniamin, nō longe à Hieroſolymis.

Lapſus Abulenſis.

XIV. *Adducitur ad populi conſpectum*

Abdvctvs ergo Saul ex loco in quo latebat, *ſtetit in medio populi, & altior fuit vniuerſo populo ab humero & ſurſum*, id eſt quemuis de populo toto capite ſuperabat altitudine, *Et ait Samuel ad omnem populum*, diuinam electionem commendans; *certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo*, ſed omnes corporis, animique magnitudine ſuperet, vt caput reliquum corpus & ſitu, & dignitate tranſcendit. *Et clamauit omnis populus, & ait viuat Rex.* Ea vox eſt populi in Saulis electionem conſentientis, eique poteſtatem regiam ſupra ſe deferentis: qua voce non ſolum vitæ diuturnitatem, ſed proſperitatem quoque, & longinquum rerum ſecundarum curſum precati ſunt. Vnde Chaldæus, *Sit fœlix Rex, cedant ei fœliciter omnia.* Nam & nos cum vitam æternam credimus & poſtulamus, beatiſſimam fœlicitatem exoptamus. Eſt enim vita maximum quoddam bonum in rebus creatis, atque adeo in ipſo creatore omnium Deo; in quo intelligimus melius quid eſſe vitam, & eſſe viuentem, quam eſſe mundi creatorem, conſeruatorem, redemptorem; quę externa ſunt & quaſi aduentitia ipſi Deo, nec ei perfectionem aliquam afferunt, cum vita ipſius eum conſtituat intelligētem, & volentem, ſitque intima eius eſſentia penitus, ac natura. Et quæcunq; creata ſunt in ipſo vita erant, & electi eius in libro vitæ ſcripti ſunt, vt in perpetuum viuant, quemadmodum viuit Dominus qui dedit omnibus vitam.

Et fauſta acclamatione excipitur. Viuat Rex.

Et quæ vis eius.

XV. *Cur vitam regibus precemur.*

Cvr autem ſummo principi vitam deſiderari putemus; & quodam quaſi inſtinctu naturę ac lumine fauſtis in acclamationibus toties iterari, *viuat Rex, Rex in æternum viue; viuat anima tua Domine mi Rex &c.* an vt ea ſit publicum, publicæ in
1. ipſum beneuolentiæ teſtimonium, quo ipſe viciſſim ad amorem ſubditorum, &
2. curam hoc quaſi pignore prouocetur. An vt hac voce populus promptum ſe, & expeditum oſtendat ad regis ſui vitam, ſalutem, dignitatem, conſeruandam, au-
3. gendamque, etiam cum propriæ vitæ, ſalutiſque diſcrimine? vnde iactatū illud.

> *De noſtris annis tibi Iuppiter augeat annos.* — Tertul. in Apolog.
>
> Et, *Tarda ſit illa dies & noſtro ſerior æuo,*
>
> *Qua caput auguſtum, quem temperat, orbe relicto*
>
> *Accedat cælo, faueatque precantibus abſens. &c.* — Metam. 15.

XVI. *Aliæ rationes.*

An quia cum aliunde omnibus bonis copioſe circunfluant, huiuſmodi acclamatio ſit eis diuturnam eorum optare poſſeſſionem; qua re nihil eis poteſt in ter-
4. ris optabilius contingere. An quia cum rex ſit Reipublicæ caput, à quo vitam, ſenſum, & motum omnem accipit, in eius vita & incolumitate totius Reipub. vertitur ſalus: quo fit vt ſæpe in morte principum regna periclitētur, & niſi mature reuiuiſcat rex, in varias diſſecta particulas concidant. Ideo Adonia [a] ad regnum Dauidis ſenio fatiſcentis inuadendum feſtinante, maturè, Dauidis iuſſu,
5. ductus eſt Salomon in publicum, ſuper mulam regis, & clamatum, *viuat Rex Salomon.* An denique quia vicarius Dei cum ſit, & quaſi Deus alter in terris, ſicut illius eſt propriū viuere, cui vni vera æternitas conuenit, ita illum in vitæ perennitate à vicario ſuo repræſentari deſideremus: & ſicut ipſi Deo vitā illam beatiſſimā quodāmodo gratulamur cū dicimus, *viuit Dominus*; ita huic mortali Deo vitam hanc in terris gratulamur, cupimuſq; longiſſimā, & petimus in cælis ſēpiternā.

[a] 3. Reg. 1.

XVII. *Noua Saulis inunctio*

Additam etiam nouam inunctionem coram vniuerſo populo admodum credibile eſt, Cum enim prioris vnctionis nulla ſit hoc loco mētio, ſatis apparet tā-

tam ceremoniam minimè fuiſſe prætermiſſam, quæ regem ipſum redderet auguſtiorem, ſacroſanctum,& penitus inuiolabilem. Alioqui tota res ſatis frigida videretur,præſertim apud rudem populum, & ab externis ſignis plurimum pendentem. Cui aſſertioni conſentit Abulenſis, [a] atque regis aſſumptionem ſine vnctione perfectam non eſſe, neque conſummatam. Idem ſentit Serarius & Glycas parte 2. annalium, qui tamen non explicat an ſecunda hæc vnctio in Maſphat, an in Galgalis, vbi eam repetitam tradit Ioſephus, [b] contigerit: Zonaras ait denunciatam à Samuele vnctionem Saulis. Quod ſi alterutro tantum loco publicè inunctus eſt Saul, crediderim potius eum in hoc priore conuentu, in quo omnes tribus ſumma expectatione pendebant, circa regem magna contentione poſtulatum, quam in poſteriore vnctum fuiſſe, ne à principio regni ſui quaſi vnus de plebe haberetur. Cum ergo è re publica eſſet regem alioqui neque tribu, neque familia inſignem, externo cultu honorari, ac reddi commendabilem, etiam oleo ſacro, è vicina Nobe petito vnctum eſſe,non temere mihi videor affirmare poſſe,ſecutus Sulpitium,qui ait à Samuele ſacerdotali vnguento perfuſum. Poſt eidem in genua procumbenti, impoſitas à Samuele manus,additaſque preces cum diuini inuocatione nominis; adhibitis etiam lectiſſimis Prophetarum canticis, quæ multiplex & ſonora muſicorum inſtrumentorum harmonia cohoneſtaret, quibus illi dudum in patriam redeunti ignari præluſerant.

Oleo ſacro cum impoſitione manuum. *Et Prophetarum cãticis.*

XVIII. *Populique plauſu.*

Additos etiã maximos populi clamores & plauſus,tũ inceſa illa regni deſideria ſuadẽt;votis enim popularibus in rẽ deductis lætitia profuſa reſpõdet,& indices lætitiæ plauſus;tum exẽpla ex ſacra hiſtoria petita cõfirmant. [c] Nã in 4. Reg. volumine legimus Ioas magnis omnium bonorũ ſtudiis factum, atq; inunctum regem, & in ipſo tem plo frequentem editum cum clamore plauſum, vitam regi, ſaluteq; precantiũ. Nihil enim eſt cauſæ cur hæc in Ioas,nõ in Saule obſeruata dicamus,cũ non minore gaudio,& populi ſtudiis factus ſit primus rex Saul,quã Ioas patrio ſolio reſtitutus. Quin etiã ex eodẽ loco dicamus licet ſediſſe Saulẽ ſuper tribunal regiũ, Samuelis prouidentia pręparatũ,affuiſſe cantores atq; tubicines, omneq; populum lætantem & canentem tubis. De Salomone quoq; in 3. Reg. [d] ſcriptũ eſt buccina ceciniſſe tubicines,dixiſſeq; omnẽ populũ *Viuat Rex Salomon*: Et aſcendiſſe poſt eũ vniuerſam multitudinẽ,& populum canentium tibiis,& lętantium gaudio magno,adeo vt ab eorum ſonoris clamoribus terra reſonaret.

Sedit in ſolio.

XIX. *Oblata ſacrificia, epulæ celebratæ.*

Intelligere etiã hoc loco poſſumus inſtituta ſacrificia gratulatoria,quæ poſt modũ in Galgalis reſtaurata ſunt,[e] ſicut ibidẽ innouatũ eſt regnũ. Cum enim Samuel ad ignoti adhuc regis aduẽtum,& clancularia inunctionẽ conuiuiũ triginta,aut etiã ſeptuaginta virorũ præparauerit,cur dubitemus in publica primi regis inauguratione, feſtum hunc diem epulis omnium principum, & maiorum natu fuiſſe celebratum;in quibus, ſicut in illo conuiuio, Saul in capite eorũ,qui erãt inuitati,tum à dextris ac ſiniſtris Samuel Propheta,& Achias pontifex conſiderent,tum ſuo quiſque ordine ac loco, principes tribuum, & ſacerdotes. Initum quoq; dixerim fœdus,cuius Scriptura meminit in celebri illa initiatione Ioas [f] vbi dicitur Ioiadẽ pontificẽ pepigiſſe fœdus inter Dominum, Regem & populum, vt eſſet populus Domini, & inter regem & populũ:illud erat de pietate & religione colenda,ſtudioſeq; retinenda; hoc autem de iuſtitia & æquitate; de iis ſcilicet quæ ad regni adminiſtrationem politicam, & regis domum & cultum ſpectarent, vt ait Pineda [g] in Salomone ſuo.

Initum fœdus.

XX. *Lex regni an lex Moſis fuerit.*

Qvo reuocare etiam poſſumus illã regni legẽ quã Samuel dicitur [h] locutus ad populũ,& ſcripſiſſe in libro,& repoſuiſſe corã Domino. Neq; enim illa lex regni fuit lex Moſis,quã traditã legimus in manus regis Ioas in ſecundo Paral. [i] agitur enim de lege recens cõſtituta,& ſcripta,quod Moſaicæ non cõuenit: neq; ea lex regni dicitur,ſed lex Moſis,aut Domini:quæ æquè ad regẽ & omnẽ populũ pertinet. Ioſeph. exiſtimauit hãc regni legẽ eandẽ eſſe,cũ iure illo regis, quod Dei iuſſu Samuel populo recitauit, [k] ait enim, [l] *Propheta cõſcriptis in libro omnibus,quæ illis ſub regia dominatione erant euentura,recitauit ea populo rege præſente,& librũ in tabernaculum Dei repoſuit,vt eſſet apud poſteros prædictionis ſuæ monimentũ*. Videtur ſignificare habita hæc comitia coram Arca,& tabernaculo. Eius autẽ ſententiæ fauet quod vtrobique in Heb. eadẽ vox *Miſphat*,& in Græc. δικαίωμα. reperitur. Verũ id improbat Abul.[m] quod ea lex ad terrorẽ populi,hęc ad regis inſtructionẽ pertineret,illa

Aut iura regis ante memoratũ. Non videri.

a q.24.in c. 10. fin.
b l.6.ant. c.6.
c 4.Reg.c. 11.12.
d c.1.v.39.
e c.11.15.
f 4.Reg.11 17.
g l.2.c.8.n. 4.
h 1.Reg.10 25.
i c.23.v.11.
k c.8.v 9.11
l 1.6.c.5.
m q. 25. in c. 10.

traderet quæ facturi eſſent reges, abutentes poteſtate ſua; hæc quæ eſſet legitima & iuſta regum poteſtas. Cumq; illa publice iam recitata eſſet, nihil erat quod nunc, cum iacta erat alea, ad exaſperandum fruſtra populum inculcaretur; & principi ſolenni ritu traderetur gladius ad occidendum populum ſuum.[a] *a Exod. 5. 21*

XXI. *Sed mutua potius regis & ſubditorum officia.*

DICAMVS potius cum magno Gregorio in huius expoſitione loci, *Samuel corã rege ad populum loquitur, vt rex ſciat à populo quid exquiras, ſciat populus quid exhibere ſuis regibus debeat: quæ lex in libro ſcribitur, vt pro futurorum memoria reſeruetur; coram domino ponitur, vt venerabilis habeatur.* Hanc regni legem Vatablus & Sa interpretantur ius quod habet in ſubditos, qui regiam obtinet dignitatem, quodque ei ſeruandum eſt: vt ſcilicet liber ille eſſet ei quaſi regula, ad eius gubernationem recte dirigendam. Abulenſis autem[b] hanc regni legem exponit quaſi catalogum eorũ ſubſidiorum, quæ populus Regi deberet pendere: verbi cauſa, ad ſuſtentandum exercitum, & omnia alia, quæ tangunt populi habitudinem ad regem, in cuius rei ſignum mox à ſolutis comitiis pars exercitus Saulem ſecuta eſt, & paulo poſt elegit tria millia virorum. Verum cum lex iſta neque regis dicatur, neque populi, ſed regni; vtriuſq; munus videtur eo libro comprehenſum, mutuum ſcilicet regis & populi inter ſe officium, vt vult Lyranus, & Abulenſis ipſe, quib. Dionyſius, & alii aſſentiuntur; nimirum vt regnum pacificè gubernetur, ne vel rex in populum tyrannidem exerceat, vel populus vim in regem, ſeditionemue moliatur. Dici etiam poſſet ſcripta ibi quoque fuiſſe acta publica iſtorũ comitiorum, vt poſteri eorum modum ac formam, à tanto viro profectam reuerenter ſuſciperent, & imitarentur.[c]

Abul. q. 26. *b q. 25. in c. 10.* *q. 26.* *Aut Acta comitiorum* *c Vide Pined. l. 2. de Salom. c. 8. n. 4.*

XXII. *Dimiſſio populi.*

HIS ita tranſactis Samuel qui populum conuocarat, eum quoque dimiſit, ſingulos in domum ſuam, Saule ſcilicet id agente per ipſum, verecundia, cuius indices ſunt latebræ paulo ante quæſitæ, ipſum retinente, ne per ſe id iam ageret. Sed & Saul ipſe abiit in domum ſuam in Gabaa, vbi hactenus habitauerat, & pene ad priuatam vitam rediit; vt qui poſt vnum menſem boues de agro reuertentes ſequebatur. Nihilominus hodie abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda, ad illum honorandum, quem Deus ſuffragio ſuo ad ſupremum extuliſſet apicem dignitatis. Sed apparet eoſdem, hoc perfunctos vrbanitatis officio, in ſua quemque tabernacula reuertiſſe.

Saul redit in patriam. *Contemnitur à quibuſdam.*

Filii vero Belial dixerunt, num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera, quæ ſuam in eum obſeruantiam ac beneuolentiam teſtarentur. Septuaginta vocant priores filios potentes, aut filios virtutum; iſtos autem peſtilentes; ſic enim viros Belial vocare ſolent, vt alio loco notauimus.[d] *δυνάμεων, λοιμοί.* *d an. mund. 2900. n. 31.*

XXIII. *Quinam fuiſſe videantur. Ex Ephrai.* *Et Iuda.*

IMPROBOS iſtos & ſeditioſos, qui ad conflandum ſchiſma parati videbantur, ſuſpicari non temere poſſumus, non repugnante Lyrano, primarios aliquos ex tribu Ephraim cum clientibus ſuis, quos ad iſtiuſmodi tumultus admodũ promptos iam ex libro iudicum intellectum eſt. Primum contra Gedeonem,[e] cuius prudentia, modeſtiaq; ſingulari factum eſt, vt inflatus eorum animus, & zelus contra Gedeonem, impunè detumuerit. Deinde vero contra Iephte;[f] ſed ea ſuperbia cæde quadraginta duorum millium Ephraimitarum vindicata eſt. Forte etiam aliqui de tribu Iuda in his ſeditioſis numerati ſunt, memores videlicet ſceptri à Iacobo promiſſi, & propria potentia, numero, priuilegiiſque ſub nixi. Hi ergo filii Belial, & verbo contumelioſi, & animo contemptores, & factis deſertores erant principis à Deo electi, & vniuersè ab omnibus ordinibus approbati. Itaque nec muneribus regiam eius dignitatem honorabant, neque eam aſſectando tutabantur, nec diuinam electionem reuerebantur, neq; plurium & ſapientiorum exemplum imitabantur, & inſuper verborum deſpicientiã addebãt.

e c. 8. v. 1. 2. 3 *f c. 12. v. 1. ad 7.*

XXIV. *An in his maior populi pars.* *Nõ videri.*

PLVRIVM dixi, neq; enim aſſentior Ioſepho,[g] qui maiorem populi partem in hac culpa fuiſſe prodidit, idque etiam Toſtato perſuaſit.[h] *His ita perfectis*, inquit ille, *dimiſſoque populo, ipſe reuerſus eſt Ramatha in patriam. Saulum vero in natale oppidum Gabatha redeuntem multi boni viri comitabantur, vt nouo regi debitum officium præſtantes. Sed plures mali & factum hoc eorum vitio vertebant, & ipſi contempto rege nullis vel muneribus, vel obſequiis gratiam eius demereri conabantur.* At non fuiſſe maximam horum partem, & maiorem quam bonorum regi obſequentium, ex ſequentibus ſatis apparet. Nam capite vndecimo, re feliciter cum Ammonitis geſta, pauci, aut

g 6. ant. c. 5. *h q. 18. in c. 10.*

certe non admodum multi ſignificantur, cum dicitur, *date viros*, & *interficiemus eos*. conſentit Sulpitius qui non magnam, ſed aliquantam populi partem à Saule deſciuiſſe ſcribit. 1 ſat tamen multos in eo fuiſſe numero, ex eo colligi poteſt, quod nemo intemperanter loquentes corripuit. Et in his videri poſſunt fuiſſe ciues Iabes Galaad, quibus cum admodum imminerent Ammonitæ, auxilii quærendi cauſa, nuncios non ad Regem, ſed ad vniuerſos terminos Iſrael miſerunt, cum tamen Saul ab vno circiter menſe rex fuiſſet renunciatus: verum de his poſtmodum diligentius.

1. ※.

XXV. *Prudentia Saulis in diſsimulādo.*

QVAMVIS autem iſtorum filiorum Belial deſideratū fuerit officium, 2 Saulis tamen ſapientia minimè deſiderata eſt. Cum enim ſatis intelligeret hoc ſtabiliēdi regni tēpus eſſe, non iniurias vlciſcendi, diſſimulabat ſe audire. Recte itaque de vtriſque illis Salomon, [a] *Qui deſpicit amicum ſuum indigens corde eſt, vir autem prudens tacebit.* Nec diſſimili prudentia Dauid [b] cum extincta ſeditione Abſalonis, reuerteretur in patriam; & Abiſai vellet maledicum Semei, tunc ſupplicem interficere, caſtigauit illum Dauid, & *ergo ne*, inquit, *hodie interficietur vir in Iſrael? an ignoro hodie me factum regem ſuper Iſrael?* Sed & Saul poſt modum cum vindictam haberet in manu, parta de hoſte victoria, & ad vindictam ab amicis incitaretur, *non occidetur*, ait, *quiſquam in die hac*, *quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael.* Nec apparet deinceps eum vltum hanc iniuriam. quia, vt recte admonet ille idē Sap. in Prouer. *miſericordia*, *& veritas cuſtodiunt regem*, *& roboratur clementia thronus eius.* [c]

2. ※.

a Pro 11 12. b 2. Reg. c. 19. 21.

c Pro. 20. 28

Cap. 11.

XXVI. *Bellum ab Ammonitis, & primum ratio temporis.*

INTEREA ortum eſt bellum inter Ammonitas & Iſraelitas, quod nouo regi & gloriam, & populi ſui beneuolentiam conciliauit. Sed de tempore quo id contigit, non leuis eſt nobis contra nimium ſtudioſos Hebraicorum codicum querela, qui è textu eiiciunt ea verba, *Et factum eſt quaſi poſt menſem*, quaſi adiectitia; quin etiam Lyran. & Abulenſis ea negant eſſe de textu; eaque omittunt, ſicut & Angelomus: quæ ex Hebræo potius textu excidiſſe credendum eſt; habentur enim apud Septuaginta editionis emendatiſſimæ Romanæ, Aldinæ, Baſileenſis, etſi è regiis bibliis ſublata ſint; habentur & apud Ioſephum, qui ſe Hebræos codices ſequi profitetur, vt non mirum ſit à S. Hieronimo in vulgata, S. Gregorio, Comeſtore, aliiſq; deinceps recentioribus retenta. Menſis autem à ſolutis comitiis accipiendus eſt, ſicut accipit etiam Abulenſis, & circiter decimo octauo ſecundi menſis die terminatur vt ſupra diximus. [d] Sed quomodo poſt menſem ab electo rege venit Naas aduerſus Iſraelem, cum eius aduentus cauſa fuerit petendi regem, vt Samuel ipſe coram frequentiſſimo populo dixit. [e] Reſpondet Abulenſis, [f] illum bis veniſſe contra Iſraelitas, non tamen exprimi quid egerit, aliquo tamen modo vexaſſe Iſraelitas, adeo vt ad regem petendum, qui pro ipſis bellum gereret, excitarentur. Alii malunt feciſſe illum apparatum ad bellum, & præ ſe tuliſſe hoſtilem animum in Hebræos, ex quo hi in timorem & poſtulationem acti.

d hoc an. num. 1.
e c 12. v 12.
f q. 13. in c. 11.
Vatabl.

Naas an bis inuaſerit Hebræos.

XXVII. *Quæ belli cauſa.*

REPRESSVS autem fortaſſe tantiſper fuerit Naas ſparſis de Regis electione rumoribus, dum videret quem res exitum eſſet habitura. Cum autem habitis dudum comitiis, & creato rege, nihil præter ſolitum aut animi, aut virium Iſraelitis acceſſiſſe animaduerteret, neque regem vſpiam apparere cum copiis, ſed ruri priuatum agere, deſtinatam expeditionem ſuſcepit aduerſus oppidum Iabes, quod ſitum erat in vicina ſibi Galaaditide. Quam autem habuerit rex iſte vel occaſionem vel cauſam inuadendi ciues Iabes trans Iordanem habitantes, facile definiri non poteſt. Lyranus ſuſpicatur inſediſſe animis Ammonitarum, regionem Iſraelitarum trans Iordanem ſui iuris eſſe, eamque primum ab Og, & Sehon regibus Amorrhæorum occupatam fuiſſe; eandemque regibus iſtis ereptā ab Hebræis poſſideri; Et repetiiſſe quidem illam Ammonitas tempore Iephte [g] ſed male acceptos ab eo, & viginti ciuitatibus mulctatos, quieuiſſe vel inuitos. Nunc ergo publica re ac priuata refloreſcente, eadem fortaſſis ex cauſa contra Iſraelitas arma ſumpſiſſe.

Ex Lyrano.

g c. 11. v. 12. 13. 32.

XXVIII. *Abulenſ.*

IMPROBAT Abulenſis eam belli cauſam; eo quod ſi res ita habuiſſet libenter Naas accepturus eſſet conditionem à ciuibus Iabes oblatam, fœderis & ſeruitutis; ingenuæ videlicet, qualis eſt pecuniaria, & quorundam aliorum onerum, quæ legitimi reges ſuis ſubditis imponunt. Itaque putat

voluiſſe illum Iſraëlitas delere, aut omnibus gentibus propinare deridendos, & bello inutiles reddere, vt habet Ioſephus, quem mox referemus, ſed hæc effecta ſunt cauſæ alicuius, & offenſionis quam inquirimus, neque Naas ſi plane gentem deletam voluiſſet, vllam conditionem deditionis offerret, ſed exigeret, vt ſuæ ſe ipſi poteſtati plane permitterent. Itaque ſi cui placet ab illa generali cauſa diſcedere, quam ex Lyrano retulimus, & mentis oculos in peculiare hoc ſupplicij genus intendere, facile nobiſcum ſuſpicabitur, Regem hunc, aut populum eius grauem aliquam à Iabeſitis iniuriam accepiſſe, qui eos vnos petat, & ſupplicium eruendi oculos dextros, quaſi in ſatisfactionem petat. Denique inter vicinos facilè exiſtunt iurgia, quæ mox ſi adoleuerint, in atrocia bella commutantur.

Alia cauſa.

XXIX. *Naas obſidet Iabes Galaad.*

Aſcendit ergo, *Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduerſum* Iabes *Galaad*, obſidione videlicet vrbem cingere, machinis quatere, excurſionibus fatigare, egreſſum ingreſſumque prohibere, telis & fame vexare; quibus edomiti malis deditionem facere voluerũt, & hoſti tolerabili aliquo fœdere ſociari, aut potius ſeruire. At barbarus Rex non aliter fœdus inire voluit, quam vt dextrum ſibi oculum erui paterentur, quo fortaſſe modo Ammonitarum aliquis punitus fuerat ab Hebræis, *Volens*, ait Theodoretus,[a] *eos reddere bello inutiles. Nã qui ſiniſtra manu obijcit clypeum, ea tegit ſiniſtrum oculũ, dextera vero aſpicit hoſtẽ.* Cui ergo dexter ablatus eſt oculus bellum gerens facile capi poteſt. Hæc Theod. ex Ioſepho, ex quo item Procopius Gloſſa interlinearis, Lyran. Abul. Serar. Andrichom.[b] Ioſephus autẽ ſic habet.[c]

Et quæ fœderis cũ eo conditio.

[a] q. 25. vel 16.
[b] in trib. man. n. 61.
[c] lib. 6. ant. c. 5.

XXX. *Res Ioſepho narratur.*

Hic, inquit, Naas videlicet Ammonites *diu Iudæis vltra Iordanẽ habitantibus infeſtus, poſtremo cũ magno, & forti exercitu regionem ingreſſus, vrbes eorũ ſubiugare cæpit. Nec cõtentus in præſens libertatem abſtuliſſe, vt omnem rebellandi materiam in futurum adimeret, tã vltro deditis, quam vi ſubactis dextrum oculum eruebat, vt quoniam ſcutum ſiniſtro proſpectum negat, omnino inutiles bello fierent. Hoc modo tractatis trans amnem incolentibus, in Galadenã exercitum duxit, & caſtrametatus ad primariam regionis vrbem, cui nomen eſt Iabes oratores eo miſit, qui conditiones offerrẽt vt aut deditione facta dextris oculis orbarentur vt alij, aut internecionem hominum, & oppidorum excidiũ expectent. Eligerent ipſi vtrũ mallent paruã corporis particulam decidere, an in omnium facultatum, ſimul & vitæ diſcrimen venire.* Hæc Ioſephus non ſolum ſupra fidem, ſed etiam ſupra modum videtur auxiſſe.

XXXI. *Non ſyncere.*
Nã vt omittã diutinã illam vexationẽ regis infeſti, quæ ductũ intra regionẽ exercitũ ſit antegreſſa, quã ipſe ſine vllo Scripturę fundamẽto inuexit, illud certe diſſimulari nõ poteſt, quod cũ vnius duntaxat vrbis oppugnatæ ab Ammonitis Scri-
1. ptura meminerit, plures ipſe vrbes non ſolum oppugnatas, ſed ſubiugatas etiam
2. ponit. Scriptura denũciatã oculi adẽptionẽ habitatoribus Iabes enarrat; id ipſe
3. plures alios iã perpeſſos fuiſſe cõminiſcitur, ac perſuadere cupit. quid quod Iabes cis Iordanem fuiſſe ſignificat, contra omnem topographiæ rationem? Hieronymus certe ait eam fuiſſe ſuo tempore viam trans Iordanem, in ſexto milliario ciuitatis Pellæ, ſupra montem euntibus Geraſam. Et ipſemet Ioſephus mox dicit exercitum Iſraelitarum tranſgreſſum cũ Saule Iordanẽ, vt Iabes obſidione ſoluerat; morabatur autem Saul cis Iordanẽ in tribu Beniamin, & in eius vrbe Gabaa, vt ſæpe dictum eſt.[d] An forte placet in illis verbis, *hoc modo tractatis trans amnẽ incolentib.* ſupplere vocem *reliquis*. aut aliam ſimilem? ſed id ſine detrimento veritatis hiſtoriæ dici, aut ſuppleri non poteſt.

πόλεις αὐτῶν εἰς δουλείαν ὑπάγεται, αὐτοὺς χειρωσάμενος.

[d] an. mund. 1962. n. 97.

XXXII *Iabeſitæ inducias.*

Tam triſti accepta denunciatione, Iabeſitæ dixerunt ad eos, *concede nobis ſeptem dies, vt mittamus nuncios ad vniuerſos terminos Iſrael, & ſi non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.* Non ſine cauſa miratur Abulenſis[e], quid ſit quod hi nullam regis mentionem faciunt, quem tamen bellorum gerendorum, & in primis huius periculi declinandi gratia à Samuele popoſcerant. Idq; ex contemptu Saulis, tanquam viri ruſticani, & bellorum inſolentis profectum putat, proptereaq; ſolito more vrbes tributim per ſuos nuncios ſollicitare voluiſſe, quæ ſuo, non illius ductu, ſi placeret, ſuppetias ferrent. quæ admodum eſſe probabilia negari non poteſt, vt ſupra ſignificauimus[f], neque dici poteſt tanto tempore iſtos creati Regis ignaros fuiſſe, neque eum in tanta neceſſitate ſua appellare non auſos. Ac ne Ioſephus quidem vllam Regis memorat factam fuiſſe mentionem, ad ſpeciem vt alii, ſcripturam ſecutus.

[e] q. 3. in c. 11 1. Reg. 8. v. 20. & c. 12. v. 12.
[f] nu. 24.

XXXIII.

Qvid ſi dicamus Iabeſitas ad vnum Saulem per nuncios confugiſſe auxilii cauſa, præſertim cum Septuag. habeant veniſſe nuncios in Gabaa ad Saulem,& non in Gabaa Saulis? nullum certe alium locum prius adiſſe quam Gabaa Saulis, ex Scriptura conſtat, deinde Saulis iuſſu alios ad bellum conuocaſſe. Non nominarunt autem apud Naas nouum regem,ſiue vt eum facilius improuida ſecuritate lactarent, qui ſemper perſuaſum haberet ſibi rem eſſe contra oues paſtore deſtitutas; ſiue vt facilius ſeptem dies impetrarent, qui neceſſarii erant ad percurſandas omnes Iſraelitarum tribus, non ad vnum Saulem adeundum, in Gabaa commorantem. Nec probare poteſt Abulenſis, non miſiſſe Iabeſitas nuncios ad regem,ſed caſu in Gabaa Saulis veniſſe, cum ad omnes vrbes mitterent, quamuis id ſatis cum Ioſephi narratione conſentiat. Nam ex Scriptura perſpicue conſtat eos veniſſe ad Gabaa, atque adeo ad Saulem, vt placet 70. viris, nec ad vllam aliam vrbem veniſſe, niſi miſſu Saulis,vt mox dicetur.Nec erat cauſa reuera in Saule cur contemneretur, etſi eum ex inuidia nonnulli nuper contempſiſſent, eratque in eo & corpus & animus optimi bellator. Deique ipſius certiſſima electione, & maximi Prophetæ inauguratione nitebatur. Accedebat matura ætas, familia copioſa & florens, opes non pœnitendæ, munera ab vniuerſo populo exceptis paucis accepta, in fidei atque obſeruantiæ teſtimonium. Denique vt hæc abeſſent omnia, & idolum pro rege diuinitus accepiſſent, neceſſitas tamen Iabeſitarum ipſum adire, & omnia cum illo tentare perpuliſſet, ne ille ſe contemptum videns, eos omni auxilio priuatos Ammonitarum permitteret poteſtati,atque ſæuitiæ.

Aut verum à Saule rege.

Idque probatur.

XXXIV. *Iabeſitarũ reſponſio ex Ioſepho.*

Avdiendvs eſt etiam hoc loco Ioſephus, etſi is minus ad iſta attenderit, quæ de inuocata Saulis ope diximus. *Tam ancipiti*, inquit, *optione territi Galadenſes,nec hoſtile reſponſum dare auſi ſunt, nec pacatum; ſed inducias ſeptem dierum petierunt, vt miſsis ad conſanguineos nuncijs poſtularent auxilium, & ſi impetratum fuerit, bellum gererent, ſin minus promittebant ſe deditionem facturos, quacunque conditione hoſti liberet. Naaſes autem qui* Galaadenos atque adeo vniuerſos Iſraelitas, præ ſe ſuiſq; *contemnebat, non grauatim inducias dedit, permiſsis vndecunque ſuppetias implorare.* Huius ſuperbiæ, & contemptus argumentum eſt illud, *ponamque vos in opprobrium in vniuerſo Iſrael*; ſed & peculiarium aduerſus Iabeſitas inimicitiarum,qui velit eos præter propriũ dolorem, & calamitatem, omniũ Iſraelitarum ludibrio,& opprobriis ſubiacere,& tanquam bello inutiles,& pacis muneribus indecores,ab omnibus reiici. Nec eſt quod propter datas inducias ſtultitiæ, ſiue imprudentiæ hunc regem Toſtatus arguat; [a] id enim fecit vel ad occupandam clementię laudem, vel ad vitandam ſuorum, in pugna cum deſperatis, iacturam: præſertim cum humanitus victoriam haberet exploratiſſimam:& Iabeſitas contemneret, vt ait Ioſephus.

Iis priuatim infeſtus Naas.

a q.3.in c. 1

b l. 6 .5.

XXXV. *Populo cur prius res cognita,quã Sauli.*

Nvncii ergo Iabeſitarum, facta ſibi à Rege exeundi poteſtate, venerunt in ciuitatem Gabaa, quam Saul incolebat. Non enim ignorabant eum in Maſpha creatum nuper fuiſſe regem, multo maxima populi parte comprobante,eiuſque eſſe populum ad bellum conuocare, & populi bello Imperatorem agere. Cumque abeſſet Saul, concurrit populus ad nuncios audiendos: quos cum audiſſet lamentantes de triſtiſſima conditione, qua cum ſibi in hoſtium poteſtatem veniendum eſſet, *leuauit omnis populus vocem ſuam, & fleuit*, nimirum quia de imminente fratrum ſuorum calamitate angebatur, nec animaduertebat quid remedii malo iſti afferri poſſet, alioqui non ad muliebres flectus,ſed ad iuſtiſſimam iram, vt mox de Saule dicetur, fuiſſet concitatus. *Et ecce*, ait Scriptura, *Saul veniebat ſequens boues de agro, & ait, Quid habet populus quod plorat? & narrauerunt ei verba virorum* Iabes. Vim profecto videtur afferre Scripturæ Toſtatus, cum hinc colligit nullo loco aut numero habitum regem à Iabeſitis, qui eum primum non adierint, literas non attulerint,nuncia prius ad populum quam ad ipſum retulerint; quæ ipſe à populo non à nunciis didicerit. At Saulis abſentia facile his medetur malis. Adierunt enim primo Saulẽ,ſed cũ abeſſe didiciſſent, nõ potuerũt interea vehemẽtiſſimi doloris cauſã taciti retinere: itaq; dum ille rediret maiores natu,& magiſtratus diuerſi adierũt, breuiq; tota vrbe vulgata, plorataq; res eſt. Interim aduenit Saul,qui in ipſo vrbis aditu,audito clamore, ploratuq; obuium quẽq; vt fit interrogat,rẽq; ab eo primũ,deinde ab ipſis nũciis addiſcit. Sic Heli prius ſonitũ

Num ex cõtemptu.

tumultus & clamoris populi audiuit, quã à nũcio acceptã cladem cognoſceret.

XXXVI. *Reliquæ vrbes nõ primo aditæ.*

IOSEPHVS autem [a] quem ſecutus eſt Abulenſis, hæc de more amplificat, aitq; ad vniuerſum Iſraelem primò, tum in Gabaa Saulis vrbem veniſſe, cum tamẽ eos recta in Gabaa ad Saulem tam diuina inſpiratio, quam humana prudentia detulerit. *E veſtigio*, inquit, *per omnes Iſraelitarum vrbes nuncios dimiſerunt, ſignificantes ſe minis Naaſis in extremam deſperationem adductos: ſed quocunque illi venirent, tantundem metus, quantum mœroris afferebant, vt nemo ſe mouere auderet*. ſic ipſe. Mœrebant videlicet ſe ſociis in tanto diſcrimine conſtitutis auxilium afferre non poſſe; timebant vero ne illis crudeli & ignominioſa ſeruitute preſſis, ad alios Tyrannus pergeret, eoſque pari calamitate afficeret. Itaque conſilii inopes, neque auxilium præbere, neque negare audebant, ne præbendo, maiores in ſe Ammonitarum iras accenderent, negando ſociis ſeſe inhumanos exhiberent. *Cæterum*, ait Ioſephus, *cum ad regiam quoque veniſſent, & ibi etiam populus, ſicut in alÿs oppidis afficeretur, Saulus rure domum reuertens, & animaduerſa mœſtitia populi ſcitatus quæ cauſa confuſionis & pudoris, ex nuncÿs omnia cognouit*. [a l.6 c 5.]

Earũ mœror, & metus.

XXXVII. *Saul an ex agricultura rediret.*

MINIME autem diſſimulandus eſt hic Saulis rure domum reditus. Nam Lyranus, negat intelligendum Saulem iam publicè electum in regem egiſſe officium bubulci, ſed veniſſe de agro, vbi deambulationis cauſa fuerat, vel militaris cuiuſpiam exercitationis; inde autem domum reuertiſſe, ſub id tempus quo ſolent boues domum reduci. Ioſephus boum non meminit, imo neque Septuaginta. Nam ille habet. ὁ δὲ Σάουλος, ἀπὸ τῶν περὶ τὴν γεωργίαν παραγενόμενος ἔργων εἰς τὴν πόλιν. *Saulus autem ex agriculturæ operibus aduenıens in vrbem*. Septuaginta vero. Σαοὺλ ἤρχετο μετὰ τὸ πρωὶ ἐξ ἀγροῦ, *Saul veniebat poſt mane ex agro*. Et huic opinioni ratio ipſa videtur fauere; Cedit enim id in opprobrium regiæ dignitatis, ad quam publice diuina ſortione erat euectus; & in detrimentum boni communis, cuius intererat non deteri neque in contemptum adduci regiam auctoritatem; nec patiebatur propriæ humilitati, cum communi damno ſeruiri.

XXXIIX *Jta videri*

CONTRARIA tamen ſententia ſine controuerſia ipſius ſcripturæ eſt, quæ habet, *Et ecce Saul veniebat ſequens boues de agro*, vel vt eſt in Hebræo, *veniens poſt boues*, non autem tempore reditus boum; nec recte dicuntur ſequi boues, niſi qui eorum curam aliquam habent: nec alienos concidit boues, ſed proprios & ſuos, quos habebat in promptu. Hebræum ſequitur Chaldæus paraphraſtes, & Septuaginta Complut. & Regia in quibus legitur, κατόπιν τῶν βοῶν. ſequitur Abulenſis quoque, [b] & Serarius. [c] Ioſephus quidem vt dixi boum non meminit, ſed Saulem ex agriculturæ operibus, ſiue ex aratione reuertentem exhibet, quod non ſatis expreſſit interpres ipſius. Quod autem Septuaginta Hebræam vocem bacar mane verterint, in cauſa fuit, quod bos & mane iiſdem literis Hebraicis, quamuis diuerſis motionibus ſcribantur. Illis porro ſeculis, ſicut & ſuperioribus imo & poſterioribus aliquot, non fuiſſe contemptui agriculturam, probant in hiſtoria Romana Fabricii, Curii, Coruncani. Catones, & Africani. In Perſica Cyrus minor, in Numidica Maſiniſſa. Docent Gelo Syracuſanus, Arcas Philopœmen, Oſiris Ægyptius, & apud alias gentes alii. Nam Iacob cum filiis ſuis, & Moyſes exercebant paſtoritiam, Gedeon frumenta purgabat in torculari, Samgar ſexcentos Philiſthæos vomere mactabat; Et Samſon maxilla millenos. Non poteſt denique oſtendi Saulem agriculturæ vel delectatione, vel vtilitate, publicam rem neglexiſſe, qui propriis bobus in fruſtra conciſis communem vtilitatem promouerit.

[b in 5. fin. q. 3. & q. 4.]
[c & 5. in c. 11.]

Agricultura honorata

Bos בקר
Mane בקר

XXXIX. *Saul Dei ſpiritu, iraque repletur.*

AVDITA Saul lamentatione & diſcrimine Iabeſitarũ animo vehementer commotus eſt, hominem ſpiritu fortitudinis diuinitus inuadente, & hominem qui ſciret hanc vltionem ad ſe pertinere. Itaque in Sept. legitur *iratus eſt contra eos*, non vtique nuncios, ſed Ammonitas: nec tamen ita perturbatus eſt, vt in eo prudentia in recte digerendo bellico negotio, deſideraretur. Nam *aſſumens vtrumque bouem concidit in fruſtra* 3. *miſitque in omnes terminos Iſrael, per manum nunciorum* (tam eorundem, quam diuerſorum, vt vult Abulenſis) *dicens, quicunque non exierit, & ſecutus fuerit Saul, & Samuel, ſic fiet bobus eius*. Quæ pœna nec ſumma fuit, ne ſeuerior à principio videretur Saulis principatus. neque exigua: cum omnes fere opes huius populi gregibus, armentiſq; conſtarent. Prudenter quoq; fit

Suos pœna propoſita conuocat.

℞ 3 Lyran. Salomon.

mentio Samuelis, propter eximiam eius in populo authoritatem, & iuſtiſſimam ſanctitatis opinionem, rerumque gerendarum peritiam; vt tanto facilius perſuaderetur Iſraëlitis, nihil temerè in hoc bello agi, cui Samuel ipſe vir longe ſapientiſſimus intereſſet; nihil præter diuinam voluntatem in expeditione militari, cui propheta eiuſdem voluntatis interpres pene præeſſet. Forte etiam inter Saülem & Samuelem, ſermo habitus fuerat de exercitu contra Ammonitas congregando, vt ait Caietanus.

XL. *Conueniũt.*

Invasit *ergo timor Domini populum*, non timor ſimpliciter, ſed timor Domini, id eſt à Deo immiſſus, vel ingens quidam timor, quem Deus excitare poteſt, vt ſolet aliquando, ſupra quam obiectum formidabile requirat, quo modo tam ſæpe maximi exercitus, à minimis fuſi fugatique in ſcriptura, profaniſq; literis memorantur. *Et egreßi ſunt quaſi vir vnus:* vel vna mente atque voluntate, vel tanta facilitate numeroſiſſimus exercitus in aſſignatum à rege locum confluxit, quanta vir vnus eò ſe iuſſus contuliſſet. Et recenſuit eos in Bezec 4 vt certo numero per ſingulos duces diſtribui, & ordinari poſſent. Eum autem locum ad ripam Iordanis fuiſſe, & rei ipſius commoditas exigit, vt eo celerius exercitus Iordanem traijceret, & ſententia multorum confirmat. Id ſentit Ioſephus, vt mox patebit, id Caietanus hoc loco, nec repugnat Abulenſis. Ex quo fit vt aliam oporteat eſſe hanc Bezec, ab ea in qua regnauit Adonibezec. licet id putaret Lyranus, Abulenſis, Adrichom. [a] quæ erat iuxta Hieruſalem, longiſſime a Iordane.

4 ℞.

[a] In tribu Iud n.65.

XLI. *Quo numero.*

Inventa ſunt autem *filiorum Iſrael trecenta millia, virorum autem Iuda 30. millia.* Seorſim ſæpe numeratur tribus Iuda à reliquis, honoris & multitudinis cauſa: etiam ante factam regni Hebræorum ſub Roboamo diuiſionem. Congregatus porro eſt tantus exercitus intra ſex dies; vt non ſine cauſa diuinam hic manum confiteri oporteat. Id autem confirmatur ex eo quod Iabeſitæ 7. tantum dies poſtularant induciarum. Nuncij autem qui apud Saülem remanſerant, futuri duces itineris, vt ait Ioſephus, [b] dimiſſi ſunt qui Saülis nomine dicerent ſuis, *cras erit vobis ſalus;* Iuerunt ergo ſexto die nuncij ad ſuos, qui nunciarent adeſſe exercitum maximum ad flumen, eaque nocte Iordanem tranſiturum, & die ſequenti cum hoſte pugnaturum, & quidem bene mane, adeo vt inualeſcente ſole, id eſt circa horam tertiam ante meridiem, quam nos appellamus nonam, victoria contingeret, quod ſapit præſcientiam futurorum; ſed nihil mirum, Samuel enim propheta erat in caſtris.

Redeũt nuncij ad ſuos.

[b] l 6. c.5.

XLII. *Iabeſitarũ cum Naas diſſimulatio.*

Qvibvs cognitis Iabeſitæ, eodem ipſo tempore, ad regem Naas, & ſpe, & lętitia diſſimulata venerunt. Et, *mane*, inquiunt, *exibimus ad vos*, id eſt cras, eadem quippe vox Machar eſt in Hebræo, hoc loco quæ paulo ante vbi dicitur, *cras erit vobis ſalus.* & vtrobique Septuaginta habent αὔριον. Ergo, vt credibile eſt, pullati veniunt, ſciſſis veſtibus, neglecta cæſarie, puluere conſperſi caput, & quaſi in peruigilio funeris ſui, multis gemitibus lamentantur infœlicitatem ſuã, accuſant etiam fortaſſe ſuorum vel ignauiam, vel inhumanitatem; poſtremo ſpondent ſe poſtridie, abeunte induciarum ſeptiduo, ad ipſos exituros, Ammonitarum vel clementiam, vel ſeueritatem experturos, ſperare tamen ſe, regem humanitatis & clementiæ, virtutis maximè regiæ memorem, neque humanæ fragilitatis, & fortunæ inconſtantis ignarum, mitiorem opinione ſua experturos. Sic videlicet finxerunt deſperata ſibi eſſe auxilia, ſeque deditionem facere paratos; vt Ammonitæ nihil ſibi metuentes otio torperent, & incauti opprimerentur pridie ſperatæ deditionis, & ipſo vltimo induciarum die.

מחר

XLIII. *Aduentus Saul.*

Interea vero dum vna ex parte deditio, victoria, præda, mutilationes, opprobria expectantur; ex altera auxilia, pugna, commutatioque fortunæ, exercitus Iſraëlitarum, quàm minimo fieri potuit motu, Iordanem intempeſta nocte tranſiuit, ne quis inde rumor Ammonitis obſidentibus afflaretur, tribubus, quę trans-Iordanem habitabant, certo quopiam in loco expectare iuſſis. Tum albeſcente cœlo Saül copias omnes tripertitò diuiſit, nimirum vt tribus ſimul ex partibus nec opinantes Ammonitas inuadens, terrore, confuſione, cæde cuncta miſceret: mediam ipſe partem reſeruauit ſibi; cæteris ad dexteram, & ſiniſtram caſtrorum partem, ſimul in orbem oppugnandam, miſſis. Idq; abundante mul-

Diuidit copias.

titudine facile fuit, cum pridem Gedeon, [a] & iam olim Abraham [b] exiguam ſuorum manum ſic diuiſam, hic in Aſſyriorum, ille Madianitarum immenſam multitutidinem immiſerit, & victoriam reportarit. Bellatoribs autem hæc maximè agentibus; Propheta annis grauis partes ſibi de more [c] aſſumpſit numinis exorandi; maximumque ad victoriam momentum attuliſſe putandus eſt.

a Iud 7. 20.
b Gen. 14. 15
c vide ſup. c. 7. 9.

XLIV. *Hoſtem inuadit, pugnat, vincit.*

Saül *ergo*, inquit Scriptura, *ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina*, media vocat reſpectu ſuorum, qui hoſtem eodem tempore ad dextram & ſiniſtram inuadebant; eo tempore quo ſomnus mortalibus ſolet eſſe placidiſſimus, & priuſquam ſatis expergiſcerentur, arma turbidi conclamarent, caperent, pugnarent, punctim, cæſimque conficiebantur; & qui alienos oculos effoſſuri erant, ſua ipſi pectora perfodienda præbebant. Nec in fuga reperiebatur ſalus, quando in hoſtem vndique circunfuſum incurrebant. Quin etiam eodem ipſo tempore Iabeſenos egreſſos, omnia hoſtium munimenta, preſidiaque perrupiſſe, in hoſtem, non iam ſupplices, ſed feroces, furenteſque irruiſſe, etiam tacente ſcriptura recte intelligitur; idque tanto facilius, quo laxior erat obſidio ex contemptu obſeſſorum. Percuſſit ergo Saül Ammonitas, *vſque dum incaleſceret dies*. Reliqui autem qui fuga, latebris, precio mortem redimebant diſperſi ſunt, *ita vt non relinquerentur in eis duo pariter*, id eſt, ſimul. Non enim effugiſſe turmatim, ſed vix ſingulos euaſiſſe dicit. quam ſortem ne regi quidem contigiſſe, ſed in prælio cecidiſſe Ioſephus affirmat, quod mox viderimus. Sicque impletum eſt illud quod prædixerat Saül, *cras erit vobis ſalus cum incaluerit ſol*. Quæ verba veradmodum iam adultum ſignificant, & feſtum hebdomadarum appropinquans.

XLV. *Eadem ex Ioſepho narratio.*

Antequam autem ad vlteriora progrediamur, ex Ioſepho nobis illuſtrandus eſt hic locus. [d] Nam contraria, inquiunt oppoſita contrariis magis eluceſcunt, & in comparationibus non ſolum ſimilia, ſed etiã diſſimilia rem illuſtrant, redduntque notiorem: & ipſe viciſſim in aliquibus corrigendus erit. Cum ergo Saül rure in vrbem reuerſus triſtia nuncia cognouiſſet. *Mox*, inquit Ioſephus, *percitus diuino afflatu, ire eos iubet, & Iabeſenis referre ſe tertia die venturum auxilio, & ante ſolem exortum hoſtem profligaturum, vt exoriens Ammanitas fuſos & fugatos, miſeros vero ciues periculo exemptos inſpiciat.* vtinam hæc non magis concinne dicerentur, quam vere, ſed pergit. *atque his mandatis, aliquot ex eis retinuit, quibus itineris ducibus vti decreuerat. Volens autem pœnæ formidine populum ad Ammaniticum bellum excitare, quo celerius conueniret, boum qui forte ab opere veniebant neruos ſuccidit, idem paſſuros minatus qui poſtridie cum armis ad Iordanem non afforent ſecuturi quocumque ipſe ac propheta ducerent.*

d l. 6. c. 5. extr.

l. 6. ant. c. 6.

E o *metu factum eſt vt cum omnes ad præfinitum tempus preſto eſſent, recenſitis apud Balam oppidum copiis, inuenirentur ſeptingenta millia confluxiſſe, abſque tribu Iudæ, quæ ſola armauit ſeptuaginta millia. Tranſgreſſus dein Iordanem, & decem ſchænorum ſpatium, nocte vna emenſus, ante Solis ortum quò deſtinauerat peruenit: & diuiſo trifariam exercitu, vndiquaque hoſtem, nihil tale expectantem aggreditur, & acriter pugnando ingenti ſtrage edita inter cæteros Naaſen regem occidit.* Hæc Ioſephus, quæ Sigiſmundus ex fide vertit.

XLVI. *Examinatur, & arguitur in ratione tẽporis.*

Nonnulla autem ſunt, quæ deſiderentur à nobis. Niſi enim vehementer fallimur, errat ex ratione temporis non ſatis intellecta, aut obſeruata. Nam in textu ſacro non habetur mox remiſſos nuncios, ſed tantum pridie certaminis; illis quippe nunciis vti volebat ad Iſraëlitas efficacius vbique ad arma concitandos: nec promiſſum eſt auxilium in diem tertium, ſed in ſequentem ſeu craſti-
1 num. nec promittitur victoria ante exortum ſolem, ſed dum incaluerit ſol, id eſt
2. circa meridiem: nec retenti ad iter monſtradum aliqui nuncij. Nunquid enim
3. in numeroſiſſimo exercitu deerant, propriæ regionis itinerum periti? Sed ad cer-
4. tiora obſeſſis nuncianda; nec mandata per totum Iſraëlem tributim perferenda
5. dedit, vt poſtridie ad Iordanem cum armis addeſſent, id enim in tanta diſtantia fieri non poterat ab omnibus, nec neceſſe id erat, ſed ad ſextum duntaxat induciarum diem, quod & factum eſt. Itaque negligentia obſeruandi temporis Ioſephum hic quinquies paucis verſiculis errare coëgit.

τῇ τρίτῃ τῶν ἡμερῶν.

XLVII. *Et in aliis.*

Corrigendus quoque quòd boum neruos, quorum numerum à Scriptura expreſſum ipſe ſine cauſa prætermiſit, ſuccidere quam totos in fruſta concidere

maluerit; cum tamen ſubneruati ægrè, & tardè per omnes tribus circunferri potuerint; fruſta vero facillimè, atque celerrimè. 1. Quòd ad omnes tribus Iſraël per eoſdem ipſos Iabeſenos nuncios mittere noluerit, ſed domum præproperè remiſerit: 2. qui tamen nuncij ad totum Iſraëlem ad arma excitandum, erant in primis idonei; ideoque ab Saule per quam prudenter electi, miſſique. idque confirmat textus Hebræus, qui eos non nuncios, ſed legatos vocat, vt eruditè vertit Arias Montanus. Nimirum legati ſunt inferiorum ad ſuperiores, aut certè ad pares, quos ergo legatos miſerint Iabeſitæ ad Saulem, eoſdem ille miſit ad ſibi ſubiectas tribus nuncios. 3. Quòd pœnæ modum, quem diſtincte Scriptura poſuit, in ambiguum ſenſum ipſe traxit, vt dubium ſit an ſuccisionem neruorum homines in ſuis bobus, an in ſeipſis paſſuri dicantur, idque non vitio interpretis, ſed ſcriptoris.

(Margin: המלאכים chammalacim.)

XLIIX. *Item circa loca.*

Corrigendvs quoque circa loca eorumque diſtantiam, quod Balam oppidum pro Bezec iuxta textum Hebræum & Septuaginta interpretationem poſuerit: Quæ tamen Bala non ad Iordanem ſita eſt, ſed ad mare mortuum. Audi enim S. Hieronymum, [a] & maiori fide hominem, & locorum experientia, vt arbitror, non minorem. *Bala*, inquit, *quæ eſt Segor nunc Zoara nuncupatur, ſola de quinque Sodomorum vrbibus Lot precibus reſeruata. Imminet autem mari mortuo, & præſidium in ea poſitum eſt militum Romanorum, &c.* Nec alia Bala vſquam memoratur, quam Cariathiarim, quæ Bala quoque dicta reperitur, & alia in tribu Simeonis, quæ ambæ longiſſime à Iordane diſtant.

(Margin: a in loc. Hebr)

XLIX. *Eorumque diſtantiam Schœnus. Paraſanga*

Itervm etiam peccat in locorum diſtantia, cum à Iordane vſque ad Iabes decem ſchœnorum ſpatium ponit. Schœnus autem ſiue Schœniſmus menſura terræ Perſica, ex ſententia Herodoti in Euterpe, conſtat ſexagenis ſtadiis, ſicut paraſanga tricenis. Ex Eratoſthene autem apud Plinium, [b] ſchœnus patet ſtadiis 40. vbi etiam addit aliquos 32. ſtadia ſingulis ſchœnis dediſſe. Decem itaque ſchœni Ioſephi, ex ſententia Herodoti, quam magis probari video, conficiũt ſexcenta ſtadia, id eſt 75. milliaria; ex Eratoſthene 10. ſchœni quadringenta ſtadia, id eſt 50. millia paſſuum comprehendunt, aut iuxta minimam menſuram 40. Atqui teſte Hieronym. in Epiſt. ad Dardanum, [c] longitudo terræ ſanctæ à Dan vſque Berſabee, vix 160. millium ſpatio tenditur. Latitudinem autem eiuſdem puduit Hieronymum dicere, ne Ethnicis, vt ipſe ingenue fatetur, occaſionem blaſphemandi daret: ea vero vix quadrantem longitudinis obtinet, iuxta optimos quoſque topographos, atque coſmographos, id eſt paſcuum 40. millia, etiam non ſeparata Philiſthæa. Conſtat etiam tres minimum huius latitudinis partes cis Iordanem inueniri, quartam autem vltra Iordanem, id eſt, 10. circiter paſſuum millia. vbi ſunt ergo decem ſchœni, id eſt 75. aut 50. aut minimum 40. milliaria? præſertim cum Iabes, non in extrema Galaaditide verſus Ammonitas, ſed in media collocetur, quod tamen propter obliquitatem viarum omitti poteſt. Nónne hìc Ioſephum à S. Hieronymo his verbis compellari dixeris. *Hæc eſt Iudæe tuarum longitudo, & latitudo terrarum, in his gloriaris, ſuper his te per diuerſas prouincias ignorantibus iactitas. Ad populum phaleras, ego te intus & in cute noui.* Ita D. Hieron.

(Margin: b l 12.c.14. — c tom.3 ep. 129. — *Quæ longitudo & latitudo terræ promiſſæ.* — Ibidem.)

L. *Arguitur in magnitudine copiarum.*

Corrigendvs etiam Ioſephus in numero militum, in quo illum quoque arguit Abulenſis, [d] ſed in numeris procliuis eſt ad lapſum, & lingua & manus: itaque non dicam, vt quidam, congeſta in vnum multa erratorum millia; ſed numerum, ſi de induſtria mutatus eſt, valde ambitioſè amplificatum. Hebræi enim omnes, Chaldæi, Latinique codices, imo & Græci omnes in priore numero Iſraëlitarum ab eo diſcedunt: Græci quidem centum millibus hominum, cæteri autem quadringentis millibus. In poſteriore autem numero qui Iudæos continet, conſentit quidem cum pleriſque Græcis, cum Hebræis tamen omnibus, Chaldæis, Latiniſque pugnat, pro triginta enim millibus, habent 70. millia. Corrigendus denique circa mortem Naas. Nam ſecundi Reg. decimo, mittit Dauid Rex legatos ad filium eius Hanon, qui eum in recẽti luctu de patris morte conſolentur; quod ipſemet Ioſephus fatetur; id autem circa decimum ſeptimum à Saülis morte annum contingit, id eſt vltra 30. ab hinc annos. tot ergo annis ſuperſtes fuit is quem nunc mortuũ Ioſeph. parũ ſibi conſentiẽs fabulatur.

(Margin: d q. 8. in c. 11. 1.Re.ſub finem. — Aldi Rom. Baſil. — infr.an.Dauidi.17.17. ant c.6. — *& morte Naas.*)

LI. *Vaſtitas illata Ammonitidi.*

Illvd vero quod de vaſtata tota Ammanitide regione ſubiungit, etſi in Scriptura omiſſum eſt, quia tamen probabile eſt, & præſenti Iſraëlitarum dolori conſentaneum, & ad effecta victoriæ huius pertinet, non omittemus. *Hæc victoria*, inquit, *Sauli nomen apud omnes Hebræos inclytum reddidit: fama longe lateque fortitudinem viri celebrante. Si qui enim erant qui prius eum contemnerent, tunc mutata in diuerſum opinione, omni eum honore dignum prædicabant;* ſed hoc poſterius effectum eſt, de quo mox cum Scriptura, de priore autem ὑστεροπρώτως hæc ſubdit. *Nam non contentus Iabeſenos ſeruaſſe, in Ammanitarum regionem irruptione facta totam vaſtauit, & ditato ex præda exercitu, glorioſe domum reuerſus eſt.* Non quidem in patriam Gabaa: nam hinc proxime in Galgala, id agente Samuele, ab omnibus itum eſt; ſed in regnum ſuum, cuius erat ipſe Paterfamilias.

LII. *Contemptores Saulis depoſcũtur.*

Hoste Iſraëlitarum auſpiciis Saülis debellato, planeque domito, populus, cui hæc victoria Saülem valde commendauerat, ait ad Samuelem. *Quis eſt iſte qui dixit, Saul num regnabit ſuper nos? Date viros, & interficiemus eos.* Quaſi dicant, profiteantur, ſi audent, nomen ſuum; & illico iniuriam & contemptum regis, & ſuperbiam ſuam, ſeditionemque morte luent. Ex quibus verbis intelligitur, quod ſupra diximus, non magnam fuiſſe multitudinem iſtorum filiorum Belial. Quomodo enim exercitus maiorem populi partem ad mortem depoſceret? Saul autem, ad quem iniuria, & vindicta pertinebant; quique regnum ſuum eximia in hoſtes fortitudine ſtabilire cœperat, voluit etiam clementia in ſuos confirmare, omnem iniuriam obliterando, & victori Deo condonando. *Non occidetur*, inquit, *quiſquam in die hac, quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael.* Vtrum tamen Saul pœnam planè remiſerit, an diſtulerit in aliud tempus, vt verba ſignificant, & factum eſt poſtea à Dauide, [a] vide Abulenſem. [b] Ego elegantem huius loci paraphraſin ex Ioſepho ſubiicio, ne quis me Ioſephum reprehenſionis tantum cauſa referre putet. A qua tamen mente atque conſilio longe abſumus, etſi eum ſacris literis repugnantem ægrè patimur impunè, & ſine refutatione abire. Id enim pridem polliciti ſumus; & id à nobis Deum in hoc ſcribendi munere poſtulare perſuaſum habemus: à quo ſperamus omnia in laudem ipſius, & maiorem veritatis notitiam ceſſura. Sic ergo habet. [c]

Saule clementer repugnante.

[a] 3. Reg. 1. [b] q. 10. in c. 11. [c] l. 6. ant. c. 6.

LIII. *Quod Ioſephus belle expreſſit.*

Popvlvs *verò nimio gaudio geſtiens placebat ſibi, quod talem regem eſſet nactus, & illis qui inutilem fore dixerant inſultabat, rogitans vbi nunc eſſent iſti contemptores, & ad ſupplicium eos depoſcens: & alia multa iactabat, vt ſolet multitudo, quoties in aliqua fœlicitate conſtituta contra authorum eius aduerſarios irritatur. Saulus interea ſtudium quidem ac beneuolentiam eorum collaudabat, ſed iureiurando affirmauit non paſſurum, vt quiſquam è conſanguinea multitudine tam feſto die rapiatur ad ſupplicium. Periniquum enim eſſe victoriam à Deo datam ciuili ſanguine polluere, ſed magis decere, vt poſitis odiis, diem epulis atque hilaritate tranſigant.* ſic ipſe. Et vero par eſt credere Hebræos hoſtium caſtris, omnique ſuppellectile, & commeatu potitos, corporibus à nocturno, diurnoque labore curandis operam non negligentem dediſſe. Sed hanc hilaritatem, ſicut & prædę diſtributionem, & Iabeſitarum reparata damna Scriptura prudentibus coniectanda reliquit.

ὁμοφύλων.

LIV. *Samuel renouat comitia in Galgalis.*

Samvel autem occaſionem bene animati in nouum regem populi, quam Deus ipſe ſuſcitaſſe videbatur, paſſus non eſt ſine vtilitate perire: ſed populum ad confirmandum communi omnium conſenſu Saüli regnum, factamque dudum electionem eius excitauit. Ait enim, *venite & eamus in Galgala, & innouemus ibi regnum.* Vbi hæc ab eo dicta fuerint non conſtat; videntur tamen dicta ante Iordanis tranſitum, & ante quam vlli proprios repeterent lares. Nam plerique, qui ad tribum Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe pertinebant, Iordanem non erant tranſituri; alij iam inde è caſtris diuerſis itineribus ad ſuos redituri erant, denique alij aliis in locis Iordanem erant tranſmiſſuri. Indicto autẽ vno eodemque ad conueniendum loco, eodem fere vado omnibus vtendum fuit. Fuit autem Galgala Iordani vicinus, idemque religioſus locus, ex quo ibi tempore Ioſue Arca Domini cum Iſraëlitarum caſtris diu permanſerũt; [d] licet etiam idolis aliquando profanus factus eſſet, vt tempore Eglonis regis Moabitarum, quem Aod pugione confodit; anno ab hinc 294. Denique ibi Samuel ſacrificare conſueuerat: & illuc crebro proficiſcebatur iudicandi populi cauſa. [e]

[d] 1. Regum 10. 8. 2963. 2669. 294. [e] c. 7. v. 16.

LV. *Innouandi regni cauſa, ibiq. iterata omnia.*

Perrexit itaque omnis populus in Galgala tranſmiſſo Iordane, vt illic innouaret regnum, & quantum opus erat Saulem recens, ac de nouo, vt aiunt, conſtitueret regem, quoniam priori inaugurationi, quæ publice facta fuerat, à nonnullis apertè reclamatum fuerat. Ergo ſortitio inſtaurata eſt, & inunctio, & acclamationes, & feſta cantica, & ſacrificia, & epulæ, omnia denique, vt ait Abulenſis [a] veriſimile eſt facta fuiſſe in Galgalis, quæ facta fuerant in Maſphat, & rurſum ait in hac regis innouatione repetita fuiſſe omnia, quæ requirebantur ad conſtituendum aliquem regem, perinde ac ſi nihil hactenus factum eſſet. De inunctione, quæ præcipua habetur in hac tota celebritate, id perſpicuè tradunt Septuaginta. Nam vbi nos ex Hebræo legimus, *Et fecerunt ibi regem Saul*, ipſi habent, *Et vnxit Samuel ibi Saul in regem.* Viderunt quippe eum mox in Scriptura [b] Chriſtum & vnctum dici. Ex quibus Ioſephus, *Ibi rurſum*, inquit, *inſpectante tota multitudine propheta vnxit Saulem ſacro oleo, atque iterum regem conſalutari fecit.* Vbi notanda eſt non ſolum vnctio, ſed iterata vnctio, & iterata coram multitudine, & iterata oleo ſacro, iuxta ea quæ ſupra dicebamus, [c] ad differētiam primæ quæ priuata fuit, & communi oleo peracta, vt ſuo quoque loco dictum eſt. [d] Itaque triplex fuerit Saulis inunctio, ſicut & Dauidis, vna priuata, publicæ duæ; iteratæ etiam fuerunt conſalutationes, & acclamationes, Ioſepho teſte.

Præſertim vnctio.

a q.13. in c.11.

b c. 12. v 3. χριστός

c N. 17.

d an. 1. Saul n. 80. & 81. Abul. ibid.

LVI. *Et ſacrificia.*

Iterata denique ſacrificia, victimaſque pacificas Scriptura ipſa teſtatur, eaſque epulæ perpetuo ſequebantur, quas innuit ſcriptor ſacer, cum ait, Saulem vel, vt plerique Græci habent, Samuelem ibi cum vniuerſo populo vehementer lætatum. quæ enim ſine epulis, aut ludis lætitia popularis? quoniam vero apertè dicitur factum regem in Galgalis coram Domino, & ibi immolatas victimas coram Domino, nihil video abſurdi ſi concedatur in Galgala quoque arcā ad hanc celebritatem cohoneſtandam fuiſſe allatam, id agente propheta, & pontifice conſentiente: moxque ad Cariathiarim fuiſſe relatam, iuxta ea quæ ſupra diximus. [e] Sicq; reuera, innouata fuerint omnia. Et ita nobis conſiliabimus S. Hieronymum circa tranſlationem Arcæ in Maſphat, & Galgala: nec tamen recedemus ab iis, quæ ante ſtabiliuimus. a. m. 2960. n. 3. Non deſunt etiam qui non improbabiliter putent aram ibi à Ioſue ante trecentos & octoginta ferè annos excitatam, his quoque temporibus perduraſſe, & ſuper eam immolatas victimas, dicique hîc facta coram Domino, quæ coram altari, quod repræſentat Dominum, facta fuerant.

An & arca eò traducta ad tempus.

e N. 3.

LVII. *Cauſa comitiorū ex parte Samuelis.*

Occasionem porro congregati Regis, ſimul & populi accepit Samuel, vt teſtimonium abſtinentiæ & integritatis ſuæ coram Rege ab vniuerſo populo acciperet. *Quoniam*, vt ait Theodoretus, [f] *perfungebatur authoritate ſua, & eam tradebat regi. Erat ergo conſentaneum, vt quæ à ſe geſta eſſent narraret; & quod in Repub. gerenda cum laude verſatus eſſet conſentientem haberet populum, legitimam illum docens poteſtatem.* Sic ipſe. 1. Id quoque factum rectè dixeris, ad docēdam exemplo ſuo abſtinentiam recens inſtitutum regem: 2. ne populo iuſtam præberet occaſionem querelarum. Iuxta illud, [g] *Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis.* Voluit quoque populum intelligere quanta eſſet Regis authoritas, cuius ſe ipſe iudicio 3. ſponte ſubmitteret, in ijs quæ ad Reipub. adminiſtrationem pertinerent. Deniq; 4. voluit populum tacitè arguere iniuſtitię, qui Iudicem ac magiſtratum ſuum ſingulari innocentia, vel ipſorum confeſſione, virum abdicaſſent; vt Regi ſe, cuius eſſent ſeueriſſima iura, ſubijcerent; Sed ipſam eius in comitiis habitam orationem audiamus.

f q 28. in 1 Reg.

g c. 8. v 18.

LVIII. *Eius ibidē oratio.*

Ecce, inquit, *audiui vocem veſtram, iuxta omnia quæ locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos Regem. Et nunc Rex graditur ante vos.* Alludit ad illud, quod ante dixerant maiores natu Samueli, *Iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis*: id quia recens factum ab eo contra Ammonitas, *nunc*, inquit, *rex graditur ante vos*, non tam locorum ſpatio, quàm authoritate & dignitate. Vel, *Rex graditur ante vos*, iam ſtabilitum eſt regnum in manu eius, & diuino, humanóq; iudicio confirmatum; adeò vt quod electione diuina obtinuerat, præclariſſimæ quoque victoriæ nomine mereatur. Rex eſt nec deſeri à vobis, aut mutari poteſt, ſed illud prouidendum, vt quamuis in optando rege peccaueritis, cum eo ex diuina lege viuendo, ſalutem conſequamini vt poſtmodum diſtinctius habetur. Illud quoq;

de admiſſo in poſtulando rege peccato, latius paulò poſt aliquanto diducit Pergit.

LIX. *Quid de filiis ſuis dicat.*

Ego autem ſenui & incanui: agebat quippe annum ſexageſimum tertium, vt qui natus fuerat anno 2. Heli. *Porro filij mei vobiſcum ſunt*, inquit Samuel, quæ verba, quia perfectam ſententiam non habent, variè à variis ſupplentur. Lyranus, remanebunt pro me obſides ad ſatisfaciendum ſi alicui teneor, & ſatisfacere non poſſum. Sed hic ſenſus requireret verba iſta dilata vſque ad illum locum, *Ecce præſto ſum, & filij mei vobiſcum ſunt.* Abulenſis ſuppler, qui poterant pro me regere, ſi ſenectus mea videtur impar adminiſtrationi Reipub. Id enim ſignificarat maiores natu cum primum regem petierunt, [a] ſed hæc expoſitio vt præcedentibus illis verbis, *Ego ſenui & incanui*, recte conueniat, non ſatis tamen quadrat ſequentibus, quæ nullam adhuc habent querelam, quam ponit hæc interpretatio. Caietanus, *petite iuſtitiam aduerſus eos, & aduerſum me*; rectè quidem ſi illos ſciſſet innocentes, non conueniebat autem patri filios, quos noſſet parum probatæ adminiſtrationis, in ius trahere, & reddere toti populi probroſiores. Vatablus, ſuccedent in locum meum, poteritis eos conſulere. At iam ab vniuerſis maioribus natu Iſraël improbati fuerant, ac reiecti; ſanctus Gregorius, quibus ad principatus culmen naſcentibus, ius aufero ſucceſſionis. Dionyſius tanquam parati ad obſequium regis, & communitatis, Emanuel Sa, poſſunt, ſi quid opus erit, vobis pro me ſeruire.

a cap. 8. 5.

LX. *Demonſtrat innocentiã ſuam à vi, & calumnia.*

Fortaſſe non male hoc modo ſuppleueris. Ecce filij mei quos accuſatis, apud vos ſunt, non ſubterfugiunt iudicium, rationem reddere poſſunt adminiſtrationis ſuæ, ætatem habent, ipſi pro ſe loquentur: me autem num parati eſtis arguere? ideo ſubdit de ſeipſo. *Itaque conuerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea, vſque ad hanc diem*, alij vertunt à pueritia mea; potuit etiam vere de infantia dicere, cum à matre in templum delatus, ibi iugiter perſeuerauit vſque in præſentem diem. [b] Pergit. *Ecce præſto ſum* experiundi poteſtas datur; ſi placet actionem intendere, *loquimini de me coram Domino*, id eſt publicè, in Dei hominumq; auribus, oculiſq; vel coram arca in qua ipſe reſidet, vel coram altari eius, in quo ipſe honoratur ſacrificiis, arguite me *coram Chriſto eius*. Rege videlicet, qui diuina vnctione conſtitutus eſt legitimus omnium noſtrum iudex, *vtrum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum*, mihi per vim ea iumenta vſurpando, aut eorum vſum gratuitum. Quod ſi vim accuſare non poteſtis, videte num poſſitis accuſare calumniam, malaſve artes, quibus aliquem oppreſſerim, eiue ius ſuum abſtulerim.

b 1. Reg. 1. 24. 25.

LXI. *A corruptione munerum.*

Quod ſi arguere non licet abuſum me vltro poteſtate mea, agite, oſtendite paſſum eſſe abduci me muneribus ad peruertendum iudicium, hoc enim nomine ac fine accipere munera criminoſum eſt. Nam ſimpliciter accipere munera, quæ alicuius in nos beneuolentiam teſtentur, in culpa non eſt. In iudicibus tamen ſuſpicioſa rés eſt, & accuſationi obnoxia, ideoque Samuel ſine vlla reſtrictione, vel conditione, *ſi de manu cuiuſquam*, inquit, *munus accepi*. Et lex ipſa, [c] *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Et videtur alludere Samuel ad accuſationem filiorum ſuorum, de quibus Scriptum eſt, *declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.* [d] Et ipſe, *Contemnam*, inquit, *illud hodie*, pro quo Pagninus, *& occultauerim oculos meos ab eo, ſiue in eo.* Vatablus, ſi accepi munus vt ei oculis meis conniuerem: Caietanus, & faciam celare oculos meos in eo, id eſt, vt intellexit ſanctus Hieronymus, priuabo me eo, auferam id ab oculis meis, contemnam illud atq; reſtituam.

c Exod. c. 23. 8. Deut. c. 16. 19. 1. Reg. c. 8. 3. d Eccl. 46. 23.

LXII. *Teſtimonium Sapientis.*

TESTIMONIVM hoc innocentiæ celebrat Sapiens Syracides, [e] *Et ante tempus*, inquit, *finis vitæ ſuæ, & ſeculi teſtimonium præbuit in conſpectu Domini & Chriſti; pecunias, & vſque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo.* Calceamenti meminit Sapiens, imitatus Septuaginta, qui habent hoc loco [illegible]. calceamentum, ſiue ſubligaculum, ſed [illegible] propitiationem, interpretatus eſt *pecunias*: addunt etiam Septuag. *reſpondete contra me*. Hæc ergo prouocatio quædam eſt Samuelis innocentiæ ſuæ conſcij, qualis fuit illa Chriſti Domini, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & neutrum accuſauit homo, imò Samuelis virtutem & integritatem ſuo ipſi teſtimonio

Et confeſſio populi.

e q 6. in e. 12.

confir-

confirmarunt in tribus prædictis capitibus, *Et dixerunt, non es calumniatus nos, neque oppreſsiſti, neque tuliſti de manu alicuius quippiam.* Iudicem acceperat Samuel Deum, & Saulem innocentiæ ſuæ, ſi vellent contra ipſum contendere Iſraëlitæ, quia vero nolebant contendere, ſed ſponte fatebantur Samuelis innocentiam, quos iudices acceperat, accipit teſtes, non in præſens iudicium, in quo nemo eſt iudex & teſtis, ſed in futurum, ſi quando illum in poſterum accuſare vellent, vt pluribus diſputat Abulenſis. [a]

[a] q. 6. in c. 12.

LXIII. *Et iuratum teſtimonii.*

DICI etiam poteſt Samuelem cognitis huius populi moribus, & inconſtantia, non ſimplici aſſeueratione contentum fuiſſe, ſed iuſiurandum exegiſſe quo illi, Deo, & rege teſtibus, faterentur ſe nihil reprehenſione dignum in ipſo reperiſſe, quod illi ediderunt cum dixerunt, *Teſtis.* Sicut enim per Deum, primam ſummamque veritatem iuratur, ita per regem eius vicarium, cui veritas antiquiſſima ſit, & mendacium probroſiſſimum, non raro in ſcriptura iuſiurandum editum reperitur. Hinc illa. [b] *Per ſalutem animæ tuæ Domine mi rex.* Et, *per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciã rem hanc.* Et Nabuchodonoſor [c] iurauit per thronum, & regnum ſuum. Nimirum maiorem non habebat per quem iuraret, [d] qui ſolus dici volebat Deus. Ergo quaſi Deus per ſemetipſum, & regiam potentiam ſuam iurauit. Samuel itaque, *teſtis eſt* inquit *Dominus aduerſum vos, & teſtis Chriſtus eius in die hac*; fiat videlicet hodie teſtis in tempus opportunum, vel aſſumatur hodie teſtis, non innocentiæ meæ, quam vos confitemini, ſed veſtræ confeſſionis, *quod non inueneretis in manu mea quippiam*, & dixerunt *Teſtis.* In Hebræo eſt, *& dixit* nimirum populus: quidam autem Hebræi apud Lyranum & Abulenſem [e] dicunt miſſam à Domino vocem, *Teſtis*; & in aëre auditam, in teſtimonium innocentiæ Samuelis, vel confeſſionis Hebræorum.

Per Deum & regem.

[b] 2. Reg. 14. 19. c. 11. 11.
[c] Iudith. 1. 11. c. 3.
[d] Heb. 6. 13.
[e] q. 8. in c. 12.

LXIV. *Reprehenſio populi ob petitum à Deo regem.*

DEINCEPS autem tranſit Samuel ad reprehenſionem populi, innouatam Reipublicæ adminiſtrationem, & petitum regem. Cum enim Iſraëlitæ, vt ait Lyranus, ob rem proſperè à rege ſuo geſtam exiſtimare poſſent ſe regem petendo non peccaſſe, quamuis Samuel id ex ore Dei affirmaſſet; [f] eam opinionem nunc Propheta non ſolum verbo refellit, oſtendens quam ingrati fuiſſent in Deum, ſed etiam prodigio; fuit autem hoc tempus increpationi opportunum, quando parta Regis auſpiciis inſigni victoria, populus in regem beneuolentior, ei communi conſenſu confirmauerat regnum. Ante enim cum iam plerique eum non admitterent in regem, neque ipſe vllo egregio facinore nobilitatus eſſet, ſi eos Samuel hac oratione, & miraculo abſterruiſſet, facile omnes regi renunciaſſent, & irrita fuiſſet Domini electio, & Saulis inunctio. Nunc autem rege plane confirmato, quamuis obiurgati, eum non abdicarent, ſed eo retento veniam peccati peterent, & obtinerent, ſicut reuera factum eſt. Vide hæc copioſius apud Toſtatum. [g]

[f] c. 8. v. 10.
[g] q. 2. in c. 12.

LXV. *Eius capita duo. Accepta beneficia extra Chananitidem.*

REPREHENSIONEM porro ſuam ſic exorditur. *Dominus qui fecit Moyſem & Aaron, & eduxit patres noſtros de terra Ægypti.* Hæc quoque ecliptica oratio eſt, quam quidam ſupplent per vocem *adeſt*, quæ apud Abulenſem, & in quibuſdam exemplaribus latinis habetur, in emendatis non habetur, & refertur ad illud, *coram Domino*, quod iam in hoc conuentu aliquoties iteratum eſt. At concinnius, vocem, *Teſtis*, à populo poſtremo illatam reſumunt, dicuntque, Teſtis Dominus, innocentiæ meæ, & peruicaciæ veſtræ, Dominus inquam, qui Moyſem & Aaronem nobiles claroſque reddidit; per quos prodigia edidit, & eduxit patres noſtros de terra Ægypti. *Nunc ergo*, inquit, *ſtate, vt iudicio contendam aduerſum vos coram Domino, de omnibus miſericordijs Domini.* Beneficiis videlicet miſericorditer collatis tam vobis, quam patribus veſtris, quæ videtur ad duo capita reuocaſſe. Primum eſt quomodo Iacob ingreſſus eſt in Ægyptum: cui Dominus Ioſephum Ægypti proregem præparauerat, ne fame periret in Chananitide cum tota familia ſua: ſed potius, mirificè auctus in Ægypto, coaleſceret in populum: qui cum poſtea vexarentur ab Ægyptiis, clamauerunt patres veſtri ad Dominum, & miſit Dominus Moyſen & Aaron, & eduxit patres veſtros de Ægypto, & collocauit eos in loco hoc. Hoc primum maximúmque beneficium quod plurima alia complectitur: ſingula quippe Dei beneficia, ſi rectè æſtimentur, multiplicia eſſe reperiuntur;

omnia ſcilicet quæ in Ægypto, in ſolitudine, & acquiſitione Chananitidis contigerunt. Alterum caput eſt acceptorum beneficiorum in ipſa Chananitide.

LXVI. *Et in Chananitide. per Iudices.*

QVID ergo vice verſa Hebræi in Chananitide? *Obliti ſunt Domini Dei*, quando eo deſerto idolorum cultui ſeſe manciparunt: nec ſemel aut iterum, ſed frequentiſſimè hoc ſe crimine polluerunt; Tunc autem magnum extitit erga vos Dei beneficium, qui non diſperdiderit vos, vt non ſemel fuerat comminatus; aut abiecerit vos, tanquam populos nationum, vt ſine lege, ſine Deo, ſine peculiari prouidentia viueretis: ſed quaſi pater caſtigauerit vos virgis ſuis; ideoque aduerſum vos Iabinos, & Siſaras, Cuſanos & Eglones, Philiſthæos & Ammonitas, aliaſque gentes ſuſcitauerit: nec tamen plane reliquerit *virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum*, [a] ſed ſpiritum eis pœnitentiæ dederit in acerbo verberum ſenſu, vt repudiatis, abiectiſque idolis, clamarent ad Dominum, ab eoque veniam ſupplices, auxiliumque poſtularent; & à miſericordi parente ac Domino impetrarent; ſuſcitato eis Othoniele, Aodo, Baraco, qui hic Badan [b] videtur dici, vt alibi iam dudum diximus 6 & hoc loco Badan à Septuaginta nominatur: Gedeone, qui & Ierobaal, Iephte, Samſone, & Samuele; quorum opera eruit eos de manu inimicorum per circuitum; & habitarunt confidenter.

In quibus Barac, qui & Badan.

a Pſa. 124.

b a.m. 2817 n. 1. 6. §.

LXVII. *Et Samuel.*

Samuel ſeipſum nominauit, quia reuera ipſe populum ſuum liberauit à Philiſthæis, vt ſupra capite ſeptimo perſcriptum eſt, vbi dicitur, *facta manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis; & redditæ ſunt vrbes quas tulerant Philiſthiim ab Iſrael, &c.* Nec mirum prophetam addidiſſe quod ad laudem ſuam pertinebat: Prophetam enim agebat, & Dei ſpiritu dictante loquebatur, ſicut cum Moſes [c] ſcripſit fuiſſe ſe virum mitiſſimum ſuper omnes homines qui morabantur in terra, prophetam ipſe quoque agebat, non hiſtoricum. Quanquam & in hiſtorico plerique requirunt nihil vt falſi audeat, nihil veri non audeat. Samuel autem breuitati conſulens aliqua in his beneficiis, & liberationibus prætermiſit, quia hæc ſatis erant ad arguendos Hebræos ingratitudinis, cum cætera eſſent generis eiuſdem; & iſtorum exemplo ſatis ſuperque oſtenderetur potuiſſe Hebræos ſine regibus ab hoſtibus liberari, ſicut hactenus ſine illis per annos ſupra quadringentos à Moyſe, vſque ad Samuelem liberati fuerant.

c Num. 12. 3.

LXVIII. *Occaſio petiti regis.*

PERGIT porro Samuel, & ipſum reprehenſionis fundamentum, eiuſque occaſionem recenſet, *Videntes autem, quod Naas rex filiorum Ammon veniſſet aduerſum vos, dixiſtis mihi, Nequaquam, ſed rex imperabit nobis, cum Dominus Deus veſter regnaret in vobis.* Speciali ſcilicet dominio temporali, gerens bella veſtra per eos, quos ſuſcitaſſet; & conſultus ſatisfaciens dubitationibus veſtris, & peculiari prouidentia vos quaſi familiam ſuam gubernans, quæ vos in regem veſtrum tranſtuliſtis. Hæc iam declarata ſunt, verum hanc petiti regis cauſam ſiue occaſionem, nondum expoſuerat Samuel: non enim habetur ſupra mentio aduentus Naas ante iſtam petitionem, ſed poſt menſem ab inauguratione poſtulati, impetratique regis. Itaque intelligi poteſt vel bis veniſſe, vt ſupra cum Abulenſi dicebamus; [d] vel certe veniſſe per nuncios, ſeu feciales ſuos in regionem Galaad, tributum, deditionem, aut grauiorem aliquam ſatisfactionem poſtulando; qua recuſata ipſum cum exercitu veniſſe. Nam Ioſephus ait illum diu Iudæis vltra Iordanem habitantibus infeſtum fuiſſe; poſtremo autem cum magno & forti exercitu regionem ingreſſum, vrbes eorum ſubiugare cœpiſſe. Eadem fere eſt Caietani ſententia.

Naas an bis venerit contra Hebræos.

d Num. 26.

LXIX. *Conſolatio populi, admiſſa iam culpa.*

VERVM quia iam culpa erat admiſſa, nec integrum erat populo nunc ad priorem ſtatum redire, conſolatur eos Propheta docens quomodo nihilominus Deum poſſint habere propitium, quem habuerant ſuæ poſtulationi conſentientem. *Nunc ergo*, inquit, *preſto eſt Rex veſter, quem elegiſtis, & petiſtis*: Elegerat eum Deus, elegiſſe tamen Hebræi dicuntur, dum ſortitionem, qua Deus ſuam electionem docuit, ipſi fauſtis acclamationibus approbarunt, dicentes, *viuat Rex*. Eum dedit vobis Dominus non vltro ac ſponte ſua, ab ea quippe mente voluit vos reuocare, propoſitis iis, quæ à rege paſſuri eratis, & damnis in quæ, vt contingit regum improborum ſubditi, eratis incurſuri, à

quibus tam diu fueratis immunes, ſed importunis poſtulationibus veſtris fatigatus, ne forte nihil vos in ea re peccaſſe cogitetis. Non enim Domino in hoc negotio obediſtis, ſed ipſe potius vobis. Nihilominus *ſi timueritis, Dominum, & ſerutieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaſperaueritis os Domini*, id eſt, aſperum vobis, & iratum factis veſtris reddideritis. Sanctus autem Hieronymus in Tradit. *Os Domini dicit os Prophetarũ, qui ex ore Domini loquebantur*; quod eodẽ modo de Pontifice, qui Dominum conſulebat, & eius ad populum quaſi nuncius, Domini reſponſa referebat, intelligendum eſt, *quia Angelus Domini exercituum eſt.* Si, inquam non exaſperaueritis os Domini, *Eritis & vos & rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum.*

VIDEATVR fortaſſis hæc oratio aut inanis, aut diminuta; Nam timere Dominum illique ſeruire, vtique eſt ipſum ſequi: perinde ergo eſt ita loqui, ac ſi diceret, ſi ſecuti fueritis Dominum, ſequemini Dominum, aut ſi timeritis, ac ſeruieritis Domino, timebitis eum, illique ſeruietis. Ideóque quidam ſubaudiunt, eritis ſequentes Deum, feliciter nimirum ac diu, omnia proſperè vobis euenient, Deo ſtudiis veſtris obſecundante: Idque ex contrario intelligitur: ſtatim enim ſequitur Deum illis infeſtum fore. Editio græca Baſil. addit οὐκ ἔσται χεὶρ κυρίου ἐφ' ὑμᾶς. *Non erit manus Domini ſuper vos.* Itaque in poſteriore membro ſubintelligit ἀπὸ κοινοῦ particulam ἐάν. verum placet expoſitio Abulenſis,[a] moneri videlicet populum à Samuele, ne exiſtimet ſe, quia peccauit petendo regem, eum retinendo, in peccato ſemper fore, ideóque eum abijciendum, ſi velint ſequi Dominum. Nam ſi Deo ſeruieritis, inquit & mandata eius cuſtodieritis, poteritis cum rege veſtro illi eſſe grati, & accepti. | LXX. Eiuſque remedium.

a q 14. in c. 12.

SI *autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper filios veſtros.* Id eſt interprete Chaldæo paraphraſt. Vatablo & Lyrano, ſicut puniuit patres veſtros peccantes, ita puniet vos. Abulenſis autem, nullo diſcrimine puniet iuuenes cum ſenibus, patres cum filiis; & quos eadem culpa coniunxerit, eadem animaduerſio caſtigabit. At Septuaginta conſtanter habent, & ſuper regem veſtrum, cum aperta antitheſi. Nimirum textus Hebræus nomine patrum videtur reges intellexiſſe, qui patres patriæ, & populorum dicuntur. Itaque Ariſtot. [b] *Patris* inquit *erga filios ſocietas figuram regni habet, quippe cum patri cura filiorum ſit. vnde etiam Homerus Iouem patrem appellat, eo quod regnum, paternum imperium eſſe debet*, ita Philoſophus; qui & ſubdit apud Perſas patris imperium tyrannicum eſſe, eo quod filiis ſuis quaſi ſeruis vtantur. Ergo & regnum putabit tyrannicum, in quo rex ſubditos non filiorum loco, ſed ſeruorum habuerit. Confirmant autem hanc expoſitionem, cui Abulenſis quoque, Caietanus, & quidam Hebræi apud Vatablum ſubſcribunt, poſtrema illa verba. *Quod ſi perſeueraueritis in malitia, & vos & rex veſter pariter peribitis.* | LXXI. Reges patres populi. | Ex Ariſt. & Homer.

Reg. Rom. Aldi. Baſil.

b l. 8. Ethi. c. 10.

SEQVITVR vt Samuel factis ipſis ſuam populi reprehenſionem confirmet, eumque peccaſſe in Deum prodigio diuinitus edito doceat. *State*, inquit, *& videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Nunquid non meſſis tritici eſt hodie? Inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias*, tonitrua videlicet perſtrepent, totoque cœlo remugient, eaque pluuiarum inundatio ſequetur. *& ſcietis & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos regem.* Si miraculum hoc fuit, vt reuera fuit, vtpote diuinitus impetratum, & datum in ſignum à Deo toti populo, oportuit vt ratione temporis, quo hæc tonitrua & pluuiæ contigerunt, naturæ viribus fieri non poſſent, licet alioqui pluuiæ & tonitrua naturæ vim non ſuperent. Oportuit quoque, vt minimè dubium, & controuerſum eſſet miraculum, aërem tum plane ſudum fuiſſe ac ſerenum: nullaſque pluuias tempore triticeæ meſſis ſolere contingere: id quod Hebræi quidam apud Vatablum aſſerunt, imò à 17. Martij vſque ad menſem Octobrem negant pluere. | LXXII. Samuel prodigio confirmat dicta ſua.

NEQVE obſtat quod legimus in libro Ioſue, [c] filios Iſraël tranſiſſe ſiccis pedibus Iordanem, *cum is ripas alnei ſui, tempore meſſis impleuerat*; cui conſentiens Eccleſiaſticus, [d] *qui multiplicat*, inquit, *quaſi Iordanis in tempore meſſis.* Nam illa aquarum multiplicatio, & inundatio non tribuitur pluuiis, de quibus eſt hoc | LXXIII. Pluuia in meſſe nulla, licet abundante Iordane.

c Ioſ. c. 3. v. 15.

d Eccl. 24. v. 36.

loco quæſtio: & potuit ex liquefactis, niuibus Libani, quibus illum abundare eius altitudo ſuadet, & perſuadet propheta Ieremias, [a] ſtato hoc meſſis tempore contigere, præterquam quod apud vtrumque ſcriptorem ſacrum de meſſe hordeacea ſermo eſt, quæ mox à feſtis Paſchalibus contingebat, quod fuit tempus tranſitus Hebræorum, die videlicet decimo primi menſis. [b] Cum hic quaſi dedita opera Samuel diem memorat triticæ meſſis, qui erat hebdomadarum, ſiue Pentecoſtes feſtus dies, vt ſupra dicebamus, [c] quando in Chananitide æſtus ſolis, vapores, & exhalationes, quæ in nubes concreſcere poſſent, exhaurit atq; ebibit. a c.18.14. b Ioſ. c.4. v 19. c nu. 1.

LXXIV. *Editur miraculum.*

Et *clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in die illa.* Magno nimirum affectu, aut etiam ſono vocis, ſtatimque contenebrati ſunt cœli, & nubes cum fragore diſrumpi cœperunt, imbreſque violenti decurrere. Cum enim miraculo fierent, & in ſignum, oportuit etiam ordinarium modum menſuramque ſuperare. [d] Refert Euſebius [e] ex Clemente Alexandrino in lib. Strom. 6. [f] hunc locum Græcorum fabulis adumbratum. *Cum diuturna*, inquiunt, *ſiccitas Græciam aliquando affligeret*, & fructuum eſſet maxima ſterilitas, qui remanſerant propter famem Delphos ſupplices venientes, rogarunt Pythiam quomodo liberarentur à tam graui calamitate. Ea reſpondit calamitatis vnum eſſe remedium, ſi vterentur precibus Æaci. Eis ergo morem gerens Æacus, cùm in Græcum montem aſcendiſſet, mundis in cœlum extenſis manibus communem Deum inuocans precatus eſt, afflictæ vt Græciæ miſereretur. Simulac autem cœpit precari, fœlix ſtatim tonitru inſonuit, & totus aër circumcirca fuit obductus nubibus, vehementes autem & continui imbres erumpentes totam impleuere regionem. Hinc efficitur abundans & copioſa fructuum feracitas, quæ precibus Æaci, tanquam agricultura fuerant impetrati. *Et inuocauit*, ait Scriptura, *Samuel Dominum, & dedit Dominus voces, & pluuiam in die meſſis. Vides vnum eſſe Deum, qui per ſubiectas poteſtates pluit ſuper iuſtos & iniuſtos?* hactenus Clemens. d Abul. q. 15. med. e l.10. præpar. c.1. f p.253. Gr. Lat.

quod Græci imitati ſūt.

LXXV. *Timet populus Deũ & Samuel.*

Et *timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem.* Dominum quidem, cui tonitrua, imbres, & tempeſtates famularentur, Samuelem qui illa tam facile impetraret. Dominum qui peccantem aduerſum ſe populum cœli ruina diſperdere poſſet, Samuelem qui zelo iuſtitiæ armatus, non inuitus diuinam iniuriã perſequeretur. Dominum ne forte quæ erant in ſignum, fierent in ſupplicium, quandoquidẽ ſe reos agnoſcebant. Sic patres eorum timuerant in montes Sinai, *videntes voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: nam perterriti, & pauore concuſſi ſteterunt procul*, ne morerentur. Samuelem ne qui erat accuſator fieret etiam vindex, tam ſuæ quam diuinæ abdicationis ac repulſæ. [g] Itaque humiles ſuppliceſque; *ora*, inquiunt, *pro ſeruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur. Addidimus enim vniuerſis peccatis noſtris malum, vt peteremus nobis regem.* Qui ſuas vtpote reorum preces indignas fatebantur, quæ à Deo veniam impetrarent, Samuelem quem tam cito voti compotem factum videbant, deprecatorem pro ſe apud Deum habere cupiebant, culpæ confeſſione præmiſſa. g Exod. 20. 18.

LXXVI. *Quos cũ deterret à vanitate idolorum.*

Dixit *autem Samuel ad populum*, [h] *nolite timere, vos feciſtis vniuerſum malum hoc*, quo ſcilicet vniuerſi regem petiſtis, & ſinguli facti eſtis peccati huius participes, nolentes Deo diſſuadenti acquieſcere; *veruntamen nolite recedere à tergo Domini.* Etſi enim iam ab eius voluntate diſceſſiſtis, cauete tamen ne ab eius cultu diſcedatis; quin potius *ſeruite Domino in omni corde veſtro, & nolite declinare poſt vana*, idola videlicet, *quæ non proderunt vobis*, ſiue ad bonorum abundantiam, ſiue ad protegendum vos ab inimicis veſtris, *neque* vbi ſub eorum iugum, vlciſcente Deo iniurias ſuas, miſſi fueritis, *eruent vos, quia vana ſunt.* ſic Ieremias. [i] *Confuſus eſt omnis conflator in ſculptili, quia mendax eſt conflatio eorũ, nec eſt ſpiritus in eis. vana ſunt opera, & riſu digna.* Atque adeo lamentatione, audi enim apud eundẽ Prophetam ipſum Deũ. *Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerũt à me, & ambulauerunt poſt vanitatẽ, & vani facti ſunt?* Quo pertinet etiã illud Pauli, [k] *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*, quia ſcilicet eſt imago rei quæ nihil, & nuſquam eſt. Baal enim & Mars, & Venus, & Iupiter, ſunt inania nomina ſine rebus, & ſi quid rei habent, vt ſtellæ, aut dæmones, aut damnati homines, eatenus non ſunt prototypa idolorum. h 1. Reg. 12. 20. i ca. 51.17 k 1. Cor. 8.4

quomodo idola nihil ſint.

Nam Ethnicus cum colit Martem, non ſtellam vnam, ſed imaginarium quendam Deum, qui reuera non eſt colit. Sed redeamus ad Samuelem.

Qui eximiam affert conſolationem Iſraelitis à Domino, quem promittit habiturum ipſos quaſi peculiarem ſibi populum, propter promiſſa facta patribus ipſorum, licet eis ſe indignos iam ſæpius reddidiſſent: ſicq; bonitatem diuinā peccatis & demeritis populi præponderaturam. Ait enim, *& non relinquet Dominus populum ſuum, propter nomen ſuum magnum, quia iurauit Dominus facere vos ſibi populum*, & videlicet non merito virtutis veſtræ; quod iampridem à Moſe [a] potuerant didiciſſe. Hoc autem iuramentum Domini, non in carnalibus Iſraelitis, qui verſi ſunt in filios Eſau, ſed in ſpiritualibus, qui Deum in Chriſto Domino viderunt, ac confeſſi ſunt; non in filiis carnis Abrahæ, qui peruicaciter & obſtinatè reſiſtunt Deo, ſed in filiis fidei atque obedientiæ Abrahæ, adimpletum eſt. LXXVII. *Et promittit promiſſorum Dei conſtantiam. In veris Iſraelitis.*

a Deut 8. 17. 18. & ca. 7. 7.

Addit denique Samuel promiſſionem precum ſuarū, quas populus repentina tempeſtate perterritus petiit, eaſque ei debitas pro ſuo munere profitetur. *Abſit à me*, ait *hoc peccatum in Domino*, [b] qui ſcilicet mihi curam veſtri dedit, quem in hoc populo iudicem eſſe hactenus voluit, & prophetam, *vt ceſſem orare pro vobis*. Abſit à me vt in vltionem veſtri contemptus in me, & abiectionis, ego quoque abiiciam curam orandi pro vobis. Hæc eſt enim gloria mea, vt facientibus mihi mala, bona retribuam; & inimicos Dei Deo reconciliare contendam. Et inſuper, *docebo vos viam bonam & rectam*, hoc nimirum docebo vos ſtudioſius legem Domini, & quæ ad ſalutem animorum pertinent, quo minus mihi nunc temporalium cura incumbet, quæ nunc in regem tranſlata eſt. *Igitur timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro*, nihil eius idolorum vanitati tribuendo; quandoquidem vel ex iis quæ paulo ante in conſpectu veſtro geſſit intelligitis, quam magnificè de eo ſentire debeatis, cui ſeruiunt creata omnia, tonitrua, tempeſtates, ſpiritus procellarum, *quæ faciunt verbum eius*; [c] *Quod ſi nihilominus perſeueraueritis in malitia, & vos & rex veſter pariter peribitis*. Hactenus Samuel. LXXVIII. *Et preces ſuas.*

b vide Abul q. 16. in c. 12.

c vide 1. Reg. c. 7. 3. 10.

Ioſephus autem hanc totam eius concionem perturbato Scripturæ ordine pro arbitrio deſcripſit, addens more ſuo atque detrahens; quæ notare ſigillatim nimiæ fortaſſe diligentiæ foret. Quod de Aſſyriorum potentia deuicta dicitur, vel mendoſum, vel ambitioſum eſt. Dicendum eſt enim Syrorum, vt ex 3. Iudicum notum eſt. [d] qui non à Iephte aut Gedeone, vt ait Ioſephus, [e] ſed ab Othoniele, quem ipſe Cenizum vocauit, deuicti ſunt; vt ex eodem loco certum eſt. Nec de Aſſyriorum potentia in Scriptura, niſi poſt plura ſecula fit mentio. Illam etiam à Samuele impetratam tempeſtatem parum fideliter recenſuit. Scriptura enim voces tantum, id eſt tonitrua; & pluuias memorat; ipſe pluuias dedignatus omiſit, & earum loco magnam vim fulgurum & grandinis ingruentis, è cœlo iaculatus eſt. LXXIX. *Nonnihil hic à Ioſepho erratū.*

d ca. 3. v 10.
e l. 5. ant. c. 4.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2963.

1. N. xxiv. De iſtis ſic Sulpitius l. 1. ſacræ hiſtor. *Sed principio regni huius, aliquanta ab eo pars populi deſciuerat, parere imperio abnuens, ſeque Ammonitis coniunxerat. Verum hoc Saul impigre vltus eſt, victiſque hoſtes, & venia Hebræis data.* Verum hæc non habentur in ſacris libris, vt ibid. notauit Sigonius.

2. N. xxv. In Hebræo habetur, *& fuit veluti ſurdus, non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones* vt loquitur Dauid, Pſalm. 37. 15. alij vertunt, *& fuit ſicut tacens*, id eſt mutus, non male, quia Hebræa vox *haras* חרש ſignificat & tacere, & obſurdeſcere, qui enim ad alterius verba tacet, ſe quaſi ſurdum exhibet, aut mutum, Et Græcum κωφὸς non tantum ſignificat cum cui vitiatus ſit auditus, ſed etiam qui loqui nō poteſt. Hæc porro verba, *& fuit veluti ſurdus*, quæ Hieronymus eleganter vertit, *diſſimulabat ſe audire*, non habentur in editione Græca Romana, Aldina, Baſileenſi, neque apud Ioſephum. in Complutenſi autem, & regia pro iis legitur καὶ [illegible].

3. N. xxxix. Pro bobus, quo nomine cætera etiam animalia Hebræi intelligi volunt, maiora ſcilicet quæ & maius damnum, & maiorem timorē afferunt dominis, ne ſibi pereant, pro bobus inquam, Sepuaginta Romanæ & Baſil. editionis habent δύο βόας, καὶ ἐμέλισεν αὐτάς. *duas vaccas, & in membra concidit eas*, vel membratim diuiſit.

4. N. xl. Græci ad vocem Bezec addunt etiam *in Bama*, quæ vox aliquoties iam pro excelſo in hoc libro vſurpata eſt. Rabbini autem quidā non ſapientiſſimi Bezec interpretātur calcu-

los? quam recte ipſi viderint, id autem propterea quod lapillis dinumerati fuerint a Saule omnes Iſraelitæ, coniectis in vnum aceruum calculis. quod refert nec improbat Abulenſ. poſt q. 8. at neque Bezec ſignificat calculum, neque tantum erat otij Sauli, vt lapillorum aceruum, vt ineptus puer numeraret. nec deerant principes tribuum, familiarum, domorum, qui numerum ſibi ſubditorum ederent.

5. N. LIX. Longe ab Hebræo abiſſe videntur Septuag. edit. Rom. Aldi. Baſil. nam pro *incanus*; habent *ſedebo*, vel quieſcā, quod explicat Scholiaſtes, ceſſabo à functione muneris mei. Cō. plut. & Regia quæ ad Hebræum conformata paſſim reperiuntur, habent καὶ πεπολίωμαι. cauſa diuerſitatis nata videtur ex Hebræo verbo שיב quod notatum puncto in dextro cornu ſignificat quieſcere, in ſiniſtro autem caneſcere. *Suſ.*

Hæ omnes hiſtoriæ ex dictis ſuperiore tomo notiſſimæ ſunt. Badan tamen in libris Moſis non memoratur ſub hoc nomine. Plerique eum Samſonem eſſe putant, vt Lyran. & Abulenſ. Dionyſ. Caiet. Angelomus Gloſ. interl. Chaldæus Paraphraſt & Hieronym. in tradit. habet enim Ierubaal ipſe eſt Gedeon, & Bedan, ipſe eſt Samſon. In Hebræo eſt בדן quaſi dicas *ben dan* filius Dan, quia de ea tribu Samſon duxit originem. *Atque huc pertinere videtur*, inquit Sa, *illa adiectio*, *& Samſon*, *& Barac*, *quæ in textum irrepſit ex margine.* Nempe voluit aliquis exponere quid domine Badan ſignificaretur, & quid pro eo apud Septuag. legeretur. Conſtanter enim à Græcis legitur Barac, quam legitimam videri nobis lectionem diximus in 2. tom. a. m. 2827. n. 1. Ioſeph. Iephten & Gedeonem ſolum nominauit, Badanum vt hominem de facie & nomine non ſatis notum, præteriit.

ANNVS MVNDI 2964. DILVVII 1308. QVINTÆ ÆTATIS 25. EXITVS ET DATÆ LEGIS 421. ARCÆ IN CARIAT. 24. SAMVELIS IVDICIS 25. SAVLIS REGIS 3. ACHIÆ, PONTIFICIS. 3. DAVIDIS 15. EXCIDII TROIANI 94. DERCYLI 14. IMPERII. ASSYRIORVM 1033.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1089.

I. *Duorũ annorũ Saulis innocentia. Ex Hieron. Ruperto.* PRIORES duos regni ſui annos Saül inoffenſo pede decurrit, adeo vt in iis puerilem candorem & ſimplicitatem repræſentaret, neſciam ambitionis ac fraudis; odii, inuidiæ, auaritiæ inſolentem. Id affirmat Scriptura, [a] cùm ait; *Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnauit ſuper Iſraël.* Quem locum in eum modum interpretatur ipſemet editionis vulgatæ author Hieronymus. *Non de Isboſeth*, inquit, *filio Saul, ſed de eodem Saule dictum eſt hoc; ſic enim erat innocens quando regnare cœpit, ſicut filius eſt vnius anni, & in eadem innocentia duobus regnaſſe annis dicitur.* ſic ipſe; quæ ad verbum de more recitat Rupertus, [b] nec laudat authorem, cui ſubſcribit Petrus Damianus l. 2. epiſt. ep. 20. init. Theodoretus autem, [c] Symmachus, inquit, ſic edidit, *filius vnius anni Saul dum regnaret ipſe. Hoc autem ſignificat quam ſimplex eſſet eius animus, quando fuit rex electus. Ille autem non diu eſt vſus, vnde ſubiunxit Hiſtoriographus, & duos annos regnauit ſuper Iſraelem: Nempe cum ea ſimplicitate regnat duos annos; deinde declinans ad vitæ improbitatem nudatus fuit diuina gratia.* Sic Theodoretus, qui etiam addit reliquum tempus, quo perrexit regnare, reputari adminiſtrationi Samuelis. 1

Damiano, Theodoret.

[a] 1 Reg. c. 13 in tra. Heb.

[b] l. 1. Reg. c. 19. & l. 2 in Apoc. init.

[c] q. 28.

II. *Gregorio, & aliis.* SANCTVS Gregorius in hunc locum, [d] *Cur*, inquit, *vnius anni eſſe dicitur cum regnare cœpiſſet, niſi vt eius innocentia prædicetur? Nam ad literam, vnius anni quomodo filius eſſe potuit, qui vniuerſo populo ab humero & ſurſum eminebat?* Et paulo poſt, *De rege ergo qui prius bonus, poſtea malus extitit dicitur, quia vnius anni fuit cum cœpit regnare, & duobus annis regnauit. Licet enim multis annis regnauerit, illis ſolis regnare dicitur, in quibus innocens, & humilis fuiſſe perhibetur.* Hæc & alia in eandem ſententiam ſanct. Gregorius. Rupertus autem, [e] *filius*, inquit, *vnius anni*, &c. *quod eſt dicere, humilis ſicut puer vnius anni, & paruulus in oculis ſuis erat, quando rex factus eſt, & duobus annis eadem humilitate regnauit ſuper Iſrael. Vnde loquente Domino in ſe ait Samuel*

1. χ.

[d] l. 5. c. 3.

[e] l. 2. in Apoc. init.

Nonne cum paruulus eſſet in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Et hæc eſt communis interpretatio, quæ confirmatur illo ſcripturæ teſtimonio, quo ſupra dictus eſt electus & bonus, adeo vt non eſſet eo melior in filiis Iſrael; & Chaldæa paraphraſi, quæ habet, *Sicut filius anni, in quo non ſunt culpæ, Saul erat quando regnauit, & duobus annis regnauit ſuper Iſrael.* Eandem expoſitionem amplectuntur Lyranus, Abulenſis, Angelomus, Procopius, Emanuel Sa, Dionyſius, Torniellus.

III. *Nihil hic agi de Iſboſetho.*

EXPOSITIO autem de Iſboſetho; quam attingit & reprobat Hieronymus, Saulem videlicet habuiſſe filium vnius anni, ſcilicet Iſboſethum, qui duobus annis regnauerit, vt habetur infra l. 2. Reg.[a] minimè recipienda eſt, etſi eam non improbet Angelomus, & Serarius noſter, & Rabano tribuitur. Editioni enim vulgatæ aperte repugnat; vt eius author Hieronymus[b] affirmat. dicendum enim fuiſſet filius vnius anni erat Sauli; & in Hebræo deeſſet ל nota tertij caſus: & importunè hic iniiceretur mentio Iſboſethi; & regni eius, tam obſcura præſertim: imo falſa; nunc enim, aut cum regnare cœpit Saul non agebat Iſboſeth annum primum, ſed vigeſimum ſecundum, aut iuxta communem chronologiam, vigeſimum; quin nec regnauit duobus annis, vt ſuo loco docebimus, ſed 7. annis cum dimidio; Audiamus ergo hic Petrum Damianum. *Hoc nonnulli*, inquit, *ſic intelligi arbitrantur, quia regi Saul in exordio regni ſui filius erat anniculus, qui teneram adhuc vnius anni vagiebat infantiam, ſcilicet Iſboſeth, & hic poſt mortem patris duobus annis regnauit ſuper Iſrael. Sed quoniam hic à doctioribus viris ſenſus exploditur, à nobis etiam alius inquiratur.* Sic ipſe, moxque Hieronymi expoſitioni ſubſcribit, vt dixi. Exploditur quoque à Lyrano, & Abulenſi,[c] & Lorino noſtro in c. 13. Act. Apoſt.

IV. *Alia expoſitio ex Genebrad.*

ALIA eſt non paucorum grauium virorum expoſitio, quæ vult tertium hunc eſſe regiæ adminiſtrationis annum, quo duobus iam in ſimplicitate tranſactis, cœpit ſeſe munire ſatellitio. Cum inquit Genebrardus,[d] Saul regnaſſet duobus annis, elegit ſibi tria ſatellitum millia. Nempe duobus primis annis ſat habuit vitata electionis inuidia, ſibi populum conciliare, & ſe aduerſus malignas linguas modeſtia, diſſimulatione, & authoritate Samuelis tueri. Poſtea dum ſe ſatis firmaſſet, cœpit more regio ſeſe ſtipare ſatellitibus: non quod alioqui duobus tantum annis regnarit. Idem ſentit Pineda,[e] eamque expoſitionem ſimpliciſſimam vocat, natiuam videlicet, miniméque violentam. Vatablus, qui etiam diſtinguit priores illos annos duos, vt prior fuerit ab inunctione ad innouationem regni, poſterior, ab innouatione ad delectum militum, qui hoc loco memoratur. Et ante hos Abulenſis,[f] qui allatis variis expoſitionem hanc, cum prima illa quæ communior eſt, amplectitur.

Pineda. *Vatablo.* *Abulenſi.*

V. *Num Saul biennio tãtũ regnarit*

OMITTENDA non eſt hoc loco, quo nititur quorundam Hebræorum opinio, quæ duobus tantum annis totum Saulis regnum circunſcribit, poſt quos reprobatus fuerit Saul, & Dauid inunctus. Ita Seder holam cap. 13. quæ opinio etſi paſſim ab omnibus reprehenditur Lyrano, Abulenſi, Genebrardo, Lorino, Torniello, Verronio &c. Nonnullos tamen inuenit ſectatores. In iis Ariam apud Lorinum,[g] qui eam aſſertionem damnat, tanquam omni hiſtoriæ, & authoritati contradicentem, Adrichomium in ſua chronol. Gerardum Mercatorem, Conſtant. Phrygionem, & ſi quem alium de ſectariis. Hebræorum fundamentum eſt Arcam in Cariathiarim 20. tantum annis manſiſſe, poſt quos Dauid eam intulerit in Hieruſalem: de iſtis autem 20. annis ſeptem tollunt, quibus Dauid regnauit in Hebron, antequam eam tranſlationem faceret, itaque remanent 13. anni, quorum duo, vt ex hoc loco patet, ad Saulem pertinent, reliqui ad Samuelem. In quo mendacii D. Paulum arguere voluerunt, vt ait Genebr. qui vtrique 40. annos attribuit. Verum iſti cæci ſunt & duces cæcorum; deincepſq; luce clarius apparebit, pluribus annis indigere res à Saule ad eius mortem geſtas. Imo illa duntaxat, quæ cap. 14. ſub finem continentur, multos annos exigere certum eſt, quibus inſuper addendi ſunt anni, quibus Dauidem perſecutus eſt. Verum de regno Saulis iam ſatis diſputatum eſt ſupra.[h] Hic tantum addo hanc temporis notam apud Græcos non haberi. Abeſt enim ab editione Aldi, Sixti, Baſil. & à Ioſepho prætermiſſa eſt.

a c.2.v 10.
b in c. 9. & 13 1.Reg. in gloſ. ord. c. 31.1.Reg.
An. vlt. Sauli 208. 209.
Num. 1. c q.1. in c.13 1. Reg. v.21. fin.
d in chron. Saulis.
e l. 8. Salo. c.2.n.2.
f q.2. in c.13
g in cap. 13. Actor.
h an. eius 1. n.5.

VI. *Datur regi militare præſidium.*

Et quare.

Idque publico ſumptu.

Cvm ergo Saul circiter biennium regnaſſet, & haberet populum ſibi fauentem, & in comitiis congregatum, nondum enim dimiſſum fuiſſe, ex eo patet, quod poſt militum electionẽ dicitur dimiſiſſe populum in tabernacula ſua; in eo conuentu de conſtituendo Regi præſidio egiſſe videtur. [a] Quoniam enim erat è dignitate regia, & publica vtilitate, vt regni caput tutum a ſubitis hoſtium incurſionibus conſeruaretur; neque tum denique ad arma conclamaretur, cum hoſtis iam graſſaretur in regni viſceribus viſum eſt Sauli regi, populóque vniuerſo, tria hominum millia in præſidiis habenda eſſe, quæ regi ſemper eſſent ad manum, in omnem euentum. Facile autem fuit è tanta multitudine florem ipſum eligere, qui communibus populi ſumptibus ſuſtentaretur. Neque enim credendum eſt iis tunc opibus fuiſſe Saulem, quamuis Ammoniticis fortaſſe ſpoliis nõnihil auctum, vt tria millia militum, præter domeſticam familiam, diu ſuis ſumptibus alere poſſet. Neque credibile eſt præſidiarios hoſce milites, quorum nullum eſſet opus præter armorum tractationem, ſuis ſtipendiis militaſſe. [b] Itaque hoc quoque his comitiis conſtitutum cenſeri poteſt, vt tributim aliquid à populo in eorum ſuſtentationem ſolueretur, vt regum iura paulatim inciperet experiri.

a c.13 v.2.
b 1.Cor.9.7

VII. *An nunc primũ inſtitutum.*

Qværes an nunc primum collectus fuerit ab Hebræis præſidiarius exercitus. Et an recte à Saule. Et priori quidem dubitationi ſcriptura ipſa occaſionẽ præbet, Nam iubetur Barac ducere exercitum in montem Thabor, & accipere præterea decem millia pugnatorum de Nephthali & Zabulon. Et 1. Reg. c. 10. extremo, mentio fit exercitus Hebræorum, cuius pars abiit cum Saule in Gabaa. Quem in locum ſcribens Abulenſis [c] exiſtimat, tempore iudicum populum, cũ res ſerret, ad arma conuocatum, vt ſe ab hoſtibus defenderet, ſicut Samuel populum è Maphath immiſit in hoſtem. Et quia continenter imminebant hoſtes, perpetuos & ſtatos oportuiſſe habere bellatores, ne totus populus ſemper in armis eſſe cogeretur, ſed eius vices illi variis locis opportune diſtributi ſupplerent. Qui viceverſa à populo ſtipendium laborum ac periculorum acciperent, & ſuum in expeditionibus ducem, vt fit in rebus publicis, quæ Regi, aut principi alicui non ſubiacent. Talem ergo aliquem exercitum putat Abulenſis fuiſſe apud Hebræos, eiuſque partem electo regi ſeſe adiunxiſſe, ab eóque ſtipendia, quæ populus ſolueret accepiſſe.

c. 4. Iud. verſ. 6.
c q 18 inc. 10.

VIII. *Ita videri.*

Virvm huiuſmodi præſidiariorũ exercituum nullum reperio in Scriptura veſtigium; ſed vrgente neceſſitate congregabantur tributim viri bellatores, qui pugnarent, vt factum eſt vindicando ſcelere Gabaenorum, [d] & à ſingulis iudicibus quos Dominus ſuſcitauit ad ſoluendam populi ſui ſeruitutem. Idq; nominatim in Aodo, Iud. 3. 27. notatum eſt; & in Baraco, vt ſtatim oſtendemus, [e] & in Gedeone, [f] atque adeo in Abimelecho, [g] qui non conduxiſſet ſibi viros inópes & vagos, ſi quis tum exercitus adfuiſſet, quem ille ſibi pecunia conciliare poſſet; & rurſum in Iephte, [h] qui non legitimum aliquem exercitum ab initio habuit, ſed paucos viros inopes, & latrocinantes, qui ad eum ſponte confluxerant; mox autem electus in principem non aſſumpſit paratum iam exercitum, ſed circuiuit Galaad, & Manaſſe ad copias contrahendas. Et Saul miſit Iabeſenos nuncios ad contrahendum exercitum contra Ammonitas, eum vtique primum euocaturus, ſi quis iam extitiſſet. Id potius de Iſraelitarum aduerſariis fatendum eſt, nam Moabitę ad decem millia virorum habebant in Galgalis, [i] quibus Iudæos in officio continebant. vt Siſara in Haroſeth, & Philiſthæi in Gabaa, [k] vt anno primo Saulis dicebamus, cum de tertio Samuelis ſigno ageremus.

d c. 20.1.
e c.4. 6.10.
f c. 6.v.34. 35.
g c. 9. 4.
h c.11.v.29
i c.3 Iud.v. 19. 29.
k 1 Reg. c. 10. 5. n.99.

IX. *Satisfit obiectu.*

Expediri porro facile poteſt omnis difficultas, ſi dixerimus in Scriptura exercitum, qui eſt quædam armatorum multitudo, ſępe latius pro multitudine copioſa ſumi, etiam non armatorum. Inermes erant Hebræi in Ægypto, vt alio loco [l] explicatum eſt, vocantur tamen non ſemel exercitus in libro Exodi, [m] & Numerorum. [n] ſic multitudo ſtellarum vocatur militia cœli, & multitudo Angelorum caſtra Dei, & exercitus cœli. Eodemque modo, multitudo Hebræorum quæ conuenerat in Maſpha, non ad pugnandum, ſed ad creandum Saulem regem dicitur exercitus, cuius multitudinis pars maxima ſecuta eſt electum regem, itaq; 70. non vocarunt partem exercitus, ſed viros potentes, Chaldæus par-

l a.m 2544. n.146 & ſenq.
m Ex.c.7.4. c 12.17 41.
n Num c.1. c 2 & c 10. Deut. 17.3

tem populi, viros timentes peccatum. Nec Baracus iubetur à Domino accipere 10. millia pugnatorum præter exercitũ, ſed colligere exercitum numero 10. milliũ. Eſtq; ibi quædam hyſterologia: prius enim erat colligere exercitũ de Nephtali & zabulom, quam illum ducere in montem. Quæ explicatio mox confirmatur [a] cum dicitur Barac aſcendiſſe in montem cum 10. millibus, ſine vlla alia mentione exercitus. Clare Ioſephus, [b] Debora autem accerſito Baraco, iubet eum delectu habito, & conſcripto decem millium virorum exercitu in hoſtem ducere; vbi vides non aſſumi exercitum aliquem, ſed conſcribi & creari. Sic nec Samuel miſit in Philiſthæos armatas copias; [c] ſed homines inſcios & imparatos ad bellum, vt qui ſciret Deum, qui claſſium intonuerat, pugnaturum, ſicut in die Madiam.

a verſ. 10.
b l. 5. ant. c. 6.
c Reg 7. 10.

X. *Æquitas eius inſtituti.*

Nullus ergo videtur admittendus apud Hebræos ordinarius exercitus ante præſentem diem; qui ducto à tribus millibus initio, non parum amplificatus eſt. Nam cap. 14. extremo legimus Saulem quemcumque vidiſſet virum fortem, & aptum ad prælium, eum ſibi aſſociaſſe. Non eſt autem dubium rectè Saulem expeditam apud ſe armatorum manum habere voluiſſe, quæ intenta eſſet in omnem rei bene gerendæ occaſionem. Propterea enim à populo poſtulatus fuerat rex. *Egredietur.* [d] inquiebant, *ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.* Et Dominus ipſe Samueli dixerat, *vnges eum ducem ſuper populum meum, & ſaluabit eum de manu Philiſthinorum,* Et Samuel in eo inungendo. *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt.* Quia igitur plurima in Saulem bella, ex circumpoſitis populis incumbebant, ſemper paratum exercitum habere eum oportuit, qui hoſtium impetum ſuſtentarent, dum copiæ ex toto regno cogerentur.

d 1. Reg. c. 8. 10.

XI. *Saul dimittit populum & diuiſit præſidium.*

Delectis ergo Saul tribus militum millibus, indictoque in eorum ſtipendia tributo, reliquam totam multitudinem, quæ erat 327. millium, dimiſit in tabernacula ſua, [e] tunc & Samuel in ſuam ciuitatem Ramatha videtur reuertiſſe. Saul autem duo millia dictorum militum ſecum habuit duobus locis diſtributos *in Machmas*, quam ciuitatem Adrichomius [f] collocat in finibus tribus Ephraim, ad auſtrum prope Gabaa Saulis; & in monte Bethel; Quem idem conſtituit in finibus Beniamin ad ſeptentrionem. Mille autem cum Ionatha in Gabaa Beniamin. Hęc eſt illa Gabaa propter cuius ſcelus, tota pene tribus Beniaminis internecione deleta eſt, in qua collis Dei, & grex prophetarũ, & [g] ſtatio Philiſthinorum vt ſupra explicatum eſt.[h]

e 1. Reg c 11. v 8.
f in tribu Ephraim n. 66.
g 1. Reg c 11
h 1. Saulis an. nu 96. & ſeqq.

XII. *Ionathas delet præſidium.*

Cum autem Ionathas filius regis primogenitus, ætate florens, & gloriæ appetens cum millenis ſuis militibus egregium aliquod molirentur opus, ne fruſtra arma ferre viderentur; eiſque animi ex Ammonitica victoria non mediocriter ſuccreuiſſent inuenta occaſione aliqua, in ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa, impetum fecerunt, eamque deleuerunt. 2. Id ſcilicet fuit pacem cum Philiſthæis abrumpere, & iugum ſeruitutis eorum excutere. Itaque præuidens Saul Philiſthæos ſtatim reintellecta ad arma conuolaturos, ipſe anteuertens illico populum ſuum ad arma conuocari iuſſit, *cecinit*, enim *buccina in omni terra, dicens, audiant Hebræi.* Dedit videlicet Saul præconibus in mandatis, vt vbique nuncium deleti præſidii Philiſthæorum circumferrent, vt ea re intellecta intelligerent Iſraelitæ cito Philiſthæos in armis fore, ſibique arma ſumenda ad repugnandum. *Itaque vniuerſus Iſrael audiuit huiuſcemodi famam. Percuſſit Saul ſtationem Philiſthinorum*; nolens ſcilicet habere apud ſe, aut omnino in regno ſuo præſidiarios milites inimicorum, qui eis eſſent quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus vt eis olim prædixerat Moyſes.[i]

2. ☧.

Saul ad arma populũ vocat.

i Num. 33. v. 5.

XIII. *Qui redditur animoſus.*

Ergo erexit ſe Iſrael aduerſus Philiſthæos, vt penitus ab eis fieret liber; ſicut iam ſeſe præſidio eorum, ac ſtatione reddiderant immunes; & qui graſſantem in viſceribus peſtem eiecerant, etiam gladium foris irruentem retunderent, atque repellerent. Pro *erexit ſe Iſrael aduerſus Philiſthiim* quidam ex Hebræo vertunt, *&* audierunt *quod fœteret Iſrael apud Palæſthinos*, vel quod Philiſthæi abominarentur Iſraelitas, & ab eis abhorrerent, tanquam à re putida, & male olente. In Hebræo eſt, *& fœtuit Iſrael in Philiſthæos*, id eſt contemnere cœpit, & quaſi fœtidem rem æſtimare Philiſthæos, vt qui flatum ventris emitteret in contemptum alicuius,

Cui expoſitioni valde fauent Sept. Complut. & Regia; quod eos Iſraelitæ contemnerent, & pro nihilo ducerent, vt pote qui in eos inſurrexiſſent, & eorum præſidium deleuiſſent. Quæ expoſitio longe videtur præſtare ſuperiori, eamque roborant editio Aldina & Baſil. quæ habent ἴσχυσαν ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις. id eſt roborati ſunt, fortes effecti ſunt in Philiſthæis, vel præ Philiſthæis, aut agendo contra Philiſthæos. Præſtat autem, quia nihil noui dicerent iſti nuncii, ſi dicerent fœtidum eſſe Iſraelitarum nomen apud Philiſthæos, neque vice verſa ſi dicerent, fœtere Philiſthæos apud Iſraelitas, eo quòd inter eos iuges eſſent, & inueteratæ inimicitiæ. Rectiſſima vero ſententia eſt, Iſraelitas accepto nuncio de præſidio Philiſthæorum deleto, agnouiſſe hoſtem iſtum ab Hebræis contemni cœpiſſe, qui ante valde formidabatur: & Iſraelem prius humilem, & abiectum ſub iugo Philiſthæo; illud ſeſe erigendo, excuſſiſſe. ſicque editio Hebræa, Græca & Latina recte conſentient. 3.

XIV. *Conuocatur ad Saulem.* Clamavit *ergo populus poſt Saulē in Galgala*, Cum enim nuncii expoſuiſſent rebellaſſe Iſraelem aduerſus Philiſthæos, eorum præſidium deleuiſſe, animoſque aduerſus eos pro libertate recuperanda erexiſſe: Saulem in Galgala deſcendiſſe, ibique apud regem Iſraelitarum copias cogi oportere, clamore tubæ aut buccinę populus excitus eſt, vt in Galgala ad Saulem confluerent. ita Caiet. & Abul. Alii hunc clamorem lætitiæ & militaris exultationis interpretantur. Iuit autem Saul in Galgala, vrbem verſus Iordanem ſitam; in tribu Beniamin, & primis Hebræorum caſtris tranſmiſſo Iordane inclytam; non vt obuiam iret Philiſthæis, ſic enim recedebat ab eis; ſed vt Samuelis mandato obtemperaret, qui ei, cum primum inunctus fuit, mandarat, [a] vt in iſtiuſmodi periculis veniret in Galgala, eo quoque ſe profecturum, vt ſacrificiis placaretur Deus, & ſuam voluntatem patefaceret. 3. ☧. a 1. Reg. c. 10. 8.

XV. *Philiſthæi contra copias contrahunt.* Philisthæi autem iſto Iſraelitarum facinore irritati, minimè ſibi defuerunt, ingentes enim copias aduerſus Hebræos contraxerunt; nimirum *triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus, ſicut arenam, quæ eſt in littore maris plurima.* Magnus omnino hic memoratur exercitus, maior etiam apud Abulenſem, qui mendoſe habet ſexcenta millia equitum, pro ſex millibus; ſed ille quoque numerus curruum expoſitione indiget, vix alioqui credibilis. Nam Pharao rex potentiſſimus perſequens Iſraelitas vix ſexcentos currus in exercitu ſuo habuiſſe legitur. [b] Iabin nongentos habuit falcatos currus [c] quibus vniuerſos Iſraelitas oppreſſerat, & mox quaſi res magna & inſolita idem numerus repetitur. Syri pugnantes contra Dauid ſeptingentos tantum currus habuiſſe leguntur. [d] Et Salomon in tanta diuitiarum, armorum, ſubditorum, rerumque omnium magnificentia, non niſi mille & quadringentos currus congregauit. [e] Itaque Lyranus, quamuis diſſentiente Toſtato, recte interpretatur 30. millia militum è curru pugnantium, cui conſentit Dionyſ. fauet & regionis Philiſthæorũ exiguitas, quæ vix tot currus capere potuiſſet: & tantula fuit, vt olim eius bona pars tribui Iudæ in ſortem obtigerit. Quid ſi ſingulis curribus bini, aut etiam quaterni aſſignentur equi? exiſtent centum & 20. millia equorum bellicorum, quot vix totus oriens ſuppeditaret, nedum peranguſta terræ lacinia: quamuis eis Tyrios iungamus, atque Sidonios.

An 30. millia curruum.

b Exod. c. 14. 7. c Iud c. 4. v. 3. & 13. d 2. Reg. 10. 18. e 3 Reg. 10. 26.

XVI. *Reliqua copia.* Collegervnt & ſex millia equitum, vt illi in curribus, & hi in equis pugnarent, & facile Iſraelitas, qui neque in curribus, neque in equis pugnabant debellarent. Accedebat peditum & promiſcui vulgi multitudo innumerabilis. Eum tamen numerum vel inuenit, vel excogitauit Ioſephus: ait enim numerata trecenta peditum millia: qui nuper fuerat numerus Iſraelitarum aduerſus Ammonitas pugnantium. In his autem Philiſthæorum copiis, non paucos Tyrios militaſſe conicere poſſumus ex eo quod ſuperius ex libro Eccleſiaſtici diximus, [f] Tyriorum principes cum Philiſthæis bellum intuliſſe Hebræis, dum illi in Maſphat cum Samuele congregati eſſent. [g] His copiis celeriter contractis *aſcendentes*, è littorali regione ſua *caſtrametati ſunt in Machmas ad orientem Bethauen.* 4. Nimirum regem ipſum, quem in Machmas, & Bethel, cum duobus millibus conſediſſe didicerant, comprehendere voluerunt: ſed ille iam deſcenderat in Galgala, cum aliqua parte copiarum, ibi expectaturus Samuelem;

f Eccl. c 46 21. g 1 Reg. 7. a m. 2950 n. 22 24. 4. ☧.

reliquis ibidem præſidio vrbi contra Philiſthæos relictis.

XVII. *Timor Iſraelitarum.*

ISRAELITÆ autem animaduertentes tantas hoſtium copias, & florentes ære cateruas, ſe autem & numero pauciores, & prope inermes; gladiis certe, lanceiſque deſtitutos, vt infra dicitur, quin etiam *in arcto poſitos*, vt nec facile conuenire poſſent diffuſis late Philiſthæis, & vniuerſam regionem percurſantibus, neq; ſi conueniſſent, in acie contra hoſtem ſtare; vehementer animo conſternati ſunt, atque afflicti. Itaque pars eorum trans Iordanem ſe fuga proripuit, in terram Gad, & Galaad: illi ſcilicet qui ibi habitabant, & inde ad Saulem venerant, vt explicat Abulenſis. pars abſcondit ſe in ſpeluncis montium, & in abditis ędificiorum receſſibus, in rupium ſciſſuris, in antrorum terræ ſinubus, & receptaculi, & locis ad aquarum conſeruationem deſtinatis. In omnibus denique locis quos ingenioſus timor latebris idoneos potuit inuenire. pars etiam ad hoſtem transfugit, vt affirmat hoc loco Hieronymus, & confirmat ex cap. 14. ſequentis, [a] quod poſtea viderimus. exigua denique pars cum Saule remanſit in Galgalis.

Fuga. *Latebra.* *Defectio.* a v. 21.

XVIII. *Saul expectat Samuelē ſeptiduo.*

EXPECTAVIT autem Saul eodem in loco ſeptem diebus, iuxta placitum Samuelis, de quo paulo ante dicebamus. intra quod tempus hoſtilis timor in dies horaſque increſcens, maximam Iſraelitarum partem ad fugam vt dixi, latebraſque compulit. Nimirum Dominus de induſtria permittebat totum prope exercitum diffluere, ſicut in Madianitica expeditione, vt ipſi victoria tribueretur; neque populus de rege ſuo inſoleſceret, & tanto magis confunderentur Philiſthæi, cum à paucis, & inermibus victi, profligatique eſſent; denique Saulis obedientia, patientiaque probaretur. Quis enim explicet quantos animi æſtus ſenſerit Saul, dum hinc videret exercitum ſuum in ſingula prope momenta diffluentem; inde exercitum hoſtilem nemine obuio, qui ſeum reprimeret, impune toto regno volitantem. Hinc Samuelem quaſi de induſtria moras in Ramatha trahentem in tantis rerum anguſtiis, & totius Iſraelis internecione imminente. Inde apud ſe Achiā pontificē, cum Ephod adeſſe (Id enim ex ſequenti capite colligitur) qui ex officio holocauſta, & pacifica offerre poſſet, & Deum conſulere; ob quæ præſtanda Samuel tum diu expectabatur.

Dilationis cauſa. *Saulis virtus.*

XIX. *An Saul ſacrificarit, & qui ita putent.*

EXPECTAVIT nihilominus vſque ad diem ſeptimum, ſub cuius veſperam ait Saul, *afferte mihi holocauſtum, & pacifica, & obtulit holocauſtum.* Plerique exiſtimarunt Saulem ſacerdotis officio functum, Deo ſacrificium ſacrilegè obtuliſſe, qui neque leuita eſſet, neque ſacerdos. Audi enim Sulpitium Seuerum, [b] *Cum per ſeptem dies*, inquit, *Samuelem operitus eſſet, vt ſacrificium Domino fieret, tardante illo cum populus dilaberetur, illicita præſumptione rex, ad vicem ſacerdotis holocauſtum obtulit, multumque à Samuele increpitus ſera peccatum pœnitentia fatebatur.* ſic ipſe, cui ſubſcribit ibid. Carolus Sigonius. Clemens Rom. inſtar multorum eſſe poteſt, qui l. 8. conſtit. Apoſt. c. 36. vbi de vſurpatione alieni iuris. *Si quis*, inquit, *præter ius traditum accidere volebat, morte mulctabatur. Hoc vero in eo potiſſimum demonſtratum eſt, quod Saul expertus eſt qui cum exiſtimaret ſacrificaſſe ſine Propheta & Pontifice Samuele, inde peccatum & maledictionem inexpiabilem ſibi hauſit, neque Prophetam mouit quod regem vnxiſſet. Idem docuit Deus, & quidem clarius in Ozia &c.* Idem ſenſit Rupertus in 1. Reg. [c] ea denique videtur fuiſſe Ioſephi ſententia. [d] Fuit certe Lyrani, qui ait tripliciter à Saule peccatum, quod non expectarit totos 7. dies, quod officium ſibi illicitum offerendi per ſeipſum, vſurpauit, vt poſtea Ozias; quodque peccatum ſuum humiliter non agnouit cum ſequitur Adrichom. in ſua chro. Cui opinioni videtur ſcriptura fauere, nā c. 10. *deſcendes*, ait Sauli Samuel, hoc præuidens, *vt offeras oblationē, & immoles victimas.* quod officium eſt ſacerdotis, non alicuius de populo afferentis animalia ad ſacerdotē. Deinde hoc loco ait Saul *afferte mihi holocauſtum, & pacifica, & obtulit holocauſtum.* Ergo illi allatæ ſunt victimę, ſicut fiebat ſacerdotibus à laicis, & ipſe obtulit holocauſtum: Denique illa verba, *cum compleſſet offerens holocauſtum*, non ſignificant vnicam Saulis actionem, afferentis laico ritu victimam, & offerentis ſacerdoti, ſed omnes ſacrificantis ceremonias explentis.

b l. 1. ſacr. hiſt.

Edit. Turriani.

c l. 1. c. 20.

d l. 6. ant c. 7.

XX. *Non ſacrificaſſe per ſe; ſed peccaſſe nō expectando.*

CONTRARIA tamen ſententia communior eſt, & certior. quæ ſentit Saulem non ipſum per ſe; ſed per ſacerdotem quempiam, aut peripſummet Achiam Pontificem tam holocauſtum quam pacificas victimas obtuliſſe. Culpamque

Ex Grego. Angelom. Hieronym. Procopius. Theodoret.

illius fuiſſe, non expectaſſe Samuelis aduentum, ſed vna fortaſſe, vel altera hora præuertiſſe. *Trementi corde*, inquit Gregorius magnus, *conſiderandum eſt quam breuiſſimi temporis expectatione neglecta repulſus ſit. Si enim ſolo temporis breuiſſimo interuallo expectaret, quo obtulit holocauſtum, ſecurus iam regni ſui robur obtinere potuiſſet.* Et infra, *ecce ſeptem diebus Prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine dies deſiit, gloriam tantæ dignitatis amiſit.* Angelomus, *Samuel ſe à Saule eiſdem 7. diebus voluit expectari, quod ille nequaquam fecit, & ideo merito culpatur, & ſtultitiæ elogio denotatur indiſcreta Saulis oblatio. Ob hoc quod obedientiæ præceptum præuaricatus eſt, à Deo accepta non eſt.* ſic ipſe, quæ magna ex parte ex Hebraicis Hieronymi traditionibus mutuata ſunt: ſicut quæ habet Procopius à Theodoreto,[a] qui ſic habet. *Denunciauit Samuel Sauli vt eum expectaret 7. dies, & deinde cum rite ſacrificaſſet, ac litaſſet inſtrueret aciem, Saul autem cum vidiſſet congregatos alienigenas, non expectauit Prophetam vt præceperat, unde cum eum ſacrificantem deprehendiſſet Propheta, vehementer eum increpauit, & ei prædixit regni priuationem.*

a q. 25.

XXI. Ex S. Ignatio, & aliis.

S. IGNATIVS cum ſcriberet ad Magneſianos, *Ozias lepra percutitur, auſus quid tentare contra ſacerdotes & ſacerdotium*, eique adiungeret Saulem, non eiuſdem tamen culpæ ipſum accuſauit; ait enim *Saul honore priuatur regio, non expectans ſummum ſacerdotem Samuelem.* ſic ipſe, quem paſſim ſequuntur interpretes, Abulenſis,[b] Caietanus, Serarius, Vatablus, Torniellus in Annalibus ſuis.[c]

b q. 8 & 10. in c. 13. 1. Reg.
c anni 2960 n. 4 & 3.

Et ratione. 1. 2. 3. 4.

QVIBVS ratio ipſa valde fauet, nam neque huius criminis à Samuele accuſatur; hoc tamen ſacrilegium longè grauiorem obiurgationem merebatur, & pœnam, quàm illa ſacrificii acceleratio; neque Saul illud excuſauit, ſed ſolam feſtinationem, ad quam purgandam recurrit ad neceſſitatem hoſtis imminentis, & diffluentis exercitus, neque præceptum quod arguitur violaſſe, aliud fuit, quam vt expectaret ſeptiduum. Denique præſens periculum quod ad Deum placandum, & opem implorandam compellebat, facile ab huiuſmodi ſuperbia & temeritate Saulem reuocabat, præſertim cum ipſum pontificem Achiam haberet ad manum.

1. Reg c. 10 v. 8.

XXII. Scriptura non arguit Saulem ſacrilegii.

Ex ipſa porro Scriptura Saul ſacrilegii minimè conuincitur; ex eius quippe vſu offerre laici & immolare dicuntur, cum animalia ſacerdotibus offerunt immolanda. Itaque vſurpauit eodem in loco Samuel, ne alioqui ad ſacrilegium regem inuitaſſe videatur, cum illum ab eo facinore modis omnibus abſterrere oportuerit. Cum autem Saul iubet ſibi afferri holocauſtum & pacifica, iubet animalia ſacrificiis iſtis deſtinata ſibi à famulis ſiſti propius, vt illa det in manum ſacerdoti, ſacrificaturo ipſius nomine. ideoque illo holocauſtum offerente, Saul dicitur obtuliſſe holocauſtum; & illo eodem rite perficiente, quæcumque erant de integritate & ceremoniis ſacrificii, ea dicitur Saul compleuiſſe. Nec in aliam ſententiam trahendus eſt Ioſephus, qui nihil hic aliud dicat quam Scriptura, addens explicatius Saulem ſacrificia facienda pro populo temere occupaſſe.

[illegible Greek marginal note]

XXIII. Occurrit Samueli, ſalutandi gratia. 1. 2.

CVM ergo Saul compleſſet offerens holocauſtum, ecce Samuel veniebat, & egreſſus eſt Saul obuiam ei, vt ſalutaret eum; officioſa hæc ſalutatio[d] duplici ex cauſa profecta videri poteſt, honore ac timore; Erat enim Samuel vir cum primis honoratus in tota Repub. & honore digniſſimus, & eum valde colebat Saul, à quo regiam acceperat dignitatem. Nunc autem verebatur ne ille ſuccenſeret, propter occupata ante ſuum aduentum ſacrificia, ideoque hoc ipſum obſequio placare ſtuduit. Sed priuſquam vlla inter ſe verba commutarent, ſiue diuina reuelatione, ſiue humana relatione didicit Samuel quid factum eſſet. Et non tam ſciendi quam obiurgandi cauſa, *Quid feciſti*, inquit, quare anteuertiſti ſacrificando aduentum meum? Saul autem animaduertens rem illi iam cognitam, excuſat neceſſitatem, qua iura omnia, legeſque ſoluuntur, *Quia*, inquit, *vidi quod populus dilaberetur à me*, quem videlicet neceſſe erat retinere, *& tu non veneras iuxta placitos dies*, de quibus inter nos conuenerat; *& Philiſthæi ad machmas congregati erant*, quos neceſſe erat repellere, & primoquoque tempore ad me deſcenſuri erant in Galgala, vt propterea grauiſſimũ eſſet in mora periculum; & neceſſe erat in tanto rerum diſcrimine placare Deum, multiplici *neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum*; ne quis forte me aut ſuperbiæ, quaſi præcepto contempto; aut inconſultæ temeritatis accuſet.

d Abul. poſt q. 10.

A quo obiurgatur.

Saul excuſat neceſſitatem.

Exprimit itaq; Saul apud Samuelem prædictos æſtus animi ſui. Quod autem ait, *tu non veneras iuxta placitos dies*, tacitam habet Samuelis accuſationem, quaſi non ſtetiſſet promiſſis, ſed iniuſtam. Saul enim cui tunc mora quælibet longiſſima videbatur ſeptē dies ita interpretatus eſt, quaſi ſtatim ſeptimo die apparere deberet Samuel, cum tamen totos ſeptem dies expectandū eſſet. Cum quis enim promiſſi alicuius debitor eſt in certum diē, verbi cauſa ſeptimū, totus ille ſeptimus dies iure gentiū abire permittitur, nec conueniri debitor poteſt ante initiū octaui. Samuel autē venit ipſo die ſeptimo tempore veſpertini ſacrificii, quando eum Saul non vltra venturū arbitrabatur. Quod autē dicit neceſſitate compulſus obtuli holocauſtū, Hebræi habent *roboraui me, & obtuli*. vel mihi vim feci, obfirmaui animū, repugnante licet, ac reclamante conſcientia; ratus alioqui me per imprudentiā peccaturū, ſi ipſo temporis adſtrictus articulo huic officio defuiſſē.[5]

XXIV. Samuel ſtetit promiſſis.

Vata. & Sa. 5. %.

Qvibvs auditis Samuel, *Stulte*, inquit, *egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi*. Nihil præceperat Dominus ipſe per ſe, ſed Samuel duntaxat;[a] verum volebat Dominus iam tum valere illud, *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*. Stultè egit, qui prudentia humana duntaxat res metitus, diuina conſilia in ſuam vtilitatem diſpoſita, improuiſo peruertit. Stulte egit, qui paucularum horarum ſpatio, multorum dierum patientiæ fructum abiecit, ac perdidit. Stulte egit, qui exigui temporis impatientia, regia dignitate ſe, poſteritatemq; priuauit. Stulte egit, qui non exiſtimauit diuinam prouidentiā hoc negotium belli, regnique ſui, moderari ad ſuam gloriam, regis & populi vtilitatem, hoſtium confuſionē & calamitatem. Credibile enim eſt Deum egregium quoddā opus animo deſtinaſſe, ſi rex Saul cœca hac obedientia ſibi imperare potuiſſet; *præparaſſet certe regnum eius ſuper Iſrael in ſempiternum*, vt ait Samuel. Proh quantam calamitatem res parua conſiliat! quam terribilia ſunt iudicia tua Domine!

a c. 10. 8.

XXV. Arguit Saulē ſtultitiæ.

Fvtvrvm erat regnū Saulis, ipſiuſq; familiæ ſempiternū, id eſt valde diuturnū; ſic enim paſſim in ſcriptura vſurpatur hoc vocabulū, ſi Saul in ſua innocentia perſtitiſſet: præuiſa vero eius culpa exiguis illud finibus circūſcripſit, & illi Dauidem, eiuſque familiā ſubſtituit; cui regnum quoq; ſempiternū promiſit, ſed ſub conditione obſeruationis diuinæ legis. Hinc illa, *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filij eorum vſq; in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam*. Præuiſa vero eorum culpa, regno quoque Iudæ finem impoſuit. Hæ igitur præuiſiones, aut etiā prædictiones cum ſubordinatæ ſint, & temporis non perpetui, ſed definiti, de vtraq; familia dici potuit, regnum eius futurum fuiſſe perpetuum, niſi peccata, ſub quorum conditione regnorū longinquitas promittebatur, interueniſſent. His ſimilia ſunt quæ de ſacerdotio Heli & Aaronis dicta ſunt alibi,[b] nec diſpar erga vtrūq; prouidentia, cū diuini immutabilitate decreti.

XXVI. An & quatenus regnū Saulis ſtabiliendum.

b Vide m. 2912. n 9. & Abul. q. 12. & 11. in c. 13. 1. Reg. & Auguſt. l. 17. de ciu. cap. 6.

Sed *nequaquā regnum tuū vltra conſurget. Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus vt eſſet dux ſuper populū ſuū*; Hæc inquiſitio, & præceptio nondū facta erant, eius quippe adhuc erant inſcii tam Samuel, qui regem Dei iuſſu quæſiturus erat in Bethlehem, in familia Iſai, & ei vnctione ſua ius in regnū daturus; quā David, qui inter pecora, & armētorū greges alia omnia cogitabat: ſed erat nihilominus in diuina prouidentia quæſitus, & inuentus ab omni retro ęternitate. Non ait Propheta Saulis regnū illico funditus periturū: regiā enim dignitatem vſq; ad mortem retinuit, eumq; Dauid ſemper pro rege habuit, & veneratus eſt: nec iuſſus eſt vnquam populus à Saule abſcedere, aut Dauidē pro rege agnoſcere, Saule exterminato, ſed intelligit Samuel regnum eius non late in poſteros propagatū iri, neq; admodum maiora incrementa capturū; qualia in Dauide & Salomone contigerunt, quaſi iam ad apicem ac verticem magnitudinis ſuæ peruenerit: inſtar rerum quæ celeriter defloreſcunt & intereunt, quæ celeriter quoque faſtigium ſuæ perfectionis aſſequuntur.

XXVII. Prædictio regni amittendi.

Vide autē quā pulchrè res iſtæ inter ſe congruant. In huius quippe rei ſignū Saul electus eſt in regem, cum iam animi, corporiſq; ſui perfectionem eſſet aſſecutus. Erat enim electus & bonus, & eximia vitæ innocentia præditus, & annū agebat tunc minimum quadrageſimū, aut quadrageſimum quintum; quippe cui 25. ab hinc annis natus erat Iſboſethus, qui patri poſt annos 15. quadragenarius ſucceſſit. At Dauid, quem virum Dominus quæſiſſe, & inueniſſe dicitur, à vir-

XXVIII. Diuerſa ratio initii regni à Saule & Dauide.

Iſraelitico penitus excluſos. Idque Scripturæ admodum conſentaneum eſt.

Etsi enim ſeuere locutus eſt Sauli Samuel propter præſens peccatum; propter alterū tamen longe ſeuerius; hic dicit *regnum tuum non vltra conſurget*, ibi, *ſcidit Dominus regnum Iſrael a te hodie.* Hic *quæſiuit Dominus ſibi virum ſecundum cor ſuum:* ibi quaſi iam lata ſententia, *tradidit regnum proximo tuo meliori te.* Hic ſtultitiæ arguitur, ibi culpa eius peccato ariolandi, & ſceleri idololatriæ confertur. Hic *non cuſtodiſti*, inquit, *mandata Domini Dei tui*, ibi autem, [a] *Pro eo quod abiecisti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis rex.* & iterum; *quia proiecisti ſermonem Domini, proiecit te Dominus & ne ſis rex ſuper Iſrael.* Hic in circunſtantia temporis peccatū eſt, ibi ipſa præcepti vis ac natura violata. Hic neceſſitas, ibi auaritia, culpam perſuaſit: hic hoſtili timore cadente in conſtantem virum; ibi populari metu, ignaua verecundia populi cupiditatibus, contra Dei iuſſa, obſecundante peccatum eſt. Samuel propter hodiernum peccatum Saulem non deſeruit, niſi ad tempus, rediitq; & amice cum eo, & familiariter egit; at poſt alterā culpam ita eum deſeruit, vt eum vltra non viderit, vſque ad diem mortis ſuæ. propter priorem culpam nihil mutationis in regno, nihil in rege, aut Samuele contingit; propter poſteriorem rex alius inungitur, & Samuel perpetuo in luctu verſatur.

XXXII *Antitheſis vtriuſque.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

[a] ca. 15. 23.

Dominus quoq; poſt priorem culpam, Saulem nihilominus pro rege habuit, & ad eum miſit Prophetam Samuelem, qui ipſius nomine vindictam Amalecitanam illi mandaret, ſed ita vt prius in memoriam reuocaret diuinum beneficiū inſtitutionis in regem; fruſtra autem id cōmemoraret beneficium, ſi eo iam priuatus eſſet, vt notauit Abul. [b] nunc autem voluit Saulem, in gratiā Domini Dei tam bene de ſe meriti, vindictā ſumere de ipſius hoſtibus Amalecitis, quod quia non executus eſt, ilicet regno excidit. Id autem iam olim Balaam ille prædixerat, cum de Iſraelitico populo diceret, *Tolletur propter Agag rex eius*, Saul ſcilicet, propter veniam illi Amalecitæ datam, *& auferetur regnum illius*: etſi eam ſentētiam Hebræi aliorsū trahant. Deniq; aliis in locis nunquam ſcriptura priuatum refert Saulem regno propter priorem culpā, maximè autem propter poſteriorē, vt conſtat ex 1. Par. c. 10. [c] voluit itaq; Dominus indulgenter agere cum Saule, nec primam ob culpam eum exterminare, ſed expectare vt benefactis malefacta obrueret; ſed ille ſemel ex recta egreſſus orbita, multo etiam longius aberrauit.

XXXIII. *Dominus poſt hanc culpā Saulem pro rege habuit.*

Eius caſum Balaā prædixit.

[b] Abul q. 11.

[c] v. 13. & 14.

Non progrediar vltra, niſi prius de Ioſepho lectorem ſcripturæ diuinæ amantem nonnihil monuero: nam cum Scriptura præſidium Philiſthinorum quod à Ionatha cæſum eſt, in Gabaa Beniamin collocet, ipſe aliò transfert, *non longe*, inquit, *à Geballis*, locus in tribu Beniamin, in qua erat Gabaa, nuſquā reperitur. Deinde poſt congregatas Philiſthæorum copias ait Saulem in Galgala eſſe profectū, & inde dimiſſis præconibus ſuos conuocaſſe; hoſtium interim diſſimulata potētia: cum id ſtatim à deleto præſidio factum fuiſſe fatendum ſit, niſi Saulem ſtolidæ tarditatis accuſare velimus, omittit meminiſſe eorum Hebræorum, qui à ſuis ad Philiſthæos defecerant, proptereaq; eorum mox reuerſionem callide diſſimulauit, ac miſſam fecit, ſed eam rem ſuo loco examinabimus. Recte quidem ac probabiliter ſupplet miſſum ad Samuelem à Saule nuncium, qui euocaret Prophetam, vt communicato cum eo conſilio rem gereret. Otioſe autem ac frigide inducit Samuelem renunciantem debere regem eodem loco manentem parare victimas, ſe autem poſt dies venturum. Hæc enim iamdudum inter vtrumque conſtituta fuerant; [d] vt merito dicere poſſet Saul, *Nil mihi reſcribas, ocyus ipſe veni.*

Quod autem hic fit mentio ſabbati, in quo ſacrificandum foret, id non Ioſepho, ſed interpreti tribuendum eſt, qui etiam non animaduertit Iudæos nō vltro ſabbatho bellum inituros. Deniq; Prophetam è Galgalis domū abducit nimirū in Ramatha: at Scriptura eum deducit in Gabaa, vt iam nunc planum fiet. In quibuſdam tamen Græcis habetur abiiſſe eum in viam ſuam.

XXXIV. *Nonnulla hic peccat Ioſephus.* 1. 2. 3. 4. 5.

1. Reg. 10. 5. & c. 13 v. 3. ὑπόστημα Γαβαών.

[d] c. 10. 8.

Baſil.

Tristi nuncio Sauli denunciato, non potuit nouus rex non ingemiſcere, qui ſe iam ad metas perueniſſe ſentiret, cum vix dum è carceribus exiſſet: forte tamen commoti ſenis duntaxat obiurgationem exiſtimauit, & comminationem potius patris, quā vaticiniū Prophetæ. Nihilominus *ſurrexit Samuel*, ait Scriptura, *& aſcendit de Galgalis in Gabaa Beniamin.* In quibuſdā libris non recte legitur deſcen-

XXXV. *Aſcendit Samuel in Gabaa.*

diſſe; è Galgalis enim Hieroſolym. verſus aſcendebatur, Gabaa verò non longe diſtabat Hieroſolym. Apparet autẽ Samuelẽ ante diſceſſum, neq; ſacrificaſſe in Galgalis, ne actum ageret, neque Dominum conſuluiſſe ſuper negotio bellico, non quidem Saulis offenſum peccato: non enim propterea vtilitatem publicam neglexiſſet, ſicut nuper licet populus peccaſſet petendo regem, idque prodigio comprobatum eſſet, dixit tamen Samuel, *Abſit à me hoc peccatum in Dominum vt ceſſem orare pro vobis.* [a] Non conſuluit autem, quia iam quid facturus eſſet Dominus reuelatione didicerat. [a] Abul. q. 15 in c. 13.

XXXVI. *Cum Saule & quare.* ASCENDIT autem [b] non ſolus quaſi regi factus inimicior, ſed cum Saule, & illa ſexcentorum virorum manu, qui cum eo remanſerant, vt eorum animos confirmaret, qui ſciebant eum in manu habere fulmina, atque tonitrua, quoties Deum in eam rem orare libuiſſet. [c] & vice verſa humano eorum præſidio vteretur. Idque peropportune accidit, habuerunt enim obuios Philiſthæos, quibuſcum pugnatum eſt feliciter, hoc enim ſignificant ea verba, *Aſcenderunt poſt Saul obuiam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Beniamin.* quæ verba abſunt ab Hebræo, & in Græco nonnihil perturbata ſunt. Itaque qui Hebræos codices nimium adamarunt, ea è textu Latino eiiciunt, Certe Arias in bibliis regiis, ea ex vulgata Hieronymi verſione ſuſtulit, & fortaſſis ex Græca. Tota tamen ſententia in Romana, Aldina, Baſil. editione integre reperitur; ideoque & in correctis bibliis ea verba ſeruata ſunt, & habentur apud magnum Gregorium, Lyranum, Abulenſem. & plurimum ad rem, ſenſumque pertinent. Oportebat enim eos eſſe præſidio iis qui cum Saule erant, puta pontifici, & ſacerdotibus, atque ipſi Samueli, vt è Galgalis in Gabaa tutum ab hoſtium incurſionibus receptum haberent.

[b] c. 13. v. 15.

Cum præſidio ſexcentorum.

[c] c. 7. v. 10. & c. 12. v. 18

XXXVII. *Cur in Gabaa permãſerint.* PERVENERVNT ergo in Gabaa, locum natura & arte munitum; erat enim in colle, & ibi diu ſteterant in præſidio Philiſthæi, donec nuper à Ionatha de ſua ſtatione deiicerentur; & videlicet ſtudioſe communiuerant, vt qui probe intelligerent ſe in hoſtium medio viuere quiq; ſemper in eorum perniciem intenti eſſent. Propterea ergo & Saul & Ionathas filius eius, populuſq; qui inuentus fuerat cum eis erat in Gabaa Beniamin. [d] ſexcentos viros deduxerat Saul, & millenos iam habebat Ionathas, qui iuncti ciuibus poterant, non infeſtis quidẽ contra Philiſthæos ſignis in acie concurrere, ſed obſidionem ſuſtinere, & hoſtem, *qui cõſederat in Machmas*, ſubitis excurſionibus diuexare. Ergo Iſraelitæ, in quibus humanitus tota ſpes ſalutis reſidebat, mœnibus ſe portiſque clauſos continebant, nec ante Philiſthæorum agmina comparebant, ſed flebant ſedentes, vt eſt in pleriſque Græcis codicibus, quod nec Deum haberent propitium propter culpam Saulis, & hoſtem prouocaſſent in perniciem ſuam, cui pares eſſe non poſſent, quippe qui exanimati maxima ex parte metu, in fugam ſe latebraſque dediſſent, *Ex peccato regis*, ait Sulpicius Seuerus, *metus omnem exercitum peruaſerat. Caſtra hoſtium haud longe ſita præſens periculum oſtendebant: neq; cuiquam exeundi in prælium animus, plures lacrymas & latebras petiuerant. Nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum à ſe Dominum delicto regis arbitrabantur: in maxima ferramentorum inopia exercitus erat.* Sic ipſe: ſed de hac inopia mox dicetur.

[d] c. 13. v. 16.

Rom. Aldin. Baſil.

XXXIIX *Tres cunei prædonum.* INTEREA *egreſſi ſunt ad prædandũ de caſtris Philiſthiin. tres cunei*, turmæ videlicet, aut cohortes expeditæ, *vnus cuneus pergebat contra viã Ephra, ad terram Sual*, id eſt meridiẽ verſus, vt ait Chaldæus paraphraſtes: at ſi hæc Ephra eadẽ eſt cum ea, in qua habitauit, & ſepultus eſt Gedeon, in ſeptentrionẽ dicendum fuit. Erat enim ea vrbs in tribu Manaſſe cis Iordanẽ vt docet Hierony. in locis Hebraicis, [e] & Adrichom. in tribu Manaſſe. [f] *Porro alius cuneus ingrediebatur per viã Bethoron*; id eſt occidentẽ verſus, hic eſt enim ſitus inferioris Bethorõ ratione Machmas. iuxta tabulas Adrichom., [g] licet Abul. contra Septentrionẽ putet hoc agmen fuiſſe profectũ, quia ſuperior Bethoron fuit in tribu Ephraimitica, & Ephraim eſt ad ſeptentrionẽ ipſi Beniamin, verũ vt taceam Machmas non fuiſſe Beniamin ſi credimus Adrichom. qui eam vrbẽ ponit in Ephraim, S. autẽ Hieron. 9. millibus ſeiungit ab Ælia; credibilius eſt duos cuneos verſus diuerſas partes, quã ad eandẽ profectos, *Tertius autẽ verterat ſe ad iter termini imminentis valli Seboim, cõtra deſertũ*, id eſt verſus orientem. Seboim ſocia fuit Sodomæ & Gomorrhæ, vnde hæc vallis nomẽ

[e] in voce Dryſ. [f] 1. n. 31. [g] In tabula tribus Ephraim.

accepit, iuxta mare mortuum, Ioſepho lacum Aſphaltitem. qui locus deſertus eſt, vt in primo tomo dictum eſt plenius.[a]

a a.m. 2138. n. 74.

XXXIX. Hebræorum exarmatorū ſeruitus.

Porro *faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael. Cauerant enim Philiſthæi ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſthiim, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim, & ſarculum. Retuſa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium* denique deſcendendum erat ad Philiſthæos etiam *ad ſtimulum corrigendum*, ac reficiendum. Difficilis admodum videtur hic locus. Neque enim apparet quandonam cauerint Philiſthæi, ne vllus in tota regione Iſraelitarum moraretur faber ferrarius. Nam poſt vigeſimum Samuelis annum, quatuor ab hinc annis humiliati ſunt Philiſthiim

b c.7.v.13. vt Scriptura tradit,[b] *nec appoſuerunt vltra, vt venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſthæos cunctis diebus Samuelis, & redditæ ſunt vrbes, quas tulerant Philiſthiim.* An dicendum pacem factam ea conditione, vt nec arma, nec fabrum ferrarium haberent apud ſe, & inſuper præſidia Philiſthęa diuerſis in lo- Mira.

l. 6. c. 7. cis haberent, vt ait Ioſephus, ſaltem in Gabaa Beniamin? Id valde credibile eſſet ſi victi Iſraelitæ pacem petiiſſent. At cum fuiſſent victores, pacem quibus placuit conditionibus, ſibique fructuoſis iniiſſe ratio vtique poſtulat.

XL. Mira quoq; gladiorum paucitas.

Neqve minus mirum illud cenſeatur quod ſequitur; *Cumque veniſſet dies prælij non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Ionatha, excepto Saul, & Ionatha filio eius.* Nam anno proximè præterito Saul congregauit trecenta & 30. millia Iſraelitarum contra Ammonitas; an in tanta multitudine bellatorum gladius duntaxat vnus & alter erant? An apud Ammonitas nulli erant gladii, qui victoribus cederent? Num fine armis nuper præſidium Philiſthæorum deletum eſt? 6. Ioſephus[c] de Gabaænis tantum, non de omnibus

6. ℅. c lib. 6. c. 7. Iudæis prædictam ſeruitutem tradere videtur. Sic enim ait, *Qui Gabam tenebant perdomitis Iudæis arma ademerant, & occupatis opportunis locis, præſidijs ea communierunt; & omni prorſus ferri vſu eis interdixerunt. Quamobrem ſi quando agricolis opus eſſet aliquo ferramento, puta vomere aut ligone, aut alio ad colendum agrum neceſſario, à Palæſthinis inſtrumentum erat petendum.*

XLI. Et quæ eius cauſa ex Ioſepho.

In Græco χαλκὸν nō μάχας vt ante.

De inopia vero armorum militarium, idem paulo inferius. *Saulus autem cum ſexcentis tantum militibus, & Ionatha filio venit in vrbem Gabaonem*, Gabaa dicendum fuit, diuerſæ enim ſunt; & idem eſt in Græco textu erratum. ſed nec Ionathas venit cum Saule, ibi enim iamdudum erat cum mille virorum præſidio, niſi forte iſtâ quoque mille diffluxerant, vt ſignificatur. *Horum maior pars non erat armis inſtructa, quod ea regio nec ferrum haberet, nec armorum fabros*, Illa ratio Scripturæ adiecta eſt, vereor vt ex veritate, iſta ex Scriptu-

c. ſeq. v. 2. ra depromitur, cum ſua cauſa, quod cura Palæſtinorum cautum fuiſſe diximus,

d a.m 2960 n. 6. Abulenſis & eum ſecutus Torniellus[d] putat illos tantum ſexcentos viros caruiſſe armis ferreis. At textus ſacer non de Gabaa tantum, aut de ſexcentis illis viris, ſed de omni terra Iſrael ſemel iterumque loqui videtur. Nec maiorem partem ait armis caruiſſe, ſed duos tantum viros iis fuiſſe inſtru-

e q. 30. ctos. Theodoretus,[e] eumque ſecutus de more Procopius, aiunt Iſraelem ferrum non habuiſſe, quod cum eos viciſſent Philiſthæi, vniuerſum eis ferrum ademiſſent, & prohiberent ne poſſiderent aliud. Sulpicius quoque *Allophyli*, inquit ſic enim ille cum pleriſque patribus Græcis Philiſthæos, quaſi proprio nomine vocitant, ſuperiore bello *victores vſum* ferri *Hebræis ademerant*, neque cuiquā conficiendi teli bellici, aut ruſtici ferramenti poteſtas fuerat. R.

Theodoreto Procopio. Sulpicio.

f q. 20. Dauid Kimhi ait Philiſthæos Samuel ſenio prægrauato præualuiſſe contra Hebræos, & hoc eis iugum impoſuiſſe contra quem lege Abul.[f]

XLII. Quando inuecta hæc ſeruitus.

Vervm hoc bellum, & victoriam Philiſthæorum quærimus, quæ tantam Hebræis ſeruitutem, tantam armorum inopiam attulerit; hæc enim fuerit expeditiſſima huius nodi ſoluendi ratio: ſed nullum eius veſtigium apparet in Scriptura, nec tamen credibile eſt id ab ea ſilentio traditum iri, ac ne tempus qui-

g q. 20. in c. 13. dem video, quod bellum id geſtum eſſe potuerit. Caietanus rem admiratione dignam dicit, nec habet quid reſpondeat. Abulenſis[g] non improbabiliter putat hanc ſeruitutem à longo iam tempore Hebræis impoſitam à Palęſtinis, etiam priuſquam Samſon iudex eſſet, nec vnquam plane ſublatam, ſed

variis occaſionibus, puta ſub Samuele diminutam, aut modificatam. Et nunc quidem à Saule, & filio eius excuſſam, ex quo præſens bellum exortum eſt; nunquam tamen ante Dauidis regnum plane ſublatam, ſaltem tributi penſitationem, qua de re alio quoque loco egimus.[a]

a 2. m. 2960 n. 26. & 1961. n. 1. & 2

XLIII. *Viderи à morte Heli: & ſeries rei geſtæ.*

Verum non altius repetendam crediderim ſeruitutem,[b] quam à morte Heli & Arca perdita, cum in magnam rerum deſperationem redactus populus, facile omnem ſeruitutis conditionem accepit. Sicut vice verſa in morte Samſonis[c] Philiſthæi in lucro poſuerunt, quod ab Hebræis non ſubnecerentur ſeruituti. Itaque illo & Samſonis, & Philiſthæorum optimatum funere: illa 40. annorum ſeruitus, quæ initio cap. 13. Iudicũ memoratur,[d] extincta eſt, cum anno ſexto Abeſani Iudicis initium accepiſſet. Eadem Philiſthæorum clades quietos præſtitit annos Heli: ſicut clades Hebræorum in vltimo eius anno, ipſos reddidit obnoxios Philiſthææ ſeruituti. Eius primarium caput fuit, vt quoddam eis vectigal penderetur, deinde vt aliquot vrbibus mulctarentur,[e] tum vt præſidium acciperent è milite Philiſthæo, cui tributum Iſraelitæ ſoluerent; & miles viciſſim prouideret, ne illi arma contra Dominos ſuos caperent: quod vt facilius aſſequerentur ſpoliatos armis, etiam fabris, à quibus ea cudi poſſent, ſpoliarunt. adeo vt exacuendo ruſtico aut domeſtico inſtrumento, ad Philiſthæos Hebræis veniendum eſſet.

b vide an. 2940 n. 11
c 2899 n. 48
d vide ann. 2939 n. 2 & 3. & 2850. n. 1. & ſeq
e 2 m. 2962, n 60. & 61

XLIV. *An & quatenus data pax Hebræis.*

Mansit is vtriuſque Reipublicæ ſtatus ad annos viginti, quando Samuel,[f] cõuocato in Maſphath populo, ſuſpicaces pupugit Philiſthæos, ne forte Hebræi ſeruitutem excutere vellent. Itaque coacto celeriter exercitu, Iſraelitas nil minus cogitantes inuaſerunt, ſed Domino pro ipſis, ad Saulis preces, pugnante, magna clade affecti ſunt; eademque opera,[g] pax iis conditionibus inita, vt ſublatæ vrbes Iſraeli reſtituerentur, & ab excurſionibus, & deducendis in fines Hebræorum copiis, Philiſthæi abſtinerent; cætera vero ſeruitutis capita manerent immota. eamque conditionem Iſraelitæ inermes, & principe, quo duce bellum gererent, deſtituti, non inuiti acceperunt; manſit tamen cupiditas principis aut regis, qui pro ipſis bellum gereret, & in libertatem eos penitus vindicaret, quæ cauſa fuit petiti regis. *qui*, inquiunt, *egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis*. Hæc videtur facilis & expedita illius capitis ſeptimi expoſitio, & eorum quæ deinceps ſunt conſecuta. Deleto autem à Ionatha Philiſtæorum præſidio, & pace violata, illico Philiſthæi ingentem exercitum in mediam ipſam regionem Hebræorũ deduxerunt, & variis excurſionibus omnia late loca populari cœperunt, & armis, animiſque deſtitutos diuexarece; rũ grauiore eos, quam vnquam antea, opprimere ſeruitute.

f c. 7. 1 Reg.
g v. 13 & 14
c. 8 28.

XLV. *Sexcentos tantum inermes fuiſſe.*

Iam quod ad armorum inopiam pertinet, propter ea quæ ſupra in cauſis dubitandi retulimus,[h] exiſtimo probabilem Abulenſis & Tornielli opinionem, vt Scriptura non de vniuerſis loquatur Iſraelitis, ſed de illis tantum, qui cum Saule remanſerant. quam expoſitionem facile illa verba recipiunt, *non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule*, atqui cum Saule erant duntaxat ſexcenti viri, ſic enim paulo ante ſcriptum eſt,[i] *Et recenſuit Saul populum qui inuenti fuerant cum eo quaſi ſexcentos viros*, & c. ſequenti,[k] *Et erat populus cum eo quaſi ſexcentorum virorum*. Sentio pulſari me obiectione tua, erudite lector. Qui enim, inquis, factum credamus, vt ſi multi in populo cum Saule armis erant inſtructi, armati vt omnes, metu compellente diffugerint, ſoli inermes cum rege atque imperatore ſuo perſeuerauerint?

h n. 40.
i c. 13. v. 15.
k c. 14. v. 2.

XLVI. *Neq; plane inermes.*

Digitvs Dei fortaſſis hic fuerit, volueritque diuina prouidentia per inermes viros immenſas Philiſtæorum copias, ſicut nuper in Maſphat debellare. Dicendum tamen non propterea Iſraelitas, tametſi gladio & haſta carerent, prorſus inermes fuiſſe. Nam Beniamitæ in quorum tribu maxime gerebatur hoc bellum, ab antiquo egregii erant fundibularii, arcubus etiam & ſagittis non carebant: etſi alia tela defuerint,

Stipitibus duris agitur, ſudibuſue præuſtis.

Pugna.

Quidquod pleraque habebant ruſtica inſtrumenta ferrea, tridentes, ſecures, ligones, aliáq; id genus; quæ Scriptura memorat. quamuis enim iſtiuſmodi tela retuſa eſſent, luculentas tamen plagas inferre poterant. Ad extremum ait Sera-

In hũc loc.

rius ; pugnis etiam rem agebant, à quibus pugna dicitur, ſed corio, vt reor, funibus, aliaue ratione obarmatis, vt impune quam maximum poſſent damnum, & vulnus imponerent. *Inter ipſos aduerſarios*, inquit Caſſiodorus, [a] *non erant prius armata certamina, ſed pugnis ſe quamuis feruida laceſſebat intentio, vnde & pugna nomen accepit. Bellum autem quidam à Belo dictum putant, quod is ferreum gladium primus produxerit.* Verum & bellum ſine gladiis eſſe potuit, & id inuentum multis annis, imo & ſeculis antiquius fuit. Viuo enim Adamo [b] vixit ille *malleator & faber in cuncta opera æris ac ferri*, ſub annum mundi 688. vt primo volumine diximus, id eſt plus mille ducentis & quadraginta annis antequam Belus, ſiue Nemrod regno Aſſyriorum initium daret, anno mundi 1932. Et quis probare poteſt inimicitias Cainitarũ & Sethianorum, non vſque ad bella progreſſas? nec violentos illos gigantes ante diluuium bella geſſiſſe inter ſe, qui etiam dicerentur pugnare cum Diis?

a i. 1. c. 30.
Bellum.
b 2. m. 688. nu. 16.

XLVII. *Philiſthæi locum mutant.* Interea *ſtatio Philiſthæorum egreſſa eſt, vt tranſcenderet in Machmas.* Stationis nomine intelligit Abulenſis non turmam aliquã, aut agmen hoſtilis exercitus tranſgreſſũ vlterius, ſed tota ipſa caſtra ſtatiua, quæ progreſſa fuerint; & inter Machmas & Gabaa-Beniamin conſederint; vt ſignificant duo illi ſcopuli de quib. mox dicetur. qui etiam innuunt Philiſthæos loci natura muniti, opportunitatem ſecutos eo tranſiiſſe, expectantes ſi forte Iſraelitæ in aciem deſcendere, & collatis ſignis cum ipſis decernere auderent: ſed illi tanto veritus impares animiſq;, furtiuã aliquam bene gerendę rei occaſionem captabant, vt ſequens oſtendit hiſtoriã. Eam expoſitionem confirmat textus Hebræus, in quo habetur præfectum aut præſidem Philiſtinorum egreſſum eſſe ad occupandum tranſitum Machmas; præfectum ſingulariter intelligens præcipuum, puta Imperatorum κατ' ἐξοχήν. Tranſgrediendi porro cauſa eadem videtur fuiſſe, quæ prius fuerat ſubſiſtendi ad vrbẽ Machmas. *Et quare.* Eo ſiquidem ab initio progreſſos apparet, vt nouum regẽ obſiderent, atq; in ſuam redactum poteſtatem male perderent; ſicq; facile populum in priſtinam, aut etiam duriorem ſeruitutem redigerent; poſtquam autem didicerunt eũ cum pauculis copiis ingreſſum in Gabaa vltra Machmas verſus Gabaa progreſſi ſunt cum copiis ſuis, & ad vtriuſque vrbis tranſitum conſederunt inuitante loco natiuis firmamentis ſepto atque vallato.

c 1 Reg. c. 14.

XLVIII. *Ionathas eos ſolus aggredi ſtatuit.* Ionatas [c] autem regis primogenitus, cui & ſua dignitas, & ætas, & conſcia virtus, & ſeruitutis metus, & quod caput eſt, ſingularis numinis afflatus animos faciebant, vndiq; circunſpiciebat opportunitatem nobilis cuiuſpiam facinoris, cũ quanta maxima poſſet hoſtis clade, perpetrãdi. Itaq; animaduerſo loco in caſtris hoſtilibus, aditus propter ſaxa prærupta difficillimi, ſed hanc ipſam ob causã minus ſuſpecti, minuſq; cuſtoditi, illac ad Philiſthæos penetrare ſtatuit, & Deo bene propitio glorioſam aliquam hoſti cladem afferre. Rem non ad patrem defert, aut militare conſilium, quos minimè probaturos tam audax, tamq; periculoſum facinus, impedituros potius: totumq; negotium diſturbaturos credebat; ratos, quod res erat, id eſſe aureo hamo piſcari: ſed ad adoleſcentem armigerum ſuum factum, fictumq; ad principis ſui mores atq; voluntatem, certum omnia probare vt iſti ſolent, nec nuſquã vlla ratione contradicere. *Inſciis ſuis.* *Veni*, inquit, *& transeamus ad ſtationem Philiſtinorum, quæ eſt trans locum illum*, vel vt alii, quæ eſt è regione loci iſtius, digito tũ monſtrabatur, vt res dubia eſſe non poſſet, nunc diuinandus eſt ille locus: erat autem præruptus, & ſaxis, vti diximus, aſperatus.

d Abul. q. 1. in c. 14.

XLIX. *Anprudẽter, & laudabiliter.* Cæterum locus hic dubitatione nõ vocat, [d] & cauſa Ionathæ, tametſi cõditio perſonę plurimũ ſecum taciti fauoris trahat, anceps profecto atq; incerta eſt, vix vt temeritatis notam poſſit effugere. Quare tandem? inquies; erat enim magnanimus, & propriæ virtutis, ac natiuæ fortitudinis conſcius; quę nuper tantæ dignitatis incremento vehementer ſuccreuerat: fauebat admodum recens experientia, deleti à ſe, cum non magna manu, firmiſſimi Philiſthæorum præſidij, ſub cuius tyrannide vniuerſus Hebræorum populus, quintum iam annum ſupra vigeſimum, inanes fundebat gemitus, & irritas querelas. Fauebant exempla illuſtriſſima laudatiſſimorum virorum. Non ignorabat quid Phinees aggreſſus eſſet, quantaque cum laude præmióque ſuſceptum negotium perfeciſſet. Quid Aod vnus contra Moabitas; quid Sangar, & Samſon contra iſtos ipſos Philiſthæos, diuino freti præſidio, ſoli ac ſinguli potuiſſent: Quidni ergo

Ionathas eadem ſpe nixus diuinæ protectionis, non cum temeritatis culpa, ſed
ſingularis fortitudinis laude Philiſthæos inuaſerit?

L. *An potius culpabiliter ſi abfuit diuina inſpiratio.*

PROBABILITER hæc quidem dicuntur, ſi tamen à diuino afflatu diſceſſeris,
non ſatis verè. Neque enim fas eſt quemquam ſeſe vltro offerre periculo euiden-
ti aut mortis, aut grauioris cuiuſpiam mali. Nam id eſt ſibi ſponte mortem ac-
cerſere, aut graue damnum afferre. Nam quãuis è recta ratione ſit hominem in
graui periculo conſtitutum, viam ſalutis audaci facinore expedire, aut in huiuſ-
modi conatu occumbere, vltro tamen periculum adire, minime rectũ eſt: quod
tamen auſus eſt Ionathas, cum vnus eum in locum ſe præcipitem dedit, vnde hu-
manitus emergere non poſſet. Nec ſpes aut fiducia diuini auxilij reddit huiuſmo-
di hominem ab ea culpa immunem, quam Dei tentationem vocãt, quando ſciens
prudenſque adit periculum, à quo ſcit ſe non niſi diuina manu eripi poſſe. Cum
tamen ſcriptum ſit, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* [a] Itaque quantumuis pro- a Mat 4. Exod. 16. & 17.
priæ virtutis conſcius, ipſo tamen naturæ lumine clareſcente perſpicuè videbat,
vnum atque alterum virum, trecentis aut quadringentis hominum millibus pa-
res eſſe non poſſe, ideóque neque mortem vltro accercendam eſſe. At delerat
Philiſthæorum præſidium; credo, ſed mille hominum ſatellitio ſtipatus, & fortè
multò paucioribus militibus inſtructum; Denique quicumque memorati ſunt
grauiſſimum adiſſe periculum, ſi à peccato creduntur immunes, diuina inſpira-
tione proteguntur.

LI. *Adfuiſſe autem probatur.*

EODEM clypeo protegendus eſt Ionathas, vt innuunt Theodoretus, & Pro-
copius. Neque enim parum credibile eſt Ionatham virum ſapientem, ac minimè
furioſum, facinus vltro ſuſcepiſſe non fortitudine, ſed deſperatione pleniſſi-
1 mum: niſi diuina inſpiratione permotum ac concitatum, quam nõ obſcurè ipſe-
2 met armigero ſuo ſignificauit, cùm diceret, *Tranſeamus ad ſtationem incircunciſorum
horum, ſi forte faciat Dominus pro nobis; quia non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel
in paucis*, neque obſtat illud *ſi forte*, vt mox dicemus, quod explicari etiam poteſt,
vtique, ſicut cum Dominus dicebat Samaritanæ, *tu forſitan petiſſes ab eo aquam.* [b] b Ioa. 4. 10.
Et Iudæis, *ſi crederitis Moyſi, crederitis forſitan & mihi.* Et rurſum, *ſi me ſciretis, forſi-* c. 5. 46. c. 8. 19.
tan & patrem meum ſciretis. Et Adamo, [c] *ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam* c Gen. 3. v 22.
de ligno vitæ. Et Caleb, [d] *ſi forte ſit Dominus mecum, & potuero delere eos.* Qui ta-
3 men Domini promiſſionem habebat etiam iureiurando firmatam. Eidem inſpi- d Ioſ. c. 14. v. 9. 10. 12.
rationi fauet ſignum illud ominoſum, quo accepto magna cum confidentia di-
4 xit, *Aſcendamus, tradidit enim eos Dominus in manus Iſrael.* Denique effectus ipſe ple-
nus prodigiis oſtendit Deum audaciæ huius fuiſſe auctorem, qui volebat rem
non humano profectam conſilio æſtimari, ſed diuino, quod humanam omnem
prouidentiam tranſcenderet.

LII. *Ei obtemperandum, licet abſurda, & contra communem legem.*

CVM autem aliquis à Deo mouetur, idque minimè dubium eſt, poterit, vt ait
Abulenſis, [e] vnus aliquis non numeroſiſſimum dumtaxat exercitum aggredi, e q 2. in c. 14.
ſed totum adeò orbem terrarum: neque enim Dominus, à quo mouetur, legi
communi ſubiacet, vt qui author eſt eius, neque qui ab eo mouetur, dicente Apo-
ſtolo, *Quod ſi ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege*; [f] imò & contra legem diuino ſpiritu f Gal. c 5. 18.
agente faciendum eſſe docet idem doctor, perſpicuo Scripturæ exemplo, [g] Nam g 3. Reg. 20. 35.
Propheta ille, qui iuſſu Domini præcepit ſocio vt ipſum percuteret, quod v-
tique contra communem legem eſſe conſtat, cùm nihilhominus recuſaſ-
ſet, peccauit, & in pœnam peccati à leone percuſſus eſt. Qui autem mox
Prophetam percuſſit ex Dei mandato, laude ac mercede dignus fuit. Pa-
ri ergo ratione Ionathas, quantumuis leges omnes prudentiæ & fortitudinis
prętergrederetur, Diuinæ iuſſioni ſiue inſpirationi obtemperans, fortiſſimus at-
que ſapientiſſimus habendus eſſet.

LIII. *Dubitatio Ionathæ.*

DVBITATIO nihilominus Ionathæ diuinam eius motionem dubiam facit,
quæ tamen debet eſſe notiſſima. Pertinet enim ad diuinam prouidentiam ita vo-
care hominẽ, vt ille vocari ſe audiat, ne irrita ſit vocatio, & ſimul norit à quo vo-
cetur, ne qui diuinitus ſe moueri putat, Dæmonis artibus inducatur in fraudem,
vt tam multis hæreticis ſæculis omnibus contigit, aut certè humana motio pro
diuina accipiatur; idque tanto magis neceſſarium eſt, quo minus lege communi, h 1. Io. 4. 1. 2.
quam ſupergreditur, dirigi poteſt. Propterea monebat Ioannes Apoſtolus [h] pro-

bandos eſſe ſpiritus an à Deo ſint. Atqui Ionathas videtur fuiſſe dubius, nō ſolum ex eo quod ait, *ſi forte faciat Dominus pro nobis*, ſed maxime quod ponat ſignum ex cuius euentu colligat, an Deus ſpondeat victoriam de Philiſthæis, nec ne: non ergo à Deo motus cenſeri debet.

a qu.2.in c. 14.

Respondeo cum Abulenſi [a] diuinas motiones partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinere; quibus ille illuſtratur ſuperiore lumine, hæc maiore quodam impulſu concitatur. Ad illum pertinet ſpiritus ſapientiæ, ſcientiæ, intellectus, conſilij; quo refertur & donum Prophetiæ, linguarum, diſcretionis ſpirituum, interpretationis ſcripturarum, etſi qua ſunt alia huiuſmodi: ad hāc ſpiritus fortitudinis, pietatis ac timoris Domini referuntur. Potuit ergo Ionathas diuinitus intelligere, atque edoceri Deum velle, ac iubere, vt Philiſthęos cum armigero ſuo inuaderet, ſicut aliquanto poſt Samuëlem edocuit de bello contra Amalecitas à Saüle ſuſcipiendo. Potuit etiam diuinitus affici vehementi deſiderio pugnandi contra Philiſthæos: ſimulque egregia quapiam, atque inſolita magnitudine animi repleri, ad audēdum facinus maximè arduum, longéque difficillimum. Et huiuſmodi motu nuper concitatus eſt Saül, auditis nuntiis Iabeſitarum; *Inſiluit* enim *in eum ſpiritus Domini, & iratus eſt furor eius nimis.* Sicut paulo ante ſpiritu Prophetico illuſtratus, cum grege Prophetarum celebrauerat magnalia Dei. Et ſicut poſſunt hi motus coniunctim dari, ita poſſunt & ſeorſim, vt clarum eſt ex proximo Saülis exemplo; Quia ergo Ionathas ſignum ponit, quo certior fiat de diuina voluntate, apparet eum, non motione intellectus, ſed voluntatis diuinitus affectum eſſe; Illuſtratio enim intellectus manifeſtius prodit authorem ſuum; & qui verè prophetat, dubitare non poteſt, quin Deo inſpirante prophetet. At cum ſola voluntas, quæ cœca eſt, mouetur, certitudinē habere non poteſt motoris ſui, quamuis huiuſmodi motio ſit admodum vehemens & ſupra humanum modum. [b]

LIV. *Vnde orta. motiones diuinæ duplices.* *Intellectus* *Voluntatis.* *quæ certiores.*

b idem Abul q.2.5. & 6.

Ionathas ergo memorabile facinus, ad quod diuinitus impellebatur, aggreſſurus, *Patri ſuo hoc ipſum non indicauit*; à quo videlicet rem humanæ prudentiæ legibus metiente, improbatum, ac diſcuſſum iri non dubitabat; aut certè fortem aliquem manipulum militum, qui ipſi adeſſet daturum, quo vehementer obſcuraretur magnitudo miraculi. Accedebat quod cum non planè certus eſſet, an Deus illi victoriam conceſſurus eſſet, ſed re à ſigno, quod ex hoſtium reſponſione capturus erat, dependeret, ſi ad hoſtem inuadendum, cum patris & ſociorum approbatione ac ſcientia profectus eſſet, & hoſtis eo viſo infauſto omine manere iuſſiſſet, irritum fiebat conſilium; & domū non ſine pudore, ac periculo reuertendum erat. Iuuabat autem tacitum Ionathæ conſilium patris abſentia: propterea enim eius meminit Scriptura, aitque eum moratum *in extrema parte Gabaa, ſub malo granato, quæ erat in Magron*, 7. hoc nimirum erat loci nomen in extrema vrbis parte, vbi Saül erat; & videlicet Ionathas alteram non incomitatus partem tutabatur. Cum Saüle erant ſexenti viri, qui è Galgalis cum eo venerant, & *Achias filius Achitob, fratris Ichabod & filij Phinees; qui ortus fuerat ex Heli ſacerdote Domini in Silo portabat Ephod*; non ſimplex illud, & lineum Leuitarum, ſed Pōtificum, cum reliquo ornatu, ad conſulendum Dominum; aderat & ipſa Domini arca, vt poſtmodum dicetur, habes autem familiam Heli, ſupra primo Samuëlis anno digeſtum. [c]

LV. *Rem aggreditur ſuis inſciis, & cur.* 1. 2. 3.

7. ꝙ.

Achias.

c Num.10

Arduum fuit ac periculoſum Ionathæ conſilium, qui vnus tantum exercitum aggrederetur; ſed ex ipſa natura loci, qui ſuperandus erat, antequam ad hoſtem peruenire poſſet, difficultas & periculum vehementius augebatur. *Erant* enim *inter aſcenſus per quos nitebatur Ionathas trāſire ad ſtationem Philiſthinorum, eminentes petra ex vtraque parte, & quaſi in modum dentium ſcopuli hinc & inde prærupti, nomen vni Boſes, & nomen alteri Sene: vnus ſcopulus prominens ad aquilonem, ex aduerſo Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa.* Apparet ex his hanc fuiſſe loci poſitionem ac ſitum, vt oppidum Machmas eſſet ad Septentrionem, Gabaa verò illi à meridie reſponderet, in medio vtriuſque caſtra erāt Palæſtinorum, quæ prægrandibus ac præruptis ſcopulis muniebantur, quorum duo inſigniores propriis nominibus appellabantur. Et is cuius vertex prominebat ad Aquilonem, & intuebatur oppidum Machmas, ab Adricomio appellatur Sene: alter autem, qui vertice ſuo vergebat in meridiem, & reſpiciebat Gabaa dicebatur Boſes: inter hos autem duos mino-

LVI. *Loci adeūdi difficultas ex Script.*

Interpretātur Lutum & Ruben, Boſes & Sene.

d

in topogr Ephraim.

res erant ſcopuli, per quos perreptandum erat.

LVII. *Et Ioſephi.* 1.9 ant. c.7.

Iosephvs hunc locum ita deſcribit; *Soli*, Ionathas videlicet, & armiger eius, *à colle*, in quo ſita erat Gabaa, *deſcendentes verſus hoſtium caſtra iter faciunt. Ea ſita erat in loco prærupto, qui tribus angulis in longum excurrebat*, duos tantum memorat Samuel, *rupe circumquaque cincta, ſeu munimento contra inſultus hoſtium. Quapropter negligentius cuſtodiebantur, quia propter naturam loci non ſolum aſcendere, ſed ne accedere quidem in ſurſum videbatur.* Abiens autē *Ionathas dixit ad adoleſcentē armigerū ſuū, Veni tranſeamus ad ſtationē incircunciſorum horum, ſi forte faciat Dominus pro nobis, quia non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis.* Nimirū difficultas operis naſcitur ex virtute agentis, & vi reſiſtendi patiētis; & quo vis hæc maior eſt aut minor, maior quoq. aut minor eſt difficultas operis. Quo item maior eſt virtus agentis, hoc minor eſt difficultas; quæ cum in Deo in infinitum augeatur neceſſe eſt omnem plane exhauriri difficultatem; cum enim nulla ſit inter finitum & infinitum proportio, infinita virtus omnem vim patientis, ſiue paruam ſiue magnam æque, id eſt infinite, ſuperabit. Homines autem pro modo virtutis ſuæ vim reſiſtendi patientis, facilius aut difficilius ſuperant. Sed hæc pluribus Abulenſis, in hunc locum.

Deo omnia æque facilia.

vide 1. Machab. 3. 18. vbi Iudas eadem fere dicit.

LVIII. *Ionathas præmonet armigerū.*

Hæc cùm dixiſſet Ionathas, ſimulque obuiam iſſet obiectioni famuli ſui, de magnitudine periculi, & inconſulta temeritate conſilij, Domino ſuo acquieſcēs, armiger, nec pluris faciens vitam ſuam, quam princeps ille ſalutem ſuam. *Fac omnia*, inquit, *quæ placent animo tuo, perge quo cupis; & ero tecum vbicunque volueris.* Ioſeph. *Filius Saulis*, inquit, *cum armigero ſuo conſpirat, vt clam ingreſſi caſtra hoſtium, tumultum aliquem, & trepidationem in eis excitarent. Et famulo omnem operam in quemuis euentū pollicente, etiamſi mori oporteat, ſoli à colle deſcendunt.* Reprehendit Ioſephum Toſtatus, quod dixerit Ionatham ad tumultum, & trepidationem excitandam iuſſe in caſtra Philiſthinorum, & non præcipue pugnandi cauſa, ſed daturum hoſti opinionem, non duos Hebræos tantum, ſed plurimam eorum turbam certatim conſcendere, atque in eorum perniciem coniuratam imparatis adeſſe, vt ſic illi de fuga potius, quam de pugna cogitarent. Id certè ſi Ioſephus ſenſit non rectè ſenſit. Neq; enim mēs Ionathæ fuit eam hoſti opinionem afferre, turbam quippe aliquam ſuorum deduxiſſe, qui ei fabulæ ſeruirent: nunc autem omnibus inſciis hanc iecit aleam, ratus Deum per manus ſuas liberaturum populum: cæteris omnibus Deo, à quo mouebatur, permiſſis.

[illegible]

LIX. *Captatione, an culpabiliter.*

Rvrsvm Ionathas ex hoſtium oratione captare volens diuinæ voluntatis argumentum, *ecce*, inquit, *nos tranſimus ad viros iſtos; cùmque apparuerimus eis*, Hebraicè ſicut & Gallicè, *eſtans deſcouuerts: ſi taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos, ſtemus in loco noſtro nec aſcendamus ad eos; Si autem dixerint aſcendite ad nos, aſcendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus noſtris: hoc erit nobis ſignum.* Sciebat Ionathas Deum etiam linguas hominum, imo & ſomnia pro arbitrio moderari: ſicut iampridem in die Madian, expoſitionem ſomnij Madianitæ vnius voluit omen eſſe victoriæ Gedeoni. Non ſunt hæc quidem diuinis legibus, quæ omina, & auguria, & ſuperſtitionem omnem condemnat, aut humanæ etiam prudentiæ conſentanea; quid enim habent ea verba, *aſcendite ad nos*, ad efficiendam, aut ſignificandam victoriam? Quid illa contra, *manete donec veniamus ad vos*, ad eam prohibendam? non enim res accipiunt à verbis vt ſint, ſed verba accipiunt à rebus vt vera ſint. [a] Deus tamen opt. max. cuius voluntas eſt regula iuſtitiæ & æquitatis, cum voluntatem Ionathæ permouiſſet ad inuadendum totum Philiſthæorum exercitū, nec tamen ei ſatis clarè conſtaret, iuxta prædicta, [b] an Deus id vellet, petiit à Deo ſibi aliquo ſigno declarari diuinam voluntatem, qui illico inſpirauit, vt ad verba hoſtis attenderet, & talibus verbis auditis certum haberet ſe à Deo mitti, & victoriam certè conſecuturum.

a Ariſt. 1 de Interp.

b Num 54.

LX. *An potius diuina inſpiratione.*

Non conſtituit ergo ſibi Ionathas huiuſmodi verba, vt certum omen victoriæ conſequendæ, aut non conſequendæ, ſed cum eſſet vir bonus ac timens Deum, orauit eum, vt ſignificat Theodoretus, [c] & affirmant paſſim interpretes, in quibus Abulenſis, Caietanus, Serar. Lyranus, qui id quoque Ioſepho tribuit, ex auditione potius, quam ex lectione, orauit inquam Deum; vt eum de ſua voluntate ſigno aliquo redderet certiorem; qui exoratus, ea verba excubitoribus ſuggeſſit aut cum præuidiſſet quid illi dicturi eſſent, ea reuelauit Ionathæ; vt iis

c qu. 31.

confirmatus etiam armigerum ſuum confirmaret &, eundem ſuæ voluntati in ipſo verborum euentu conſentientem redderet, ſicut poſtea Iudas Machabæus contra Nicanorẽ pugnaturus, viſum ſibi inſomnis Oniam, & Ieremiam nunciauit, & ad pugnam reddidit alacriores; fieri enim poterat vt Armiger audito, *aſcendite*, timeret ſibi, videns hoſtis alacritatem ac fiduciam, & Ionatham ab incepto retraheret, aut timore perculſus fugeret: audito autem *manete*, alacrior fieret, ratus hanc eſſe timoris vocem; ſicque cum Ionathæ voluntate pugnaret, qui contrario plane modo ſeſe gerere cupiebat; itaque præmonitus eſt ad omnem euentum: intellexitque non ex timiditate, aut leuitate Ionathæ profectum, ſi ille audito *manete*, ab incepto deſtitiſſet, notauit Abulenſis. [a]

2. Mach. 15. 11. a q. 3. in ca. 14.

LXI. *Apparent hoſti ſub auroram.*

Apparvit *igitur vterque ſtationi Philiſthinorum, dixeruntque Philiſthiim; en Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus abſconditi fuerant*. Alludunt excubitores iſti ad ea quæ paulo ante dicta fuerant, [b] de Iudæorum trepidatione, & latibulis, Ioſephus putat conſilium captum à Ionatha nocte intempeſta, & ſub auroram apparuiſſe Philiſthæis. Idque probat Abulenſis, quod veriſimile ſit Ionatham conſilium ſuum exequi voluiſſe eo modo ac tem pore, quo maximum terrorem ac rerum perturbationem afferre hoſti poſſet, quod maxime conſequebatur, ſi ſub auroram improuiſis apparet, & opinionem afferret Hebræos omnes per noctem conueniſſe, eoſdemque iſtos anteſignanos pone ſequi, & iam iamque in ipſos irruere. Nec obſtat quod initio huius capitis in Hebræo textu, Græcoque legitur, *Et fuit dies*, ſiue, *& facta eſt dies, & dixit Ionathas armigero ſuo, veni & tranſeamus*, quaſi conſilium interdiu captum, inchoatumque ſit, non autem noctu. Nam ea phraſis diem naturalem notat, luce, tenebriſque compoſitum, vt docet editio vulgata, & verſio Tigurina. Oportuit certè hæc ſummo mane contigiſſe, vt populus Hebræorum, re iam à Ionatha bene cœpta ieiunus perſequeretur hoſtem, &, præ cibi inopia, ſub veſperam deficere diceretur.

b 1. Reg. 13. 6.

ἐγένετο ἡ ἡμέρα.

LXII. *Eadem ex Ioſepho narratio.*

Avdiamvs Ioſephum ipſum [c] *Poſtquam*, inquit, *eo acceſſerunt, Ionathas confortabat armigerum ad hoſtem aggrediendum; Si nos* inquit *viderint, iuſſerintque aſcendere, omen victoriæ accipiendum eſt; quod ſi tacuerint, neque nos vocauerint, reuertamur.* vides mutatam alteram partem dilemmatis, quam oportuerat fideliter ex Scriptura referre. pergit, *cumque propius ad hoſtilia caſtra accederent, appetente iam die Palæſtini vbi hoc viderunt, inter ſe dicebant, ex antris & cuniculis prorepunt Hebræi. Deinde Ionathæ cum armigero inclamabant, venite huc daturi pœnas audaciæ.* Sic explicat illud. *& oſtendemus vobis rem*, id eſt aliquid, Non expreſſit Ioſephus ironiam; gallicè diceremus, *Nous auons quelque choſe à vous dire*, in Hebræo eſt, *ſcire faciemus vos verbum*, *quam vocem* ait Ioſephus, *Saulis filius cupidè arripiens, vt indubitatum omen victoriæ, tunc quidem receſſit è loco, in quo conſpecti fuerant, ſed ex alia parte ad rupem accedentes propter ſitum incuſtoditam magno labore difficultate loci ſuperata, euaſerunt ad hoſtem*, qui forte putabat abiiſſe Hebræos, cum ſe præter opinionem deprehenſos vidiſſent.

c l. 6. ant. c. 7.

ἀνερπύσαντες, μετὰ πολλῆς ταλαιπωρίας.

LXIII. *Aucta probabiliter.*

Recte quidem Ioſephus, & valde probabiliter. *Si enim ex eo loco in quo conſpecti fuerant, aſcenſum moliti fuiſſent*, facilè in ipſo perreptandi labore, haſtis, & contis in præceps deturbati fuiſſent iuxta illud.

-----telorum effundere contra
Omne genus Teucri & duris detrudere contis.

Caietanus quoque ait rationi eſſe conſentaneum eos aſcendiſſe per viam Philiſthæis inopinatam, non autem in ipſius hoſtis oculis. Aſcenſus autem difficultatem clarè textus noſter expreſſit; cum enim dixiſſet Ionathas armigero ſuo, *Aſcendamus, ſequere me, tradidit enim Dominus eos in manus Iſrael*; non dixit in manus meas, modeſtiæ cauſa; & reuera ipſi pugnam incepturi erant, quam victoria conſecuta eſt; ſed totius populi pugna fuit, atque victoria. Quia tamen magnũ momentum ad victoriam in hoc audaci Ionathæ conatu, & quaſi velitatione poſitum fuit, ideo illi victoriam Iudas Machabæus attribuit, cum pugnaturus contra Lyſiam Dominum orabat in hæc verba; [d] *Benedictus es Saluator Iſrael, qui contriuiſti impetũ potentis in manu ſerui tui Dauid, & tradidiſti caſtra alienigenarum in manu Ionathæ filij Saul, & armigeri eius*, &c. Sed illuc redeo. *Aſcendit*, inquit, *Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius poſt eum.* Hactenus pugnæ ac victoriæ præparatio.

d 1. Mach. 4. 30.

Aſcenſus difficultas.

in omni populo: qui iuerant ad prædandum, obſtupuerunt ſiue expauerunt etiam ipſi. Poſterius miraculum habent illa verba, *Et conturbata eſt terra, & accidit quaſi miraculũ à Deo*, vel vt Hebræus, *& fuit in trepidationem Dei*; id eſt, prodigioſam, & longè maximam. Prius illud conſtitit in pauore, ſtupore aut ecſtaſi, vt loquuntur 70. cum confuſione mentis, qua diuinitus perculſi, quaſi attoniti vix mouebãtur loco, cuius ſignũ eſt quod in tãtulo ſpatio dimidiati iugeri viginti viri à duobus obtrũcati ſunt. Cũ autem incaluiſſet eorum animus ad reſiſtendũ, manente mentis confuſione, in obuiũ quemq; quaſi hoſtem irruebant, rati iam totum Hebræorũ exercitum in ipſos, infeſtum incubuiſſe, vt in bello Gedeon.[a] contra Madian. *& confuſio mentis.*

a Iud. 7. 21. 22. ALTERVM de terræ cõmotione miraculum aperte habetur in Hebræo textu, & Chald. paraphraſi, cui conſentit editio vulg. quæ habet *& cõturbata eſt terra*, licet in biblijs regiis, & aliquib. editionib. non emendatis habeatur *Conturbata ſunt caſtra*; ſed terra etiam in 70. legitur. Quin & terræ motũ hic agnoſcit Caiet. Vatabl. & verſio Pagn. & Tigur. idque valuit ad magis, magiſq; perterrefaciendos Philiſthæos qui ſentirent in ſe armatum quodãmodo terræ elementum, quod ingenti aliquo hiatu, quaſi aperto ore, hoſtem populi Dei ſe abſorpturum minaretur. Sed quia non raro terra [b] pro terræ incolis ſumitur, in prophetis tamen potius, quã hiſtoricis libris, & 70. hunc motum vocant θάμβον, id eſt ſtuporem & pauorem, nec à Ioſepho, multiſque interpretibus animaduerſus eſt, ideo hunc terræ motum probabilem, non autem certum, atque indubitatum conſtituamus. LXIX. *Et terræ motus.* *non certus.*

b infr. n. 89. & 92. v. 29.

INTEREA & Dominus per manum Ionathæ mirabilia in caſtris Philiſthinorum perpetrat. Nam plagam primam, qua proſtrati ſunt 20. milites, ipſe cum armigero intulit hoſtibus; alterã quam ſibi hoſtes mutuo inferebant ipſe exaggerabat, & reddebat luculentiorẽ; tertiam impoſuerunt Saul cum reliquis Iſraëlitis in perſequendis fugiẽtibus Philiſthæis: vbi Ionathas non ſolum affuit, ſed victoriæ pars magna fuit. Ad hanc autem plagam tertiam aggreditur ſcriptor ſacer: [c] *Reſpexerunt*, inquit, *ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce* apparuit eis *multitudo* partim *proſtrata*, partim *huc illucque diffugiens*, atque diſcurrens, tam imponendorum, quam vitandorum vulnerum cauſa. Quæ cum ſpeculatores regi renunciaſſent, ille de populo ſuo ſollicitus, & ſuſpicatus quod res erat, aliquos de ſuis in hoſtẽ immiſſos irruiſſe, & hunc excitaſſe tumultũ, nec putabat hoſtes inter ſe infeſtos concurrere, *ait populo qui erat cum eo. Requirite & videte quis abierit ex nobis.* Nam Ionathas alia in domo, diuerſaque vrbis parte eã tutabatur, vt ſupra ſignificatum eſt. [d] *Cumque requiſiſſent, repertum eſt non adeſſe Ionathan, & armigerum eius.* LXX. *Tres plagæ ab Hebræis* 1 2 3 *Clades innoteſcit Sauli.*

c 1. Reg. 14. v. 16.

d c. 14. v. 2.

AVXIT is nuncius ſolicitudinẽ Saulis, itaq. cum haberet in prõptu Achiã Pontif. & ARCÃ Domini cum propitiatorio, vnde diuina oracula petebantur, reſponſaq. conſulenti pontifici reddebantur; *ait ad Achiam: Applica arcã Dei?* [e] id eſt, induere Ephod, & rationale, in quo eſt vrim & thũmin, & conſule Dominũ, qui in arca ſedet ſuper Cherubim. *Erat enim ibi arca Dei in die illa cũ filiis Iſrael.* Ad præſentẽ ſcilicet neceſſitatem adducta in caſtra, vel de Chariathiarim, vbi erat ordinaria eius ſedes, vel de Galgalis, ſi eo quoq. deducta fuerat. Volebat autẽ Rex ex diuino reſpõſo cognoſcere quid factũ eſſet Ionathę & armigero eius, quis eſſet huius tumultus in caſtris hoſtium author, aut quæ cauſa eius; & an Deus ipſi author eſſet aggrediendi hoſtem. Ioſephus iuſſum ait à rege pontificem, *de futuris vaticinari*, frigide ſatis, hoc rerum perturbatarum, atque vrgentium articulo. LXXI. *Cõſulit dominum per pontif.*

e vid. Abul. q. 23 in c. 14.

CVMQVE, inquit, *renunciatum eſſet regi per ſpeculatores tumultũ eſſe in caſtris Palæſthinorũ, interrogauit Saul num aliquis e ſuis abeſſẽt, & audito filium cum armigero abeſſe, iubet pontificem ſumpto ſacerdotali habitu de futuris vaticinari*, λαβόντα τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν προφητεύειν αὐτῷ περὶ τῶν μελλόντων, cur non potius de filio inquirere, aut de hoſte ſtatim inuadendo? *Quo reſpondente victoriam Deum, & hoſtium cladem promittere, ducit militẽ in Palæſtinos*, [f] &c. Hoc perſpicuè falſum eſt; quamuis Ioſepho, Theodor. [g] aſſentiri videatur; nullum enim reſponſum habitum eſt propter feſtinationem, ex increſcente tumultu ortã, Saüle vt apparet filio ſuo, quẽ abeſſe videbat, & in prælio ſuſpicabatur eſſe; ſine mora volẽte ſuccurrere, & illum cladi eripere. Audi Samuëlẽ, *cumque loqueretur Saul ad ſacerdotem, tumultus magnus exortus eſt in caſtris Philiſthinorum, creſcebatq; paulatim, & clarius reſonabat, & ait Saul ad ſacerdotẽ cõtrahe manũ tuã*, i. deſine precari. Protenſas enim habebat manus Pontif. ad Deum, & arcã inter orandum, LXXII. *Ioſeph. narratio arguitur.* *Saul reſpõſo caruit.*

f Abul. q. 10.
g q. 31.

ſed Dominus verbis non reſpondebat, ſed factis hoſtes ſuos ipſorum manibus perdendo.

LXXIII. *Accurrit, ad prælium* & *pugnat cum ſuis.*

Sive id ſenſit Saül, & diuinæ victoriæ cooperari voluit; ſiue paternus amor in filium, quem periclitari in hoc nouo clamore ſuſpicabatur, rũpere coëgit omnes moras, *conclamauit*, buccina ſcilicet per caſtra ſua: imo & latius per vicinam regionem bellicum cani iuſſit, vt omnes repente ad arma concurrerent: *Et omnis populus qui erat cum eo*, nouo ſpiritu, ac feruore concepto, militari clamore ſe excitauit ad prælium, vt parieti inclinato incumbentes, citiſſima cum ruina præcipitarent. *Et venerunt vſque ad locum certaminis*, tam Philiſthæorum inter ſe, quam Ionathæ contra ipſos. *Et ecce verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis.* Sic renouato clamore, dementatos magis magiſque perturbãt, atque confundunt; & partim eminus miſſilibus petunt, partim cominus, correptis proſtratorum haſtis, & gladiis, inſtant infeſti fugientibus, & recentes fatigatis, integri debilitatis, ſui bene compotes confuſis ac perturbatis; nullus hîc aut curruum falcatorum, aut equorum vſus, niſi ad accelerandam fugam, ſi quis in late patentibus caſtris prius adornauit fugam, quam ab imminenti malo comprehenderetur.

LXXIV. *Augetur copiis; an transfugarum.*

Prosequitur deinceps Samuel explicare; quinam ſeſe Sauli adiunxerint, ad Philiſthæorum exercitum conficiendum; & inimicam gentem, ſi quo modo fieri poſſet, exſcindendam. Primum ergo ad ſexcentos illos, qui regem nunquam deſeruerant, ſed ei conſtanter adhæſerant, ſe aggregarũt Hebræi, qui relictis Palæſthinis ad Iſraëlitas ſe contulerunt. De quibus dubitatio eſt, fuerintne fugitiui, qui ad Philiſthæorum aduentum, cum exercitu formidoloſiſſimo, territi ad hoſtem transfugerunt, vt vult Hieronym. in tradit. vt ante dixi, [a] cui videtur aſſentiri Gregorius magnus. Licet enim id apertè non dicat, ſatis tamẽ ſignificat, cum eos confert peccatoribus, à religioſa conuerſatione lapſis, & amorem religioſæ vitæ reſumentibus. Eadem fuit Comeſtoris ſententia, Lyrani, Dionyſ. An vero fuerint qui Philiſthæis famulabantur, nominatim fabri ferrarij, qui iam dudum tota ex regione Iſraëlitarum abducti fuerant, vel qui apud eos ſeruitutem ſeruiebant, qui conuerſo rerum ſtatu, relictis heris & dominis ad ſuos Iſraëlitas redibant; Ita ſentit Abulenſis, [b] Caietanus, nec diſſentit Vatablus.

[a] Num. 17. 70. δοῦλος. [b] q. 16. in c. 14.

LXXV. *An potius eorum qui apud Philiſthæos habitabant; qui iuncti ſuis.*

Quibus multum videtur fauere textus ipſe, vbi legimus, *Sed & Hebræi qui fuerãt cum Philiſthiim heri & nudius tertius*, id eſt qui pridem cum ipſis habitabant, non enim huiuſmodi phraſis de aliquot tantum diebus vſurpatur, ſed de multis etiam annis; vt cum Moſes negabat ſe eloquentem ab heri & nudius tertius; [c] Sic Saulem mirabantur prophetantẽ, qui eum nouerat ab heri & nudius tertius; [d] ideſt, à iuuentute ipſius. Hi ergo qui cũ Philiſthæis degebant, *aſcenderantque cũ eis in caſtris*, à terra Palæſtina venerant in terram Iſraël, aut famulorum, aut opificum, aut militum fungentes officio; alioqui enim dixiſſet, tranſierant, aut transfugerãt ad eos in caſtra; *reuerſi ſunt vt eſſent cum Iſraëlitis, qui erant cum Saule & Ionatha.* Redierũt ſcilicet ad ſuos, vnde orti, & abducti fuerant: vt in claſſium expugnatione ſolet contingere, vbi qui ad triremes damnati hoſti ſeruiebant, inclinante ad alteram partem victoria, ad eam momento cõuolant libertatis cauſa. Nec iſtos morabantur ſuæ familiæ, ſi eas apud Philiſthæos habebant; putabant enim Philiſthæos tam ſuis, quam Hebræorum armis exciſum iri; & omnem eorum regionem à Iudæis occupandam: & ſic nihil ſe perdituros; ſin aliter facerent, de ſe funditus, ſicut de Philiſthæis, actum eſſe.

[c] Exod. 4. v. 10. [d] 1. Reg. 10 v. 11.

LXXVI. *Et timidorum è latebris emergentium.*

[e] Omnes *quoque Iſraelitæ, qui ſe abſconderant in monte Ephraim, audientes quod fugiſſent Philiſthæi, ſociauerunt ſe cum ſuis in prælio*, nam ἀνὴρ ε[illegible] καὶ πάλιν μαχέσεται. & increſcente vndique multitudine, quam pudor nunc ad officium, ſerum licet, ſtimulabat, factum eſt vt quamprimum eſſent cum Saule, *quaſi decem millia virorum.* Hunc numerum textus Hebræus non habet, neque Chaldæa paraphraſis, neque extant apud Lyranum. Abulenſis ait ea verba, *Et erant cum Saul quaſi decem millia virorum*, neque eſſe in Hebræo, quod verum eſt, neque eſſe de veritate literæ noſtræ, ſed fuiſſe gloſſam quandam interlinearem, quæ per ſcriptorum imperitiã in textum irrepſerit; quod affirmare facilius eſt quam probare. Arias quoque Montanus ſecutus aliquam bibliorum editionem, ea non habet in bibliorum

[e] 1. Reg. 14. v. 22. Aldina. Rom. Baſil. Reg.

regiorum editione vulgata. Sed ea conſtanter in græcis editionibus habentur; & à Ioſepho agnoſcuntur; *Et ipſi*, inquit, *à ſubterraneis prorumpentes, militibus Saulis ſeſe agglomerant. Iamque ad decem millia creuerant; hoſtemque tota ea regione palantem inſectabantur*, &c. Eadem agnoſcit S. Gregorius. Et habentur in biblijs emendatis editionis vulgatæ, nec fas eſt à Catholicis repudiari.

ET *ſaluauit Dominus in die illa Iſrael*; vtiq; Dominus qui Ionathæ animos dedit ad inchoandã tantam victoriam, hoſti pauore mentẽ eripuit, & cognatas inter ſe turmas, manipulos que commiſit: vtiq; Dominus cuius nutu terra ipſa cõtremuit, in ſignum Philiſthæis, ſibi pugnam eſſe cum eo, cui elementa ſeruiunt; quiq. cœleſtia ſimul ac terrena moderatur; vtique Dominus cuius benignitate fugatus ex inermium Hebræorum pectoribus pauor, deſertæ latebræ, erectus ad pugnã animus, repetitus campus, aditus imperator, arma præbita, vireſque reſtitutæ; vt fugaces Philiſthæos ignominioſis vulneribus ſternerent. Denique ſaluauit Dominus Iſraëlem, quãdoquidem, re humanitus æſtimata, actũ erat de Iſraëlitis. *Pugna autem peruenit vſq; ad Bethauen*, vt ait Script. Erat hoc oppidum verſus Bethel & Galgala ad Orientalem plagam ipſi caſtrorum loco, quod eſt indicium turbatorum hoſtium, & fugitantiũ quocunq; illos ferret impetus. Nam quærẽtibus euadere certam perniciem, iter flectendum erat ad occidentem, vbi erat Palæſtina, Vel certe ſignificatur latiſſimam regionem à Philiſthæorum caſtris prius occupatam fuiſſe: quo poteſt referri illud Septuag. *Et erat prælium diſperſum in totam ciuitatem in monte Ephraim*: id eſt, per omnes ciuitates montanas illius tribus, per quam magna ex parte tranſitus erat Philiſthæis ad redeundum ad ſuos lares.

LXXVII. *Victoria diuina.*

Turbida fuga hoſtiũ

ET *viri Iſrael ſociati ſunt* [a] *in die illa* 9 vt vnus exercitus fieret, cõpoſitus ex iis qui perſiſterant cũ Saule, & meticuloſis, & iis qui aſcenderant in terram Iuda cũ Philiſthæis. quam occaſionem ratus idoneã Saul hoſtis perſequendi, vtẽdiq; victoria, id fieri iuſſit, omni mora, etiam cibi ſumendi cauſa interdicta: quod præceptum grauiſſima maledictionis pœna interpoſita ſanciuit. *Adiurauit autem*, ait Script. *Saul populum dicens maledictus vir qui comederit panem vſq. ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* id eſt, quidquam cibi ſumpſerit, nam etiam mel panis nomine intellectum fuiſſe, Ionathæ periculum demonſtrauit. Nec tamen prohibet potum, quia ſitis minus tolerabilis eſt quam fames; & potus pene nullam affert, quamuis citatæ inſecutioni, morã. Etſi autẽ fuerit in illum diẽ lata lex, vel mandatum legitimi principis ſubiecto populo promulgatũ, grauiq. pœna ſtabilitũ; adiuratio tamen, & iuſiurandum dicitur, latius ſumpto, Hebraïca phraſi, iurãdi vocabulo, Septua. modo iuſiurandum, modo execrationem vocant; καὶ ἀρᾶται τῷ λαῷ, λέγων, ἐπικατάρατος ὁ ἄνθρωπος, & mox ἐφοβήθη ὁ λαὸς τὸν ὅρκον κυρίου. [b]

9. %. LXXVIII. *Saulis præceptum cum execratione, ſiue adiuratione.*

CÆTERVM hoc ſiue præceptũ, ſiue iuſiurandũ, vt imprudẽs ac temerariũ paſſim reprehenditur. Nã 70. *Et Saul*, inquiunt, *ignorauit ignorantiã magnam*, id eſt, magna ignorantia peccauit, *in die illa, & maledicto populũ obſtrinxit*, &c. Eos ſecutus Ioſeph. nam nulla eſt in Hebræo textu Saulis reprehenſio. *Ibi rex*; inquit, *ſiue nimio gaudio parum ſui compos, quod difficile ſit eximiam fœlicitatem moderato animo ferre, ſiue per inſcitiam dignum quiddam reprehenſione admiſit. Volens enim meritas pœnas à Palæſtinis ad ſatietatem repetere, diris deuouit eum, quicumque intermiſſa cæde ante noctem cibum caperet, nolens ante tenebras inſequendi, & cædendi finem facere. Stulte autem & inſipienter*, ait Theod. [c] *ſubiecit anathemati eum, qui cibi & potus ante veſperam eſſet particeps.* Non eſt vlla mẽtio potus in textu, eius tamen rurſus meminit Theod. [d] reddens enim rationem reprehenſionis ſuæ. *Oportebat*, inquit, *illum conſiderare laborem belligerantium, & quod erat veriſimile fore vt aliqui labore cruciati premerentur ſiti, & cogerentur non ſtare decreto.*

LXXIX. *An culpabilis, & qui ita ſentiant.* Septuag. Ioſephus. Theodoret. *non prohibitus potus.*

LVCVLENTER vt ſolet in eandem ſententiam ſanctus Chryſoſt. ad populum Antiochenum perorans, [e] *Volens*, inquit, *Saul amplius contra reliquos exercitum excitare, & facere ne prius al ſiſterent, quam omnes opprimeret, contrarium quam voluit fecit*, id eſt, medium præpoſterum adhibuit, & ad contrarium effectum accommodatum; *iuratus neminem vſque ad veſperam panem comedere, vſque ad hoſtium vltionem ſuorum. Quid nempe hac re ſtultius fieri poſſet? fatigatos enim & labore multo preſſos milites cum refocillare debuiſſet, & recentiores hoſtibus immittere, hoſtibus grauius ipſos habuit*; id eſt, peius à rege quam ab hoſte accepti ſunt, *per iuramenti neceſſitatem fami grauiſſimæ ipſos tradens*. Et paulo infra non ſolum ipſum inconſi-

XXC. S. Chryſoſt. Procopius.

Procopius. deratè iuraſſe dicit; ſed toti exercitui laqueum ad peccandum præparaſſe, & diabolo aditum aperuiſſe, vt non tantum duo & tria & quatuor, ſed & multo plura ex hoc iuramento periuria texeret. Eadem cum Theodoreto habet Procopius, & non conſulto textu, ipſe quoque potum à Saüle prohibitum exiſtimauit.

XXCI. *Nicol. Lyra. eiuſque rationes.* Eandem opinionem Lyranus adamauit, aitque Saülem in dicto iuramento peccaſſe dupliciter, primo quia malè iurauit, & ſuper opere non neceſſario perſequendi hoſtem, de quo iam ſatis amplam victoriam Dominus elargitus fuerat; & quia ne articulum quidem neceſſitatis exceptum voluit vt oportebat, vt qui Ionathã ob deguſtatũ tantillum mellis in magna neceſſitate voluit morti tradere; & quia præpoſterum fuit medium perdendi hoſtem, vt ex S. Chryſoſtomo dicebamus; ſumpto enim cibo alacriores effecti, acrius eos perſecuti fuiſſent, ac plures comprehenſos peremiſſent. Et quia fuit occaſio toti populo peccandi, & cum ſanguine propter feſtinationem, comedendi. Secundo autem peccaſſe ait, cum impie Ionatham filium ſuum innocentem, ob violatam temerariam illam prohibitionem; occidere voluit, addito etiam iureiurando de perpetrando parricidio, neque vult Saülẽ in malo opere bona intentione excuſari, hęc ferè Nicolaus.

XXCII. *Saulis præceptum iuſtum probatur.* Probabilivs tamen Abulenſis, cui ſubſcribunt Caiet. atque Serarius, volunt hoc non iuſiurandum, ſed præceptum fuiſſe, & quidem iuſtum atque legitimum; ſiue authorem ſpectemus Saülem, ſupremum ac legitimum principem, ſiue materiam eius, ſiue obiectum minimè aſperum aut violẽtum, imo facilè hominibus militaribus, & laboribus, vitæque duriſſimæ aſſuetis, puta diei vnius abſtinentiã: ritu toti populo in ieiuniis frequentato; ſiue intentionem ac finem, qui in magnã Dei gloriam, populiq; totius vtilitatem redundabat; *rectique ordinis ratio exigit*, vt ait Caiet. *vt præſentanea hoſtium perſecutio tam neceſſaria cibo illius diei præponeretur, cum pro minoribus cauſis quandoque ieiunium vſque ad veſperam indicatur*, ac ne pœna quidem execrationis aut mortis iniuſta eſt in eum, cuius culpa de tot nocentibus ſupplicium non ſumatur. Interim enim dum miles cibum parat ac ſumit, hoſti tempus euadendi præbet, & morti eripit eos, à quibus Dei populus graui mox ſeruitute opprimatur; aut *ſi facta ſinant*, vt ait Poeta, funditus deleatur. Denique exiſtimauit Saül hoc facto ſe id opus maxime exequi, cuius cauſa ad regnum à Deo eſſet euectus; qui Samueli dudum de Saüle dixerat; *vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael, & ſaluabit populum meum de manu Philiſthinorum.*

XXCIII. *Reſpondetur Lyran.* Lyrani autem diſputatio non eſt admodum efficax. Erat enim neceſſariũ perſequi hoſtem, quem Deus dederat in manus eius, ne audiret, [a] *quia dimiſiſti viros dignos morte de manu tua, erit anima tua pro anima eorum, & populus tuus pro populo eorum.* Inchoatam ergo à Deo victoriam, & Iſraëlitarum induſtriam modis omnibus promouentem Deum deſerere, ipſi iniurium fuit, nedum noua iuſſio exquirenda, aut expectanda ad perſequendos actos in fugam. Nam quod ne exceptum quidem neceſſitatis articulum cauſabatur, inane eſt: nulla enim tãta cibi neceſſitas ex diei vnius abſtinentia, aut dilatione prandij in veſperam viris bellatoribus contingere potuit, vt eius ratio habenda eſſet: cũ populi iſtius ieiunia vulgò hoc modo celebrarentur; ex eo perſpicuum eſt, habitam fuiſſe rationem neceſſitatis, quod potionis nulla facta eſt prohibitio. Minime autem fuiſſe hoc medium perdendi hoſtis peruerſum aut præpoſterum perſpicuum eſt. Multo enim conueniẽtior modus delendi hoſtem eſt, ei ſine mora inſtare ſemineci, quam dum prandium paratur ac ſumitur, latebris quærendis, aut recolligendis etiam militibus tempus præbere, & certam in dubium reuocare victoriam. *a 3. Reg. 20. 42.*

XXCIV. *Et rationi Ionathæ,* Alacriores quidem futuri erant milites capto cibo, ſed cui vſui, cum iam occaſio, atq; opportunitas bene gerendæ rei auolaſſet? optandum quidẽ erat vt prę mature, ante initum certamen ſumptus eſſet cibus, & in eo valeret illud Ionathę dictum, [b] *quanto magis ſi comediſſet populus*; in medio autẽ victoriæ curſu non itẽ dum calet n. ferrum, percutiendũ atq. edomandum eſt; languidior erat Hebræus populus inopia cibi, at multo languidior erat Philiſthęus ex labore & pugna diuturniore, nec minore inedia, & inſuper plagis, metuq; debilitatus; cũ Hebræũ ardor animi ac lætitia, de certa victoria, hoſtili vindicta, atq; internecione ſuſtentaret. *b c. 14. v. 30*

Saul non fuit populo peccati occaſio. Nec illa peccandi occaſio recte Sauli crimini dari poteſt. Non enim proxime, ac directe influit in populi, cum ſanguine comedentis, peccatũ; ſed quia eius atq;

intemperantia, quæ morã tantilli tẽporis non patitur, dum mactatarum pecudũ ſanguis plane defluxerit. Quod ſi feſtinatio hanc culpam inuexit, quanto maior futura erat feſtinatio, cui ſtimulos admoueret acrior cura perſequendi euadendentem hoſtem, eumque acerrimum, atque infeſtiſſimum?

QVOD autẽ Saul Ionatã filiũ ob violatam legem occidere voluerit, merito Abulenſis [a] maximè laudi tribuendum putat, nedum illum propterea deſignati parricidij reum fieri patiatur. Certe ſi Ionathę excutiamus innocẽtiam in hoc facto, eam non plane illibatam reperiemus: quod & Serario noſtro viſum eſt, quamuis diſſentiente eodẽ Abul.[b] & Lyran. Nam & diuina ſors eum culpabilẽ oſtendit, & Dei non reſpondentis ſilentium, & totius populi abſtinentis exemplum; & publica filii de patris lege coram populo obmurmuratio; cum eius eſſet potius patris mandatum obſeruare, & illud populo verbis, exemploque commendare: nec aliter ſenſit Ioſephus [c] qui ait populum vota feciſſe Deo, vt Ionatham *immunem à peccato faceret*: *vnius culpa* inquit Ambroſ. *cunctis confertur ignauia; vnius delicto cunctis generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, vt deficit in obſeruatione ieiunium. Quod vt peccatum Saul ex ipſa diuinitatis offenſione cognouit, ſtatim* Ionathæ *dixit non eſſe parcendum. ſed peccatum admiſſum effuſione eius ſanguinis expiendũ* &c. S. Gregor.[d] *Quid eſt dicere guſtans guſtaui, niſi quod foris peccatum exercui, magno concupiſcentiæ ardore complexi? Et quid eſt poſt peccati confeſſionem dicere morior, niſi mortem à ſe pœnitendo, & confitendo expellere?* Sic ipſe. Tertul.[e] ait Ionatham reſignati ieiunii culpam deprecatione deleſſe. & alibi [f] *gulæ*, inquit, *licet ſimplicis reus fuerat.* S. Chryſ. ait malignũ dæmonem Ionatham ad præuaricationem impuliſſe.

VERVM quamuis Ionatham fateremur innocentem, qua de re iterum ſermo recurret nobis, poſito tamen eum non temere à parente culpabilem iudicatũ, nullũ peccatum fuit iuſiurandũ de eo puniando edere; & contra maximus omnino fuit ac laudatiſſimus in Saule iuſtitiæ zelus: *videte*, inquit, Ambroſ. *quanta apud Saulẽ regem fuerit religionis obſeruantia, qui offenſum Deum optauit etiã parricidio mitigare.* zelũ iuſtitiæ docet ſuperatus pro eius conſeruatione naturalis amor in filiũ primogenitum, ætate florentem, virtute fortiſſimum, meritis glorioſiſſimum; quem paulo ante, in mortis diſcrimine conſtitutum eripere, adito propriæ ſalutis periculo feſtinauit. & cũ ſe obſequiũ præſtare Deo arbitraretur, qui propter eius culpã nolu erat reſpondere; & ſorte in culpa depræhenderat, principẽ iuuentutis, regni hęredẽ ac ſucceſſorem, eius placandi, & peccatũ vindicandi gratia, quantum in ſe fuit, morte mulctauit. Non minore fotaſſe cum laude, quam magnus ille patriarcha Abraham: quando vterq; dilectiſſimum filium, & amore digniſſimum, in ipſo iuuentutis flore, & rerum gerendarum curſu, Deo vel placando vel honorando conſecrauit.

PRÆDICTIS porro Patrib. Saulẽ accuſantibus alios licet non leuis authoritatis opponere. Tertull. certe [h] indictum hoc à Saule ieiunium commendat, illique ait *præſtitam à Deo authoritatem*. S. Ambroſ.[i] *non leue*, inquit, *peccatum eſt indictũ violare ieiunium. Nã vt hoc exemplis breuiter approbemus, legimus in lib. regnorũ,*[k] *cum Saul rex Iſrael bellũ contra Allophylos gereret, vniuerſo eum exercitui indixiſſe ieiunium & abſtinẽtibus cunctis eum contra aduerſarios pugnare cœpiſſe. Bonus plane rex qui hoſtes ſuos non tam armis, quam deuotione vincebat; & plus dimicabat religione quã telis.* Alludere videtur S. Ambr. ad armorum quam diximus inopiam in exercitu Iſraelitarum. S. Hieronymus [l] Tertullianum ſecutus hoc ieiunii præceptum commendat, & paribus iiſdemque laudabilibus illuſtrat exemplis: & inter alia, *in Exodo*, inquit, *aduerſus Amalech, oratione Moyſi & totius populi vſq; ad veſperam ieiunio dimicatum eſt. Ieſus filius* Naue *ſtationem imperauit ſoli & lunæ, & inediam pluſquã vnius diei victoris exercitus protelauit. Saul ſicut in Regnorum primo lib. ſcribitur, Maledictus*, inquit, *qui ederit panem vſq; ad veſperam, donec vlciſcar me de inimicis meis. Et non guſtauit omnis populus eius, & tota terra prandebat. Tantique fuit authoritas ſtationis ſemel domino deſtinata, vt Ionathas qui cauſa victoriæ extiterat deprehenderetur ſorte, & ignorantiæ crimen declinare non poſſet, patriſque in ſe concitaret manum, & vix populi precibus ſaluaretur.* deſtinatam Domino ſtationem, vocat ieiunium Deo oblatum ad victoriæ integritatem, & perfectionem. ſic ſtationes apud Tertullianum [m] ſtatos ieiuniorum dies ſignificant, ducto à ſtatione militari

a q.19. in c. 14. ſi.

b q. 20. in hoc ca.

c l. 6. c. 7

d ſer. 36. de quadr.

e l. 5. expoſ. in 1. Reg. c. 4.

f 4. contr. Marc c. 10.

g l de ieiu. c. 10. ſi.

ſer. 6. de 40.

h l. de ieiu. c. 10.

i ſerm. 36.

k l. 1. reg. c 14.

l l. 2. contr. Iouin.

m de orat. in ſin.

XXCV. *Ionathæ innocenti aexcutitur.*

XXCVI. *Zelus Saulis laudatiſſimus.*

Confertur Abrahamo.

XXCVII. *Laudatur à patribus, Tertull. Ambroſ.*

Hieron.

Ieiunium victoriarũ parens.

Statio ieiunium.

exemplo, eæque ad veſperam producebantur, vt notauit erudite Pamelius.[a] Inde etiam deriuatæ ſtationes in Baſilicis martyrum, in quibus, & vigilabatur, ex quo & vigiliæ in vſu Eccleſiaſtico ieiunia ſignificant. Sed hæc de tota re libata ſufficiant, ſingula prophetam aſſectando videamns.

[a] ibid n. 53 & in lib. ad vxorem n. 14. & alibi de ieiuniis, c. 10.

XXCIIX. *Laudabilis populi abſtinentia.*

Et *non manducauit vniuerſus populus panem* in illa die, neque quidquam aliud vſque ad veſperam, quam àbſtinentiam laudabiliorum reddidit præcepti violandi occaſio, *omne* quippe *terræ vulgus*, armati ſcilicet inermeſque, qui turmatim fugientem perſequebantur hoſtem, *venit in ſaltum, in quo erat mel ſuper faciem agri*, hunc ſaltum Ioſephus ſyluam vocat, & in tribu Ephraim collocat; illac videlicet magna ex parte tranſibant Philiſthæi fugientes Hebræos, id cū non ſine tumultu fieret, excitati ſunt *qui ſe abſconderant in monte Ephraim*,[b] ad eos perſequendos, & ſe exercitui ſubinde adiungentes, eum valde amplificarunt. *Ingreſſus eſt, itaque populus ſaltum, & apparuit fluens mel, nulluſque applicuit manum ad os ſuum, timebat enim populus iuramentum*: ſiue execrationem qua Rex præuaricatorem deuinxerat. Eximia planè militum abſtinentia, egregia in Deum religio, numiniſque violandi timor, & præcepti regii obſeruatio, quam omnes patres, tam qui Saülem reprehendunt, quam qui laudant vehementer commendant.

[b] c. 14 v. 22

XXCIX. *Laudatur à ſancto Chryſoſtomo. prandium terræ.*

Avdiamvs ſanctum Chryſoſtomum.[c] *Syluam præteribat exercitus fauum habentem, & fauum ante faciem populi; ingreſſus eſt populus ad fauum, & tranſibat, menſa extemporanea, vt accedendi facilitas, & nutrimenti ſuauitas, & latendi ſpes in iuramentorū præuaricationem ipſos alliceret. Nam & fames, & labor & tempus, omnis enim inquit terra prandebat, tunc ad præuaricationem impellebant.* Quid eſt autem, quod ait Chryſoſtomus, *omnis terra prandebat?* hora erat prandii vbique gentium vulgo dicimus; *tout le monde diſnoit*, quæ verba habet ſanctus hic ex Septuaginta, quæ nunc quoque in pleriſque omnibus editionibus leguntur, & ab Hieronymo quoque, quem ante laudauimus, & Tertulliano agnoſcuntur, qui ait, *Et non guſtauit totus populus eius & tota terra prandebat.* Quem locum doctiſſimus Pamelius negationis adiectione corrupit, dum putat ibi agi de exercitu Saülis, qui reuera non prandebat, ſed ab omni prorſus cibo abſtinebat: cum tamen agetur de tempore quo homines prandere ſolēt; velintque tam Septuaginta, quam Tertullianus, Hieronymus atque Chryſoſtomus conſtituere antitheſim inter exercitum iſtum, & alios vbique gentium mortales, qui iſto ieiunante prandebant. Pergit S. Chryſoſtomus.

[c] Hom 14. ad pop. an.

Aldin. Roman. Baſil.

XC. *Et à ſancto Ambroſio.*

Favorvm *voce aſpectus quoque intentionem ſoluens, extrinſecus ipſos inuitabat. Menſa enim tum iucunditas, tum facilis apparatus, & deprehendendi furti difficultas, omnem ſapientiam fallere poterant.* Et mox, *Veruntamen illi cupiditatē continuerunt, nec intra ſe dixerunt. Quid autem nobis curæ eſt? nūquid enim quiſquam noſtrum hoc iurauit? ille inconſideratorum pœnas dabit iuramentorum. Sed nihil cogitarunt huiuſmodi, ſed cum multa tranſilirent reuerentia & cum tot eſſent ipſos allicientia diſciplinam ſeruabant*, &c.[d] ſanctus etiam Ambroſius ait Saülem hoſtes non tam virtute militum, quam militum abſtinentia ſuperaſſe,

Rigida militum obedientia.

Tanto certè laudabilior ea fuit abſtinentia, quanto rigidior, nec fuit qui mentem principis benigna interpretatione detorqueret ex fine legis; diceretque non eſſe præter intentionem principis, eos capi cibos, qui celeritatem perſequendi hoſtē non retardarent, verum non fuiſſe eam mentem principis Ionathæ periculū patefecit; & timendum erat, ne huiuſmodi patefacta ianua, lex plane irrita fieret.

[d] ſerm. 36. in 40.

XCI. *Ionathæ præuaricatio per ignorantiam.*

Porro *Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum*, ſiue ea adiuratio facta eſt cum primum Saül venit ad locum certaminis, ſeu potius cum multis ſibi aggregatis hoſtem perſequi cœpit, alioqui maxima pars exercitus legem ignoraſſet non minus quam Ionathas: *extenditque ſummitatem virgæ quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi eius.*

Qui dicatur illuminatus.

Cum Ionathas magna iam diei parte, maxima corporis animique contentione laboraſſet; præ cæteris laborioſiſſimam viam perreptando per ardua ſaxa, ſcopuloſque emenſus eſſet: primus pugnam 20. militum cæde inchoaſſet, conſtanterque promouiſſet; vitaleſque ſpiritus tam in oculis, quam in reliquis membris exareſcerent, ac reſtaurationem à cibo poſtularent, accepto modico melle aliquis celerrimè infuſus eſt cordi vigor, qui capiti oculiſque communicatus, hebeſcentem viſum redintegrauit. *Illuminati ſunt oculi, eius* ait Iſidorus,[e] *non vtique ad videndum, qui ante videbat, ſed ad diſcernendum, quia vetita tetigerat. Tunc enim caſus ille, ſicut &*

Abul. Caiet.

[e] c. 6. in hūc locum.

Adam fecit illum attentum, reddiditq́; confuſum. Eadem habent ad verbum Eucherius, & Angelomus; Sed hic ſenſus ſpiritualis videtur, non Hiſtoricus, quem quærimus. Multum & hinc ait Chryſoſtomus regis ſtultitiam accuſari, *demonſtrante Scriptura, quod milites cunctos fere fames obcæcauerat, & multam ipſorum oculis infuderat caliginem.*

XCII. *Et innoteſcit præceptum.* *Quod arguit.*

Respondensqve *vnus de populo ait. Iureiurando conſtrinxit pater tuus populum dicens, maledictus vir qui comederit panem hodie*, id eſt vſque ad veſperam, quando Iudæis nouus inchoatur dies, *defecerat autem populus.* Dixitque Ionathas, *Turbauit pater meus terram*; totum videlicet populum, gallicè diximus, *il a troublé tout le monde. Vidiſtis ipſi quod illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtauerim paululum de melle iſto, quanto magis ſi comediſſet populus de præda inimicorum ſuorum, quam reperit; nonne maior plaga facta fuiſſet in Philiſthiim?* 10. Non contempſit præceptum patris Ionathas; edere enim deſiit, vt ait Ioſephus, improbauit tamen, & negauit recte id factum fuiſſe. Idque vt ſupra dicebamus,[a] non recte, interim enim dum cibum ſumerent, hoſtes omnes euaderent: nec decuit, aut rectum fuit Regis mandatum à filio palam improbari. Itaque Abul.[b] qui eſum mellis excuſat ignorantia, hanc culpam non excuſat.

Nec contēnit.

10. χ.

a n. 81. & 83.

b q. 20.

XCIII. *Præda Philiſthæorū.*

Præda porro quam memorat Ionathas intelligi poteſt, primum omnis ille ciborum apparatus, qui erat in caſtris Philiſthæorum, qui ad tantam populi multitudinem plurimus omnino fuit; cum ergo caſtra ſua deſeruiſſet hoſtis, omnemque vitæ commeatum Hebræis reliquiſſet, credidit Ionathas operæ pretium fuiſſe, exercitum ibi raptim cibum ſumere, moxque alacriorem in fugientes irruere. Intelligitur deinde ea præda, quam Philiſthæi, & nominatim tres illi cunei, qui ex tribus partibus totam Hebræorum regionem populabundi percurſabant vndique, corradebant, & partim in caſtra cogebant, partim etiam per otium abducebant domum. Nemo enim erat in tota regione Iſraelitarum, qui eis metum incuteret, aut prædam excuteret. Et apparet[c] in iſtos incidiſſe Saulis exercitum victorem, in illum præſertim cuneum qui verſus Bethoron, & occidentem deſcenderat; nam Aialon quo perueniſſe dicitur hoc loco Iſrael perſequendo Philiſthæos, ad occidentem iacet.

c Abul. q. 21 fin.

XCIV. *Occupatur ab Iſraelitis.*

Inclinante itaque in veſpertinum tempus die, & Iſraelitis præ labore pugnæ & itineris vehementer defatigatis, percuſſerant enim in illa die Philiſthæos *à Machmis vſque ad Aialon*, quod iter octo horarum eſſe vult Adrichom.[d] in ſua topographia, & præ inedia & lucis inopia deficientibus, à pugna & perſequendis hoſtibus ceſſatum eſt, ſtatimque verſus eſt ad prædam, obuiam ſcilicet à latrunculis, vt dixi, ac prædonibus Philiſthæorum occupatam. Non enim peruenerant in regionem Philiſthæorum; ab illa enim plurimum abeſt Aialon, vt indicauit mox Saul, qui tota nocte volebat hoſtem inſequi, vtique ad proprios lares properantem. Nec ſatis intelligo Ioſephum, qui hanc prædam in caſtris hoſtium captam ſcribit. *Itaque*, inquit, *cæſis Palæſtinorum multis millibus, ſub veſperam demum eorum caſtra diripiunt, & inter cæteram prædam, magna pecudum copia reperta mactant, carnibuſque nondum à cruore purgatis veſcuntur.* Facetus homo eſt Ioſephus ſi putat fame confectos milites, in hoſtium caſtra, quæ erant in Machmis reuertiſſe, & non in loco accepiſſe, in quo eos fatigatio & imminens veſpera ſubſiſtere coegiſſet; nec vlla eſt hoc loco direptorum caſtrorum mentio, in Latinis, Gręcis, Chaldæis, Hebræiſue codicibus. Itaque direptio caſtrorū in ſequentem diē neceſſario differenda eſt, huius autē euntis eſt nimiū properata cibi præparatio.

d in tab. Ephraim.

Ioſephus peccat.

XCV. *Qui ad cibum præcipites.*

Ergo *verſus ad prædam populus tulit oues & boues & vitulos, & mactauerunt in terra*, non permittentes[e] præ feſtinatione, & cibi deſiderio, vt appenſis carnibus ſanguis in terram efflueret, ſed ſtatim in fruſtra diſcerpta membra igni torrebant; Sic Æneæ ſocii è naufragio elapſi, nec minus fame ac labore fracti

e Abul. q. 14

---Cererem corruptam vndis, cerealiaque arma
Expediunt feſſi rerum, frugeſque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

& rurſum

Virg. l. 1. Æneid.

Illi ſe prædæ accingunt, dapibuſque futuris,
Tergora diripiunt coſtis, & viſcera nudant.

Pars in fruſta ſecant, verubuſque trementia figunt
Littore ahena locant alij, flammaſque miniſtrant.

XCVI. *Comedunt cum ſanguine.*

Interea zelo diuinæ legis moti aliqui, eos fuiſſe ſcribas, Ioſephus ait, nunciarunt Regi peccare populum comedendo cum ſanguine; *E veſtigio*, inquit, *regi à ſcribis renunciatum eſt vulgus militum in Deum peccare, & carnes etiam tum cruentas coquere, atque edere*; quod ab ipſo iam diluuii tempore, [a] ante annos octo ſupra mille & trecentos prohibitum diuinitus fuerat, Et rurſum in lege Moſis, [b] *ſicut capream, inquit, & ceruum comedes, abſque eſu duntaxat ſanguinis, quem ſuper terram quaſi aquam effundes*, & alibi, [c] *nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis*, & infra [d] cum ſeuera interminatione ſupplicii, *Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de auibus quam de pecoribus. Omnis anima quæ ederit ſanguinem peribit de populis ſuis*; quæ etiam inferius in eodem libro Leuitici [e] repetuntur. Edebant autem cum ſanguine, eo quod animalia humi mactabant; nec poterat è veris ſanguis effluere, ſed in ipſis artubus concreſcebat; idque ex ipſo textu perſpicuum eſt, & remedio quod rex huic malo iuſſit afferri. Itáque intellexerunt hunc locum Septuag. Ioſephus, Chaldæus, & è recentioribus Lyran. Vatablus, Abulenſ. Serarius.

a Gen. 9. 4.
b Deu. 12. 16
c Leu 3. 17. & d c. 7. v. 26.
Contra Dei legem.
e c. 17. v. 10. 11.

XCVII. *Alia eius loci expoſitiones.*

Hieronymvs tamen in traditionibus Hebraicis, & eum ſecutus Angelomus, *Peccaſſe Domino*, inquit ille, *& cum ſanguine comedıſſe dicuntur, quia contra legis præceptum, antequam ſacrificium veſpertinum perageretur comederunt. Sic itaque vſus erat, vt quando homicidium ab eis, aut in ſuis, aut in exteris fiebat, vt non comederent ante quam ſacrificium veſpertinum pro eis fieret.* [f] *Aliter peccaſſe Domino, & comediſſe cum ſanguine dicuntur, quia mactatis victimis non obtulerant ad ſanctuarium ſacerdotibus, iuxta legis præceptum adipem & ſanguinem, cum videlicet ſanctuarium ſecum haberent.* Hæc & plura ibidem Hebræi, qui videntur interpretando non reſpexiſſe quid verba ipſa Scripturæ ferrent, ſed quid eis in mentem veniret, & quid à Scriptura dici vellent. Quid enim habet commune comedere cum ſanguine, & comedere ante oblatum veſpertinum ſacrificium? [g] Et cum Rex peccato populi remedium afferre voluerit, quomodo iſti peccato prouidet, iubendo pecora ſuper ſaxum iugulari? quod tamen recte facit ad depurandas carnes à ſanguine. Neque mens legis eſt, vt omnia animalia occidenda offerrentur coram ſanctuario; id enim fieri non poterat; ſed quæ erant offerenda Domino, quæ à laicis vbilibet occidenda non erant. vide Deut. 12. v. 15.

f Leu. 17. v. 3. 4. & ſeq.
g Abul. q. 15.

XCVIII. *Improbantur.*

Neqve vero altera expoſitio conuenientior eſt, tum quia vim quoque affert verbis planiſſimis, comederunt cum ſanguine, id eſt non obtulerunt adipem & ſanguinẽ ſacerdotibus antequã comederent. quare ergo non iubet Rex eis offerri? & quid ad eam rem facit ſaxum ingens quod iubet aduolui? Quid quod falſum ſupponunt, ſanctuarii videlicet præſentiam, cum illud non in Aialon eſſet, ſed in Nobe, vt alibi diximus. Nec ſi Arcam ſanctuarii nomine accipiant ferri poteſt iſta ſententia. Quomodo enim probabunt Arcam è Gabaa Beniamin, vbi ea proxime fuerat, eductam, eandemque cum Iſraelitis hoſtem fugientem quanta poſſent maxima celeritate perſequ[illegible] as deferri potuiſſe? Nec magis audiendi ſunt qui populum peccaſſe aiunt; offerendo victimas dæmonibus, & ritu gentilitio adipem cum carne & ſanguine comedendo. Inepta enim eſt iſthæc oratio, & populum maximi ſceleris arguit, quem tamen ſors paulo poſt prodidit innocentem; & regem præpoſterè religioſum facit, qui leue peccatum arguat, eique remedium afferat, grauiſſimum autem diſſimulet, & improbo ſilentio prætereat.

Deu. 32. v. 38

XCIX. *Saul prouidet peccato populi.*

Accepto Saul nuncio ſuper populi peccato, *Præuaricati eſtis*, inquit, nuncios enim quaſi vniuerſum populum alloquitur, is enim erat huc illucque diſperſus, & eos ad ipſum deſtinat, cum interea iuſſiſſet ad ſe ſiue iuxta ſuum tabernaculum ſaxum ingens aduolui, ſuper quo vndique animalia cæderentur, & ſuſpenſa manerent aliquandiu. *Diſpergimini*, inquit, *in vulgus, & dicite eis, vt adducat ad me vnuſquiſque bouem ſuum & arietem, & occidite ſuper iſtud, & veſcimini, & non peccabitis Domino comedentes cum ſanguine.* Ita præceptum, ita factum; Nam præter eos qui iam peccarant, adduxit omnis populus vnuſquiſque bouem in manu ſua vſque ad noctem, & occiderunt ibi. Longa fuit iſta mactatio: alii quippe celerius aduenerant, alii paulo lentius aduentabant, vt cuiuſque vires ferebant; nec

fere in via ſubſiſtebant, quandiu audiebant regem vlterius eſſe progreſſum. Cæterum peccatum populi tam à rege ipſo, quam à ſcribis agnitum, atque accuſatum, non fuit à Deo peculiari animaduerſione punitum: venia enim atque indulgentia vſus eſt erga populum ex magna corporis neceſſitate peccantem, & ad ea quæ ageret in feſtinatione parum attendentem. Nec eadem fuit ratio Ionathæ qui ita ex ignorantia peccauit, vt mox agnitum peccatum excuſaret, atque defenderet; & viciſſim legiſlatorem accuſaret. Ideoque nihil mirum ſi mox in ſortibus Deus Ionathan deprehendit, populum autem exire permiſit.

C. *Et altare ædificat.*

ÆDIFICAVIT *autem Saul altare Domino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino.* [a] Excitauit illud ad ſacrificium in gratiarum actionem, pro adepta victoria offerendum, & quidem in loco, vſque ad quem hoſtem fuerat perſecutus; imitatus lapidem adiutorii Samuelis, [b] & altare Moyſi obtenta de Amalecitis victoria. [c] Hoc autem ipſo quod dicitur ædificaſſe, aut iuſſiſſe conſtrui altare Domino, apparet longè falli eos, qui hoc altare nihil aliud eſſe volunt, quam ſaxum illud ingens quod ad ſe volui iuſſerat, cui ædificatio minime conuenit. & ſuper eum lapidem vnuſquiſque occidebat animal quod habebat; in altari autem ſoli ſacerdotes ſacrificare poterant. Notat autem S. Hieronymus [d] & ex eo Angelomus, in Hebræo non haberi *primum. Quærendum itaque*, ait, *cum antea legatur ædificaſſe altare, quando à Samuele increpatus eſt, cur hic dicatur tunc cœpit ædificare altare Domino. Ædificaſſe itaque antea legitur altare, ſed quia inobedienter illud ædificauit, non Domino ædificaſſe intelligitur; hic autem quia obedienter & rectè illud ædificauit, Domino ædificaſſe perhibetur.* Sic S. Hieronym. oſtendens opera quæ præter obedientiam fiunt nullo numero eſſe, nec ad meritum, ſed ad pœnam æſtimari. Reuera tamen nulla facta eſt ſuperius mentio altaris à Saule in Galgalis excitati, erat enim ibi antiquum, in quo ſacrificatum dudum ante fuerat, cum regnum Sauli confirmatum eſt. [e] quod Lyranus quoque animaduertit.

[a] Abul. q. 27. & 28. [b] 1. Reg. 7. v. 12. [c] Exod. 17. v. 15. [d] in trad. Hebr. [e] c. 11. fin.

Obedientia neceſſitas.

CI. *Optat perſequi hoſtem.*

POSTQVAM *exempta fames epulis, menſæque remotæ*, deſiderium perſequendi Philiſthæos ſubiit animum Saulis. Itaque ſermone ad ſuos conuerſo, *Irruamus*, inquit, *ſuper Philiſthæos nocte, & vaſtemus eos vſque dum illuceſcat mane, nec relinquamus ex eis virum.* Suſpicabatur eos aliquem in locum ex fuga confluxiſſe, ſicut olim Madianitas [f] Gedeone perſequente, & loco per exploratores cognito, facilè opprimi poſſe, incautos præſertim ac fatigatos, tenebris obſeſſos, & itinerum inſolentes, fame denique, ac vulneribus debilitatos. Iſraelitæ autem præſenti victoria epuliſque animoſiores facti, reuerentia quoque in regem, & ſtudio illi obſequendi, gratiamque eius promerendi, incitati, omnes aſſenſere, *omne*, inquiunt, *quod bonum videtur in oculis tuis fac*, parati videlicet ſumus ſequi, atque obſequi, imperatori milites, regi populus ſubiectus, & victori eiuſdem gloriæ, palmæ, manubiarumque participes; parati ſumus oblatam bene gerendæ rei occaſionem arripere, & implacabilem populi Dei hoſtem internecione delere.

[f] Iud. c. 8. v. 11.

CII. *Suadetur à Pontifice conſulere Dominum.*

HIC Sacerdos, Achias videlicet pontifex, *Accedamus*, inquit, *huc ad Deum*; Regem nimirum ſacerdotes & Leuitæ cum Arca Domini magnis itineribus ſecuti fuerant, eundemque ſub veſperam aſſecuti. & coram Arca apparet prædictum altare iuſſu regis excitatum fuiſſe, & ab eiſdem ſacerdotibus Deo in gratiarum actionem ſacrificatum. Præſentiam porro Arcæ illa verba ſignificant, *Accedamus huc ad Deum*, illa enim loci particula, quæ in omnibus æque linguis reperitur, peculiarem aliquem locum ſignificat, ad quem accedendum eſſet, vt ibi conſuleretur Deus; alioqui enim vbilibet Deus, qui vbique præſens eſt, adiri, ac conſuli poterat, vt notauit Abul. [g] *Antiquitus*, ait S. Chryſoſt. [h] *Deus dux erat bellorum, & abſque illius ſententia nunquam auſi fuiſſent pugnam attingere: & bellum ipſis pietatis materia fiebat. Neque enim ex corporis infirmitate, ſed à peccato vincebantur, ſi quando victi fuiſſent: nec potentia & fortitudine, ſed ſuperna beneuolentia vincebant, quandocumque vincebant.*

[g] q. 29. in c. 14. [h] Hom 14. ad pop. ant.

CIII. *Conſulit; per ſeni.*

CONSENTIT rex monitioni Pontificis, ne forte vellet Deus eos præſenti victoria eſſe contentos; quam Ioſephus ſexaginta millibus interfectorum definit: & per eum conſuluit Dominum in hanc ſententiam, *Num perſequar Philiſthiim? ſi trades eos in manus Iſrael*, quæ verba ex Hebraica dialecto inuariata retenta ſunt, vt apud Ioannem, [i] *& nemo audiebat eum interrogare, tu quis es*, ſic ille, *Exijt ſermo*

[i] Ioan. 21.

iſte inter fratres quia diſcipulus ille non moritur, & non dixit ei Ieſus, non moritur. Et, *contriſtatus eſt Petrus quia dixit ei tertio, Amas me?* Et, *vocatis me magiſter & Domine,* [a] Et *bene dixiſti, quia non habeo virum.* Et in Apoc: *quia dicis quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo.* Et apud Lucam [b] & Matthæum, [c] *Ioannes miſit ad Ieſum duos de diſcipulis ſuis dicens, Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Dici etiam poteſt Saulem ad præſentiam Pontificis induti ſacris veſtibus, ſua ipſum verba protuliſſe. Ita etiam Dauid, cum dixiſſet Abiathari ſacerdoti, *Applica Ephod*, id eſt, induere veſte ſacra ad conſulendum Dominum, ſubditur, & ait Dauid, [d] *Domine Deus Iſrael audiuit famam ſeruus tuus* &c. ſic hoc loco videtur Saul ipſe dixiſſe, *Num perſequar Philiſthiim? ſi trades eos in manus Iſrael,* & infra, *da indicium quid eſt quod non reſponderis ſeruo tuo hodie?* Nihilominus probabilius exiſtimat Abulenſis [e] hæc & ſimilia verba dicta fuiſſe Pontifici tam à Saule, quam à Dauide, ſuggerentibus illi qua de re conſulturus eſſet Dominum. iuxta generalem illam regulam; *Pro hoc ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum.* [f]

An per Pōtificem.

a c. 3. 13. *b Luc. c. 7. v. 19. 20.* *c Matth. c. 11. v. 3.* *d 1. reg. 23. v. 9. 10.* *e q. 31. in c. 14.* *f Num. c. 27. v. 21.*

CIV. *Non reſpōdet Dominus.*

ET *non reſpondit ei in die illa*; ſolebat enim mitti ex oraculo, ſiue propitiatorio, audirique vox nuncia diuinæ voluntatis. Pulchrè autem D. Chryſoſt. [g] circa hoc Domini ſilentium. *Reſpice,* inquit, *benignitatem & manſuetudinem clementiſſimi Dei. Non enim fulmen immiſit, neque terram concuſſit, ſed quod in amicos amici faciunt, quando contumelijs affecti fuerint, hoc & in ſeruum Dominus fecit. Tacuit, tantum per ſilentium loquens, & omnem ipſi demonſtrans indignationem.* Hæc Chryſoſt. Inferius etiam [h] cum iam Saul à Deo repudiatus eſſet, interrogatus, nullo modo reſpondere voluit. Theodoretus [i] ait Deum hoc ſilentio anathematiſmum Saulis confirmaſſe, etſi id iniuſtum eſſet ac temerarium, ad docendum ne huiuſmodi quidem anathemata contemnenda eſſe, quæ Procopius ex eo mutuatus eſt. Verum de iuſtitia & vi huius præceptionis dictum eſt ſupra, [k] & ab omni accuſatione defenſa. Illud autem nihilominus rectum eſt, quod vterque affirmat, etiam iniuſta ſuperiorum præcepta, præſertim quæ pœnam annexam habeant, minime contemnenda eſſe, vt quæ etiam Deum vindicem habeant; certe ex communi Doctorum ſententia conſtat cenſuras iniuſtas, vt quæ vel malo animo, vel iniuſta ex cauſa, aut præter ordinem iuris latæ fuerint, animas ligare, vt ſine mortifero peccato contemni non poſſint. 11.

g Hom 14. cit. *h 1 Reg. 28. 6.* *i q 32. in 1. Reg.* *k n. 82. & ſeqq.* 11. χ.

CV. *Saul conuocat populū.*

ANIMADVERSO diuino ſilentio Saul, vehementer commotus eſt, veritus ne offenſus Deus præſentem lætitiam in luctum conuerteret, itaq; in eam rem ſtatim inquiri iubet; paratus Deo, vel cum maximo ſuo damno, luctuque, ſatisfacere. *Applicate,* inquit, *huc vniuerſos angulos populi,* id eſt Hieronym. in tradit. interprete & Vatablo, Emanuele Sa, & Chaldæo paraphraſte, populi capita ſiue principes, qui vniuerſam Rempub. vt anguli ædificia, tutantur, atque ſuſtentant, quam metaphoram Septuag. quoque retinuerunt. ſicque anguli populorū alibi vſurpantur. [l] D. tamen Chryſoſt. pro angulis habet tribus populi, Abul. itē & Lyran. rectius opinor angulos interpretātur caſtrorū extrema; quaſi velit Saul ea locutione præcipere vt omnes, etiam qui in extremis caſtris inuenti fuerint, congregentur ad præſentem inquiſitionem. neque enim principes populi hic peculiariter neceſſarii erant. Et ita hunc locum intellexit Ioſephus, vt mox dicemus, eandemque expoſitionem facile ferre poteſt locus ille Iudicum, vt idem ſint omnes anguli populorum, & cunctæ tribus Iſrael; nimirum prior phraſis obſcurior, per ſequentem planiorem declaratur. Et Septuag. eam vocem per tribus interpretantur, ſicut & apud Eſaiam.

l Iud. 20. 2. Eſa. c. 19. 13.

CVI. *Vt deprehendatur cauſa ſilentii.*

QVEM autem in finem congregari iubet Rex populum ſuum, à ſummis caſtrorum, vſque ad terminos eorum? [m] ſubdit, *ſcitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie,* cuius culpa offenſus Dominus mihi & ſummo ſacerdoti eum conſulenti præter ſolitum reſpondere noluerit. Quæ expoſitio planiſſima eſt, & primum obuia, non minus tamen videtur probandus Abulenſis, qui peccatum hoc loco vocat malum ex peccato ortum, quo modo Moſes: [n] vitulum aureum vocauit peccatum; & Paulus [o] concupiſcentiam vocat peccatum, quod in ſe habitat, ex Adami videlicet peccato ortum malum ac propagatum, ſic ſilentium Domini hoc loco dicatur peccatum, id eſt malum ex alicuius peccato ortum. Idque probat illa locutio, *per quem acciderit peccatum hoc:* alioqui enim dicendum

Peccatum dici malum ex peccato ortum.

m Matt. 24. 31. *n Deu 9. 21* *o Rom. 7. 17. 20.*

fuerat, quis commiſerit hoc peccatum; quia accidere dicuntur ea quæ præter voluntatem noſtram fiunt, quæ autem ſponte agimus, non dicuntur accidere ſed à nobis fieri. Quin & ipſa determinatio temporis hoc ipſum confirmat. Si enim de peccato proprie ſumpto ageretur, non recte diceret Saul, per quem acciderit peccatum hoc hodie, quia forte peccatum illud non fuiſſet eo die perpetratum ſed alio quopiam, ergo peccatum quod eo die certiſſimè accidit, fuit malum diuini ſilentii, ex peccato profectì.

CVII. *Saulis iuſiurandum præceps.*

OSTENDIT autem maxime fuiſſe cordi iſtam inquiſitionem peccati, eiuſque punitionem illa vox. *Viuit Dominus, ſaluator Iſrael,* qui ſcilicet nos hodie liberauit à Philiſthæis, & cui tantam victoriam acceptam referimus, *quia ſi per Ionatham filium meum factum eſt, abſque retractatione morietur.* nedum quiſquam alius omnium mortalium impunè id peccatum ferat, quando etiam mihi longe chariſſimum iam nunc indubitatæ morti addico. Præceps fuit hoc iuſiurandum, vt
a q.41. in c. 14. recte vidit Caietanus, & ante eum Abulenſis, [a] & falſo nixum fundamento. Potuit enim Dominus reſponſionem negare nullo interueniente peccato. & potuit peccatum nequaquam tanto dignum ſupplicio interuenire, vt res ipſa do-
loc. cit. cuit. Hic quoque diaboli artes agnoſcit D. Chryſoſto. patrem in cædem iniquam filii vndique impellentis; & Saulis imprudentiam, qui nondum comperto quis peccaſſet iudicium fecit, & reum neſciens lata damnauit ſententia. Et pater factus eſt filii carnifex, & ante examinationem, damnationis ſententiam protulit. quid potuit magis cum recta ratione pugnare? Ita Chryſoſtomus.

CVIII. *Habenda ratio perſonæ delinquentis.*

ET recte ille quidem, ac ſapienter. Nam tametſi non negamus Ionathan in culpa fuiſſe, paria tamen peccata non in quoſlibet delinquentes æque vindicanda ſunt; intereſt enim Reipub. diuinæque gloriæ aliquibus delinquentibus remitti pœnam, quæ alioqui ad commune bonum, & publicæ iuſtitiæ conſeruationem inferenda eſſet. Nec par eſt occidi eum, etiam alioqui non innocentem, cuius vita plurimorum morte redimenda eſſet: quique poſſet admiſſam culpam benefactis obruere. Etſi autem delictis vniuerſe ſtatutæ ſunt vindices leges, priuato tamen delicto nunquam pœna ſtatuenda eſt, ante peculiarem cognitionem eius. Deinde vt notauit idem Chryſoſt. ad inueniendum authorem delicti, nihil opus erat mortem minari, aut iuramento vltionem obligare, vt audaciores facti reum promptius in medium agerent: cum è contrario talibus territi minis ab eo reuocarentur. Quod ergo dicitur nullum ei contradixiſſe de omni populo, non fuit ea taciturnitas approbantium, ſed alto ſilentio trepidantium, ſibique timentium: etſi Ioſephus præpropere dixerit, acclamaſſe multitudinem vt hoc faceret; quæ acclamatio tardius, & alia in re mox contigit.

CIX. *Separatio populi ad ſortitionē.*

REX autem ſilentium exercitus, eiuſdem conſenſum interpretatus, *ait ad*
b c. 14. v. 40 *vniuerſum Iſrael.* [b] *Separamini vos in partem vnam, & ego cum Ionatha filio meo ero in in parte altera.* quæ habentur eodem modo in Hebræis libris & Chaldæis; In
12 χ. Græcis autem longe aliter, vt ſeorſim dicam. 12. Ioſephus autem Hebræum textum ſecutus, *Pontifice,* inquit, *negante Deum reſponſum velle reddere. Non temere eſt, inquit* Rex, *hoc Dei ſilentium, qui ante hæc vltro ſolebat quid facto eſſet opus conſulere; ſed oportet aliquod latens in nobis peccatum eſſe, quo offenſus tacet. Sed iuro per eum ipſum, quod etiam ſi filius meus Ionathas peccatum id commiſiſſet, vt Deum placem, capitis pœnam ab eo exigam, non ſecus quam ſi de quouis, nihil ad cognationem meam pertinente, ſupplicium ſumendum ſit. Tum acclamante multitudine vt hoc faciat, vniuerſos confeſtim in vnum locum ſtatuit, & ipſe cum filio ſeorſim ſtans, ſorte deprahenſurus quis in culpa ſit.* Quoniam enim Dei reſponſio haberi non poterat circa Philiſthæorum inſecutionem, veritus, ne etiam in quærendo peccati reos taceret, ſorte vti voluit in qua neceſſario nomen alicuius exiret, qui culpæ reus cenſeretur.

CX. *Quæ anceps, & quatenus licita.*

QVONIAM vero ex rei natura incertæ ſunt ſortes, & fallaces, niſi à Deo temperentur, adeo vt reum occultare, innoxium tanquam reum prodere poſſint, ideo illis niſi Deo inſpirante, aut iubente vti fas non eſt, vt contigit in Achani ſacrilegio. Tunc enim Deus dirigit manum educentis ſortem, vt illius nomen accipiat, qui in culpa eſt; ſimulque diuina ſua prouidentia prouidet, ne is abſit qui deprehendendus eſt in maleficio. Cum enim vnus aliquis ex vrna omnino educendus ſit, neceſſario qui innocens eſt quaſi reus deprehende-

retur. Vtrum autem Deus iuſſerit, aut inſpirauerit hanc ſortitionem, non ſatis liquet, fieri enim poteſt vt Deus ſortitione indicet veritatem rei, licet ſortitionis author ipſe non fuerit, vt cum nautæ cum quibus vehebatur Ionas [a] ſortiendo eum in culpa deprehenderunt. Sors autem quæ dicitur conſultoria tum demum licita eſt cum neutram in partem ſors male cadere poteſt: vt cum iacta eſt ſuper Barſabam & Mathiam. Putat Abulenſis [b] Saulem à Deo motum fuiſſe, nec ſe in re tanta ſortium errori vltro expoſuiſſe: quod ego facile crediderim, cum nuſquam hoc nomine reprehenſus fuerit, quod alioqui graue crimen futurum erat; non aſſentior tamen in cauſa, ait enim motum adeo vt Ionathæ innocentia deprehenderetur: cum motus fuerit potius, vt deprehenſo in culpa Ionatha, & mortis periculo expoſito, omnis populus intelligeret quanti facienda ſint iuſſa principum, tanta præſertim animaduerſione ſancita.

Fuit hæc à Deo.

[a] Ionæ 1.

[b] q. 37. in c. 14.

CXI. *Diſpoſitio eius, & modus.*

DISPOSITÆ ſunt ſortes hunc in modum, vt tabellæ duæ vel chartulæ inſcriberentur, in priore rex cum filio ſuo, in poſteriore populus: quod factum videtur in regis honorem, vt ſeorſim à populo poneretur, cum in ea ſortitione, qua declaratus eſt rex, communis via & ratio obſeruata ſit. In præſenti autem, niſi eam Deus dirigeret, facile poterat peccari, [c] imo neceſſario, ſi enim plures alii, quod fieri potuit cum Ionatha peccaſſent, & ſolus deprehenderetur rex cum filio, cæteri peccatores euadebant: ſi ſolus populus, Ionathas innocens falſo declarabatur. Dato etiam quod plures de populo, & de diuerſis tribubus deliquiſſent in ſubſortitione po puli vna aliqua tribu deprehenſa, cæteræ male abſoluerentur. Idemq; in diuerſis familiis ac domibus valet, proptereaq; in vno tantum peccatore comprehendendo valuit iſta ſortitio, vt in Achani facinore: nec Deus in plurium culpa eam vſurpari voluiſſet, verbi cauſa in vituli adoratoribus, aliiſq; peccatis. Præter has autem tabellas, paratæ ſunt aliæ duæ, in quibus ſingula eſſent nomina Saulis & Ionathæ: & rurſum aliæ tredecim, in quibus ſingula tribuum nomina; & eadem ratione in domibus, familiiſque ſeruata eſt.

[c] q. 38. Abu.

CXII. *Saul orat ad manifeſtationem rei.*

HIC *dixit Saul ad Dominum Deum Iſrael: Domine Deus Iſrael da iudicium, quid eſt quod non reſponderis ſeruo tuo hodie. Si in me, aut in Ionatha filio meo eſt iniquitas hæc da oſtenſionē aut hæc iniquitas eſt in populo tuo da ſanctitatē.* Tota hæc Saulis oratio abeſt ab Hebræo textu, præter Deo vltima verba, *da ſanctitatem*, ſiue vt alii vertunt, da perfectionem aut decerne integritatem, vel indica veritatem, vel, da manifeſtationes, Chaldæus paraphraſ. ſicut eum Vatablus interpretatur, fac venire ſortem pro rei veritate. Arias Montanus omnia illa verba, quæ in Hebræo non leguntur in editione vulgata in bibliis regiis non poſuit, nec in Septuaginta eiuſdem operis, imitatus Complutenſem editionem, quæ nec à Ioſepho indicantur. Leguntur tamen in Romana, Aldina, & Baſile. vnde videtur S. Hieron. in editionem vulgatam ad integritatem ſententiæ tranſtuliſſe; quod fatetur Abulenſ. Lyranus autem non male negat ea in Hebræo haberi, non bene autem negat eſſe de textu, Sacer enim textus, Scripturæ diuinæ ex vulgata editione Latina æſtimandus eſt, non ex Hæbræo Græcóue contextu, qualem nunc habemus in manibus. Dare porro ſanctitatem, nihil aliud eſt hoc loco quam prębere teſtimonium innocentiæ, & ſanctitatis eorum, quorum nomina in vrna remaneant.

CXIII. *Alius in ſortiendo modus.*

VENTVM eſt ad ſortitinem, & ducta eſt tabella Saulis & Ionathæ, qua indicabatur alterutrum reum eſſe, *populus autem exiuit* non ab vrna, ſed à periculo, hoc enim ipſo declaratus eſt innocens, nec eſus carnis cum ſanguine illi reputatus eſt in peccatum. Fieri tamen poſſet, vt fatetur Abul. [d] vt ex condito, atq; ex compoſito tabellæ quæ educerentur declararent innocentes; cæteræ quæ in vrna remanerent, reos. quaſi illi liberi fierent & è carcere, atque aliena poteſtate educerētur, iſti autem in vinculis pœnæ obnoxii retinerentur. Tum Saul *Mittite ſortem inter me, & inter Ionatham filium meū.* Ceſſit hic Saul de iure ſuo; non enim communi lege, præſertim à ſe latæ tenebatur: ſed conſcius innocentiæ ſuæ hanc aleam iacere non dubitauit, ne ſuſpicionibus vrgeretur iniuſtis; Aut certe ſi præter opinionem ſuam reus eſſet, mortem ſubire non recuſabat. Significant Septuag. quandam interueniſſe contentionē inter regem & populum nolentem mitti ſortem inter regem & filium eius, quæ altervtrum morti cum grauiſſimo Reipub. damno addiceret. Sic enim habent, *Et dixit Saul iacite* ſortes, *inter me, & inter Ionathā*

eſt eſchappé.

[d] q. 40. in c. 14.

DEPREHENDITVR IONATHAS ET LIBERATVR.

filium meum. quemcumque ſorte ceperit Dominus, moriatur. Et dixit populus ad Saul, non eſt verbum hoc, id eſt non licet id agere: alii habent, non erit verbum hoc, & pergunt. *& prævaluit Saul populo, & faciunt inter eum, & inter Ionatham filium.* Hæc ibi, quæ ſcholiaſtes Græcus ait in ſola Theodotionis editione reperiri, habentur autem in Romana, Aldina, & Baſileenſi.

CXIV. *Deprehenditur Ionathas.*

MISSA ergo eſt ſors, *& captus eſt Ionathas. Dixit autem Saul ad Ionatham indica mihi quid feceris, & indicauit ei Ionathas, & ait, Guſtans guſtaui in ſummitate virgæ, quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior.* patris videlicet imperio, ac iu.e iurando addictus ſum morti. Hæc nimirum vox eſt, aiebat quidam ſapiens, perditi hominis in æternis ſuppliciis perpetuo morientis, poſt modice deguſtatas huius vitæ delicias: guſtans guſtaui paululum mellis, & ecce morior.

Deplorandus eius caſus.

Verba ſunt lamentantis ſortem ſuam, & de ſententiæ cum culpæ tenuitate comparatæ, aut iniuſtitia, aut acerbitate; conquererentis: præſertim in primogenitum regis filium, tamque recentis authorem victoriæ. Et profecto valde deplorandum erat ætate florentem principem ſexcentis impiorum telis nunc ereptum, & in acie, in qua glorioſus occumbere poterat, diuina prouidentia conſeruatum: vt mox ipſius parentis imperio probroſo carnifici ceruices frangendas præberet. Neque vero putandum eſt Ionatham oblitum ſignificare patri, quæ ad ſuam innocentiam probandam ac protegendam valebant, nimirum fuiſſe ſe adiurationis inſcium, vt ſupra ex D. Chryſoſtomo retulimus, cui conſentiens Theodoretus, [a] *Sed tamen*, inquit, *cum ſe defenderet ob ignorantiam, venit vſque ad vitæ ſuæ periculum.* Et ſcriptura ipſa eiuſdem ignorantiam atteſtatur, negatque Ionatham audiſſe cum adiuraret pater eius populum. Ioſephus quoque qui eum quem Scriptura tribuit Ionathæ affectum valde commutat. ſic enim habet.

CXV. *Fatetur culpā apud Ioſephum.*

CVMQVE *ſors Ionatham indicaret, interrogat quid feciſſet, & cuius peccati ſibi eſſet conſcius. Tum ille, Equidem pater nihil aliud ſcio, niſi quod heri dum hoſtem perſequor, edicti tui neſcius de fauo deguſtaui. Saulus vero iurat ſe eum occiſurum, pluris quam genus, aut naturam, aut affectus iuſiurandum faciens. Ille ne præſenti quidem periculo territus: magno ac generoſo animo ſe præbuit, nihil inquit deprecor pater, libenter enim hanc mortem fero, quæ te religione ſoluat, dum prius tam magnificam victoriam videre contigit: maximum enim mihi fuerit ſolatium Palæſtinorum inſolentiam ab Hebræis eſſe perdomitam.* Vides quem in hoc diſcrimine Ionatham faciat. Non enim vult mortem deprecatum eſſe, aut ignorationem excuſaſſe, ſed rigidum quendam præbuiſſe animum, alienum planè à Scripturæ verbis atque ſententia. Corrigendus quoque eſt in ratione temporis; immemor enim, fuit hæc contigiſſe ac diſputata eſſe ſub ipſam noctem, cum vellet Saul irruere nocte in Philiſthæos donec dies illuceſceret. idque mox ex Sept. confirmabitur; & paulo infra illud ipſam *hodie* habetur in Hebræo, Latinóq; textu. Omittit autē in ſua confeſſione Ionathas, improbatum à ſe publice, reprehenſumque patris edictum; cuius illum propugnatorem eſſe oportebat, ac laudatorem; ſicque ignorantiæ delictum in murmurationis crimen conuertiſſe. Sed de culpa Ionathæ ſupra quoque diſputatum [b] eſt

Non ſatis probabiliter.

CXVI. *Morti à patre adiudicatur.*

ET *ait Saul, hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris* Ionatha. Sept. addūt hic *hodie*, quod & ſtatim populus iterauit. idque agnoſcit S. Chryſoſtomus, [c] ait enim, *Non ſimpliciter dixit, quod morieris, ſed hodie, feſtinabat enim Diabolus ipſum in hanc impiā agere cædem & impellere, propterea nec ſententiæ ſtudiū adhibere permiſit, ne qua ex mora mali fiat correctio.* Verū ſi accuſandus eſt ob hanc ſententiam Saul, nō tam ob temporis breuitat emeius executioni deſtinatam, cum haberet confitentē reū videtur eſt, quam quod poſtquam cognouit filium ex ignorantia peccaſſe, dixit nihilominus, *morte morieris Ionatha*; idq; iureiurando confirmauit. Nimirum exiſtimauit ſe priore illo iureiurando obſtrictum, quod ante ſortitionem, etiam filio ſuo nominatim appellato, vſurpauit: idq; affirmat Ioſephus, quē paulo ante retulimus, [d] vt eū potius zeli religioſi nomine admirari conueniat, quam crudelitatis accuſare, iuxta ea quæ aliquanto ſuperius diſputata ſunt. [e] Ergo ne fieret periurii reus, filium occidere voluit, ſicut ante annos 114. Iepthe [f] vnicam filiam ſacrificauit. Verum id iuſiiurandum, vel teſte Chryſ. imprudens, atque incautum fuit, planeque illicitum; ideoque nec Saulem obligauit;

Non recte. Iuſiurandū irritum.

quamuis id ipſe ignoraret. Itaque in opere malo ipſe nihilominus ex intentione bona conſcientiam errantem ſecutus, laudabilis fuit.

CXVII. *Liberatur à populo.*

Hic populus, qui iam inuitus, ac renitens paſſus erat ſortes ſuper Saulem & Ionatham mitti, [a] Sauli aperte reſtitit, inſtigante fortaſſe etiam pontifice, & irritum iuſiurandum profitente. Dixitque ad eum, *Ergone Ionathas morietur, qui fecit ſalutem hanc magnam in Iſrael? hoc nefas eſt; viuit Dominus ſi ceciderit capillus de capite eius in terram. quia cum Deo operatus eſt hodie.* Salutem magnam feciſſe dicitur in Iſrael, quaſi ipſe ſolus author fuiſſet victoriæ, aut eius vnius auſpiciis debellatum eſſet. Principium enim qui dedit, arduum præſertim ac difficile, rem confeciſſe videtur: quia in eo poſita fere ſunt omnia. Principia enim mole parua, vi magna ſunt, quod in ſeminibus cernimus, ait Ariſtot. [b] quem ſecutus Romanus orator [c] ait omnium rerum principia parua eſſe, ſed ſuis progreſſionibus vſa vehementius augeri, vti apparet in fluminibus. Sed augendi etiam cauſa plenus animi, ac feruoris exercitus ita loquitur, nihil Saulis offenſionem reueritus, qui fuerat in hac expeditione Imperator; cuius tamen, quaſi nullo numero fuiſſet, nullam penitus faciunt mentionem.

a 1. Reg. 14.

b 1. de cœl. c. 5.

c 4. de fin.

CXVIII. *Vtente cōpenſatione.*

Et innocentem illum quidem non aſſerunt, quod erat in promptu, ſi in eo loco ſatis præſidii eſſe credidiſſent; nec ad ignorantiam veniа dignam confugiunt; nec iuriſiurandi cauſantur inanitatem, ſed compenſatione vtendum eſſe contendunt. Haberique volunt rationem tam præclari facinoris, eiuſdemque recentiſſimi, quo culpa omnis, præſertim contracta per imprudentiam, meritiſſimò obruatur; quæ eſt magni Gregorii hunc in locum ſententia. vbi *[illegible]* hanc magnam vocat diſcretionis virtutem. Hoc nefas eſt, inquiunt, quaſi dicant, Nefas eſt illud agi rem, & in diſcrimen capitis vocari, cuius de laudibus potius, ampliſſimis præmiis, inuſitatis honoribus deliberandum ſit. Nefas eſt glorioſiſſimam illi vni vitam quaſi per iocum eripi, qui vitam, ſalutem libertatem dederit vniuerſis. nefas eſt illum per ſummam indignitatem ceruices tortori ſubiicere, qui ab vniuerſi populi ceruicibus iugum Palæſtinæ depulerit ſeruitutis. Nefas eſt principem iuuentutis nullum habere in hac lectiſſima iuuentute præſidium; & ab ea, in tanta calamitate ſua, cum probro deſeri ſempiterno. Nefas eſt Iſraelitici regni nunc primum exurgentis caput, in regni ſucceſſore truncari; & regem ipſum, in tam clara lætitiæ materia, implacabili luctu affici, & ſegetem acerbiſſimi mœroris colligere in omnes annos conſequentes. Nefas eſt hanc à nobis dari hoſtibus noſtris lætitiam, vt nos ipſos habeant, iactentque perpetuo vltores iniuriarum ſuarum. Nefas eſt incircumciſum Philiſthæum, in hac tanta clade ſua triumphum agere, probroſiſſimum ac luctuoſiſſimū nobis, & noſtrum ſecundum te principem, noſtris ipſorum manibus, reuinctis poſt tergum manibus malam in crucem agi.

1.

2.

3.

Et quam iniuſta fuiſſet eius cædes.

1. 2.

4.

5.

6.

7.

8.

CXIX. *Iureiurando ei ſalutē extorquet.*

Hoc *Nefas eſt* inquiunt, ſimulque cum ira ad iuſiurandum proſiliunt, vt ſolenne eſt militaribus viris, *viuit Dominus, ſi ceciderit capillus de capite eius in terram.* quaſi dicant, Per ipſam Dei vitam ac ſalutem iuramus, vitam Ionathæ conſeruatum iri, quandiu vita erit in nobis. non fundetur ſanguis eius, dum ſanguis reſidebit in cordibus noſtris. Quid ſanguis? Caput nobis citius è ceruicibus auferatur, quam illi capillus de capite pereat. *Cum Deo operatus eſt hodie*, Deus tutabitur cōmilitonem ſuum; niſi Deus fuiſſet cum eo, non potuiſſet tantū prodigium in caſtris edere. Viuat ergo Ionathas, viuat, & reliquias inimicorum noſtrorum glorioſè perſequatur. Has videlicet illi iactabant voces plenas animi, plenas ſpiritus, plenas doloris, plenas veritatis. Hæ illorum erant violentæ, &, vt aiunt, armatæ preces. Nec forte ægre tulit Saul hanc ſibi vim ab exercitu fieri, qua ſe religione ſolutum videtur interpretatus. Sed ne hæc quidem ſolutio neceſſaria fuit: Stat enim illa regula, *In male promiſſis, reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum.*

CXX. *Et eripit patri.*

Liberavit *ergo populus* Ionathan, *vt non moreretur. Iuuenis enim indole*, vt ait Ioſephus, [d] *omnis multitudo ad dolorem, & miſeratione inflexa eſt: iurantque non laturos ſe vt occidatur Ionathas author tam luculentæ victoriæ. Atque ita iuuenem irato patri eripiunt, & vota Deo faciunt vt ipſum immunem à peccato faciat*, quod ſcilicet per imprudentiam commiſerat, & tantum non capite luit: vel à peccato iuriſiurādi,

d lib. 6 c. 7.

propter eum non exſoluti, expediat, atque abſoluat. Totius porro bellicæ huius narrationis finis paucis hiſce verbis concluditur *Receſſitque Saul nec perſecutus eſt Philiſthum*, veritus ſcilicet ne Deus, qui ſignum offenſionis in proximo ſilentio ediderat, victoriam victis daret, victoribus eriperet: minorque fuiſſet culpa non conſulto Deo hoſtem perſequi, vt rex ante inſtituerat, quam Dei conſulti ſilentium ominoſum negligere, & noua culpa nouam ſibi, aut familiæ ſuæ, aut ſubdito populo accerſere calamitatem. *qui ceſſat hoſtem perſequi.*

CXXI. *Et diſabitur ad ſuos.*

Porro Philiſthæi obtecti tenebrarum amictu, abierunt in loca ſua; non nocendi ſtudio, ſed facultate tunc quidem ſpoliati, dum vbi paululum reſpiraſſent, bellum inimiciſſimè atque infeſtiſſimè redintegrarent. Ioſephus ait [a] hoc bello ad ſexaginta hoſtium millia cæſa fuiſſe. Et de tertio anno Saulis hactenus, quem Prudentij carmine, [b] Ionathæ pœnitentiam celebrantis, concludo.

a l.6.c.7.

b in Pſychomachia

Pœnituit Ionathan ieiunia ſobria dulci
Conuiolaſſe fauo ſumpto, melliſque ſapore
Heu male guſtato, regni dum blanda voluptas
Oblectat iuuenem, iuratáque ſacra reſoluit.
Sed quia pœnituit, nec ſors lacrymabilis illa eſt,
Nec tingit patrias ſententia ſæua ſecures.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2964.

1.N.1. Verba Symmachi habentur in ſcholiaſte Græco, *υἱὸς ὢν ἐνιαυταῖος Σαοὺλ, ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν.* Ibidem additur aliud ſcholion *υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν Σαοὺλ, ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτὸν, καὶ δύο ἔτη ἐβασίλευσεν ἐν Ισραήλ.* *id eſt filius 30. annorum Saul cum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnauit in Iſrael.* vtrumque falſum, ſi rigidius verba ſumantur. Nam ſi trigeſimo ætatis anno regnare cœpit, cum vt plurimorum fert ſententia, 20. annis regnauerit, moriens fuerit quinquaginta annorum. quomodo ergo filium natu minimum Isboſethum tunc habuerit quadragenarium? decimo illum anno genuerit Saul, quo autem anno tertium Melchiſua? quo ſecundum Abinadab, & primogenitum Ionathan? quæ eo fuerint abſurdiora quo pauciores annos regno Saulis tribuent; quod ſi duos illi tantum annos concedunt, mortuus eſt annos natus triginta duos, non enim deſiit regnare dum vixit, quomodo ergo morienti ſuperſtes relictus eſt 40. annorum filius, ideſt octo annis ſenior patre ſuo?

2.N xii. In editione Romana legitur. *καὶ ἐπάταξεν Ιωνάθαν τὸν νασὶβ, τὸν ἀλλόφυλον, τὸν ἐν τῷ βουνῷ.* *Et percuſſit Ionathas Naſib alienigenam qui erat in colle*, id eſt præſidem, ſiue præfectum, militum ſcilicet, qui in eo colle præſidio erant nomine Palæſtinorum. Nam Naſib. ſiue, vt nunc legunt, נציב Neſib ducem & præfectum ſignificat. Et forte indicatur præfectum ipſum occiſum à Ionatha, eoque facto reliquam manum, præfecto & capite priuatam, deditionem feciſſe, aut improuiſo aſsultu in poteſtatem veniſſe, & deletam fuiſſe. D. tamen Hieronymus eam vocem ſtationem, aut præſidium interpretatur. Septuag. vocem Hebræam retinuerunt, quam Aquila vertit *ὑπόστημα*, ſicut & Theodoretus q. 29. Chaldæus autem paraphraſtes præſidem, ſiue *στρατηγόν.* Vide init. c. 14. vbi pro ſtationē 70. retinent Hebræam vocem Matſab, ſiue Meſſat. quod crebro in eodem cap. iteratur.

3.N.xiii. Editiones quæ habent *ἠχρείωσαν* magis accedunt ad Hebræum textum; quæ autem *ἠχρεώθησαν* ad editionem vulgatam, etſi *ἠχρειῶ*, ſiue *ἠχρειόομαι* raro vſurpatum reperitur. Quidam huius loci volunt hanc eſſe ſententiam, duabus de cauſis Iſraelitas ad bellum concurriſſe à Saule vocatos, altera quod iam initium victoriæ, & perfectæ libertatis ortũ eſſet à Sau- opera Ionathæ filii ſui: altera quod Iſraelitæ iam ſponte ſua odiſſent Philiſthæos, & vice verſa Philiſthæi Iſraelitas. Nam vt amor amorem parit, ſic odium altero gignitur odio. Verum hæc ad priorem expoſitionem pertinent; nobis poſterior, quæ accommadata eſt editioni vulgatæ, magis probatur.

4.N. xvi. Septuaginta Rom. & Baſil. habent ex aduerſo Bethoron contra auſtrum, qui ſitus nō ſatis congruit tabulis Adrichomii: in quibus neque Machmas eſt ad orientem oppidi Bethauen, ſed ad occidentem quinque circiter leucarum Gallicarum itinere.

5.N.xxiv. Hanc animi vim, S. Hieronymus vertit neceſſitatem, quæ vim animis infert omni lege ſoluta. *ἐνεκρατευσάμην* autem, qua voce vtuntur Septuag. vtramque admittit expoſitionem, ſcilicet neceſſitate compulſus ſum, & confortatus ſum.

6.N.xi. Augent huius loci difficultatem verba Græcę interpretationis, quæ nihil ad rem facere videantur; habent tamen amplicationem ſeruitutis, quam exercebant Philiſthæi aduerſus Hebræos. Habent autem, *καὶ ἦν ὁ τρυ-*

γητὸς ἴδιμος τοῦ θερίζειν. τὰ δὲ σκεύη ἦν τρεῖς σ... εἰς τὸν ὀδόντα. *& erat vindemia parata ad metendum*, id eſt ſecandum, *inſtrumenta autem tres ſicli in dentem.* Vbi ſignificat Palæſtinos obſeruantes temporis neceſſitaté, cariſſime ferrea inſtrumenta neceſſaria vendidiſſe. Symmachus au-
55. 1. 27. 2. 82. 1/2.
tem apud. Theodoret. dentem aratrum interpretatur, vomerem ſcilicet cuius pretium eſſent tres ſicli, id eſt 4. Franci gallici æris & aliquanto amplius. Porro catachreſim vindemiæ pro meſſe ſæpe vſurpant Græci, qua de re vide notas Garaſſi noſtri ad ſuum Rhemenſe ſimpulum, vbi vindemiam mellis erudite confirmat, Adde τρυγᾶν μέλι, καὶ χρεία Conſtantini Cæſaris, & τρυγητὴ δένδρων, & alia quæ notantur in Theſ. in voce τρυγητός.

7.N.LV. Pro Magron, ſiue Migron, vt eſt in Hebræo textu, & apud Abul. Septuaginta Rom. & Baſil. habent μαγδών. vel ρ in δ mutatum eſt a Græcis, vel ab Hebræis ד in ר.

8.N.LXIV. Par boum non mediam iugeri partem, ſed iugerum integrum vno die arare ſolet, vt ait Plin. l. 18. c. 3. init. *Iugerum vocabatur*, inquit, *quod vno iugo boum in die exarari poſſet.* Itaque volunt aliqui mendum irrepſiſſe, & legendum *quod.* Hoc porro terræ ſpatium, quod ſemi iugerum dicitur & Actus, habet 120. pedes longitudinis, latitudinis autem 60. vt idem ait cum Quintil. &c.

9.N.LXXIIX Vbi in editione noſtra legitur *viri Iſrael ſociati ſunt.* In Hebræo legitur *& vir Iſrael coarctatus erat*, vt vertit Pagninus verbum נגש. Arias exigebatur. Id autem verbum ſignificat exigere, affligere, coarctare, & quia qui coguntur in vnum locum arctantur inde videtur nata expoſitio vulgata, porro illud *coarctatus erat*, de fame Vatablus intelligit, & ſic commutat, & anteuertit tempus huius prohibitionis, contra Ioſephi mentem, qui præſens tempus aſſignat iuramento, non pluſquam perfectum.

10.N.XCIIJ. In eo vero quod Ionathas per ignorantiam de fauo mellis deguſtauit, eleganter Chryſoſtomus homil. 14 ad popul. in malitiam dæmonis temerario iureiurando hominum abutentis, philoſophatur. *Sed malignus dæmon*, inquit, *& nunc talem tragœdiam*, parricidii videlicet, *patrare contendebat: ideoque Ionatham ad præuaricationem impulit. Si quis enim militum præuaricatus legem fuiſſet, nullum magnũ fieri malum ipſi videbatur: nunc autem malis inſaturatus humanis, nec vnquam noſtris expletus miſeriis, nihil glorioſum ſe facere putabat, ſi cædem moliretur ſimplicem, ſed niſi filij morte regis dexteram pollueret, nihil ſe magnum feciſſe arbitrabatur. &c.* Hæc Chryſoſtomus.

Id docent S. Thom. 4. ſ. d. 18. q. 2. a. 1. ad q. 11.N.CII.
quartam, & alii plerique apud Couar. pri. p. relect. in ca. Alma mater §. 7. nu. 5. 6. & 7. Vgolinus tab. 1. c. 13. §. 3. n. 5. & Henriq. lib. 13. c. 15. felician. c. 32. de Excom. Soto 4. ſ. diſt. 22. q. 1. art. 3. concluſ. 4. vide D. Auguſt. l. de vera relig. c. 6.

In Aldina Romana & Baſileenſi editione 12.N.109.
ſic legitur. *Et dixit omni viro Iſrael, vos eritis in ſeruitutem; & ego & Ionathas filius meus erimus in ſeruos*, ſiue in ſeruitutem. quam lectionem agnoſcit S. Chryſoſtom. eadem homil. 14. ad pop. & ſic explicat. *Nihil aliud*, inquit, *ſtudetis quã hoſtibus vos tradere & pro liberis facere ſeruos, Deũ contra vos inſtigantes reum non tradendo.* ſic ibi. dici quidem poſſet Septuag. vocare ſeruitutem, eſſe obnoxium ſorti, & pœnam ab ea, quaſi à Domino dictatam admittere: ſed rectius eſt difficultatem ab ipſa origine accerſere, & expedire, Hebræis ſeruire eſt עבד Ghabad, tranſire autem עבר Ghabar itaque mutatio ר in ד interpretationis diuerſitatem peperit. vos eritis in ſeruitute, ſiue in ſeruos, pro eo quod eſt, eritis in tranſitu, latere, ſiue parte vna.

Eſt & Angelomi in hunc locum. *Notà*, in- 13.N.CXVIII
quit, *quantum proſint tranſacta bona, contra quælibet minima offenſa. Niſi enim Ionatham præterita adiuuiſſent, imminentia mala nequaquam euadere potuiſſet, Non enim iniuſtus eſt Deus vt obliuiſcatur bonorum cuiuſpiam operum.* Alludit ſcriptor hic ad Paul. ad Hebræos. c. 6. v. 10. quo pertinet doctrina de operibus mortificatis, & per pœnitentiam reuiuiſcentibus. Itaque & Ionathæ pœnitentiam Prudent. commendauit eius verba refero num. 121. Circa hiſtoriam exoticam nihil occurrit quod in hunc annum conferam, præter initium regni Codri iuxta Euſebium, Athenienſium 17. filii Melanthi qui regnarat annis 37. cui mors glorioſa poſt viginti annos contigit,

ANNVS MVNDI 2965. DILVVII 1309. QVINTÆ ÆTATIS 26. EXITVS, ET DATÆ LEGIS 422. ARCÆ IN CARIAT. 25. SAMVELIS 16. SAVLIS 4. ACHIÆ PONTIFICIS. 4. DAVIDIS 16. TROIÆ CAPTÆ 95. DERCYLLI 15. IMPERII ASSYRIORVM. 1034.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1088.

QVæ hoc, & ſequentibus aliquot annis in Hebræorum Repub. Saulis regis auſpiciis contigerunt, perpaucis verbis Scriptura cõplexa eſt, quæ famem potius excitent, quam ſciendi expleant appetitũ. Geſtarum enim rerum breues ſunt indices, non plenæ narrationes. Illis tamen annis, mihi quidem certe, minimè dubium eſt multa præclara facinora Saulis & filiorum eius, in primiſque Ionathæ obruta eſſe ſilentio. Tam præclaris enim Ionathas orſus initiis, talibuſque iactis ad immortalem gloriam fundamentis, expeditum victoriarum curſum nequaquam inhibuit: neque defuit ampla materies, in qua diuinus in eum fauor eluceſceret, & eximia viri virtus exerceretur, & quaſi acueretur ad cotem. Extiterunt enim, atque emerſerunt hinc inde Iſraelitarum hoſtes, & ſopita iamdudum bella, diuino eos perurgente iudicio renouarunt; & in ignem muſcæ, alis pedibuſque vſtulandæ, cum nonnullo ſtrepitu inuolarunt, vt mox ſordido quopiam in angulo morientes quieſcere cogerentur. I *Geſta aliquot annorum compendio tradita.*

Qvidnam autem cauſæ fuiſſe dixerimus, cur cum pleraque hactenus de Saule rege, & principe Ionatha admodum accurate, & particulatim narrata fuerint, multa etiam deinceps eadem diligentia exponantur, aliquot tamen annorum, in quibus verſamur hiſtoria ſumma breuitate decurratur. Hæc enim duntaxat ſacris commendata ſunt monimentis. [a] *Et Saul confirmato regno ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum aduerſus omnes inimicos eius, contra Moab & filios Ammon & Edom & reges Soba, & quocumque ſe verterat, ſuperabat. Congregatóque exercitu percuſſit Amalec, & eruit Iſrael de manu vaſtatorum eius.* Quæ verba magnam vtique multiplicẽque rerum ſyluam indicant, non aperiunt; coarctant & cohibent, non explicãt, atque euoluunt. An quia primus hic, eique ſubiectus alter Samuelis, ſiue Regum liber Dauidi deſtinatus eſt? ideóque quæ cum Dauide connexa ſunt, aut ad eum aliquo modo pertinẽt fuſius enarrata ſunt, cętera breui cõpendio perſtringũtur. II. *Et nominatim varia bella.*

[a] c. 14. v. 47 & 48.

Qvoniam enim Dauid regum omnium clariſſimus, Iſraelitarum Rex fuit, & per multa ſecula in eodem populo Regum parens: de abdicatis iudicibus, & introducta regia poteſtate, ad quam ille præcipuè deſtinatus erat, in primis dicendum fuit. Et quoniam Samuel, vir in primis illuſtris, harum duarum Iudaicæ Reipub. formarum quaſi horizon fuit; vt qui finem Iudicibus impoſuit, initiũ Regibus dedit; in vtriſq; diuinorũ iudiciorũ mediator & interpres, de Samuele quoq; ab ipſa eius infantia, vſque ad extremum eiuſdem diem agere Scriptura voluit; quæ quia ſine hiſtoria Heli, à quo educatus eſt, cognoſci non poterant, de Heli quoque obiter actum eſt. III. *Et quam ob cauſam.*

Dauid porro ipſe primarius quidem rex fuit, & in diuina intentione præcipuus, & ſolus in regum Chriſti progenitorum ſerie regis nomine decoratus, nec tamen primus regum fuit, quandoquidem in alterius regis locum ſuffectus eſt, de Saule rege, cui ſubſtitutus eſt Dauid, agendum fuit, quomodo & qua occaſione electus; tum qua ex cauſa reprobatus, & abdicatus; ideoq; bellũ Ammoniticũ, quo bene geſto Sauli confirmatum eſt imperium, ipſáque eius confirmatio, & quædã quaſi abdicatio Samuelis diligenter explicata eſt. Bellum etiam cõtra Philiſt. & Amalecitas, in quo vtroque Saul Deo cauſam dedit ipſum è regno eiiciendi, & alium ſibi in eius locum eligendi, enarratum oportuit. Intermedia vero quæ Dauidem, ad quẽ Scriptura properare videtur, nihil attingebãt, digito tantum, extremo cap. 14. indicata ſunt. [b] Verum quia bellum Amaleciticũ *Cur de Saule actum.*

[b] 1. Reg. c. 14. v. 47.

ad abdicationem Saulis & electionem Dauidis pertinebat, hic obiter propoſitũ cum reliquis, reſumitur poſtea [a] fuſius explicandum. Reliqua Dauidis potius geſta ſunt quam Saulis. Quia nimirum nihil de Saule, niſi propter Dauidem, agere propoſitum fuit. *a c. 15.*

IV. *Noua regni Saulis confirmatio.* VERVM cæteris ad ſuum tempus dilatis, quæ huius ſunt temporis quantum poſſumus elucidemus. Saul ergo confirmato regno ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum aduerſus omnes inimicos eius. Quæ regni confirmatio non ſolum Ammonitis, ſed maximè Philiſthæis ſuperatis contigit; qui Iſraelitas freno tributi, & vinculis præſidii militaris cohibitos ſeruire cogebant. Et illis quidem deuictis Saul confirmatus eſt rex. Dum tamen adhuc vigeret Hebræorum miſera ſeruitus, & Philiſthæorum duriſſimus dominatus, ipſa regio non tam illorum regnum, quam horum prouincia bello deuicta; & Saul non tam rex, quam ipſius prouinciæ prætor, aut moderator ſub Philiſthæorum imperio, dici poſſe videbatur. Nunc autem excuſſo ac deleto præſidio, armorum iure, & facultate recuperata, hoſte grauiſſima clade proſtrato, tributi penſitatione antiquata, libera plane regnũ effectum, confirmatumq; eſt. Et huc ſane videtur reſpexiſſe in ſua verſione Hieronymus, eique Vatablus aſſentitur: quamuis in Hebræo ſit tantum, *Et Saul cepit regnum ſuper Iſrael*, quaſi dicas, eripuit Philiſthæis, & propriæ vindicauit libertati, & quaſi princeps legitimus adminiſtrauit. Sic enim regnum cepiſſe dicitur, quo modo vrbes in ſcriptura captæ dicuntur. Et quia à principio ſorte regnum accepit, propterea eò reſpicientes Septuag. Hebræum Lacad, in Græcum ἔλαχε ſortitus eſt, commutarunt. *לכד capere Lacad.*

V. *Eius bellũ contra Moabitas.* ACCEPTA igitur Saul adminiſtratione regni, eáque per cladem Ammonitarum, & Philiſthæorum probè confirmata, per vicinos populos, & quidem, vt credere par eſt, prouocatus, victricia ſigna circumtulit. Primum autem bellum, quod hic à Samuele memoratur, eſt contra regem Moabitarum, contra quem quandiu, aut qua occaſione pugnarit, nõ apparet. Et hinc quidem Saulem feliciter pugnaſſe, & victorem fuiſſe conſtat, quod Ioſephus quoque affirmat; nec tamen plane bello domitum, ac ſubiugatum hoſtem, nedum deletum fuiſſe liquet. Nam poſt aliquot ab hinc annos, cum Saul Dauidem perſequeretur, is parentes ſuos apud Moabitarum regem, [b] quaſi in tuto aliquo præſidio, collocauit. Potens itaque tum fuit, nec ſibi admodum à Saule timuit. *b 1 Reg. 22.*

VI. *Et Ammonitas.* ALTERVM bellum hic contra Ammonitas memoratur ſecundo loco. [c] Nec affirmare auſim aliud eſſe hoc bellum ab eo, quod ſupra enarratum eſt, ad inſtituendum regem occaſionem dediſſe; quod hoc loco, in generali bellorum à Saule confectorum enumeratione repetatur. Abulenſis vtramque aſſertionem probabilem putat, nec ſine cauſa. Exiſtimauerim tamen eſſe diuerſum, ſiue quia *An idem cum ſuperiore.* prius illud geſtum eſt nondum confirmato regno, [d] hoc autem eodem iam ſtabilito ac confirmato: [e] Siue quod prælium vnum duntaxat aduerſum regem Ammonitarum, Scriptura memorat, poſt quod Iſraelitæ in Galgala profecti ſunt, nec in Ammonitidem tranſgreſſi leguntur, etſi id Ioſephus affirmet, vt ſupra retulimus anno Saulis ſecundo. [f] Itaque facile potuit exercitum inſtaurare, & nouas Iſraelitis, non impunè, afferre moleſtias. Hunc quoque regem potentem fuiſſe tam ex dictis cap. vndecimo, quam ex 2. Reg. 10. [g] facile conſtat, vbi huius filius tam ex propriis, quam ex auxiliaribus copiis, formidoloſiſſimum cõtra Dauidem ipſum contraxit exercitum. Ergo ne hoc quidem bellum contra Ammonitas paucis diebus aut apparatum fuerit, aut confectum. Et illi quidem populi Hebræis ad orientem, & trans Iordanem fuerunt. *c c. 11. v. 11. d c. 11. v. 11. e c. 14. 47. f n. 50. & 51. g 2. Reg. 10.*

VII. *Cõtra Idumæos.* TERTIVM bellum contra Idumæos à Saule geſtum eſt, qui cis Iordanem, & ad meridiem Iſraelitarum habitarunt; qui hoſtili ſemper animo in eos fuerunt, vt ex ipſo Moſis ad eos appulſu poſt longinquam in deſerto peregrinationem agnitum eſt. [h] Quæ autem particulares inimicitiæ Saulem inter & Idumæos extiterint, proditum non eſt: eos tamen bello à Saule compreſſos ex hoc loco affirmandum eſt, donec poſtea à Dauide ſubiugati ſunt. Nec ea in re Saul, aut *Quatenus hæc bella à Deo prohibita.* Dauid Domini præceptum violarunt, iubentis per Moſem vt nec Idumæos, neque Ammonitas, neque Moabitas bello aggrederentur ad eorum regionem occupandam; non autem vetuit, ſeſe contra eos defendere, ſi iniuſto ab iis bello

peterentur, vt hoc loco ponimus factũ fuiſſe, aut ſi qua omnino cauſa iuxta ſubeſ-
a q.11. in c. 11.1. Reg. ſet bello ipſos adoriendi, qua de re vide Abulenſem. [a] Fuiſſe autem hunc quoque populum potentem & bellicoſum præ Iſraëlitis, docet occurſus Eſau cum qua-
b Gen. 32 & 36. dringentis viris aduerſus Iacob, [b] & quæ de regibus ac ducibus Idumæorum habentur in cap. 36. Gen. Denique Moſes [c] ait populum iſtum occurriſſe Iſrae-
c Num. 20. 20. li cum infinita multitudine, & manu forti. Non obſtantibus autem perantiquis inter vtrumque populum inimicitiis, nullum adhuc inter eos bellum conflatum reperio.

1. ℞. Qvartvm bellum geſtum eſt à Saule contra reges Soba; quæ erat regia vrbs Syriæ, ex qua Syria Soba, vel Sobal, dicta eſt, i. ad differentiam Syriæ Damaſ- VIII. Contra Syros.
d cap. 8. ci: de qua in 2. Reg. [d] & vtraque ad Septentrionem Iſraëlitarum ſita: contra hos reges hoc primum loco à Saule; tum ſæpius à Dauide pugnatum eſt. Quod autem hic in numero multitudinis, reges Soba nominentur dubitationem inge- rit, an ſucceſſiue contra reges in Soba regnãtes, an ſimul contra plures reges inter ſe fœderatos, aut qui præcipuo regi Syriæ parerent, pugnatũ ſit. Prius magis placet; quia confœderati reguli, non reges Soba, ſed Syriæ dicerentur: fuiſſe autem potentes reges Soba, ex eodem ſecundi Regum loco perſpicuum eſt, vbi ſerui Adarezer regis Soba arma aurea dicuntur habuiſſe, quæ Dauid in Hieruſalem victor detulit.

Qvintvm refertur bellum contra Philiſthæos, quod maximum, & quodammodo perpetuum fuit; qui Iſraelitis ab occidente ſemper infeſti fuerint: & à Saule & Ionatha recens magna clade affecti, atque compreſſi, non multo poſt ad ingenium redierunt; integra quippe remanſerat eorum regio nuper Iſraëlitis victoribus ad ipſa ferarum latibula non penetrantibus; ſed ad proprios lares, propter diuinum ſilentium, remeantibus. Nec videtur hic aliud intelligi geſtum contra Philiſthæos bellum, quam quod proxime cap. 14. explicatum eſt, & deinceps cap. 17 narrabitur. Idque ſatis confirmatur ex eo, quod extremo cap. 14. dicitur, fuiſſe bellum potens aduerſus Philiſthæos omnibus diebus Saulis, quaſi cætera bella leuiora eſſent, ac minoris momenti. Ideoque Saulem virorum fortium copiam apud ſe perpetuo habere ſtuduiſſe. IX. Contra Philiſthæos.

Sextvm denique bellum contra Amalecitas geſtum eſt, quod capite ſequenti fuſius exponitur. Hos omnes deuicit Saul, & fecit pati pœnã iniquitatis ſuæ, vt & Amalecitas.
2 ℞ Raſac explicat Hebræum Caiet. vide Theſaurũ Pagnini, in radice רשע. 2. *Abundabat*, in-
e l.6. ant. c. 7 fi. quit, Ioſephus [e] *Saul equitatu & curribus, & cum quocumque hoſte congreſſus, ſemper victor reuertebatur, ita vt Hebræorum res ad fœlicem ſtatũ prduxerit, & potentiam eorum tantum auxerit, vt omnibus finitimis eſſent formidabiles. Ex iuuentutis vero numero, robore ac ſpecie, præſtantiſſimum quemque in ſuum deligebat ſatellitium*, ſic ipſe; conſentaneè iis quæ à Scriptura extremo, cap. 14. dicuntur.

Ad hæc circiter tẽpora, in quibus fœliciter Saul contra circũpoſitas regiones pugnabat, viſũ eſt referre hiſtoriã debellatorũ Agarçorum, quæ in priore lib. Pa- X. Bellum Rubenitarum contra Agaræos, Ratio temporis.
f l. 1. c. 5. v. 10. 18. & ſeq rai. [f] refertur in dieb. Saulis cõtigiſſe. Etſi enim incertus eſt annus, quo Rubenitæ, cæterique Hebræi, qui trãs Iordanem habitabant, hoc bellum confecerint: Expeditionem tamen, quam Dominus peculiari fauore proſecutus ſit, illi tempori merito aſſignare poſſumus, quo idem Dominus Saulem nondum à ſe abdicatum, & cum eo populum eius, fauore proſequebatur; & alias ex aliis victorias largiebatur Hebræis. Hæc ergo coniectura in re perobſcura, atque incerta ſatis idonea viſa eſt, vt hoc bellum ad Saulis initia, in quibus gratus erat Deo, potius
g 5. ætatis an. 426. referremus, quam ad media cum Torniello, [h] qui decimum circiter annum Saulis illi aſſignat, quando is poſt bellum Amalecitanum, fuerat à Deo proſcriptus, ac repudiatus; & populus, ſub ægro, ac pene depoſito capite, minus fauentẽ habebat Deum. Notum eſt enim peccata principum in ſubiectum populum redundare. Videamus autem à quibus hoc bellum geſtum ſit, quæ belli cauſa, quæ iuſtitia, quis finis, aut euentus belli.

Confectvm quidem eſt hoc bellum à Rubenitis, Gaditis, & dimidia tribu Manaſſe, qui omnes trans-Iordanem fixas habebant ſedes, idque perſpicuè mox traditur, cum numero copiarum in hæc verba, *filii Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, viri bellatores ſcuta portantes & gladios & tendentes arcum, eruditique ad prælia*, XI. Iſraelitarũ copiæ.

Amalecitas,quod bellum nominatim à Moſe bellum Domini appellatur,in Gabaon contra Chananæos, in Maſphath contra Philiſthæos.Bellum Domini fuit quod ille pro Gedeone geſſit contra Madianitas, pro Baraco contra Iabinum & Siſaram, pro Iephte contra Ammonitas, pro Saule contra populos paulo ante numeratos.

a verſ.10. — XV. *Belli euenta.*

Belli euenta paucis primum ſcriptura perſtringit, [a] *Præliati ſunt contra Agaræos, & interfecerunt illos; habitaueruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ reſpicit ad Orientem Galaad*, id eſt vltra Galaaditidem Orientem verſus. Quæ mox diducit paulo latius, [b] *Traditique ſunt*, inquit, *in manus eorum Agaræi, & vniuerſi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum præliarentur, & exaudiuit eos, eo quod credidiſſent in eum;* cum fide ſcilicet ac certa in Deum fiducia ipſum inuocaſſent: vt qui ſe tanto impares hoſti agnoſcerent; & ſcirent in manu Domini exercituum eſſe victoriam: ideoque non verbo, ſed rebus ipſis audiſſent, *ſecundum fidem veſtram fiat vobis.* Pergit: *Ceperuntque omnia quæ poſſederant, camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta & quinquaginta millia, & aſinos duo millia, & animas hominũ centum millia*, Vide prodigium; multo plures erant qui caperentur, quam qui caperent, ſed in hac turba multa vtique fuit imbellis multitudo, imo maxima pars, nam bellatores fere in acie ceciderant, ſubdit enim, *Vulnerati autem multi corruerunt, fuit enim bellum Domini. Habitaueruntque pro eis*, non in eorum oppidis, ſed tabernaculis vt ſupra dicebatur, id eſt in locis,in quibus ipſi ſubinde figebant tabernacula,prout loca aut læta paſcuis, aut prædæ opportuna videbantur. *Poſſederunt autem ea loca, vſque ad tranſmigrationem ſuam*, cum ſcilicet Theglath phalaſar rex Aſſyriorum in diebus Phaſee regis Iſraël abduxit in captiuitatem, tum alias prouincias Iſraëlitarum, tum nominatim terram Galaad, quo nomine omnes comprehenduntur, qui trans Iordanem habitabant, quod nominatim explicatur in 1. Paral. c. 5. extremo. Contingit id annis ab hinc trecentis circiter ac vigintiquinque, quoniam præſentis belli annus incertus eſt.

b v.20. — *Præda*, — *regio occupata.* — *Tranſmigratio Galaaditarũ.*

Svbdit deinceps Samuel nomina præcipua familiæ Saulis, quorum crebra erit in poſterum mentio. Eam hoc loco trademus, paulo quam ſuperius ampliorem. an. Saulis primo. num. 44.

Abiel 1. Reg. 9. 1. qui dicitur Ner 1. Paral. 8. v. 33. genuit
- Ner patrem Hic à 70. 1. Re. c. 14. ſi dicitur filius Iamin, filij Abiel
  - Abneris qui fuit princeps militiæ Saulis 1. Reg. 14. v. 50. is genuit.
- Cis patrem
  - Saulis primi regis, cui patruelis Abner, patruus Ner. Saul autem 1. Reg 14. v. 49 & 50.
    - Ex Achinoã filia Achimaas ſuſcepit.
      - filios 4.
        - Ionatham primogen. ex quo
          - Miphiboſeth, qui ſuperfuit cladi. 2. Reg 9. 3. 4. dicitur etiam Mephibaal, is. 1. Paralip. 8. 34.
            - genuit Michã, 2. Re. 9. 12. & Par. 8. 34. patrem
              - Pithon. Melech Tharaa Ahaz, ex quo
                - Ioada pater
                  - Alamad. Azmoth Zamri, cuius poſteri eodem loco 1. Paralip. 8, verſ 36. & ſequent. deſcribuntur.
        - Ieſſui, qui & Aminadab 1. Reg 14. 49. & 1. Par 8 33
        - Melchiſua.
        - Esbaal, qui & Isboſeth. 1. Reg. 2. 1. Par. 8 33.
      - Iaſielẽ 1. Paralip. c. 27. v. 21. vbi additur tribus Beniamin.
      - filias 2. 1. Reg 14. 49.
        - Merob. promiſſa Dauidi 1. Reg. 18. 17. data eſt Hadrieli, Molathitæ, ibidem, verſ. 19. ex quo
          - Suſcepit filios quinque, qui crucifixi ſunt à Gabaonitis, 2 Reg. 21. 8. vbi nomen Michol, pro Merob poſitum eſt, vt aiunt omnes Hebræi apud Sexarium, qua de re infra an. Dauidis 34. num.
        - Michol vxor fuit
          - Dauidis ex quo nullũ ſuſcepit filium 2. Regum 6. 23.
          - & Phaltielis filii Lais, qui eã reddidit Dauidi, 2. Regum 3. 15.
    - ex Reſpha concubina filia Aia filios duos, qui cruci affixi fuerũt 2. Reg. 21. 8. 9.
      - Armoni 2. Re. 21. 8
      - Miphiboſeth cognominem filio Ionathæ.

SCHOLIA IN ANNVM SAVLIS 4. MVNDI 2965.

VIII. PRo rege Soba regem Obæ habet Ioſeph. an detrito primo vocis elemento? Sophenam vocat Plin. l. 5. c. 12. l. 6. c. 9. vide Adrichom. in Manaſſe, 2. pag. 94. n. 87. & p. 77. vocatur autem à S. Hier. in locis hebr. Suba. 70. hoc loco aiunt pugnaſſe contra filios Edom, & contra Βαιζαφω., vt in edit. Rom. At in Baſil. Βαιθσὼρ, quæ vox neque in latinis bibliis reperitur, neq. in hebræis. Suſpicabar vrbis eſſe vocabulum, contra quam à Saule pugnatum eſſet; itáq. ſcriptum per metatheſim pro Bæroth, quæ fuit vna de ciuitatibus Adarezer: vnde Dauid multum æris extulit. 2. Reg. 8. v. 8 ſed articulus maſculinus τὸν qui in vtraque editione legitur, ſuſpicionē irritam reddit, niſi placet ν in ι. quod facile eſt fuiſſe mutatū.

Vocem ירשיע iarſiah Hieronymus vertit, *ſuperabat*, 70. ἐσώζετο, ſaluabatur, ab omnibus videlicet periculis, & hoſtium inſidiis expediebat ſe. Pagninus, viriliter agebat, aut intrepide agebat, *Vel eſt ſenſus* inquit, *cum omnibus quos aſpiciebat ſibi facere iniuriam pugnabat*. Et hoc eſt quod poſtea dixit ſeq. verſu, *Et eripuit Iſrael è manu diripientis eum, quia non pugnabat cum illis, niſi quia diripiebant Iſrael, & impios dicebant reſpectu ſui*. R. autem Kimhi, terrebat, commouebat, inquietabat, & confundebat. Lyranus ſecutus Tarquin vertit impiè agebat: idq; affirmat ex proxima commemoratione belli contra Amalecita. Abul. meritò improbante, neque enim in vllo horum bellorum, niſi in Amalecitano peccaſſe memoratur. Rectius alij errare faciebat, hoſtes ſcilicet, quibus res ex ſententia non contingebant. a num. 9.

ANNVS MVNDI 2968. DILVVII 1312. 5. ÆTATIS 29.

EXITVS ET DATÆ LEGIS 425. ARCÆ IN CARIATH. 28.

SAmvelis 29. Savlis 7. Achiæ Pontif. 7. Davidis 19.

Troiæ captæ 98. Dercylli 18. Imperii Aſſyriorvm 1037.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1085.

I. *Ratio temporis, & ſummá rei.* BElla proximè à Scriptura commemorata tres circiter Saulis annos occupaſſe, non temere opinor conicimus; cum potentibus enim aduerſariis bella non tam cito ſuſpiciuntur, aut apparantur ſuſcepta, aut ſemel inita terminantur. Habebit itaq; hic annus ſuſceptum ab Iſraëlitis diuino iuſſu bellum contra Amalecitas, idemque totius populi internecione terminatum. Id ſicut poſt recitata contra gentes alias bella narratur, ita poſt illa geſtum fuiſſe, non ſolum ex ipſa narrandi ſerie colligitur; ſed ex antiqua illa Domini iuſſione, à Moyſe Iſraëlitis denunciata, & ſcripto tradita. [a] *Cum Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & ſubiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen eius ſub cælo.* Fuit autē hoc bellum non deuictis Amalecitis duntaxat luctuoſum, ſed ipſi quoque victori Sauli, & omni domui eius funeſtum. In eo quippe contracta eſt macula, quæ nulla poſtea ſatisfactione Samuelis, aut lachrymis deleri potuit, ſed multis deinceps criminibus eiuſdem Saulis amplificata, ac deformata eſt, donec audiuit à Samuele. [b] *Cras tu & filii tui mecum eritis, quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec.*

a Deut. 25. 19.

b 1 Reg. 28. 18. 19.

II. *Belli author Deus.* NEmo autem mirabitur annum vnum à nobis huic bello tribui, qui Ioſephū de eo legerit affirmantem, poſt primariam vrbem ferro deletam, Saulem oppidatim bellum circumtuliſſe. Sed rem ipſam Samuele duce; aſſectatore Ioſepho videamus. Videtur autem Samuel belli cauſam, modum & euenta, breuiter fideliterque narraſſe. Belli author Dominus eſt, denunciator, & quaſi fecialis Samuel Propheta; adminiſtrator Saul eligitur, ad quem mittit Dominus Samuelem, qui regi ſuo nomine præcipiat vt exterminet Amalecitas. qua in re vt tāto accuratius diuinam exequatur voluntatem, quo maioribus ab eo beneficiis ſe affectum, atque obligatum meminerit, reuocat ei in mentem accepti regni beneficium, vt non cunctetur Domino Deo cunctorum principi promptè, fideliterque obtemperare, cuius liberali beneficentia tam multa hominum millia ſtudioſiſſimè obſequantur. *Qui id cōmittit Saulis.* *Me miſit Dominus*, inquit Samuel, *vt vngerem te in Regem, ſuper populum eius Iſrael, nunc ergo audi vocem Domini.* Saulis etiam

fuit totius populi iniurias perſequi, qui totius populi iniuriis affecti caput eſſet, & propugnator. Alia etiam ex cauſa, in hac gerendi belli denunciatione, acceptæ à Deo regiæ dignitatis, Sauli memoria refricatur, vt videlicet ille intelligat præſentem gloriam, fideli erga Deum obedientia eſſe conſeruandam, ſimulque tacitè moneatur hac deficiente, illam, ſicut reuera contigit, perditum iri.

III. *Cauſa belli ex parte Dei.*

Cavsa ex parte Dei fuit iuſtitiæ zelus, & ſtudium repetendæ vltionis de improbitate atque iniuſtitia Amalecitarum, qui primi, nulla penitus ab Hebræis iniuria prouocati, eos primum latrunculorum in morem curſim carpebant; quã culpam exaggerans ipſe Dominus; [a] *Memento*, inquit, *quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Aegypto*, menſe videlicet ſecundo anni primi in manſione Raphidim, [b] *quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum.* Mox etiam aperto eum bello poſtridie petiuerunt, & rurſum anno ſequenti in reditu exploratorũ.

Et Amalecitarum.

[c] Ex parte vero ipſorum Amalecitarum, cauſa cur eos deletos voluerit Deus, fuit illa eadẽ culpa, & aliæ fortaſſe grauiores, ob quas funditus deleri merebantur, vt pleriſque aliis gentibus contigit, quarum fit mentio in ſacris literis, Horreis, Eminis, Enacinis, Zomzominis, Iebuzæis, Pherezæis, &c. quorum extant duntaxat nomina ad infamiam ſempiternam. Nec eſt quod Deum in Amalecitas ſeueriorẽ putemus, quam in Chananæos, Amorrhæos, Philiſthæos, cum eos ſub grauiſſima interminatione deleri iuſſerit ab Iſraëlitis, antequam Hebræos vlla omnino ratione, verbo factove violaſſent; etiam ſine vlla exceptione infantium, atque imbellium perſonarum.

IV. *Par in Chananæos Dei ſeueritas.*

Hodie Dominus Saulem compellans, [d] *Vade*, inquit, *& percute Amalec, & demolire vniuerſa eius. non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid: ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactantem, bouem & ouem, camelum & aſinum.* Quid in gentes ſeptem, quæ regionem Hebræis deſtinatam inſederant, qualia verborum fulmina intorquentur? num mitiora ſunt hæc? *Percuties*, inquit, [e] *eas vſque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum. Aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccidite, & ſculptilia comburite.* Quin & Deus ipſe contra eas nationes arma ſumens: *Scies*, inquit, [f] *hodie, quod Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis deuorans atque conſumens, qui conterat eos, & deleat atque diſperdat ante faciem tuam velociter, ſicut locutus eſt tibi.* Nec hæ tãtũ minæ fuerũt, Audi Moyſen, [g] *Et tradidit Sehon Dominus Deus noſter nobis, percuſſimuſque eum cum filiis ſuis, & omni populo ſuo: cunctaſque vrbes in tempore illo cepimus interfectis habitatoribus earum, viris, ac mulieribus & paruulis, non reliquimus in eis quicquam.* Et rurſum de rege Baſan, [h] *Tradidit Dominus Deus noſter in manibus noſtris etiam Og regem Baſan, & vniuerſum populum eius, percuſſimus eos vſque ad internecionem, vaſtantes cunctas ciuitates illius vno tempore*; & ne putes leuem eam cladem *Sexaginta vrbes erant, cunctæ munitæ muris altiſſimis, portiſque & vectibus, abſque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. Et deleuimus eos, ſicut feceramus Sehon regi Heſebon diſperdentes omnem ciuitatem, viroſque ac mulieres, & paruulos.* Num ſeuerius cum Amalecitis actum eſt?

V. *Aut etiam maior.*

Delebo, inquit Dominus, [i] *memoriam Amalec ſub cælo*; idque mandat ſtudioſe populo ſuo, *delebis nomen eius ſub cælo, caue ne obliuiſcaris*: Num minora de aliis populis præcipit aut diuerſa? [k] *Dabit eos Dominus Deus tuus in conſpectu tuo, & interficiet illos donec penitus deleantur. Tradetque reges eorum in manus tuas, & diſperdes nomina eorũ ſub cælo, nullus poterit reſiſtere tibi, donec conteras eos.* Nec monet tantum ne obliuiſcantur has gentes diſperdere, ſed grauiſſimas inſuper addit minas, niſi ſeueriſſimam hanc vltionem vlciſcantur. [l] *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanſerint erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduerſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ; & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.* Deſcenderant hæc altè in pectus Ioſue; qui poſt tot reges interfectos, tot populos ad internecionẽ deletos, moriturus in comitiis vniuerſi populi, reliquias extirpari iubet, in hæc verba. [m] *Quod ſi volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare, iam nunc ſcitote quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram; ſed ſint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.*

a Deut. 25. v. 17. Exod. 17. 8.
b vide ann. Moſ. 81 nu. 339 & ſeqq.
c an. Moſ. 82. n. 147.
d 1. reg. 15. 3.
e Deut. 7. 2. 5.
f Deut. c. 9. 3.
g c. 2. 33. 34.
h ca. 3. 3. 4. 5.
i Exod. 17. 14.
k Deut. 7. v. 23.
l Num. 33. 55.
m Ioſue c. 23. 12.

pulum maleuolentiam, non pauca ac parua aliqua, ſed plurima accepit ex anathemate, neque eũ
Achani caſtigauit exemplum. 1 Ex eo ergo quod tota ea prouincia anathemati tradita
eſt, intelligitur, ſi Deo obeditũ eſt faces, vrbibus ſubiectas, dirutas domos, incē-
ſam ſuppellectilem, & quãtum fieri potuit, flammis vltricibus cuncta fuiſſe con-
ſumpta: ſic factum eſt [a] Iericunti, & Hai: ita vrbibus regis Aradi Chananæi. [b]
Ita quoque iuſſi ſunt Iſraelitæ vrbes ſuas funditus diſperdere, in quas idololatria
fuiſſet inuecta, vt eſsẽt tumuli ſẽpiterni, neque vnquã ab Iſraelitis incolerẽtur. [c]

a Ioſ. 7. 20. 21. 24. c. 8. :8.
b Nu 21. 3.
c Deut. 13. v. 15. 16.

Mandato hoc diuinitus accepto Rex Saul, *pollicitus eſt*, inquit Ioſephus *fa-
ctarum ſe omnia, & ratus obedientiã in hoc conſiſtere, ſi non pararet tantum, ſed etiam quam ce
lerrimè mandata exequeretur; confeſtim omnes vndique copias contrahit, & recenſito apud* X. *Parat bellum Saul.*
*Galgala milite abſque tribu Iuda, circiter quadraginta millia comperit, quæ tribus ex ſuo tantum
delectu præbuit triginta millia.* Quo in numero negari non poteſt Ioſephum ab He-
bræis codicibus diſceſſiſſe, in quibus legimus, ſicut in editione vulgata. *Præcepit ita-
que Saul populo, & recenſuit eos quaſi agnos ducenta millia peditũ, & decẽ millia virorum Iuda.* *eius copia.*
Eamque ob cauſam Ioſephum reprehendit Abulenſis, non animaduertens ſe eo-
dem telo petere 70. interpretes; nam ſi Ioſephus habet [illegible],
Romana Sixti editio habet τετρακοσίας χιλιάδας, de viris Iuda Ioſephus habet τρισμυρίους
στρατιώτας, Sixtus habet τριάκοντα χιλιάδας ſicut & Aldus & Baſil. quæ tamen duæ edi-
tiones in numero Iſraelitarum ſequuntur Hebræos.

Quod autem dicuntur recenſiti quaſi agni, id eſt, eadem facilitate, qua paſtor XI.
in Thelaim agnos numerat, difficultate non caret: Septuaginta enim Hebræam vocem Te- *Vbi coacta.*
laim, quæ agnum ſonat, tanquam proprium loci nomen acceperunt, & ver-
terunt in Galgalis, ſicut Ioſephus, forte propter loci vicini celebritatem. Chal-
dæus paraphraſtes habet in agnis paſchalibus, id eſt, anniculis immaculatis, qua-
les in Paſchate ſacrificãtur: niſi forte ſub Paſchale tempus vult iſta contigiſſe. Va-
tablus ſecutus Abulenſem, ait doctiores Hebræorum vertere, *cum agnis*, quod ſin-
poſt q. 13. guli agnum adducerẽt, vt ex eorum numero militum numerus noſceretur. Non
enim aiunt licuiſſe populũ numerare, quod Deus fuiſſet iratus, Dauidi videlicet.
Sed hoc improbant Caiet. & Abulenſis, quia talis numeratio militum conuenien- *An populi enumeratio in culpa eſſet.*
tium ad bellum prohibita non eſſet: imo nuſquam prohibita reperitur populi
Vide in i[n]dicem, verbo cenſus. numeratio aut cenſus, vt ex iis quæ de cenſu populi huius ſecundo tomo dixi-
mus, intelligi poteſt; nec in ea re Dauid peccauit, ſed in cauſa eius. Deinde talis
enumeratio agnorũ reipſa eſt populi enumeratio, vt qui hanc inſtitueret, illudere
prohibitionẽ videri merito poſſet, vt ſi quis negaret ſe numerare agnos, quòd ſin-
gulorum tantum vellera numeraret. Quid ſi nec ducenta agnorum millia nedum
q. 13. in c. 15 430. millia reperiri facile potuiſſẽt in tota Chananitide vt Toſtato placet, & inu-
tilis, imo puerilis eſſet iſthæc enumeratio, de qua iam nimium multa; plura ſug
geret Abul. Illud tamen rabinicum commentum non tacebo lectori, quod Lyra- *An facta per agnos.*
q. 8. nus & Abulenſis merito irrident, atque contemnunt, iuſſiſſe videlicet Dominum
occidi Amalecitarum pecora, quod ipſi ſe maleficiis in pecora conuerterent, quæ
aſſertio ſi de vera naturæ mutatione loquitur, pecudis videatur eſſe non hominis:
ſi de imaginaria metamorphoſi potuerunt & alias ſimulare naturas, ignis, aquæ,
lapidum, quæ non iuſſa ſunt exterminari.

Aldi. Xiſti. Baſil. Collectis copiis venit Saul vſque ad ciuitatem Amalec. Septuag. habent XII.
ciuitates, neque enim tota Amalecitarum regio vnicam vrbem habuit. Placuit *Venit in ciuitatem Amalec. & quæ illa.*
tamen S. Hieronymo, numerum ſingularem ex Hebræo retinere, ſiue quia ex vſu
antiquorum, Cæſariſque in primis ciuitatum nomine non oppida, ſed prouinciæ
intelliguntur vt Rhemorum, Pariſiorum, Heduorum ciuitates, plura ſingulæ
oppida, pagos, villaſque comprehendebant: eodemque modo ciuitas Amalec
prouinciam gentis illius ſignificare poteſt. Siue quia intellexit Saulem recta ad
Amalecitarum metropolim contendiſſe, vt compendium fieret temporis, labo- *An Heuila.*
ris, & ſumptuum; illo enim primario expugnato ac diſturbato præſidio perduel-
lium, eadem ruina cætera oppida trahebantur, ac deuoluebantur in præceps, vel
certè eam ciuitatem Amalecitarum intellexit, quæ prima Hebræis meridiem
verſus deſcendentibus occurrit, quæ fortaſſis eſt Heuila, quæ mox memora-
tur quaſi initium victoriarum Saulis, cum dicitur percuſſiſſe Amalecitanum
ab Heuila vſque ad Sur. Quamuis enim Heuila regionis ſit, aut ſolitudinis

EXITVS, ET DATÆ LEGIS. 425. nomen, eam tamen ſolitudinem ab aliqua vrbe in qua olim habitauerit Iſmael, ac deinceps Amalecitæ dictam fuiſſe exiſtimare poſſumus vt deſertum, Cades, Ierico, Bethſaida, Pharan, &c. nam & Pharam Hieronymus oppidum vocat trans Arabiam iunctum Saracenis. BELLVM AMALECITANVM GERITVR.

XIII. *Inſidiis agit.* AD hanc igitur ciuitatem Saul inſidias tetẽdit in torrente; ſic enim Hebræum textum intellexerunt atque interpretati ſunt Septuaginta interpretes ἐνήδρευσεν ἐν τῷ χειμάῤῥῳ, & eos ſecutus Ioſephus; *Saul*, inquit, *Amalecitarum terram cum exercitu irrumpens pluribus locis inſidias circa torrentem diſpoſuit, vt non ſolum marte aperto eos infeſtaret, ſed ex improuiſo etiam per vias circumuentos opprimeret.* Idem ſenſit Hieronymus in editione vulgata. *editio vulgata defenditur.* Diſcipuli tamen Herbæorum certamẽ in valle, quã inſidias in torrente maluerunt. Sed bene habet quod correctionem ſuam ipſi poſtea correxerunt, & vulgatum interpretem ſeipſis oculatiorem agnouerunt. Pagninus enim, & Tigurini editionem veterem mutant, quam Vatablus, & Arias Motanus reſtituunt.

XIV. *Cinæi periculo eripiuntur,* INTERIM autem, aut paulo ante potius, Saul Cinęos, Iethro quondã ſoceri Moſis poſteros, regionis eiuſdem incolas abire inde iubet ac recedere, *ne forte*, inquit, *inuoluam te cum eo.* Aegrè enim innocentes, in cœtu nocentium poſiti cladibus eripi poſſunt, ni maturè periculis ſubducantur. Cæcus enim eſt bellicus furor, & ſæpe quos Imperator, damnis exẽptos cupit, temeraria fortuna percellit. Ad hanc porro deſerti habitationem Cinęos è ciuitate palmarum profectos ex primo Iudicum perſpicuum eſt, & retulimus anno Othonielis quarto. [a] Inde *iure meritoque.* autem monitu Saulis diſcedunt, & quidem minime operoſo negotio. Cum enim in tabernaculis habitarent facile fuit conclamare vaſa, & abire. Nec mens fuit præcipienti interitum Amalecitarum, etiam Cinæos, origine quidem Madianitas, ſed affinitate cognatos, vita vt creditur, innocentes, cum nocentibus perdere. Itaque de ijs conſeruatis nulla fuit Samuelis apud Saulem querela. Sed & benemeriti fuerant de Iſraëlitis patres eorum in longinqua illa peregrinatione ſua. Sicque Iſraëlitæ in benefactorum poſteros grati ac miſericordes fuerunt. Sicut vice verſa inhumani, & barbari populi crudelitatem, ſera poſteritas, parentum æmula merito ſupplicio pependit, iuſtaſque in filijs ſuis patres pœnas dedere, dum quam gentem nihil commeritam, & à Deo excitatam ipſi delere voluerunt, ab eadem, eodem imperante numine, ipſi atrociſſima internecione deleti ſunt.

a tom. 1. n. 9. & 10.

XV. Quid de Cinæis Ioſephus. Hoc de beneficio in Cinęos Ioſephus hæc pauca. [b] *Totam eam regionem Saulus vaſtauit, ſola Sicimitarum gente intacta, qui in Madianæ terra meditullio habitant. Hos ante belli principium admonuit per nuncios vt ſecederent, néve res ſuas cum Amalecitarum rebus miſcerent, ne ex eo bello etiam ad ipſos cladis aliquid perueniret. Studere enim ſe eorum incolumitati propter cognationem, quæ illis cum Raguele Moyſis ſocero intercedebat.* Quare Cinæos Ioſephus in Sicimitas verterit contra Hebræorum omnium ac Græcorum codicum fidem, non ſane intelligo, cum Sicimitæ Hebræi eſſent, & ad tribum Ephraim pertinerent; Cinæi autem alienigenę, & longe extra Hæbræorum fines habitarent. Videtur mendum in eam vocem incidiſſe, cum idem Ioſephus Iahelem Naboris Cinæi vxorem vocet Cenetidem, non Sicimitam. [c] Cum autem Madianitæ diuerſi eſſent ab Amalecitis, & Cinæi in medio Amalecitarum à Samuele habitaſſe dicantur, non rectè opinor in medio Madianæ terræ Cinęos habitaſſe dicit, Abulenſis [d] putat regionem Madianitarum ab Amalecitide vndique cinctam fuiſſe. Quod ex Scriptura non probatur: nec conſentit cum recentiorum topographijs.

b l. 6. c. 8.

c Ἰαὴλ τὴν Κενετίδα γυναῖκα.

d q. 14. in c. 15.

XVI. *Expoſitio belli ipſius ex Ioſepho.* BELLVM porro ipſum contra Amalecitas geſtum vno verbo Scriptura complectitur, *Percuſſit*, inquit, *Saul Amalec ab Heuila donec venias ad Sur* [e], *quæ eſt è regione Aegypti.* Quæ quondam fuit tota Iſmaëlis habitatio, [f] antequam Amalecitæ orti eſſent à nepote Eſaü: vnde Hieronymus in locis Hebraïcis, *Iſmael*, inquit, *in ſolitudine Heuila habitaſſe ſcribitur, quam Scriptura ſancta eſſe ait in deſerto Sur contra faciem Aegypti, & inde tendere vſque ad terram Aſſyriorum.* ſic ipſe. Ioſeph. autem cum eas quas dixi inſidias in torrente poſitas memoraſſet. *Poſtremo*, inquit, *magno prælio in fugam verſos, non prius perſequi deſtitit, quam ad vnum omnes ferro tolleret. Quod opus poſteaquam ita vt diuinitus prædictum fuerat ſucceſſit, oppidatim bellum circumferre cœpit;*

e male Aſſur apud Abul. q. 16.

f Gen. c. 36.

quorum aliquot machinis ; alia cuniculis & operibus , nonnulla fame , ſiti , aliiſque modis cum expugnaſſet, vſque ad mulieres & pueros cædibus graſſatus eſt: nec crudele , nec inhumanum hoc ratus; primo quod in hoſtem ſæuiret, deinde quod iuſſu Dei , cui non parere periculoſum eſt. Hęc Ioſeph. decoro, atque ingenio ſuo ſeruiens.

XVII. *Crudelitas an excuſabilis.*

PERICVLOSVM autem atque adeo improbum , atque iniuſtum , eſt tanto principi non parere. Cæterum prior illa Ioſephi cauſa nihil crudelitatem aut inhumanitatem excuſat , quæ natura ſua in crimine eſt , neque vſurpari recte poteſt ſiue in hoſtem , ſiue in alium quemcunque : ſed tota iuſtitia ex diuino pendet arbitrio, cui crudelitas, ne in inferis quidē , tribui poteſt , vbi etiam citra condignũ punit hoſtes ſuos, quamuis eos tam horrendis , tamque diuturnis mactet ſuppliciis. Itaque illa prophetica non ſine hyperbole accipiēda ſunt. [a] *Plaga inimici percuſſi te caſtigatione crudeli.* Et illud Iobi : [b] *mutatus es mihi in crudelem , & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* Et Iſaiæ : *Ecce dies Domini venit, crudelis & indignatione plenus.* Sic etiam in Ethnicorũ ſcriptis ſæuus in deteriorem partē non ſemper ſumitur. *Sæuus* , n. *Aeacidæ telo iacet Hector.* Neq; illud in Ioſeph. laudauerim quod longe alios à Scriptura ponat victoriæ huius & vaſtitatis terminos : Peluſiũ ſcilicet & mare rubrum. Sic enim ait. *Itaque deuictis omnibus à Peluſio, quæ vrbs eſt in Aegypti finibus, vſq. ad rubrum mare, totam eam regionem Saulus vaſtauit.* At Peluſium & mare rubrum non claudunt terram Heuila, ſed terram Geſſen. Deſertum autem Sur, qui terminus à Scriptura ponitur deuictorum Amalecitarum , eſt longe citra Peluſium, & mare rubrum verſus Iudæam. Verum de his quoque locis vide quæ die mundi tertio diſſeruimus. [c]

a Ierem. 30. 14.
b c 30 21.
ſumitur cũ hyperbole.
Victoriæ & vaſtitatis termini.
vid. Adrich. in tab. Pharan.
c nu. 62.

XVIII. *Capitur rex Agag , & ſeruatur,*

CARDO porro belli in principe populi vertebatur. Niſi enim ille in poteſtatem Iſraëlitatem veniret , bellum aliquando per ſe ſuoſque redintegrare poterat , & vicem Iſraëlitis rependere. *Et apprehendit Saul Agag regem Amalec viuum* , ſiue is in obſidione vitam pactus deditionem fecit , ſiue , quod minus in adipali viro probabile eſt , in prælio captus , ac ſeruatus eſt , *omne autem vulgus interfecit* Saül *in ore gladij* , niſi qui maturè ſibi fuga , tutiſque latebris conſulere potuerunt. Agagum vero quid ſeruauit ? An Saulis auaritia , vt putauit Lyranus ? Ait enim Saulem cupiditate ductum ſperaſſe magno illum ære redēptum iri, aut theſauros in Amalecitide obrutos indicaturũ. At vnde ille redimeret ſe, cuius bona omnia , & ſubditorum , vel in prædam veniſſent , vel incendio conflagraſſent ? & ad defoſſos theſauros indicandos quid opus erat viuum in Iſraelitidem transferri, cum res ibi expiſcanda eſſet. Probabilius alij hanc regis vitam Saülis iactantiæ tribuunt, qui voluerit regem potentem , quaſi in triumphum ducere: eoq. pertinet arcus ille, aut fornix triumphàlis, quem mox erexit. [d] Qui non pecudum prædæ , ſed opimis ſpoliis debebatur ac pangebatur, nec leuis eſt gloriæ ſeges regem habere in poteſtate, cui pro arbitratu vitam poſſis, cōcedere, vel mortē inferre. Ita ſenſit S. Gregor. [e] *Aperte,* inquit, *transgreſſor per inobedientiam extitit , quia implere præceptum Domini per ſuperbiam recuſauit :* Et infra, *qui expugnatum regem viuum ſeruauit, liquet quia in eiuſdem belli triumpho , capti ſibi regis perſona placuit.*

an ex auaritia,
aut ſuperbia,
d c 15. v. 12.
e l. 6. expoſ.

XIX. *vel potius miſericordia Saulis.*

Communior nihilominus, veriorque ſententia eſt Saulem ex miſericordia vitam iſti regi, veniamque tribuiſſe. Ita ſentit Ioſepus. *Cœpit,* inquit; [f] *regem hoſtium Agagum, cuius magnitudinem, ac pulchritudinem corporis miratus, ſeruare eum decreuit, idque non ex Dei ſententia, ſed victus affectu proprio, inconceſſam miſerendi licentiam ſuo periculo ſibi vſurpans. Deus enim ita Amalecitas oderat , vt ne infantibus quidem parceret , quos natura ipſa miſeratione cæteris digniores eſſe voluit . Saulus autem regem ipſum hoſtium , & malorum omnium Hebræis autorem ſeruauit , pluris eius formam , quam Dei mandata faciens.* In eadem eſt Theodoretus ſententia. [g] *Oportebat* , inquit , *ſtultum intelligere vnam guttam diuinæ benignitatis , & clementiæ vincere omnem hominum bonitatem . Sed infælix cùm Deus iuſſiſſet punire miſertus eſt ; & cùm Deus morte damnaſſet , ipſe , vt exiſtimauit , vitam tribuit.* Sic Theodoretus, cui ſubſcribit Abulenſis, Dionyſius, Serarius, & fauet parcendi vox ; quæ proprie ſumpta ad miſericordiam pertinet , & perſonæ conditio, quæ ex tam excelſo dignitatis faſtigio , ad tantam prolapſa erat calamitatem , iuſtiſſimum fuit homini & regi miſerationis obiectum.

f l. 6. ant. c. 8.
g q 34 in 1. Reg.

XX. *Reſeruatur*

PEPERCIT *ergo Saul , & populus Agag , & optimis gregibus ouium , & armentorum,*

Et optima quæque ſpolia.

& veſtibus, & arietibus, & vniuerſis quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea: quidquid vero vile fuit, & reprobum hoc demoliti ſunt. Habes hìc transfuſum Achani ſacrilegium in regem Saulem, & populum eius; tulerunt quippe omnes de anathemate, & res Deo addictas, ſacrilega ducti auaritia, reſeruarunt ſibi. Ideoque exturbauit eos Dominus in monte Gelboë: in primiſque Saulem, qui ſeruando regum Agag, toti populo præiuit exemplo. In hac reſeruatione apertiſſima ſe prodit auaritia; eamque agnoſcunt ſancti patres, & nominatim Seuerus Sulpitius, [a] & Theodoretus, [b] cuius hæc eſt oratio. *Cum Deus iuſſiſſet*, inquit, *vt ex præda nihil lucri faceret, ipſe referens plurima, eaq; pulcherrima ex gregibus & armentis, & alijs omnibus reuerſus eſt.* Deinde in eodem facto ſacrilegium & impietatem arguens ait. *Et ipſe quidam cum anathemate ſanxiſſet, vt nemo ſumeret cibum aut potum: illum quidem, qui ex ignorantia decretum erat tranſgreſſus, voluit interimere. Cum Deus autem vniuerſorum Amalec ſubiecisset anathemati, non propter illius in ipſum impietatem, ſed propter illius in populum maleuolentiam, non pauca ac parua aliqua, ſed plurima accepit ex anathemate, neque eum Achani caſtigauit exemplum.*

Cum ſacrilegio.

a l.2. hiſt. ſacr.
b q. 34.

XXI. *Non ſtudio ſacrificãdi.*

SICVT ergo Achanum auaritia pertraxit ad facinus, ita & populum hũc, [c] cui viſum eſt illud Iudæ proditoris tanto ante vſurpare, *vt quid perditio hæc?* quaſi perdita eſſent, quæ Deo in quoddam quaſi holocauſtum conſumebantur; cum quæ in vſum hominum cedunt, imo & mutarum animantium cibum, nemo perdita, & male inſumpta putet. Neque enim audiendus eſt Saul, [d] cum ait Samueli pepercíſſe populum melioribus ouibus, & armentis, *vt immolarentur Domino Deo.* Et rurſum, *Tulit de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis*: optima quæque primitias vocat, id eſt prima, & præcipua, & digna quæ præ cæteris eligantur, videlicet munda, pulchra, pinguia, immaculata, diuino conſpectu, atque altari digna, non eſt inquam audiendus; tot enim animantium greges non erant deſtinati ſacrificiis, ſed lanijs, cum Scriptura dicat non prædam, ſed partem prædæ oblatam Deo in holocauſtum à Saule, idemque à populo factum, & quidem etiam parcius, intelligatur. Dicendum itaque eſt ea verba vſurpata *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Accedit quod veſtis pretioſa, ac varia ſupellex in prædam quoque ceſſerat, quæ ſacrificiis non ſeruiebat.

c Abul. q. 18. in c. 15.
d v.15.& 21

XXII. *Sed ex auaritia.*

Etiam obediendo.

Denique Ioſephus [e] pecora non ad aram, ſed ad prædam abacta conſentit. *Hoc eius peccatum mox imitatus eſt populus, & ipſi enim iumentis ac pecoribus pepercerunt, in prædam contra Dei mandatum abactis: pecunias etiam cæteraſque opes diripuerunt, nihil perdentes niſi contemptibile.* Nominatim ſic accuſat regem Theodoretus [f] *Tantum*, inquit, *eum condemnauit ea quæ præter legem vſus eſt miſericordia, quantum auaritia, & plura habendi inſatiabilitas & amor pecuniæ, cui ſeruiens tranſgreſſus eſt mandatum.* Quod autem vilia tantum diſperdiderunt grauius eos peccaſſe putat Abulenſis, quam ſi nihil omnino diſperdidiſſent. Cum enim omnia eſſent Deo conſecrata, eaq; ſibi ipſe per diſperditionem vellet offerri, peſſima quæque iſti elegerũt, quæ offerrent Deo, optima quæque ac pulcherrima reſeruarunt ſibi. Quamquam ne illa quidem diſperdiderunt, vt diuinæ iuſſioni obtemperarent, ſed vilitatis contemptu, & vt ſe moleſtia liberarent, ea deducendi in regionem ſuam. Nam quod aliqua de opimis pecoribus Deo conſecrarunt in Galgalis: id fuci faciendi gratia potius, quam Deo gratificandi factum videatur, vt facile ex Saulis excuſationibus colligi poteſt. Nec tamẽ illud probabilitate vacat, pleroſque bono animo, in gratiarum actionem de obtenta victoria ſacrificaſſe, pleroſque etiam propitiandi numinis cauſa, quod à ſe preſenti auaritia, ac ſacrilegio offenſum, conſcientia teſte ſentiebant.

e l.6.c.8.
f q.33.

XXIII. *Illata vaſtitate reuertitur Saul.*

PARTA itaque victoria, vaſtitate in Amalecitidem longe lateque illata, multis vndique villis, pagis, oppidiſque; multis domeſticæ ſupellectilis aceruis recenti deflagratione fumantibus; multis per agros, viaſque omnes, omnis generis animantibus fœde laceratis, & tabo ſanieque fluentibus; multis infantium, ſenum, fœminarum corporibus, pleriſque extremam etiam tunc animam in vulnerum atrocitate trahentibus, & ſola terrarum turmatim conſternentibus, exercitus Hebræorum ad reditum expeditus, lixis & calonibus multam prædam longo ordine abigentibus, victor in patriam redit. *Saul*, quoque

ait Ioſephus, *quaſi nihil prætermiſſum eſſet ex iis quæ propheta, iuxta Dei voluntatem de bello gerendo mandauerat, ſed omnia fuiſſent ad vnguem obſeruata, lætus victoria domum reuertitur*, non in Gabaa Beniamin, quæ erat illi patria, ſed in Carmelum ſortis Iudæ, vt inde veniret in Galgala ſacrificiorum cauſa, quo non dubitabat Samuelem de more breui eſſe venturum: & nihilominus dum ille venit maturauit offerre holocauſtum Domino, vt ex ſequentibus conſtat.

DVM autem hæc maximè à Saule, totoque exercitu fierent, lætitiaque feruerent omnia, & exultaret populus, *Sicut exultant victores capta præda*, [a] *quando diuidunt ſpolia*, factum eſt verbum Domini ad Samuelem: ſed vbi, & quando? vtique in domo, ac patria ſua Ramatha, vbi propheta multus erat præſertim, ex quo Reip. gubernacula in Saülem transtulerat. Factum eſt autem, non ſtatim atque culpa in Amalecitide admiſſa eſt, ſed cum Saül iam inde cum exercitu reuertiſſet. Nam noctu illi reuelatio facta eſt, & ſummo diluculo ad Saulē iter arripuit, & eum offendit in Galgalis, vt ex ſequentibus liquet. Noctu inquam, & in ſomnis, vt apparet, vox ad eum perlata eſt, vt cum primum ei reuelatus eſt Dominus: idque ea verba confirmant, *Sine me, & indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus ad me nocte*, & illa ratio quod ſtatim accepto tam triſti nuncio contriſtatus eſt, *& clamauit ad Dominum tota nocte*, ex quo ſcilicet accepit nuncium, nec diſtulit puncto temporis tantis, tāq; afflictis rebus remedium quærere, in gratiam illius, quem ſyncera, ac ſingulari beneuolentia proſequebatur. Quod autem eſt iſtud nuncium? quid fert hoc verbum Domini, hoc onus Saulis, hoc pondus intolerabiliter imminens atque incumbens in vniuerſam eius familiam?

PŒNITET *me*, inquit, *quod conſtituerim Saul regem*. [b] Papæ quodnam eſt hoc verbi, aut ponderis, aut querelæ prodigium! Deum pœnitet, & facti pœnitet tanto ſtudio atque opere, tanto tempore, prouidentiaque diſpoſiti? Nondum poſtulatus fuerat rex, ac ne cogitatus quidem, cum perſpicaces illos, & cordium arcana penetrantes oculos, in Saulem conieciſti, & Hebræorum ſceptro, & diademati deſtinaſti: quippe non erat eo melior in trecies aut quadragies cētenis hominum millibus. Eum tu maturè prophetæ tuo integerrimo indicaſti, *hac ipſa hora quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de terra Beniamin, & vnges eum ducem ſuper populum meum Iſrael*. Hinc videlicet effloruit, atque coaluit ſingularis regem inter & prophetam beneuolentia, vt in hoc regno tuo alter diuina negotia, alter humana, tuas vterque vices gerens, moderaretur. Tu eum ſemel in regem priuatim inungi, iterumque, aut etiam tertio poſt ſolennem in oculis totius populi ſortitionem inaugurari voluiſti, & inſigni victoria tuam in eo eligendo beneficentiam, ſpectatam publicè teſtatamque reddidiſti. Quid ergo nunc extitit tam funeſtum, tamque nefarium, quod tam illuſtrem beneuolentiam diſcinderet, atque diſtraheret; & ſuauiſſimam amicitiam in odium implacabile, & luctuoſam pœnitentiam commutaret? *quia dereliquit me*, inquit, *& verba mea opere non impleuit*.

QVIS *eſt hominum* ait S. Auguſtinus, [c] *cui non occurrat in Deo cuncta præſciente pœnitentiam eſſe non poſſe*? mox autem fuſiore diſputatione oſtendit iſtiuſmodi locutiones Deo attribui humano more, quæ tamen ſublatis imperfectionibus intelligendæ ſint. Sicque zelum Dei, miſericordiam, præſcientiam, pœnitentiam denique interpretatur. *In hominibus*, inquit, *opus pœnitendi eſt, cum proculdubio reperitur voluntas mutandi, ſed in homine cum dolore animi eſt, reprehendit enim in ſe quod temerè fecit. Auferamus ergo iſta, quæ de humana infirmitate, atque ignorantia veniunt, & remaneat ſolum, velle vt non ita ſit aliquid, quemadmodum erat. Sic poteſt aliquantulum intimari menti noſtræ, qua regula intelligatur quod pœniteat Deum. Cum enim pœnitere dicitur, vult non eſſe aliquid, ſicut fecerat vt eſſet: ſed tamen cum ita eſſet, ita eſſe debebat, & cum ita eſſe iam non ſinitur, iam non debet ita eſſe, perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili voluntate diſponit*. Hæc Auguſt. nec alia eſt D. Gregorij hoc in loco ſententia.

THEODORETVS [d] quoque hunc animi mœrorem à diuina pœnitentia remouet, cum eadem verba exponens ait, eadem eſſe cum his, *volo alij dare regni poteſtatē, facere autem vt hic à regno ceſſet*. In hunc ſcopulū olim impegerūt Marcionitæ apud Tertull. [e] & his abutebantur verbis in Creatoris iniuriā, *Pœnitentiam*, in-

Marginalia (left): a Iſa. 9. 3. — b in Sept. Roman. μεταμεμέλημαι· reuocaui me. — c tom. 4. l. 2. ad Simpl. q. 2. — d q. 33. — e l. 2. contr. Mar. c. 24.

Marginalia (right): XXIV. Peccatum Saulis reuelatur Samueli. — Vbi et quando. — XXV. Dei pœnitentia mirabilis circa Saulem. — XXVI. Explicatur à S. Auguſ. — XXVII. Ex Theod. & Tertul.

quit, *apud Deum praua interpretaris, quaſi proinde mobilitate, vel improuidentia, imo iam ex delicti recordatione pœniteat*; oſtendit autẽ non in Deo factam eſſe mutationẽ, ſed in homine, quem mutatũ ipſe inuariabili iudicio, ac voluntate probat, improbatq; elegantem ac breuem grauiſſimi Scriptoris orationem non pigebit adicribere. *Si vero*, inquit, [a] etiam circa perſonas leuem vultis intelligi, cum reprobat aliquando probatos, aut improuidum cum probat quandoq; reprobandos, quaſi iudicia ſua aut damnet præterita, aut ignoret futura. Atqui nihil tam bono, & iudici conuenit quam pro præſentibus meritis & reiicere & adlegere. Adlegitur Saul, ſed nondum deſpector prophetæ Samuelis, reiicitur Salomon, ſed iã à mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus. a ibid. c. 23.

XXVIII. *Confutantur Marcionitæ.*

QVID faceret creator, ne à Marcionitis reprehenderetur? Bene adhuc agẽtes prædamnaret iam propter futura delicta? Sed Dei boni non erat, nõdum merentes prædamnare. Proinde 3 peccantes nunc non recuſaret propter priſtina benefacta? ſed iuſti iudicis non erat reſciſſis iam bonis priſtinis, ſcelera donare. At quis hominum ſine delicto, vt eũ Deus ſemper adlegeret, quem nunquam poſſet recuſare? vel quis itẽ ſine aliquo bono opere, vt eum Deus ſemper recuſaret, quẽ nunquam poſſet adlegere? Exhibe bonum ſemper, & non recuſabitur, exhibe malum ſemper & nunquam adlegetur. *Ceterum ſi idem homo, vt in vtroque pro temporibus*, (alternatim ſcilicet repertus fuerit bonus & malus) *in vtroque diſpungetur*, diiudicabitur ſcilicet, iudicij punctis additis vel detractis. *à Deo & bono & iudice, qui non leuitate aut improuidentia ſententias vertit, ſed cenſura grauiſſima, & prouidentiſſima, merita temporis cuiuſque diſpenſat*. Hactenus Tertul. 3. χ.

XXIX. *Cur Scriptura Deo tribuat humanos affectus.*

ATQVI inquies, [b] cum certo conſtet, in Deum pœnitentiam, aut triſtitiam, aut omnino mutationem non cadere, nihil in eo poſſe eſſe quod nõ ſit, nihil poſſe abeſſe quod adſit, actum eſſe puriſſimum; qui immobilis dat cũcta moueri; qui malis noſtris nõ tangitur, vt animo angatur, qui cultu & honore noſtro nihil acquirit, quo lætior in ſe aut beatior fiat: quid cauſę eſt cur Scriptura eas locutiones vſurpet, quæ Deũ omnibus hiſce mutationibus obnoxium facere videantur? Nimirum illa ſe vulgariũ hominũ captui accõmodat, qui eminentiſſimã illã naturę diuinæ perfectionem capere alioqui non poſſent; ſed in eam potius fraudem inducerentur, vt crederent nullam eſſe in Deo rerum humanarum curam: perindeque illi eſſe rectene agamus an ſecus, nec improbos ſupplicio afficere, nec prẽmio innocentes munerari: ideoq. nec cultu nec honore proſequendum eſſe, à quo aut nihili fiant iſthæc officia, aut nihil omnino ſentiantur: neque orandum eſſe eum à quo nihil expectetur vtilitatis, neque diligendum qui redamare non poſſit, neq; formidandum qui hominum ſceleribus nullam in partem moueatur. b Abul. q. 20. in c. 15. l. 1. Reg.

XXX. *Triſtitia Samuelis pro Saule.*

CONTRISTATVS eſt itaque Samuel inopinato accepto nuncio, veritus ne cuius prior culpa in Galgalis regnum labefactauerat, poſterior plane conuelleret. Huius magnitudinem triſtitiæ Septuaginta interpretes verbo ἀθυμῶ ſatis indicarunt, quod eſt examinari, dolore confici, animo diſcruciari. Hebræi habent iratus eſt, zelo videlicet diuini honoris, quem à Rege populoque vniuerſo violatum ſentiebat, Vatablus habent *exæſtuans dolore clamauit ad Dominum*. Caietanus *triſtitia excandeſcens* Contriſtatus eſt propheta Dei amans ſuper triſtitia, ac pœnitentia Domini ſui, cuius videbat conſilia in ipſo primo aditu irritari; contriſtatus eſt ſuper Saulis peccato, ex quo ſentiebat reprobari hominem electum à Deo, approbatum à populo, formidatum ab hoſte, virum fortem & bellicoſum, & natum libertati, ac gloriæ populi Dei. Quod ſi etiam vidit eum ab æterna gloria reprobatum, tanto vtique vehementiore triſtitiæ fluctu concuſſus eſt; tanto iuſtius, *clamauit ad Dominum tota nocte*, imo & tota reliqua vita ſua deducens canos ſuos cum mœrore ad inferos. Potuit quoq. propheta, vt placet Abul. [c] illa tãgi triſtitia, quod in eo ſuus ſibi periret labor, ſua interiret induſtria, & quẽ feciſſet regem, abdicatum, atq; in ordinem redactum videret. c q. 20. in fi.

XXXI. *Et clamor ad Deum, quem in finem.*

CLAMAVIT ergo Samuel ad Dominum tota nocte, non mutaturus ille quidam immutabilem, aut ad priorem voluntatem reducturus eum, qui vt ipſemet mox confeſſus eſt *pœnitudine non flectitur, nec homo eſt vt agat pœnitentiam*; ſed experturus an Dominus precibus ſuis veniam dare Sauli ſtatuiſſet, aut an à principio Dominus nõ ſimpliciter definiſſet in corde ſuo Saulem abiicere, ſed cũ cõditione

niſi merita Samuelis ac preces interueniſſent: ſicut Moſis ſerui ſui dilecti precibus ſæpius vniuerſo populo veniam dedit, qui ab initio & culpam præuiderat, & amici preces, & propter eos ſtatuerat ſontibus veniam dare. Magna ergo animi contẽtione, multis gemitibus lachrymiſque tota nocte Regem Deo reconciliare conatus eſt: nec tamen ad miſericordiam flexit iratum Deum: aliam ergo viam Samuël ſibi aggrediendam putauit, facta verbis, ſatisfactionem orationi adiungendo; nimirum Saulem ad culpæ agnitionem adducendo, Agagum occidendo, & prædæ reliquias Domino ſacrificando: quæ tamen diuinam ſententiam reuocare non potuerunt. Rediit deinde ad preces & luctum Samuël; ſed eum à luctu Dominus non exaudiendo preces, ſed obiurgando reuocauit, & infelicem regem inſuper ſpiritui malo vexãdum dedit: & quod caput eſt, ad grauiſſima deinceps crimina labi permiſit, quæ conſequens narrabit hiſtoria.

XXXII. *Venit ad Saulem qui erigit fornicem triumphalem.*

POST totius ergo noctis gemitus, & clamores ad Dominum pro reconciliatione Saülis, ſurrexit de nocte Samuel, id eſt, iuxta hebræum, & græcum, ſummo mane, primoque diluculo, cumque de via quam Rex tenuiſſet ſciſcitatus eſſet, nunciatum eſt ei Saulem in Carmelum veniſſe, & erexiſſe ſibi fornicem triumphalem, indeque in Galgala ſacrificiorum cauſa deſcendiſſe; Hunc fornicem arcum D. Hieronymus [a] interpretatur. *Quando victoria potiebantur*, inquit, *faciebant arcum de myrtetis, & palmis, & oliuis ob ſignum victoriæ*, ſed fornix 4. minimum columnis erigitur, arcus duabus. Hebræi pro fornice, aut arcu, habent, *iad*, id eſt, locum, vel potius, manum: nam 70. verterũt χεῖρα, ſiue quia trophæum quoddam, vel cippum cum ſuperpoſita manu erexerit, ad ſignificãdum hoſtes valida manu deuictos, ſiue nudam columnam ſtatuerit, quæ in monimentum eſſet; titulusque Hebræis dicebatur & manus. Nam ſecundo Regum [b] dicitur Abſalon erexiſſe ſibi, cum adhuc viueret, Titulum in valle regis, & vocaſſe nomine ſuo manum Abſalonis. Hoc etiam loco Septuag. regem Saulem triumphali inuectum curru ſignificant. Ibi quoque diuiſam fuiſſe Amalecitanam prædam ſcribit Chaldæus Paraphraſtes, non incongrua coniectura. Primum enim diligebantur quæ ex præda Deo deſtinata erant, tum diuiſio ſequebatur.

a in trad. Hebr.

b c.18. v.18.

XXXIII. *An cum culpa.*

NON videtur porro negligenda illa quæſtio peccaritne Sauli in hoc fornice triumphali; Lyranus certe paulo in eum ſeuerior videtur, qui trophæum hoc in deteriorem partem trahit, tanquam iactantiæ ac vanitatis argumentum, quæ videtur Gregorij magni ſententia. Sic enim moraliter hoc Saulis factum interpretatur. *Poſt inobedientiæ*, inquit, *culpam triumphalem arcum vel fabricam erigere, eſt mala agere, & de eorumdem malorum perpetratione ſuperbire. Quaſi enim triumphalia ſigna erigunt, quando cum quadam oſtentatione ea proferunt, quibus aliis ſe excellere arbitrantur.* Et infra, dum magna dicunt ſe in ſublime æſtimationis erigunt, & quales ſe intus aſpiciunt per iactantiam & oſtentationem foris innoteſcunt. Cumque & illud quod per ſe aliis proficiunt, ad fauorem propriæ laudis trahunt, quid aliud videntur agere, niſi altum victoriæ ſignum inſigni titulo demonſtrare: Ita S. Pontifex. Sed & tota deinceps Saulis oratio non leuem huius vanitatis ſuſpicionem affert.

Vanitatis.

XXXIV. *Potuit ſine culpa.*

NIHILOMINVS certo conſtat ea quæ natura ſua vtramuis in partem accipi poſſunt, ex agentis intentione pendere, vt recte, aut perperam fiant. Potuit ergo Saul, vt recte notat Abulenſis, [c] arcum aut fornicem triumphalem excitare, tanquam monimentum victoriæ diuinitus conceſſæ: vt is deinceps hoc nomine à populo, non immemore beneficij, laudaretur. Quo pertinet altare à Moſe erectum, [d] parta de Amalecitis victoria: cui propterea inditum eſt à legiſlatore nomen, *Dominus exaltatio mea*, Potuit & publicam intueri vtilitatem, vt eo monimento in poſterum viri fortes animoſiores fierent, ad ſubeunda contra Reipublicæ hoſtes pericula; qui communis fuit omnium penè gentium ſenſus, excitandis viris fortibus ſtatuis, cippis, trophæis: idque putat Toſtatus à Dauide factum in valle Salinarum, cum reuerteretur capta Syria: quam ob rem nuſquam reprehenſus eſt. Præſertim cum moderatum laudis deſiderium in claris viris, in vitio non ſit, iuſta quippe ac debita laus honeſti ac legitimi deſiderii obiectum eſt: idque ad magnitudinem animi pertinet. Denique Simon Pontifex in primo Machabæorum, [e] non ſolum duas pyramides excitauit patri ſuo, & matri, & quatuor fratribus ſuis, ſed ſeptimam etiam excitauit ſibi, vt dicemus anno 170. regni Græco-

c q.23 in c. 15.

d c.17 fi.

e c.13 v.27.

rum, & ſummi eius ſacerdotii primo. quo nomine nunquam male audiuit.

XXXV. *Carmelus geminus.*

CÆTERVM ratio itineris docet Carmelum non eſſe eum montem, qui in tribu Iſachar ad occiduum mare ſitum, ab Elia propheta nobilitatum eſt, ſed alium in tribu Iuda poſitum, in quo erat ciuitas, quæ incolam habuit Nabalem, virum Abigail, hominem nequam; qui propterea Nabal Carmelus dictus eſt. [a] Cum ergo intellexiſſet Samuel, Saulem eſſe in Galgalis, ad eum profectus, inuenit offerentem holocauſtum Domino de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec. Initia vocat primitias vt ante monui, [b] ſiue eximia & electa quæque ex ſpoliis, vt explicat Hieron. talia enim Deo, primitiarum loco dari ſolebant: idque non per ſeipſum, ſed per legitimos & idoneos miniſtros executus eſt. Neque enim alioqui Samuel in ſua id reprehenſione tacuiſſet; itaque non immolaſſe dicitur, ſed obtuliſſe. Negligendum porro non eſt quod hæc verba de oblato holocauſto de initiis prædarum, in hebræo textu non inueniuntur. Sed extant tamen totidem verbis in Græcis Aldi, Sixti, & Baſilæ. codicibus: & iis vt legitimis vtitur S. Gregorius, eaque explicat; abſunt autem à regiis bibliis, & Complutenſibus.

Initia & primitia.

Vide tab. Adrich.

[a] 1. Reg. 27. 5. & c. 30. v. 5. & 2. Reg. 2. 2.

[b] Nu. 21.

XXXVI. *Occurſus Saulis & Samuelis.*

VENIT autem Saul obuiam Samueli, vt ait Ioſephus, [c] 4. eumque ſalutans ait, *Benedictus tu Domino*, ſiue apud Dominum, *impleui verbum Domini*, id eſt bellum confeci, Amalecitas exterminaui, toti regioni vaſtitatem intuli. At Samuel mendacem hanc vanitatem manifeſto argumento redarguens: *Et quæ eſt*, inquit, *hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum quam ego audio?* nonne mugitus iſti, ac balatus refellunt orationem tuam? nonne funditus omnia illic periiſſe oportuit, ſi Domino eſſet obtemperatum? Saul autem quem, ſtatim à principio peccatum fateri oportuit, & veniam à Deo, internuncio Propheta poſtulare, ab inani ac falſa commendatione ſui duxit initium. Deinde præcedentis culpę, aduerſus illud *Demolire vniuerſa eius &c.* & præſentis mendacii conuictus, culpam à ſe in populum transfert; ait enim. *De Amalec adduxerunt ea; pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus.* ſicque perdita ſunt omnia Amalecitis.

[c] lib 6. c 8. ſic ſupr. an. 3. Saulis, n. 23.

4. ※.

XXXVII. *Saul non agnoſcit culpā; ſed aggrauat.*

ITAQVE non agnoſcit culpam ſuam Saul; ſed eam gemina excuſatione aggrauat. Nam primo, vt notauit Theodoretus [d] & Procopius, culpam vt Adam in mulierem, ſic ipſe in populum transfert; cum tamen veriſſima ſit illa narratio. *Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium &c.* quæ regem in primis reum probat. Secundo eam culpam ex intentionis bonitate defendit; ſignificans ſatius eſſe pecora Deo ſacrificare, quā temere in bello iugulare: & Dei honori, vſuique hominum, res humanis vſibus à natura deſtinatas addicere; quam nemini, niſi canibus & lupis, vulturibus & coruis profutura, diſperdere. Illud autem *Domino Deo tuo*, blandientis eſt, quaſi dicat honorare voluimus Deum, quem tu ſanctè colis, qui te plurimum diligit, cuius tu voluntatis nuper mihi nuncius atque interpres extitiſti, qui cultu & ſacrificiorum celebritate digniſſimus eſt. Sed difficile eſt dare verba ſeni, & fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum; & hæc reipſa hominis ſunt, iudicium, ac voluntatem propriam Dei mandato præferentis.

[d] q. 33.

verſ. 9.

XXXVIII. *Samuel reprehenſionem parat.*

HIC Samuel triſtem Regi nuncium allaturus, ſeducit hominem à turba, petitque ab eo vt bona eius cum venia liceat ad eum referre, quæ contra eum locutus ſit Dominus, quod pertinet ad debitam regiæ maieſtati venerationem; Nec alia Danieli [e] mens fuit cum Nabuchodonoſori ita præfatus eſt, *Domine mi, ſomnium his qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit.* idque confirmat illud *loquere* quod ſubdit Saul. Verum tota ſequens oratio ad ſeueritatem compoſita aliā expoſitionem probabiliorem facit. quæ eſt Lyrani, Abul. Vatab. Eman. Sa. vt velit Samuel dicere, Mitte has fabulas & excuſationes tuas, & audi me; non recta loqueris, ſine me loqui, quæ Deus ad me nocte hac de te locutus eſt. Sic etiam ſuperius, cum tantò minor eſſet obiurgandi occaſio, audiuit nihilominus à Samuele. *Stulte egiſti, nequaquam regnum tuum vltra conſurget, quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum; & præcepit ei vt eſſet dux ſuper populum ſuum.* Quæ ſine dubia aſperrima ſunt, & inuidioſiſſima regibus. Eam vero authoritatem præbebant Samueli aduerſus Saulem, ſenectus, vitæ ſanctitas, prophetia, paternus in ip-

[e] Dan. 4. v. 16.

c. 13. v. 13. 14

Eius authoritas.

Vide 3. Reg 21. 19. & c Iere. 22. 28

ſum amor, & regia dignitas illi collata, denique totius populi in eum veneratio. Poſtremo Prophetarum ex Dei mandato loquentium, & obiurgantium principes, ſeueriſſimas legimus voces, vt parentum in filios improbos, ac peruicaces; aut magiſtrorum in diſcipulos parum obſequentes.

Silente Saule, & Prophetam ad eloquendum diuinum oraculum inuitante, [a] *Nonne*, ait Samuel, *cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus* Iſrael *factus es, vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſrael*; Hoc eſt beneficium quod datum eſt humili, & de ſe familiáque ſua perquam modice ſentienti; & ab eo datum, qui *ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem*, vt ſedeat cum principibus, imo & ſuper principes populi ſui. Sequitur exprobratio aduerſus ingratum, inobſequentem & ſuperbum. *Et miſit te Dominus in viam* ſiue expeditionem, gallicè recte, *te commanda faire vn voyage*, & ait, *vade & interfice peccatores Amalec.* peccatorum nomine, quorum maior erat pars, omnes etiam innocentes, & paruuli cõprehenduntur; ſed iſti tam propter proprium originis peccatum, quam propter parentum peccata vitam amittebant, & illa ipſa iactura ſuos cruciabant parentes: quos apparet inſignibus flagitiis inquinatos, vt inſigniter, & quaſi extra modum atque ordinem cæterorum peccatores appellarentur: quorum ſcelera vltionem Domini de cœlo deuocarent, & eam vltionem, quæ vniuerſam regionem, cum cultoribus ſuis exſcinderet, ac deleret; *& pugnabis contra eos vſque ad internecionem eorum*: & ſcilicet omnium quæ ad eos pertinent.

[a] c. 9 v. 21.

XXXIX. *Exprobat beneficiũ.*

Peccatores Amalec.

Qvare *ergo*, inquit, *non audiſti vocem Domini, ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini.* Hic eſt reprehenſionis aculeus, hoc præcipuum accuſationis telum. Exprobrat ergo Samuel ingrato regi acceptum beneficium, qui pro regia dignitate homini abiecto & plebeio attributa, obedientiam benefactori ſuo, quam ei alioqui mille aliis titulis debebat, non præſtiterit; ſed auaritia, & importuna humanitate victus, tum nocentiſſimo regi pepercerit, tum ad prædam verſus fuerit cum populo ſuo: ſicque ſpolia non tam Amalecitarum, quam Dei ipſius, cui titulo anathematis ceſſerant, deprædando, in ſacrilegos ambo deprædatores, impioſque prædones verſi erant, eoq; maiores, quo maiora melioráq; deprædati fuerãt: vilioribus quibuſq rebus, pene in contumeliam eius conſumptis, qui omnia conſumi iuſſerat, ad explendam vltionem ſuam. Quin ne illa quidem fortaſſe conſumpſerant ad obediendum Deo, ſed quia ipſorum habendi cupiditas in eas res, vt pote viles reprobataſque, non exarſerat. Itaq; miſericordia in regem Agag, in ſacrilegum plagium verſa eſt, & prætextus ſacrificiorum, in rapinam ac ſacrilegium.

XL. *Et accuſat prædã cõſeruatam.*

Vide ſupr. n 22.

His auditis Saul ne tum quidem culpam agnouit miſer, ſi forte hanc inueniret viam, & conſeruandi ſibi regni, & expediendæ ſalutis: ſed telum Propheticæ accuſationis, clypeo mendacis negationis repellere conatus eſt. Imo, inquit, *audiui vocem Domini*, ita ſane, ſed audiſti tantum, *& ambulaui in via per quam miſit me Dominus*, expeditionem in Amalecitas ſuſcepi iuſſus; recte hoc quidem. *Et adduxi Agag regem Amalec*, illuſtre ac luculentum victoriȩ monimentum, *Et Amalec interfeci*; At quis te iuſſerat regem huc adducere, & ſeruare? & non potius, Ioſue clariſſimi imperatoris exemplo, [a] pedibus conculcatum agere in malam crucem? hominem præ cæteris mortem commeritum; in quem maxime volebat Dominus belli furorem deſæuire; & quo plura habebat quæ perderet, plures ſubire animi corporiſque cruciatus. Non quia malorum omnium Hebræis author fuiſſet, vt ait Ioſephus, [b] neque enim vllum legimus aut Agagi, aut Amalecitarum recens facinus in Hebræos; Et Deus tam antiqua quam recentia aduerſum ſe Amalecitarum ſcelera vlciſcebatur, ſumpto quaſi prætextu, antiquo, aduerſus Hebræos ex Ægypto venientes, ſcelere, ad acuendos ipſorum animo, in diuina vltione de nefariis peccatoribus exigenda.

XLI. *Saul culpã auget negãdo.*

Agag an præ cæteris reus.

[a] c. 10. 24.

Ioſephus.

[b] l. 6. ant. c. 8.

Circa eundem autem regem Ioſephus non videtur vacare culpa; inducit enim Saulem dicentem Prophetæ, ſe illum vnum ſeruaſſe, præterea neminem, adduxiſſéque, vt quid circa eum facto opus eſſet inter ſe decernerent: Verum etſi id à Saule dici potuit, ad leniendum & conciliandum ſibi Samuelem, quem in cauſa de regis vnius capite iudicem ſedere voluerit; nullum tamen dat eius rei Scriptura veſtigium. Quin & falſum id erat; Nam vt ait Abulenſis, [c] & ſupra

συμβουλεύσαι περὶ αὐτοῦ ἐβούλετο (?)

XLII. *Circa regẽ arguitur.*

[c] 24. circa textum.

explicatum eſt, vel ad gloriam ſuam eum ſeruauit, vel ex peruerſa potius, & in authorem ſuum pernicioſa, miſericordia, vt ſaltem viueret, qui ſceptrum, qui diadema, qui purpuram; qui vxores & concubinas, qui currus & equites, qui palatia & ciuitates, qui denique omnia perdidiſſet. Neque fas erat Saulem inter & Samuelem de Agago deliberari, quem decretoria ſupremi iudicis ſententia, morti, ſine vlla exceptione, aut conditione addixiſſet. Iterat deinde Saul geminam illam quam dixi excuſationem, cum ait & populum tuliſſe de præda, & ſacrificiorum cauſa tuliſſe.

XLIII. *Samuel eleuat ſacrificia præ obedientia.*

Ad quam Samuel grauiter & ſeuere, *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini?* potuit Samuel excuſationem illam arguere falſitatis, & docere non ſacrificiorum diuinorum, ſed emolumenti proprii cauſa iſta ex hoſte retuliſſe, ſiue quia veſtes, aliáque tulerant, quæ vſui non erant ad ſacrificia; ſiue quia vix tantillam partem immolabant eorum, quæ detulerant: maluit tamen ea negatione diſſimulata, omiſſiſque coniecturis, ipſam rei excutere qualitatem, doceréque ne ſacrificiorum quidem cauſa, diuinum præceptum violari oportuiſſe; nec potuiſſe hoc facinus, bono illo opere, ſi tamen bono, compenſari; neque enim talia ſacrificia Deo gratia eſſe. Quæ Ioſephus non inepte ſic illuſtrat. [a] Ad hoc Propheta reſpondit, *Non ſacrificiis delectari Deum, ſed viris bonis ac iuſtis: hos autem eſſe, qui voluntati, & mandatis eius obſequuntur, nihilque à ſe rectè fieri putant, niſi quod iuxta eius præcepta fiat: contemptum enim eius conſiſtere non in non ſacrificando, ſed in non obediendo.* Et qui non obediunt, vnicumque hoc & verum ſacrificium non offerunt, ab his Deum nec multas ſaginatas victimas, nec donaria ex auro, argentóue fabricata, vel poſtulare, vel admittere: ſed aduerſari hæc, vt malitiæ magis quam pietatis argumenta. Contra qui id ſolum meminerunt quod ab ipſo iuſſum eſt, & mori mallent, quam inde diſcedere, his delectari; ac ne victimas quidem ab his requirere. Quod ſi aliquid ſacrificare libuerit, etiam vilia pauperum munera, libentius amplecti, quam pretioſa dona potentiorum. ſic ille.

Ex Ioſepho. — a l.6.ant.c.8.

XLIV. *Quomodo id verum.*

Qvare autem mauult Dominus obediri ſibi? *Melior eſt enim obedientia quam victimæ, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Durus eſt hic ſermo, inquies, & quis eum poteſt audire? nonne præſtantiſſimus religionis actus, qui in ſacrificio conſiſtit, obedientiæ, quæ ad iuſtitiam pertinet, antecellit? Dicendum eſt primùm obedientiam meliorem eſſe victimis, ſi per ſe ambo conſiderentur, nã obedientia, qua ſuperiori paretur, virtus eſt, & natura ſua cenſetur in bonis: occidere autem animalia, eaque vel integra, vel dimidiata flammis conſumere, natura ſua non plus habent bonitatis ait Abul. [b] quam per agros lapides ſpargere; itaque non ſolum obedientia, ſed minima omnium virtutum illi lanienæ antecedit, ſi à Dei illam præcipientis mandato, atque acceptatione diſceſſeris, vt fert ipſe textus, qui nullam Dei mentionem facit. Imo neque poſſunt in ratione bonitatis conferri, cum in vtraque non ſit bonitas ſed in altera tantum; ſicut nix coruo candidior dici non poteſt, neque glacies frigidior igne, aut ſol lapide illuſtrior.

b in exp. tex

XLV. *Melius Sauli obedire quam ſacrificare.*

Dicendvm pręterea melius fuiſſe Sauli, totique populo eius obedire Deo, quam illi offerre victimas, nam cædes animalium & oblatio, quæ Deo fit contra voluntatem eius, non eſt ſacrificium, ſed ſacrilegium. Debet quippe ſacrificium fieri, de re licita, & non prohibita, vel iniuſta; nam huiuſmodi hoſtias deteſtari ſe Dominus atque execrari profitetur, [c] eáque etiam parricidio exæquat. Cum ergo Dominus in Amalecitas, & omnia quæ ipſorum fuerant, dixiſſet anathema, ipſorum pecudes in ſacrificiũ auerſabatur, non ſecus ac carnes canum, ſuum, aſinorum; addixerat enim eas volucribus & feris, non altari ſuo; quid mirum ſi ea nolit Dominus, & tali ſacrificio præſtet obedientia, quod ne ſacrificii quidẽ mereretur nomen, ſed ſacrilegii, cuius actus eſt, non religionis. Non ſolum ergo melius erat Sauli obedire Deo quam ſacrificare, ſed ei, nominatim præſertim præcipienti, Deo obedire bonum erat, ſacrificare autem, malum, & illegitimum. *Quidquid melius eſt,* ait S. Greg. *bono vtique melius eſt; illa autem holocauſta & victimæ, quas non vult Deus bona minime ſunt.* Quid eſt ergo quod in laudem obedientiæ

c Malach.1. Eſa.1.& 66. Eccli.34.23. 24.

dicitur melior eſt obedientia quam victimæ: niſi quia tunc obedientia melior eſt cum holocauſtum & victima mala non eſt.

Ari 8 ethic.

XLVI. *Vtra virtus præſtātior.*

DICENDVM eſt ergo tertiò, ſi obiecta, duarum virtutum iſtarum, obedientiæ videlicet, ac religionis conſiderentur, obedientiam ſacrificiis iſtis antecedere, *quia per victimas*, ait Grego.[a] *aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur.* ratio tamen ipſa & forma virtutis religionis, quæ propius attingit Deum quàm obedientia, eam reddit præſtantiorem.

a 35. Moral. c. 10.

An inobedientia æquetur idololatriæ.

At durum quoque videtur inobedientiam æquare idololatriæ, & diuinationi, quæ damnatis artibus exercetur à magis, & ariolis: cum fides & religio, obediētiam dignitate longe ſuperent, & optimi actus, habituſque virtutum, maximis peccatis, vitiiſque opponantur. Verum non ſine cauſa vtroque in membro additur particula *quaſi*, quæ in hebræo & græco ſubintelligitur, in chaldæo autem paraphraſte, & editione vulgata exprimitur, vt non æqualitas criminum, ſed ſimilitudo monſtretur. Similis enim fit idololatriæ inobedientia, quæ dum diuinum præceptum ſtudioſè diminuit, commutat, inuertit, Deum imprudentiæ, aut iniuſtitiæ tacitus arguit. Deo autem prudentiam tollere, vel iuſtitiam nonne infidelitas ac blaſphemia eſt.

b lib 6 c. 1. in 1 Reg.

XLVII. *Ex magno Gregorio.*

ADDO elegantem magni Gregorii expoſitionem. [b] *Quidnam eſt*, inquit, *quod ariolis, & idololatris, repugnantes, & acquieſcere nolentes à Propheta ſimilantur*, ſic enim legendū eſt, non ſimulantur, & alludit ad illud *quaſi* quod diximus, *niſi quia arioli diuina cognoſcere atque abſconſa diuinare nitebantur. Idololatræ autem figmentis ſe venerando ſubdedere. Qui autem repugnant prælatorum imperiis, ideo vtique repugnant, quia diuinam voluntatem melius ſe ſcire exiſtimant.* Quaſi ergo peccatum ariolandi eſt repugnare, quia contempto diuino altari, ad aras dæmonum reſponſa percipiunt, dum cordis ſui præſtigioſis, ac ſuperbis adinuentionibus credunt, & ſalubribus prælatorum conſiliis contraria ſentiendo refragantur. Nolle autem acquieſcere idololatriæ ſceleri ſimile dicitur, quia nimirum in ſuæ inobedientiæ obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum in corde quaſi idolum non geſtaret. Dum enim agenda in corde concipit, quaſi idolum facit; & dum conceptum mentis propoſitum ſe acturum deliberat, quaſi ad adorandum ſimulachrum ſe inclinat. Ita S. Gregor.

male in textu eſt, obedientię

XLVIII. *Duplex obedientia.*

CVM autem obedientia, ſicut & iuſtitia duplex ſit, altera generalis, quæ & legalis dicitur, quod ſit totius legis obſeruatio, & in quolibet opere bono reperitur; altera particularis, cum præcipienti præpoſito obtemperatur, & huic proprie dicta inobedientia repugnat; quæ hoc culpabilior eſt quo maior eſt prælatus cui reſiſtitur, & vilior qui reſiſtit: ſicut vice verſa eo laudabilior eſt obedientia, quo minor eſt qui præcipit, & maior qui obtemperat. Saul itaque qui ſingulari cuidam Dei præcepto, ad ſe per ſanctiſſimum Prophetam delato, non obediuit, magni vtique ſe Dei contemptus reum fecit, præſertim cum dubitare non poſſet eam iuſſionem eſſe diuinam. [c] *Cognouit enim vniuerſus Iſrael à Dan vſq; Berſabee, quod Samuel eſſet fidelis Propheta Domini.* Quin & ipſemet Saul eo die quo priuatim inunctus eſt, tribus ſignis in ſua ipſius cauſa, edoctus didicit Samuelē ſpiritu Prophetico afflari, & certiſſimum Dei interpretem agere. Eam autem auxit quando ab illo ipſo monitus non acquieuit, culpamue agnouit, ſed variis tergiuerſationibus vſus, Prophetæ fucum facere conatus eſt.

Quam grauis Saulis inobed.

c c. 3. v. 20.

XLIX. *Congrua eius pœnæ.*

IVSTAM porro huius ſceleris pœnam, & congruam cum culpa proportionē ſubiungit Samuel, *Pro eo*, inquit, *quod abieciſti ſermonem Domini, abiecit te Dominus ne ſis Rex.* Abiectio enim abiectioni reſpondet, & humana ſuperbia diuinæ deiectioni: & rectum eſt vt qui Deo non obtemperat, ei ab hominibus non obediatur; & qui ſe Deo exæquat, imo prudentiorem facit, dum eius mandata corrigit, cæteris hominibus, de regio culmine depoſitus, exæquetur. Dignus qui tanto infra homines deiiciatur, quantum ſeipſum extulit etiam ſupra ipſum Deum. *Quantum*, inquit Gregor. [d] *timeri debeat inobedientiæ culpa oſtenditur, ſi hoc attente conſideretur, quia propter hanc etiam reges deponuntur.* Sed & pontifices; ne in alterutro ſupremę dignitatis gradu, exempla diuinæ in vicarios ſuos animaduerſionis deeſſent. Nam cum Heli iudex & pontifex, eiuſq; familia exauctoraretur, dictū eſt illi,[e] *Quicunq; glorificauerit me glorificabo eum; qui autem contemnunt me erunt ignobiles.*

d l. 6. c. 1. expoſ. in 1. Reg.

e 1. Reg. c. 2. v. 30.

L. *An ſtatim deſierit eſſe rex.* — Tom. 1.

QVÆRAT aliquis an ex hoc ipſo temporis puncto quo Samuel dixit Sauli, *abiecit te Dominus ne ſis Rex*, deſierit Saul eſſe Rex. Id ſignificat haud obſcurè Chryſoſtomus, in homilia de Dauid & Goliath, qui Saulem opinione potius, & ad externam ſpeciem regem fuiſſe ait, quam reipſa, & legitimo iure. *Regnat*, inquit, *Dauid ſanctiſſimus, ſed latenter, Saul reprobus efficitur euidenter, hic iam rex eſt, ille putatur, hic iam obtinet, ille tantummodo dicitur; hic occultam poſſidet dignitatem, ille habet publicam regni imaginem.* Sic ipſe, ſed hæc de eo dicuntur tempore, quo iam Dauid inunctus erat in regem, quod poſtea contigit: & cum inunctio ius in regnum tradat, non poſſunt duo idem ius habere in ſolidum. De pręſenti autem tempore de quo mota eſt iſta quæſtio, ita ſtatuendum videtur. *Amiſiſſe ius regni.* Primum tam leges, quam iudicũ ſententias ex vi verborum eſſe interpretandas; & cum res dubia eſt, in mitiorem potius quam ſeueriorem partem, pro reo videlicet potius, quam contra reum eſſe accipiendas; id enim requirit humanitas, charitaſque naturalis. Cum ergo his verbis aperte declaretur à ſupremo omnium iudice Deo contra Saulem lata ſententia priuationis regni, hoc ipſo ſine dubio regnum perdidit. Non enim ait Samuel, eum abiectum iri à Domino, ſed abiectũ eſſe, & illud *ne ſis rex*, ad præſens tempus omnino pertinet; ideoque Septuag. vertunt verbo præſenti [illegible]. & hoc diſtat hæc ſententia à ſuperiore [a] quæ futurum reſpicit, *nequaquam regnum tuum vltra conſurget.* 5. — a 1. Reg. 13. 14.

LI. *Non poſſeſſionem.* 1. — 5. x.

STATVENDVM ſecundò Saulem regni poſſeſſionem deinceps ſine culpa tenere potuiſſe, Primum quia nullus alius rex erat à Deo, vel repub. in eius locum ſuffectus: & qui poſtea ſuffectus eſt Dauid, intellexit non niſi poſt mortem Saulis ſibi regni poſſeſſionem adeundam eſſe. idque illa Dauidis verba ſignificant, [b] *viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eũ, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium deſcendens perierit; propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in Chriſtum Domini.* Quin etiam Saul & Ionathas idipſum intellexerunt. teſtis ea Ionathæ vox ad Dauidem, [c] *Ne timeas, neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael; & ego ero tibi ſecundus; ſed & Saul pater meus ſcit hoc.* Hæc ibi. — b 1 Reg. 26 10. — c 1 Reg 23 17.

2. *Non tenebatur ſe eo ſpoliare.*

Potuit ſecundo regnum deinceps retinere, Quoniam nulla lege iuréue tenebatur ſeipſum ſpoliare ſuo regno, ſed Dei erat, qui eum regem conſtituerat, eum per ſe, ſuoſue adminiſtros, vel ſatellites, reipſa regno & vita priuare, vt dicebat Dauid. [d] Nam contra rationem & naturam eſt, vt aliquis obligetur ſua actione ſibi pœnam inferre: pœna enim ad vim coërcentem & cogentem pertinet, eſt autem contra rationem coacti & violenti, vt patiens ad id ſua actione concurrat. vt docet Ariſtoteles. [e] D. Thom. aliique paſſim. — d eod. c. 26 10. — 12. Ethic.

LII. *Et conueniens fuit retinere ab eo poſſeſſionem.* — e l. 6. ant. c. 8. — f in c. 16. 1. Reg.

DENIQVE hæc videtur fuiſſe mens Ioſephi, [f] cum Samuelem ita loquentem inducit. *Qua propter expectabis amiſsionem regni, & huius poteſtatis, qua elatus contra autorem tuæ fælicitatis mandata eius n. glexiſti.* Lyranus quoque [g] ait Deum non inunxiſſe Dauidem, vt ſtatim poſſideret regnum, ſed tempore à Deo conſtituto, qui voluit tolerare Saulē in poſſeſſione regni, vſque ad mortem ipſius; vt ex eius in Dauidem perſecutione, tum Saulis malitia declararetur, tum Dauidis innocentia, atque patientia probaretur. Eadem eſt Abulenſis [g] ſententia; Et apparet Saulem non ſtatim reipſa abiectum fuiſſe, ac regno pulſum; quia id humano more, quo Deus negotia hominum dirigit, ac diſpenſat, fieri non poterat ſine grauiſſimis turbis, ciuili bello, cædibus multorum: cum Saul exercitum in poteſtate haberet, & quidem vel ob præcedentes victorias, vel ob præſentem prædam permiſſam, ſibi vehementer addictum Et cui nequaquam perſuaderetur huiuſmodi ex culpa, quam vulgus mortalium in laude humanitatis, ac prudentię, potius quā in vitio poneret, egregium principem, ac fortiſſimũ bellatorē, & eximiorum principum, & Ionathæ in primis parentē, regno abdicandum eſſe. — g q. 27. in c. 15. 1. Reg — *Communi bono.*

LIII. *Et in exemplum.* — h q. 27. cit.

NOXIA præterea futura erat hæc abdicatio populis in poſterum, neque vtilis ipſi naudi. Nam, vt notauit Abulenſis, [h] ſi propter hanc culpam de ſolio ſuo Saul populi miniſterio deturbatus fuiſſet, tam hebræis, quan. populis Chriſtianis datum eſſet exemplum inſurgendi in reges ſuos, & contemptim eos, non pro veris ac grauibus tantũ criminibus, ſed leuibus etiam, ac cōmentitiis exautorandi, cum grauiſſimis multorum damnis, & ingenti perturbatione Reipub. Aditus quippe tyrannis aperiretur, aut anarchiæ quæ audaciſſimis ſceleribus viā munit,

ac præbet impunitatem. Aſſueſcerent etiam reges parum honorifice tractare, parumque ſe eis præbere obſequentes, qui intelligerent ſe eos facile poſſe de gradu deiicere, prætextu melioris alicuius in bonum commune ſubſtituendi. Cum tamen bonum commune huiuſmodi mutationes reſpuat. Nam, vt recte vidit Ariſtoteles, ac poſt eum S. Thomas, conſtat errata quædam eſſe toleranda, *& legumlatorum, & magiſtratuum: non enim tantum proderit qui corrigere perget, quantum nocebit aſſuefactio ſuperioribus non parendi* ſic Ariſt. (l 1 pol.c.6. ſi 1.2 q 97. a. 2.)

LIV. (1 in bonū Dauidis.) ADDE quod Dauid, quem Deus regno deſtinauerat, adoleſcentulus adhuc erat, & contemptus, [a] qui neque aulam vnquam, neque caſtra viderat, belli paciſque artium inſolens; populo ſuo neque carus adhuc, neque cognitus; quæ ad bonam, ac tranquillam Regni adminiſtrationem plane requiruntur; in eo præſertim qui ad gubernationem imperii non ſucceſſione, ſed electione, acceſſurus ſit. Aliquot ergo anni Dauidi erant neceſſarii, vt imperii, rectæque gubernationis artibus inſtrueretur, vt populum & cognoſceret ipſe, & ab eo viciſſim cognoſceretur, vt ſe illi egregiis facinoribus commendabilem redderet. Nam etiā Saul, quo non erat melior in toto populo, neque ad ſpeciem ac venerationem præſtantior, ante victoriam tamen Ammoniticam audiuit, [b] *Num ſaluare nos poterit iſte?* &, *num regnabit Saul ſuper nos?* Quid ergo futurum erat Dauidi, quē oportuit à Deo, etiam apud Prophetam Samuelem, excuſari. [c] *Ne reſpicias*, inquit, *vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico.* At deiecto Goliatho, & afflictis ſæpius aduerſariis, populóque rerum gerendarum prudentia, & fœlicitate ſibi conciliato, omnes ſe illi vltro ſubiecere. [d] Interim autem regni curator erat neceſſarius, quo munere nemo rectius fungi poterat, eo qui iam annos aliquot regnum ipſum fœliciter, & quaſi patrimonium ſuum ſtudioſe, fideliterque adminiſtrarat. (Saul deinceps ſit Regni curator)

(a vide Abu. q.5 in c 16 1 R g & 2 Saul.9 u.11. — b 1 Reg 10. 27.c.11.v.12 — c 1.Reg.16 7. — d 2. Reg.5. 4.)

LV. (Quantam iacturam nunc fecerit Saul.) QVANTAM autem iacturam fecerit Saul in hac abiectione, ſiue abdicatione ſua, ex aliquot capitibus intelligi poteſt. [e] Primum quod pro rege, regni curator atque adminiſtrator factus eſt; nec Dei vicarius vt ante, ſed Dauidis recte appellari potuit, donec is ad idoneam regno perueniſſet ætatem, idq; non diu, ſed ad decem circiter annos. (1. ſibi) Secundum quod idem regnū filiis ſuis perdidit, qui eo facto rege, ius in regnum acquiſierant & illud diutiſſime poſſeſſuri erant iuxta illud, [f] *Iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternū.* (2. & ſuis.) Tertio quod deinceps perpetuo in Dauidem æmulum zelo atque inuidia tabeſcebat, eoque maiore quod ſuos illi fauere, atque adeo ipſummet Ionathā [g] hæredem regni ac ſucceſſorē, intelligebat, itaq; priſtinā animi pacem ac ſerenitatē perdidit. (3. Factus inuidus.) Quarto quod priuatus eſt ſpiritu fortitudinis qui in ipſū inſiluerat in ſuſcipiendo bello Ammonitico, [h] eumq; in omnibus expeditionibus comitabatur, adeo vt quocumq; ſe verteret ſuperaret: cuius in locum ſucceſſit, ſtupor ac timiditas, qualem illa verba teſtantur. [i] *Audiens autem Saul & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi ſtupebāt & metuebant nimis.* & illa rurſum, [k] *Vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, & expauit cor eius nimis.* (4. Factus imbellis.) Quinto quod loco ſpiritus Prophetici quo donatus fuerat, [l] illo ipſo die, quo primum à Samuele vnctus eſt: à maligno ſpiritu vexari cœpit, morbo aut calamitate in rege probroſiſſima, cum ea vultus, vocis, ac geſtuum deformitate quam in arreptitiis exhorreſcimus (5. Et arreptitius.)

(e vid Abul q 26.in c.15 1.Reg — f 1 Reg.c.13 13. — g 1.Reg.22 8. — h ca.11 6. — i c.17 11. — k c. 28 5. — l c.10.6.)

LVI. (Agnoſcit culpam.) AVDIENS Saul triſtiſſimam illā Samuelis vocē. *Abiecit te Dominus ne ſis rex.* timore cōcuſſus, dixit ad illū. *Peccaui, quia præuaricatus ſū ſermonē Domini: & verba tua, timens populū, & obediens voci eorum.* Ita Saul poſtquā intellexit peccatum ſuū eſſe longe opinione ſua maius, ſiue ex natura ipſius, ſiue ex cōparatione cū grauiſſimis peccatis, ſiue ex pœna, quæ illi eſſet annexa. Sic quōdam Adamus ex pœna mortis ſibi, totiq; poſteritati propter inobedientiā in eſu pomi impoſita, grauitatē ſui ſceleris tandē agnouit. Niſi forte ante, ſicut Eua dubitauit, eſſet ne tantū illa cōminatio, an reuera lata ſententia, nunquam antiquanda. Quæ fuit fortaſſis hoc tēpore Saulis cogitatio, eo quod in priore culpa his ſimilia, a Samuele intellexiſſet [m] fuiſſetque nihilominus ab eo tempore non ſolum rex in populo ſuo, ſed aliarum etiam gentium victor, atq; triumphator. (m 1.Reg.13. 13.)

LVII. (An ex vero & legitimo dolore.) DVBIA itaq; eſt hęc ſemel, iterū, 3. repetita peccati confeſſio, verane fuerit & ex legitimo cordis dolore profecta, an ficta potius, proptereaq; irrita, nec digna quę audiret à propheta, *tranſtulit Dominus peccatū tuū, nō morieris.* Nimirū non igemuit in

corde ſuo, offenſum à ſe, tam bonum erga ſe, tamque beneficium parentem, eiuſque amori & charitati viliſſimam ſe vtilitatem antetuliſſe: ſed timuit duntaxat pœnam. Ideoque pergit deriuare culpam in populum, à quo videlicet timore in conſtantem virum cadente eſſet affectus, timuiſſetque ne ille in ſeditionem verſus eum deſereret, aut interficeret, efferatus. Verum is timor aut falſus fuit, aut iniuſtus, certè inanis fuit. Rebus enim diuinitus æſtimatis, ſperare potuit ac debuit, effecturum Deum populum ipſi obſequentem, hoc ipſo quod ipſe obſequeretur Deo, & timorem ac reuerentiam in illorum corda inſtillaturum, ne vel mutire auderent aduerſus ipſum. Quin etiam rem humana prudentia metiendo, confirmari animo poterat, & timorem propulſare: ſenſerat enim iamdudũ populum ſibi mirum in modum obtemperantem, etiam in re non minus ardua ac difficili, cum eius obſtrictus maledicto, quamuis fame, ſiti, pugna, curſu, omnique labore fatigatus, ieiunus tamen vſque ad veſperam conſtanter perſeuerauit.

Populi erga Saulẽ obedientia.

LVIII. *Aut potius timor humanus.*

Qvid ergo hanc Saulis confeſſionem expreſſit? [a] Timor pudoris & ignominiæ publicæ, ſi fortè Samuel, eum vti priuatim cœperat, coram ſenioribus populi argueret, quod ſtudioſius videbatur facturus, niſi eum hæc peccati confeſſio repreſſiſſet, ac mitiorem reddidiſſet. Quandiu enim accuſanti reſtitit, & excuſanda culpa tergiuerſatus eſt, eum ſenſit aſperiorem. Expreſſit etiam ſpes & deſiderium honoris, quem ex Samuelis ſocietate corã omnibus aſſequebatur, exiſtimantibus gratas acceptaſque Deo Saulis actiones, quę à ſancto Propheta hoc ipſo probari videbantur, quod illi adeſſe non recuſaret minimè autem adfuiſſet in negatione perſeueranti, qui etiam poſt confeſſionem vix illata vi retentus eſt, ac perſuaſus tantiſper cum rege ſubſiſtere. Sed timuit etiam vehemẽtius ne Samuel, quẽ ſciebat plurimum apud vniuerſum populum authoritate valere, eſſeque vbique in opinione iuſtiſſimæ ſanctitatis, populum ab ipſo auerteret, atque abduceret, ſi ad eum referret, Saulem à Deo abiectum eſſe, ac reprobatum ne eſſet rex: ſicque quo vno adminiſtro vſus fuerat Dominus ad regiam ei dignitatem conferendam, eodem ad ipſum abdicandum vteretur.

& ſpes. *& abdicationis metus.*

[a] Vide Abu q. 4. 29 in cap. 15 1. Reg.

LIX. *Vera pœnitentia ſuſtuliſſet culpã.*

Qvid ſi vera fuiſſet, inquies, legitimaque pœnitentia Saulis, [b] an Dominus antiquaturus erat decretum ſuum, latam ſententiam reſciſſurus, Dauidem in paſcuis, ſyluiſque relicturus, Sauli regni ius perditum redditurus? Reſpondebit Samuel. *Porro triumphator in Iſrael nõ parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam.* Inanis eſt ergo pœnitentia, neque vtilior vera, quam falſa. Minimè gentium: Nam falſa reatum auget, aut certè non minuit, vera ſi pœnam culpæ debitam non tollit, certè culpam diluit, ac reconciliat Deo. Itaque ſi Saulem vere atque ex animo admiſſi peccati pœnituiſſet, in diuinam quidem rurſus amicitiam receptus fuiſſet; & terreno priuatus imperio, potuiſſet ad ius cœleſtis dominij redintegrari: non tamen pœnis abſolui atque expediri, in quas peccando incidiſſet. Ita Moſes culpã ad aquas contradictionis admiſſam deleuit pœnitentia, ipſam autem pœnam excluſionis ab adeunda Chananitide non ſuſtulit. Et Dauid vero animi dolore adulterij culpam abſterſit, mortem tamen inde nati filij vitare non potuit.

non pœnã.

[b] Abul. q. 30. & Serar.

LX. *Quid ſit portare peccatum.*

Sed *nunc*, inquit Saul, *porta quæſo peccatum meum*, ſiue orando Dominum, vt mihi ignoſcat, & veniam impetrando precibus, & ſacrificiis tuis, vt ſolent ſacerdotes, ideoque dicebat Moſes Aaroni & filiis eius, datam ipſis hoſtiam pro peccato, *vt portetis*, inquit, [c] *iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conſpectu Domini*, ſiue potius tolerando ac diſſimulando coram populo, & ſe ita gerendo cum eo, quaſi integra eſſent omnia, nihilque in regni ſtatu turbatum eſſet aut commutatum. Quæ eſt Lyrani, & Abulenſis expoſitio, at priorem ſequitur magnus Gregorius & eam ſic illuſtrat. *Corrigibilia peccata portantur, quia poſtquam a delinquentis voluntate diſcedunt, purgari ſatisfactione ſalubriter poſſunt. Non autem portantur peccata eorum, in quorum mentibus per impœnitudinem inuiſcerata ſunt.* Vnde & Ioannes ait. *Eſt peccatum ad mortem, ne pro illo roget quis.* Peccatum quippe ad mortem eſt, quod ab eo committitur, qui reſipiſcere nunquam poteſt. Quod nimirum peccatum à præpoſitis non portatur, quia ſacerdotum orationibus, aut oblationibus non deletur. Saul autem per omnia ſuperbos obſtinatoſque deſignans, & tumere non ceſſat, & peccatum ſuum portari obſecrat: importabile onus congerit, & quaſi leue portari petit.

6. e 2.

[c] Leuit. 10. v. 17. ſic Exod. 28. v. 38.

Exitvs, t datæ egis egis .25.

Scissio Pallii Samvel.

LXI. *Samuel Saulis communionem aduerſatur.*

Cvm ergo Saul in priuato cum Samuele colloquio, mitigandi prophetæ cauſa culpam ſuam agnoſceret ac prædicaret, & tempus eſſet ad reliquum populi cætum, à quo ſeducti erant, reuertendi, *reuertere*, inquit, *mecum vt adorem Dominum*; timuit enim Saul ne ſi Samuel quaſi iratus deſerto rege aliorſum abiret, populus aliquid mali de Saule ſuſpicaretur: & ipſe præter decorum ſolus rediret ad ſuos. Et Samuel *non reuertar*, inquit, *tecum, quia proieciſti ſermonem Domini, & proiecit te Dominus ne ſis rex ſuper Iſrael.* Ingerit propheta, atque inculcat Sauli abdicationem eius, ſi quo modo is ſeriam ad pœnitentiam inflectatur. Non vult autem orare Dominum, neque adorare cum Saule, homine nominatim proiecto à Deo, & quodammodo excommunicato, ne præſentia ſua approbare, & cohoneſtare videatur impia, & ſacrilega peccatoris ſacrificia. Quamuis autem mox cum ipſo profectus ſit, non dicitur tamen oraſſe aut ſacrificaſſe cum ipſo, ſed tantum, *Adorauit Saul Dominum*, non autem, & adorauerunt Dominum: vt potius ad mactandum regem Agag Samuel profectus ſit cum Saule, quam ad communicandum prophanis eius ſacrificiis ac precibus: licet Ioſephus, [a] & eum ſecutus Comeſtor [b] dicant Samuelem hanc ei gratiam feciſſe, & vna cum illo adoratum iuiſſe.

l. 6. c. 9. l. 1. Reg. c. 14.

LXII. *Retinetur cum ſciſſura pallii.*

Repvdiata itaque communione orationis atque ſacrificii, *conuerſus eſt Samuel vt abiret in domum ſuam*, ex loco, in quo præcedēs colloquium ſeorſim à populo habitum eſt. fieri etiam poteſt vt propheta totum planè iter non expleuiſſet, Sauleilli obuiam honoris cauſa aliquantum procedente, cum is propinquaret Galgalis, ibique ſuperior ſermo confectus ſit, itaque illud, reuertere mecum, idem erit quod eſto mihi comes reuertenti ad locum ſacrificii. Quod facturum ſe negauit Samuel, & conuerſa facie ad propria redire parabat; cum Saul *apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt.* Vis hæc non tribuitur crimini Sauli contumelia enim caruit, fuitque ad ſpeciem externam eiuſmodi coactio, qualis inter familiariſſimos contingit. *Ille vero*, inquit Ioſephus [c] *qui præuidebat Deum nulli flectendum victima, abire incæpit. Tum Saul retinere eum volens, iniecit manum in pallium; & quia Samuel properantius diſcedebat, ſciſſura facta eſt in veſtimento, vnde propheta quaſi omen futuræ in regno ſciſſionis accepit*, vt mox dicetur.

l. 6. v. 8 & 9.

LXIII. *In qua nugantur Hebræi.*

Hebræi autem qui vndique veriſimilitudines ſtudioſe captant ad probanda ſomnia ſua, aiunt Samuelem in hac ſciſſione pallii Sauli ſignum dediſſe illum regnaturum pro eo, qui abſcinderet oram clamydis eius; ideoque cum id à Dauide factum eſſet, vt infra [d] habetur, addidiſſe Saulem, *nunc ſcio quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum* Iſrael. verum id non immerito fictitium ſentit Abulenſis, [e] quia ante illud tempus id certo ſciebat Saul & Ionathas filius eius, vt ex precedenti capite conſtat; neque probare poſſunt illud Dauidis factum hoc tempore notum aut reuelatum fuiſſe Samueli. Nec tamen inepte excogitatum eſt; & niti aliquo modo poteſt illis verbis, quæ hic ſubdit Samuel, *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie & tradidit illud proximo tuo meliori te*; vbi non tantum amiſſionem regni Sauli denunciat, ſed alterius etiam promotionem in regnum. Intelligitur autem illa ſciſſio, hunc in modum, vt videlicet Saul & familia eius, eſſet quaſi particula regni Iſraelitici, ab illo diſtracta, ac per vim diuulſa, in violenta morte Saulis, & filiorum eius.

apud Lyran.

d v. 21. c. 24.

e q. 26 inc. 24.

Ga. 23 17.

LXIV. *Sciſsio ceſſit in ſignū.*

Volvit porro Dominus hanc ſciſſionem pallii, quæ caſu contigit, non ratione Dei, ſed Saulis, eſſe ſignum ſciſſionis familiæ regiæ, à toto regno, quod alioqui remanebat integrum. voluit & accipi à Samuele ac prædici, vt ſignum illius ſciſſionis, & fere inſignes iſtiuſmodi regnorum mutationes, ſignis aliquibus in ſacris literis prænunciatæ ac præmonſtratæ reperiuntur: ſicut & tempore Salomonis [f] voluit diſcindi ab Ahia Silonite propheta pallium ſuum in 12. partes, ſumique in ſignum 12. tribuum diuidendarum inter ſe, & diſtrahendarum in duo regna. Sic & Nabuchodonoſoris regis aduentum, ſub ſpecie ollę ſuccenſæ, cuius flamma conuerſa eſſet in Hieruſalem, præuideri voluit à Ieremia, ac prænunciari: iſtis enim ſignis res clarius repræſentantur, mentique infiguntur. Sciſſio autem à Saule facta eſt in alieno pallio, ad ſignificandum datam eſſe à Saule cauſam diuiſionis regni, quod iam ſuum non erat, ſed ad alium pertinebat. Eodemque referuntur ingentia illa ſigna, portentáque

f 3. Reg. c. 11. 29.

g Ierem. 1. v. 17. vide Abul. q 31 in fi. & q. 32. in c. 15. l. 1. Reg.

mundi pereuntis, iudiciſque venturi, quæ Dominus ipſe in Euangelio prænunciauit. Eodemque cometas pleriqueno iniuria referunt, qualem ſuperiore anno ſpectauimus, [a] maximos bellorum motus, circa noui Imperatoris electionem, & turbas quibus hoc anno Germania tota contremuit, quaſi intento digito præmonſtrantem. *a an. Chriſt. 1618.*

LXV. *Prædicitur regi i tranſlatio in Dauidem.* DICITVR autem Dominus ſcidiſſe hodie regnum Saulis, quamuis vndecim adhuc annos regnauerit, quia hodie contra eum lata eſt à Propheta ſententia, per eàmque ius regis amiſit, & in regni Curatorem aut Tutorem verſus eſt, vt ſupra declarauimus. [b] dicitur tradidiſſe, quod paulo poſt traditurus erat, præteritum, Prophetarum more, pro futuro vſurpando, ad rei certitudinem demonſtrandam: & tradidiſſe proximo eius, iuncta enim erat tribus Beniamin tribui Iuda, & Gabaa Beniamin, quæ erat patria Saulis, vix ſex horarum itinere, ſi Adrichomio credimus, à Bethlehem Iuda diſtabat, vbi natus eſt Dauid, qui hic dicitur regnum Sauli ſublatum accepturus. Quod denique dicitur datum iri meliori, nihil ad eius, ſed ad Samuelis conſolationem facit. *Cur enim*, ait S. Gregor. *protecti perſona plangitur, cum melior ſubrogatur?* Non expreſſit autem Samuel nomen Dauidis, quod id nondum diuinitus didiciſſet, neque aliunde ſcire poſſet rem omnibus mortalibus, atque ad eo illi ipſi qui inungendus erat, ignotam: idque prima Dauidis inunctio, quæ cap. ſequenti deſcribitur, aperte declarat. Et quamuis res illi fuiſſet exploratiſſima, non fuiſſet tamen eius prudentiæ, neque diuinæ voluntatis, vt res pateſieret, ne in ipſum familiamque eius capitale Saulis odium, tanquam in regni æmulum præmaturè excitaretur; eiuſue gladius ante definitum à Deo tempus, ſtringeretur in Dauidem. *b n. 50. & ſe.* *in tabel. Beniamin.* *cur non nominatim.*

LXVI. *Cum immutabili certitudine.* PORRO certitudo immutabilis diuinæ ſententiæ contra Saulem conſequenter confirmatur his verbis. *Porro triumphator in Iſrael* 7. *non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt vt agat pœnitentiam.* Videtur Samuel obiter ſugillare arcum triumphalem Saulis, & tacite innuere trophæum Domino Deo exercituum, à quo eſt omnis victoria, & triumphus, ſtatuendum fuiſſe. [c] Neq; vero contrarius eſt ſibi Dominus, cum per alium Prophetam dicit, acturum ſe pœnitentiam ſuper malo quod locutus erat contra peccatorem ſi is pœnitentiam egerit, vt hiſtoria Niniuitarum & Prophetia Ionæ abunde docent; quo etiam modo Ezechias rex, poſt latam contra ſe mortis ſententiam, lacrymis eam ſuis in annum decimũ quintum diſtulit. Ex euentis enim intelligitur huiuſmodi vaticinia fuiſſe comminatoria, eaque ex hominum mutatione pendere. Quæ autem Dominus apud ſe definiuit, ac ſtatuit, nulla habita ratione actionis humanæ ſubſequentis, illa immota ſunt, qualis fuit ſententia Domini de non admittendo Moyſe aut Aarone in Chananitidem, de non maledicendo Iſraelitis per Balaamum, quantocunque iſte conatu contra niteretur. Eiuſdem generis etiam fuit hæc Saulis condemnatio. ideóque Theodoretus [d] *vt autem doceret ineuitabilem eſſe Dei ſententiam, adiecit Propheta, Non conuertetur, neque pœnitentia ducitur ſanctus Iſrael; quoniam non eſt ſicut homo vt pœniteat eum. Hinc etiam intelligendum eſt illud, pœnitet me.* ſic ipſe. vide & Angelomum. Et quoniam nobis non conſtat cuiuſmodi ſint vaticinia; ideo donec id certo conſtet, poteſt homo in omnem euentum eniti, vt Deum ad miſericordiam flectat. *7. ex.* *c Abul. q. 35. in c. 15.* *Prædictiones comminatoriæ, & immutabiles.* *d q. 33.*

LXVII. *Vrget Saul Prophetam vt ſecum veniat.* IDQVE ad externam ſaltem ſpeciem, & ex humana prudentia à Saule factum apparet: inſtat enim humiliter, atque vrget Samuelem, vt cum ipſo veniat ad populi & optimatum conuentum, ſperans vaticinium Samuelis non fore decretum immutabile: & timens ne ſi id non faciat, eum populo quaſi proſcriptum à Deo, & omni iure, honoréque regio ſpoliatum, denunciare videatur. Ex quo rurſum intelligitur parum fuiſſe ſyncerum affectum hominis peccatum ſuum agnoſcentis, audi enim hominem, *Peccaui*, inquit, *ſed nunc honora me corã ſenioribus populi mei*, 8. *& coram Iſrael, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deũ tuum. Proijcit eum*, inquit Gregor. [e] *& cum eo reuertitur, quia in potentibus huius ſeculi, ſic eſt damnanda iniquitas, vt bonum quod habent exaſperati non perdant.* Samuel ergo veritus ne ſi afflicto regi nihil concederet, eum deſperatione fractum ageret in furorem; & ſtudioſum regni curatorem verteret in tyrannum, concedens aliquid de iure ſuo ſecutus eſt Saulem; diſſimulans præteritum omnem ſermonem priuatim habi- *8. ex.* *e l. 6. in 1. Reg. c. 26*

tum, *& adorauit Saul Dominum*, inclinato ſcilicet corpore ad altare, in quo fiebant ſacrificia. quod de Samuele non dicitur, qui ſciebat ingrata eſſe Domino iſta omnia Saulis ac populi ſacrificia, vt ſupra declaratum eſt.[a] *Nec fruſtra*

[a] n. 43. & ſeq. & nu. 61.

LXVIII. *Samueli ſiſtitur Agag.*

Samvel autem, *Adducite*, inquit, *ad me Agag regem Amalec*. Hæc in primis cauſa fuit Samueli veniendi cum Saule; ne is forte pudore retractandi promiſſam, vt apparet, regi vitam, immunem illum à ſupplicio, illi diuinitus decreto, redderet. Nihil autem reſiſtit, nihil excuſat, aut pro eo deprecatur Saul, ne cauſam ſuam faceret deteriorem; & domum ſuam procumbentem in ruinam, hoc nouo impulſu plane proſterneret. Deductus eſt ergo ad Samuelem *Agag pinguiſſimus & tremens*. Hebræi vocant virum deliciarum; id eſt delicioſum, in deliciis, & voluptatibus enutritum, quales ſolent eſſe homines præpingues, & diſtenti abdomine. Sed id epithetum Septuag. omiſerunt. tremorem autem hominis ad præſentem mortem toto corpore perhorreſcentis addiderunt, quos ſecutus eſt in vulgata Hieronymus. quibus rectius aſſentiemur quam rabinis qui vocem Hebræam quam vertunt cum deliciis, 9. explicant cum lætitia, & delectatione; quia elegerat potius mori, quam in ſeruitute viuere: ſed id quoque refellunt verba eius; & naturæ ſenſus ab huiuſmodi ſeparatione abhorrentis, in talibus præſertim viris, Vnde recte Siracides, [b] *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis*, & rurſum, *O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus &c.*

9. ex. מעדנת Magh Denoth.

Tremens.

[b] Eccli. 41. 1. 3.

LXIX. *Euſdem gemitus & cædes.*

Siccine ait Agag Orci victima iam iam futurus, *ſeparat amara mors*; vel vt alii, *vere venit amaritudo mortis*. Ioſephus *ô mortem amaram!* Septuag. ſi ſic amara mors: & conuenit huic tempori ac ſpectaculo, interrupta, animo linguente, oratio. Habuit ſcilicet in conſpectu atrox atque horribile mortis genus ad quod pertinere videtur illa ſeparationis mentio. Cui Samuel, *ſicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua* ſi nimirum adhuc viueret. Ioſephus *quemadmodum*, inquit, *tu multis Hebræorum matribus cæſis eorum filiis lamenta & luctum attuliſti, ita æquum eſt vt ipſe matri tuæ mæſtitiam afferat. Et in fruſtra concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis*, & forte eo delata fuerit Arca fœderis, ad ſolenne ſacrificium Regis & totius populi, pro obtenta de Amalecitis victoria. Hebræi habent diſſecuit, alii ſcindere fecit. Neque enim Samuel & ſenex, & Propheta, & in populo ſuo ſecundum regem facile princeps, tortorē egit. Sunt qui putent Agag in partes & mēbratim diſſecare ſolitū hebræos, ideóq; nunc diuino iudicio eadē morte punitum. Quod veriſimile facit particula ſimilitudinis, qua vſus eſt Propheta in morte illi denuncianda. Verum nihil abſurdi video dicere, membratim quidem illum fuiſſe diſſectum, ſed prima diuiſione caput illi amputatum.

LXX. *Abit Samuel.*

His peractis *abiit Samuel in Ramatha*, [c] vbi erat domus eius, *Saul vero aſcendit in domum ſuam in Gabaa* Beniamin. *Et non vidit Samuel vltra Saul vſque ad diem mortis ſuæ. Nec poſt illum diem vnquam*, ait Ioſephus, *in Prophetæ conſpectum venit*. Septuaginta vero, cum Hebræis explicatius habent, *& non addidit videre*, id eſt non inuiſit, non eum adiit, more ſolito conuerſans, & colloquens: etſi poſtea eum caſu, & obiter viderit. [d] Sicque explicant hunc locum Caiet. Vatablus, Sa. Torniel. Dionyſ. Serar. rectius vtique quam Lyranus vel Abul. Quid interim Propheta? *Lugebat Samuel Saulem. quoniam Dominum pænitebat quod conſtituiſſet eum regem ſuper Iſrael.* Lugebat Samuel, & animi dolore proſequebatur peccatum Saulis, & inde ortam reprobationem eius, & abdicationem à regno. Prouidebat enim ex eo multas in Repub. turbas; & bella ciuilia inter eum, & illum qui Sauli ſufficeretur, non ſine cauſa formidabat. Itaque multis lacrymis & precibus gratiam Deum inter & Saulem, redintegrare conabatur, ratus ſupereſſe adhuc aliquem veniæ locum, hoc ipſo quod nullus alius aſſumebatur in regem. [e]

[c] 1. Reg. c. 17.

[d] c. 19. v. 24 c.

Et luget ſpe veniæ regi obtinendæ.

[e] Abul q. 2. in c. 15. & 36. ibid.

LXXI. *Quamuis pronunciato in eum immobili decreto.*

Sentio eruditum lectorem obiicere huic dubitationi Samuelis, illud eiuſdem Prophetæ vaticinium. *Porro triumphator in Iſrael non parcet, & pænitudine non flectetur.* quo declaratum eſt Sauli ratam eſſe atque definitam eius abdicationem, ideóque ſacrificia omnia pacifica, preceſque irritas fore. Non ergo Samuel, qui hæc ipſa nunciabat, in ancipiti adhuc verſabatur. Reſpondendum eſt cum Abulenſi, [f] non ſolum populum in quem Prophetæ vaticinantur, ignorare minaſne duntaxat ille nunciet, an certam fixamque ſententiam: Sed prophe-

[f] q. 35. & 36. in c. 15.

tam quoque ipſum id ſæpe numero ignorare. Ratam exponebat Daniel[a] ſententiam Domini de Nabuchodonoſore per ſeptennium extra regnum inter feras victuro, & tamen tanquam in re dubia dicebat Regi, *peccata tua eleemoſynis redime, forſitan ignoſcet delictis tuis.* Iohel quoque[b] cum enunciaret aduentum Aſſyriorum in ruinam regni Iſraelitarum, inuitat populum ad pœnitentiam, & addit; *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat.* Sic Dominus pro reatu populi voluit conterere Aaronem, & delere populum,[c] Moyſes autem ignorans quem habitura eſſet exitum ira Domini: eius placandi cauſa contriuit vitulum, plurimos interfecit, totum populum depoſito ornatu in luctu diuturno eſſe voluit, donec vix denique poſt alteros 40. dies placato Domino intellexit, ſententiam reuocari, ac reſcindi potuiſſe.[d]

a Dan. 4. 24.
b Ioel 2. & 3.
c Exod. 32. & 33.
d vide 2. m. 2544. n. 55.

LXXII. *Id quæ ignoráter, quod declaratur.*

EODEM modo Samuel, quamuis definitam contra Saulem protuliſſet ſententiam, an definita tamen eſſet, niſi reuelante Domino ſcire non potuit, ideoque pro ea reuocanda potuit ſine culpa diuinam interpellare clementiam; poſtquam autem certo didicit actum eſſe de regno Saulis, Domino ipſum a luctu precibuſque reuocante, & affirmante ſe eum proieciſſe ne eſſet Rex; neque id ſolum, ſed etiam præcipiente, vt alium in regem inungeret, tum demum ceſſauit à precibus, ſicut Moſes cum intellexit definitum eſſe à Domino,[e] vt extra Chananitidem moreretur, à precibus ſuper ea re prorſus abſtinuit. Sicut autem non propterea ceſſauit gemere, ac plangere apud populum caſum ſuum;[f] Sic nec Samuel lugere Saulis caſum, ex affectu miſericordiæ, quo intimè tangebatur: neque hunc luctum prohibuit Dominus, ſed orationes quæ contra immobile decretum de mutando rege nitebantur. Potuit autem etiam deinceps orare vehementius, vt Deus illi ſenſum veri, ac legitimi doloris de peccatis ſuis largiretur: vt ne in æternum periret, vt vult Lyranus: neque enim ſciebat quo tandem in ſtatu ille moriturus eſſet.

e Deut. 3. 26.
f Deu. 1. 37. c. 4. v. 21. 22.

LXXIII. *Diuturnitas luctus Samuelis.*

DIVTVRNVM autem fuiſſe hunc luctum, tum verbum illud *lugebat*, tum maximè initium ſequentis capitis ſignificat, vbi Dominus Samuelem à luctu reuocat, dicens,[g] *vſquequo tu luges Saul?* vt propterea reliquum hunc annum ei tribuere poſſimus, & primam Dauidis vnctionem in ſequentem reſeruare. Hunc ergo annum ſancti Gregorii magni notatione concludamus. Notat enim hoc loco Samuelis erga Saulem tam iuſtitiæ zelum, quam charitatis affectum. Nam tanquam reprobum, & ab Eccleſiæ communione in perpetuum ſeparatum, vltra non vidit: eum tamen affectu charitatis lugere non ceſſauit. *Quo ergo affectu*, inquit, *doctorum ſubditorum peccata plangunt, qui pro proiectis reprobis plangere tam affectu ſe didicerunt?* Et mox. *Magnus ergo eſt affectus ſanctorum, etiam cum auſteritatem vindictæ exterius proferunt. Nam foris ſæuiunt, ſed intus per amorem liqueſcunt: More matrum paruulos verberant, ſed affectu gemunt cum paruulis, quos caſtigant.* 10.

ἐπένθει 70.
g 1. Re. 16. 1.
10. ℞

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2968.

1. N. IX. Reprehendit Saulem Theodoretus, quod cum is anathema cöieciſſet in populum, ne quid cibi attingeret, & violatorem morte afficere voluerit, ipſe diuinum anathema cötra Amalecitas pronunciatum grandi rapina violauerit. Verba eius hæc ſunt ex regiis mſſ. Καὶ αὐτὸς μὲν ἀναθεματίσας μηδένα γεύσασθαι κατέλαβεν ἢ πόνου, τὸν ἐξ ἀγνοίας παραβάντα τὸν ὅρον ἀνελεῖν ἠβουλήθη. τῷ δὲ Θεῷ τὸν ὅλον τὸν Ἀμαλὴκ ἀναθεματίσαντος οὐ δέον τὴν εἰς αὐτὸν ἀσέβειαν, ἀλλὰ δέον τὴν περὶ τὸν λαὸν δυσμένειαν, οὐ σμικρὰ ἦττα, ἀλλὰ τὰ πλεῖστα τῶν ἀναθεμάτων ἔλαβε; ὁ δὲ τῷ Ἀχὰρ αὐτοῦ ἰσοῤῥοπον τὸ ὑπόδειγμα. Eadem fere leges apud Procopiũ, in notis in hunc librum. Cæterum non propriè præceptum illud Saulis, graui licet pœna ſancitum, dicitur anathema. Vide ſupra annum Saulis tertium.n.78.& ſeq.

2. N XX. Satis magna eſt in hebræis, græcis, latiniſque codicibus diuerſitas. Et in hebræo quidẽ tantum habetur, *Et pepercit Saul & populus Agag, & bonis pecoribus, & bobus, & pinguibus, & agnis, & omni quod erat bonum.* Quibus latina ſatis reſpondent, niſi quod pro *pinguibus*, habetur *veſtibus*. Nimirum hebræa vox ſignificat duplices, carnes ſcilicet, vt exponit R. Salom. ex quo factum, vt ad veſtes duplices, ſiue mutatorias expoſitio verteretur: radix enim eſt
ſcana שנה quod eſt mutare. Porro & pinguibus, & agnis per hendiadyn dictum eſt, pro agnis pinguibus, vt *maculis inſignis & albo*, id eſt albis maculis. Eodem autem veſtium nomine ſtragulæ veſtes, ſiue aulæa, & peripetaſmata lanea, linea, ſerica accipi poſſunt, vt apud Tul. *non explicata veſte, neque propoſito argento.*

Iam quod ad Græcos attinet libros, in iis conſtanter legimus ἐκ τῶν ἀγαθῶν τῶν ποιμνίων, ἐκ τῶν βουκολίων, ἐκ τῶν ἐδεσμάτων ἐκ τῶν ἀμπελώνων, καὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν & *optima armentorum, & gregum, & ciborum, ſiue ferculorum & vinearum & omnium bonorum* videtur poſitum ἐδεσμάτων pro ἱματισμάτων, cibi pro veſtibus, quanquam minime negarim reſeruata, ſaltem in præſentem vſum cibaria, frugum, & fructuum; optima autem vinearum, intellexerim optimos earũ fructus, vina ſcilicet optima; quæ partim biberunt, partim ſecum auexerunt.

3 N. XXVIII *Proinde* hoc Tertulliani explico, conſequẽter, pari ratione, & addo huic quoq. membro interrogationem, quam Pamelius præcedenti membro recte addidit: ſed hic quoq. rectiſſime ſedet. Illud autem quod ſequitur, *vt in vtroque pro temporibus*, videant critici an vocula *vt* abundet, & vice verſa deſit verbum *fuerit*, aut aliquod ſimile. Neque id quod de diſpungendo dixi hoc loco expungo, etſi aliter Pamelius, & Renanus.

4. N. XXXVI. Scribit Abulenſis, q. 24. in c. 15. Ioſephum dicere, Saulem occurriſſe Samueli, eumq. oſculatum eſſe: *quod ſatis*, inquit, *veriſimile eſt, quia iterum cum eſſet Saul expectans Samuelem in Galgalis, audiens eum venire, egreſſus eſt ei obuiam, vt ſalutaret eum*; ſupra c. 13. verterit fortaſſe Ruffinus, quem non habeo ad manum, κατεφιλήσαμενος Ioſephi *oſculatus eſt*, rectius autem Gelenius *ſalutauit*, alioqui additum fuiſſet φιλήματι, vt notauit Euſtathius. Et veriſimile quidem eſt regem occurriſſe prophetæ, non autem hũc accepiſſe oſculum pacis, cum res plena offenſionis, & turbarum eſſet; & ab eo Samuel, quaſi ab excommunicato, vt ait Sanctus Gregorius, abſtineret. Ioan. 2. v. 10. 11.

Illud autem Ioſephi quod eodem loco habetur de Deo non præbente ſe exorabilem ad prophetæ preces, haud ſcio an probãdum ſit. Ibid l. 6. c. 8 *At ille*, inquit, *quantumlibet à Propheta rogatus, veniam regi non annuit, quod non placeret peccata donari in gratiam precum deprecatoris* (παραιτήσει, ſiue donari precibus, aut deprecationibus) *quæ non aliunde magis naſcantur, quam ex nimia eorum, in quos peccatum indulgentia, qui dum lenitatis gloriam aucupantur, imprudentes maiorem delinquendi anſam offerunt.* ſic ipſe. quæ non ſatis videntur fauere orationi, cuius vim, & efficacitatem Chriſtus Dominus vbique deprædicat. Nec verum eſt ſimpliciter Deũ non annuiſſe veniam regi, quod nollet peccata donari precibus, nam quotidie iuſtorum precibus peccatores, a Deo veniam obtinent. Imo nec peccatum regis dimittere noluit, quod peccatum eius nollet donare precib. Samuelis, ſed quia circa peccati pœnã editum erat a Deo immobile decretũ. Neq. illa ratio quæ in humanis valet, hic recte applicatur, vbi de Deo agitur, ſe hominũ peccatis exorabilẽ, aut inexorabilẽ præbente. Quin neque in hominibus perpetuum eſt, vt indulgentia lenitatis gloriam, velint aucupari. Neque imprudenter homines veniam peccati concedunt, tametſi improbi huiuſmodi abutantur indulgentia. Sed multo eſſet pernicioſior veniæ deſperatio, quæ homines, qui à peccatis perpetuo abſtinere non poſſunt, in omnia ſcelera præcipites daret. Itaque Dominus hominibus exemplum parcendi dedit, qui ſe paratum perpetuo profitetur, ingemiſcentem peccatorem in gratiam recipere; iuſſitque nos in quotidiana orationes dicere *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Confirmari hæc doctrina ex eo recte poteſt, quod lex pœnalis latæ ſententiæ, continens pœnam re quapiam priuantem, priuat dominio rerum poſſeſſarum, vi ſua ante vllam iudicis ſententiam: quæ eſt doctorum communis ſententia, qua de re conſule Alphonſum à caſtro l. 2. de lege pœn. c. 7. 5. N. L.

Portare peccatum Chaldæus interpretatur *remittere*, Pagninus *parcere*, Vatab. *dimittere* Arias *tollere*, id eſt auferre. Caietanus *leuare*, ſiue ignoſcere. Dionyſ. *condole mihi, & ſatisfac pro culpa mea.* Ioſephus *da veniam, & propitius eſto: cauebo enim in poſterum, ne in ſimile peccatum incidam* συγγνώμης, ὁ ἁμαρτὼν ἴσασι, at 70. ἆρον τὸ ἁμάρτημα 6. N. LX.

μά μ... Ex quo intelligitur perſuaſum fuiſſe hominibus in lege veteri, magnam eſſe miniſtrorum Dei poteſtatem circa peccata. Et tamen mirabātur Iudæi dicentes, Marc. 2. 7. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus.* Ita ſane nisi admirationem ſuſtuliſſet illa Dei liberalitas, *qui dedit talem poteſtatem hominibus.* Exiſtimo tamen hoc loco portare peccatum eſſe diſſimulare, ac tolerare. Saul enim hominum hic rationem habebat, nec ad Deum reſpiciebat.

7. N. LXVI. In Hebræo quidam vertunt, *porro fortitudo Iſraëlis*, ſiue vt alij malunt *victoria Iſraëlis.* At Hieron. in tradit. Hebr. *In Hebræo*, inquit, *legitur, Porro triumphator Iſraël non mentietur. Triumphator iſte Deus eſt, non mentietur quia ea quæ promittit ſibi famulantibus largitur. Pænitudine non flectetur, quia non pænitet eum de bonis, quæ largitus eſt.* Hæc ibi. Fortis autem & fortitudo, triumphator & victoria, & vniuerſe abſtracta & concreta æque tribuuntur Deo, illa ſimplicitatem perfectionum eius ſignificant, hæc ſubſiſtentiam perſonalem. Illud autem non mentietur, idem eſt quod non reuocabit ſententiam. Nam qui dixit ſe non parciturum, mendax videri poteſt, ſi parcat. Neutrum habent Septuag. quorum hæc eſt interpretatio apud Auguſtinum lib. 17. de ciu. c. 7. *Dirupit Dominus regnum ab Iſraël de manu tua hodie: & dabit proximo tuo bono ſuper te, & diuidetur Iſraël in duo, & non conuertetur, neque pænitebit eum, quoniam non eſt ſicut homo, vt pæniteat, ipſe minatur & non permanet*, quæ poſtrema verba per antitheſim oppoſita ſunt Deo, ſententiam immutabiliter ferenti. vt ibid. ait Auguſt. qui myſticam huius loci expoſitionem pluribus affert, quam ad verbum deſcripſit Eucherius, & Angelomus.

Cum hic affectus nihil niſi hominem ſaperet, non eſt mirum ſi ne ſpiritalem quidem miſericordiam, quæ in culpæ remiſſione cōſiſtit ſit conſecutus. Dolor enim de peccato, qui non aſſurgit ad Deum, nec concipitur propter Deum, hominem Deo reconciliare non poteſt, cui non ſatisfacit, nec Dei iniuriam reparat, ideoque perſeuerat inimicus, qui iſtiuſmodi tantum dolore præditus eſt: nec cupit illi ſatisfacere, & de ſe reo iuſtam vindictam ſumere, ſed vitare damnum, aut periculum ſuum. *Liquet*, ait Gregor. l. 6. c. 2. expoſ. in 1. Regum, *quam pænitudinem gerat, qui adhuc honorari deſiderat. Nam ſi ſui peccati hunc veraciter pæniteret, inhonorari potius, quam honorari concupiſſet &c.* Angelomus quoque. *In eo quod ait, honora me coram ſenioribus populi mei, verecundiam paſſus, ac ſuperbia detentus locutus eſt: quia timebat honores amittere, & ideo non obtinuit quod petiit, dicens, Peccaui. Quiſquis enim ſub ſpecie confeſſionis humanos adhuc honores amittere timet, iſte indulgentiam, quam ficta humilitate poſtulat, à Deo adipiſci non valet &c.* 8. N. LXVII.

Vocem Hebræam מעדנת magh dannoth, plerique vertunt, *cum deliciis*, ducitur enim ab עדן quod eſt delectari, vel deliciari, vnde & nomen Heden hortus Adami, paradiſus voluptatis. Et ſunt ait R. Dauid Kim. qui exponunt, in vinculis, & catenis, in quibus erat, & recta eſt expoſitio. Et confirmatur ex Iob. 38. 31. vbi Hieron. habet coniungere valebis micantes ſtellas; alij vertunt ligabis vinculis vergilias. Vide Pagnini theſaurum in radice עדן 9 N. LXVIII.

Eſt hic annus Saulis ſeptimus, in ordine iubilæorum quinquageſimus quintus. Eſt enim 385. ab ingreſſu in Chananitidem, qui numerus ex 55. ſepties repetitis exactè conficitur. 10. N. LXIX.

ANNVS MVNDI 2969. DILVVII 1313. QVINTÆ ÆTATIS 30. EXITVS, ET DATÆ LEGIS 426. ARCÆ IN CARIAT. 29. SAMVELIS 30. SAVLIS REGIS 8. ACHIÆ PONTIF. 8. DAVIDIS 20. TROIÆ CAPTÆ 98. DERCYLLI 19. IMPERII ASSYRIORVM. 1038.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1084.

Num. I. *Ratio temporis, & annus primæ vnctionis Dauid.*

INGREDIMVR annum prima Dauidis inunctione nobilitatum, cũ is ageret annum ætatis vigeſimum, quippe quem vndecimo Samuelis anno natum [a] oſtendimus. In qua ſententia eſt Dionyſius, nec ab ea multum abeſt Abulenſis [b] etſi enim ſub annum decimũ Saülis eum inunctum putat, quia illi ſeorſim à Samuele 20. annos tribuit: cum nos ei, iuſtis opinor de cauſis, octodecim tantũ demus, vt anno eius primo docuimus, [c] decem tamen annos Sauli nobiſcum deinceps tribuit, & quod eodem redit, Dauidi 20. ſtatim enim eo mortuo regnauit, & 30 annorum erat cum regnare cœpiſſet, vt in 2. Reg. ſcriptum eſt. [d] Idque ex eo confirmatur, quòd quo anno Dauid inunctus, & afflaus diuino ſpiritu, Saül à maligno vexari cœpit, vt ex hoc ipſo capite [e] intelligi poteſt: & adductus eſt ad eum Dauid, qui regis ægritudinem pſallendo ſubleuaret, & quidem ea ætate, cui illud elogium conueniret: [f] *Vidi filium Iſai Bethleemitem, ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, &c.* quæ ætas non minor viginti annis æſtimanda eſt, quando ab Hebræis, tanquam bello idonei, numerari incipiebant. Itaque non aſſentior Torniello, cui fauet noſter Serarius in hunc locũ, & Seuerus Sulpitius, exiſtimanti eum decimo quinto anno ætatis inunctũ. Nec obſtat quod à Saule illi poſtea dictum eſt. [g] *non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, quia puer es.* Id enim per mioſim dictum eſt, cui occaſionem dabat ſtatura eius puſilla, [h] Saulis autem prægrandis: [i] eodemque retuleris illud Iſai, *reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* in Hebræo dicitur minor, id eſt minimus natu, ſed hæc deinceps magis, magiſque ſtabilientur. I

a a.m.2950 n.1. b q.1. & 16. in c.16.1. Reg. & q. 2. in c.17. c num.6. d c.5.v.4. e c.16. v.13. 14. f c.16.v.18. g c.17 v.33. h 1.Reg.16. 7. i c.10.23. 1.x

II. *Luctus Samuelis.*

ABDICATO autem diuina ſententia Saule, ita eum Samuel propheta deſeruit, vt deſertum à ſe, & à Deo repudiatum plangere non ceſſaret: Mentis quippe oculis nunc in humanæ infirmitatis magnitudinem, nunc in eiuſdem fœlicitatis inconſtantiam coniectis, vehementer affligebatur, atque angebatur animo. Deinde autem diuinorum iudiciorum abyſſum, in hominum electione, vel reprobatione contemplatus, prę admiratione ac ſtupore mirum in modum æſtuabat. Deinde ad preces conuerſus, vim lacrymarum profundens orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret à Saule calix iſte. Neque enim ſciebat ratam à Deo contra ipſum, definitamque latam eſſe ſententiam, vt ſupra dicebamus, [k] & hoc in loco repetit Abulenſis. [l] Orabat vt Deus pro ſua in mortales paterna charitate ac munificentia, ſpiritum illi legitimi doloris, veræque contritionis largiretur, quo ipſe quoque deploraret factum ſe inimicum Dei, mancipium Sathanæ, & obnoxium ſuppliciis ſempiternis. Plangeret importunam in regem barbarum miſericordiam, in triumphali fornice vanitatem, in non pœnitendo duriciam, in non recte agnoſcenda culpa cæcitatem; lamentaretur gratiam, ac timorem diuinum militari poſthabitum; obedientiam habendi cupiditate antiquatam; & indictum à Deo in Amalecitas anathema, nefario ſacrilegio violatum.

k an. Saul 7 n.70. & ſeq l quæſt.1.

III. *Et preces pro Saule.*

ORABAT deinde vt, ſi quis adhuc ſupereſcet precibus locus, miſericordia in Saulem ac pœnitudine flecteretur, néve ipſum exemplum ſtatueret, toti formidabile poſteritati; vt vir ab ipſo Deo nominatim electus, & ſacroſancto oleo toties ipſo annuente inunctus, ab vniuerſo populo ſemel iterumque approbatus, & confirmatus in regem, regnum luctuoſiſſimè perderet, & diuinam beneficentiam humana infirmitas irritaret. Moſis deinde veſtigiis inhærens, ſimiliq;

charitate incitatus, nonnullum damnum in ipſum Deum, ex hac abdicatione, redundaturum dicebat; dicturos videlicet circumpoſitos populos, hebræi nominis ac numinis inimicos, deceptum iudicio, & prouidentia, prudentiaque diminutum, qui hominem non ſatis exploratè cognitum, moxque repudiandum elegiſſet, callideue repudiaret, vt is ex deſperatione in furorem actus omnia ſuſque deq; miſceret, ac verteret. Egregiam daturum Amalecitarum reliquiis ſubſannandi occaſionem, iactandique, vltas ſe ab illo ipſo, cuius crudeli mandato deleti eſſent. Mox enim enaſcenti bus, atq; exardeſcentibus ciuilibus bellis, Saülem, Agago, Hebræum populum Amalecitano parentaturum.

IV. *Metuit ne malorũ impendentiũ.*

Providere ſe iam animo, facileque proſpicere ardentem ciuili bello Chananitidem, vndantem quam longe lateque patet Iſraelitarum cruore prouinciam, & tribus infeſtis armis ſigniſque tribubus concurrentes: mediumque Iordanem decoloratis fluctibus rubefactum. Dum alij Saulem iampridem electum, & conſecratum ſequentur, virum pleriſque rebus egregiè, fortiterque geſtis nobilitatum, neque vllius tanti facinoris reum, quod tam rigidum ſupplicium, tamque ignominioſam abdicationem mereri videatur. Alij vero aut alium quempiam in ſchiſmate ſuſcitabunt populi principem, aut illi nomina dabunt, quẽ Deus Saüli in ſummo magiſtratu ſuffecerit. Niſi forte, inquit, dignum arbitraris bonitate tua; dignũ & iureiurando, quod magnis illis amicis tuis Abrahamo, Iſaaco, Iacobo huius populi patribus edidiſti; dignum tam antiqua, tamque conſtanti, in eorum filios prouidentia; dignũ tam ſingulari, laudatáque in eorumdem culpis diſſimulandis, tolerandiſque patientia, ipſos deſolatos, & rege quaſi capite truncatos, Ammonitarum crudelitati, Idumæorum antiquis odiis, Philiſthæorum recens exaſperato furori permittere.

V. *Quam diuturnus fuerit luctus.*

Hæc atque his multa ſimilia lugebat Samuel, & [a] *erant ei lachrymæ eius panes die ac nocte, dum dicitur illi quotidie*, in corde ipſius, vbi eſt rex tuus? hæc recordabatur, & effundebat coram Domino animam ſuam. Et perſeuerabat plorans, canoſque ſuos cum gemitu ducebat ad inferos. Quamdiu autem? *Multum*, inquit Chryſoſtomus in homilia de pœnitentia, [b] *exhauſit temporis beatus Samuel pro Saule deprecans, noctéſque multas tranſegit inſomnes, pro delinquentis ſalute.* Diuturnum quoque luctum requirunt illa Domini verba fidelem famulum ſuum à luctu reuocantis, *Vſquequo tu luges Saul*: Abulenſis [c] ait minus fuiſſe id ſpatium temporis, quam viginti annorum; cum totum tempus regni Saul fuerit tantum viginti annorum. Præclarè ſane. Torniel. [d] putat prophetam duobus annis in hoc luctus perſeueraſſe. Ego menſes aliquot partim ſuperioris anni exeuntis, partim præſentis ineuntis ſatis eſſe crediderim horum temporum œconomiæ: Nec exiſtimarim pium ac miſericordem Dominum ſancti viri conſolationem diutius diſtuliſſe, qui Moyſem pro ſuo populo ſupplicantem [e] vix paucos dies aut etiam horas ferre potuit.

a Pſal. 41. 4
b to. 5. hom. 5.
c q 1 in c. 16.
d an. 4. æra 419.
e Num 14. 19 20.

VI. *Finitur à Deo.*

Itaqve ne Samuel vltra ſe irrito, atque intempeſtiuo luctu conficeret, ipſum ab eo amica reprehenſione reuocat, *vſquequo*, inquit, *tu luges Saul*, & causã non lugendi ſubiicit, *cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael*; immobili videlicet, atq; immutabili decreto ſtatuerim, ius illi regni in populum meum auferre: Ex quo intelligitur Samuelem, huius decreti ignarum, non ſolum pro venia culpæ Sauli obtinenda Dominum interpellaſſe, ſed etiam pro priſtina poſſeſſione regni, iureque redintegrando. Deinceps autem intellecta Dei definitione, ſuper ea re prorſus obmutuit; ſicut Moſes poſtquam audiuit, [f] *Sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me*, de adeunda ſcilicet Chananitide. Acceſſit etiam, ad Samuele in penitus certiorem reddendũ de abdicatione Saulis; declaratio electi à ſe noui regis, ad quem inungendum, illum iubet accedere, eumque hac, quamuis priuata, ceremonia, vt [g] antea Saulem, inaugurare. cætera vero diuinæ prouidentiæ committere.

f Deut. 3. 26
g c 9. & c 10 1.

VII. *Mittitur ad vngendum Dauidem.*

Imple, inquit, Dominus, *cornu tuum oleo.* [h] *Et veni vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Prima ipſa verba abundantiam gratię in Dauidem conferendæ aperte docent. Non enim lenticula olei accipitur, ſed impletur oleo cornu, quod notauit Rupertus. [i] Et quoniam cornu vas ſolidæ firmitatis eſt, lenticula vero fragile, iuxta aliquorum expoſitionẽ ſupra notatam [k]

h c 16. v. 1.
i 1 R g. c 13
k an Saul 1. n. 85.

vtriuſque regni differentia in duratione & firmitate demonſtratur; vt notarunt Lyran. & Abul. Sed quodnam iſtud oleum fuit? Abulenſis [a] exiſtimat non fuiſſe oleum ſanctum, quod in tabernaculo ſeruabatur, vt in vnctione Salomonis à Scriptura notatum eſt, [b] quia id clam fieri non poterat, Saule in Samuelis actiones intento, ac peruigilante ne quem alium in Regem inungeret, qui apertè Sauli dixerat abiectum ipſum à Deo ne eſſet Rex. Ideoque ſibi ab eo metuebat adeo vt nec Bethlehē auderet adire, ne à ſuſpicaci rege interficeretur. Ex quo conſequens eſt vt communi oleo inunctus fuerit.

a q. 2. in c. 16.
b 3. Reg. c. 1. 39.

VIII. *Quo fuerit vnctus oleo*

VERVM libentius acquieſco Emanueli Sa, exiſtimanti vnctum fuiſſe Dauidem vnguēto aromatico, vel forte Balſamo: quod Samuel haberet apud ſe, & deferret in Bethlehem. Nam commune oleum, quid opus erat Prophetam deferre in Bethlehem, quaſi id oppidū, aut domus Iſai oleo plane deſtituta eſſet. Vt enim inūctio celari deberet Bethlehemitis, nec danda illis eſſet ſuſpicionis anſa, [c] certè res in ipſa domo Iſai, in ſeptem fratrum conuentu occulta eſſe non potuit. Tale autem vnguentum, ſiue oleum cum nec in amplo vaſe, nec in magna copia ferretur, facile occultari potuit, nec eſſet qui tantæ authoritatis virum, quem rex ipſe formidaret, ac ſtudioſè placare conaretur, auderet excutere: & vt non occultaretur; non facile erat ſuſpicari, quem ad finem id vnguentum, vel Balſamum deferretur. Et de iſtiuſmodi oleo poſſumus Ioſephum interpretari, cum ait Samuelem Dei iuſſu aſſumpto ſacro oleo in Bethlehem eſſe profectum λαβὼν τὸ ἅγιον ἔλαιον, quod habet etiam S. Chryſ. hom. 1. in Pſal. 50. Lyran. etiā in c. 16. Nam quomodo clam oleum ſanctum ex tabernaculo haberi potuerit, ſane non video. Illud autem *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum*, non eſt neceſſe de prima Dauidis vnctione interpretari. [d]

c Idem q. 3. in c. 16.
d Abul. q. 2.

IX. *Paucitas virorum regiorum.*

MITTITVR autem ad Iſai Bethleemitem, virum in tribu Iuda primarium, vt deinceps hæc eſſet regia tribus, iuxta patriarchæ Iacobi prædictionem. *Saul*, inquit S. Gregor. *non prouiſus, Dauid autem prouiſus oſtenditur. Quantus ergo, & qualis fuerit citata conſideratione penſetur, qui iudicio, & electione Dei omnipotentis decernitur.* Quin etiam prouiſionem anteceſſit inquiſitio, nam vt ait Samuel, [e] *Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum.* quin & ipſius inuentionem ſibi videtur gratulari dum ait, [f] *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, quas ſcilicet Saul implere neglexit. Ex quo intelligitur quam exiguus eſſet eorum virorum numerus, qui ad regnum, præſertim in populo Dei, adminiſtrandum idonei cenſeri poſſent. Tam multa enim Dei dona, ſtatus ille tam ſublimis exigit, tam eximias animi corporiſque dotes, vix vt vnus in centum millibus, ad id munus cum laude, & communi vtilitate ſubditorum obeundum, ſatis aptus, inſtructuſque reperiri poſſit. Nec vacat illa particula *mihi*, in omnibus retenta linguis, pertinet enim ad indicandum reges mortales, immortalis regis eſſe vicarios, illiuſque vice populos, quaſi totidem illius familias, adminiſtrare, cum obligatione ad reddendam apud eum rationem, cui ſe fatentur eſſe ſubiectos.

e Cap. 13. v. 14.
f Pſal. 88. Act. 13. 22.
לי ἐμοὶ

Reges Dei vicarij.

X. *Num propheta excuſet ſe.*

ET *ait Samuel Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me.* Non dubitat propheta facile eſſe Domino eum protegere ab omni periculo. Sed doceri vult à Domino, quo ſe modo gerere debeat in hoc toto negotio; paratus vtique mori in exequendo mandato diuino, ſi ſic ei videatur. *Timuit propheta*, inquit Theodoret. [g] ſignificatque Procopius. *Quoniam non ſolum erat propheta, ſed etiam homo. Si enim Prophetæ dominus, Dominus noſter Ieſus, ſalutarem ſuſcipiens paſſionem, timere humanam oſtendit naturam, quis eſt adeo liber à paſſionibus, vt reprehendat Prophetam qui timuerit?* Nec dubium eſt quin etiam timuerit domui Iſai, quam ille funditus, tanquam maieſtatis ream, vt domum Achimelech, ſi permiſiſſet Dominus, euertiſſet; multóque minus Iſai, vel Dauidi, quam Samueli, quem parentis loco habebat in tam inuidioſo negotio pepercíſſet. Modum ergo Propheta quęſiuit, & modum Dominus aperit, quo & celetur veritas, & mendacium non dicatur. *Vitulum*, inquit, *de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolandum Domino veni.* Id enim verum erat, primaria tamen intentio vngendi regis tacebatur.

Abul. q. 6.
g q. 35.

Eiuſdem timor,

XI. *Vitandum in celanda*

GREGORII magni eſt iſta interpretatio in hunc locum, quem placet audire

tiente,& precibus votiſque cooperante. Ad familiam autem Iſai referuntur hæc, *ſanctificauit ergo Iſai,& filios eius,* paratos videlicet eſſe iuſſit, *& vocauit eos ad ſacrificium* participandum. In illis ſanctificatio, mera præparatio eſt; fitque expediendo ſe ab aliis negotiis,& præſentiâ ſacrificio exhibendo. In his qui ſanctificatis carnibus veſci debebant, requirebatur ne vllam maculam legalem contraherent, vel prius contractam expurgarent, ſiue per aſperſionem aquæ luſtrationis, ſiue per lotionem in aquis iugiter fluentibus; maximè autem ab vxorum conſortio prohibebantur, vt ſignificauit Dauid [a] participaturus panibus propoſitionis. *Alii participant.*

a 1.Reg.21. 5.

Peracto *autem ſacro,* vt ait Ioſephus, *Iſſ um ad epulas vna cum filiis conuocat. Cumque ingreſſi eſſent,* in domum vtique Iſai,& triclinium, in quo prandendum aut cœnandum fuit, Lyranus,& Nicol. Serar. de prandio conſentiunt, nec videtur fuiſſe tum cœnæ tempus, cum mox euocetur Dauid ex agro, eiuſque expectetur aduentus ante diſcubitum. Veſpere autem paſtores ſponte redeunt, ſed potuerit ditus eius, emiſſo curriculo famulo quopiam accelerari. *Cum* ergo *ingreſſi eſſent, vidit Eliab.* [b] Præciſa eſt admodum iſta Samuelis oratio. Intelligendum enim eſt Samuelem, euocato in triclinium Iſai cum filiis eius, ſecluſa reliqua familia, præſentem omnem rerum,& Reipub. ſtatum enunciaſſe, ducto à priore culpa Saulis initio, vt perſpicue cauſa præſentis electionis intelligeretur. Explicauit itaque Saulem, quo primum die priuata vnctione fuiſſet à ſe regno inauguratus, mandatum etiam diuinitus accepiſſe, vt ſi quando grauior aliquis caſus in reipub. adminiſtratione contingeret, ob quem Deus ſacrificiis placandus, demerendus, aut cõſulendus eſſet, prior ipſe in Galgala [c] ſacrificiorum cauſa deſcenderet, meque, inquit, celeriter admonitum, ad ſeptiduum conſtanter ibidem expectaret.

XV. *Edocet Iſai,& eius filios de rerũ ſtatu.*

b c.16. v.6

c ca.10 8.

d c. 13.3.

His ita vnanimi vtriuſque conſenſione firmatis, contigit vt Ionathas [d] ſtationem Philiſthinorum commodam opportunitatem nactus, cum lectiſſima militum ſuorum manu glorioſo facinore deleret, primamque nobis ianuam panderet optatiſſimæ libertati. Ad arma vtrimque conclamatum eſt, vtrimque coactę copię, ſed ab hoſte curuum falcatorum, equitum, peditumque innumerabilis multitudo, omni armorum & commeatus genere egregie inſtructa. Noſtræ per quam exiguæ copiæ, atque inermes, tam formidoloſo ſpectaculo territæ, partim trans Iordanem celeriter auolarunt, partim ſe in latebras deſerto Imperatore abdidere, vix vt è multis millibus, ſexcenti datę fidei memores, retinenteſque cum Saule remanerent. Eratque ſeptimus in curſu dies, atque adeo declinabat in veſperam,& ego Galgalis propinquabam, cum Saul impatiens moræ nec dilabentem exercitum ſuum vltra ferens,& imminentem hoſtem vehementius reformidans, adhuc abſente me ſacrificia improuidus occupauit,& cuncta vnius, aut alterius horæ feſtinatione corrupit.

XVI. *De prima culpa Saulis.*

Vix oppidum attigeram, cum regis culpam diuinitus didici, ſimulque mandatum illi denunciandi, eum ſibi regem non placere, qui præceps Dei iuſſiones anteuertat,& mirabilia eius opera prudentia humana peruertat. Equidem minimè dubitauerim, ſi ille mandato patienter acquieuiſſet,& flagrantem belli cupiditatem, frigida diuini timoris temperaſſet, Deum eodem aut poſtero certe die, mirabili quapiam ac luculenta plaga hoſtem confecturum fuiſſe, vti ante hoſce, 9. annos in Maſphath, [e] contigiſſe facile omnes meminiſſe poſſunt. Offenſus ergo Dominus Sauli, iubet illi à me denunciari, ſtultè ipſum egiſſe, qui mandato Domini violato, diuinam circa ſe, regnumque ſuum prouidentiam perturbaſſet, dirã gubernationi ſuæ ſecurim inieciſſet, quæ alioqui, lõgè in poſteros propagata, futura erat ſempiterna: quæ nunc neque incrementa captura eſſet,& breui exitio finem eſſet acceptura. Adiecit etiam quæſiſſe ſe virum iuxta cor ſuum, qui Hebræum imperium ſanctè, ſapiẽterque adminiſtraret: quem autem virum diceret, ſibi vni ad hanc diem notum eſſe voluit.

XVII. *Ob quam merebatur abdicationẽ*

e an Saul. 21. n. 21.& ſeqq.

Significato regni ſucceſſore.

Interea anni aliquot non infœliciter abiere, donec ſuperiore anno admiſſum eſt ſcelus à rege, populóque, quod ancipitem quodammodo,& penè fluctuantem Domini ſententiam ſtabiliuit,& in decretum immutabile conuertit. Dominus enim Deus pertæſus profligatę Amalecitarum nequitiæ, quæ antiquæ ipſorum inhumanitatis in patres noſtros, illi memoriam refricauit, ſeuerum in gentem vniuerſam, totámque latè regionem anathema, quaſi fulmen horrificum diuinę indignationis excuſſit. Ergo Sauli mãdat agris eorum vaſtitatem, incendium vr-

XVIII. *Altera culpa in Amalecitano anathemate.*

bibus, cædem omnibus animantibus, quæ ſint humani iuris, inferri; nō viris, non mulieribus, non armatis, nō inermibus, nō puerulis lactentibus, non ſenibus ætate confectis ignoſci omnem ſine diſcrimine ætatem, ſexum, cōditionem, ab ipſo rege vſq; ad viliſſimum mancipium, internecione deleri, eáq. ratione ſibi omnia conſecrari. Sed res imperata, non etiam confecta eſt; importuna miſericordia, fatalis auaritia, funeſtiſſimū ſacrilegium, regem populúmq; quaſi à recto curſu procella tranſuerſum egit. Vita primum regi omnium nocentiſſimo data eſt, cōgeſta ſupellex aurea, argenteáque in prædam venit, venit & pretioſa veſtis linea, lanea, ſerica: cōgregati ouium atq; armentorū greges, clamore ſuo violati anathematis à Deo expetunt vltionem. Vini, olei, frumenti numerus ingens huc tranſuectus eſt: nulla denique in re, niſi ſi qua nihili erat, obeditum eſt Deo.

amplumq. ſacrilegiū.

XIX. *Hinc Dei pænitentia.*

Hic videlicet euigilauit tantiſper ſopitus Domini furor, & intempeſta mihi nocte aſſiſtens, *Pænitet*, inquit, *me quod conſtituerim Saul regem, quia dereliquit me, & verba mea opere non impleuit.* Hoc orſus initio cæteram orationem exordio conſentaneam pertexuit. Nihil niſi querelas ingeminat, ac triſtes intentat minas; imo non vltra minas, quod ego diu vel ſuſpicatus ſum, vel optaui; ſed ratam fixamque abdicationis ſententiam. Iſto ego telo percuſſus, peneque confeſſus, ad illum ipſum qui infixerat accurro ſupplex, omnia moueo, miſceóque, ſed irritus abit conatus omnis, omnia clauſa lacrymis, precibúſque, omnia votis promiſſiſque imperuia, denique immobile ſaxum, ſurdo inanium fluctuum verbere fatigo. Multi abiere mihi in hoc luctu menſes. Cum Dominus pene iratus etiam mihi pridie quā huc venirem, *Vſquequo*, inquit, *tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?* Agnoui nihil vltra ſpei ſupereſſe, calamitatis huius à Saulis, eiuſque familiæ ceruicibus auertendę, remq. plane conclamatam; præſertim cū ei Dominus vt mihi iam dudum ſignificauerat, ſuffecerit ſucceſſorem. Adiecit enim [a] *imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſai Bethleemitem, prouidi enim in filiis eius mihi regem.*

Et luctus Samuelis.

a 1. Reg. 16. 1.

XX. *Ac timor ab ambitione, quæ ſana eſt.*

Obstvpvi ſane, & admodum, nihil enim diffitebor, extimui, ne Saul cui ſuā dudum abdicationem, atq; abiectionem diuinitus pronunciaram, audita hac profectione mea, id quod erat ſuſpicaretur: & mihi præceptum Domini in laqueū verteretur. Timida eſt enim ambitio, & ſuſpicax, & in vltione capiēda immitis ac ferox. Nō ætati, non meritis, non dignitati parcit; ſacra profanaque eodē loco, numeróq. habet: fratres; affines domeſticos, filios etiam ipſos ac parētes nihil moratur: amicitiam, quamuis diu ſpectatā & cognitam, conculcat & poterit: neque reformidat manus, mentemq. ſuam, coniunctiſſimo licet ſanguine funeſtare. Poſuiſſem equidem in lucro, in obeundo Dei mandato ſanguinem profundere, ſi Domino ita viſum foret, & quaſi reus imminutæ maieſtatis ceruicem innoxiam tortoris gladio ſubiicerem non inuitus; in eoq. facinore culpam regis infœlicis, magis deplorarem, quam iniuriā meam, quæ glorioſum mihi aditū muniret in ſinū Abrahæ patris noſtri. Verum Deo aliter visum, qui me ad nobiliſſimum hodierni diei facinus reſeruabat, vt regem, qui ipſi eſſet acceptiſſimus, conſecrarē.

XXI. *Adeo præſcriptus modus vitandi Saulis iram.*

Ergo iubet me vitulum de armento tollere [b] & ſpecie ſacrificij hoc in oppido celebrandi, ora obſtruere curioſorum, & abſtinentem mendacio, periculoſam abſcondere veritatem; veni, ſacrificaui, cōuocaui vos, adſumus, ſacrarū epularū participes futuri, ſi prius diuinæ ſeruierimus electioni, & quem ille in oculis omnium veſtrum elegerit, inunxerimus. Non enim qui dixit mihi ſe in filiis Iſai prouidiſſe ſibi regem, etiā nominatim aperuit, quis ille futurus eſſet: integer huc venio, nullamq. in partem humana propendeo voluntate. Omnes mihi eſtis longe chariſſimi. Parentem veſtrum grandæuum fratrem agnoſco, ac veneror: vos autē omnes tanquam filios meos amplector, atq. exoſculor. Veſtrum erit, ſi pacis amatores eſtis, & fraternæ gratię, charitatiſq. cultores, ſi de cōſeruanda familia veſtra, quam Deus vehementer honorare cupit ſolliciti, de fratris honore diuinitus illi collato, gaudere, atq. hilareſcere, ſed gaudere tamen in ſinu, donec viſum fuerit Domino rē in vulgus afferre; & de Saule pro ſua prouidentia, & in populum ſuū charitate conſtituere, quod è gloria ſua, & publica re maximè futurum agnoſcit.

b Ca. 16. v. 2

Samuelis monita ad filios Iſai

XXII. *Et mandatum de ſingulis producendis.*

Hæc cum Samuel magno animi ſenſu eſſet effatus, venerabundi omnes Deo ſeſe, eiuſque Prophetæ religioſa corporis inclinatione demiſere, ſe ſuaque omnia illius arbitrio permittentes. Rurſus autem Samuel ad ſenem conuerſus; Pollicitus eſt, inquit, Dominus oſtenſurum ſe mihi quid facerem, & mihi demonſtratu-

rum, quemcumque vellet hoc à me oleo inaugurari. Ergo ſi videtur filios hic tuos coram Domino ſigillatim, ordine ætatis, ſiſtito, & ego à Domino exquiram, quē de iſtis regni candidatis, ſui prærogatiua ſuffragii honorare velit, & in ſolium regium euehere. Annuit Iſai, & euocatum primogenitum Eliabum nomine, propius ad Prophetam, qui paululum ſe de circulo ſubduxerat, adire iuſſit. Qui ſtatim oculis in cœlum manibuſque excitatis, *nū coram Domino*, inquit, *eſt Chriſtus eius?* in Hebræo abeſt interrogatio; cuius loco beneuola quadam affirmatione legitur *certe coram Domino eſt Chriſtus eius*, qui ſcilicet inungendus eſt, vt fiat Chriſtus Domini. Erat autem Eliab primogenitus ſicut ſequenti capite appellatur, [a] & à Ioſepho natu maximus, [b] ætate, vt apparet, nō multo quadragenario minor, qui octauum haberet fratrem 20. annos natum, fuiſſe etiam ſtatura procerum, & oris habitu decoro, ac pleno dignitatis, vt ad regnum factus videri poſſet.

Eliab qualis.

a c.17.v.13.
b l.6.c.9.

XXIII. *Repudiatur à Deo.*

EAM cogitationem Dominus auertens, *ne reſpicias*, inquit, *vultum eius*, Eliabi videlicet, *neque altitudinem ſtaturæ eius*, quam dudum in Saule commendaueras, *quoniā abieci eum*, non elegi, videlicet externa hæc ornamēta. Septuag. ἐξουδένωκα αὐτὸν ſpreui ipſum. *Nec iuxta intuitum hominis ego iudico; homines enim vident ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*: Ex quo innuitur hunc Eliabum, non vſque adeo probatum fuiſſe neque interiora in ipſo ſatis exterioribus reſpōdiſſe: Et Samueli dici potuiſſe *ſpecies decepit te.* [c] De ſtatura ergo Dominus, & cæteris corporis dotibus in Eliabi perſona conſulto excipit; nec ea momentum aliquod ad ſuam electionem afferre vult, tametſi ea ſoleant homines in eligendo intueri, qui interiora videre non poſſunt. Deus autem interiorum rationem habet, qui ea ſolus intuetur, quæ multo pluris ſunt, ad quoduis officium rite obeundum, quam externa, ſi internis fuerint deſtituta. Hæc Ioſephus [d] eleganter illuſtrat: *viſo*, inquit, *natu maximo eximia ſtatura ac forma iuuene*; imo vero, vt dixi ætate maturo, [e] *coniiciebat inde hūc eſſe regnaturum. Sed in hac parte non eſt aſſecutus Dei prouidentiam. Percontanti enim an hunc iuuenem vngere deberet, quē ipſe admiratus dignū regno ducebat; reſponsū eſt, non eadē ſpectare Deū, quæ homines. Tu inquit viſa iuuenis pulchritudine, iā ſatis dignū principatu exiſtimas: apud me vero non eximia corporis formæ præmiū eſt regnū, ſed animi virtuti; & eum requiro, qui hac ſit perfecte excultus, pietateq; ac iuſtitia, obediētia, & fortitudine animū exornatus.* Ita Ioſeph.

c Dan.13.56.

diuerſa Dei & hominū iudicia.

d l.6.c.14.
e n.21.

XXIV. *Collocutio Deum inter & Samuelem an interna fuerit.*

NON leuis autem eſt hoc loco neque diſſimulanda dubitatio qualis fuerit hæc Dei locutio, internane ac ſolius intelligentiæ; an externa, & quæ ad circunſtantium aures, mentemque pertineret. Dionyſius internam fuiſſe arbitratur, ſicut & Lyranus & Caietanus & Sa, nec quēquam intellexiſſe quē ad finem facta eſſet vnctio, vt ait Caiet. Ideoque neque Samuelem eum ſalutaſſe regem aut oſculatum eſſe, vt iādudum Saulē [f] neq; verbis ſolennibus in ea vnctione vsū. Iſai vero & filios eius qui ceremoniæ iſti interfuerant, arbitratos eum in Prophetam, aut peculiarem aliquem Dei famulatum vnctum eſſe, quem tamen Samuel non indicabat ne Sauli res innoteſceret. Sed ne Dauidem quidem fortaſſe tunc intellexiſſe, quē ad finem fieret iſthæc vnctio. Ideoque rurſum ad cuſtodiam ouium à patre amādatum eſſe, vt ex cap. ſeq. liquet, [g] & a fratribus non ſolum indecore, ſed etiam contumelioſe verbis exceptum fuiſſe. Hanc ignorantiā in fratribus eius affirmat Chryſ. [h] ea ratione quod verendū eſſet, ne pateretur Dauid, quod paſſus eſt olim Ioſeph, inuidiam, inſidias, contumelias, venditionem: itaque ignorationem eum à periculo vindicaſſe. Denique in textu ſacro nuſquā regis facta eſt mentio apud Bethlehemitas, ſed tantum in colloquio Dei cum Propheta, cum adhuc in patria verſaretur.

f c.10.v.1.
g c.17.v.15. 20.28.
h Hom. 1. in pſ. 50.

XXV. *An potius externa.*

CONTRARIAM ſententiam ſequitur Abulenſis, [i] putatque credibilius Samuelem inter orandum voce vſum, quæ ad 7. vel 8. circunſtantes perueniret, Angelum quoque vſum voce, quę eodem modo exaudiretur: ne electionem hanc illi non à Domino factam, ſed à Samuele fictam arbitrarentur cum nihil ipſi viderēt, audirentve, quo illis fides fieret ideoque nec electioni acquieſcerent: ſicut cum ſe audirent miſſa cœlitus voce reiici ac repudiari. Rectius etiam dici exiſtimant ſolum Iſai, qui adſtabat prophetæ, & filios ordine introducebat in triclinium, & mox dimittebat, ſciuiſſe de omnibus, admiſſi ne eſſent ad vnctionem, nec ne; ſingulos autem de ſeipſis tantum ſciuiſſe. S. quoque Chryſoſt. [k] ſolum parentem huius myſterij conſcium fuiſſe putat. Verum hæc poſterior Abulenſis ſententia

i q.23. in c.16.
k loco cit.

& vni & alteri nota:

ac diſtinctio minime neceſſaria eſt; nec habet idoneum in Scriptura fundamentum. Cum enim ſigillatim à patre adducti dicuntur, idem eſt ac ſi diceret, prodire iuſſit ſingulos in conſpectum Samuelis, paululum à cœtu filiorum ſeducti, vt Vatablus exponit, nec vſui eſſet iſta diſtinctio ad ſecretum. facile enim mox inter ſe cõtuliſſent, & quidẽ auidius hoc ipſo. *Nitimur enim in vetitũ ſemper, cupimuſq; negata.*

XXVI. *An patri & filiis.* Theodoretus quoque quem ſupra retulimus [a] eumque ſecutus de more Procopius. Fratres omnes conſcios electi in regem Dauidis fuiſſe putat, & inuidiam modo electionis qua Samuel vſus eſt mitigatam. Eadem fuit Hebræorum ſententia; qui Eliabum ſuperbè allocutum dicunt Dauidem in acie, eo quod putaret eum tumore cordis eleuari, quod Samuel vnxiſſet eum in regem, vt notauit S. Hiero. in traditionibus eorum, [b] & Lyran. hoc loco, & Serarius. Quod ſi Dauid euocatus ex agro, in medium fratrum venit, & in medio fratrum inunctus eſt, vt Scriptura teſtatur, [c] quid cauſæ eſt cur cæteri in medium fratrum non venerint, ibique diuinum de ſe iudicium, ne forte negare poſſent, audiuerint? Ita vnctionem in medio fratrum intellexit S. Gregorius, & Ioſephus, etſi hic ſententiæ de ſolo patre conſcio faueat, velit tamen Dauidem de ſua inauguratione ab eodem propheta factum fuiſſe certiorem. Denique timendum non erat, ne plures conſcij rem propalarent; illi enim ſoli erant conſcij, quibus neceſſarium erat ſilentium, locutio autem funeſtiſſima futura erat.

XXVII. *Refelluntur, quæ pro interna locutione faciunt.* Nam quod pro contraria ſententia afferebatur, non ſalutatum à Samuele regem, neque acceptum oſculo, neque ſolenni carmine compellatum, non ſatis probat; fieri enim poteſt, vſurpata fuiſſe hæc omnia, nec tamen ſcripto tradita. Nam in duabus ſequentibus Dauidis vnctionibus ſola inunctio [d] memoratur. Exiſtimauit enim ſcriptor ſacer, ſatis eſſe integram ceremoniam vno in loco fuiſſe perſcriptam, ex quo peti in cæteris, ac ſubintelligi ſine iteratione poſſet. Videtur autem indecorum atq; improbabile, eligere prophetam ſtudioſe quem vngat, nec dicere iis quorum intereſt, quæ ſit hæc inunctio, ne illi ſuſpicarentur mimicum hoc eſſe, & ioculatorium negotium delirantis ſenis. Præſertim cum magnitudo periculi facile ſilentium extorqueret ab hominibus, qui adoleſcentiam prætergreſſi, matura iam ætate eſſent. At parum eſt deinceps à patre honorificè habitus; à fratribus etiam contumelioſè tractatus. An dicendum hanc illis audaciam prouectiorem ætatem tribuiſſe, ſicut poſtea Semei Dauidis calamitatem? [e] Quanquam vnus tantum memoratur Eliab primogenitus aduerſus Dauidem in loquendo ſolutior, qui in tota familia erat inſtar patris, & forte exiſtimauit, rem inanem eſſe, & planè in ventos abituram. Patrem autem accuſare non placet, diuina enim inſpiratione iuuenem ad paſcua remiſerit, officium eo tempore minimè contemptũ, aut deſpicatum, & inſuper vtile, vt tanto eſſet à periculo tutior, & à ſuſpicione remotior; euenta autẽ diuinæ prouidentiæ permiſerit.

XXVIII. *Diſpar ratio filiorum Iſai & Iacobi.* S. quidem Ioannes, cui eſt ab aurea lingua nomen & gloria, Dauidi à fratrum inuidia timuit, qui meminiſſet quid Ioſepho à fratribus contigiſſet; & periculi remedium ab ignorantia petendum putauit. Verum non par Dauidi à fratribus periculum fuit, quod olim Ioſepho à patriarchis. [f] Iſti enim nihil de Ioſephi principatu in populo ſuſpicabantur, ſed de ſola familia ſua cogitabant, in qua ægre ferebant aduerſus ordinem ac iura naturæ, minimũ natu primogenitorum locum occupare, & parentis inſtar habere, fratres autem famulorum. At iſti principatum in populo agnoſcebant, qualem iamdudũ videbant in Saule. Et quamuis hunc ſibi honorem, quam alteri maluiſſent ex fratris tamen dignitate regia, ingentem in ſe gloriam redundaturam videbant, vtpote in viros, qui tanta regem conſanguinitate contingerent: quos tribunos faceret, ac centuriones, ad aliaſque in regno primarias dignitates eueheret. Nomen autem regis in hoc colloquio non planè tacitum eſt, ſed ſatis in Chriſti voce expreſſum, & ſæpe deinceps Chriſtus pro rege vſurpatur. Et fortè id vocabulum conſulto ac dedita opera vitatum fuit, vt contingit in huiuſmodi negotiis, quæ timidè perficiuntur.

XXIX. *Correctus Eliab.* Cvm ergo Dominus Eliabũ primogenitũ, quantumuis externis naturæ dotibus cõmendabilem reieciſſet, ſiue propter familiarẽ iſtiuſmodi hominibus ſuperbiã, quæ non obſcure ſe prodidit, in ipſo, Dauidem obiurgante, illiq: ſuperbiã, ac cordis nequitiã obiiciente, [g] quæ eſt Hebræorũ & Lyra. opinio; ſiue quia hoc exẽplo

[a] n 11 q 37
[b] in c. 17. v. 28.
[c] c. 16. v. 13
[d] 2. Reg. 2. 4. & c. 5 3.
[e] 2. Reg. 16.
[f] Gen. 37.

docere voluit huiuſmodi electiones ex mera & ſimplici Dei beneficentia pendere: præſertim cùm de huius vitæ bonis, honoribus, diuitiis ac dignitatibus agitur, quas promiſcuè dignis, indigniſque largitur, neque in vlla eorum merita vel demerita intuetur. Ideóque priuſquam Iacob & Eſau quidquam boni egiſſent, aut mali, * dedit Dominus Iacobi poſteris terram, quæ lacte ac melle manare diceretur. Eſau verò in aſpreta coniecit, *& poſuit montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti*, quæ eſt Toſtati ſententia. [a] Cùm inquam Dominus Eliabum reieciſſet, dixiſſetque Samuel patri eius, non eſſe Deo cordi, vt is inungeretur in regem, vocauit Iſai Abinadab ſecundo genitum; proprio ſcilicet nomine appellatum, prodire iuſſit in medium, & ſeipſum ſiſtere Samueli, qui rogans Dominum an hunc elegiſſet, idem reſponſum quod de primogenito accepit.

Electio Dei mere gratuita.

a q. 25. in c. 16.

Aminadab quoque reiicitur.

Responsionem eam licet publicè datam, propheta repetit, ac renunciat patri, qui filios ordine ætatis producebat dicens, *nec hunc elegit Dominus.* Quo audito Abinadab ſe ad Eliabum recepit, locum daturus tertio, nec foras exiit, ſicut neque Eliab, neque reliqui deinceps, ſed in eodem conclaui omnes ſubſtiterunt, vt viderent, quem tandem exitum habitura res eſſet. Vnde mox Dauid inunctus dicitur in medio fratrum eius, & Samuel de præſentibus loquens, *Non elegit*, inquit, *Dominus ex iſtis.* 70. ἐν τούτοις. demonſtrando manu eos qui aderant. Productus eſt ergo tertio loco Samma, quarto Nathanaël, quinto Raddai, ſexto Aſom, hoc enim ordine apud Ioſephum paululum variatis nominibus vſque ad Dauidem octauum numerantur, & in 1o. Paral. [b] Sed additur ibi ſeptimus Dauid, qui hic apertè numeratur octauus. Nam *adduxit*, ait Scriptura, *Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, & ait Samuel ad Iſai, non elegit Dominus ex iſtis.* At elegerat Dauid, ergo Dauid non erat ex ſeptem illis. Deinde propoſitis iam ſeptem vnus ſupererat paruulus; ſiue natu minimus, 70. ὁ μικρός, quod nos cum articulo quoque exactè dicimus, *le petit* regia & Compl. μικρότερος *le plus petit.* Is ergo erat octauus, & non vnus è prioribus ſeptem. Poſtremo, cap. ſequenti, Iſai dicitur vir grandæuus in Iſraël, qui habebat octo filios, itaque vbique ſine vlla varietate legitur.

XXX. *Et cæteri deinceps.*

b Ca 2. 13. 14.

Vidit hunc ſcopulum Ioſephus, & ita vitauit, vt contra huius autoritatem loci Dauidem ſeptimum faceret non octauum. *Quæritur*, ait S. Hieron: in tradit. Hebraicis, [c] *cur hic octo filios habere dicatur, cum in Paralip. non amplius quam 7. legantur quod ita ſoluitur. Nathan prophetam filium Samma filii ſui, quem in loco filii educauerat & nutrierat, inter filios annumerat. Nam & coram Samuele ſeptem eius filii leguntur adducti fuiſſe, & octauus eſſe in paſcuis, inter quos Nathan adductum fuiſſe manifeſtum eſt, qui & Ionathan vocatur. De quo in extrema parte Samuelis* [d] *dicitur. Percuſſit autem eum Ionathan filius Sammaa fratris Dauid. Et notandum quod vbicunque propheta vocatur, Nathan ſcribitur, non Ionathan.* Sic Hieron. quæ Rupertus quoque recitat, [e] & poſt vtrumque Comeſtor, & deinceps Lyran. Abulenſis, Dionyſius, Caiet. Alij exiſtimant eas Scripturæ ἀσυμφωνίας ita conciliari poſſe, ſi dicamus Iſai ſeptem tantum habuiſſe filios, ex eadem matre, quorum ſeptimus fuerit Dauid. Alterum autem innominatum ex alia vxore ſuſceptum. His vt lucem aliquam, ſi quo modo poſſumus, afferamus.

XXXI. *An ſeptimum*

c in c. 17. 1 Reg.

d 2. Reg. 21. 21.

e in 2. Reg c. 4. l. 1. Reg. c. 15

Num. 30.

Dicendvm videtur in primis retinendos eſſe octo filios Iſai, quos paulo ante perſpicue ex Scriptura probauimus, nec obſtare quod in 1. Paral. c. 2. [f] ſeptem tantummodo numerantur, nulla enim eo loco adiecta eſt particula ex qua hunc 7. liberorum numerum præciſum atque exactum ſignificare velit. Et cauſa eſſe aliqua poteſt, cur illic vnum Scriptura tacuerit, nulla verò eſſe poteſt, cur aliquem filium, qui non erat, Iſai affinxerit, quo argumento ſupra [g] in minore Cainam aſſerendo vſi ſumus.

XXXII. *Retinendi 8. filii Iſai.*

f v. 13. 14. 15.

g a. m. 1694. n. 2.

Dicendvm quoque Dauidem non eſſe ſeptimum filiorum Iſai, ſed octauum; Id enim ex hoc cap. 16. [h] primi regum probatum eſt, & ex cap. 17. confirmatur, [i] vbi qui priore loco dictus fuerat paruulus, hoc poſteriore dicitur minimus in editione vulgata. At dicitur ſeptimus in difficili illo Paralipomenon loco [k] reſponderi tamen poteſt eam vocem numericam, non ad ordinem generationis, ſed præſentis enumerationis pertinere, vt ſeptimus dicatur non ſeptimo loco genitus, ſed ſeptimo loco numeratus. Et genuit Dauidem ſeptimum, quem ſcilicet numeramus ſeptimum. Neque id admodum merum: nam cap. 3. libri eiuſdem

quorum octauus eſt Dauid.

h Ca. 16. n. 30.

i v. 14.

k l. 1. c. 2. v. 15.

[a] ordo filiorum Ioſiæ reperitur perturbatus, vt alio loco docebimus; cum Sellum reuera tertius ſit, & Sedechias quartus.

XXXIII. *Ne Ionathan in iis numerandus.* [a 1. Par. 3. 15.]

Existimarem præterea aſcititium iſtum Ionathan, omnino in filiis Iſai non numerari. Primum quia reuera non erat filius eius, ſed nepos; & à Samuele, non expectato diuino iudicio, reiectus fuiſſet, qui cum aliàs ſemper, tum maximè hoc tempore, in hoc regio negotio Dei iuſſis quam exactiſſimè ſtudebat obſequi, negotio inquam, quod exortum erat, ex obſequij in Saule defectu. Nec par eſt credere in tam ſuſpicioſa inquiſitione eius, qui eſſet regni candidatus, Samuelem ingenioſum videri voluiſſe, in nepote pro filio ſumendo, & permiſcendo cum filiis. Quin & durior videtur iſthæc adoptio in multitudine verorum ac naturalium liberorum, cum adoptio remedium ſit ſterilitatis, aut orbitatis. *Quod eſt* ait M. Tullius, [b] *ius adoptionis? nempe vt is adoptet, qui neque procreare iam filios poſſit, & cum potuerit ſit expertus.* Denique hæc Rabbinorum aſſertio nullum habet in ſcriptura fundamentum, & planè Ionathan hic videtur vacuum anonymi locum, quaſi caducam poſſeſſionum, Hebræorum rogatu, occupaſſe.

Adoptio. [b pro Dom. ſua.]

XXXIV. *Qui alius ſit à Nathan.*

Addo quoque Ionathan alium omnino videri à propheta Nathan. Nam S. Epiphan. in libro de vita & interitu prophetarum, ait Nathan prophetam ex Gabath vrbe Galilææ oriundum fuiſſe, ibique diu habitaſſe, ac ſepultum eſſe. At Galilæa longè erat à tribu Iuda, ad quam tota Iſai familia pertinebat. Galilæa verò ſuperior; erat in tribu Nephthali, inferior vero in tribu Zabulon, & Iſſachar. Adde quod pudet, pigétq; nefarium huius Ionathæ conſiliũ datũ Amnoni filio Dauidis, [c] ſancto Prophetæ tribuere. Et vocatur ille quidem Ionadab eo in loco, in emendatioribus libris; in quibuſdam tamen legitur Ionathan, quo modo legit etiam Abulenſis: patris nomine inuitante, ſed ſatius eſt Ionathan & Ionadab fratres dicere, filios Semmaa, fratris Dauidis. Placet autem hoc ſatis idoneo loco, antequam progrediamur ſchema familiæ Iſai deſcribere, pleriſque in locis vſui futurum. Dauidis tamen familiæ ſchemate opportuniorem in locum reſeruato. [c 2. Reg. 13 3.]

XXXV. *Schema familiæ Obed, ſiue Iſai.*

Obed filius Booz ex Ruth genuit
- Ionathan qui patruus Dauidis dicitur in lib 1 Par. 27. 32 à Septuag πατράδελφος. vocatur etiam Adobi, & frater Iſai, in tradit. Hebraicis 1. Paral. ca. 11. huius filius eſt
  - Eleazarus vnus de tribus fortiſſimis, Dauidis. 1. Paral 11. v. 12 & ibid. Hieron. in tradit. & 2 Reg 23. 9. Eſt hic patruelis Dauidis, filius patrui eius
- Iſai, qui & Ieſſe & Naas 2 Reg 17 Hieronymo interp in tradit Hebr. ... eius 7. filij 1 Paral. 2. 13. & ſeqq. memorãtur & ſorores duæ in 1 autem Reg 16 10 & 11. & ca. 17 v 12. ponuntur octo
  - Primus Eliab primogenitus 1. Reg. 17 13. & 1 Par 2 13. Dicitur etiam Elia 1. Paral c. 27. 18 & ponitur ibid. Princeps, ſiue Tribunus in tribu Iuda. repetitur eius filia
    - Abihail 2 Par 11. 18. quæ neptis, aut proneptis potius fuit. Nupſit enim Roboamo, annis ab hinc plus minus 90 ex quo ſuſcepit
      - Iehus
      - Somoriam
      - Zoom. ibid.
  - Secundus Abinadab, quem Septuag. fere vocant Aminadab, cuius tota poſteritas in obſcuro deliteſcit.
  - Tertius
    - Samma 1. Reg 16. 9 c. 17. 13.
    - Semmaa 2 Reg. 13 v 3. 32.
    - Samaa 2. Reg c. 21. 21.
    - Simaa 1 Paral. c 2. 13
    - eius filij tres
      - Ionathan 2 Reg 21. 21 vir fortiſſimus, qui in trad Hebr. dicitur Nathan Propheta.
      - Ionadab 2. Reg 13. 3. 32. vir callidus.
      - Iohel in trad 1. Par. 20.
  - Quartus Nathanael. qui in Scriptura poſteritatem non habet. 1 Paral. c. 2. v. 14.
  - Quintus Raddai 1. Paral. c 2 14 Ioſepho l. 6. ant. c 9 Rael, à Septuag. dicitur Ῥεδδαΐ. huius quoque ignoti poſteri.
  - Sextus Alom 1. Par 2. 15 Ioſepho l. 6 ant. c. 9 Aſamus ignoti liberi.
  - Septimus anonymus: dicitur tamen Dauid, 1. Paral. 2. 15. qui reuera eſt octauus, vt paulo ante n. 33. explicatum eſt. Hunc Hebræi volunt eſſe Ionathan filium Samma. ſupra n. 32
  - Octauus Dauid 1. reg. c 16. & c 17. v 12. 13 14 de quo infra.

Filiæ Iſai duæ 1. Par. 2. 16.
- Saruia quæ genuit ex Suri 2 Reg 2. 18 Ioſep. l 7. ant. c. 2. ονεί.
  - Abiſai 1. Reg. 26 6. & ſeqq percuſſit Idumæos 1 Paral. 18 12. 13
  - Ioab, princeps militiæ Dauidis 2. Reg. 8. 16. c 20. 23. occiſus à Banaia. 3 Reg. 2 34. iuſſu Salomonis v. 31 & Dauidis. 5.
  - Aſaël occiſus ab Abner 2. R. 2 13 Eius filius Zabadias 1. Par 27. 7.
  - Nepotes Dauidis ex ſorore.
- Abigail ex Iethere Iſmaelita 1 Paral 2 17 3 reg 2. 5 qui dicitur Iethra de Ieſraela 2. reg. 17. 25 genuit
  - Amaſan, quem Abſalon fecit principem exercitus pro Ioab. 2. reg 17. 25 & poſtmodum à Ioab proditoriè interficitur. 2. reg. 20. v. 9. & 10. ex inuidia v. 11.

XXXVI. *Requiritur Dauid à Samuele.*

a c.16.v.11. l.10.in lib. c.17.

Sept‑m itaque Iſai filiis ordine oblatis à parente, iiſdemque à Deo & Propheta repudiatis, dixit Samuel ad Iſai, [a] numquid iam completi ſunt filii? mirabatur neminem vltra produci, nec tamen comprobatam illam ſententiam, *Prouidi in filiis Iſai mihi regem*, quam tamen neceſſario veram eſſe oportebat: hic nimirum dicere potuiſſet Dauid, *Adoleſcentulus ſum ego & contemptus*; nam Iſai contemptim, vt ait Gregorius, certe præter opinionem, *adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues*. Alii ex Hebræo & Græco vertunt minor, ſiue minimus natu, ſicut & Hieron. ipſe cap. ſeq. [b] & vox paruulus ad ſtaturam potius, quam ad ætatem pertinet, idque videtur Iſai dixiſſe ex antitheſi Eliabi, & cæterorum, qui ſtatura erant, procera & quibus magis fauebat Senex. Nam ætate vix paruulus dici potuit, qui vigeſimum iam annum agebat, vt hoc quoque loco fatetur Abulenſ. [c] licet Seuerus Sulpitius eum paruum etiamnum puerum vocet, qua de re ſupra quoque diſputatum eſt. [d] Paſcebat porro oues, & quidem, vt videtur, ſub alterius cuiuſpiam natu grandioris paſtoris cura, qui infra [e] cuſtos vocatur, eique Dauid diſcedens oues ſibi commiſſas commendat. Pertinet hoc ad eorum temporum ſimplicitatem, cum honeſtiſſimis geniti familiis, oues paſcebant, & quærebant aſinas, & agebant bubulcos, aulica vanitate nondum in mores inducta.

qui dicatur paruulus.

b c.17.14.

c q.27.in c.16.

d num 1.

e c.17.v.20.

XXXVII. *Et euocatur Dilato prandio.*

Hic Samuel ad Iſai, *mitte*, inquit, *& adduc eum, neque enim diſcumbemus priuſquam huc ille veniat*; Par eſt credere Prophetam didiciſſe, non longe illum ab oppido abeſſe, ne non ſatis vrbana eſſet iſta retardatio & mora: & poterat quidem differri examen, & vnctio Dauidis in pomeridianum tempus; ſed exiſtimauit indecorum fore, ſi is vnus abeſſet à conuiuio, propter quem præcipue celebrabatur & qui in illo præ cæteris fratribus honorari debebat; iuxta ea quæ mox ex Ioſepho referemus. Pertinebat quoque ad ſacræ inaugurationis reuerentiam, vt à ieiunis celebraretur iſta ceremonia, vt aiunt Lyran. Dion. Abul. *Quid eſt autẽ non diſcumbemus priuſquã veniat?* inquit Greg. *niſi quia in obſeruatione ieiunii celebranda ſunt ſacramẽta vnctionis*. Prodit quoque hæc dilatio zelum Samuelis, cuius cibus videatur eſſe, vt poſtea Chriſti Domini, facere voluntatem patris, qui in cœlis eſt. Miſit itaque Ieſſe ad Dauidem famulum aliquem, rei totius ignarum, aliquid tamen ſerium ſuſpicantem, quod vidiſſet Samuelem domi, & quod iuberetur curriculò adoleſcentem euocare. Iuit itaque, euocauit, & adduxit eum minimè repugnantem, & obſequendi ſtudioſum.

XXXVIII. *Adeſt, atque introducitur. eius pulchritudo.*

Adest atque introducitur, non ſine timore fortaſſe, certe non ſine innata verecundia, & erat qui placere poſſet, *erat quippe rufus, & pulcher aſpectu, decoraque facie*; & feſtinatio gratiam rubicundi coloris adiecerat? Quidam pulchritudinem oculorum in Dauide celebrari volunt, vt Caieta. plerique ambigue vertunt, nam *pulcher oculis*, eſt qui pulchros habet oculos, & qui pulcher oculis intuentium apparet. Septuag. priorem interpretationem ſecuti ſunt μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν ſed addunt etiam alteram; vocant enim ἀγαθὸν ὁράσει κυρίῳ. decorum aſpectu, qualem[f] patriarch. Iacob Ioſephum ſuum prædicat, Gen. 49. 22. viuidos nimirum oculos habuit Dauid, acres ac perſpicaces, ingenii, generoſique animi nuncios, atque indices. Pro rufo quidam rubeum, ſiue rubicundum vertunt, A Septuag. πυῤῥάκης dicitur, id eſt rufus, rutila cæſarie, igneo colore, idem quod πυῤῥὸς, vtrumque à πῦρ. A Ioſepho παῖς ξανθὸς τὴν χρόαν, γοργὸς δὲ τὰς ὄψεις, *adoleſcens colore flauus, & martium quiddam tuens*, vt vertit Gelenius, cætera autem membra in ſtatura mediocri, grata atque amabili proportione placebant.

XXXIX. *Cum Samuel iubetur eum vngere.*

Et *ait Dominus*, non expectata interrogatione Samuelis, *Surge vnge eum, ipſe eſt enim*, quem prædixi tibi, quem prouidi mihi, non expectata inquam interrogatione; neque enim putandum eſt ſedentem interrogaſſe Dominum, ſederat autem dum adueniret adoleſcens, necdum illo ingreſſo ſurrexerat, cum Dominus, quaſi aſpectu dilecti ſibi filii factus hilarior, *ſurge* inquit, *vnge eum*. Surrexit vt maiore cum veneratione ſacram vnctionem perficeret. Sed prius, vt par eſt, eum tota de re breuiter edocuit, iuſſitque diuinæ acquieſcere voluntati; Quod ille, vt ſe ex admiratione collegit, quamuis obſequedi ſtudioſior quam imperandi, ſibi denique paſſus eſt perſuaderi; rem totam diuinæ permittens prouidentiæ, quæ ſæpe parũ idonea inſtrumenta mirabilium operum eligit, vt tanto magis intelligatur, Dei id opus eſſe, non hominis, *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius*.

Et inungit.

Sed & reliquas, vt opinor, ceremonias adiecit, quas prius in Saule vſurparat; valebant enim ad conciliandam illi, apud natu maiores fratres; internam quandam venerationem qualem vulgo laici clericis deferre ſolent. Nec paternæ erga iuuenem adhortationis eſt oblitus. *Et inungit.*

Vid. ſupr. n 27.

SCRIBIT enim Ioſephus Samuelem ab ipſa vnctione breui adhortatione vſum erga Dauidem, vtique probabiliter. *Depromit*, inquit, *ſacrum oleum, quo delibutum Dauidem in aurem admonet, Deum ita velle vt regnum in perpetuum obtineat, præcipitque vt iuſtitiam colat, & operam det ne vnquam à mandatis Dei diſcedat. Hoc enim pacto & regnum eius fore diuturnum, & familiam vniuerſam illuſtre nomen conſecuturam. Palæſtinos quoque ab illo ſubigendos, & cum quibuſcunque gentibus congreſſus fuerit, ſemper victorem rediturum; inſignemque inde gloriam tam ſibi paraturum, quam poſteris relicturum.* Sic Ioſephus, ſed prius, quod minimè factum oportuit, conuiuium celebrat. Ait enim, *qui poſtquam accitus à patre venit, adoleſcens colore flauus, & martium quiddam tuens, aliaqui liberali ſpecie: tum propheta ad patrem verſus, ſubmiſſa voce. Hic eſt*, inquit, *quem regnare Deo viſum eſt: & cum dicto accumbit, & proximum ſibi adoleſcentem collocat, ac deinceps patrem cum reliquis filiis.* ſic ipſe.

XL. *Et monitis inſtruit apud Ioſephum.* — *Vide ſupra n. 8.* — יִפְיֹפֶה, *acer, terribilis.*

XLI. *Qui hic improbatur*

QVÆ partim ex probabilitate effecta, partim ad imitationem eorum, quæ hic ipſe Propheta in Saule primum inaugurando geſſerat conformata eſſe nemo non videt. In quibus nonnulla cum bona lectoris venia improbauerim. Primum

1\. quod quæ Deus dixit Samueli, ea ipſe vult à Samuele dicta Iſai; Equidem vtrunque arbitror contigiſſe. ſed cum Ioſepho viſum eſſet, vnius tantum perſonæ verba referre, oportebat ea referre fideliter, quæ dicta fuerant à Scriptura. Alterũ

2\. quod accumbit ante inunctionem; Samuele aperte repugnante, dicenteq; *Nec enim diſcumbemus prius, quam huc ille veniat*: & ſcilicet inungatur, vt ſupra explicatum eſt. [a] Tertium quod menſæ accumbens, vel aſſidens, nam hebræam vocem

3\. Arias vertit *circum ſedebimus*, vnctionem perficit, miſcens ſacra profanis, at ſtando factam, illa verba ſatis probant, *Surge vnge eum*, quæ in omnibus æque linguis habentur. quamuis Abul. vocem *Surge*, abundare putet ex vi idiomatis hebræi, vt ſcilicet ſit idem quod *Age* hortantis. certe Saulem ſtando inunxerat. [a n. 37. נָסֹב naſob.]

4\. Denique improbarim cum Serario in aurem inſuſurrari, quæ aperte facta ſupra docuimus.

XLII. *Vnctionis effecta.*

SEQVITVR ſacræ huius vnctionis effectus. *Et directus eſt Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.* Quatuor hic attinguntur, quæ ampliorem aliquam lucem requirere videantur, vt plenius intelligatur quis ſit hic ſpiritus Domini, cuius ſcilicet author eſt ipſe Dominus Deus, qui Spiritus eſt, & ſpirituum bonorum largitor; quæ fuerit eius in Dauidem actio, quæ hic directio dicitur; quando cæpta ſit, quandiu perſeuerarit.

Quis ſit Spiritus Domini hoc loco. An gratiæ & charitatis.

QVem igitur Domini ſpiritum interpretemur in viro omnium dilectiſſimo, qui iuxta cor Domini ſit, ibi ſedeat, ibi habitet, ibi commoretur; quam ſpiritum omnium optimum, atque perfectiſſimum, ſpiritum charitatis & dilectionis, ſpiritum gratiæ gratum facientis, verum abſit à nobis ſuſpicari, hac primum die datum hunc ſpiritum Dauidi, de quo iamdudum dixerat Dominus, [b] quæſiſſe ſe, atque inueniſſe Dauidem filium Ieſſe, virum ſecundum cor ſuum. eius videlicet cordi gratiſſimum, atque acceptiſſimum, cui nihil placere poteſt, niſi quod ſanctum eſt, & diuino illo gratiæ oleo perfuſum. Auctum ſane hodie, vehementerque amplificatum in Dauide dicemus illum ſpiritum, primum autem datum non dicemus. eodemque modo aucta ea dona, quæ principem illam, ac primariam gratiam, vel natura ſua, vel Dei benignitate conſequuntur.

Dionyſ. ar. 31. — *b 1. Reg. 13. v 14. Act. 13. v. 22.*

XLIII. *An prophetiæ.*

PLERIQVE ſpiritum Prophetię intelligunt, qualem Saul à prima vnctione ſua fuerat conſecutus, cui prædixerat Samuel fore vt inſiliret in eum ſpiritus Domini, & prophetaret, & mutaretur in virum alterum. [c] Sic ergo Dauid hoc primum tempore gratiam diuinitus acceperit pſalmos, & ſpiritualia cantica, diuino ſpiritu ſuggerente atque incitante, profundere, vt ibi de Saule dicebamus. Itaque S Hierony. in traditionibus hebraicis, *Ideo directus*, inquit, *in eum ſpiritus Domini dicitur, eo quod tunc pſalmos canere cæperit.* Et hoc conſonare ait Lyranus, dicto illorum, qui dicunt ipſum in ſua vnctione feciſſe illum pſalm. *Dominus illuminatio*

c 1. Reg. 10. 6.

Vnctionis effecta Spiritus Dauidis. *Pſalm.* 26. *quando ſcriptus.*

mea. qui eſt ordine 26. in cuius titulo habetur. *Pſalmus Dauid priuſquam liniretur*, ſiue vngeretur. verum hæc vnctio ſecunda intelligenda eſt, authore Hieronymo in eum Pſal. non prima. Et recte ille quidem; apparet enim illum à Dauide poſt mortem Saulis compoſitum, exantlatis iam multis calamitatibus, & aduerſariorum incurſibus, à quibus adhuc immunis fuit. Hanc de ſpiritu prophetico ſententiam amplectitur Ioſephus, qui ait Dauidem hoc tempore concepto diuino ſpiritu Prophetare cœpiſſe.

XLIV. *An ſpiritus fortitudinis.*

Spiritvm fortitudinis multi quoque intelligunt. Nam Gregorius magnus, *Intus*, inquit, *dirigitur ſpiritus, vt quod iniungitur potenter agat. magnum quippe eſt onus ordinis, magna fragilitas carnis: onus ergo tantum, quia debili committitur, dirigitur ſpiritu, vt debilis roboretur, & magnum onus tanto gratius ferat, quanto ipſum omnipotens ſpiritus fortius ad ferendum iuuat.* ſic ipſe: quæ non minus regiæ dignitati, atque oneri, quam ſacerdotali quadrant. Hunc ipſum ſpiritum fortitudinis & conſtantiæ, ad liberandum populum probat Lyranus, quo factum fuerit, vt mox inermis, ſingulare certamen contra Goliathum, magno animo ſuſceperit. Nec par erat eo ſpiritu priuari Dauidem, qui Saulis fuerat conceſſus, cum audito gemitu Iabeſitarum *inſiluit in eum ſpiritus Domini*, ad bellum fortiter contra Ammonitas ſuſcipiendum, gerendúmque. Et hic quidem boues nihil repugnantes in fruſta conconcidit, Dauid autem vrſos etiam ac leones, perſequebatur, & percutiebat, & prædam de ore ipſorum eruebat; *& illi*, inquit, *con urgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.* quæ Abulenſis [a] vult ab hac inunctione contigiſſe. quam expoſitionem ita probat, vt priorem quoque retineat.

a q 29 in c. 16.

XLV. *An potius ſpiritus principis, qui eſt multiplex.*

Ego ſane libenter acceperim ſpiritum regium ac principalem, rege videlicet ac principe dignum, qualem ipſe poſtulabat, cum diceret: [b] *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Spiritu potenti*, ait Hieronymus, ſiue ſpiritu potentium, *vt ipſe in me, & non vitia principentur.* Eo ſpiritu, qui hominem mutat in virum alterum, qui vitia corrigit; & plebeias virtutes, regias atque Heroicas facit. qui timiditatem in audaciam vertit, animi anguſtias dilatat, præbetque *latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in littore maris*, [c] vt de Salomone legimus quo etiam referas illud Dauidis, [d] *eduxit me in latitudinem.* Eo ſpiritu, qui calliditatem in prudentiam, prudentiam in diuinam ſapientiam vertit; qui parcitatem in liberalitatem, liberalitatem in magnificentiam commutat; ſpiritu gratiæ ſeptiformis, quo vnctus eſt, & qui in illo pleniſſime requieuit, [e] qui audit *rex regum, & dominus dominantium*, & quo inungi debent, qui ab eo accipiunt vicariam, ad regendos populos, poteſtatem. A qua ſententia non multum abeſt Vatab. qui hic Spiritum intelligit fortitudinis, prophetiæ, & prudentiæ. Neque Carthuſ. & Serarius qui hic ita ſpiritus ſancti gratiam accipiunt, vt eam velint variis gratiæ gratuitæ chariſmatibus ornatam, robore corporis, animi magnitudine, muſica, poëtica, prophetia.

b in pſal. 50.
c 3. Reg. 4. 29.
d pſal. 17. 20
e Eſai. 11. 2.

XLVI. *Quis directus eſt in Dauid, & quæ ſit illa actio.*

Hic ergo Spiritus Domini regius, ac principalis, *directus eſt in Dauid*; Eandem vocem hebræam Hieronymus ſupra tertio vertit *inſiluit*, Et Septuag. perpetuo reddunt ἐφήλατο, quod ſignificat diuinæ actionis promptitudinem, longe ab humana tarditate diſtantem, qua ſenſim, & per longam actuum frequentationem in hominum animis inſtillantur habitus; ille autem ſpiritus puncto temporis animos occupat, & inſtar corporeæ lucis, quæ contrario caret, & per immenſa ſpatia momento ſe explicat, ſtatim animum illuſtrat, voluntatem afficit, omnibus animi, corporiſque facultatibus ſuauiſſime moderatur. S. Gregorius hanc directionem ſpiritus, quaſi tranſitum quendam eius à Saule ad Dauidem explicat, eo quod mox Spiritus Domini à Saule receſſiſſe dicatur. *Sed dirigi*, inquit, *ſpiritus dicitur, vt conuerſus à rege ſuperbo ſentiatur. Se ergo ſpiritus in alterum dirigit, quando eiuſdem ſpiritus gratia ſuperbos ac fictos fugit.* Abulenſis interpretatur *directus eſt in Dauid* ſedit ſuper Dauid, Pagninus manſit, quia mox eiuſdem ſpiritus conſtantia in eodem ſubiecto indicatur: rectius quam quidam, *agitare cœpit*, Arias maluit, *proſperauit*, quia hebræa vox eam quoque ſignificationem admittit ſed non ſatis imminentibus Dauidis aduerſis rebus congruentem. Retineatur ergo illud peruadere, pertranſire, inſilire, quoniam Hieronymo placuit, & Septuaginta viris.

צלח ſalath

XLVII. *Variæ Dauidis gratiæ, ſiue ſpiritûs. Prophetiæ.*

Insilvit ergo, ac prompte inuaſit Dauidem, Spiritus Domini ab hac die primæ vnctionis; non quidem ſpiritus ille gratiæ, & charitatis, vt dixi, [a] Sed ſpiritus Prophetiæ, fortitudinis & multiplex ille ſpiritus regius, ſiue principalis: quamuis negari non poſſit eorum ſpirituum ſemina illi ingenita ab authore naturæ, *qui attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Prophetię itaque gratia nunc primum donatus eſt; Alioqui erupiſſet illa foras, & iuuenem patri fratribuſque dignum veneratione reddidiſſet: nec eum illi ignotum in paſcuis, deſpectumque reliquiſſent, vt notauit Abulenſ. [b] & cum eo Serarius. Nullus itaque Dauidis Pſalmus anno vitæ ipſius vigeſimo antiquior eſt, iuxta hebręorum apud Hieronymum traditionem. Illa quoque non ſolum cum Goliatho, ſed cum leonibus etiam, vrſiſque certamina, quibuſcum luſit, quaſi cum agnis, poſteriora ſunt vt Abulenſi placet; ſingulare certe cum gigante certamen ante ceſſerunt. Denique neque Spiritus regius datus eſt Dauidi, priuſquam ius illi ad regnum ſacra vnctione, atque inauguratione datum eſſet. Diuina enim myſteria & ſacramenta, proprias habent gratias & ſuas, ſed ſocias & cohærentes, niſi quis obicem ponat,

Fortitud. — *Regius.*

[a] n. 42. — [b] q. 29 in c. 16. — ibid.

XLVIII. *Quam diuturni.*

Reliqva eſt hoc loco duratio ſpiritualis huius gratiæ, quam illa verba ſignificant, *& deinceps*, ſiue vt legit Gregorius & Abulenſis, *& in reliquum* ſcilicet tempus. *Quid eſt ergo quod dicitur* ait Gregor. *à die illa, & in reliquum? niſi quia Sancti ſpiritus gratia ſic recipitur, vt in ea electi vſque in finem perſeuerare doceantur*; & rurſum *Dirigitur ergo Spiritus in electis tantum, in die illa in reliquum, quia reprobis in exortu fidei per ſpiritum ſanctum peccata dimittuntur, ſed ſpiritus ſancti gratiam poſtmodum per iniquitatem perdunt.* Nec propterea vult S. Gregorius, electos poſt acceptam Spiritus ſancti gratiam non peccare. Id enim vel ex ipſo Dauide conſtat dici non poſſe, quem nemo grauiter peccaſſe ignorat. Sed aſſerit eos nihilominus ad gratiam redituros, & omnino donum perſeuerantiæ habituros, quò in ſtatu gratiæ moriantur, quod Dauidi contigit, Sauli non contigit.

Fructiter, vt a ait Theol. — Infallibiliter

XLIX. *Spiritus Prophetiæ quomodo perpetuus.*

Spiritvm autem Prophetiæ quomodo perpetuum habere potuit, cum is à Prophetis non per modum habitus poſſideatur, ſed ſit quoddam lumen raptim tranſiens per modum actus, cum Deo viſum fuerit prophetæ mentem illuſtrare. Reſpondeo cum Abulenſi, [c] ſatis eſſe vt aliquis Propheta ſit & eam gratiam perpetuo deinceps habere dicatur; ſi ſpiritus Propheticus qui ſubinde eum illuſtrat, nunquam eum prorſus deſerat non reuerſurus. quomodo de 70. viris. numer. 11. dicitur, cum requieuiſſet in eis ſpiritus Propheticus, prophetauiſſe, nec vltra ceſſauiſſe. [d] Spiritus quoque fortitudinis perſeuerauit in Dauide, ſic vt viribus corporis fere populares ſuos ætate ſuppares vehementer antecelleret, nec aduerſis vnquam rebus præ animi mollicie frangeretur, quod non impedit ne robur corporis aut ſenio & defatigatione langueſceret; vt ſequens docebit hiſtoria. [e] Denique regiæ illæ virtutes perpetuo cultæ, etiam in ætate decrepita floruerunt, quod ſatis colligi poteſt ex eius inſtitutione Salomonis in regem, & teſtamento quod apud eundem Salomonem moriturus edidit.

Et itē fortitudinis.

[c] q. 30. in c. 16. — [d] vide to. 2. a.m. 546 n. 139. & 140. — [e] 2. Reg. 21. 16. 3. Reg. 1. 2.

L. *Redit Samuel in patriam.*

Vnctione peracta reuerſus eſt Samuel in Ramatha, [f] patriam ſuam & locum habitationis ſuæ: nec diutius apud Iſai in Bethlehem ſubſtitit, ne Bethlehemitis ſuſpectum faceret aduentum ſuum, qui ſacrificandi cauſa ſe veniſſe dixiſſet; nec tamen ſacrificio peracto ad proprios lares reuerteretur. Nec erat opus diuturniore mora ad nouum regem inſtruendum, cum id breui oratione perfici poſſet, qualem Ioſephus expreſſit: nec vrgenda eſſet iſta inſtitutio, cum in multos annos regni poſſeſſio differretur: & quod caput eſt haberet Dauid inhabitantē Spiritum ſanctū, & ſpiritum prophetiæ, vt diuinitus edoctus homines non requireret. Nec Saulem adiuit, etſi fortaſſe non ignorabat, illum conſilio ſuo, aut conſolatione vehementer indigere, ob inflictam ei recens à Deo calamitatem. Verum diuino afflatus ſpiritu intellexit id Deo non placere, nec eam viſitationem regi, aut prophetæ vtilem fore; ſi forte ille furens, in ſenem, opinatum malorum ſuorum autorem, irrueret.

Nec Saulē adit.

[f] c. 16. 13. — Circiter 10.

LI. *Spiritus Domini recedit à Saule.*

Spiritvs *autem Domini*, ait Scriptura, *receſſit à Saule*, & qui amiſſione gratiæ, quæ ipſum gratum reddebat, & acceptum Deo, iam principem illum Dei ſpiritum amiſerat, nunc inuncto Dauide, etiam donis aliis gratuitis, quibus ille donatus

eſt,iſte priuatur,& nominatim ſpiritu fortitudinis, vt res ipſa docuit, Goliatho toti exercitui,in eius auribus inſultante. Quia enim regio magiſtratu abdicatur, regiis etiam virtutibus & gratiis,ad id munus rite obeundum congruis diuinitus ſpoliatur. Ideóque Spiritus Dei ab vno ad alterum ſignificatur tranſiſſe, vt ex Gregorio dicebamus. [a] Et Ioſephus ait numen deſerto Saule ad Dauidem commigraſſe [b] eóque factum ait,vt hic concepto diuino ſpiritu prophetare inciperet, Saul vero in morbum dæmoniacum incideret, ita vt præfocari ac ſtrangulari videretur: Sic enim explicat illud Scripturæ *Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum Spiritus nequam à Domino*, immiſſus videlicet, vel permiſſus. In eandemque ſententiam Theodoretus [c] poſita quæſtione, quomodo Spiritus malus à Domino ſuffocaret Saulem,ita reſpondet, *Cum diuinus receſſiſſet Spiritus, locum eſt ſortitus malignus ſpiritus. Hinc autem docemur clamare cum Dauide, Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Sic cum apoſtolica gratia Iudam reliquiſſet,in eum ingreſſus eſt Diabolus*. hæc ille.

a su. 46.
b l.6.ant.c. 9.
c q. 38. infra 70. & Theod.

Qvidam exiſtimant ſicut Spiritus Domini pro gratiis eius & donis in Dauide ſumitur,ita ſpiritum nequam pro effectis eius noxiis accipi in Saule. Caietanus vult hunc ſpiritum malum, fuiſſe ſpiritum melancholicum, impellentem ad malum,terrendo Saulem. *Vbi interueniebat*, inquit, *duplex paſſio immiſſa à Deo, altera corporis, in motu ſpiritus melancholici mali, id eſt, nocui: Altera animi; quoniam ex motu ſpiritus melancholici formabantur in internis ſenſibus apparitiones exterrentes Saulem*: & vtraque paſſio eſt ægritudinis naturalis, ſed Deo attribuitur, tum quia opus naturæ eſt opus Dei, tum quia ſubtrahente Deo gratuitam donum interni impulſus Diuini, compeſcentis huiuſmodi paſſionem in Saule, inualuit ſpiritus melancholicus terrens, & impellens ad malas actiones, verbi gratia ad occidendum Dauidem. Hęc Caietanus. Genebrardus autem. *Saul*, inquit, *Dei fauore deſtitutus, ſibique relictus ſpiritu melancholico iuxta hebræos, iuxta noſtros vero ſpiritu maligno correptus eſt*. ſic ipſe, aliter tamen ſenſit Ioſephus inter hebræos, vt ſtatim dicam. LII. *Quis ſpiritus agitaret Saulē, an melancholia.*

Commvnis enim tam antiquorū patrum,quam recentiū ſcriptorum ſententia eſt Saulem ab ipſomet dæmone vexatum, hac corporis eius diſpoſitione vtente, quæ cum per muſicam harmoniam mitigaretur,dæmonis quoque eum affligentis actio, quæ ſe diſpoſitioni corporeæ accommodabat, temperabatur. Ioſephus Hebræorum facile princeps, [d] hanc Saulis calamitatem non ſolum morbum, ſed morbum dæmoniacum appellet πάθη δεινὰ, ἢ δαιμόνια, & mox τὴν τῶν δαιμονίων ταραχήν. Tertullianus in libro de fuga in perſecutione. [e] *Ex cauſa reprobationis*, inquit, *traditur diabolo peccator, quaſi carnifici in pœnam vt Saul. Et abſceſſit*, inquit, *Spiritus Domini à Saule, & concutiebat eum ſpiritus nequam à Domino, & ſuffocabat eum*. Clemens Alexand. in exhortatione ad gentes. *Dauid certe*, inquit, *rex cytharœdus, longe aberat vt laudaret dæmones, qui vera muſica ab ipſo expellebantur, qua, Saule à dæmone vexato, ille ſolummodo canens, eum curauit*. S. Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum. [f] *Sed magis arbitror*, inquit, *malignum ſpiritum, à quo ipſe vexabatur Saul, ideo dictum Spiritum Domini, quod occulto Domini iudicio Saulem vexabat. Vtitur enim Deus miniſtris etiam ſpiritibus malis, ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem*, quæ ibidem fuſius ſanctus doctor perſequitur, & Eucherius cum eo.

LIII. *An potius dæmon, vt vult. Joſephus.*
d l. 6. c. 9.
e cap. 2.
Tertull.
Clem. Ale.
f q. 1.
Auguſt.
in com. in hunc lib.
Eucherius.

Lvcvlenter Iſidorus, [g] *Si Spiritus Domini cur malus? ſi malus cur Domini? Sed duobus verbis comprehenſa eſt hæc ſententia: Et in Deo poteſtas iuſta, & in diabolo voluntas iniuſta. Nam idem ſpiritus malus per nequiſſimam voluntatem, & idem ſpiritus Domini per acceptam iuſtiſſimam poteſtatem*. &c. fuſe quæ Angelomus tacitus exſcribit, vt ſolet. Magnus quoque Gregorius eleganter, *Sciendum vero eſt quia ſatanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas iniuſta: quia à ſemetipſo voluntatem habet, ſed à* Domino *poteſtatem. Quod enim ipſe facere inique appetit, hoc Deus fieri non niſi iuſte permittit. Vnde bene in libris regum dicitur. Spiritus Domini malus irruebat in Saul. Ecce vnus idemque ſpiritus, & Domini appellatur, & malus, Domini videlicet per licentiam poteſtatis iuſtæ, malus autem per deſiderium voluntatis iniuſtæ*. Ita Gregor. Theodoretus [h] hunc ipſum ſpiritum Saulis vexatorem vocat τὸ πονηρὸν πνεῦμα, & Diabolum. eodemque modo Procopius. & rurſum q. 45. Theodoretus. *Pſeudoprophetæ agitati à malo ſpiritu ſunt ſimiles furore percitis corybantibus. Hoc paſſus eſt etiam Saul vexatus à dæmone*. Hieron.[i] ait Saulem inuadente eum ſpiritu Domini malo, more arreptitiorum Prophe-

g in 1. Reg. c. 8.
LIV. *Iſidorus Gregorius.*
l. 2. mor. c. 6
h q 38. & 39. in 1. Reg.
Theodoret.
i in trad. in hunc lib.

taſſe. Scribit quoque Rupertus [a] per dæmoniacum regem Saulem, furioſum peccati regnum ſignificatum fuiſſe. In eandem ſententiam referuntur Sancti Chryſoſtomus, & Athanaſius. [b]

a l 1. Reg c. 21. b in Gloſſ. ord.

LV. *Et recentiores.*

RECENTIORES quoque interpres, ac ſcriptores, eandem plane ſententiam ſequuntur, & probant, in primiſque Toſtatus, [c] *Spiritus iſte Domini*, inquit, *erat dæmon, & datus eſt in pœnam Sauli, vt vexerat eum, ſicut faciunt dæmones in omnibus arreptitiis*, pœnam autem geminam refert vexationis, & dedecoris. Eadem ſentit Lyranus & Burgenſis, Vatablus & Emanuel Sa. Serarius, & Genebrardus, Del rio, [d] qui ait dæmonem per atram bilem vexaſſe Saulem. Valeſius, & alii, quibus cur non ſubſcribam nihil eſt, præſertim cum nec atra bilis dicatur ſpiritus, ſed humor; & quidem à ſpiritu valde diuerſus, & morbo naturali dæmon facile abuti poſſit. Et legamus [e] languidos à dæmoniis Pauli ſudariis & ſemicinctiis curatos, dæmone ſimul & languore recedente. Certe S. Baſil. [f] ait vſurarios eſſe menſtruos exactores, iis dæmonibus ſimiles, qui [illegible], quod notauit Serar. noſter. Ex quo igitur inunctus eſt Dauid, & diuino ſpiritu illuſtratus atq; roboratus, Saul vice verſa à maligno ſpiritu diuexari cœpit, & præteritæ culpę pœnas luere; cœpit & dæmonẽ habere agitatorem, qui Deũ rectorẽ neglexerat.

c q. 13. in c. 16. d l. 3. p 1. q. 4 ſ. 6. e Act. 19. 12. f in Pſa. 14

LVI. *Hoc malũ non cito agnitum.*

MALVM hoc quamuis cito ab hac Dauidis inunctione Saulem occupaſſe fateamur, non tamen tam cito agnitum videtur. Primum quia ſolet dæmon ſtudioſius occultare ſe initio, ne adhibitis diuinitus inſtitutis remediis exire compellatur. Deinde quia tam inſolens eſt atq; inauditum reges audire dęmoniacos, vt alia omnia tam ipſe, quam ſerui eius cogitaſſe putandi ſint, vixque tandem veram morbi cauſam agnouiſſe. Quin etiam vbi id primum domeſticis perſuaſum fuit, non tamen cito auſi ſunt tam turpem ac probroſam mali cauſam fateri. Significat etiam Ioſephus [g] opem à medicis diligenter quæſitam, & fruſtra, donec de perito excantatore cogitatum eſt. reliquum ergo annum hunc, cum ignoto morbo Saulem colluctari patiemur: & dolore alternatim, pudoréque affici, qualem hunc fere in modum deſcribit Chryſoſtomus. [h] *Annon videtis dæmoniacos quando reſipuerint à morbo, quam ſint ſubmiſſi, quam triſti vultu, quanta erubeſcentia vultus illorum pleni ſunt, quomodo neque obtueri audent, & propter ea quæ patiuntur confunduntur, & erubeſcunt, quamuis cauſa illorum non ſit confuſione digna, ſed miſericordia & humanitate, & venia & magna admiratione. multiſque laudibus, quando & cum tali certant dæmone, & omnia cum gratiarum actione ferunt.*

Aut confeſſum. *g l. 6 c. 9.* *Pudor arreptitiorũ.* *h Hom. 41. in Acta.*

LVII. *Dauid redit ad paſcua, & quæ ibi eius opera.*

INTEREA vero Dauid ad paſcua reuerſus eſt; nam inde euocatum Saulis iuſſu, aliquanto poſt legimus [i] cum monitu ſuorum *nuncios miſit ad Iſai, dicens mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.* Vbi quod ad corpus attinet egregia fortitudinis opera perpetrabat; & animo Prophetico cæleſti contemplatione delibutus, ſpiritualia cantica, pſalmoſque conficiebat, & modulabatur ad cytharam. Vtriuſque mihi teſtis idoneus Rupertus. vbi de Dauide. *Iſtum*, inquit, *ſecundum cor ſuum inuenerat* Dominus, *& idcirco in animam eius deoſculandam, promptiore, & recto pectore ferebatur. Quibuſnam ab effectibus elaruit quod in illum dirigeretur ſpiritus Domini? primum à gratia Prophetali, deinde & ab opere fortitudinis. Nam ex tunc pſaltes inclytus factus eſt, prophetans, & cithariZans magnalia Domini, pſalmoſque componens, myſteria continentes filii Dei, filii ſui Chriſti: Et fortitudine indutus eſt, quemadmodum ipſe teſtatur dicendo ad Saul*, [k] *Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo &c.* Ruperto cõſentit Abulenſis, [l] quem ſupra retulimus, [m] & Dionyſ. in c. 17. primi regum, quem poſtmodum referam.

i c. 16. v. 19. *Ex Ruperto.* *k in 1. Reg. c. 28. l 1. Reg. 17. 34. m n. 44. & 47. n. q. 21. & 25. in c. 17.*

LVIII. *Fortitudinis.*

DAVID itaque egregia fortitudine animi corporiſque diuino munere præditus, in ſyluis pecorúmque cuſtodia, egregia illa facinora perpetrabat, quæ ipſemet poſtea, non vanitas cauſa, ſed regis, totiuſque populi confirmandi gratia, certamen cum Goliatho initurus, publicè recitauit. *Paſcebat*, inquit, *ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam*, eminus primum lapidibus, deinde cominus, pedo paſtorali: qua percuſſione irritatæ feræ in paſtorem animoſum arietis vindicem, ſuæ etiam incolumitatis ſollicitæ dimiſſa vel amiſſa præda, 2. *Conſurgebant & apprehendebam*, inquit, *mentum eorum, & ſuffocabam*, 3. *interficiebamque eos. Nam & leonem, & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* Hanc fortitudinem 2. *γ.* 3. *χ.*

a ec.47.3. celebrans Siracides. [a] *Cum leonibus* inquit, *luſit quaſi cum agnis, & in vrſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ouium, in iuuentute ſua*, vbi leones & vrſos plurali numero dixit per amplificationem, vt fieri ſolet in laudibus. Quod ſcilicet qua facilitate ſemel ſuperauit vnum, eadem ſæpius in ſimili certamine victor eſſe potuerit: quam facilitatem ludendi vox expreſſit, vt Dauidi talis pugna, non pugna, ſed ludus videretur. Quo pertinet illud de mento, vel barba feræ apprehenſa, quaſi contemptim id faceret, nihil belluam veritus, ſed vltro inſultans.

b l.6. an. c. 10. QVID autem Ioſepho in mentem venerit neſcio, [b] vt hanc hiſtoriam ita referret, vt leonem & vrſum non mento apprehenſum & ſuffocatum diceret, vt Hieronymus, aut barba correptum vt Hebræus, vel maxilla vt Chaldæus, vel vt Septuaginta gutture, quæ eodem redeunt omnia, ſed cauda correptum, ſoloque afflictum. *Cum* inquit, *paternos greges paſſerem, raptum agnum ex ore leonis recepi, ipſamque feram in me impetum vertentem cauda correptam, ſoloque afflictam occidi*, τῆς οὐρᾶς βαστάσας, καὶ προσαράξας τῇ γῇ διαφθείρω. *neq; mitius tractaui vrſum greges inuadentem*. Pſeudophilo etiam, cui biblici cognomen, longius etiam à veritate digreſſus, lapidibus occidiſſe ait, *in ſignum*, inquit, *quod lapidibus occiſurus eſſet inimicum populi Dei*. Sed nos nihilominus cum ſanctis patribus textui ſacro adhæreamus, eiuſque deprauatoribus bonam mentem precemur: ſimulque mirabilem Dauidis fortitudinem, ac conſtantiam Samſonicæ ſupparem prædicemus, belluis omnium ferociſſimis quaſi per ludibrium inſultantem, eaſque facientem ludos, qualis mox ludus fuit Goliathum, non baliſta quapiam, vel ariete, ſed funda in terram proſternere. Nec dubium eſt quin alia quoque egregię fortitudinis opera iuuenis perpetrarit, quæ ſunt oppreſſa ſilentio: ac ne illa quidem cum feris certamina noſſemus, niſi ea reuelari ab ipſo patratore miraculi, diuinæ gloriæ interfuiſſet. *Diffidit Rex*, inquit, Chryſ. *quapropter* Dauid *egregia ſua facinora referre cogitur*. In Pſ. 50. & in hom. 46. in Geneſ. & Theodoretus q. 40.

LIX. *Ea hiſtoria à Ioſepho deprauatur.*

Alia fortitudinis opera.

c in 1. Reg. c.17. TRANSEO ad alterum Dauidicarum occupationum caput, de religioſis ipſius canticis, ſed Dionyſio, viro admodum religioſo præeunte, [c] *Vbi* inquit, *aut quando hoc factum ſit ignoratur, nec ſcriptura hoc docet. Nihilominus puto quod factum ſit poſtquam Dauid vnctus fuit in regem, quia ex tunc gratia fortitudinis corporalis ac ſpiritalis data eſt ei. Imo ex tempore illo cœpit anagogicos motus, ardētiſſimoſque affectus habere in Deum, & per ſapientiam vnitiuam, ac myſticam Theologiam contemplari diuina*: hęc ipſe. A quibus

d in pſ. 50. Hom.1. haud aliena ſunt iſta Chryſoſtomi, [d] *hic* inquit, *Dauid cum iuueniles annos ageret, ac per quam adoleſcens eſſet, obſcuriſque natalibus, terræ ac paſcendis gregibus operam nauans, vrbes & regiones ac tumultus fugiebat, atque in locis inuiis ac deſertis philoſophiæ documenta præbebat; nihil cum huius vitæ negotiis commune habens, verum ab ineunte ætate in ſolitudine, quæ virtutis collactanea eſt, vitam ducens, atque in deſertis locis velut in portu ſedens, per pecudum curam cœlorum regnum meditabatur.* Ita Chryſoſtomus, vide & Hilarium præfationem in Pſal. 62.

LX. *Prophetica Dauidis in ſyluis opera.*

QVONIAM vero tempus hoc aptiſſimum fuit ſpiritualibus canticis; & locus ſolitarius idonea palæſtra, non ſolum ad luctandum cum feris, ſed ad religioſe cum Deo beatiſque mentibus conuiuandum, non exiguam hoc tempore pſalmorum ſuorum partem à Dauide compoſitam putamus, atque decantatam. Ibi plenus Deo, imo deliciæ Domini, opera Dei mente contemplabatur, & modo alternatim, modo coniunctim lingua, fidibuſque canoris reſonabat,

LXI. *Et pietas innoteſcit.*

Quin inter denſas vmbroſa cacumina fagos
Aſſidue veniebat, vbi haud *incondita ſolus*
Montibus & ſyluis ſtudio iactabat agreſti.

Quæ nequaquam deſerti ſe finibus, aut domeſticis parietibus continebant: ſed manabant foras, & aulicis quoque viris innoteſcebant, ſermonibuſque non ſine laude celebrabantur, vt ad Saulem quoque regem perferrentur, vt dicetur anno ſequenti, quo id factum putamus, vt ante ſignificatum eſt.

DE pſalmorum porro authore non retractabo controuerſiam illam multorum iam antiquorum, recentiorumque ſtudiis agitatam, vtrū Dauidi pſalmi omnes attribuendi ſint, an plerique etiam alii in eius gloriæ ſocietatem admittendi, qui

LXII. *An plures pſalmorum autores.*

fere in Pſalmorum titulis inueniuntur inſcripti. Nec vtriuis ſententiæ ſui deſunt authores in primis illuſtres, idoneis nixi rationibus; nam priorem amplexus eſt Sanctus Chryſoſtomus non vno loco. Sanctus Auguſtinus, Theodoretus, Caſſiodorus, Beda, plurimique recentiores, in quibus LORINUS, Iacobus de Valentia, Torniellus, Emanuel Sa. Poſteriorem adamauit Sanctus Hilarius, & Sanctus Athanaſius, Euſebius, & Iſidorus, & obiter Sanctus Hieronymus. Et è recentioribus Lyranus, Abulenſis, Genebrardus, Ayganus; Eugubinus. Nobis ſatis erit priorem ſententiam, quæ viſa eſt probabilior, vnius Chryſoſtomi teſtimonio, tum confirmare, tum illuſtrare.

In ep. 134. & 139.

LXIII. *An vnus potius Dauid.*

SENTENTIAM ergo dicet Chryſoſtomus, ſimulque modum quendam, atque vſum Pſalmorum afferet, & Dauidi pſalmos firma ratione aſſeret. *Deus*, inquit, *Iſraelitis regem excitauit virtute præditum, iuſtumque & prophetam, qui librum centum & quinquaginta pſalmorum, diuino ſpiritu motus metrice ex propriis propriæ linguæ modis concinnè compoſuit, cum numero & diuerſis inſtrumentis, & ſaltationibus, & canticis eos canens, ipſe enim tenebat citharam. Habebat autem etiam ſub ſe diuerſos choros paruorum Prophetarum, ita enim eos vocabat, qui manebant apud Prophetas; ſæpe autem eos etiam filios Prophetarum nominabat, qui habebant diuerſa inſtrumenta hic quidem cymbala, ille vero tibias, alius autem tympana, alius autem pſalterium & citharam, alius autem ea quæ dicuntur bucolica. vnuſquiſque autem chorus habebat principem, puta Aſaph, Ethan, & Idithum, &c.* Quando ergo à ſpiritu incitabatur ad prædicendum vel de captiuitate populi, vel de eorum reditu, vel de doctrina morum, vel de prouidentia, vel de Chriſto Domino, vnumquemque pſalmum numeroſe componebat, tendentem ad vnum argumentum, & eum vni choro tradebat, quod ſi ei viſum eſſet in medio pſalmi, id quod pſalmi reliquum erat alii choro tradere, tunc ipſa pſalmi ſucceſſio vocabatur diapſalma. Et mox. Poſtquam autem ipſe primus pſalmum tradidiſſet, deinceps vnuſquiſque chorus & per ſe, & concorditer in eundem, & numeroſe, hi quidem in his inſtrumentis, illi vero in illis ſibi inuicem reſpondentes, in Dei gloriam & laudem ſaltando pſalmum canebant. Sic S. Chryſoſt.

In prœmio Pſal.

Modus atque vſus pſalmorum ex Chryſo.

LXIV. *Cantores Pſalmorũ, non autores.*

VNDE intelligitur pleroſque qui pſalmorum authores putantur cantores tantum fuiſſe, vt idem ex primò Paralip. probat, & ſubdit. Nonnullis autem cum ordinem & rem ipſam exacte non attendiſſent, nec ab iis qui ſciebant hæc diſcere voluiſſent, conuerſi ſunt ad allegorias: *& nec omnes, quidem Pſalmos eſſe Dauid pronunciarunt, ſed eorum qui ab ipſo* illos decantandos *acceperunt.* Nec interea dixerunt vbinam vel Dominus vel Apoſtolus aliquis in vllo pſalmo *alterius quam Dauid meminerit.* quod ſine dubio inſtar prodigii eſt in tanto numero Pſalmorum in nouo teſtamento citatorum. Nam quod dicitur Ezechias præcepiſſe leuitis vt laudarent Dominum ſermonibus Dauid, & Aſaph videntis, non probat aliquam partem Dauidicorum iſtorum ab eo eſſe compoſitam, ſed alios quoſpiam, qui non extent, vel iſtis adhibuiſſe modos. Poſtremo conſtituit S. Chryſo. Dauidem ſedentem in medio, & choros quinque Prophetarum, qui ei ſuberant, ſcilicet chorum Idithum, chorum filiorum Core, chorum Ethan, Aſaph, & Moſis hominis Dei, canentes & pſalentes pſalmos 150. qui facti erãt à ſancto ſpiritu. Hęc Chryſ. quę breuiter repetit in altero procœmio. vide S. Aug. l. 17. de ciu. c. 14. & Theodoretum præfatione in Pſalmos, quorum ille credibiliorem hanc ait eſſe ſententiam, hic etiam autorum numero potiorẽ.

cap. 16.

LXV. *Diluuntur rationes contrariæ.*

NAM quod S. Hilarius abſurdum putat omnes Pſalmos Dauidi tribuere, cũ ſuos plerique authores præferant, id videtur pro certo ponere in quo tota eſt controuerſia, & à S. Chryſoſtomo improbatur. Nec liber Pſalmorum dicitur, quod plures ſint eorum authores; ſed quod plures Pſalmos contineat, diuerſi argumenti, licet ab vno eodemq; pſalte compoſitos. Sed nec vllius eſt momenti id argumentũ, quod titulus libri huius nomen Dauidis nõ præferat, nam eodẽ etiã illud conficitur, nullũ à MOSE conſcriptum eſſe librum, cui tamen omnes ſine dubitatione quinque tribuũt, neq; S. Lucæ eſſent Acta Apoſtol. Cum ergo & communis populorum Chryſtianorum ſenſus, & vſus Eccleſiæ, vt ait Caſſiodorus, vnum prædicet Pſalm. authorem Dauidẽ: Et nemo à Chriſto Domino, vel Apoſtolis ſub cuiuſquã alterius nomine referatur; Et pleriq; qui in Pſalm. titulis aliis

Præfat. in pſal. apud Lorinum.

Concluſio.

authoribus videntur attribui, Dauidis eſſe comprobentur, vt patet ex fine pſalmi 71. vbi terminari videntur pſalmi Dauidis; cum tamen plerique præcedentium Salomoni, Aſaph, filiis Core inſcripti ſint; denique idem in omnibus ſpiritus, ſtyluſque reperiatur, fateamur vnum in omnibus loqui Dauidem, & vnum peros Dauidis Spiritum ſanctum.

Pſal 71 49. 48. 47. 46. 45. 44. 43. 41.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2969. SAVLIS 8.

1. Nu. 1. IN annis primæ vnctionis Dauidis inquirendis omiſi ineptam Rabbinorum opinionem, qui in Seder Holam c. 13. aiunt Dauidem attigiſſe ætatis annum 29. cum inunctus eſt à Samuele in medio fratrum: quo eos compulit falſa opinio de duobus annis regni Saulis, & præcipuè de mora Arcæ in Cariathiarim per 20. tantum annos, poſt quos translata fuerit à Dauide in domum Obededom. Quoniam enim Dauid, vt ipſi aiunt, trãſtulit Arcam poſt 7. annos regni in Hebron, oportet eos ſubducere ex illo 20. annorum numero, remanent ergo tredecim qui pertinent ad Saulem & Samuelem, ſed ſcriptura duos tantum tribuit Sauli, ergo vndecim reliqui pertinent ad Samuelem. Quoniam vero Dauid filius erat 30. annorum cum regnareq́ cœpiſſet, & vnctio eius biennio facta eſt ante quam regnaret ſequitur eum inunctum ineunto anno 29. ætatis. ſic ipſi. Sed hæc minime probanda ſunt; falſum eſt enim Samuelem & Saulem 13. tantum annis adminiſtraſſe Remp. cum eis Apoſtolus tribuat 40. Act. 13. Falſum eſt, & ſine vlla probatione aſſumptum, Arcam poſt vigeſimum annum translatam in Hieruſalem, cum eos annos Scriptura referat ad eam hiſtoriam, quæ in illo loco 1. Reg. c. 7. immediate ſubtexitur, non ad eam quæ longiſſime poſt l. 2. Reg. c. 6. narratur. Et vt omittam annos Samuelis & Saulis diligentius excutere, quod alibi à nobis factum eſt: circa iſtam Dauidis vnctionẽ manifeſto errat hic Rabbi cum ait vnctũ, cum Saul audiſſet a Samuele, *ſtulte egiſti, nequaquam regnum tuum vltra conſurget* &c. permiſcet enim atque confundit hiſtoriam c. 13. in quo prima Saulis culpa continetur de accelerata oblatione in Galgalis, imminentibus Philiſthæis, cum hiſtoria c. 15. de altera culpa Saulis, de violato anathemate Amalecitano, propter quam plane repudiatus eſt, & Samuel iuſſus inungere vnum de filiis Iſai. c. 16. Nec minus errat in anno Dauidis, quem hic quærimus. Nam ſi ineunte anno ætatis 29. inunctus eſt. & ſtatim mortuo Saule regnare cœpit Dauid, quod certum eſt ex initio ſecundi regum, & iſte non negat, certe oportet Dauidem initio regni Saulis vnctum eſſe, quandoquidem is biennio tantum regnauit, vt iſte fabulatur: & quod conſequens eſt oportet Saulem abdicatum eſſe à regno, antequam regnare inciperet.

Eruebam de ore eorum. eodem modo Septuag. καὶ ἐξέσπασα ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ. extraxi de ore ipſius. quòd explicari poteſt, vt philoſophi loquuntur, cauſatiue. Sed rectius eſt ſimpliciter exponere, vt dicatur Dauid extraxiſſe ouẽ ſemiuiuam ex ore ferę, vt ſicquaſi gemina accepta iniuria bellua exardeſceret. 2. N. LVIII.

Suffocabam ait Hieron. in hebræo & græco eſt percutiebam, eam tamẽ vocem S. Chryſoſt. interpretatur πνίγειν quod eſt ſtrangulare, aut ſuffocare in Pſal. 50. ὁ τὸν λέοντα πνίξας, ὁ τὸν ἄρκτον κεκρατηκώς, qui leonem ſtrangularat, qui vrſam oppreſſerat. Cui expoſitioni vehementer fauet, quod Septuag. faucium hic meminere, ἐκράτησα τοῦ φάρυγγος αὐτοῦ. tenui guttur eius. Abulenſis laceratum leonem interpretatur, aut etiam ſuffocatum. Nam q. 21. in c. 17. *ſtringebam*, inquit, *guttura eorum*, & *cogebam illos expirare*. vel *lacerabam ora eorum, apprehendens per vtramque ſcilicet ſuperiorem & inferiorem mandibulam*. ſic ipſe, vtique reſpiciens ad leonem à Samſone dilaceratum, de quo vide quæ diximus an. m. 2880. n. 14. & 15. Vrſam porro ex Septuag. Chryſoſtomus retinuit, Hebræi vrſum habent. Vrſæ feritatem cum ei rapti ſunt catuli, Scriptura memorat, 2. Reg. 17. 8. *Velut ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat*. Vide & Prouer. 17. 12. & Oſee 13. 8. omnibus tamen his locis vocem דב vertit vrſum Pagninus; rectius vrſam Hieronym. & Septuag. illa enim eſt, quæ hanc iacturam, vel ſola, vel maxime ſentit. Vide hoc de argumento hiſtoriam elegantiſſimè deſcriptam à diſertiſſimo P. Ludouico Richeomo, in libro Valedicentis animæ, cap. 3. Ibid.

ANNVS MVNDI 2970. DILVVII 1314. 5[r]. ÆTATIS 31. EXITVS AB ÆGYPTO 427. ARCÆ IN CARIATH. 30. SAMVELIS 31. SAVLIS 9. ACHIÆ PONTIF. 9. VITÆ DAVIDIS 21. TROIANI EXCIDII 99. DERCYLLI 20. IMPERII ASSYRIORVM 1039.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1083.

I. *Agnoſcitur morbus Saulis.* CVM ægritudo Saulis regis vehementius ſæuiret in dies, fieretque medicis artibus, remediiſque potentior, vt Ioſephus ſignificat, ſubiit domeſticorum eius animos illa cogitatio, ne dæmonis inhabitantis, aut ſubinde ventitantis agitatione, vexatio iſta contingeret, qua rex furere plerumque, atque inſanire videbatur. Nam vexationem hanc non fuiſſe perpetem, neque continentem, verba illa famulorum regi aſtantium plane probant, *vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua &c.* Sed & illa opinio, à multis iam ſeculis vigebat, carminibus, & incantationibus, dæmonum violentiam reprimi, maleficia cohiberi, & animi, corporiſque ſanitatem poſſe reparari. Idque intelligi poteſt ex iis, quæ in Ægypto ante annos 427. contigerunt; *Incantationum vis.* Quamuis enim incantatores ac maleficos adhibitos tantum legamus à Pharaone, [a] ad vertendas virgas in colubros, & aquam in ſanguinem; ad ranas, ſciniphesque educendos, quibus Ægyptiorũ calamitates magis, magiſq; exaggerabatur; adhibitos tamẽ ad leuationem malorum, conſtat ex libro Sapientiæ, ſed irrito conatu, & ſine vllo emolumento adhibitos. *Magicæ artis,* inquit, [b] *appoſiti erant deriſus, & ſapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. Illi enim qui promittebant timores, & perturbationes expellere ſe ab anima languente, hi cum deriſu pleni timore languebant.*

[a] Exo. 7. 11. 22. c. 8. 7. 18.
[b] Sap. 16. 7. 8.

II. *Declaratur regi, propoſito remedio.* Ex hac ergo opinione profecta eſt illa ſeruorum Saulis ad Dominum ſuum oratio. [c] *Ecce Spiritus Dei malus exagitat te;* nemo enim poteſt hæc facere, quæ tu facis, niſi fuerit dæmon cum eo. Explorata itaque iam ægritudine, quæ hactenus medicorum eluſit induſtriam, etiam idoneum, iucundum, atque in promptu poſitum excogitatum eſt à nobis remedium, quo malum hoc ſi non exterminari, leuari certe, ac mitigari poſſit, *Iubeat ergo Dominus noſter; & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras.* Explicatius aliquanto Ioſephus. [d] *Cum aliam opem non inuenirent medici, quam ſi quis peritus excantator adhiberetur, monuerunt vbique inquirendum, qui quoties rex à dæmone agitaretur, ſtans ad caput eius, voce ac fidibus ſacros hymnos caneret.* Non ergo nuda erat ac ſolitaria illa lyræ pulſatio. Sed ſacri hymni à Dauide canebantur ad lyram; vt ſimul harmonia noxiis & melancholicis humoribus degrauatum releuaret caput, ſimul etiam ſacri hymni in Dei honorem, à ſanctiſſimo iuuene decantati, dæmonum actionem Deo miſerante reprimerent.

[c] 1. Reg. 16. v. 15.
[d] l. 6. ant. c. 9.

III. *Sapienti atque vtili.* FACTVM vtique ſapienter, cum enim non mere naturalis eſſet ægritudo, ſed ea dæmon Deo permittente abuteretur, nigramque bilem præter naturam agitaret, remedium adhibitum eſt ex vtroque compoſitum. Harmonia enim delectabilis triſtitiam & timorẽ, quæ vt medicis placet, in iſtiuſmodi morbis dominantur, diſſipant ac diſſoluunt, *Pythagoras,* inquit Seneca [e] *perturbationes animi lyra componebat. Quis autem ignorat lituos & tubas concitamenta eſſe, ſicut quoſdam cantus blandimenta, quibus mens reſoluatur? Confuſis oculis proſunt virentia, & quibuſdam coloribus infirma acies acquieſcit, quorundam, ſplendore praſtringitur; ſic mentes ægras ſtudia læta permulcent.* Ita Seneca. *Harmoniæ vis contra atram bilē.* Tetro itaque hoc humore, qui cordi, cerebróque affunditur, non nihil muſica hilaritate purgato ac diſcuſſo, quies corpori animoque conciliatur, dæmon autem qui melancholica diſpoſitione gaudet,

[e] l. 3. de ira, c. 9.
Serar.

ea ſublata indirecte, & ex accidente vel abigitur, vel impeditur. Altera huius remedii pars ex pſalte ipſo, qui multum valebat apud Deum gratia, proficiſcebatur. *Diuini ſpiritus gratiam*, ait Theodoretus, [a] *acceperat Dauid; eo ergo operante per Danidem quieſcebat malignus ſpiritus.*

a q. 39.

b in c. 16. ſi.

IV. *Qui valeat contra dæmones.*

Vtrvmqve etiam Lyranus agnoſcit, [b] ait enim per melodiam, aliamue rem ſenſilem poſſe cauſari diſpoſitionem in humano corpore, per quam minus ſubiiciatur actioni dæmonum. Et rurſum cum melodia attentionem animi alliciat ad ſe, & ab alia triſti cogitatione auocet, ægritudinem à dæmone illatam mitigare poteſt, dæmonem autem expellere non poteſt, ſed id diuina vel angelica virtute contingebat, ex merito Dauidis, qui laudes diuinas in cithara canebat pro ſalute Saulis, ſicut & per orationes ſanctorum, frequenter dæmones ex corporibus obſeſſorum leguntur expulſi. Huic quoque rei melodia aliquo modo ſeruiebat, non agendo in dæmonem, ſed Dauidis deuotionem excitando. Sic Eliſæus iuſſit pſaltem ad ſe adduci, vt illo canente mens Prophetæ eleuaretur in Deum. Dauid quoque ſuo ipſius citharæ pulſu, cantuque mens vehementius efferebatur in Deum; ſicque diuinæ eius laudes ad expulſionem dæmonis plus efficacitatis habebant. Hæc fere Lyranus. Hinc autem etiam illud intelligi poteſt pſalmos aliquos, hos enim ſacros hymnos Ioſepus intelligit, iam tum à Dauide compoſitos, ac cani ſolitos.

V. *Remedium rex probat, & requirit.*

Proposito remedio morbi grauiſſimi, eoque & facili & iucundo, illico rex acquieſcit, qui ne difficile quidem, & acerbum erat recuſaturus, *& ait ad ſeruos ſuos, Prouidete mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me.* Facile erat aliquem quoquo modo pſallentem, & muſicæ, citharæque non ignarum reperire; ſed neceſſarius erat muſicus, qui lingua, & digitis eximiam delectationem afferret, ſiue quia morbus & mœror ingens non poterat modica delectatione mitigari, ſiue quia reges aſſueti delitiis, exiguo lætitiæ obiecto non tanguntur; ab aſſuetis enim, vt ait Philoſophus, non fit paſſio. Non omittam autem hoc loco, priuſquam vltra narratione prouehar, illam aulicorum Saulis notare ad communem vtilitatem, & commendare prudentiam, qui ita regi ſuo ægritudinem eius patefaciunt, ſtatim vt remedium vltro offerant opportunum. Neque enim committendum eſt illi, qui religioſo Dei timore ſit præditus, & intima principis ſui familiaritate fruatur, ſi vtriuſque ſalutis curam gerat, vt defectus diſſimulet, & non cum miti, ac forti libertate aperiat; ſiue qui regis ipſius perſonam attingunt, ſiue quorum curatio ad ipſum proprie pertinet: ſed ita tamen aperiat, vt ſtatim, ac non rogatus remedia ſubiiciat, quibus principis ſollicitudo leuetur, & aculeus monitionis hebeſcat. ne ſi admoneat duntaxat, monitor moleſtus euadat; ſin commoda quoque remedia prudenter offerat, ſapiens gratuſque animorum medicus habeatur. Hoc ego monitum ex ſapientiſſimo P. Petri Cotoni religioſiſſimi Societatis noſtræ Theologi vſu, colloquióque didici, cum Henrico magno regi Chriſtianiſſimo à concionibus, ſacriſque confeſſionibus eſſet; & ſingulari maximi, ſapientiſſimique principis beneuolentia, multis iam annis honoratus eſſet. Non ingrata erit opinor Annalium lectori tantula excurſio, gratáque commemoratio illius viri, cui iſti ipſi Annales non parum debent.

Ratio monendi principes.

R.P. Petrus Cotonus.

c c. 16. v. 18.

VI. *Monetur Saul de filio Iſai.*

Savli ægritudinis ſuæ remedium approbanti, reſpondet vnus de famulis regiis. [c] *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſsimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo.* Hic nimirum idoneus erit, qui hoc munere cum laude, fructuque fungatur. Quis in primis fuerit hic ſeruus Saulis, qui Domino ſuo hæc de Dauide ſuggeſſit Scriptura non tradidit, Ioſephus tacet. Hebræi autem apud D. Hieronymum, [d] aiunt fuiſſe Doëg. Idumæum. Quia enim hæc ficto animo, & inimico dicta ſuſpicantur, vt Dauid ad Saulem adductus, ab eo furente occideretur, & Doëg in ſequentibus inimicitias in Dauidem videtur exercuiſſe, ideo hoc ab eo conſiliũ profectum putant. *Puer iſte*, ait Hieron. & ex eo Rupertus, [e] Lyranus, Abul. [f] alii, *Doëg Idumæus fuiſſe perhibetur, inimicus Dauid; & omnia quæ de Dauid in laudẽ dixiſſe videtur, in odium eius dixiſſe dicitur, quia volebat inimicitiæ cauſa, & inuidiæ liuore, vt ad Saul veniret, quatenus ibi qualibet occaſione necaretur.* Hæc ibi. Quæ refel-

d in trad. in hunc lib.

Num à Doëg.

e l. 2. Reg. c. 1.
f q. 34.

lit Abulenſis & Serarius. Dionyſius meritò putat, ad fabulas iudaicas pertinere.

VII. *Nō videri: & rem à rabbinis male excogitatam,*

Ego religioſo, atque erudito interpreti libenter aſſentior. Nam quod tandem ſignum habent fictæ commendationis? an quia falſæ laudes? falſum. Nam pſallendi bene peritū nemo dubitat; fortiſſimum robore, vrſi iam & leones experti erāt; virum bellicoſum ætas non reſpuit, primum enim & vigeſimum agebat annum, & ſcriptura diuina paſſim iuuenes, à 20. annis & ſupra, viros bellatores vocat, viroſque fortes, & qui poſſint ad bella procedere. Prudentiam vel in agendo, vel in loquendo non habent vnde refellant: pulchritudinis teſtimonium Samuel vltro perhibuit, ſicut & amicitiæ, & familiaritatis cum Deo, quippe qui eſſet ſecūdum cor eius. At inimicus erat Dauidis: vnde obſecro norunt, tam antiquas præſertim inimicitias? & quas certe merito nō probat Abulenſ. [a] cum iuuene præſertim ruſticano, & aulę regiæ inſolenti? quod inimicitiarum fundamentum? Inter aulicos inuidia facilè naſcitur ex fauore principum, quem pauci capiunt, omnes aucupātur. At Dauid erat tunc ab aula, ſi alius quiſquam alieniſſimus. Sed eſto, fuerit inimicus: An ſperare potuit Doëg Dauidem à Saule furente potius, quam alium quemlibet occiſum iri. Imo quemlibet potius quam Dauidem furioſus inuaderet, cum ab hoc delectaretur, ab aliis per vim; amicam illam quidem, ſed vim tamen retineretur. Nōne Doëgo, ſi quid ſapiebat, potius timendum fuit, ne iuuenis tot naturæ donis, gratiæque locuples, ſeſe in gratiam principis vehementius inſinuaret, & omnibus palmam ſperati fauoris eriperet, tam beneficus præſertim, tamque neceſſarius. Faceſſat ergo iſte fictitius Doëg, quem D. Hieronym. à rabbinis male excogitatum, ſimpliciter recitare maluit, vt ſolet, quam examinare. Verum hac de re iterum poſtea.

An inimicus Dauid Doëg.

a q. 34. in c. 16.

VIII. *Hoc elogio firmari Dauidis ætatem.*

Cæterum quod hic Dauid appelletur fortiſſimus robore, & vir bellicoſus, & in loquendo cautus ac prudens, quæ ſunt maturæ ætatis indicia minimè obſcura, male angit nonnullos, qui hæc geſta, dictaque ſibi perſuaſerunt, cum Dauid decimum ſextum adhuc annum ageret. Itaque Torniellus [b] virum interpretatur non ætate, ſed animi corporiſque vigore, fortitudine, atque induſtria, quique prę monſtraret ſe in virum valde bellicoſum, ac prudentem procuidubio euaſurum. Serarius particulam *quaſi* ſubintelligit, vt ſcilicet fuerit Dauid in illa ætatula quaſi vir robuſtus. Lyranus ait non videri verum, quod ille aulicus dixit, cum eum virum bellicoſum appellauit, qui erat adhuc iuuenis. Verum ſi hæc falſa fuiſſent, & afficta Dauidi, cum is paulo poſt in conſpectum regis eſſet euocandus, timuiſſet vtique aulicus ille reprehenſionem regis; ſibi ab eo illuſum putantis, qui ætate & ſtatura puſillum adoleſcentulum, ſibi pro viro bellicoſo, & fortiſſimo robore venditaſſet. Itaque in ſtabilita iam Dauidis ætate conſiſtamus, quæ Deo fauente nihil Chronologiæ deinceps officiet, neque probabilitati.

b an 4. ær. 421.

IX. *Dauidis eximiæ dotes aulicis æmulandæ, nobilitas.*

Sed retractemus ſi placet tantillum, ac reguſtemus eximias haſce Dauidis animi, corporiſque dotes, & viro aulæ candidato digniſſimas. Atque vtinam eæ tam facile in aulicis inueniri poſſent, quam merito in illis deſiderantur, quos genus, & antiqua nobilitas commendat, regibuſque conciliat. Natus eſt Dauid ex tribu omnium nobiliſſima, & quam ipſe multo nobilitauit magis, quando in eam regiam dignitatem, ac potentiam inuexit. Requiritur in aulicis inſtitutio puerilis, liberaleſque diſciplinæ, quæ indolem fœlicem ingenii perpoliant, nullāque in re rudem eſſe patiantur. Themiſtocles enim, [c] cum in epulis recuſaſſet lyram, habitus eſt indoctior. Didicerat Dauid pſallere, niſi eam quoque ſcientiam illi cum Prophetica infuſam fuiſſe arbitrari placet, Toſtato minime repugnante: [d] preclare certe fidibus ceciniſſe conſtat, vt qui dignus conſpectu regio, auribuſque cenſeretur. Conuenit aulicos robore præſtare corporis, vt fiant bellicis laboribus pares; & animi prudentia valere, vt belli, togæque artibus reddantur inſignes. Dauid vtraque laude iam tum inſigniter præſtitit, & lacertis vel in robuſtiſſimas feras potens: & inter ſuperbos fratres, & eos qui oderant pacem, prudenter placidus atque pacificus.

Inſtitutio liberalis.

c Cic. in 1. Tuſc.

Robur.

d q. 36. in c. 16. 1. Reg.

Prudentia.

X. *Externa ſpecies pulchritudo Dauidis.*

Avlicis externa ſpecies nobilitatis, amabiliumque morum teſtimonium præbet vt par eſt, quæ beneuolentiā & quandam venerationem conciliat. Dauid ſpecioſus erat forma, egregius oculis, flaua vel fulua cæſarie, colore candidus, &

rubicundus, totius corporis tẽperamento ac proportione laudabilis; inde enim tum pulchritudo corporis tum robur exiſtunt, dignus qui parens eſſet illius, qui futurus erat ſpecioſus forma præ filiis hominum. Oportet denique aulicos eos eſſe, quos Dominus quaſi templum ſuum inhabitet; qui diuina gratia & charitate, pietate ac religione, omnibuſque diuinis virtutibus tanto reliquo populo ſint inſigniores, quanto plebs belluas adumbratis virtutibus, & aurum electro, antecedit; qui denique beatas illas mentes, principi Deo aſtantes repræſentent. Dauidi ſingulare fuit, vt Dominus eſſet cum eo, & ſpiritus Domini dirigeret eum tanquam moderator & rector: atque adeo tanquam multis pridem beneuolentiæ vinculis coniunctiſſimus. Opera quippe, animo & corpore perpetrabat, quæ ſuperiorem aliquam virtutem indicarent; & vulgo is cui res ad nutum fluunt Deum ſecum habere dicitur, eius rei exemplum [a] habes in Ioſepho patriarcha perilluſtre. Hæc ergo Dauid in aulam rudimenta tulit, vt nobilitati, auliciſque omnibus egregium eſſet ad imitandum exemplar.

Familiaritas cũ Deo.

quô Deus cũ Dauide.

a Gen. 39. 2.3. Abul. q. 37. in c. 16. 1. Reg.

XI. *Cur cũ voluit in aula verſari ante initum regnum.*

Et erat ille quidem multa aduerſa atque aſpera in aula toleraturus, multas paſſurus inſidias, varia certiſſimaque diſcrimina mortis aditurus: Sed ita erat diuina prouidentia definitum, vt ad quod regnum ſibi ius nullo labore comparauerat, in eius poſſeſſionem multis ærumnis, laboribuſque mitteretur. Nam neque ab aula, turbiſque popularibus ſecreta virtus eius, neceſſariam in populo iactationẽ habere poſſet, neque hominum beneuolentiam humano more ſibi comparare; ſine qua tamen neque regnum occupare, neque occupatum retinere potuiſſet: Quid quod neque belli, neque pacis negotia ſine hac experientia facile diſceret? & prodigioſum foret, miniméque illi prouidentiæ conſentaneum, quæ diſponit omnia ſuauiter, & quæ volebat ærumnis herois ſui exercere patientiam, eiuſque merita vehementer exaggerare, prodigioſum inquam foret, ſi ex deſertis locis in ciuitatem regiam, ex caulis ad aulam, ex ara ad thronum ſtatim proſiluiſſet: ſi pedum in ſceptrum, rhenonem in purpuram, paſtoritium petaſum in regium diadema repentinus, improuiſuſque commutaret. Sed hæc iam tacta ſuperius,[b] cum bona lectoris venia miſſa faciamus.

b an Saul. 7. n. 52. 53. 54.

XII. *Acceſſit Dauidem*,

Misit ergo Saul nuncios ad Iſai in hanc ſententiam, *Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.* Eo igitur, vt ante diximus, etiam vnctus reuerterat; idq. confirmat Ioſephus: *Mittuntur*, ait, *ad Ieſſeum, abducturi Dauidem à gregibus*: Non vtiq. ad perpetuam aut diuturnam in aula commorationem. Alioqui nõ miſiſſet, mox qui dicerent patri; *Stet Dauid in conſpectu meo*; ſed probaturus an aliquid opis in eius fidibus, cantuſque reperiret, ad morbi ſui mitigationem. Redierat itaque ad greges, nec ſuperbos hauſerat ex diuina electione ſpiritus, neque magnifice propter eximiam pſallendi ſcientiam, corporiſque ſpectatas vires circunſpiciebat ſeſe; quin potius quaſi ex infima plebecula villicus, ruſticanam vitam agere, & ruſticanus haberi minime verecundabatur, cum Dominus illum in hominem luce, atq. oculis collocare voluit, & à rege non vt aulicum, ſed vt alexicacum euocari; poſtea vero etiam vt pietatis incentorem, vt morum magiſtrum, vt rerum fortiter ſapienterque gerendarum artificem.

qui ad greges humilis reuerterat.

XIII. *Cum muneribus à patre mittitur.*

Isai accepto Regis mandato, ſtatim ſibi parendum eſſe arbitratus eſt; rem quippe ſibi ſuiſque honorificam, regi autem neceſſariam, atque ſalutarem eſſe intellexit. Verum quemadmodum coram Deo vacuum apparere prohibet diuina lex, ita & coram rege, qui Dei vices gerat in terris officia vrbanitatis nõ vult prętermitti. Itaq; filium Dauidem magnum aliquando domus incrementum, cum muneribus mittendum putauit, ſed quæ ſimplicitatem illius æui, [c] ab ambitioſo faſtu remotiſſimi egregie ſaperent, vt alio quoque loco ſignificatũ eſt; [d] quorum cum Ioſephum puderet, erant quippe ſuo ſæculo, & romanæ magnificentiæ parum conſentanea, ſed ridicula potius, ea exponere non eſt auſus; quæ tamẽ Septuaginta interpretes græcis auribus tanto ante dederant. Miſit ergo Iſai filiũ ſuum, non ſine aliquo veſtium cultu, & famulo ſocio, qui rem geſtam referret ad ſenem, & miſit cum aſino panibus onuſto, & lagena, ſiue vtre vini, & hœdo vno. Septuag. numerum panum menſura gomor exprimunt, & vtrem vini cum hœdo, vt ſcilicet hæc omnia in aſinum impoſita intelligantur, & non ſolis panibus oneratus, Dauid autem citharæ ſuę, qua regi laturus erat opẽ, minime omniũ

Abul. q. 1. in c. 16. an. Saul. n. 52.

Dauid ad Saulem mittitur, moxque redit ad patrem.

oblitus eſt.

XIV. *beneuole à rege accipitur.*

Venit *ergo Dauid ad Saulem, & ſtetit coram eo.* Ab aliquo aulicorum introdu-ctus, veneratur regem & ſuo, patriſque nomine ſalutatum muneratur, muneribus gratiam impertiente iuuene muneratore, nam

Gratius eſt pulchro veniens ex corpore munus.

itaque non munus paſtoritium, ſed paſtorem ipſum dilexit. *At ille*, ait Scriptura, de rege loquens, *dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger*, id eſt, vt Ioſephus explicat, *in ſatellitium regium aſſumitur*, ſiue in prætoriam cohortem, quæ regij corporis curam gerit, allectus eſt, vt imminenti malo præſens adeſſet remedium. Sed prius vt credere par eſt experiri voluit, quam preclare ille pſalmos modularetur, quam ſcitè attrectaret fides. Et fortaſſe tum commodùm contigit, vt Saul aduentitio furore corriperetur, & promptam acciperet à nouo medico curationem: itaque bene de ſe merentem dilexit, & beneficium perpetuum eſſe voluit. Ideoque miſit Saul ad Iſai, internuncio vſus famulo, qui cum aſino reuertebatur ad herum, dicens, *Stet Dauid in conſpectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis.*

XV. *Et retinetur ad tempus.*

Nolvit filium, vtique præ cæteris dilectum patri, vt olim Ioſephum, aut Beniaminum Iacobo patriarchæ, niſi cum bona ſenis gratia, qui ipſum fortaſſis illico rediturum putabat, apud ſe retinere diutius; id autem facile intelligitur impetratum; quidni enim in octo filiorum turba, vnus potenti principi, ad honorificum & ſalutare miniſterium concederetur? quod beneficij loco omnes ducerent, & ſtudioſiſſime ambirent. Nec tamen Rex aliam præ ſe tulit hominis retinendi cauſam, quam quod is ſibi gratus eſſet. Nam reges cæterique viri principes, nunquam videri volunt beneficium accepiſſe: [a] nam ſe alicui, minori præſertim, debitorem fateri, mortis inſtar putant; & beneficium cum accipiunt conferre ſe arbitrantur. Cum ergo adſtaret Sauli Dauid, *quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat. Recedebat enim ab eo ſpiritus malus*; ad tempus videlicet, vt in energumenis, & regio morbo diuexatis vſuuenit.

a Cic. in 2. Offic.

1. ✗

XVI. *Non diuturnum.*

Remansit itaque apud Saulem Dauid, ſed non remiſſus diu, & certo quidē conſtat ex ſequenti capite, illum ad parentem fuiſſe remiſſum. ſic enim legimus. [b] *Tribus ergo maioribus ſecuti Saulem, abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui.* quamdiu autem remanſerit, & qua occaſione remanſus fuerit, non certo conſtat. Torniellus [c] putat decem circiter menſibus apud Saulem manſiſſe; ego crediderim ſufficere multo pauciores, vt tanto probabilior ſit anni ſequentis obliuio Dauidis in Saule. Propter quam ipſe Dauidis vnctionem accelerandam, & bellum ſequens contra Philiſthæos ſex ſeptemve annis differendū putauit, parum fauente Scriptura, vti mox dicetur; aut Ioſepho, [d] qui bellum aliquanto poſt conflatum ſcribit, χρόνοις ὕστερον οὐ πολλοῖς. Initio itaque anni huius apud Saulem duos, tresve menſes ſubſtitit, moxque reuerſus eſt ad patrem, Saule vtique permittente. Cauſam autem, aut occaſionem reuerſionis ex prædictis Scripturæ verbis [e] hunc in modum colligere poſſumus.

b Ca. 17. v. 14.

c an. 4. ætat. 420. nu. 9.

d l. 6. ant. c. 10.

e Ca. 14. v. 52.

XVII. *Qua occaſione ad patrē remiſſus.*

Sentiebat Saul Philiſthæos perpetuos Iſraëlitici nominis hoſtes, bellum contra ipſos meditari, ac moliri. Ipſe autem, qui *quemcunque viderat virum fortem, & aptum ad prælium ſociabat eum ſibi*, cùm accepiſſet Iſai habere plures filios bello valdè idoneos, eos à patre abducere voluit, ſibique ſociare. Tres natu maiores non inuitus conceſſit pater, ſed eam ſimul occaſionem accepit rogandi regem, vt ad ſe filium ſuum natu minimum remitteret, quoniam non citharæ, atque otij, ſed tubarum ac belli tempus immineret; [f] & illi plurimum, iſte parum bello idoneus, aut vtilis fore putaretur.

f Abul. q. 39. in c. 16.

XVIII. *Ipſo cupiēte & Saule conſentiēte.*

Savl autem, qui dudum, diuina rem diſponente prouidentia, morbo ſe leuatum ſentiebat, ratus nullo ſuo incommodo ſeni gratificare ſe poſſe, qui filium natu minimum, vt fit, in oculis ferebat, & iſtius vnius præſentiam, trium grandiorum abſentia redimere, ac mercari quodammodo videbatur; in hanc quaſi permutationem non inuitus conſenſit; Simul etiam ſtatuens bello, Deo bene propitio, rite confecto, ſe Dauidem à patre facile recepturum, ſi forte ſenex filio, quem tenerè diligebat, ab ancipiti aliquo belli caſu metueret. Potuit etiam Dauid ipſe aulæ fugitans, & ſolitudinis amans, ſignificare, reditum ad patrem ſibi gratiſſi-

a l.6.c.16.] mum fore; aulicis, qui forte dolebant oculis, ob principis in eum amorem, non inuitis. Denique [a] Ioſephus 2 Scripturæ conſentiens, *Bello*, inquit, *hebræos inter & Paleſtinos conflato, Saul dimiſit Dauidem ad parentem Ieſſæum, tribus eius liberis contentus, quos ille ad belli ſocietatem, ac pericula miſerat, hic vero vt primu, ad paſcua rurſus, & pecorum curam reuertit.* Eodem nimirum tempore vtrumque factum eſt. 2. ex.

SCHOLIA IN ANNVM SAVLIS 9.

1. N. xx. SEptuaginta pro cithara κινύραν dicunt, voce ex hebræa כנור cinnor, quæ citharam ſignificat, deflexa; quod etiam ſequitur Ioſephus, qui pro cithara cinnyram habet. Fruſtra ergo à motu chordarum eam vocem deriuant vulgata lexica, ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ νεῦρα. Non bene quoque alii, ἀπὸ τοῦ κινύρεσθαι, quod eſt lamẽtari, quaſi cinnyra querulum ſit inſtrumẽtum, at hic non flebiles modi, ſed hilares requirebantur. Et Hebræi cinnor ducunt à כנר quod fictitium, & inſtitutum eſt.

2. N. xvii. In græco textu, quem paulo laxius vertit interpres, ſic habetur. τοῦ δὲ πολέμου συστάντος τοῖς Ἑβραίοις, καὶ τοῖς Παλαιστινοῖς Σαοῦλος ἀπέλυσε τὸν Δαβίδην πρὸς τὸν πατέρα Ἰεσσαῖον ἀρκούμενος αὐτοῦ τοῖς τρισὶν υἱοῖς, οὓς ἐπὶ συμμαχίαν, καὶ τοὺς κινδύνους ἔπεμψεν. ὁ δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἐπὶ τὰ ποίμνια πάλιν, καὶ τὰς νομὰς τῶν βοσκημάτων παραγίνεται. interpres plus quam perfecto vtitur, ſe receperat. Non recte.

Caluiſius, Codomanus, & ſi qui alii ſectarii in eundem annum conferunt Dauidem remiſſum ad patris gregem, & reuerſi pugnã cum Goliatho; rectius vno anno, & aliquanto amplius ſeiungerent, & ad eundem annũ miſſionem fratrum Dauidis ad Saulem referrent, iuxta ea quæ paulo ante num. 16. & 17. diſſeruimus.

ANNVS MVNDI 2971. DILVVII 1315. QVINTÆ ÆTATIS 32. EXITVS AB ÆGYPTO 428. ARCÆ IN CARIAT. 31. SAMVELIS 32. SAVLIS 10. ACHIÆ PONTIF. 10. DAVIDIS 22. TROIANI EXCIDII 100. DERCYLLI 21. IMPERII ASSYRIORVM. 1040.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1082.

CELEBREM hunc annum reddit glorioſiſſima Dauidis de Goliatho victoria, [b] cum ſummo Philiſthæorum probro, atque dedecore coniuncta; eique chronologiæ plane conſentit Torniellus, tam in annis mundi, Diluuij, Exitus ab Ægypto; quam Samuelis, Dauidis & Troiani excidij. Ac ne in Saulis quidem annis eſt diſſentio, niſi quod ille biennio citius eum regẽ fecit, quam nos, qui illi 18. tantum regni annos tribuimus. Abulenſis [c] exiſtimat hiſtoriam huius capitis poſteriorem eſſe hiſtoria præcedentis vno anno, aut ad ſummum duobus, quod de incompletis acceperim: nihil enim vetat hoc certamen admodum iam adulto præſenti anno contigiſſe: quæſtione autem decima in hoc caput nobiſcũ ait Dauidem fuiſſe viginti vnius, aut 22. annorum. I. Ratio temporis.

b Ca. 17. 1. Reg.

c q. 2. in c. 17.

INTEREA vero dum Dauid ab aulicis turbis expeditus moratur in paſcuis, eiuſque fratres adſcripti militiæ, regia vexilla ſequuntur, ſuſcitatum, aut reſtauratum eſt potius bellum Philiſthæorum contra Iſraëlitas; quod mirabili illa clade ſopitum fuerat, quæ ſupra cap. 14. fusè recitatur. Eius redintegrandi non alia videtur fuiſſe cauſa Philiſthæis vniuerſe, quam immortale eorum odium in populum Dei, & ambitioſum in eos dominandi deſiderium, vt facile ex Goliathi verbis intelligi poteſt, *ſi*, inquit, *ego præualuero, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis.* Manebat autem peculiariter alta mente repoſtum, deletum à Ionatha præſidium, eademque opera excuſſum perantiquum iam ſeruitutis iugum, manebat & ſubſecuta clades acerbiſſima, cum eorũ, vt putabant, veneficiis dementati Philiſthæi II. Reſtauratum à Philiſthæis bellum, eiuſq. cauſa.

ſeſe mutua cæde truncarant, moxque in fugam acti, ab Iſraelitis ad ſatietatem cæſi fuerant. Animus ergo erat, reparatis hoc ſeptennio viribus; nam ea clades in tertium Saulis annum inciderat, pro vno præſidio plura variis in locis conſtituere; Iſraelitas ferro ſemel, auro aut argento quotannis exarmare, & acerbiſſimam omnino ... ilire ſeruitutem, ſi prius pro accepta clade, poſſent ingentem aliquam calamitatem reponere.

III. *Et occaſio.*

OCCASIO fortaſſe fuerit regis non ignota ægritudo, ſpeſque non difficilis victoriæ, de hoſtili exercitu, ſub ægro capite militante. Non ignota inquam; non poſſunt enim latere, quæ ad ſummos viros pertinent, bona malaque, proſpera, atque aduerſa: faciei enim, & capitis malus habitus, ſtatim ſe prodit omnibus, quóque magis velatur ac tegitur, hoc pateſcit magis: & horologia ad eminentes erecta turres, ſtatim ab omnibus peccare deprehenduntur. Domini autem in hoc permittendo bello conſilium fuit, Saulis tum ſuperbiam & populi peccata caſtigare, non tā clade, quā metu ac pudore: in primiſq; Dauidem reddere glorioſū & primū illi quaſi gradum ad imperium ſternere. Philiſt. quoq; ſuperbiā mirabili confuſione deiicere & accepta non leui clade, fugitiuos ad ſuas ſedes, oppidaque compellere. Ea omnia ita contigiſſe ſequens hiſtoria declarabit. Non placet autē quod ait hoc loco Abulenſis,[a] Hebræos tributum etiam num Philiſthæis pependiſſe. Id enim poſt tantam victoriam & Philiſthæorum cladem abſurdū eſt: quin & verba Goliathi, vtrumque populum plane tum liberum fuiſſe ſatis docent. Nec firma eſt iſtius aſſertionis eius probatio, quod ſcilicet Dauid dicatur abſtuliſſe denique frenum tributi,[b] quod illis pendebatur ab Hebræis. Id enim à morte Saulis contigiſſe facile intelligi poteſt. cum diuiſo regno perturbata erāt, ac nutabant omnia, vt ſuo loco dicemus.

Domini in eo cōſilium.

[a] q. 3 in c. 17.

[b] 2. Reg. c. 8.

IV. *Coguntur in eundem locum copiæ.*

HOC ergo animo *Philiſthæi congregantes agmina ſua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ*; eſt enim & Socho trans Iordanem[c] Gedeonis vltione nobilitata. Hæc porro agmina ex ſingulis ſatrapiis ſiue prouinciis, aut primariis vrbibus collecta Dionyſ. putat, & ex condicto in Socho terræ Iudæ, vicinum videlicet locum conueniſſe, vbi tota de re conſilia pro re nata conferrent, Ibi *caſtrametati ſunt inter Socho, & Azeca*, locum iam olim clariſſima Ioſue victoria inſignem[d] Porro Saul, qui iamdudum contraxerat copias, ne ab exercitu imparatum Philiſthæi opprimerent, venit *in vallem terebinthi*, ſiue quercus, vt quidam malunt Hebræam vocem vertere, imitati Hieron. ſupra[e] & Chaldæum, & quædam Græca exemplaria, Aldina tamen, & Baſileēſia, ſicut & latina vulgata, terebinthum retinent: denique eadem vox elon, ab Hieronymo quercus, ilex, & terebinthus vertitur. *Et direxerūt aciem ad pugnandum contra Philiſthim*, non vt eadem hora vel die pugnarent, vt ex ſequentibus patet, ſed fixerunt tentoria, communierunt caſtra, diſpoſuerunt excubitores, ſuas quibuſque legionibus ſedes conſtituerunt, omneſque ſigno dato ad pugnam paratas eſſe iuſſerunt.

[c] Iud. 8. 15. 16.

[d] Ioſ. 10. 11.

[e] c. 10. 3.

V. *Et vterque ambiunt cōmoditatem loci.*

QVONIAM vero magnū omnino ad victoriam momentū habet, loci cōmoditate iuuari, & ex ſuperiori pugnare loco, vterque exercitus hāc loci opportunitatē affectauit, vterque ad collem caſtra collocauit. Nam vt ait Samuel,[f] *Philiſthiim ſtabant ſuper montem ex parte hac, & Iſrael ſtabat ſuper montem ex altera parte, valliſque erat inter eos.* Addit hic Ioſephus, vereor vt ſatis ex fide, Saulem ducto alacriter in hoſtem exercitu coēgiſſe Paleſtinos vt prioribus caſtris relictis, in munitiorem quendam collem è regione Iſraelitarum ſe conferrent. Quomodo enim id fieri potuit ſine pugna, quæ nulla adhuc inita fuerat? Non recte autem Abulenſis ait Ioſephum dicere mediū montē inter exercitus interfuiſſe: quod neque ille dicit, neque verum eſt, ſi quid ſcripturæ in linguis omnibus credimus. Dum autem vtrique expectant, vt ab alteris initium pugnæ ſumatur, & quis hoſtem adoriatur prior, vt in eum è ſuperiore loco irruens qui prouocatur, potiore conditione ſit ad victoriam, nonnulli abiere dies.[g] Interea venit in mentem Philiſthæis bellum ſingulari certamine terminare, eoque de alterutrius populi ſeruitute, vel dominatione paſciſci: præſertim cum apud ſe haberent virum bellatorem, cui parem opponere Iſraëlitarum caſtra omnino non poſſent. Atque ita futurum videbant, vt ſi certamen detrectarent, ſummo dedecore afficerentur, & fœdis deinceps ab omnibus proſcinderentur probris; ſin admitterent, aduerſario haud dubia

[f] ca 17. v. 3.

Offertur à Philiſthæis ſingulare certamen Hebræi.

[g] vide Abul. q. 8. c. 9. in c. 17.

morte proſtrato, præſentem libertatem cum priſtina ſeruitute commutarent.

BELLATOREM porro iſtum Scriptura in hæc verba deſcribit. *Et egreſſus eſt vir ſpurius de caſtris Philiſthinorum nomine* Goliath *de Geth, altitudinis ſex cubitorum & palmi, & caſsis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamata induebatur. Porro pondus loricæ eius quinque millia ſiclorum æris erat; & ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius. Haſtile autem haſtæ eius erat quaſi liciatorium texentium; ipſum autem ferrum haſtæ eius ſexcentos ſiclos habebat ferri: & armiger eius antecedebat eum.* Notatur primum infamia generis, vir ſpurius, incerto ſcilicet patre genitus, iuxta eorũ ſententiam, [a] qui huius vocis originem, ex errore legentium natam volunt, vt Sp. Spurius lectum ſit, ſicut Cn. Cneius, cum ſeparatim legendum eſſet, S. P. id eſt ſine patre. S. Hieronymus in tradit Hebraicis, [b] ſpurius, inquit, dicitur, quia à patre gigante, matre vero Gethæa, aliena ſcilicet muliere, natus erat. At Comeſtor; [c] iſte, inquit, ſpiritus dictus eſt, quia de ignobili patre, id eſt gentili, & nobili matre, id eſt, Iudæa natus erat, ſpurius & hybrida dicitur ignobilis ex patre, ſicut manzer, & nothus ex matre, quam ſententiã habet Gloſſ. ordin. & Dion.

VI. *Quis Goliathus.*

An ſpurius

a Plut. in proble. bis c. 47.

c 1. Reg. c. 16.

VERVM hæc parum firma mittamus. Etſi enim Hebræi hunc virum probris libenter afficiunt, & in gratiam Dauidis infamant, vt videre eſt apud Abulenſ. [d] & quidem non imperitè minus, quam indecorè; hoc tamen Goliathæi generis probrum ac dedecus, illi ex hebræo ſuo textu non hauriunt, in quo legunt, *Et egreſſus eſt vir ſtans inter duas acies*, ſiue intermedius, habenaijm, id eſt inter duos, vel ambos, ſcilicet exercitus, vt exponunt R. Dauid, Arias, Vatablus, Pagninus, alij. Ioſephus quoque; nihil enim habet de illegitimo genere, *valle quadam*, ait, *inter vtroſque intercedente; in eam è caſtris hoſtium deſcendit Gethæus Goliath, vir prodigioſa ſtatura, &c.* Sic enim vertit interpres παμμεγέθης, Septuaginta δυνατὸν tantum, id eſt potentem vocant, nec genus eius attingunt.

VII. *Quid ex Hebræo textu.*

d in hunc loc. poſt q. 5. in c. 17.

habenaiim

Notatur ſecundo prouincia ex qua oriũdus ſit Palæſthina, patria ciuitas Geth, ea fuit vna de ſatrapiis ipſorum, ab antiqua gigantum habitatione celebris, vt ſignificatum eſt in aliquot Scripturæ locis. [e]

Eius patria

e Ioſue c. 11. v. 22. 2 reg. 21. v. 20. & 22.

NOTATVR tertio ſtatura ſex cubitorum & palmi, licet in quibuſdã græcis ſint tantum 4. cubiti, quod Dauidis mediocri ſtatura iuuenis, gloriam & victoriæ magnitudinem vehementer illuſtrat, qui excelſam hanc quercum, membrorum mole formidabilem, & vel ipſo pondere firmiter conſiſtentem, vno lapidis ictu egerit in præceps. Porro hi cubiti, vt rectè obſeruauit Abulenſis, [f] non ipſius Goliathi accipiendi ſunt, ſed communes reliquorum hominum: ſiue quia nemo vnquam mortalium quatuor cubitos proprios ſua magnitudine expleuit, niſi apta membrorum proportio, & commenſuratio valde violata ſit, ea vero violata, robur corporis eximium eſſe non poteſt, quale fuit in Goliatho. Quatuor ergo longitudinis cubitos proprios non habuit, nedum ſex, cum palmi vnius epimetro. Adde quod cubiti Goliathi longitudo ignota eſt, itaque menſura, quæ debet eſſe notiſſima, nobis nota eſſe nõ poteſt. Nec difficilius eſt totius corporis magnitudinem æſtimare, quam ipſius cubitum. Illo porro proſtrato facile fuit exactam notare magnitudinem ſex cubitorum & palmi. Cubiti porro, ex communi ſententia, pedem vnum cum dimidio continent, tanta enim communiter deprehenditur longitudo ab externa inflectione medij brachij vſque ad extremum vnguem digiti medij. Nouem ergo pedum altitudine, & quatuor inſuper digitorum Goliathus diſtendebatur.

VIII. *Statura, & magnitudo. Cubitorũ. & pal.*

f q. 6. in c. 17.

IOSEPHVS ſiue magis græcos ſecutus codices, quam hebræos, ſiue aliam quampiam cubitorum menſuram adamauit, hac quam diximus, longiorem, puta duorum pedum, aut geometricam; ſiue exiſtimauit numerum cubitorum in Scriptura vitiatum, quatuor ei tantùm cubitos, cum palmo tribuit. *vir*, ait, *prodigioſa ſtatura, quatuor enim cubitos vno palmo ſuperabat, vaſtos artus conuenienti armatura protectus.* Niſi forte veritus eſt ne maior altitudo fidem ſcripturæ derogaret. Sed quid faceret lecto Og regis Baſan, nouem cubitorum longitudinis, & quatuor latitudinis? vt habetur in Deuteronomio, [g] & apud ipſummet Ioſephum. [h] Certe cum Goliathum omnes gigantem prædicent præſertim Gregorius Nazianzenus orat. 30. & Scriptura ipſa, Eccl. 47. 4. & S. Paulinus metro natali quinto. *Ille gigas pueri funda paſtoris obiuit.* Ipſe etiam παμμεγέθη, Chryſoſtomus [i] ἔμψυχον πύργον,

IX. *Ex Ioſepho,*

Et aliis.

g 3. v. 11. h l. 5. antiq. c.

i hom. 46. Gen.

carneam turrim; alibi, immani corpore vaſtiſſimum vocet, Sulpicius miræ magnitudinis, & roboris virum, non videntur hæc ſatis homini quatuor cubitorum, id eſt ſex pedum altitudinis conuenire. Cubitus autem qui dicitur geometricus ſi quis alius à vulgari eſt, ignotus eſt, etiam non vulgi hominibus, ideoque ad magnitudines deſignandas ineptus.

X. Pondus armorum.

NOTATVR quarto pondus armorum eius, non omnium quidem, ſed aliquorum, vt ex iis cætera æſtimari poſſint. Cum ergo ſicli pondus ſemunciæ ex æquo reſpondeat, vt alibi docuimus, tam in primo,[a] quàm ſecundo tomo,[b] & pluribus docet Villalpandus noſter in libro de ponderibus, & menſuris:[c] ſi aſſignauerimus libræ vncias duodecim, loricæ pondus fuerit ducentarum & octo librarum cum triente. Ferrum autem haſtæ 25. librarum. Hinc igitur clypei, & caſſidis, & ocrearum, & gladij pondus æſtimandum eſt, & hominis robur, qui hæc non ſolum ferre, ſed iis etiam facile vti poterat. Porro lorica ſiue hamata, vt olim ex Græcorum ἁλυσιδωτὸς, ſiue ſquamata, vt nunc ex Hebræo dici poteſt, cuius forma exprimitur apud Iobum.[d] Hæc ergo eius arma erant; & inſuper inſignis ſuperbia, quæ ſui confidentiam, & omnium aliorum contemptum illi afferebat, addit Ioſephus pone ſecutam armatorũ phalangẽ, coram qua faſtum ſpirabat.

a to. 1. a. m. 2138. n. 103. 104.
b to. 2. an. 2544. n. 577.
c l. 2. c. 11. & 13.
d c. 41. 6. 7. 8.

XI. Prouocat Hebræos.

IDEOQVE ſtans clamabat aduerſus phalangas Iſraël, & dicebat eis, *Quare veniſtis parati ad prælium? Nunquid ego non ſum Philiſthæus, & vos ſerui Saul? Eligite ex vobis virum, & deſcendat ad ſingulare certamen; ſi quiuerit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſerui: ſi autem ego præualuero, & percuſſero eum, vos ſerui eritis, & ſeruietis nobis;* tributis ſcilicet perpetuo penſitandis. Omnino credibile eſt ex conſenſu Philiſthæorum hæc dicta fuiſſe,[e] non enim alioqui eam conditionẽ vltro auſus eſſet offerre; & ſemel ex faſtu & animi tumore oblatam non paſſi eſſent toties iterari. Sed nec conſenſus ex parte Iſraëlitarum, nec effectus eſt conſecutus; Videbant enim bellatorum conditionem longe diſparem. Militarem hominis vanitatem eleganter exprimit Ioſephus. *Hic* inquit, *cum inter vtramque aciem conſtitiſſet, immani voce ſublata,* quę ſcilicet longe lateque exaudiretur, & teſtes vndique audaciæ ferociter exultantis colligeret. *Quid opus eſt,* inquit, *Hebræi ancipitem Martis aleam vos ſubire? Date mihi aduerſarium, & duorum periculo decernatur penes vtros futura ſit victoria, vt quorum miles ſuccubuerit, alterius partis iugum ex pacto ſuſcipiant. Præſtat enim vnum aliquem, quam totum exercitum in periculum adducere.* Hæc ille clamabat; & iſti tonitruo ingentia pectoris, & faucium & oris organa valide ſeruiebant.

ex ſuorum conſenſu.
e Abul. q. 8. in c. 17.
ex Ioſepho.

XII. Goliathi iactantia.

HÆC locutus retro ad ſuos reuertebatur. Apud eos autem gloriabundus militari more iactabat, *Ego exprobraui agminibus Iſrael hodie;* id eſt, probro afferri, inſultaui eis, oſtendens eos ignominioſa timiditate exprobrabiles, qui in tot bellatorum millibus non inueniant vel vnum, qui totius gentis dedecus, & confuſionem abſtergat, qui periculo ſuo, aliorum pudori medeatur. Et apparet ſane neminem, tum adfuiſſe illorum, qui Dauide iam ætate prouecto incredibili fortitudine, præſtiterunt, qui honoris cauſa, fortes Dauidis audiebant,[f] aut ſi qui fortaſſe illi ſuppares aderant, ſubtrahebat Dominus illis audaciam, timiditatẽ inſolitam inſinuabat, dum adueniret is cui eam gloriam reſeruabat. Itaque *audiens Saul & omnes Iſraelitæ ſermones Philiſthæi huiuſcemodi ſtupebant, & metuebant nimis.* Stupebant hominis vires, & metuebant minas, ſtupebat gigantæã membrorum molem, & parem animi immanitatem metuebant: ſtupebant arma ingentia, & cum amaro eiuſdem ludibrio, plagas intolerabiles metuebant.

Et Hebræorum metus.
f 2. Reg. 23. & 1. Par. 11. 10.

XIII. Et Saulis ipſius.

REX Saul, inquit S. Auguſtinus[g] angebatur, æſtuabat, quærebat in vniuerſo exercitu parem illi; verum non inueniebat nec forma corporis, *nec audacia prouocationis.* Nimirum experiebatur, quod ante dicebamus,[h] abiiſſe à ſe, atque euanuiſſe ſpiritum illum fortitudinis, quo præſente tot hactenus egregia facinora perpetrarat. Suos nihilominus animare volens ad ſingulare certamen, ineundum cum Philiſthæo, promitit ſe ditaturum egregiè illum, qui ſuperbiſſimum hunc Thraſonem interficeret; quin & filiam ſuam ſe illi in vxorem daturum, & domum eius immunem à tributo redditurum: hæc enim huc accerſenda ſunt quæ poſtea[i] Dauidi narrata memorantur, eaque rex ante illius aduentum edixerat, totique iam populo innotuerant. Erant autem huiuſmodi, vt vnumquemque vehementer commouere poſſent. Plerique diuitum diuitias ambiunt, Rex ingẽtes promittit;

g Serm 20. de diuer.
h an. Saulis 7. n. 55 & a. 8. n. 51.
Eiuſdem edictum.
i c 17 v. 25.

immunitates

immunitates ſibi ſuiſque ab oneribus affectant, vacationem à tributis offerri audiunt, eius vt fortitudo toti deinceps familiæ ſit fructuoſa. Denique ſi quos tangit honor ac dignitas ſingularis, nulla videtur maior optari poſſe, quam vt plebeius aliquis fortaſſe, in regis intimam nõ ſolum beneuolentiam ac familiaritatem, ſed affinitatem etiam adſciſcatur, regis vt gener audiat, cap.18. v.19. & iis gaudeat commodis, quæ tantæ ſunt conſentanea dignitati. Nec apparet alia cauſa cur Merob Dauidi dari debuerit in vxorem, quam quod is victoriam de Goliatho retuliſſet.

XV. *Sed irritũ.*

IACTABATVR quidem totis in caſtris edictum regis, ampliſſimaque promiſſa, ſed irrito conatu, & quidem pene quadrageſimum iam diem, & cum nemo vnus pugnare auderet, nec tota etiam caſtra confertim in certamen ruebant, in Philiſthæum iſtum, vt ibi fieret initium pugnæ, Philiſthæis ad defenſionem ſui primipilaris bellatoris è colle ſuo, caſtriſque procurrentibus in mediam vallem. Sed Deus hanc illis mentem, animumque videtur ſuſtuliſſe, vt tanto eſſet glorioſius, & admirabilius pugilis ſui Dauidis inopinatum certamen, & improuiſa victoria. De ipſo igitur narratio nouo exordio reſumitur, quæ magna ex parte abeſt ab editione Romana Septuaginta interpretum, & in ſcholia tranſlata eſt. Integrè tamen in hebræo fonte habetur, & editione vulgata. Plurimiſque græcis editionibus, & agnoſcitur, vt notauit Latinus Scholiaſtes, à ſancto Auguſtino [a] atque Chryſoſtomo [b] quibus adde Ioſephum [c] & Hieronymum in traditionibus hebraïcis, cum Chaldæo paraphraſte. Neceſſaria autem erat iſta narratio, vt reditus Dauidis ex aula in paſcua, & à paſcuis in caſtra intelligertur, ſimulque eius in parentem obſeruantia, & in fratres lenitas ac manſuetudo.

Dei prouidentia. — *Compl Reg. Ald. Baſil.*

a ſer. 197. & in lib. 50. hom. 31. b hom. 1. de Dauid, & Saul. c l. 6. c. 10. ant. d c. 17. 12.

XV. *Dauidis patria.*

DAVID *autem*, inquit Samuel, [d] *erat filius viri Ephrathæi, de quo ſupra ductum eſt*; in græco & hebræo habetur *huius*, ſiue *iſtius* quam vocem S. Hieron. hac paraphraſi reddidit, eo quod antecedens remotius eſſet à referente. Et Bethlehemitem, quidem non dixerat, ſed quia dubium eſſe poterat, de qua Bethlehem loqueretur, cum in tribu Zabulonia alia reperiatur, additur hic de Bethlehem Iuda; *cui nomen erat Iſai, qui habebat octo filios*, de quo numero ſupra diſputatum eſt anno Saülis octauo. [e] *Et erat vir in diebus Saul ſenex & grandæuus inter viros*: recte quidem grdãæuus & valde prouectæ ætatis, adeo, vt pauci inter viros reperirentur illi ſuperiores, aut æquales, vt interpretatur Abulenſis. [f] Quod rectè firmat noſtram chronologiam, iuxta quam ille nunc annum ſecũdum agit ſupra nonageſimum, vt cui ſeptuagenario natus eſt Dauid. Memoratur autem hic eius ſenectus, vt ratio cur ipſe bello cum filiis non interfuerit. Abierunt ergo eius loco tres filij eius maiores poſt Saul in prælium, nimirum Eliab primogenitus, & ſecundus Abinadab, tertiuſque Samma. Dauid autem erat minimus. *Tribus ergo maioribus ſecutis Saulem, abiit Dauid, & reuerſus eſt à Saul, vt paſceret gregem patris ſui in Bethlehem.* Hæc iam ſuperiore anno contigerant, vt ſuo loco diximus, [g] ſed hic occaſione miſſi ad caſtra Dauidis recitantur. Vbi non pœniteat religioſum lectorem animaduertere demiſſionem animi Dauidis. Qui licet iam factus eſſet Saülis armiger, & pſaltes, & quod caput eſt, in ptincipem populi electus, atq; inunctus eſſet, non inuitus tamen ad cuſtodiam pecorum reuerſus eſt, aulico omni cultu depoſito: eoque familiarior factus eſt Deo, quo à mundi ſtrepitu remotior fuit.

Iſai grandæuus. — *Dauidis animi demiſſio.*

e nu. 30. & ſeqq. f q 22. in c. 17. g an. Saul 9 .16. & 17. an. 10. n. & 2.

XVI. *Mittitur à patre in caſtra, & quando.*

INTEREA bellum ducitur magis quam geritur: quadrageſimum enim iam diem Philiſthæus procedebat mane, & veſperi, Hebræis inſultando, & vnum aliquem ad ſingulare certamen prouocando, quo die Dauid, miſſu patris, venit in caſtra. Propterea enim inſeritur hoc loco mentio Goliathi cum notatione temporis, vt tempus aduentus Dauidis ad exercitum præciſè, atque accuratè agnoſcatur, vt Abulenſi quoque viſum eſt. [h] Hoc ergo die *Dixit Iſai ad Dauid filium ſuum: Accipe fratribus tuis Ephi polentæ*, id eſt granorum tritici contuſorũ, & decoctorum. Septuag. habent farinæ, quam vtique coctam, & paratam ad cibũ intelligere oportet, & hoc eſt quod D. Hieron. polentam vocat. Addit & decem panes, vtiq. grandiores, vt reſpondeant Ephi polentæ, quæ menſura decẽ gomor habet, [i] & ſingula gomor tantũ capiebãt mannæ, quantũ quis vno die comedere ſoleret. Vnde etiam intelligitur onus ſat graue fuiſſe, ideoq; neque impoſitũ humeris DAVIDIS, ſed omnia hæc ſicut & formellas caſei, quę tribuno deſtinata erãt,

cum commeatu.

h in c. 17. 2. q. 14. i Exod 16.

aſino impoſita, ſicque expeditus ipſe poſſet ad fratres ſuos, non ita longè poſitos excurrere; iter vix ſex horarum fuit ſi tabulis Adricomij credimus. Ita explicat Abul. licet mox Dauid onuſtus abiiſſe dicatur, ratione ſcilicet iumenti, quod ducebat.

XVII. *Milites propriis ſumptibus militaſſe.* SVSPICARI autē hinc poſſumus milites ſibi de victu prouidere ſolitos; quo etiā pertinet, quod paulo poſt vbi nos legimus, *& cum quibus ordinati ſint diſce*, Hebr. habent *& pignus eorum tolles*, id eſt redimes, quæ dato pignore mutuo acceperint, quo modo explicant Abul. Caietanus & alij. Septuag. *Et quibuſcumque indigeant cognoſces*, ſibi ergo prouidebant per cognatos ſuos de rebus neceſſariis quod minime fuiſſet neceſſariū, ſi de commeatu prouideret militib. imperator, nec illi ſuis ſumptibus militaſſent. Itaque ſtipendiorum in Scriptura nulla eſt mentio, ante Machabæorum tempora. [a] Nec repugnat D. Paulus [b] dum negat vllum ſtipendiis ſuis militare: nam & de præſenti loquitur, & de eo quod plurimum fieri ſolet: pleroſque enim etiam nunc ſuis ſumptibus militare conſtat: Nam quod legimus Amaſiam [c] mercede conduxiſſe de Iſraël centum millia robuſtorum, centum talentis argenti, (vt millenis vnum talentum conueniret, ſingulis autem in ære Gallico 4. Franc. & 2. ſol. cum dimidio) minime mirum eſt; non enim erant ſubditi Amaſiæ, de quibus agimus, ſed alterius principis, qui regnabat in Samaria. Itaque cum illic proxime ante dictum eſſet: congregaſſe ipſum trecenta millia iuuenum de Iuda, & Benjamin, nulla fit mentio mercedis, aut ſtipendij, vnde ex oppoſito recte intelliguntur ſuis ſtipendiis militaſſe, licet auxiliares copiæ eſſent conductitiæ, de quibus recte Paulus exponi poteſt, & fortaſſe debet; erat enim Paulus Corinthiis externus operarius, qui dignus eſt mercede ſua.

Vat. Sa. | *a 1. Mac. 14. 32.* | *b 1. Cor. 9. 7* | *c 2. Par. 25. 6.* | *præter auxiliares conductitios.*

XVIII. *Munerum Iſai ſimplicitas.* APPARET hic iterum ruſticana temporis illius ſimplicitas in munere 10. formellarum caſei ad Tribunum, quas ex Hebræo caſeos lacteos vertit Pagninus, vt recentes & paruulos intelligere poſſimus cum Comeſtore. Nec mirum tantulum munus rure allatum tribuno, mille virorum præpoſito, vt eſt in Hebræo & Sept. cum ipſimet regi hœdus cum aliquot panibus, & lagena vini ſupra [d] allata ſint. vtraque munera Ioſephus pudore victus, & ſimul breuitati conſulens prætermiſit. Sed pergit ſenex de filiis ſuis ſollicitus, dare mandata. *Et fratres tuos viſitabis, ſi recte agant*, hebraicè, ſi pax ſit fratribus tuis; quo alludunt etiam Sept. Chaldæus, *bonitatem eorum afferes*, id eſt referes ad me quomodo valeant. Deniq. cum quibus ordinati ſint diſce. vox ערב gharob, ſignificat pignus, & mixtionem; & alia. Iuxta priorem ſignificationem Pagninus vertit, & pignus eorum tolles; iuxta poſteriorem S. Hieron. cum quibus commixti, ſiue ordinati ſint diſce; alluſit ſcilicet ad ordines militares, turmas, cohortes, manipulos. [1] Addunt Septuag. *& Sabbatum mecum ages*. præſcribens tempus ad reditum feriam ſextam pomeridianam, ne ille curioſitate victus, longiores in caſtris moras trahat, quam neceſſe ſit. Fortaſſe feria quinta dimiſit, & poſtridie redire voluit.

δέκα τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος. | *d c. 16. v. 20* | *eiuſdem mandata.* | *1. x.*

XIX. *Venit Dauid in caſtra.* SVRREXIT *itaque Dauid mane, & commendauit gregem cuſtodi*, [e] & onere aſello impoſito, vt ante dixi, [f] abiit ſicut præceperat illi Iſai, venitque ad vallum caſtrorum, quod hebræis dicitur, magala, commune enim nomen eſt, vt ait Serar. ſignificans caſtrorum vallum, à circulari forma ita vocatum, & quidam quaſi plauſtrorū ambitus. Erat autem is locus in quo militū ſarcinæ ſeruabātur. Non inuenit ibi fratres ſuos: exierant enim ad locum pugnæ, & ſuis quiſque locis ſtabant ad pugnam parati, ſi forte hoſtis in vallē pugnaturus deſcenderet; ad quod ſe mutuis clamoribus prouocabant, nec tamen pugnam adhuc inierant, aut conſeruerant manus, quia ſuperueniebat Goliath expoſcendo, & cum conuitio flagitādo aliquē, ad ſingulare certamen. Nec Scripturæ phraſis exigit vt fateamur factum iam aliquod initiū certaminis, licet ita viſum fuerit Abul. [g] Nam illud v. 19. *Saul autem & illi, & omnes filij Iſrael in valle terebinthi pugnabant aduerſus Philiſthiim*, idem eſt ac congregati erant ad pugnandū: ſi enim pugna iam inita eſſet, inepta eſſet, & otioſa Goliathi prouocatio. Et mox cū dicitur exercitus egreſſus ad pugnā, & vociferatus in certamine; oſtenditur tantum paratus ad pugnam, & militari clamore hoſtem ad prælium ineundum euocans. idq; amplius declarant ea verba, quæ illico ſubiiciūtur, *Direxerat enim aciem Iſrael, ſed & Philiſthiim ex aduerſo fuerāt præparati*. Præparatio ergo pugnæ hactenus vtrinque fuit, pugna non fuit.

e c. 17. v. 20 | *f nu. 16.* | *cum nondū pugnaretur* | *g q. 14. in 1. & q. 15.*

GOLIATH EIVSQVE PROVOCATIO.

XX. *Currit ad locum certaminis, ibi alloquitur fratres.*

VOCIFERATIONE militari quaſi pugnæ præludio excitus, D*auid derelinquens vaſa quæ attulerat, ſub manu cuſtodis ad ſarcinas cucurrit ad locum certaminis*, certamini videlicet deſtinatum, non autem quod iam ibi reipſa pugnaretur, otioſa enim tum fuiſſet Dauidis interrogatio, an omnia recte agerentur erga fratres ſuos, neque eſſent qui reſponderent, infligendis, vitandiſque vulneribus intenti, porro hæc interrogatio ipſiſmet Dauidis fratribus facta eſt. Nam in Hebræo habetur, *& venit & ſalutauit fratres ſuos pacifice*: eadēq; eſt ſententia in Græco & Chaldæo; idemque confirmat Ioſephus, *interim Goliathus*; inquit, *ex more progreditur; & iam inſolentior, exprobrat ne vnum quidem eſſe inter Hebræos, qui in ſingulare certamen deſcendere audeat, forte tum Dauid cum fratribus colloquebatur de patre, & rebus domeſticis*. ſic ipſe. vulgatæ eadem mens eſt: idem enim eſt ac ſi diceret, & interrogabat fratres ſuos, ſi omnia recte agerentur erga ipſos, ad quos pertinet quod ſtatim ſubditur. *Cumque adhuc ille loqueretur eis, &c.* Dum ergo & Dauid interrogat, & illi reſpondēt, viciſſimque de patre quærunt, & ſignum pugnæ præſtolantur; prodit de more Goliath, & ſuum illud quaſi ſolenne carmen intonat, quod Dauidi in rei nouitate admirationem, cæteris metum vehementem incuſſit; *Omnes enim Iſraelitæ, cum vidiſſent virum, fugerunt à facie eius, timentes eum valde*, & videlicet fratres Dauidis cum eis.

XXI. *De Goliath edocetur.*

ADMIRANTI autem Dauidi monſtrum hominis progredientis, antequam vocem ederet, dixit ei vnus quiſpiam de Iſrael. *Num vidiſtis virum hunc, qui aſcendit*, vidiſti legitur apud Lyran. & Abul. verum editio vulgata habet vidiſtis, quo modo in Hebræo, Græcoque legitur, & pluribus is loquebatur, licet ad vnum propriè ſermonem dirigeret. Dauidi ergo qui eum interrogabat, recenſque venerat reſpondit, quid ille hoſtis agitaret, & quid Rex præmij propoſuiſſet ei, qui illum occideret; & probrum commune delere. Dauid autem veritus ne ille non ſatis explorata narraret de regis edicto, & præmiis victori propoſitis, declinauit ad alios viros, quos eodem modo interrogauit, addita etiam contemptim accuſatione Philiſthæi, quæ tacitam ſui oblationem innueret; [a] *Quis enim*, inquit, *eſt hic Philiſthæus incircumciſus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* nec tam ſpe præmii, quam zelo diuini honoris mouebatur, qui in hac cauſa vertebatur, qui protector, ac defenſor eſt populi ſui; & apud infideles ex impotentia ceſſare putatur; itaque non dixit, Quis eſt hic gigas, ſed incircumſiſus; nec acies noſtras, ſed Dei viuentis.

Et regis edicto.

[a] Abul. q. 17. in c. 17.

XXII. *Significat optatum ſibi certamē,*

[b] c. 17. v. 17.

REFEREBAT *autem ei populus eundem ſermonem*, [b] & propoſitum à rege edictum confirmabat; ſimulque opinionem; haud dubiam concipiebat huncè paſcuis iuuenem, iuuenili ardore geſtientem, & Dei ſpiritu cuius honorem zelabatur, roboratum optare cum hoc Philiſthæo inire certamen: idque inter ſe muſſitabant. *Quod cum audiſſet Eliab frater eius maior, loquente eo cum aliis, iratus eſt contra Dauid & ait quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto? Ego noui ſuperbiam tuam & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium deſcendiſti.* Hæc Eliab ex fraterna potius, licet paulo feruidiore, charitate, quam inuidia dixit, vt ſentit Dionyſius: iuuenili enim feruori fratris ſui homo iam grandis natu metuebat, & eum qui pater eſſe per ætatem poterat, quaſi filium prudenter arguebat, atque obiurgabat. Theodoretus [c] inuidia motum putat, quod ſcilicet ſentiret eius animi magnitudinem, eſſe timiditatis ſuæ accuſationem; idem ſenſit, ſcripſitque Chryſoſtomus, [d] *Verum fratres eius*, inquit, *non ferentes fortitudinem ſpiritus, prouocati ſunt in inuidiam*: non vnum Eliabum, ſed plures eidem culpæ affines facit, ſicut & Theodoretus.

reprehenditur à fratre an ex inuidia.

[c] q 37. in 1. Reg.

[d] Hom. 46. in gen.

XXIII. *Accuſatur ſuperbiæ à fratre,*

ELIABVS *fratrum maximus*, inquit Ioſephus, *obiurgat hominem per imperitiam rerum, ſupra quam ætatem eius deceat ferocientem; addens ſatius eſſe, vt ad patrem, ac greges quam primum reuertatur*: Non ergo ſine contemptu & quadam ſuperbia, exiſtimatam fratris ſuperbiam exagitat, & à militiæ ſtudio ad oues amandat, quaſi paterna iam iuſſione perfunctum: ſed ab eius intentione diſſidentem; qui venerit non viſendorum fratrum gratia, ſed prælij, cumque in culpa eam curioſitatem ponat, tanto magis intelligi vult reprehendendam pugnandi voluntatem; quam ille præ ſe ferat, & ſpargat in vulgus. Hebræi putant Dauidem à fratre accuſari ſuperbiæ, quaſi propter inunctionem à Samuele acceptam magnos ſpiritus aſſumpſiſſet: verum nullam ille ſuperbiam accuſat, quam quod Dauid multo

Et curioſitatis.

fortiori æquare ſe audeat; & ſibi temere victoriam polliceatur imbellis iuuenes, & armorum inſolens, de milite veterano; ad cuius conſpectum, & vocem armatus exercitus contremiſcat, nomine autem nequitiæ intelligit aſtutam curioſitatem, quæ ſpecie viſendi fratris exercitum videre, ac prælio intereſſe voluerit.

XXIV. *Dauidis excuſatio. & quæ vii eius.*

OBIVRGATIONEM non ſuperbe repulit Dauid, eoque ſilentio accuſationem ſuperbiæ pulchrè ſuauiterque refutauit, dixitque tantum. *Quid feci? numquid non verbum eſt?* quæ verba nonnihil obſcura, ſic interpretatur Chryſoſt.[a] *At tu vide huius prudentiam, & manſuetudinem. Nihil temerarium neque aſperum eis loquitur, ſed reprimens eorum flammam, & demulcens inuidiam, inquit, Numquid non verbum eſt? Numquid inquit vidiſtis me arma arripere? nunquid vidiſtis me ordinari cum cæteris in acie? tantum videre volui, & interrogare, vnde huic tantum inſaniæ.* Ita Chryſ. quaſi dicat, verbum arguis, quod diſſimulandum foret, nec tanta acerbitate arguendum, cum facta accuſare non poſſis, quæ Abulenſis quoque eſt Vatabli & Serarij interpretatio: Emanuel Sa, *quid aliud quam locutus ſum?* Chald. *nonne verbum fuit quod dixi?* quod ſcelus admiſi interrogando & audiendo? an forte loqui non licet? nunquid verba volant rapidis ludibria ventis? quidni etiam nos liberis eis curſum demus?

a Hom. 46. cit.

XXV. *Pergit ambire certamen.*

NEC tamen propterea ab incepto deſtitit Dauid, quippe qui in corde ſuo ſentiebat animantem, & vires ſuggerentem DEUM. Pro ſua tamen modeſtia maiorem natu fratrem reueritus, ab eo paululum ad alium declinauit, eademque interrogatione vſus, idem reſponſum accepit. Hac porro interterrogatione non expetebat fieri certior, ſed cupiebat ſuum deſiderium multorum ore iactatum, regi denique innoteſcere: quod & conſecutus eſt. res enim ad ipſum rumore nuncio, aut certo authore ad regem delata eſt; & ipſius iuſſu euocatus Dauid: Regi ſiſtitur, qui fortaſſe exiſtimauit non ipſum de ſe, ſed de alio quopiam locuturũ, qui de ſe ipſe loqui vereatur. At Dauid animosè. *Non concidat cor cuiuſquam in eo. Ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum:* quaſi dicat nemo ſibi aut mihi metuat ab iſto Philiſthæo, paratus ſum contra eum inire certamen plenius Ioſephus.[b] *Quare accitus,* inquit, *& iuſſus, quid vellet dicere Non eſt inquit, rex cur abiiciamus animos, aut formidemus. Ego congreſſus cum hoſte inſolentiã eius cõpeſcam & elatum ac ferocientem proſternam, & ex terribili deridendũ reddam: tantoq; erit tua ſimul, & tuorum illuſtrior gloria, quo ab adoleſcente magis quam viro hoſtis deuictus videbitur;* ſic ipſe, quæ haud ſcio an ſatis demiſſioni animi Dauidis conueniant.

Idque apud regẽ petit.

b l. 6. c. 10.

XXVI. *Rex cunctatur, & qui puer ab eo dicatur.*

ET *ait Saul ad Dauid non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.* Puer vocatur Dauid, & quidem vt videtur Theodoreto[c] 14. aut 16. annorum, quæ videtur S. quoque Auguſtini ſententia,[d] qui explicat vocem pueri tenera ætate vix dum adoleſcentulum, & fere Chryſ.[e] quo eos non ratio Chronologiæ adduxit, ſed ſtudium exaggerandæ gloriæ Dei, quæ hoc fit illuſtrior, quo infirmiore inſtrumento potentiorem aduerſarium perculit, atque proſtrauit. Verum ratio temporis hactenus ſeruata, ſæpiuſque confirmata exigit,[f] vt hunc vigeſimum ſecundum Dauidis annum dicamus, & ante Saulis mortem octauum. Cum autem Saul admodum procera ſtatura eſſet, vt ſupra dictum eſt, Dauid autem mediori, facile puer videri, aut dici potuit: præſertim cũ Saul iam ſenex eſſet, Dauid autẽ valde iuuenis. Sed locutio etiam ipſa figurata eſt, & Mioſim habet, talibus colloquijs vſitatam. Et infra verſ. 42. non puer, ſed adoleſcens dicitur. Et in Eccleſiaſtico[g] dicitur cum vrſis & leonibus luſiſſe, non in pueritia vel adoleſcentia, ſed *in iuuentute ſua, Cum nondum totum robur deſcendit in artus.* Denique iam ſuperiore anno virum bellicoſum, & fortiſſimum robore vere dictum fuiſſe probauimus.[h] Sic Poeta de Eurialo, libro nono.

> *Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta,* & tamen ſubdit.
>
> *His amor vnus erat, pariterque in bella ruebant,* nec minus eum mox iuuenem vocat.
>
> *Quid faciat? qua vi iuuenem quibus audeat armis Eripere?*

c q. 40.

d ſer. 20. de diuerſ.

e Hom. 8. de Dauid & Saule.

f vide ſup. n. 1. & an. Saul 8. n. 36.

g c. 47. v. 3.

h n. 8.

XXVII. *Narrat Dauid ſuas victorias.*

CVM ergo cerneret Dauid regem ſibi certaminis imparitatem obiicere, vires, experientiam, ætatem maiorem requirere, *Coactus fuit admirabilis ille vir* ait S. Chryſoſtomus,[i] *hæc narrare, nolens hinc vanam gloriam aucupari, ſed in neceſſi-*

i Hom. 46. in gen.

ὁ πᾶς.

tate conſtitutus, & vt illi animum adderet, & ne ſpectaret ad vilitatem eius, quæ apparebat, ſed ad fidem quæ intrinſecus latebat, ſupernumque auxilium, quo iuuenis inermis viris armatis, & paſtor militibus fortior erat, Narrauit ergo ſua contra vrſum ac leonem certamina & victorias, quas ſupra eo anno retulimus, [a] quo putamus contigiſſe; Ex qua narratione non vires modo corporis, ſed magnitudo etiam animi, zelus diuini honoris incenſus, eximia fiducia in Deum, quo dirigente ſe offerebat certamini, apertè cernuntur. *Erit*, inquit, *& Philiſthæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis, Nunc uadam & auferam opprobrium populi: Quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?* Poſtremo, *Dominus*, inquit, *qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthæi huius.* ſic ipſe. Contumelioſè Ioſephus, ac ſuperbe. *Et hanc*, inquit, *belluam nihilo pluris facio, qui cum in Deum atque homines conuitia euomat, non patietur cœleſte numen impunè hoc illum auferre, ſed meis eum manibus perdomabit.* quod autem de leone cauda arrepto, ſoloque afflicto dixit hic Ioſephus, iam ſupra [b] reprehenſum fuit.

[a] an. Saul 8. nu. 57. & 58.

Eius animi præſentia, & in Deũ fiducia.

[b] an. mund. 1969. nu. 59

XXVIII. *Saul ſingulare certamen Dauidi permittit*

HIC rex animi magnitudinem, & vires corporis iuuenis iſtius admiratus, & ſimul intimis animis ad bene tota de re ſperandum commotus, ei fauſta precatus, pugnam illi permittit. *Intellexit*, ait Auguſtinus, [c] *cum vidit audentem puerum, aliquid diuinitatis in eo eſſe, nec illam teneram ætatem, ſine diuino inſtinctu talia poſſe præſumere. Vade*, inquit Rex, *& Dominus tecum ſit*, vel erit, vt hebraice habetur & græce: quod valet ad ſpem regis, imo fiduciam de obtinenda victoria demonſtrandam; quæ vel ex eo maximè declaratur: quod inermen denique cum baculo & funda ire permiſit. Ne tamen humanæ prudentiæ deeſſe videretur; *induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius; & veſtiuit eum lorica:* adiecit & gladium, quibus ſe accingi Dauid paſſus eſt potius, quam optauit, quippe qui confidebat in Domino ſe poſſe Goliathum ſine armis ſuperare, ſicut nuper leonem & vrſum inermis confecerat; accepit tamen arma, vt ait Abulenſis, [d] non ad maiorem cautelam, ſed vt regi obtemperaret, qui eum ſolito more armatum pugnare cupiebat, ne temere fortiſſimum iuuenem abieciſſe, ac morti tradidiſſe videretur.

[c] Serm. 10. de diuerſis

eumque armat.

[d] q. 25. in c. 17.

XXIX. *Non peccaſſe Dauidẽ ſuſcipiendo hoc certamine.*

VTRVM autem, vel Dauid admittendo, vel Saul permittendo, ſingulare certamen peccauerint pluribus diſputat Lyranus, Brugenſis, Abul. Thoring. Serar. alii: præter Theologos quos vocant ſcholaſticos. Dico breuiter certiſſimum eſſe Dauidem in hoc certamine non peccaſſe, imo magnam à Deo gratiam iniuiſſe, qui illud ipſo inſpirante atque impellante ſuſcepit; quo pertinet illud, *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum*: habebat enim ſecum dirigentem & moderantem Deum ex quo eius imperio iniunctus fuerat; neque vſquam hoc nomine à Scriptura reprehenditur: quin potius copioſe laudatur; [e] *Numquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gente? In tollendo manum ſaxo fundæ deiecit exultationem Goliæ:* & ne putaremus iuuenili eũ temeritate, aut humano affectu atq; impulſu oblatum à barbaro certamen ſuſcepiſſe, ſubdit. *Nam inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis ſuæ;* Itaque hoc opus Dauidis vt inſtrumenti, Domini, qui vires animoſque miniſtrabat, vt authoris fuit: ſi ergo cædes Iſaaci viri innocentiſſimi in Abrahamo, eam Dei iuſſu ſuſcipiente, non criminis, ſed maximi meriti opus fuit; quanto magis cædes improbiſſimi capitis, eodem inuitante ſummæ laudi vertendum eſt?

[e] Ecc. 47 4.

fuiſſe id opus Dei.

XXX. *Neque Saul permittendo.*

AC ne Saul quidem in hoc certamine permittendo peccauit. Si qua enim ab eo culpa admiſſa eſt, ea vel iniuſtitiæ, vel temeritatis fuit. Iniuſtitia quî potuit? cum bellum ex parte Iſraëlitarum iuſtum eſſet, atque legitimum; ſeſe enim ac libertatem ſuam tutabantur contra Philiſthæos, à quibus iam tot annos vexati fuerant iniuſtiſſimo, atque improbiſſimo dominatu. Cum autem perinde ſit ad belli rationem ſiue id plurimorum, ſiue paucorum, ſiue duorum geratur manu, certe ij à quibus ſtat belli iuſtitia, ſiue multi fuerint, ſiue vnus dumtaxat æque ab iniuſtitiæ culpa vacant; cuius viceuerſa violatæ, rei ſunt aduerſarij, ſiue vnus tantum, ſiue multi in armis fuerint. Et quemadmodum iuſtum bellum ſuſcipere vltro licet ac gerere; & illatum omni ope propulſare: ita & hoc quaſi priuatum bellum in cauſa publica, & poſcere licet, & oblatum ad-

Monomachia quæ iuſta ſit.

mittere, ac gerere, idque ex communi doctrina docet hoc loco Serarius. Neque enim aut bellum, aut ſingulare certamen, aut cædes hominis eiuſmodi ſunt natura ſua, vt bene fieri numquam poſſint; ſed ex cauſa iuſta, & authoritate legitima bellum in hoſtem ſuſcipitur, & latro ſuſpenditur, & homo qui commune crimen proprium facit & ſuum, ſingulari hominis vnius ferro mactatur. Nec magis hic reprehendendum eſt innocentem vnum diſcrimen capitis adire, quam in bello iuſto plurimas legiones, quæ culpa vacant. Nihil ergo in hoc certamine gerendo, nedum permittendo peccatur.

XXXI. *Quæ iniuſta,* Ea tamen monomachia, quæ ex cōdicto in priuata cauſa ſuſpicitur, nec rectè ſuſpicitur, neque petitur, neq. à publica poteſtate conceditur. Nam vt rectè vidit Serarius noſter, [a] qui prouocat ad huiuſmodi certamen, vel illud admittit, ſi nocens eſt, culpam ſuam innocentis morte purgare vult; quod iniuſtiſſimum eſt; ſi innocens, ſeipſum famamque ſuam temere periculo mortis addicit: cum non teneatur Dominus miraculo hominis innocentiam patefacere, ſed velit cōmunes prouidentiæ diuinæ, humanæque leges ſeruari; ideoque ſæpe contigerit eū, qui maximè in culpa erat, victorem euadere. *Neque à principibus concedēda.* Qui autem Princeps aut Iudex concedit huiuſmodi certamen, vel ſcit eum qui accuſatur eſſe innocentem, & eum debet abſoluere; vel nocentem, & damnare debet; vel in dubio eſt, & ſi alia via non ſuppetit eruendæ veritatis, pronunciandum eſt, non liquere: & res diuino iudicio permittenda, neque innocentia in diſcrimen adducenda eſt. Dixi autem ex condicto, nam alioqui vim vi repellere naturæ lege licet; in certamine ſingulari non vis vi repellitur, ſed tam ab offerēte, quam ab admittente infertur. *Ea ſeuere prohibita.* Et huiuſmodi priuatam monomachiam concilia, ſummique pontifices, ſanctiſſimis docretis, ſeueriſſimiſq; prohibuerunt, vt ſeorſim docebimus. 2 Etſi enim vniuersè omnem monomachiam prohibere videantur, priorem tamen illam quam diximus, vt maxime infrequentem non attingunt.

[a] in c.17. 1. Reg.

[2] c. x.

XXXII. *Saul non temere Dauidi certamen conceſſit.* Temeritatis autem vitium Sauli permittenti ſingulare certamen Dauidi minimè inurandum eſt; prudenter enim exiſtimare potuit eum iuuenem, qui inermis urſorum, ac leonem victor euaſerat, hominem quamuis bellicoſum ſuperare poſſe. Non temerè quoque exiſtimare potuit agiles corporis motus eludere poſſe armorum petitiones ita coniectas, vt vitari non poſſe viderentur. Dauidē autem corporis agilitate præſtitiſſe admodum credibile eſt: idque etiam confirmant illæ declinationes, quibus totius lanceam Saulis etiam è propinquo vibratum eluſit. Deinde rectiſſime credidit in cauſa publica illi affuturum Deum, qui non deeſt in neceſſariis, & loco armorum futurum, quoniam iis non ex vanitate, ſed neceſſitate potius, etiam facto periculo, abſtinebat. Poſtremo committendo Dauidem certamini, nihil præiudicij cauſæ publicæ afferebat; non enim vt Goliathus, in vnius perſonæ caſu populi ſui ſeruitutem illigarat, ſed tota res apud Iſraëlitas ſuo in ſtatu erat perſeueratura, vt mox dicetur.

XXXIII. *An ſuis armis, & quomodo.* Recte autem meo iudicio notauit Lyranus hæc Saulis arma, non dici Saulis, quod ea rex ipſe geſtare ſoleret, vix enim vllam poterant cum Dauide habere proportionem. Erat quippe Saul proceræ ſtaturæ vt conſtat, & membris omnib. magnitudini congruentibus. Dauid autem humiliore ac breuiore multo ſtatura, & omnibus corporis partibus multo minor, vt ei nec galea, nec lorica, nec enſis vſui eſſe poſſent. At inquies, eam ob cauſam iis vti noluit, ſed ea depoſuit, quod videtur ſentire Iſidorus. [b] Verum res aliter habet, arma enim depoſuit propter armorum geſtandorum inſolentiam, non propter proportionis defectum. Sic enim legimus; *cæpit tentare ſi armatus poſſet incedere*; nec incedere tantū ſed expedite incedere, & agitare ſe, & brachia, crura, tibias, pedes, manuſque omnem in partem mouere ac flectere; non enim habebat conſuetudinem ferreum veſtitum induendi, Itaque Sauli dixit; *Non poſſum ſic incedere; neque armatus pugnare, quia non vſum habeo, & depoſuit ea.* Deo ipſo etiam, qui inermen pugnare volebat, moleſtiam ex ipſis armis, & faſtidium eorum ingerente Abul. q.25. & 26.

[b] in 1. Reg.

XXXIV. *Rabbinorū de veſtibus Saulis fabula.* Arma ergo regis dicuntur, quæ ex eius armamentario deprompta fuerant, & ad ipſum pertinebant, non quibus ipſe indui ſoleret. Quamquam ſi quis attendat, arma non dicuntur regis, ſed tantum veſtimenta; in quibus Rabbini apud Abulenſ. q.24. ſuo more deſipiunt, cum aiunt veſtes Saulis ſubito prodigio coa-

ptatas fuiſſe Dauidi, perinde ac ſi ad eius menſuram confectæ fuiſſent, eoque miraculo Saulem obſtupuiſſe, cogitaſſéque ipſum regem fore quandoquidem ipſi regiæ veſtes ita diuinitus coaptarentur, ideoque mox quæſiſſe de qua progenie eſſet ille adoleſcens. Sed hę fabulæ ſunt, non ineptæ plane, ſed tamen fabulæ, quæ ab eodem doctore refelluntur: & perſpicuum eſt Saulem, aut eius domeſticos, qui nullum tale miraculum expectabant, non fuiſſe induturos Dauidem veſtibus, quas cæco etiam conſtaret, illi non magis conuenire, quam Herculis cothurnos infãti. Veſtes ergo regiæ, vel arma, eo modo quem diximus accipienda ſunt, & interpretanda, etiam apud Ioſephum cum ait, miſſum à rege Dauidem ad pugnam, inſtructum prius thorace regio, ſimulque enſe ac galea: quibus Abulenſis addit clypeum.

XXXV. *Arma Dauidis pugnaturi.*

VERVM dimittamus nos quoque hunc armorum militarium apparatũ, leuisq; armaturæ peditem Dauidem ſuis inſtruamus armis. Accepit ille *baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſsimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem*, 2 *quam habebat ſecum, & fundam manu tulit, & proceſſit aduerſus Philiſthæum.* Potuit vtique Dominus ſine funda & lapidibus victoriam Dauidi dare in hac pugna, ſicut in ea, quæ de vrſo & leone relata eſt ab ipſo: verum quia cum hiſce feris cominus tantum pugnandum erat, neque funda, neque lapidibus opus fuit. Cum Goliatho autem eminus certari poterat, tela eiaculari licebat, haſtam habebat in manu, quam in hoſtem propinquantem vibraret, eumque prius confoderet, quam veniretur ad manus, denſusque viro vir hærere poſſet: ideo conueniens fuit Dauidem non carere telis, quæ ſpargere poſſet, & hoſtem eminus petere; idque conueniens fuit eius vitæ inſtituto, & ſuaui Dei prouidentiæ; quæ nihilominus facile poterat efficere, vt tela ab illo irrito conatu mitterentur, & hic ictum haſtæ agilitate corporis declinaret, ſtatimq; in os, faucéſque hominis inuolaret, præfocatumque proſterneret. 'Nec tamen Saul hanc pugnam hominis inermis cum armato temere permiſit, qui audiſſet ab eo inermi, dentibus, atque vnguibus armatas belluas fuiſſe ſuperatas.

2. ſχ.

Cur fundæ vſus.

XXXVI. *Procedunt Athletæ in aciem.*

PROCESSIT ergo Dauid aduerſus Philiſthæum, hoc ipſo ſignificans ſe accipere conditionem pugnę, aut certè ſingulare certamen admittere: nam cæteri Iſraelitæ non procedebant aduerſus eum, ſed eo viſo extemplo auertebantur in fugam. Id facile animaduertit Goliath, ideoque proprius ad Dauidem acceſſit cum argero ſuo, qui clypeum de more præferebat, vt certius cognoſceret, quem tandem haberet pugnæ aduerſarium, æmulumque victoriæ. Et animaduertens inermem adoleſcentem, nullo apparatu pugnæ formidabilem, in quo debellando pudorem potius, quam gloriam acquireret: & ſi quis forte caſus opinionem eius, ſpemque quamuis exploratam fefelliſſet, incredibile dedecus incurreret, deſpexit eum, atque adeo indignatus eſt. Pugnæ tamen conditio, atque eius euenta non parum diuerſa erant: nam Philiſthæus ſponte offerebat, ſe debellato ſuorum ſeruitutem, Hebręi non item; [a] nec deuicto Dauide ſuæ libertati renunciabant, ſed eo mortuo bellum eodem in ſtatu perſeuerabat, victore autem omnia Iſraelitis erant ſecundiſſima. Frangebantur enim Philiſthæorum animi fortiſſimo eorum ſuperato, vt ſtatim de fuga magis quam de pugna cogitarent, vt reuera contigit. Dauide autem mortuo, qui nihili fiebat in hebræorum exercitu, ſtetiſſent ipſi in gradu ſuo, & pugnam vt antea expectaſſent. In quo etiam emicat diuinæ prouidentiæ fauor aduerſus populum ſuum.

Quam diuerſa pugnæ vtriuſque conditio.

[a] Vide Abul. q 32.

XXXVII. *Goliath in Dauidem indignatur.*

VISO itaque parum grato, nec ſatis formidabili aduerſario, Goliathus dixit ad Dauidem, *numquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo?* Putaſti, ait Chryſoſtomus, [b] *te adhuc apud oues eſſe, & canes quoſdam perſequi, & ita aduerſum me, quaſi contra canem inſtrumentis illis inſtructus in pugnam veniſti? ſtatim experientia diſces, non tibi cum homine vulgari bellum eſſe*; Inſtrumenta iſta vocat tam baculum, quam, fundam, & lapides. Alluſit enim ad textum 70. interpretum, qui habent, *venis ad me in baculo. & lapidibus.* Addunt etiam reſponſionem Dauidis, quæ in hæbręo, aut latino textu non legitur. ſcilicet, *nequaquam*, videlicet puto te canem, *ſed peiorem cane.* Quo modo Ioſephus olim legit; ſic enim habet. *Hunc apparatum poſtquam vidit barbarus, adeo contempſit, vt per ludibrium percontaretur, num ſe canem putaret, qui armis ad canes arcendos aptis inſtructus ad pugnam prodiret.* Imo cane viliorem reſ-

[b] Hom. 46. in Gen.

ὐχὶ, ἀλλ᾽ ἢ ... ίρων κυ- ...

pondit Dauid &c. ſimulque maledicta, imprecationeſque in eum coniecit, vel, vt explicat Ioſephus, ſanda & infandâ conuiciatus eſt.

XXXIIX *Eiſque maledicit.*

MALEDIXIT ait Scriptura [a] *Philiſthæus Dauid in diis ſuis.* Significat textus Goliathum Deos ſuos in perniciem Dauidis inuocaſſe; ſicut vice verſa Dauidem Deum verum in perniciem huius gigantis; vt in duobus iſtis bellatoribus, pugna ſuperioris ordinis eſſe videretur. Simplicius tamen accipi poteſt hominem, qui in ſe ſolo fiduciam haberet, præ ingenti ſuperbia dixiſſe imprecando; dii te male perdant, aut ſimili quapiam locutione vſum fuiſſe; ſed adiecit etiam formidabiles minas. *Veni,* inquit, *ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* non comminatur mortem duntaxat, ſed priuationem etiam ſepulturæ, & dilacerationem cadaueris. Cui vice verſa Dauid, *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo;* & reliquis armis, quæ ſupra enumerata ſunt, ſed hæc ſibi propiora erant, magiſque apparebant. *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum,* cuius præſidium eſt multo potentius omnibus armis tuis; cuius arbitrio ac voluntate vincunt, & vincuntur exercitus, qui Deus eſt *agminum Iſrael,* quæ tu *hodie* quoque probris, ac contumeliis affeciſti; quem propterea vindicem, atque vltorem iniuriarum in ſuos illatarum formidare debes.

Et addit minas. *Quæ ei Dauid.*

[a] c. 17. v. 43.

XXXIX. *Prophetice, & cum fœnore regerit*

QVOD ego iam tibi, quaſi mali nuncii Propheta denuncio, qui manu mea vindictam de te ſumet, [b] *Et dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera caſtrorum Philiſthiim hodie volatilibus cæli, & beſtiis terræ.* Hæc enim ſpiritu prophetico à Dauide prænunciata exiſtimant, Lyranus & alii poſt Theodoret. q. 40. cum ea diuina reuelatione accepiſſet, idque euentis ipſis accuratè confirmatum eſt, & conſtat ipſum iam dudum ſpiritu prophetico donatum fuiſſe. Putat tamen Abulenſis [c] hæc à Dauide ſine vaticinio dici potuiſſe, ex ingenti affectu & deſiderio, ſicut paulo ante Goliath ad cuius verba alludit, cum incremento atque exaggeratione minarum. Sed illius minæ in ventos abiere, Dauidis autem in rem deductæ ſunt, ab eo qui voluntatem timentium ſe facit.

[b] c. 17. v. 46. [c] q. 33. inc. 17.

XL. *Quæ ex hoc certamine vtilitas.*

NON contentus autem Dauid mala denunciare, minaſque hoſtibus intentare, declarat quid inde vtilitatis tam vniuerſe in omnes, quam peculiariter in populum Dei redundaturum ſit. Fore nimirum vt omnes intelligant verum Deum ab Iſraelitis coli, qui inermibus, & armorum inſolentibus, victoriam tribuat aduerſus fortiſſimos bellatores, de ſuis viribus, & armorum peritia inſoleſcentes. Fore item vt *nouerit vniuerſa Eccleſia hæc,* Iſraelitarum ſcilicet exercitus, quem monſtrabat manu, *quia non in gladio, neque in haſta ſaluat Dominus;* quippe qui ſine iis ſalutem afferre poſſit, & pro arbitrio victoriam concedere; *ipſius enim eſt bellum, & tradet vos in manus noſtras.* Apparet hæc non longe ab exercitu Iſraelitico dicta, & quidem elata & ſonora voce dicta, vt exaudiri poſſent, & ei animos facere ex recta in Deum fiducia, ſimulque teſtaretur non tam ſua ſe, quam diuini honoris cauſa pugnare: nec ſibi, ſed illi poſtea victoriam tribuerent, qui ſine armis armorum potentiam irritam facit.

XLI. *Mirũ nunc Dauidem à Saule ignorari.*

INTEREA vero Saul videns Dauidem egredientem contra Philiſthæum, *ait* [d] *ad Abner principem militiæ, de qua ſtirpe deſcendit hic Adoleſcens Abner: dixitque Abner, viuit anima tua rex ſi noui,* id eſt per ſalutem tuam ô Rex non noui. *Et ait rex, interroga tu cuius filius ſit iſte puer.* idque haud dubiè rogauit Abner, & didicit; nihilominus poſtmodum Rex Dauidem ipſum interrogauit. Sed mirum valde eſt Dauidem ignotum Sauli, qui non ita pridem apud ipſum habitauerat, citharam crebro coram ipſo pulſauerat, denique eius armiger fuerat, vt conſtat ex cap. 16. extremo.

[d] c. 17. v. 55.

Quorundã reſponſio.

Putat Caiet. [e] & Torniellus [f] multos interceſſiſſe annos inter prædicta, præſenſque certamen, ideóque tantam in Dauide factam mutationem ab eo tempore, vt facile poſſet à Saule, vel à principe militiæ non agnoſci, ſed iſti multi anni refutati ſunt iam non ſemel; oſtendimus quippe Dauidis apud Saulem habitationem proxime præcedenti anno contigiſſe, [g] nec apparet longius tempus, quam octodecim circiter menſium interceſſiſſe.

[e] in c. 17. fi. [f] an. 4. ætat. 421. n. 2. & 9. [g] in fin. an. 9. Saul. & init. 10.

XLII. *Et Theodoreti, quæ illuſtratur.*

Alii vt Theodoretus [h] cauſam in Saulem referunt, *duorum,* inquit, *alterum eſt intelligendum, vel quod furore percitus non ſentiebat eum pulſantem citharam, vel quod mu-*

[h] q. 42.

dia eum monit, vt non exactè ſciret vnde nam eſſet. Verum prior ratio infirma eſt, non enim ſemper, ſed per interualla furebat. & Dauid ſemper aderat. poſterior aut falſa eſt, aut perquam frigida. Non enim inuidia facit ignaros, ſed maxime oculatos, atque intelligentes. Sed nimirum vitioſus eſt Theodoreti locus, abundante negatione. Hæretque id vitium etiam in græco textu, & cum eodem refertur in gloſſa ord. in hunc lib. Nam Procopius, qui illum de more tranſcribit, ita habet, *Quomodo Dauid*, inquit, *Sauli ignotus fuit? vel quia furibundus cithara ludentem non ſentiebat: vel inuidia ſtimulante diligenter & accuratè cognoſcere voluit, cuias & quiſnam eſſet.* ſic Procopius. Vult ergo Theodoretus Saulem viſa tanta Diuidis victoria inuidia motum, illum magis, magiſque cognoſcere voluiſſe. At enim nondum nata erat Saulis inuidia: nondum enim auditum fuerat illud, *Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia*, qui verus fons inuidiæ fuit. Dicendumque potius Saulem cogitantem de promiſſa victori filia ſua, diligentius ſcire voluiſſe qua ex familia, plebeiane an nobili adoleſcens hic eſſet oriundus, ſi forte ipſum oporteret eſſe generum regis: quod Lyranus quoque notauit. *Cur interrogarit genus eius Saul.*

XLIII. *Alia reſponſiones.* DAVID inquit Vatablus, non erat ſatis notus Sauli, quod frequenter rediret ad oues paſcendas; at redierat tantum ſemel. Præterea ſunt obliuioſi principes, vt qui detineantur multis negotiis. Alii referunt ad perturbationem animi Saulis. Aut certe rogat cuius ſit tribus, & ex qua familia, quod ſatis intelligitur ex poſtremo verbo huius capitis, cum dicit ſe filium Iſai Bethlehemitæ. Alioqui ſi quæſiſſet ſolum de patre, ſatis erat dicere ſe eſſe filium Iſai. Sic Vatab. verum Saul neque tribum ignorabat Dauidis, neque familiam. Nam qui primum apud regem mentionem intulit de Dauide, illum & filium Iſai vocauit, & Bethlehemitem.[a] Itaque oportuit Saulem id obliuioni tradidiſſe. Certe Comeſtor ait Saulem factum fuiſſe labilis memoriæ, propter exagitationem ſpiritus maligni; eiq; conſentit Lyranus, cum ait Saulem ex dæmonis afflictione habuiſſe memoriam, & phantaſiam perturbatam, & impeditam à cognitione. quem Abulenſis reprehendit, quaſi diceret Saulem fuiſſe arreptum à dæmone, quando primum ad eum venit Dauid, aut nunc, quando interrogauit principem militiæ ſuæ, cum Lyranus idem tantum dicere velit, quod Comeſtor.

[a] c.16.v.18.

XLIV. *Multas eſſe cauſas huius ignorãtiæ.* DICENDVM videtur plures cauſas concurrere potuiſſe, cur Saul, etiam hoc tempore, ignoraret Saulem, prima eſt S. Auguſtini, & ab omnibus communiter approbatur: mutatio ſcilicet in facie Dauidis, barba copioſius, vt fit illa ætate, per octodecim circiter menſes adnaſcente, ac magnam faciei partem prius nudam, ac læuem obtegente. Nec ad eam rem ſex, ſeptemue anni requiruntur. Addatur ſecundo mutatio habitus: aliter enim in aula, aliter in paſcuis erat indutus; & alium ſe exhibebat cithara inter viros nobiles lubibundus, alium inter oues, cõtra vrſos & leones decertans; veſtitu autem mutato, cum modica faciei mutatione, facile quis non agnoſci poteſt. tertio facilis eſt obliuio in principibus viris, qui multos habent ſubditos à quibus per tempus aliquod inuiſuntur, nec multo poſt tempore apparent. Dauid autem nec diu in aula verſatus eſt, puta duos treſue menſes, nec facile apparebat ante Saulem, niſi cum fiebat impos ſui, & illo canente leuius habebat. Quarto nihil abſurdi eſt dicere memoriam ac phantaſiam Saulis, ex frequenti agitatione dæmonis, nonnihil debilitatam fuiſſe; cui vitio ex parte tribui poteſt, tanta eius circa Dauidem modo amplectendum, modo perſequendum inconſtantia. 1. 2. 3. 4.

Quod autem attinet ad principem militiæ, recte reſpondet Abul.[b] præter alias cauſas ei cum Saule communes, fieri etiam potuiſſe vt Abner nunquam vidiſſet Dauidem, ſi forte contigit eum ab aula abeſſe, & negotia regni aliqua in prouincia, aut tribu interim adminiſtrare. *Quomodo Abner eũdem ignoraret.*

[b] q.41.in c.17.

XLV. *Certamen ſingulare.* SED reuertamur ad bellatores noſtros, quorum prima fuit, quaſi velitatio verborum, ad iram, cotem fortitudinis, vtrique acuendam. Ad rem ergo extemplo ventum eſt; accingit ſe Philiſthæus ad certamen, expedit arma, appropinquat hoſti. Dauid contra expedit etiam ipſe arma ſua; *mittit enim manum ſuam in peram, tulitque lapidem vnum*, & in funda poſitum circunducit ad caput, vt impetu maiore ferretur, quem etiam curſus vibrantis augebat. Excuſſus toto conatu lapis, ſtridens diuerberat auras, & molientem arma Philiſthæum, nec opinato vulnere

Deiicitur Philiſthæus an plane mortuus.

in frontem ferit, tanto impetu vt oſſe confracto, lapis in fronte infixus hæreret, fractoque cerebro in faciem cruentus proſterneretur. 3. Nec diſſimile illud apud Poëtam.

> *Stridentem fundam, poſitis Mezentius armis*
> *Ipſe ter adducta circum caput egit habena,*
> *Et media aduerſi liquefacto tempora plumbo*
> *Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.*

Sed ſemianimiſne iacuit, an plane mortuus? in dubio enim videtur ſcriptura relinquere, an is iactu lapidis occiſus ſit, an tantum proſtratus, deinde gladio interfectus. Sic enim habet. [a] *Et miſit manum ſuam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circunducens percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram. Præualuitque Dauid aduerſum Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & ſtetit ſuper Philiſthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina ſua, & interfecit eum, præciditque caput eius.* — a c. 17 v. 49.

XLVI. *An ſemiuiuus.*

DVBIVM inquam eſt; nam primum dicitur tantum ex ictu cecidiſſe in faciem ſuam, deinde educto è vagina gladio interfectus, & tamen antequam gladii mentionem faceret, dicit percuſſum lapide interfeciſſe; num poteſt aliquis mortuum interficere? aut bis ſine reſurrectione mori? nec hebræus textus, aut græcus, aut chaldæa paraphraſis rem clariorem facit. Imo nec Ioſephus; ait enim. *Huic Dauid impigrè occurrit, occultum adiutorem Deum ſecum in certamen ducens, & promptum è pera, in hoc ſelectum è torrente vnum lapidem, funda rotatum tanta vi in aduerſam hoſtis frontem infligit, vt ad cerebrum vſque penetrauerit. Quo ictu ſopitus Goliathus in faciem eſt proſtratus.* ſopitum dicit καρωθέντα non occiſum. Siracides [b] quoque ait Dauidem ſaxo fundæ deieciſſe exultationem Goliæ, non ſaxo hominem peremiſſe. Plerique etiam antiqui patres rem ambiguam videntur definire noluiſſe, vt Auguſt. [c] Iſidorus, [d] Seuerus Sulpit. [e] Chryſoſt. [f] — l. 6. c. 11. — b Eccl. 47. 5. — c Serm. 20. de diuerſ. d 1. Reg. c. 10 e l. 1. Sacræ hiſt. f Hom. 46. in Geneſ.

XLVII. *Videri lapide plane occiſum.*

CLARE Theodoretus [g] *Os quidem*, inquit, *fundit oracula, manus autem ſe fortiter gerit, & lapide perimit alienigenam*, & mox, *Porro autem gladio quoque vſus alienigenæ, amputauit eius caput*, iam videlicet occiſi. Et affirmat Abulenſis, ex quo lapis cerebro infixus eſt, illico mortuum fuiſſe. Nec præciſum ei caput vt moreretur, ſed in monimentum victoriæ. Eamque interpretationem faciliimè textus ſacer admittit, cum enim ait, *præualuitque Dauid in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit*, nimirum lapide, ea enim vox ſubaudienda eſt, & ex propinquo repetenda. Cum autem rurſus paulo poſt dicitur, *& interfecit eum, præciditque caput eius*, vnum idemque dicitur, & prius poſteriore explicatur; eáque expoſitio orationi exultanti, & quaſi inſultanti recte conuenit. Denique ſatis conſtat fracti cerebri vulnus eſſe lethale. An placet intelligere Goliathum ita ictu lapidis proſtratum iacuiſſe, vt non ſtatim animam ageret? ideóque cucurriſſe Dauidem, vt eum plane conficeret: biſque interfectum dici, quod gemina quodammodo morte, ex gemino vulnere mortifero moreretur. — g q. 40. in 1 Reg. ἀίαρει. q. 34. & 35.

XLVIII. *Cur caput præciderit.*

POTVIT multis confodere vulneribus, & morte minime dubia contrucidatum relinquere, ſed caput præcidit, ſiue vt mors tanto certior eſſet toti exercitui Hebræorum, atque adeo Philiſthæorum, ſiue vt Iſraelitarum oculos truculento vultu hoſtis immaniſſimi paſceret, ad cuius aſpectum toties metu trepidãtes diffugerant; ſiue vt per alia loca circumferri poſſet, & vbique lætaretur populus, & ad gratias Deo agendas prouocaretur; & victori Dauidi beneuolentia conciliaretur, & gloria. Sed vide diuinam prouidentiam; qui improbè inſultauerat Iſraelitis, eoſque ludibrio habuerat, ab iis vice verſa omnibus probris ac contumeliis afficitur: qui ſuperbe iactauerat ſe, & extulerat ſuper vniuerſos, ab omnium minimo proſternitur, pedibuſque proculcatur. Qui ferociter ingentia arma quaſſabat; ab inermi lapidis vnius ictu confoditur, qui terrori fuerat omnibus Hebræis dum viueret, mortuus terrori fuit omnibus Philiſthæis, & qui dudum dederat in fugam Hebræos, nunc dedit in fugam ſuos; & fundamentum ſpei, in occaſionem ruinæ verſum eſt. Nimirum [h] *maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* — h Ier. 17. 5.

Quam iuſta Philiſthæi punitio.

XLIX. *Philiſthæi fugiunt.*

SIC ergo Dominus *humiliauit ſicut vulneratum ſuperbum* Goliathum, & qui nec

iaculo, rus phalarica daturus videbatur, lapidis vnius ictu vitam infœlicem dedit, ſtatimque Dominus *in brachio virtutis ſuæ diſperſit inimicos ſuos: videntes* enim *Philiſthiim quod mortuus eſſet fortiſſimus eorum, fugerunt.* Cum enim experientia didicerunt tantum bellatorem aduerſus ruſticanum adoleſcentem, armorum inſcium, atque adeo inermem, non potuiſſe conſiſtere, facile intellexerunt reliquos Philiſthæos Hebræis bellatoribus, armis egregiè inſtructis, pares non fore: Deo præſertim ipſorum pro ipſis pugnante; & animos in prælia ſuggerente. Fracti ergo animis fugerunt: vice autem verſa tantum animi inceſſit Hebræis ex hoc ſpectaculo, quantum deceſſit Philiſthæis. Itaque *conſurgentes viri Iſrael & Iuda vociferati ſunt*, adortantes ſe clamore ad impreſſionem in hoſtem faciendam: *& perſecuti ſunt Philiſthæos, vſque dum venirent in vallem* quæ erat iuxta vrbem Accaron, atque adeo *vſque ad portas* ipſius *Accaron.* Id fuit octo horarum iter, ſi recte topographiā tribus Ephraim & Beniamin dimenſus eſt Adricomius; cecideruntque vulnerati de Philiſthiim in via Saraim, quæ fuit ciuitas in tribu Dan, triangulum efficiens cum Geth, & Accaron. — *Eos Hebræi perſequuntur.*

L. *Ad quæ vſque loca.*

IOSEPHVS pro Accarone habet Aſcalonem, ſecutus Septuaginta, qui priore loco habent Aſcalonem, poſteriore Accaronem, quæ vrbes non parum à ſe diſtant, venientibus enim ex Ægypto prima vrbium Philiſthinarum occurrit Gaza, tum Aſcalon; tertia Azotus, quarta Accaron, poſtrema Geth. Ex quo intelligi poteſt fugam valde latè fuſam, ac diſperſam fuiſſe; quo ſcilicet quemque aut impetus tuliſſet, aut ſpes euadendi, eo ferebantur, & ſtrages tanto fuit maior, quo minus congregabantur ad reſiſtendum. Cæſorum numerus initus non eſt, fortaſſe quia plurimis in locis, nec parum à ſe diſtantibus, cædes facta eſt. Eum tamen vel inuenit, vel excogitauit Ioſephus. [a] *Suo ſibi gladio*, inquit, *barbarum inermis obtruncat, tantumque in eo momentum fuit, vt è veſtigio Palæſtini terga verterent: Videntes enim præſtantiſſimum ex ſuis iacere, nullam amplius ſpem ſupereſſe rati, turpi atque ignominioſa fuga periculo ſe eximere conabantur. Tum Saul, & vniuerſus Hebræorum exercitus ſublato militari clamore in trepidos irruunt, & quotquot aſſequi poterant cædentes, vſque ad Gittha fines ac portas, Aſcalonis perſequūtur; cecideruntque Palæſthinorum triginta millia, & duplo plures ſunt vulnerati.* Ita Ioſephus. — a 6. ant. c. — *numerus cæſorum.*

LI. *Dauid caput defert in Hieruſalem.*

E T *reuertentes filij Iſrael poſtquam perſecuti ſunt Philiſthæos innaſerunt caſtra eorum*, & ſcilicet diripuerunt, atque incenderunt, vt idem ait: nimirum quæ deinceps vſui non fore videbant igni tradiderunt, reliqua regis & tribunorum arbitrio, militi diſtributa ſunt. *Aſſumens autem Dauid caput Philiſthæi, attulit illud in Hieruſalem; arma vero eius poſuit in tabernaculo ſuo.* Nō caret dubitatione locus hic; quomodo enim attulit caput Philiſthæi in Hieruſalem; in qua non Iudæi, ſed Iebuſæi habitabant? & quæ non niſi poſt multos annos, ipſiuſmet Dauidis opera, in Hebræorum poteſtatem venit. Verum temporis quædam occupatio hic agnoſcenda eſt. Dauid enim reſectum caput primum ad Saulis regis conſpectum detulit, vt mox dicetur; deinde Saulem comitatus, per vniuerſas Hebræorum vrbes circumtulit, vt cap. ſeq. dicitur, poſtremoque Hieroſolymis, vrbe Hebræorum primaria collocauit; quæ non tota à Iebuſæis, ſed modica tantum ex parte tenebatur, arce videlicet, vnde eos poſtea Dauid expulit, & facta eſt, dictaque ciuitas Dauid. Ieroſolymis ergo in publico aliquo, ac patenti loco affixum eſt blaſphemum caput in gratiarum actionem Deo, in formidinem Iebuſæis, in conſolationem & victoriæ monimentum Hebræis, quod ſignificat Theodoretus, [b] & Lyranus ex eo. — b 41.

LII. *Et arma in tabernaculum ſuum, & quod illud eſſet.*

DVBIVM quoque eſt hoc tabernaculum Dauidis, in quo is depoſuiſſe dicitur arma Goliathi, Ioſephus ait Dauidem caput quidem Goliathi in ſuum tentorium reportaſſe, gladium autem eius Deo conſecraſſe, Sed quodnam fuit hoc tentorium? nullum enim ipſe habuit, niſi in deſerto, quippe qui non militabat. Vatablus & Sa, & Abulenſis tabernaculum Dauidis exponunt domum eius, quæ erat in Bethlehem. Alii vt Lyranus, intelligunt tabernaculum Domini; quia infra cap. 21. legitur gladius Dauidis, quem abſtulerat Goliatho, poſitus iuxta Ephod apud Abimelech ſacerdotem. Idem habet ſanctus Hieronymus in tradit. Hebr. ex quo mutuatus eſt, qui idem ſentit Comeſtror [c] vbi addit in Hebræo non haberi *ſuo*, ſed tantum in tabernaculo, vt propter excellētiam intelligendum ſit tabernaculum Domini; ſed fallitur in Hebræo enim, imo & in Græco, & Chaldæo habetur — 1 — 2 — c ...eg c.

in tẽtorio, ſiue tabernaculo ſuo. Exiſtimo Dauidẽ arma omnia Goliathi; ad ten-
toriũ fratrum ſuorũ detuliſſe, quod propterea ipſius dicitur, quia erat ei cõmune
cũ fratribus, dũ eſſet in caſtris. Et credibile eſt hãc prædę partẽ iuſſu regis, Daui-
di fuiſſe tributã, qui tã nobile facinus perpetrarat, ex quo victoria fuerat ſubſecu-
ta. quẽadmodũ poſtea quę propriè ad Holofernũ pertinebãt, à populo Iudithæ [a] — a Iudith. 15 14.
attributa ſunt. Inde autẽ arma, quæ nemini vſui eſſe poſſent, propter magnitu-
dinem, exportata ſunt in Bethlehem in paternam domum, gladius autem no-
minatim datus eſt Deo, qui in cæde hominis prophani fuerat conſecratus; vt
ipſi quaſi anathema victoriæ appenderetur.

LIII. *Dauid ad regem deducitur.*

DEINCEPS recitatur interrogatio Saulis de Dauide, quæ ſupra [b] ſuo loco, — b n. 37. & ſe
ordine temporis poſita, atque expoſita eſt. Huc autem illud pertinet, quod *cum
regreſſus eſſet Dauid, percuſſo Philiſthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput*
1. *Philiſthæi habentem in manu*, longà videlicet cæſariè apprehenſum, partim vt ab eo
2. ipſo Rex diſceret genus eius, quod paulo ante de Abnere ſciſcitatus fuerat; par-
3. tim vt honoris cauſa, Rex omnium primus hoc truci ſpectaculo lætaretur; par-
4. tim vt nouo bellatori, qui tam glorioſum militiæ rudimentum poſuiſſet, rex
ipſe victoriam gratularetur, & ad ſimilia de hoſte populi Dei trophæa ſæpius
referenda inuitaret. Denique neceſſe erat introduci Dauidem ad regem, eique
fieri familiarem, quandoquidem, ex decreto regio, generum ipſius illum eſſe
oportebat. *Ait*, ergo, *ad eum Saul, de qua progenie es ô adoleſcens?* Non plane igna-
rus interrogat, & iam potuit à pluribus id didiciſſe; ſed huiuſmodi fere ſolet eſſe
ſermonum initium, & cum eximia fortitudo iuuenem conciliaſſet regi, [c] alioqui — c c. 14. v. 52.
virorum fortium cupido, vt ex ſupra dictis conſtat, non mirum eum colloquen-
di cauſa, non ignota rogaſſe, ſic illa amans, [d] — d 4 Æneid.

Nunc eadem labente die conuiuia quærit,
Iliacoſque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.

Dixitque Dauid, filius ſerui tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.

LIV. *Amicitia Ionathæ cũ Dauide, eius origo, & cauſa varia.*

HÆC [e] & plura locutus eſt Saul cum Dauide coram Ionatha filio ſuo, aliiſque — e cap. 18.
principibus viris, & quidem tanta modeſtia, & ſignificatione virtutis, vt omnium
ad ſe animos, voluntateſque pellexerit. Ionathæ in primis, qui ex eo ſermone
ipſum ſingulari amore complexus eſt. Hęc eſt enim illorum verborum ſententia.
Et factum eſt cum compleſſet loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata eſt animæ David.
amor enim animos vnit, atque agglutinat, iſque primarius eſt illius affectus; *&
dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Agnoſcebat quippe in eo iuuentutis florem,
ſua ipſum ſponte amabilem: oculorum, totiuſque oris ſpeciem, ac dignitatem
videbat; animi corporiſque fortitudinem omni prædicatione maiorem digito
ipſo tangebat; auditio ne ipſe ſua vſurpabat ſermonum modeſtiam, hominis ni-
hil ex tali, tantáque victoria inſoleſcentis, ſed gratioſiſſimo potius pudore vere-
cundantis. Quid quod habitantem in eius pectore odorabatur ipſum Deum.
Nobiliſſimam præterea tribum Iuda, ad quam pertinebat Dauid; nobilem, nu-
meroſamque familiam Iſai non ignorabat. Quin etiam ex affinitate fratrem ſibi
eum fore, publico patris ſui decreto, qui iam promiſſi reus eſſet, non dubitabat.
Quid igitur mirum ſi Ionathas tot titulis amabilem Dauidem, eximia charitate
dilexit,

LV. *Aliæ cauſæ duæ.*

ALIÆ quoque duæ cauſæ ſuberant huius beneuolentiæ, quas notauit Abul. [f] — f in c. 18 q. 3.
altera ex parte Dei, ex parte Ionathæ altera. Deus enim ſuauiſſimam teneritudi-
nem pręcordiorum inſtillauit in cor eius; qualem habent à natura inſitam opti-
1. mi parentes erga pignora ſua; qualem obſeruauit Scriptura [g] in Ioſepho erga — g Gẽ. 43. 30
Beniaminum fratrem ſuum in Ægypto; & in Chriſto Domino erga viduam — h Luc. 7. 13.
Naim, [h] & ſorores Lazari lacrymantes, [i] commota n. ſunt viſcera eius erga — i Ioa. 11. 34
fœminas graui calamitate afflictas. Neceſſarius erat hic amor erga Dauidem in
2. Ionatha, vt Dauidem apud Saulem commorantem fideliter fortiterque tuere-
Mutua Dauidis beneuolentia.
tur, adeo vt eius amicitiam paterna neceſſitudine antiquiorem haberet: & illius
cauſa periculum ſuum, & patris indignationem non reformidaret. Deinde cum
ſimilitudo ſit amoris mater, multaque eſſet inter Dauidem & Ionatham ſimili- — k Vid. a. m.
tudo, [k] virtutis, ſtudiorum, fortitudinis præſertim heroicæ, quam aduerſus Phi- — 2970. n. 35 & ſeqq.

liſthæo,

liſthæos, egregio vterque facinore, probauerat, non potuit inde amor in Iona-
tha non effloreſcere, qui cum mox agnitus eſſet à Dauide, factis quippe ſtatim
à Ionatha patefactus eſt, mutuam in Dauide beneuolentiam peperit, vt perfecta
inter vtrumque exiſteret amicitia, amore amorem producente.

LVI. *Munera Ionathæ, veſtes.*

Mvnera teſtes ſunt, atque indices amicitiæ; cum enim amicus amico ſeip-
ſum dare cupiat, in omnem ſi fieri poſſet, vſum amici nec poſſit, ideo dat ei mu-
nera, quæ ſubeant ipſius vices. Itaque Ionathas in ſignum intimæ beneuolentiæ
expoliauit ſe tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta ſua. Po-
tuit vtique filius regis primogenitus, imperii candidatus, amico dare vim ma- *Cur datæ.*
gnam pecuniæ, potuit vaſa aurea & argentea, potuit monilia, lapideſque pre- 1.
tioſos: ſed veſtes maluit. Voluit nimirum primo quoque tempore occurrere ne- 2.
ceſſitati amici, quem ferre non potuit veſte indutum paſtoritia, vulgo aulicorum 3.
haberi contemptui; & in ſordido pallio, virum tanta virtute præſtantem ab iis 4.
minus honorari, qui exteriora tantum intuentur, itaque rhenone exutum vo- 5.
luit in ſplendida veſte fulgere; voluit quaſi alterum Ionathan, quem veſtibus 6.
exhibebat, honorari, diligi, ac magni fieri. Voluit Dauidem, cum ſe perpetuo 7.
in Ionathæ veſtibus cerneret, eius vbiq; memoriã circumferre; voluit Dauidem
intelligere, ſe in Ionathæ animo penitus, intimiſque viſceribus, ſicut in veſti-
bus habitare. Voluit Dauidi perſuaſum eſſe, pluris ſe à Ionatha fieri, diligique
vehementius quam ſeipſum, vt qui ſpoliaret ſeſe, ac nudaret vt illum indueret;
voluit à Dauide ſperari eximiam à ſe liberalitatem in rebus omnibus, quando
ſibi in neceſſariis veſtibus non peperciſſet. Voluit Ionathas ſeipſum in Dauide 8.
tanquam egregium ſpeculum ſui, cernere quantum poſſet; intus non potuit, de-
dit operã vt cerneret foris. Significare voluit Ionathas exire ſe à ſeipſo, & in Da-
uidẽ tranſire. Eſt enim amans, vt ait Dionyſ.[a] magis vbi amat, quẽ vbi animat, ſe-
que ipſum, vt veſtimenta, in Dauidis quodammodo ius ac poſſeſſionem tranſire.

a De diu. nom.

LVII. *Arma cur data.*

Nolvit autem Ionathas pręſenti tantum prouidere neceſſitati, voluit & di-
gnitati, nimirum pater ille parabolicus, [b] *cito proferri iuſſit ſtolam primam*, & lace-
rum, pannoſumque filium indui, pedibuſque calceamenta dari. Sed addidit
etiam annulum in manum eius. Ionathas autẽ & arcum manibus, & dorſo pha- 1
retram, & balteum renibus, & lateri gladium addidit; vt paſtorem in virum mi- 2
litarem verteret, fundam & lapides in arcum & ſagittas, baculum in gladium,
canabinum cingulum, in balteum auro, argentóque illuſum commutaret. Cũ 3.
que viri militares arma ſua maximi faciant, præſertim quæ ſint eximiæ bonita-
tis, & decoris, ad vſum, & ornamentum; qualia ſunt arma virorum principum, 4.
Ionathas armis ſuis Dauidi largiendis ſingularem erga eum beneuolentiam de-
monſtrauit, ſimul etiam ratus tam egregium bellatorem armis optimis, ac de-
centiſſimis initiandum, atque inſtruendum eſſe. Significabat quoque, vt deſti-
nabat animo, ſi qua fata ſinerent perpetuam cum Dauide armorum, ac militiæ
ſocietatem; ſic vt Ionathas Dauidis manu ſagittas mitteret, gladiumque vibra-
ret: Dauid in gratiã, ac gloriam Ionathæ, arma perpetuo, & vbiq; circumferret.

b Luc 15.22

LVIII. *Fœdere ſãcita amicitia.*

Nec ſat erat tacitis hiſce, mutiſque rebus deuinciri animos, ac conglutinari;
verbis opus fuit, certiſque ceremoniis, quibus animi quaſi neceſſariis vinculis
necterentur, fœdus ineundum fuit; initum eſt. *Inierunt*, ait ſcriptor ſacer[c] *Dauid
& Ionathas fœdus, diligebat enim eum quaſi animam ſuam.* Itaque cupiebat, vt quale fœ-
dus exiſtit inter corpus & animam eiuſdem hominis, quam antiquum, quã con-
ſtans, & immutabile, tale apud ipſos perpetuo perduraret. Quærit autem Abu- *An cum ceremoniis.*
lenſis, [d] an in hoc fœdere ſeruatæ fuerint ſolennes illæ fœderum ceremoniæ, oc-
ciſi animalis, diſſectiq; & tranſitus ineuntium fœdus inter diuiſiones animaliũ;
an vero pactũ duntaxat iuramento firmatum inter ipſos editum fuerit: putatque
interueniſſe reuera huiuſmodi ceremonias, ſine quibus non eſſet, neq; diceretur
fœdus, ſed pactũ vel promiſſio: fœdus autem perpetuo dicitur, tam ab vtroq; ip-
ſorum, quam à Saule: pactum aut promiſſio nunquam dicitur; ergo pacto & pro-
miſſioni, & inuocationi diuini nominis in teſtimonium, propter quam inuoca- LIX. *Et conſuetudine mutua.*
tionẽ fœdus Domini à Dauide dicitur [e] acceſſerunt propriæ fœderũ ceremo-
niæ, quamuis fuerint in hac narratione breuitatis cauſa prætermiſſæ.

c c.18.v 3.

d q.9. in ca. 18.

e c.20.v.8.

Reqvirebatvr etiam aliquid amplius, vt hæc amicitia omnibus numeris

abſoluta redderetur, mutua nimirum conuerſatio, quam vſque adeò requirit in vera amicitia philoſophus, vt propterea exiſtimet hominibus cum ſuperis eſſe non poſſe amicitiam, quod mutua inter eos deſit conuerſatio. Ergo vel ſponte ſua Saul, vel procurante atque annitente Ionatha, retinuit apud ſe Dauidem, [a] *nec conceſſit ei vt reuerteretur in domum patris ſui*, ſicut antea, aut ipſo, aut Iſai rogante, reditum permiſerat ad proprios lares, & reuiſendos, & inhabitandos. Et qui cum dudum armigerum ſuum eſſe voluerat, quod famuli cuiuſpiam, aut gregarii militis eſt munus; nunc poſt datum fortiſſimi viri experimentum maximum, *poſuit eum Saul ſuper viros belli*, non vt princeps militiæ fieret, Abnere exautorato, nam ex ſequentibus liquido conſtat ipſum & viuo, & mortuo Saule, & Dauide tam proſpera, quam aduerſa vtente fortuna in ſua dignitate perſeueraſſe, ſed vt in quopiam inferiore magiſtratu vices illius gereret, qui & grauis ætate, & nobilitate regi patruelis eſſet. Atque ita factum eſt, vt vitæ conſuetudo, atque familiaritas, nutriret, atque conſeruaret amicitiam.

Fit belli dux infra Abnerem.

[a] c. 18. v. 2.

LX. *Vt qui prudentia, & fortitudine præſtaret.*

Egrediebatvr *quoque Dauid ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul*, vt qui forti eſſet, ac generoſo animo, nec pericula formidaret, & nihilominus prudenter ſe agebat, vt qui natiua quadam prudentia decoratus eſſet, vt ſupra ſignificatum eſt, [b] cum primum Sauli commendatus fuit, eamque poſtmodum Saul quoq; confeſſus eſt. Cum ergo Dauid & fortitudine ac prudẽtia inſignis eſſet, & ſupra ætatem virtutes duci neceſſarias cõſecutus eſſet, non mirũ illũ à Saule belli ducem fuiſſe conſtitutum; non vtiq ſupremũ, vt recte putat Torniel. ſed centurionem, vt mox tribuni dignitate augeretur, quod fuit etiã regiæ in Dauidem beneuolentiæ, ac fiduciæ teſtimoniũ. Itaq; cum Dauid apud regem gratioſus eſſet, & filii eius intima beneuolentia frueretur, facile id quoq; cõſecutus eſt, vt acceptus eſſet in oculis vniuerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul. Populus quidem, ac domeſtici Saulis eximiam Dauidis virtutem diligebant, ſed maxime domeſtici quibus ea virtus ex vitæ conſuetudine notior erat. & hoc ipſo dominis ſuis ſe gratificari intelligebant. Ad prædictas autem Dauidis virtutes accedebant, ad communem omnium beneuolentiam ipſi conciliandam, eæ quæ nulli virtuti amabilitate cedũt, manſuetudo, animique demiſſio. Verum hæc poſterius cõtigerunt. Ad priorem ergo Dauidis victoriam, imo triumphum reuertamur.

[b] c. 16. v. 18.

Et omnibus gratus eſſet.

LXI. *Triumphus Saul & Dauidis.*

Fvgatis itaq; conciſiſq; Philiſthæis, reuerſus eſt in ciuitates ſuas victor exercitus, lætitia triumphans, & ſpoliis diues. Erat nimirum in regio curru Saul, tum Ionathas cum cæteris filiis regiis, inde Abner princeps militiæ, & Dauid publicæ huius lætitiæ fons & caput, veſtitu omnes ſplendido atque magnifico, Dauid in primis in veſtimentis, armiſq; Ionathæ fulgebat, & famulari manu inimicum in cõto præferebat caput; omnes coronis redimiti; armis decori, inſigneſq; palmis. Tum reliqui duces, militeſque pro ſua quiſq. dignitate & gradu, victoriæ inſignignibus cohoneſtati, graues præda ſpoliiſq; ſequebãtur. Nec deerat multa in vinculis turba Philiſthæorum, viliſſimæ deſtinata ſeruituti: tubę hinc inde, lituiq; læto clangore perſtrepebãt, cum feſto ſonitu bellicorum tympanorum. Quibus ex aduerſo in ſingulis vrbibus occurrebant *mulieres canentes, choroſque ducentes in occurſum Saul regis*. Septuag. habent, in occurſum Dauidis, εἰς συνάντησιν Δαυίδ. *in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris*. quæ Arias vertit triſida inſtrumenta. propter Hebræam vocabuli originem. In romano vſu ærea ſunt Ægyptiorum ſacerdotum crepitacula, quæ nomen habent a concuſſione. [c] Septuag. pro ſiſtris habent, ἐν κυμβάλοις.

[c] τὸ αὐτὸ

LXII. *Mulierum cantica.*

Vervm in hac pace & triũpho, publicaq; lætitia, ecce amaritudo Saulis amariſſima. Nam mulieres quæ in occurſum Saulis & Dauidis ludibundæ prodierãt, præcinebant ludentes atque dicentes, *Percuſsit Saul mille, & Dauid decem millia.* Figurata eſt iſta locutio, vt in cantico, & carmine triumphali: in quo fortaſſe, intercalare carmen hoc fuit, quod crebro iteratum ad aurem Saulis, mentemq; accidit peringratum. Significabant in perſequẽdis Philiſt. Saulẽ operam potuiſſe laudabilẽ, quæ mille hoſtiũ cædi cõferri poſſet: ſed multo laudabilius eſſe facinus Dauidis in occidendo Goliatho, decuploque præſtantius, vt cuius in cæde tota victoria vertebatur; ſine qua cæde nihil ex eo bello Saul, nihil reliqui Iſraelitæ, præter plagas, dedecuſq; retuliſſet. Ita laus ait Chryſoſt. [d] dabatur pro merito.

Sauli ingrata.

[d] hom. de Dauid & Saule.

& ſi fas eſt vera perloqui, in Saulis gratiam illa dicta ſunt potius, quam in Dauidis. *Debebat autem eſſe ſua laude contentus, quod illi mille tribuiſſent. Cur igitur indignatus eſt quod Dauidi tribuerint decem millia. Etenim ſi rex ad bellum finiendum vel paululum aliquid momenti contuliſſet, recte tum dictum fuiſſet, Saul in millibus, Dauid in decem millibus. Quod ſi ipſe pauidus ac tremens domi deſedit, in ſingulos dies mortem expectans, hic autem totum facinus peregit; annon abſurdum eſt eum qui nihil ad depellenda pericula contulerat ob id indignari, quod hic plus laudis tuliſſet.* Sic Sanctus Chryſoſtomus. — *An recte ex Chryſo.*

ἔνδον. — QVI videtur ſignificare Saulem in caſtris non fuiſſe, ſed domi deſediſſe: verum ea interpretis caulpa eſt, qui ἔνδον vertit *domi*, cum dicendum eſſet, *intus*, in tentorio videlicet ſuo. Quod autem ait, ne paululum quidem attuliſſe momenti Saulem ad bellum finiendum: repugnantem habet Ioſephum, [a] *Tum Saulus*, inquit, *& vniuerſus Hebræorum exercitus, ſublato militari clamore, in trepidos irruunt, & quotquot aſſequi poterant cadentes, vſque ad Gittæ fines, ac portas Aſcalonis perſequuntur.* Verum Chryſoſtomus finem belli intellexit mortem Goliathi, quo viuo bellum finiri non poterat: Ad illum autem interficiendum nihil vtique Saul contulit, quando ne eius quidem arma, ad ſingulare certamen ineundum, vſui eſſe potuerunt. Itaque idem Chryſoſtomus in Pſalmum quinquageſimum. *Saul*, inquit, *arma ei porrexit, verum Dauid ea geſtare minime poterat. Quamobrem? nimirum Deus id minime permiſit, id ſcilicet agens, & nudus victoriam adipiſceretur, ne arma rei feliciter geſtæ, ac victoriæ partem ſibi vindicarent, rexque victoriam armis ſuis aſcriberet.* — LXIII. *Explicatur*

a l.6.c.11.

VERE itaque cecinere mulieres in laudem Dauidis, ſed nihilominus imprudenter; Quod minimè negat idem orator egregius [b] *Verum illud*, inquit, *dixerim, vt donemus non recte feciſſe mulieres, eaſque fuiſſe crimini obnoxias, & accuſatione dignas, quid hæc ad Dauidem? &c.* Tota porro mulierum imprudentia, in iſta Saulis cum Dauide comparatione poſita eſt; cum enim omnis comparatio, etiam inter pares, odioſa eſt, & priuatæ de ſe exiſtimationi inimica, tum inter inæquales odioſiſſima, ſi minores maioribus æquentur; prorſus autem euadit intolerabilis, cum minores maioribus, atque adeo ſupremo in gradu poſitis etiam præferuntur: quo modo hic peccatum eſt, cum decuplo honorabilior ſubditus rege ſuo proclamatus eſt; & quidem pene adoleſcens, & nuperrime egreſſus è paſcuis, nullo militiæ, nullo armorum vſu præditus. Et vide imprudentiam; poterant enim vehementius commendare Dauidem, ſine vlla offenſione Saulis; ſi nulla plane illius facta mentione, totam Dauidi victoriæ laudem tribuiſſent; vt ait Abul. [c] verbi cauſa, Dauid percuſſit mille, & filius Iſai decem millia. Percuſſit Philiſthæum, & abſtulit opprobrium Iſrael. — LXIV. *Imprudens mulierum laudatio.*

b Hom de Dauid & Saule.

c q.24 in c. 18. in fi.

IVSTA itaque fuit ira Saulis, meritoque diſplicuit in oculis eius ſermo iſte, tantoque iuſtior fuit indignatio, quo ad maius damnum ſuum ea iniuria redundabat, regni videlicet amiſſionem. Quod non obſcurè ſignificauit, cum de publico hoc dedecore, & contemptu expoſtulans dixit. D*ederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum?* cum illum prædicent decuplo me præſtantiorem; vtique & regno digniorem, cui, vt omnibus præſit, omnium præſtantiſſimus præficiendus eſt. Cum autem hæc non vno in oppido, aut pago iactata fuiſſent, ſed in vniuerſis vrbibus Iſrael, ex quibus egreſſę fuerant hæ cantatrices, eademque certatim ab omnibus inculcarentur, adeo vt apud Philiſthæos etiam ipſos ea cantilena vulgaretur. Dicebant enim de Dauide ad ipſos confugiente Gethæi: [d] *Numquid non iſte eſt Dauid rex terræ? nonne huic cantabant per choros dicentes, percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia?* Cum hæc inquam, ita iactarentur, & quidem in Saulis ipſius auribus, facile ſuſpicari potuit quanto affectu populus vniuerſus in Dauidem ferretur, quamque facile Dauid illo annuente, regem in ordinem redigere, atque exautorare poſſet. — LXV. *Iuſta Saulis ira.*

d c.21.11. & rurſus.c. 29.5.

INIVSTVM nihilominus erat indignationis obiectum, & odium in Dauidem iniuſtiſſimum. Audi rurſum diſertiſſimum Dauidis patronum. [e] *Demus mulieres accuſatione dignas. Quid hæc ad Dauidem? neque enim ipſe compoſuerat cantionem, neque illas iuſſerat ea dicere quæ dicebant; neque adornarat illum laudationis modum. Proinde etiam ſi indignandum erat, mulieribus oportuit indignari, non public;* — LXVI. *Sed in Dauidem iniuſta.*

e Hom. de Dauid & Saule.

publicatus de Repub. bene merito, & infinitis digno coronis. At Saul omiſſis illis in Dauid ferebatur. Sic ipſe. Et quod illas quidem omitteret, non imprudenter, neque indecorè faciebat, ſiue quia mulieres erant, & regio potius contemptu, quam indignatione dignus ſexus fragilis & inconſultus; ſiue quia multæ, ſiue quia non malitia, ſed imprudentia, quæ in mulieribus, pueriſque facile veniam obtinet, peccaſſe conſtabat. Quod autem propterea in Dauidem ferebatur, neq; iuſtè faciebat, neq; ſapienter. *Nam ſi ea laude*, inquit idem Chryſoſt. *ſublatus ille beatus inuidiſſet rerum potienti, fuiſſetque in illum contumax, & aſpernatus fuiſſet eius imperium, forſitan aliqua fuiſſet inuidendi cauſa. At ſi factus fuit humanior, ac modeſtior, mitiorque; ſi in ſubditorum ordine ſe continuit, quæ tandem erat iuſta dolendi cauſa?*

Cur non iratus mulieribus. 1. 2. 3. — Ibid.

LXVII. *Saul imprudenter Dauidi infenſus.*

Ac ne ſapienter quidem feciſſe in hac cauſa Dauidis exiſtimandus eſt Saul; qui in immerentem, planéque innoxium primùm inuidia motus eſt, deinde eam in odium capitale conuertit. Verum, inquies, ſapientis regis fuit operam dare, vt regni æmulus, ſi maximè vellet, nocere non poteſt. In tanta enim hominum malitia, calliditate, ambitione, perfidia, male agendi poteſtas eripienda eſt, cum nequeas voluntatem. Verum iſti dubitationi non difficiliter occurri poteſt. Nã principibus viris, & omnino quibuſlibet hominibus natura dictãte permiſſum eſt, tutos ſeſe incolumeſque ſeruare, omnemque aditum cuiuis præcludere, ad nos, noſtráue vlla ratione violanda; at ſine cuiuſquam iniuria. Eadem enim natura, quæ cuique præſcribit tuitionem ſui, alterius iniuriam vetat; quid autem magis iniurioſum eſt in proximos, quos diligere debeas inſtar tui, quam velle fortunis euertere, ciuitate pellere, de medio tollere viros innoxios, non quia nocere velint, ſed quia poſſint nocere; ſic enim in optimos quoſque, præſtantiſſimoſque viros arma ſumenda ſunt, adeoque in mortale genus vniuerſum; quis eſt enim qui nocere non poſſit? ne aquila quidem à ſcarabæo tuta eſt. At iſti ſapientes, ſi ſuperis placet, ita principem volunt eſſe tutorem ſui, vt ſimul velint alieni iuris expugnatorem eſſe, ac prædonem.

Contra politica conſilia.

LXVIII. *Quẽ oportuit demereri.*

IMPROBVS itaque Saul, atque iniuſtus in Dauidem fuit, qui talem virum, præclarè de ſe, totaque repub. meritum, & quod caput eſt optimum atque innocentiſſimum cœpit odiſſe, voluitque perdere, quem ſatius erat maximis demereri beneficiis, vt neque vellet nocere, neque poſſet; quia neque improbus eſſe vellet, neque ingratus. Ex quo fonte profectum eſt illud dictum mirabile patriarchæ Ioſephi,[a] in quem extabant eximia ab hero beneficia, fiduciaque ſingularis; *quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* neque velle ſe peccare ait, neque poſſe. Vt autem redeamus ad ſaltatrices, Ioſephus[b] ait mulierum, ac puellarum diſtinctos fuiſſe choros, & mulierum cantionem fuiſſe Saulem millenos hoſtes profligaſſe; virginum autem, Dauidem decies millenos ſuſtuliſſe. Occaſionem huius diſtinctionis nonnullã Ioſepho dedit textus Hebræus, in quo non ſimpliciter cantaſſe dicuntur mulieres, ſed reſpõdiſſe. Quo etiam videtur S. Hieronymus in vulgata editione reſpexiſſe, præcinuiſſe enim dicit; præcentoribus autem reſpondent ſuccentores. Eam expoſitionem probat Emanuel Sa, & apertius expreſſit, qui vertit eas alternis ceciniſſe.

Diſtincti mulierem chori. — a Gen. 39. 9 — b l. 6. c. 11. — Tigur.

LXIX. *Saul dolorem ſuum prodit.*

HVIVSMODI cantionibus, Dauidiciſque laudibus maleſaucius Saul, non diu animi dolorem diſſimulauit, ſed eum vultu quamprimum, ore, manúque patefecit. *Non enim rectis oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa, & deinceps*; ſed cum odiſſet eum auertebat oculos ſuos ab illo, & cum reſpiceret, eum intuebatur oculo furibundo. *Poſt diem autem alteram* ab hiſce cantilenis, & concepto in Dauidem odio, ſecuta eſt ſua pœna nocentem, *inuaſit, enim, ſpiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus ſuæ.* Aliena referebat, ait Hieron. in tradit. & ex eo Angelomus, id eſt abſurda, & parum perſonæ ſuæ, parum locis, temporibuſque conſentanea loquebatur. Clarius Chaldæus explicat prophetare *inſanire*, Prophetæ enim vulgo cenſebantur inſanire, & inſani audiebant, vt is qui miſſu Elizæi Iehu inunxit in regem[c] quod ignota, & abſtruſa pleraque dicerent. Sic arreptitii pleraque dicunt, quę Prophetiæ inſtar habent, & audientibus, & loquentibus ipſis ſæpe ignota ſunt. Non enim ipſi ſunt qui loquuntur, ſed ſpiritus inferorum qui loquitur in ipſis. Talis erat Saul, talem Sibyllam Poëta deſcribit.

Et inſanire cœpit. — t Abul. — c 4. Reg 9. 11.

---Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit
Obſcuris vera inuoluens, ea fræna furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Vt primum ceſſit furor, & rabida ora quierunt.

Et iterum,

Non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ, ſed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Iam propiore Dei----

HIC ille ſcilicet Deus Saulem quoque in furorem agebat, vt fanda infandaque, aperta ſecretaque loqueretur. *Pſeudoprophetæ*, ait Theodoretus, [a] *agitati à malo ſpiritu, ſunt ſimiles furore percitis Corybantibus. Hoc paſſus eſt etiam Saul vexatus à dæmone; ſed illud prophetare poſuit per homonymiam. Nam & pſeudoprophetas nominabant Prophetas, & Deos, eos qui falſo Dii nominabantur.* Hæc ibi, quæ repetit Procopius; duplici ergo ex capite Saul, cæterique arreptitii prophetare dicuntur, prius eſt, quod non mouentur à ſeipſis; ſed veri Prophetæ à Domino, iſti à dæmone, naturalibus eorũ organis vtente, & propriã cognitionẽ, eorũ ore promẽte: poſterius quod vera Prophetia eſt reuelatio veritatis occultæ, falſa autem eſt ignotorum propalatio, ſiue ille vera ſint, ſiue non ſint quo pertinet ignotarum linguarum locutio, rerum alibi geſtarum enunciatio, aliaque id genus.

> LXX. *Vt arreptitius; cur dictus prophetare.* 1. 2.
>
> a q. 45.

SED non intra verba ſe continuit furor, ad furioſa facta prorupit. Cum enim Dauid intermiſſum repeteret miniſterium; pſalleretque manu ſua, [b] *ſicut per ſingulos dies facere conſueuerat*, ſingulos, inquam, dies vel quibus furebat Saul, vel quibus animi gratia ipſum coram ſe pſallere iubebat, Saul lanceam, quam tenebat manu in Dauidem contorſit, ratus ſe eum cum pariete confixurum. Apparet caſu factum vt lanceam teneret, quam ſæpe tractabat, quod ea peritè vteretur, vt arcu Ionathas, vt exiſtimat Abulenſis, [c] ſciens tamen ac volens Dauidem niſus eſt perfodere, vt ſcriptura teſtatur; neque ad id facinus dæmon eum magis nunc impellebat, quam ante, ex quo cœpit eum non rectis oculis intueri. Elegit tamen potiſſimum hoc tempus ad ſcelus perpetrandum, exiſtimans intentionem ſuam ac voluntatem occultam fore, cum putaretur ab omnibus inſanire; & Dauidis mortem non Sauli, ſed dæmoni tributum iri; [d] ſicque voti compos fieret, ſine odio, aut reprehenſione cuiuſquam, quod alio tempore vitare nullo modo potuiſſet.

> LXXI. *Lanceam torquet in Dauidem.* — *Sciens & volens.* — *Et cur in inſania.*
>
> b c. 18. v. 10 — c q. 11. & 17 in c. 18. — d Toſt. q. 18

DOMINVS autem, qui Dauidem protegebat ſingulari prouidentia, teli iactum irritum eſſe voluit; *declinauit* quippe *Dauid à facie eius*, quod animaduertens Saul, ceſſante mox furore, diſſimulauit ſe ſcire quid contigiſſet, idque à ſe attentatum ægrè ferre finxit, cum reuera doleret non eſſe perfectum, vt ſcilicet & ſuorum, quibus Dauid maximè acceptus erat, odium vitaret, & Dauid nihil ſibi ab eo timens, ei ſe ſolito more permitteret, quod & fecit; & Saul rurſum eundem ludum ludere conatus eſt, ſed illuſus atque expectatione falſus eſt, Dauide *à facie eius ſecundò* declinante, & ſecundum ictum feliciter fallente: hęc enim vis eſt illius vocis *ſecundò*, quam alio trahunt Comeſtor & Abulen. in hunc locum. Bis enim id factum eſt, licet ſemel duntaxat à ſcriptura narratũ. In hebræo enim & græco textu habetur, idem duabus vicibus, ſiue bis contigiſſe. vbi etiam legimus Saulem antequam vibraret lanceam dixiſſe apud ſe, *percutiam in Dauid, & in parietem*, & ibi notat Caiet. Saulem, licet tunc inſaniret, in ipſa tamen inſania odium ſuum exequi, atque explere voluiſſe, *ſiue quia*, inquit, *quemadmodum in repentinis homo operatur ſecundum præexiſtentem habitum; ita Saul à vehementi paſſione melancholiæ ad præconceptum odium exequendum impellebatur; ſiue quia non penitus abſorbebatur rationis vſus, quamuis vehementer perturbaretur.* Ita Caietan. conſentaneæ opinioni ſuæ de atra bile, non autem dæmone Saulem vexante.

> LXXII. *Innoxie. Saulis diſſimulatio.* — *Iterũ intorquet haſtam.*

VTRVM autem duæ iſtæ memoratæ vices; & facinus ſecundo ſuſceptum, durante vna, eademque inſania contigerint, an in diuerſis, Scriptura prætermiſit; & Ioſephus vtramque tacuit, honori potius Saulis, quam hiſtoriæ ſacræ inte-

> LXXIII. *An eadem die.*

gritati conſultum volens; ſed per me licet, vt id ſilentium tribuatur ſtudio breuitatis. S. Chryſoſt. ſignificat, & ratio ipſa ſuadet, diuerſis temporibus, diſtinctiſque furoribus contigiſſe. *Ac ne beneficiorum quidem memoria*, inquit ille, *furentem illum ac delirantem coercuit, ſed iterum atque iterum torſit in illum lanceam cupiens occidere. Et huiuſmodi mercedem illi pro ſuſceptis periculis repoſuit, idque fecit non vno die, ſed ſæpius.* Sic ipſe, fortaſſe reſpiciens ad alterum eiuſdem Saulis conatum nefarium, qui capite ſequenti deſcribitur. [a] Sed ratio apertior eſt. Non enim culpa vacaret imprudentiæ Dauid, ſi durante eadem inſania, in qua tantum periculum adiiſſet, eidem ſeſe temere obiiceret. Addit etiam Caietanus ſequenti narratione inſinuari Saulem redeuntem ad ſeipſum dixiſſe, ſe non de induſtria lanceam in Dauidem iaculatum eſſe, ſed extra ſe poſitum id feciſſe. Ideoque Dauidem credulum ad ipſum reuertiſſe, & Saulem idem facinus, irrito diuinitus conatu, iteraſſe. quod nos ſupra ex Abul. notauimus. qui declinationem hanc fugam, haud ſcio an recte, interpretatur; cum ſit inclinatio corporis ad vitandum ictum, quæ in Hebræo dicitur auerſio, vel certe exitus ab eo cubiculo. Nec voluerit Dauid aufugere à Saule, quandiu eius in ſe odium aliqua potuit tergiuerſatione celari.

An potius, diuerſo.

ac. 19. v. 10

LXXIV. *Pſalmus aduerſus Goliath.*

Refertvr ad hoc tempus, vt plerique exiſtimarunt Pſalmus 143. Cui titulus eſt Pſalmus Dauid, aduerſus Goliath. quem titulum à Septuag. poſitum autor eſt Sanctus Hilarius in eundem Pſalmum, negat tamen Theodoretus ſe illum in hexaplo ipſorum 70. inueniſſe, negat quoque idem Sanctus Hilarius eum ad hoc certamen pertinere, quod pleraque in eo Pſalmo reperiantur, quæ Dauidi in hoc pugna victori non conueniant; quæ nihilominus rectè aptantur iſti negotio à Lorino noſtro, in eius expoſitione, ad quæ nobis non licet excurrere. Illud modo teneamus tanquam probabilius, Pſalmum hunc gratulatorium recte præſenti hiſtoriæ congruere, quando eum titulum probant, retinentque Sancti Athanaſ. in ſynopſi, Auguſtinus, Remigius, aliique ſcriptores antiqui, recenteſque. Et nunc in omnibus paſſim editionibus græcis reperitur; Complutenſi, Regia, Aldina, Romana, Baſileenſi, & latina vulgata. Chaldæus quoque paraphraſtes illud ex verſu 11. *de gladio maligno*, interpretatur de gladio Goliæ vt notauit Genebrardus, qui tamen videtur exiſtimare illi tantum in ſenſu accommodatio conuenire.

In eū Pſal.

LXXV. *Pſalm. 151.*

Maxime autem, & abſque controuerſia conuenit ille Pſalmus, qui extra numerum 150. Dauidicorum Pſalmorum eſt, & extat in omnibus fere græcis exemplaribus, eiuſque meminit S. Athanaſius in ſynopſi. Idque ex eius inſcriptione, quæ habetur apud eundem Athanaſium facile perſpicitur. Sic autem habet. *Hic Pſalmus peculiariter ſcriptus in Dauid, & extra numerum, quando ſingulare certamen iniit cum Goliatho.* Pſalmus autem ipſe perbreuis ſic habet. *Paruus eram inter fratres meos, & minimus in domo patris mei, paſcebam paternas oues. Manus meæ fecerunt organum, & digiti mei aptauerunt pſalterium. Ecquis annunciabit Domino? ipſe Dominus, ipſe exaudit. Ipſe angelum ſuum miſit, & me à patris mei ouibus abduxit, méque vnctionis ſuæ oleo inunxit. Fratres mei pulchri quidem & magni, at non in eis ſibi placuit Dominus. Egreſſus ſum in occurſum alienigenæ, qui me per ſua idola execratus eſt. Ego autem extracto ipſius enſe caput ei abſcidi, & probrum è filiis Iſrael abſtuli.* Sic vertit Genebrard. hunc Pſalmum.

Ex verſione Genebr.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2971.

1.N.xviii. SAnctvs Hieronymus in tradit. hebraicis in 1.Reg. in ea verba, *cum quibus ordinati ſint diſce*, ſic ſcribit, *In hebræo ita habetur, & pignora eorum tolles. Pignora in hoc loco hebræi repudij libellos intelligunt. ſiquidem vſum illius gentis fuiſſe ferunt, vt quando ibatur ab eis in pugnam, libellos repudij vxoribus ſuis darent: vt ſi contigiſſet virum in prælio capi, & in captiuitatem duci, mulier eius expectatis tribus annis, ſi vir eius non rediſſet, alium duceret virum*. Sic ibi, quæ deſcripſerunt Comeſtor, Angelomus, Dionyſ. qui ea Ioſepho tribuit: Sed ea apud Ioſephum nuſquam reperi: forte credidit traditiones hebraicas, quæ Hieronymo tribuuntur, à Ioſeph. eſſe mutuatas. Innuit autē hæc hebræorum expoſitio magno prorſus in metu Hebræos tum fuiſſe à Philiſthæis, & nihil præter cladem à Philiſthæis, & captiuitatem expectaſſe, quando vxores fratrum Dauidis libellos repudij a maritis ſuis poſtularēt. Sed vellem hanc hebræorū traditionē aliquo ab eis Scripturæ teſtimonio, vel exemplo firmari. Certe cum triennium expectandū eſſet, nihil erat opus tam propere hoſce libellos poſtulari, qui intra definitū id tempus ſatis poterant mitti; præſertim à Palæſtina, prouincia contermina Iudæis.

2 N xxxi. Refert Serarius in hunc locum 1.Reg. Nicolaū Pontif. damnantem monomachiam can. *monomachiam* 2.q.5. Cœleſtinum 3.c. *Cum ſuſcepti*, extra, de vulgari purgatione, Innocentiū 3. cap. *Significantibus*, ibid. Quibus adde Iulium 2. ann. Chriſt. 1508. in conſtitutione cuius initiū, *Regis pacifici*, vbi omnia duella, ſiue ſingularia certamina ex quauis cauſa ſuſcepta, etiam legibus permiſſa condemnat; ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ; quam non ſolum iſti gladiatores incurrant, ſed qui eis locū ad pugnam præbent; vultq. pœnis omnibus homicidarum ſubiacere, & ſacra carere ſepultura. Quæ de monomachia, priuata ex cauſa ſuſcepta, quæ ſola fere in vſu eſt, intelligūtur: nec abuſus, qui à Pontificib. corriguntur, locum habent in rebus, quæ vel nullo, vel rariſſimo ſunt in vſu. Iulio ſucceſſit Leo 10. qui ad verbum eandem conſtitutionem cōfirmauit, an. 1519. conſtitutione, quæ incipit, *Quam Deo*, additque eam pœnam, vt pugnantium memoria perpetuo damnata ſit; & bona præſcripta: & locum certaminis vult eccleſiaſtico ſubiacere interdicto.

Nicolaus. Cœleſtinus. Iulius 2. Leo 10.

Eius ſucceſſor, & frater patruelis Clemens 7. an. 1524. vtramq. præcedentium cōſtitutionem ad verbū confirmauit, conſtitutione quæ incipit *Cōſueuit Romanus*. Eas iterum ſtabiliuit Iulius 3. Conſtitutione quæ incipit, *Cum ſicut accepimus*, vbi agit de pœnis homicidarum, & bannitorum. Secutum eſt mox Conc. Tridēt. quod ſeſſ. 25. c. 19. de reform. deteſtabilē duellorum vſum; fabricāte diabolo introductum, ex toto Chriſtiano orbe iubet exterminari: Et excommunicat etiam Imperatorem, & reges omnes, & inferiores dominos, qui locum ad monomachiā præbuerint: & alias pœnas prædictorum pontificum innouat in ipſos gladiatores, pugnæ fautores, atque adeo ſpectatores. Ante eius Concilij finem, qui incidit in 4. Decembr. an. 1563. Pius 4. tum Pontifex an. 1560. in conſtitutione quæ incipit; *Ea qua à prædeceſſoribus*, omnes ſuperiorum de duellis conſtitutiones cōfirmauit, addēs vt diffidati ſint. rei læzæ maieſtatis, ſeditionis, rebellionis, &c. non ſolum ipſi pugilles, ſed & locum præbētes, & fautores omnes, deniq. excom. latę ſent. Pontif. Romano reſeruatam incurrant: clerici hoc ipſo omnib. omnino beneficiis, & dignitatibus priuati ſint.

Clem. 7. Iul. 3. Trident. Pius 4.

Deinde Greg. 13. in conſtitutione *Ad tollendum*, edita an. 1582. confirmans edictum Conc. Trid. illud extendit ad eos, qui priuatim monomachiam exercent. Denique Clem. 8. decennio poſt an. 1592. Pij 4. bullam renouauit & auxit. Nec tautum abſolutionem reſeruauit ſummo Pontifici, ſed omnium etiam priuilegiatorū ad eā rem priuilegia ſuſpendit. Quod cum multa paſſim afferret incommoda, moderationem adhibuit, & rem in eum ſtatum reduxit, in quo erat ſub Greg. 13. In Gallia vero huic perniciosiſſimę corruptelæ Henric. 4. rex ſeuero edicto maximum remedium attulit, anno Chriſti 1609.

Gregor. 1[3] Clem. 8. Henricus

3. N. xxx[v] Limpidiſſimos lapides vocat, puros à materia gleboſa & arenoſa, meros lapides, eoſq. duriſſimos, vt vel ferro certare poſſent: & cum plures non putaret neceſſarios, plures non putauit colligendos in torrente, vbi tales facile reperiūtur. Eos autem miſſos ait S. Auguſt. li. 50. hom. hom. 3 & ſerm. 20. de diuerſis c. 5. & cum eo Iſid. c. 10. in 1.Reg. *in vas paſtoris in quo lac mulgeri ſolet*. ſic nimirum interpretatur illud κάδιον, quod habent 70. Rectius tamen videtur S. Hieron. κάδιον ποιμενικόν, peram paſtoralem vertiſſe, quæ iter facienti magis quadrabat. Interpres Chryſ. modo ſitulam, modo peram paſtoralem vertit, eſt autē diminutiuum à κάδος cadus, quaſi dicas paruū cadum.

4. N. xLv. Nugantur ſuo more Hebræi, dicuntque ferrum galeæ ceſſiſſe lapidi, ideoque circumciſionem ab eo tempore ferreo cultro factam fuiſſe; quæ ante fiebat lapideo. At faciem ferro obuelatam probare non poſſunt, paſſim enim ſolum caput galea obtegitur. Ex eadem Rabbinorum officina apud eundem Comeſt. hæc leges. *Cum ieciſſet lapidem funda, percuſſit eum in fronte; ſecundo quoque & tertio lapide percuſſit eum in eodem loco, & tertio ictu deiecit eum*. At Scriptura vnicum memorat, ſicut & Auguſt. ſerm. 20. de diuerſ. c. 5. & Iſid. l. 1. Reg. c. 10. & maxime Ioſeph. *Promptū*, inquit, *è pera vnum lapidem funda rotatum tanta vi in aduerſam hoſtis frontem infligit, vt ad cerebrum vſque penetrauerit, quo ictu ſopitus Goliathus in faciem eſt proſtratus*, audis vnū lapidē, vnumq. ictum. vide Abul. q. 34. in c. 17

ANNVS MVNDI 2972. DILVVII 1316. QVINTÆ ÆTATIS 33. EXITVS AB ÆGYPTO 429. ARCÆ IN CARIAT. 32. SAMVELIS 33. SAVLIS REGIS II. ACHIÆ SEV ACHIMELECHI PONTIF. II. DAVIDIS 23. TROIANI EXCIDII 101. DERCYLLI 22. IMPERII ASSYRIORVM. 1041.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1081.

I. *Ratio temporis.* NOVVM inimus annum, occultis Saulis in Dauidem inſidiis implicatum. Reliquum enim annum ab interempto Philiſthæo, damus inito Ionathæ cum Dauide fœderi, damus circumducto per vniuerſas vrbes Iſraëlis Dauidis triumpho, cum Goliathi capite ad vitandam putredinem medicato. Damus accepto, prudenterque geſto Centurionis officio, [a] cum populi totius, in primiſque aulicorum Saulis beneuolentia, atq; approbatione, quæ licet videri poſſint per occupationem dicta, atque incerta loco non ſuo, vt idem ſit factum Dauidem à Saule belli ducem, & factum tribunum: rectius tamen eſt ea officia re diſtincta, etiam tempore diſtinguere, quod faciunt plerique omnes interpretes; fecit enim belli ducem ante natam inuidiam, fecit tribunum, vt eum amoueret à ſe, odioſum iam ac formidoloſum. Nec par eſt credere Dauidem ſtatim ab occiſo gigante, non donatum dignitate militari à rege; quando & à regis filio veſtibus, armiſque ſuis donatus eſt. Quo enim alioqui beneficio rex teſtatus eſſet ſuam in Dauidem beneuolentiam, & quam ſibi accepta fuiſſet Dauidis de tali ac tanto hoſte victoria, ſi eum vt olim pſaltrem tantum habuiſſet, atque armigerum. Nam Tribunatus, tardius & exulcerato vt dixi, iam regis animo, ipſi datus eſt, & bis dat qui cito dat. Damus denique ſemel iterumque declinatæ à Dauide cladi, quas inter plurimi fortaſſe dies, vel hebdomadæ interceſſerunt.

[a] c. 18. v. 5. & 13.

II. *Ordo & modus odij Saulis in Dauidem.* INTEREA felleos Saulis oculos Dauid placidiſſimè intuebatur, quod eos morbo tribueret, nec odium ſuſpicabatur, qui nullius ſibi eſſet culpæ conſcius. Quid faceret autem Saul, triſti primum inuidia, & ambitioſo metu, deinde etiam crudeli odio ſaucius? perditum volebat iuuenem, ſummis, mediis, infimis longe gratioſiſſimum; itaque deſperabat inuenire ſe poſſe ſicarium, qui tam nefarium auderet ſuſcipere facinus, quod ne ipſe quidem proloqui auderet. Ipſummet ergo fieri Dauidis carnificem oportebat; At pudor iuſtiſſimæ infamiæ, à tam ingrato, tamq. probroſo ſcelere deterrebat. Quid ergo molitur ingenioſum odium? mediam init viam, vt & æmulum interficiat, & dedecus admiſſi criminis, à ſe amoliatur. *In furore lanceam ſemel,* Dæmonem quem habebat huius facinoris conſiliarium, expectat dum habeat obſeſſorem, optato vt furore inſaniat, cui non cithara, ſed innoxius citharœdi ſanguis medeatur. Inſanit, fanda, atque infanda loquitur; accurrunt famuli, priorque accurrit iuuenis, dulciſſimum inſtillat auribus, & ab ore, & à fidibus melos. Ille meditatum facinus aggreditur, & notam habilemque in diſſimulatum hoſtem intorquet lanceam, ſi quo modo illum perfoſſum parieti affigere poſſit. At iuuenis, cui intenti cum gemitu in furentem oculi, & vidit vibrantem in ſe manum, & celeri declinatione corporis irritum ictum reddidit.

III. *Iterumque torquet in Dauidem.* MIRATVR factum rex, & gemino adhuc furore inſaniens, caſum illi, non diuinam prouidentiam ſaluti fuiſſe ſuſpicatus, ſcelus opportunè redintegrare cogitat; cum primum autem ab externo illo arreptitiorum furore reſipuit, vt hoſtem incautum occupet, inſcio id ſibi, atque inuito excidiſſe conteſtatur, ac plangit: idque facile credit iuuenis, qui nihil ſibi eſſet conſcius; neque adhuc didiciſſet, quid fraudis, atque perfidiæ ambitio parturiret. Ergo Rex poſt aliquot dies iterum inſanit, iterumque irrito conatu Dauidem petit. Ac tum demum agnouit

inimici ſui protectorem Deum; cuius opera à tanto periculo euaſiſſet, ſibique ab eo timere cœpit, quem videbat ita diuinitus protegi, vt omnia illi iucundiſſimo curſu fluerent, dum irrita ipſe fureret inſania, timere, inquam, non vim, opinor, aliquam ſibi à Dauide inferendam, ſed ne Deus repudiata penitus familia ſua, regnum in ipſum transferet. Merito timet, qui deſertus eſt à Deo; merito confidit, qui in protectione Dei cœli commoratur. *Timuit Saul Dauid, eo quod Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet.* Timuit etiam ne patefacta iam ſatis ſuo in ipſum odio, Dauid idoneam nactus occaſionem vicem redderet non immerenti, vt explicat Abulenſis. [a] Qui putat Dauidem nunc à Saule receſſiſſe, imo fugiſſe, etſi ſemel tantum lanceam in ipſum emiſſam putet: quod tanto credibilius eſt, poſt iteratum animo crimen, aditumque diſcrimen.

Ab eo ſibi timet. quo & deſeritur.

a q. 19. in c. 18.

IV.

Statuit Saul Dauidem aliena manu perdere

Aberat itaque Dauid à Saulis domo, & frequens, vt par eſt credere, in familia, domoque Ionathæ verſabatur; qui erat nunc non multo quadragenario minor; nam Iſboſeth natu minimus 33. nunc annum agebat, vt Ionathas iam vxorem, ac liberos habere poſſet, ſeorſim à paterna domo. Ergo cum iam graui atque iterato periculo abeſſet Dauid, nec ſpes eſſet illum iiſdem retibus capi poſſe, nec tamen voluntas perdendi hominis mutaretur, ſtatuit eum aliena opera de medio tollere, idque per cauſam honorandi hominis; quem euexit ad tribunitiam dignitatem; & inſuper filiam ei ſuam deſpondit vxorem, vt fortiſſimum iuuenem, atque imprimis generoſum in ea diſcrimina coniiceret, in quibus aliquando neceſſario, atque occulte periret. [b] Hoc illi conſilium merito viſum eſt callidiſſimum, & commodiſſimum ad rem quam agebat; primum quia eadem opera amouebat eum à ſe, & tutum præſtabat ſe ab eius manu, ſi quid ille forte moliretur: ſecundo ita hominem aliena manu perdebat, vt infamiam mortis eius, atque adeò ſuſpicionem vitaret; tertio honorabat iuuenem in teſtimonium aut integræ beneuolentiæ, aut certe redintegratæ. denique ſatisfaciebat edicto ſuo de promiſſo filiæ coniugio, & datam liberabat fidem; quam fallere, omnibus quidem hominibus, ſed maxime regibus indecorum, ac probroſum eſt.

b vide Abul q. 21. in ca. 18. 1. Reg. & Ioſeph. lib. 6. c. 11

Quamque id callidè.

V.

Tribunum creat.

Fecit ergo Saul Dauidem *tribunum ſuper mille viros.* Tribunus aliquando principem tribus ſignificat, qualis fuit olim Eleazar in leuitica, Nahaſſon in Iudæa, aliiſque in aliis, prout in lib. Numerorum non ſemel recenſentur; [c] qui tamen potius principes tribuum dicuntur; ſæpius autem tribuni præpoſiti ſunt mille viris, ideoque hic in Hebræo legimus שַׂר אֶלֶף Sar Aleph, id eſt principem mille, & in Græco χιλίαρχον, quibus ex Moſis & Iethronis decreto [b] ſuberant Centuriones, Quinquagenarii, Decani. Cumque Dauid eſſet de tribu Iuda, etiam conſentaneum eſt ipſum in eadem tribu fuiſſe tribunum. Quam autem prudenter ſe ac modeſte in ea dignitate gereret, docent quæ ſequuntur. *Et egrediebatur, & intrabat in conſpectu populi,* nimirum expeditiones iuſſu regis exequebatur, & ſuam cohortem deducebat, reducebatque. *In omnibus quoque viis ſuis Dauid prudenter agebat, & Dominus erat cum eo;* cuius beneficio cuncta ei proſpere eueniebant. Hæc eſt illa felicitas in imperatoribus laudatiſſima, plurimumque expetenda. Itaque recte ſequitur *Omnis Iſrael & Iuda diligebat Dauid, ipſe enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.* non quidam ante omnes, id enim erat munus principis militiæ, ſed ante ſuos, cęteris congratulantibus, & ſe illi perquam libenter cum bona ſuorum tribunorum venia, adiungentibus, quam illi veniam genero regis non denegabant; quam mox affinitatem conſecutus eſt.

c ca. 1. & 7.

d Exo. 18.

Eius in tribunatu prudentia & felicitas.

VI.

Eam ſuſpicit, & cauet Saul.

Illam prudentiam ac felicitatem ſuſpexit Saul, *& cœpit cauere eum;* [e] accedente præſertim communi illa totius exercitus beneuolentia, & charitate, ne forte is tanta beneuolentia in regis perniciem vellet abuti, & ſi id ſtatuiſſet, ne res illi ex animi ſententia, vt in cæteris contingeret. Hæc autem cum non breue aliquod, ſed diuturnum tempus exigant, merito à ſuperiore anno ſecreta in præſentem retulimus, ſicut & nuptias eiuſdem, aliaque a Dauide geſta, quandiu Saul non ſe illi aperte inimicum exhibuit, quæ fere reliquo 18. capite continentur: quæque à Saule gloriæ Dauidis inuidente, in eius ruinam deſtinata, eum reddiderunt, Deo vbique dirigente, ac protegente, glorioſiorem. Tribunum militum fecit, ratus præferuida ætate iuuenem, gloriæ acquirendæ, atque amplifi-

e ca 18. 15.

Res huius anni.

Dauid omnibus charus.

candæ, cauſa, præcipitem in interitum breui tempore ruiturum: at ille rebus prudenter, fortiterque gerendis gloriam immortalem acquiſiuit, cum perpetuo hoſtium terrore & clade, & inuſitata omnium tribuum prædicatione, plauſu, beneuolentia. Et dilectum quidem à tribu Iuda contribulem ſuum nihil mirum; eius enim gloria in ipſos redundabat. Sed quod omnes eùm tribus diligerēt, etiam tribus Beniamin, quæ tum regia erat; etiā tribus Ephraim, quæ præ cæteris ambitioſa ſemper fuit, vt alibi demonſtratum eſt; [a] id vero eximium fuit virtutis, & moderationis Dauidis argumentum. Exarſiſſet enim circa gloriam, & felicitatem eius, eorum inuidia, niſi eam animi demiſſio, innocentia, manſuetudo extinxiſſent.

[a] m. 2963. n. 25.

VII. *Saul ſpondet ei Meroben, non ſincere.*

QVO autem ceſſit conſilium Saulis, ineundæ cum Dauide affinitatis? quoniā eo nos ſeries ipſa narrationis adduxit. Spopondit ei filiam ſuam primogenitam, quam, fidem fallendo, alteri dedit; moxque dedit illi Michol filiam alteram vxorem, vt fieret ei in ſcandalum, & manibus Philiſthæorū periret, dum eorum præputia quærit, quæ niſi ab occiſis obtinere non poterat. At Michol dilexit Dauidem, & fuit illi in ſalutem, & Philiſthæi in ſegetem copioſiſſimam gloriæ, dum eos conſilio, & viribus, prudentia & fortitudine incautos occupat, imparatos anteuertit, reſiſtentes cædit, fundit, fugat, mactatq; perterritos: & quātum, preclare ſe gerendo, acquirit gloriæ, tantum animi demiſſione, & manſuetudine ſibi apud æquos, iniquoſque comparat amoris & beneuolentiæ. Vt poſtmodum merito apud Dominum caneret. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Dixit ergo Saul ad Dauid, Ecce filia mea maior Merob, ipſam dabo tibi vxorem, tantummodo eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* [b] Nimirum cupiebat vt ad fortitudinis gloriā aucupandam talibus dignam nuptiis, tanto ſe audacius periculis obiiceret, & in ipſis periret. Nam ſubditur, *Saul autem reputabat*, in corde ſuo *dicens*, *Non ſit manus mea in eum, ſed ſit ſuper eum manum Philiſthinorum*, eodem prope ſcelere, quo poſtea Dauid ipſe Vriam gladio Ammonitarum perdidit.

[b] Abul. q. 25. in c. 18.

VIII. *Quam congruum id matrimonium.*

DAVIDI debebatur Merob ex promiſſione patris, maiores enim natu, nuptui prius tradebantur, non ſolum apud Syros, ſed etiam apud Hebræos. Itaque Saül eam iterum promittendo, non liberaliter agebat, ſed iuſte, & cum deinde alteri eam tradidit, geminæ promiſſionis, cum inſigni Dauidis iniuria, violator fuit. Et credibile eſt puellæ placuiſſe coniugium, iuuenis longe præſtantiſſimi, atque optimi, qui honeſtiſſimo genere natus, præclariſſimo facinore regiam ſibi affinitatem peperiſſet, quem populus vniuerſus in oculis ferret, qui illuſtribus animi, corporiſque dotibus, omnibus ſe amabilem reddidit. Dauid autem qui pro ſua demiſſione animi, nihil ſibi tribuebat, & candide, ex animo ipſe ſuo, regis animum interpretabatur, ingens ſibi conferri beneficium, & ſingulari ſe honore affici arbitrabatur. Itaque aiebat, *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea*, id eſt quæ res à me geſtæ, *aut cognatio patris mei in Iſrael, vt fiam gener regis?* Et par erat ſubditum, & quidem in familia ſua natu minimum, omnia ſua verbis abiicere, atque extenuare coram rege ſuo; cui ſemper propter eminentiſſimam dignitatem inferior eſt; cum tamen coniugia coaleſcere debeant inter pares: verum amor aut pares inuenit, aut facit. Itaque oratio non recuſantis, ſed modeſte conditionem accipientis fuit.

In quod cōſentit Merob & Dauid.

IX. *Rex iniuſtiſsime fidem frangit.*

SED vide regem promiſſi, & iuſtitiæ, & decori immemorem. Vbi tempus aduenit, vt nuptui traderetur Dauidi, *data eſt Hadrieli Molathitæ vxor.* Eam vniuerſe promiſerat cum in acie verſaretur, & vellet aliquem ad ſingulare certamen inducere; induxit Dauidem, factus eſt promiſſi reus, cunctatur: promittit ſecundò, & vtramque promiſſionem irritam reddit. Quid cauſæ? Non promiſerat animo ſtandi promiſſis, & matrimonium celebrandi, ſed vt ille ſpe coniugij, præceps in pericula ruens periret: qua ſpe fruſtratus, reſilit à promiſſis. Edixerat [c] autem certum tempus intra quod ille fortibus auſis filiam regis promereretur: quo adueniente laboris merces alteri data eſt: quod iniuſtiſſimum fuit, vt bis debita, & bis magno empta affinitate fruſtraretur, iniuſte promiſit, vxorem quam dare nollet, vt qui mortuum habere vellet non generum; iniuſtius vnius mercis geminam ſolutionem exegit: iniuſtiſſime autem ne bis quidem emptā tradidit emptori. Id ſi omnibus mortalibus indecorum eſt, imo facinus eſt quod clamore vindicem

[c] vide Abu. q. 31 in c. 18.

appellat Deum, nonne in rege perfidioſum, ac tyrannicum eſt? præſertim cum vita toties expoſita morti, longe pluris æſtimanda ſit, quam pecunia.

a l.6.c.11. TOTAM hanc Saulis in Dauidē iniuriam miſſam fecit Ioſephus, [a] vt propterea quis fuerit iſte Hadriel, aut qua ex cauſa reſciſſa fuerit promiſſio regis, ab eo diſcere non poſſimus; ſed reſcindendi contractus quæ cauſa fuerit, iam clarum eſt, & fiet mox illuſtrius, cum de ſecunda filia dicetur. Quis autem fuerit iſte Hadriel, vtcumque ex 2. Reg. intelligi poteſt; [b] vbi habetur eum fuiſſe filium Berzellai, ex vrbe Molathi oriundum, quæ ab Adrichomio in tribu Simeonis collocatur. Alius autem eſt hic Bezellai, ab altero Dauidis amantiſſimo, qui fuit Galaadites de Rogelim, de quo multa eſt in ſecundo Regum mentio, qui trans-Iordanem habitauit. [c] Porro hic Hadriel legitimum contraxit cum Merobe matrimonium; quoniam Merob tantum promiſſa fuerit Dauidi in futurum, *ipſam dabo tibi vxorem*, non autem in præſenti tradita; alioqui eam, non ſecus ac Micholem poſtea repetiiſſet. Porro Hadriel ex ea quinq. ſuſcepit liberos, qui infœlici omnes morte interierunt; à Gabaonitis, ob paternum crimen, Dauide conſentiente, ſuſpenſi, qua de re ſuo loco dicetur vberius.

X. *Quis Hadriel cui data Merob.*

b c.21.8.

c c.17. c.19.

QVO animo hanc tam inſignem iniuriam tulerit Dauid Scriptura non meminit, ſed ex ipſius virtute, & eximia moderatione animi coniiciendum reliquit. Meminit S. Chryſoſt. [d] nec parum Sauli eam ob iniuriam ſuccenſet. *Et ſanctus ille*, inquit, *poſt hæc omnia perſeuerauit regis curare negotia, proque ſalute illius ſuſcipere pericula, & in acie ſtare in prælijs omnibus, ſuoque periculo ſeruare trucidatorem ſuum. Denique nec dictis, nec factis contriſtauit immitem illam beſtiam, ſed conceſſit in omnibus, dictoque audiens fuit. Cumque victoriæ præmium non accepiſſet, ſed omnium illorum periculorū mercede fraudatus eſſet, ne verbo quidem expoſtulauit vnquam, non cum militibus, non cum rege; propterea quod hæc non geſſiſſet ſpe mercedis, cœlitus expectans retributionem.* cum tamen fortaſſe ab amicis, & ſociis, illi ſtimuli non deeſſent. [e]

XI. *Dauidis patientia in hac iniuria*

d hom. 1. Saule & Dauide.

e Aen 7.

Rex tibi coniugium, & quæſitas ſanguine dotes
Abnegat, immerituſque *in regnum quæritur hæres.*
I nunc ingratis offer te irriſe periclis,
Sterne Palæſtinas *acies*, *tege pace* Saülem.

f Iud.15. Non ita Samſon [f] ſimilem, atque adeo minorem multo accepit iniuriam, quantumlibet Socer iuniorem illi, & pulchriorem offerret vxorem.

DAVID autem nihilo commotior, quam ſi nullam accepiſſet iniuriam, vt qui vere humilis erat, & talibus ſe nuptiis indignum putabat ex animo, ſicut ore profitebatur, ad alteram Saülis filiam prioris ſororem, animum requiſitus applicuit. Cum enim Michol ſororem ſuam alteri nuptui traditam videret, rem ad ſe pertinere putauit, eumque diligerę cœpit, 2 nec amorem diſſimulauit. Et erat cur diligeret, amore longe digniſſimum, ad quem ornandum virtus, ætas, forma, genus egregie conſpirarent. Hic amor cum patri nunciatus eſſet, placuit ei, & in futuras nuptias mala rurſum intentione conſenſit. Dixit enim intra ſe, *Dabo eam illi*, ſupponebat autem mutuum Dauidis eſſe in illam amorem, *vt fiat ei in ſcandalum*, non quod reuera ea quidquā mali in eum machinatura eſſet, ſed *vt ſit ſuper eum manus Philiſthinorum*: quos ei ſcilicet mandabo occidendos; neque enim aliter accepturus erat præputia eorum, qui circunciſionem, vt fatuam, & crudelem ceremoniam deteſtabantur: ſicque optatis ſecundo genitæ nuptiis potiretur, & excluſus à prima, in ſecunda conſiſteret: & Saül è contrario non factus in priore filia voti compos, in poſteriore optata inimici morte frueretur. Sed Deus improbiſſimum regis conſilium, tandem vertit in eius caput; Nam ab illis ipſis Philiſthæis cum familia ſua, in montibus Gelboë miſerè cæſus eſt. Dauid autem eis identidem debellandis glorioſum nomen eſt conſecutus.

XII. *Ad alteram ſororē animum applicat.*

2. χ.

In eas nuptias male conſentit Saul.

CONSENSERAT Saül deſiderio Micholis filiæ, ea quam dixi intentione, & Dauid ipſe conſentiebat in nuptias, ſi eas rex probaret, eaſque ab eo, de more poſtulabat ſiue per ſe ipſe, ſiue gratioſi cuiuſpiam amici, Ionathæ fortaſſe, interuentu. At rex *in duabus*, inquit, *rebus gener meus eris hodie*; conſentit in nuptias, ſed odioſiſſimam conditionem committit aulicis ſuis declarandam. Obſcura eſt illa Saülis oratio, cui vox *rebus* ab interprete declarandi cauſa adiecta eſt, quæ abeſt ab hebræo, nec in græcis Complutenſibus, Regiis, aut Romanis reperitur: ſed tan-

XIII. *Et quibus conditionibus.*

tum ἐν ταῖς δυσὶν ἐπιγαμβρεύσεις μοι σήμερον, *in duabus gener mihi eris hodie*. Aldina & Baſil. editio habent δυνάμεσι, vitioſe opinor, δυσὶν, quaſi ſcriptum compendio, in δυνάμεσιν verſum eſt. Quidam nihilominus explicant in duabus virtutibus, ſcilicet morte Goliathi, & centum præputiis, quaſi legeretur ἐν ταῖς δυσὶν δυνάμεσι, & non abeſſet altera dictio. Sa & interlin. Angel.

XIV. *Expoſitio textus.* Expositioni vulgatæ, quam retinet Hieron. in tradit. fauet Chaldæus paraphraſtes; habet enim, *in vno duorum eris gener meus*, ſcilicet dote dãda, vel pręputiis: quorum poſterius Saul poſtea elegit, cum Dauid paupertatem ſuam cauſaretur. ita hunc locum Comeſtor, Dionyſ. Sa, & alii exponunt, eſtque conſentanea expoſitio ſequenti narrationi. In tradit. autem duæ res, quaſi duæ dotes accipiuntur; centum præputiorum ſingulæ, quia cum Saul centum dumtaxat petiiſſet, Dauid illi annumerauit ducenta, cẽtena pro ſingulis filiabus; verum hæc dicta ſunt à Saule, antequam vlla fieret mentio præputiorum. Alii etiam interpretantur in duabus ſubintelligẽdo filiabus, vt ſit ſenſus, in vna duarũ, aut in altera duarũ, ſiue alterutra, quaſi dixerit Saul, perinde erit vt ſis mihi gener ſiue in vna, ſiue in altera filiarũ; priorẽ elocaui, poſterior erit vxor tua, ſic in l. Iud.[a] Iephte dicitur ſepultus in ciuitate Galaad cũ in Hebr. ſit in ciuitatibus id eſt in vna ciuitatũ, vt notauit Abul. qui hanc interpretationem ſequitur cum Vatablo; & Caiet. Alii denique in quibus Lyranus, & aliqui Hebræi, in duabus accipiunt, quaſi dictum eſſet in vtraq;: eo quod in priore factus eſſet gener quantum ad ſponſalia; ſiue promiſſionem ſolam, in poſteriore autem fieret gener ad perfectum matrimonium: quæ expoſitio planiſſima eſt, & Abulenſi quoque probata. Et videtur ſane Saul per ſe de filiabus tantum, aut earũ altera locutus vt dixi, duas autem illas res, quarum altera dotis loco accipienda eſſet, per ſeruos ſuos Dauidi declaraſſe. Sequitur itaque.

in 1. Reg. c.17. a c.12. v.7.

XV. *Optio Dauidi datur, vt fiat gener regis.* Et *mandauit Saul ſeruis ſuis, loquimini ad Dauid clam me, dicentes. Ecce places regi, & omnes ſerui eius diligunt te; nunc ergo eſto gener regis. Et locuti ſunt ſerui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc*; plura quoque locutos, nec expreſſa fuiſſe omnia, vel quæ mandauit Saul, vel quæ illi dixerunt, innuit ipſa phraſis, non enim tam paucis verbis videtur ſatis conuenire illud, *omnia verba hæc*. Idem innuit etiam efficacius Dauidis reſponſio fruſtra enim paupertatem ille ſuam, excuſaret, ſi nihil illi de dote, ac ſumptibus egiſſent. Itaque intelligendum eſt eos, magnam quandam pecuniæ vim coëmendæ regiæ vxoris cauſa poſtulaſſe; Dauidem autem propoſitam quidem affinitatem verbis honorificis eſſe proſecutum, negaſſe tamen ad eam ſe per fortunas ſuas aſpirare poſſe. Id quod ex compoſito à rege factum fuerat, vt occaſionem haberet aliquid aliud dotis nomine petendi. Cum ergo regi fuiſſet renunciatum quid reſponſi dediſſet Dauid, ad deſtinatam animo petitionem deſcendit, quam optabat ac ſperabat illi lethalem fore, dixit itaque nunciis. *Sic loquimini ad Dauid. Non habet rex ſponſalia neceſſe*, quod eſt remittit tibi rex donationem pecuniæ in ſpõſæ dotem; requirit autem in eius locum *centum præputia Philiſthinorum, vt fiat vltio de inimicis regis*; neque amat rex periculum tuum, ſed iuſtam de ſuis populiq; inimicis vltionem. Hæc illi fere, ſed iniquam regis intentionem Scriptura ſtatim patefacit, ſubdit enim. *Porro Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philiſthinorum*.

excuſat paupertatem.

XVI. *Coemptio coniugum.* Cæterum mirũ videri non debet dotẽ à genero, ſiue marito peti; cũ illi potius ab vxore ſoleat dari. Nam antiquitus maritus vxorem dicebatur emere, & maritum vxor; dicebãturque fieri per coëmptionem nuptię. Iſidorus enim lib. 5. Orig. cap. 24, Antiquum ait nuptiarum fuiſſe ritum, vt ſe maritus & vxor inuicem emerent; *ne videretur*, inquit, *ancilla vxor. Inde eſt quod præcedente donatione viri ſequitur dos vxoris*, ſic ipſe. Si ſolus ſponſus daret pecuniam videretur emere ancillam. Nunc autem puellæ parentes paſſim requirunt, vt gener datam ſibi à ſocero dotem, ſuper idoneam aliquam bonorum ſuorum partem aſſignet. Ad hanc coëmptionem pertinet illud Oſeæ, [b] *Et fodi*, id eſt emi, *eam mihi quindecim argenteis*, vbi vide pluribus Riberam, & Pined. l. 5. de rebus Salomonis. [c] attigi in 1. tomo, in muneribus quæ Eliezer ſeruus Abrahæ dedit Rebeccæ nomine Iſaaci. [d] vide leg. *Cum multæ* Cod. de donationibus ante nuptias.

b Oſee 3. 2. c c.1. §. 4. d a.m. 2178. n.9.

XVII. *Admittit Dauid con-* Admittit conditionem Dauid, ſeq; ac ſuos ad eam quamprimum explendã parauit: vnde ſequitur, *Et poſt paucos dies ſurgens Dauid abiit cum viris qui ſub eo erant.*

ditionem præputioru͂

In Hebræo textu habetur, certos Dauidi præſtitutos dies, intra quos illa præputia numeranda erant. Vnde non legitur, *Et poſt paucos dies*, ſed *nondum erant exacti dies.* quomodo Septuagint. quoque verterunt, & Chaldæus paraphraſtes. Et hoc modo Saul maius Dauidi creabat periculum, non permittendo illi per otiu͂ co͂modam ſibi occaſionem captare ſuſceptum exequendi negotium. Nihilominus Deus qui Dauidi præſenti ſemper auxilio aderat, fortunauit conatum eius; *& percuſsit ex Philiſthæis ducentos viros, & attulit eorum præputia; & annumerauit ea regi, vt eſſet gener eius.* Quomodo ij in poteſtatem Dauidis venerint, neq; à Scriptura traditur, neque à Ioſepho. Non eſt abſurdum eu͂ poſitis ad populoſam aliquam vrbe͂ inſidiis, exeuntes excepiſſe, & interfeciſſe. Aliqua biblia habent nominatim vrbe͂ ACCARON primariam in Philiſthæis, itaque legit Rupert. & Abul, ſed in editione vulgata eme͂data ea vox non habetur [a] neq; in Hebr. Græc. Chald. neq. in Ioſeph.

Occiditq; Philiſthæos.

a l. 2. Reg. c. 10.

XVIII. *Centúmne an ducentos.*

IN numero quoque occiſorum aliqua reperitur diuerſitas. Nam 70. in edit. Romana, Aldina, Baſil. centum tantum viros occiſos referunt, totidemq; Sauli annumerata præputia, idemq. habet Seuer. Sulpit. Editio tamen Co͂plutenſis & Regia de more Hebræo conſentit, de centu͂ poſtulatis, & ducentis traditis, Hieron. in tradit. [b] *In duabus rebus eris mihi gener hodie, quia ego quæſiui à te centum præputia Philiſthinorum, & tu attuliſti ducenta.* Ide͂ Procop, Angelom. Iſidor. quoque. *Hinc inuidia Saulis*, inquit, *& ſemen odiorum aduerſus Dauid, que͂ diſsimulator callidus, vt ſine inſidiis ſuis poſſet offerre diſcrimini, ſtatuit eum Michol filiæ ſuæ nuptiis alligare, ſi centum ſibi Allophylorу͂ præputia victor offerret, pro quibus, ducenta dedit, & vnde creditur regio perire voto, inde auctus eſt glorioſiori trophæo.* ſic ipſe. De numero conſentiunt omnes recentiores. Additque Abul. non petiiſſe Saulem pauca tantum præputia, quia facile fuiſſet Dauidi, & abſque periculo, quod minime cupiebat Saul, illum explere numerum: non requiſiuit autem maiorem numerum, ne ſe intentio Saulis proderet, & forte conditionem Dauid repudiaret.

b c. 11 in 1. Reg.

XIX. *Cur petierit Saul præputia.*

c qu. 47.

OBSERVANDVM autem eſt in primis cum Theodoreto [c] Procopio, Abulenſi, Lyrano, Serario. Non petiiſſe Saulem 100. capita, manus, aureſue Philiſthinoru͂; voluiſſe quippe occurrere fraudi, ne Dauid cum ſuis prædonu͂ more obuios quoſque trucidarent, eoſque nihilominus dicerent eſſe Philiſthæos. At præputia nuſquam in omnibus Iſraëlitarum prouinciis reperturus erat, ergo vel ad alias gentes longinquiores maiore labore, periculo, & ſpatio temporis, quod ſatis breue conceſſum fuerat, eundem erat, vel ad vicinos Philiſthæos, ſicut factum eſt, & regis imperium ferebat. Qui illud etiam intuebatur, vt Lyrano placet, vt Dauid Philiſthæis, qui circunciſionem execrabatur, odioſiſſimus redderetur, tantoque magis eum morti tradere conarentur. In Theodoreto autem latino non rectè legitur *Præputium enim indicat aliud genus.* Vertendum eſt indicat Allophylum, vel Philiſthæum. Nam in græco eſt τὸ ἀλλόφυλον.

XX. *Ioſeph. Scripturam hic corrumpit.*

QVA in re merito accuſandus eſt Ioſephus, qui hanc regis petitionem, Scriptura aperte teſtatam, probabili aliqua ratione defendere non valens, & erubeſcens petita centum præputia in dotem filiæ regis, id enim apertiſſime Romanorum, Græcorumque ſubſannationi patebat, pro centum præputiis ſexcenta hominum capita poſtulata ſcribit, neque in re, neque in numero veritatem ſecutus. Alludere fortaſſe voluit ad aliquarum gentium barbararum morem, quæ hoſtium capitibus ſponſas à patribus earum emebant, quod Strabo de Carmanis l. 15. ſcribit. Sed oportuit omnino fidelem ſeſe hiſtoriæ ſacroſanctæ exhibere. Culpa inſignis eſt, & ab aliis quoque ſcriptoribus merito reprehenſa, [d] nec vlla poteſt tergiuerſatione defendi. Et ne quid fingere videamur, *Promitto*, inquit, [e] *filiæ coniugium, ſi ſexcenta hoſtium capita afferet.* Et infra, *dicite nihil me morari pecunias, aut dona quæ ſponſæ offerat, hoc enim vendere fuerit filiam, magis quam elocare*: Ita ſane ſi tranſirent ea dona, vel pecuniæ in dominium patris aut ſoceri, & non in commune conferrentur quaſi ſolum ac fundamentum conſtituendæ familiæ: pergit.

d Abul qu 16. Serar. in c. 18.
e l. 6. ant. c. 11 & 13.

XXI. *Centu͂ præputia vertit in 600. capita.*

SED *cupere generu͂ fortitudine, aliiſq; virtutib. præcelle͂te͂, quales in ipſo ia͂ co͂peri: poſcere aute͂ pro nuptiis filiæ, non auru͂ aut argentu͂, quod è paternis ædib. afferat, ſed clade͂ Palæſtinoru͂, & 600. eius ge͂tis viroru͂ capita. Na͂ & mihi nullu͂ aliud tali munere optabili⁹, & filiæ fuerit honorificu͂, no͂ vulgaria iſta dona accipere, ſed in matrim. viri ſpectatæ, ac teſtatæ fortitudinis co͂uenire.*

Rurſum autem ab hiſtoria diſcedit, cum non duplum eius, quod petitum fuerat à Dauide perſolutum refert ſed ſimplum duntaxat. *Caſis*, inquit, *plurimis hoſtium, ſexcenta capita abſciſſa ſignum victoriæ ad regam retulit, promiſsi eum admonens. Saul autem* vt idem ait, *non valens vltra tergiuerſari, quod turpe duceret vel mentiri; vel prætextu affinitatis inſidias & pernicium, per mandata tam periculoſa, viro forti ſtruxiſſe videri, collocat ei filiam nomine Melcham.* 3 Sic Ioſephus. Abulenſis quoque [a]. exiſtimat Saulem pudore & verecundia impulſum, dediſſe filiam ſuam Dauidi, negaturum alioqui: cum in promittendo nuptias, nihil aliud ſpectaret, quam interitum generi. Verum poſt iniuriam illi factam in fallenda fide, in filia natu maiore, ferrei oris exiſtimauit, in hac quoque, tanto periculo coëmpta, perfidioſe agere. Credibile etiam eſt Ionatham hanc cum amico ſuo affinitatem vehementer ambiuiſſe, ac procuraſſe. 3.x. [a] q.37.in c.18.

XXII. *Datur Dauidi Michol*

Dedit itaque Saul Dauidi Michol filiam ſuam vxorem, & factus eſt gener regis, vt mox tanto maiore ſcelere innocentis, & bene meriti, & fortiſſimi iuuenis, & prudentiſſimi ducis, & generi, qui inſtar eſt filij, hoſtis fieret. Quæ fuerit harum celebritas nuptiarum proditum non eſt; certe conſtat diſſimulatione, fictóque amore ex parte ſoceri plenas fuiſſe. *Erant*, inquit Theodoretus q. 46. *nuptiæ inſidiarum, non beneficentiæ.* Idem habet Piccopius; Coniugum autem patet ſynceram fuiſſe beneuolentiam; nam Michol, quæ Dauidem diligebat antequam vlla cum eo affinitate iungeretur; vehementius etiam dilexit eum, qui nuper ſui cauſa tantum apud Philiſthęos diſcrimen adiiſſet, tantumque in eius gratiam, dediſſet fortitudinis argumentum: itaque & poſt celebratas nuptias Scriptura alterum dat teſtimonium de Micholis in Dauidem amore. Cui haud dubiè Dauid egregie reſpondebat, cum amor amorem, vt ignis ignem procreare ſoleat. Amabat etiam quod ipſa quamuis genere præſtantior, beneuolentia tamen erga ipſum certaſſet prior, & maritum optaſſet. Honorabat quoque vt regis filiam, vt principis ſororem, vt fortunis opulentiorem, vt cauſam dignitatis ſuæ.

Mutuus cõiugũ amor.

XXIII. *Vnde maior Saulis timor exortus.*

Verum hic amor parentem fefellit, qui ſperabat ſe habiturum illam perfidiæ ſuæ, ac crudelitatis adminiſtram, & paternum amorem tanto antiquiorem, maritali antelaturam, ſed improba ſpe fruſtratus, poſt hanc affinitatem contractam, *cœpit magis timere Dauid* [b] vt qui haberet domi ſuæ filium ac filiam impenſe addictos illi viro, quem ipſe capitali odio proſequeretur; vt qui tanto propior factus eſſet diademati regio, quanto regi coniunctior factus fuerat; vt qui videret, atque intelligeret Dauidem in dies maiore Dei fauore abundare, & intimius corda populi, totiuſque exercitus occupaſſe. *Hæc neceßitudo*, ait Ioſephus *animum regis nihil immutauit*, niſi in deterius. *Videns enim fauorem Dauidis, & apud Deum, & apud populum augeri; parum tutum hoc exiſtimauit vel regno: ſuo, vel vitæ & cum durum eſſet vel de alterutro periclitari tollere hominem decreuit*. ſic ipſe: Hoc ille quidem iam ante decreuerat, & reipſa perficere conatus fuerat, ſed quod ante clandeſtinis machinatus erat inſidiis, nunc apertis odiis attentauit. *Factus eſt* enim *inimicus Dauid cunctis diebus* vitæ ſuæ; nunquam enim ſolide dilexit eum; ſed cum eius charitate fractus, tantiſper molliretur, ſtatim ad ingenium reuerſus priſtino contra Dauidem furore graſſabatur. [b] c.18.v.29

XXIV. *Conſurgũt Philiſthæi.*

Prius autem quam iſta contingerent *egreßi ſunt principes Philiſthinorum*, [c] proculdubio ad bellum, vt ait Caietanus & Abulenſis, memores videlicet eorum, quæ nuper apud ipſos Dauid hoſtiliter perpetrarat. Fremebant nimirum occiſos ciues ſuos, ſed multo etiam vehementius indignabantur cum cæſorum corpora præputio mutilata, quaſi in ipſorum contumeliam, & probrum, animaduertebant; Itaque ſimili aliqua virorum fortium excurſione ſuſcepta, Hebræis cladem luculentam reponere ſatagebant, vt eorum ex ſecundis rebus ferociam retunderent. Maxime autem Dauidi imminebant, quem præſentium malorum ſuorum fontem agnoſcebant, & caput. Senſit id Dauid, & *à principio egreßionis eorum prudentius ſe gerebat, quam omnes ſerui Saulis.* In anteuertendis ſcilicet hoſtium conſiliis, in locorum opportunitate occupanda, in parandis inſidiis, atque euitandis, aliiſque id genus militaribus inſtitutis. Quæ hoc erant admirabiliora, quo minus ea per ætatem callere, nedum patrare poſſe videbatur. [c] 1.Reg 18. 30.

& à Dauide cadũtur.

Itaque *celebre factum eſt nomen eius nimis*. Quale autem & quantum fuerit hoc bellũ, & an ab ipſo principio Dauidis induſtria ſopitum fuerit, an vero vltra proceſſerit, & quo fuerit exitu terminatum, non reperio. Eo tamen finitum fuiſſe hunc annum poſſumus ſuſpicari.

SCHOLIA IN ANNVM 2972. SAVLIS REGIS 11.

1. N. v. MIrum videri poteſt Iſraelem à Iuda ſeparari, cum vnus eſſet & idem populus Hebræus, ſiue Iſraeliticus, qui paſſim nomine filiorum Iſrael appellari ſolet. An dicendum eſt à Samuele, ſi is libri huius ſcriptor fuit, prophetice alluſum eſſe ad ſeparationem duorum regnorum, quæ poſt annos ſeptem & octoginta, initio regni Roboami facta eſt? An ſumendum hinc argumentum librum hunc non à Samuele, ſed ab aliquo poſteriorum prophetarum ſcriptum eſſe? An exiſtimãdum ita diſtinctam tribum Iuda a reliquis, propter Dauidem, qui ad tribum Iuda pertinebat, quaſi diceret author, non ſolum tribus Iuda, ad quam Dauid pertinebat, eum diligebat, ſed cæteræ quoque omnes tribus, quæ nomine Iſraelis continẽtur. Verũ antequam fieret vlla mentio Dauidis, notatur iſta diſtinctio, & ſeparatio. Nam 1. Reg. 11. 8. Saul pugnaturus contra Ammonitas congregat trecenta millia filiorum Iſrael, & triginta millia virorum Iuda. Et rurſum in expeditione contra Amalecitas, 1. Reg. 15. 4 congregantur ducenta millia peditum de reliquis tribubus, de tribu autem Iuda decem millia: eamque ibi diſtinctionem agnoſcit Ioſephus & Abulenſis. Denique occiſo Goliatho viri Iſrael & Iuda vociferati ſunt, & perſecuti ſunt Philiſthæos, &c. An dicendum ab antiquo ſemper honoratam tribum Iuda, vt omnium primam, & nobiliſſimam, & cæteris numero, & fortitudine præſtatem; vide Gen. 49. 8. & 1 Paral. 5. 2. Abul. in 1. Reg. 11. q. 9. & in c. 15. q. 13. ſub finẽ. Inualuit autem iſta diſtinctio poſt mortem Saulis, cum tribus Iuda ſola ſequeretur Dauidem, reliquæ autem Isboſeth, filium Saulis. Sed omnium maxime poſt mortem Salomonis, quando regnum Iuda ita ab Iſraele diſtractum eſt, vt numquam deinceps coaluerit.

2. N. xii. 2 Quidam libri habent, *Dilexit autem Dauid Michol filiam Saul alteram*; repugnante Hebræo textu, & Chaldæa paraph. & Septuag. in quib. *Dauid* eſt quarti caſus, quo modo iam olim legit Sulpitius Seuerus, Angelomus, Chryſoſt. Hom. 1. de Dauide & Saule, & alii paſſim; ſicut & nunc legitur in Latinis emendatis, ſed illã lectionẽ præfert Abulenſis, q. 33. in cap. 18. & putat ita Hieronymum tranſtuliſſe, quia recte conuenit, vt Saul dicat ſe daturum filiam ſuam Dauidi, ſi prius dictum fuit illam ab eo diligi, non vice verſa, quia forte non diligenti obtruderet. Secundo quia ſi Dauid diligit Micholem, poteſt eſſe in ſcandalum marito non dilecto: at ſi illa diligit eum, non erit ruina ſibi dilecto viro, ſed potius à ruina liberabit. Et reuera poſtquam Saul nouit Dauidem à filia diligi, cœpit eum timere. Nihilominus ſtandum eſt in legitima, & emendata lectione, quam agnoſcit etiam Ioſephus, lib. 6. ant. c. 11. Reſpondemus autem Abul. aliter principum nuptias, aliter priuatorum coaleſcere. Nam in his antecedit amor, in illis ſequitur, & recte ſupponitur ſubditum beneficij loco acceptorum oblatas nuptias, ad quas aſpirare temerarium videatur: vt autem crederetur non ægreferre priorẽ repulſam, & quaſi repudiũ, faciebat eximia viri humanitas, & manſuetudo. Nec poſterior ratio efficacior eſt: non enim ſperat Saul filiam ſuam, quæ Dauidem diligebat, cauſam illi fore ruinæ, eam procurãdo, aut aliquid influendo in eius perniciem, ſed occaſionem fore; eo quod nouarum nuptiarũ prætextũ impoſiturus ei eſſet dotis nomine centum præputia Philiſthinorum, in quibus comparandis facile periret. Quis enim crederet vnum aliquem centum viros impune occiſurum, & non potius vice verſa.

3. N. xxi. 3 Alteram Saulis filiam, quam in editione vulgata perpetuo appellatam legimus Michol, Ioſephus Melcham, vocat quaſi dicas, *reginam*. Hebræi nunc mutata vltima motione vocant Michal, ſicut & Merob vocant Merab. Septuaginta vero modo μελχὸλ, quos ſecutus eſt Ioſephus, aptata in communiorem vſum terminatione vocabuli fœminei, modo μιχὰλ aut μελχὰλ. de qua nobis deinceps ſæpius ſermo recurret.

ANNVS MVNDI 2973. DILVVII 1317. QVINTÆ ÆTATIS 34. EXITVS AB ÆGYPTO 430. ARCÆ IN CARIATHIARIM 33. SAMVELIS 34. SAVLIS 12. ACHIMELECHI PONTIF. 12. DAVIDIS 24. TROIANI EXCIDII 102. DERCYLLI 23. IMPERII ASSYRIORVM. 1042.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1080.

I. *Saulis inuidia.*

VRebat in dies vehementius Saulem inuidia, & quot ad eum nuncii de re bene geſta à Dauide contra Philiſthæos perferebãtur, totidem illi erant tormenta & cruces. Hærebat ambiguus lætareturne atteri vires hoſtis infeſtiſſimi, ſpoliis ditari populũ ſuum, pacem, ac libertatem Hebræorum altiores ſemper radices agere: an triſtaretur, quod illum, quẽ ſibi domeſticum fingebat hoſtem, & ſceptro ſuo, ac ſolio imminentem putabat, gratia in vniuerſo Iuda, atque Iſraele, gloria in omnibus populis quotidie inualeſcere ſentiret. Cumque duas in partes infelicis principis animus miſere diſtraheretur, hic tamen dolor illam lętitiam abſorbebat, quod priuata mala nos acerbius crucient, quam communia cõmoda conſolentur. *O excellentem inſaniam*, ait S. Chryſoſt.[a] *ô ſtuporis magnitudinem, eum qui vitam ſibi ſeruarat, & omnem ſuum exercitum ab alienigenæ Goliath furore liberauerat, vt hoſtem ſuſpectum habuit, & immemor beneficii ab affectione vincebatur. Sed mente ſua obtenebratus ab inuidia, perinde ac ab ebrietate quadam, benefactorem vt hoſtem intuebatur.* a hom. 46. in Gen.

II. *Erumpit foras.*

Hoc porro anno, Saulis in Dauidem inuidia, atq; odium, iamdudum in eius pectore clauſum, & æſtuans erumpit foras. Et quod ipſe per ſeſe, occultaque cõſilia, & nefarias machinationes perficere non potuerat, Deo illi ad gloriam, & beneuolentiam conuertente, quæcumque ad eius perniciem parabantur: adſcito ſuorum auxilio conficere omni ope conatur, vt ſic plures indigniſſimi ſceleris participes fiant, & cædes innocentiſſimi, atque optimi iuuenis, redundet in plures; atq: adeo in ipſum etiã Ionathã; quo & recentis affinitatis, & amicitiæ inita iamdudum inter ipſum & Dauidem fœdera violentur & concidant. *Eius cupit Ionatham adminiſtrum.* Nam *locutus eſt Saul ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos; vt occiderent Dauid*; quod ſic interpretatur Ioſephus.[b] *Tollere hominem decreuit, eiuſque necis Ionatham filium cum domeſticorum fidiſsimis miniſtros eſſe voluit.* Maxime autem ſperauit Ionatham hoc facinus per ſe ſuoſue confecturum; quia eius maxime intereſſe videbatur mors Dauidis, qui patris regnum, ipſi tanquam primogenito debitum, videbatur occupaturus; itaq; huc quoque illud eiuſdem Saulis, pertinet,[c] *Omnibus diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neq; regnum tuum.* b l. 6. c. 12. c 1. Reg. 20. 31.

III. *Ignarus fœderis.*

Obstabat quidẽ his amicitia ſingularis, inter vtrumq; ſancita, vt propterea imprudenter videatur Saul amici cædem ab amico ſperare, & ab homine Deũ timente, iniuſtiſſimam talis ac tanti viri cædem. Verum dicendum eſt [d] occulta fuiſſe prædicta fœdera; neque Sauli cognita: paulatim autem innotuiſſe, cũ rex animaduertit Dauidis patrocinium apud ſe, ab eodem ſæpius ſuſcipi, animoſiuſque tractari. *Sed fruſtra.* Verum Ionathas antiquiorem habuit fidem Dauidi datam, & iureiurando firmatam, antiquiorem iuſtitiam, & probitatem, paterna beneuolẽtia cum ſcelere copulata: atque adeo debito, ac ſperato regno. Et huc quoque videtur reſpexiſſe ſcriptor ſacer, cum memorata iuſſione Saulis, de occidẽdo Dauide, ſubdit; *Porro Ionathas filius Saul diligebat Dauid valde*, vt propterea fruſtra id facinus ſperauerit ab eo Saul, ſicut & à filia ſua, quam voluit; oblitam ſuæ cum Dauide neceſſitudinis, & intimæ charitatis, in gratiã parentis ſui, adminiſtrã fieri impotentis cupiditatis. Vſque adeo miſerum hominem cæcus furor inuidiæ præcipitem agebat. d Abul. q. 1. in c. 19.

IV. *Nam Dauidi rem patefacit.*

Pertinet nihilominus in primis repetita hoc loco Ionathæ in Dauidẽ dilectio, ad proxime ſequentẽ orationẽ, de manifeſtatis ab eo Dauidi paternis inſidiis.

Quærit, inquit, *Saul pater meus occidere te*; [a] non potuit contra patrem pro amico
a 1. Reg. 19. 2. arma capere; nec debuit & amici, & innocentis incolumitati deeſſe; quod ergo
proximum fuit egregie præſtitit, vt patrem à ſententia deducere conaretur, &
γενόμενοι ἐκποδὼν τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν. amicum moneret, vt ſtudioſius ſalutis ſuæ curam gereret, proximo tempore
matutino, quod tempus eius cædi deſtinatum fuerat: inde autem daturum ſe o-
peram vt pater abiret à priore ſententia, & mandatũ reuocaret. *Quapropter*, inquit,
*obſerua te quæſo mane, & manebis clam & abſconderis. Ego autem egrediens ſtabo iuxta pa-
trem meum in agro vbicumque fueris*, 1 *& ego loquar de te ad patrem meum, & quodcunque*
1. x. *videro nunciabo tibi*. Quo ſcilicet ſtatu res tua ſit, & quis animus patris mei erga te.
Abſcondi vult Dauidem Ionathas in agro propinquo & noto, in quem agrum
Saul crebro conſilij cauſa ſecedebat, vbi etiam cõſtitutum fuerat vt occideretur
2. x. Dauid, vt legimus in traditionis Hebraicis: 2 Propinquum autem eligit locum,
vt quamprimum moneri poſſit de mutato regis affectu. Nec illi auctor eſt, vt pu-
b l. 6. c. 12. tat Ioſephus, vt fuga ſaluti ſuæ maturè proſpiciat; neu vſquam in propinquo ap-
pareat: quomodo enim quamprimum à Ionatha moneri, & reuocari potuiſſet,
priuſquam Saul rurſum peruerteretur?

V. *Et patri diſſuade[t].* CAPTAVIT ergo Ionathas idoneam occaſionem adeundi patris, & mollia fandi tempora. *Cum hilarem*, ait Ioſephus, *ac lubentem offendiſſet* (ſi tamen fieri poteſt, vt quis in tanta ægritudine animi, & ſub ipſum tempus grauiſſimi facinoris poſſit hilareſcere) *cœpit de Dauide verba facere*, inter ambulandum in agro proximè memorato, *locutus eſt de Dauid bona ad Saul patrem ſuum*, ait Scriptura. *Dixit ad eum, Ne pecces Rex in ſeruum tuum Dauid, quia non peccauit tibi, & opera eius bona ſunt tibi valde. Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam vniuerſo Iſraeli, vidiſti & lætatus es. Quare ergo peccas in ſanguine innoxio, interficiens Dauid, qui eſt abſque culpa?* Breuis, ſed elegans, & accurata oratio: viden' vt diſſuadeat facinus à perſona regis ipſius, quem non deceat, cum ſupremus ſit Iudex, iniuſte agere, & peccare in ſeruum ſuũ? *Sapiente[r].* Nec generum vocat, aut tribunum, ne ægram inuidia mentem exulceret, quæ tamen Ioſephus putauit adiicienda. Cautè etiam ab ipſius Dauidis perſona, mollit animum regis, cum & innocentem teſtatur, quod Saul ipſe negare non poterat, & multis operibus bene de eo meritum; ob quę tam iniqua mercede non ſit afficiendus. In iis autem operibus id vnum profert quod maxime eminebat, Goliathũ, videlicet ſuperatum; in quo pro communi ſalute ſe apertiſſimæ morti obiecerat, & cum ſalute lætitiã populo attulerat vniuerſo: cuius rei etiam ipſius tacitam conſcientiam teſtem laudat, *vidiſti*, inquit, *& lætatus es*, nimirum nondum inſonuerat illud, *Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia*.

VI. *Fortiter* DENIQVE liberiore adhortatione mitigatum iam patris animum à ſuſcepta innocentis cæde reuocando concludit. Valuit autem ad mitigandum non ſolum æquitas cauſæ amanter ac ſuauiter demõſtratæ, ſed perſona ipſa Ionathæ, qui patri chariſſimus erat, & mediatorem agebat, nec ſe Dauidi addictum, ac fœderatũ
Nu. 3. præ ſe ferebat; neq. id adhuc ſciebat Saül, vt dixi. Nã poſtquam illi res innotuit, factus eſt implacabilis, & vehementius furens, etiam filiũ monitorem, tanquam perduellem inuaſit. *ac decor[e].* Non indecora etiam fuit hæc Ionathæ ad patrem monitio: erat enim hoc tempore nõ minor quadragenario, vt aperte cõſtat ex ætate Iſboſethi, qui minimus natu filiorum Saülis nunc annum agebat 34. *Ætas Io[na]thæ.* Videtur tamen
c l. 6. c. 14. Ioſephus [c] exiſtimaſſe Ionatham Dauidi æqualem fuiſſe, cui hic annus eſt tan-
d l. 1. offic. 32. tum 24. S. autem Ambroſius, [d] etiam ſeniorem putauit. *Dauid*, inquit, *cum eſſet prudẽtior, Ionathæ tamen iunioris conſiliis acquieſcebat*.

VII. *Placatur Saul.* HÆC ergo, & his ſimilia cum audiſſet Saül, & animo etiam ſuo fortaſſe reputaſſet, eam quam parabat Dauidi necem, ad maximam filiæ ſuæ iniuriam pertinere, quæ prius viduitatem quam fructus coniugij experiretur, *Placatus voce Ionathæ iurauit, viuit Dominus, quia non occidetur*. Imo, vt ait Ioſephus, iurat filio poſt hac omnem iniuriam à Dauide abſtinere ſe velle. *An peier[a]rit.* Apparet autem Saülem vere, & ſyncere iuraſſe ſe non occiſurum Dauidem, ex eo quod Scricitptura dicit eum placatum fuiſſe voce Ionathæ; ſi enim præter mentem iuraſſet, eandem retinuiſſet animi offenſionem, & iurando periurus fuiſſet. Sed nihilominus edito nunc iureiurando, periurus poſtea factus eſt, quando mutata voluntate, & Dauide in ſua innocentia perſeuerante, omnẽla-

pidem mouit vt eum interficeret, quamuis reuera ipſum non interfecerit. Non enim iurauit ſe non facturum, niſi quod ſimpliciter in eius voluntate poſitū erat, & ab eius arbitrio dependebat. A voluntate autem ſæpe non pendet effectus, qui poteſt variis modis impediri; ſed ſolus illius actus volendi facere, quod iureiurando promiſit ſe non facturum, vt fuſius diſputat Abulenſ. [a] Itaque aliquanto poſt, inuidia recrudeſcente, in re bene à Dauide geſta, periurus factus eſt. a q. 4. in c. 19.

VIII. *Dauid introducitur ad Saulem,* Vocavit *itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc, & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum, ſicut fuerat heri, & nudius tertius.* Dubium eſt autem vtrum tempus Scriptura ſignificare velit; an prius, quo armiger eius erat & domeſticus; an poſterius quo factus eſt tribunus militum. Nam quaſi tribunus mox ad bellum profectus eſt, & quaſi domeſticus rurſus ad citharā, pſalteriumque reuerſus, & videtur vtrumque pro re nata præſtitiſſe, nec tamen ad illam rediiſſe familiaritatem, intimamque beneuolentiam & gratiam qua valebat apud regem, cum is *dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger:* [b] ſed ad communem quandam charitatem, qualis ſolet eſſe inimicorum cum reconciliantur in gratiam. *& reconciliatur.* Et quamuis frequens eſſet apud regem, & ordinarium haberet in eius menſa locum, [c] non tamen in iiſdem ædibus cum rege habitabat; nam aliquanto poſt dicitur [d] Saule miſiſſe ſatellites in domum Dauid, in qua cum Michole vxore ſua habitabat. Verum hæc reconciliatio perexigui temporis fuit: vigebat quippe imis in præcordiis radix amaritudinis, quæ ſurſum facile germinaret: & facile eſt recens extinctam facem, & adhuc fumentem rurſus ignem concipere, id ſequens oſtendit narratio. b c. 16. v. 21. c c. 20 v. 18. d c 19 v. 11.

IX. *Nonum bellum cum Philiſthæis.* Motvm *eſt autem rurſus bellum,* Hebræos inter & Philiſthæos, & his infeſtis armis Iſraelitarum fines inuadentibus, *egreſſus* ad bellum *Dauid pugnauit aduerſus Philiſtiim, percuſſitque eos plaga magna, & fugerunt à facie eius.* Huius belli cauſam facile eſt intelligere fuiſſe inteſtinum, & à multis iam ſeculis inueteratum gentis huius contra Iſraelitas odium, quod Dauid frequentibus iam cladibus exulcerauerat. *Priuilegiū immunitatis belli.* Putāt Hebræi aliqui Philiſthæos bellū redintegraſſe, ratos Dauidem priuilegio legis vtentē, [e] à bello abfuturū, eóque abſente rē ſibi ex ſentētia ſucceſſurā. Verū Rabbini forte nimium peritos faciunt Hebraicarum legum Philiſthæos. Et erat quidem id priuilegium conceſſum primo anno nuptiarum. [f] Sed potuit Dauid cedere priuilegio ſuo, ſicut nuper ceſſerat, cū ſibi deſponſata Michole, in bellū cōtra Philiſthæos progreſſus, ducētos eorum interfecit; nec Sauli exigēti centū præputia, obiecit priuilegium eius, qui deſpōdiſſet vxorē. Neq; vero decuit belli ducem primarium, & hoſti præ cæteris formidabilem, à bello abſtinere, & gloriam probatæ iam, ac ſpectatæ fortitudinis, nonnihil atterere, & Sauli ad bellum inuitanti, non prompte atque hilariter obtemperare. e Deut. 24. 5. f Deut. 20. v. 7.

X. *Eo... on vtitur Dauid ancepi hæret.* Aderat tamen Dauidi non iniuſta cauſa, ac prope neceſſaria vtendi priuilegio, vt plane quaſi Scyllam inter & Carybdem poſitus hæreret, atque æſtuaret. Si enim ad hanc expeditionem proficiſceretur, cum ſperaret Deum ſibi in bello de more affuturum, & pene exploratam haberet de Philiſthæis victoriam, videbat inde Saulis inuidiam rurſus contra ſe ob rem bene geſtam, exarſurum, ſi male autem & negligenter ſe gereret, neque Deo, neque populo, neque propriæ conſcientiæ ſatisfacturum. Sin autem priuilegio vti vellet, & annum abeſſe à præliis, Saulis exprobrationi patebat, quod bellandi cauſa ad regiam affinitatem euectus, præ animi timiditate cunctaretur, & ignauorum priuilegio vti vellet; & inſuper timebat ne hoſtis per ſuam abſentiam, cladem aliquam in ſuos importaret, qui ſine duce, ac capite, cui plurimum fiderent, intimáque beneuolentia coniuncti eſſent, pugnare cogerentur. Satius tamen exiſtimauit, bellum iuſtum atque legitimum non recuſare, hoſtem irruentem reprimere, atque repellere. naſcētem autem inde, ſine ſua culpa, inuidiam, diuinæ prouidentiæ permittere.

XI. *Sed bellum adit, & feliciter conficit.* Moto itaque bello à Philiſthæis, contra Iſraelitas odio frementibus, & priſtinam in eos dominationem reſtaurare conantibus, egreſſus eſt contra eos Dauid, & plaga magna percuſſos in fugam dedit, Quandiu autem durauerit hoc bellum, & quomodo geſtum fuerit, compertum non eſt; etſi enim ea narratio ad gloriam Dauidis pertinebat, Scriptura tamen in ſolas nunc Dauidis vexationes intenta, eam prætermiſit. Ioſephus [g] breui tempore confectum ſcribit. g l. 6. c. 14

David domvm se proripit et inde fvgit. *Breui tempore.* *Cum Saulis liuore.*

Per idem tempus, inquit, *Paleſthinis bellum redintegrantibus, Dauid cum exercitu contra illos mittitur, breuique victor, magna eorum ſtrage edita, ad regem reuertitur*, cum publico videlicet omnium præconio prudentiam ducis, militiſque fortitudinem prædicantium. Sed generi laus fœtebat apud ſocerum, eiuſque pectus miſerè cruentabat, cui longe optatiſſimum futurum erat exanguem ad ſe generum, etiam cum multa ſuorum clade, ex pugna deferri. Ex quo intelligi poteſt quid fuerit ab hoc bello conſecutum, quamue mercedem egregius iuuenis acceperit: non aliam quam inueteratam iam, eamque iniuſtiſſimam inuidiam.

XII. *Qui inuaditur à dæmone.* *Ob inuidiam.*

Invidiam quæ regem iterum, iuſto Dei iudicio, dilectum ſuum Dauidem vlciſcentis, in priſtinum furorem egit. Æquum enim fuit, vt qui diabolico inuidiæ vitio furebat in animo, diabolico etiam cruciatu in corpore inſaniret. Inſanus qui talem tantumque bellatorem, cui omnia ex ſententia Deo aſpirante ſuccederent, quem nunquam vlla in culpa depræhendiſſet, quem ad magnam dignitatem & regiam affinitatem pro meritis extuliſſet, quem toti populo ſuo charum agnoſceret, hoſtem mallet gratis habere, quam amicum fidelem, & in omnibus obſequentem. Inſaniebat vtique, qui rerum ſuarum fœlici ſucceſſu mœrere cogebatur; qui hoſtibus ſibi infenſiſſimis aditum ad ruinam ſuam, occiſo propugnatore ſuo, aperiri deſiderabat: qui iis quos oderat lætam victoriam, ei à quo amabatur, colebatur, & perpetuis afficiebatur beneficiis, teterrimam peſtem optare nunquam deſinebat. Proh quam diram tyrannidem in hominum animis exercet inuidia! Audi itaque pœnam inuidiæ, *factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam*; Id illi erat pene perpetuum, adeo vt etiam in menſa [a] in promptu habuerit lanceam quam vibraret in Ionatham: & rurſum ad cubile inter dormiendum.[b]

a 1. Reg. 10. 33.
b c. 26. v. 7.

XIII. *Pſallit Dauid.* *Iuſto à reg. timore ſuperato.*

Porro Dauid pſallebat manu ſua, coram Saule, vt vexatio improbi dæmonis mitigaretur; beneuolè quidem, inquies, ſed imprudenter; qui iam ſemel atque iterum mortis diſcrimen inter pſallendum adierat: ſatiſque intellexerat facinus à Saule minime per ignorantiam attentatum. Verum cum ab eo tempore mediatore Ionatha interueniſſet reconciliatio, non debuit Dauid pręſe ferre eam ſibi eſſe ſuſpectam, & prætextum aliquem Regi dare ipſum accuſandi, quod iuratæ promiſſioni regis non fideret, & quaſi fictum, & ſimulatum amicum perſequendi. Potuit credere Dauid id ſibi malum non magis ab arreptitio, quam à rationis compote imminere: quoniam licet arreptitius, ſciens tamen prudenſq; dudum lanceam vibrarat in ipſum; potuiſſet autem Saul iam ſæpius illum, ſi voluiſſet, extra furorem poſitus occidere: itaque hanc ſibi aleam Dauid iaciendam putauit. Dici etiam poteſt non niſi vocatum Dauidem in id ſe periculum conieciſſe; & Ioſephus, quem mox referam, accitum fuiſſe ſcribit, vocatum autem non venire, neque præſentiſſimum remedium tantæ regis ægritudini afferre velle cum poſſet, id nimirum crimen videri poterat imminutę maieſtatis. Itaq; integrum non erat Dauidi, quamuis merito formidanti, ac ſibi à reconciliato inimico timenti, [c] regem furentem non adire cum cithara, niſi aut morte affici vellet, aut ſponte tota ex regione Iudæorum extorris abire.

c Abul. q. 10 in c. 19 Eccli. c. 12. v. 10.

XIV. *Qui torquet in eū lanceam.* *Et Dauid fugit.* *Ioſephus.*

Aderat itaque furenti Dauid, & non minus ſibi à Saule timebat, quam à dæmone, ne vel hic neſcientis manum ad cædem impelleret; vel ille ſciens, vt antea, ex deprauato habitu inſontem haſta perfodere niteretur. Nec ſine cauſa timebat, & lanceam regis obſeruabat, [d] *niſus eſt enim Saul configere Dauid lancea in pariete; ſed declinauit Dauid* non ſolum ab ictu lanceæ, ſed etiam *à facie Saulis. lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem; & Dauid fugit, & ſaluatus eſt nocte illa.* Periculum enim erat ne qui, dum eſſet arreptitius, diſſimulato ſcelere, Dauidem interficere non potuerat, eū ſtatim à ſuis ſatellitibus iugulari iuberet. Nec inane fuiſſe periculum res ipſa mox docuit, ſed Dauidi nox fauit ad fugam capiendam è regis palatio, & paulo poſt à propria domo. Rem aliquantum immutat Ioſephus. [e] *At non ita*, inquit, *exceptus eſt Dauid ab eo, vt ſperabat, vtque poſt rem fœliciter adminiſtratem excipi oportebat. Sed ſucceſſu mœſtus, eius fœlicitatem periculoſam ſibi fore exiſtimabat. Cumque rurſum intemperiis, vt ante, agitaretur, accitum in cubiculum in quo decumbebat, ſpiculum manu tenens, iuſſit pſalmos atque hymnos incantare, & illo iuſſa exequente ſpiculum in eum iaculatus eſt. Quod cum Dauid flexu corporis declinaſſet, domum*

d 1. Reg. 19. 10.
e l. 6. c. 14.

refugit, ibique per totam eam diem manſit.

XV. *Improbatur.*

Decvmbentem ſiue iacentem maluit Ioſephus; quam ſedentem cum Scriptura dicere, non animaduertens decumbentis ſitum ad tenendam, nedum iaculandam tanto impetu lanceam, vt homo cum pariete configeretur, prorſus aptum non eſſe. Nec furioſam animi, & cerebri affectionem, ad remedium cantus poſtulandum ſatis idoneum eſſe; probabiliuſque id à domeſticis factum videri. De die quo ait Dauidem poſt fugam manſiſſe domi, parum probat; ſi enim per totam diem manſit domi, vt ait Ioſephus, quid neceſſe fuit expectare mane vt caperetur? potuit enim tota illa die capi, & ex regis voluntate, ac mandato morte mulctari. Ac ne facta quidem hæc fuiſſe interdiu probauerit Abulenſ. [a] qui putat noctu potius contigiſſe, etſi id ſcriptura non aperte dicat, ratio tamen ſuadet. Si enim mors in craſtinum diem differebatur, nec placebat occidi noctu, potuiſſet pomeridianis horis interfici. adde quod nox aptior eſt ad fugam, & latebras. In Septuag. verba illa, *in nocte illa* referuntur ad ſequentem ſententiam.

κατίεμαι. ישב. καθεύδων.

a q. 10. in c. 19.

XVI. *Dauid obſidetur, domi nocte?*

Fvgit ergo *Dauid, & ſaluatus eſt nocte illa,* ait Scriptura. [b] Quo autem modo id contigerit ſtatim ſubiicit, *Miſit ergo Saul ſatellites ſuos in domum Dauid, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane.* Quoniam videlicet viderat Saul ſe irrito ictu petiſſe Dauidem, eumque aufugiſſe, & didicerat illum ſe in domum ſuam proripuiſſe, ibique latere; veritus ne tenebris tectus inueniri non poſſet, aut nocte ſibi fauente elaberetur, miſit qui ad ianuam tota nocte excubarent, & mane abire parantem apprehenderent, & occiderent. Cædem in auroram dilatam putat Ioſephus, [c] vt mane hominem in iudicium euocatum capitali ſententia damnaret. quod placuit etiam Toſtato, [d] & ſatis conſentaneum eſt Scripturæ, & rationi. Timuit enim hactenus hominem toti populo chariſſimum, nulla tectus excuſatione, trucidare: ideoque iam tertium occidere voluit dum eſſet arreptitius, vt facinus à rege in furorem transferretur. Mandauit quidem ſeruis ſuis vt occideretur, ſed mandatum occultum fuit, nec voluit cędem ſe conſcio factam videri. Cum ergo hæc, aliaque omnia inuenta, ac machinæ irritæ fuiſſent, voluit per impios iudices, teſtes, accuſatores, grauem aliquam ſtruere calumniam, & per eam homini innocentiſſimo famam, & vitam eripere, & citiſſima executione, omnem populi motum anteuertere.

b 19. 10.

Mane occidendus an in iudicio.

c l. 6. c. 14.

d q. 11. & 12.

XVII. *An potius priuata vi.*

Vervm ſimplicior eſt expoſitio, mihique videtur probabilior, datum ſatellitibus eius interficiendi mandatum; iuſſoſque lucem expectare, ne ille per noctem inueniri non poſſet, aut aliquo modo ementito habitu, tenebriſque tectus, dilaberetur. Itaque vbi nos legimus, vt cuſtodirent eum, & interficeretur mane, in Hebræo habetur, *vt cuſtodirent eum, & vt occiderent eum.* quo modo habet etiam S. Hieronym. in titulo Pſal. 58. Et cum iudicium de re tanta, præcipitari, præſertim in perſona eius viri, qui regem ipſum affinitate contingeret, & omnibus eſſet chariſſimus, non niſi ſuſpicioſiſſimè poſſet, modica dilatio certiſſimæ ſeditioni locum datura videbatur. Eiuſque rei exemplum in Ionatha, à populo liberato, non multo ante præceſſerat; nec vllus erat in illis excubitoribus ita Sauli addictus, qui ſibi vim fieri, in eripiendo Dauide, non facile pateretur: præſertim Ionatha principe toti populo gratioſiſſimo, & regni hærede annitente. Deniq; tanta erat Dauidis innocentia, vt nemo in illo accuſando, probabiliter mentiri poſſet.

XVIII. *Monetur ab vxore de periculo.*

Excepit ex fuga Dauidem Michol, accepitque ab eo cauſam fugæ: cum autem illa mox vidiſſet obſeſſam armatis domum, omneſque illius aditus, facile intellexit eos ad capiendum Dauidem veniſſe; cumque cerneret eos agere illic excubias, nec conari in domum irrumpere, conijcere cœpit eius comprǽhenſionem, & cædem in matutinum tempus differri. Fieri autem poteſt, vt Ionathas ſororem ſuam per fidum aliquem famulum curriculò monuerit de periculo Dauidis, priuſquam ſatellites domus ipſius aditus obſiderent. Itaque illa fidenter, *Niſi,* inquit, *ſaluaueris te nocte hac, cras morieris.* Egregius regiæ mulieris animus, quæ non lamentis tempus, aut lacrymis terit; nec inani ſpe placandi patris, coniugem retinere ſatagit; nec noua coniux ſolatii ſui, ſed mariti amans eius ſalutis curam gerit. Haud ſurdo narrata fabula, parat fugam Dauid, nec dubitari poteſt quin ante fugam ſe Deo obnixè, in tam præſenti periculo commendarit,

cum enim per feneſtram, obſeſſis milite ianuis, aufugiendum eſſet, facile erat excubitores ſonum aliquem per feneſtram labentis excipere, accurrere, fugam molientem comprehendere, ad regem deducere, repugnantem gladiis confodere. Conſtat certe in eo periculo conſtitutum, Pſalmum 58. compoſuiſſe, dum expectatur vt cuſtodes ad ianuam, Domino fauente, ſopiantur; ſicut cum poſtea [a] Dauid dormienti Sauli haſtam & ſcyphum aſtulit, dum ſopor Domini in eum irruiſſet. *Eius laus & periculum Dauidis.*

[a] 1.Reg.26 11. 12.

INSCRIPTIO Pſalmi illius, quę in Hebræo quoque habetur rem aperte docet: eam ſic vertit S. Hieronymus, *victori vt non diſperdas Dauid humilem & ſimplicem, quando miſit Saul, & cuſtodierunt domum, vt occiderent eum. Eripe me*, inquit, *de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.* Vnicum ille quidem habebat inimicum, vnicum qui in eum inſurgens tertio iam lancea ipſum perfodere ſtatuiſſet, ſed ille vnus inſtar multorum erat, & aliquos, vt fit habebat ſeruos, qui regis beneuolentiam, Dauidis ſalute, & innocentia antiquiorem haberent. Itaque eos non ſolum inimicos vocat, ſed iniquos, qui innocentem pararent morti tradere. *Eripe me*, inquit, *de operantibus iniquitatē, & de viris ſanguinum ſalua me.* Non enim capi tantum, ſed occidi iuſſus erat ab iſtis ſicariis. Et quoniam ita obſeſſa erat domus, nullus vt effugio locus relictus videretur, ſe captum iam dicit. *Quoniam ecce*, inquit, *ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes*, quo modo dicimus in deſperatis rebus, perii, occidi, nullus ſum. Fortes autem dicit è Saulis ſatellitio electos, ad quod fortiſſimi quique eliguntur. XIX. *Pſalmum cōponit 58.*

SVAM autem innocentiam, iam à Ionatha Sauli teſtatam, ipſe repræſentat Deo, cui ea notiſſima erat, & quam ne ipſe quidem Saul negare poterat. *Neque iniquitas mea*, inquit, *neque peccatum meum Domine*; ecliptica oratio eſt, afflicto & gementi recte conueniens, ſubintelligitur enim, in cauſa eſt cur me perſequantur ad mortem; *ſine iniquitate enim* aliquot iam annorum curriculum confeci, & neutram in partem declinans, directam viam tenui. Quoniam vero in ſuſcipienda fuga pendebat animo, quo maxime iter deberet intendere, vt & tutus eſſet à Saule, & hoſpiti ſuo periculum non crearet, optat ſibi Dominum in occurſum venire, vt ab eo deducatur in locum, quem ipſi deſtinaſſet; inſpirauit autem vt ad Samuelem Prophetam ſe conferret, vt mox dicemus. Et quoniam hi viri ſanguinum ad veſperam conuenerāt ad domum Dauidis, *conuertentur* ait, vel, vt Hebræi habent, *conuertuntur ad veſperam, famen patiuntur vt canes*, tanquam famelici canes auidè me deuorare cupiunt, & circumcurſant ciuitatem, dum ſcilicet eunt & redeunt, iuxta præceptum Saulis domum meam exploraturi, ne quà imprudentibus ipſis effugiam. Sed de hic ſatis, cætera interpretes dabunt. XX. *Aliqua eius expoſitio.*

INTERIM autem dum orat Dauid, Michol ſtrenuè parat, quæ ad incertam fugam, diuturnam fortaſſe, neceſſaria erant; aurem ad feneſtras attentam admouet, ſuſpenſo veſtigio domum obit, & ſub multam noctem ab intrinſeco explorat quid excubitores agant; mirum ſentit ſilentium, non voces loquentium, ſed rhonchos audit ſtertentium, redit ad maritum, ſopitos cuſtodes nunciat, feneſtram ad latus domus incuſtoditum oſtendit, qua minime omnium periculoſus deſcenſus tentari poſſit: perſuadet, & poſt vltimos amplexus, confuſaſque lacrymas, in ſporta fortaſſe per funem dimiſſus euadit, cuſtodibus, qui aditus tantum domus obſederant, ſapienter eluſis. Inde autem fugiens non in Bethlehem ad ſuos, vbi facile inueniri, ac capi poſſet; ſed ad Samuelem profectus eſt, quo nemo eum facile abiiſſe ſuſpicaretur, vbi eſſet ab aula, & hoſte ſuo quam remotiſſimus, & ampliſſimi viri authoritas eum redderet tutiorem. XXI. *Paratur fuga.* *Et capeſſitur.*

MICHOL autem vt plus temporis Dauidi ad elabendum daret, fallaciam ingenioſe commenta eſt, [b] qua cuſtodes ad aliquot horas detineret. Tulit enim ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, appoſuit & pellem villoſam caprarum ad caput eius, quæ ſcilicet hominis iacentis cæſariem repræſentaret, & operuit eam veſtimentis. Cum ergo nocturni cuſtodes ad multam diem exeuntem fruſtra præſtolati eſſent, retulerunt ad regem, Dauidem non exire domo. Is miſit illico *apparitores, qui raperent Dauid*, & ſcilicet ad ſe perducerent occidendum. Hic mulier excuſat mariti morbum, illum totam noctem inquietam, atque inſom- XXII. *Michol fallacia, C cus fini.*

[b] Abul q. 15. in c. 19.

nem exegiſſe cauſatur, vt ſimul verbo, factóque veritatem diſſimularet, in gratiam mariti. Orat denique ne afflictio detur afflicto, nihil eſſe in aliqua mora periculi; regis voluntati Dauidem neque velle, neque poſſe reſiſtere, *qui ſciret longas regibus eſſe manus.* Iſti qui forte inuiti perquam odioſo munere fungebantur; Ab omnibus enim, etiam domeſticis Saulis, amabatur Dauid, vt ſupra dictum eſt; [a] & filiæ regis libenter gratificabantur apparitores. Iſti inquã redeunt ad regem, Micholis reſponſum referunt, ægrotare Dauidem, & habebat ægritudo, hoc rerum ſtatu non exiguam probabilitatem; ſimulque ſpem Sauli dabat eum, qui morbo, quaſi vinculis conſtrictus teneretur, non fugiturum. Ille nihilo placatior, ſed efferatior miſit rurſum nuncios, qui eum ad ſe in lecto deferrent, vt occideretur. Non iuſſit in lecto occidi, non quia turpe eſſet hominem in lecto iacẽtem occidi, vt ait Lyranus: id enim nihil faciebat Saul, ſed veritus ne fingeretur occiſus, & morti eriperetur ab hominibus, qui eum minime oderant. Niſi malis Saulem deſideraſſe odium ſuum, præſentis cædis conſpectu, exaturare, proprio dedecore, infamiaque neglecta.

probabilis ægritudo Dauidis.

a c. 18. 5. 22.

XXIII. *Fraus retegitur.*

HIC videlicet fraus mulieris patefacta eſt, cum iam per tot internuncios multum temporis conſumptum eſſet. *Cum enim veniſſent nuncii, inuentum eſt ſimulachrum ſuper lectum, & pellis caprarum ad caput eius*; nimirum retectus eſt lectus à ſatellitibus Saulis, & inuento Dauide ligneo, confuſi, circunſpiciebant ſe, & Micholem, in re quamuis ſeria, ſubridentem. Moxque adito rege nouam metamorphoſim nunciant. Ille iratus filiam accerſit, vtique puniturus, niſi illa idonea ſibi reſponſione conſuleret. *Quare* inquit Rex, *ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum, vt fugeret?* Potuit reſpondere Michol ignoraſſe ſe has inimicitias, ſicut fecit Achimelech ſacerdos, ſed illa ignorantia parum erat in vxore probabilis; potuit dicere coniugis amore victam id feciſſe; At rex indignatus fuiſſet paternum regis amorem, coniugali non præponderaſſe. Itaque eo confugit vt metum opponeret, qui caderet non ſolum in fœminam, ſed etiam in conſtantem virum. *Ipſe locutus eſt mihi*, inquit, *dimitte me alioqui interficiam te.* Atque ita officioſo mendacio colorans excuſationem ſuam, iram à ſe patris auertit, & eum ſeruis ſuis deridendum propinauit. Deus autem confudit intellectum Saulis, vt non animaduerteret Micholem nihil de illuſione reſpondiſſe; propter charitatem ſeruo ſuo Dauidi exhibitam, vt notauit Abulenſis. [b]

Micholis excuſatio prudens.

b q 27. in c 19.

XXIV. *A Ioſepho refertur. iecur capræ.*

FALLACIAM Micholis longe aliter affirmauit Ioſephus, [c] *Parato*, inquit, *lecto, tanquam ægrotanti ſtragulis iecur capræ recens exemptum ſubiecit, diluculoque venientibus quos pater ad Dauidem miſerat, oſtendit lectum opertum, & quod palpitatione iecoris ſtragula moueri viderent, maritum ægrum anhelare perſuaſit, addens totam noctem inquietam eum exegiſſe. &c.* Irridendum profecto videretur hoc caprarum iecur, & ad rabinorũ ſomnia amandandum, niſi in ſeptuaginta paſſim legeretur, καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθεν πρὸς κεφαλῆς, *& iecur caprarum poſuit ad caput.* & in Theodoreto, [d] *fuiſſe autem aiunt ſuppoſitum iecur caprarum, vt eius qui moueretur, figuram efficeret veriſimilem; aiunt enim iecur caprarum diu moueri.* Et infra, *ponit autem etiam in medio veſtium iecur capræ recens occiſæ, vt ferat imaginem ventris hominis, & motum imitetur quodammodo reſpirationem. Sat multum enim mouetur, etiam poſt cædem eiuſmodi iecur.* Hæc ibi Theodoret. vbi vides eum imitatum Ioſephum, ſicut Theodoretum imitatus eſt de more Procopius [e] Comeſtor quoque, *Michol autem*, inquit, *ſtrauit lectulum eius, quaſi ægrotantis, in quo poſuit ſtatuam, & pellem caprarum ad caput eius; ſimilitudinem capillorum exprimens, & ſagis ſuppoſuit iecur capræ ſpirans, exprimens anhelantem.* Denique ante Hieronymum in vulgatis codicibus legebatur, iecur caprarum, vt mox ex eodem oſtendemus.

c l. 6. ant. c. 14.

Rom. Aldi. Baſil.

d q. 48.

ἐφ' ἥπατι.

e 1. Reg. c. 18.

XXV. *Improbatur.*

EXISTIMO ſane hoc caprarum iecur repudiandum eſſe, & ex ſcriptionis errore natum. Repudiandi mihi author Hieronymus in epiſtola ad Marcellam, cui initium eſt, [f] *Epiſtolare officium eſt*; vbi hunc ipſum locum exponens, *venerunt*, inquit, *nuncii, & ecce* κενοτάφια *in lecto. pro cenotaphiis in Hebræo theraphim, id eſt* μορφώματα (iuxta Aquilæ interpretationem) *poſita ſunt, & non decor caprarum, vt noſtri codices habent, ſed puluillus de caprarum pelle conſutus, qui intonſis pilis, caput inuoluti in lectulo hominis mentiretur.* Sic Hieronymus, niſi quod *decor caprarum* nunquam ſcripſit, ſed iecur, vt ex dictis patet, quod Eraſmum, Victorinum, aliosque correctores ef-

f to. 3. ep. 130.

Emendatur locus in S. Hieron.

fugit; non tamen Frontonem noſtrum, vt in notis in eam epiſt. leges. Improbat ergo Hieronymus, hoc caprarum iecur, & puluillum iecoris loco ſubſtituit. Diuerſæ interpretationi occaſionem dedit Hebræorum vocabulorum ſimilitudo, nam כבר Caued iecur ſignificat, כביר Ceuir autem pannum craſſum e pilis caprarum contextum, vt exponit Kimhi, Pagninus vertit puluinar è pilis, Hieron. modo pellem, modo puluillum è pelle.[a] Ea ſimilitudo Kircherum in fraudem induxit, qui putauit Septuag. Ceuir vertiſſe Hepar, cum illi caued legerint, & verterint Hepar. At neque textus hebræus, hoc loco, neque chaldæa paraphra. neque 70. Complut. aut regia vllam hepatis mentionem faciunt; ſed habent στρογγύλωμα τριχῶν τῶν αἰγῶν, ideſt pilos caprarum in orbem rotundatos, quibus ſcilicet caput ſtatuæ cooperiretur, vt fert editio vulgata. vel ad capillos ſignificandos, vel ad caput ægroti confouendum, vt ait Serar. hoc loco.

Ex mendo introductũ Hepar.

a Exo. 29. 13 Ezec. 21. 21.

OPORTEBAT autem Ioſephum linguam patriam egregiè callentem, & ex hebræis fontibus, vt ipſe ait,[b] haurientem, iecur hoc miſſum facere, & non illi fabulam ſuperſtruere. Nam quantum obſecro erat iecur iſtud, quod medio in lecto humani corporis molem repræſentaret? aut quandiu tandem iecur hoc palpitat, vt ſatis diu poſſit hominis reſpirationem imitari? Et quis credat tantum eſſe illius iecoris motum, vt pluribus ſtragulis, & veſtibus obrutum, ęgros nihilominus anhelitus referat? rectius ibi catulum aut felem abdidiſſet. Præſertim ſi extracti è corpore caprini iecoris nullus eſt motus. Nullus certe ab Ariſtotele aut Plinio, nullus à recentioribus quos viderim medicis notatus. Aliqui tamen lanii, modicam, & breuem palpitationem notarunt, ſed imparem iſti motui. Denique Septuag. hoc iecur ad caput collocant, vbi nullus eius motionis vſus, non ſtragulis ſubiiciunt, ad locum quem venter occupat, vt Ioſephum explicauit Theodoretus.

XXVI. *Arguitur Ioſephus.*

b Col. 2017 l. 1. aut. in præfat. & lib. 20. c. 9.

SED quid eſt quod Ioſephus hoc loco ſtatuæ, ſiue ſimulachri nihil omnino meminit, nedum ei aut caput tribuit, aut pedes, próque eo facetum hoc iecur ingenioſus homo ſubſtituit? ſimulachrum, inquam, quod hic Hebræi theraphim vocarunt, Aquila apud Hieron.[c] μορφώματα, quas ipſe figuras, ſiue figurationes interpretatur. Septuaginta vero κενοτάφια id eſt ſepulchra inania. *Quomodo enim*, vt ait Theodoret.[d] *inane ſepulchrum videtur quidem habere mortuum, ſed non habet, ita etiam quod per veſtes erat compoſitum, videbatur quidem eſſe Dauid agens animam, ſed non erat.* Vbi vides hoc ſimulachrum non ligneum fuiſſe, ſed laneum, ex veſtium multitudine conflatum, quam dicit eſſe interpretationem Aquilæ; ait enim,[e] *Sepulchra inania, Aquila interpretatus eſt* μορφώματα, καὶ ἱματίων πλῆθος, καὶ τὸ ἧπαρ τῶν αἰγῶν, στρογγύλωμα τριχῶν, ſic enim traiectionem verborum eius loci digerendam, ac diſponendam puto. & ſimulachrum ſiue ſtatuam huic veſtium multitudini præferendam; quæ capite careat, cuius diſerta eſt mentio in hebræis, græcis, chaldæis, latiniſque codicibus, cui operiendo, vt capillis imitandis, villus capræ circumpoſitus fuerat.[f] Ad Ioſephum autem quod attinet, arbitror ſane ad cubile ipſum fallaciæ huius, veſtigiis minime ambiguis peruenturum, qui dixerit, veritum fuiſſe Ioſephum, ne ſtatuæ, aut ſimulachra apud Dauidem inuenta dicerentur, quæ Iudæi hoc tempore execrabantur, & inexpugnabili obſtinatione reſpuebant, vt ex Philonis ad Caium legatione, & Ioſepho[g] ipſo patet.

XXVII. *Simulachrum diſſimulat.*

תרפים
c ep. 130. & in c. 3. Oſee.
d q. 48.
e ibid. init. q.

Emendatur Theodoretus.

f vid. R b. in 3. Oſee n. 21.

Cur ille diſſimulet.

g l. 2. de bell. c. 8.

DAVID *autem*, vt ad ipſum redeamus, *fugiens ſaluatus eſt, & venit ad Samuel in Ramatha.* non venit ad ſuos in Bethlehem, vt ante dixi,[h] ne ibi facile inueniri, & capi poſſet: aut ſi forte reſiſteret cum ſuis, omnes facile ab exercitu regio opprimerentur: aut ſi victoriam illi Deus daret, ea ciuili ſanguine redundaret; nec credebat Dauid tempus adhuc eſſe, vt ad extrema iſta veniretur, ratus etiamnum locum aliquem reconciliationi ſupereſſe. Nec erat Sauli cauſa, cur inimicum ſuum ad Samuelem confugiſſe ſuſpicaretur; nihil enim de Dauidis ab eo facta inunctione didicerat; & maxima erat eandem ob cauſam Dauidi ratio, cur ad illum, tanquam ad patrem, & diuinæ erga ſe prouidentiæ internuncium, atque adminiſtrum, accurreret; per quem etiam Deum dubiis in rebus, afflictiſque conſuleret. *Nunciauit autem ei omnia, quæ fecerat ſibi Saul*, ex quo illum, ob imprudentes mulierum cantilenas, auerſari cœperat; quoties illum gladiis Philiſthæorum obiecerat; & nominatim vt ipſum vibrata lancea, ſemel, iterum,

XXVIII. *Dauid ex fuga non adiit ſuos.*

h n. 21. & Abul. q. 29

Sed Samuelem.

1

2

tertiò pene perfoderat, & ad hanc denique nocturnam fugam, obuallata domo ſatellite, indubitatæ mortis metu perpulerat.

XXIX. *Qui plangit Saulem et Dauidē conſolatur.* INGEMVIT videlicet Samuel, & priſtinæ memor amicitiæ, ac temporis illius, quo in toto populo eo meliorem habebat, neminem, ſuper inconſtantia rerum humanarum, & luctuoſa Saulis mutatione, improbitate, ac reprobatione lamentatus eſt: veritus ne ea eſſet ipſius à cætu piorum proſcriptio in omnem æternitatem. Inde ad fugitiuum ſuum conuerſus. Tu vero, inquit, fili mi Dauid eſto animo forti, & iuuenile hoc pectus conſtanti obarmato patientia; nec eam præſens conditio fugitiui vllo modo frangat quin potius ab vltima ipſa gẽtis noſtræ origine memoria repete. Abrahamum, [a] chariſſimum Deo, ac maximæ gloriæ deſtinatum, diſceſſit ex patria vocante Deo, & ex impiorum contubernio pene profugit, totamque vitam peregrinus traduxit. Fugitiuus Iacob Iſraelitarum parens, fratrem habuit, qui ei mortem intentaret, & ipſum ad fugam longinquam, ad 20. ipſos annos compelleret. Deinde qui patriam fugerat, patriam fuga repetut, & qui prius fratrem, poſtea ſocerum fugit, nihilominus rediit in patriam opulentus, & ſocero & fratri reconciliatus eſt. Ioſeph infenſos habuit ex inuidia fratres, à quibus tantumnon morti traditus eſt, certe venditus; Prorex nihilominus in Ægypto factus, toti genti ſuæ ſaluti fuit. Fugitiuus ex Ægypto Moſes, poſt humilem pecorum curam, ab ipſo Deo, Pharaonis conſtitutus eſt Deus, & totius populi noſtri factus eſt legiſlator, & princeps.

XXX. *Futura prædicens.* IEPHTHE Galaadites bellator fortiſſimus, ipſe quoque fugitiuus, & paterna pulſus domo à fratribus, ciuibuſque ſuis; ſed ab iiſdem mox honorificè reuocatus, primum in Galaaditide princeps, Ammonitas egregiè deuicit, deinde duodecim tribuum Iudex effectus eſt. Eris tu quoque, mi Dauid, aliquando in clariſſimis illuſtrium virorum exemplis, cum quorum geſtis hæc tua initia præclare conſpirant. Tu quoque fratribus vſus es non æquiſſimis, tu è gregum cuſtodia ad principatum vocatus, regni candidatus effectus es; tu etiamnum ſocerum habes infenſum, ſed ei propediem reconciliaberis Ionathæ tui interuentu, beneuolentia non admodum conſtante; recrudeſcet quippe infeſta, atq; inueterata ægritudo, & ad iteratam, ac diuturniorem compellet fugam, nec minora in pericula coniiciet. Eris nihilominus aliquando princeps populi huius, ſed longe maximus atque fœliciſſimus; & ſecundum multitudinem dolorum tuorum in corde tuo, conſolationes Domini lætificabunt animam tuam. Non eſt Deus ſicut homo [b] vt agat pœnitentiam, & non perficiat in te opus, quod manu mea inchoauit. *Dei quippe perfecta ſunt opera*, vt ait legiſlator noſter, [c] *& omnes viæ eius iudicia.* Interim autem, quantum Domino placuerit, hac mecum ſolitudine frueris. Hæc, aut his ſimilia Dauidi à Samuele Propheta prænunciata, dici poſſunt, non ſine ſimilitudine veri.

XXXI. *Abeunt in Naioth.* ABIERVNT autem ambo ex vrbe Ramatha, ne Dauidis fuga oppidanis innoteſceret, & per eorum aliquem Sauli. & morati ſunt in Naioth. Eum locum Septuag. appellant Ναυὰθ, Comeſtor Nabaioth. Ioſephus Galbaath, non ſine ſuſpicione mendi. Cumque Scriptura dicat aliquoties Naioth fuiſſe in Ramatha, *Quis ille locus.* 4. Abulenſis putat [d] Naioth non fuiſſe locum diſtinctum à Ramatha, niſi vt partem à toto, & contentum à continente; ſicut Gabaa fuit collis intra vrbem Cariathiarim, [e] & Bama in Gabaa Beniamin. [f] Idem ſentit Dionyſ. & ante vtrumque Comeſtor, qui ait Naioth fuiſſe collem in Ramatha. Vatablus ex hebræis refert hunc locum ſitum fuiſſe in agro vrbis Ramatha, quæ vtique Ioſephi mens eſt, & ſignificare locum ſtudioſorum; vt mirum ſit Adrichom. Naioth verſus Hieroſolyma transferre, Vatablo conſentit Serarius. Amœnum fuiſſe *Domus doctrinæ.* locum, cum horto, & pomario ſuſpicatur Caiet. Chaldæus domum doctrinæ interpretatur, vbi Samuel doceret eos, qui mox dicũtur prophetaſſe: eorumq; collegia agnoſcit. Abul. & Serar.[g] Vt facile ſit intelligere hoc loco inſtitutos fuiſſe adoleſcentes, qui in lege Domini erudirentur, totam rem moderante Samuele, qui ab aulæ ſtrepitu ſemotus, ita Deo vacabat & ſibi, vt in iuuentute recte informanda, in primis elaborandum putaret, ſicque ſenectutem ſuam negotioſo otio honeſtiſſime reficeret, & his paulatim ſtudiis ſuauiter immoreretur.

XXXII. *Quæ ibi Dauidis mora.* HIC Dauid requiem aliquam ſe inuenturũ putabat, & clam omnibus per ſacras

meditationes,

[a] vide in. cius 48.
[b] 1. Reg. 15. 29.
[c] Deut. 32. 4.
4. ῥχ.
[d] in hunc loc. q. 30.
[e] 1. Reg. 1
[f] 1. Reg. c. 10. 5.
[g] vid. Abul. q. 31.

meditationes, & cantica ſpiritalia Deo vacaturum: qui ipſum ad longe grauiora certamina, turbaſq. deſtinarat; eoque permittente cognitum eſt Dauidem apud Samuelem in Naioth latere. Quandiu autem latuerit non eſt proditum, Ioſephus *καὶ διέτριβεν σὺν αὐτῷ ibi cum ipſo commoratus eſt*, nihil amplius quam Scriptura, aliquot fortaſſis hebdomadas, aut etiam dies; id enim cõſentaneum eſt Septuag. qui Dauidem ibi non manſiſſe, ſed ſediſſe dixerũt; & conſentaneũ incredibili Saulis ſtudio, curæq. vbiq. locorũ hanc quaſi prædam perſcrutandi, ac perueſtigãdi. Ergo quãuis ſepoſitus eſſet à turbis locus, & hominũ frequentia ſecretus; venit tamen ad regis aures illic Dauidem latere. Exarſit illico cupiditate hominem capiendi, imo rapiendi; *miſit* enim *lictores vt raperent Dauid*, & ſi opus eſſet repugnantes compeſcerent, vt quamprimũ morti traderetur, *mittit armatos* ait Ioſephus, *qui eum comprehenſum ad ſe pertrahant*. ac fortaſſe non impune tuliſſet hanc ſuam in Dauidem charitatem Samuel, niſi Dominus vtriuſque incolumitati mirabiliter prouidiſſet. Prouidit autem in hunc modum.

ἐκάθισαν.

Innoteſcit Sauli.

XXXIII. *Lictores prophetant.*

LICTORES cum primum viderunt *cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam ſpiritus Domini in illis, & prophetare cœperũt etiam ipſi*, Cum autem varij ſint prophetiarum modi, varia genera propheitarum: quomodo hic prophetia accipienda ſit non plane conſtat. Theodoretus [a] non ſatis explicat quam gratiam propheticam vocet. S. Auguſt. lib. 2. [b] ad Simplicianum videtur intelligere ſpiritum propheticum futura prænuntiantem, & ſecreta reuelantem, tam in iſtis Samuelis diſcipulis, quam in omnibus nuncijs & Saule ipſo, & confirmat exemplo Balaam. Idem habetur lib. 2. de mirabil. ſacræ ſcript. c. 10. [c] nihil autem aliud probat, quam verum prophetiæ illius ſpiritum etiam malis, ac reprobis communicari poſſe. Verum hanc expoſitionem non probat Abulenſis [d] quod omnibus ſimul prophetantibus, confuſæ eſſent atq; inutiles huiuſmodi prophetiæ, nemine attendente quid ſinguli dicerent.

Quo genere prophetia.

a q. 49.
b q. 1.
c vide & in pſal. 103
d vide Abul q. 31. & 32. in c. 19.

XXXIV. *Canticorum ſpiritalium.*

CHALDEVS paraphraſtes, quem ſequuntur Abulenſis, Vatablus, Emanuel Sa, & alij, prophetare hoc loco explicant, Deũ laudare, quo modo etiã ſupra cap. 10. quãdo Saul quoq. prophetã egit, cũ alio cuneo prophetarũ. Verũ ſpiritus iſte propheticus dupliciter contingit, diuino afflatu ſine vlla induſtria, aut humano ſtudio, Deo edocẽte intellectũ ad cõcipiendũ, & voluntatẽ ad enunciandũ per organa corporis, Dei laudes, & opera eius mirabilia prædicanda, 2. ſtudio ac doctrina humana, alijs alios edocentibus myſteria, quæ celebrentur, certaſq. ea prædicandi rationes: priore modo nuncij ſatellitesque Saulis, atque adeo Saul ipſe prophetarunt: poſteriore illi omnes prophetæ, qui magiſtrum agnoſcebant Samuelem. Samuel autem ipſe, & Dauid, qui ſpiritu prophetico iam diuinitus donati fuerant, eamque ſcientiam vſu ipſo expoliuerant, vtroq. modo prophetaſſe dici poſſunt. Porro nuncij Saulis ibi diuinitus non ſolum illuſtrati, ſed voluntate immutati ſunt, vt nec curarent Dauidem comprehendere, nec redire ad Dominum ſuum, vna in eis prophetandi, & pſallendi cura dominante. *Quod cum nunciatum eſſet Sauli, miſit & alios nuncios, prophetauerunt autem & illi, & rurſum miſit Saul tertios nuncios, qui & ipſi prophetauerunt.*

Is ſpiritus dupliciter contingit.

Quomodo mutati nuncij Saulis.

XXXV. *Qui huius prodigij fines.*

Hoc porro prophetarum toties multiplicatorum prodigium, primùm diuinam potentiam in hominum intellectus, voluntateſque prædicabat, quas ſine vlla violentia aut coactione ita flecteret, vt velle omnino deſinerent, quod maxime volebant, Sauli videlicet obtemperare; & velle inciperent, conſtanterque vellent, quod ſtatuerant ante non velle; nimirum poſteriores volebant non prophetare, ſed Dauidem rapere. At fecerunt quod nolebant, & non fecerunt, quod ſe ſtatuerant omnino facturos. Secundo ponebat hoc miraculum in omnium oculis quanti Deus faceret Dauidem, in cuius ſalutem ac libertatem, prophetiæ gratiam in ſicarios, in immerentes, in recuſantes profunderet, atque prodigeret. Tertio Sauli apertiſſime demonſtrabat, ipſum pugnare cum Deo, qui eius conatibus, præter omnem naturæ ordinem, ac modũ obſiſtebat, vt iã illud dicere Dominus poſſet, [e] *Saule, Saule quid me perſequeris?* At ille nõ vſurpat viciſſim, *Domine quid me vis facere?* Sed nõ dedit ei Deus cor intelligens, vt à malo diuerteret, vt ait Abul. [f] Ac ne forte Saul colluſionem aliquam ſuſpicaretur; ſi primis nũcijs, imo ſecũdis, ac tertijs prophetãtib. Dauid effugeret,

e Act. 9. v. 5. 6.
f q. 35. in c. 19. 1. Reg.

Cur Saul prophetarit.

& huiuſmodi prophetiam humanam fraudem ſuorum Dauidi fauentium interpretaretur, voluit Dominus Dauidem interea ibidem ſubſiſtere, donec ipſemet veniret, qui & prophetaret ipſe, & ſuos prophetantes videret, & aduerſarium ſuũ in conſpectu ſuo, corã triplici ſatellitũ cohorte impune abeuntẽ cõſpiceret.

XXXVI. *Saul adit prophetas.* ITAQVE Saul cum miſſos iam tertio ſatellites non crederet prophetare, [a] ſed ſibi illudere, atque in gratiam aduerſarii ſui præuaricari; aut certe ſpiritui prophetico laxius quam par eſſet, & quam ipſorum erga regem ſuum obſeruantia requireret, obſiſtere; *iratus eſt* vehementer; & ratus præſente ſe fraudem omnem, colluſionẽq; ceſſaturam, nutuque ſuo ſe tot nuncios, ac lictores, à cantilenis abductos, ad ſeria reuocaturum, & ad regia mandata exequenda compulſurum, [b] *abiit etiam ipſe in Ramatha*. ſeſe videlicet in viam dedit, *& venit vſque ad ciſternam magnam, quæ eſt in Socho* oppido, vel pago in itinere poſito, *Et interrogauit, & dixit, in quo loco ſunt Samuel & Dauid?* externos atque ignotos interrogat, probaturus an ſui vera illi retuliſſent; quod ex reſponſionum ſimilitudine agnoſcebat, & an illi adhuc ibi ſubſtitiſſent vel alio ſe iam contuliſſent; cognito eius aduentu. *dictumque eſt ei; ecce in Naioth ſunt, in Ramatha*. Quo audito properat, perfecturus, quod ſui non potuerant, aut noluerant, vtiq. innocentem generum manu ſua interfecturus è veſtigio.

[a] Abulenſ. q 38. ibid.

[b] c. 19. v. 22.

XXXVII *Et ſpiritu prophetico corripitur citius.* VERVM admodum tutus eſt, qui in protectione Dei cœli commoratur. Qui exiſtimabat ſe facilius, ac conſtantius reſtiturum diuino ſpiritui, ſi quis forte ſibi obſiſteret, quam tot ſerui ſui; vehementius etiam ipſe, ac citius vim diuinam ſenſit. Citius quidem, quia cæteri ſpiritu prophetico corripiebãtur, cum ad conſpectum Samuelis, & Dauidis peruenirent; ipſe autem ex itinere prophetare cœpit, & diuinas laudes canere, [c] idque teſtatur Scriptura cum ait, *Et factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth, in Ramatha*. vehementior autem motio & impulſus prophetici ſpiritus agnoſcitur in eo, quod illo incitante depoſuit ipſe veſtimenta ſua, quod ſcilicet alii non fecerant. *Ac vehementius.* Quamuis enim verba textus ferre poſſint eam expoſitionem, vt alii quoque intelligantur inter prophetandum expoliaſſe ſe, legimus enim, *Et expoliauit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis*, quaſi dicat, non ſecus quam alii fecerant, itaque in hebręo legatur, Septuaginta tamen illud *etiam ipſe* non habent, neque Ioſephus eos ſecutus, Theodoretus item, Procopius, & Abulenſ. [d] & vni Sauli tribuunt, vt abiecto veſtitu nudus prophetam egerit. *Nudauit ſe*

[c] quod non obſeruaſſe videtur Torn. an. 4. et. 4[?]

[d] q. 39. v. [?]

XXXIIX *An omni veſtitu.* PROPHETAVIT inquit Rupertus, [e] non minus facto quam verbis, nam expoliando ſe veſtimentis ſuis, ei quem perſequebatur regnum ſe relicturum ſignificauit, quod ante ipſum dixerant Theodoretus, & Procopius. Verum dubia eſt iſta ſpoliatio. Cum enim Scriptura dicat Saulem *cecidiſſe nudum tota die illa & nocte*, quæritur an plane nudus iacuerit, an tantum abſque regiis veſtimentis, quaſi vilis aliquis de infima plebe homuncio. Priorem ſententiam ſecutus dicitur Abem Ezra, ſecutus eſt certe Vatablus, aitque ſpiritum Dei adimere omnem pudorem iis quos poſſidet, id eſt non eſſe tum compotes ſui, idque videtur fateri Toſtatus in pœnam ac confuſionem Sauli contigiſſe. Alii autem paſſim ſentiunt ſolis nudatum regiis veſtimentis, nam Hieron. in tradit. *Expoliaſſe vero ſe non omnibus veſtimentis, ſed regalibus tantum intelligendum eſt.* Ita ipſe, cui aſſentiuntur Angelomus, Comeſtor, Lyranus, Dionyſ. Caiet. Emanuel Sa, Adrichom. Abulenſis, qui ait id non factum, quia Samuel, & qui cum eo erant, hanc eius ignominiam non toleraturi erant. Idem ſenſiſſe apparet Ioſephum, Theodoretum, atq; Procopium, omnes enim habent in ſingulari Saulem ſe veſte nudaſſe; ſed vox [?] tam veſtem, quam veſtitum, ſiue veſtimenta, etiam in ſingulari ſignificat. *An regio tantum.*

[e] l. 2. c. 10.

Apud Abul. & Serar.

XXXIX. *Qui dicatur Samuel vidiſſe Saulem.* ALIA eſt in iiſdem traditionibus dubitatio. Quærit enim Hieronymus quomodo verum ſit, quod ſupra dictum eſt cap. 15. extremo: Samuelem non vidiſſe vltra Saulem, vſque ad diem mortis ſuæ, cum hic alter in alterius dicatur veniſſe conſpectum; & quidem aliquot annis ante vtriuſque mortem. *Quam quæſtionem*, inquit, *Hebræi his duobus modis ſoluunt, aut non vidit eum, quia quando iunctus eſt Saul cuneo prophetarum abſcondit ſe Samuel ne videretur ab eo; aut non vidit eum, indutum habitu regio, quo indutus erat, quando dictum eſt, non vidit eum, vſq; in diem mortis ſuæ, ſubauditur indutũ habitu regio.* hæc ibi, quæ apud Rupertum quoque, & Angelomum reperies,

authoris nomen non reperies.[a] Sed magis probanda videtur expoſitio, quam ſupra attulimus, [b] Samuelem nunquam deinceps inuiſiſſe regem, nunquam collocutum, vel honoris vel beneuolentiæ cauſa: ſed à Deo deſertum deſeruiſſe.

QVID eſt autem quod Saul cecidiſſe dicitur nudus tota die illa, & nocte? Lyran. & Abul. & Torniel. [c] legunt ceciniſſe, quia hoc genus prophetiæ canendo peragi ſolebat; & in quibuſdam bibliis ita legitur, ſed repugnāte Hebræo textu, Græco, Latiniſque emendatis: in quibus omnibus eſt cecidiſſe Saulem, Ioſephus quoq; nudum per diem ac noctem iacuiſſe, dominãte ſcilicet prophetico ſpiritu, & perſeuerante, quamuis corpore defatigato. Verum cum cæteri neq; cecidiſſe, neque iacuiſſe, dicantur, iſte caſus ad agitationem conſuetam mali ſpiritus referri poſſet: quod ſi concedimus ad eam tamen ſubleuandã Dauid pſallando non affuit, ſed ſibi fugiendo conſuluit. Propterea enim Deus ipſum aut prophetare aut inſanire permiſit, vt tutam ſeruo ſuo præberet euadendi viam. Cum interim populus alias vſurpatam parœmiam, & quaſi cãtilenam iteraret, *num & Saul inter Prophetas?* quod erat nunc admirabilius quam antea, quia præterquam quod Propheta non erat, etiam prophetam perſequebatur etiam ſtricto arcu, vt ait author Mirab. Scripturæ.[d] XL. *Et ceciniſſe aut cecidiſſe.*

SEQVITVR deinceps fuga Dauidis de Naioth, ſed dubiũ eſt an immediata fuerit eius querela proximæ narrationi. Significat autem Scriptor ſacer, [e] dum Saul tota illa die ac nocte extra ſe poſitus iaceret, prophetaretque non ſatis compos ſui, Dauidem fugiſſe ad Ionatham. Idque non obſcure ſignificat Abulenſis q. 35. [f] cum ait decuiſſe vt non fugeret Dauid ad primos nuncios prophetantes, ſed expectaret aduentum Saulis, & tunc fugeret. Et rurſum q. 36. *Manſerunt,* inquit, *ibi omnes nuncii prophetantes, vſque ad aduentum Saulis, & poſt credendum eſt quod poſt receſſum* David *omnes ſimul deſierint prophetare, tam Saul, quam nuncii ſui.* Sic ipſe, ergo receſſerat Dauid, quando ceſſauit Saul prophetam agere. Deinde q. 2. & 4. in cap. 20. putat poſt hanc fugam è Naioth, factam aliquam reconciliationem, inter Dauidem & Saulem, interuentu Ionathæ, ad quem Dauid querelam detulerat, quod alioqui abſurdum eſſet mirari Saulem, quod Dauid abeſſet à menſa eius. Vana quoque eſſet Ionathæ excuſatio de profectione Dauidis in Bethlehem, cum ille non deſiiſſet Dauidem hoſtiliter perſequi, & huic in promptu eſſet dicere, Quid miraris abeſſe hominem; quem tu toties interficere voluiſti? & ex quo tot miſiſti nuncios, & ſatellites, tam in domum ipſius, quam in Naioth, nulla interceſſerit reconciliatio? 6. XLI. *Dauid, fugit Enioth.* *Dum Saul prophetat* *deeſſe in textu vnam reconciliationem ex Abul.*

LYRANVS autem exiſtimat Dauidem veniſſe ad Ionatham, abſentem ab vrbe in qua degebat Saul, quod ab aula propter aliqua negotia receſſiſſet, & ignoraret quæ ab eo tẽpore, quo, eius interuẽtu, reconciliatio facta fuerat, Saul in Dauidem machinatus fuerat, illaque à Dauide ad Ionatham relata, additis precibus vt probaret an plane deſperanda pax foret. Verum ex ſequentibus ſatis conſtat Ionathã Saulem, & Dauidem, in eadẽ vrbe fuiſſe, cum ſequens probatio facta eſt, idq; affirmant Toſtatus & Serar. Neq; ſatis probabile eſt ignoraſſe Ionatham vel vnum diem, Saulis lancea petitum Dauidem ſibi chariſſimũ caput, quamuis tantum abfuiſſet, quãtum ſpatii eſt à Dan vſq; Berſabee: neſciſſe obſeſſum in domo ſua à ſatellitibus, & per feneſtram fuga lapſum. Scripſiſſet vel Michol vnius cõiux, alterius ſoror, vel alius de familia regis. Cenſet Torniellus expediri poſſe difficultatem, ſine vlla noua reconciliatione, aut non introducta Ionathæ ignorantia, de poſtremùm parata Dauidi à patre pernicie; dicendo Ionatham omnia illa tribuiſſe infeſtanti dæmoni, eaque impotem ſui aggreſſum eſſe, vt non ſolum venia, ſed commiſeratione dignus videretur. Nam quæ ſciens, prudenſque ſuſciperet, ea ſecum communicare. De Dauidis autem cæde nihil ad ſe, vt alias retuliſſe. Verum hæc reſpõſio ponit Saulem, ex opinione Ionathæ, fuiſſe ſemper impotem ſui, licet reipſa non vexaretur à dæmone, nam extra vexationem ſuam Dauidem perſequebatur, vt cum venit in Naioth. Ergo tum ſciens volenſque peccabat, imo, & in vexatione ſua, vt ſupra declaratum eſt. Eligat prudens lector quam malit rationẽ huius nodi ſoluendi, ego deinceps Toſtati [g] ſententiam ſequar, qui geminam Dauidis ad Ionatham querelam ponit, priorem, quæ ſcripta non ſit, & quam reconciliatio aliqua ſecuta eſt, & poſteriorem quę narratur XLII. *Lyrani expoſitio.* *Tornielli.* *probatur Abul.*

a Abul q. 41. in c. 15.
b in Saul 7. n. 70.
c an. 4. ætat. 431. n. 1.
d l. 2. c. 10.
e ca. 20.
f in cap. 19.
6. ex.
g q. 4. in c. 20.

in textu, quamuis autem illa reconciliatio ſuo loco perſcripta non ſit, ex poſteriore tamen narratione colligitur illam anteceſſiſſe.

XLIII. *Et exponitur. David apud Ionatham queritur.*

PROPHETANTIBVS ergo nouis Prophetis, venit Dauid ad Ionatham, quē Saul in ea vrbe reliquerat, in qua curiam habebat, ibiq. ante reditum Saulis expoſtulauit de capitali eius in ſe odio, & diuina quam proximè expertus eſſet liberatione; Quibus ille auditis, reuertentem patrem adiit, orauitq. vt odiū omne ſuum in Dauidem abſtergeret, quem videret apertiſſimis prodigiis à Deo protegi. Prophetiam enim tam nouam, quam ipſe, eiuſque nuncii experti eſſent, tamque diuturnā alteri tribui non poſſe quā Deo, contra quem videretur gigantū more pugnare: & ſtimulum calce infringere velle. Addebat fortaſſis & illud ex Iobo,[a] *Quis reſtitit ei, & pacem habuit? qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo; Qui cōmouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Montes dicebat eſſe principes, qui reliquam hominum multitudinem naturæ & gratiæ donis, longe multumque tranſcendunt, qui quamuis in terra fixi, altitudine tamen dignitatis ſuæ, qua Dei vices in terris gerunt, cœlorū globos, ac Deū ipſū vicinitate contingunt. Eoſdem columnas eſſe, quæ rempub. mirifice ornant validéque ſuſtentant: omnipotentem tamen Deum, & columnas concutere, & mōtes ſubuertere in furore ſuo, ſi infirmitatis ſuæ, & humanæ conditionis obliti, temeraria atque irrita in cœlum arma conuertant.

Qui patrē monet.

[a] Iob 9.4.

XLIV. *Oratque. Et pacem impetrat.*

ORARE itaque vt volente Deo, ſuperiſque plaudentibus in gratiam redeat cum innocentiſſimo iuuene, cum fortiſſimo bellatore, cum prudentiſſimo ac feliciſſimo duce, cum amantiſſimo atque obſequentiſſimo genero, cum eo qui ſit populi deliciæ, perpetuus hoſtium terror, ac malleus, & eximium Iſraelitarum decus & ornamentum; virum quo præſtantiorē ne conceptis quidem votis optare poſſe videatur, virum Deo chariſſimum ac religioſiſſimum, in cuius ille gratiam, immerentibus, atque adeo repugnātibus, cœleſtia dona concedit. Hęc dicentem ac plura parantē interpellans Saul. Age age inquit, agnoſco quis ſit amor in Dauidem tuus, qui haſce laudes expreſſit, placet finem ponere ſimultati. Agat ille quod ſubditum decet ac generum; Ego principem ſocerum præſtabo; ne efferatur ſuperbia, ne ſecundis rebus, & ad voluntatem fluentibus inſoleſcat, ego illi verſa vice oſtendam quanti te faciam, & quo illum habeam loco ob amorem tui. Hæc tu ad ipſum per otium referes, & tecum adduces ad menſam meam. Ita dictū, factūq;, quæ nos probabiliter, erudite lector vt vides digeſſimus. Nō enim ſine fundamēdo huiuſcemodi, apparet Dauidis locus in regia menſa vacuus.

XLV. *Redit ad ingenium Saul.*

VERVM non diuturna fuit iſta gratia, non longa pax aut Dauidi, aut rebus fuit. Recurſant quippe animo illi plauſus populi totius, in victoria Goliathi, effuſæ ciuitates in occurſum Dauidis, omnium ordinum conſenſus, gratiarum actio, congratulatio; Iterumq; iterūq; reſonant, auribuſq. regis inſonant illæ muliebres cantilenæ, illa comparatio, ille contemptus ſui; illa mille, & illa decem millia, quæ quotidie miſerum regis animum cruentant, atque exanimant. Ingerunt ſe, atq; intrudunt nolenti illa de Philiſthæis toties reuecta trophæa, imperatæ illę ac perfectæ cædes, illa duplicata præputia; inſtat, atque imminet ille pudor, ne irrito conatu Saul vnum virum in regno ſuo perſecutus dicatur; & paſtori princeps, iuueni ſenex, pulici vni rex Iſrael ceſſiſſe videatur; viuunt adhuc ac vigēt in abdicati regis animo illæ Samuelis minæ, illa regni, vt pallii prophetici ſciſſio, & quæſitus ſecundū cor Dei regni hæres, atq. ſucceſſor. Deniq. hominē de mēte deiicit, ille mortalium, atq. immortalium in Dauidem fauor, ac dedecus familię ſuæ, in peſtem ac perniciē ſuā. Proh quantā exercet tyrannidē in mente principis metus, liuor, æmulatio! Hæc atq; his ſimilia Saulem verſaſſe animo, ſecuta mox ipſius in Ionatham indignatio non obſcurè ſignificat, ſed priora videamus.

quæ illum vexarent.

XLVI. *Rurſum conſpirat in Dauidem.*

TANTVS ergo hic metus, & dura ſicut infernus æmulatio noctu, inſomnes in molli lecto noctes afferunt, aut vbi ſomnus obrepſerit, horrificis inſomniorum imaginibus territant, ac ſomnum violenter excutiūt: interdiu faſtidium cibi, venationis tædium, ludi neglectum afferunt, & in animi relaxatione reddūt amicis moroſū, aſperū, inhumanū. Hæc infœlicē Saulem dum perpetuo pulſant ac fodicant, deniq; deiiciunt, eiq. perſuadent nihil malis ſuis afferri poſſe remedii, præter viri vnius interitum; nihil ſine ea cæde boni ſperari poſſe; ea perpetrata

læta ſibi omnia, & tranquilla fore, & quæ nunc in ſalo æſtuant, fluctibuſque iactantur, in tuto, atque in portu quietura. Et eſſe illum quidem innocentem; verum ſi recte ſapiat, principis ſaluti, in qua communis vertatur ſalus, vitam ſuam dicare, ac deuouere recte poſſe, & debere. qui in paſcuis animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, quidni eam ponat pro rege ac principe ſuo? In his ille laborioſe, atq; inepte voluntatus, Iacta ſit, inquit alea, vnum pro multis dabitur caput.

Et morti deſtinat.

Qvoniam vero præclare intelligebat, vnum ſibi Ionathan omni ſtudio atque opera obſtiturum, cuius tamen vel maxime intereat Dauidem tolli de medio, illud etiam atque etiam cauit, ne quo ille modo perſentiſceret quid ageretur, quod recte ſuſpicabatur Dauid, cum diceret dicturum Saulem *Neſciat hoc Ionathas, ne forte triſtetur.* [a] detulit ergo rem ad fidiſſimos ſcelerum adminiſtros, qui regis gratiam Dei beneuolentia, ac conſcientia propria multo antiquiorem ducerent, vt quod ipſe manu propria, & infelici lancea per furorem toties perpetrare nequiuiſſet, illi perficerent; & ſe perpetuo metu ac mœrore, regnum periculo liberarent, præmia non defutura, quę tanto beneficio cumulate reſpondeant. Rem ipſis non difficulter ex animi ſententia ſucceſſuram, incautum hominem, nihilq; ſibi à proxima reconciliatione metuentem inuenturos, Ionathæ conſcientiam ſtudioſe deuitent, reliqua fore in tuto. Re perfecta omne ſe periculum, damnum, infamiam velle, ac poſſe præſtare. Interim non inanes dimittit, ſed præſenti futuræ mercedis pignore confirmat.

XLVII. *Per aliquot ſicarios.*

a c. 20 v. 3.

In hanc illi cogitationem dum omni animi cogitatione incumbunt; locum inter ſe, modum, tempus excutiunt, conferunt, examinant; omnia Dauidis acta, dictaque explorant; euntem redeuntemque iniuſſi, atque improuiſi aſſectantur, idque ſe officii, ac beneuolentiæ cauſa facere mentiuntur, ſubodorari cœpit Dauid, ac ſuſpicari ſiniſtri aliquid, vererique ne lateret anguis in herba; & tum ſibi cauere diligentius, tum ad Deum vindicem, ac protectorem ſuum ſtudioſius confugere; qui fortaſſe ſicariis iſtis mentem dederit reputandi quantum crimen, quantoque ſuo periculo ſuſcepiſſet, quanta viri virtus, innocentia, fortitudo, quanta in ampliſſima fortuna humanitas, lenitas, animi demiſſio, quanta cum iniuria, quanto cum Reipub. damno tales viri vitam amittant. Regem damnato vt fit conſilio, animoque mutato, eos in perduellium, ac parricidarum loco habiturum; principibus gratas eſſe proditiones, proditores ingratos, meritoque inuiſos: itaque re adhuc integra ſatius eſſe à tam audaci, tamque nefario ſcelere deſiſtere, eiuſque cogitati ab humaniſſimo principe veniam ſuppliciter poſtulare, illũ vt ſibi caueat admonere, ſe autẽ vt ne prodat, pro ſua egregia, etiam in male de ſe meritos charitate, etiam atq. etiam orare. quæ ſi quis hoc fere modo contigiſſe putauerit, non admodum opinor à probabilitate, quam vnam hic habemus ducem, aberrabit.

XLVIII. *Qui rem moliuntur.*

Dauidis ſuſpicio.

Proditorũ pœnitentia.

Hoc demum rerum ſtatu Dauid ad fidam ſibi anchoram, & tutiſſimam, ſecundum Deum, præſidii arcem confugit Ionatham, & apud eum animi ſui æſtus ac querelam deponens, *quid feci*, inquit, *quæ eſt iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* ſimulque pertexit, tacitis nominibus, quantum à reconciliata nuper gratia, capitis diſcrimen adiecerit. Hic Ionathas afflicto mœrore amico conſolationem afferre volens reſpondet, non eſſe à patre decretum vt Dauid interficeretur; Hæc quæ recens contigiſſe narraret, ab improbis conficta, aduerſus patrem ſuum per calumniam importari; ſuperiora vero non propria voluntate, certoque decreto, ſed vel maligni ſpiritus impulſu, impotem ſui aggreſſum eſſe, vel furore iracundię dementatum; vt non ſolũ venia, ſed commiſeratione dignus videatur. Id autem confirmat Ionathas ex intima, quam habebat cum patre familiaritate, & conſiliorum omnium, etiam minimorum communicatione, vt credibile non ſit hanc tanti momenti rem eum celaturum fuiſſe. Id autem inde coniiciebat Ionathas, quod non ita pridem pater ad eum detuliſſet conſilium de occidendo Dauide, [b] quod ipſe diſcuſſiſſet, redintegrata vtrimque beneuolentia. Itaque etiam adhibito iureiurando affirmauit, nihil ipſi periculi imminere.

XLIX. *Dauidis apud Ionatham querela.*

Quam infirmat Jonathas.

b n. 2. 3. & ſeqq.

Ivsivrandvm tamen hoc ſeptuaginta non habent, & pro iureiurando Ionathæ, habent reſponſionem Dauidis; Hebræi vero iuſiurandum quidem habent,

L. *Dauid ei periculum ſuũ probat.*

ſed id non tribuunt Ionathæ, ſed Dauidi, ſicut & Abul. in eam ſententiam quam Ioſephus expreſſit; *Contra*, inquit, *Dauid iureiurando affirmabat ſe vera dicere, obteſtabaturque vt mallet credere, ac ſaluti amici proſpicere, quam contemptis eius verbis tanquam vanis, tum demum fidem habere, poſtquam extinctum vel viderit, vel audiuerit*. Refellit ergo Dauid ſententiam Ionathæ, probatque fore vt nihil ad eum referat rex, de conſilio in perniciem Dauidis ſuſcepto. *Scit profecto pater tuus*, inquit, *quia inueni gratiam in oculis tuis, & dicet, neſciat hoc* Ionathas, *ne forte triſtetur*; itaque inſcio te tollar ego de medio, & reuera in præſentiſſimo periculo mortis perpetuo verſor: Hoc enim illa verba ſignificant, *Quinimo viuit Dominus, & viuit anima tua*, id eſt per vitam Dei, & tuam iuro, *quia vno tantum, vt ita dicam, gradu, ego, mórsque diuidimur*, quaſi dicat mors in me fertur præcipiti curſu, & vno vix paſſu à me diſtat.

LI. *Oſtenditq; quid ſit opus facto.*

Persvasvs Ionathas magnitudine periculi, in quo verſabatur Dauid, vbi ſatius foret nimium eſſe timidum, quam parum prudentem; & incitatus magnitudine amoris in eum ſui, amor quippe propria in re animoſus, in amici periculo omnia tuta timet, & ad opem ferendam vbique præſentiſſimus occurrit; percũctatus eſt quanam in re poſſet illi gratificari, *Quodcumque*, inquit, *dixerit mihi anima tua faciam tibi*. Dixit autem Dauid ad Ionathan, ecce calendæ ſunt craſtino, 7.℣.
7. & ego ex more ſedere ſoleo iuxta regem ad veſcendum, *dimitte ergo me vt abſcondar in agro, vſque ad veſperam diei tertiæ. Si reſpiciens requiſierit me pater tuus, reſpondebis ei, Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem ſuam, quia victimæ ſolennes ibi ſunt omnibus contribulibus ſuis, ſi dixerit, bene: pax erit ſeruo tuo; ſin autem fuerit iratus, ſcito quia completa eſt malitia eius*. Intererat Dauidis ſcire quo eſſet animo Saul erga ipſum: Id nemo commodius ſcire potuit quam Ionathas, qui erat regi familiariſſimus, eiq; rex ſecreta ſua patefaciebat; nemo fidelius Dauidi animũ Saulis patefacere poterat, quam idem Ionathas, qui erat Dauidi chariſſimus. quomodo ergo vtrũq; confici poſſet, deinceps in hoc Dauidis & Ionathæ colloquio explicatur.

LII. *Prudenter ratione tẽporis.*

Qvod ad prius attinet,[a] multiplex apparet in hoc negotio Dauidis prudentia, vt nõ ſine cauſa agnouerit Saul Deum eſſe cum eo, quia omnia prudenter adminiſtraret, prudentiuſq; ſe gereret, quã omnes ſerui regis. Nã præter perſonam Ionathæ prouidentiſſime electã, primùm tẽpus elegit calendarũ, ſiue neomeniæ, id eſt menſis noui, cuius primus dies feſtus erat Hebræis, 8. atq; adeo ſolennis, vt ſignificat Dauid,[b] cũ ait populo, *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni* Dei *ſolennitatis veſtræ*. Id præceperat in lege Dominus,[c] *Si quando*, inquit, *habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, & pacificis victimis, vt ſint vobis in recordationẽ Dei veſtri*. Samuel[d] præparauit prandiũ populo in calendis. In diebus autẽ ſolennibus maxime oportebat adeſſe regis domeſticos, ac neceſſarios conuiuio; & in primis Dauidẽ generũ regis. Cum autẽ iuxta regem ſoleret ſedere, facile ille notaturus erat eius abſentiã, & quæſiturus cauſam eius. Idoneã quoq; morã gerendæ rei tribuit, vſq; ad veſperam diei tertiæ; nimirum conſtituit latere in agro reliquo pridiano calendarum die, tum ipſo die, ac poſtridie ad veſperam; altero deinde die poſt colloquium diſcedere,[e] nec fuit neceſſe abſconditum manere in die calendarum, & duobus ſequentibus vt putauit Abul.[f] qui omittit diem colloquii; nam poſtridie calendas tota res geſta eſt, ſequenti autem die non latuit, ſed ſummo mane diſceſſit. Res autẽ ipſa docuit biduum expectãdum fuiſſe, vt alterutro inquireret de Dauidis abſentia, quam diutius diſſimulare non poſſet.

Neomenia.

a 1. Reg. 18. 14. 15. 30.
8. ℣.
b Pſal. 80.
c Num. 10. v. 10. & c. 28. 11.
d Hieron. in trad. c. 9. 1. Reg.
e Serar. in c. 20.
f q. 9. in c. 20. 6.

LIII. *Loci, & rei ipſius.*

Prvdenter quoq; in agro, non in vrbe latere voluit, in qua neque hominum oculos, neq. linguam ſatis cauere poſſet; in qua neq. in non amica domo periculum, neq. in amica, aut propria ſuſpicionẽ vitaret. In agro autem, in ſpelunca aliqua deſerta, inuiſus maneret, & inauditus; aut ſi quis hominẽ caſus prodidiſſet, apertos haberet cãpos ad fugã. Eadẽ prudentia poſtea vitabat vrbes, vt probant illa verba Saulis. *Tradidit eũ Deus in manus meas, concluſuſq; eſt introgreſſus vrbem, in qua portæ & ſeræ ſunt*. Caute itẽ excuſationem elegit bene probabilẽ, & minimè ſuſpicioſã, conuiuii cum fratribus ac ciuibus ſuis; quorũ preces contẽnere ſuperbũ: ad breue autẽ tempus admittere, non videbatur oneroſum. Sapiẽter quoq; ratiocinatus eſt, bene ſecum, aut certe non malè agi, ſi Saul excuſationem admitteret, probaretq. Inimicorum enim facta dictaq. probari nõ ſolẽt. Nec facile per diſſimulationem probaret quod oderat, quin vultus ipſe diſſentientẽ à corde linguã

Dauidis ratiocinatio idonea.

1. Reg. 23. 7.
Abul. q. 13.

aliquo modo familiaribus ac domeſticis teſtaretur; ſinceram autem approbationem vultus hilaritas, ac frons ſerena demonſtrat. Adde quod diſſimulationem in Saule non patiebatur ęgritudinis magnitudo, vt hoc ipſo tempore probatum eſt, cum pro illius tyrannide violenta, etiam in chariſſimum Ionatham armatus inſurrexit. Altera ergo pars dilemmatis de iracunda reſponſione, vt minime dubia odii nuncia, tanquam certa colligitur.

LIV. *An due omen ex verbis.*

NEQVE vero eſt quod Dauidem hoc loco accuſandum putemus ſuperſtitionis, quaſi omen ex verbis Saulis accipere voluerit, ad conciendum de futuris, rectène euentura eſſent an ſecus, queadmodum ſupra de Ionatha diſputabamus [a] & pridem in cauſa Eliezeri pro nuptiis Iſaaci & Rebeccæ ſatagentis attigimus, [b] quos inſpiratio diuina purgat à culpa: fortuitæ enim ſunt illæ reſponſiones, nec habent naturalem connexionem cum re futura quæ inquiritur. Dauid autem ex verbis, aut ſilentio Saulis, quæ ſunt naturalia ſigna conceptuum, cognoſcere vult; quid habeat in animo Saul, quidue moliatur, rectene an ſecus erga ſe affectus ſit, 9. vt eiuſmodi affectu probabili coniectura cognito, ſibi proſpiciat, id vero humanæ prudentiæ, non temerariæ ſuperſtitioni tribuendum eſt. Et ſane quotidianum eſt, nullique obnoxium reprehenſioni, dicta, factaque aliorum, ſuperiorum præſertim, obſeruare, indeque coniicere quid illi velint, [c] quid probent, improbentque vt rebus noſtris, quæ inde pendent, non inconſulte proſpiciamus; quod aut ipſi per nos, aut per alium, vt Dauid hoc tempore facere poſſumus.

a an Saul. 3. n 49 & 50. b a.m. 2178. n. 11.

9 ℞.

Omen.

c vide Abul. q. 15.

LV. *Concluſio plena affectuum.*

d c. 20. v. 8.

CONCLVDIT porro petitionem ſuam Dauid, oratione affectuum pleniſſima, [d] *fac ergo miſericordiam in ſeruum tuum, quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire feciſti. Si autem eſt iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Oratione inquam; veriſſimorum affectuum pleniſſima, quales ſunt eorum, qui in ancipiti grauiſſimorum periculorum æſtuant. Vide vt ſibi beneuolentiā non conciliat, ſed rapit, atque extorquet, ex animi demiſſione, quæ etiam non vera inſinuat ſe, atque irrepit in animos hominum; quanto ergo vera ad gratiam efficacior, atque potentior? ſeruū ſe leuiri, ac famulum, ſemel, iterum, tertio pronunciat, ſe nouum hominem, illum regis filium reputans. Miſericordiam innocens poſtulat, quæ datur reis, & miſericordiam facilem, quæ in renuncianda veritate conſiſtit, cum tamen iuſtitiam, vt inſons poſtulare poſſit; ab eo præſertim qui id officium fœderato debeat, & amantiſſimo negare non poſſit.

Demiſſio animi efficax.

LVI. *An, & quatenus ſuam mortem depoſcat.*

VIDE poſtremo vt effuſus in hyperbolem, mortem ſuam vltro depoſcat, ipſius Ionathæ manu, [e] ſi qua in ſe culpa reſideat, cuius ipſe ſibi non ſit conſcius. Morienti enim optatius eſſet amici manu, quam inimici occumbere; vt enim hic nullos cruciatus afferret, cum magno tamen ſuo gaudio, vindictam capiendo, inimici morte paſceretur; id autem gaudium inimicum cum tanto damno ſuo, inimico præbere, acerbiſſimi ſupplicii inſtar eſt. Si quo autem modo occurreret illa neceſſitas, vt amicus amico mortem inferre cogeretur, qualem narrat Herodotus in Euterpe ſub Rhampſinito Aegypti rege contigiſſe, [f] vt fratrem in carcere frater capite truncaret, ne mox ille cum infamia ſuorum, propriiſque tormentis periret: vtique mortem amicus quam leniſſimam poſſet inferret, & inſuper eos gemitus, lacrymaſque miſerantis adiungeret, qui plurimam morituro conſolationem afferrent. Cæterum certo ſciebat Dauid Ionatham vltro potius, pro eo conſeruando, mortem oppetiturum, quam quamlibet reum interfecturum: præſertim cum neque Ionathas iudex eſſet Dauidis, neque Dauidi liceret morti ſuæ eam flagitando cooperari. Ergo hyperbolem hoc loco, qualem alibi explicauimus, [g] agnoſcere par eſt.

e vide an. m. 2130. nu. 52.

f li. 3.

mors ab amico.

g an. m. 2138. n 52.

LVII. *Dauidis æſtus, & Ionathæ reſponſio.*

ERGO *circumdederunt Dauidem dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt eum. Dolores inferni circumdederunt eum, præoccupauerunt eum laquei mortis*; hæc enim nunc gemens lamentabatur, quæ poſtea, defunctus periculis, Deo gratulabundus memorabat: vehementer quippe angebatur Dauid animo à patria ſe extorrem fieri: & à Ionathæ, ab vxoris, ab amicorum, conſuetudine diſtrahi; aut cogi vitam indigna morte profundere. Cum autem extrema Dauidis oratio Ionatham vehementius perculiſſet, *Abſit*, inquit, *à te* vel, vt habet Abulenſis, & nonnullæ editiones antiquæ, *à me*, prior autem lectio in bibliis emendatis

habetur, in Hebræis quoque, ac Græcis, eadem ſententia. Abſit à te vt innocens, manu tibi amiciſſima cadas, vel in manum incidas inimici tui. Imo ne fieri quidem poteſt, per amicitiæ inter nos initæ iura, *vt ſi certe cognouero completam eſſe patris mei malitiam contra te*, quæ ſcilicet ad ſummum progreſſa, non poſſit expleri niſi morte tua, *non annunciem tibi*; ſicque innocentiæ tuæ, noſtræque amicitiæ potius faueam, quam iniuſtiſſimæ parentis voluntati. Illud quoque vice verſa intelligitur, nuncium fore Ionatham depoſitæ regiæ offenſionis, ſi eam certò perſpexerit. Sed ea pars, quæ magis vrgebat, expreſſa eſt. (1. Reg. 20. 9)

LVIII. *Inquiritur modus renunciandi.* CONSTABAT igitur perſcrutandam eſſe regis voluntatem in Dauidem; eoq. iam res erat deducta, vt Ionathas eam ſe perſcrutaturum ſponderet; ſed perquirendus erat modus, quo tutò, & clam res Dauidi pateſieret; quod erat alterum huius collocutionis caput. [a] De modo igitur deliberandum fuit. *Quis renunciabit mihi*, inquit Dauid, *ſi quid forte reſponderit tibi pater tuus Dure de me*? Peculiarem enim habebat hæc renunciatio difficultatem. *Eius difficultas.* Cum enim fieri deberet quam occultiſſime, oportebat eam vel per ipſummet Ionathan, vel per alium quempiam fieri. [b] Nemo alius erat, cui aut Dauid, aut Ionathas tam anceps negotium cõmitteret, ne is regi rem pateſaceret, cum ſummo vtriuſque periculo. Ionatham autem adire ad ſpeluncam Dauidis in agrum ſolum, indecorum, imo & ſuſpicioſum erat, cum comitatu autem vt eius viri dignitas poſtulabat, periculoſum Doëcho aliquo Dauidis latebras, & Ionathæ proditionem, vt apparebat, retegente. Optimum factu erat vt Ionathas ipſe per ſe Dauidem moneret, quod Dauid verecundabatur poſtulare, ſed Ionathæ prudentiæ colligendum relinquebat; ſimulque modum aliquem excogitandum, quo vtrique malo, aut periculo occurreretur: quod & feliciter præſtitit.

LIX. *Exeant foras, quo & quare.* NON reſpondit autem ſtatim interrogationi Dauidis, *ſed veni*, inquit, *& egrediamur foras in agrum*, exierunt autem, non vt in rem, ſeu locum præſentem venirent, in quo Dauid abſcondendus erat, & Ionathas ſagittas miſſurus, vt vult Lyranus, improbante [c] Abulenſi, eo quod mox Ionathas non ait, *ſedebis iuxta lapidem* iſtum, aut illum, demonſtrando præſentem; ſed ſignificando abſentem, iuxta lapidem, *cui nomen eſt Ezel*, quem æquè ſignificare poterat domi. Septuaginta tamen habent demõſtratiuam particulam ἐκεῖνος. Exiuit ergo extra vrbem, vt ſemotis arbitris iureiurando confirmaret ſe fideliter relaturum Dauidi, quónam eſſet in ipſum animo Rex. Erat & renouaturus cum ipſo prius initum fœdus, & declaturus quæ de futuro eius regno ſentiret; eiq; ſe ſuoſque commendaturus, quæ ſecretiſſima eſſe, ac ne à parietibus quidem audire oportebat. Denique modus mittendarum ſagittarum declarandus erat. His ergo de cauſis ambo prodierunt foras, vt Deum vnum teſtem haberent eorum, quæ inter ſe tam in præſens, quam in futurum agitarent.

1.
2.
3
4

LX. *An ementito habitu Dauid.* EXIERVNT ergo ambo in agrum, Ionathas proprio in habitu, Dauid autem in alieno & ementito, vt viſum eſt noſtro Serario, [d] atque adeo ſine gladio vllo vel haſta, quod notauit quoque Toſtatus, idque ex conſequẽtibus intelligitur, cum ad Achimelecum plane inermis, ac ſine gladio mox venerit; de alieno autem habitu nihil eſt neceſſe opinari. Admiſſa enim reconciliatione, quam ſupra [e] explicauimus, quamque exigit illa Saulis interrogatio, *Cur non venit filius Iſai nec heri, nec hodie ad veſcendum*? *Non videri.* Nihil eſt neceſſe Dauidem clam ad Ionatham veniſſe, & veſtitu immutato, ne agnoſceretur; nam non publice nunc, ſed quam occultiſſime petebatur ad mortem; à qua in conſortio Ionathæ ſatis erat tutus. Itaque de luce, ac palam exiſſe arbitror, vtrumque tamen ſine armis, quaſi inambulantes, nec longius à mœnibus abeuntes. Quod ſi diſſimulato habitu fuiſſet Dauid, & latere voluiſſet; nequaquam eum Ionathas eduxiſſet foras. Nam inter exeundum aut ex vrbe, aut ex palatio regis, facile ab aliquo ciue, aut præſidiario milite agnoſci potuiſſet: & materiam ſermonibus, ac ſuſpicionibus non exiguam præbere. Denique cum immediate ab illis latebris abierit in Nobe, vt dicemus, certe Achimelech, non ſolum ſolitudinem, ſed multo magis mutatum corporis cultum admiratus fuiſſet. Quin etiam ex hac publica egreſſione, arbitror prædictam reconciliationem non parum confirmari poſſe,

LXI. *Imprecatio Ionathæ.* CVMQVE *exiſſent ambo in agrum*, *Ionathas* oculis eleuatis in cœlum *ait ad Dauid*,

[a] prius ſup. num. 52.
[b] Lyran. Abul. q. 18.
[c] q. 19. in c. 20.
[d] in c. 20.
[e] n. 41 & ſeqq.

Domine Deus Iſrael, ſi inueſtigauero ſententiam patris mei craſtino vel perendie; & aliquid boni fuerit ſuper Dauid, & non ſtatim miſero ad te, & notum tibi fecero, hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Imprecatur ſibi aduerſa quæque, niſi ſtatim per nuntium in re proſpera moneat Dauidem, in aduerſa vero ſignificat ſe per ſeipſum moniturum Dauidem; ſed ita obiter a principio dictum eſt: mox autem rem mutatam fuiſſe certo cognoſcitur, cum promittat Ionathas ſe per ſagittas declaraturum, malene res haberet, an ſecus, vt recte notauit Abulenſis: [a] Nec ſane decorum erat, quamuis læto in euentu, latebras Dauidis innoteſcere, eumque mox aulicorum irriſione deludi. Pergit. *Si autem perſeuerauerit malitia patris mei aduerſum te, reuelabo aurem tuam & dimittam te, vt vadas in pace*, dimiſſa ſcilicet penitus curia, & aula regia, in qua tutus eſſe non poſſis, quandiu habeas infenſum, atque inimicum regem, à quo vne ego te ſaluũ & incolumen præſtare non poſſum. Abſentẽ autem quia iuuare non poſſum diuinæ te prouidentiæ committam. vnde ſubdit.

[a] q. 20. in ca 20.

Et *ſit Dominus tecum ſicut fuit cum patre meo.* Quæ tamen verba propter comparationem cum Saule additam, in aliam ſententiam trahuntur, minimè ſane repugnanter, vt ſcilicet ea verba ſint prædicẽtis regnum Dauidi, quaſi dicat Deum excitaturum eum in regnum, ſicut excitauit Saulem, humili vtrumque ex loco, & victorem in bellis effecturum, quemadmodum & patrem ſuum. Ideoque illi iam ſe, familiamque ſuam commendat. Ita ſenſit Hieron. in tradit. ſic enim habet. *Sit Dominus tecum ſicut fuit cum patre meo, id eſt ſublime facias regnum tuum ſicut ſublime fecit patris mei regnum. Et ſi vixero facias mihi miſericordiam Domini, vt ſcilicet ſim ſecundus in regno tuo, & ſi mortuus fuero, non auferes miſericordiam tuam à domo mea, vſque in ſempiternum*: Hæc ibi, in quibus alluſum eſt ad ea, quæ infra [b] ab eodem Ionatha dicta leguntur. Eadem eſt hoc loco interpretum ſententia, Toſtati, [c] Lyrani, Vatabli, Angelomi. Ioſephus non attigit. *Et ſi vixero*, ait Ionathas, ſupple cum ad regnum euectus fueris, *facies mihi miſericordiam Domini*, mecum miſericorditer ages, ſicut Deo placitum eſt, qui non vult nos parentum peccata in filiis vlciſci, & immeritos luere pœnas noxiorũ, nec memor eris iniuriarum acceptarũ à patre meo. *Si vero mortuus fuero, non auferes miſericordiam à domo mea, vſq; in ſempiternũ*, filios ſcilicet meos, ac nepotes conſeruando; quod etiã egregiè præſtitit, vt ex ſequentib. patet: [d] Statimq; reſumens clarius imprecationem in ſe antea paucis prolatã, niſi patefecerit malam regis in Dauidem voluntatem, addit *Quando eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquemque de terra, auferat* ipſemet Dauid *Ionathan de domo ſua, & requirat Dominus*, id eſt vltionem expetat *de manu inimicorum Dauid.*

LXII. *Prænũciat Regnum Dauidi.*

[b] c. 23. v. 17.
[c] q. 20. in c. 20.
Quæ vtrimque pacta.
[d] 2. Reg. c. 9. & c. 21. 7.

Petitioni Ionathæ aſcenſus eſt Dauid, fidemque dedit ſe, ſi quando res tulerit, & honoraturum ipſum, memorem beneficiorum eius, & eius poſteris benefacturum in gratiam ipſius; & videlicet iuſiurandum adiecit, vti præiuerat Ionathas. Idque arbitror hoc loco dici fœdus, cum ait, *pepigit ergo Ionathas fœdus, cum domo Dauid*, pactum ſcilicet conuentum, & mutuo vtrimque iureiurando firmatum. Et apparet in hoc fœdere aliqua à priore differentia. Nam quod initum eſt occiſo Goliatho priuatæ fuit amicitiæ, & contractę ſocietatis militaris, hoc conſeruandæ mutuo familiæ vtriuſque: ideoque tam domus Ionathæ, quam domus Dauidis aperta fit mentio, in hoc fœdere, quæ in priore præterita eſt, erat enim Dauid priuata perſona, nunc autem Tribunus, & gener regis. Illud mera beneuolentia, hoc etiam nonnullus timor expreſſit. Nam tunc nihil de futura Dauidis dignitate ſuſpicabatur Ionathas, nunc autem maxime: ideo in omnem euentum voluit illi ſe ſuoſque commendare, veritus humanitus ne Dauid alienam inimici, atque æmuli familiam deleturus eſſet, ſiue puniendi cauſa admiſſas in ſe iniurias, ſiue imperii in propria familia ſtabiliendi.

LXIII. *Alterum Ionathæ fœdus cum Dauide.*

Foedvs porro hoc rebus ipſis firmatum fuiſſe, Scriptura ex parte teſtatur, cum ait, requiſiſſe Dominum de manu inimicorum Dauid, quaſi dicat quod prædixit Ionathas de inimicis Dauid diuinitus exterminandis, id cumulate perfectum eſt, & ſtabilita eſt domus eius; ſed & domus Ionathæ à Dauide conſeruata eſt, [e] etiam eo tempore, quo Deus familiam Saulis exterminatam volebat. Firmatum autẽ etiam ceremonia diuiſi animalis, & tranſitu fœderatorũ per diuiſionem putat Abulenſis, [f] eamq; maxime ob cauſam ab vtroque proditum foras, idque fieri veri ſimile ex parte Ionathæ, qui metu aliquo impellente

LXIV. *An firmatum ceremonia ſolenni.*

[e] 2. Reg. 21. 7.
[f] q. 24. in c. 20.

ad indicandam iter agentibus viam. Mercurios ethnici vocabant, & Vatab. lapidē hic mercurialem intelligi putat. Sed eam opinionem recte confutat Abul.[a] primū quia hunc lapidē magnum eſſe oportuit, inſtar rupis in qua eſſet antrum aliquod, in quo homo facile lateret, vt ait Theod. q. 50. illi autē mercuriales lapides magni non erant, ſingulares ſcilicet lapides, cippus, ſtatua, columella, non à natura, ſed ab humana manu poſiti. Deinde quia huiuſmodi lapides in triuiis eriguntur, incommodiſſimo ad latendum loco; latebræ enim requirunt ſolitarium locum, & ab hominum frequentia ſecluſum. Sedere autem ad mercurialem lapidem, fuiſſet velle omnibus innoteſcere. In hoc ipſo porro loco putat Caietan. iam iterum Dauidem ſe abdidiſſe, quando primum Saul patefecit conſilium Ionathæ, reliquiſque domeſticis, de interficiendo Dauide.[b] Erat enim hic locus iuxta Gabaa, vbi rex habitabat, & Dauid cum eo.

non fuiſſe viatorium, aut Mercurium.

[a] q. 25. in c. 20.
[b] c. 19. v. 2.

LXIX. *Erat exiturus Ionath. cum puero, & ſagittis*

IONATHAS itaque ait ſe, intellecta Saulis mente, proditurum in agrum, in quo erat ſaxum illud; cum puero & ſagittis, quaſi cauſa exercendi ſeſe ad ſignum: fuiſſet enim alioqui ſuſpectus, poſt domeſticam rixam cum patre, ſi exiſſet ſolus. Nec decebat regis filium ſine vllo plane exire comitatu; quem tamen futurum cum Dauide colloquium reſpuebat; nec poterat commode remitti in vrbem ſicut puer. *Mittam quoque*, inquit, *puerum dicens ei, vade & affer mihi ſagittas; ſi dixero puero, ecce ſagittæ intra te ſunt, tolle eas*, id autem facturus erat permittendo, vt longius abiret puer, antequam ſagittam mitteret Ionathas, & tunc ſagittam mitteret, quæ ad ipſum non perueniret puerum. *Tu*, inquit, *veni ad me, quia pax tibi eſt, & nihil eſt mali, viuit Dominus: ſi autem ſic locutus fuero puero, ecce ſagittæ vltra te ſunt, vade in pace, quia dimiſit te Dominus.* Qui ſcilicet dirigit vias tuas, vult vt diſcedas, nec reuertaris ad patrem meum. Non mittebat autem Ionathas ſagittas citra, vel vltra ſaxum, ne puer pergens vltra ſaxum videret Dauidem, qui ibi arrectis auribus amici voces captabat, & regi viſa referret.

LXX. *Et quam ob cauſam.*

SVPERFLVA porro videatur hæc ænigmatica per ſagittas locutio, cum nihilominus Dauidem Ionathas eſſet allocuturus, eique rem totam nunciaturus. Non fuit tamen ſuperflua, per eam enim prouiſum eſt in omnem euentum neceſſitati, ſi aut vltro ingerentibus ſe amicis, aut caſu ſuperuenientibus, non poſſet Ionathas ad Dauidis abituri conſpectum, ac complexum venire. *Nonnulli dicunt*, ait Theodoretus,[c] *propter famulum, qui erat ſimul cum eis, ſignificatas inſidias per iacula, ne cognoſceret quæ ſignificabantur, ſed erat ei facile ad eum ſolum accedere*; ita quidem ſi ſuſpiciones negligere ſtatuiſſet, quod minime conueniebat. Pergit, *habet ergo alium ſcopum id quod factum eſt. Ne enim eſſet perſpicuum eum indicare amico cædis ſpirantem patris animum, ſagittandi ſimulat exercitationem, & verbis ſuis ad famulum ænigmaticè Dauidi ſignificabat fugam.* Recte quidem, ſed quia hoc ænigma puero ignotū eſſe oportebat, etiam propter puerum ſagittas emiſſas dicendum eſt, quod Abulenſi[d] quoque viſum eſt, & Procopio.

[c] q. 50.
[d] q. 27 in c. 20.

LXXI. *Renouat memoriam fœderis.*

EXTREMO denique ſermone renouat Ionathas memoriam initi pacti. *De verbo autem*[e] *quod locuti ſumus ego & tu, ſit Dominus inter me & te vſque in ſempiternum*; teſtis ſcilicet & firmator fœderis, quia nemo alius teſtis eſſe potuit; renouat autem memoriam, veritus, ne forte cum vltra videre non poſſet, & cum eo colloqui, propter interpellatores, & arbitros, à quibus periculum vtrique creari poſſet. Abſconditus eſt ergo Dauid in agro ſtatim à finito cum Ionatha colloquio, vt ſupra[f] ſignificatum eſt, ibique manſit reliquo die, qui præit calendas, totumq; diem calendarum, & poſtridie eius diei, ſed an ieiunus? an potius, quia ipſemet fecerat mentionem abſconſionis ſuæ,[g] vſque ad veſperam diei tertiæ, aliquid ſecum ex vrbe detulit cibi; ne ad vicina loca cibi cauſa adire cogeretur, remque omnem ſuam, propter inſolentiam quærendi cibi, ſuſpectam redderet. Ita ſentit Abulenſ.[h] & cum eo Serarius. Quidam ſuſpicati ſunt eum in ſpelunca diuinitus enutritum, vt Eliam Achabi tempore,[i] ſed ad miracula citra neceſſitatem recurrendum non eſt.

David abſconditur.

[e] c. 20. v. 3.
[f] nu. 67.
[g] c. 20. v. 5.
[h] q. 26 in c. 20.
[i] 3. Reg. c. 17.

LXXII. *Cōtemplatio Dauidis in ſpelunca.*

LIBET tamen tecum, religioſè lector, rurſum adire animo petram Ezel, & illā ſubire ſpeluncam, atque illum videre lapidem, ſupra quem ſedebat innocentiſſimus iuuenis; adeamus, non timebit oculos noſtros, nihil illi periculi à nobis; aut ſi ſatius videtur, ne turbemus eius quietem, reſiſtamus ad ſpeluncæ fores, &

COLLOQVIVM IONATHÆ CVM DAVIDE.

quaſi per tranſennam contemplemur athletam Domini Dauidem, in ſpeluncam, quaſi in carcerem coniectum, cui crimen, ac culpa ſit, hoſtem immaniſſimum, ſine vllo cuiuſquam damno, perculiſſe, ac proſtratum capite trũcaſſe. Audiamus ingemiſcentem teterrimi ſe hoſtis loco haberi, quia prudenter, conſtanterque mandata ſui regis obierit, pericula contempſerit, hoſtem ſubinde fortiter feliciterque profligarit. Vide tribunum illum militarem, nunc inter millenos ſuos propenſioribus omnium ſtudiis vtentem, & feruido belli deſiderio exultantem; nunc in confertis hoſtium turmis graſſantem, & in multa cædo ac ſanguine impune volitantem, nunc ignominioſam pudendamque hoſti prædam glorioſè reuehentem. Eundem iam vide deſertis in locis ſolitarium, & generum regis ritu paſtoritio ſolum pro lecto, ſaxum pro ceruicali, vt ille quondam patriarcha,[a] ſpeluncam pro tecto, atque tentorio habentem.

LXXIII. *Quid ibi ageret, & quæ eius cura.*

ATTENDE obſecro quas ille curas tres ipſas noctes, totidemque ferme dies animo æger verſarit, reputans quem tandem finem habitura eſſent hæc ſuarum rerum diſcrimina; ſi forte Saulis gratia deſperata ſit, quo ſibi confugiendum ſit; cui neque vſquam toto in regno, ab improbi principis, atque ingrati furore tutum eſſe liceat; neque apud hoſtes, de quibus ſit peſſime meritus, libeat, aut liceat commorari. Quid patri ac matri? erant enim adhuc vterque in viuis, vt ex ſequentibus conſtat[b] quid fratribus, totique familiæ futurum ſit, in quos tempeſtas, quæ Dauidem perſequitur, videtur redundatura; quid dilectæ, ac bene de ſe meritæ vxori euenturum; quomodo eius beneuolentiæ reſpondere poſſit, quomodo eiuſdem honori, atque incolumitati prouidere. Quid auxilij, aut præſidij ab amico Ionatha, quid ab Achimelecho pontifice, quid a Samuele propheta, quid ab amantiſſimis commilitonibus expectari poſſit: num quiſquam, excepto Ionatha, exulis amicitiam, regis gratiæ, & proprio periculo antelaturus videatur. Inde autem conuerſus ad Dominum, pernoctabat in oratione Dei, Pſalmos meditabatur, quos deinde per otium ſcriberet; eiuſque prouidentiæ, ſe ſuaque omnia, ingenti fiducia committebat; non dubitans imminentibus tenebris ſuperuenturam lucem, & collatam ſibi diuinitus à ſanctiſſimo propheta inunctionem, minimè inanem, atq. irritam fore.

[a] Gen. 28. 11.

[b] 1. Reg 22. 3.

LXXIV. *Conuiuium Saulis in calendis.*

HACTENVS cum Dauide, redeamus in vrbẽ, *venerunt calendæ*, ſacrificiis ſolẽnib. placatus, ac propitius factus eſt Dominus,[c] vis ingens hoſtiarum pacificarũ oblata eſt Domino, tubæ perſonant, læta conuiuia agitantur, argenteæ tubæ, ſuper holocauſta & victimas increpuerunt: mitior forte factus fuerit, vel inter epulas Saul, & inter amicos, honoratoſque conuiuas omnium offenſarum memoria ſopietur. *Sedit Rex ad comedendum panem. Cumq. ſediſſet rex ſuper cathedram ſuam ſecundum conſuetudinẽ, quæ erat iuxta parietem ſurrexit* Ionathas, *& ſedit Abner ex latere Saul.* Apparet regiam menſam fuiſſe longiorem, in cuius capite verſus parietem ſedebat rex ſolus, inde ad eius dexteram Ianathas, vt ait Ioſephus. Et deinceps cęteri eius fratres, ac ſorores. Ad ſiniſtram autem iuxta eũdem primo loco ſederet Abner princeps militiæ, vir grauis annis & patruelis regis; tum Dauid gener regis, ætate iunior, & reliqui deinde viri principes ordine ſuo. Superueniente autem aliquanto tardius Abnere, aſſurrexit honoris cauſa Ionatuas moxque reſedit, nec mutandi cum eo loci vlla idonea cauſa apparet, licet aliter nonnullis viſum, ſicut nec præponendi omnib. Dauidem, nec regis primogenitum ab rege ſeiungendi, & quẽpiam illi præferendi. Nec apprehenſa à Saule lancea ſatis arguit Ionathan à patre longius abfuiſſe, aut ſi quod fuit vacuum interuallum, vt ratio exigit, aliquem fuiſſe intermedium. Arripuiſſe enim dicitur, non vibraſſe, & contingit admouere capulo enſis manum, nec tamen ſtringere.

[c] Num. 28. 11.

Ordo conuiuarum.

LXXV. *Vacuus Dauidis locus bis apparet.*

VACVVS autem *apparuit locus Dauid. Et non eſt locutus Saul quidquam in die illa calendarum. Cogitabat enim, quod forte eueniſſet ei vt non eſſet mundus, nec purificatus.* Facile enim erat Hebræis legalem aliquam immunditiam contrahere, verbi cauſa contactu cadaueris, aut alicuius rei immundę tunc enim ciborum ſanctificatorũ Iudæus particeps eſſe non poterat, puta victimarum pacificarum, ſed immundus erat vſq. ad veſperam, & certis quibuſdam ritibus purificandus erat. *Cumq. illuxiſſet dies ſecunda poſt calendas. rurſus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitque Saul ad* Ionathan *filium ſuum. Cur non venit filius Iſai, nec heri, nec hodie ad veſcendum?* Contemptim, &

a c.20.v.17. 30.31. c.22 & 8.12. b ca 25.10. c 3.Reg 12. 16. d 2.reg.20. 1. e hom. de Saul & Dauide.

cum ſtomacho vocat Saul Dauidem filium Iſai, & aliquanto poſt ſemel iterúmque; [a] & rurſum in ſequentibus ſæpius, Ita Nabal, [b] *Quis eſt*, inquit, *Dauid, & quis eſt filius Iſai?* Et qui à Roboamo deficiebant, [c] *Quæ nobis* inquiebant *pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai?* quæ ipſa verba prius vſurpauerat Seba, [d] cum populum à Dauide, mortuo Abſalone, diſtraxit. *Plerique inimicos ſuos*, ait ſanctus Chryſoſt. [e] *ne nudis quidem, ac ſimplicibus nominibus appellare ſuſtinent; ſed aliis vocabulis accuſationem habentibus nominant. Et ſic ipſe Saul iuſtum hunc ob vehemens odium non ſuſtinuit proprio vocabulo nominare*: Sed cum aliquando feſtum quoddam celebraretur, requirens eum dicebat, vbi eſt filius Ieſſe? ſic autem appellauit eum partim odio proprij nominis, partium genitoris humilitatem notans; ſperans fore vt hoc pacto iuſti fama contaminaretur. Haud intelligens hominem nobilem, illuſtremque reddi ſolere, non progenitorum claritate, ſed animi virtute. At non itidem fecit beatus Dauid: neque enim patris cognomento vocauit illum: quamquam is quoque fuit admodum humilis & contemptus; neque nudo, ſimplici que nomine deſignauit, *ſed titulo dignitatis, & principatus*. Ita Chryſoſt. Eodem ſpiritu inimici Domini quærebant [f] *vbi eſt ille?*

f Ioan.7.11.

LXXVI. *Cur Saul expectarit Dauidem.*

MIRATVR porro Caietanus hoc loco quomodo Saul expectauerit Dauidem ad menſam ſuam, quem ipſe tot modis à ſe expuliſſet. Et reſpondet de Saule facile credi poſſe, quod excæcabat eum iniquitas ſua, vt non aduerteret geſta ſua perueniſſe ad notitiam Dauidis, aut cum illa tanquam hoſtilia reputaſſe non crederet. Nec minus mirandum quod Dauid & Ionathas ſibi perſuaſerint Dauidem petitum iri à rege. An ipſi quoque eam regis cæcitatem exploratam habuerunt? Verum hanc admirationem ſuſtulit inſerta ſuperius reconciliatio; [g] Interrogauit autem Saul Ionathan de Dauide præ cæteris, quod mutuam eorum amicitiam non ignorabat, quam & mox illi exprobrat. Amici autem amicos volunt conſcios eſſe arcanorum ſuorum, ſiue ad conſolationem, ſiue ad conſilium, ſiue ad teſtimonium confidentiæ erga illos ſuæ. Hinc illa Chriſti Domini vox, [h] *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo nota feci vobis.*

g N. 41. & 42.

h Io.c.15.15 c.20. 28.

LXXVII. *Eum excuſat Ionath.*

RESPONDITQVE *Ionathas Sauli, Rogauit me obnixe, vt iret in Bethlehem, & ait, dimitte me, quoniam ſacrificium ſolenne eſt in ciuitate; vnus de fratribus meis accerſiuit me. Nunc ergo ſi inueni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. Ob hanc cauſam non venit ad menſam regis.* His addit Ioſephus: *Quin etiam me*, inquit Ionathas, *ad hoc epulam inuitauit; & ſi tibi idem videtur, ibo. Noſti enim quanta beneuolentia hominem proſequar.* Frigidè ſanè, atque imprudenter. Quomodo enim iam ſub menſam ſecundo die paratum ſe offert ad eundem ad epulum Bethlehemiticum iam peractum, vnus quippe dies ſolennis erat, ac feſtus, licet Rex ſecundo etiam die epulas inſtaurarit: aut quomodo ſuam beneuolentiam profitetur, quam patri odioſam merito iamdudum poterat ſuſpicari, ſicut propemodũ exploratum habebat odium eius in Dauidem? Quem etiam nunc filium Iſai, non placido vtique animo, aut vultu ab eo dici audiebat? Neque vero amicitiam ſuam prodebat Ionathas cum dicentem referret, *ſi inueni gratiam in oculis tuis*: huiuſmodi enim phraſis etiam citra amicitiam vſurpatur, vt cum Abraham ignoto hoſpiti dixit, *ſi inueni gratiam in oculis tuis.* [i]

i Gen.c.18. 3. k 1.Reg. 22. v.30.

LXXVIII *Iraſcitur in eum Saul, & contumelia afficit.*

IRATVS *autem Saul aduerſum Ionathan dixit ei*, [k] *fili mulieris virum vltro rapientis, nũquid ignoro quia diligis filiũ Iſai, in confuſionem tuã, & ignominioſæ matris tuæ?* Mulierẽ virum vltro rapientem quidam rebellem explicant, vel peruerſam, vt Vatablus, alij peruerſæ rebellionis, vt Pagninus. Alij clarius, adulteram, & procacem, vt Lyranus, Caietanus & Ioſeph. Septuag. vocant υἱὸν κορασίων αὐτομολούντων, filium puellarũ ſponte venientium, ſiue vltro ad nequitiam ſe offerentium, vnius ſcilicet ex talibus, itaque eadem ſemper eſt ſententia. Pineda in libro de Salomone [l] ait, ſignificari matrem Ionathæ ſe prius Saüli expoſuiſſe, antequam acciperetur in vxorem, à qua poſtea genuerit Ionathan. Conuitium eſt de triuio ſumptum, & fece populi: maledictum hominis irati, hominis pridem pene aguſonis, ac bubulci, [m] & nunc neq. ſuæ dignitatis, neq. filij ſatis memoris: cui exprobrat ſuã cum Dauide amicitiã, in contẽptũ paternæ beneuolentiæ, à quo propterea nec filius dici debeat, neq. æſtimari, qui non ſit inimicus inimico patris, nec odio

l I.1.c.5.

m 1.Reg.9. 3.ca.11.5.

proſequatur, quem ille perditum cupit; in confuſionem ſuam, cui ille regnum erepturus ſit, & facturus de principe ſubditum, & in ordinem cum matre ſua redacturus. vnde ſubdit.

Omnibvs *enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, ne-*
LXXIX. *Dauidem occidendũ contendit.* *que regnum tuum.* Populi enim ſtudia ipſum in regnum euehent, in quo, vt ſtabiliat ſe, ac domum ſuam, te de regno, iure tibi debito, primum deturbatum, fortuniſque omnibus euerſum morti tradet; ne regni æmulum, atque inſidiatorem, in perniciem ſuam fouere videatur. Ergo vice verſa vt ſtabiliaris tu, & regnum tuum, ille morti tradendus eſt; nec ſatis eſt inopem illum fieri, extorrem, fugitiuum, vbique gentium poteſt tibi eſſe formidini, vbique amicos inueniet iuuenis audaciſſimus. Conuenient ad eum omnes, qui erunt in anguſtiis conſtituti, [a] & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & fiet eorum princeps, & regnum vniuerſum à Dan vſque Berſabee late populabitur. [a] 1. Reg. 22. 2. Quid ſi ingenti aliquo facinore perpetrato, & reditu ad nos deſperato noſtris ſe hoſtibus addiderit, nonne excitabit incendium, quo ſimul omnes conflagremus? *Itaque iam nunc mitte, & adhuc eum ad me, quia filius mortis eſt.* Significat Ionathan in gratiam Dauidis officioſè mentitum, illumque non in Bethlehem excurriſſe ſacrificiorum cauſa, vnde iam poterat rediiſſe, ſed abſconditum apud Ionathan latere, vnde illum & regis, & parentis iuſſu, educere debeat, vt occidatur.

XXC. *Reſiſtit Ionathas.* Hic videlicet incaluit Ionathæ iracundia, amoris flabello incitata, reſpondens Sauli patri ſuo ait. *Quare morietur? Quid fecit.* Nolebat videlicet futura & incerta pericula, præſentibus malis iiſdemque certiſſimis amoliri. Nolebat innocentiſſimum iuuenem in deſperationem perſequendo adigi, ratus beneuolentia in officio, à quo ne latum quidem vnguem aliquando diſceſſerit, retinendum eſſe. Illum ſibi perfugium ad hoſtes, non ſolum integritate atque innocentia ſua, ſed egregiis etiam facinoribus præcluſiſſe. Barbarum eſſe, ac plane tyrannicum virum egregium, optimeque meritum de nobis, ne leui quidem obiecta culpa, morti velle tradere; cui maxima, & plurima in Rempub. merita grauium noxarum veniam debeant impetrare. Cum ergo Ionathas zelatus pro amico ea verba commotiore, vt videtur, animo, ac voce protuliſſet, patris furorem ſuſcitauit, iuxta illud, [b] *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem*, & alibi, *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam.* [b] Prou. 15. 1. c. 25. 15. Itaque excandeſcens *arripuit lanceam*, quam ſemper in promptu habebat, *vt percuteret eum.*

XXCI. *Saul arma corripit in ipſum:* Non *iam intra verba iram continens*, ait Ioſephus, [c] *Proripuit ſe, & nactus aliunde telum, impetum in filium fecit, perpetraſſetque impium facinus, ni intercurſu amicorum fuiſſet prohibitus; atque ita manifeſtè malignum, & infeſtum erga Dauidem animum, apud filiũ prodidit, cum minimum abfuerit, quin ſuis ipſum manibus propter illum perimeret.* [c] l. 5 c 14. Hebræam vocem quidam vertunt iaculatus eſt, alii iecit, aut proiecit. At Septuag. ἐπῆρε ſuſtulit, quibus Hieronymus in vulgata conſentit, Ioſeph. quoque ἁρπάσας τὸ δόρυ correpta lancea, vt eum non vibraſſe, ſed intentaſſe haſtam contra filium intelligamus, ſed rem etiam amplificans ait inſiluiſſe in ipſum ἀνεπήδησεν ἐπ' αὐτόν. Hæc ira c. 20. v. 7. prodidit infenſum Saulis in Dauidem animum; iuxta id quod ipſemet prædixerat loquendo Ionathæ, *ſi autem fuerit iratus, ſcito quia completa eſt malitia eius.* Itaque nunc *intellexit Ionathas, quod definitum eſſet à patre ſuo, vt interficeretur Dauid*: quod
qui agnoſcit ratum Saulis in Dauidem odiũ. ſcilicet Dauid, interuentu Ionathæ, ſcire cupiebat. Id autem perſpicuè intellexit hodie Ionathas, cum eum ad ſe Rex iuſſit adduci, vt interficeretur. Id enim non ſubitam iram prodit, qualis ex hoſte ſubitò conſpecto exiſtere ſolet, ſed odium inueteratum, quod tantum ſit, vt in ſibi cariſſimos etiam redundet. Exploratam ergo habet hoſtilem patris in Dauidem ſuum voluntatem.

XXCII. *Abit Ionathas iratus,* Svrrexit *ergo Ionathas à menſa in ira furoris*, quam patris odium, ac furor in amicum, & innocentem excitarat, *& non comedit in die calendarum ſecunda panem*, ſecundo menſis die ieiunus præ indignatione manſit. *Contriſtatus eſt enim ſuper Dauid, eo quod confudiſſet eum pater ſuus.* Vt qui non ſolum non probarat ſuam pro Dauide excuſationem, quam in gratiam Ionathæ diſſimu-
confuſus, lare debuerat, quaſi commentitiam cum conuitio repulerat: quæ erat ingens confuſio viro principi; moxque ad vnum verbum pro Dauidis innocentia,

nihil neque filium, neque tot clarorum virorum conſeſſum reueritus; nihil aut loco epulis, aut tempori lætitiæ deſtinato tribuens, in filium armatus inſurrexerat. Sic Rex Darius [a] cum amicum ſuum Danielem videret morti addictum; abiit in domum ſuum, *& dormiuit incœnatus, cibique non ſunt allati coram eo; inſuper & ſomnus receſſit ab eo. Primo autem diluculo conſurgens venit ad lacum leonum.* Hic & Ionathas pro amico ſuo mœſtus atque ſollicitus cibo ac ſomno caruit.

[a] Dan. 6. 19.

& ieiunus,

XXCIII. *Adit cum puero Dauidem.*

NOCTEM quippe inſomnem duxiſſe in tãto mœrore poſitum, quantum amantiſſimorum virorum diſtractio afferebat, facile intelligi poteſt. *Cum autem illuxiſſet mane* diei tertij menſis illius, *venit in agrum, iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo: Ac tum quidem* inquit Ioſephus *regius filius ex conuiuio exiliens, oblitus epularum, tum ſuum periculum, tum amici iam neci deſtinati vicem dolens, in mœrore noctem exegit, & prima luce ante vrbem in agrum, prætextu exercendi ſe, ſed reuera vt amico indicaret omnia, proceſſit.* Habuit autem puerulum tantum comitem, vt ſupra dictum eſt, vt eo mox dimiſſo, ſolus cum ſolo agere, eique ſupremum vale dicere poſſet. Nam propterea etiam bene mane venit illuc, non ignorans moram omnem, quamuis breuem, videri longiſſimam expectanti; & quo longiorem traheret, eo etiam Dauidi periculoſiorem fore. Sed iam ſerium ac luctuoſum Ionathæ ludum attendamus.

ἐκπηδήσας.

XXCIV. *Emittit ſagittas.*

AIT ergo Ionathas ad puerum ſuum. *Vade & affer mihi ſagittas, quas ego iacio*, & ſtatim excuſſo arcu vnã emiſit ad mediocrem diſtantiam. *Cumque puer cucurriſſet*, vt eam acciperet, iecit aliam ſagittam trans puerum. *Venit itaque puer ad locum iaculi* prioris, *quod miſerat Ionathas: & clamauit* Ionathas *poſt tergum pueri*, vt exaudiret Dauid, *ecce ibi eſt ſagitta porro vltra te.* altera ſcilicet quam miſi longe vltra te eſt. Abulenſis cum negatione legit, ecce ibi non eſt ſagitta, quod puer quæreret poſteriorem circa locum prioris, ſed ea negatio, neque neceſſaria eſt, neque in hebræis reperitur, græcíſve codicibus. Clamauitque iterum Ionathas poſt tergum pueri dicens, *feſtina velociter, ne ſteteris.* Non pertinebant hæc ad Dauidem, quem nolebat abire priuſquam ipſum eſſet allocutus; ſed ad puerum, quem nolebat huc illucque vagari, vel vltra ſaxum progredi, ne in Dauidem incideret. *Collegit autem puer Ionathæ ſagittas, & attulit ad Dominum ſuum; & quid ageretur penitus ignorabat; tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant*, videbat quidem mitti ſagittas, ſed veram cauſam ignorabat, putabat quippe exercitationis cauſa mitti, & non cuiuſquam admonendi. *Dedit ergo Ionathas arma ſua puero, & dixit ei, vade & defer in ciuitatem*: ne ille ſponte ad eum expectandum ſubſiſteret.

XXCV. *Quam ſuſpecta hæc Ionathæ actio.*

APPARET autem prudenter à Ionatha aſſumptum paruulum puerum minimè ſuſpicacem, quiq; nihil niſi pręſentia cogitaret. [b] Nam adoleſcentior aliquis poterat ſecreti aliquid ſuſpicari, cum videret Dominum ſuum ſolum abire cum ſagittis exercitationis, aut recreationis cauſa, cũ mos ſit ad huiuſmodi ludũ plures conuenire; videret abire longius vbi forte meta nulla erat, cum non deeſſent prope vrbẽ loca vtſit iſtiuſmodi exercitationi deſtinata, videret poſt duas, treſve ſagittas emiſſas, ludo finem imponi, qui multas horas detinere ſolet eos, qui huiuſmodi ludo capiuntur, aut peritiam aliquam acquirere ſtudent; videret deniq; non ſine ſuſpicione, remitti ſtatim in vrbem arcum, ac pharetram, ſolumque remanere Ionatham, eumque parum læta, atque explicata fronte; aliquid ſiniſtri ſuſpicaretur, & cunctaretur reuerti, ſi qua forte in re ipſius operam hero ſuo neceſſariam eſſe contingeret, & aliquanto longius ad truncum arboris latitans obſeruaret quid rei Ionathas moliretur, & videret quęcumque inter amicos gererentur, nec ea tacitus retineret. Iſte autem paruulus & venit, & cucurrit, & retulit ſagittas, & iuſſus ad vrbem rediit, nihil quicquam, inquirens, aut ratiocinans.

[b] Abul. q. 34. ſi.

XXCVI. *Colloquiũ amicorum.*

CVMQVE *abiiſſet puer*, quem etiam elatiore voce dimittebat, vt audiret Dauid, neque maturius prodiret, *ſurrexit Dauid de loco, qui vergebat ad auſtrum*, oppoſito ſcilicet ei, in quo ſagittas emiſerat, qui reſpiciebat aquilonem, vt ait Abul. & Vatabl. *& cadens pronus in terram adorauit tertio*; filium regis, maiorem natu amicum, & vitæ ſuæ conſeruatorem. Meliore vtique iure quam olim Iacob [c] qui venientem Eſau progrediens adorauit pronus in terram ſepties, do-

[c] Geneſ. 33. 3.

Dauidis humilitas, & in amicum reuerentia.

nec appropinquaret frater eius. *Ablegato in vrbem comite puero*, inquit Ioſephus, [a] *ſolitudinem nactus, ad colloquium Dauidis properat, qui vt primum in conſpectum eſt datus, procumbens ad eius pedes ſeruatorem ſuum ſalutauit.* Et quidem tertiò procumbens, iuxta ritum quorundam populorum reges ſuos honorantium, ſed eum, morem in Italia tum inuſitatum Ioſephus omiſit; niſi forte voluit Dauidis ſui dignitati conſulere: neque eum nimium apud filium regis abiicere, qui eſſet ipſo & genere melior, & rebus geſtis nihilo inferior, & regia inunctione præſtantior. Sed Dauid iſtorum oblitus præſentem rerum ſtatum intuebatur: & illud non ignorabat, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* [b] reliquam valedictionem ſcriptor idem ita pertexit.

a l. 6. ca. 14. *b Eccli. 3. 20.*

XXCVII. *Vtriuſque mœror, & lachrymæ.*

ILLE *erectum à terra complectitur, atque ita æquales duo, in mutuis amplexibus herentes, iniquam ſortem ſuam deplorabant, quæ illis ſuauiſsimam conſuetudinem inuideret, & intimiſsimos à ſe inuicem diſtraheret, quod illis morte nihilo mitius videbatur: ac vix tandem multis lamentis exſatiati, obteſtatique ſe inuicem, vt mutuæ fidei perpetuo meminiſſent, digrediuntur.* Æquales Ioſephus non vocauit, ſed Gelenius, neque enim aut ætate æquales erant, aut fortuna: etſi beneuolentia, virtuteque non diſpares. Verum amicitia, vt iam ſupra dicebamus, aut æquales inuenit, aut facit. Sed hanc in digreſſu ſalutationem, & ſingularis amicitiæ conteſtationem, ex ipſa Scriptura par eſt audire. *Et oſculantes ſe alterutrum, fleuerunt pariter, Dauid autem amplius*, [c] *Dixit ergo Ionathas ad Dauid. Vade in pace, quæcunque iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus ſit inter me & te, & inter ſemen meum, & ſemen tuum, vſque in ſempiternum.* Firma ſcilicet maneant, & inuiolata ſubſiſtant. Deficiens ac decurtata oratio, præſenti animorum commotioni valde congruit. Imo & Dauidis ſilentium, non patrem aut matrem, non fratres aut neceſſarios ſuos, non vxorem dilectiſſimam, non ſeipſum denique principi Ionathæ commendantis. Atrox animi dolor os oppreſſerat optimo iuueni, ſed pro eo amor vehementiſſimus, omnia in corde Ionathæ copioſè loquebatur; & ille viciſſim tacitus operam omnẽ ſuam amico, familiæ, amiciſque eius prolixè deferebat.

c cap. 20. 41.

Dauid non commendat Ionathæ ſuos.

XXCVIII. *Et quæ vtrique doloris cauſæ.*

PLENA vtique gemituum fuit & lacrymarum iſta amantiſſimorum hominum tam inuita diſtractio, quorum Ionathas iam à principio coaleſcentis amicitiæ, *diligebat Dauidem quaſi animam ſuam*, [d] Dauid autem ea in Ionathan amoris conſtantia ac teneritudine ferebatur, qua mater [e] ergo vnicũ filium ſuum. Inuita vtique diſtractio, & inimiciſſima mutuæ charitati, quæ illi primarium mutuæ conſuetudinis fructum eripit ac diſcerpit. Acerba Ionathæ, qui lectiſſimum iuuenẽ, bellatorẽ egregium, armorum ſocium ac commilitonẽ, amittebat; luctuoſa Dauidi qui regium iuuenem ſibi addictiſſimum, qui principum iuuentutis, qui armorum ducem, qui patronũ ac protectorem, cui ſalutem atque animam ipſam acceptam ferebat, eripi ſibi lugebat. Acerba Ionathæ, qui dilectæ ſororis coniugem, qui virum, quo nihil eſſet amabilius, virum ad omnia ſumma natum, virum denique ſui amantiſſimũ, à ſuo complexu auelli lamentabatur. Luctuoſiſſima atque acerbiſſima Dauidi, qui ſuper non diſparem amici omnium fideliſſimi, præſtantiſſimique iacturam, vtrumque parentem, ſeptem fratrs, omnes neceſſarios, vxorem dilectiſſimam, patriam, fortunáſque omnes, indigno, atque infelici exilio commutabat.

d 1. Reg. 18. 3. *e 2. Reg. 1. 26.*

Plures in Dauide.

XXCIX. *Et luctus maior.*

VT non ſine cauſa Scriptura præſenti in luctu Dauidi potiora tribuerit, *Fleuerunt pariter*, inquit, *Dauid autem amplius.* Nimirum indulſit etiam magis affectui ſuo Dauid, idque erat ætati congruentius. Continebat ſe Ionathas vehementius, qui & ætate ſuperabat, & partes conſolatoris gerebat, & vnicam patiebatur iacturam. Dauid autem præter illum malorum aceruum, quem ſupra memorauimus ſe præpotenti regi factum infeſtiſſimum, & ſupra quam dici poteſt inuiſum cernebat; nullibi vt tuto poſſet conſiſtere; cum grauiſſimis deinceps periculis, caſibuſque dies noctéſque luctaturus, animamque ſuam, in manibus ſuis ſemper habiturus. Quin & illud par amicorum præſtantiſſimum, non leuiter affligebat, quod permodice ſimul lugere licuit; vrgebant enim diſceſſum atrox neceſſitas periculi euitandi, & moleſtis ab interpellatoribus timor; quo referri etiam poſſet illud paulo ante inclamatum, *feſtina velociter, ne ſteteris. Surre,*

Et quare.

xit ergo Dauid, & abiit: Sed & Ionathas ingreſſus eſt ciuitatem.

XC. *Dauid in Nobe.*

a 1. Reg c. 21. v. 1. — b Iud 8 v. 11. — c q. 1. in c. 21 — d num 32 42.

Digressvs [a] Dauid à Ionatha *venit in Nobe, ad Achimelech ſacerdotem.* Hãc vrbem dubiam reddidit ſanctus Hieronymus in locis Hebraicis. *Nabe, ſiue Nobe* inquit, *ad quam aſcendit Gedeon*, [b] *vrbs ſacerdotibus ſeparata,, quam poſtea legimus furore Saulis ſubuerſam;* cum ergo conſtet Nobe ad quam aſcendit Gedeon fuiſſe trans Iordanam, conſequens eſt vt dicamus Dauidem trans Iordanem longius ab hoſte ſuo aufugiſſe. Idem ſentit Torniellus, Mariana & Abul. [c] qui eam volunt priu· dictam Canath, iuxta ea, quæ habentur Numer. [d] 32. eidem ſententiæ ſubſcribit Serarius noſter in 1. Regum: niſi quod non vnam, vt illi, Nobem agnoſcit, ſed duas. Probat autem Dauidem in remotiorem illam trans Iordanẽ ſe contuliſſe, ex eo quod Dauid apud Achimelechum dicat, ſe ab heri & nudius tertius egreſſum a rege: at non diſtabat bidui Nobe citerior à Gabaa Saulis, ſed quinque circiter harum itinere, iuxta topographiam Adrichomii.

XCI. *Gemina Nobe.*

[illegible] — e c. 32. n. 42. — Ro. [illegible] Baſ. [illegible] v. 32. — f 2. Eſd. 11. 32. — [illegible]

Rectivs nihilominus arbitror cum Adrichomio geminam conſtituere Nobem, alteram trans Iordanem aduentu Gedeonis nobilitatem, quam Abulenſis in tribu Manaſſe, ſicut & Torniellus, Adrichomius autem in tribu Gad collocauit, ea in Hebræo dicitur Nobach, quæ antea vocabatur Chanath, vt ſcribit Moſes in libro numer. [e] Septuag. ibidem tum Naboth, tum Naban appellant. Altera cis Iordanem ſita eſt, cuius meminit Eſaias cap. 10. eique vicinas facit Gabaa Saulis, & Anathoth Ieremiæ, & Rama, quæ ſunt in tribu Beniamin, idque perſpicuè traditur à Nehemia. [f] Et vtrobique in Hebræo textu dicitur Nob. ſicut & in hoc Regum loco, à Septuag. vero dicitur Nomba; & hanc certum eſt ex cap. 22 libri huius fuiſſe ſacerdotalem, & à Saule euerſam, non autem illam, cui non conuenit vicinam eſſe Hieroſolymis, & ex propinquo viuideri, quod affirmat in illum Eſaiæ locum Hieronymus. In hanc ergo vrbem tranſlatum fuit e Silo tabernaculum, [g] apud quod in ea Pontifex habitauit Achimelech, eademque mox Saulis furore deleta eſt, quod in ea Dauid à ſacerdote hoſpitio acceptus fuiſſet. Non fugit ſtatim longius, ſiue quod fame premebatur, ſiue quod inermis erat, vt in ſequentibus habetur, [h] & facilius eſt modicam conficientem viam ignorari, ac latere, quod maxime cupiebat Dauid, quam longinquam. Quod autem ſe ab rege ait egreſſum ab heri & nudius tertius, tam certum, aut verum fuit, quam à rege miſſum, & pueris condictum in illum, & illum locum, quæ ficta fuiſſe fatetur Abulenſis, [i] licet tres illos dies pro veris habeat.

In citeriore Pontifex. — *Cur non abierit ſtatim longius Dauid*

g ſupra an. m 2911 n. 7 Adric. n B[illegible] [illegible] Leuit. n 7 — h c 21. 7. — i q. 6. in ca. 21.

XCII. *Cur ad eum venit Dauid, non ad Samuelem.*

Apparet autem veniſſe in Nobe Dauidem propter Achimelechum ſummum ſacerdotem, vt is pro ſe Dominum conſuleret. Ipſum porro eam ob cauſam potius adiit quam Samuelem, ſibi ſtudioſiſſimum, ſiue quia hic paulo aberat longius, & oportebat quamprimum præſenti occurrere neceſſitati famis & armorum; ſiue quia cum iam Dauid ſemel eo confugiſſet, ibique fuiſſet inuentus, in promptu erat ſuſpicari Dauidem iterum ſe illuc proripuiſſe; & propter iteratam ipſius receptionem Samueli periculum aliquod creatum iri putabat. Quæ cum in Achimelecho non haberent locum, & is alioqui amicus eſſet Dauidis, & pro eo non ſemel conſuluiſſet Deum; illum ſibi exiſtimauit adeundum. Cæterum Hieron. in tradit. Hebraicis, vt alio quoque loco notauimus [k] ait hanc Achimelechum eundem eſſe cum Achia filio Achitobi, filii Phinees, filii Heli, idemque ſcribit Lyranus, nec repugnat Abul. [l]

k an 1. Saul. n. 8 — l q. 1. in c. 21. — m c. 2. v. 26.

XCIII. *Achimel. an idem cum Abiathare.*

Sed grauior nobis oritur ex Marci Euangelio difficultas, [m] vbi hæc hiſtoria dicitur ſub Abiatharę contigiſſe, qui filius fuit Achimelechi; ergo vel Achimelechus dictus fuit etiam Abiathar, vel mendoſa eſt Marci chronologia, quod dictu nefas eſt. S. Chryſoſt. [n] Euthymius, Barradius, & Ianſenius [o] exiſtimant Achimelechum dictum quoque fuiſſe Abiatharem, idemque nomen patri & filio fuiſſe; imo & filium tam Abiatharem quam Abimelechum dictum fuiſſe, vt colligi videtur ex 2. Reg. c. 8. [p] quod non improbat Emanuel Sa in illum Marci locum. Sed loco ſecundi regum tantiſper dilato, dum ad eum peruentum fuerit, nunc illa nobis vtrinſque reſponſio ſufficiat, quæ Serarii quoque eſt, Emanuelis Sa, & Barradii nominari potius à Marco filium, quam patrem pontificem, quia filius, qui tum aderat, mox occiſo per ſummum ſcelus à

n hom 40. in Math. Marc. 2 — o cap 57. concord. — p & 1 paral. 24. 3. 6. 31.

Saule parente factus eſt pontifex, intra eiuſdem anni circulum, eumque magiſtratum diutiſſimè geſſit, reliquo ſcilicet tempore Saulis, & omnibus diebus Dauidis. Addit Beda filium præ patre nominatim, quod fuiſſet eo præſtantior.

XCIV. *An ſolus venerit Dauid.*

Negotivm quoque faceſſunt interpretibus hoc loco ſocij Dauidis. *Obſtupuit,* enim *Achimelech, eò quod veniſſet Dauid;* Non fuit admirationis cauſa pontifici, quod apud ſe Dauidem videret; ſæpius enim viderat, cum pro eo Dominum conſuleret, ſaltem cum gladium Goliathi ad tabernaculum detulit dicandum Deo, ſed miratus eſt *ſolitudinem*, vnde ait. *Quare tu ſolus, & nullus eſt tecum?* In Hebræo habetur veniſſe Achimelechum in occurſum Dauidi, & contremuiſſe, quaſi præſaga mente ſiniſtri aliquid ominantem, aut certe formidantem. Septuaginta eiuſdem occurſus meminerunt, & admirationem pene ad exſtaſim vſque amplificāt Ioſephus, *ad Achimelechum*, inquit, *ſacerdotem peruenit, qui ſolum, neque famulitio ſtipatum, neque amicis comitatum aduenisse videns, motus admiratione tantæ ſolitudinis cauſam percontatus eſt.* Neque enim exiſtimaſſet vnquam generum regis, mille viris præpoſitum tribunum, virum omnibus dilectum; & multa ſemper militum manu ſtipatum, ſolum derepente, nullo præmiſſo aduentus ſui nuncio, ad ſe venturum. Et ſolitudinem videtur ſine vlla mioſi exprimere voluiſſe, cum non contentus dicere, *Quare tu ſolus*, etiam adiecit, *& nullus eſt tecum?* quod obſeruat etiam Abulenſis. [a]

XCV. *An cum ſocijs aliquot.*

Probabile nihilominus eſt Dauidem paucos aliquot, puta tres, quatuorve, ſocios ſecum habuiſſe; primùm, quia hoc ipſo in loco mox plurium tam à ſacerdote quam à Dauide fit mentio, deinde quia in Euāgelio apud Matthæū, [b] Marcum, & Lucam, aperta eſt mentio eorum qui erant cum Dauide, & de panibus propoſitionis comederunt cum ipſo. 3 quia, vt pleriſque interpretibus viſum eſt, verba illa pontificis auxeſim habent, recte admirationi conuenientē; eodemque modo vulgo dicimus neminem eſſe in foro, vel cum rege, quando perpauci ſunt, cum ſoleant eſſe quamplurimi. Denique facile fuit Dauidi à digreſſu Ionathæ aliquibus amicis & militibus ſuis occurrere, eoſque ſibi ſocios aſſumere. Et Sa ex eo quod Dauid petiit quinque panes, putat quatuor famulos cum Dauide fuiſſe, vt ſuum ſinguli panem haberent. Hanc ſententiam ſequuntur Caietanus, Lyranus, Dionyſius, Adrichomius, Emanuel Sa.

[a] q. 3. in c. 21.

[b] ca 12. 3. 4 cap 2. 26. cap. 6. 4.

XCVI. *Probabilius plane ſolū adiſſe pontificem.*

Probabilivs tamen eſt Dauidem ſine vllo plane comite ad Achimelechum veniſſe; ſocios habuiſſe alio in loco, quibus mox panes ſuos communicarit. Ita ſentit Maldon. in 12. Matth. Serarius in 1. Reg. Baradius, [c] Abulenſis, [d] quibus addi poteſt Hieron. in tradit. Ianſenius autem priorem quidem partem huius aſſertionis admittit, ſed in poſteriore fallitur, cum ait Dauidem officioſo mendacio ſocios ſe habere finxiſſe; de iis vero comitibus, quos ille ſe habere finxerat, Chriſtum in Euangelio eſſe locutum; verum Chriſtus non de fictis ſociis loquitur, ſed de veris, neque enim fictis ſociis dare potuit panes, aut illos ficti ſocij comedere: quod tamen vtrumque Chriſtus dominus de ſociis Dauidis affirmat: vt propterea Serarius dicat, hanc opinionem officioſum mendacium pene impingere Chriſto domino. Probatur autem hæc aſſertio tum ex verbis ipſius pontificis, quæ nihil eſt neceſſe in ſenſum trahere figuratum, tum ex rei præſentis ſtatu, & ratione fugæ, quam Dauid volebat eſſe cunctis occultiſſimam, & ne pontifici quidem ipſi notam, vt oſtendit diſſimulata eius oratio. Minus autem agnoſci poterat nunc Dauidis fuga ſi ſolus eſſet, quam ſi ſocios aliquot habuiſſet; inopinatum enim erat generum regis ſolum oberrare.

[c] to. 2. l. 6. c. 9 n 33.

[d] q 3 in c. 21 in fine.

1\. 2.

XCVII. *Refellitur prior opinio.*

Minime porro operoſum eſt iis rationibus ſatisfacere, quæ præſentes Dauidi ſocios tribuebant. Nam neque Pontifex, neque Dauid præſentes ſocios affirmant; & Dauid certum ſe eis locum aſſignaſſe ait, vbi eos eſſet inuenturus. Et Hieronymus in tradition. ait Dauidem ænigmaticè pluraliter de ſe ipſo reſpondiſſe. Nec vllo in loco Euangelij ſocij Dauidis præſentes Achimelecho fuiſſe dicuntur: & aliqui cum alio eſſe, ac proficiſci poſſunt diuerſis viis in vnum locum. Et exercitus cum Imperatore eſſe dicitur, licet non vno eodemque in oppido. Potuit autem manducare cum ipſis, poſtquam iterum iunctus eſt eis. Fauet etiam huic noſtræ ſententiæ, quod apud omnes Euangeliſtas de eo dicitur, *intrauit in domum Dei*, nuſquam intrauerunt, &

panes propoſitiones ſumpſit, non ſumpſerunt. Iuſtior autem eſt in hac ſententia pontificis admiratio, quam in ſuperiore. Neque committendum eſt, vt in expoſitione ſcripturæ ad figuratam locutionem, qualis eſt popularis illa de fori inanitate aut frequentia, ſine neceſſitate confugiamus, quam hic nullus oſtenderit. Illud autem poſtremum libenter admittimus, Dauidem in via offendiſſe, quos aſciſceret in ſocios, non tamen cum illis adiſſe pontificem, ſiue in domum Dei intraſſe.

vide Abul. q 6.

XCVIII. *Dauid fugam ſuam diſſimulat,*

Redeamvs autem ad Dauidem, qui diſſimulans fugam ſuam, & excuſans ſolitudinem, veritatem texit officioſo mendacio; veritus ne Achimelech re cognita, ſibi ſuiſque à Saule timens, nullam opem præſenti eius neceſſitati auderet afferre; aut illum fortaſſe comprehenſum furenti regi mactandum traderet, præſertim animaduerſo apud ſacerdotem Doëg Idumæo. *Rex præcepit mihi ſermonem*, inquit, *& dixit, Nemo rem ſciat propter quam miſſus es à me, & cuiuſmodi præcepta tibi dederim.* Recte probabilitatem ſeruat, cum ait quoddam ſibi negotium à rege commiſſum; Id enim alias à rege factum illa teſtantur. [a] *Egrediebatur Dauid ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe gerebat.* Eſt & in ſecreto probabilitas, *etenim ſacramentum regis abſcondere bonum eſt* angelo ipſo teſte. [b] De ſolitudine autem reſpondet, ſe condixiſſe in illum & illum locum, certum videlicet illis aſſignaſſe locum, quo ſe conferrent, & ſuum præſtolarentur aduentum; hoc autem verum erat, vt omnes fatentur præter Ianſenium, & merito quidem fatentur, ne euangelio derogetur fides. Non tamen verum fuit, quòd mox ſignificauit ſe cum ipſis à rege digreſſum; cum ſolus à congreſſu Ionathæ egreſſus fuerit.

& quam probabiliter.

a ca. 18 v. 5.

b Tob. 12. 7.

XCIX. *Petit à pontifice viaticum; & nominatim panes.*

ipſis ter.

Nvnc *ergo ſi quid habes ad manum vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inueneris.* Ioſephus ſtudioſus magnificentiæ, panum ſiue ſacrorum ſiue prophanorum meminiſſe noluit, ſed omnia viatici nomine obſcurauit, ſatius tamen erat fortaſſe Dauidi fugitiuo, & famelico miſericordiam conciliare, quam eius penuriam, pudore impeditum abſcondere; ſcriptura præſertim eam manifeſtante: Nec tamen negauerim alia quoque cibaria Dauidi à pontifice tradita, cum ea Dauid haud obſcure petiſſet; & parum credibile ſit in ampliſſima ſummi pontificis familia, nihil tum cibariorum repertum eſſe. Doëg quoque ſi nihil addidit de ſuo, cum rem ad Saulem detulit, [c] dixit pontificem cibaria dediſſe Dauid. Panum tamen, quod ſacri eſſent, peculiaris facta eſt mentio: & Saul in exprobratione ſua aduerſus Achimelechum, panum duntaxat meminit. Obſonia itaque dari potuerunt, quæ non efficiunt vt panes neceſſarij non fuerint, & quidam etiam ſancti, defectu profanorum ſiue laicorum, quoniam non ſola ſuprema neceſſitas, excuſabat ab illorum panum vſu, vt fuſius diſputat Abulenſis; [d] nec leuis cenſeri debet neceſſitas, ſi alioqui carnes, aut piſces ſoli comedendi ſunt.

c ca. 22. 10. 13.

d q 8. in ca. 21.

C. *Neceſſitas excuſat laicos vt panibus ſanctis participent.*

Respondens ſacerdos ad Dauid ait illi; *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus.* Satis apparet non fuiſſe expectandam laico, aut Leuitæ, (nam ne Leuitæ quidem panibus propoſitionis veſci communiter, & abſque neceſſitate poterant; ſed ſoli ſacerdotes, vt ait Chriſtus ipſe [e]) ſummam neceſſitatem; cum pontifex ne meminerit quidam neceſſitatis, ſed eam ſuppoſuerit; non imprudenter ille quidem, cum ſatis conſtaret talem virum animi gratia, aut ſuperbia, legiſque contemptu, panes à pontifice quaſi eleemoſynam non petere; ſuppoſuerit inquam, neque de ea quidquam rogarit, ſed tantum de requiſita corporum munditie ad veſcendum huiuſmodi panibus. Summam quoq. neceſſitatem excludit, quod Dauid, & ſocij eius diſcipulis Domini comparentur, ſpicas confricantibus, ac manducantibus, quos nemo dixerit ad huiuſmodi famis neceſſitatem perueniſſe. Cum ergo Dauid & Achimelech à Chriſto Domino in exemplum ſumantur [f], ſic vt Dauidi diſcipuli, Achimelech Chriſto reſpondeant, certe cum diſcipulos Chriſtus innocentes appellet, illos quoque reputat innocentes. Latet enim iſta conſecutio diſcipuli imitati ſunt Dauidem in ſimili neceſſitate, ergo ſunt innocentes, ac proinde male à Phariſæis reprehenduntur.

e Matth. 12. 4.

f Matth. 12. 7.

CI. *Etiam non maxima.*

Qvibvs poſitis ſatis apparet non magnam requiſitam fuiſſe neceſſitatem apud Iudæos, vt quis lege abſtinendi à ſanctis panibus ſolutus cenſeri poſſet. Non enim deerant tota in vrbe Nobe laici panes, qui à famulis pontificis perquiri poſſent, & dari Dauidi; neq. illum tanta vrgebat abeundi neceſſitas, vt tantulo tempore

expectare & diſceſſum differre non poſſet. Et tamen dati ſunt, & accepti panes iſti ſine culpa. Nihilominus Abulenſis, [a] alio ex capite neceſſitatem ducit quod ſcilicet neceſſario ei dandi erant ſancti panes; quia ipſe non audebat ad aliquem in vrbe diuertere, ne cognitus retineretur, ac periclitaretur; neque dum expectaret vt alij quærerētur panes, idem periculū ſatis vitaret, nec minus periculi in vicinis vrbibus timeretur. Iuſtam quoque cauſam habuit Achimelech dandi ſanctos panes Dauidi, ratus negotium quod rex Dauidi commiſerat, ſecretiſſimum eſſe; & vehementer vrgere: nec poſſe ſine aliqua euulgatione, aut retardatione & mora, aut domi confici, aut quæri alibi panes.

[a] q. 8. inc. 21.

CII. *Pontifex etiam immundis daturus erat panes propoſ.*

Reqvirit ergo ſacerdos vt tam Dauid, quā famuli aut comites comeſturi panes propoſitos in cōſpectu Domini, 12. quos propterea hebræi panes facierū appellabant, nullā immunditiā contraxiſſent; in primiſque à mulieribus, ſiue proprijs, ſiue alienis abſtinuiſſent. Quid ſi inquies, contigiſſet vt mundi non eſſent, quid facturus erat Achimelech? Reſpōdeo cum Abulenſi [b] etiam immundis daturum fuiſſe; Etſi enim gemina diſpēſatione opus fuiſſet, propter geminum impedimentum, quod & laici eſſent, & immundi; & vtrumque certa lege prohibitum, vtraque tamen lege ſoluebantur neceſſitate ſuperueniente, cui nulla poſitiua lex impoſita eſt. Itaque non ſolum ab vna lege, ſed à duabus etiam, atque adeo à pluribus pontifex diſpenſare potuiſſet: eo tamen maiorem neceſſitatem requireret, quo pluribus hominem legibus eſſet ſoluturus. Et reuera aliud quoque hic impedimentum tolli à ſacerdote oportebat, quod eos panes in loco ſancto non erant comeſturi. [c] Cum autem diſtinctionem immunditiarum proponit, innuit ſe ab iis eos poſſe ac velle reddere immunes, ſed ab vnis facilius, quam ab aliis.

12. χ. [b] q 13. inc. 21. [c] Leuit. 24. 9. Abul. q. 14.

CIII. *Cur maxime inquirit de immunditia cum mulieribus.*

Nominatim autē de immunditia ex congreſſu cū mulieribus inquirit pontifex, quamuis aliæ longe maiores reperiantur, puta lepræ, aut fluxus ſeminis, aut funebris contactus, quæ diutius, aut vehementius à participatione ſacrorum excludebant quoniam hic ſi illicita eſt congreſſio, tam animi, quam corpora redduntur immunda, cum priora illa, corpora ſola contaminent, animos non attingant: imo exornent aliquando, vt mortuo impenſa miſericorditer ſepultura. Si autem licita eſt, coniuncta nihilominus eſt cum fœditate concupiſcentiæ, quam peccatum originis in humanam generationem inuexit, quam agnoſcit, ac deplorat Dauid, & in argumentum obtinendæ à Deo miſericordiæ adducit, cum ait, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Quia tamen hæc immunditia communior erat inter homines, quamuis natura ſua multo maior eſſet quam cæteræ, minorem tamen excluſionem, atque inhabilitatem à participatione ſacrorum inducebat. Quod autem de pueris ſiue famulis Dauidis inquirit pontifex, idem de ipſo quoque Dauide intelligit; ſed ob eius reuerentiam ita loquebatur, Quod intelligens Dauid, de ſeipſo quoque reſpondet.

CIV. *Munditia Dauidis, & ſociorum.*

Eqvidem, *ſi de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vaſa puerorum ſancta.* Tres hi dies ab vrbe Saulis vſque ad Nobe computantur ab iis, qui eam vltra Iordanem collocant, in quibus Abulenſis, [d] vt ſupra diximus, [e] nos qui viciniorem eligimus Nobem, tres dies à calendis ipſis, in quibus primum latuit Dauid, computemus: quamquam nihil eſt neceſſe hos tres dies veros exiſtimare, à quibus digreſſus eſſet à rege; reuera autem tres minimum dies abierant, ex quo vxorem non viderat. Nec tamen à Dauide violatur probabilitas, nec pontifex mendacij Dauidem coarguere poterat, ex vicinitate Gabaa Saulis. Potuit enim exiſtimare Dauidem, eiuſdem negotij regij cauſa, alias quoq. vrbes adiiſſe, & ad ſe tertio ab egreſſu die perueniſſe. Vaſa porro corpora appellat, [f] de quorum mundicia, quam requirebat ſacerdos, ſatiſdari cupit fide atque affirmatione ſua. Addit autem *porro hæc via polluta eſt, ſed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis.* 13 Corpora munda fuiſſe ait, ſed ſi quid in triduano itinere maculæ contractum fuit, per infirmitatem humanæ naturæ, id purificatum iri in corporibus, quæ dies hoſce purè, ac caſtè tranſegerint.

[d] q. 16 inc. 21. [e] n. 90. 91. [f] vt Paul. 1. Cor. 4. v. 7. & 1. Theſſ. 4. v. 4. 13. χ.

CV. *Accipit panes, & quot.*

Dedit *ergo ei ſacerdos ſanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, niſi tantum panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.* Quot numero panes dederit non exprimitur; cum quinque petierit, ſublatique fuerint de menſa Domini de more duodecim, forte dimidium ei dederit, reliquos familiæ ſuæ re-

ſeruarit, eratque id onus non leue, iuxta ea quæ alibi diximus, [a] hinc autem intelligitur fuiſſe hunc diem ſabbati: in lege enim præceptum fuerat, [b] vt panum mutatio fieret die ſabbathi. Cæterum panes calidos interpretes paſſim interpretantur, recentes, pridie ſcilicet coctos. Abulenſis [c] tamen exiſtimat à proprietate vocabuli minimè recedendum; & reuera calidos fuiſſe poſitos, eodemque ipſo die ſabbathi coctos, paratoſque opera leuitarum: nec abſurdum eſſe facta in ſabbatho in Dei cultu, quæ eo die vulgò facere non licebat; nam ne ignem quidem in priuatis domibus licebat accendere, quod tamen ſacerdotes quotidie faciebãt in altari holocauſtorũ. Seruilia quoq. opera ſunt, animalia iugulare, excoriare, diſſecare, nec vulgo in ſabbatho permiſſa, quæ tamẽ eo ipſo die fiebant à ſacerdotibus in tabernaculi atrio: vt propterea dixerit Dominus, *ſacerdotes ſabbathis violare ſabbathum, & ſine crimine eſſe.* [d] Nimirum opera religioſa, non ſeruilia ſunt, quæ Dei cultui impenduntur. Hæc ille pluribus valde probabiliter; eamque expoſitionem illud confirmat, quod calidum ex hebræo, tam Septuaginta, quam Hieronymus in vulgata editione retinuerunt.

ſabbathi violatio quæ licita.

a an.m. 2544. nu. 445.
b Leuit. 24. v.8.
c q.17. in c. 21.
d Matt. 12. v.5.

CVI. *Doëg in tabernaculo.*

NOTATVR deinceps, quaſi per quandam parentheſim, caſu oblatum ingentis mali ſeminarium. *Erat enim*, vt ait Scriptura, *ibi vir quidam de ſeruis Saul in die illa, intus in tabernaculo Domini, & nomen eius Doeg Idumæus, potentiſſimus paſtorum Saul.* Dubium faciũt Doëchi genus Septuaginta interpretes, & cum iis Ioſephus, qui eum Syrum vocant, non Idumæum. An origine Syrus fuit, habitatione Idumæus, vt ait Vatablus. Alij malũt origine Idumęũ, (ſic enim hęc vox in ſcriptura vbiq. vſurpatur,) religione proſelytũ, ad Iudaicos ſcilicet ritus conuerſum, vt putãt Abulenſis, & Dionyſius. Sed dum dicitur fuiſſe intus in tabernaculo, videtur legendum, inquit Serarius, *tentus in tabernaculo*, vt hebræa, græca, & chaldæa indicant, & interpretes e quibus author Tradit. *In hebræo dicitur*, inquit, *obligatus in conſpectu Domini. Obligatus item Doech Idumæus erat voto, quo ſe obligauerat aliquot diebus in tabernaculo Domini immoraturum, & orationi vacaturum.* Theodoretus [e] quoque, *eſt ergo perſpicuum*, inquit, *quod Doech vexabatur ab aliquo dæmone, aut tenebatur aliquo morbo, & ea de cauſa diutius aſſidebat tabernaculo.* Idque collegit ex verbo hebræo Neazar, ſeu potius Neghezar, quod Septuag. in ſua verſione retinuerunt, & detentum ſignificat, interprete Aria, eſt enim עצר detinere, prohibere, remorari.

Et qua de cauſa.

e q. 53 in Reg
כעצר
ghatſar

CVII. *Paſtoribus regiis præpoſitus.*

POTENTISSIMVS dicitur paſtorum Saulis, id eſt iudicum, & præpoſitorum populo, ad differentiam Abner, qui princeps erat præpoſitorum exercitui, vt vult Lyranus ex hebræis: additque regem per eum iudicia reddidiſſe. Alij apud Abulenſ. explicant principem inter ſapientes, vel interpretes Saulis: quod violentum eſſe idem agnoſcit, cum Doëg videatur potius homo militaris ac ſæuus, vt cui rex cædem ſacerdotum mandarit, quam etiam crudeliter explerit. Eundem rabini aiunt fuiſſe armigerum Saulis, in montibus Gelboë. Rectius itaque idem Abulenſis, [f] Dionyſius, Pineda in ſuo Salomone præuio, [g] paſtoris nomen in natiua, & propria ſignificatione ſumunt, voluntque præpoſitum fuiſſe regiis paſtoribus, quorum erat non paruus numerus, cum reges hebræorum, ſicut eorum olim patres, greges aluerint, & plures ſub ſe magiſtros pecorum habuerint, quod officium, Pharao fratribus Ioſephi imponi voluit. [h] Et Rex Ozias dicitur habuiſſe pecora multa, tam in campeſtribus, quam in eremi vaſtitate, [i] Ezechias quoque habebat greges ouium & armentorum innumerabiles. [k] Idemque de Ioſia ſignificatur in expoſitione celeberrimi phaſe, quod ab eo decimo octauo regni ſui anno celebratum eſt. [l] Abſalom quoque greges ouium nutriebat. [m] Sed & exteri reges, vt de Meſa rege Moab tradunt ſacræ literæ. [n] Hanc expoſitionem ſecuti ſunt Septuag. apud quos legimus eum pauiſſe mulas Saul; & Ioſephus, qui eum vocat regiarum mularum curatorem.

f q.18. in c. 21.
g l.2.c.5 n. 1. & l.7.ca. 14.n.1.
h Geneſ. 47.v 6.
i 2. Paral. 26.10.
k 2.Par.32. 29.
l ca 35 v 7.
m 1.Reg.13. 25.
n 4 Reg. 3. 4.

CVIII. *Dauid arma quærit.*

PROVISVM iam erat cibo, ſed arma quoque neceſſaria erant Dauidi, Dixitque Achimelecho, *Si habes hic ad manum haſtam, aut gladium: quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum; ſermo enim regis vrgebat*, adeo videlicet, vt ne domum quidem adire permiſerit, ad ea ſumenda, ſed è veſtigio migrare iuſſerit. Nimirum perſeuerat in ſemel inſtituta fictione: ait enim poëta. [o]

——ſeruetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, ac ſibi conſtet.

o Horat. in arte.

Cur eſſet inermis. SED difficilius eſt veram inuenire cauſam. 14. Et certe vel hinc apparet Hebræos ſecum arma rarius circumtuliſſe; ex quo illud accidebat, vt ea non ſine ſuſpicione acciperent. Notat enim Abulenſis [a] Ionatham & Dauidem, quando exierunt in agrum conſilij capiendi gratia, plane inermes exiſſe, ne aliquò abire, longius, & peregre proficiſci putarentur: idque mox deferretur ad regem, cum is de Dauidis abſentia ſiſcitaretur. Eadem ſuſpicio prohibuit, ne Ionathas, cum venit ad lapidem Ezel, dimiſſurus Dauidem, arma ad eum detulerit; quod fingeret ſe recreationis cauſa exire: quod fictum putaretur, ſi ſecum arma deferret, multoque etiam vehementius ſi cũ abiſſet armatus, rediret inermis. Sed neq. per quemquam aliũ mittere poterat, cum latebrarũ Dauidis neminẽ omniũ conſcium eſſe vellet: Itaque neceſſe fuit tam egregium militem plane inermem, non ſine pudore, ac periculo iter facere, redeũdum erat ad fundam, & baculum, ſi res tuliſſet.

CIX. *Cur datus ei Goliathi gladius.* ET Sacerdos quidem Dauidi gratificari cupiebat; at cum non eſſet domi ſuæ, ſed in ſanctuario, non habebat ad manum gladium, aliquem aut haſtam. Neque enim in tabernaculo Domini habebantur vaſa belli, ſed vaſa diuini miniſterij, *non enim fas erat*, ait Procopius, *in tabernaculo Domini arma bellica reponere.* Dauid autem, qui ne tantillum quidam differre cupiebat diſceſſum ſuum, quod ſatis intelligeret non leue ſibi periculum ex mora creari, dari ſibi cupiebat arma in promptu poſita; ergo diuina prouidentia factum eſt, vt in tabernaculo eſſet gladius, qui quondam Goliathi fuerat, & quo ei Dauid ceruices fregerat, indeq. in gratiarum actionem, & rei geſtæ memoriam tabernaculo dederat, & Domino quaſi anathema conſecrarat. De illo itaque dixit Sacerdos Dauidi; *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quum percuſſiſti in valle terebinthi, eſt inuolutus pallio poſt Ephod, ſi iſtum vis tollere tolle: neque enim hic eſt alius, abſque eo*, aut ſi illo vti non placet, permitte me mittere domum; qui inde auferat, & deferat ad te. At Dauid, *non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum*, vulgò dicimus, *il n'a pas ſon pareil.*

CX. *Fuiſſe Deo conſecratum.* SVNT qui hic Dauidem in culpa eſſe velint, quod gladium conſecratum Deo, ad prophanum iterum vſum acceperit; contra illud Leuitici. [b] *Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino.* Itaque Lyranus arbitratur gladium illum non fuiſſe conſecratum Deo, ſed tantum ibi poſitum ad memoriam illius victoriæ à Deo datæ. Verum conſecratum Deo Ioſephus affirmat. [c] Pineda [d] quoque, & Abulenſ. [e] qui conſecratum probat, ex eo quod aut is erat adhuc Dauidis, aut non, ſi non erat Dauidis, donatus erat Deo, quod eſt eſſe illi conſecratum, neque enim aliter res laicorum Domino conſecrabantur, quam cum donabantur ſanctuario: ſi autem erat Dauidis, quomodo in loco ſacro conſeruabatur, & non in loco communi quaſi depoſitum?

Datum ob neceſſitatem. Cæterum ſicut vrgente neceſſitate licuit pontifici dare Dauidi propoſitionis panes Deo conſecratos, & Dauidi accipere, ita & gladium potuit ille ſine culpa dare, & iſte accipere; ipſa neceſſitate lege vtrumque ſoluente. Itaque nullam hac in re Sacerdos Dauidi religionem obiecit, *ſi vis* inquit *iſtum tollere, tolle.* Exiſtimat autem Toſtatus, ſumpſiſſe Dauidem ad tempus hunc gladium; mox autem, aliis armis acceptis, eundem ſanctuario reſtituiſſe.

CXI. *Abit è Nobe Dauid.* ACCEPTIS panibus, & gladio diſceſſit quamprimum Dauid è Nobe, tum Saulis metu, ne qua forte aura ad eum afflaretur de Dauide in Nobe conſpecto; ſtatimque mitteret militarem manum, quæ eum comprehenderet viuum, & ad ſe deduceret; aut ipſum e veſtigio trucidaret, ne quo modo elaberetur; tum etiam ne ſibi non ſatis conſtare videretur, qui tantam feſtinationem antea præ ſe tuliſſet, ſi acceptis panibus & gladio tantillum cunctaretur. *Surrexit itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis regem Geth.* [f] Audaci ſane conſilio, qui ſæpe prudentiæ nomine in ſcriptura commendatur, audaci inquam conſilio, ſiue

Et venit ad Achis. Non inconſulto Deo. P[illegible]cogites, hoſtem Iſraëlitarum infenſiſſimum; ſiue Gethæum Dauidi peculiariter inimicum, à quo Gethæus ille Goliath gentis ſuæ decus, & gloria ignominioſe mactatus fuerat. Qui denique totam Philiſthæorum gentem crebris fatigauerat prælijs; Scyllam ergo adire, vitandæ Carybdis gratia, videbatur. Itaque exiſtimandum eſt hoc conſilium à Deo fuiſſe profectum, quandoquidem conſultum à Dauide per ſacerdotem conſtat; [g] & deinceps, non ſemel: ſed ita tamen, vt rem ſacerdos ipſe non intelligeret. Nimirum venit in mentem diuini-

[a] q. 19. & 20. in c. 21.
[b] ca. 27. 21.
[c] l. 6. c. 14. ἀρχαιολ.
[d] l. 1. de Salom. c. 3. nu. [illegible]
[e] q. 11. in c. 21. Leuit. 17.
[f] ca. 21. 10.
[g] ca. 22. 12. 13. & ca. 23. 10. 11.

a vide Abul q. 21.

tus Dauidi, vt ad Gethæos aufugeret. [a] cumque illi non plane conſtaret, hanc ei mẽtem diuinitus dari, conſuluit Dominum per Achimelechum, gratumne eſſet Deo ſuſceptum iter, & illudne fortunaturus eſſet, nec ne. Reſponditque Dominus, pergeret audacter quo intendebat; re ſemper apud Pontificem obſcura, atque ignota remanente, vt poſtea in eius morte intellectum eſt.

CXII. Prudenter adiuſſe Philiſthaos.

Avthore autem Deo ſuſceptum iter quis poſſit accuſare temeritatis? quis non prudentiæ plenum fateatur? Deinde cum ſtatuiſſet ibi ad aliquod tempus ignotus degere, tanto id futurum erat tectius, ac tutius, quo magis præter omnem Philiſthæorum, atque Iſraelitarum opinionem, eiuſmodi fuga atque exilium parabatur. Facile autem fuit ignotum eſſe, qui non niſi armatus viſus ab eis eſſet, aut paſtoritio veſtitus amictu. Nunc autem mutata erant in ipſo omnia, & de induſtria magis magiſque diſſimulabantur. Deinde prudenter neceſſitati paretur. At nuſquam tuto illi eſſe licuit, viuo Saule, in toto ipſius regno, propter ardentiſſimum eius comprehendendi deſiderium; adeoque incenſum, vt ſe illum ad terræ vſque viſcera perſcrutaturum iactaret. [b] Egrediendum itaque fuit è tota Iſraelitarum regione. Eo autem poſito, Dauid tutius erat apud hoſtes, quam apud fœderatos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, qui ne pacem cum Saule initam violarent, facile Dauidem in manus Saulis traderẽt, ne eius in ſe arma, magno ſuo damno, conuerterent: quod in Philiſthæis locum habere non poterat, qui Dauidem potius, ſi illum Sauli inimicum cognoſcerent, læti ſuſciperent, vt illum tali bellatore priuarent, atque adeo in eius perniciem & ſuam vtilitatem tuto armare poſſent.[c]

b c. 23 v. 23.

c vide Abul q. 22. & ſeqq.

CXIII. Satis ſit dubiis.

Iacent itaque accuſationes illi aditi Philiſthæi, & Gethæi. Nam cum ignotus alicubi tutò eſſe optauerit, nullus erat aptior locus regione Philiſthæorum, nullus à ſuſpicione remotior; Philiſthæi quippe nunquam ſibi perſuaſiſſent Dauidem ſeipſorum permittere poteſtati; nec eum crederent Dauidem, qui Tribunus, regiuſque gener cum eſset, nuſquam niſi cum lecta militum manu progrederetur, cum viderent hominem hunc & ab armis, & à comitibus, & à viatico imparatum. Et reuera vt ſuſpectus fuerit apud Philiſthæos, cum dicerent, *nunquid non iste eſt Dauid* Rex *terræ?* reuera tamen cognitus non fuit: neque enim, quantumuis ſimulata inſania, abire permiſsus fuiſset. Gethæi vero mortem Goliathi luctu proſequi poterant, iniquo animo ferre non poterant, nec Dauidi peculiariter ſuccenſere, qui in illo ſingulari certamine nihil fraudis, nihil perfidiæ admiſiſset, ſed virtutem potius prodidiſset, quæ hoſti quoque amabilis eſt, atque admirabilis. Itaque ſi agnitus fuiſset à Gethæis, quod minime ſperabat, purgata diligenter opinione meditatæ proditionis, poterat ſummo in pretio apud ipſos haberi: vt poſtea contigit;[d] cum ad eundem regem iteratò transfugiſſet: quem etiam apparet à Dauide præ cæteris electum regibus, quod maiore quadam humanitate, & in aduenas facilitate præditus eſset, & afflictam virtutem miſericordia perſequeretur.

Gethæi non erant inimici Dauidis.

d c. 27.

CXIV. Veniſſe ſine comitatu, & quid eius factum ſociis.

Venit ergo Dauid ad Achis regem Geth, ſed ſoluſne, an cum aliquo comitatu? ſolus opinor cum Serario noſtro: in c. 21. 1. Reg. idque fuit aptius ad latendum ſub obſcuri, & egeni militis ſpecie: minimeque abſurdum arbitror exiſtimare ſocios illos Dauidis, intellectum eius conſilium, de Philiſthæis adeundis, minime probaſse, ſiue periculo ſuo, ſiue religione prohibitos: præſertim cum domi non haberent Saulem aliquem quem timerent, & tamen minore periculo ſe depulſuros ſperarent. Quin diſsuaſiſse potius, ac de ſententia deducere voluiſse reor, iis fere in medium adductis rationibus, quas paulo ante referebamus. Cumque eum cernerent firmius hærere in ſententia, vti decebat hominem cui de diuina voluntate conſtabat, quam vt ab ea deiici poſset, beneualere iuſsum dimiſerunt. Abit itaque ſolus Dauid, ſuam ab hominibus ſolitudinem, diuina præſentia, colloquiiſque conſolatur. Sed & illud pro ſua prudentia meditatur, quẽ ad Gethæum regem, quoniam iſtum hoſpitem cæteris Philiſthæorum ſatrapis ſeu regulis anteferebat, aditum ſibi paraturus eſset.

CXV. Inſinuat ſe in regiam.

Minime enim credibile eſt temere Dauidem in regiam domum irruiſse, nullo vtentem deprecatore, & quaſi paranympho. Adiiſse potius aliquem de optimatibus regis, cui Dominus ipſum reddiderit gratioſum, præſertim cum iis

naturæ donis, quæ homines hominibus conciliant, nequaquam deſtitutus eſſet. Virum ſe eſſe militarem, qui principibus viris libenter inſeruiat, qui in regia dignitate, ſapiẽtia, humanitate, ac benignitate præſtant; qualem Gethæum regẽ eſſe didicerit: ei ſe, ſuamq. induſtriã libenter oblaturũ, ſi ignoto homini, ac probãdæ induſtriæ ſuæ auido, apud regẽ ſequeſter, aut interpres eſſe velit; daturũ ſe operã vt ipsũ nunquã huius benefacti pœniteat. genere quidẽ ſe Iſraëlitã eſſe, ſed exorta inter ſe ac tribunũ offẽſione aliqua, aliũ ſibi ducẽ optare, cui arma ſua, militiáq. deſeruiant; nihil ſibi fide antiquius vnquã fuiſſe, aut fore. Quid multa? placet, offertur, admittitur, in regia familia numeratur. Quam diu autem, id vero in obſcuro eſt. Et cum nihil certo alterutram in partem affirmari queat, probabilius videtur exiguo ibi tempore potius, quam diuturno ſubſtitiſſe.

CXVI. *Redditur ſuſpectus.*

INAVDIERVNT fortaſſe Gethæi; quid enim hic in tanta ſacræ narrationis breuitate, & ſilentio, præter coniecturas afferre poſſumus? quas ſpero prudenti, atque erudito lectori meo non inſulſas viſum iri. Inaudierunt, inquam, fortaſſe Gethæi requiri à Saule toto regno Dauidem, nuſquam illum comparere, ſuſpicari nonnullos illum, qui pridem leonem, atque vrſum inermis inuadere nõ dubitaſſet, audaciore aliquo facinore temere ſuſcepto periiſſe, alios ignotum alicubi gentium regis ſui in iuſtam æmulationem, iracundiam, atque odium declinaſſe. Et, quid ſi, inquiunt, amiſſus ille Dauid reperiatur apud nos? quid ſi ille ipſe eſt, quem nuper Rex ad ſuam allegit familiam? moxq. ad regem ipſum, cum vidiſſent apud eum Dauid, *Nunquid*, aiunt, *non iſte eſt* D*auid rex terræ?* nonne huic cantabant per choros dicentes. *Percuſſit Saul mille, &* D*auid decem millia?* quæ non tam affirmando, quam dubitando dicebãtur, atque inquirendo, vt ſentit Abulenſis. [a] Nam quamuis agnitum putet Ioſephus [b] id tamen parum probabile eſt, neque enim illum dimiſiſſent, ſed mox illam dubitationem fingenda inſania Dauid ſuſtulit.

a q. 24.
b 16. c. 14.

CXVII. *Qui rex terræ dicatur Dauid à Gethæis.*

QVID eſt autẽ cauſæ cur eũ vocent regẽ terræ? Lyranus exiſtimat iam euulgatũ fuiſſe Dauidem à Samuele inunctum fuiſſe, quod merito improbat Abulenſis, [c] cum ea res ne in terra quidem Iſraëlitarum adhuc innotuiſſet. Nam ſi Sauli cognita fuiſſet, Samuelem & Dauidem ſine vlla dubitatione interfeciſſet, quod Samuel ipſe præuiderat [d]: nec ille Dauidi mortem artificioſè quæſiſſet, ſed aperte cum marte primo ipſo die petiiſſet. Abulenſ. dici regem putat, propter ſimilitudinem poteſtatis, cum Saule vero rege, qui in bellis contra ipſos, vnus principem ageret accedente præſertim amicitia, & cognatione regia, vtique multo probabilius, quam quod ait Vatablus, dici regem terræ Philiſthæorum, quod ea ad Dauidem propter deuictum ab ipſo Goliathum pertineret, cum ea lege pugnatum eſſet, vt victor poſſideret regionem victi. At de poſſeſſione regionis nunquam actum, ſed de tributaria ex more ſeruitute. Et pactum à milite glorioſo oblatum fuerat, non Iſraëlitarum conſenſu firmatum, ac ſtipulatum. Quid ſi per quandam ironiam, & aulicam vrbanitatem dictum putemus, regem terræ? vt ille apud Homerum. δῖος ὑφορβός, ὄρχαμος ἀνδρῶν appellatus eſt: cui expoſitioni fauet quod res adhuc eſſet admodum dubia.

c q. 25. in 21.
d 1 Reg. 16. 2.
Odyſ. ξ.

CXVIII. *Timet, & furorem ſimulat.*

POSVIT *autem* D*auid ſermones iſtos in corde ſuo, & extimuit valde à facie Achis regis Geth.* Siue illi ſerio, ſiue ioco ita loquerentur, ſtimulos tamen Dauidi admonuit illorum oratio, timenti ne plane agnitus comprehenderetur, mortique traderetur; Itaque diuino auxilio de more celeriter inuocato omnibuſque animi viribus in concilium vocatis, inquirit tacitus quod facto ſit opus, viſumque eſt operæprecium ſtultitiam ſimulare, quoniam [e] *Stultitiam ſimulare loco prudentia ſumma eſt.* 16.

e Auſon. 16. x.

CVM enim prudentiæ nomine valde commendaretur Dauid, & vir eſſet longe honoratiſſimus; minime omnium credi poterat, illum eſſe Dauidem, qui tam ſerio, vt apparebat, tamque vehementer ac multipliciter inſaniret. Primum enim immutauit os ſuum coram eis, id eſt loquebatur aliena vt inſani, ait Lyranus, os etiam ad ſermonem retulit Pagninus, ſignificans quod Hebræi quidam volunt, alia quadam dialecto ac pronunciatione vſum, ne Iudæus videretur. Arias, Caietanus, & Vatablus hebræam vocem ſenſum interpretantur, quaſi ſcriptura vniuerſa dicat, Dauidem mutaſſe ſenſum ſuum, id eſt finxiſſe ſe inſanum, ac mente motum; ſtatimque ſubdat quibus rebus ſtultitiam ſimulauit. Septuaginta vero

eandem

eãdem vocem πρόσωπον, id eſt vultum interpretati ſunt nec ſermonis hoc loco meminerunt, ſicut nec Ioſephus, (meminit tamen in pſalmos 55. qui huc pertinet vt dicemus) eámque expoſitionem Abulen. amplectitur, [a] *Mutauit*, inquit, *faciem ſuam, & qui prius vultum habebat viri ſenſati, tunc cæpit oculos diſtorquere in obliquum, & totam vultus effigiem efferare, vt contingit in arreptitiis, & epilepticis.* ſic ipſe. Nimirum Saulis inſanientis vultum ſæpius animaduerſum imitabatur. Et ſunt qui mirificè aliorum actiones voceſque imitentur, & mimi nati videantur homines actione & imaginatione præſtantes.

a q. 15. in c. 21.

Eandem interpretationem confirmat alterum inſaniæ ſignum quod ſubditur, collabentis inter aulicorum manus. Oportuit enim iſtam prolapſionem præueniri mutatione vultus, qualem videmus in arreptitiis, & epilepticis, priuſquam decidant, aut humi volutentur. In hebræo eſt, finxit ſe furere in manibus eorum, inconditos nimirum brachiorum, ac pedum motus edebat, vt ſolent furioſi, & mente capti, quod S. Hieronymus voce *collabebatur* expreſſit. Septuag. habent παρεφέρετο. quod eſt inſaniebat, nam παραφέρεσθαι eſt delirare, mentis impotem eſſe, & παραφορὰ mentis error, & deliratio, vt notauit Serarius. Arias tamen & Flaminius verterunt collabebatur; Antiqua verſio Italica, quam ſecutus eſt Auguſtinus, vertit ferebatur, ſumpto compoſito pro ſimplici ἐφέρετο, vtique non male, nã παραφέρεσθαι interdum eſt ferri ſiue deferri, & παρὰ non raro abundat in verbis compoſitis vt in παραθέω, παραιτέω, παραπέμπω, παραπορεύω, &c. Sed & nunc legitur ἐν χερσὶ αὐτοῦ in manibus eius, ſiue αὑτοῦ ſuis, quod eodem redit; vt propterea verſio illa tolerari poſſit, nec duplex in ea, nedum in Sancto Auguſtino, lapſus contigiſſe dicendus ſit.

CXIX. *Alterum ſignum inſaniæ.*

Ferebatur ſuis manibus.

Qvi ea verba ad myſticam, ſed eximiam de Euchariſtia interpretationem traduxit. [b] Sic autem habet. *Et ferebatur in manibus ſuis. Hoc vero fratres quomodo poſſet fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo* David *ſecundum literam non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus; ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis:* hæc ibi. Tertium inſaniæ ſignum, quod *impingebat in oſtia* portæ, irruebat videlicet in portas, quaſi per oſtia clauſa tranſiturus eſſet, vt explicant Lyran. Abulenſ. Serar. quo facto vel beſtiis ipſis inſipientiorem ſe oſtendebat, quæ tranſitum in locis non peruiis, nunquam moliuntur. Hebræam vocem quidam interpretantur *delineabat*, pingebat, ſcribebatque: nimirum varias figuras in oſtiis, aut parietibus ſtultorum more pingebat, carbone ſcilicet, aut vnguibus. Septuaginta habent *cadebat ad oſtia ciuitatis*, nimirum irruendo in oſtia, cum repelleretur cadebat. Additum eſt etiam in pleriſque codicibus, explicandi cauſa ἐτυμπάνιζεν, quod habet etiam S. Auguſt. in pſalm. 33. vel quia tam ſæpe, & tam dare impingebat, vt tympanum pulſare videntur, vel quia tympana, aliaque id genus ludibria pingebat, vt ait Serar.

b in Pſal. 33. con. 1.

CXX. *Explicatur ab Aug. de S. Euchariſtia.*

Tertium ſignum.

Serar.

Postremvm furoris epileptici indiciũ, quod ſaliuam, quaſi ſpumam ex ore mittebat, nec deſpuebat, ſed permittebat vt deflueret in barbam, cum inſigni fœditate, quam oculi ægre ferre poſſent, vt ſic tanto promptius expelleretur, atque abiiceretur: quod & aſſecutus eſt. Cum enim hæc coram ipſo rege agitaret, ait Achis ad ſeruos ſuos, *vidiſtis hominem inſanum, quare adduxiſtis eum ad me?* cum ſcilicet multa furoris, apud vos ſigna dederit, qui opus fuit vt eum mihi ſiſteretis, & fœdo ſpectaculo mihi moleſtiam afferetis? hic eſt veſter ille David? apage iſtum Dauidem. *An deſunt nobis furioſi, quod introduxiſtis illum vt fureret me præſente?* Argutam hic occaſionem ſumpſit. Ra. Salomon fingendi regis huius vxorem & filiam fuiſſe inſanas, vt tanto celerius nouum hunc inſanum faſtidiret, atque à ſe expelleret. Sed ex textu id non recte colligitur, perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, num indigemus furioſis? cui rei vtiles illi eſſe poſſint? faceſcant, abeant in malam crucem: ne ingrediatur hic deinceps in domum meam, ne dum in ea commoretur. Exiſtimat Abulenſis factum diuinitus vt Achis à furioſis vehementius abhorruerit, ne is in hanc inſaniam diligentius inquireret, & fictam deprehenderet. An autem David ipſe ſtultitiam fingendo, & decori &

CXXI. *Quartum deſpumantis.*

Apud Abul. & Serar.

Reiicitur ab Achis.

honeſtatis leges violando, timore mortis impellente, peccarit, vide eundem q. 26. in hunc locum.

CXXIII. *Vota edidiſſe in hoc periculo.*

Ex his intelligitur per modico tempore Dauidem apud Gethæos ſubſtitiſſe. Apud eos tamen pſalmum 55. compoſuiſſe, cuius initium eſt. *Miſerere mei Deus quoniam conculcauit me homo*, vel ex ipſius pſalmi titulo patet, ſcriptus enim dicitur cum Allophyli, puta Philiſthæi, Dauidem tenerent in Geth. Ex cuius primo ipſo aditu agnoſci poteſt eum contumelioſe admodum tractatum fuiſſe. Nam apud Dominum, cuius miſericordiam implorat, fatetur ſe conculcatum fuiſſe, & tota die afflictum, ac diuexatum. Et rurſum idipſum iterans atque confirmans, *Conculcauerunt me inimici mei tota die*, Hieronymus vertit *inſidiatores*; ex quo ſuſpicari licet hoſce aulicos conatos eſſe explorare, verumne Dauid an fictitium furorem fureret. Quid eſt autem, *quoniam multi bellantes aduerſum me*? tota ſcilicet militaris cohors, quæ obiurgata à rege ſuo, quod furioſum ad ſe adduxiſſet, obiurgationis ſuæ dolorem in innocentem cumulate refudit. Hæc autem ipſe nocte meditabatur, & gemebat apud Dominum, nam ab ipſo diei crepuſculo erant qui ipſum vexarent. *Ab altitudine diei timebo*, inquit; expectando nihilominus felicem exitum rei.

Aliqua eius paraphraſis.

QVONIAM vero Deo inſpirante ſtultitiam ſimulabat, verba aliena, & ad ſpeciem fatua, & abſurda loquebatur, vt ſtultus crederetur. *In Deo*, inquit, *laudabo ſermones meos*, ſatis eſt mihi, vt ei vni probentur, rectique videantur, *In Deo ſperaui, nõ timebo quid faciat mihi* Achis, & omnes illius ſatellites, qui tota die verba mea execrantur; nimirum timorem non præ ſe ferebat, indicem ſimulationis, ſed abditum in pectore committebat, ac commendabat Deo: ſupra enim dictum eſt extimuiſſe eum valde à facie Achis. Conſtat etiam ex hoc ipſo pſalmo Dauidem aliqua vota Deo in hoc periculo nuncupaſſe, vt poſſet euadere. Ait enim *in me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi*, id eſt vt fere Ianſonius explicat. In mea ſunt adhuc memoria ſacrificia quæ tibi me oblaturum voui, quę liberatus perſoluam tibi: laudationes ſcilicet, & gratiarum actiones, omnibus externis ſacrificiis acceptiores, quoniam videlicet *eripueris animam* ac vitam meam *de morte*, *pedes meos à lapſu*: ne ſcilicet ſponte collabendo coram circunſtantibus Philiſthæis, mortiferam aliquam plagam incurrerem.

CXXIV. *Dauid à Gethæis liber gratias agit Deo, Pſal. 33.*

POSTMODVM autem à Gethæis eiectus Dauid, cum primum reſpirare potuit, Dei bonitatem, ac laudes magnifice prædicare cœpit, pſalm. 33. vt ex eius inſcriptione apertum eſt, ſic enim habet, *Dauidi cum immutauit vultum ſuum coram Achimelech, & dimiſit eum, & abiit. Benedicam Dominum*, inquit, *in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*. Id eſt ſiue fuero inter manus hoſtium captiuus, ſiue ab eorum manibus liber, in Domino gloriabor, Deo laudem tribuam quod euaſerim. Et quia ſummam exhibuerat procacibus iſtis, ac petulantibus Philiſthæis manſuetudinem: neque enim cum malediceretur maledicebat, aut cum pateretur comminabatur, ideo manſuetos excitat ad lætitiam & gratiarum actionem, conſcius non diſceſſiſſe ſe ab inimicis ſuis meritorum inanem. *Audiant*, inquit, *manſueti & lætentur*; *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum*. Eadem ſcilicet mente & voce prædicemus. Eos etiam exemplo ſuo inuitat, vt in aduerſis recurrant ad Dominum, à quo illuminandi ſint in ipſo neceſſitatis articulo, & confuſionem vitaturi. Confuſio enim parata Dauidi, recidit in hoſtes eius, ſi forte intellexerunt non veram, ſed ſimulatam fuiſſe Dauidis inſaniam; & ab eo multis poſtea, magniſque cladibus affecti ſunt.

CXXV. *Fugit in ſpeluncam Odollam.*

ABIIT *ergo Dauid inde*, ex vrbe ſcilicet Geth, & tota regione Philiſthæorum, nuſquam enim deinceps apud eos latere potuiſſet, *& fugit in ſpeluncam Odollam*, bidui fere itinere inde diſtantem; quam Ioſephus ait fuiſſe in tribu Iuda, & nomen ab agro Adullamo, ſic enim vocat, accepiſſe. Fuiſſe autem vrbem regiam hoc nomine temporibus Ioſue, cuius ipſe regem peremit, ex eiuſdem libro cõſtat; [a] imo & multis poſtea ſeculis, temporibus Iudæ Machabæi: fuit ergo Dauidi præſidio hæc ſpelunca & quidam, vt apparet, ſatis diu. Subditur enim, [b] *Quod cum audiſſent fratres eius, & omnis domus patris eius, deſcenderunt ad eum illuc*, de patria videlicet ſua Bethlehem. *Et conuenerant ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps. fueruntque cum eo quaſi quadringenti viri.*

Quinam ad eum conuenerint.

Cap. 22.

a Ioſ. 12. v. 15.
b Mach. 12. 38.

Hi ergo omnes non videntur breui aliquo tēpore congregati ad Dauidem. Non enim vulgo notum erat ibi eſſe Dauidem, ſed timore Saulis res quantum fieri poteſt occultabatur; & Dauidis latebras, alij alijs clanculū, & ad aurem deferebant: Id autem tam ſecretò factum, vt non niſi poſt multum temporis ſciuerit Saul (a c. 22. v. 6.) apparuiſſe Dauidem; & ſuo loco dicemus [a]. Itaque non immerito reliquum hunc annum huic collectioni poſſumus aſſignare.

CXXVI. *Primi fratres Dauidis cùm tota familia.* PRIMI autem qui conuenerunt fuerunt fratres Dauidis, quos Ioſephus ait à Dauide monitos, quo in loco eſſet. *Miſit* inquit *ad fratres qui eos doceret vbinam ipſe moraretur, at illi cum tota cognatione ſe ad eum contulerunt*; quorum aliqui oneri eſſe poterant, vt parentes grandæui, quorum Iſai nunc quartum & nonageſimum agebat annum, iuxta ſupputationem noſtram; (Corniel. 120.) alij autem auxilio, vt ſeptem illi fratres Dauide maiores, & filij duarum ſororum eius, Saruiæ & Abigail: illius filij erant tres viri fortiſſimi, & deinceps in tota Dauidis hiſtoria valde celebres, Ioab, Aſaël & Abiſai; & Amaſa filius Abigail. Adierunt autē & ſui cauſa, & Dauidis. Nam propter Dauidem variis modis à Saule vexari cœperant. Alioqui enim non reliquiſſent domum, & omnia ſua, ad peregrinādum in deſertis locis, vel apud alienigenas, vt notauit Caietanus. Idque reddit probabile furor Saulis, tam in Ionathan, ob ſuſceptum verbo innocētiæ Dauidis patrocinium, quam in Achimelechum ſacerdotem, ob tenue auxilium ei per ignorantiam præſtitum.

CXXVII. *Et quare.* (vide Abul. q. 3. in c. 22.) ITAQVE tametſi non dubitarent, ſe, vbi diſceſſiſſent, à Saule hoſtium loco habitum iri, & omnia ipſorum bona proſcriptioni obnoxia fore: exilium, tamē cum Dauide elegerunt, 1. primùm quod putarent, etſi domi ſubſiſterent, eadem nihilominus damna ſe ab iniuſtiſſimo principe toleraturos, fortunis, capitibuſque proſcriptis; propter opinatum, aut reipſa præſtitum Dauidi ſuo auxilium, conſilium, fauorem. Itaque rebus ſuis, quantum fieri potuit, ſecum aſſumptis tyranni facinus anteuerterunt, omnem cum Dauide fortunæ aleam vbiuis gentium, & contra quemcumque ſubituri. 2. Deinde quod inhumanum videbatur Iuuenem ad omnia ſumma natum; prudentia, fortitudine, humanitate præſtantem, Iuuenem rebus præclare geſtis, apud hoſtes ipſos glorioſum, atque formidabilem, Iuuenem optime de rege ipſo totaque Repub. meritum, & quod caput eſt innocentem, Iuuenem denique naturæ iure ſibi coniunctum, & intima cognatione copulatum deſerere, ad quem protegendum etiam alieni certatim concurrerent. 3 Denique memoria tenebant inunctum à ſanctiſſimo propheta Samuele Dauidem; ſperabantque diuinam erga ipſum prouidentiam minimè inanem, aut fallacem fore, atque ex hiſce tenebris emicaturam aliquando lucem, quæ aduerſariorum oculos ſuo fulgore perſtringeret. Afflictam nunc iniuſta potentia virtutem, atque innocentiam, aſtris illaturam caput, inde pœnam ingratis, ac iuris naturæ oblitis; præmia bene de ſe meritis omnium Dominum iuſtiſſimè diſtributurum.

CXXVIII. *Alij afflicti, obærati, & amaro animo.* QVONIAM vero modica erat cognatorum manus, nec pauci requirebantur, qui poſſent ipſos à tam potenti aduerſario aliquo modo protegere, idem vel ſponte ſua, vel monitu Dauidis, pleriſque aliis viris ad res nouandas idoneis ſuggeſſerunt, vt ſe ipſis in ſocietatem darent. In iis erant qui afflicti erant vel potentū odiis, vel æqualium inuidia, vel ſuorū iniuria, vel periculis amicorū. In iiſdē quibus res anguſta domi, & ære alieno preſſi, vim & carceres formidabant. Denique quicumq. erant amaro animo, & quauis ex cauſa vitā inſuauem atque iniucundā trahebant, libenter ad Dauidem, eiuſq. cognatos confluxerunt. Id enim hominum genus in rerum, ac dominiorum mutationem intenti ſunt, ſi quo forte caſu res ſuas loco meliore conſtituāt, & turbata re communi, ex domeſticis ipſi turbis enatēt, atq. emergant. Ergo vndecūq. ſpes affulſerit proſperioris flatus, eo illico (Aen. 2.) vela cōuertunt: perſuaſi, ſi male res ceſſerit, nihil admodū ſibi periturū; ſin ſecus, ſe quoq. liberos, lætos, ac beatos fore, *vna ſalus miſeris nullam ſperare ſalutem*.

CXXIX. *An hi peccarent, & Dauid cum eis.* (Abul. q. 4.) ET hi quidem non multo meliore conſcientia quam fortuna, diuitias, honores, potētiam, vltiones, vel iure vel iniuria meditantur, nouas tabulas, licentiam, impunitatem; ſed hæc in capita eorum recidunt, qui hiſce malis cauſam aut occaſionem vltro dederunt. Quid ergo? num propterea Dauidis conſcientiam oneramus, aut eum accuſandum putamus, qui eiuſmodi hominum ductor ac princeps factus fuerit? Minime gentium, cum enim iniuſte à rege, ac ſine vlla

culpa ſua vexaretur, atque adeo peteretur ad mortem; potuit in alieno auxilio rationem quærere expediendæ ſalutis; & paratis vti ad iuſtum, ac neceſſarium finem. Pauci enim facile opprimi poterant, aut comprehendi, & Saulis impotenti furori obijci; quadringenti viri non poterant, niſi cum iuſto exercitu, in regis poteſtatem venire; qui dum cogitur, aut aduentat, innoteſcit periculum, ſolum vertitur, diſcrimen vitatur, ac conſulitur miſerorum ſaluti.

Neceſſaria præterea erat militaris hæc manus, ad quotidianam egeſtatem, hoſtili ex præda ſuſtentandam; iſti autem vitæ rationi, quæ vim, audaciamque deſiderat, pauculi pares eſſe non poſſunt, præſertim ſi pluribus ſimul in locis vis afferenda fuerit; vt dum hoſtis hæret cui primum malo ſubueniat, præda impune auferatur.

CXXX. Quid obærati.

Creditoribvs porro; nam illud nonnullam ingerit dubitationem, nullam Dauid faciebat iniuriam recipiendis obæratis; ſi qua enim illis ſupererant in bonis, iis vltro cedebant adeundo Dauidem; ſin autem penitus ſoluẽdo non erant, ipſa eos paupertas, ac præſens neceſſitas excuſabat, & diem ad ſoluendum laxiorem exigebat, dum ſcilicet ad pinguiorem fortunam redirent. Cæteris autem quicunque aliqua calamitate premebantur, aſyli inſtar erat, vt vitam quoquo modo ſine iniuria traherent, & ſuam ſimul alienamque tutarentur. Et merito quidem accuſatur Abimelech filius Ierobaal, qui viros inopes, vagoſque conduxit: ſceleſtum quippe erat hominis conſilium, non defendendi ſui, ſed innocentes fratres furioſa ambitione perdendi; Non ſic Dauid, non ſic Iephte, ad quem etiam congregati ſunt viri inopes, & latrocinantes, qui illum à domeſtica iniuria tutarentur, & hoſti Ammonitæ, cui vitam eripere iure poſſent, per vim bona, vnde ſuſtentarentur, auferrent. Eodemque modo Dauid aduentitia iſta miſerorum cohorte, ſe præſtabat incolumem, & Philiſthæum moleſtis, ſed non iniuſtis excurſionibus fatigabat.

Caiet.

Iud 9.4.5. Iud. 11.3.

vide a. m. 2849. n. 8. nu. 125.

CXXXI. Gaditæ ad Dauidem deficiunt.

Miserorvm dixi, non tamen imbellium, aut inualidorum, cohortem. Nam egregie à Scriptura commendantur cap. 12. primi Paralip. *Sed & de Gaditi*, id eſt de tribu Gad, *transfugerunt ad Dauidem cum lateret in deſerto*, in ſpelunca videlicet Odollam, vt pluribus docet Abulenſis, *viri robuſtiſſimi, & pugnatores optimi, tenẽtes clypeum, & haſtam, facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus*. Numerat autem deinceps viros primarios, qui omnes ductores fuerant turmarum militarium in exercitu Saulis. *Hi*, inquit, *de filiis Gad principes exercitus, noviſſimus centum militibus præerat, & maximus mille*, intermedij autem præerant ducentis, aut quadringentis. Verum non omnes qui illis parebant, cum ducibus ſuis defecerunt ad Dauidem: nam magna pars cum Saule remanſit, alij ſecuti ſunt duces ſuos, & tam hi, quam cognati Dauidis ad quadringentos peruenerunt, non enim plures in Odolla collecti ſunt: poſſunt autem hæ militares præfecturæ ad poſteriora referri tempora: cum à Dauide in regñ euecto, pro ſuo quiſq. merito honorati ſunt. Quod autem tranſiſſe dicuntur Iordanem menſe primo, quando is extra ripas ſuas effluit, non pertinet ad hoc tempus, vt ait Abul. q. 8. & 9. in c. 12. 1. Paral. repugnare licet Torniello, ſed ad aliud in quo incolas Iordanis debellarunt, prout eodem in loco, ad eorum commendationem, Scriptura narrauit. Dum autem hi colliguntur reliquus hic annus vt ſupra dicebamus, abiit.

1 Para. 12. q. 7

q. 6. ibid.

a. m. 2974. num. 5. cui fauet nihilominus Scriptura. 2. Reg. 23. 13.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2973. SAVLIS 12.

Nu. IV. NOn pœnitenda eſt hoc loco Toſtati notatio, qui legendum putat, *vbicumque fuerit*, vt verbum ad Saulem, non ad Dauidem referatur, & ita legitur in pleriſquę antiquis bibliis nō emendatis, vt ſit ſenſus, Ionatham patri affuturum, vbicumque illum eſſe contigerit, ſiue in agro, ſiue in vrbe; negat autem recte dici *vbicumque fueris*, quamuis in hebræo ita legatur, & græco: quoniam Ionathas non erat allocuturus patrem, in loco in quo eſſet Dauid, quippe qui abfuturus erat, alicubi abſconditus. Nec Saul iturus erat ad locum, in quo erat Dauid, aut ſi id caſu cōtingeret, neſciebat id Ionathas, ideóque nec poterat præmonere; recte autem promittebat ſe affuturum patri, vbicumque is futurus eſſet: in lectionem autem hebraicam aut mendum irrepſiſſe ait, aut perſonarum enallagem vitio linguæ tribuendum eſſe. Quia tamen eadem lectio habetur in editione vulgata correcta, & in hebræis omnibus, græciſq. libris, explicari poterit locus in hanc ſententiam. Ego adſtabo patri meo in agro, ad quem ſcilicet eum ſcio eſſe venturum, quocumque tandem loco contigerit te latere, vel conſentanee hebræo & græco textui, *Manebis clam & abſconderis*, nimirum in agro, in quo eſt petra Ezel, (nam Caiet. ait ibi nunc quoq. abſconditum fuiſſe;) & patre meo illuc de more proficiſcēte, eum ego pro te interpellabo: quæ eſt expoſitio authoris traditionum hebraicarum in hunc locum.

Ibid. Authoris inquam, traditionum hebraicarum: nam pleriſque in locis ipſa phraſis videtur repudiare Hieronymum; & hoc nominatim in loco: *vt in eodem*, inquit, *agro Dauid abſconderetur collocutum inter eos fuerat. In quem agrū crebro Saul conſiliandi cauſa conuenire ſolebat*, & paulo ante, in c.18. *More arreptitiorum prophetabat, & prophetaſſe ſuum in hoc loco, non eſt aliud intelligendum, niſi aliena retuliſſe*. Et in c.21. *idcirco via hæc eſt laica, quia tu laicaliter interrogas, &c.* voco tamen Hier. quia fieri poteſt, vt hæc illi exciderint, cum cætera phraſis, & tractationis modus non multum diſcrepet à traditionibus in Geneſ. quas nemo negat à Hieronymo collectas; Conſtat autem Hieronym. nō plures tantum traditionum hebraicarum libros promiſiſſe, ſed edidiſſe etiam. In locis enim hebraicis paſſim eos libros citat, columna 426.427. fine. 439.440.443.445.&c. edit. Pariſ. an. 1579. in quibus plęraque citat, quę non reperiuntur in libris qui extant.

Ait hoc loco Abul. q.21. in c.19. Micholēm
3. N xxiii. etiam mentiendo meruiſſe, quod intelligi ſic poteſt, vt opus liberandi mariti, quamuis mēdacio officioſo inquinatum, ſuum habuerit apud Deum meritum, nō tamen quod ipſum mendacium, aut veniale peccatum mereri queat. Alioqui maxima pars operum noſtrorum inutilis eſſet, & mercedis expers, quota enim pars eorum omni defectu veniali caret? Quod autem ait de Ægyptiarum obſtetricum mendacio, ex vulgari opinione dicit, quam anno mundi 2463. n.2. improbauimus. Aſſerta autem à Michole viri ægritudo à mendacio excuſari poteſt, ſi dixerimus eam de ægritudine animi mariti ſui eſſe locutum: ſed nihil eſt neceſſe; nam mox apertum eſt mendacium, in fictione minarum.

Naioth ſæpius hoc loco in Ramatha dicitur 4. N. xxxi
fuiſſe; vrbe ſcilicet in qua habitabat Samuel 1. Reg. 7.17. quā Adrichomius collocat in extrema pene tribu Ephraim, prope Palæſtinos, & Ioppen: aitq. fuiſſe in confinio tribuum Ephraim, Bēiamin, & Dan. In tribu Ephraim, n.79. At n.70 ait Naioth locum eſſe in Ramatha, ſiue in Rama tribus Beniamin, diſtantem ſex milliaribus ab Hieruſalē ad Septentrionē verſus Bethel, quod habet etiam Angelomus, vterq. ab Hieronymo in locis Hebr. in voce Rama. quā idē vocat ciuitatē Saulis. Verū in hac Rama non habitauit Samuel, ſed in Rama ſiue Ramatha tribus Ephraim, ad quā venit Dauid, nō ad illā. Cæterū Hieron. in locis, Rama pro Ramatha dixit, ſicut Rabla in terra Emath pro Reblata. Præter geminā vero quā diximus Ramam, tribu Ephraim, & Beiamin, tertiam ponit idem Hieron. in tribu Aſer, & quartam in tribu Nephthalim.

Eleganter Angelomus hoc loco Saulis nu- 5. N. xxxviii
ditatem myſticè interpretatur. *Quod autem*, ait, *Saul ſe ſpolians nudus vaticinatus eſſe dicitur, hoc præfiguraſſe nō eſt ambiguū: quod populus Iudæorū, cuius perſonā idē Saul geſtauit, ab indumento fidei atq. ſacerdotij dignitate nudatus, & gloria regni ſpoliatus, verba legis & prophetarum, quæ de Chriſto teſtimonium perhibent, in ore portans, eundem Chriſtum Dominum, de quo non intelligens prophetat, malitiæ ſua liuore excæcatus perſequitur.*

Non videtur Torniellus aſſecutus mentem 6. N. XLI.
Abulenſ. anno quartæ Ætat. 431. n.2. nō enim putat inter aduentū Saulis in Naioth, & fugā Dauidis de Naioth ſecutā fuiſſe aliquā reconciliationē Saulis cū Dauide: ſed poſt fugā Dauidis, nec opera prophetarū, aut peculiari inſpiratione diuina, ſed interuentu Ionathæ: nam non ſemel affirmat Dauidem effugiſſe dum Saul prophetaret, at reconciliatio ſecuta fuiſſet ceſſationem prophetiæ.

Alphonsū Toſtatū nō fuiſſe græcæ linguæ 7 N. LI.
peritiſſimū oſtendit notatio vocis neomeniæ, quā notare hoc loco visū eſt, ne quis forte fallatur. Ait enim. *Quādo incipit lunatio, eſt luna ſub radiis ſolis occultata, & nō videtur, vocatur defectio lunæ vel neomenia, quod idē eſt; quia dicitur neomenia à neos, quod eſt nouū, & mene, quod eſt defectus, quaſi nouus defectus, &c.* Verū ſiue hic defectus Alphragani Arabis eſt, quem citat, ſiue Toſtati, illi aſſentientis defectus certe, & erratū eſt. Eſt enim νεομηνία, vel à νέος quod eſt nouus, & μὴν, id eſt menſes, ſiue μήνη luna, vt ſit nouus menſis, vel noua luna, calendæ & calendarum dies.

Ideoq. ſancta Iuditha non ieiunabat in neo- 8. N LII.
meniis, ſicut neq. in ſabbatis & feſtis domus Iſraël. Iudith. 8.6. Nō habetur autem ex textu legis hoc feſtū vltra vnū diē celebrari ſolitū;

& rectè, nã ipſæ calendæ feſtæ ſunt, poſtridie autẽ non ſunt calendæ: ſed quartus aut ſextus nonas. Colligi tamen ex hoc loco poteſt biduũ ex traditione obſeruatum, non triduum; quia tertiũ diẽ fuiſſe profeſtũ ex v.19. conſtat.

9.N.LIV. Miratur Caiet. quomodo Dauid poſt tot experiméta hoſtilis in ſe animi regis, eum tamen iterum indagare per Ionatham velit. Et reſpõdet quod quemadmodum miſeri quod volunt facile credunt, imo quicumq. aliquid vehemẽter deſiderãt, iuxta illud, *An qui amãt ſibi ſomnia fingunt?* Sic Cato ille maior deſiderans filij ſui immortalitatem, eã credit; & hũc errorem, ſi forte errorem eſſe contingeret, vt aliqui opinabantur, ſibi eripi nolebat: quippe qui eo delectaretur. *Ita magnates*, inquit, *miſeriam ſibi imminentem, eo quod ab ea multum abhorreant, licet credant, tamen certiores fieri procurant, antequam manifeſtum eligant exilium.* Verum admiratio Caietani facile tollitur, addita reconciliatione quam adiecimus.

10.N.LXXIV Recte notauit hoc loco Torniel. ſeſſionem in conuiuiis, apud Hebræos vſurpatam à priſcis temporibus. certe Abrahami ipſius æuo ita ſumi ſolitum cibum intelligi poteſt ex Geneſ.18. vbi Abraham monet hoſpites, quos ad prandium inuitat, vt requieſcant ſub arbore in hebræo eſt *vt innitantur*, nimirum ſedendo ſuper ſcamnum ad arborẽ. num enim lectus ſub dio? Iſaac in lecto iacens monetur vt ſurgat, & ſedeat, & comedat de venatione Geneſ.27.19. *Omnes filij Iacob ſederunt, vt comederent panem.* Geneſ.37.25. Iidemque rurſus in Ægypto, vtique ex eius gentis ritu, ſederunt omnes ad menſam coram Ioſepho. Ex quo ritu ducta eſt illa querela, *quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate*, carnes nimirum abunde apponebantur ſedentibus ad menſam. Exod.16.3. Ex eodem & illud, *ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod.32.6. Leuites ille qui repetiit vxorem ſuam Bethlehemiticam, & illius gener, *ſederunt ſimul, ac comederunt & biberunt.* Iudic.19.6. *ſedebant in agro meſſores ad veſcendum*, quando & Ruth ſedit ad eorum latus. Ruth.ca.2.14. & ne cauſemur ruſticanos homines, ecce Dauid, quiſſe ait ſedere ſolitum iuxta regem ad veſcendum 1. Reg. 20.5. & Rex ipſe, *ſedit ad comedendum panem, cumque ſediſſet Rex ſuper cathedram ſuam, ſecundum conſuetudinem, ſedit etiam Abner*, & cæteri, ibid. v.25. ſedebant ad menſam Prophetæ duo, cum alteri eorum mors denunciata eſt. 3. Reg. 13. 20. Apud exteras quoque gentes idem mos ſeruabatur. Nam Artaxerxes *ſedebat ad menſam & regina ſedebat iuxta eum*: & Nehemias ſpincernæ

Eſdr.2.v.6 fungebatur officio 2. & de his ſatis.

11.N.XXXI. In codice græco ita legitur. Τυπειπόντος δ' αὐτοῦ, τί δ' ἀδικοῦντα κολάσαι θέλεις; οὐκ ἔτ' εἰς λόγους, καὶ βλασφημίας τὴν ὀργὴν ὁ Σαῦλος ἐξήνεγκεν, ἀλλ' ἁρπάσας τὸ δόρυ ἀνεπήδησεν εἰς αὐτὸν, ἀποκτεῖναι θέλων. Καὶ τὸ μὲν ἔργον οὐκ ἔδειξε διακωλυθεὶς ὑπὸ τῶν φίλων. Φανερὸς δ' ἐγένετο τῷ παιδὶ, μισῶν τὸν Δαυίδην, καὶ διαχειρίσασθαι ποθῶν, ὡς παρὰ μικρὸν δι' ἐκεῖνον αὐτόχειρ καὶ τοῦ παιδὸς γενέσθαι. Subiiciente autem Ionatha, Quid tandem peccantem punire cupis? non iam ad verba & conuicia Saul iratus prorupit, ſed arrepta lãcea inſiluit in ipſum, occidere volens. Et rem ille quidem non perfecit prohibitus ab amicis: aperte tamen prodidit filio odium in Dauidem, & eius interficiendi deſiderium, vt qui tantum non propter illum, interfector filij ſui effectus fuerit.

Theodoretus q.51. hanc participationem panum a Dauide & comitibus laicis factam trahit ad myſterium Euchariſtiæ. *Præfiguras autem dum ſit particeps eorum, quæ ſolis ſacerdotibus attributa erant, myſticam menſam pijs omnibus proponẽdam. Non enim ij ſoli qui ſunt conſecrati ſunt participes Dominici corporis & ſanguinis, ſed omnes qui ſunt ſanctum aſſecuti baptiſmum.* ſic ipſe, quæ habet totidem verbis Procop. De munditia porro requiſita ad ſumptionem Dominici corporis, vide hic Abulenſ., q. 13. in c. 21. 1. Regum. 12.N.CII.

Sed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis. Septuag. habent διὰ τὰ σκεύη μου, *per vaſa mea.* quod Theodoret. q.52. ſic explicat. *Etſi non ſum ſacerdos propheticam tamẽ gratiam ſum aſſecutus. Exiſtimo enim hoc ſignificare, ſanctificabuntur propter vaſa mea: vaſa enim eius, & armatura donum erant ſpirituale.* Hieron. autẽ in trad. hoc modo. *Sed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis meis; ipſa vtique in vaſis, id eſt in mente ſua ſanctificari dicitur; quia niſi neceſſitate corporis, & periculo vitæ vrgente nequaquam veſceretur eis: non tamen aperte eoſdem legitur Dauid panes comediſſe. Tradunt Hebræi nequaquam Dauid eos comediſſe panes. Sed aliter tamen Dominus in Euãgelio.* hæc ibi. vide Pined. de Salomone, lib.1. cap.3. Abul. q.16. in ca.21. legit *in vaſis noſtris*, explicatq. in corporibus; quod ſcilicet panis ſanctus non contrahet immunditiã propter nos, qui immundi ſumus, quia neceſſitas excuſauit nos ab omni immunditia, & ita eſſet ſicut ſi comederetur ille panis a mundis. ſic ipſe, aitque eum eſſe ſenſum literæ. Quid ſi dicamus ſanctificabitur in vaſis, id eſt honorabitur, & ſanctum reputabitur in ſanctificandis vaſis, ſiue corporibus noſtris, ſic petimus ſanctificari nomen Dei, id eſt oſtendere ſuam ſanctitatem in nobis ſanctificãdis. Sic Leuit. 10.3. *Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conſpectu omnis populi glorificabor*, id eſt, oſtendam me glorioſum & ſanctum in eis, aut ſanctificandis, aut puniendis, vt fuerint commeriti. ſic num.20.13. ca.27.14. Ezech. 20.41. ca. 28.25. ca.36.23. ca.38.16.23. 13.N.CIV.

Lyranus & Dionyſ. cauſam putãt quod demiſſus ab vxore per feneſtrã arma capere non potuerit: ſed potuerant per eandẽ feneſtram demitti. Lyranum refutat Abul. q.19. In c.21. Sed ab eo tempore fuerat apud Samuelem, & egerat cum Ionatha ſemel atque iterum. 14.N.CVIII.

Qui Achis hoc loco dicitur, idẽ appellatur Achimelech in titulo pſal. 33. vbi dicitur Dauid *immutaſſe vultum ſuum corã Achimelech.* Etſi aliqui putarint ibi intelligi ſacerdotem, de quo paulo ante facta eſt mentio, qui & mutationẽ vult⁹ metaphorice interpretãtur verba alia pro aliis mentiẽdo dicta. In eã ſententiam refertur Euſeb. in pſ. 33. Baſil. & Turrianus in lib.8. cõſt. Apoſt. c.13. verũ immutatio pro- 15.N.CXIV

prie accipienda eſt de ſpecie corporis fœda, & incompoſita, qualis eſt furioſorũ, ſed in textu hebraico perſpicuũ eſt iſtũ Achimelechum nõ fuiſſe ſacerdotẽ; nã hic dicitur expuliſſe Dauidem. quod non cõuenit Sacerdoti, Dauid, ait Auguſt. in expoſ. titulo pſalm. 51. ante regem Achis, non ante regem Abimelech immutauit faciem ſuam. Sed legi poteſt, ait Serarius, imo debet, vt putat Procopius, in illius pſalmi titulo Achi melech duabus dictionibus, id eſt Achis rex, quo modo hic vocatur verſ. 10. & 12.

16 N. cxviii Ante Dauidem ſtultitiam ſimulaſſe legimus Vlyſſem apud Hyginum c. 95. qui metu Troianæ expeditionis, in qua ad annos 10. multis ſe ſuoſque caſibus vexandos, præuouerat, vt inſanire putaretur pileum ſumpſit, & equum cum boue iũxit ad aratrum. At Palamedes, qui vnus erat de oratoribus, ad eum abducendum ad bellum deſtinatis, vt ſimulationem ſenſit, Thelemachum filium eius cunis ſublatum aratro illi ſubiecit, & ait; Simulatione depoſita inter coniuratos veni. Tunc Vlyſſes fidem dedit ſe venturum, & ex eo Palamedi infeſtus fuit. Verum ſimilior eſt Dauidi noſtro Brutus ille primus, qui etiam ipſe mortis metu inſaniã ſimulauit, & mox in ſua repub. principem magiſtratum obtinuit.

ANNVS MVNDI 2974 DILVVII 1318 QVINTÆ ÆTATIS 35. EXITVS AB ÆGYPTO 431. ARCÆ IN CARIATH. 34. SAMVELIS 35. SAVLIS REGIS 13. ACHIMELECHI PONT. 13. ET VLT. DAVIDIS 25. TROIÆ CAPTÆ 103. DERCYLLI 24. IMPERII ASSYRIORVM. 1043.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1079.

Num 125. & 130. PRÆCEDENTEM annum in ſpelunca Odollamitica cum Dauide terminauimus, dum ille in dies ad ſe confluentes ſocios excipit, aut præſtolatur venientes. Præſens autem, qui eſt Saulis 13. & vltimus pontificis Achimelechi, profectionem habet Dauidis ex ſpelũca Odolla ad regem Moabitarũ indeq. reuerſionem in terram Iuda, Dei & prophetæ iuſſu. Interea nunciatur Sauli pontificis Achimelechi erga Dauidẽ charitas; quam ille tam iniquo animo tulit, vt & pontificem ipſum, & 85. ſacerdotes trucidari mandaret; & inſuper vniuerſum vrbem vſq. ad animalia ferro flammiſque deleri. Elapſus tamen eſt tanta è cæde Abiathar pontificis filius, & ad Dauidem perfugium miſerorum cõfugit, quæ omnia ca. 22. referuntur, & à nobis de more ſigiliatim enarranda ſunt; adiectis etiam rebus ad Ceilam geſtis, ex c. 23. quas ad hunc annum exiſtimamus pertinere. Etſi eas Torniellus ad ſequentem retulerit. I. *Summa rerum hoc anno geſtarum.*

Qvod ad profectionem igitur Dauidis attinet, cum videret ſe ſatis valida iam cinctum manu virorum fortium, contra repentinos incurſus inimicorum ſuorũ, de parentibus iam ſenio cõfectis, cum alia imbelli turba, ſi qua fuit, in tuto collocandis conſiliũ init, vt ea ſollicitudine, & timore liberatus, facile poſſet cum ſuis huc illucq. diſcurrere. Etſi enim eos poterat in ſpelunca relinquere cũ aliqua militũ parte, dum aliquò cũ reliquis excurreret, non tamen ſatis cõmodè grandęui parentes poterant in ſpelunca, quaſi in carcere viuere. Sed nec eum locũ elegerat Dauid, vt ibi habitaret, niſi quantũ neceſſe erat ad colligendos periculorũ ſuorũ ſocios, vt placet Abul. [a] moxque in vicinum aliquod regnum ſecedere ſtatuerat, vbi à Saulis infectis odiis paululum reſpiraret. Nam ne in ſpelunca quidẽ diu tutus eſſe potuit; quia nec diu regẽ latere potuit, neq; regiis copiis, quibus eum ſtatim inuaſurus erat vllo modo par eſſe. itaq. ad Moabitarum regẽ ſtatuit proficiſci, quod is Sauli videretur inimicus, vtpote ab eo bello vexatus, vt tãgitur c. 14. [b] Dauide adhuc in paſcuis diuerſante, ac propterea nec odij inde concepti particeps. Nam quod Rab. Salomõ, cui non repugnat Lyra. putat Dauidẽ adiſſe regem Moabitarum, generis materni cauſa, quod deſcendiſſet à Ruth Moabitide nugatorium eſt, neq. enim Ruth pertinuit ad regium Moabitarum genus, quod vult Hebræus ille, idq; refutatum eſt à nobis anno mundi 2081. n. 25. & quamuis pertinuiſſet, fuiſſet ea cognatio ipſa vetuſtate antiquata, videlicet ante 170. annos contracta, cum proauo Dauidis nomine Boos. Itaque ille non habita ratione temporum, hæc incondita fudit. II. *Dauid trãſit ad Moabitas cum parentibus & ſocij.*

a q. 6. in c. 22.

b c. 14. 47.

Credere autẽ par eſt tentatam à Dauide per nuncios regis Moabitarum voluntatẽ, Id enim ratio exigit, & affirmat Caieta. fuitque legationis illa ſententia. *Maneat oro pater meus, & mater mea vobiſcũ, donec ſciã quid faciat mihi Deus*: id eſt videã III. *Aditum petit à rege, atque impetrat.*

quo ſtatu & loco futuræ ſint res meæ, diuina diſponente prouidentia. Cognita igitur regis voluntate, habitoque conſenſu ex ſpelunca, vel præſidio ſuo profectus eſt Dauid trans Iordanem in Maſpha, quæ vrbs eſt Moabitarum, alia à Maſpha, quæ eſt in tribu Beniamin, vbi Samuel iudicia exercuit, ante regnũ Saülis. Adrich. n. 88. in eadem tribu. Abul. [a] putat eam fuiſſe trans Iordanem; quod alio loco improbauimus. [b] Duxit autẽ patrem ſuum, ac matrem ad regis cõſpectũm, vt eſt in hebræo, à quo honorifice habitos ait Ioſephus, [c] apud ipſum autẽ *manſerunt cunctis diebus, quibus Dauid mãſit* apud Moabitas *in præſidio*: In quo à Rege collocatus erat, vt ſimul ipſe cum ſuis à rege Saule tutus eſſet, ſimul etiam Moabitas ab eodem tutaretur. Id præſidium fuiſſe Maſphat putat Vatabl. quod eſſet firmiſſima inſtar arcis, aut præſidiariæ munitionis.

a qu. 5. in c. 22.
b a. m. 2960 n. 8.
c l. 6. ant. c 14.

IV. *Ubi honorati Dauidis parẽtes, eodem occiſi.*

CVM autem Ioſeph. affirmet parentes Dauidis magno in honore habitos, apud Moabitarum regem, quandiu illic manſerunt, apparet quantum fidei tribuendũ ſit R. Salomoni, apud Lyra. Abul. Caiet. qui ait poſt Dauidis diſceſſum ex Moabitide, regem Dauidis patrem & matrem interfeciſſe, quod Dauid inſalutato hoſpite diſceſſiſſet. Sed eam fabulam euenta ipſa refellunt: Non tam atrox, tamq. iniuſtum facinus non fuiſſe impune laturum, hiſtoria Nabal Carmeli [d] negantis commeatum aliquem, & Amalecitarum, [e] qui Dauidis vxores captiuas duxerãt, accelerata vindicta ſatis docet. Nec conſequens eſt ex eo quod Scriptura dicit, mãſiſſe parẽtes Dauidis apud regẽ cunctis diebus, quibus Dauid fuit in prę ſidio, diſcedente inde Dauide, illos apud regem vltra nõ fuiſſe: ſicut in ſimilibus locutionibus à D. Hieron. aliiſq; notatum eſt. Scriptura enim quid eo tẽpore iſtis parentibus cõtigerit refert, quid autem poſtea, inuoluit ſilentio. Quidã ad Ammonitas à Dauide ductos putant & coniiciunt ex 2. Reg. [f] qua de re ſuo loco.

d 1. Reg. 25.
e 1. Reg. 30
Math. 1. v. 25.
f 2. Reg. 10, 2.

V. *Quãdiu in Moabitide manſerint Dauid.*

QVANDIV autem mãſit Dauid cum ſuis in iſto Moabitarum præſidio? Diebus multis, ait Abul. [g] Torniel. autem perpaucos duntaxat menſes; ſane illa phraſis, *manſeruntque apud eum cunctis diebus quibus Dauid fuit in præſidio*, non videtur de paucis diebus intelligi poſſe; multi ſæpe anni huiuſmodi locutione cõtinentur. Certe ſupra c. 18. extremo, cum dicitur Saul factus inimicus Dauid *cunctis diebus*, de 10. ferme annis dicitur. Et Anna commẽdauit Samuelẽ filium ſuum DOMINO *cunctis diebus*, quibus fuiſſet commodatus Domino, id eſt tota vita, quæ fere 80. annorũ fuit. Nihil ergo abſurdi fuerit cũctos hos dies de aliquot menſibus accipere.

g q. 8. in c. 22.

Quis eius ibi victus.

Ne autem de pluribus annis accipi poſſint, vetat rerum ſequentium copia, quæ nimiis temporum anguſtiis coarctarentur. Arbitratur autem Toſtatus [h] Dauidem ibi cum ſuis ex præda vixiſſe, ſicut cum poſterius ad Achis in Geth confugiſſet. Excurriſſe autem in populos Moabitarum inimicos, ſi quod iuſtum contra ipſos bellum foret: puta contra Arabes, Madianitas, Amalechitas, Idumæos, &c. Quid ſi tanquam præſidiarij milites, ſtipendia menſtrua à regiis quæſtoribus accipiebant?

h q. 8. in c. 22.
ca. 27.

VI. *Augetur ibi ſociis.*

INTERIM autem dum in Moabitidis præſidio commoratur Dauid cum quadringentis ſuis ſociis, alij quoque ad eum tam de tribu Iuda, quam de Beniamin aggregati ſunt, vti ex cap. 12. 1. Paral. colligitur. [i] *Venerunt autem*, ait Scriptura, *& de Beniamin, & de Iuda ad præſidium, in quo morabatur Dauid.* Nuſquam autem in præſidio [k] moratus reperitur Dauid, quam in Moabitide regione, quando multorũ corda incaluerunt ad cognatorum Dauidis, Gaditarum, & Iudæorum exẽplum ſequendum. Quantus eorum fuerit numerus non conſtat. Illud certe conſtat nõ plures fuiſſe ducentis, nam aliquanto poſt adiit Ceilam cum viris fere ſexcentis. Atqui in ſpelunca Odollam iam ſtipatus erat quadringentis viris, oportet ergo ducentos partim hoc in præſidio, partim in ſaltu Haret ad Dauidem conueniſſe. Non reperitur autem ſcriptum aliquos ad eum veniſſe dum eſſet in ſaltu Haret: pertinent ergo omnes ad hoc tempus. Mouit Dauidem inexpectatus hic militum globus, ignarum in amicis ne, an in aduerſariis cenſendi eſſent. Nam internuncii ad eum vt fit, præmiſſi tam Beniaminitas quam Iudæos ad ipſum aduentare memorabant, quorum illi qui ad tribum Saulis pertinebant, ſuſpicionem & metum, hi qui erant Dauidicæ, ſpem ac fiduciam afferebant.

i 1. Par. 12. v. 16.
1. Paral. 12. q. 7.
k Eadẽ vox hebræa eſt tã in 1 Reg. 22. v. 4. quam in 1. Par. 12. 16.

VII. *Dauidis erga eos humanitas, ac prudentia.*

EGRESSVS *ergo eſt* [l] *Dauid obuiam* eis; vtiq. cum lecta ſuorũ manu; ſiue præſidij cauſa in omnem euentum, ſiue dignitatis. Egreſſus autem partim honoris cauſa,

l 1. Par. 12 ver. 17.

quandoquidem illius iuuandi ac defendendi cauſa venire ferebãtur; eandem cũ ipſo fortunæ aleam ſubituri, & ipſum aduerſus cuiuſcunque hominis vim atq. iniuriam protecturi; partim etiam ſecuritatis, ne officioſæ charitati, ac beneuolentiæ Dauidis prudentia deeſſet. Voluit enim certo cognoſcere qua mente ad ipſum venirent, fidemq; exigere priuſquam eos ad ſe in ſuum præſidium admitteret. *Si pacificè*, inquit, *veniſtis ad me, vt auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis.* Ineamus ſeriam ac ſynceram amicitiam, quæ animos hominum ac corda coniungit; arcto inter nos fœdere copulemur, vt & vos ſalutem meam fideliter protegatis, ego veſtram defendam; vos optimorum militũ, ego amantiſſimi ducis munere fungar. *Si autem inſidiamini mihi pro aduerſariis meis*, ſi in gratiam aduerſariorum meorum, Saülis inquam, qui vnus inſtar multorum eſt, fraudem molimini, & proditionem nectitis aduerſum me, vt illi me crudeliter mactandum dedatis, *cum ego iniquitatem in manibus meis non habeam*, nullius mihi ſim admiſſi, ac ne cogitati quidem facinoris aduerſus eum conſcius, *Videat* Deus *patrum noſtrorum & iudicet.* Vide manſuetudinem Dauidis nihil aſperè, nihil minaciter laquentis, quamuis eſſet tum viribus multo potentior. Sed inſidiarum, & proditionis, ſi qua eſſet, religiosè appellantis, & inuocantis vltorem Deum.

NON fuit autem inutilis hæc comitas, & manſuetudo Dauidis. Accenſus eſt enim eorum animus, & amor in ipſum, & amplificatum deſiderium ipſius auſpiciis militandi; vnde ſubdit Scriptura. *Spiritus vero induit Amaſai principem inter triginta.* Quidam libri habent Abiſai, qui fuit frater Ioabi, filius Saruiæ, ſororis Dauid; & ita legũt Lyra. & Abul. At in emẽdatis bibliis hebræis, græcis & latinis habetur Amaſai, qui nepos quoq; Dauidis fuit, ſed ex altera ſorore, nomine Abigail, vt videbis in ſchematæ familiæ Iſai. [a] Mutatũ autẽ apparet nomen Amaſai, in Abiſai, eo quod princeps inter 30. hic dicatur, quod ad Abiſai potius pertinet, qui nominatur primus in ſecũda triade fortiũ Dauidis, [b] non ad Amaſai: qui nuſquam inter fortes nominatur. Ideoque aliqui exiſtimarunt triginta viros duntaxat veniſſe nunc ad Dauidem, quorum dux eſſet Amaſai, quod improbat Abul. [c] Dici poteſt eum veniſſe cum triginta de amicis ſuis, viris egregiis, & eorum nomine locutum eſſe, vt qui ad Dauidem cognatione pertineret. Fuiſſe autem ipſum quoque egregium bellatorem ex facto Abſalonis apparet, qui eum principem militiæ Ioabi loco, in illa ſua ſeditione, conſtituit. Quid autem reſpondet Dauidi Amaſa, auunculo nepos?

VIII. *Non irrita.*

Qui Amaſa.

[a] an. Saul 8. n. 35.
[b] 1. Par. 11. v. 20.
[c] q. 11. in c. 12. 1. Par.

TVI *ſumus, ô Dauid, & tecum filij* Iſai: *pax pax tibi, & pax adiutoribus tuis*, qui iam tecum ſunt quadringentis viris, & qui deinceps ad te defendendi tui cauſa venerint, quibus nos amicitiæ indicem dexteram porrigimus, eadem cum illis ſorte tecum militaturi. Quidni enim? *te enim adiuuat Deus tuus*, cuius nos voluntati obſequemur, & opus promouebimus. Nemo autem erat, qui Deum Dauidis adiutorem non agnoſceret. Ac ne Saul quidem ipſe, quamuis omnia inuidorũ more videretur in deteriorem partem accepturus. *Vidit* tamen *Saul*, ait Scriptura, [d] *& intellexit quod Dominus eſſet cum Dauid.* Omnia enim quæ in eius perniciem parabatur, à Deo in ipſius gloriam vertebantur. Quis vnquam præſentiori Dei auxilio adiutus eſt, quam Dauid, [e] quem neque haſta tertium ab infeſta, doctaque manu vibrata configere potuit, neque militaris cohors circumfuſa comprehendere? cuius cauſa idem Dominus inimicos eius in prophetas conuertit, & verum capitalium hoſtium furorem, inſania ſimulata deridet ac deludit: qui nũc ad eum certatim adducit, qui eius ſalutem commodis omnibus, quæ in patria à Rege ſperare poterant, anteferendam putent, & damna omnia, timoreſq; negligendos. *Suſcepit ergo eos Dauid, & cõſtituit principes turmæ*, ſiue quia ſingulos decanos, vel quinquagenarios hoc ipſo tempore fecerit, quod minus probabile videtur, cum hic honor tam fratribus & cognatis, quam vndecim illis Gaditis, qui priores ad Dauidem venerant, deferendus videretur, ſiue id potius referendum eſt ad tempora regni Dauidis iam conſtituti, quando ſingulos, aut certè primarios eorum, fecerit cohortis alicuius, aut turmæ præfectos.

IX. *Se Dauidi dedũt, quia Deus cum Dauide.*

peculiari prouidẽtia,

ab eoq. recipiuntur.

[d] 1. Reg. 18. 28.
[e] Vide Abul q. 16. in c. 12. 1. Par.

RESPIRARE iam Dauid, vt in fuga, & quieſcere, vt in rebus turbulentis videbatur, cum ecce tibi à DEO nuncius Gad propheta, ſiue is dudum venerat ad Dauidem in ſpeluncam Odollam, non ignarus diuinæ in Dauidem

X. *Monetur diuinitus de migratione.*

prouidentiæ, & improbiſſimæ vexationis, qua eum Saul affligebat, pertæſus; ſiue in Moabitidem dedita opera Dei iuſſu ad Dauidem venit, ſimulque, *Noli*, inquit, *manere in præſidio, proficiſcere, & vade in terram Iuda.* Suſpicatur Abulenſis [a] cœpiſſe Moabitam commoliri dolum, & machinam aliquam ad euertendum Dauidem, & nec opinantem tradendum in Saulis manus, vt in capite innocentis, regis illius amicitiam mercaretur, Deum autem illum remiſiſſe in terram Iuda, vt illic variis caſibus exercitus, illuſtria virtutum exempla populo monſtraret, quibus magis magiſque teſtata ipſius innocentia, omnium beneuolentiam Dauidi conciliaret. Siue ergo Deus Dauidem periculo eximere hac inopinata migratione voluerit, ſiue eum pluribus in terra Iuda caſibus exercere, & illuſtribus eundem meritis cumulare; ſiue optarit pluribus, patientiæ, manſuetudinis, innocentiæ luminibus athletam ſuum ſplendeſcere ſiue Iſraelitis, qui erant cum Dauide occaſionem declinandi ad idola Moabitarum eripere; ſiue denique oportuit beneuolentiam, gratiamque multorum erga ipſum præſentia ſua conſeruare, atque augere, quæ nimis diuturna apud Moabitas commoratione defluxiſſet, migrationem in terram Iuda Dominus imperauit.

Gad propheta.

Quæ migrandi cauſa.

1 2 3. 4. 5.

[a] q. 10. & 11. in c. 22. Regum.

XI. *Inſignis Dauidis obedientia.*

IN hac porro migratione, quæ ſine vlla mora, excuſatione, vel tergiuerſatione ſuſcipitur, inſignis omnino ſe prodit Dauidis obedientia, quæ ignotum adhuc Prophetam, & quaſi alterum Melchiſedechum, [b] aut Eliam ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα καὶ ἀγενεαλόγητον, acerba, ac perículoſa mandantem non repulit, vt qui Deum in eo loquentem audiebat. Præclara obedientia, quæ neque periculum ſuorum obiicit, ſi longius à Moabitis abierit, neque periculum ſuum, ſi propius ad fontem ipſum tempeſtatum ſuarum acceſſerit. Nam ſtatim ſequitur delatum fuiſſe ad Saulem apparuiſſe Dauidem, & viros, qui erant cum eo. Sed an cum his viris erãt etiam parentes eius? Abulenſis [c] exiſtimat Dauidem cum parentibus in terram Iuda reuertiſſe; & eoſdem deinceps quocũque ipſum proficiſci contingeret, propter omnia loca periculis infeſta, circumduxiſſe. Credibilius putat Torniellus [d] eos in Moabitarum regione defunctos, quod nulla deinceps eorum mentio habeatur: nec probabile ſit Dauidem, decrepita ætate parentes crebris locorum, quæ imminebant, mutationibus vexare voluiſſe. Quod mihi quoque ſit vero ſimilius, nec ſcripturæ verba nos ad migrationem eorum cum Dauide admittendam compellunt, vt ſupra explicatum eſt. [e] Et res ipſa ſuaui Dei prouidentiæ conſentanea eſt, vt eadem opera Dauid ingenti cura ac ſollicitudine, Iſai cum vxore non minore moleſtia liberarentur.

[b] ad Hebr. 7. 3.

Quid factum eius parentibus.

[c] q. 8 in c. 22.

[d] an. 4. ætat. 431. nu. 7.

[e] nu. 4.

XII. *Dauid morientibus aſſuiſſe videtur.*

CLAVSIT ergo Dauid oculos ſenum, in medio fratrum ſuorum, ipſis eam illi gratiam ac priuilegium minime negantibus, quem vnctum ſciebant regem, & quem iam ducem ac Dominum habere cœperant. Eamque morientibus nauauit operam, quæ à tali filio poterat expectari: vt in fide, ac ſpe venturi Meſſiæ defungerentur; in cuius ſe progenitoribus cenſeri, quæ ipſorum erat ſumma gloria, & fuiſſet lætitiæ ſeges inæſtimabilis, vtique neſcierunt: quando ne Dauid quidem hoc tempore tanta de felicitate quidquã ſuſpicabatur. Felices ambo clarorum virorum prole multiplici, ſed poſtrema longe feliciores, per quem tot regum parentes effecti ſunt, quem regno gentis ſuę inauguratum viderunt, & in eo nunc parturiendo laborantem reliquerunt. Regem qui regibus omnibus, qui cunctis retro ſæculis ſceptra tenuerant, longo interuallo antecelleret, & omnibus deinceps regibus heroicis virtutibus præluceret. Felices ambo tali ac tanta prole, ad quorum commendationem id vnum ſufficere videatur, quod electi à Deo in progenitoribus ſuis, Dauidem regem populo Dei ediderunt, ſicut beatiſſimæ Virginis vnica, & ſumma fuit gloria, quod ex ea *natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.*

Eorum laus.

XIII. *Dauid venit in ſaltum Hareth.*

FVNERIS officio perfunctus Dauid cum fratribus ſuis, *venit in ſaltum Hareth,* cum populo ſuo. Ioſephus [f] ait veniſſe in oppidum Sarim. Septuag. vocant Sarec. 1. Complut. & regia Hebræum ſequuntur vt ſolent. Exiſtimat Abulenſis [g] Hareth fuiſſe quandam ciuitatem, quæ Mareth quoque diceretur, ad quam denſæ erant ſyluæ, quæ nomen ab oppido acceperant, ſicut ſpelunca Odolla habuit ſibi cognominem ciuitatem. Huc autem Dei iuſſu duplici de cauſa fu-

[f] l. 6. c. 14.

[g] q. 12. in 22.

[h] Ioſ. 15.

giſſe Dauidem, altera quod in ſaltu multa eſſent loca latebris opportuna; & quæ egre admodum ab exercitu regio adiri poſſent: altera, quod totus ille tractus non ita diſtaret à regione Philiſthinorum; Erat enim proprie in tribu Dan, ſed dicitur in tribu Iuda, quòd, iuxta primariam terræ diuiſionem, tota illa terræ pars, quæ Simeoni & Dan attributa eſt, Iudæ fuerat aſſignata. Adrichomius tamen ſaltum Hareth à ciuitate Sareth ſiue Sarim & Saraim valde disiungit. Non recte autem Ioſephus ait Dauidem ad oppidum veniſſe; in eoque manſiſſe. Nam poſt modum cap.23. ſibi gratulabatur Saul, quod Dauid in Ceilam eſſet ingreſſus, vrbem in qua portę eſſent & ſeræ; ſignificans eum antea in ſyluis tantum, ſpeluncis, & locis inacceſſis latitaſſe.

vide 1. Reg. 17. 12.

XIV. *Innoteſcit Sauli.*

CVM igitur veniſſet Dauid cum ſuis in ſaltum Hareth; non potuerunt ſexcenti viri (nam numerus quadringentorum, qui erat in Odolla, in Moabitico præſidio creuerat) ita contineri, aut abſcondi, quin cito Saulis aures de eorum aduentu rumor afflaret. Quid enim latere diu poteſt hominem ſollicitudine ſuſpenſum, ſuſpicacem, omnia ſubauſcultantem, ac perſcrutantem. [a] *Audiuit* ergo *Saul quod apparuiſſet Dauid, & viri qui erant cum eo.* Sciebat Saul pleroſque ad Dauidem confugiſſe; pleroſque enim viros minime obſcuros videbat in aula deſiderari, [illegible]mnéque in Bethlehem Dauidis cognatos, ſed vbinam gentium illi eſſent neſciebat. [b] Ignorabat quæ apud Gethæum regem, quæ in ſpelunca Odollamitica, quæ in præſidio Moabitico contigiſſent; plerique enim metu, alij beneuolentia tacebant, & ſilentium ſuis imperabant. Is nuncius regem in non mediocrem metum, ac perturbationem coniecit, vt ait Ioſephus, [c] ſciens enim eius animi magnitudinem, ac fortitudinem, aliquid magnum moliturum ſuſpicabatur, quod regiis negotiis aut periculum, aut certe difficultatis, ac laboris plurimum afferret.

a 1. Reg. 22. 6.

b Abul. q. 12 in eo cap. tex

c l. 6. ant. c. 14.

XV. *Dum eſſet in Gabaa.*

ERAT autem tum temporis Saül in Gabaa, in qua habitabat; in ea vrbe, vt in pleriſque aliis, erat collis, ſiue excelſus locus, qui hic Rama dicitur, ſiue, vt habent Lyranus & Abulenſ. Ramatha communi potius, & appellatiuo nomine, quam proprio. In eo colle erat nemus, quò Saul animi gratia conferebat ſe, cū domeſticis & amicis ſuis. 2 Cum igitur illuc aſcendiſſet, *cunctiq. ſerui eius circunſtarent eum; haſtam* de more *manu tenens*, ſiue regiæ poteſtatis inſigne, ſiue animi commotioris indicium, ad ſeruos ſuos, qui aſſiſtebant ei, oratione vſus eſt plena doloris, ac querelarum, in hæc fere verba. *Audite nunc filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Iſai agros & vineas, & vniuerſos vos faciet tribunos, & centuriones; quoniam coniuraſtis omnes aduerſum me, & non eſt qui mihi renunciet; maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Iſai? Non eſt qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annunciet mihi; eo quod ſuſcitauit filius meus, ſeruum meum aduerſum me, inſidiantem mihi vſque hodie.* Ita Saul.

2. χ.

quid rama.

Saulis querela.

XVI. *Expenditur*

PLENA eſt acerbiſſimi doloris hæc oratio; & digna, quæ non negligenter expendatur. Filios Iemini vocat, ſiue Beniamin, id eſt contribules ſuos, ſibi familiariſſimos, apud quos plura extabant quam apud cæteros regiæ beneficentiæ monimenta; ea compellatio non tantum ad beneuolentiam valet, ſed aculeum etiam infigit, ne ſperent, ſi Dauidi fauerint, eo rerum potiente ſe locupletatum, aut honoribus auctum iri; quod nimirum hæc ille ſuis contribulibus de tribu Iuda, qui iam eum aſſectentur, largiturus ſit: cum tamen ea ſpes eos ab officio ſuo, & in regem ſuum amore, ac fide abduxiſſe videatur. Eam culpam ex ingenti animi mœrore amplificans, atroci coniurationis verbo appellat, *coniuraſtis*, inquit, *omnes aduerſum me*, fauere enim eos ait inimico ſuo, & cum eo ſentire ac conſpirare; quod regi ſuo non patefaciant quid Dauid faciat, quid inceptet, vbi ſit, quid conſilij capiat, quo modo intercipi, & comprehendi poſſit. Nam quod nunc Saül de Dauide didicerat, id non à ſeruis ſuis, ſed fama confuſa nunciante didicerat.

An recte ſuos coniurationis accuſet.

XVII. *Qui potuerunt non prodere Dauidem.*

CVM autem coniuratio ſit mutua aliquorum promiſſio, aut conuentum in rē aliquam, iure iurando firmatum, [d] potuerunt ſerui Saülis conuenire inter ſe, ac promittere: & promiſſionem iureiurando roborare, ſe non indicaturos Sauli Dauidem. Cum enim rex Dauidem quæreret ad perdendum eum, qui nulla erat in culpa, iniuſtè agebat: nec fas erat iſtius iniuſtitiæ participem fieri, vel ad-

d Abul. q. 13. & 14. in c. 22.

miniſtrum vllum, cui nota eſſet iſta iniuſtitia; Nemo autem aulicorum Dauidis innocentiam ignorabat: nec eum Saul ipſe vllius culpæ arguebat. Imo vt ait Abulenſis cum communi doctorum ſententia, ſi quis iuraſſet ſe Sauli indicaturum Dauidem, non obligaretur ſtare promiſſis, quoniam iuſiurandum non eſt inuentum, vt eſſet vinculum iniquitatis; quiſquis autem indicaret hoc rerũ ſtatu, mortifero ſe crimine obſtringeret. Iniuſta itaque erat hæc Saulis petitio, & iniuſta querela, præſertim cum ſupponat famulos ſuos exploratas habere res Dauidis, quod falſum erat: nam ſolo Ionatha conſcio aufugerat, nec erat qui deinceps didiciſſet, quid ipſi factum eſſet.

XVIII. *Altera coniuratio.*

Altervm autem eſt coniurationis genus, cuius Rex Ionathan filium ſuum reum agere videtur; de præſtando Dauidi fauore contra Saulem. Hoc videlicet grauiſſimum eſt querelæ caput, quod Ionathan petit, quem proditionis accuſat, & authorem facit coniurationis contra patrem ſuum. Quæ diiudicanda ſunt, quæſtionem enim habent illuſtrem, ac ſcitu neceſſariam. Dicimus autem cum Toſtato, [a] Dupliciter contingere potuiſſe, vt ſerui Saulis coniurarent contra ipſum, in gratiam Dauidis, aut defendendo Dauidem, quem norant innocentem; aut inuadendo Saulem, quem in culpa eſſe conſtabat; prius iuſtum erat, ac licitum. ſicut enim Dauid iuſtè defendebat ſe, ac præſtabat incolumen, ita poterant etiam alij huic iuſtitiæ, atque æquitati fauere; itaque ſexcenti illi viri propugnatores Dauidis in culpa non erant, dum illum, ac ſeipſos tutabantur, ſub moderamine, vt aiunt, inculpatæ tutelæ.

a q.14. cit.

De Dauide defendendo licita.

XIX. *De Saule inuadendo iniuſta.*

Posterior coniuratio iniuſta fuiſſet, ac plena perfidiæ, nimirum contra fidẽ principi datam de illo conſeruando, ac defendendo. Itaque ſi quis Dauidi faueret ad nocendum Sauli, propter acceptas ab eo iniurias, aut ad eum regno exturbandum, aut alia quauis ratione impugnandum, mortifera ſe culpa obſtringeret. Non enim ius eſt vllum ſubdito aduerſus principem ſuum ad eum inuadendum, quamuis iniuſtè agat; quis enim eum conſtituit iudicem iudicis ſui? quis punitorem culparum eius? Quin etiam ſi ponamus Dauidem armis acceptas à Saule iniurias perſequi, non ſolum nemo ſubditorum Saulis poſſet cum Dauide ſocia arma coniungere, ſine iniuſtitia atque perfidia; ſed ſub eiuſdem culpæ reatu teneretur Saulem armis contra Dauidem tutari; iniuſta quippe tum foret cauſa Dauidis, regem ſuum aggredientis, & Saulis iuſta defenſio.

XX. *Iniuſta de Ionatha patris querela.*

Ex quibus intelligi poteſt iniuſtiſſimam fuiſſe Saulis aduerſum Ionathan querelam, atque accuſationem. Dauidis innocentiam, quod recte facere potuit, verbo defendit, initam cum Dauide amicitiam, quæ nullum in damnum Saulis redundabat, conſeruauit, nulla plane re ipſum iuuit ad Saulem patrem impugnandum, non armis, non copiis, non conſilio, non pecunia. Non enim Dauid infeſtis armis petebat Saulem, ſed ipſum aggredientem ſtudioſè deuitabat, ac quantum ingenio, viribuſque conſequi poterat, ſe incolumen præſtabat: cuius rei apertiſſimum argumentum eſt, quod cum Saulem ſemel iterumque in poteſtate habuiſſet, nulla tamen eum voluit ratione violare. Quod ſi Ionathas nulla in re Dauidem, cum poſſet, tutatus eſt, non videtur aut communis iuſtitiæ aut priuatæ amicitiæ legibus ſatisfeciſſe. Itaque tantum abeſt vt fateamur Ionathan vlli culpæ affinem in fauendo Dauidi; vt eius potius erga ipſum charitatem deſiderare poſſimus, niſi plura ad eius defenſionem præſtitit, quam in ſacra hiſtoria perſcriptum ſit.

qualis erga Dauidem Ionathas.

XXI. *Iniuſta quoque de ſuis.*

Non recte itaque Saul lamentatur conditionem ſuam, cuius ſortem infelicẽ, ac vicem amici non doleant, & regem ſuum, ac patrem, filij ſcelere, ac proditione præcipitantem in interitum, ne verbo quidem ſuſtentare velint. Humano nimirum ſenſu atque affectu, & non recta ratione metitur, quæ à ſubditis ſuis deſideret: eoſque exiſtimat omni regis ſui voluntati famulari oportere. Dauidem perditum cupiebat, optabat ſuos omnes in illum impetum facere, ſi poſſent, ſi non poſſent, omnem mouere lapidem ad eius ruinam: ſcrutari latebras, regi denunciare, inſidias ſtruere, calumniis onerare, rectæ rationis nullam habere rationem, ſed iniuſtiſſimis odiis, inuidiæque obſecundare: non intelligens non eos ſolum, qui principes ſunt in aliquo ſuſcipiendo facinore, ſceleratè agere, ſed eos quoque omnes, qui illius quoquo modo fautores fuerint, adiutores,

aut

aut adminiſtri. Illud autem de ſuſcitato à Ionatha Dauide, vt vitæ, aut regno, Saulis inſidiaretur, iuſtiſſima erat accuſatio, ſi vera fuiſſet accuſatio, & non certiſſima calumnia. Neque enim aliud quippiam egit, aut molitus eſt Dauid, quam ſe immeritæ morti ſubtraxit, & furentis in ſe principis iram, ac funeſtam deuitauit lanceam, crudeleſque manus. Neque aliud voluit Ionathas quam Dauidis innocentiæ, contra impotentem tyranni potentiam, ac furorẽ patrocinari, & quidem verbo duntaxat; Nam reipſa nihil, vt dicebamus, Dauidi fauiſſe legitur; ſed ſibi potius, ac poſteritati ſuæ in futurum conſulere voluiſſe.

Quid pro Dauide Ionathas.

XXII. *An Saul ſciuerit fœdus eorum.*

MIRVM eſt autem vnde ſciuerit Saul hoc Dauidis cum Ionatha fœdus, quod nunc illi in faciem, coram vniuerſo nobilium, & aulicorum cœtu obiicit, atque exprobrat; etiam apud Ioſephum. [a] *Scio* inquit, *vos omnes in illum propenſiores, initio facto à Ionatha filio, qui & vobis huius ſententiæ author eſt. Non enim me latent clandeſtina inter illum & Dauidem icta fœdera; neq. quod conſilio & opibus aduerſariorum partes contra me adiuuat.* Erat hæc quidem germana, vt dixi, calumnia, ſed vnde hæc illi cognitio, cuius præter Ionathan, & Dauidem mortalium nemo cõſcius fuerat iuxta illud, [b] *De verbo autem quod locuti ſumus, ego & tu, ſit Dominus inter me & te, vſque in ſempiternũ.* Videtur certe Saul ex ſuſpicione amplificando id diuinaſſe. Sicut enim coniuraſſe dixit ſuos cum Dauide, eo quod ſibi non ſatis addictos, neque conſiliis ſuis ſatis fauentes putaret: ſic Ionathan dixit fœdus iniiſſe cum Dauide, quia eius iam ſemel, atque iterum cauſam ſuſceperat, & ſe tam ſtudioſum eius, tamque verum amicum oſtenderat, quaſi fœdus immortalis amicitiæ cum eo contraxiſſet.

a 16 ant. c.14.

b c.20.23. 1.Reg.

XXIII. *Doegus defert ad regem Achimelechum.*

ORATIONEM Saulis ſilentium eſt conſecutum, omnes quippe, deiecto in terram obtutu, partim deſperatum Saulis animi morbum, tacito luctu proſequebantur; [c] partim præſentem Ionathæ confuſionem, proprio ipſi pudore teſtabantur; partim Dauidis innocentiam, quaſi imminutæ maieſtatis noxam proſcriptam gemebant, nomine pro alterutro mutire audente, quod ſatis ſuperque intelligerent, id eſſe alieniſſimo tempore irritam, imo noxiam afferre medicinam. *Poſt hæc regis verba*, inquit Ioſephus, *cæteris ſilentibus, ſolus Doecus Syrus, mularum regiarum curator reſpondit, vidiſſe ſe Dauidem in Noba oppido, quò cum ad Pontificem Achimelechum veniſſet, ab eo de euentu rerum oraculum accepiſſe, adiutumque commeatu, & gladio Goliathi armatum, quo volebat deductum eſſe.* Sed præſtat ipſam audire Scripturam. *Reſpondens autem Doeg Idumæus, qui aſſiſtebat, & erat primus inter ſeruos Saul, vidi*, inquit, *filium Iſai in Nobe apud Achimelech, filium Achitob ſacerdotem: Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei, ſed & gladium Goliath Philiſthæi dedit illi.*

c Vid. Abu. q.16. in c. 22.1 Reg.

XXIV. *Id non bene refert Ioſephus.*

ADDITVR hic conſultum à Pontifice Dominum in gratiam Dauidis, quod ſupra tacitum fuerat. Nec tamen id de ſuo videtur Doëg addidiſſe. Id enim non negat mox ipſemet Achimelech. Ioſephus potius adiecit de ſuo Dauidem à Pontifice, ad quos volebat, tutò deductum fuiſſe: quod neque factum, neque cogitatum fuit, Dauide omnia vel tacente, vel diſſimulante apud ipſum; clarumque eſt Scripturam fidem huic mendacio derogare; Illud etiam mutauit, quod non ait conſultum pro eo Dominum, quid ei facto opus eſſet, aut rectene præſens ſuſceptum eſſet negotium, ſed de futuro rerum euentu ab eo oraculum, ſiue prophetiam accepiſſe. Sed iampridem conſtare arbitror fidem in Ioſepho hiſtoricam vehementer vacillare. Satis autem apparet Doëgum, vt verum dixerit, malo tamen animo dixiſſe, & in eam partem ipſo dicendi modo detorſiſſe, quaſi ea ex malo in regem animo facta eſſent à ſacerdote: non enim alioqui rex tanto furore in ipſum, totamque eius familiam, ac ciuitatem vniuerſam exarſiſſet.

XXV. *Quæ Doëgi culpa.*

CVM autem iam ſupra conſtitutum fuerit, non potuiſſe quemquam ſeruorum Saulis quidquam illi de Dauide ſine ſcelere nunciare, [d] quod ſcirent omnes huiuſmodi nuncium à rege in perniciem innocentis trahi, certe perſpicuum eſt grauiter peccaſſe Doëgum dum ea nunciauit, quæ in aliorum quoque innocentium interitum redundarent, qui ſuſpectum coniurationis cum Dauide reddebat ſacerdotem apud exulceratum regis animum: cum tamen ſyncerum Pontificis animum, & fraudis omnis expertem agnoſcere potuerit, cum præſens agnouit Achimelechi admirationem in aduentu Dauidis, & ſtudium non tam Dauidi, quam regiis negotiis, gratificandi, quæ vir ille iactaret, in quo

d Abul. q.21 in c. 22.

Eiuſdem adulatio. & dignitatem venerabatur, & fidem, & in quo nihil adhuc deprehenderat ſimulatum, aut duplex. Denique adulatorio animo ac fraudulento contextam fuiſſe hanc accuſationem, & voluntate excuſandi ſui, & gratificandi Sauli, qui de omnibus ſeruis ſuis conquerebatur, tanquã nimium in ſua cauſa taciturnis, ſatis apparet ex eo pſalmo,[a] quẽ Dauid poſtea contra ipsũ cõpoſuit: de quo nobis ſermo ſuo tẽpore ac loco recurret.[b] vt taceã illam appellationem non Dauidis, ſed filii Iſai, qua regi quoque blanditur. [a] Pſal. 51. [b] infr. n. 47.

XXVI. *Acceerſuntur Sacerdotes.* MISIT *ergo rex ad accerſendum Achimelech ſacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris eius ſacerdotum, qui erant in Nobe, qui vniuerſi venerunt ad regẽ.* Satis conſtare poteſt miſſos illico ad Achimelechum pontificẽ nuncios; impatiens enim eſt ac vindictæ quã prõptiſſimæ appetens iracundia; eos tamen non eodem illo die veniſſe intelligi poteſt, ſiue quia tam multi ſacerdotes non ſtatim parati eſſe potuerunt ad comparendũ corã rege, ſiue quia quinq; minimùm horarũ iter, inter Nobe & Gabaa Saulis interiacet, iuxta topographiã Adrichomij; [c] ſatis tamen, ac nimiũ cito in ſuam perniciem venerunt. Non vnũ Achimelechũ vocauit Saul, licet vnus delatus eſſet à Doego quoniam exiſtimauit non illum vnum contra ſe coniuraſſe, ſed cum eſſet omnium caput, & princeps, cæteros de domo patris ſui in ſuam pellexiſſe ſententiam, & ſocios reddidiſſe coniurationis: ideoque omnes eidem culpæ affines eſſe, omnes eidem pœnæ obnoxios. Deo interim malam Saulis voluntatem ita moderante, vt ipſo inſcio, per ipſum tamen peccata filiorum Heli, à quibus iſti proſeminati fuerant, vlciſceretur.[d] [c] in tab. Beniamin. *Dei in eos iudicium.* [d] Abul. q. 22 in c. 22. inf. n. 51.

XXVII. *Saul accuſat Pontificem.* CVM adeſſent coram rege ſacerdotes, Saul primo ſtatim orationis ingreſſu iram ſuam aduerſus pontificem prodit, quem non ſolum nullo compellat honorifico nomine, ſed proprio etiam abſtinet, contumeliæ cauſa. *Audi*, inquit, *fili Achitob*, ſicut & paulo ante filium Iſai pro Dauide dixit. Ad eum autem ſermonem dirigit, quod princeps ſacerdotum cum eſſet, de eorum actionibus videbatur reſpondere debere, & domeſticorum, ac cognatorum culpas non ignorare; accedebat quod ipſe nominatim fuerát accuſatus à Doego, qui reſpondit, *præſto ſum Domine*; contemptum non remetitur contemptu, ſed ſatagit vincere in bono malum, ſi forte ſermo dulcis frangat iram, *Dixitque ad eum Saul, quare coniuraſtis aduerſum me, tu, & filius Iſai; & dediſti ei panes & gladium, & conſuluiſti pro eo Deum, vt conſurgeret aduerſum me inſidiator vſque hodie permanens.* vel vt alii vertunt, ſtrueretque mihi inſidias, vt hodie quoque videre eſt.

XXVIII. *Expenditur accuſatio.* SAPIT hæc oratio hominẽ præ iracundia non ſatis compotem ſui; incipità contumelioſa appellatione, pergit cum falſa criminatione, & calumnia; & mox concludit cum atrociſſima ac crudeliſſima condemnatione. Falſò enim criminatur coniurationẽ, quæ cũ ignorantia, quæ fuit in Achimelecho, eſſe non potuit; Et quamuis omnia illi nota fuiſſent, penituſq; perſpecta, mera calumnia eſt, ne dicam blaſphemia, conſultũ Dominũ, vt ſeruus in Dominum conſurgeret; quaſi Deus cuiuſquã conſultatione, aut precibus adduci poſſit ad fauendum factioſis hominibus, & contra legitimos Dominos inſurgentibus. Incertiſſima ſuſpicio eſt datum gladiũ, atq; viaticum fideliſſimo, probatiſſimoq, principi, in pernicioſum finẽ, profligandæ, aut affligendæ legitimæ poteſtatis; & non in præſidiũ afflictæ indignũ in modũ innocentiæ. Si quis tamen mitius agere cũ Saule voluerit, dicet ab eo ſacerdotẽ inconſultę temeritatis accuſari, qui neglexerit attendere cui bene faceret, ex quo factum ſit vt ille fortior ad nocendum, ac pernicioſior euaderet. vt finis & occaſio.

XXIX. *Pontificis defenſio.* OBSTVPVIT ſine dubio, ac ſtetit attonitus tam inopinato ictus nuncio põtifex. Vt primum autem rediit ad ſeſe, reſpondẽs regi ait, *Et quis in omnibus ſeruis tuis ſicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?* Non confugit Achimelech ad negationem facti, ne defenſio nixa mendacio maiorem pareret offenſionem; ſed facti tuetur æquitatem; qui non hoſti, aut inſidiatori benefecerit, ſed viro cuius fides in regem tot caſibus probata eſſet atque perſpecta; eiuſq. rei non alium quærendum eſſe teſtem quam ipſum regem, qui non elegit in generum, niſi virum qui probitate, fide, fortitudine dignus eſſet qui regem intima neceſſitudine, atque affinitate contingeret. Ego ne aut quiſquam omnino mortalium ſuſpicaretur hoſtem Dauidem, quem tu difficilli-

mis in negotiis probaſti non lentum cunctatorem, ſed promptum, alacrem, expeditum, & deſideriis tuis votiſque ſuperiorem; Armatum prodire voluiſti aduerſus Goliathum, inermis prodiit, & retulit victoriam omnibus ſeculis memorabilem. Edixiſti centum præputia Philiſtæorum, illico ducenta numerauit. Denique toties à te iuſſus capitis adire diſcrimen, non detrectauit imperium; ergo glorioſiſſimus factus eſt in domo, in aula, in regno tuo, & dignus in quem omnium ſtudia, amoreſque conſpirent. *Cum laude Dauidis.*

Itaqve coniurationis crimen & à Dauide, & à ſe, totaque domo ſua ſapienter repellit Achimelech. Nam coniurati perfidi ſunt, Dauid autem fidelis, imo omnium fideliſſimus. Coniurati hoſtes ſunt, Dauid autem non amicus modò, ſed intima etiam affinitate coniunctus, vt regis gener audiat, & inſtar filij ſit. Coniurati inſurgunt aduerſus dominum ſuum, Dauid pergit ad regis imperium, ſemper ad omnia eius mandata expeditus. Coniurati clādeſtina conſilia ineunt, occultas inſidias, ac molitiones fabricantur. Dauid laudatiſſima opera in oculis omnium ſuſcipit, vrget, exequitur, vnde & glorioſiſſimus apud omnes effectus eſt, omnium ordinum atque ætatum, ſecundum te ac Ionatham filium tuum, facilè princeps. Sed eſto, ſit ille perfidus, ſit coniuratus, ſit transfuga num huius nos affines culpæ ſumus, qui rem totam penitus ignorauimus? qui conſueta dudum officia, non noua quæpiam; aut ſuſpecta ipſi exhibuimus? qui ei fauendo gratiam tuam nos demereri, & in perſona tibi, vt putabamus, multis nominibus chariſſima, tibi ipſi ſtuduimus gratificari. Hæc vis eſt illorum verborum, *Num hodie cœpi pro eo conſulere Deum? abſit autem hoc à me*, crimen atque ſuſpicio. *Ne ſuſpicetur rex aduerſus ſeruum ſuum rem huiuſmodi in vniuerſa domo patris mei. Non enim ſciuit ſeruus tuus quicquam ſuper hoc negotio, vel modicum, vel grande*, vt ipſum inimicum tuum vel credere, vel ſuſpicari poſſem. XXX. *Repellit coniurationis crimen.* *excuſat ignorantiam*

At rex qui furore iracundiæ præoccupatus erat, & cupiebat exemplum terrificum ſtatuere, in quod omnes amici, fautoreſque Dauidis, cum ingenti metu, ac ſtupore intuerentur; nihil tam æqua defenſione mitigatus, nefariam in eum, totámq; eius familiā ſententiā mortis intorquet. *Morte morieris*, inquit, *Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.* At peccarit ſane Achimelech; ſit ſcelus allocutum eſſe Dauidem, aut admiſiſſe talem virum in ſanctuarium, quod nemini negatur in toto populo. panem in viaticum dediſſe, quod egentibus mijericorditer elargimur; gladium non dediſſe Dauidi, ſed Domino ſuo reddidiſſe, aut vtendum dediſſe, ſit ſacrilegium Dominum pro ſupplice, & afflicto conſuluiſſe, quid peccauit omnis domus patris eius? Quid ſceleris admiſerunt tot pueruli, puellæque qui neſciunt diſcrimen inter dexteram & ſiniſtram ſuam? tot lectiſſimi adoleſcētes, tot egregij iuuenes, tot viri fortiſſimi, tot religioſiſſimi ſacerdotes? Nōne prohibet diuina lex filios pro ſcelere parentum puniri? Sed nimirum vigebat adhuc illa Domini maledictio [a], quæ familiam Heli, propter peccata Ophni & Phineas filiorum eius, perſequebatur vt Ioſephus [b] & Abulenſis [c] notarunt. XXXI. *Cōdemnatur à rege, cum ſuis.* *quam iniuſte.*

a ſup. n. 26. b 16 ant. c. 14. c in c. 22 q. 22 & q. 28. & 29.

Et *ait rex emiſſarijs, qui circumſtabant eum*, curſores vocātur in Hebræo ac Græco textu, vox tamen vniuerſe hoc loco accipitur de omni Saulis ſatellitio, cæteróq; comitatu; nam quos hic vocauit emiſſarios, mox ſeruos vocauit, cum ait, *Et noluerunt ſerui Regis extendere manus*, &c. illi ſcilicet ſerui, quibus mandatum dederat pepetrandæ necis huius. Illis ergo ait *Conuertimini*, agite corripite arma, *& interficite ſacerdotes Domini.* Hæc pœna eſt, crimē autem, *nam manus eorum cum Dauid eſt*, cum eo ſcilicet coniurarunt aduerſum me. Vnde autem id probatur? *ſcientes quod fugiſſet, & non indicauerunt mihi.* At id Achimelech conſtanter negat. Itaque ſerui regis, animaduerſa iniuſtiſſima ſententia, & atrocitate facinoris in perſonas Deo conſecratas, *noluerunt extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini.* Cum ergo irrita eſſet generalis iſta iuſſio, Saul ad Doëgum conuerſus, quem habebat omnibus in rebus iuſtis iniuſtiſue, vt germanum adulatorem, obſequentem. *Conuertere tu & irrue in ſacerdotes*, Ipſe autem, ne videretur immerito Achimelecum detuliſſe ad regem, ſceleſtæ iuſſioni morem gerit, *irruit in ſacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo.* XXXII. *Serui recuſant parere Sauli.*

Omnia pene verba ſacrilegam tyranni crudelitatē damnant, perſona ſacroſancta ſummi pontificis, qui Regi, ac toti Reipubl. in ſpiritu parens erat XXXIII. *A Doëgo trucidātur.*

numerus octaginta quinque ſacerdotum Domini; cauſa mera calumnia, & fictū crimen; locus, palatium regis, ipſiuſque præſentia, quæ ſontibus occurrens ſolet eſſe ſalutaris; habitus religioſus, qui iuſtam venerationem conciliare ſolet; denique horror tanti ſceleris, etiam in hominibus cædi & ſanguini aſſuetis: ex quo recuſatio nata eſt immaniſſimæ lanienæ, egregio aulicis exemplo relicto principum mandatis manifeſtè iniuſtis non parendi; quia tunc *obedire magis oportet Deo, quam hominibus*, vt notauit Caietanus; itaque Saulis famulos hoc nomine commendat Theodoret. [a] Et manſiſſet infectum facinus, niſi barbarus ille perſtans in ſententia, hominem Idumæum ſcelere ſibi ſupparem, ad perficiendam eam carnificinam nominatim impuliſſet; quam illi omnes admirabili patientia ſubierunt, adeo vt aduerſus impurum vnum ſatellitem, 85. viri non inſurrexerint, nemo omnium manum ad defenſionem extulerit, nemo linguam ad querelam, & vindictam à Deo expoſcendam explicarit: ſed tanquam Deo ſacræ victimæ pro Dauidis innocentia, iugulo ſinguli carnificem gladium immergentem acceperint. Itaque S. Bachiarius, [b] vt notauit noſter Serarius, non dubitat hos ſacerdotes in martyrum numerum referre; qui ab impio rege pro Dauidis innocentia interfecti fuerint.

eorum patientia, dicti martyres.

a q. 53.

b tom 1. bibl. Lect.

XXXIV. *Qua in veste cæſi.*

Existimat Lyranus hos ſacerdotes veniſſe ad regem indutos iis veſtibus, quibus Domino miniſtrabant, vt facilius iratum eius animum flecterent. At multo probabilius eſt eos ſacras veſtes è ſanctuario non extuliſſe. Negat enim Abul. [c] in vſu fuiſſe ſacerdotibus hebræis, ſicut nunc noſtris in ſacris ſupplicationibus, cum veſtibus, in quibus Deo miniſtrabant, è ſanctuario pedem efferre. Habuiſſe autem ephod lineum, albam ſcilicet veſtem, diſtinctam à ſacris, eamque Leuitis & ſacerdotibus communem, quam ordinariè per oppidum ferebant: vt nunc Eccleſiaſtici viri ſuperpelliceum lineum, & in huiuſmodi veſte, indice ſacerdotalis ordinis aut Leuitici, omnes interfecti ſunt: Nec placet in tam aperta, & nō abſurda Scripturæ ſententia, audire Hebræos in traditionibus ſuis, aut eos ſequentem Vatablum, negantemque interfectos in veſte ſua, & interpretantem indutos ephod, id eſt idoneos ætate atque ordine, qui induerentur, interpretatione, violenta ac minimè neceſſaria. Eam autem veſtem ſiue ephod non tam ad placandum regem, quem ſibi neſciebant infenſum, quam ex conſuetudine circumferebant. Poterant tamen regem ſibi aliqua ex cauſa infenſum ſuſpicari. Eſque facile fuit longiore in itinere, aliquid ex regiis nunciis expiſcari de regis ira, & illius cauſa. Quo etiam pertinet euaſio Abiatharis, quæ conſilio vtiq; contigit, & non caſu, vt ephodi pontificii conſeruatio, & tranſlatio ſatis oſtendit.

c q. 27. inc. 22. Leuit. 6. 9. Ezech. 44. 17.

XXXV. *Clades in Nobe.*

Neqve hic exſatiatus eſt crudeliſſimæ beſtię cruentus furor: Nam *Nobe ciuitatē ſacerdotum*, ait Scriptura, *percuſſit in ore gladÿ, viros & mulieres, & paruulos & lactentes, bouemque & aſinum, & ouem in ore gladÿ*. O miſerum regem, & præpoſterè crudelem, ac miſericordem! Cum iuſſu Dei in Amalecitas ſæuiendum fuit, miſericors eſſe voluit, non ſolum in regem Agag, cui mors præ cæteris omnibus debebatur, ſed in optima quæque illius populi, aut fomenta auaritiæ, aut inobedientiæ monimenta. Cum autem indulgentem eſſe oportuit, in eum qui ſi quid peccarat, ignorantia peccarat; & cuius peccatum, propter eius dignitatem perſonę, diſſimulandum fuit, crudeli morte punitum eſt: nec in ipſo tantum, ſed in filiis, in fratribus, in nepotibus, in conſanguineis, in affinibus, in vniuerſa ſacerdotali domo, vſq; ad 85. indutos ephod lineo. Sed eſt in numeris non parua diuerſitas. Nam Hebræi codices, & latini omnes, cum Chaldæo paraphraſte, & Hieron. in trad. in prædicto numero conſentiunt; quēadmodum Complut. & regia biblia græca. At Romana, Aldina & Baſil. habent trecentos & quinque, Theodor. 350. Ioſephus 385. κτεῖνει δὲ πάντας ὡς τινι ϗ ὀγδοήκοντα, ϗ τριακόσιοι.

Saulis crudelitas.

XXXVI. *Quot ſacerdotes occiſi.*

Crederim ſane apud 70. in græcas literarū notas irrepſiſſe mendū, & literam π non accuratè pictā in τ fuiſſe cōuerſam, ſicque octoginta in trecentū abiiſſe; eadem nota quinarij immota remanente, prout etiam habetur apud Lucif. Calaritanum. At in Theod. π verſum eſt in ν & de ε. facta 50. Ioſephus autem numerum ſuum ex hebræo, græcoque conflauit, ſed alia quoque hic nonnulla peccat, ſic autem habet. [d] *His verbis*, Achimelechi videlicet, *Saul fidem habere noluit. quod plus apud eum metus periculi valeret, quam excuſatio, quantumuis iuſta.* Itaq; *circundatum armatis*

d 6 ant. c. 14.

cum tota familia, iubet contrucidari. Cumq. illis religio eſſet viros Deo ſacros ferro violare, Doecum Syrum eam cædem perpetrare mandauit, qui aſſumptis ad hoc aliquot ſui ſimilibus facinoroſis, pontificē cum tota cognatione interficit, quorum numerus erat 385. moxque miſsi ſunt à rege Nobam ſacerdotum oppidum, qui contrucidatis ad vnum habitatoribus, nullo vel ætatis vel ſexus reſpectu, poſtremo flammis eā deleuerunt. Et rurſum aliquanto poſt, *propter ſuſpectum Achimelecum 300. ſacerdotes & prophetas interfecit, cæſoſq. excidio vrbis obruit,* & quantum in ſe fuit ſummi Dei fanum ſacerdotibus, ſacriſque miniſteriis, ſiue vt in Græco eſt, prophetis orbauit, poſt tam numeroſam cædem ne patriam quidē eorum, & ſeminarium ſupereſſe paſſus. Sic Ioſephus.

Ibidem. — *Hæc hiſtoriam refert Ioſephus.*

XXXVII. *Et quid in ea peccet.*

PRIMVM non admodum placet metui potius attribui hanc crudelitatem, quā impotentiæ iracundiæ, & ſtimulis inuidiæ: nā præuia huius cædis oratio non metum, ſed furorem ſpirat. Secūdò, non placet [a] Abul. ſacerdotes à pluribus interfectos, ſed à Doëgo ſolo, cum ex textu ipſo cōſtet cæteros, qui aderāt Saulis ſeruos, noluiſſe regi ea in re obtēperare: nec alij accerſiti legātur nec probabile ſit priores plus Doëgi exēplo, quam iuſſioni regis tribuere voluiſſe, nec difficile fuerit nō repugnantes, propter regis, & omnium aulicorum præſentiā iugulare, perſuaſos ſe euadere non poſſe: quamuis non ignorem in tradit. hebraicis haberi [b] Domus ſanguinū ſunt filij Saul, qui cum Doëg Idumæo, dum adhuc pueri eſſent ſacerdotes, & Gabaonitas in Nobe occiderūt. Hi ſunt Armon, & Miphiboſeth, quos peperit ei Reſpha, &c. Tertiò non placet iſte numerus ex Hebræo conflatus & græco, neque hebræo conſentiens neq. græco: multoq. minus veritati; ad quem excuſandum ad mendum confugere non potes, cum non notis, ſed integris vocibus conſtet. Quartò non placet, ſine vllo Scripturæ fundamento, flammis delere ciuitatem, aut æquare ſolo, neque mortuos excidio vrbis obruere, præſertim cum eam tempore Eſaiæ ſtetiſſe conſtet: [c] doceat Ioſeph. quando & à quibus reſtaurata ſit. Quintò quāuis minimè abſurdum ſit, in iſtis ſacerdotibus fuiſſe aliquos prophetas, quales in Naioth nuper audiuimus, licentius tamen id ſcripturæ additū videtur; Deniq. orbitas illa ſacerdotum, occiſis eorū 85. nimium amplificata eſt, cū eorum multa millia ſupereſſent, & ſola Ithamaris, aut potius Heli familia cladē accepiſſet; & ea vrbe ſacerdotali penitus exciſa, adhuc 47. reliquæ eſſent.

1. 2. 3 4. 5. 6

a q. 16. in c. 22. — b 1. 2 Reg. c. 20. — c Eſa. c. 10. v. 32.

XXXVIII. *Labitur Abiathar, & quomodo.*

VERVM Deus, qui dixerat Heli ſe nō ablaturū penitus virum ex familia eius ab altari Domini, in hac tanta internecione ſacerdotum ad familiam Heli pertinentium, filium vnum pontificis euadere voluit, qui parentis ſui loco, ſummo ſacerdotio, Dauide regnante fungeretur. Itaque ſubditur. [d] *Euadens autem vnus filius Achimelech filij Achitobi, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid.* Quomodo autem is euaſerit dubitari poteſt. Dicendum videtur non adiiſſe iſtum regem cum cæteris, domi fortaſſe relictum, qui quotidiano miniſterio ſacrificiorum, aliarumq. functionum ſacerdotalium fungeretur; quamuis omnes ad regem veniſſe dicantur [e]; ſimulque intentus eſſet in euentum ancipitis huius euocationis. Itaq. maturè de ſuorum morte præmonitus, & de aduentu Doëgi ad diſperdendam ciuitatem; ad Dauidem iter arripuit, aſſumpto ac ſecum delato Ephod pontificio, vt ſequenti capite habetur. [f] Neque vero vllum habuit in toto Iſraëlitarum regno, ad quem tuto confugere poſſet, præter vnum Dauidem, à quo Saul ipſum fruſtra repeteret: neq. qui iuſtius eius protectionem ſuſciperet, quoniam omnia ipſi in Gabaa Saulis, & in Nobe, eius occaſione perdiſſent. Et quoniam ad Ceilam erat Dauid, quando ad eum peruenit Abiathar, de ea profectione prius dicamus.

Fugit ad Dauidem.

d vid. Abu. q. 31. in cap. 22. & q. 8 & 10. c. 33. Abul. q. 23. in c. 22. — e c. 22. v. 11. — f c. 23. v. 6.

Cap. 23.

XXXIX. *Is euocatus ad Ceilan.*

INTEREA ergo dum hæc in Nobe, & apud Saulem aguntur, nunciatum eſt Dauidi agenti ad ſaltum Hareth, Philiſthæos oppugnare oppidum nomine Ceilan; quæ fuit vrbs tribus Iudæ, octauo milliari ab Hebron, ſeptimo ab Eleutheropoli diſſita, vt ait ſanctus Hieronymus in locis hebr. & Adrichomius in topographia Iudæ. [g] Nunciatum eſt etiam Dauidi Philiſthæos diripere areas, id eſt vt explicat Ioſephus in agrum Ceilanorum irrupiſſe, eumque populari, ſed textus noſter etiam tempus anni ſignificat; æſtatem videlicet, in qua frumenta ſunt in areis, quæ, vt aiunt Septuaginta à Philiſthæis conculcabantur. Non eſt autem inquirenda alia cauſa huius aut oppugnationis, aut populationis, quam perpetuum Philiſthæorum odium in Iſraëlitas, & hoſtilis animus nulla tum pace, vel induciis refrenatus. Nunquam illi ab eis vexandis, & bello petendis

g num. 78. — *contra Philiſthæos.*

à Ceilanis, & cur.

ceſſarunt, niſi cum fracti cladibus, tantiſper ceſſare coacti ſunt. Nunciauerunt autem Dauidi Philiſthæorum excurſionem, & videlicet opem petierunt illi ipſi Ceilani, in quos excurſum erat, vt ait Abul. & Lyran. [a] ſiue eius vicinitate inuitante, ſiue expedita militum manu, qui cum eo erant ſuadente, ſiue Dauidis fortitudine, alacritate, & prolixa de omnibus bene merendi voluntate permouente.

a q. 2. in c. 23.

XL. *Iuuare cupit Dauid.*

ET optabat ille quidem opem ferre Ceilanis contribulibus, & ſuorum neceſſitatibus prouidere, præda è Philiſthæorum manibus excuſſa, ſuique muneris eſſe arbitrabatur populi neceſſitatibus, tanquam eius principem a Deo electum, opitulari. Neque id Sauli ingratum eſſe poterat, certe non debebat: hoſtem enim inuadebat, & quidem ab eo pridem accepta, & nunquam reuocata poteſtate. Sed quia turbatis nunc rebus regem conſulere non poterat, Deum omnium regem conſuluit. Per quem autem? non vtique per Abiatharem, licet id affirmet Dionyſius, imo & Abul. [b] nondum enim is ad Dauidem venerat: venit enim ad eum cum iam ipſe eſſet in Ceila, vt poſtmodum habetur: non potuit ergo pro Dauide conſulere Dominum, priuſquam eſſet cum eo. Conſuluit ergo per prophetam, vt ait Ioſephus; illum fortaſſe qui autor ipſi fuerat redeundi in Iudæam ex Moabitide, de quo erit etiam in poſterum mentio. Petiit autem an eſſet diuinæ voluntatis vt ad Ceilam contra Philiſthæos pugnaturus proficiſceretur, & an victor eſſet futurus. Et de vtroque Dominus affirmauit, *vade*, inquit, *& percuties Philiſthæos, & Ceilam ſaluabis.*

& Deum conſulit.

b q. 5. in c. 23. aliter tamen. q. 8 in fin.

XLI. *Reuocatur à ſuis,*

Hoc accepto diuinitus reſponſo exhilaratus Dauid, monuit ſuos, vt ſe ad expeditionem in Ceilam pararent; Illi autem qui Dauidem humano tantùm iudicio, ac ratione niti arbitrabantur, in aggrediendis hoc tempore Philiſthæis, ipſum ab ea ſententia deducere conati ſunt, tanquam à temerario conatu, veriti nimirum ne à geminis hoſtibus intercepti, Philiſthæorum ſcilicet, & Saulis exercitu, ad vnum omnes miſerè conciderentur. *Ecce*, inquiunt, *nos hic in Iudæa conſiſtentes timemus*, arma Saulis videlicet, *quanto magis ſi ierimus in Ceilam aduerſum agmina Philiſthinorum?* Iudæam hic vocant terram tribus Iuda, Hebræi habent Iuda, Septuaginta Idumæa, ℨ non ſine ſuſpicione mendi. Non enim in Idumæa tunc erant, ſed in terra Iuda; iuxta Domini mandatum per manum Gad prophetæ. [c] Neque tamen propterea hinc inferendum eſt Ceilam fuiſſe extra terram Iuda, (id enim ex cap. 15. [d] Ioſue perſpicuum eſt, & fortaſſis hæc fuit variandæ lectionis cauſa, vt Iudæa in Idumæam verteretur) non inquam id inferendum eſt, quoniam non opponuntur loca, quaſi vnus in tribu Iuda ſit, alter extra eam, ſed pericula locorum, vt Abulenſi quoque viſum eſt. Quaſi dicant, hîc in media Iudæa, procul à Saule, procul à Philiſthæis poſiti, timemus tamen, quanto magis ſi viciniora hoſtibus loca, imo iam ab hoſtibus obſeſſa adierimus?

Idumæa pro Iudæa.

ℨ X.

c 1. Reg. 22. v. 5.

d Ioſ. 15. 44

XLIII. *rurſus Dñm conſulit.*

QVÆ cauſa fuit, vt quamuis nihil dubitaret Dauid de diuina voluntate, promiſſaque victoria, Dominum tamen iterum, [e] ipſorum fortaſſe rogatu, per eundem prophetam conſuleret; vt dubitantibus ſociis, ideoque minus alacriter pugnaturis, dubitationem omnem eriperet: ſicut olim Gedeon in gratiam militum ſuorum ſignum ſibi in vellere geminari poſtulauit. vt alibi diximus. [f] Rurſum igitur reſpondens Dominus ait, *Surge, & vade in Ceilam; ego enim tradam Philiſthæos in manu tua*; ſi diffidis de poteſtate, & viribus tuis, ne diffidas de meis: ego pugnabo, mea erit victoria, tibi rem confectam in manus dabo. *Abiit ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduerſum Philiſthæos;* non explicata acie ſignisque collatis; nimium quippe impares erant exercitus: ſed ſubita, ac fortaſſe nocturna irruptione ſuperuenit imparatis: Ceilanis interim eruptionem in eos facientibus, vt putat Abulenſis, [g] vt hoſti contingeret, quod Iſraëlitæ timebant ſibi. *Et percuſſit eos plaga magna, & abegit iumenta eorum, & ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ.* Soluta ſcilicet obſidione; & pecoribus, quæ illi vel Ceilanis abſtulerant, vel ipſi ex vrbibus ſuis ac pagis, in commeatum militum ſuorum adduxerat, captis & in vrbem coactis. Eo facto prædones in prædam venerunt, libertas Ceilanis & ſalus, Deo & Dauidi gloria, animus & præda militibus, confuſio & clades obtigit Philiſthæis.

e Abul. q. 6. in c. 23.

f a. m. 2768 nu. 17. & 18

Adit Ceilam, & vincit Philiſthæos.

g q. 8. in c. 23.

XLIII *Eum adit Abiathar.*

ITAQVE cæſis, diſſipatiſque Philiſthæis, Dauid cum ſuis victor in vrbem, cum feſta omnium gratulatione ingreditur. Et ecce mox fugitiuus Abiathar ad

Dauidem in Ceilem triſtiſſimum nuncium ferens cum Ephod pontificio. Id enim licet extremo capite 22. narratum à ſcriptura fuerit, alieno tamen tempore narratum eſt, vt ſimul fuga ſacerdotis, & terminus eius poneretur. Idque apperte verba quæ hoc loco interſeruntur oſtendunt, *Porro eo tempore quo fugiebat Abiathar filius Achimelech ad Dauid in Ceilem. Ephod ſecum habens deſcenderat:* 4. Iam ergo erat Dauid in Ceila, cum illuc ad eum venit Abiathar, & conſequenter non erat cum eo, neque eius rogatu Dominum conſulebat, cum deliberabatur de expeditione Ceilana. Anticipata igitur fuit illa narratio, [a] vt res ipſa loquitur, & agnoſcit Emanuel Sa, nec repugnat Abulenſis. [b] Inſeruntur autem ea verba hoc loco, vt intelligatur vnde factum ſit, vt Dauid applicari iuberet Ephod ſuper aduentu Saulis imminente.

In Cailam. 4.

a c. 22. v. 20.
b q. 8. in c. 23. in fin.

XLIV. *Cladem Dauidi nunciat.*

c 1. Reg c. 22. 2.

Hvc ergo pertinet appulſus Abiatharis ad Dauidem, tanquam ad aſylum, & ſacram anchoram omnium afflictorum, [c] confugientis, quem ſimul vt vidit medios inter Ceilanos commilitoneſque ſuos victoria hilarem, effuſus in lacrymas & amplexus ò Dauid, inquit, ò mi Dauid, perdita mihi ſunt omnia. Dies vnus mihi parentes, cognatos, fratres, amicos, neceſſarios omnes crudeliſſimo ſcelere abſtulit; vnius hominis impotentiſſimus, atque iniuſtiſſimus furor hauſit dulciſſimam patriam; & ciues omnes, ne de minimo quidem facinore appellatos, omnibus fortunis euerſos morti dedit; & ſimul Ephod pontificium manu tenens: vix hoc ſacroſanctum ſpolium diuina miſeratione, ex vnguibus Doëgi prædonis, atque immaniſſimi carnificis ereptum eſt. Indeque tragœdiam omnē fideliter acceptam, lamentabili oratione narrauit. vniuerſo exercitu in Doëgum fremente, & in Saulem grauiter indignante, Dauide autem ſeipſum etiam atque etiam incuſante. *Ego*, inquit, *ſum reus omnium animarum patris tui.* & *Sciebam in die illa, quod cum ibi eſſet Doeg* I*dumæus proculdubio annunciaret Sauli.*

LXV. *Dauidis manſuetudo.*

Vides eximiam Dauidis manſuetudinem, cuius nulla vox, ne poſt tantum quidem facinus, iracundior in eius authorem Saulem, aut eius adminiſtrum Doëgum; *Bonarum mentium eſt*, ait Gregorius, *ibi culpam agnoſcere vbi culpa non eſt:* reum ſe tot cædium appellat, eo quod ex ipſo ſumpta eſſet occaſio earum; neque enim ex rei natura ſatis idonea in eo facto Dauidis, data eſt cauſa Sauli, aut vlli mortalium dari potuit, tam crudeliter ſæuiendi. Certo quidem ſciuit, ac perſuaſum habuit Doëgum hominem adulatorem, quique Sauli vellet omni ratioue gratificari, ad ipſum delaturum quæ viderat, ſed nec ſciuit, nec iure potuit ſuſpicari Saulem, tam leui ex cauſa ita exarſurum in Pontificem, ac ſacerdotes omnes. Sed nec tenebatur ex præuiſa renunciatione non proſpicere neceſſitati ſuæ; aut monere Achimelechum vt ſibi caueret à Saule, id enim erat prodere fugam ſuam, quam fortaſſe ſacerdotes vi prohibuiſſent: ſicque alienum periculum in propriū verteret ac ſuum, & fortaſſe à principio viſus non fuit à Dauide Doëgus, ſed re tota confecta, poſt congreſſum ſcilicet eius cum ſacerdote. & acceptis iam panibus, & gladio, Deo denique in rem eius conſulto, quod Abulenſis quoque ſuſpicatur, [d] & probat Pineda l. 1. de rebus Salomonis.[e]

Et prudentia.

d q. 32. in 22.
e c. 3. n 17
f c. 22. v. 23.

XLVI. *Abiatharem conſolatur.*

Addit porro Dauid ad conſolationem ſacerdotis, eiuſdemque deinceps, in locum demortui patris, Pontificis. [f] *Mane mecum, ne timeas, ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam.* Contrarium videtur dicendum fuiſſe; nimirum ſi quis quæſierit animam tuam, quæret & meam: quaſi dicat, ego coniiciam in diſcrimen vitam meam pro ſalute tua. Senſus tamen in oratione conuerſa, quæ in Hebræo quoque legitur, non minoris eſt index amoris & curæ; Erimus quaſi anima vna, vt non poſſit alterutra ſine altera periclitari. Paulo aliter Sept. *Vbicumque quæſiero animæ meæ locum, quæram & animæ tuæ, quoniam cuſtoditus es tu apud me.* Significans habiturum ſe Abiatharem quaſi pretioſum quoddam depoſitum, aut gemmam, nihilo ſibi quā propriam animā viliorem; nec ſe ſtudioſiorem fore in quærendo ſibi ipſi tutum aliquem locum, aduerſus ingruentia pericula, quam in quærendo ipſi ſacerdoti: quoniam eius cuſtodiam in ſe recipiat. Vatablus, quoniam cuſtodia, vel depoſitum tu eris apud me, ſiue, ego te perinde ſeruabo atque me ipſum, velutque rem depoſitam apud me. Quamuis autem erga omnes ſuos eadem cura, ſtudioque ferretur; hoc tamen maius Abiathari debebatur, quod occaſione Dauidis patrem, ac ſuos omnes amiſerat.

Eiuſque ſe protectorē ſpondet.

XLVII. *Scripſit pſalm. 51. contra Doëgum.*

Sic animatus erat in amicos Dauid, in Doëgum autem tot tantorumque malorum architectũ, quomodo affectus fuerit, docet [a] pſalmus quinquageſimus primus, quem hoc tẽpore ſcriptũ, hoc certe de argumento ex ipſa Pſalmi eius inſcriptione conſtat. Cum venit Doeg Idumæus, & nũciauit Sauli, venit Dauid in domum Achimelech. Eius initium eſt. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* Tam ſceleratus ergo fuit, vt poſt tot, tãtaque ſcelera perpetrata, non ſolum non gemeret, & in cinere & ſacco volutaretur, ſed etiam quaſi in re belle, ac magnificè geſta gloriaretur. Ideoque mox illi interitum à Deo, & expulſionem propria è domo denunciat. *Propterea*, inquit, *Deus deſtruet te in finem*, ſiue in perpetuum, ſine vlla ſpe reparationis, aut reſtitutionis in integrum, *euellet te*, & emigrare faciet *de tabernaculo*, & loco habitationis tuæ; & te tuóſque exterminabit ex hac vita, & futura beatitudine, quæ eſt vera *terra viuentium*. Denique exemplo & riſui cæteris fore, tum iuſtis, ad gratias agendas Deo, de vindicta in peccatores ſumpta; tum iniuſtis, ne ſimilia perpetrare audeant. Illa porro verba, *Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua*, inſtar habent epitaphij hominis contemnentis Deum, & terrena ſola ſapientis.

a Pſal. 51.

XLVIII. *Noua à Saule turba in Dauidem.*

Dvm autem aliquantiſper in Ceila reſpirat Dauid, & amicorum cladem, & Doëgi improbitatem animo ſtyloque verſat, Dominus qui in eo rebus aduerſis exercendo, meritiſque viciſſim cumulando totus eſſe videbatur; nouas ei turbas à Saule, nouos metus, nouaſque ſuſcitat fugas. *Nunciatum eſt enim Sauli, quod veniſſet* Dauid *in Ceilam*. Nimirum ſerui Saulis præcedenti [b] eius querela incitati, vbique erant in inſidiis, omnes vltro citroque venientes de Dauide interrogabant, vbinam gentium is ageret, quid moliretur, quos haberet conſiliorum comites, & adminiſtros; vt Domino ſuo in perniciem innocentis gratificari poſſent, & non cum eo coniuraſſe dicerentur. Non ſolum autem veniſſe nunciabant, ſed & illic cum ſuis ſubſtitiſſe, vt propterea ibi capi poſſe videretur: & cauſam aduentus eius non tacebant; quoniam Saulis intererat ſcire quid hoſtes ipſius agerent; præſertim ſi ſe in regnum eius, vel populabundi infudiſſent, vel maiori etiam apparatu vrbem aliquam obſidione cinxiſſent, vt quam primum ſubditis ſuis de opportuno remedio prouideret. Sed vide cæcitatem, & malitiam hominis atroci odio, & inueterata inuidia perditi.

b ca. 22. 8.

XLIX. *Parat eum comprehendere. Deum ſibi contra Dauidem fauere putat.*

Tradidit *eum Deus*, inquit, *in manus meas:* [c] Cum eſſet in manifeſtiſſimo crimine aduerſus innocentem, quem omnibus bonis euerſum, nuſquam tutum, aut quietum eſſe patiebatur. Deum tamen ſibi fauere aduerſus eum prædicabat, ideoque recte ſe agere ſibi perſuadebat; quaſi Deus ſit fautor, aut author ſcelerum, præſertim oppreſſionis pauperum, quæ clamore ingenti Deum vltorem expoſtulat. Putabat itaque, diuina vrgente prouidentia, Dauidem in Ceilam veniſſe, vt ibi deueniret in manus eius; Tribui enim Deo ſolent euenta proſpera, quorum cauſæ non ſatis apparent. Quare autem tradidiſſe arbitrare? quia *concluſus eſt, introgreſſus vrbem, in qua portæ, & ſeræ ſunt*; quas ſcilicet ego obſerari iubebo, & fugitiuum meum, hactenus impunè huc illucque volitantem, comprehendi, ad me pertrahi vinctum catenis, deinde regni mei æmulum exaltari, præcipiam, atque in malam crucem agi, ne quis deinceps in regem ſuum inſoleſcat ſuperbia & libens audiat, *Saul percuſsit mille, &* Dauid *decem millia*, hæc ille infœlix.

c Abul. q. 11. in c. 23.

L. *Inconſultiſsimè & ingratiſsime.*

Dictvm potius oportebat, ô miſerrime, atque inconſultiſſime principum. Ecce hic quem ego perditum volo, nunc recens perdidit inimicos meos; quem ego omnibus locis extermino, è regno meo exterminauit capitales hoſtes nominis mei. Is quem indicta cauſa ſpoliaui fortunis omnibus; recuperauit & reſtituit bona ſua ſubditis meis: & quem ne in ſaltibus quidem ac ſpeluncis quietum eſſe permitto, opulentam mihi, & munitam ciuitatem conſeruauit. Hæc cum ille faciat mihi, vexatus à me, quid faciet dilectus, & beneficiis affectus, quæ ſua virtus ac dignitas promerentur? ſi malefacta rependit beneficiis, ſi maledicta laudibus obruit, quid faciet prouocatus bonis? nonne inſanio, qui diuinum in me beneficium puto, quod benefactorem, & innocentem opprimere poſſim;

quod eſt maximum diuini in me odij argumentum. Ibo igitur, & reconciliabor ei & quoniam tam fidelem ſeruum agnoſco, erit mihi in poſterum quaſi anima mea; complexabor hominem, veniam petam, & omnem ex animo ſuſpicionem, & vmbram offenſionis abſtergam. At non tantum dedit Dominus homini reprobo ſapientiæ, nam è contrario,

LI. *Diſſimulanter in eum copias cogit.*

PRÆCEPIT *Saul omni populo, vt ad pugnam deſcenderent in Ceilam, & obſideret Dauid, & viros eius;* Ita vniuerſus populus iuſſu regis ad arma conuocatur, quaſi vniuerſæ reipub. ſalus, in vno Dauidis capite perdendo verteretur. Nec tamen ſignificatum eſt populo arma contra Dauidem parari, ſed potius contra Philiſthæos, qui Ceilam oppugnarāt, vt notat Caietanus. Id enim exercitui nequaquam gratum fuiſſet, qui ſub eo ſæpe militauerat, laudis & prædæ particeps eius auſpiciis extiterat, vt optimum ac fortiſſimum iuuenem, regiſque affinitate decoratum, & ad ſumma quæque natum dilexerat, vt tribunum, atque imperatorem prudentiſſimum reueritus fuerat. Hoc autem ex eo confirmatur quod ſequitur. *Quod cum Dauid reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum, &c.* Non enim clam conuocatur totius populi exercitus; ſed intentio occulta erat; vulgo enim ferebatur, vt dixi, arma ſumi contra Philiſthæos; re autem ipſa contra Dauidem capiebantur. Et hæc eſt vera loci ſententia.

Lyra. Abul.

LII. *Id innoteſcit Dauidi;*

DAVID ergo, vt cautum, ac prudentem virum decebat, ex cuius ſalute plurimorum vita, ſpeſque omnes pendebant, non carebat amicis in aula, qui non ſolum regis contra ſe geſta, ſed conſilia etiam ipſa ſublegerent. Ab his ergo maturè de re tota monitus eſt ſtatimque pro ſua religioſa pietate ad Deum confugit. *Diuina autem ſcriptura,* inquit Teodoretus, [a] *oſtendit eius pietatem; ſemper enim Deum ſciſcitans, & aciem inſtruebat, & quieſcebat.* Deum itaque per Abiatharem Sacerdotem conſuluit, iubetque applicare Ephod, induere videlicet; quomodo ſolebant ſummi ſacerdotes, cum in hurim & Thumim Deum conſulere dicebantur; eoque applicato ad corpus pontificis Deus interrogabatur, reſpondebatque [b], non vi aliqua, quæ eſſet in Ephod, aut in rationali, adductus, ſed promiſſione atque ordinatione ſua, qua ſtatuerat illam conditionem qua roganti reſponderet, & ſine qua nullum reſponſum daret. Cum autem hic nominatim fiat mentio ſacerdotis, non autem paulo ante cum de expeditione in Ceilam ageretur, confirmatur quod diximus cum Ioſepho, [c] illic conſultum Dominum per prophetam, abſente ſcilicet Sacerdote, nunc autem eo præſente, per ipſum eundem.

a q. 54. τὸ ἐπερωτᾷ, ad huc.

Et Deum conſulit.

b Abul. q. 22. in c. 23.

c l. 6 ant. c. 14. Caiet.

LIII. *A quo proponeretur quæſtio.*

DVBIVM autem eſt, an verba propoſitæ quæſtionis, à Dauide fuerint, aut à Sacerdote prolata coram Domino. Lyranus à ſacerdote putat, & quidem non abſurde: ad officiū enim ſacerdotis videtur pertinere conſulere Dominū, & non tantum eius loco reſpondere; Itaq. inferius dicitur [d] Saul cōſuluiſſe Dominū per ſacerdotes, & per prophetas, quorum ſcilicet interuentu non ipſe per ſe conſulebat; Itaque etiam hoc loco Dauid locutus dicitur, quia ſuggeſſit verba quæ ſacerdos, quaſi induta eius perſona, loqueretur. Probabilius Abulenſis [e] exiſtimat ipſius Scripturæ verbis inſiſtendum, quæ aperte hæc verba prolata à Dauide confirmat, neque ſine neceſſitate ad figuratam locutionem confugiendum, quæ hic nulla apparet; Quid enim abſurdi eſt Dauidum, qui alioqui etiam propheta erat, ſuam Domino dubitationem, aut interrogationem propoſuiſſe, & ab ipſo per os ſacerdotis accepiſſe reſponſum? Quin etiam idem à Saule factum videtur, nam non dicitur conſuluiſſe Dominum per ſacerdotes, & per prophetas, ſed ſimpliciter conſuluiſſe Dominum; Deum autem non reſpondiſſe ei, neque per ſacerdotes, neque per ſomnia, neque per prophetas; nimirum vt conſueuerat.

d cap. 28 v. 6.

e q. 12. in c. 23. ſub. fi.

Videri à Dauide per ſe, non per ſacerdotem.

LIV. *Eius rogatio.*

DAVID ergo effuſus in genua, & ſupplex factus Deo, ait *Domine Deus Iſraël audiuit famam ſeruus tuus, quod diſponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me; ſi tradent me viri Ceilam in manus eius; & ſi deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus. Domine Deus Iſraël indica ſeruo tuo;* duo quærebat Dauid, ad poſterius quod ordine prius erat, reſpondet Dominus, *deſcendet;* tum ingerit alterum caput, *Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui mecum ſunt in manus Saul: & dixit Dominus, tradent.* Ex hoc loco recte colligunt Theologi, Contingentia ſub conditione futura, reipſa tamen nunquam futura, ſub diuinam cognitionem cadere, & ad eius, quam vocant mediam ſcientiam pertinere. Sciebat enim Dominus, qui nihil ignorat, atque affirmabat, qui

Scientia conditionalis Dei.

mentiri non poteſt, Saulem venturum, & Dauidem cum ſuis traditum iri in manus eius, niſi Dauid quamprimum inde receſſiſſet; receſſit, non venit, non traditus eſt.

An Ceilani recte tradituri erãt Dauidem.

LV. Qværat autem fortaſſe lector, an Ceilani, qui Dauidem innocentem, ac bene de ſe meritum, in hoſtis ſui infẽſiſſimi manus, in certam perniciem, tradituri erãt, contra officium, ac rectam rationem facturi eſſent; cum altera ex parte non ignorarent quid Sauli, regi ac domino ſuo deberent, & exemplo vrbis Nobe didiciſſent, quanta ſibi clades immineret, ſi dauidem contra regis furorem defendere voluiſſent. Qui enim vrbem Nobe ferro flammaque deleuerat, ob receptum, & adiutum per ignorãtiam dauidem, quid facturus erat Ceilæ, ſi in gratiam dauidis regi obſtitiſſent, aditu ſuæ vrbis prohibuiſſent, eius iram, ipſique debitam obedientiam, Dauidis beneuolentia contempſiſſent. An ergo hiſce omnibus poſthabitis malis, oportebat eos pro dauide protegẽdo arma ſumere, ac cum eo mori, qui paulo ante pro ipſis ſe mortis diſcrimini obiecilſet? Ei difficultati ex communi Theologorum doctrina reſpondetur. Peccaturos proculdubio Ceilanos, ſi dauidem in manus Saulis ſponte traderent; iuſtitiam ac gratitudinem violaturos, qui innocẽtis ac bene de ſe meriti morti vltro conſentirent, eamque adiuuarent. Sin autem in eam neceſſitatem veniſſent, vt toti ciuitati pereundum eſſet, aut Dauid Sauli tradendus eſſet; oportuiſſet Ceilanum magiſtratum Dauidem rogare, vt ſe ipſe ſponte dederet, & morte ſua ipſos à regis ira, & vrbis vaſtitate redimeret; debuiſſetque Dauid in eam deditionem conſentire, publicum bonum priuato ante ferendo, quod ſi recuſaſſet; iam non innocens, ſed iniuſtus Sauli traderetur. Aliter reſpondet Abul.[a] quem conſule ſi placet.

Potuiſſe ex neceſſitate.

Dauid euadit è Ceila.

LVI. Cæterum in eam neceſſitatem ventum non eſt; nam Dauid, qui hunc aduentum fama præſenſerat, magiſtratu fortaſſe clam id agente in eius gratiam; & nũc edoctus oraculo certo ſciebat, mature ſibi fuga conſuluit, *Surrexit ergo Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila huc atque illuc vagabantur incerti*; Auctus erat ſociorum numero, ex quo in Moabitidem profectus fuerat[b], ibi enim erant quaſi quadringenti, hic autem quaſi ſexcenti, quæ numerorum diuerſitas in hebræo & chaldæo, perinde ac in latino textu reperitur. At Septuag. quos ſecutus eſt Ioſephus, priorem illum numerum retinuerunt; exiſtimante fortaſſe quopiam amanuenſi vitioſum eſſe poſteriorum hunc numerum, quia priori non reſponderet. Atqui iam oſtenſum eſt,[c] numerum illum auctum fuiſſe in Moabitico præſidio, & fortaſſe etiam in ſaltu Hareth. Itaque neque Dauid traditus eſt Sauli, neque deſcendit in Ceilam Saul. *Nam nunciatum eſt Sauli quod fugiſſet Dauid de Ceila, & ſaluatus eſſet; quam ob rem diſſimulauit exire.*

Quot eius ibi ſocij.

a q 14 in c. 23.

b vide ſupra nu 14. Aldi. Rom. Baũl.

c ſupra n. 6.

Saul diſſimulat conſilium ſuũ.

LVII. Dissimvlare norat iam pridem Saul, ex quo primum factus eſt rex[d]. Occultauit ſcilicet conſilium ſuum, ac finxit ſe non habuiſſe propoſitum adire Ceilam, & Dauidem comprehendere, ne vulgo ab eo diceretur illuſus. Nec Philiſthæos curabat, vt in cogendis copiis præ ſe tulerat, ſed Dauidem, præ quo illos ſibi amicos putabat; licet illi popularentur vrbes eius, areaſque diriperent, Dauid autem vrbes propugnaret, prædaſq. prædonibus ereptas repræſentaret. Sed num etiam iram in Ceilanos diſſimulauit, qui hoſtem ſuum ſcientes prudenteſque ciuitate receperant, ideoque maiore in culpa eſſe videbantur, quam ſacerdotes, reliquiq; ciues Nobe, nec minus dicendi contra regem cõiuraſſe. Verum diſpar erat vtrorumque ratio[e], nam Ceilani Dauidem euocarant, atque receperant, propria adacti neceſſitate; ſacerdotes, illum recepiſſe videbantur ad eum adiuuandum, & armis, ac viatico inſtruendum contra Dominum ſuum. Nec paſſus eſt Dominus excandeſcere Saulem in Ceilanos, ſicut in ciues Nobe; nam in hos pondus domus Heli, non in illos incumbebat. Quoniam vero ſatis diuturna fuit hæc Dauidis in diuerſa loca excurſio, & commoratio in deſerto, vt ipſe textus indicat, cum ea præſentem annum, rebus iam ſatis refertum explebimus.

d c. 10. v. 27

An in Ceilanos iratus fuerit.

e Abul q. 13. in c 23.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2974. SAVLIS 13.

1. No. XIII. Καὶ παραγενόμενος; ait Ioſephus, εἰς Σάριν πόλιν, ἐν αὐτῇ κατέμεινε. Et profectus in vrbem Sarim in ea manſit. Septu. verò καὶ ἦλθε, καὶ ἐκάθισεν ἐν πόλει Σαρήχ. Et venit, & conſedit in ciuitate Sarech. id eſt ad, vel iuxta ciuitatem, puta in vicino ſaltu.

2. N. XV. Vbi legimus in editione vulgata, in nemore, in hebræo eſt, ſub arbore, in græco ὑπὸ τὴν Ἄρουραν, Flaminius vertit ſub arboreto, volens græca latinis, & hebræis conciliare; non admodum fauente græco vocabulo. Ioſephus Ἄρουραν nomen proprium eſſe putauit, ſic enim habet. συγκαλέσας τοὺς φίλους, καὶ τοὺς ἡγεμόνας, καὶ τὴν φυλὴν ἐξ ἧς αὐτὸς πρὸς αὐτὸν, ἐπὶ τὸν βουνὸν οὗ τὸ βασίλειον εἶχε, καὶ καθίσας ἐπ' ἀρούρας, τόπος δ' ἦν τις οὕτω προσαγορευόμενος.. Conuocatis amicis, & ducibus, & tribu ex qua ipſe erat, ad ſe, ad collem, vti habebat regiam, & ſedens in Aruo, erat is locus quidam ita dictus. Dicendum potius Rama, quod ipſe omiſit, proprium eſſe nomen; ἄρουραν verò, ſi vox mendo vacat, idem eſſe quod ἄλσος, authoribus 70. interpretibus. Quid ſi Ioſephus non ſcripſit, ἐπ' ἀρούρας, ſed ἐπὶ ῥαμῆς ρ in μ verſo.

3. N. XLI. Idumæam pro Iudæa irrepſiſſe, & mutationem ab aliquo ſciolo in quibuſdam codicibus factum eſſe ſuſpicari licet, qui viderit nō dici ire in Græciam eum, qui in Græcia fuerit; ſed ſatius erat quærere idoneam expoſitionē, quam mutare: certè præter biblia regia, & Complut. etiam Romana Sixti habent Iudæam. Eademque varietas eſt in titulo pſalmi 62. vbi Baſilienſis editio, pro deſerto Idumææ, habet in deſerto Iudææ, ſicut & Genebrard. At Hieron. in verſione ſua, conſentaneè libris Hebræis. Quidam putant hoc deſertum poſitum in finibus Iudææ prope Idumæam, & milites queri apud Dauidem in hanc ſententiam. Ecce nos propemodum in Idumæa poſiti, & fere extra fines regni Saulis timemus, &c. certe Adricom. conſtituit ſaltum Hareth ſub fines tribu Iudæ. vide Lorin. in pſal. 62.

Non tuliſſe Ephod indutum in itinere fugiendo, res ipſa docet, ſed & textus hebræus & græcus, vbi dicitur tuliſſe in manu. Neque verò tulit quaſi forte fortuna inuentum inter ſarcinas ſuas, vt ait Vatablus, ſecutus Hebræos; id enim de tanto theſauro, & quod maximi fiebat ab omnibus Iudæis abſurdiſſimū eſt: idque pluribus confutat Abul. q. 11. in c. 23. Adde quod in tradit. hebraïcis legitur, hoc Ephod fuiſſe illud ipſum, quod Moyſes iubente Domino fecerat, in quo erat *doctrina & veritas*, in quo ſacerdos conſuluit Dominum. Quomodo ergo caſu inter ſarcinas? rectè itaq; Pagninus ſuppleuit præpoſitionem *cum* vt non Ephod deſcendiſſe, ſed Abiathar cum Ephod deſcendiſſe dicatur. 4 N. XLIII.

ANNVS MVNDI 2975. DILVVII 1319. 5^a. ÆTATIS 36. EXITVS AB ÆGYPTO 432. ARCÆ IN CARIATH. 35. SAMVELIS PROPHETÆ 36. SAVLIS 14. ABIATHARIS PONTIF. 1. DAVIDIS 26. TROIÆ CAPTÆ 104. DERCYLLI 25. IMPER. ASSYRIORVM 1044.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1078.

ABIMELECHO pontifice ſuperiore anno à Saule per ſummam crudelitatem interfecto, filius eius Abiathar naturæ iure legiſque ſucceſſit; cuius hunc primum annum cum Torniello numeramus, neglectis aliquot fortaſſe menſibus, à quibus moriens pater ſuam in eum dignitatem tacito iure tranſtulerat. Itaque Abulenſ. [a] *Iſte iuuenis Abiathar*, inquit, *quia erat filius ſummi ſacerdotis, de iure pertinebat ad eum ſummum ſacerdotium. Nunc autem quia perierant omnes de vrbe Nobe ſiue fuiſſet maior inter filios Achimelech, vel minor habiturus erat ſacerdotium; eo quod nullus alius manſerat ad quem de iure pertineret. Et ſic accepit iſtum Dauid pro ſummo ſacerdote*. ſic ipſe. Et alio in loco. [b] *Abiathar*, inquit, *tulit ſecum Ephod ſpecialiter, vt ex hoc ſignificaretur ipſum eſſe ſummum ſacerdotem. Nam mortuo Achimelech patre Abiathar, ſuccedebat ipſe in ſummo ſacerdotio, cum nullus eſſet maior inter filios eius, quia omnes mortui erant, veſtes autem pontificales pertinebant ad ſolum ſummum ſacerdotem, qui debebat conſecrari in*

Nu. I. *Abiathar fit pontifex.*

a q. 31. in c. 22.

b q. 11. in c. 23.

eis, & vti illis, [a] *Abiathar ergo tuliſſet ſecum omnes veſtes ſacerdotales ſi potuiſſet, quia tamen velociter fugiebat, tulit eam quæ præcipua erat inter pontificales veſtes, &c.* ſic ipſe. a 1. Reg. 23 Leu. 8

II. *An Sadoc quoque nūc pontifex.*

IDEM nihilominus in 1. Paral. ca. 6. 12. & 16. [b] putat ab hoc tempore ad initia regni Salomonis duos fuiſſe ſummos pontifices, Abiatharem apud Dauidem, Sadochum autem apud Saulem; qui & coniunctim crebro in libro ſecundo regum nominantur. Occiſo enim Achimelecho, & Abiathare fuga elapſo ad Dauidem, Saul voluit Sadochum, qui erat de ſtirpe Eleazari, ad cuius familiam primario nomine pertinebat pontificatus, pontificem agere. Mortuo autem Saule, non redactum in ordinem à Dauide, ſed toleratum vna cum Abiathare; hunc autem poſtea à Salomone exauthoratum. Duos eodem tempore pontifices agnoſcit & Ioſephus, [c] qui præter Abiatharē, de quo nunc dubitat, ait Sadocum primum Dauide regnante creatum eſſe pontificem; in qua ſententia videtur etiam Carolus Sigonius lib. 5. de repub. Hebræorum [d], & Toletus in cap. Ioan. 18. [e] Et confirmatur quia 2. Reg. c. 15. Non ſolum Sadoc numeratur ex æquo cum Abiathare, ſed etiam præfertur, vt qui priore ſemper loco nominatur, quod non fieret, niſi Sadoc pontifex fuiſſet, præſertim cum eum ætate quoque ſuperaret, vt mox dicetur.

b c. 6. q. 3. c. 12. q. 13. c. 16. q. 33. — c l. 8. c. 1. — d ca. 1. — e annot. 6.

III. *Nō videri.*

EXISTIMAMVS nihilominus Sadochum non fuiſſe factum hoc tempore pontificem. 1 Primùm quia cum conſtet ex chronico Hebræorum, Sadochum toto tempore Salomonis fuiſſe pontificem, ſi hoc tempore ad eam aſſumptus eſt dignitatem, totis fere octoginta quinque annis eam geſſiſſe oportebit, nimirum quinque qui reliqui ſunt Saulis ante regnum Dauidis, tum 40. Dauidis ipſius, totidemque Salomonis, quod inauditum eſt. 2 Deinde, vt recte notauit Torniellus [f], Sadoc à Scriptura appellatur *puer egregiæ indolis* [g], eo tēpore quo Leuitæ cum aliis venerunt ad Dauidem in Hebron, vt conſtituerent eum Regem ſuper vniuerſum Iſraëlem; Id autem poſt annos duodecim contigiſſe conſtat Saulis, & ſeptem regni Dauidis in Hebron, vt vix natus nunc videri poſſit; certe ſi illum tunc 20. annorum fuiſſe dicamus, quoniam in Hebræo vocatur ibidem *adoleſcens fortis robore*, nunc octennis tantum fuiſſet. 3. *Sadoc pontifex tantum in regno Salomonis.* Quod ſi iam nunc pontifex factus fuiſſet à Saule, fruſtra diceretur poſitus à Salomone ſacerdos pro Abiathar. Nimirū accepit tunc dignitatē qua carebat, & qua ille ſpoliatus eſt: ideóq. etiā tunc inunctus eſt in pontificem, vt dicitur in fine primi Paralip. [h] *Vnxerunt*, inquit, *Salomonem Domino in principem, & Sadoc in pontificem.* Quomodo iam 45. annis pontifex fuerat, nec tamen inunctus? Bis autem inungi, ac conſecrari potuiſſe pontifices negat Abul. [i] probatque diligenter, diſputans contra Ioſephum de conſecratione Aaronis.

f an. 2974. n. 9. — g 1. Paral. 12. 28. v. & ibi Abul. q. 14. נער — h ca. 29. v. 22. — i q. 18. in ca. 29. Exod.

IV. *Eius pater primùm, tum ipſe Tabernaculo videntur præfuiſſe.*

EXISTIMAMVS præterea, ſi hoc tempore tranſlatum eſt tabernaculum Domini à Saule, ab vrbe Nobe deſolata, ad vrbem Gabaon, vt affirmat Abulenſ. in cap. 12. primi Paralip. [k] curam illius à Saule non Sadocho puerulo, ſed potius eius parenti Achitobo datam fuiſſe, ſecuto ſcilicet generis prærogatiuam, quod eſſet nepos Eleazari, cui pontificatus diuina ordinatione debebatur: vt ſcilicet abſentis Abiatharis munere quaſi vicarius fungeretur. Nam agere omnino pontificem qui Ephodo præcipuo inſigni pontificio careret, non poterat. Cum autem poſt annos 12. Sadoc puer egregiæ indolis Achitobi filius, ad Dauidem in Hebron veniſſet; cum viginti duobus principibus de domo patris ſui, vt eſt in 1. Paral. c. 12. conciliatus eſt Dauidi, & mox poſt tranſlatam ab eodem Dauide arcam ex Cariathiarim in ciuitatem Dauid, mortuo, vt apparet, Achitobo, *conſtituit David Sadoc ſacerdotem cum fratribus ſuis, coram tabernaculo Domini in excelſo, quod erat in Gabaon, vt offerent holocauſta Domino*, vt eſt in eiuſdem libri cap. 16. [l] *Abiathare interim pontifice.* Dum interim Abiathar, quem Dauid perpetuum habuit laborum ſuorum comitem, vt falſus eſt Salomon cum eum officio abdicaret [m], Hieroſolymis apud arcam fœderis, vna cum Ephod, & reliquis videlicet veſtibus pontificiis verſaretur, & verum ageret, legitimumque pontificem. [n]

k q. 13. 1. Par. 6. 8. — l ver. 34. & 40. — m 3. Reg. 2. 16. — n Torni. an. eit. n. 3. v. 2. 8.

V. *Non fuiſſe duos pontifices.*

Negamus itaque duos hoc tempore in Hebræorum Repub. fuiſſe pontifices, ſed vnum duntaxat Abiatharem, cuius quoquo modo vices in Gabaone gereret, nunc Achitob ſacerdos; poſtea vero Sadoc filius eius. Cuius ſignum eſt quod nuſquam alteruter viuo Dauide vſus Ephod, aut Dominum conſuluiſſe legitur,

ſicut Achimelech, & Abiathar. apud quos ſemper fuit Ephod; cum rationali iudicii. At inquies cum vterque nominatur, ſemper Sadoch Abiathari præfertur, & præponitur. Reſpondemus id datum videri non officii, ſed generis dignitati, nam Sadoc ad Eleazarum Aaronis primogenitum, Abiathar ad Ithamarem pertinebat. Potuit etiam ſcriptor libri habere rationem dignitatis, quæ in Abiathare cum ignominia terminata eſt, in Sadocho glorioſe ſemper geſta; & deinceps in ipſius poſteros propagata. Neque vero Ioſephus aliter ſenſiſſe putandus eſt, ſed mendum potius in eius narratione corrigendum; Non enim Sadoc primùm Dauide regnante, ſed Salomone regnante factus eſt pontifex, quando & inunctus, vt Scriptura teſtatur. [a] Neque tamen hic Ioſephi locus Abulenſem iuuat, qui putat Sadocum non à Dauide, ſed à Saule factum pontificem; quamquam eam opinionem ipſe quoque alibi [b] labefactat, & pene diruit.

a 1 Par. 29 v. 22.
b in l. 1 Par. 12 q. 24.

VI. Geſta Dauidis hoc anno.

His de pontifice explicatis, quæ ſint huius anni geſta Dauidis, & qui aduerſus eum Saulis conatus videndum eſt. Habet ergo annus hic commoratione Dauidis in deſerto Ziph cum viris ſuis; eò enim quaſi ad hyberna cõceſſerant, quãquam non deſtiterũt, prædonum in morem, ſæpe huc illucq; diſcurrere; & quaſi Hamaxobii modo in his, modo in illis apparere locis, ne ſatis cõſtaret, quo in loco maxime degerẽt. Verum id vt remotiores populos diutius latere potuerit, Ziphæos tamen accolas diu latere non potuit, vt mox dicetur, ſi prius dixerimus natum hoc anno Ionathæ amico Dauidis filium nomine Miphiboſeth, vt perſpicue colligitur ex 2. Reg. c. 4. [c] vbi dicitur fuiſſe quinquennis quando mortuus eſt pater eius, eſt autem hic annus quintus ante mortem Ionathę & Saulis. quorum hic auus, ille pater, vtroq; nobilis, obſcurus tamen ipſe per ſe, & miſericordiæ potius, quam inuidiæ obiectum, vt ex ſequentibus intelligetur; non ſemel enim ille occurret nobis; ſed cautio tamen adhibenda eſt, ne filium hunc Ionathæ, [d] cum filio Saulis ei cognomine, miſceamus.

c cap. 4. 4.
Ortus Miphiboſeth Ionathæ.
d 2 Reg. 21. 7. 8.

VII. Dauid apud Ziphæos moratur.

Iam vero Dauid cum egreſſus è Ceila Saulis conſilium irritum reddidiſſet, non vltra ſe vrbibus, oppidiſue muratis credidit, & merito quidem. Cum enim ne apud Ceilanos quidem, quos præſentiſſimo periculo vitæ ac fortunarum eripuerat, tutus eſſe potuerit, quem ſibi deinceps locum fidum ſperare poſſet, vt in eo regii exercitus obſidionem ferre auderet? *Morabatur* ergo *Dauid in deſerto*, nõ vno aliquo, ſed pluribus alternatim; vnde ſubditur *in locis firmiſſimis*, non arte ſed natura munitis, quæ propter eminentes, & aditu difficiles ſcopulos, erant inſtar arcium, vel caſtrorum munitorum, vt innuit textus hebræus. Nominatim autem manſit in monte ſolitudinis Ziph, in monte opaco, fraxinis videlicet, aut abietibus, quæ præaltos, ac frigidos montes amant, & alioqui ſteriles; ideoque Sept. vocant hunc montem, terramq; ipſam αὐχμώδη, ſqualidam, ſiticuloſam, æſtuoſã. Erat autem hic locus Idumææ vicinus, vt patet ex Ioſue, cuius etiam prærupti montes, & ſciſſuræ petrarum, à propheta Abdia celebrantur: vt non mirum ſit idem deſertum & Idumææ, cui erat conterminus, & Iudææ, in qua reuera erat, dictum fuiſſe vt ſupra quoq; dicebamus. Ioſephus [e] vocat Cænam locum in quo erat Dauid, *Dauid vero*, inquit, *ex deſerto in Cænam locum agri Zipheni ſe cum ſuis tranſtulit.* Ita idem locus in pleriſque græcis libris habetur. Conſule Flaminii notas in hunc locum. Porro eodem nomine Ziph dicta fuit ciuitas, mons, deſertum, & ſilua, vt notauit Adrichom. in tribu Iuda. [f]

Mons & deſertũ, ciuitas & ſilua Ziph.
αὐχμός: ſiccitas. v. 3.
c. 15. 24.
ſup. ſchol. 3.
e l. 6. c. 14.
f n 246. 247 48. 49.

VIII. Saul non ceſſat eum perſequi.

Qvamvis autẽ tam abditus atq; abſtruſus lateret Dauid, *quærebat eũ tamen Saul cunctis diebus*. numquã videlicet depoſuit voluntatẽ eũ comprehendendi; Ideoq; ſemper intentus per ſe ſuoſq; in eam curam fuit vt eum inueniret. Neque tamen factus eſt vnquam voti compos; *Neque enim tradidit eum Deus in manus eius*; etſi nihil propius factum eſt aliquando, quam vt caperetur, ſicut ex hoc ipſo capite 23. intelligetur. Quæſiuit autem cunctis diebus quibus manſit in regno eius: nam poſtquam ad Philiſthæos confugit, de eo capiendo deſperans, ceſſauit ipſum perſequi: vt perſpicue in c. 27. ſcriptum legimus. [g] Fruſtra autem nitebatur irritã facere diuinam circa Dauidem diſpoſitionem, quem oportebat aliquando regem eſſe. quandoquidem eum in finem Deus eum voluerat inungi: ideoque oportebat in pedes ri, atq; abire in ventos omnes Saulis in contrarium conatus.

g c. 27. 1. 2 4

IX. Quid in deſerto ageret Dauid.

Desertis itaque Ziphæorum in locis, dum ſocii Dauidi alii rumores hinc in-

de colligunt, ſi quid ex aula referatur noui, quod è re ſua ſit: alii victũ quæritant; alii diuerſa loca cũ res tulerit, fugæ opportuna perſcrutantur, Dauid per otiũ, ſi quid tamen otij cura ſexcentorũ virorum militarium relinquebat, vacabat Deo, & ſuas ad eum referebat curas: nec dubium eſt plures eum ibi ſcripſiſſe, & ceciniſſe pſalmos. De duobus certe ex eorum inſcriptionibus conſtat 62. & 53. Sed illum prius, cuius eſt initium. [a] *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* Maior ſane ibi vigilandi, quam quieſcendi commoditas. Sed mox aperte locum demonſtrat, cum ait; *In terra deſerta, in via & inaquoſa*: vbi tamen non ſecus atque in tabernaculo Domini, ſe Deo ad orationem ſiſtebat, *ſic in ſancto apparui tui, vt viderem* contemplando *virtutem tuam, & gloriam tuam*: & in terra ſitiente ſitirem & ipſe, & corpore, & animo æſtuarem ad fruendum præſentia tua. Illa quoq. teſtantur diuinas laudas prædicandi in illis locis conſuetudinem, & meditandi fructum. *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Si memor fui tui ſuper ſtratum meum*, multo magis *in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus*, ne ſcilicet non ſatis æſtimem beneficiorum tuorum magnitudinem, & in te ingratus fiam. a Pſal. 62.

X. *Paraphraſis pſal. 62.* ILLVD autem quod hoc Regum loco dicitur, [b] nunquam traditum Dauidem in manus Saulis, Hoc ipſe ſibi de diuina prouidentia in eodem pſalmo pollicetur cum ait, *ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam* in Ceila nuperrime, & alibi hactenus. Et eorum vice verſa ruinam prædicit, *introibunt in inferiora terræ*, non ſepulchrum ſane, vel ſinum Abrahæ intelligit, id enim ipſum ſibi impendebat, ſed inferorum & damnatorum locum, vt poſtea dicetur. Quin & corpora eorum prædam ferarum fore, vulpium ſcilicet & luporum prænunciat poſt, violentam mortem & cladem, quæ à Philiſthæis in montibus Gelboë contigit; quando ipſe Dauid ſublato Saule, rex cœpit eſſe, & regem agere; de ſe ipſo enim in tertia perſona loquitur, & qui in Saule, & Ionatha plurimoque populo mortuis vehementer lamentabatur; lætabatur Deo, eamque lætitiam vaticinatur nunc, ac quodammodo delibat; quod ipſum vaticinium cumulatius etiam expreſſit lectiſſima ac prudentiſſima fœminarum Abigail, vt poſtea dicemus, [c] quod nunc Ionathas quoque confitetur. b 1. Reg. 23. 14. c cap. 25.

XI. *Ionathas & Saul quærunt Dauidem.* DVM enim Dauid ſanctis hiſce exercitationibus ſolatur ſolitudinis ærumnas atque incõmoda, didicit Ionathas, forte per fidum aliquem Dauidis exploratorem, locum in quo ille morabatur; amor enim ingenioſus eſt, omnia ſcrutatur, omnia rimatur, omnia inuenit, quis fallere poſſit amantem? fallit ipſe potius alios, neque enim hanc filii profectionem ſenſit Saul, quantumuis illum haberet ſuſpectum. Dum viceuerſa didicit Dauid per exploratores ſuos, Saulem egreſſum eſſe ex vrbe Gabaa, *vt quæreret animam eius*. Tam impotens erat Saulis ardor animi ad reperiendum, & comprehendendum Dauidem, vt egrederetur cum exercitu neſciens quo iret, ſed foris paratus eſſet, omnem in partem iter flectere, in qua prædam latere per venaticos canes ſuos ſubinde didiciſſet. Et forte paulo ante exire diſſimulauerat, vt Dauidem incautum, & opinatæ negligentiæ Saulis indormientem, opprimeret. Porro Dauid erat in deſerto Ziph in ſilua. quam Septuagin. & Ioſephus vocant Cæne, vt ante dixi. [d] *Et ſurrexit Ionathas filius Saul*, an de exercitu patris, aut potius de domo ſua, ad quam mox ab hoc colloquio reuertit. *& abiit ad Dauid in ſiluam, & confortauit manus eius in Deo*: id eſt iuſſit eſſe bono animo, vt qui haberet fautorem Deum. Et ſane qui cibos, aut arma ad eum deferre non poterat inſciis omnibus, pecuniis non pepercit, quibus illa ſibi, ſuiſque pararet Dauid. Vide Abulenſem in hunc locum. [e] Abul q. 26. in c. 23. d n. 7. e q. 19. in 23.

XII. *Quæ Ionathas confirmat.* DIXITQVE ei, puta Dauidi Ionathas, *Ne timeas; neque enim inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus, ſed & Saul pater meus ſcit hoc.* [f] At vnde hæc ſciebat bonus Ionathas? *an qui amant ſibi ſomnia fingunt?* non legimus certe fuiſſe Ionatham prophetam, & ſatis conſtat prophetiis non ſubeſſe falſum, quale eſt illud, *& ego ero tibi ſecundus*. Amantis affectus fuit, & incenſum deſiderium Ionathæ, ne vnquam Dauid à rege caperetur; caperetur inquam: id enim intelligit cum negat inuenturũ, inuenit quippe eum paulo poſt, & tantũ non cepit. Vnde autem affirmat eum regnaturũ ſuper Iſrael, an forte illi f 1. Reg. 23. 17.

Vnde noſſet regnaturũ Dauidem.

clanculũ Dauid reuelaret auriculã, & tãquã alteri ſibi ſecretũ inunctionis aperuerat? eſt id quidem minimè abſurdũ, nõ tamen certũ. Nec obſtat quod mox ſubditur Saulem idipſum ſcire [a]; qui tamen inunctionem ignorabat, nam Samuelem ſtatim interfeciſſet; non obſtat inquam, quia poterat vterque idipſum ſcire, ſed Ionathas ex reuelatione Dauidis, Saul ex coniecturis.

a Abul. q. 10. in c. 23.

Qvod autem de ſe futurum dixit, ſubintellexit, *Si qua fata aſpera rumpam*. Etſi enim, humanitus loquendo, regnum ſibi mallet Ionathas quã Dauidi, poſito tamen immutabili Dei decreto de Dauide in regem Iſraëlitarum euehendo, ex amantis affectu quaſi certum atque indubitatum pronunciat ſe in regno Dauidis à rege proximum fore; Id enim ſibi de Dauidis amicitia ac bonitate, genere item ſuo, ac conſcia virtute pollicebatur, ſi vterque vixiſſet. Quamquam id erat fortaſſe probabilius, Dauidem viuo Ionatha regnum non ſuſcepturum; & Iſraëlitæ, qui diu ſub Iſboſetho, Saule mortuo, Abnere principe militiæ, Dauidi reſtiterunt, ipſi tunc Ionatham bellatorem egregium, ac fortiſſimum principem, & legitimum regni ſucceſſorem antetuliſſent. Sed Ionathæ mors eam controuerſiã, ac dubitationem diremit. Denique Saul ſciebat Dauidem regnaturum ex multarum coniecturarum concurſu, populi communi beneuolentia, filij cum eo fœdere, & ſingulari Dei protectione in tot tantiſq. periculis, vt ipſe vltro Deum cum ipſo eſſe, & à ſe receſſiſſe fateretur. Sed id vel maximè colligere potuit ex verbis Samuelis, qui pridem proteſtatus fuerat ipſum à Deo repulſum; & deſtinatum eſſe regnum proximo eius. [b] Quod non apparebat de Ionatha dictum, quod eo regnante non videretur repulſus Saul, aut regnum eius deiectum, ſed maximè confirmatum, de quo tamen dictum fuerat illi diuinitus, nequaquam regnum tuum vltra conſurget [c]. Nec propterea tamen ab eo perſequendo ceſſabat, propter impotentem odij, ambitionis, inuidiæ tyrannidem, quibus ratio perturbata caligabat, ne ſe cum Deo pugnare cogitaret, aut etiam tam iniquam ac pernicioſam pugnam reformidaret. [d]

XIII. *Se ſecundum fore in regno.*

Vnde Sauli notum regnum Dauidis.

b ca. 15. 28.

c ca. 13. 14.

d vide Abul. q. 22.

Qvid ad hæc reſpondit Dauid breuitatis fortaſſe cauſa prætermiſſum eſt, & tacitæ lectoris cogitationi relictũ: renouati tamen iam tertio fœderis non eſt omiſſa mentio, *Percuſſit ergo* ait Scriptura, *vterque fœdus coram Domino*. Tertio inquam; primum enim initum eſt ſtatim à cœde Goliathi cap. 18. [e] alterum ſub ipſum diſceſſum Dauidis, cum latuit triduum ad petram Ezel. cap. 20. [f] tertium hoc loco renouatur; [g] non ex timore ne alterutrum facti pœniteat, ſed ex amore potius; ideoque in ſecunda renouatione facta eſt illico amoris mentio, *Addidit* inquit Ionathas *deierare Dauid, eo quod diligeret illum; ſicut enim animam ſuam ita diligebat eũ*: iuuat autem amantes amoris actus iterare. Eſt & illud in huiuſmodi renouatione commodi, quod ſit approbatio, ac confirmatio primi pacti; cuius vſque adeo fœderatos non pœnitet, vt illud iterare velint: parati, ſi res eſſet integra, iterum contrahere inter ſe ac paciſci. Quid eſt autem percuſſiſſe fœdus coram Domino? reſpondet Hieron. in trad. hebr. *coram Domino*, inquit, *id eſt coram Gad propheta, & Abiathar ſacerdote, qui portabat Ephod*. quæ ſatis probabilis eſt expoſitio: nihil enim ab ipſis aut Dauidi aut Ionathæ timendum fuit; ique magis placet, quam diuiſio animalis, & traiectio per diuiſiones, quam probat Abul. [h] etiam in hoc tertio fœdere, in quo Ioſephus diras execrationes, quæ ad ſecundum fœdus pertinent, inculcauit. Nec tamen diſplicet dici iteratum fœdus coram Domino, quia Deo rurſus in teſtem inuocato factum ſit, qui peculiariter adeſſe dicitur, cum fit quæpiam actio, quæ ad ipſum aliquo modo pertinet. [i]

XIV. *Fœdus cum Ionatha tertio renouatum.*

e 1. Reg. 18. v. 3.
f c. 20. v. 8. 16. 23. 42.
g ca. 23. 18.

coram Domino.

h q. 25. in c. 23.

i Matth. 18. v. 20.

Non diuturna Dauidi data eſt quies apud Ziphæos, qui cum didiciſſent quanto deſiderio ferretur Saul comprehendendi Dauidem, ſiue gratiam captantes, vt ait Ioſephus, ſiue ſpe ingentis alicuius mercedis allecti, ſiue enatam fortaſſe aliquam offenſionem inter Dauidis milites, & ruſticanos hoſce viros vlturi, aut milites à ſuis finibus expulſuri, à quibus non parum timerent ſibi, aſcenderunt ad Saul in Gabaa dicentes [k]. *Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutiſſimis ſiluæ, in colle Hachila, quæ eſt ad dexteram deſerti. Nunc ergo ſi ut deſiderauit anima tua vt deſcenderes, deſcende.* Videntur alludere ad deſiderium Saulis comprehendendi Dauidem in Ceila. [l] Dictum eſt enim, *præcipit Saul omni populo vt ad pugnam deſcenderent in Ceilam, & obſideret Dauid, & viros eius.* Sed audita eius fuga reſtitit ſpe irrita;

XV. *Ziphæi deferunt Dauidem ad Saulem.*

k ca. 23. 19. ſupra n. 7. & 11.

l ca. 23 v. 8.

iſti autem ſe ipſum deſiderij compotem facturos ſpondent, *noſtrum autem erit*, inquiunt, *vt tradamus eum in manus regis*. Audax promiſſum, ac plane temerariũ: iacturi enim erant rete ante oculos pennatorum. Dauid quippe præter exploratores ſuos, à quibus de omnibus tempori monebatur, habebat ſacerdotem per quem de omnibus Deum conſulere poſſet.

XVI. *Et capturos pollicentur.*

Qvo autem niteretur iſta eorum promiſſio Ioſephus explicat [a] in hunc modum. *Zipheni vero gratiam regis captantes certiorem eum faciunt Dauidem in agro ſuo morari, pollicebanturque ſuam operam vt in manus regis traderetur, occupatis enim quibuſdam faucibus, nullum reliquum illi effugium fore.* Et mox *Atque ita Zipheni duces ſe regi ad perquirendum eum & comprehẽdendum obtulerunt: ſtudium ſuum erga ipſum, non indicio tantum declaraturi, ſed omnibus viribus conando, vt in poteſtatem redactum regi traderent. Sed non habuit ſucceſſum iniqua eorum cupiditas, quibus cum nullum periculum ex ſilentio immineret, per adulationem & auaritiam virum pium, & præter ius ad mortem quæſitum, regi ſe tradituros erant polliciti.* Sic Ioſephus; recte vtique de eorum improbitate in prodenda innocentia ratiocinatus. Sed accedebat etiam, quod cum ad eandem tribum pertinerent, ad peculiarem quendam erga ipſum fauorem obligari videbantur; quod Lyran. & Abulenſ. notarunt. *a 6 c. 14.*

XVII. *Quid ad eos Saul, & quid eius ſtudiũ capiendi Dauidis*

Invecta ſpes à Ziphæis de comprehendendo Dauide exhilarauit Saulem, & ad fauſtam comprecationem induxit, *Benedicti vos à Domino*, inquit, *quia doluiſtis vicem meam*, miſerti eſtis mei, & opem ferre conamini principi veſtro afflicto, ac mœrore tabeſcenti. Hanc veſtram erga me gratiam Dominus copioſe remetietur. *Abite ergo oro, & diligentius præparate & curioſius agite, & conſiderate locum vbi ſit pes eius, vel quis viderit eum ibi.* Quaſi dicat; videte ne ſequamini obſcuram, & incertam famam de loco vbi ſit, habete teſtes oculatos, perſcrutamini omnia accuratius, vbi cibum capiat, vbi quietem; exeatne ad prædam cum ſuis, an ſeruet domi; num qui fallaces aditus latebrarum, num qui exitus oculti ad fugam, ne imprudentia veſtra redundet in confuſionem meam. Eſt enim res nobis cum homine callido, qui cum ſibi à me timeat, omnia accuratè circumſpicit; illa tamen verba, *recogitat enim de me quod callide inſidietur ei*: Vatablus ex Hebræo in eam ſententiam interpretatur, præſagit mihi animus eum calliditate ſua elapſurũ. Septuag. ne forte verſutè agat. Complutenſes propius ad Hebræum fontem μήποτε πανουργευσάμενος οὗτος πανουργεύσηται, ne forte hic, ſi ſic dicere placet, callendo callidè agat. *b c. 23. 21.*

XVIII. *Eadem inculcat mandata.*

Hic nimirum metus auget ſollicitudinem, & ſtudium commendandi iterumque iterumque rem eandem diuerſis verbis. *Conſiderate*, inquit, & videte omnia latibula eius, in quibus abſconditur, non enim eodem ſemper in antro vulpes latet, ne forte ex vno in alterum elapſus comprehenſurum eludat, & fallat. Et omnibus rite exploratis *reuertimini ad me ad rem certam, vt vadam vobiſcum*; ne & inutili labore fatigemur in difficillimis locis, & nihil præter dedecus, & pudorem nobis, & inimico meo lætitiam acquiramus. [c] Non dicit quo eos reuerti veliti recte autem ratiocinatur Abulenſis, [d] ſtatuiſſe quidem Saulem non prius migrare domo cum ſuis, quam Ziphæi rem exploratam retuliſſent; poſtea tamen cogitaſſe, dum illi redirent, datum iri ſpatium Dauidi ad effugiendum; ideoque duxiſſe rectius fore ſi Ziphæi præirent luſtrabundi; ipſe autem aliquanto interuallo ſequeretur, vt ſtatim de inuenta fera nunciaturi accurrerent; & è propinquo adducerent Saulis exercitum; ad omnes effugii aditus obtruendos. Et ne forte illi regem labore deterritum iri, & ab incepto deſtiturum putent: ſicque ipſi irritato hoſte, & non ſublato pœnas luant: *Quod ſi etiam*, inquit, *in terram ſe abſtruſerit, perſcrutabor eum in cunctis millibus Iuda*; ſiue cum omnibus copiis tribus Iuda, in qua ille verſatur, vt vndique pullulent, vndique irruant in eum, & impotentem conſilii in manus meas tradant. *c vide ſupra n. 11.* *d q. 27. in ca. 23.*

Et abit poſt eos.

XIX. *Dauid ad Deum confugit, pſal. 53.*

Haec cum reſciſſet Dauid, pro ſui, ſuorumque magnitudine periculi, primum ad Deum de more confugit, fuditque eas preces magna cum ſollicitudine, animique feruore, quæ pſalmo quinquageſimo tertio continentur [e] Huic rei teſtimonio eſt ipſemet titulus pſalmi, qui factum ait cum veniſſent Ziphæi, & dixiſſent ad Saul, *Nonne Dauid abſconditus eſt apud nos?*, Deus inquit, *in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me*, id eſt fac pro me iudicium aduerſus perſequentes me. Et rurſum inſtat vehementius, *Deus exaudi ora-* *e pſal. 53.*

tionem meam, auribus percipe verba oris mei. Sed dubium videtur quod ſubdit, *Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me*: Nam Saul cum ſuis omnibus eiuſdem gentis erat; & Ziphæi etiam eiuſdem tribus cum Dauide, Calebi poſteri: ſed alienos vocat à Deo, à iuſtitia, à miſericordia; quod explicans ſubdit eos non propoſuiſſe *Deum ante conſpectum ſuum*. Mox autem interno animi motu à Deo in ſpem erectus; *Ecce*, inquit, *Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ*. Quin etiam certam in ſpem adducitur, Deum auerſurum à ſe mala, in capita inimicorum ſuorum: ſponderque ſe in gratiarum actionem ſacrificia oblaturum liberatori ſuo, ſicut & feciſſe voti reum minimè dubium eſt.

Lyra. Abul.

Qvæ fuit fortaſſe Dauidi cauſa cur ex eodem loco, in quo erat, non emigrarit longius. Nam cum Ziphæi agnita tam propenſa regis in Dauidis perniciem voluntate, properè abiiſſent in Ziph, ante Saulem, vt ad eum iter maturantem verſus illum locum, reuerterentur, Dauid erat cũ ſociis ſuis *in deſerto Maon, in campeſtribus, ad dexteram Ieſimon*, ſiue deſerti, vt ſupra v. 19. verſa eſt Hebræa illa vox. Cum autem nunciatus eſt Dauidi aduentus Saulis, *ſtatim*, ait ſcriptura, *deſcendit ad petram, & verſabatur in deſerto Maon*, in quo ſcilicet erat, antequam de Saulis aduentu reſciuiſſet. At prius erat in deſerto Ziph, idque nunciatum fuerat Sauli. Reſpondet [a] Abulenſis deſertum Maon partem fuiſſe quandam latius patentis deſerti Ziph. 1 Sed Adricomius [b] ea deſerta ſeiũgit locis in tabella Iuda: & fieri poteſt vt Dauid cum primum Ziphæi adierunt Saulem; è deſerto Ziph migraret ſponte; ignota ex cauſa; in deſertum Maon, & illic inuentus fuerit mox à Ziphæis; & ſimul cognito Saulis aduentu, non migrarit tamen è deſerto Maon, quod habebat quandam planiciem explicatam, in qua erat Dauid cum ſuis, dum procul erat periculum: audito autem Saulis aduentu *deſcendit ad petram*. 2

XX. *Manet in deſerto Maon.*

Parte deſerti Ziph.

a q. 28. in c. 23. b n. 184. & 248.

1. σχ.

2. σχ.

Descendendvm fuit ad prægrandem illam rupem; quia inter illam & Dauidem vallis interiecta erat, vt explicat Vatablus; prægrandem inquam rupem, vt quæ hinc ſexcẽtos viros, inde multa millia virorũ à ſe inuicem ſepararet, vnde illi mox nomen *petræ diuidentis*. Fuit hæc petra inente; de quo ſtatim ſubditur, *& ibat Saul ad latus montis ex parte vna: Dauid autem & viri eius erant in latere montis ex parte altera.* Veniebat videlicet Saul è Septentrione meridiem verſus, & habebat à fronte rupem; Dauid autem eam habebat à tergo. *Porro Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul*: Quomodò deſperabat, cum ex prædicto pſalmo conſtet [c]; eum à Domino certam ſpem, habuiſſe fore vt non veniret in manus eius; quod etiam Ionathas ei paulo ante affirmauerat. Sed facile eſt reſpondere; Dauidem pervidiſſe ſe humanitus loquendo non poſſe euadere; nihil tamen deſperauit de diuino auxilio, non ſolum quod eum liberare poſſet, ſed quod reuera liberaturus eſſet: quidquid impij contra Dauidem hoc loco rabini mentiantur. 3.

XXI. *Rupes, ſiue mons ſeparans Dauidem à Saule.*

Qui dicatur Dauid deſperare.

c pſal. 53. vide Abul. q. 32. in ca. 23.

3. σχ.

Qvamqvam in hebræo pro deſperatione, habetur vehemens, & incitata Dauidis ad effugiendum feſtinatio, habet enim Vatabli verſio, *feſtinauitque Dauid præcipitanter; vt effugeret ante Saul*; Pagnini autem; *& feſtinauit Dauid ire à facie Saul*, quod ſignum eſt hominis non plane deſperantis de effugio; alioqui enim ſubſtitiſſent, vel impetraturi veniam; & pacem; vel fortiter morituri. Attingunt etiam Septuag. peculiarem Dei prouidentiam erga Dauidem fugientem; quod videlicet tectus eſſet à Saulis telis interiecto monte. Itaque Dauid quanta maxima poterat feſtinatione diſcedebat à Saule, ne ab eius exercitu concluderetur; nam ſubditur. *Itaque Saul & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius vt caperent eos*, cingebant, id eſt cingere parabant, toti in eo erant vt obliquando includerent eos: hoc eſt enim περκαταγιάξειν, quod habent Septuag. Complut. & regia; vel quod alia; παρενέβαλον, id eſt ſeſe interiiciebant, vt ſcilicet eis exitum obſtruerent. Iſti feſtinabant includere, illi feſtinabant præuenire fugiendo clauſuros. Ibique ſine dubio mox atrox pugna ad perrumpendum, cædeſque plurima futura erat; niſi Dominus prouidiſſet, qui miſſio nuncio *prælia voce diremit*.

XXII. *Eiuſdem fuga, ad vitandam circumuentionem.*

σχ. σκεπαζόμενος.

Romi. Ald. Baſ.

Dvm enim in eo vtrimq. omni animorum ac corporum contentione certatur, *nuncius venit ad Saul dicens, feſtina & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthijm ſuper*

terram. Futurum erat, inquit Ioſephus, *vt Dauid circumuentus comprehenderetur, niſi Rex trepidis nunciis reuocatus eſſet, qui Palæſthinos in ditionem eius hoſtiliter irripuiſſe afferebant. Satius enim iudicauit hos perpetuos ac germanos hoſtes vlciſci, agriſque ſuis, quo minus vaſtarentur, opem afferre, quam ſtudio capiendi inimici, regionem illis populandam prodere.* Mi-

Et dimittit Dauidem. rum omnino fuit Saulem, qui iam tot annos ardebat deſiderio comprehendendi Dauidem; & dedita opera ad eum comprehendẽdum cum exercitu venerat; atque adeò rem eo deduxerat, vt iam iamque capiendus videretur, re tamen infecta redire potuiſſe; & fuiſſe tantam cauſam, tam atrox periculum, tam graue, tam funeſtum, tam immedicabile damnum, quod parua mora ſuſtentari non poſſet, dum hæc tanta, tamque ſtudioſe quæſita præda, caperetur. Minime nouæ erant, ſed pene quotidianæ Philiſthæorum excurſiones, & damna vltro citroque illata. Nam ex quo Saul creatus eſt rex, quinquies, aut ſexies Philiſthæi percuſſi, aut repreſſi, aut fugati, aut clade aliqua affecti à ſcriptura memorantur.

XXIV. *Quomodo id factu.*

AN in verbis nuncii feſtinationem vrgẽtis, celeremque reditum, tanta vis fuit,
vel in conditione perſonarum, à quibus mittebatur, tanta efficacitas, & pondus authoritatis, vel in re, quæ periclitari nunciabatur, tantum momentum, vt
tantiſper differenda videretur Dauidis comprehenſio? An forte neſciuit Saul,
1 qui vtique non erat in primo agmine exercitus ſui, & interiecta rupe Dauidem
2 cum ſuis non videbat, Dauidem ſummo in periculo verſari, & iam iamque ca-
3 ptum iri? ſed perſuaſum habuit diutius cum illo luctandum fore, ſi ſe forte ad
4 obſidionem tolerendam comparaſſet; An temere cogitauit, ac credidit, Dauidem, qui nuſquam apparebat, fuga iam ſibi conſuluiſſe, & ſuam, vt apud Ceilam, diligentiam anteuertiſſe, atque eluſiſſe, ideoque noluerit vltra progredi, ne manifeſtius confunderetur; ſed occaſionem nuncii arripuerit ad obtegendum pudorem ſuum? An potius peculiari ratione Deus effecit in animo Saulis eiuſmodi motum, vt multo vehementiſſimè, & ſupra rei meritum apprehenderet aduentum Philiſthæorum, & damna imminentia, vnde natus ſit vehemens impetus voluntatis ad occurrendum eis: dilata tantiſper inſecutione Dauidis. Huiuſmodi fuit ille ſpiritus, quem Dominus immiſit Sennacheribo, vt audito nuncio de Tharaca Æthiopum rege, [a] recederet à Ieruſalem, & reuerteretur in terram ſuam, vbi ſuorum gladio deiiceretur. [b] Nempe cor regis, atque omnium hominum, in manu Dei, vt quo voluerit conuertat illud.

[a] 4. Reg. 19. v. 7.
[b] Abul. q. 33. & 34. in c. 23. 1. Reg.

XXV. *Dauid ſeruatus gratias agit Deo.*

REVERSVS eſt ergo Saul deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſthinorum. Dauid autem præter omnium opinionem, non tamen præter ſpem, & fiduciam in Deum ſuam, ſeruatus eſt, & ſeruatus ceciniſſe videtur cum ſuis in gratiarum actionem canticum illud Deo. [c] *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis, Cum exurgerent homines in nos forte viuos deglutiſſent nos; cum iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua abſorbuiſſet nos; Torrentem pertranſiuit anima noſtra; forſitan pertranſit anima noſtra aquam intolerabilem. Benedictus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum; Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus &c.* 4 Quadrant omnia vehementer. Hoc certe fuit vnum ex maximis, grauiſſimiſque periculis, quibus vnquam perfunctus eſt Dauid, quod grandibus, tragiciſque metaphoris deſcribit, atque exaggerat. 4. X.

[c] Pſal. 123.

XXVI. *Res à Saule geſta contra Philiſthæos.*

MOVIT autem Saul caſtra aduerſus Philiſthæos; quo autem modo, aut quanto tempore confectum fuerit hoc bellum, Scriptura tacuit, omnia vno verbo cõplexa; nimirum hoc loco vnum in Dauidem, eiuſque fugas, pericula, eruptiones intenta, cætera leui brachio, ſtyloque perſtringit. Itaque ne ex Ioſepho quidem diſcere poſſumus, prælio ne contra eos dimicatum fuerit, an vero diſperſos, atque effuſos in prædã oppreſſerit Saul; nam propulabũdos effudiſſe ſe in terram Iſraelitarum, Hebræa, latinaque exemplaria, & græca nonnulla demonſtrant; didicerant enim abeſſe Saulem, & per deſerta loca, in extremo regno verſari cum copiis. Hanc quippe illis cauſam irruptionis fuiſſe non temere opinor affirmari poteſt. Quin etiam crediderim eos remotiora à Saule loca infeſtos adiiſſe, vt tutior eſſet præda, atque liberior. Ergo Saul opinione Philiſthæorum celerius ſuperueniens, palantes pleroſque, & præda impeditos occidit, alios male mulctatos in ſua ſe latibula recipere coegit: ipſe victor in Gabaa ad hyberna conceſ-

ſit. Nec plura ad hunc annum referimus. Nam Dauid è Ceila digreſsus, cum huc illucque aliquandiu vagatus eſſet, [a] diutius hæſit in deſertis Ziphæorum locis, antequam deferretur ad Saulem, vt Scriptura ſignificat. [b] Repreſſis autem Palæſtinis ignorabat Saul quonam gentium abiiſſet Dauid, donec nunciatum eſt ei, illum eſſe in deſerto Engaddi, quod ad ſequentem annum cum Torniello [c] pertinere arbitramur. Ad præſentem autem annus ſabbaticus ſextus ſupra quinquageſimum. Nam ſepties 56. efficiunt 392. quibus adde 40. annos deſerti, colliges annum ab exitu ab Ægypto 432.

a c.23. v.13.
b ibid v.14.
c 24. ætat. 433.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2975. SAVLIS 14.

1. N.xx. Abulenſi, Tornellus quoque aſſentitur an. quartæ ætatis 432. n 3. & id non obſcurè ex Scriptura colligit idem Abul. Nam hoc cap. 23. Ziphæi cum vellent dicere Dauidem eſſe in monte opaco, ſiue in ſilua ſolitudinis Ziph, v.14. Dixerunt Sauli, *nonne Dauid latitat apud nos, in locis tutiſſimis ſiluæ, in colle Hachila* (qui aut idem eſt cum monte opaco, aut pars eius) *quæ eſt ad dexteram deſerti*, ſiue vt eſt in ca. 26. v. 1. 3. *ex aduerſo ſolitudinis*, in quibus locis in hebræo eſt Ieſimon, ex quo infertur, vbi mox c. 23. v. 24. dicitur Dauidem cum ſuis fuiſſe in deſerto Maon, ad dextram Ieſimon, ſiue ſolitudinis, deſertum Maon eſſe partem eiuſdem deſerti Ziph, qui prius communi loco, poſterius particulari dictus eſt. Vnde etiã intelligitur Ieſimon nõ proprium, ſed appellatiuum, vt vocant, nomen eſſe: quod S. Hieron. imitatus Septuag. in edit. vulgata myſterij cuiuſpiam cauſa retinuit. In aliquibus tamen libris græcis ea vox corrupta eſt. Quidã enim habent ἰεσσιμοῦ, vt Romani & Baſil. alij ἰεσσι, vt Aldi, detrita vltima ſyllaba. Sed res ambigua eſt apud Ioſephum lib. 6. 14. *Euaſit*, inquit, *ad magnam petram, quæ ſita eſt in deſerto Simonis.* ἔσαν ἐν τῇ σίμωνος ἐρήμῳ. legendum vtique μάωνος, vt habent Hebræi & Septuag. Quid ſi Ioſephus Ieſimon putauit proprium viri nomen, quod mutarit in Simonem? Sed malim ego illud mendum amanuenſis; quam hoc authoris erratum arguere; quaſi Ioſephus ignorarit Ieſimon eſſe deſertum.

2. Ibid. Hanc petram videtur D. Hieron. in tradit. hebraicis intellexiſſe munitum aliquem locũ non natura tantum, ſed arte. Ait enim *deſcẽdiſſe ad petram dicitur, id eſt ad tutiſſimum locum, in quo ea, quæ ſibi oneri, & grauia erant repoſuit.* Sed hoc improbat Abul. q. 28. in ca. 23 in fine: retulit & Lyran.

3. N.xxi. Aliqui Hebræi, apud Abul. q. 30. verſionẽ D. Hierony. confirmant, qui hic non feſtinationem Dauidis, ſed deſperationem agnoſcunt, & quidem eiuſmodi, vt ex ea ad increpandum Samuelem, quaſi falſa erga ſe prophetia vſum, prorupiſſe dicant, & prophetias mendacij & vanitatis arguiſſe. Eamque fuiſſe cauſam cur illum pſalm. ſcriberet ordine 115. *Credidi propter quod locutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis.* Et illud nominatim, *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Verum hæc tam apertè falſa, refutationem non merentur, maximè nulla probatione roborata: refutat tamen pluribus Abul. q. 30. Idonea eſt ad fidem Lyrani expoſitio deſperaſſe Saulem euadere, abſque bello videlicet, quod ipſe reformidabat, nõ timiditate animi, ſed charitate in ſocios, ac ciues ſuos; quod plurimos ſciret, erga ſe bene animatos, in Saulis exercitu militare. Eam tamen Toſtatus negat multum textui conſonare, qui Dauidem potius, quã cæteros attingit. Quatuor ipſe alias expoſitiones affert q. 32. quas apud eum leges.

Quæ profanus quidam ita vertit, ſtylo quam conſcientia meliore.

1 *Ni fauentis affuiſſet numinis præſentia* 4.
2 *Dicat Iſaci propago, numinis præſentia*
Ni fauentis affuiſſet, cum venerit perditum
Nos ſuperba multitudo, freta ſtultis viribus
3 *Forte viuos deuoraſſent, debileſque, & pauculos*
Ira feruidi furoris auida noſtri ſanguinis
4 *Obruiſſet inſtar vndæ nos procella cladium*
5 *More torrentis niuali ab imbre turgidi, impetus*
Nos repente ſuſtuliſſet; vſque ad animam gurgites
Vſque ad animam tranſiſſent gurgites impetuſ.
6 *Sempiterna laus Deo ſit, qui ſuos non tradidit*
Denti· us prædam cruentis perfidarum gentium
7 *Caſibus fractis doloſis, ſoſpites euaſimus,*
Capta velut iam volucris rete fugit aucupis
8 *In Deo noſtræ ſalutis ſpes repoſita eſt vnicò*
Qui ſolum cœlumque fecit vi potentis dextera.

ANNVS MVNDI 2976. DILVVII 1320. 5ᵃ. ÆTATIS 37. EXITVS AB ÆGYPTO 433. ARCÆ IN CARIATH. 36. SAMVELIS 37. SAVLIS REGIS 15. ABIATHARIS PONTIF. 2. DAVIDIS 27. TROIÆ EXCISÆ 105. DERCYLLI 26. IMPER. ASSYRIORVM 1045.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1077.

I. *Ratio temporis, & res anni huius.*

EXPERTVS Dauid quanto in periculo verſatus eſſet in deſerto Maon, aſcendit inde, & habitauit in locis tutiſſimis Engaddi. [a] Quæ habitandi vox, non ad paucos dies, etſi ita viſum Abulenſi [b] ſed plures ad menſes videtur pertinere, quibus tum bellum contra Philiſthæos confectum eſt, tum Dominus requiem aliquam ſeruo ſuo Dauidi dare voluit, ſed qualem quis requiem in deſertis locis experiri poteſt. Donec iterum mirabile certamen, & plane nouum exortum eſt, inimici contra amicum ſuum, & amici contra inimicum. Vbi vnus odio certat & ferro, alter amore & obſequio debellatum cupit. Vnus mortem inferre paratus eſt, & fortaſſe cruciatus: alter duntaxat metum, vel potius culpæ agnitionem ſuæ. Vnus regię dignitatis amittendæ aut metu, aut dolore, totus extra ſe poſitus in alterum fertur: qui eam ipſi & ſemini eius, quantum in ſe fuerit, conſeruatam cupit. Vnus ardet ſtudio abſcindendi caput benefactori ſuo, alter percutit cor ſuum, quod oram chlamydis eius ſit auſus abſcindere.

a 1. Reg c. 24.
b q 1. in c. 24.

II. *Mirum certamen Dauidis & Saulis.*

VIDEBIS hic Saulem excitantem ſubditos ſuos, ad inueſtigandum fugitiuum, cuius tota culpa eſt, eſſe ac fuiſſe virtute præſtantem: vice verſa miraberis Dauidem cohibentem amicos ſuos, ne deprehenſum hoſtem ferro confodiant, & hoſtem abdicatum, & reprobatum à Deo; hoſtem immaniſſimorum ſcelerum reum, & in perpetua voluntate & conatu perdendi innocentiſſimi generi immorientem; hoſtem cui nihil faueat præterquam fuiſſe aliquando electum à Deo, & eſſe etiam nunc Chriſtum Domini. Tanta fuit erga regiam maieſtatem, etiam in homine conſcelerato, atque ſacrilego, apud ſanctiſſimum Dauidem veneratio, tametſi non ignorabat eo morte ſublato, illico ſe regem fore. O ſubditum meliore principe dignum!

III. *Deſertum Engaddi.*

PORRO quæ loca tutiſſima hic vocantur, intelliguntur prærupta, imperuia, inacceſſa, peranguſti aditus; ἐν τοῖς στενοῖς γαδδί, habent Septuag. diminuta voce compoſita Hebræa, quæ vertitur fons, ſiue oculus hœdi, vel felicitatis: alii ex Hebræo munitiones, quidam etiam arces interpretantur. Fuit autem En-gaddi olim vrbs nobiliſſima, dicta Haſaſon-thamar, vt ait ſanctus Hieronymus [c] in tradit. Hebraicis, id eſt vrbs palmarum, quod nimirum palmis floreret, & balſamis, non longe à mari mortuo. Habet autem ea ciuitas deſertum vicinum ſibi cognomine, frequens altiſſimis montibus prærupti ſque, imo ita prominentibus, vt ruinam minari videantur, & iter agentibus metum afferant, ne in ſe, ſubiectaſque valles immania ſaxa præcipitent, vt notat Adrichomius in topographia Iudæ [d] ex Brocardo, & Breidembachio: quæ ſatis conſentanea ſunt iis, quæ mox à ſcritura narrantur.

c in 14. Gen.
d nu. 116.

In quo abſconditur Dauid.

Idem Hieronymus in locis. *Engaddi*, inquit, *in tribu Iuda, vbi abſconditus eſt Dauid in ſolitudine, quæ eſt in aulone Ierichus, hoc eſt in regione illa campeſtri, de qua ſupra diximus. Vocatur autem vſque hodie vicus prægrandis Iudæorum Engaddi, iuxta mare mortuum, vnde & opobalſamum venit, quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.* Hæc ſanctus Hieron. Addo & Solinum *Engada*, inquit, [e] ſic enim vocat, *oppidum infra Eſſenos fuit, ſed exciſum eſt. Verum inclytis nemoribus adhuc durat decus, luciſque palmarum eminentiſsimis nihil vel æuo, vel bello derogatum.*

e ca. 48. Polyh.ſt.

IV. *Curà Zi-*

HVC ergo aſcendit Dauid, neque enim prudentis fuiſſet diutius apud Zi-

a Abul. q. 2. in c. 24.

Ziphæus migrauit.

phæos, aut in Maonis ſolitudine diuerſari [a] apud homines videlicet ſibi nũc neceſſario inimicos. Non enim exiſtimabant, qui Dauidis manſuetudinem non noſſent, ad redintegrandam gratiam cum eo, viam ſibi aliquam patere; ad cuius perniciem vltro eſſent aggreſſi. Non putabant integrum aut tutum ſibi eſſe, deſiſtere ab eo perſequendo, quem mox ad acerrimam vindictam inſurrecturum formidabant; itaque rebantur aut ſibi, aut ipſi eſſe pereundum. Quæ apud ſe reputans Dauid, conſultò inde migrandum cenſuit. Accedebat quod cum omnia in illis locis eius latibula explorata eſſent, non ſolum Ziphæis, ſed etiam Saulis militibus, omnia enim nuper Saulis iuſſu diligentiſſime, neque ſine milite regio, vt fieri ſolet perſcrutati fuerant, facilius ibi aut per vim, aut per inſidias capi potuiſſet. At in Engaddi neminem habebat inimicum, & loca erant aduerſariis inexplorata, quæ etiam natura ſua erant impeditiora.

V. *Nunciãtur Dauidis latebræ Sauli, & à quibus.*

b ca. 26. 1.

c a. m. 2976.

Interea Saul reuerſus à Philiſthæis perſequendis, & à finibus ſuis exterminandis, per nuncios didicit Dauidẽ cum ſuis ad loca Engaddi ſe recepiſſe; quinam fuerint iſti nuntij non eſt proditum. Non male ſuſpicatur Abulenſis in hoc loco, fuiſſe Ziphæos, qui etiam poſt hæc delatorum officio functi reperiuntur [b], quibus Saul diſcedens ex eorum deſerto, dederat in mandatis, vt diligenter intenti eſſent actionibus Dauidis, an ex illis locis plane recederet, quo iter intenderet, vbi ſubſiſteret; quid agere, quid ſpectare, quid moliri videretur. Quæ cura atque inueſtigatio nõ paucorum dierum fuit, vt de iſtiuſmodi hominibus vagis, & de induſtria loca mutantibus, & obſeruantium oculos fallere ac turbare cupientibus, certa, ac bene explorata ad regem referri poſſent, & diligẽtiæ præmia obtineri, [c] vt me propterea nequaquam pœniteat, hanc Saulis contra Dauidem expeditionem ad hunc annum protraxiſſe, quod Torniel. quoque placuit. Cum ergo ſatis obſeruando perſpectum eſſet quonam diuerſis ex locis crebrius adirent Dauidis ſocij & munitiſſimorũ locorum natura coniecturas omnes confirmaret, minime dubij regem adeunt dicentes, *Ecce Dauid in deſerto eſt Engaddi.*

VI. *Eum adit cum tribus millibus.*

1. Reg 13. 2. ca 24 v. 3. c. 26. v. 2.

Ea re cognita Saul, in cuius pectore viuebat perpetua cura perdendi Dauidis, hoc nuncium lætus accepit, aſſumpſitque tria millia electorum virorum ex omni Iſraël fuerant hi iam à principio regni Saulis, deſtinati ad tuitionem regij corporis, & ad omne regis obſequium expediti ſemper ac parati qui numerus conſtans reperitur tam hoc tempore, quam deinceps, vt propterea non electi recens ad hanc expeditionum fuerint, vt putauit Abulenſis, ſed aſſumpti dicantur, id eſt moniti & euocati, & iuſſi præſto eſſe regi verſus Engaddi proficiſcenti, *ad inueſtigandum Dauid, & viros eius.* Et erat cur ſibi Dauid & cohorti ſuæ vix ſexcentorum virorum timeret ab his copiis, quæ & numero plures erant quintuplo, ſic vt ſingulis aduerſus quinque pugnandum eſſet, & genere ipſo præſtantiores, electi quippe ex omni Iſraël, cum ad Dauidem bonis mali permixti confluxiſſent; illi rebus omnibus affatim inſtructi, vt imperatoriam legionem decebat, iſti vt fugitiui, ab omnibus propemodum rebus imparati; Illos iuuabat regis præſentia, & alacres, animoſoſque reddebat, *vt etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt* conſcendere non dubitarent; Iſtos Dauidis innocentia, & magnitudo animi, & rerum bello geſtarum gloria, & ipſa eorum neceſſitas, ac deſperatio fortes, pugnacéſque reddebat.

VII. *Ibices, & rupicapræ.*

l. 8 c. 53.

Ibes.

Porro quod perrexiſſe dicitur Saul cum militibus ſuis *ſuper abruptiſſimas petras, ſolis ibicibus peruias*, apparet cum hyperbole dictum, ad oſtendendum quantus eſſet ardor animi Saulis aduerſus Dauidem coniurati, vt pro eo comprehendendo tria hominum millia in magnum diſcrimen coniiceret. Ibices numerat Plinius in capris ſilueſtribus: *Capræ, inquit, in plurimas ſimilitudines transfigurantur. Sunt capreæ, ſunt rupicapræ ſunt ibices pernicitatis mirandæ; quamquam onerato capite, vaſtis cornibus, gladiorumque vaginis: in hæc ſe librant, vt tormento aliquo rotati in petras potiſſimum, è monte aliquo in alium tranſilire quærentes; atque recuſſu pernicius quò libuerit exultant.* Varie legitur hic locus. Mens ſcriptoris eſt ibices ſaltu ex vno monte, ſeu colle in alium tranſilire, indéque regredi ac reſultare; cornuum autem pondere ad tam immanes ſaltus librari. Hinc videtur Iſidor. & ex eo interlinearis, & Lyranus, dixiſſe ibices de montibus altiſſimis ſe præcipitantes illæſos ſe cornibus excipere. Toto autem cœlo falluntur qui ibices, hoc loco in ibes vertunt,

aues Ægyptias, ciconiis non abſimiles, ſerpentum victu celebres; nam quamuis præruptæ rupes non ſolis ibibus, ſed columbis, & omnibus volucribus peruiæ ſunt; at rupes ibicibus peruiæ, non æque ab aliis quadrupedibus adire poſſunt, nedum ab hominibus.

VIII. *Dauid Saulis aduentum cognoſcit.* INTERIM autem dum profectionem ſuam molitur Saul, & tacitus abire, atque improuiſus adeſſe conatur, non defuerunt tamen qui Dauidem, aut Ionatha, aut Michole ſatagente, curriculò monerent de imminente periculo. Eóq; ictus nuncio, ad ſolita orationum præſidia recurrit, vt patet ex pſalmo 56. qui ad hunc locum, tempúſque pertinere ex inſcriptione agnoſcitur; ſcriptus enim dicitur, aut Deo animum eius ſubeunte pronunciatus, *cum fugeret à facie Saulis in ſpeluncam.* Quantum vero affligeretur atque animo æſtuaret primis ſtatim verbis aperte oſtendit. [a] *Miſerere mei Deus*, inquit, *miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas;* iniquus ſcilicet Saulis furor, à quo me protegi velim, vt pullos à matre, contra vim rapacium animalium. Saulis autem copiis appropinquantibus, inſpirante Deo, ingreſſus eſt Dauid cum comitibus, in ſpeluncam viæ propinquam, ſed latebroſam, atque obſcuram; vt tanto ibi eſſet tutior, quanto magis erat præter expectationem, Dauidem iuxta viam, & non in remotioribus aliquibus ſpelæis latere.

Et dũ orat, Pſal. 56. — *a Pſal. 56.*

IX. *Ac ſpeluncam ſubit.* PROVIDENTIA vero diuina rem adminiſtrabat, & duorum hominum neceſſitatem in occaſionem admirandæ virtutis deduxit. [b] Forte enim Dauid anguſtiis temporis occupatus, non potuit, abeundo longius, oculos vitare hoſtium, iam ex propinquo perſequentium: ideóque properè in propinquas viæ latebras abdidit ſe. Saulus autem inter eundem *venit ad caulas ouium, quæ ſe offerebant vianti*, iuxta quas erat eadem ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul ad tegendos pedes, aiunt Hebræi verecundius, Latini *vt purgaret ventrem* 1 ſecretius, ſemotis arbitris, oculiſque ſociorum. *Porro Dauid & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant*, expectantes dum tranſiret Saul cum ſuis, hoſtem in aſperis rupibus, inuiiſque ſcrutaturi. Facile autem eſt intelligere quid cauſæ fuerit cur à Saule non animaduerteretur. Primùm quia latiſſima erat ſpelunca, ac profundiſſima, ſi quidẽm omnes Dauidis ſocios abſcondebat, vt vult Abul. q. 6. in c. 24. & ſignificat Theodoretus q. 55. & aperte ſcribit Ioſephus, & in ea 400. includit, & debuit 600. Secundò quia ingredientibus per obſcurum locum, non videntur qui in eo ſunt, etſi qui recens adueniunt perſpicuè videantur. Propter amplitudinem quoque ſpeluncæ facile erat Dauidem cum ſuis colloqui, & à Saule non audiri; præſertim cum & iſti demiſsè muſſitarent, & foris multæ hominum turbæ, multi currus, & equites obſtreperent.

b Abul. q. 4. in c. 24. — *Eandemque Saul imprudens.* — *1. x.*

X. *Excitatur Dauid à ſuis ad Saulis necem.* *ET dixerunt ſerui Dauid ad eum, Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. Non ita locuti ſunt*, ait Chryſoſtomus, [c] *Ecce qui multa in te molitus eſt mala, qui necem tuam concupiuit, qui nos immedicabilibus vallauit difficultatibus. Sed vbi perſpexerunt Dauidem hæc omnia neglecturum, nec magnam rationem habiturum in ſe commiſſorum; allegant illi diuinam authoritatem, Deus, inquiunt, illum tradidit, quo videlicet iudicium à Deo profectum reueritus, promptus iret ad homicidium. Non enim, inquiunt, tuam ipſius vicem vlciſceris; Deo ſubſeruis ac miniſter es, illius ſententiam comprobas. Sed quo magis hæc illi dicebant, eo magis hic pepercit hoſti. Intelligebat enim quod Deus ideo tradiderat eum, vt ipſi maiores occaſiones probandæ virtutis ſuppeditaret.* Hæc ibi; quæ etiam cauſa fuit cur non maturius apud Gethæos, aut diutius apud Moabitas eum reſidere permiſerit, non effulſiſſet admirabilis illa victoria ſui, in parcendo tam potenti, tamque acerbo inimico.

c Hom. de Dauid & Saule.

XI. *Iuxta vaticinium.* Conſentiunt quidem omnes hæc à Deo dicta, nec fictum è re nata agnoſcunt argumentum; quando autem ea fuerint à Domino dicta, non tradunt, niſi quod Lyranus ait ex communi doctorum ſententia, [d] id contigiſſe quando fugiendo per noctem Saulem, venit ad Samuelem prophetam. Forte etiam cum deſperabat ſe poſſe euadere Saulis manus, audiuit à Domino, Tantum abeſt vt ille te comprehendat, vt potius futurum ſit tempus, quo ille in tuam veniat poteſtatem, vt in eum quod lubeat facere poſſis. Quæ mox Dauid ad ſuos confirmandi eos, ac bene animandi gratia retulerit. Quæ tamen verba, ſiue ea per Ephod & ſacerdotem, ſiue per Gad aut Samuelem prophetas acceperit, non dederũt ei poteſtatem eius occidendi, ſine crimine proprio, ſed affirmant tantum, eum fore in eius po-

d Abul. q. 8. in c. 24. — *Quod non facit ei poteſtatem.*

teſtate ſicut reuera fuit; etſi aliter ſentiat Caiet. merito repugnante Dionyſio, & Toſtato; quia nec publica authoritate, niſi in actu primo, vt loquuntur, & poſt mortem Saulis, nec vlla ſuper ipſum iuriſdictione fungebatur, neque eum vltro inuadentem, & mortem afferentem repellebat. Quæ pluribus diſputat Abulenſis in hunc locum.[a]

Neque vero S. Auguſtinus,[b] cum hac ipſa de re diſputans ait; *Accepit à Domino Deo poteſtatem, vt ſi vellet occideret Saulem ipſe Dauid, & elegit parcere, quam occidere;* non putat, inquam, S. Auguſtinus Deum tradidiſſe Dauidi ius occidendi Saulem, ſed poteſtatem tantum, puta qualem habet vigilans in dormientem, aut ſolutus & liber in vinculis alligatum. Non enim ſtatuerat dominus Saulem per manus Dauidis, ſed Philiſthæorum occidere. Nec ſibi id licere credidit Dauid, tametſi Saulem totum eſſe in quærenda ipſius morte exploratiſſimum haberet, & poſſet callide interpretari, anteuertere alterius facinus, non eſſe ipſum occidere, ſed ſe defendere; quippe qui ne rem quidem multo leuiorem perfecerit, niſi conſcientia repugnante. Cum enim Dauid haberet in animo regem occidere, continuit ſe fortiter, vimque ſibi mirabilem fecit: & tamen optauit manifeſtiſſimo argumento eum docere, ſe in eius vitam aut regnum non coniuraſſe, cum tantam eius occidendi occaſionem arripere noluiſſet, *Surrexit*, inquit Scriptura, *& præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.*

XII. *Neq. aliud dicit S. Auguſtinus.*

Dauid habuit in animo occidere Saulem.

SVBOBSCVRE id docet ſanctus Chryſoſtomus, *Ne dicas illum*, inquit, *nihil eorum ſenſiſſe affectuum, quales nos illi per coniecturam tribuimus, ſed id quod accidit non fuiſſe Philoſophiam*, ita vocat eam virtutem quæ imperium in animi perturbationes exercet *ſed ſtuporem; conſidera, quam vehementer exaſperatus ſibi temperarit. Siquidem quòd iracundiæ fluctus in animo illius intumuerint, multaque cogitationum iactatio concitata fuerit, ſed eam tempeſtatem refrenarit amore* Dei, *animoſque repreſſerit, ex iis quæ facta ſunt perſpicere licet. Surrexit inquit, & abſtulit oram chlamydis Saulis clanculum. Vides quanta iræ tempeſtas coorta fuerit. At non proceſſit vlterius, neque fecit naufragium*; ſic vocat crimen interficiendi regem. *Eo quod gubernatrix illico ſentiens periculum* videlicet pia ratio *tempeſtatẽ vertit in tranquillitatem. Percuſſit enim* Dauidem *cor ipſius, ac velut equum ſubſilientem ac ferocientem, reuocauit iram. Huiuſmodi ſunt ſanctorum animæ, priuſquam concidant reſurgunt, priuſquam ad peccatum perueniant, refrenantur, eo quod ſobriæ ſint, ſemperque vigilent.* Hactenus S. Pater.

XIII. *Id oſtenditur ex ſancto Chryſ.*

APERTE autem Scriptura ipſa docet hanc in Dauide fuiſſe voluntatem, ſed mox diuina ſuccurrente gratia fortiter repreſſam atque cohibitam. Ait enim dixiſſe Dauidem *Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem, domino meo*, non intelligit abſciſſionem chlamydis, iam enim abſciderat, cum hæc diceret, ſed cogitatam cædem quam perficere noluit: Et quid opus eſt raciocinari, cum ipſemet Sauli clariſſime dixerit, *& cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus.* Hic ergo rei geſtæ ordo ac modus fuit, iuxta Abulenſ.[c] Viſo Saule intra ſpeluncam, incitauerunt Dauidem ſocij ad occidendum ipſum: ille anceps animi, ac pene perſuaſus, ſurrexit ad interficiendum Saulem, priuſque amputauit oram chlamydis, quaſi in tanta re cunctabundus, atque deliberans. Cum autem facinus perfecturus eſſet, Deum mutauit animum eius, & doluit ſe id facinus aggreſſum eſſe; & reuerſus ad interiora ſpeluncæ, dixit ſociis ſe nolle occidere. At illi conſurrexerunt vt Saulem occiderent, ſed à Dauide prohibiti deſtiterunt; moxque egreſſus eſt Saul, rei totius adhuc ignarus.

XIV. *Et Scriptura ipſa.*

Ordo rei geſtæ.

SVRREXIT *ergo Dauid & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter.* Eximia vtique corporis agilitate ac dexteritate vſus, ſi indutam, & à tergo pendentem, ſine Saulis ſenſu præcidit; eſt tamen credibilius eam exutam, & longiuſcule depoſitam fuiſſe, vt ſic facile à Dauide præcidi poſſet. Nec eſt neceſſe Sauli aliquam tribuere diuinitus inditam ſurditatem, vt tam propinquum ſibi Dauidem non ſentiret; neq. ſocios eius pluſcula inter ſe verba commutantes: nam & externus, vt ſupra dixi,[d] ſtrepitus vtrique rei ſeruiebat, priori progreſſio Dauidis ſuſpenſo veſtigio; poſteriori præter ſummiſſam orationem, ipſa ſpeluncæ forma ſinuoſa, & in angulum remotiorem reducta. Ea abſciſſione facta, plane repudiauit conſilium, adeo vt etiam de abſciſſa chlamyde doleret. *Percuſſit enim cor ſuum Dauid*, reum ſcilicet ſe in ſua conſcientia agnouit, *eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Hoc enim facto

XV. *Præcidit Dauid orã chlamydis.*

[a] q.11. in c. 24.
[b] in Pſ. 56.
[c] q.10 in c.24.
[d] nu 9.
... Δαβίδ.

iniurium ſe in Saulem exiſtimauit, & contra reuerentiam principi debitam deliquiſſe; quamuis id factum non eſſet animo ipſum afficiendi iniuria, ſed teſtificandi potius, ſe longiſſime abeſſe ab ipſius morte quærenda, vt pluribus docet Abulenſis. [a] *Exiguam*, ait S. Auguſtin. [b] *particulam veſtis eius retrorſum latenter abſcidit, vt haberet vnde monſtraret, quomodo ei pepercisset cum poſſet occidere; atque ita ſuſpicionem de animo eius, qua ſanctum Dauid, putans inimicum ſuum, vehementer perſequebatur, auferret* Ita S. Auguſt. [a] q. 12. in c. 24. [b] l. 17. de ciuit. c. 6.

XVI. *Reuocat voluntatem cædis.* IMMVTATVS animo Dauid ad ſuos reuertitur, & ſimul, *propitius*, inquit, *ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt. Saulem*, inquit idem Auguſtinus, [c] *propter ſacroſanctam vnctionem, Dauid & honorauit viuum, & vindicauit occiſum. Et quia vel panniculum ex eius veſte præcidit, percuſſo corde trepidauit. Ecce Saul non habebat innocentiam, & tamen habebat ſanctitatem, non vitæ ſuæ, ſed ſacramenti Dei, quod & in malis hominibus ſanctum eſt.* Sacramentum autem intelligit Chriſti, & nomine & vnctione repræſentati, vt apertius habetur l. 17. de ciuitate Dei. [d] [c] l. 2. cont. lit. Petil. c. 48. [d] cap. 6.

XVII. *Improbantib. ſuis, ac frementib.* VERVM hos timores ac ſcrupulos, viri militares, vt fit, non capiebant, neque recipiebant, fremebant potius animis, elabi tam præclaram bene gerendæ rei occaſionem; & ad eam arripiendam incenſa cupiditate ferebantur. Sed *confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos vt conſurgerent in Saul.* Illuſtrat hunc locum Ioannes Chryſoſtomus, [e] & egregiam animi Dauidis moderationem laudat, qui non modo aduerſus ſeipſum, vt ſæpe alias, propriamque cupiditatem, ſed aduerſus milites qui aderant, ſteterit inuictus. *Etenim*, inquit, *ſi voluiſſet animo moderari, ac parcere ei qui læſerat, conſentaneum erat vt & illos metueret, ne forte ipſum contrucidarent in ſpelunca, tanquam qui illorum ſalutem prodidiſſet, exitiumque attuliſſet, ac publicum ipſorum hoſtem ſeruaſſet.* Et rurſum. *Nobis ipſis*, inquit, *frequenter euenit, vt cum ſtatuerimus vindictam remittere, & commiſſa condonare, poſt vbi viderimus aliquos nos irritantes, & ad vltionem concitantes, mutemus ſententiam, & illorum dictis obtemperemus. Verum hoc non accidit huic beato; ſed etiam poſt illorum conſilium, & ad hortationem perſeuerauit in animi ſui decreto.* [e] hom de Dauid & Saul. In eadem.

XVIII. *Quos mitigat.* AC ne hoc quidem tantum eſt admiratione dignum, quod nec aliorum admonitu dimotus eſt à propoſito, quodque non eſt illos veritus, ſed quod perfecit, vt & illi eandem animi moderationem ſumerent. Magnum quidem ſi quis ſuis cupiditatibus imperet, ſed multo maius eſt & aliis perſuadere poſſe, vt & ipſi mentem eandem cum ipſo ſumant: aliis, inquam, qui nec modeſti ſunt homines, neque temperantes, ſed milites, qui multis difficultatibus iam in deſperationem erant adducti, à quibus paululum reſpirare cupiebant: haud ignari non modo totam malorum diſſolutionem in hoſtis nece ſitam eſſe, verum etiam plurimorum bonorum acquiſitionem; quando nihil obſtabat, quo minus illo trucidato, protinus regnum tranſiret ad Dauidem. Ita Chryſoſtomus. Confregit rigentes ira, & cupiditate vindictæ animos, non viribus, nam vnus erat contra tam multos, ſed ſuauitate verborum, & precum; quibus Dauidis perſona, atque authoritas magnũ momentum afferebant. Accedebat quod in Dauide ſpes omnes ipſorum poſitæ erant, & ei in re tanta gratificari magni apud ipſum meriti fore ſibi perſuadebant. Sin autem Saulem occiderent inuito Dauidi; & Dauidem, & regnum vniuerſum contra ſe coniuratum haberent. *verbis, & authoritate*

XIX. *Cur non ſit allocutus Saulem in ſpelunca.* PORRO *Saul* [f] *exurgens de ſpelunca pergebat cœpto itinere. Surrexit autem & Dauid poſt eum, & egreſſus de ſpelunca clamauit poſt tergum Saul.* Potuerat vtique in ipſa ſpelunca eum alloqui, & hæc ipſa, quæ mox dicturus eſt, ipſi coram ſuis dicere, ſed prudenter ſibi, ſuiſque timuit, timuit & regi; fieri enim poterat vt Saul [g] [f] Ca. 24. v 8.
1. audita ex improuiſa voce perterritus exiliret foras, iuberetque ſuos explorare quid rei eſſet, & os ſpeluncæ obſtruere, & vel fame incluſos necare, vel ſigillatim exeuntes iaculis confodere. Itaque expectauit dum poſſet ipſe foras egredi, & circumſpicere num quis ad ſpeluncam adeſſet. Deinde ſi Saulem cum ſuis circunſtetiſſet, periculum erat ne dum regem alloqueretur, ſuos retinere non poſ- [g] Abul q. 18.
2. ſet ne irruerent in Saulem, nemine eos verbis continente, & à facinore deterrente. Pepercit etiam regis pudori, ſi ille forte vidẽs ſe in hoſtium ſuorum manus
3. incidiſſe, ſupplex eis fieret, aut ſe, pro vita ſua deprecans, ad eorũ pedes abiiceret,

contra decorum regiæ maieſtatis. Itaque eadem opera Dauid & vitæ, & honori regis ſui conſuluit. Adde quod non habuiſſet tum teſtem exercitum innocentiæ ſuæ, ipſo ex ore Saulis agnoſcentis, & deflentis culpam ſuam.

a Idem q. 17. in c. 24. PRVDENTER quoque foris prouidit & ſuo, & ſuorum periculo. [a] Expectauit enim dum Saul abeſſet longius. vt ex clamore, cuius fit hoc loco mentio, intelligitur; nemóque militum regis ſpeluncam circumſiſteret, maxima enim pars eorum, vt aſſolet in huiuſmodi locis, atque periculis, anteceſſerat, & pauci eius latera ſtipabant, aut eum ſequebantur, quoniam nihil à tergo timebatur. Et vt eſſet periculum aliquod, in hac manifeſtatione ſui, non enim omnia in rebus humanis vitari poſſunt, niſi ſi quis plane ceſſare velit: tamen vtilitas, quæ ex oratione & querela Dauidis exiſtebat, longe omni periculo, multumque præponderabat. Hinc enim agnoſcebat Saulis exercitus, quanta eſſet Dauidis lenitas & clementia, in tam acerbum hoſtem ſuum; ex quo etiam intelligebatur, qualis ipſe futurus eſſet in ſubditos ſuos: itaque populi animus diſponebatur ad accipiendum eum in regem. *Miſericordia & veritas*, ait Sapiens, *cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.* In cuius rei ſignum accipi poteſt illud quod mox ſubiecit Saul ipſe, *Et nunc certiſſime ſcio*, inquit, *quod regnaturus ſis.* Poterat etiam iure ſperari, placatum, ac reconciliatum iri Dauidi Saulem, tantæ lenitatis, ac miſericordiæ miraculo ſtupefactum: ſed Dauidem nos quoque cum Saule audiamus.

XX. *Sed foris.* 1. 2.

CLAMAVIT *Dauid poſt tergum Saul dicens,* Domine mi rex. *Et reſpexit Saul poſt ſe; & inclinans ſe* Dauid *pronus in terram adorauit, dixitque ad Saul, Quare audis verba hominum loquentium,* 2. *Dauid quærit malum aduerſum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te* Dominus *in manu mea in ſpelunca: & cogitaui vt occiderem te, ſed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim, non extendam manum meam in* Dominum *meum, quia Chriſtus* Domini *eſt.* Quæ eſt obſecro Neſtoris melle dulcior fluens oratio, ſi hęc non eſt? Itaque & felleum Saulis animum, in dulcedinem vel inuitum ac reluctantem conuertit, vt mox patebit. Vide vt mitiſſima atque honorifica ſalutatione, & humillima veneratione infenſi ſibi principis animum mitigare nitatur. Tum ita moderetur atque attemperet querelam ſuam, vt eius acrimoniam, non tam in regem, aures calumniis imprudenter præbentem, quam in maledicos ipſos calumniatores deriuet. Etſi non ignorabat, non regem ab aliis contra ſe incitari, ſed ipſum regem ſponte ferri aduerſus innocentem, & alios contra eundem grauiſſima querela, imo & conuiciis incitaſſe. *Coniuraſtis*, inquit, [b] *omnes aduerſum me, & non eſt qui mihi renunciet*: itaque ipſe ſibi delatores, ac calumniatores inſtruxit, qui ſe illi gratificari cernebant.

XXI. *Dauidis apud Saulem querelæ initium.* *Conſideratur.* 2. X. b q. 22. v. 8.

QVID illa probatio diuinæ in regem ſeueritatis, contra quem potius quam contra Dauidem feratur, qui vitam ac regnum illius ipſius arbitrio addixerit, quem tam hoſtiliter perſequatur; illa inquam probatio, quam fortis atque efficax cum ipſius regis præſenti experientia nitatur. Deinde quam candida, & rurſum quam dulcis ac ſuauis eſt illa confeſſio, *cogitaui vt occiderem te*, cogitaſſe dixit. non autem ſtatuiſſe aut deliberaſſe, & tamen quamuis incertus animi ad executionem ferebatur. Hebraicè habetur, *& dixit*, ſcilicet non nemo; quaſi dicat, non defuit, qui diceret, & reuera id dixerant ſocii eius, quos ipſe accuſare noluit, ſed totam in ſe, ſi qua fuit, culpam retulit. Ita autem diuinam in regem iram oculis eius exponit, ſuam vt miſericordiam in eundem digito ipſo commonſtret; ex ſingulari ſacroſanctæ vnctionis veneratione profectam. Sed reliqua videamus, neque enim par eſt vt vllam aureolæ huius orationis particulam omittamus.

XXII. *Alia in eadem expendenda.* *Cogitauit occidere, nō tamen ſtatuit.*

QVIN *potius pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præſcinderem ſummitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te. Animaduerte & vide quoniam non eſt in manu mea malum neque iniquitas, neque peccaui in te; tu autem inſidiaris animæ meæ, vt auferas eam.* Quam regem vocauit ac Dominum ſuum: quæ ſunt venerationis ac timoris vocabula; nunc blandius atque amabilius patrem vocat, quod eſt charitatis ac beneuolentiæ nomen. Ætate pater erat, qui per ætatem eum poterat genuiſſe; officio erat, qui pater populi ac Reipublicæ, vt cæteri principes audiebat; affinitate erat, cum ſocer eſſet, qui genero inſtar eſt patris: & tamen tot nominibus pater, illi conuerſus erat

XXIII. *Dauidis lenitas; patrem Saulem vocat.*

EXITVS AB ÆG PTO AN. 43.

& innocentiam ſuã manifeſto probat.

DAVIDIS APVD SAVLEM QVERELA.

erat in hoſtem teterrimum. Sic pulchro Critiæ [a] propinabat Socrates, qui in eum ferat deterrimus. Ex tam euidẽti autem abſciſſæ chlamydis argumento manifeſto colligit in ſua fuiſſe poteſtate illum gladio nec opinantem perfodere; erat enim hoc illo facilius. Colligit quoque nullam nunc improbam in animo ſuo contra ipſum reſidere voluntatem, licet iam ab eo toties ad mortem quæſitus ſit: multo autem minus ante reſediſſe, cum ſua eum beneuolentia, beneficiis, honoribuſque proſequeretur.

a 1. Sal.

XXIV. *Deum vltorem ſpondet.*

CÆTERVM ne Saul impune ſe laturum putet tantam malitiam nemine vlciſcente; cum ne ille quidem vltionem ſumere velit, aut à ſuis accipi patiatur, in cuius vertitur caput illa improbitas, Deum vltorem fore affirmat, *Iudicet Dominus*, inquit, *inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te, manus autem mea non ſit in te*; nec tamen imprecatur vt ſit vltor, etſi id verba ſonare videantur; quæ iuxta hebræum per futurum indicatiui explicanda ſunt; vt iudicet & vlciſcatur, ſit idem quod iudicabit, vlciſcetur, ſe autem vltorem eſſe nolle; quia innocentiam contaminare nolit; & talis impietas, occidendi Chriſtum Domini, ab impiis iuxta prouerbium, expectanda ſit. Multum verſat hoc loco Abulenſis [b] iſtam Dauidis petitionem, ne deſiderio vindictæ peccaſſe videatur; fortaſſe non neceſſario. Nam præter allatam expoſitionem, nihil video abſurdi hoc deſiderium Dauidis fateri, quale textus editionis vulgatæ exhibet; vltionem propria authoritate facere iniuſtum eſt, iniuſtum & deſiderare: iuſtum ac laudabile eſt vltionem, quæ eſt actus iuſtitiæ vindicantis, à magiſtratu exerceri: iuſtum etiam deſiderare, vt ab eo exerceatur. Quanto ergo magis licitum eſt optare, vt is qui vere dixit *mea eſt vltio, & ego retribuam*, iniurias pro ſua æquitate vindicet tollatur priuatum odium, & acerbitas animi, & ſalua ſunt omnia. Quæ abſit, vt nos in Dauide fateamur.

An peccarit in ea vltione petenda.

b q. 11. in ca. 24.

XXV. *Concluſio orationis.*

QVANTVM denique pondus ad frangendum Saulis pectus in illis verbis fuit: *Quem perſequeris Rex Iſrael, quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & & pulicem vnum*. Inculcat autem & metum ab vltore Deo. *Sit Dominus iudex, & iudicet inter me & te, & videat, & iudicet cauſam meam, & eruat me de manu tua*. Quanta demiſſio animi in tali viro, vt ſe cani mortuo, aut pulici compareret: vt exprobrabile ſit, nedum glorioſum regi Iſraël, qui centena hominum millia facile armare poſſet, talem aduerſarium perſequi. Diceret Iob, *& dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium*; ſed Iob Deum alloquitur, Dauid hominem; nec eum huius comparationis pœnituit; qui eam rurſus vſurpauit inferius, [c] *Egreſſus eſt rex Iſrael vt quærat pulicem vnum*. Miphiboſeth quoque [d] filius Ionathæ ſe apud Dauidem comparat cani mortuo; & Hazaël Syrus apud Heliſæum contemptim ſe canem vocat.[e]

c ca. 26. 10.
d 2. Reg. 9. 8
e 4. Reg. 8. 13.

XXVI. *Saulis reſponſio, & animi vehementior motus.*

CVM *autem compleſſet Dauid loquens ſermones huiuſcemodi ad Saul, dixit Saul, Nunquid vox hæc tua eſt, fili mi Dauid?* diſtantia magna inter vtrumque fuiſſe intelligitur, vt Dauidem de facie internoſcere vix poſſet, vocem autem poſſet, neque enim tam breui tempore quo abfuerat, mutari potuerat; filium vocat ſiue quia maritus filiæ ſuæ erat, ſiue quia iam ſenex erat Saul, & ſexaginta annos ſuperabat; Dauid autem agebat vigeſimum ſeptimum: ſiue potius reddita eſt ea vox præcedenti appellationi patris, & amoris tenerioris, concuſſis tum ſenis viſceribus indicium fuit. Ideoque ſequitur, *Et leuauit Saul vocem ſuam, & fleuit*. Tam iuſta enim querela Dauidis, & tanto cum affectu ac gemitibus, vt par eſt credere, ex eius pectore excuſſa: maxime autem tantum, tamque inſperatum, immeritumque beneficium ab eo, à quo mortem hominum opinione iuſtiſſimam accipere poterat, id vero eius animum fregit, & cum veriſſimis lacrymis dicecompulit, *Iuſtior tu es quam ego*, id eſt, iuſtus es tu non autem ego, neque enim ſe vllo modo iuſtum vocat.

& lacrymæ

XXVII. *Quam ingratus in Dauidem Saul.*

SVBDIT quippe, *tu enim tribuiſti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala*: Iniuſtus eſt qui parem non reddit, cum poſſit, bene de ſe merito gratiam; iniuſtior qui nullam reddit, ac benefacta apud ſe patitur interire: quam iniuſtus ergo, atque ingratus, qui beneficia malefactis remetitur, ac rependit? Huc forte al-

Iudebat Dauid [a] cum diceret, *retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ.* a Pſ. 34. 12.
Et iterum. [b] *Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Nã b Pſ. 108. 5.
eum quoque pſalmum interpretes aliqui de Saule & Doëgo accipiunt. Ioſe- c lib 6 c 14 post med. *Ioſephi mutatio*
phus autem hunc locum nonnihil mutauit. Ait enim, *Tum Saul demirans è quanto periculo eſſet ſeruatus. modeſtiaque iuuenis attonitus, ingemuit; ſimilemque gemitum referente Dauide; rex ſe iuſtius gemere faſſus eſt.* Ego quidem gemitus Dauidis non lego, ſed quid opus fuit lacrymas Saulis diſſimulare? num gemitus ipſorum ſcriptura inter ſe confert, & non potius iuſtitiam, qua Saul ſe carere fatetur, Dauidem autem abundare?

PERGIT autem Saul in prædicanda Dauidis innocentia, & bonitate erga ſe. XXVIII. *Saul agnoſcit Dauidis beneficium*
Et tu indicaſti hodie quæ feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, arbitrio ſcilicet ac poteſtati tuæ permiſerit me, *& non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona?* id eſt incolumen abire permittet? non vtique vulgares homines, tantum in ſeipſos imperium exercere poſſunt. At Dauid ſingulari virtute, & magnitudine animi vir, cuius totum cor manſuetudine & reuerentia erga principem ſuum poſſidebatur, non ita ſibi faciendum putauit; quia Saulem non hoſtem ſuum, ſed regem ſuum conſiderauit: non attendit criminoſum, ſed animo, & mente vehementer ægrum: non reſpexit, neque memoria repetiit, toties ſibi imminens vitæ diſcrimen; ſed manifeſtum animæ illius interitum. Hanc virtutem plane heroicam agnoſcebat, ac prædicabat in Iulio Cæſare M. Tullius, adeo vt qui hæc faceret eum non cum ſummis viris conferendum putaret, ſed Deo iudicaret quam ſimillimum: qui improbos homines; ſibique inimicos grauiſſimis quotidie caſibus eripit, qui tamẽ nec beneficium agnoſcunt, neque gratias agunt vt Saul. *Virtutis heroica.* pro Marc.

HANC ergo tantam virtutem Dauidis, tam illuſtri facinore proditam agnoſcens rex infœlix, ei bene precatur à Domino, aut ſi malumus, prænunciat, dicẽs; *Sed Dominus reddat tibi viciſſitudinẽ hanc, pro eo quod hodie operatus es in me.* [d] Viciſſitudinem hic vocat opus gratiæ, indulgentiæ, beneficentiæ. At erat iuſtitiæ, ac neceſſitatis, cum non potuerit eum Dauid interficere; ſed incolumen dimittere debuerit, ſicut reipſa fecit. Verum Saul hoc opus populari trutina examinauit, vulgo enim vitam dediſſe cenſentur, qui cum poſſent, & offenſi eſſent grauius, eam inimico non ſuſtulerunt, cui ſe Chriſtus Dominus accommodans, ſe ſancto Gualberto, ob ſimile factum debitorem præ ſe tulit; & ex imagine crucifixi gratias egit, ſed hoc inſolitæ gratiæ fuit. Dei autem iudicium, omniſque recta lex aurificis ſtatera eſt, quæ in eo facto iuſtitiam agnoſcit non gratiam; adeo vt ex Chriſti quoque Domini mandato dicendum fuerit Dauidi, *ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Eodem modo dici poteſt Dauid feciſſe cum Saule miſericordiam, cum dimiſit eum abire miſertus eius, qui meritus erat mortem: apud Deum tamen, qui vindictam prohibuit, non fuit hæc miſericordia, ſed iuſtitia: quæ nihilominus mercedem habet apud Deum; & quidem ampliſſimam. XXIX. *Et ei bene precatur à Deo.* d vid. Abu. q 11. in c 24 a 1. & 2. *Dauidis opus iuſtitiæ an miſericordia fuerit.*

OPORTEBAT ſane & apud ipſum Saulem non carere mercede: quin vicem potius eum rependere liberaliſſima menſura ius faſque fuit, abiecta penitus à ſe omni animi offenſione in Dauidem, eaque in beneuolentiam, ac beneficentiam conuerſa, cum illi tantum ſe debere fateatur, pro vita ſibi conſeruata, quam hoſtili lege ipſi eripere potuerat, vt imparem ſe reddendæ gratiæ agnoſcat, & Deum remuneratorem requirat: merito. Nam in bonis humanis nihil poteſt vitæ comparari. Itaque ne ſi regno quidem illi ceſſiſſet, ſatis illi retribuiſſet, vt ait Abulẽſ. [e] Sed hic quoque veriſſimum agnoſcitur illud Sapientis [f] *nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit.* Quod enim potentius remedium eius animo curando afferri potuit? certe vim eius, atque efficacitatem manifeſto probant ipſæ, à duriſſimo pectore, & odio inueterato ægrotante, expreſſæ lachrymæ; & tamen ſemel iterumque aliquantò poſt, adhibitum medicamentum irritum fuit, tanta eſt perturbationum tyrannis, præſertim in principibus viris; tanta in eoſdem diuini iudicij ſeueritas, quæ ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; ſine qua natiuo pondere perpetuò in deteriora prolabimur. XXX. *Saulis inconſtantia.* e q. 25. in c 24. f Eccl. 7. 14.

EXITVS AB AEGYPTO, 433.

XXXI. *Et imprudentia inſignis.*

SAVLIS AGNITIO CVLPÆ.

OBSERVA etiam hoc loco Chriſtiane lector, imaginem hominis in res terrenas attentiſſimi, in curandis iis, quæ ad animum pertinent negligentiſſimi. *Et nunc*, inquit, *quia ſcio quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael, iura mihi in Domino, ne deleas ſemen meum poſt me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* O principum inconſultiſſime! ſi certiſſime noſtri Dauidem poſt te regnaturum, quare fruſtra niteris vt euertas, aut labefacias inconcuſſum decretum Dei? cur eum tibi, tuiſque beneficiorum largitate, ac magnificentia non concilias? Quæ te docet prudentia, eum ſperare poſt mortem tuam in familiam tuam tutorem beneficum fore, cuius tu familiam viuus bonis omnibus euerteris, in voluntarium exilium compuleris, ipſum diriſſima proſcriptione damnaris, & nunc quoque per te tuoſque, omni ope perdere coneris, atque profligare? Quomodo non delebit ille ſemen tuum poſt te, qui ei filiam tuam, vxorem ſuam grauiſſimo capitis ſui emptam periculo ſuſtuleris, diu cœlibem viuere compuleris, denique dilecto ereptam coniugi, alteri tradideris viro? [a] Non auferat ille nomen tuum de domo patris tui, qui ei toties auferre caput ſuum conatus es? ſi id de incredibili virtute tanti viri tibi polliceris, recte facis; ſi de meritis, genere, aut dignitate tua, ſtulte facis.

Et culpa in Dauidem.

[a] c. 25. 44.

XXXII. *Vnde Saul ſciret re gnaturum Dauidem.*

VNDE autem ſciret Saul Dauidem certiſſime regnaturum, iam ſuperiore anno diximus, [b] cum id Ionathas affirmaret Dauidi. Rabbini autem more ſuo nugantur, [c] cum aiunt, id ex chlamydis ſuæ abſciſione didiciſſe: eo quod Samuel, cum eius pallium à Saule ſciſſum fuiſſet, ei tunc dixiſſet illum regnaturum poſt ipſum, qui ei aliquando chlamydis ſuæ oram abſcinderet. Inepti, quaſi nunc primum poſt abſciſſam chlamydem ſciuerit Saul regnaturum Dauidem, cum id præcedenti anno Ionatha teſte cognouerit. Cum ergo Saul agnoſceret iam pridem Deum adeſſe Dauidi, & à ſe receſſiſſe, [d] Deo moderante omnia ipſum prudentiſſime agere, Deum omnibus eum periculis mirabili felicitate expedire; Crederet quoque regnum in populo ſuo non ſucceſſione, ſed diuina electione contingere, quod ipſemet expertus erat; perſuaſum quoque haberet à Deo electum iri non vnum aliquem de filiis ſuis, ſed Dauidem, quem ſibi pridem Samuel tacito nomine deſcripſiſſet, cum diceret *quæ iuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum.* [e] Et *ſcidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te,* [f] nimirum Dauidi, de quo paulo ante dicebat Saul, *Iuſtior tu es, quam ego.* [g] Hæc ergo cum noſſet Saul, ſemen ſuum Dauidi commendabat; ne quod noui reges aliquãdo faciunt, genus regium deceſſoris, quaſi proprii regni æmulum tolleret.

[b] an. Saul 14. nu. 13.
[c] apud Abul. q. 26. in c. 24.
[d] c. 18. v. 12
[e] c. 13. v. 14
[f] c. 15. v. 28
[g] c. 24 v. 18

XXXIII. *Iuſiurandum exigit ab eo, & quare.*

EADEM cauſa fuit cur iuſiurãdum à Dauide ſuper ea re exigeret. Quamuis enim nunc perquam illuſtri experimento didiciſſet, ſingularem eſſe Dauidis humanitatem, lenitatem, manſuetudinem, quæ hominem tam male de ſe meritum, & in ſua poteſtate poſitum, incolumen à ſe dimiſiſſet; nec minorem clementiam ſperari poſſe crederet aduerſus filios ſuos, à quibus nulla ratione violatus eſſet, quorum tota culpa eſſet, filios eſſe improbi, ac male de ipſo meriti parentis; iureiurando tamen apud virum timentem Deum ſibi cauere voluit, vt hoc quoq; firmamamẽto ſuorum ſecuritati proſpiceret, contra ambitionis furorem & crudelitatem. A qua ne Ionatham quidem ipſum, quamuis iure amicitiæ & peculiari fœdere munitum, ſatis tutum arbitrabatur, vt pote virum in quem ambitio, & regnandi deſiderium infeſtis oculis primum incurreret, & tanquam parietem propriis luminibus obſtruẽtem deturbare conaretur. *Et iurauit Dauid Sauli,* Quod tamen iuſiurandum non impediebat, ne ſi filii Saulis eo mortuo deliquiſſent puniri poſſent; alioqui iuſiurandum fieret propugnaculum licentiæ, & improbitatis. Sed in omnem euentum retinebat Dauidem, ne periurus audiret, ſi demortui parentis malitiam in filiis innocentibus vindicaret; quod etiam per legem Dei facere prohibebatur, nec ſecluſo etiam iureiurando facturus erat.

Iurat Dauid.

XXXIV. *Redintegrata amicitia, non vita conſuetudo.*

REDINTEGRATA eſt in hunc modum amicitia, dolente Saule, & lacrymis teſtante atque abluente peccatum ſuum. Dauide viciſcim ignoſcente, & ad eius arbitrium iurante in gratiam poſteritatis eius; ne ſi forte recuſaret, crederet Saul illum velle parentis culpam in filiis eius vlciſci. [h] Nec tamẽn reditum eſt ad priſtinam vitæ conſuetudinem, neque ad eam Saul Dauidem inuitauit, quod id ſe fruſtra facturum intelligeret Sciebat enim Dauid propria doctus experientia,

[h] q. 31 in c. 24. Abul.

quam fuiſſet ei reditus periculoſus: itaque inuitatus excuſaret ſe, neque acquieſceret roganti, vt poſtea contigit.[a] Saulis ergo gratiam tam inconſtantem toties expertus Dauid non potuit ſe illi prudenter permittere, ſed Saule reuertente in domum ſuam, *Dauid & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca*, quam eſſet ea ſpelunca, in qua proxime latuerant. Audi hæc omnia paucis perſtricta apud Sulpitium, cũ nonnulla tamen diuerſitate. *Erat in deſerto ſpelunca vaſto receſſu patens. In eius interiora Dauid ſe contecerat. Saul neſciens in primo ſpelunca aditu reficiendi corporis gratia ſucceſſerat, ibique ſomno captus requieſcebat.* Vides diſſimulatam cauſam ex verecundia. *Quod vbi Dauid animaduertit hortantibus cunctis, vt opportunitate vteretur, abſtinuit regis exitio, diploidem tamen eius abſtulit*: imo oram chlamydis præcidit. Pergit, *Mox egreſſus tuto eminus loco à tergo regem allocutus eſt, ſua in illum commemorans beneficia, vt ſæpe pro regno eius caput periculis obiectaſſet.* Imo abſtinuit data opera, modeſtiæ cauſa, vt notauit Abul.[b] ſubdit; *vtque poſtremo præſenti tempore à Domino ſibi traditum interimere noluiſſet. Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari, lacrymas fundere, pietatem Dauid extollere; malitiam ſuam incuſare, regem eum, & filium appellans. Tantum ex feroci illo animo mutatũ: crederes nihil vltra aduerſum generum auſurum. Sed* Dauid, *qui penitius ingenium mali ſpectatum haberet & cognitum, nihil regi credendum ratus, intra eremum ſe continebat.* Hæc ibi.

Dauidi autem ad reliqui anni quietẽ profuiſſe videtur tam inſignis erga Saulẽ charitas, animique moderatio: Nam neque Scriptura quidquam memorat à Saule contra Dauidem perpetratum, ante Samuelis mortem, quę proximo anno cõtigit. Et ratio exigit vt tanti beneficij memoria non ſtatim perierit. Sed inueteratus animi morbus, & innata, vt apparet, animi inconſtantia fecit, vt hæc beneficij memoria non eſſet diuturna. Fieri autem poteſt vt hoc quieto tãtiſper tempore, quaſi Alcyoniis diebus, pſalmum quem dixi[c] ſcripſerit, alioſq. eiuſdem argumẽti complures, licet id ex pſalmorum inſcriptionibus minime conſtet. 3

XXXV. Dauidis quies aliqua.

[a] c.26. v.12
[b] q. 21. in c.24.
[c] N 8. Pſal. 56. 3. ℞.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2976. SAVLIS 15.

1. N. IX. VErecundiam hebraicæ locutionis imitati ſunt 70. qui vt ſcribit Theod q.55. habẽt εἰσῆλθε Σαοὺλ ἀποθύσασθαι εἰς τὸ σπήλαιον, *ingreſſus eſt Saul in ſpeluncam ad deponendum*, nimirũ ventris onus. Verũ in 70. nunc legimus παρασκευάσασθαι quod Flaminius vertit, *ad prouocandum*, ſiue ciendum ventrem: & ita legit Procopius, in notis in hunc locum: additq. Aquilam vertiſſe κενῶσαι. aut potius, vt eſt apud Theodoret. ἀποκενῶσαι, euacuare. Cæterum mirum eſt tam a Theod. quam à Procop. dici, dixiſſe Ioſephum τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις ποιήσασθαι, *ad faciendum naturales excretiones*. In Ioſepho enim nũc legimus, l.6.c.14. εἰσεληλυθὼς ἐπὶ τὰ κατὰ φύσιν. *ingreſſus ad ea quæ ſunt ſecundum naturam*, diſſimulauit Sulpit. cum dixit reficiendi corporis gratia. Quod ad hebræam phraſim Arias vertit. להסך ad tegendum, rectius quam Abulenſ. *ad ponendum*, qui etiam interpretatur pedes, membra naturalia, vt cum dicitur Eſaiæ 36. 12. *bibant vrinam pedum ſuorum*. rectius opinor alii pedes à natiua ſignificatione non dimouent, & aquã pedum vocari aiunt, quod defluat ad pedes: ſicut & genuum dici poteſt, apud Ezechielem c.7.17. *omnia genua fluet aquis*. & rurſum c.21.7. præ ingenti videlicet timore, imprudentibus vrina labitur, vi retinendi naturali laxata. Dicuntur etiam tegi pedes, quia ſedentibus, aut incuruatis veſtes productiores ſuper pedes effunduntur. Hæc ego olim didici ab optimo Patre, hæbraicæque linguæ peritiſſimo *Ioanne Balmeſio* ſocietatis noſtræ Theologo, cuius memoria in benedictione eſt.

Iehaſec q.3. in c.14. in fine.

2. N. XXI. Quos hic cum inſigni manſuetudine Dauid vocat homines loquentes, in Pſal. 56.v.5. vocat *catulos leonum*, quorum dẽtes arma & ſagittæ, quorum linguæ gladius acutus, quę idẽ qui ſupra his verſibus illigauit.

Inter enim ſæuos habito feritate leones
Flammam vomentes verſor inter belluas:
Lingua quibus ſæuo proſcindit acutius enſe,
Dentes ſagittis, lanceæque cuſpide.

Huc refer ex Ianſenij ſententia Pſalm. quintum, ſeptimum, decimum, duodecimum, 16.24.26.27. & alios. 3. N. XXXIV.

ANNVS MVNDI 2977. DILVVII 1328. 5ª. ÆTATIS 31. EXITVS AB ÆGYPTO 434. ARCÆ IN CARIATH. 37. SAMVELIS 38. ET VLT. SAVLIS 16. ABIATHARIS. PONTIF. 3. DAVIDIS 28. TROIÆ CAPTÆ 106. DERCYLLI 27. IMPER. ASSYRIORVM 1046.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1076.

Num. I. *Ratio temporis. Moritur Samuel.*

CELEBRIS eſt hic annus Samuelis ſanctiſſimi, clariſſimiq; viri funere, [a] quod biennio ante mortem Saulis contigiſſe plurimorum ſententia eſt, in primiſque Clementis Alexandrini l. 1. Stromatum. [b] *Mortuus eſt*, inquit, *Samuel duobus annis ante Saulem cum eſſet Pontifex Abimelech.* Abimelechū vocat, ſicut Septuaginta, quem cum Hebræis dicimus Achimelechum. Sed illud potius attendendum quod Pontificem Achimelechum retinet in viuis hoc tempore, cum ex ſupradictis, & aperta ſerie narrationis Scripturæ conſtet, eum biennio ante fuiſſe defunctum; quando & Nobe euerſa eſt. Quod autem de duobus illis annis affirmat, videtur à Ioſepho [c] l. 6. antiq. extremo didiciſſe; etſi ibi nunc viginti annis poſt mortem Samuelis regnaſſe dicatur: Nam præter Clementem, qui eum & eo in loco, & alibi paſſim in chronologia ſequitur, Rufinus in verſione ſua duobus tantum annis regnaſſe à morte Samuelis affirmat. Affirmat & Comeſtor, [d] qui eundem in ratione temporum ducem habet. Affirmat denique ex eodem Ioſepho. [e] Beda, in ſua expoſitione allegorica in hunc librum, & Abul. [f] Quibus fauet græcus Ioſephi textus, in quo non 20. ſed δυοκαίεικοσι, duo & viginti habentur: quorum viginti fuerunt adiectitij.

a 1 Reg. 25.
b pag. 218. græcolat.
c c. vlt. 6.
d l. 1. Reg. c. 27.
e l. 4. c. 7.
f q. 1. in c. 8 l. 1. Reg.

II. *Biennio ante Saulem.*

CONIICI autem poteſt adiectos fuiſſe tum prædictorum ſcriptorum authoritate, tum ex illo ipſo textu. Ἐβασίλευσε δὲ Σαμουήλου ζῶντος ἔτη ὀκτὼ πρὸς τοῖς δέκα· τελευτήσαντος δὲ, δύο [illegible]. Regnauit vero viuente Samuele annos decem & octo, mortuo vero duobus. Videbat qui eum locum deprauauit, tribui paſſim à ſancto Paulo, [g] Euſebio, Beda, & aliis pleriſque, quos ſupra retulimus Sauli annos 40. ſed iunctis annis Saulis & Samuelis; itaque ad 18. & duo, ipſe 20. adiecit, vt fierent 40. legitimi autem ſunt illi 18. & duo, quibus additi 20. Samuelis, quibus arca manente in Cariathiarim, gubernauit Remp. fiunt 40. Et quicunq. duos annos duntaxat Sauli tribuerunt, ſi eos ad veram ſententiam velimus trahere, de eius annis poſt mortem Samuelis accipiendi erunt, quando vere ſolus regnare dici potuit, licet Samuel ex quo ille factus eſt rex, niſi ſub initia Reipubl. adminiſtrationem non attigit: quod video Turſelino noſtro placuiſſe in ſua Chronologia. [h] Et Genebrardus hanc ait communem eſſe Latinorum ſententiam. *Samuelis, inquit, fuiſſe ſuperſtitem duobus annis noſtri fere colligunt ex 1. Reg. 13. At 4. duntaxat menſibus Hebræi.* ſic ipſe. Biennium quoque interiiciunt inter vtriuſque mortem Torniellus, [i] & Abulenſis, [k] & paſſim rencentiores omnes, quos enumerare longum eſſet. 1 Itaque & de Hebræis, qui 4. menſes tantum interſerunt, ſeorſim dicemus. 2

g Act. 13.
h vbi de Iudic. q. 9.
i an. 4 æta. 434 n. 1.
k q. 1 in c. 8 1 Reg.
1. ✝.
2. ✝.

III. *Ratio annorum Samuelis.*

SAMVELIS porro mortem paucis Scriptura in hæc verba perſcripſit. *Mortuus eſt autem Samuel; & congregatus eſt vniuerſus Iſrael, & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Rhamatha.* Contigit hæc mors iuxta chronologiam, quam initio magiſtratus Heli [l] conſtabiliuimus, anno ætatis 77. initi magiſtratus 38. quem iniit annos natus 39. Hebræi autem licet nobiſcum ſentiant de ortu Samuelis, & conceptu in anno primo Heli, multum tamen in tota eius vitæ periodo diſſentiunt, [m] quam volunt eſſe annorum quinquaginta duorum duntaxat, in quas ipſos anguſtias conieciт tum decurtatum regnum Saulis, & in duos annos contractum; tum maximè arcæ mora in Cariatharim, cuius vigeſimum annum voluerunt cadere in eum regni Dauidis annum, quo ipſe

l Heli a. 1 n. 18 & 19. 39 38. 77.
m in S der Olam c. 13.

arcam tranſtulit in Hieruſalem , ſicque 49. annos in 20. contrahunt: hic illis fons perturbatæ chronologiæ circa Samuelis, Saulis, & Dauidis annos : quod ab eis factum ſcribit Genebrardus,[a] vt D. Paulum attribuentem Sauli annos 40.[b] mendacii, homines vaniſſimi arguerent: vt illos non ſolum fatuos, ſed improbos etiam agnoſcas, eiſque propterea illud accommodes. *Dij te perdant fugitiue, ita non modo nequam & improbus, ſed fatuus & amens es.*[c] At nos magni Samuelis mortem paulo diligentius conſideremus; & funus debito honore proſequamur.

a in chro. vbi de Samuele init.
b Act.13.21.
c Cic. pro Deiot.

IV. *Conſideratio mortis eius, an ex mœrore ob Saulem, & Dauidē*

APPARET autem mortuum ſanctiſſimum ſenem, mœrore magis animi, quam annorum pondere degrauatum: & pertæſum præſentis rerum ſtatus, nec parum perturbatæ Reipub. in eius capite vehementer ægrotante, à Deo petiiſſe vt auferret animam ſuam. Duo illi doloris ſumma capita Saul & Dauid, quorum vtrumque in faſtigium rerum humanarum euexerat, vtriuſque cauſa iampridē in luctu ingenti, ac mœrore verſabatur. Saulem lugebat, non iam ne à regno Iſraëlitarum excideret, ab eo quippe luctu, Dominus ipſum iampridem reuocauerat, & quoquo modo lacrymas eius, melioris ſubrogatione abſterſerat, ſed ne à regno fœlicitatis æternæ penitus excluderetur. Dauidis cauſa vehementius angebatur, quem videbat, ex quo à ſe fuiſſet inunctus in regem, cum perpetuis periculis, caſibuſque colluctantem, nuſquam tutum poſſe conſiſtere, ſemper in fuga & latebris, ſemper in mortis indigniſſimæ diſcrimine verſari ; nihil ſe illi opis, nihil quemquam mortalium, ſub pœna noxæ capitalis afferre poſſe. Saulem lugebat, qui peccata peccatis accumularet, & à minoribus ad maiora in dies gradum faceret; & qui olim timiditate, miſericordia, auaritia , vanitate peccarat, nunc ſacrilegia parricidiis cumulare, pene centenos mactare ſacerdotes, ciuitates ferro flammiſque delere: ſanctiſſimum atque innocentiſſimum iuuenem, qui illi eſſe debeat inſtar filii, ſemel, iterum, tertio, lancea conatum perfodere, totum regnum in illum amare, filiumque ipſum lectiſſimum principem iuuentutis, habere velle ſuæ crudelitatis adminiſtrum repugnantem haſta infeſta molitum transfigere, ſeque ipſum in apertiſſimum mortis diſcrimen præcipitē dare.

V. *Optat migrationem.*

Hæc ergo, atque hic ſimilia cum ſeptimum iam annum Samuel apud Dominum lugeret, neque videret in tantis tenebris quidquam certæ lucis affulgere, timeretque magis luctuoſam tragœdiæ cataſtrophen, quam ſperaret verſum iri in melius rerum faciem, & quaſi aliquem ex machina Deum oriturum , optauit celerem ex hac vita migrationem, quam à prima pene pueritia multis habuiſſet aduerſis rebus exercitam ; Dum videt filios Heli multis ſceleribus plurimos annos infamare ſacerdotium , populum à Dei cultu abſterrere Pontificem: in remedio adhibendo languere. Dum diuinas in eum , quem amabat, ac venerabatur vt dulciſſimum parentem, & in totam eius familiā minas perquā atroces audit, intentatq; & factis ipſis impleta animaduertit, ac luget 4. ac triginta ciuiū ſuorū millia biduo ferro trucidata, domū Heli 4. aut 5. cadaueribus vno die funeſtatam. Arcam Dei gloriam populi ſui in captiuitatem, à prophanis, Philiſthæis abductam. Luget perquam acerbam populi Dei ſub incircumciſo populo ſeruitutem , præſidia militaria impoſita , tributorum exactiones , ſublatum omnem fabrorum , atque armorum vſum ; & inſuper plangit eundem populum ſuum fœda idolorum ſeruitute inquinatum.

Multiplex eius à pueritia mœror

VI. *Et reliqua ætate.*

QVANTAM Samueli plagam inflixit publica illa querela de filiis ſuis, recordanti filiorum Heli? quanta repudiata iudicum gubernatio, Dei regnum à ſuis ceruicibus abiectum, & infidelium nationum more ac ritu, regnum ſuperbe ac pertinaciter accerſitum? quibus cum tanto diriora, atque acerbiora ſucceſſiſſent quomodo non *petiuit animæ ſuæ vt moreretur.* dicens quod poſt annos 150. alius propheta,[d] *ſufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum quam patres mei*, ad quorum complexum properabat etiam ipſe, ſed dilatus eſt Elias, & adhuc poſt 2548. annos præſtolatur diſſolutionem, quam iam tum ſibi putabat imminere. At propheta noſter factus eſt voti compos, & multa filiorum, & diſcipulorum prophetarum ſtipatus corona, poſt egregia monita ſalutis, data circunſtanti populo, & tanti viri iacturam in horum temporum perturbatione deploranti, obdormiuit in Domino. Quod ſi forte moriēti affuit Saul, apparet prophetam ei proximam cum Dauide reconciliationem gratulatum fuiſſe, enixeq;

d 3. Reg.19. 4.

oraſſe tum vt vellet eam eſſe perpetuam; tum vt peccata ſua eleemoſynis reliqua vita redimeret.

VII. *Eius ſepultura, & funus.*

Cvm autem Scriptura dicit ſepultum in domo ſua in Ramatha, intelligit ſepultum in proprio & domeſtico maiorum ſuorum ſepulchro, vt ait Sa. Intelligendum tamen eſt in ſpelunca aliqua plura fuiſſe ſepulchra, ſiue conditoria, propriis diſtincta notis, vt alio in loco de ſepulchris regum Iuda dicemus, & in eorum aliquo Samuelem ſepultum, alioqui quomodo eius reliquiæ ſecerni ab aliis, & transferri potuiſſent? quod mox ab Arcadio imperatore factum fuiſſe dicemus. Legimus autem in itinerario Beniamin,[a] quod Arias Montanus latinum fecit, corpus Samuelis in Ramatha, in Synagoga cuſtoditum fuiſſe, inde autem à Chriſtianis tranſlatum in Silo, magnumque illi templum excitatum, poſitumque prophetæ ſepulchrum, oppido autem datum nomen S. Samuel de Silo. Hæc ibi. Significat quoque Scriptura ſingularem funeris huius celebritatem, qualem in funere Moſis, Aaronis, Ioſue, aliorumque id genus heroum legimus. Neque admodum dubitauerim Regem ipſum funus honorare voluiſſe, vel vt ne ingratus aduerſus illum videretur, à quo valde olim dilectus fuerat, & in regium thronum ſubuectus, vel vt toti populo gratificaretur, cui Samuel fuerat acceptiſſimus, idque Lyranus affirmat in c. 28. l. 1. Reg. in illa verba, *& intellexit Saul* &c. Crediderim etiam neq. planctus per 30. dies, nec lamenta funebria defuiſſe. qualia Moyſi & Aaroni præſtita[b] legimus. Ioſephus enim ait populum in longum tempus luctum prorogaſſe.

a p. 48.

b Num. 20. ſi. Deut. 34. 8.

VIII. *Pro eodem omnium luctus.*

Congregatvs quoque dicitur vniuerſus Iſrael,[c] vel aliquibus publico nomine de ſingulis vrbibus in Ramatha venientibus, vel pluribus in locis magiſtratu ei iuſta perſoluente. Itaque luxiſſe populum ait Ioſephus, non quaſi in publico funere, ſed quaſi ad vnumquemque proprie hæc orbitas pertineret. Decebat quippe vniuerſum Iſraelem illius decorare funus, qui vniuerſæ vitæ ſuæ partes, à prima infantia ad vltimam ſenectutem, in totius populi ſalute, vel precibus procuranda apud Deum, vel ſapientiſſima, integerrimáque gubernatione promouenda poſuiſſet. Plangendus erat ab omnibus ordinibus is cuius morte omnes non leuem iacturam faciebant. Amittebat ipſe rex apud Deum patronum ſtudioſiſſimum ſui. Nam & ſi regnum Iſraelis ipſi apud Deum non poſtulabat, pro eius tamen æterna ſalute vehementius orabat, vt dixi, ne periret is, quem tot tantiſque ſceleribus in æternum interitum præcipitantem videbat. Amittebant leuitæ clariſſimum lumen ordinis ſui, quod ab ipſo ortu ſuo ad mortis occaſum perpetua vitæ claritate, ſine vlla nubium obſcuritate refulſerat. Amittebant ſacerdotes ſingulare ornamentum ſuum, eum qui non natura, ſed diuino priuilegio ſacerdos, muneribus ſacerdotalibus extra ordinem fungebatur.[d]

c Abul. q. 7. in c. 28.

Regis.

Leuitarũ.

Sacerdotũ.

IX. *Prophetarũ.* *Ciuium.* *Populi totius.*

Amittebant ſtudioſi religioſique viri, qui ſub eius auſpiciis ſiue in Naioth, ſiue alio quocumq; in loco in lege Domini die nocteq; meditabantur, doctorem egregium, & exercitatiſſimum moderatorem. Amittebant ciues eius, domeſticiq; gloriã ſuam, protectorem, atq; propugnatorem ſuum. Amittebant omnes tribus Iudicem pacis & belli artibus inſtructiſſimum, ſuis amantiſſimũ, hoſti formidoloſiſſimũ, victoriis, prodigiiſque diuinis clariſſimum. Amittebat deniq; populus vniuerſus prophetam prouidentiſſimũ, & ſecundum Moſem ad hanc vſq; diẽ maximum; moderatorem & patronũ apud Deum gratioſiſſimũ, omniũ deniq; virtutum exemplar abſolutiſſimũ; qualem ſcilicet eum eſſe oportebat, qui Ieſum Chriſtum filium Dei hominẽ factum, tam multis rebus repræſentaret in terris: quod plerique ſanctorum patrum tradiderunt, in quibus S. Auguſt.[e] Iſidorus, Gregorius magnus, venerabilis Beda, Rupertus in expoſitione morali huius libri, Angelomus, Eucherius, aliiq; interpretes libri, cui Samuel ipſe nomẽ dedit.

d Hier. ep. 125. ad Damaſ. q. 3 vide ſupr. an m. 2940. n. 8. & an. m. 2960. n. 19.

e l. 17. de ciuit c. 4. I. Reg. c. I.

X. *Fuit figura Chriſti ante ortum, I.*

Cæterum vt nulla extarent veterũ teſtimonia, res loquitur ipſa per ſeſe. Quid enim eſt quod Samuel multis lacrymis, votis & precibus parentũ expetitur, deſideratur, obtinetur? niſi quia referebat illum deſideratũ cunctis gentibus; patriarchis, regibus, & prophetis prenunciatũ, ſummiſq; precibus flagitatũ; in quibus pleriq; eiuſdẽ Chriſti Domini progenitores. Samuel, vt aliqui volunt, ad leuiticã tribũ ratione patris, ad regiã ex matre pertinebat. Chriſtus matrẽ habebat de radice Ieſſe, & cognatos Zachariam, Elizabetham, Ioannem Baptiſtam leuitas.

Samuel matrem habuit ſanctiſſimam fœminam, ſterilem, ieiuniis, & orationibus egregie deditam, ſingulari in Deum fiducia, charitate, animi moderatione, & patientia præditam, prophetidem, & poſt hunc eximium partum, multorum aliorum, inferioris dignitatis matrem. Quæ mulier vnquam fuit matre noſtri Samuelis, beatiſſima virgine ſanctior, cæteriſque Annæ virtutibus ac Dei donis cumulatior? quæ etiam cum ſterili virginitate fœcunda, Samuelem hunc ſuum primum enixa, innumerabiles alios filios ignobiliores benigniſſima adoptione procreauit, ac ſuos fecit.

XI. 3. *In ortu,*

Vterqve conſecratus Deo antequam natus; vterque Nazaræus Domini, vterque in templo Domini, nam & domum Dei in Silo templum Domini legimus appellatam: [a] per ſeniles manus, ille Heli, iſte Simeonis, oblatus, munus acceptiſſimum Deo: vterque diuinum, & myſticum nomen adeptus; vterque ſumma parentum cura, vt perſona ſacroſancta, educatus; vterque proficiebat ſapientia, ætate, & gratia coram Deo, & hominibus. [b]

a 1. Reg. 1. 7. 9.
b 1. Reg. 2. v. 26. Luc. 2. 40.

4. *In vitæ progreſſu.*

Samuel duodecimo vitæ anno dicitur à Ioſepho [c] vaticinari cœpiſſe. Chriſtus Dominus duodecimo vitæ anno inter doctores, ſapientes, & ſcribas diuinæ ſapientiæ præbet argumenta. Magnus propheta Samuel, imo primus prophetarum à D. Petro numeratur, [d] qui diuinam œconomiam prænunciarunt. Quia, vt ait Genebr. [e] ab orbe quidem condito extiterunt prophetæ, ſed rarius, & extra ordinem: à Samuele crebriores, ordinarii, & ſucceſſione perenni. Itaque Hebræi ipſum prophetarum, & propheticorum collegiorum fundatorem, & authorem agnoſcunt; extra quos etiam 48. prophetæ in Scriptura celebrantur, vt idem ait. De Chriſto Domino legimus, *Propheta magnus ſurrexit in nobis*; Idem inſpirator prophetarum, magiſter Apoſtolorum, doctor Euangeliſtarum fuit, & deinceps doctorum omnium, qui ſeculis omnibus in eccleſia floruerunt.

c l. 5. ant. c. 11
d Act. 3. 24.
e In chron.

Fundator collegiorum Propheticorũ Samuel.

XII. 5. *Prophetia.*

Samvel Dei iuſſu nunciat Heli pontifici, [f] & Sauli regi ruinam domus ipſorum, propter eorum peccata. Audiunt à Chriſto Domino Iudæorum principes, *relinquetur domus veſtra deſerta; Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* [g]

f 1. Reg. 3. 13 & 15.
g Matth. 21 43. & c. 23. v. 38.

6. *Sacerdotio extra ordinem.*

Samuel, Heli ſacerdote, ac iudice reprobato, ſubſtitutus eſt in Dei miniſterium, officio functus ſacerdotis ſimul & iudicis, vt ait S. Auguſtinus, [h] qui fortaſſe intellexit eum non fuiſſe ſacerdotem ordinarium ex Aaronis ſtirpe procreatum; licet ex Dei priuilegio ſit functus ſacerdotio. Chriſtus viuorum iudex & mortuorum, & magnus extra ordinem ſacerdos, non leuiticus ſecundum Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech [i] à rege propheta pronunciatur. Samuel veri ſacerdotis officio fungens, cum acceſſiſſet ad eum populus [k] à facie Philiſthæorum timens, diceretque *ne ceſſes pro nobis clamare ad dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſthinorum*, reſpondit, [l] *Abſit à me hoc peccatum in Dominum, vt ceſſem orare pro vobis.* At Chriſtus qui manet in æternum, *ſempiternum habet ſacerdotium*, vt ait Apoſtolus, [m] *vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.*

h l. 17. de ciu. c. 4.
i Pſal. 109.
k 1. Reg. 7. 8.
l 1. Reg. 12. 23.
m Heb. 7. 24

XIII. 7. *Reconciliatione populi.*

Samvel populum Deo nouo fœdere coniungit, & cultu idolorum exterminato reconciliat Deo [n] & populum ſibi commiſſum docet, *Docebo vos*, inquit, [o] *viam bonam & rectam, timete Dominum, & ſeruite ei in veritate, & ex toto corde veſtro &c.* Chriſtus Dominus mundum vniuerſum reconciliauit Deo. Nam *Deus erat in Chriſto* [p] *mundum reconcilians ſibi*; & noui teſtamenti fœdere renouauit, principemque huius mundi eiecit foras. Idem viam Domini in veritate docuit, & in monte aperiens os ſuum, qui olim aperuerat ora prophetarum, docebat eos.

n 1. Reg. 7.
o 1. Reg. 12. 23.
p 2. Cor. 5. 19.

8. *Prodigiis.*

Samuel prodigia multa coram populo patrauit; [q] Chriſtus innumerabilia, multoque fructuoſiora, maximum ipſe miraculorum omnium. Et ſicut *cognouit vniuerſus Iſrael à Dan vſque Berſabee, quod fidelis Samuel propheta eſſet Domini.* [r] Ita cognouit vniuerſus mundus, quia Ieſus eſt filius Dei.

q 1. Reg. 7. 10. & 12. 18.
r c. 3. v. 20.

XIV. 9. *Victoria de Philiſthæis.*

Pvgnavit Samuel contra Philiſthæos, & cladibus edomuit, perditas recuperauit vrbes, erexit lapidem in trophæum, & ſignum victoriæ dicens; *hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus.* Nec potuerunt vltra erigere ceruices Philiſthęi, niſi Iudæorum peccatis diuinam vindictam accerſentibus. Pugna Chriſti Domini fuit contra omnem virtutem inimici, quem ita debilitauit, & quaſi ſubneruauit,

vt ſuis niſi volentibus nocere non poſſit. Erexit victoriæ ſignum & inſtrumentum ſanctiſſimam crucem ſuam, per quam auxiliatus eſt nobis, pugnans pro nobis *vſque ad mortem, mortem autem crucis*, & expolians inferni potentiam, captiuam recuperauit captiuitatem.

10 Petit populus à Samuele regem. venturus erat populus, vt Chriſtum raperet, & faceret eum regem, iſte fugit, ille recuſauit. Conteſtatus eſt Samuel popu-
11 lum, eumque innocentiæ ſuæ teſtem habuit.[a] Conteſtatus eſt Dominus Iſraelitas, ſcribas, phariſæos inimicos ſuos, dicens *Quis ex vobis arguet me de peccato?* a 1. Reg 12. 3.

XV. 12. *Filiorum malitia.* Samvelis filii non ambulauerunt in viis patris ſui, ſed *declinauerunt poſt auaritiam, & acceperunt munera.*[b] Multi quoque diſcipulorum Chriſti, cum illo nõ ambulabant, propter ſermonem habitum in Capharnaum; & Iudas declinauit poſt auaritiam, & Simon obtulit munera, & Nicolaus cum ſuis libidini ſeruierunt. b 1. Reg 8 3.5.

13. *Fletu pro Saule.* Flet Samuel reprobatum Saulem,[c] quem Deus conſolatur, & Dauidem illo meliorem iubet inungere, & fœlicioribus auſpiciis in regem deſignare. Chriſtus Dominus Hieruſalem reprobatam ac repudiatam fleuit, totiuſque gentis interitum magno animi ſenſu lamentatus eſt. Sed cum conſolatus eſt Pater, dicens,[d] *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.* Et illud apud Eſaiam non minus illuſtre.[e] *Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas, ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extremum terræ.* c 1. Reg. 16 1. d Pſal. 2. e Iſa. 49 6

XVI. 14. *Vnctione regum.* Samvel duos inunxit reges, & vt ait Sapiens,[f] *renouauit imperium, & vnxit principes in gente ſua*, quorum alter alterum maior minorem, vt olim Eſau Iacobum, ſenior iuniorem perſecutus eſt. Chriſtus Dominus populis aperit regnum cælorum, & per merita ſua, ius ad illud eſt elargitus. Sed Iudæi ad Saulis regnum pertinentes, qui lenticula vnctus fuit,[g] minore diuinitus gratia præuenti, temporale, ac terrenum regnum magis adamarunt. Chriſtiani ſpiritualis Dauidis ſpirituale regnum amplexi ſunt, in quos pleno cornu ſacrum oleum diuinæ gratiæ Samuel noſter effudit; & quantum Saul Dauidem corpore, & ætate, tanto Dauid Saulem animo & virtutibus antecelluit, & nouus Samuel antiquum. Nec Saulem reprobatum, & odio in Dauidem frementem viſit Samuel, vſque ad mortem eius, ſub quam ei apparens, triſtiſſimum interitum nunciauit. Nec Samuel noſter reprobis & obſtinatis Iudæis, & immenſo in Dauidem noſtrum odio furentibus, niſi ſub mortem ſe offert, in qua eos æterno addicit incendio, dum eis in nouiſſimo die appareat, quando, vt ait propheta,[h] & Euangeliſta,[i] *videbunt in quem transfixerunt.* f Eccli. 46 16. g Greg. magn. l. 4 c. 5 h Zac. 12. 10 i Ioan. 19. 37

XVII. 15. *Dei in ipſum amore.* Samvel denique *dilectus à Domino Deo ſuo propheta Domini*, vt ait Sapiens,[k] & & ſpiritali oleo vnctus in prophetam, figura fuit eius qui audiuit, *hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui:* *Conuenerunt*, inquit Petrus[l] *in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti.* Fuit & illa Domini in Samuelem dilectio principium & conſummatio ſanctitatis. Itaque communi ſanctorum patrum ſuffragio Samuel ſanctus eſt appellatus, eiuſque memoria quotannis in ecclesia 20. Auguſti à græcis ac latinis renouatur. S. Hieronymus eius ſacra lipſana magnifice honorata teſtatur, cum ex Iudæa ex oppido Silo, ſiue Sancti Samuelis de Silo, iuxta ea quæ ſupra diximus, in Thraciam ſub Arcadio Auguſto transferrentur. Libenter opinor audies, Chriſtiane lector, ipſius verba Hieronymi contra hæreticum Vigilantium, quæ inſigni pudore afficiant ſectarios eiuſdem ſectatores. k Eccl. 46 16. l Act. 4. 27. *Tranſlatio lipſanorum eius.* nu. 7

XVIII. *e S. Hieronymo.* Dolet, inquit, *Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in ſterquilinium, vt ſolus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus quando baſilicas Apoſtolorum ingredimur. Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii, illorum ſe ſentire præſentiam confitentur. Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius qui oſſa B. Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam. Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed etiam fatui iudicandi, qui rem vilisſimam & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portauerunt. Stulti omnium eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viuentemque prophetam cernerent, ſuſceperunt, vt de Paleſtina vſque Chalcedonem iungerentur*

populorum examina, & in Christi laudem vna voce reſonarent. Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum, cuius Samuel & leuita, & prophetes fuit. Addit Nicephorus,[a] hæc Attico Conſtantinopoli epiſcopatum gerente contigiſſe, & lipſana in prophetico eius fano, quod prope Septimum eſt, collocata, quod Theodorus quoque lector affirmat.[b] Illi ergo iam ſecundò templum excitatum eſt, cuius meminit quoque Procopius l. 5. de Aedif. Iuſtiniani Imperatoris. Reliquum eſt vt in prophetici templi valuis, ſancto Prophetæ Epitaphium appendamus.

a l. 14. hiſt. c. 10.

b l. 2.

Eius templum.

XIX. *Samuelis epitaphiū.*

Vides hanc templi molem viator, vide etiam intvs nobile Pario lapide mavsolævm, vtrvmqve magni est Prophetæ Samvelis, Arcadii, vt fervnt, Avgvsti opera positvm, Samvelis inqvam Prophetæ, qvem cvm dico, regvm dico parentem, atqve antistitem; imo magistrvm ac ivdicem. Virvm dico familia levitam, privilegio sacerdotem, Prophetam scientia, ivdicem dignitate: virvm Nazaræum, et Deo consecratvm ante qvam natvm, atqve a pvero vaticiniis a Dan vsqve ad Bersabææ illvstrem. Hic est cvivs ad nvtvm tonitrva horrisono fragore remvgivnt, imbres alieno tempore coelo præcipitant, indices inconsvltæ popvli temeritatis. Hic est cvivs ad preces coelvm rvit omne tvmvltv, et excvssa densa grandine hostes verberati contervntvr. Hic est qvi Devm peccatoribvs, noctes diesqve cvm lacrymis exorat: qvi filios prophetarvm omnem ad pietatem informat; qvi privs vivendi, qvam bene de omnibvs merendi finem fecit. Vixit in magistratv solvs annos XXII. deinde translato in Savlem imperio XVI. omnes LXXVII. abiit e vivis, annis ante Christi, qvem præclare advmbravit, nativitatem CIƆLXXVI.

XX. *Dauid nuncios ad Nabalem mittit, quando,*

Hoc ipſo anno Dauid legationem ad Nabalem, cognomento Carmelum, ei propemodum funeſtam miſit, &, niſi Abigail vxoris eius eximia prudentia interueniſſet, plane funeſtam. Contigiſſe autem ſub tempus, quo tondebantur oues, ex ipſa ſcripturæ narratione certo conſtat: nec tamen ratio temporis plane perſpicua eſt, quoniam eiuſmodi tonſio quibuſdam in locis, & forte in Palæſtina, ſiue Iudæa bis quotannis perfici ſolet; plurimum autem circa æſtiuum
c l. 18. c. 27. ſolſtitium fieri author eſt Plinius. [c] Quod ad locum attinet, dicitur Dauid deſcendiſſe in deſertum Pharan, pro qua voce Septuag. habent Maon, Ioſephus vtramque omiſit; in Hebræo, & Latino eſt Pharan. Erat autem id deſertum ad
d Habac 3. 3 meridiem, iuxta illud,[d] *Dominus ab auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan.* pars vero meridionalis Iudæa humilior eſt, atque depreſſior. Eſt autem hoc deſertum maximum, cuius extrema in terram Iuda, ac tribum Simeonis ſe porrigunt; reliqua pars per longiſſimos tractus tenditur Aegyptum verſus, & in multa partialia deſerta tribuitur, puta deſertum Cades, Zim, Sinai &c. prior autem illa pars
e an Saul 14. nu. 10. continet deſertum Ziph, & in eo deſertum Maon, vt ſupra diximus, [e] in deſerto autem Maonis erat Carmelus mons, & ciuitas, in qua habitabat Nabal, multumque diſtat à Carmelo monte tribus Iſſachar, qui ad mare vſque mediterra-
f Ioſ. 15. neum protenditur.[f]

Et quo loco.

XXI. *Et qua in urbe.*

Erat *porro vir quiſpiam in ſolitudine Maon, & poſſeſſio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis,* valde ſcilicet potens & opulentus, præ vicinis ſuis agricolis, quo modo Iob dictus eſt *vir magnus inter omnes orientales.* Ioſephus eum Ziphenū vocat, quod deſertum Maon ad Ziphæum deſertum pertineret. Cur autem oppidum eius vocet Emma, quod in tota ſcriptura nuſquam reperitur, non intelligo, Carmel potius vocaret, quod huic deſerto vicinum eſt oppidum, ex quo Nabal Carmeli

nomen accepit. Quid ſi Emma ex voce Maon deformatum eſt? Nam Maon, & Carmel, & Ziph, tanquam vicinæ vrbes Ioſue 15. [a] coniunguntur in tribu Iuda, quin etiam Hieron. in tradit. hebr. in ea verba. *Erat autem vir quiſpiam in ſolitudine Maon. Hebræus*, inquit, *hoc in loco non habet in ſolitudine; in Maon enim ciuitate habitabat, non in ſolitudine.* ſic ibi. Itaque eam vocem tanquam adiectitiam reiicit Lyranus, & abeſt à libris græcis: ſed adiecta eſt à S. Hieron. explicandi cauſa, quia vrbs Maon erat in deſerto Maon. certe iam ſupra in hoc ipſo vocabulo peccatum fuiſſe demonſtrauimus. [b]

Emma an potius Maō

a Ioſ. 15 v. 55

XXII. *Nabal eiuſque mores.* Indicivm opulentiæ affertur, quod tria millia ouium, & mille capras poſſideret, & ſcilicet boues, & camelos, & aſinos, & equos non paucos; aliaſque diuitias; memorantur autem præcipue oues, quod eæ dum tonderentur, data eſt Dauidi occaſio mittendi ad eum nuncios. Nam ſubdit, *& accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo*, monte, *Nomen autem viri illius erat Nabal, & nomen vxoris eius Abigail; eratque mulier illa prudentiſſima, & ſpecioſa.* ſiue, vt eſt in græco, præſtanti prudentia, & præſtanti admodum forma. Porro vir eius durus; difficilis videlicet & inhumanus, vt qui non flecteretur, neque molleſceret mitiſſima deprecatione Dauidis penuria laborantis, *vir peſſimus & malitioſus*, ſiue vt in hebræo & græco, malus operibus, vel adinuentionibus: qui male ageret, & iniurius eſſet in homines, ſicque contra vtramque iuſtitiæ partem peccaret, nec declinans à malo, nec faciens bonum. Erat autem de genere Caleb, pertinebat videlicet ad tribum Iuda, ſicut Caleb; quod pertinet ad augendam eius in Dauidem ingratam inhumanitatem, aduerſus hominem tribus ſuæ, & quod caput erat bene de ſe meritum, vt mox dicetur. Septuaginta eum non Calebitam vocant, ſed caninum: quomodo habet etiam R. Salomon apud Abulenſem.

b Saulis anno 14. ſchol. 1. Abul.

Abigail.

ὁ κυνικός

XXIII. *Dauid mittit ad eum nuncios.* Cvm *ergo audiſſet Dauid in deſerto quod tonderet Nabal gregem ſuum, miſit decem iuuenes, & dixit eis, Aſcendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & ſalutabitis eum, ex nomine meo pacifice. Et dicetis, ſit fratribus meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumque habes ſit pax.* Decem miſit non qui armatas afferrent preces, ſed qui liberalitatem deferre poſſent, & eam ſi vſus ferret, à latrunculis tutari. Porro in hebræo nulla fit mentio fratrum, ſed optatur tantum vt ad vitam, id eſt quandiu vixerit ſit ei pax, & domui eius. Vocat autem fratres, quia domus Nabal & Iſai, erant ex eadem tribu Iuda, ſed ille habitabat in montanis, vt olim Caleb, cuius eſt illa apud Ioſue oratio, [c] *Da mihi montem iſtum quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, benedixitque ei Ioſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem, vſque in præſentem diem.* Iſai vero habitabat in Bethlehem, in campeſtribus Iuda. Pacem autem in ſalutando ab hebræis optari ſolitam, ſicut ſanitatem à græcis, à latinis felicitatem, ab aliis vitam, lætitiam, ſalutem, notiſſimum eſt.

qui eum ſalutant.

c Ioſ. 14. 12.

XXIV. *Et rogant ſubſidium.* Salvtationem excipit petitio, aut potius ratio, & ius petendi aliquid in ſignum gratitudinis conſeruatorum gregum eius, *Audiui*, inquit, *quod tonderent paſtores tui, qui erant nobiſcum in deſerto; numquam eis moleſti fuimus, nec aliquando defuit eis quicquam de grege, omni tempore quo fuerunt nobiſcum in Carmelo.* In lucro ac beneficio ponunt pagani, ſi nihil damni accipiant à militaribus viris. Id enim quantauis cura, ſtudioque ducis vix obtineri poteſt. *Ab his Dauid*, inquit Ioſephus, [d] *omnem iniuriam abſtinuit, grauiter interminatus ſuis, ne vel cupiditate vel egeſtate, vel latendi ſpe impulſi quicquam violarent, ſed pluris iuſtitiam facerent, & Dei voluntatem, cui nunquam placuerunt, qui in alienas res manus auide inicerent. In hac diſciplina ſuos continebat, putans ſe in hominem probum, & ſua beneuolentia dignum hoc officium collocare.* ſic Ioſephus. Quæ diſciplina hoc ægrius obſeruari poterat, & laudabilius obſeruabatur; quod & carebant ſtipendiis, & alioqui egentes, afflicti, obærati, & rapto viuere, quamuis ab hoſte, aſſueti, multo iam tempore vagabantur.

d l. 6. c. 14.

Militū ſub Dauide diſciplina.

XXV. *Et gratia illi à Nabale debita. Dauidis æquitas & comitas.* Hoc ergo nomine non exiguam ſibi gratiam deberi Dauid merito exiſtimabat, præſertim cum Dauidis milites, vt fatebantur paſtores, [e] eſſent ipſis pro muro tam in nocte, quam in die omnibus diebus, quibus pauerant apud eos greges. Et Dauid ipſe, *vere fruſtra ſeruari omnia, quæ huius erant in deſerto &c.* Itaque Dauid officii egregiè præſtiti ſibi recte conſcius, ipſos eius paſtores teſtes appellat, quamuis alioqui ſub auaro Domino querulos, *Interroga*, inquit, *pueros tuos, & indicabunt tibi.* Hæc Dauidis æquitas fuit; vide iam eiuſdem manſuetudi-

e c. 25. 16. 21

nem &

nem & comitatem, qua hominem agreſtem & ruſticanum, & opibus ſuis inſolentem mitigare, & ad benigne faciendum inflectere conatus eſt. *Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis; in die enim bona venimus*, læta ſcilicet, qua exhilaratus, & auctus bonis à domino, gratificari ſoles amicis tuis tenuioribus, *quodcumque inuenerit manus tua*, quidquid placuerit accipere ac ſeponere de rebus tuis, ſi quid in promptu habueris, ad largiendum militi, qui non ſolum poſita ad manum præda, quamuis vrgente fame, abſtinuit; ſed etiam, quaſi mercede conductus foret, ad conſeruandas res tuas intentus fuit, *da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid*.

XXVI. *Nabalis reſponſio contumelioſa,*

Cvmqve veniſſent pueri Dauid locuti ſunt ad Nabal omnia verba hæc, ex nomine Dauid, & ſiluerunt. Reſpondens autem Nabal pueris Dauid ait, *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius* Iſai? Incipit homo agreſtis, & ruſticanus à ſuperba, & contumelioſa appellatione eius, quem, vt generum regis, honorare, vt virum militarem, tot inſtructum bellatoribus, ei ad nutum ſeruientibus, formidare debuerat; idemque ſibi homo priuatus, ac plebeius, quod rex ipſe Saul erga Dauidem permiſſum putat: pergit, *hodie increuerunt*, id eſt multiplicati ſunt *ſerui qui fugiunt dominos ſuos*. Vide hominis importunitatem & audaciam, eos qui ſe fratres, filios, ſeruos, contribules eius dixerant, non ſolum agnoſcere non dignatur, inſuper etiam contumelioſe ſeruos, & fugitiuos, ac rebelles appellat. Sequitur ipſa recuſatio perſimili modeſtia, atque humanitate condita. *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonſoribus meis, & dabo viris, quos neſcio vnde ſint*. Etſi nomine panum, & aquarum eſculenta omnia & poculenta intelliguntur, ideoq. Abigail non aquas detuliſſe dicitur, ſed duos vtres vini: aquam tamen nominatim recuſare, quamuis venalem fuiſſe demus, perquam inſolens, atque inhumanum eſt.

3. ℞. (margin)

Et inurbana recuſatio.

XXVII. *Cui aſcribenda hæc reſponſio, ebrietati.*

Nec ſatis apparet cui rei immoderatam hanc verborum intemperantiam aſcribere poſſimus, [a] an conſuetæ morum acerbitati, an præſenti cibi potuſque intemperantiæ, vtrumque dici poteſt. Non enim omnium ebrietas hilaris eſt, & ad iucunditatem prona; ſed ad modum eius, qui laxius potauit, ſeſe attemperat. Itaque hominem aſperum nacta atque auſterum, & ſuperbè tenuiores mordicantem, aſperiorem reddidit, atque intolerantiorem. Certe quidem apparet hominem, ſi eſſet ſobrius, non ita effuſum iri in contumelias aduerſus eos, quibus nihil eſſet facilius, aut etiam optatius, quam iuſtam aliquam nanciſci occaſionem vlciſcendi, & beatas iſtas ædes, rebus omnibus redundantes excutiendi. In reditu quidem vxoris ebrium illum fuiſſe conſtat, ſed & ſuſpicari licet eum iam in diſceſſu vino maduiſſe, quod re tota intellecta nihil eum monuerit, nullum de Dauide muneribus placando ei verbum fecerit: quod eo tum in ſtatu eſſet, vt nemo poſſet ei loqui, & reuera Ioſephus ait Abigæam, ſic enim vocat, inſcio marito, & per temulentiam ſopito, ad Dauidem properaſſe. Probabilius tamen eſt Nabalem nondum accuratius perpotaſſe, ſiue quia matutinum hoc tempus fuit, vt ex abitu, redituque Abigailis intelligitur; ſiue quia conuiuium nondum cœptum erat, vt quinque illi arietes coctti, ab ea ſublati ſignificant. Itaque licet nondum vino confectus eſſet, ea tamen erat morum peruerſitate, vt quaſi rubum aculeatum, nemo eum poſſet impune attingere. Idque ſignificant illa verba, *Et ipſe eſt filius* Belial, *ita vt nemo poſſit ei loqui*, quin licet blanda locutus, probra recipiat; cum tamen meſſis ſoleat ſementi reſpondere.

a vide Abul q. 4. in c. 25.

An potius morum aſperitati.

XXVIII. *Regrediũtur milites; Dauid Nabalem adit iratus.*

Regressi *ſunt itaque pueri* Dauid *per viam ſuam, & reuerſi venerunt, & nunciauerunt ei omnia verba quæ dixerat* [b] Nabal. *Tunc ait* Dauid *pueris ſuis. Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis; accinctuſque eſt &* Dauid *enſe ſuo, & ſecuti ſunt* Dauid *quaſi quadringenti viri. Porro ducenti remanſerunt ad ſarcinas*. Subiungenda quoque videntur hoc loco illa, quæ inferius aliquantò referuntur, quaſi inter eundum dicta; ſed ante digreſſum quoque dicta eſſe, dum ſumuntur arma, vero conſentaneum eſt, & crebro in via repetita, vt notat Vatablus, verſio eius habet, *dixerat autem* Dauid. *Vere, fruſtra ſeruaui omnia, quæ huius erant in deſerto, & non periit quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant, & reddidit malum pro bono*, contumelias ſcilicet, cum ſaltem gratiarum actionem reddere debuiſſet. *Hæc faciat Deus inimicis* Dauid, *& hæc addat, ſi reli-*

b c. 25. v. 13.

quero de omnibus quæ ad ipſum pertinent, vſque mane mingentem ad parietem. Nomine porro inimicorum ſuorum ſeipſum intelligit, ad molliendam imprecationem; quam in ſeipſum intorquere inſanum videtur: vt cum dicturus eſſet, Ita me perdat Deus, dixerit, ita perdat Deus inimicos meos, niſi domum Nabal funditus deleuero, ad ipſos vſque canes; quæ eſt communis interpretum expoſitio. Vatab. Lyran. Abul.

Et ſub imprecatione intentat cladem toti familiæ.

XXIX. *An ſine culpa, non videri.*

In qua familia cum permulti eſſent innocentes, recte queri poteſt, an ſine culpa tantam cladem, vnius ob noxam, toti familiæ inferre potuiſſet; atque adeo iureiurando ſe ad eam perpetrandam obſtringere. Et primum clarum eſt vxorem, filios, ſeruos, reliquamque familiam, cuius nullum erat delictum in

1. hoc toto negotio, ſine ſcelere interfici non potuiſſe. Vetat enim diuina lex [a] filios pro parentum ſcelere ſupplicio affici, etſi filij vnum quid cũ patre efficere videantur; multo ergo minus cætera familia ob heri culpam necari potuit. Cer-

2. tum deinde eſt, ingrati hominis vitium ea pœna plecti non potuiſſe, vt ipſe propterea morte affici, & omnia quæ ad eum pertinebant perire debuerint. Etſi enim Nabal obligationem moralem habuit agnoſcendi benefactorem, & gratiam mutuam referendi, quod cum neglexerit in culpa fuit; ea tamen culpa tanta pœna expianda non fuit; imo [b] ne propter eam quidem in iudicium trahi potuit, cum nulla inter ipſos interueniſſet legalis obligatio, vel contractus, vi cuius in ius ambulare cogeretur.

[a] Deut. 24. 16. Ezech 18. 20.

[b] Abul q. 1 in c. 25.

XXX. *Nabalis culpa præcipua.*

Certvm eſt præterea deliquiſſe Nabalem, & pœnæ obnoxium fuiſſe; quod Dauidem, ſuoſque contumeliis affecerit, eamque ob cauſam apud iudicem con-

3. ueniri potuiſſe. Idque aut ſolum, aut maxime perſequebatur Dauid; quo pertinet illa eiuſdem Dauidis vox [c]. *Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei, de manu Nabal*; Itaque Ioſephus Dauidem dixiſſe refert, *non ſe tam ægre ferre quod homo ingratus officij nihil rependeret, quam quod vltro conuitijs ſe impeteret, nulla vnquam affectus iniuria*. Non potuit tamen ipſemet in cauſa propria iudicem agere, aut iuſtitiæ adminiſtrum. Itaque ſi quò impetu animi ac voluntate ferebatur perueniſſet, & Nabalem cum familia perdidiſſet, haud dubiè graui ſe crimine obligaſſet. Quod ipſemet minimè diffitetur, cum apud Abigailem gratias agit Deo, quod eius interuentu prohibitus ſit effundere ſanguinem, quod ea pœna eſſet atrocior, & vlciſci ſe manu propria, quod id eſſet illegitimum; & malum ei facere, quod eſſet iniuſtum. Et rurſum audita morte Nabalis, [d] Deo benedicit, cuius prouidentia factum ſit, vt ipſe cuſtodiretur à malo; id eſt prohiberetur ne

4. graue peccatum admitteret. Accedit quod non zelo iuſtitiæ, ſed ardore iracundiæ ad hominem puniendum ferebatur, quod illa verba haud obſcurè ſignificant. *Benedicta tu quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea*. Quamuis enim ad regnum eſſet electus, viuo tamen Saule, iudicem agere non potuit.

[c] ca. 25. 39.

[d] v. 39.

XXXI. *An Dauid ſola voluntate peccarit.*

Vervm enim vero cum res tota interueniente Abigaile diſcuſſa fuerit, an exiſtimandum eſt culpam aliquam à Dauide fuiſſe contractam? Ioſephus quid ſentiret diſſimulauit hoc loco, alibi autem [e] ſententiam ſuam aperte declarauit, cum ſe Polybium Megapolitem demirari dixit, quod Antiochum periiſſe dixerit, quod conatus ſit Dianæ templum, diripere. *Voluiſſe enim tantum*, inquit, *ac non etiam perfeciſſe ſacrilegium non videtur res digna ſupplicio*. Τὸ γὰρ μηδέπω ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον. Verum id nos alio loco viderimus, nunc id tantum dicamus,

Ioſephus arguitur.

conſentaneum fuiſſe hunc errorem cæcitati Iudæorum, qui non viderent malitiam externi operis, ab interno conſenſu pendere, cum opus huiuſmodi natura ſua malum non ſit, ſed ex mala, atque illegitima voluntate ſit malum; Illud autem, vt philoſophi diſputant, magis eſt tale, quod cauſa eſt vt tale ſit alterum. Voluiſſe autem Dauidem id agere, quod malum fuiſſe hactenus probatum eſt, minime obſcurum puto.

[e] l. 12. ant. c. 13.

XXXII. *peccaſſe reuera ob deliberatam male agendi voluntatem.*

Respondemvs itaque cum Abulenſi, [f] peccaſſe hac voluntate Dauidem, neque enim nuda fuit cogitatio, aut voluntas rationis vſum præueniens, ſed firma, deliberatáque, quæ progrediatur ad executionem. Propterea enim & ipſe arma cepit, & ſocios gladijs accingi iuſſit, & ſe accinxit itineri, & bonam eius partem confecit, donec occurrente Abigaile, de ſuſcepto conſilio de-

[f] q. 6. in ca. 25.

[a v. 34. & 39.] ductus eſt. Nec eſt, quod pro Ioſepho, aut pro Dauide opponi poſſit, quod Dauid gratias egerit Deo, quia prohibitus fuerit ne malum faceret, [a] non enim negauit ſe male egiſſe volendo, ſed male egiſſe in proximum; ideoque non dixit ſimpliciter, qui prohibuit ne malum facerem; ſed, *qui prohibuit ne malum facerem tibi.* Nam qui vni ſibi nocuit, pluribus grauiſſimè nocuiſſet. Et ſcriptura [b] cum homicidium, & adulterium in culpis Dauidis tantum numerare videtur, eas numerat quæ maxime eminent, & quarum comparatione cæteræ nullo numero eſſe videantur. Nam eadem ſcriptura, [c] & Dauid ipſe culpam ſuam in numerando populo confitetur. *Peccaui*, inquit, *valde in hoc facto*, & infra, *Ego ſum qui peccaui, Ego qui inique egi &c.*

[b 3. Reg. 15. 5.]

[c 2. Reg. 24. 10. v. 17.]

XXXIII *Et ob iuſiurandum, ſiue imprecationem.*

Iam vero quod ad iuſiurandum attinet, ſeu potius imprecationem; eam quoque vitioſam fuiſſe, conſequens eſt ex ante dictis, cum in rem malam vſurpata fuerit, idque fatentur Abul. [d] & Caiet hoc loco, & ante eos Auguſt. [e] in ſermone de decollatione Sancti Ioannis Baptiſtæ. *Iurauit*, inquit, [f] *S. Dauid eum occiſurum ſe eſſe, erat enim armatus, & quod facile fuerat, & iuſte facere ira perſuadente videbatur, incautus iurationem fudit*, Et mox, *Iurauit temere, ſed non impleuit iurationem maiore pietate.* Et iterum, *Ecce ſanctus Dauid non quidem iratus ſanguinem hominis fudit: ſed eum falſum iuraſſe negare quis poterit?* Hæc & alia ibid. Dicere tamen quis poſſit non fuiſſe periurum Dauidem, & falſum fuiſſe iuſiurandum, quod Theodoretus minarum vocat, ſiue imprecationem euentu non conſilio, habuit enim intentionem exequendi quod imprecatus eſt. Caſu autem mutato conſilio, vt oportuit, falſa inuenta eſt: admodum tamen vt in re valde graui, culpabilis fuit.

[d q. 7. in c. 25.]
[e habetur 22. q. 4. apud Grat.]
[f to. 10. p. 438. ad Pariſ.]
[q. 38.]

XXXIV. *Diſcit Abigail quæ geſta fuerant.*

Sed redeamus ad Abigailem, quæ dum Dauid parat familiæ ipſius interitum, parat ipſa remedium. Nam vnus de famulis paſtoribus nunciauit ei, quæ geſta fuerant dicens, *Ecce Dauid miſit nuncios vt benedicerent domino noſtro*, ſalutarent videlicet, bene precarentur, quod & fecerunt, multiplicem ei pacem deſiderantes, vt benedictionem, quo modo ſcriptura ſæpe loquitur; ſiue largitionem obtinerent, *& auerſatus eſt eos*, Septuag. *& declinauit ab eis*; bonus famulus non auget, vt fit, ſed minuit culpam heri ſui, qui etiam cõtumeliis affecerat. Incipit autem cauſam agere Dauidis, vt culpam mariti vxor intelligat, eique proſpiciat. *Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis*, vt milites videlicet, quorum bonitas non admodum perfecta eſt, vnde explicans ſubdit, *& non moleſti*: quia tamen in Hebræo & Græco dicuntur fuiſſe valde boni, illud ſatis explicari poſſit, quantum ab ipſis, aut ab huiuſmodi hominibus deſiderari potuit; itaque ſequitur; *nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conuerſati cum eis in deſerto.*

Et militum innocentiā

[σπόδεσα]

XXXV *Et gratiam*

Affvit vtique famulus hic ſuperiori colloquio, itaque eandem init in referendo viam, quam illi in agendo; nam primum oſtendit nihil illos nocuiſſe, deinde etiam profuiſſe, ac bene meritos eſſe. *Pro muro erant nobis*, inquit, *tam in nocte, quam in die, omnibus diebus, quibus pauimus apud eos greges*; adeo vt conductitios famulos agere viderentur. *Quamobrem conſidera, & recogita quid facias; quoniam completa eſt malitia aduerſus virum tuum, & aduerſus domum tuam*: malitiam vocat pœnam, aitque ex præſumptione valde probabili, quæ ex verbis, ſigniſque nunciorum colligi poſſet, definitum eſſe, ac ſtatutum apud Dauidem, ingentem aliquam calamitatem in Nabalem, totamque eius familiam importare. Poſtremo paulo animoſius, *Et ipſe eſt filius Belial, ita vt nemo poſſit ei loqui*; ita videlicet vt reſponſum aliquod non acerbum auferat. Quo factum eſt, vt nemo noſtrum quidquam in eorum gratiam mutire auſus fuerit, & auertere calamitatem, quæ imminet tam ipſi quam omnibus, quæ ad eum pertinent. Ita nimirum contingit acerbis ac moroſis hominibus, vt cum maxime eorum intereſt admoneri, monere, eos nemo audeat, quod veris amicis auſtero more & modo aditum præcluſerint, in vtilitatem ſuam; quem vice verſa in perniciem ſuam adulatoribus ſemper aperiũt. non in his erat prudẽtiſſima fœminarũ Abigail, ad quã vltro famuli culpam heri ſui deferũt, in præſentiſſimo familiæ periculo, ab eaq; non libẽter audiũtur.

Festinavit igitur Abigail hoc icta nuncio, malum ſibi, ſuiſque imminens anteuertere, & offenſum Dauidem placere muneribus; eaque mitiſſima deſtinauit oratione condire, vt eadem opera vulneri quod auaritia &

acerbitas viri impoſuerat, vxoris lenitas, liberalitaſque mederetur. *Et tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ.* ſiue quinque menſuras toſti farris, vt alii interpretantur. Septuag. habent quinque Ephi farinæ, quorum ſingula continent decem gomor, [a] gomor autem tantum mannæ continebat, quantum edaciſſimus quiſque vno die comedere poſſet, vt alibi diximus. [b] Addidit & centum ligaturas vuæ paſſæ, quas ligaturas Septuag. in gomor vnum verterunt, & ducentas maſſas caricarum, ſiue cophinos ficuum deſiccatarum; palathas Septuag. eadem ſignificatione dixerunt. Hæc omnia Abigail impoſuit aſinis, dixitque pueris ſuis, *Præcedite me; ecce ego poſt tergum ſequar vos.* Dixit enim fortaſſe in corde ſuo, vt olim Iacob. [c] *Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & poſtea videbo illum.* Sed & hoc pertinebat ad accelerandum iter, quod onuſta animalia, præſertim natura tardiora, lentius conficiunt.

a Exod. 16. 35.

b a.m. 2544 n. 291 cabas de figues. παλάθη.

c Ge. 32. v. 20

XXXVII. Eumq; adit

Viro autem ſuo Nabal non indicauit profectionem ſuam, neque quidquam eorum, quæ facere aut dicere ſtatuiſſet, ne ille moroſitate ſua moras iniiceret feſtinanti, aut rem totam fortaſſe diſturbaret homo duræ ceruicis; & præpoſterè parcus, ac profuſus. Aſcendit ergo aſinum, [d] & inſalutato hoſpite abiit, cumque *deſcenderet ad radices montis Carmeli*: nam ibi grex tondebatur, vt ante dictum eſt, [e] *Dauid & viri eius deſcendebant in occurſum eius.* non quidem de induſtria, neque enim ſciebant Abigailem ad ſe venire, ſed caſu: *quibus & illa occurrit.* *Cum autem vidiſſet Abigail Dauidem* appropinquantem, feſtina deſcendit de aſino, & *procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam, & adorauit ſuper terram, & cecidit ad pedes eius.* Nimirum videns Dauid recta ad ſe venientem mulierem, ſubſtitit cum ſuis, ſicut & qui eam comitabantur famuli cum muneribus: ſtatimque illa ſumma hæc demiſſionis argumenta edidit, & nixa genibus dixit, *In me ſit Domine mi hæc iniquitas.* Id eſt, ſi placet vlciſci, quod in te iniquè factum eſt, in me vlciſcere, veruntamen prius *loquatur obſecro ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.*

d e. 25. 20.

e verſ. 3.

Salutatque:

XXXVIII Et pro marito cauſam agit.

Avdiamvs & nos prudentiſſimam vtique, & natiuo artificio plenam orationem ſapientiſſimæ mulieris, *Ne ponat oro Dominus meus rex cor ſuum, ſuper virum iſtum iniquum Nabal; quoniam ſecundum nomen ſuum, ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo. Ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos miſiſti. Nunc ergo domine mi, viuit* Dominus, *& viuit anima tua, qui prohibuit te ne venires in ſanguinem, & ſaluauit manum tuam tibi*, innoxiam ſcilicet, & incruentam ſeruauit hactenus. *Et nunc fiant ſicut Nabal inimici tui*, ſtulti, & contemptu potius, quam vltione digni, *& qui quærunt domino meo malum. Quapropter ſuſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo, & da pueris qui ſequuntur te dominum meum. Aufer iniquitatem famulæ tuæ*, remitte culpam cuius ego me ream facio: *faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem* ſtabilem ſcilicet & perſeuerantem, *quia prælia domini, domine mi tu præliaris: malitia ergo*, aut crimen vllum, *non inueniatur in te, omnibus diebus vitæ tuæ.*

Dat munera.

XXXIX. Spondet Dauidi à Deo mercedē clementiæ.

Si *enim ſurrexerit aliquando homo perſequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum* Deum *tuum*, quaſi eam Dominus ſepoſitam haberet in faſciculo apud ſe, vt eam diutiſſime tibi conſeruet, *porro inimicorum tuorum anima rotabitur, & quaſi in impetu, & circulo fundæ*, proiicietur, ac diſſipabitur. *Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia, quæ locutus eſt bona de te, & conſtitueris te ducem ſuper Iſrael, non erit tibi hoc in ſingultum, & in ſcrupulum cordis domino meo*, de quo ſcilicet ingemiſcas, & animo angaris, *quod effuderis ſanguinem innoxium*, qualis eſt plurimus in domo Nabal, quam tu ſtatuebas diſperdere, *aut ipſe te vltus fueris. Et cum benefecerit* Dominus *domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.* quæ tibi rectum conſilium dederit. Quidam libri addunt, ἀγαθῶσαι αὐτῇ apud Abul. & *tu benefacies ei*, quod à Septuaginta interpretibus mutuatum eſt, nec in hebræo legitur, aut emendatis latinis. 4. 4. ex.

XL. Demiſſio animi Abigailis.

Sed iuuat retexere, & quaſi reguſtare mellitam orationem mirabilis fœminæ, quam victoria ipſa commendat. Vide itaque lector vt primùm totam ſe

ad flectendum iratum Dauidis animum, per ſummiſſionem, virtutem in primis amabilem componat, in exhibenda ſæpius toto corpore reuerentia, in aſpectu miti, in voce dulci, in facie decora, in decenti habitu, & honeſto corporis cultu, in ore pleno gratiarum. Deinde eiuſdem animum actu eximiæ charitatis in ſuos labefactat, cum ſe ſponte offert ad pœnam ſubeundam pro culpa, à qua ſatis conſtabat ipſam immunem, atque alienam eſſe: quamquam vt culpa non careret, tanta animi demiſſio non modicam reatus partem expiabat. Hoc modo cum ita in beneuolentiam & iudicis & aduerſarii ſui irrepſiſſet, vt ſecundiſſimis auribus iam audiretur; modeſtè nihilominus poſtulat audientiam, eademque ſummiſſione molliſſima ita totam condit orationem ſuam, vt tertio quoque verbo illum Dominum ſuum, ſe ancillam eius, & famulam appellitet. Quamuis ipſa tum nobili coniugio, ætate, amicis, opibuſque floreret. Dauid autem fugitiuus eſſet & extorris, omnibus fortunis euerſus, & inſuper infeſtum haberet regem, & ſeruos eius in ſuam perniciem coniuratos.

Et charitas

XLI. *Sapientia eius in accuſando marito.*

a vide Abul. q. 9. & 10 in c. 25.

Incipit porro à ſapientiſſima & conſultiſſima accuſatione mariti ſui,[a] quæ ſimul iuſtam Dauidis indignationem fateatur, & labefaciat, ſimul marito contemptum conciliet in ſalutem ipſius; vt ne vir tantus; (nam etiam regem vocat, quamuis ea vox hebraicè, aut græcè non legatur, ſit tamen extremæ huic orationi plane conſentanea) ne vir tantus inquam, bellator fortiſſimus, regius gener, regni candidatus, rex deſignatus à Deo, eiuſque iuſſu inunctus in regem, hominem ſtultum iuxta nomen ſuum, ebrioſum, decori & honeſtatis expertem, hominem contemptu & irriſione, quam ira digniorem; quaſi idoneum aduerſarium ſibi delegiſſe videatur; qui recte norit aquilam non captare muſcas, nec decere regem Iſrael canem mortuum, vel pulicem viuum perſequi, vnde non ſibi minus dedecoris; quam illi detrimenti afferat. Et quoniam Dauid obiicere poterat, pertinuiſſe ad ipſam, quæ ſtolidum noſſet maritum ſuum, hanc à ſe, & nunciis ſuis auertere contumeliam, & ſtulti hominis ſtultitiam anteuertere; excuſat opportunè abſentiam ſuam, qua factum fuerit, vt ne viſi quidem ab ea fuerint legati Dauidis; ne ſcilicet eidem iniuriæ, & ingratæ auaritiæ affinis, aut conſcia fuiſſe videatur; ſed officioſam potius, & liberalem geſſiſſe voluntatem, vt res ipſa nunc probat.

Excuſat abſentiam.

b verſ. 26.

XLII. *Prudens gratulatio Dauidi facta.*

Tvm gratias agit Deo,[b] & Dauidi callidè gratulatur, quaſi diuinitus prohibitus ſit à fundendo ſanguine innocente cum noxio, & ab huiuſmodi peccato ſit factus immunis, callide inquam gratulatur. Etſi enim neſciret mutatam adhuc Dauidis voluntatem, cum tamen quaſi rem certam aſſeuerat, oſtendit ſe nullo modo dubitare, quin Dauid præbiturus ſit aſſenſum petitioni ſuæ,[c] vt ſic verecundetur non aſſentiri, & certam eius ſpem confundere. Hanc ſapientem gratulationem, ſequitur partim votum de inimicis, vt huiuſmodi fiant, vt à Dauide tuto contemni poſſint; vel vt illis contingat, vt in poteſtatem eius veniant, ſicut Nabal; à quo interficiendo, domoque eius euertenda nemo illum, ſi velit, prohibere poſſit: partim liberalis muneris allati largitio, qua redimere optat præcedentem viri ſui culpam, quam quaſi ſuam ſibi tribui, ſibi ignoſci, ac condonari precatur. Et quoniam parua hæc gratia reputari poterat, triplicem illi à Deo mercedem pollicetur.

c Abul. q. 10

XLIII. *Eius triplex merces huius veniæ gratia.*

d verſ. 28.

Et primum quidem quaſi vaticinans, regiam dignitatem, & familiam ei prædicit,[d] non exigui temporis, vt Saulis domum, ſed ſtabilem & conſtantem, fidelem Deo & ſibi; quod iure ſperandum ſit ei; quoniam non niſi pro iuſtitia bellum gerit, ad Domini gloriam, & Reipub. vtilitatem. Ex quo ſubintelligitur à bello contra Nabalem, totamque eius familiam, quod non poſſit non eſſe iniuſtum, & ab omni iniuſtitia & malitia, animum ipſi in omnem vitam auertendum eſſe. Secundo pollicetur ei mercedem paris apud Deum miſericordiæ & gratiæ, vt ſicut ipſe pepercerit inimico ſuo; & male de ſe meritum, immunem à merita pœna abire permiſerit; ita Deus eum liberum ab hoſtium ſuorum conatibus reddat, ſtabili vitæ diuturnitate florentem; inimicos autem eius vagos, profugoſque, tanqaum lapides è funda rotatos, & circumactos. Tertio pacem conſcientiæ, & tranquillitatem ſpondet;

quæ alioqui in medio gaudiorum, & proſperitatum ſuarum eum perturbatura, & lancinatura eſſet; propter vltionem in propria cauſa ſumptam. Cuius rei eo maiorem ſenſum habiturus ſit, quo ipſe mitiore ſit ingenio, & ſponte ſua à fundendo humano ſanguine alieniore. Hæc autem omnia eum experientia probaturum ſignificat, cum ait eum memorem fore ancillæ ſuæ, id eſt eorum quæ ipſi Abigail hodie quaſi coniectando prædixiſſet.

XLIV. *Dauid exoratur ab Abigaile.* David autem intimis affectus ſenſibus oratione Abigailis, [a] quam libenter, ſine vlla interpellatione, auribus accepit, animiſque; diuinæ prouidentiæ gratias agit, de ſuſcitata hac muliere, cuius mitiſſima oratione flexus eſſet, & a cogitato ſcelere abductus. *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Iſrael, qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, 5 & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea;* qui ſciam illi reſeruandam eſſe vindictam qui ait, *mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore.* [b] vnius porro eiuſdemque boni, & reuocationis à ſuſcepto facinore Deum agnoſcit authorem, vt cauſam primariam, & Abigailem, vt inſtrumentum, ideoque ſubdit, *Alioqui viuit Dominus Deus Iſrael, qui prohibuit ne malum facerem tibi; niſi cito veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam mingens ad parietem.* id eſt Nabali, eſt enim dandi caſus, alii legunt *de Nabal*, ſiue de familia eius, vel canis, vel maſculus humani generis.

[a] c.25.v.32. 5.v.33. [b] Deu 32.35

Et accepit munera. *Suſcepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei: dixitque ei, vade pacifice in domum tuam, ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam.* Feci te videlicet voti compotem, acquieui poſtulatis tuis, ob honorem, & amorem tui. Vice verſa confundere faciem alicuius quidpiam poſtulantis, eſt ei recuſare poſtulata, ex quo fiat vt poſtulans confuſus abſcedat. [c]

[c] 3.Reg.2.20.

XLV. *Redit ad virum tũ ebrium.* Venit *autem Abigail ad Nabal, & ecce erat ei conuiuium in domo eius, quaſi conuiuium regis*, [d] propter ciborum abundãtiam, & conuiuarum multitudinem, quamuis Abigail non pauca in munus ſuſtuliſſet: vt intelligas, quod ante dixi, hominem præpoſtere parcum & profuſum. *Et erat cor Nabal iucundum* præter ſolitum, ex copia nimia cibi potuſque, *erat enim ebrius nimis.* Sapiens autem Abigail cedens vino, & agnoſcens importuniſſimum admonitioni tempus, *non indicauit ei verbum puſillum, aut grande vſque mane;* ne forte pro innatæ acerbitate naturæ, ac morum, ex nimio vino in furorem verſus, ea faceret, quæ Dauid facturus erat, ſicque extinctum vna ex parte incendium, ex altera inflammaret. *Diluculo autem*

[d] c.25.v.36

Eius ſtupor *cum digeſſiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua verba hæc, & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.* 6. Hæſit ſcilicet ſtupore perculſus, ſine ſenſu propemodum & motu, præ timore & apprehenſione mali, in quod tantum non deueniſſet Nec legitur aut Deo, aut vxori gratias egiſſe, aut morum emendationem aliquam promiſiſſe.

6.v.37.

XLVI. *Nabalis mors.* Qvanqvam ne diuturnior quidem ei ad emendationem vita ſuper fuit, *Cum enim pertranſiſſent decem dies*, [e] *percuſſit Dominus Nabal*, ſiue peſte, ſiue quauis alia plaga, vt ait Abul. *& mortuus eſt.* Caiet. vult dici percuſſum à Deo, ad tollendam ſuſpicionem humanæ interfectionis. Lyranus, ad ſignificandum non fuiſſe mortuum morte naturali, ſed accelerata Dei vltione. Ioſephus de hac morte, *ſequenti vero die*, inquit, *poſteaquam ſobrio rem totam expoſuiſſet, in tantum mœrorem eum coniecit, vt toto corpore ſideratus, decima poſt die mortem obiret.* Sideratum vocat Gelenius. quaſi noxii ſideris afflatu percuſſum, nulla morbi extrinſecus apparente cauſa, græcè habetur, τὸ ἐν αὐτῷ νεκρωθῆναι τὸ σῶμα, totum in ipſo corpus emortuum: iuxta hebræos & Septuag. Ita vindicauit Dominus famulum ſuum Dauidem ab iniuria Nabalis, cuius & duriciam, & inhumanitatem, & ebrietatem caſtigauit. Dauidem autem à perpetrando facinore, ob quod toto regno male audiſſet, tanquam prædonum anteſignanus, & ſicarius, ſingulari fauore prohibuit.

[e] c.25.v.38

XLVII. *Lætatus inde Dauid, & quatenus.* Ideoqve lætatus eſt Dauid, non de ruina eius, ſed de diuina iuſtitia; & à ſe vitato nunc, & in poſterum tot cædium, tantæque vaſtitatis periculo; nam fieri poterat vt leui quapiam occaſione recrudeſceret dolor, quem vindicta ſequeretur. & lætus ait, [f] *Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrii mei de manu Nabal.* Nec iudicauit ſolum, ſed debitam etiam pœnam de ſonte repetiit, *& ſeruum ſuum cuſtodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius.* Sicque vere

[f] c.25.39.

dicere potuit Dauid [a] *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis:* Quia enim non reddidit malum pro malo, & meritum apud Deum, & pacem conſcientiæ conſecutus eſt, & in diuina prouidentia lætatus eſt. De malo autem Nabalis, vt malum eius fuit gaudere non potuit; id enim ab odio proficiſcitur, & animum offenſione adhuc exulceratum ſapit.

a Pſal. 7. 5.

Cæterum Dauid animaduerſa in Abigaïle eximia virtute atque prudentia, quam etiam venuſtatis comitabatur decor, ſublato iam impedimento contrahendi cum ea coniugij, eam ſibi vxorem miſſis nunciis poſtulauit. Quantum autem temporis interiectum fuerit, traditum non eſt. Vnum atque alterũ menſem luctui datum exiſtimare par eſt. Certè pleriſque in locis, quæ ante elapſum annum ad nouas conuolant nuptias nota non carent, vt infra in nuptiis Bethſabeæ dicemus. [b] At matrimoniorũ cauſa laxior erat apud Hebræos, propter diuortia, & vxorum multitudinem. Poſt duos ergo circiter menſes, expleto luctus tempore, miſit Dauid nuncios ad Abigaïlem, qui ei nuptias cum Dauide offerrent. In quas illa non ægrè conſenſit, intelligens ſe ad longè maiorem dignitatẽ, & multo melioris coniugis conſuetudinem vltro vocari. Itaque magna cum reuerentia, animique ſummiſſione oblatum honorem amplexa eſt. Sic enim Scriptura loquitur. *Quæ conſurgens adorauit prona in terram*, & quaſi præſentem alloqueretur Dauidem, ait *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.*

XLIII. *Petit Abigail vxorẽ.*

b an. Dauid 19. n. 16.

Qvo illi accepto conſenſu, rem quamprimum in deſertum referunt ad Dauidem, aliqua nunc quiete à Saule fruentem; & ſcilicet intelligendum eſt prudentem fœminam aliquid temporis poſtulaſſe, quo pararet ea, quæ ſibi ſuiſque, ad hanc celebritatem conuenire videbantur. Itaque quod feſtinaſſe dicitur, ac ſurrexiſſe Abigaïl, non ad repentinam ac ſubitam profectionem cum nunciis referendum puto, ſed ad diligentiam adhibitam in ſe ſuiſque præparãdis, ad omnem nuptiarum apparatum, qui ſæpe multi temporis eſt. Nam quod mox dicitur ſecuta nuncios, non ita accipitur, quod illos primos habuerit comites itineris ſui, ſed quod illi præceſſerint aliquanto tempore, ipſaque deinde ſe in viam cum pediſſequis dederit, vtique & cognatis, & famulis; & nonnullis de cohorte Dauidis, nuptias principis ſui cohoneſtatibus. Et Ioſephus author eſt eam cum omni ſuo apparatu & cultu veniſſe. Paratis ergo diligenter omnibus quæ ad nuptias, & ad vitam campeſtrem erant neceſſaria, eiſque præmiſſis, *aſcendit* ipſa *ſuper aſinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pediſſequæ eius,* 7 *& ſecuta eſt nuncios Dauid, & facta eſt illi vxor.*

XLIX. *Et impetrat*

Parantur nuptiæ.

7. ✕.

Sed *& Achinoam accepit Dauid de Ieſraël.* Ioſephus autem ait ex Abeſaro oppido oriundam, quod oppidum nuſquam in ſacris literis, aut apud Hieronymum, vel Adrichomium reperitur. Ieſraël autem nobilis erat ciuitas in tribu Iuda: *& fuit vtraque vxor eius.* Ioſephus ait Achinoam ante ductam fuiſſe à Dauide: cui ſententiæ fauet, quod libro ſequenti [c] Ammon primogenitus Dauidis, filius Achinoam fuiſſe dicitur: & vbicumque de vxoribus Dauidis agitur, Achinoam primo loco nominatur. [d] Itaque non recte Comeſtor tertiam hanc fuiſſe tradit. Abulenſis quoq; prius ductam putat Abigaïlem quam Abinoam, [e] ſed rectius Achinoa præcedit Abigaïlem. Minime tamen dubium eſt quin primo loco ponenda ſit Michol, non ſolum dignitate, ſed etiam tempore; ſed ſterilitas eius illi obfuit ne cum cæteris cenſerentur. Eam Saul in diuturna Dauidis abſentia dedit Phalti, filio Lais, 8 qui erat de Gallim ciuitate tribus Beniamin, cuius meminit Iſaias. [f] Erat quoq; alia Gallim in tribu Ruben, ſed Saul qui erat de tribu Beniamin, in ſua tribu filiam ſuam nuptui dedit. Refert autem ex Hebræis Lyranus Micholem ab illo Phalti intactam cõſeruatam, quod eam alioqui rurſus in coniugem Dauid accepturus non erat. Id refertur apud Hiero. in tradit. Quod mihi non ſatis Hebræi probant, neque Abulen. [g] Id enim valet in repudiatis vxoribus, vt conſtat ex Ierem. [h] non in Michole quæ repudiata non fuit.

L. *Altera eius vxor Achinoa.*

c l. 2. Reg. 3. 2.

d 1 1 v. 27. 3. & cap 30. 5. 1 par. 3. 1.

e q. 16. in ca. 25.

8. ✕.

f cap. 10. v. 30.

g q. 19. & 10 in c. 25. & 1. q. 13. in c. 3. l. 2. Reg.

h c. 3. 1.

Itaqve non caruit culpa Michol, quæ viuente marito conſenſit accipere virum alterum, ſimulque facta eſt duorum virorum vxor; quod eſt contra legem naturæ, & rationem matrimonij, neque poteſt dici Dauidem à Michole repudia-

LI. *Prima omnium Michol.*

ſecundum ius connu- gii quale.

tum, ſiue quia id ius mulieribus nunquam fuit, ſiue quia Michol diligebat Dauidem, ideoque inuita alteri viro à patre tradita eſt; ſed non debuit aſſentiri adulterino coniugio, ne morte quidem propoſita. [a] Itaque in adulterio vixit, donec à Dauide reuocata eſt. [b] ac ne Phalti quidem alterius viri vxorem; ſibi potuit copulare coniugio; quamuis enim illam nollet attingere, hoc ipſo tamen quod eam haberet in domo ſua, cenſeri omnino poterat vulgò, ea tanquam vxore vti; itaque Michol infamiam ſubibat adulterij. Hoc autem ipſo quod illam poſtea dimiſit inuitus & plorans, intelligi poteſt, eum non retinuiſſe illam duntaxat, vt regi gratificaretur: vt pluribus diſputat Abul. loc. cit.

a Abul c. 18. & 19 in c. 25.
b 1. Reg. 14.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2977. SAVLIS 16.

1. N. II. SEctarii quoq. in hac ſunt ſententia, in quibus Sethus Caluiſius, Heluicus, Codomanus, Capellus, ſecutus Clementem Alexand. & alii.

2. Ibid. Hebræi in Seder holam c. 13. quos ſequitur Genebr. in Chron. aiunt Samuelem mortuũ 4. menſibus ante Saulis obitum, ſed probant ineptiſſimè, quia ſcilicet 4. menſibus Dauid manſit apud Philiſthæos. Itaque ponunt Dauidem ſtatim à morte Samuelis abiiſſe ad Philiſthæos, quod probare non poſſunt. Imo ſequendo ſeriem narrationis Scripturæ, interiecta eſt res geſta cum Nabale, ſecuta mors eius, & luctus, & Abigailis nuptię, quæ non parum ſibi temporis vendicant; quo tempore Saul fractus recẽti humanitate, & clementia Dauidis erga ſe, eum quietum reliquit, donec à Ziphæis incitatus, ad priorem reuertit inſaniam. Gordonus noſter vtrumque eodem anno mortuum putat, c. 9. chron. n. 10. Idque firmari poteſt ex Ra. Dauid, qui ait 7. menſes inter vtrumq. funus interceſſiſſe: in theſ. heb in voce [illegible] Ego perſto in ſententia, neq. Clementem & Ioſephum deſero.

3. N. XXVI. Perſpicuum eſt contemptim fieri interrogationem hanc à Nabale, nec cauſa noſcendi Dauidem, ſed inſultandi. Ioſephus autem neque græco, neq. hebræo conſentiens. *Percōtatus*, inquit, *quis eſſet Dauid, vt audiuit eſſe Ieſſei filiũ*, &c. Neſciebat videlicet Nabal Dauid, qui iamdudum eodem in deſerto morabatur, & à multis annis toto regno celebrabatur: vt ſi qui alij eſſent Dauides, adiectione patris agnoſcendi eſſent & diſtinguendi; non hic, qui patre notior erat & clarior. Quod item dixit Nabal de ſeruorum multitudine, prout habetur in hebræo, & græco, id Ioſeph. pro arbitrio mutans, *Nunc*, inquit, *fugitiui relictis dominis, inſolenter, ac ſuperbè ſe gerunt*, μεγαλοφρονοῦσι, καὶ σημειοῦνται. At 70. πεπληθυμμένοι εἰσὶν οἱ δοῦλοι.

4 N. XXIII. Ea verba, *& tu benefacies ei*, gloſſema quoddam fuit, quod illam recordationem, beneficentiam interpretaretur. Quod mirum eſt à Toſtat. non animaduerſum, q. 12. in c. 25. cum tamẽn hoc loco hebrẹum textum conſuluiſſet. Nec ſatis congruit huic tempori, aut loco iſta petitio.

5. N. XLIV. Septuag. habent εὐλογητὸς ὁ τρόπος σου, modus & agendi ratio, in hebræo Arias vertit *diſcretio tua*, Vatab. *prudentia tua*, Tigurina, *gratiam habeo moribus tuis feſtiuiſſimis*. non bene. Laudat enim apte & congruenter loco & tempori loquentem ſapientiam, non mores.

6. N. XLV. Hunc tantum ſtuporem Rabbini tribuunt triſtitiæ, quod ſibi videretur in paupertatem redactus. Apud Abul. ante q. 14. rectius multo dicatur timor; etſi is eſt de futuris rebus. Nam apprehenſio retrahit præteritum, & repræſentat; eoq. perculſus homo, ſtupet immobilis, quaſi ſenſu & vita carens; rerum autem iactura iram accenderet, non ſtuporem afferret. Recte dixerint Rabbini, *lumen oculorũ meorum & ipſum non eſt mecum*. Velamentum enim quod poſitum eſt ſuper eorum oculos, non niſi per Chriſtum tolli poteſt.

7. N. XLII. Dubium eſt an hæ pediſſequæ pedibus iter confecerint. Id videtur ex hebræo affirmari poſſe, idq. putat Abul. & breuis erat via, & vnius tãtum aſini fit mentio, qui honoris cauſa dominæ deſtinatus erat.

8. N. I. Corrigendus eſt Ioſephi textus græcus & latinus: in illo enim legendum eſt τῷ Φαλτιῷ nō Φαλτίου, in latino vero *pater Phaltiæ Liſi filio elocauit* non vt ibi legit *Liſo Phaltiæ filio*. Id enim falsũ eſſe ex hoc loco, 1. Reg. 25. 44. & 2. Reg. 3. 15. perſpicuum eſt.

ANNVS MVNDI 2978. DILVVII 1322. 5ᵉ. ÆTATIS. 39
EXITVS AB ÆGYPTO 435. ARCÆ IN CARIATH. 38.
Savlis regis 17. Abiatharis. Pontif. 4.
Davidis 29. Troiæ 107. Dercylli 28. Imper. Assyriorvm 1047.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1075.

I. *Nonnulla Dauidis quies, & ratio temporis.*

ADmirabilis Dauidis in regem ſuum, quantumuis male de ſe meritum, manſuetudo & charitas, non ſolum in præſentia lacrymas illi, & vocem veræ confeſſionis expreſſit: ſed in plurimos etiam menſes incenſam illius interficiendi cupiditatem extinxit, vt ratio poſtulat, & ſilentium Scripturæ, quæ omnia Dauidis geſta exacte perſequitur, abunde loquitur. Quo tempore defunctus eſt Samuel, & Dauid deſerta loca incoluit, multa cum Deo familiaritate vſus eſt, pſalmos in eius laudem, & miſeriarum ſuarum deplorationem plurimos edidit; & decantauit ipſe primus, ſiluas diuinis laudibus aſſueſcere; eaſque iucunde reſonare docens. Eodem etiam tempore quæ de Nabale, & Abigaïle narrata ſunt, contigerunt. Quibus ſi etiam nuptias Achinoam adiunxeris, facile hæc totum præcedentem annum abſumpſiſſe concedes. Nam quod hoc anno vnctum fuiſſe Dauidem à Samuele in medio fratrum eius, cum attigiſſet vigeſimum nonum ætatis annum affirmat chronicum Hebræorum, [a] vehementer errat, vt non ſemel diximus, & quidem neceſſario, propter biennium tantum tributum regno Saulis, & 20. annos arcæ in Cariathiarim. Nos autem hunc decimum [b] à prima Dauidis vnctione numeramus annum, apta, & vndique cõgruente cum Scriptura chronologia.

Inepta Hebrarũ chronologia

a Seder olica. 13.

b an. Dauid 20.

II. *Saul redit ad ingeniũ.*

Cvm autem beneficii memoria benefactoris abſentia ſenſim obliteraretur; & interim viueret in pectore acerbiſſimus ille dolor amittendi regni in ſua familia, quod iam vndique probe ſtabilitum videbatur; & tantum malum ex vnius hominis morte pendere intelligeret Saul, eoque ſublato tuta ſibi, ſuiſque omnia futura perſuaſum haberet; ſæpe de illo perdendo mentem ſubibat cogitatio, ſæpe recurſabat voluntas. Et quamuis ſe iniuſtè, atque ingratè facere & intelligeret, & fateretur ipſe; regnandi tamen cauſa, vt capitalis ille Etheocles, [c] & ſecundum eum Iulius Cæſar, ius violari poſſe arbitrabatur: cæteris rebus pietatem coli oportere. Cum ergo hæc vulgo ignota non eſſent. (Nam quæ ab aliquot annis Saul contra Dauidem perpetrarat, in omnium oculis geſta fuerant) Ziphæi eius cupiditati, quaſi vnguis in vlcere, oportune adfuerunt, & aliquo modo alternantem, in deteriorem partem perpulerunt.

c Cic. 3. offi.

III. *Inſtigantibus Ziphæis & quare.* 1.

Ziphæi ergo ſibi male conſcij, & Dauidis inimici vltro facti, futuram eius felicitatem, quam vel ex ipſo Saule audire potuerant, dũ nuper cum Dauide loqueretur, vitamque ſe illi debere fateretur, ſibi pernicioſam fore arbitrabantur. Itaque quem iam vulnerauerant, occiſum volebant, vt eius morte tuti ab infamia, periculoque viuerent. Opportunè igitur & ſibi, & Sauli venerunt Ziphæi, quos etiam mouebat, quod magnam à Saule gratiam erant inituri: venerunt autem in Gabaa, vbi habitabat Saul dicentes, *Ecce Dauid abſconditus eſt in colle Hachila, quæ eſt ex aduerſo ſolitudinis,* id eſt in extremo deſerti [d] ad dexteram illius partem. Quo accepto nuncio non dixit Saul Ziphæis: Quid fruſtra turbatis quietem meam, dum mihi gratificari conamini? & ſuadetis ea moliri quæ fieri nequeunt, ea mouere quæ ſunt immobilia, ea comprehendere quæ attingi non poſſunt. Quoties ego ſpe irrita eam prædam perſecutus ſum, nec quidquam præter dedecus acquiſiui? Nuper captus erat cum ſuis, nec vllum patebat effugium, num capti potuere capi? Et quis niſi egregiè improbus, mihi author ſit, vt eius vitam quæram, cui debeo meam; cum coner morte mulctare, qui oram mihi chlamy-

2. *Quoi à Saule cohibitus oportuit.*

d ſupr. c. 23. 19.

dis abſcidit, cum poſſet caput. Non ſic ille non ſic, non tanta male ſano ſapientia.

IV. *Exit contra Dauidem.*

SVRREXIT enim *& deſcendit in deſertum Ziph, & cum eo* illa *tria millia virorum de electis Iſrael*, [a] *vt quæreret Dauid in deſerto Ziph, & caſtrametatus eſt in Gabaa Hachila*, id eſt in colle, ſiue excelſo loco, vt vndiq. circumſpicere liberius, & hoſtẽ quamuis in partem ſe mouentem videre poſſent. Non enim Gabaa hoc loco proprium eſt nomen, ſed commune. Interim autem dum Ziphæi Saulem adeunt, Dauid inſpirante Domino, ex eo colle migrauit in interiorem ſolitudinem, ſicque confuſi ſunt Ziphæi, non reperto Dauide, vbi eum latere dixerant; ibique inaudiuit Saulem veniſſe in deſertum, *Videns*, ait, *quod veniſſet Saul poſt ſe in deſertum, miſit exploratores, & didicit quòd illuc veniſſet certiſſime.* Poteſt etiam hic locus propter illud *videns*, quod conſtanter habetur in omnibus linguis ſic explicari. Cum Dauid per ſpeculatores ſuos à longe vidiſſet turbam cum Saule venientem, ſuſpicatus quidem eſt quod res erat, id tamen propter loci diſtantiam, non erat ſatis exploratum. Nec putabat fortaſſe Dauid Saulem oblitum eſſe accepti à ſe nuper maximi beneficij, vt iterum eundem furorem furere animum induxiſſet: ſed mox emiſſis exploratoribus, certiſſime, & abſque vlla dubitatione cognouit adeſſe regem.

Quod reſciuit Dauid, per exploratores.

[a] vide ann. Saul. 15 n. 3.

V. *Et adit ipſemet clam Saulem, poſtquam à longe explorauit.*

ET *ſurrexit Dauid clam, & venit ad locum vbi erat Saul.* Id factum ementito habitu Lyranus exiſtimat: dici etiam poſſet veniſſe per fidos exploratores; quibus tanquam ſibimet ipſi fidebat; ſicut ſupra diximus vidiſſe per ſpeculatores. Sed videre etiam potuit tentorium, ex tuto & remoto aliquo loco, vt vult Abulenſ. [b] & agnoſcere id ad regem pertinere, eique in proximam noctem ad dormiendũ præparatum eſſe. Vidiſſe quoque illi vicinum Abneris tentorium. Dormientes autem in tentorio, hoc ipſo quod erant in tentorio à longe videre non potuit, aut priuſquam in caſtra deſcenderet, ſed dormientes vidiſſe dicitur, quia reuera dormiebant, & ipſe nullum ibi motum animaduertebat; magnam quoque populi partem circumfuſam iacentem videbat, vt ſolent qui ex defatigatione quieſcunt, aut dormiunt, putauit eos dormire, ſicut reuera dormiebant; Itaque factus animoſior ſtatuit ad ipſa caſtra Saulis penetrare. Et conuerſus ad viæ comites Achimelechum Hethæum, & Abiſai filium Saruiæ, fratrem Ioab, proptereaque ſuum ex ſorore nepotem. *Quis deſcendet*, inquit, *mecum ad Saul in caſtra?*

[b] q. 5. in c. 26.

VI. *An temere adierit, aut potius Dei inſtinctu.*

AVDAX omnino facinus aggreditur Dauid, & quod, rem ex humanæ prudentiæ regulis metientibus, etiam temerarium videri poſſit, & ad Dei tentationem pertinere; cum ſine neceſſitate in illud ſe periculum coniiciat, vnde humanitus ſe expedire non poſſit. Nam prodigij inſtar eſt in caſtris regiis, neque prope regẽ, neque remotius aliquanto ab eo, vllum fuiſſe excubitorem qui vigilaret, vel ad eius ingreſſum in caſtra leuiter expergefieret, vt contingit iis qui dormiunt inuiti, & clamore ſocios expergefaceret, à quibus circumfuſi, gladiis momento confoderentur. Dormiebant illi quidem omnes reuera, & grauiſſimo diuinitus oppreſſi ſomno iacebãt; verum id ignorabat Dauid; neque prudenter ſibi perſuadere poterat ita rem habere. Neque enim videre potuit omnes dormientes, ſed aliquos duntaxat, itaque dicendum videtur cum Abulenſi. [c] Dauidem ſine dubio grauiſſimo ſe periculo expoſuiſſe. Non peccaſſe tamen, quia ad tam arduum opus diuinitus mouebatur; & ſe ab eo ad id ſuſcipiendum impelli ſciebat. Qui autem ſpiritu Dei aguntur, communi legi non ſubiacent, vt docet Apoſtolus. [d] Volebat autem Dominus, iterato clementiæ miraculo, glorioſum apud omnes, & amabilem reddere Dauidem; & Saulem autem grauiſſimo pudore confundere; qui talem virum, & talem erga ſe, ingratiſſimus morti tradere nefario ſcelere moliretur.

[c] q. 5. in c. 26.

[d] Gal. 5. Rom. 8. 14.

VII. *Cum vnico ſocio in caſtra venit, & cur.*

NIHILOMINVS Dauid cum duos ſecum haberet ſocios, & vtrumque animis, viribuſque, fortiſſimum, & ſine dubio expeditum ad iaciendam eandem aleã; ex prudentiæ tamen legibus cum vno tantum in caſtra irrepere ſtatuit. [e] Cum enim pugnandum non eſſet, ſed ſumendum aliquod ſignum, quo ipſum in caſtris fuiſſe probaretur, & regem in ſua poteſtate habuiſſe, eo tutius dormientiũ caſtra adiri potuerunt, quo à paucioribus adirentur; plures enim facilius ſtre-

[e] Abul. q. 6. & 7. in c. 26.

pitum edunt, quam pauciores. Nec tamen ſolus ire voluit, ſiue quia animus ex ſocietate creſcit, viri præſertim egregij, & cui tuto fidere poſſis: ſiue quia voluit dominus Dauidem ſecundò oſtendere, non ſolum habere ipſum ſatis animi ad abſtinendum à cæde hominis inimiciſſimi, atque nocentiſſimi; ſed ad aliũ quoque ab eodem facinore reuocandum. Cum ergo quæſiſſet Dauid vter deſcenſurus eſſet ſecum in caſtra, & contigiſſet Abiſai priorem reſpondere, illo aſſumpto, alterum iuſſit eorum reditum præſtolari.

a l.1. Reg. 26.7.

VIII. *Abiſai optat Saulem interficere.*

VENERVNT *ergo Dauid* [a] *& Abiſai ad populum nocte*, nec ignes per caſtra deerant, & iam ante noctem loca notauerant dudum ſibi nota, *& inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & haſtam fixam in terra ad caput eius: Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius.* Tanta opportunitas temporis ac loci, ipſaque regis haſta ad facinus inuitabant. Motus itaque Abiſai, Dauidi ad aurem inſuſurrat, *Concluſit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas; nunc ergo perfodiam eum lancea in terra ſemel, & ſecundò opus non erit.* Non auſus eſt Abiſai tantum facinus iniuſſus aggredi; etſi putaret Dauidem non alia de cauſa in regis tentorium veniſſe; nec iam vltra velle parcere illi, qui poſt tam inſigne beneficium, ab eo acceptum nuper in ſpelunca, non dubitaſſet iterum ei mortem aperte totis caſtris machinari; quique perſpicuè doceret deſperatam eſſe eius hominis ſanitatem, qui tanto accepto beneficio, furere non deſineret aduerſus benefactorem. Sed Dominus, qui aliam Sauli mortis viam parabat, non permiſit, vt auderet Abiſai ex tacita & interpretatiua vt aiunt voluntate, Saulem confodere; ſed cohibuit impetum, vt linguam prius moueret quam manum, & ſic pro conſenſu prohibitionem acciperet.

Repugnat Dauid.

b l. 3. offic. c.2.

IX. *Mirabili virtute, ex Ambroſ.*

MIRATVR hanc Dauidis virtutem S. Ambroſius, [b] & maiorem oſtendit quam Philoſophia ethnicorum ſuſpicari poſſet, quæ pene apicem virtutis putet, etiam ſpe impunitatis, & ignorationis propoſita, non peccare, contra quam feciſſet Gyges cum annulo ſuo. *Quid mihi opus eſt*, inquit, *figmento anuli, cum poßim docere ex rebus geſtis, quod vir ſapiens cum ſibi in peccato non ſolum latendum, ſed etiam regnandum videret, ſi peccatum admitteret: contra autem periculum ſalutis cerneret ſi declinaret flagitium; eligere tamen magis ſalutis periculum, vt vacaret flagitio, quam flagitium, quo ſibi regnum pararet. Denique Dauid cum fugeret à facie regis Saul, cum eum rex cum tribus millibus virorum electorum ad inferendam necem in deſerto quæreret, ingreſſus in caſtra regis, cum dormientem offendiſſet, non ſolum ipſe non percußit, ſed etiam protexit, ne ab alio, qui ſimul ingreſſus fuerat, perimeretur.* Et infra, *Et cum hoc diceret, timebat tamen inſidias eius, & fugit, ſedem exilio mutans. Nec tamen ſalutem prætulit innocentiæ, cum iam ſecundò facultate ſibi tributa regis necandi, noluiſſet vti occaſionis beneficio: quæ & ſecuritatem ſalutis metuenti, & regnum offerebat exuli.* Hæc S. Ambroſ.

X. *Prohibet ei cædem Dauid,*

ET *dixit Dauid ad Abiſai, ne interficias eum; quis enim extendet manum ſuam in Chriſtũ Domini, & innocens erit?* Alia Dauidi mens, animuſque, quam Romano illi principi Sexto Põpeio, qui Nauarcho ſuggerẽti inimici mortem, factum, inquit, oportuit, non dictum. Viuente ſcilicet in pectore appetitu vindictæ, ſed tantiſper propter fidem datam retento, ac repreſſo. Vetat itaque Dauid Saulem interfici: neque enim in eam cædem poterat ſine crimine aſſenſum præbere, neque Abiſai eam vel exequi potuit, vel optare, vel ſuadere alteri ſine peccato, videlicet contra ordinem iuris, vt qui priuatus eſſet, nec vitam aduerſus inuaſorem tutaretur. Cum autem illi ius non eſſet occidendi, vel triobolarem hominem, quanto minus patrem ac principem populi, & principem ſuum, cui debebat timorem, honorem, amorem, & cultum; & principem diuina vnctione redditum ſacroſanctum, vt immane parricidium horribili ſacrilegio cumularetur. Erat in Saule ſatis ſuperque cauſæ vt occidi poſſet, ſed à iudice ſuo Deo, non à Dauide vel Abiſai: quod præclarè intelligens Dauid, nuper Saulem alloquens dicebat. *Iudicet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te; manus autem mea non ſit in te.* [c]

& merito

c c.24.v.13.
d hom. de Dauid & Saule.

XI. *Quod commendat S. Chryſoſt.*

TRIVMPHAT hîc de more S. Chryſoſtomus [d] circa Chriſtum Domini, quæ religio ſit prætermiſiſſe. Cum enim dixiſſet Dauidem non eſſe iis ſimilem, qui à Deo petunt, vt inimicum in manus ipſorum tradat, quin potius Deum orarit, ne permitteret vt in hoſtem, quem Dominus in manus eius tradidiſſe videbatur:

iniiceret manus, ſubiungit, [a] *Neque pepercit tantum, ſed etiam excuſationem pro eo proponit: vide vero quam prudenter, quamque ſapienter. Siquidem cum vitam Saulis perſcrutans nihil inueniſſet boni; ad dignitatem illius excuſationis cauſa confugit, dicens, quoniam chriſtus Domini eſt. Quid ais, inquiunt milites, quod ſceleſtus, quod ſceleribus opertus, ac vitiis innumerabilibus refertus, & in nos extrema cogitans. Non, ſed rex eſt, ſed princeps. ſed præſidentiam in nos ſuſcepit, neque tamen dixit, Rex eſt, ſed chriſtus Domini eſt:* [b] *non ab humano honore, ſed à cœleſti iudicio ſumpto honorifico teſtimonio. Contemnis, inquit, conſeruum tuum, reuerere Dominum. Aſpernaris electum, metue eum qui elegit*, &c. Et paulo poſt. *Nōdum Deus illum abdicauit principatu, nondum fecit eum ex rege priuatum: Itaque ne inuertamus ordinem; neque rebellemus Deo.* Hactenus ſanctus Chryſoſtomus.

a vid Abul 13 inc 24.

b Abul q. 11

XII. *Iurat Dauid ſe non interfecturum Saulē.*

VT autem perſuaſum haberet Abiſai Dauidem ex animo loqui, [c] & omnino nolle regem interfici; iuſiurandum adhibet, dicens, *Viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eum*, mortem illi afferendo violentam; ſine cuiuſquam hominum interuentu, puta fulmine, ruina, morbo inopinato, & ſimilibus: *aut dies eius venerit*, vt naturali neceſſitate moriatur, vt confectus ſenio, aut ex naturali indiſpoſitione, ad eam perueniat metam, quam ei Deus naturalem conſtituit, ſine cuiuſquam violentia, *aut in prælium deſcendens perierit*, Philiſthæorum ſcilicet manu, contra quos non raro ſuſcipiebat expeditionem; *propitius ſit mihi Dominus ne extendam manum meam in chriſtum Domini.* Quocumque modo contigerit eum mori, ſiue id agente per ſe, ſiue permittente Deo, nunquam Deo bene propitio, reus fiam cædis eius. Quo iureiurando factus eſt firmior in propoſito, ad quod alioqui ex iure communi obligabatur: vt quãuis millies Saul incideret in manus Dauidis, nec vnquam ab ipſo perſequendo deſiſteret, nunquam tamen eum occidere ipſi liceret; niſi ſi forte non poſſet aliter iniuſtam mortem ipſo inuadente euadere; ad quod præſens iuſiurandum non extendebatur, quod de aggreſſione erat, de qua hic erat quæſtio, non de defenſione ſui.

c vid. Abul. 9. & 10.

Quo vſu fructuque.

XIII. *Quam laudabilis Dauidis indulgentia; ex Chryſoſt.*

PRÆSERTIM autem, & ſuperiorem ei perſimilem Dauidis in Saulem indulgentiam egregiè depingit Chryſoſtom. homil. de Dauide & Saule; ex qua hæc quoque pauca mutuabor non ingrata lectori. *At hic fortaſſe*, inquit, *dixerit aliquis, Et quid magni, & quid miri parcere ei, quem in tua habeas poteſtate? Complures enim & alij reges ad principatum euecti, indignum ſe iudicarunt in tanto regni faſtigio, ab iis pœnas exigere, à quibus olim fuerant offenſi. Nam ipſa potentiæ ſublimitas cauſam affert reconciliationis.* Suggerit huius rei exemplum egregium hiſtoria Gallica, Ludouici duodecimi, Regis Galliarum, cui cum aliqui ſuggererent vt vindictam ſumeret de acceptis iniuriis, cum eſſet Dux Aurelianenſis, ſapienter magnificeque reſpondit, *non pertinere ad regem Galliæ iniurias vlciſci, quas Dux Aurelianenſis accepiſſet.* Pergit autem aurei oris antiſtes. *Verum in hoc negotio tale nihil poſſis dicere. Neque enim Dauid ad principatum euectus, neque regnum adeptus, ac Saulem in manibus habens ita demum illi pepercit, ne quis cauſari poſſit regni magnitudine dilutam fuiſſe iram: Sed cum ſciret fore, vt ille ſeruatus rurſus ad eadem rediret, & ipſe in grauiora pericula conijceretur, ne ſic quidem occidit. Profecto hunc cum illis ne conferendum quidem dixerimus. Siquidem illi quoniam habent certum tutumque pignus futuræ deinceps ſecuritatis, merito parcunt. Hic verò cum ſciret ſe hoſtem in ſuam ipſius perniciem dimittere, ac ſalutem dare inimico, haud tamen illum occidit*, &c.

Homil. de Dauide & Saule.

Lud. XII. rex Galliæ.

XIV. *Abit Dauid cū haſta & ſcypho regis.*

NVNC igitur, ait Dauid, [d] quoniam non licet, neque libet manum extendere in regem; & ea de cauſa venimus, vt manifeſto aliquo indicio probaremus habuiſſe nos in poteſtate noſtra regis ſalutem, ac caput, ab eoque ſponte noſtra abſtinuiſſe: age *tolle haſtam quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ, & abeamus.* Paruit Abiſai, & per eius manum, *tulit Dauid haſtam, & ſcyphum aquæ qui erat ad caput Saul, & abierunt; & non erat quiſquam qui videret & intelligeret, & euigilaret; ſed omnes dormiebant, quia ſopor domini* magnus nimirum, atque immiſſus à Deo, *irruerat ſuper eos.* Alioqui enim vigilaſſet aliquis profecto in tanto numero, aut certe euigilaſſet; nec impune in regis tentorium penetraſſet Dauid, aut ad ſuos reuertiſſet. facile autem fuit Deo pro arbitratu fumoſos vapores in cerebro ſingulorum intendere, & impedire omnes ſenſuum functiones; aut ſuum ſenſibus negare concurſum, ex quo fieret vt neque videre poſſent, neque audire, neq. ſentire.

Sopor Domini.

Et con-

Et conueniebat vt qui nimium erant vigiles ad malum alteri inferendum, in ſe ipſis à periculo & confuſione liberandis ſopirentur, cui etiam defatigatio ex difficili, & longo fortaſſis itinere ſeruiebat. Eſt enim probabile Saulem, qui incautum Dauidem opprimere cupiebat, magnis ad eum itineribus cucurriſſe.

a c.26.v.13 Cvmqve *tranſiſſet Dauid ex aduerſo*, [a] *& ſtetiſſet in vertice montis de longe, & eſſet grande interuallum inter eos, clamauit Dauid*: addit Ioſephus Dauidem intrepidè, & quaſi per otium inter ſopitos verſatum, partim nocturnis tenebris, partim propria fretum audacia; tranſgreſſumque torrentem, & conſcenſo montis vertice, vnde facile poterat exaudiri inclamaſſe, nec exaudiri tantum facilius, ſed etiam videri; & effugere, ſi quis perſequi vellet, priuſquam ad ipſum peruenire poſſet. *Clamauit ergo Dauid*, inquit Scriptura, *ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens, nonne reſpondebis Abner? Et reſpondens Abner, ait: Quis es tu qui clamas, & inquietas regem? Et ait Dauid ad Abner, Nunquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſrael.* Ita laudat, vt laus in eius opprobrium cedat. Cum enim & ſanguine, & dignitate eſſet regi coniunctiſſimus, vt qui eius patruelis eſſet, & princeps militiæ ipſius, ad quem regis cuſtodia vel maxime pertineret, ipſe tamen in eo munere vehementer deliquiſſet: vnde ſequitur, *Quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum regem?* Cæterum quæ de Abneris laude dicuntur, putant Vatablus, & Sa, ironicè dicta. Sed ſiue cum ironia, ſiue aliter dicta fuerint, dici poteſt hinc natam alienationem animi ipſius Abneris à Dauide initio regni eius, qua impediuit per annos ſeptem, ne totus Iſraël vnanimi conſenſu ſequeretur Dauidem: ſed reliquum eius clamorem audiamus.

XV. *Clamor Dauidis, & Abneris increpatio.*

Atque offenſio.

b c.26.v.15. Ostendit iure argui non rectè cuſtoditi regis, [b] *Ingreſſus eſt enim vnus de turba, vt interficeret regem dominum tuum*, Id de Abiſai intellexit Lyranus; & certe is hoc animo in caſtra, ac regium tentorium ingreſſus fuerat: verum non erat is aliquis de turba Saulis, de qua videtur locutus. Rectius tempus indefinite accipiatur in hanc ſententiam: potuit homo nihili ingredi ad regem, non ſecus ac nos ingreſſi ſumus, vobis neque prohibentibus, neque cogitantibus, & interficere regem, quod nos quoque poteramus, ſi libuiſſet. *Non eſt bonum hoc quod feciſti. Viuit Dominus, quia filij mortis eſtis vos, qui non cuſtodiſtis dominum veſtrum chriſtum domini.* Dominum ſuum non vocat, ſignificans haberi ſe, ac tractari tanquam hoſtem. Sed quomodo affirmat Dauid dignos morte regis cuſtodes, ob ipſum male cuſtoditum? nam diuinæ voluntatis quis reſiſtit? Communis eſt reſponſio, Caietani, Dionyſij, & aliorum, Dauidem locutum de culpa hac, ex natura rei, & lege communi, quæ morte afficit regiæ perſonæ cuſtodes, quorum negligentia ille periculum mortis adierit. Ex circunſtantia tamen diuini ſoporis in eos immiſſi, in conſcientiæ foro poterant excuſari, non ſolum à morte, ſed etiam à peccato.

XVI. *Reprehẽditur ob male cuſtoditum regem.*

Quomodo reus mortis propterea.

verſ. 16. Nvnc ergo, ne te immerito accuſatum putes, *Vide vbi ſit haſta regis, & vbi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput regis.* Hactenus Abneris & populi increpatio: quæ non eo ferebatur, vt illi ſupplicio afficerentur ob eam culpam, aut vt deinceps officio diligentius fungerentur, aut quod doleret ab iis eſſe peccatum, cum is ſomnus, in quo poſitum erat delictum, ei optabilis, ac neceſſarius & à Deo procuratus fuerit, vt facere poſſet, quod fecit. Sed vt Saul, ad cuius aures iſta pertinebant, agnoſceret primum in poteſtate Dauidis fuiſſe ipſum interficere, æquè ac haſtam ac ſcyphum auferre. Deinde vt ſuam pro ipſo ſollicitudinem oſtenderet, in obiurgando eos, qui in ipſo cuſtodiendo deliquiſſent, vt tanto eum alieniorem eſſe ab ipſo interficiendo Saul intelligeret, ſicque illi reconciliaretur. Deniq. niſi clamaſſet & obiurgaſſet ſeruos Saulis, ſed contentus fuiſſet haſtã auferre & ſcyphum, irritus fuiſſet hic Dauidis labor; neque ex hoc facto agnita fuiſſet eius in regem indulgentia; & aliquis innocens furti dãnatus eſſet. Rectè itaq. ac prouide facta ſunt omnia: ab eo enim dirigebantur cuius ſapientiæ non eſt numerus.

XVI. *Quem ad finem hac reprehenſio, & clamor.*

l. 6. ant. c. 14. Antequam autem in hac hiſtoria prouehamur vlterius, nonnulla nobis indicanda ſunt, quæ in Ioſepho corrigenda videantur, qui pro colle Hachila, in quo caſtrametatus eſt Saul, ipſe Sicellam ſubſtituit, aut qui locum deſcribendo corrupit: nam in Septuaginta legitur ἐχελά, ſiue ἐχελάθ, non σίκελλα; alluſit fortaſſe ad Siceleg oppidum in Philiſthæorum ditione poſitum, quod mox Achis dedit

XVIII. *Nonnulla hic errata Ioſephi.*

Dauidi, vt habetur cap. ſeq. Quod etiam ſuperueniente nocte ibi caſtrameta-
2 tum dicit, non ſatis ei cum Scriptura conuenit, quæ Saulem in eo loco caſtrame-
tatum dicit, vbi Zipheni retulerant abſconditum eſſe Dauidem. Sed Ioſephum
fefellit quod Scriptura in omnibus linguis meminit viæ, intelligens caſtra Saü-
lis, quæ erant in Hachila, vſque ad ingreſſum deſerti fuiſſe protenſa, cum Da-
uid interiora teneret. Non ergo ibi ex neceſſitate ſuperuenientis noctis, ſed de
induſtria caſtra poſuit.

XIX. 3. *Alia eiuſdẽ errata.* Corrigendvs etiam quod Dauidem in caſtra cum duobus ſociis veniſſe di-
cat Abiſæo & Abimelecho, Scriptura clariſſime repugnante, quæ cum duobus
quidem de ſuis latebris egreſſum nunciat, ſed cum altero tantum, nempe Abiſai
nepote, in caſtra penetraſſe narrat. Quod autem alterum Abimelechum vocat,
non Achimelechum, à 70. accepit, non ab Hebræis: In quorum traditionib. ha-
betur illum fuiſſe Vriam, nimirum quia vterque cognomento dicitur Hethæus:
4. *Diſſimulat ſomnum à Deo immiſſum.* frigido ſane argumento. Corrigendus quoque quod Dauidem propria fretum
audacia in caſtris hoſtilibus per otium commoratũ dicat, malens eius ſecuritatẽ
audaciæ quam diuino auxilio, & prouidentiæ, qua fuerant conſopiti attribuere:
cum Scriptura dicat, *Et non erat quiſquam qui videret, & intelligeret, & euigilaret, ſed om-
nes dormiebant, quia ſopor Domini irruerat ſuper eos:* quo modo habent hebræi codices.
Chaldæus vocat ſomnum fortem à Domino. Septuag. θάμβος κυρίου, ſtuporem à Do-
mino. Aquila καταφορὰ vertit, quæ eſt grauis ſomnolẽtia, ſicut & κάρος Symmachi
ἔκστασιν habet Theodotio. Omnes certe diuinam cooperationem agnoſcunt, exce-
pto Ioſepho, qui vt Dauidis gloriam augeat, diuinam minuit, aut ſilentio diſſi-
mulat; quaſi diffitendum ſit & ſomnum, à ſomnia diuinitus immitti.

XX. *Agnoſcit Saul Dauidis vocem,* Cætervm ad clamorem Dauidis excitatus quoq. *Saul cognouit vocem Dauidis, &
dixit, nunquid vox hæc tua, fili mi Dauid?* Non eſt offenſus Saul in Dauidem, quod
cum non vocaſſet Dominum ſuum, ſed cum Abnere loquẽdo dixiſſet Domi-
num tuum; cum populo, dominum veſtrum. Nam ex ipſis factis intelligebat
hæc non fuiſſe dicta contemptim, ſed cum gemitu & querela, quod ſibi eiecto
atque extorri non liceret eundem habere dominum & regem, quem reliqui de
populo Dei; ſed quaſi Ammonita quiſpiam, aut Philiſthæus, ad alium regem
populumque pertineret: idque apertius ſequentia Dauidis verba declarant. Nõ
ſolum autem vocem cognouit, nam perſonam per tenebras videre non poterat,
ſed grauiſſimum etiam diſcrimen quod adierat, & par ei beneficium, quod à Da-
uide acceperat, agnouit; Itaque adamantina illa durities, tam violento lenitatis
Nouumque beneficium eius. ac manſuetudinis ponderi cedens, molleſcit ac flectitur; & teneram illam, du-
licemque è pectore, non ſine gemitu, excutit vocem: *nunquid vox hæc tua fili mi Da-
uid?* nunquid hæc illa vox, quæ olim tam ſuauiter cum lyra meis auribus accide-
bat, vt ea non meus ſolum furor, ſed dæmon ipſe miteſceret? Nunquid hæc vox
tua, fili mi, qui hoſtem teterrimum inſtar parentis habuiſti? fili mi Dauid, qui
iniuriis in te meis, quaſi totidem ingentibus laceſſitus beneficiis, non noces cum
poſſis; & eximiam inſuper ſalutis meæ curam geris; vt zelo eius incitatus in po-
puli mei, & inſuper principis militiæ offenſionem incurrere non reformi-
des, nunquid hæc vox tua, fili mi Dauid.

XXI. *Dauidis querela.* David autem cui mollia, & ad miſericordiam ficta viſcera, tam ſuaui regis ſui
appellatione momento delinitus, & quaſi mutatus in virum alterum, *vox mea,*
inquit, *domine mi rex.* Et apparet nonnullum hoc loco ſilentium conſecutum, ex-
pectante Dauide, atque auſcultante, ſi quid forte verborum rex adderet, ſed is
gemitu & lacrymis, vt nuper, præpeditus tacebat: cum Dauid præſenti occaſio-
ne vtens defenſionem innocentiæ ſuæ cum iuſtiſſima querela auſpicatus. *Quam ob
cauſam,* inquit, *Dominus meus perſequitur ſeruum ſuum,* non filium dixit, aut generum,
ſed demiſſionis cauſa, *ſeruum ſuum?* cui omnibus in rebus obſequi iucundum ac
glorioſum eſſe duxi. *Quid feci* hactenus, quò promererer indignationem tuam?
aut quod eſt in præſentia *malum in manu mea?* vt me quaſi perpetuo in perniciem
tuam imminentem, tu ipſe per te noctes dieſque perſequare? qui te iam ſecun-
dò, in poteſtate me poſitum, neque violare ſuſtinui, vindicaturus iniurias in me
tuas; & infeſtas meorum in te voluntates, ferrumque repreſſi quo mihi aditus a-
periebatur ad libertatem, & malorum meorum exitum aliquem, ac finem.

XXII. *Inquirit cauſam perſecutionis ſuæ.*

NVNC *ergo audi, oro, domine mi rex, verba ſerui tui.* Quoniam luce clarius eſt nullius me criminis eſſe reum; ac ne voluntatem quidem ipſam meam alieniorem à te factam eſſe, perpetua licet inſectatione laceſſitam, oportet vel Deum ipſum excitare te aduerſum me, quoniam *cor regis in manu Dei*, & qui innocens ſum apud homines, culpa non vaco apud Deum meum. Vel aduerſarios meos, vel te ipſum ſponte tua perniciem meam machinari: *Si dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium.* Id eſt acceptum ſit ei quod agis, ac ſi id eſſet ſacrificium in odorem ſuauitatis, ita Caiet. & Sa: vel vt Lyra. patientia mea in perſecutione iſta, ſit accepta corã Deo, ac ſi offerrem holocauſtum ad altare ipſius; & melius, quia perſecutio Deo grata eſſe non poteſt, ſicut patientia. Optime Abul. præſto ſum ad mortem ſubeũdam, quaſi victima Deo conſecrata in odorem ſuauitatis. Quæ vox eximiæ perfectionis, eſtac meriti ſingularis, hominis vltro admittentis aduerſa omnia, ipſamque adeo mortem, ad diuinam voluntatem exequendam.

Acquieſcit diuinæ animaduerſioni.

XXIII. *Cõqueritur de ſuis inimicis.*

a c.26.v.19 PERGIT Dauid, [a] *Si autem filij hominum, maledicti ſunt in conſpectu Domini*, Deus maledicet eis, quippe cui ingrata eſt iſta iniquitas, & in eius iniuriam cedit. Nam *eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini*, in terra Iſraël, quam Dominus populo ſuo in hæreditatem dedit, *dicentes, vade, ſerui diis alienis*, hoc autem non dicebant verbis, ait Theod. [b] ſed rebus cogebant facere. Idem habet & Procop. Significat ſe improborum artibus ac calumniis cogi, vt ſe ad populos incircunciſos, atq. idololatras conferat, cum periculo fidei, ac religionis ſuæ. Cum enim per eos nuſquã ipſi in toto regno Iſraëlitarum tutò conſiſtere liceat, ad Philiſthæos vel Ægyptios, aut Moabitas confugiendum erat; quod erat ex natura rei, adire diſcrimen deſerendi Deum verum, & amplectendi idololatriam. Et reuera Dauid præſenti periculo perfunctus ad Philiſthæos, vt mox dicetur, ſibi confugiendum putauit. In his autem inimicis minime dubium eſt fuiſſe Ziphenos, qui iam ſecundò Saulem, & verbo contra Dauidem incitabant, & manu ipſa ad eius perſcrutanda latibula deducebant. Fuiſſe & Doëgum, ſibi de morte ſacerdotum peſſimè conſcium: quo ex facto ſupplicium à Dauide, ſi is rerum potiretur, meritiſſimò formidabat. Suſpicari etiam fortaſſe liceat Abnerem non fuiſſe æquiſſimum Dauidi, veritum ne is in principem militiæ, ſe in ordinem redacto, eueheretur. Cui ſuſpicioni nonnullam proxima obiurgatio conciliat fidem.

b q.60.

Quinam illi fuerint.

An etiam Abner.

XXIV. *Saulis culpã in alios transfert.*

c Abul q. 22. in c. 26. TERTIVM diſtinctionis membrum non expreſſit diſtinctius Dauid [c] tanquam odioſum, & cauſæ ſuæ noxium; inclusit tamen in filiis hominum. Et reuera ipſe per ſe ferebatur aduerſus Dauidem; ipſe alios, etiam cum atroci querela, & coniurationis calumnia, contra eundem incitarat, ipſe vnus erat inſtar omnium inimicorum Dauidis, ipſe etiam vnus omnium grauiſſimam adeo perpeſſus eſt animaduerſionem. Infert autem concluſionem querelæ, & expoſtulationis ſuæ dicens, *& nunc non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino*, & quidem cum opprobrio & dedecore effundentis, *quia egreſſus eſt rex Iſrael, vt quærat pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus.* Vatablus hunc locum explicat in hanc ſententiam. Nunquam obliuiſcatur Dominus ſanguinis mei effuſi in terram ſi interficias me, ſed ſit ſemper in conſpectu eius, & requirat illud, & vlciſcatur. Sed hic ſenſus mihi admodum videtur alienũ à mitiſſimo & manſuetiſſimo Dauidis ingenio. Libet potius in mitiorẽ ſenſum & ſimpliciorem adducere non repugnantem hanc orationem; vt ſcilicet petat Dauid ne eo vel agente vel conſcio interficiatur, quia nimirum, rem humanitus æſtimando, indignũ ſit tantum principem tantulum aduerſarium ad mortem perſequi, & quidem tanta ferocitate, quanta rapaces aues ſolent perdicem in montibus perſequi.

XXV. *Saul culpã ſuam fatetur.*

d c.26.v.21. SAVL autem iamdudum commotus animo, [d] *Peccaui*, inquit, *reuertere fili mi Dauid.* Vides admirabilem heroicæ virtutis potentiam; cui inueteratum odium, inuidia, timor, ambitio, & omnes humanarum ægritudinum peſtes obſiſtere non poſſint. Videtur autem omnino Saul reſipiſcere voluiſſe; ſicut & nuper cum alterum in ſpelunca periculum euaſit; itáque ſentit Abul. [e] Sed merito ac prudenter Dauid inconſtantiæ toties expertæ fidendum eſſe non putauit; neque ex animo inuitãti ad reditum acquieſcendum. Periculum enim erat ne obiecto rurſum morbos animi concitante, in furorem iterum actus, hanc ipſam quam nunc habebat in poteſtate lanceam, fatalem experiretur ſemel: & iterũ, aut dæmone,

e q.24. in c.26.

aut hominibus inſtigantibus, ictu mortifero peteretur. Fruſtra ergo illa promiſſa tametſi regia, *Nequaquam vltra tibi malefaciam, eo quod precioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie*; quam ſcilicet tanquam rem precioſiſſimam conſeruare voluiſti, & præ illa viles duxiſti, & negligendas omnes iniurias in te meas.

XXVI. *Et accuſat vehementius, excuſatq. ignorantiam.*

Accvsat etiam ſe vehementius cum ait, *Apparet enim quod ſtulte egerim*, cum tanta contentione conatus ſum perdere amantiſſimum mei, & tamen ignorantiã excuſat, *& ignorauerim multa nimis.* Quod ſcilicet ei non licuerit per homines adulatores, inuidos, maleuolos, qui principum aures occupant, & veritati viam obſtruunt, veritatem agnoſcere; in quam ſententiam præclare Seneca. *Monſtrabo tibi cuius res inopia laborent magna faſtigia, & quid omnia poſſidentibus deſit. Ille ſcilicet qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à contemptu falſorum. Non vides quemadmodum in præceps agat illos extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſummiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quibus blandiſſime fallant.* Hæc ille ſapiens nimium verè. Epiſt. ad Lucil.

Principes, veritatis ignari ob adulationes.

XXVII. *Sæpe ignorant merita, & demerita ſuorum.*

Recte vtique fatetur Saul in perſona principum, ſi nobis quoq. philoſophari licet, ſe ignoraſſe multa nimis. Ignorant vtique multa nimis, cum & culpas improborum neſciunt; & merita proborum ignorant, vt illos debita pœna, iſtos iuſta mercede afficiant; quo fit vt illi impune volitent, iſti à bene agendo retardentur. Illi tenuioribus terrorem incutientes, eis quos oppreſſerint etiã intonant: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Cum ignorat princeps, qui vindex inſurgat, & Iobum imitetur, cuius eſt illa præclara confeſſio, [a] *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Et iſti dum hominem non habent à quo ſuſtententur, ſub miſeriarum pondere in ingrata obliuione franguntur. Ignorant multa nimis cum non intelligunt quanta ſeueritate magnus ille iudex viduarum, & orphanorum pater, pernicioſam iſtam ignorantiam caſtigaturus ſit, *ſedens in ſynagoga deorum, in medio autem deos diiudicans.* Ignorauit Saul multa nimis, aulicorum ſuorum inuidiam, Ziphæorum malignitatẽ, ſub ſpecie cõmiſerationis in ipſum, Doëgi calumnias, atque perfidiam, familiæ Dauidis innocentiam, ipſiuſq. Dauidis animum ab omni ambitione regni, & odio regiæ perſonæ liberum; & ſimul mirabili in ipſum amorere, uerentia, ſynceritate præſtantem.

a Iob. c. 29. 17.

XXVIII. *Dauid reſtituit haſtam.*

David autem minimè perſuaſus pericuſoſam iacere aleam, redeundo ad Saulem, primo reſtituit, quæ apud Saulem acceperat. Id enim iam perfectum erat, cuius cauſa illa accepta fuerant. [b] *Ecce haſta regis*, inquit, *tranſeat vnus de pueris regis, & tollat eam*, neque eam ſecum auferre voluit, ne videretur quaſi ſpolia hoſti abſtuliſſe, quod in regis contumeliam ceſſiſſet, [c] quem tamen Dauid nolebat offendere, nec quaſi hoſtem tractare. Eodem modo reſtitutum ſcyphum intelligendum eſt, etſi eius nulla facta eſt mentio. Deinde quaſi valedicens: *Dominus autem*, inquit, *retribuet vnicuique ſecundum iuſtitiam ſuam, & fidem.* Et vniuerſa perfidiam & iniuſtitiam caſtigabit, quam partem vt aſperiorem, & ſatis per ſe intellectam, omiſit, iuſtitiæ autem ſuæ, cuius non Saulem, ſed Deum ipſum remuneratorem ſperat, renouat in diſceſſu memoriam vt hæreat magis. *Tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in chriſtum Domini. Et ſicut magnificata eſt anima tua hodie in oculis meis: ſic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni anguſtia.* Alludit ad id quod dixerat Saul, precioſam fuiſſe animam ſuam in oculis Dauidis.

Et valedicit.

b c. 26. v. 22

c Abu. q. 37 in c. 26. 1. Reg.

XXIX. *Eius eximia lenitas.*

Vide autem iterum in hiſce verbis mitiſſimum Dauidis pectus, nihil cum ſtomacho, nihil ſine reuerentia loquentis apud eum virum, quem S. Chryſoſtomus immitẽ beſtiam vocare non dubitat. [d] Vide quomodo nihil exprobrat, nihil obloquitur, nihil imprecatur; excuſat potius regis culpam, quam in malos trãsfert conſiliarios. Sed mercedem à Deo tantum de ſua clementia, & moderatione animi ſibi pollicetur. Eodemq; modo ſuperius [e] cum oſtentaret oram chlamydis. *Sit Dominus iudex*, inquiebat, *& iudicet inter me & te, & eruat me de manu tua*, hoc autem loco generalius & tectius, *& liberet me de omni anguſtia.* Et hæc quidem fuerunt vltima Dauidis verba ad Saulem; cuius animum videntur admodum concuſſiſſe, cum dimidiata oratione, in modum grauiter lugẽtium abeunti reſpõdit.

Benedicitur à Saule.

d Hom. de Dauid & Saule.

e c. 24. v. 16.

Benedictus tu fili mi Dauid, & quidem faciens facies, & potens poteris, id eſt, res tibi ſuccedent ex animi ſententia, id enim meretur eximia virtus tua. Aut certe tectius
a c.24.v.21 dixit, quod aperte ſuperius, [a] *& nunc ſcio quod certiſſime regnaturus ſis*, & poteſtatem habiturus, quam reges habent in populis ſuis. *Abiit autem Dauid in viam ſuam* progreſſus cum Achimelecho & Abiſai ad reliquam turmam. *Saul autem*, vt illuxit, *reuerſus in locum ſuum*, in Gabaa ſcilicet ciuitatem ſuam.

XXX. *Cogitat philiſthæos*

Cæterum cum Dauid ſapienter animaduerteret non eſſe prudentis hominis ſe ſuoſque in perpetuo vitæ, rerumque omnium diſcrimine relinquere, & multa fortaſſe, vt in deſertis locis, rerum penuria laboraret, ſtatuit non ſolum inde, atq. omnino è tribu Iuda, ſed ab vniuerſo Saulis regno emigrare, & ad externas gentes, vt iam ſemel iterumque fecerat, proficiſci. Non vno die res cogitata, deliberata, & confecta eſt; inſinuarat ſe iam illa cogitatio Dauidi nuper cum apud Saulem expoſtularet; & cunctatus eſt aliquanto tempore fortaſſe, dum Saul in recenti beneficio Dauidem cum ſuis quietum eſſe patitur, memor illius promiſſi,
b c.27.v.1. *nequaquam vltra tibi male faciam*: Tandem autem dixit in corde, [b] *Aliquando incidam vna die in manus Saul.* Dominus enim, qui protector eius erat, ne incideret in Saulis manus, volebat etiam vt ex humanæ prudentiæ legibus, ipſe quoque ſibi caueret, & diuinæ prouidentiæ, quæ humanam exigit: cooperaretur. Pergit autem apud ſe conſultare, *Nonne melius eſt vt fugiam, & ſaluer in terra Philiſthinorum, vt deſperet Saul*, ſe poſſe me cõprehendere, *ceſſetq. me quærere in cunctis finibus Iſrael.*

XXXI. *Et deliberat cũ ſuis.*

Non eſt autem exiſtimandum leuem & tumultuariam fuiſſe hanc deliberationem, in qua de ſumma rei agi videbatur, & de committendis in manus hoſtium alioqui infeſtiſſimorum ſexcentis egregiis viris, qui ſe addixerant Dauidi. Adhibiti itaque fuerint in conſilium præcipui quique de toto numere, deinde conſultus dominus per pontificem, vt humanam prudentiam diuina proui-
Pſalm 10. dentia dirigeret, ac moderaretur. Ad hanc deliberationẽ pertinet Pſal. 10. in quo, vt recte notauit Ianſenius, colloquitur vir ſanctus cum ſociis & amicis ſuis, qui ei authores erant fugiendi, & ſedes identidem commutandi, ne per inſidias à Saule circumueniretur; potius videlicet quam ſeſe credere Philiſthæis, de quibus ipſemet Dauid, & plerique ipſorum, ſæpe male meriti fuiſſent. Dauidem apud regem Achis mortis periculum adiiſſe, itaque prouidendum ne non vitent periculum, ſed mutent, & fortaſſis in peius.

XXXII. *Pſalmos aliquot ſcribit hoc tẽpore.*

Qvibvs ille reſpondet ſe in Domino confidere, qui præſidium eſt, & perfugium ſperantium in ſe, quique maxime commendatum habebat eum, cui regnũ Iſraëlis nõ ſolum promiſerat, ſed ad illud iam initiauerat, regia Samuelis vnctione. Eo enim iam defuncto, nihil erat periculi, ad animandos ſuos, rem ipſam cõfiteri. *In Domino*, inquit, *confido, quomodo dicitis tranſmigra in montem ſicut paſſer, vel in montes*, vt habent Septuag. Hieron. & Auguſt, id eſt nuſquam conſiſte, de loco in locum, de monte in montem ſemper vagus demigra ſicut paſſer, aut quæuis auicula, cui inſidiantur aucupes. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra*, vt te, tuoſque, licet innoxios, in obſcura quapiam nocte interimant. At Dauid ad Deum ingemiſcens, ait eos diuina de ſe conſilia, quantum in ipſis fuit, deſtruxiſſe, nulla ſua culpa. Deinde noua fiducia de diuina prouidentia roboratus, eum ait in templo ſancto ſuo, in cœlis, ſedentem deſpectare hominum opera, atque conſilia, ea examinare, atque diſcernere, vt iuſtos protegat; impios autem calamitate, quaſi repentina pluuia, & dira procella comprehendat incautos, vt ea quaſi laqueo implicati, ſe extricare non poſſint.

XXXIII. *Conſuluit etiam dominum.*

Pſalm. 12. Eivsdem quoque argumenti, & ad hoc ipſum tempus pertinens, eſt Pſal. 12. In quo de diuturna Saulis perſecutione, nouum ea iam annum durabat, apud Deum lamentans ait, *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem*; id eſt ita te geris, vt mei curam omnem, imo & memoriam depoſuiſſe, & mihi inimicus eſſe videaris. *Quandiu ponam conſilia in anima mea*, & anxie conſultabo, apud me, quid facto ſit opus, vt me tot periculis eximiam? Querelam excipit precatio, ne ſuo caſu hoſtes eius exhilarentur; ſed ipſe potius ſeruatus in diuina miſericordia conſoletur. Denique cum Domino reuelante, vt par eſt credere intellectum eſt Deo parcere, vt in Palæſtinam, & quidem ad regem Achis

fieret demigratio; docuit ſuos Dauid non eſſe eãdem rationem antiquæ ad ipſum profectionis, & præſentis; illam occulte factam, & inſcio Philiſthæo: hanc apertè, & bona cum eius venia, ſuſcipiendam; illo tempore ignotas fuiſſe ſuas cum Saule inimicitias, ideoque creditum iri aliquod ſtratagema agitari, aliquam parari præuaricationem atque perfidiam, nunc plane cognitam diſſenſionem ſuam cum rege Iſrael, fidem atque ſecuritatem eis paraturam.

XXXIV. *Mittit legationem ad Achis.*

Itaqve viſum eſt omnibus non turbide ad Achis, neque inexpectatò adeundum eſſe; ſed dum quieſcit Saul, mittendos ad eum legatos, qui a rege ſciſcitentur, placeatne fugitiuam Iſraelitarum cohortem regno ſuo recipere; non fore eam regno indecorem, neq; inutilem, fidelẽ certe, ac ſine fraude apud ipſum fore. Minime ignotas eſſe ſuas cum Saule inimicitias, quæ nonum fere iam annum perſeuerent, quo toto tempore Dauid centies ad mortem, nulla ſua culpa, ſit appetitus: Dauidem cum ſuis, armis caſtriſque regiis, vſque ad inacceſſas rupes, & ſolis ibicibus perulas perquiſitum atque obſeſſum fuiſſe, ac mirabiliter liberatum. Daturos ſe operam, vt quoniam regem hactenus habuerunt, qui hoſtis maluerit eſſe quam Dominus, ſi ipſe vice verſa Dominus malit eſſe quam hoſtis, vt fideliſſimos ſe, & ad omnia eius obſequia paratiſſimos ſeruos experiatur. Ac ne oneri quidem fore electum hunc manipulum: hoſtem daturum vel inuitum, quæ ſint ad victum, veſtitumque neceſſaria. Iis precibus nõ ægre cõſenſit Achis. Sperauit enim ſe Dauidis opera; quem nouerat eſſe fortiſſimum, & præſtantibus quoque viris cinctum incedere, contra Saulem, qui vtrique erat inimicus, tutò, & ſine periculo præuaricationis vſurum. Quæ dum vtrimque agitantur, preſens annus abiit; ipſa migratio ſub initium anni ſequentis facta, [a] quo eam quoque reiecit Torniellus: legationem autem probat Abul.[b] [a] a. m. 1979. [b] q. 5. in c. 17. 1. Reg.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2978. SAVLIS 17.

1 Apud Sept. nulla eſt mentio neq. pulicis neq. perdicis, ſic enim legimus ἐξελήλυθεν ὁ βασιλεὺς Ἰσραὴλ ζητεῖν ψυχήν μου, καθὼς καταδιώκει ὁ νυκτικόραξ ἐν τοῖς ὄρεσι. *Egreſſus eſt rex Iſrael quærere animam meam, vt perſequitur nyctícorax in montibus*, nimirum auiculam, poniturque id nomen generaliter pro quauis aue prædatrice. Vice verſa in Hebræo ſubauditur nomen vel accipitris, vel aucupis; & additur nomen auis, quæ ſit præda, puta perdix, eſt enim core קורא Hiere 17. 11. Compl. & regia habent ψύλλον, & non ψυχήν. Quid ſi amanuenſis aliquis ψύλλον in ψυχὴν vocem notiorem deformauit? certe in fonte, ſicut & in vulgata, pulex inuenitur.

Nolo in deteriorem partem interpretari quod ait Ioſephus, dum inducit Saulem dicentem ſe iuſte à Dauide interfici potuiſſe, ἐφείσατο δικαίως ἂν αὐτὸν ἀνελών, id enim non de vera iuſtitia, quæ legi diuinæ conſentanea eſt, accipi debet: illa enim huiuſmodi facinus damnat homicidii, vt pote cædem ſine legitima poteſtate perpetratam. Sed de ea, quæ inter homines iuſtitia reputatur; ex cuius præſcripto dicebat Saul c. 24. 20. *Quis enim cum inuenerit inimicum ſuum*, & videlicet habuerit in poteſtate ſua *dimittet eum in via bona?* nam ſunt quæ in hoc genere ab hominibus putentur iniuſta; puta fraude aliqua vti, præter ea quæ conuenta ſunt. 2

ANNVS MVNDI 2979. DILVVII 1323. QVINTÆ ÆTATIS 40. EXITVS AB ÆGYPTO 436. ARCÆ IN CARIATH. 39. SAVLIS REGIS 18. & vlt. ABIATHARIS PONT. 5. DAVIDIS 30. TROIÆ EXCISÆ 108. DERCYLLI 29. IMPERII ASSYRIORVM. 1048.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1074.

I. *Luctuoſus hic annus.*

INGREDIMVR annum vt multa rerum geſtarum narratione vberem, ita euentis ipſis priuatim, publiceque luctuoſum. Luget regia familia, quæ in Saule, ex abiecta conditione fortunę, ad apicem humanæ dignitatis, ante aliquot annos euecta, in eodẽ proſtrata funditus concidit, tribus egregiis principibus, regis filiis vna cum patre interemptis; eo ſuperſtite, qui nouis turbis daret initium, & forti ac bellatrici familiæ dedecori potius eſſet, quam honori. Luget tribus Beniamin, quæ nuper præter expectationem, imperium in tribus omnes adepta, eoque vix octodecim annis retento, illud hoc tempore perdidit in omnes annos conſequentes. Luget Dauid in funere acerbo, atque immaturo, amantiſſimi Ionathæ, imo & Saulis, cuius erat iactura maior, atque luctuoſior quiq. ipſum ex humili ſorte ad ſuam affinitatem euexerat; Luget Reſpublica tota, quæ amiſſo legitimo principe, in duo regna triſti diuiſione diſtrahitur, ciuiliq. deinceps bello longa concertatione funeſtatur; & inſuper Philiſthæis ſubiugata, tributum eis pendere coacta eſt, donec id poſtea Dauidis eximia virtute tolleretur.

II. *Ratio temporis.*

VLTIMVS itaque eſt hic annus regni Saulis, idemque à morte Heli pontificis, & initio adminiſtrationis Samuelis prophetæ quadrageſimus, quos ita diſtinximus, vt 20. cum communi plurimorum ſententia [a], Samueli tribueremus, quibus annis arca manſit in Cariathiarim. Poſt quos idem propheta *poſuit filios ſuos iudices Iſrael*, vt ſcriptura teſtatur [b], quos ſine dubio oportuit aliquamdiu eo munere fungi, antequam agnoſceretur eos non ambulare in via patris ſui, ſed declinare poſt auaritiam, vt poſſent non ſine fundamẽto aliquo à populo reprobari. Duos itaq. illis adminiſtrationis annos dedimus, qui Samuelis annis adiungãtur: quòd is ſupremam ſemper in ipſos, totamque Rempub. haberet poteſtatem. Reliqui ſunt itaque anni Saulis octodecim, qui hoc anno finiuntur. Qua de re anno quoque primo Saulis diſputauimus [c]. Et quoniam quintam ætatem, quæ regum eſt, in Samuele inchoauimus, conſequens eſt vt eiuſdem ætatis hic ſit annus quadrageſimus, vt habes in indice anni huius. Cuius etiam confirmatur annus exitus ab Ægypto, & datæ legis in deſerto. Nam ſi quadringentis & 36. addideris, Dauidis annos 40, qui proximo anno inchoabuntur, & 4. Salomonis; nam quarto iacta ſunt templi fundamenta, reperies exactè 480. quos Scriptura conſtituit ab exitu, vſque ad templi fundationem [d].

436
40
4
480.

a 1. Reg. 7. v. 2.
b n. 8. v. 1.
c nu 6. & 7.
d 3 Reg 6. v. 1.

III. *Summa rei geſtæ hoc anno.*

PERTINENT autem ad hunc annum; primùm migratio Dauidis cum ſuis; quæ ſub exitum præcedentis anni agitata, ſub initium præſentis ſuſcepta eſt; eam poſt quatuor menſes excepit expeditio Philiſthæorum aduerſus Iſraëlitas, quæ cum ingẽtem pauorem Sauli incuſſiſſet, adiit pythoniſſam, & Samuelem euocauit ab inferis, & ab eo didicit cladem ſibi imminentem, tum dimittitur Dauid ex acie Philiſthinorum, qui reuerſus in Siceleg, agnouit cladem illatam ab Amalecitis, quos etiam Deo annuente inuaſit, & cum ingenti præda victor euaſit, quam & amicis diſtribuit. Interea pugnat Saul cum Philiſthæis, & victus occumbit cum filiis ſuis. Inde nunciatur ea clades Dauidi, qui pro ea lamentatur, nominatim pro Ionatha, & Saule; cuius interfectorem iubet interfici. Moxque iuſſu Domini aſcendit in Hebron, vbi inungitur à viris Iuda in regem; Abner autem eodem tempore Saulis filium ſuperſtitem, nomine Iſboſeth, regem conſtituit ſuper reli-

quas populi tribus, cæpitque concertatio inter domum Saulis & Dauidis, quę vltra 7. annos propagata eſt. Hæc à ſcriptura narrantur primo lib. regum à cap. 27. ad 31. & 2. Reg. cap. 1. & bona parte ſecundi: quæ ſigillatim nobis pro inſtituto expendenda ſunt.

IV. *Cauſa migrandi ex Iſraëlitide.*

Mvlta erant quæ Dauidi migrationem è terra Iſraelitarum perſuaderent; [a] nam præter periculum incidendi aliquando in Saulis manus, qui populum omnem ſibi habebat obſequentem; etiam ipſam tribum Iuda, ad quam Dauid pertinebat, vt propterea diceret Saul Ziphæis, perſcrutabor eum in cunctis millibus
1. Iuda: [b] Et ipſe nulli vrbi quantumuis bene meritus credere ſe tuto poſſet. Per-
2. ſuadebat etiam ipſa vitæ eius ratio. Quamuis enim certo illi conſtitiſſet, numquam ſe in Saulis manus eſſe venturum: quotidianus tamen labor mutandæ habitationis, & tædium montes & ſpeluncas ferarum more incolendi, non leue afferebant momentum ad emigrandum. Accedebat & periculum eorum, ad
3. quos cohors Dauidis accederet; ne ſi qua ratione illis opem tuliſſent, calamita-
4. tem ciuium Nobe participarent. Fieri quoque poterat, vt dum milites Dauidis Saulis arma declinant, & viciſſim eos copiæ Saulis concludere moliuntur, ad manus veniretur, cum multa vtrimque cæde, & multa plurimorum, qui ſuos amiſiſſent querela, quod Dauidi inuitiſſimè contigiſſet.

[a] Abul. q. 3. in c. 27.

[b] ca 23. v. 23.

V. *Ad Philiſthæos.*

Ac ne erat quidem locus in quem tutius emigrare potuiſſet, quam ad Philiſthæos, & nominatim ad Gethæos, vt ſuperius quoque diſputatum eſt. [c] Nam à Moabitis, apud quos nō incommodè verſari poſſe videbatur, cum dominus euocauerat, apud Ammonitas, Idumæos, Tyrios, Sidonios, Syros, parum tuto futurus erat; nam cum nullum cum ipſis bellum gereret Saul, noluiſſent hominem fugitiuum regi Iſraëlitarum roganti negare. Eam autem gratiam nec ab hoſte Philiſthæo petiturus erat, neque impetraturus; imo vel hac maxime de cauſa eum libenter ſuſcepturi erant, & armis viriſque defenſuri, quod Saulis eſſet inimicus, vt paulo ante dicebamus. Accedebat & loci commoditas: à deſertis enim Iudæ ad Philiſthæos modicus erat traiectus, adeo vt olim magna pars terræ Philiſthæorū ad tribum Iuda pertineret, quod de cæteris populis, præter Idumæos, dici non poterat. Præ cæteris autem Paleſthinorum regulis, Achis Gethæus commodior moribus videbatur; ideóq. illum præ cæteris à principio adierat, & nunc ei non ægrè vrbem Siceleg ad habitandum dedit, eumque quamuis fugitiuum, ac peregrinum, ſui capitis cuſtodem conſtituere cogitabat, vt ex ſequentibus conſtabit [d].

Et nominatim ad Gethæos.

[c] An Saul. 12. n. III. & III.

[d] ca. 28 v. 2.

VI. *Dauid migrat in Geth cum ſuis.*

Accepta ergo fide publica, vt ait Emanuel Sa, *Surrexit Dauid, & abijt ipſe, & ſexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch regem Geth.* Hunc Achis alium fuiſſe à ſuperiore [e], ad quem adierat Dauid, exiſtimauit Comeſtor, & Dionyſ. Cæteri autem interpretes, & nominatim Serarius, Emanuel Sa, & Abulenſ. [f] eundem fuiſſe putant; & certe cum ſex tantum anni interceſſerint à primo aditu ad Gethæum regem, quem ad duodecimum Saulis retulimus [g], nihil eſt cur illum defunctum iam fuiſſe, eique filium cognominem ſucceſſiſſe exiſtimare debeamus. Venit ergo Dauid ad Achis, in Geth, & ibi habitauit, *ipſe & viri eius, vir & domus eius*, id eſt quiſque cum domo & familia ſua. Nam etiam Dauid ſecum duxit duas vxores ſuas, Achinoam Iezraëlitidem, & Abigailem dudū vxorem Nabalis Carmeli: relictis, vt probabile eſt, qui curam gererent poſſeſſionum, quæ ad vxores eius pertinebant. *Et nunciatum eſt Sauli, quod fugiſſet Dauid in Geth, & non addidit vltra quærere eum.* Subobſcurè innuit Scriptura, Dauidem quæſitum iri à Saule, etiam poſt omnem illam pœnitentiam, & inuitationem ad reuertendum, & promiſſionem incolumitatis; vt propterea Dauid rectè quieti ſuæ deſerenda regione conſuluerit; quietem enim & gratiam inuenit apud Philiſthæum iſtum, omni expectatione maiorem.

[e] I. l. c. 24.

[f] q. 6 in c. 27.

[g] an. Saul. 12. n. III. & III.

Abul. q 7.

VII. *Petit locum extra vrbem regiam, & cur.*

Teſtimonio eſſe poteſt hæc Dauidis ad Achim oratio. *Si inueni gratiam in oculis tuis detur mihi locus in vna vrbium regionis huius, vt habitem ibi. Cur enim manet ſeruus tuus in ciuitate regis tecum?* quaſi dicat, vt ait Abul. [h] inutile eſt, & oneroſum, vt ego locum occupem habitationis in vrbe regia, vt nō poſſit rex delectabiliter, & ſpacioſe manere in vrbe ſua. Solent vrbes regiæ multis eſſe incolis refertæ; & plurimis peregrinis, negotiorum cauſa ad regem confluentibus, denſari, & quaſi ob-

[h] q 8 in c. 27.

ſtipari, Dauidi autem,& ſexcentis viris, eorumque familiis, non exiguus erat neceſſarius locus; itaque futurum erat vt plurimi perincommode habitarent. Videtur etiam ſignificare pertinere id ad honorem regium, ne ipſe cum ſuis, quorum erant multi nobiles,ac primarij viri, in vrbe regia habitarent, ne quaſi duo 2.
reges in eadem vrbe viuētes,alter alterius luminibus obſtrueret. Pertinere etiam 3.
ad ſecuritatem, ne rex imprudenter videatur ſtatim admiſiſſe in vrbem regiam, hominem ab hoſte profugientem, cum pluribus viris bellicoſis; & non prius aliquanto tempore periculum feciſſe fidei eius. Quo referre poſſis, quæ cap. ſequēti dicūtur ab Achis ad Dauidem. *Et ego cuſtodē capitis mei ponā te cunctis diebus.* Quaſi
dicat,probata iam ſatis fide tua,te apud me conſtituam cuſtodem corporis mei. 4.

VIII. *Alia cauſa.*

Deinde cum non deceret in ipſa vrbe regia viuere Dauidem,cum ſua cohorte propriis ſumptibus, graue fuiſſet iſti regulo eis perpetuum ſuppeditare commeatum; & Dauidi verecundum poſtulare, cum alibi peregrini iſti ſibi eſſent de
rebus neceſſariis prouiſuri. Et quamuis vltro petere atque impetrare potuiſſent, 5.
vt eadem ratione viuerent in vrbe Getha,qua mox in Siceleg vixerunt; id tamen incommodum,ac ſuſpicioſum foret,cum etiā noctu exeundum eſſet ab vrbe, ad ſectandam prædam, & hoſtem nec opinantem opprimendum; & vrbs alieno
tempore ac periculoſo aperienda. Ipſi quoque Dauidi per incommodum foret, 6.
qui regem non facile celare potuiſſet in quos populabundus incurreret, Iſraëlitas ne,vt præ ſe ferebat Dauid,aut alios populos. Nam eundo aut redeundo de præda,notaretur locus,& Dauid mendacij ſuſpicioſiſſimi argueretur, & deprætenderetur præuaricator. Sicque regis fauor in ſummum odium verteretur. Erant hæ rationes humanæ prouidentiæ conſentaneæ.

IX. *Rurſum alia; ad vitandam idololatriam.*

Providendvm etiam erat homini Deum timenti, tum vt ſibi ſuiſque occaſionem eriperet declinandi ad idololatriam, tum vt ceremonias legis ſuæ commodius obſeruaret. Nam,vt obſeruauit Abulenſis,[a] in vrbe regia magnificentius idola colebantur, quam in aliis;vt propter ea, facilius Iſraëlitæ templorum ornatu,& idolorum artificio,precio,pulchritudine capti,ac deliniti in eorum venerationem ac cultum,pro innato huic genti ad idola pruritu,deflecterent. Neque facile fuiſſet non adire templa idolorum,ſiue aſſectandi,deducendique regis cauſa,ſiue ne ipſi Gethæi ſe,in deorum ſuorum contemptu, contemni putarent. At extra illam vrbem liberi futuri erant ab huiuſmodi incitamentis, ideoq. conſtantiores,in fide permanſuri. Legis quoque Moſaicæ ceremonias, circa cibos vetitos, aut immundos, aut idolis conſecratos, à quibus non poterant, ſine Gethæorum offenſione,abſtinere, nec iis vti ſine peccato,dierum quoque feſtorum non paucas differentias,facilius erat ſine offenſione in oppidulo, quam in vrbe regia obſeruare. Ex quibus omnibus apparet Dauidem ſapienter,& ex diuini ſpiritus inſtinctu, inflatuque ſeparatum ſibi ad habitandum locum à rege petiiſſe, atque impetraſſe.

Et obſeruandas legis ceremonias.

a q. 8. in c. 27.

X. *Datur Dauidi Siceleg ab Achis,*

Dedit enim *ei Achis in die illa Siceleg,*& quidem non ad inhabitandum ſolum, ſed vt in ipſius dominium cederet;ideoque ſubditur ex eo tempore factam fuiſſe Siceleg regum Iuda;ſi enim ad inhabitandum ſolum data fuiſſet Dauidi, non deſtitiſſet tam eo commorante in illa, quam diſcedente ſemper ad Gethæos pertinere. Ex quo apparet eximia huius reguli liberalitas, & humanitas, vt non ſine cauſa Dauid cum reliquis Philiſthæorum ſatrapis antetulerit. Videtur autem aliud quoque ſpectaſſe Achis;nimirum in omnem euentum ſatius eſſe Dauidem ab vrbe ſua regia diſtare,tum vt ne quid rerum nouarum in ea moliretur, tum vt extra eam,in alia vrbe,quaſi in propugnaculo regni commoraretur. Ideoque vrbem Siceleg, non parum à Getha remotam, & quæ in ipſo itinere inter Philiſthæos,& Iſraëlitas ſita erat,ei tradidit; vt & Iudæorum impetum irruentium in Philiſthæos reprimeret,& Philiſthæis ſtationem nō incommodam, perfugiumque præberet,in ſuis contra Iſraëlitas expeditionibus. *Facta eſt* ergo *Siceleg regum Iuda vſque in diem hanc.* Quæ verba ſignificant poſtremam huius libri partem tardius aliquanto ſcriptam eſſe;fortaſſis ab aliquo diſcipulorum Samuelis. Quamquam non deſint,qui huiuſmodi verba,quæ ſæpe occurrunt, poſterioribus ſeculis ab Eſdra inſerta fuiſſe arbitrentur. Vel per Iſaiam prophetam, vt ait Abul.vel per Ieremiam,vt alij volunt.[b]

Et quare.

b vide Abul q. 12. & 14. in ca. 27.

X.I. *Plerique Iſraelitæ eo confugiũt.*

QVO porro tempore Dauid habitauit in Siceleg plerique fortiſſimi viri de Iſrael, qui eius innocentiam norant, & iniuſtam vexationem ægre ferebant; & forte eius auſpiciis dudum militarant, ad eum confugerunt, vt habetur in primo Paralip. [a] *Hi quoque* ait Scriptura, *venerunt ad Dauid in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortiſſimi, & egregij pugnatores tendentes arcum, & vtraque manu fundis ſaxa iacientes, & dirigentes ſagittas, de fratribus Saul ex Beniamin*, id eſt, Saulis contribulibus, ſagittariis, & fundibulariis peritiſſimis, atque exercitatiſſimis. Quos etiam loci commoditas videtur pellexiſſe, quos cauernæ & latibula ante deterrebant. Maxime autem, vt arbitror, verba illa Saulis, [b] quæ dudum ad Dauidem elata voce, in omnium auribus elocutus fuerat, multorum animos concuſſerũt, cum diceret, *Et nunc ſcio quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Plures enim orientem ſolem, vt aiunt, quam occidentem adorant. Ergo etiam qui ad eandem cum Saule tribum pertinebant, eo deſerto ad Dauidem venerunt. Eos autem enumerat viginti tres, ex 7. oppidis profectos. In quibus fuit, *Samaias Gabaonites fortiſſimus inter triginta, & ſuper triginta.*

[a] c. 12. v. 1.
[b] 1. Reg. 24. 21.

XII. *Quandiu manſerit Dauid in Siceleg.*

QVANDIV autem manſerit Dauid apud Philiſthæos non caret controuerſia. Etſi enim in editione vulgata perſpicue ſcriptum ſit, *fuit autem numerus dierum, quibus habitauit Dauid in regione Philiſthinorum quatuor menſium*, quia tamen in Hebræo dicitur manſiſſe *dies, & quatuor menſes*, illos dies aliqui in annum vertunt, vt Lyran. qui id confirmat ex eo quod infra c. 29. Achis de hac ipſa mora Dauidis loquens ait, *& eſt apud me multis diebus vel annis.* In eadem ſententia eſt Pagninus, qui Hebræam vocem iamim, quæ dies ſignificat, vertit annum, idem ſentit Vatablus & Caietanus in hunc locum, Adrichomius in tribu Simeonis, in verbo Siceleg. in ſua tamen chronol. eam moram 4. tantum menſium facit. [c] Nouatores quoque chronologiam de vno anno & 4. menſibus fere ſequuntur. Quin etiam Septuag. in cap. 29. ſecundi anni meminerunt, γέγονε μεθ' ἡμῶν ἡμέρας, τοῦτο δεύτερον ἔτος, *manſit apud nos dies*, plurimos ſcilicet, *hic quippe ſecundus annus eſt.*

An annũ & 4. menſes.

ימים

[c] an. 71. a. m. 2889.

XIII. *An potius 4. menſes.*

INTERPRETATIONEM tamen ſancti Hieronymi in editione vulgata de quatuor menſibus, neglectis aliquot fortaſſe diebus, qui ſuperarunt, communiter ſequũtur interpretes. Nominatim Abulenſis, [d] Serarius, Emanuel Sa, Torniellus quoque & Mercator.

[d] q. 15. in c. 27. an. 4. ætat. 436. nu. 2.

Hebræus quoque Chimhi in eadem eſt ſententia, cum Ioſepho, qui tamen, proprio ex iudicio, dies, quos ſcriptura memorat, definitè 20. fuiſſe dicit. Nec eſt quod ex rebus à Dauide apud Gethæos, aut potius in Siceleg geſtis, vnum annum ſupra 4. menſes requirat Caietanu, facile enim quatuor menſibus capi poſſunt. Erant enim ſingulorum pene dierum excurſiones, quales ſolent eſſe præſidiariorum militum tempore belli. Mirum eſt autem quoſdam Hebræos exiſtimare vno anno & quatuor menſibus manſiſſe Dauidem in Siceleg, cum iidem velint 7. tantum menſibus cum dimidio mortem Samuelis anteceſſiſſe mortem Saulis; cum non niſi poſt mortem Samuelis, Dauid ex Iſraelitide profugerit, vt ſeries ſacræ narrationis expoſcit. Quod autem Achis dixit Dauidem apud ipſum habitaſſe multis diebus aut annis, explicat idem Ra. Dauid, de cognitione: quaſi dicat, fuit ille apud me multis diebus, id eſt quatuor menſibus, quibus æque mihi notus eſt, ac ſi plures annos apud me manſiſſet. Quid ſi annos retulit Achis ad primam commorationem, quæ ante annos ſex apud ipſum inchoata fuerat? [e] quid ſi annos intelligit finem prioris & poſterioris initium? quo modo poſſis etiam explicare Septuag. Abulenſis autem [f] citat Andream, qui dicat Achim dixiſſe mendacium, vt fidem faceret Philiſthæis Dauidem ſatis ſuperque ſibi notum; quod non improbant Abul. & Torniel.

Satisfit obiectis.

[e] an. Saul. 12.
[f] q. 15. in c. 27. & q. 5. in c. 29.

XIV. *An deprædatus fuerit Philiſthæos.*

DAVID ergo vbi ſedem fixit in Siceleg, *aſcendit* cum expedita ſuorum militum manu, *& agebat prædas*. An de Philiſthæis, qui non erant de ditione regis Achis? id Significat Hieronymus in traditionib. quem ſequitur Emanuel Sa, & probabile facit mox congregatus vniuerſæ gentis exercitus contra Hebræos, à quibus ſe multis excurſionibus vexatos putabant. Cum enim prædones iſtos, vel ex lingua, Hebræos eſſe cognoſcerent, & fugam Dauidis ad Achis ignorarent, putabant ſe à Saulis ſubditis, eiuſdem regis iuſſu, vexari.

Vnde nec querelas ad Gethæum regem deferebant; præſertim cum Dauid longius ab eo habitaret, & omnem operam daret ne agnoſceretur. Et cum Achis vice verſa nihil audiret querelarum, putabat omnino Iſraëlitas vexari à Dauide, qui nequaquam apud ipſum, vtpote hoſtem, ſed apud Saulem cōquererentur. Et credibile quidem eſt Dauidem, quantum tutò potuit, Philiſthæos opprimere, non aliarum gentium ſpoliis ditari voluiſſe.

XV. *Qua diſſuadeant.*

Cedibilivs tamen videtur Dauidem à Philiſtæis vexandis hoc tempore abſtinuiſſe. Idque non obſcurè ex Scriptura colligitur, quæ in enumeratione populorum, quos incurſabat Dauid, Philiſtæos tacet; & ſemper ad meridianam Iſraëlitarum plagam ipſum irruiſſe ait, cum Philiſthæi omnes occiduam incolerent. Negat quoque Abulenſis [a] Dauidem prædas ex Philiſthæis collegiſſe: ſiue quia rationi conſentaneum eſt, cum admiſſus eſt à Gethæo regulo, cum ſuis fœdus mutuo initum, ne Philiſthæis noceret, nec illi viceuerſa quidquam ipſi damni afferrent: ſiue quia contra iura naturæ ſit, eis nocere, quorum præſidio tutus ſis ab inimicis tuis: ſiue quia id non fuiſſet auſus Dauid, ne Philiſthæi coactis copiis, eum tanquam verum hoſtem, & ruptorem fœdorum opprimerent. Neque enim in frequentibus deprædationibus fieri poterat, vt in propinquo poſitum latibulum prædonum ignotum maneret; Siceleg inquam (nam ne Amalecitæ quidem multo remotiores illud ignorarunt,) obſeſſúmque oppidum cum habitatoribus deleuiſſent. Sed omiſſis dubiis certa videamus.

a q. 15. in c. 27.

XVI. *Quos populos deprædandus ſit.*

David *& viri eius*, ait Scriptura, [b] *agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis, hi enim pagi*, id eſt, horum populorum pagi, & oppida *habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur, vſque ad terram Ægypti.* 2 Deſignat, ac definit regionem, in quam impreſſionem fecerit Dauid, nimirum regionem ad auſtrum Iuda poſitam, ab ingreſſu deſerti Sur Ægyptum verſus; qui terrarum tractus latiſſime patet. Totam enim Arabiam petræam, & deſertam amplectitur, in qua, præter prædictos populos, Idumæi, & Madianitæ habitabant, Iſmaëlitæ, Agareni, & Cedareni. Cæterum Geſſur & Geſſuri duplex in Scriptura reperitur, altera trans Iordanem, contermina Syriæ, propterea que Geſſur Syriæ appellatur. 2. Reg. 15. 8. pertinuitque ad tribum Manaſſe [c]. Non tamen eam poſſedit; *Noluerunt enim*, ait Scriptura, *diſperdere filij Iſraël Geſſuri & Machati, & habitauerunt in medio Iſraël, vſque in præſentem diem*; adeo vt viuo quoque Dauide haberent proprium regem, nomine Tholmai, cuius filiam idem Dauid duxit vxorem, ex eaque ſuſcepit Abſalonem, & Thamarem. [d] Altera Geſſur eſt, quæ hoc loco memoratur, vicina Amalecitis, & extra terminos Iſraëlitarum, meridiem verſus, cuius nulla eſt, præterquam hoc loco, in tota Scriptura mentio; ſicut neque de Gerzi: quam vocem Septuag. Romanæ, Aldinæ, Baſil. Vvechelianæ editionis non habent. Nec Ioſephus. Eſt tamen in Complut. & regia, quæ ad textum hebræum efformatæ ſunt, vnde vulgata, & Chaldæus paraphraſtes Gerzæos acceperunt, quos Abul. non recte putauit eoſdem eſſe cum Machati, qui & Geſſuræos confudit, vt ſeorſim dicemus 3. De Amalecitis autem nulla varietas eſt, neque dubitatio.

b c. 27. v. 8.

2. ※.

Geſſur gemina in Scripturis.

c Reg. 19. 8.

Vide Adrich. in Manaſſe 2. nu. 57.

d 2. Reg. 3. 3.

3. ※.

XVII. *Quo iure vexarit Amalecitas.*

Qvo autem iure apud hoſce populos prædas egerit, imo & cædas, nullo ſexus aut ætatis diſcrimine perpetrarit, dubitatione nō vacat, præterquam apud Amalecitas; erat enim iamdudum contra eos lata diuinitus illa ſententia, quam iuſſus erat exequi Saul [e], *vade*, inquit, *& percute Amalec, & demolire vniuerſa eius, non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à vtro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, bouem & ouem, camelum & aſinum.* Cum itaque non eſſet reuocata illa ſententia; & vigeret adhuc illa vox [f] *bellum domini erit contra Amalec à generatione in generationem, delebo memoriam Amalec ſub cælo*, & alibi [g]. *Cum dominus dederit tibi requiem, delebis nomen eius ſub cælo; caue ne obliuiſcaris.* Oportet tamen fateri dominum lege anathematis ſoluiſſe Dauidem [h], cum copioſam inde prædam ſæpius abduxerit, ſine vlla Dei repræhenſione; aut vt placet Abulenſi [i], hoc anathema peculiari præcepto Sauli impoſitum fuit, Dauid autem communi tantum lege tenebatur, quam retulimus, in quam bellum contra Amalecitas ſine vlla prædæ reſeruandæ prohibitione præſcribitur. Itaque Dauid non ſolum ſine culpa, ſed etiam cum merito prædabatur.

e 1. Reg. 15.

f Exod. 17. 14. 16.

g Deut. 25. 19.

h Abul q. 20. in c. 27.

i q. 22. in c. 27.

XVIII. *Quoque reliquos populos.*

De Geſſuræis, & Gerzæis putat Abulenſis idem licuiſſe Dauidi, quòd cum intra fines Chananitidis compræhenderentur, in eos valeret illa lex [a], *Percuties eas vſque ad internecionem*; Et iterum, *De his autem ciuitatibus quæ dabuntur tibi, nullam omnino permittes viuere, ſed interficies in ore gladij, &c.* Verum ſupponit Abulenſis [b] hos populos fuiſſe trans-Iordanem prope Galaad in tribu Manaſſe, cum fuerint ab iis longo terrarum tractu diſiuncti. Torniellus [c] putat eos pertinuiſſe ad fines Iſraëlis, manſiſſeque à meridie Iuda cis torrentem Ægypti, qui eſt terminus meridianus poſſeſſionis Iſraëlitarum. Num. 34. verum nullo id teſtimonio demonſtratur; propterea que exiſtimauerim Dauidem, qui apud ſe habebat pontificem cum Ephod, quotidie eum de expeditione ſua conſuluiſſe; eoque profectum eſſe populabundum, quo dominus per Sacerdotem dixiſſet excurrendum. Qua in re nihil abſurdi video. Nā nuper profecturus in Ceilam [d] Dominum per pontificem conſuluit, & ſemel iterumque reſponſum accepit; & rurſum cum inde migraturus eſſet; Poſthæc etiam [e] cum expeditionem ſuſciperet contra eos qui vaſtauerant Siceleg, & cum eundum fuit in Hebron. Idem ergo de quotidianis iſtis excurſionibus dicendum videtur.

[a] Deut 7. 2. & ca. 20. 16
[b] q 23. inc. 17.
[c] 20. 4et. 436 n 3. vel. 4.
[d] 1. Reg 23. 2. 4. 10. 11. 12.
[e] 1. Reg. 30.

XIX. *Quæ præda eius.*

Percvtiebat ergo *Dauid omnem iſtorum terram, nec relinquebat viuentem virum, & mulierem; tollenſque oues, & boues, & aſinos, & camelos, & veſtes reuertebatur.* Latiſſime patet vox veſtium, & magnam partem domeſticæ ſupellectilis comprehendit, nec dubium eſt quin ſi quid vaſorum aureorum, & argenteorum, ſi quid pecuniæ, argentive infecti inuentum fuit, ablatum etiam fuerit; Id modo prouidēdum fuit, in ea prædæ parte, quæ offerebatur regi, vt ne quid reperiretur quod argueret prædam alibi, quam apud Iſraëlitas factam, & Dauid reus mendacij teneretur. An autem idolis parceretur alibi dictum eſt à nobis, [f] cum aduerſus Ioſephum diſputaremus. Cur autem non abduceret captiuos in ſeruitutem, præter primariam illam rationem ex Dei lege petitam, aliam ſcriptura mox ſubiicit. *Virum & mulierem non viuificabat*, id eſt non ſeruabat, aut viuere ſinebat, *neq. adducebat in Geth, dicens, ne forte loquantur aduerſum nos*, dicentes ſcilicet ſe non eſſe Iſraëlitas, ſicque fraudem patefaciant Dauidis, non Iſraëlitas, ſed eorum inimicos inuadentis.

[f] 2. Reg. 1.

XX. *Eam Gethæo regi offerebat.*

Cvm ergo Dauid ex præda reuerteretur, *veniebat ad Achis*, cui ſcilicet optima quæque, honoris, & gratiæ cauſa offerebat, putat autem Abulenſis [g] Dauidem perpetuo totam prædam attuliſſe ad Achis, priuſquam quidquam deponeret in Siceleg. Verum id parum probabile facit, tam res ipſa, quam locus. 4 Nam fieri poterat vt pleraque eſſent in præda, quæ regem videre aut non deceret, aut non expediret, deinde cum Siceleg, iuxta Adrichonij topographiam, æquis fere ſpatiis à Geth, & ab Amalecitis, cæteriſque populis diſtaret, & redeundo ab expeditione, pene tranſeundum eſſet per Siceleg, vt veniretur in Geth, quis credat non plurima in Siceleg depoſita, ibidemque plurimos de militibus, vel ad ea cuſtodienda ſubſtitiſſe? *Achis autem* læto ac ſereno vultu, & eam ſerenitatem præda meridiana faciebat, *in quem* inquit, *irruiſti hodie*? Hæc erat non vnius diei, ſed communis omnium interrogatio. Itaque & generalis illis reſponſio redditur à Dauide. *Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni.* Erant hæc nomina partium quarumdam ſortis Iudæ, ad quarum ſingulas diuerſa oppida pertinebant, vt ex ſeq. [h] conſtat, licet Vatablus dicat Ieramehel fuiſſe vrbem Iudæ; earum priorem miror ab Adrichomio prætermiſſam; poſteriorem autem attributam Philiſthæis. [i]

Ierameel,

Ceni.

[g] in Pſal 1 tom. 2 ſ. 19. 20.
. 4.
[h] q. 24 & 26. inc. ...
[i] in tribu Iuda n ...
[k] q. 32. ... 27.

XXI. *An Dauid mentitus fuerit.*

Davidem porro hoc loco vſum eſſe officioſo mendacio fatetur Abulen. [k] nec patitur illum excuſari, eo quod reſponderit iuxta interrogationem regis, & ad ſignificandum ſe agere prædas de terra Iuda, quod falſum erat. Arbitror nihilominus Dauidem hoc loco argui non poſſe niſi tacitæ, aut diſſimulatæ veritatis, cum ea verba diceret, quæ geminam haberent ſentētiam; quarum Achis eam, quæ ſibi placebat, & veram putabat, Dauid autem eam quæ vera erat, capiebat. Et volebat quidem falli regem; ſed non omnis dolus in culpa eſt, vt alibi diſſeruimus. Iuſta porro fuit cauſa diſſimulandæ veritatis, quod alioqui in terra Philiſthæorum tuto habitare non poterat. Si enim ſciuiſſet Achis nihil damni à Dauide Hebræis inferri, eum merito ſuſpectum habuiſſet, ne præuaricatoriam aliquam moliretur proditionem. Sin autem ſciuiſſet eum gentes alias populari,

eos ſibi hoſtes parari, & quietos iniuſte vexari proculdubio moleſte tuliſſet; & Dauidem à ſe expuliſſet. Neque vero infamem ſe reddebat inducendo Achis in eam opinionem, quod propriam patriam deuaſtaret; Eam enim iuſtam reputabat Achis, vt pote contra ſubditos regis, à quo omnibus erat fortunis euerſus, & inſuper, nulla ſua culpa, quærebatur ad necem.

ITAQVE *hæc fecit Dauid, & hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitauit in regione Philiſthinorum*, vt ſcilicet neque mancipium ſeruaret vllum, neque ancillam de hoſtibus, in quos infeſtus irruebat, ne illi notum facerent Dauidis artificium. Et vt in ea opinione regem retineret, quaſi plurimis damnis Hebræos afficeret. *Credidit ergo Achis Dauid, dicens, multa mala operatus eſt contra populum ſuum Iſrael, erit igitur mihi ſeruus ſempiternus.* Regi facile perſuaſit, inquit Ioſephus, [a] *vt crederet, quod verum eſſe vehementer cupiebat. Sperabat enim Dauidem ſi hoſtiliter gentem propriam tractaſſet, precluſo reditu, ſemper poſthac obnoxium ſe habiturum.* Et illi contra quoſcumque vſui fore; ſimulque ſe grauem aduerſarium genti ſuæ ſuſtuliſſe, & in benefactorem conuertiſſe, ſibi gratulabatur. In Hebræo maior vis eſt in verbis, habent enim, *fœtere fecit opera ſua apud Iſrael*; id eſt reddidit ſe inuiſum & odioſum, imo execrabilem ac deteſtandum. Cæterum ſunt qui putent Dauidem hoc tempore pſal. 119. ſcripſiſſe cum cogeretur exulare apud impios, & apud Cedarenos populabundus oberrare. Quibus tam verba pſalmi, quam ipſa ſententia non videntur admodum fauere.

XXII. *Perſuaſit Achis ſe Iſraelitas diuexare prædando.*

[a] l. 6. c. 14. fin.

POSTREMIS Saulis annis contigiſſe Gabaonitarum vexationem, [b] à Saule volente eos, zelo non bono, exterminare de medio Iſraelitarum, colligi poteſt ex Theodoreto in lib 2. Regum. [c] Agens enim de ea fame, qua per triennum, ſub finem regni Dauidis, afflicti ſunt Iſraelitæ. *Totus populus*, inquit, *fecerat fœdus cum Gabaonitis. Iuriſiurandi autem particeps fuit & ſacerdos Eleazar, & Ieſus Propheta. Oportebat ergo eos, qui genus duxerant ab iis qui iurarant, facta fœdera non tranſilire. Regi autem contra legem facienti perſuadere, vt ſeruaret iuſiurandum. Propterea enim poſt illius mortem ſuſtinuerunt famis caſtigationem. Per hæc autem nos docet, qui omnia ſapienter adminiſtrat, quod etiam ſi diuturna vtens lenitate ac patientia, non inferat ſtatim pœnam legis non obſeruatæ, poſtea tamen iuſta exigit ſupplicia, ſicut tunc certe fecit. Nam cum 40. anni præteriiſſent, nubes quidem alligauit ne parerent; ſterilitatis autem morbo terram ſubiecit, & fame puniit eius habitatores.* Sed hæc ad pœnam pertinent, culpam videamus.

XXIII. *Saul vexat Gabaonitas*

Contra iuſiurandum, ex Theodoreto.

[b] 2. Reg. 21.

[c] q. 44. in 2. Reg. & Abul. q. 6. ibid.

GABAONITÆ eam explicant, cum Dauidi roganti quid expiationis nomine requirerent, dixerunt, *virum qui attriuit nos, & oppreſſit iniquè, ita delere debemus, vt ne vnus quidem reſiduus ſit de ſtirpe eius, in cunctis finibus Iſrael.* Verum nondum ſatis explicata eſt iſta vexatio. Multos ab Saule, & filiis eius Gabaonitas, leuibus de cauſis interfectos ſignificauit Dominus, cum ait famem immiſſam triennio in populum; *propter Saul, & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Vbi traditio hebraica fert filios Saul, cum Doeg Idumæo interfeciſſe ſacerdotes, & Gabaonitas in Nobe. Nimirum cum deleret totam vrbem, in qua erat tabernaculum, plurimos quoque Gabaonitas, qui ibi miniſtrabant Domino lignis ad ſacrificia, & aquis ad ablutiones comportandis, eadem opera interfecit. Verum hæc Gabaonitarum cædes non fuiſſet ex zelo, quo Saulem motum fuiſſe ſcriptura teſtatur: ſed ex odio in Dauidem. Itaque ex accidente occiſi fuiſſent, ſicut & reliqui ciues, & non dedita opera, vt diſputat Abulenſis [d] in eum locum, & obſeruat ex Hebræo, vbi dicitur Saul cogitaſſe occidere Gabaonitas; aliæ ergo ab his fuerunt Gabaonitarum cædes.

XXIV. *Quæ illa vexatio.*

An in Nobe.

[d] q. 11 in c. 21.

ZELVM autem iſtum, harum cædium ſuaſorem explicant Iudæi in tradit. in hunc locum [e] vbi ſcriptura ſic habet, *filii Iſrael iurauerant Gabaonitis. & voluit Saul percutere eos Zelo, quaſi pro filiis Iſrael & Iuda, dicens*, inquiunt illi, *Ieſue gratis eoſdem Gabaonitas viuere permiſiſſe; & filiis Iſrael & Iuda prædam eorum iniuſte abſtuliſſe, idcirco eos perimere iubet, quaſi pro Zelo Iſrael & Iuda. Huius vltionis cauſa*, id eſt occaſio, *in Gabaonitas Achimel. ſacerdos extitit.* Hæc ibi. Sed non ex zelo & cogitato interfecti fuiſſent, ſi ex occaſione tantū, vt iam dicebamus. Prædam autem intelligunt, vrbes eorum & bona, quæ diſtributa fuiſſent Iſraelitis, ſi ipſi fuiſſēt occiſi. Verum hic ruinoſo nitūtur Hebræi fundamento: nam eorum vrbes Iſraelitis diſtributæ fuerant, Cariathiarim tribui Iudæ, Gabaon, Caphira, & Beroth, tribui Beniamin. [f] Zelus

XXV. *Zelus Saulis contra Gabaonitas.*

[e] apud Hier.

[f] Ioſ. 15 & 18.

ergo Saulis fuit quod exiſtimauit Ioſue, & Eleazerum, & optimates populi non potuiſſe vitam Gabaonitis dare, contra diuinum præceptum, quo Chananæi omnes capite dãnati fuerant; eorumque iuſiurandum irritum fuiſſe; itaque & illos peccaſſe, & poſteros eorum, qui Gabaonitas permittebant viuere, peccati eiuſdem eſſe participes.

XXVI. *Improbatur, & arguitur crudelitatis, & imprudentiæ.*

VERVM hic zelus hominis erat nimium crudelis, [a] vt propterea Dominus domum eius domum ſanguinum appellaret, & iudicij in re tanta nimium præcipitis; Exiſtimare enim debuit maiores ſuos iuſiurandi religione, aut certe opinione præpeditos, ſuper ea re Dominum conſuluiſſe, eoque indulgente in viuis fuiſſe retentos, præſertim cum ad Iudaiſmum eſſent conuerſi, & ſatis laborioſo miniſterio, in tabernaculo Domini in perpetuum mancipati. Et ſicut indulgentia vſi fuerant Iſraëlitæ in Rahab, totamque eius cognationem, quamuis eſſent omnes Chananæi, neque Saule, neque alio quoquam improbante, ita & Gabaonitas à communi lege eximere potuerunt. Quod ſi quæratur cur non omnes occiderit Saul, cum eos putaret omnes mortis reos, hoc ipſo quod eſſent Gabaonitæ. Reſpondet Abulen. [b] id factum eſſe, vel quia mox mordente Saulem atque angente conſcientia, rem inchoatam reliquit; ſicut Dauid inchoatam populi enumerationem non abſoluit; vel quia populus, qui ante in eam crudelitatem conſenſerat, eorum querelis ac lamentis flexus, Saulem in ſuſcepto facinore progredi non eſt paſſus. Et hæc quidem de Gabaonitis hoc loco ſufficiunt, cætera ſuo loco reddemus.

Cur non omnes ſunt occiſi.

a vide Abul. q 16. in c. 21. 2. Reg.

b q 17 ibid.

XXVIII. *Philiſthæi parant bellum contra hebræos.*

FACTVM *eſt autem in diebus illis*, [c] quibus ſcilicet Dauid habitabat in Siceleg, ſub tutela Gethæi regis, expletis in ea commoratione. 4. menſibus, vt paulo ante dictum eſt, [d] *congregauerunt Philiſtym agmina ſua, vt præparentur ad bellum.* Conuenit videlicet inter Philiſthæos bellum gerendum aduerſus Iſraëlitas, & ſingulis in ſatrapiis conſcribendum militem, omniaque ad bellum neceſſaria præparanda, vt mox ſinguli reguli, cum ſuis agminibus, in aſſignatum locum confluerent ad bellum gerendum. *Palæſtinis copias vndiq. contrahentibus*, ait Ioſephus, [e] *delectuque per ſingulas gentes ac regna, & ſatrapias habito, nouiſſimus venit cum ſuo milite Anchus, &c.* Cauſam belli huius præter inueteratum odium, & immortales inimicitias inter vtrumque populum, facile inueniunt, qui putant Dauidem etiam contra Philiſtæos à Gethæo rege remotiores excurriſſe. Putant enim iis excurſionibus iacta fuiſſe ſemina maximi huius, funeſtiſſimique belli. Cum enim Dauid cum ſuorum expedita cohorte Philiſthæos, eorumque vel ſubditos vel amicos crebris maximeque cruentis cladibus excurrendo fatigaſſet; idque illi Sauli, & eius militibus tribuerent, quæ à Dauide, cæteriſque profugis fiebant Saule inſcio, legitimo bello iſta velitationum damna vindicanda putauerunt.

c ca. 28. 1.

d ca 29. ſupra n. 12. & 13.

e lib 6. c 15.

Quæ belli cauſæ.

XXVIII. *Alia cauſa, ex parte Dei.*

QVI autem immunes fuiſſe malunt Philiſthæos ab excurſionibus Dauidis, communi quod dixi odio contenti eſſe poſſunt, addito deſiderio redintegrandæ dominationis in hebræos, quam illi iam pridem excuſſerant. Addent etiam authore Toſtato, incitantem Deum, atque euocantem prophanos hoſce populos, ad Saulis, populique eius multa, magnaque crimina vindicanda: vt poſtea Aſſyrios in regnum Iſraëlitarum; & Babylonios in regnum Iuda euocauit, armis animiſque inſtruxit, redditque victores. Volebat quoque Dominus, per inimicorum ſuorum manus, auferre impedimenta regni Dauidis, cuius patientiam, labores, atque ærumnas, tot iam annis exantlatas, regno populi ſui munerari cupiebat, impedimento autem deſtinato Dauidis regno erant, Saul & filij, qui ei ſucceſſuri erant, quos Philiſthæi hoc bello ſuſtulerunt. Hanc vtramque cauſam Samuel, mox apparens Sauli, aperuit verbis iſtis [f]. *Faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid; quia non obediſti voci Domini, neque feciſti iram furoris eius in Amalec. Et dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manus Philiſthijm.*

f ca. 28 v. 17.

XXIX. *Achis Dauidem ſecum ducere ſtatuit.*

CVM ergo Accaronitæ, Azotij, Gazæi, Aſcalonitæ, pro ſe quiſque certatim copias ſuas pararent ad bellum, Rex Achis ad hoc bellum iturus, deſtinauit animo ſecum ducere Dauidem cum ſuis, multum præſidij in eius virtute collocans; multum fidei præcedentibus excurſionibus tribuens, quas pro Philiſthæis contra Iſraëlitas factas putabant. Nec deſtinauit tantum, ſed Dauidi etiam denun-

ciauit dicens [a]. *Sciens nunc ſcito quoniam mecum egredieris in caſtris tu, & viri tui. Cui reſpondit Dauid; Nunc ſcies quæ facturus eſt ſeruus tuus*; quomodo videlicet tibi ſim obſecuturus, quam fortiter pro te pugnaturus. Quæ candide interpretatus Rex ait, *Et ego cuſtodem capitis mei ponam te cunctis diebus.* Quæ ſic explicat Ioſephus. *Danide prompte operam pollicente, & dicente adeſſe tempus referendæ hoſpitalis gratiæ: Rex contra, quo magis eum ſibi deuinciret, promiſit ſe eum re bene geſta, in ſummo apud ſe honore habiturum, & ſatellitio ſuo præpoſiturum.*

a ca. 18. v. 1. & 2. l. 6. ant. c. 14. ſi.

Cæterum anceps eſt hic locus contra Dauidem, & vtramuis i. partem accipiamus, non leuis culpæ reus conſtitui videtur. Nam ſi ex animo promiſit regi infideli fidelem operam contra Iſraëlitas, impius in Deum fuerit, & in gentem ſuam, iuuando idololatras, Dei, & populi eius capitales hoſtes, & inſuper impugnator populi, cuius à Deo rex electus, & inunctus fuerat. Sin ex animo non promiſit, mendacem eum, & fallacem, & benefactoris ſui proditorum fateamur neceſſe eſt. Exiſtimat Abulenſis Dauidem habuiſſe voluntatem pugnandi pro Iſraëlitis contra Philiſthæos, propter dictas rationes. Idque recte conijciebant ipſorum principes, cum authores fuerunt Achi eum dimittendi. Neque negat contra mentem, atque intentionem ſuam locutum eſſe Dauidem, vt iam aliquoties fecerat, cum de ſuis excurſionibus cum rege loqueretur. Nec tamen illi fuiſſe propoſitum pugnare contra Achis, ſed contra cæteros Philiſthæos, quibus neque fidem dederat, neque ab eis beneficium vllum acceperat. Alij aliter huic difficultati ſatisfacere conantur.

XXX. *Quomodo Dauid promittat operam ſuam Achi.*

Prior reſponſio.

E quibus miratur Caietanum [b] audacter affirmantem Dauidem intendiſſe proditoriè conuertere arma in Philiſthæos; idque ex aliis eius factis ait reddi credibile; vt qui ingratiſſimus fuerit Ionathæ, & Vriam prodiderit; *multo ergo magis*, inquit, *ingratus & proditor Achis fuiſſet.* Quis non contra iſtam coniectandi, ac dicendi licentiam iure ſuccenſeat? Nonne ei merito dixerimus, *Parcius iſta viris tamen obijcienda memento.*

b ca. 28. in 1. Reg.

XXXI. *Caietanus in Dauidem inuehitur.*

Viris præſertim, quorum in laudem tam illuſtria extant ipſius Dei teſtimonia, viris omnium confeſſione ſanctiſſimis, & pro quorum defenſione omnem mouere lapidem oporteat, priuſquam eos fateamur reos. Quanto ſapientius ac modeſtius Abulenſis, ait videri pugnaturum fuiſſe contra Philiſthæos, quibus nec fidem dederat, nec gratiam reddere oportebat; contra Achis vero non pugnaturum, cui & fidei, & gratiæ nomine erat adſtrictus, vt iam diximus. De ingratitudine in Ionathan ſuo loco viderimus, conſecutio certe infirma eſt: & licentius vſurpata in prophetam omni prædicatione maiorem: in Dauidem, omnium ſanctorum eccleſiæ doctorum literis, linguiſque celebratum.

In quem tamen neſcio quid fellis habuiſſe videtur in pectore Caietanus, qui eodem loco ait Dauidem multo maiora peccata commiſiſſe, quam Saulem, vt à regno excluderetur; ſeuero ſane atque atroci iudicio; & vt opinor, falſo. Nam ſi omnia peccata vtriuſque in vnum quaſi cumulum congerere vult, atque inter ſe componere, vt iis in pœnam excluſio à regno in Saule facta, in Dauide merita rependatur, quis non videt Olympum ipſum aut Caucaſum vni lapillo comparari? Dauid vnum hominem occidit iniuſte. Saul 85. ſacerdotes; & tot ſacrilegis cædibus non contentus, in totam vrbem incredibili furore bacchatus, nulli ſexui, nulli ætati; nulli animanti pepercit, Dauid Vriæ mortem mandauit ſemel. Saul totis pone octo annis Dauidem generum ſuum quæſiuit ad mortem, & iniuſtiſſimam necis huius voluntatem millies iterauit; Adde gẽtem Gabaonitarum iniuſtis cædibus exterminatam, ac pene deletam. Vni autem adulterio nonne ſacrilegè violatum anathema Amalecitanum, quod Scriptura toties ingerit, atque inculcat; & conſulta pythoniſſa longè, multumque præponderat?

Ibid.

XXXII. *Alia in eundem querela.*

Sin autem omnia peccata Dauidis vni Saulis peccato opponit, quo regno abdicatus eſt, iniuſte facit, cum ſingula ſingulis componi par ſit, præſertim cum id peccatum propter quod Saul regno excidiſſe cenſetur, non vnicum fuerit, ſed primum. Nam ad violationem anathematis, Scriptura [c] peccatum conſultæ pythoniſſæ adiungit, ob quod regnum ſibi ſuiſque perdiderit, quod ex genere

XXXIV. *Defenditur Dauid.*

c 1. Paral. 10.

ſuo ad idololatriam pertinet, & adulterio grauius eſt, atque homicidio. Verum eadem Scriptura videtur non vni peccato Saulis vnam pœnam aſſignare voluiſſe; ſed omnibus eius ſceleribus, tam mortem ipſius, quam regni priuationem, quaſi in altera lance appendiſſe. Sic enim ait. *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit mandatum domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud. Sed inſuper etiam pythoniſſam conſuluerit, ne ſperauerit in domino. Propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai.*

XXXIV. *Culpa Saulis in Amalecitano bello.* ECQVIS autem dubitet peccatum Saulis in Amalecitano negotio fuiſſe grauiſſimum, & infinitis pene partibus grauius, quam ſacrilegium Achan? propter quod tamen primum 36 homines hoſtili ferro ceciderunt [a]; deinde ipſiusmet Sacrilegi, tum filiorum ac filiarũ eius nece vindicatũ eſt; in cuius denique vindictæ cumulum, omnia quæ ad ipſum pertinebant vorax flamma cõſumpſit. Quid eſt autem præda Achani, ad prædam Saulis, aut vnius hominis, ad vniuerſi populi ſacrilegium, quod Saule? aut præeunte, aut conniuẽte perpetratum eſt. Ecquis inquam dubitet fuiſſe grauiſſimum, cum tale ſit à Deo ipſo iudicatum? Videtur ſane Caietani non rectus pro Saule zelus, in quandam Dei accuſationem redundare, dum ait *vnicum, & non grauiſſimum Saulis peccatum, illi à Deo imputatum ad tam grauem pœnam.* Deus certè iniuſtus non eſt, vt pœnam conſtituat delicto grauiorem; & contra propriam legem faciat, non attemperans ad menſuram delicti plagarum modum. Ita videlicet homunculi iudicamus, dum peccatorum grauitatem, ex diuinæ maieſtatis infinitate non ponderamus.

a Ioſ. 7.

XXXV. *Altera reſponſio pro Dauide.* CÆTERVM vt eo reuertamur vnde modico deflexit oratio, ea mihi videtur commodiſſima expoſitio, vt dicamus Dauidem in tam lubrico, & ancipiti loco, ad Deum more ſolito recurrendo, ſe totum diuinæ ipſius prouidentiæ commiſiſſe, certum exequi quod ille iuſſiſſet, ſiue pro Saule, ſiue pro Achis; nec defuit dominus in hoc ſalo fluctuanti. Interuentu ſiquidẽ Satraparum curauit illum dimitti, vt cum bona Gethæi regis gratia, neque pro ipſo, neque contra ipſum pugnaret. Quod ad verba vero attinet, apparet nihil eſſe mentitum, quia reuera nihil certi promiſit; licet Rex in proniorem ſignificationem verba Dauidis acceperit. Ex quo etiam intelligitur eum non ad regis mentem, ſed ad ſuam, quæ ex diuina diſpoſitione pendebat, fuiſſe locutum. Diuinæ autem voluntati omnem in partem obſequi, non culpæ vlli, ſed magnæ laudi tribuendum eſt. Sic & alias Dominus voluit Dauidem in ancipiti alternantem verſari, vſque ad extremum neceſſitatis articulum, quo illum mirabiliter ex ambiguo difficultatis eripuit, vt cum pene cinctus copiis Saulis deſperabat ſe poſſe euadere ſine pugna cum ſuis; & rurſum in ſpelunca, cum dubius de inferenda Sauli morte, oram tantum chlamydis abſcidit. Iam ad reliqua pergamus.

Non videri mentitum.

XXXVI. *Saulis ſollicitudo.* DVM apud Philiſthæos omnia vbique apparatu bellico circumſonant, diu Sauli ignotus eſſe non potuit, ſed rem omnem ſiue per exploratores ſuos, ſiue per aliquam de Dauidis cohorte ad ſuos in patriam ſcribente didicit. Itaque animo pro periculi magnitudine vehementer æſtuans, & ad auxilia diuina, humanáque circumſpiciens, à Deo primùm, quid facto eſſet opus, ſcire deſiderauit. Et Samuelem quidem prophetam libenter aditurus erat, per eum diuinum oraculum ſciſcitaturus; ſed iam alter ab eius morte agebatur annus. Itaque hoc ſiue perfugio, ſiue præſidio carebat Saul; quamquam apparet ne in viuo quidem quidquam auxilij inuenturum fuiſſe. Cum enim Dominus illi eſſet infenſus, & implacabilem aduerſus infelicem principem iracundiam ſuam ſilentio demonſtrare vellet, ne per Samuelem quidem illi reſponſurus erat: paternam tamen aliquam monitionem accepiſſet ab eo, qua, dum adhuc licebat, vtilius animæ ſuæ, prudentiuſque conſuleret; Sed iratus dominus ſanctos viros aliquando, prudenteſque monitores principibus eripit, quo fit vt animi ſui perturbationibus, & dæmonum pernicioſis ſuggeſtionibus famulentur, & pereant.

Samuel viuus nihil reſpondiſſet Sauli.

XXXVII. *Cur iteretur mors Samuelis.* SAVL itaque aditurus erat Samuelem, ſed eo dudum priuatus ad pythoniſſam confugit, & hac de cauſa putant hebræi iteratam hoc loco mentionem defuncti Samuelis: ad quam nihilominus, vt erat impos ſui, ac vehementer perturbatus, apparet aditurum fuiſſe, cum conſultus Dominus, neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per prophetas, neque per Samuelem ipſum reſponſum vllum

Rabb. Salom. & Kimhi.

daret; & impatientius non tam verbis, quam factis ipſis dicturum; *flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta mouebo.* Rectius autem interpretes noſtri [a] memoratam aiunt iterum Samuelis mortẽ, eo quod de eius euocatione ex inferis interuentu Pythoniſſæ, poſtmodum agendum erat, *Narraturus de ventiloqua*, inquit, Theodoretus,[b] & cum eo Procopius, *neceſſe habuit meminiſſe deceſſus Samuelis.* Eademque de cauſa cum ſcripturus eſſet Scriptor ſacer difficultatem inueniendæ huiuſmodi muliercula, & euocandi per eam Samuelem, præmittit, & ex occaſione refert egregium Saulis facinus, quo *abſtulit magos & hariolos de terra*, eo videlicet tempore, quo non erat melior ipſo in populo. Additur in antiquis exemplaribus, *& interfecit eos, qui pithones habebant in ventre*, ſed ea verba tanquam adiectitia, de bibliis emendatis ſublata ſunt; græca tamen pro magis & ariolis, habent ἐγγαστριμύθους, ϗ γνώστας, id eſt, ventriloquos & cognitores, ſiue ariolos, qui malis artibus rerum cognitionem à dæmonibus exquirunt.

[a] Lyran. Andreas. Abul. q. 6.
[b] q. 61.

2. *Propter eius euocationem.*

Magi à Saule exigi.

XXXVIII. *Res geſta in bello per dies ſingulos.*

ET hactenus quidem vtriuſq. gentis exercitus præparati ſunt ad bellum. Nunc ipſum bellum explicandum, & quantum fieri poterit, ſingula quæ ad ipſum pertinent, aut ei coniuncta ſunt, ad ſuos dies reuocanda; nam crebro tam reliquo libro primo, quam ſecundi principio memorantur, ac numerantur dies, noctéſque & earum initia & exitus; interſeruntur autem & diuerſæ narrationes, quaſi per parentheſim. Hoc ergo modo res tota videtur digerenda.

1. *Exercitus caſtra metantur.*

Primus belli dies eſt is, quo Philiſthæi venerunt, & caſtrametati ſunt in Sunam. 1. Reg. c. 28. v. 4. [c] quo ipſo die congregauit etiam Saul vniuerſum Iſraël, & venit in Gelboë, Ibidemque caſtra poſuit, Ibid.

[c] infra nu. 37. & ſeqq.

2. *Dauid dimittitur Saul Dominum conſulit.*

Poſtridie, qui fuit ſecundus belli dies, Philiſthæi caſtra diſponunt, eaque luſtrant *incedentes in centuriis & millibus*; [d] & in nouiſſimo agmine inueniunt Dauidem cum ſuis, cap. 29. 2. Eum dimittit Achis in poſterum diem diluculo verſ. 10. Ea caſtra cum vidiſſet Saul expauit; cap. 28. 3. & conſuluit Dominum, à quo per ſomnia, ſacerdotes aut prophetas, nullum reſponſum accepit. cap. 28. 6.

[d] infra n. 40. & ſeqq.

3. XXXIX. *Dauid diſcedit cum ſuis.*

TERTIO die ſummo mane Dauid migrat cum ſuis è caſtris Philiſthæorum verſus Siceleg [e] cap. 29. 11. & Philiſthæi aſcenderunt in Iezraël. ibid. Inſtat Saul, atque vrget vt reſponſum accipiat, nec exauditur. cap. 28. v. 6. Eodem die Amalecitæ inuadunt Siceleg, eamq. deprædantur, & ſuccendunt. c. 30. 1. Abul. q. 1. in id caput.

[e] infra n. 54. & ſeqq.

4. *Saul conſulit Deũ.*

Quarto die Dauid eſt in itinere è caſtris ad oppidum Siceleg. [f] Saul perſeuerat inquirendo reſponſa; nec dat interim pugnæ copiam Philiſthæis. Dauidi redeunti in Siceleg, adiungunt ſe Manaſſæi tribuni octo. 1. Paralip. c. 12. 19. 20. 21.

[f] infra n. 58. & ſeqq.

5. *Dauid in Siceleg.*

Quinto die, qui erat Dauidi tertius à digreſſu è caſtris, peruenit Siceleg cum ſuis, & agnita clade, poſt lamenta conſulit Dominum per pontificem, iubeturque perſequi latrunculos; quod illico exequitur, venitque eo die cum ſuis vſque ad torrentem Beſor, vbi ducenti laſſi ſubſtiterunt. ca. 30. 3. 4, 8. 9. indéque ductu pueri peruenit ad Amalecitas ſub veſperam, eoſque cædere cœpit. Eodem die Saul adit Pythoniſſam in Endor, ad quam noctu peruenit, eademque nocte iuſſit euocari Samuelem, à quo audit nuncium mortis ſuæ, & ſuorum in poſterum diem. cap. 28. 19. mox cibum accipit, & regreditur in caſtra tota nocte. cap. 28. 25.

infra n. 65. &c.

Saul adit pythoniſſam.

6. XL. *Pugnat infeliciter.*

SEXTO die pugnatum eſt infeliciter ab Hebræis. In ea pugna cecidit Saul cum filiis ſuis, plurimóque exercitu: cap. 31. Eodem die Dauid cecidit Amalecitas vſque ad veſperam. ca. 30. v. 17. Ioſeph. l. 7. Antiq. init.

infra n. 111. & 170.

7. *Corpora ſpoliantur: Dauid redit in Siceleg.*

Septimo die Philiſthæi ſpoliant interfectos, & præciderunt caput Saulis, &c. ca. 31. 8. nuncius adit Dauidem cum diademate, & armilla. 1. Reg. 1. v. 10. Hoc ipſo die Dauid reuertit cum præda ad ſuos, qui laſſi ſubſtiterant, & cum iis venit in Siceleg.

infra n. 136. &c.

Octauo die [g] manſit Dauid in Siceleg, adhuc ignarus cladis acceptæ ab Hebræis. 2. Reg. 1. v. 1. mittitque in Iuda nuncios cum parte prædæ. Caput Saulis circumfertur per vrbes Philiſthæorum ca. 31. v. 9. nuncius mortis Saulis

[g] n. 152.

eſt in itinere. Iabeſitæ corpora ſuſpenſa rapiunt.

9. *[D]auid reſ[...] [...]t mortem [S]aulis.*

Nono die [a], qui erat tertius à reditu in Siceleg, & quartus à clade in Gelboë, apparuit homo veniens de caſtris Saul, & nunciauit acceptam cladem. 2. Reg. 1. apparuit autem matutinis horis, & ieiunauit, & luxit Dauid cum ſuis vſque ad veſperam. ca. 1. v. 2. Eodem die Iabeſitæ corpora ſepeliunt.

Decimo die [b] videtur conſuluiſſe Dominum ſuper migratione ſua in aliquam vrbem Iuda. 2. Reg. 2. 1. Et iubetur ire in Hebron. Ibid. nunc quæ ad ſingulos dies pertinent diſtinctius paulo, atque exactius expendamus.

a n. 161.
Abul q. 4. in ca. 31.
b n. 192.

PRIMVS DIES BELLI.

XLI. *[P]hiliſthæi [c]ongregati [c]veniunt.*

PRIMVM diem belli appellamus eum, in quo Philiſthæi regionem Iſraëlitarum ingreſſi cum copiis ſuis, in ea caſtra metati ſunt, expectantes dum prælium explicata acie, collatis ſignis, infeſtis mucronibus committeretur. Ea de re ita Scriptura [c]; *Congregatique ſunt Philiſthijm, & venerunt* de Gaza, de Aſcalone, de Azoto, de Accarone, de Geth, ſinguli reguli cum legionibus ſuis. Cum enim ipſum Achis Gethæum regem affuiſſe conſtet, cum Dauide, atque ipſius cohorte, reliquos etiam 4 prouinciarum principes adfuiſſe merito credi poteſt. *[S]entit [A]bulenſ. &* Idque conijci ex eo poteſt, quod cum Achis ſatis imperioſe loquuntur [d]; *Quid ſibi volunt*, inquiunt, *Hebræi iſti?* Et. *Irati ſunt aduerſus eum principes Philiſthijm, & dixerunt ei, Reuertatur vir iſte, & ſedeat in loco ſuo.* mitius vtique, & moderatius cum rege acturi, niſi ei pares forent dignitate; præſertim cum eis Achis, vel inuitus, parere cogatur. Numerum copiarum neque Scriptura perſcripſit, neque Ioſephus diuinare conatus eſt. Fuiſſe autem immenſas copias, & vnum exercitum ex quinque conflatum, manifeſto argumento conijcitur, quod Saul etiam congregato vniuerſo Iſraële, viſis Philiſthæorum caſtris expauit.

c 1. Reg. 28. v. 4.
d q. 4. in c. 29.

XLII. *Et caſtrametantur in Suna.*

CASTRAMETATI ſunt autem in Sunam, circa videlicet Sunam ciuitatem, quæ fuit in tribu Iſachar, ad latus auſtrale montis Hermon, vt ait Adrichomius. [e] Diuus Hieronymus memorat vicum eiuſdem nominis, qui ſuo tempore erat in finibus Sebaſtæ, ſiue Samariæ, quæ erat in tribu Ephraim; inter quam & Iſachar, interiacet media tribus Manaſſe. Apparet diuerſa fuiſſe oppida, cum eorum ſitus totis tribubus diſtinguantur. Ex hac vrbe ortum habuit celebris illa Sunamitis Abiſag, [f] quæ Dauid ſenectutem fouebat, & ab Adonia Salomonis fratre in coniugium expetita eſt. Ex eadem orta eſt illa Sunamitis hoſpitio Heliſæi prophetæ celebris. In libro Ioſue. [g] vocatur Sunem, ſicut in Hebræo textu in hoc loco primi regum, Septuag. vocant Sonam, ſicut & Ioſephus. Qui tamen ait prius conueniſſe vniuerſos Philiſthæos in quendam locum nomine Rengam, vbi collectum exercitum Anchus ſiue Achis in hoſtem ducturus erat. *Renga.* Fuerit is locus in ipſis Paleſtinorum finibus; & nominatim Gethæorum, vt ſignificat idem Ioſephus, nulla eſt illius loci, ſub eo ſaltem nomine, in Scriptura, aut apud Adrichomium mentio, nulla apud Hieronymium, vel Euſebium in libro de locis hebraicis.

e In Iſachar. n. 57.
f 3. Reg. 1. 3. & ca. 2. v. 21. & 22.
g ca. 19. v. 18.

XLIII. *Copia Saulis quanta.*

CONGREGAVIT [h] *autem & Saul vniuerſum Iſraël, & venit in Gelboë.* Cum dicatur collectus vniuerſus Iſraël à Saule, qui ſciebat quanto ſtudio bellum pararetur à Philiſthæis, nihil opinor abſurdi dixero, ſi non minorem contra eos exercitum collectum dixero, quam contra Ammonitarum gentem multo minorem, contra quos legimus [i] Saulem & Samuelem habuiſſe ſub ſignis trecenta millia filiorum Iſraël, virorum autem Iuda triginta millia. Neque enim vllam ab eo tempore cladem acceperant, ſed aliis potius, in primiſque Philiſthæis, frequenter intulerant. *In Gelboë.* Et venit in Gelboë montem, imminenti clade deinceps vehementer nobilitatũ, quem Ioſephus ait ſitum fuiſſe è regione Sunam: in eadẽ nimirum tribu Iſachar, ſic vt Saul in Gelboë meridianam plagam occuparet; Philiſthæi autem Septentrionalem circa montes Hermon: vallis autem Iezraël eſſet vtrique exercitui interiecta, cuius poſtea mentio erit. c. 29. [k] ſicut & Aphec, quæ in eadem valle fuit, ad quam vſque caſtra hoſtilia protendebantur: vnde nec eò progreſſi dicuntur. Vt mirum ſit hanc Aphec à Toſtato [l] in tribu Iuda collocari. Alia enim eſt Apheca in Iudæ montanis iuxta Hebron. [m] & multorũ dierum itinere ab altera diſtat.

h c. 28. 4.
i 1. Reg. 11.
k ca. 29. v. 1. 11.
l in c. 29. q. 1. & 2.
m Ioſue 15. 53.

SECVNDVS BELLI DIES.

XLIV. *Philiſthæi copias ſuas obeunt.*

Philisthæi conſtitutis ad Sunam & Aphec caſtris poſtridie copias omnes obeunt, ac luſtrant; Id ſignificat ſcrip tura cum ait.[a] *Et ſatrapæ quidem Philiſthiim incedebant in centuriis & millibus.* Qui hic ſatrapæ dicuntur, & ſæpius in hoc libro, iidem reguli [b] in libro Ioſue appellantur. *Terra chanaam quæ in quinque regulos diuiditur.* In libro autem Iudicum, [c] *dereliquit quinque ſatrapas Philiſthinorum, omnemq; Chananæum.* Itaque ſatrapæ non ſunt hoc loco particulares duces, puta centuriones, aut chiliarchæ ſiue tribuni, qui ſubiectos habebant centenos millenoſue milites, ſed principes, quorum ſinguli multos ſub ſe centuriones, & chiliarchas habebant; ita vt eſſent quinque acies, ſiue agmina, multorum millium ſingula; in quorum nouiſſimo erat Dauid. [d] Obibant ergo hi reguli, non ſinguli ſingulas acies, ſed ſinguli vniuerſas, vt ex eo colligitur, quod plures ſimul Gethæum regem in cauſa Dauidis interrogant. Obibant, inquam, vt imperatores ſolent, ordinandi, adhortandi, videndique gratia, an omnia recte habeant; fortuitis etiam caſibus, euentiſque prouidendi.

XLV. *Inueniunt Dauidem.*

Haec videlicet cauſa fuit vt Dauid cum ſuis in exercitu Gethæi regis inueniretur. *Dauid autem & viri eius*, ait ſcriptura, *erant in nouiſſimo agmine cum Achis.* Id caue putes vllam ignauiæ notam redolere; cum ſit potius virtutis argumentum; erant enim Gethæi omnium Philiſthæorum fortiſſimi, teſte Goliatho Gethæo; ſignum potius eſt authoritatis, atque virtutis. Cum enim neceſſe ſit in quamuis magno exercitu, vnum eſſe Imperatorem, cui duces omnes ſubordinati ſint, talem fuiſſe Achin Ioſephus [e] non obſcure ſignificat, *Parabatur*, inquit, *tum bellum in Hebræos communi Palæſthinorum decreto, indicto omnibus eius nominis ſociis die, ad conueniendum in Rengam, vbi collectum exercitum Anchus in hoſtem ducturus erat.* Propriæ autem Imperatoris cohortes poſteriora in exercitu loca tenent. In his ex Romana diſciplina, erant triarii, viri fortiſſimi ſpectatæque virtutis, in quibus ſummum robur exercitus, & ſpes ſuprema victoriæ reſidebat. gethæos ergo quaſi Philiſthæorum triarios ſuſpicemur licet; in his autem erant Dauidici. *(In nouiſſimo agmine.)*

XLVI. *Pro eo loquitur Achis.*

Dixervntqve *principes Philiſthiim ad Achis*, [f] *Quid ſi volunt Hebræi iſti?* & facile ipſos, vel ex diſtincta dialecto noſſe poterant; vel ex diuerſa veſtium, armorumque forma; vel quia eos crebrius apud Achis in vrbe Geth viderant, ad quam vtrique ſubinde ventitabant. *Et ait Achis ad principes Philiſthiim. Num ignoratis Dauid, qui fuit ſeruus Saul regis Iſrael, & eſt apud me multis diebus, vel annis, & non inueni in eo quidquam, ex die qua transfugit ad me, vſque ad diem hanc.* De hac temporis mora, quæ affertur ad probandam ſatis ſpectatam probatamque Dauidis fidem, iam ſupra dictum eſt. [g] Nec diſplicet etiam nunc, alluſum ad illud tempus, quo Dauid venit ſolus ad Achis, & ſimulata ſtultitia diſceſſit. Potuit enim id apud regẽ hoc tẽpore, ſtabilita iam beneuolẽtia ac fide, cãdidè ac familiariter confiteri; licet Abul. [h] exiſtimet Achim nunquam ſciuiſſe, Dauidẽ apud ſe inſaniam ſimulaſſe.

XLVII. *Nolunt eũ habere cõmilitonem.*

Nihilominvs exiſtimarunt Philiſthæi, & quidem prudenter, infidum eſſe, & periculoſum auxilium hominis, peſſime de Philiſthæorum gente meriti; qui data occaſione, arma contra eos conuerſurus eſſet, pro quibus deſcenderat pugnaturus; vt ea ſatisfactione gratiam principis ſui redimeret, cum pernicie Philiſthinorum. Id cum achis non videretur ſatis intelligere, aut ſibi perſuadere; *Irati ſunt*, ait Scriptura, *aduerſus eum principes Philiſthiim, & dixerunt ei, Reuertatur vir iſte*; nimirum cum ſuis, *& ſedeat in loco ſuo, in quo conſtituiſti eum.* Prudenter & hoc quoque quippe non temerè id ſtatutum, ſed inito inter ipſos conſilio. Nam in 1. Paral. [i] vbi hæc hiſtoriæ huius particula refertur, ita ſcriptum eſt. *Non dimicauit Dauid cum eis, quia inito conſilio remiſerunt eum principes Philiſthinorum.* Prudenter inquam. Nolunt enim aduerſariorum copias ſexcentis fortiſſimis militibus qui inſtar multorum millium eſſe poſſint, roborare in perniciem ſuam. *Et non deſcendat*, inquiunt, *nobiſcum in prælium, ne fiat nobis aduerſarius cum præliari cœperimus. Quomodo enim aliter poterit placare dominum ſuum, niſi in capitibus noſtris?* ſiue, vt eſt in primo Paralip. *Periculo capitis noſtri reuertetur ad dominum ſuum Saul.* Inſigni videlicet aliquo facinore perpetrato, redimet ac redintegrabit ſuã cum Saule gratiam. *(Prudenter.)*

[a] c. 29. 1. [b] c. 13. 3. [c] c. 3. v. 3. [d] Abul. q. 4. in c. 29. [e] l. 6. ant. c. 14. fi. [f] c. 29. 3. [g] hoc anno u. 12. & 13. [h] q. 4 in c. 28. [i] c. 12. v. 19.

Nonne *iſte eſt Dauid, cui cantabant in choris dicentes, Percußit Saul in millibus ſuis, & Dauid in decem millibus ſuis.* [a] Hæc repetitio huius carminis eò videtur ſpectare, vt intelligat Achis, qui antiquam Dauidis fidem commendabat, eundem ipſum à pluribus quoque annis hoſtem eſſe Philiſthinorum; eorumque fortiſſimum, qui inſtar plurimorum bellatorum eſſe videbatur, quaſi ludibundum interfeciſſe: ideoque illi minime fidendum eſſe, ſed aduerſus hoſtem æternam authoritatem retinendam eſſe, vt apud Romanos veteri prouerbio iactabatur. A quo non admodum diſtat Eccleſiaſticus. [b] *Non credas*, inquit, *inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum æruginat, nequitia illius & ſi humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & cuſtodi te ab illo*, &c. Hic autem mirifice ſe prodit diuina in Dauidem prouidentia, quæ Philiſthæorum prudentia vtatur, vt cum Dauidis honore & vtilitate, à tam ancipiti quem dixi [c] loco eripiatur. Nam mox cum honore à rege poſt publicã laudationem dimittitur in oppidum ſuum, ne contra alterutros iniuſte pugnare cogatur. Vtilitas autem ex recuperatis omnibus ſuis, & deuictis Amalecitis, qui Siceleg eo abſente vaſtauerant, aperte cognoſcitur, quæ omnia alioqui perdita erant, nec fœminarum pudor erat in tuto, ſi Dauid iſti bello interfuiſſet. Acceſſit & illa vtilitas, quod habuit Dauid vnde poſſet pleroſque de Iſraelitis muneribus demereri, quibus facilior ipſi ad regnum via ſterneretur.

XLIV. Veteri inimico nõ fidendum. — *a ca. 29. v. 5* — *Diuina prouidentia in Dauidem.* — *b Eccl. 11. 10. 11.* — *c ca. 30. & 31.*

XLV. *Dauid dimittitur ab Achis.*

Cvm ergo videret Achis reliquos ſatrapas non permiſſuros Dauidem in ſuo exercitu militare, eum officioſe & cum laude dimittit; iniuria interim, quæ ipſi fieret, de eius fide dubitando excuſata; qui etiam ſe inuitum abire ſimulat, vt conceptam de ſe apud regem opinionem tueatur, atque amplificet. Res tota pulchrè morata eſt, & habet non inelegantem in ſimulatione venuſtatem. Sic autem à Scriptura refertur. *Vocauit ergo Achis Dauid, & ait ei, viuit Dominus quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo, & exitus tuus, & introitus tuus mecum eſt in caſtris*, grata mihi eſt, vehementerque probata conſuetudo tua, vt hominis in quo nihil fictum, nihil ſimulatum, nihil duplex. *Et non inueni in te quidquam mali ex die qua veniſti ad me, vſque in diem hanc, ſed ſatrapis non placẽs.* Vide hic rurſum reguli huius prudentiam, qui non retulit ad Dauidem cauſam, cur nollent Philiſthæi eum habere pugnæ ſocium, ne Dauidem eis infeſtum redderet, vt eorum diffidentiam, in ipſorummet capitibus vindicaret. Ioſephus quoque [d] in huius loci paraphraſi, id quoque prudenter tacendum putauit. Sic enim habet. *Equidem*, inquit, *fidem tuam ac virtutem compertam habens, ſocium huius expeditionis te aſſumpſi; ſed cæteris ducibus hoc non probatur.* Et ſane eximiæ laudis eſt reticere apud eos quorum intereſt, quæ eorum animos poſſint offendere, vt amica & iucũda pax inter homines conſeruetur. Id enim eſt eſſe εἰρηνοποιοὺς quos Chriſtus Dominus [e] filios Dei nuncupat; vice autem verſa qui diſſenſiones, diſſidiaque proſeminant, egregiã diabolo parenti ſuo operam nauant.

Eius prudentia. — *d l. 6. c. 15.* — *Pacifici.* — *e Math. 5. 9*

XLVI. *Dauidis ſuper ſua dimiſsione querela*

Revertere *ergo*, ait Achis, *& vade in pace, vt non offendas oculos ſatraparum Philiſthijm.* Pulchre autem ſeruit fabulæ Dauid, & ſpeciem retinens hominis de facta ſibi iniuria conquerentis. *Quid enim feci*, inquit, *& quid inueniſti in me ſeruo tuo, à die qua fui in conſpectu tuo, vſque in diem hanc, vt non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis?* ipſum vnum arguit, qui fidem eius habebat exploratã, & à quo vno demittebatur è prælio. Cęteri neq. eum norant, neq. ius aliquod in ipſũ habebant. Nihil autem reuera poterant ei obiicere, ex quo poſſent eum infidelitatis arguere. Neceſſaria porro erat hæc querela, ne alioqui tacitè confiteri videretur, non ſine cauſa, illos malè de ſeipſo ſuſpicari. Illud enim ſolemne eſt iis, qui ſunt alicuius criminis rei, vt ſi eis crimen obiiciatur, nec ſatis probationibus euincatur, acerbius conquerantur, quam ſi planè innocentes, atque eius criminis immunes eſſent. Cum ergo Dauid plurima in ſuis excurſionibus perpetraſſet, ob quæ Achis male de eo ſuſpicari poſſet, & ea non paterent, conqueritur grauiter, quod contra ipſum iniuſta ſuſpicio haberetur. Notauit Abulenſ. hoc loco non inuenuſtè. [f]

Neceſſaria. — *f q. 7. inc. 29.*

XLVII. *Achis eũ conſolatur.*

Achis autem Dauidem ſerio conſolatur, veritus ne is offenſus aliquid mali moliatur; ſociis eius riſum ægrè fortaſſe retinentibus. *Reſpondens* enim *Achis locutus eſt ad Dauid, Scio quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei. Sed principes Philiſthinorum dixerunt, non aſcendet nobiſcum in prælium.* Cæterum Philiſthæus hic agens

cum Hebræis ad eorum conſuetudinem, & loquendi modum ſeſe accommodat. Nam & paulo ante Hebræorum more iurauit, *viuit Dominus*, vſurpato etiam nomine tetragrãmato, & nunc angeli Dei meminit, ſicut à Dauide & ſuis, in familiari colloquio audierat vſurpari. Quamquam vicinitas terræ Iſraëlitarum, & Philiſthæorum, qui terminos habebant inter ſe communes, multa verba, loquendique modos efficere potuit vtriſque communes, vt in omnibus prouinciis docet experientia: Alia de Deo & angelis eius, ex opinione Achis, leges ſi placet, apud Abulenſem. [a]

a q 8 & 9 in c 29.

XLVIII. *Opinio de angelorum bonitate.*

ANTICIPATA, porro in animis noſtris opinio, de angelorum multiplici excellentia, huic & conſimilibus loquendi formulis locum dedit. Sicut enim hoc in loco [b] de eximia quapiam bonitate dicitur, *Bonus es tu in oculis meis, ſicut angelus Dei.* Ita de ſapientia inſigni dicebat prudens mulier Thecuitis Dauidi, [c] *Tu autem domine mi rex, ſapiens es, ſicut habet ſapientiam angelus Dei.* (*Sapientia,*) De ſumma authoritate & poteſtate dicebat eidem Miphiboſeth, [d] *Tu autem domine mi rex ſicut angelus Dei es, fac quod placitum eſt tibi.* Iuxta illud, [e] *potentes virtute, qui facitis verbum eius.* (*Poteſtate,*) De egregia pulchritudine eſt illud Eſtheris ad Aſſuerum; [f] *vidi te domine quaſi angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum, præ timore*, id eſt admiratione, *gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena gratiarum.* (*Pulchritudine,*) Et de S. Stephano legimus in Actis, [g] *Et intuentes eum omnes, qui ſedebant in conſilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.* quod de pulchritudine S. Auguſtinus interpretatur. Et mater Samſonis, [h] *Vir Dei*, inquit, *venit ad me, habens vultum angelicum terribilis nimis*: præ fulgore ſcilicet, & claritate, quæ eſt perfectio pulchritudinis. De puritate & caſtitate mentis & corporis vſurpat Chriſtus ipſe: [i] *In reſurrectione enim, neque nubent, neque nubentur: ſed erunt ſicut angeli Dei in cælo.* (*Puritate & caſtitate*) De immortalitate apud Lucam, [k] *Neque vltra mori poterunt; æquales enim angelis ſunt, & filij ſunt Dei.* (*Immortalitate.*) De omni denique perfectione & ſanctitate, [l] Paulus *Sicut angelum Dei excepiſtis me ſicut Chriſtum Ieſum.* (*Sanctitate.*)

b 1. Reg. 19. 9.
c 2. Reg 14.
d 2. Reg 19 27.
e Pſ 102. 20
f cap. 15. 16
g Act. 6 15.
h Iud. 13. 6.
i Math. 22. 30. & Marc 12. 25
k Luc. 20. 36.
l Galat. 4. 14.

XLIX. *Dimiſſio Dauidis.*

REDEAMVS porro ad Gæthæum regem, qui Dauidem dimittit in hæc verba, *Igitur conſurge mane tu, & ſerui domini tui qui venerunt tecum, & cum de nocte ſurrexeritis, & cœperit dilucescere pergite.* Fortaſſe ne ſi exercitus viderit vos recedentes, aliquid mali ſuſpicetur. Gregarij enim milites, qui cauſam non norant cur dimitterentur, putarent dilabi exercitum ſuum, & ſic animis deficere inciperent. Addit Ioſephus, *Quare confeſtim agrum*, imo vrbem, *quam tibi donaui repete, nihil de voluntate noſtra dubitãs, & illic eſto præſidio meæ regioni*: At longe erat Gethæorum prouincia à Siceleg, quæ erat in tribu Simeonis verſus Gazam, Geth autem erat in fine regionis Palæſtinorum ad Boream, ſi quid credimus Adrichomij tabulis, pergit. *Ne interim dũ cum exercitu abſum, hoſtes aliqui eam per occaſionẽ inuadant. Hoc enim pacto non minus amici, ac ſocij præſtiteris officiũ.* Hæc ibi. *Surrexit itaque de nocte Dauid*, [m] *ipſe & viri eius, vt proficiſcerentur mane, & reuerterentur ad terram Philiſthiim. Philiſthiim autem aſcenderunt in Iezrael*, id eſt, progreſſi ſunt verſus Saulem, [n] cuius copiæ erant partim in monte Gelboë, partim ad fontem, qui erat in Iezraël. [o]

m ca. 29. 11.
n cap. 28. 4.
o cap. 29. 1.

L. *Saul videt copias hoſtiles.*

INTERIM autem dum luſtrant copias ſuas Philiſthæi, Saul in quem ſumma maximi belli cura incumbebat, non diſtulit explorare quæ eſſent hoſtium vires, quantus exercitus, quis belli apparatus. *Et vidit Saul*, inquit Scriptura, [p] *caſtra Philiſthiim*; Ex alto quippe loco montis Gelboë facile fuit contemplari in ſubiecta planicie expanſa Philiſthæorum agmina; & agnoſcere quo quæq. loco conſediſſent; atque ex corporum motu, lætiſque clamoribus, quis vigor ac feruor animorum; quæ ſpes victoriæ, quantum pugnæ deſiderium. Vidit, *& timuit, & expauit cor eius nimis.* (*Et expaueſcit. & quare.*) Vnde autem Sauli hic tantus pauor? An quia multo maiores erant copiæ vireſque Philiſthæorum, quam Iſraëlitarum? At pridem ſub initiũ regni eius, [q] congregata ſunt contra Iſraëlitas 30. millia curuum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus innumerabile, cum vix ſexcenti viri cum Saule remanſiſſent; nec tamen dicitur timuiſſe, nedum ſupra modum expauiſſe. 1. Nimirum mens ſibi male conſcia, & multorum criminum rea, imminentem à Deo vindictam præſagiens, intimis ſenſibus commouebatur; 2. vt ſontibus contigit in carcere, dum ad tribunal iudicis euocantur. Nec diſplicet Abul. [r] qui ait Deum ingentem hunc timorem incuſſiſſe cordi eius, vt ex eo moueretur ad conſulendũ

p cap. 28. 5.
q 1. Reg 13. v. 5.
r q 12. in c. 28.

de euentu belli Dominum, & imminente ſibi morte cognita, dupliciter affligeretur; imo vt ad Deum, per veram pœnitentiam; rebus deſperatis rediret.

LI. *Recurrit ad Deum,* PRVDENTER itaque in hoc animi ſui æſtu, ac pauore, ad diuinum recurrit numen, vt ſolent ſæpenumero, qui humanis præſidiis deſtituti, quo ſe vertant, aut quid conſilii capiant non habent; nec recurrit tamen, vt malis animi ſui pene depoſiti mederetur; ſed vt auxilium, & conſilium in præſenti periculo ab eo acciperet, & ſi fieri poſſet, felicem belli exitum impetraret. Verum nunc maxime intellexit Saul, quod olim ipſe quoque fatebatur, [a] Dominum à ſe receſſiſſe. Senſit quam ei vere dixiſſet Samuel: [b] *Quia proieciſti ſermonem Domini, proiecit te Dominus ne ſis rex ſuper Iſrael.* Nam *conſuluit Dominum,* & quibuſcunque modis potuit exquiſiuit à Deo reſponſum, nec impetrauit: *nec exaudiitur.* quæſiuit per ſomnia, neque edoctus eſt in ſomnis, quia ſomnia & commenta improborum contra Dauidem loquentium, inconſulte attendebat, quorum erat illa oratio, [c] *Dauid quærit malum aduerſum te.* Quæſiuit per ſacerdotes, fruſtra, magno quippe numero dudum ſacerdotes crudeliter interfecerat: quæſiuit per prophetas, nullo fructu, nihil quippe eorum præſentiam reueritus, ex eorum medio Dauidem rapere ad mortem feſtinarat. [d]

[a] c. 18. 12. 26
[b] c. 13. v. 23.
[c] c. 24. v. 10
[d] Abul. q. 25 in c. 28.

LII. *An conſuluerit per ſomnia, ephod, prophetas.* CONSVLTATIO autem hæc difficultate non caret. Quãuis enim Dominus non raro in ſomnis reuelaret futura, aut incognita, non tantum prophetis, [e] ſed prophanis etiam hominibus, vt Pharaoni, & Nabuchodonoſori; id tamen erat edoceri per ſomnia, non conſulere Dominum per ſomnia. Deinde quomodo conſuluit per ſacerdotes, ſiue, vt eſt in hebræo, per vrim, cum pridem careret ephod pontificio, & rationali, quod ſecum abſtulerat Abiathar? quod Mariana quoque notauit. De inquiſitione per ſomnium dicũt aliqui, vt refert Lyra, nec improbat Abul. [f] & habetur in traditionibus hebraicis apud S. Hieron. eos qui vellẽt ad eo edoceri per ſomnia, præparaſſe ſe ante quietem per orationes & ieiunia, Deũque in ſomnis ſolitum eis reuelare, quod ſcire auerent; id autem à Saule non obſeruatum. *Non videtur.* Dicendum videtur, iuxta planiſſimam Scripturæ ſententiam, Saülem conſuluiſſe Dominum ſimpliciter, vt ſupra quoq; notauimus [g], orando videlicet, vt ei belli huius euentum reuelare dignaretur; idque quo ei modo maximè placeret. Deũ autem nullo modo reuelare voluiſſe, neque per ſomnia, neque alia quauis ratione. Itaq. non ait Scriptura Saulem conſuluiſſe Dominum per ſomnia, ſed conſuluiſſe dumtaxat; Dominum autem neque hoc, neque illo modo reſpondere voluiſſe. Idque hebræo & græco textui plane conſentaneum eſt.

[e] Num. 12. 6.
[f] q. 21. in c. 28.
[g] a. m. 2974 n. 55.

LIII. *Improbatur conſultatio per ſomnia.* ITAQVE conſultatio per ſomnia, quam fatetur Abulen. nullo ex loco autentico haberi, valere poteſt, cum ea ne ex eo quidem loco probetur. Non cõſuluit quoque per vrim & rationale ſummi ſacerdotis, quo carebat vt dixi, idq. confirmatur, ex eo quod Saul mox loquens cum Samuele, nullam vel vrim, vel ſacerdotum mentionem fecit, DEVS, inquit, [h] *receßit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per ſomnia;* per prophetas ergo, aut per ſacerdotes, ſi qui tunc apud eum erant, non aliter videtur conſuluiſſe Dominum, quam monendo vt Deum orarent, vt aliqua ratione notum facere dignaretur, quod rogabatur. Sed omnia oracula conticuerunt, Deo iram ſuam in Saulem ſilentio inſolito prodente, quem cum infimis precibus, lacrymiſque placatum oporteret, peccata peccatis accumulans Saul, ad dæmonum oracula confugit, perpetrans ſcelus, quod ipſemet antea maleficorum iſtorum proſcriptione dãnauerat; quoſq. Dominus ipſe per Moſem interfici iuſſerat [i] *Vir ſiue mulier in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos:* Verum de hac conſultatione diligentius agetur die quinto, quo eam fieri contigit.

[h] c. 28. v. 15.
[i] Leuit. 20. 27.

TERTIVS BELLI DIES.

LVIII. *Amalecita vaſtant Sicelег.* DILVCVLO huius tertij dies proficiſcitur Dauid cum ſuis in Siceleg, vt ante ex cap. 29. extremo dictum eſt, [k] & Philiſthæi promouerunt caſtra ſua in Iezraël verſus Saulem. Qui hodie quoque vrget reſponſionem à Domino, tanto ſtudioſius, quo magis periculum intendebatur, & expectabat ſi forte Dominus 2. die per prophetas, aut 2. nocte per ſomnia alicuius auriculam reuelaret.

[k] nu. 49.

Ratio temporis. Hoc ipſo die cladem in Siceleg ab Amaleticis contigiſſe cenſet Abul. [l] idq.

[l] q. 1. in c. 30.

idque colligitur ex eo, quod Dauid peruenit in oppidū ſuum tertio die à digreſſu è caſtris, vt dicitur initio capitis 30, qui erat dies belli quintus, vt Serario quoq; placet. Eodem ipſo die perſecutus eſt hoſtem, & inuenit puerum tertium iam diem cibo carentem à Domino ſuo derelictum: quod ſcilicet propter ægritudinē abeuntem cum ſociis herum ſequi non poſſet. Cum ergo dies tertii concurrant, is ſcilicet quo Dauid peruenit in Siceleg, & is quo ægrotabat puer, ab hero derelictus, ſequitur vt dies quoq. primi conueniant, ille ſcilicet quo Dauid digreſſus eſt à caſtris, & quo Amalecitæ vaſtarunt Siceleg. Nec eſt abſurdum Dauidem vno die confeciſſe iter, in quo Amalecitæ recedentes triduum poſuerant. nam Dauid qui valde mature è caſtris mane diſceſſerat, maturius etiā, & antemeridianis horis die tertia, ſiue quinta belli, peruenit in Siceleg. Amalecitæ autem, qui hoſtem admodum abeſſe ſciebant; neque feſtinato ex vrbe incenſa exierunt, ſed tardius neque accelerarunt iter, vt qui graues erant præda, & Dauidem in Iezrael pugnare credebant. Hæc de tempore, rem ipſam videamus. *ratio temporis.*

LIX. *Occaſio excurſionis Amalecitarum.*

Reliquiæ Amalecitarum, qui ad meridiem terræ Iſrael habitabant Aegytum verſus, aliquoties iam cladibus à Dauide, & cohorte eius affecti, cum in omnem eſſent occaſionem vltionis intenti, cognita eius ad bellum perfectione, cum rege Achis; arma præcipites capiunt, & cum alia loca Hebræorum populantur, tum maxime Siceleg propugnatoribus vacuam, & præda refertam, eamque rebus & hominibus prius ſpoliatam ſuccendunt. Et aliis quidem etiam locis Iſraelitarum infeſti fuerunt. Nam famulus ille, quam ſemimortuum Dauid offendit in via; *Erupimus*, inquit, *ad auſtralem plagam Cerethi*; Cerethæos R. Dauid interpretat, Philiſthæos, alii quandam eius prouinciam vt Vatablus & Abul. quod ſi ita eſt, pertinebat is locus ad Satrapam Gazæum, qui omnium Philiſthæorum maxime ad auſtrum vergit. Inde progreſſi ſunt contra terram Iuda montanam, in qua poſteri Calebi habitabant, & ibi quoque coegere prædas. Denique venerunt in Siceleg, in quam præ cæteris locis graſſati ſunt incendio, vtique in odium Dauidis, & ſociorum eius, à quibus iam ſæpius male accepti fuerant.

LX. *Præda è Siceleg.*

Collecta autem vniuerſa præda, & eductis ad ſeruitutem mulieribus & paruulis, vrbem ſuccenderunt. [a] *Et captiuas duxerant mulieres ex ea*, ait ſcriptura; ſed & omnes habitatores qui ibi reperti ſunt *à minimo vſque ad magnum*, *& non interfecerant quemquam . ſed ſecum duxerant*, *& pergebant cœpto itinere* patriam verſus. Putat Abulenſis [b] ſolas mulieres in Siceleg relictas, ſine vllo virorum præſidio; quod non exiguæ imprudentiæ Dauidem argueret; qui grauiſſimum odium vicinarum gentium iam contraxiſſet: idque ſibi ille perſuadet, quod eam vrbem ſolis ſexcentis viris Hebræis habitatam putat; nullo vtique fundamento. Oportuiſſet enim Siceleg ante Dauidis aduentum deſertam fuiſſe, aut pulſos ex ea veteres habitatores, quorum vtrumque abſurdum reor. Dicendum potius non defuiſſe eis indigenas, qui vrbem defenderent, ſed inundantem barbarorum multitudinem præualuiſſe. Mariana in notis ſuis, putat incolas ab hiſce prædonibus interfectos; pueris & fœminis parcitum; neminem autem interfectum de captiuis. Multitudo porro prædonum ex eo colligitur, quod cum à veſpera vſque ad ſequentis diei veſperam ad ſatietatem cæſi fuiſſent à Dauide, quadringenti tamen euaſerūt. Abduxerūt ergo cum mulieribus viros & liberos vtriuſq; ſexus. Nec repugnat quod infra dicitur [c] *Nec defuit quidquam à paruo vſq; ad magnum, tam de filiis, quam de filiabus*. Nam in Hebræo recepta hominum captiuitas, ad alios quoq; præter liberos extenditur; legitur enim, *& non defuit eis à paruo vſq; ad magnum;* quod ad ciues merito referimus, nam de pueris & puellis ſequitur, *& vſque ad filios & filias*, quæ diſtinctio etiam clarior eſt apud Septuaginta. *An careret propugnatorib.*

[a] c. 30. v. 2.
[b] q. 3. in c. 30.
[c] c. 30 19.

LXI. *Cur eam calamitatē permiſerit Deus.*

Quærit Theod. q. vlt. in hunc librum, Cur Deus permiſerit vt Iſraelitarum vxores & filii abducerentur in captiuitatem. Et reſpondet; vt reuerſi expeditionē facerent aduerſus Amalecitas, & conuenienter diuinæ prædictioni, eos penitus perderent. Permiſit ergo Dominus iſtam calamitatem, qui hanc Amalecitarum fæcem male perpetuo pullulantem, & peius à Saule reſeruatam, deſtinabat ad victimā; vt à nouo rege ſub initium regni ſui, iuſta vltione corrigeretur, quod antiquus initio principatus ſui, inobediētia præuaricatrice peccauerat. Sed effulſit hic quoque mirabilis Dei clementia in Iſraelitas, [d] qui non permiſerit quem- *Eius prouidentia in Iſraelitas.*

[d] Abul. q. 3. in c. 30.

quemquam aut virorum interfici, aut mulierum barbarico, ac militari victorum more violari; cum non deeſſet recens Dauidis exemplum, [a] qui neque viros, neque mulieres relinquebat in viuis. Mitigauit nimirum Dominus iuſtum, vt videbatur, barbarorum furorem, & paris vltionis vel memoriam, vel appetitum extinxit. Permittamus eos ouantes abire, dum Dauidem tertio mox die in ipſos infeſtum adducamus. a c.27. 9.11.

QVARTVS BELLI DIES.

LXII. *Saul perſeuerat conſulendo.*

QVARTVS agebatur belli dies, cum Saul perſeuerabat pulſando ad fores diuinæ miſerationis, ſi forte Dominus eius conſtantia, ac longanimitate flecteretur; meminerat quippe, ſe, præproperè agendo in Galgalis, magnam ſecurim rebus ſuis inflixiſſe. Sed expertus eſt nihilominus etiam nunc, quam vere dictum, ſibi eſſet à Samuele. [b] *Porro triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur; neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam.* Nec iure quiſquam mirabitur tandiu dilatum prælium à Philiſthæis, ſi meminerit 40. dies, quibus Goliath laceſſebat Iudæos, & vtraq; acies quieta ſubſiſtebat, donec quadrageſimo die ſuperuenit Dauid, qui proſtrato gigante initium pugnæ dedit, atque victoriæ. Erat nimirum Saul in editiore loco, nec faciebat hoſti pugnę copiam, quam non poterat Philiſthæus ex inferiore loco, niſi deteriore conditione, occupare. Res tamen in biduum tantum, vt dicetur, protracta eſt. b c.15. v.29.

LXIII. *Quidem à Saule ad Dauidem deficiunt.*

Hoc ipſo tempore, Sauli vtiq. importuniſſimo, ex parte renouatum eſt, quod pridem in Galgalis, eadem fere ex cauſa, atq. occaſione contigerat, vt multi vel Philiſthæorum metu, vel Dauidis amore, à Saule defluerent, atq. deficerent. Legimus enim in 1. Paral. [c] pleroſque milites egregios ſeſe de caſtris Saulis ſubduxiſſe: cum Dauid dimiſſus eſt in Siceleg, & ad Dauidē ſe adiunxiſſe; moxq. cum eo contra Amalecitas pugnaſſe. Exiſtimo autem id hoc quarto belli die contigiſſe. Cū enim eum heri diſceſſiſſe didiciſſent, poſtridie ad ipſum ſe contulere, vt perēdie cum ipſo pugnare poſſent. Idque narrationi Scripturæ admodum conſentaneum eſt. *Porro de Manaſſe*, inquit, *transfugerunt ad Dauid, quando veniebat cū Philiſthiim aduerſus Saul vt pugnaret.* Hæc temporis nota, laxior aliquāto eſt, ſed ea mox exactius traditur. pergit. *Et non dimicauit cum eis, quia inito conſilio remiſerunt eum principes Philiſthinorum*, & paulo poſt, *Quando igitur reuerſus eſt in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manaſſe.* In Hebræo ad verbum eſt, *in eundo ipſum ad Siceleg.* Græca regia, & Complutenſis editio habent ἐν τῷ πορεύεσθαι. Quod confirmat ibid Abul. [d] c c.12. 19. *de Manaſſe* d q.17. in c. 12.

LXIV. *Quis eorū numerus.*

NVMERVS porro iſtorum dubius eſt. Nam in Hebræo & Græco ſeptem duntaxat numerantur: in vulgata vnius nomen bis ponitur, improbante Mariana: dicunturque principes millium in Manaſſe, non militum, vt legit Abulenſ. græco, hebræo, & nunc latino textu repugnātibus. Erant ergo tribuni omnes ſiue chiliarchæ millenis ſinguli præpoſiti. Per millia intelligi quoque poſſe Mariana putat oppida, quomodo apud Michæam Bethlehē minima dicitur in millibus: itaq. ſinguli capita eſſent ſuorum oppidorum. Veniſſe autem eos ſolos, aut cum perpaucis, ex eo intelligitur, quod dicuntur præbuiſſe auxilium Dauidi aduerſus latrunculos. At non plures ſexcentis contra illos iuerunt ad pugnam, vt ex textu cōſtat, & totidem ex caſtris Philiſthæorum redierant. Oportet ergo numerum modicè auctum fuiſſe, vt in tota ſumma negligeretur. Quod autem dicuntur facti principes in exercitu Dauidis, intelligendum, ait Caiet. poſt eius regnum ſtabilitum. Interim à Dauide magna charitatis ſignificatione, multa à ſociis, qui dudū ad Dauidem ſe receperant, gratulatione recepti ſunt, & ſecū ad Siceleg deducti; quo poſtridie huius diei peruenerunt. Nec plura ad hunc diem pertinent. Abul. ibid.

QVINTVS BELLI DIES.

LXV. *Saul deſperato reſponſo, adit pythoniſſam.*

TOTIS iam tribus diebus perſeuerauerat Saul expetendo, expectandoq. diuino reſponſo; quo denique deſperato, impatiens moræ ad pythoniſſam confugit, vt eius opera, à Samuele propheta, quamuis defuncto, diſceret, quis futurus eſſet belli exitus; quod & obtinuit magno ſuo malo; nam maiore inde triſtitiæ fluctu

deiectus

deiectus miſer, atque abſorptus eſt: & ad reliqua peccata hoc nouum improbiſſimæ ſuperſtitionis adiecit. Infelix qui negligeret, aut non meminiſſet illud ex lege. [a] *Non inueniatur in te qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec diuinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.* Vt non mireris Saulem cum familia ſua deletum fuiſſe; cum, ſi ad hanc diem innocentiſſimè vixiſſet, hoc vno ſcelere admiſſo exterminari mereretur. Eædem prohibitiones alibi paſſim iterantur, & nominatim in Leuitico, [b] huiuſmodi hominem ſibi ipſi quaſi hoſtem depoſcere videtur, quem ipſe per ſe perſequatur ad mortem, *Anima*, inquit, *quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. Interficiam*, inquit, *illam.* Oraculum videri poſſit de Saule editum. Audi enim Scripturam. [c] *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit mandatum Domini, quod præceperat, & non cuſtodierit illud. Sed inſuper etiam pythoniſſam conſuluerit, nec ſperauerit in Domino, propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai.*

Contra Dei legem.

a Deut. 18. 10.

b Leuit. 19. 31. & c. 20. 6

c 1. Para. 10. fin.

LXVI. *Quando adierit.*

Ratio temporis perſpicua eſt. Hæc enim conſultatio pridie mortis Saulis facta eſt, quod ex verbis Samuelis aperte conſtat: [d] *Cras*, inquit, *tu & filii tui mecum eritis.* Nimirum hodie profectus eſt in Endor ad mulierem, nocte eam conſuluit; eademque ipſa nocte rediit ad caſtra, illuxit, pugnatum eſt, periit. Sexto autem die contigiſſe pugnam, ſequens narratio demonſtrabit. Ratus ergo Saul nihil ſibi vltra ſperandum à Deo, quem experiretur inexorabilem, ad dæmonem horribili defectione confugit. Dixit enim ſeruis ſuis, *Quærite mihi mulierem habentem pythonem, & vadam ad eam, & ſciſcitabor per illam*; belli ſcilicet huius euentum. Quantumuis Saul conatus eſſet improbiſſimam iſtorum hominum fecem extremis delere ſuppliciis, non dubitauit tamen euaſiſſe aliquem, ac ſupereſſe, mulierem pręſertim; nam hic ſexus leuior, curioſior, & ſicut ad pietatem, ita & ad ſuperſtitionem, damnataſque artes propenſior. Latent quoque facilius intra domeſticos parietes mulieres, quam viri, & facilius inueniunt quorum fauore occultentur. Nam hanc ipſam pythoniſſam Hebræi Abneris matrem fuiſſe, eiuſq. gratia ſeruatam fabulantur. 5 Denique ventriloqui viri nulli erant.

d c. 28. v. 19.

Vide Hier. in tra. heb.

5. ✕.

אוב

LXVII. *Quid pythoniſſa, & vnde dicta.*

Istivsmodi mulierculam quæ dicitur habens pythonem, ſiue pythoniſſa, ab Hebræis dicitur *domina ob*, ſiue oph, quod ob, ſiue pythonem haberet in poteſtate, vnde Serarius noſter tam ὄφιν ſerpentem, quam φύζειν deducit; ſed & python ſerpens eſt, ex quo Pythius Appollo, qui *centum pythona ſagittis* confeciſſe dicitur. Pythonem autem à putredine dictum, nam πύθειν eſt putrefacere, ſatis conſtat, quamuis Straboni viſum ab interrogatione deducere. Nam πύθομαι, ex quo ἐπυθόμην interrogare eſt, quod pythius ille maxime interrogaretur ab iis, qui ſcitatum oracula Phoebi mittebatur; ſed repugnat huic notationi quantitas, & ipſa ratio. Cæterum iſtiuſmodi pythoniſſam Septuag. vocant ἐγγαστρίμυθον, id eſt vẽtriloquam, ſiue ſermonem in ventre habentem, quod dæmon, vt quidam volunt, [e] per inferiora ventris deteſtabiles ederet voces. Quamuis enim multis aliis modis à dæmone corriperentur, aut eum apud ſe haberent, ventriloquæ tamen dicebantur; ad ſimilitudinem Pythiæ illius mulierculæ ſacrificulæ Apollinis, [f] quæ ſpiritũ fatidicum è cauerna effuſum, vtero concipiebat, & oracula digna obſcœniſſimo dæmone ſerpente antiquo reddebat. Abulenſis ore locutam putat. [g] quamuis ventriloquæ nomine repugnante.

e Vide Viuem in l. 7. de ciu. c. vl. & Cœlium Rhodig. l. 8. c. 10.

f Serar. in c. 28. 1. Reg.

g q. 8. in c. 28.

h q. 8. & 11. in c. 28.

LXIIX. *An habuerit in vẽtre pythonem.*

Varia genera maleficiorum 1 per ſigna.

Non enim habuiſſe hanc mulierem in ventre pythonem ex eo docet Abulen. [h] quod nulla reſponſa ſciſcitanti dederit, vt illæ ſolebant, ſed mortuũ excitarit ad loquendum, quod ad aliud ſuperſtitionis genus refertur: & viderit aſcendentes de terra deos, quod ad ventriloquas non pertinet. Quæ vt clariora fiant, dicamus ex eodem multis modis ab iſtis maleficis occulta reuelari. Primum dæmones aliquando per ſigna quædã, ſine verbis oſtendunt quod quæritur. verbi gratia, ſi de re furto ſublata conſulitur dæmon, Pythonicus præmiſſis quibuſdã cæremoniis in rem aliquã politam & pellucidã iubet puerulum virginem intueri, ibiq. is videt vultũ eius, qui rem ſuſtulit, & ſimilitudinem rerum ſublatarum, vt poſſit mox agnoſcere eum, quẽ in illo quaſi ſpeculo viderit. Cum autem vnguibus pellucidis

2. *per hydromantiam.*

loco ſpeculi vtuntur, iſtiuſmodi diuinatio ad chiromantiam pertinet. Aliquando præter effigies rerum aut perſonarum, etiam audiuntur voces dæmonis; puta in phiala vitrea aqua plena, in qua detinetur dæmon, aut etiam in pala annuli, aut alibi, quos ſpiritus familiares vulgò vocitant. Sæpe etiam in fonte apparet, adhibitis quibuſdã ritibus, & edit voces, quales ſe ab Egeria nympha accipere Numa, fabulabatur, dũ Romanis perſcriberet leges, quod notauit S. Auguſt.[a] *(a l. 3. c. 30. de ciuit.)*

LXIX. 3. *Per circulos*

PYTHONES etiam habere dicuntur, qui eos euocant cum lubet, & adeſſe iubent intra quoſdam circulos, factis characteribus; & rogati reſpõdent, quæ ſciũt, aut ſcire ſe ſimulant. Habent & pythonem, qui per corpora recẽs extincta voces

4. *Per mortua corpora*

eliciunt, infuſo in os ſanguine, vel aqua calida, quæ organa locutionis attemperet, vt ea dæmon apte moueat ad articulatam locutionem; quod pertinet ad necromantiã. Sicut cum euocari dicitur aliquis pridem mortuus, qui ſciſcitanti reſpondeat; ſed in poteſtate dæmonis id non eſt, mortuos enim ſuſcitare Dei ſolius eſt opus. Dæmon autẽ, ſub illius mortui ſpecie, ſe videndũ, & interrogandum exhi-

5. *per arreptitios.*

bet, quod eſt *inquirere à mortuis veritatem*, vt ſcriptura loquitur.[b] Conſulitur & dæmon in arrepticiis, per eoſq; reſpondet, ipſis inſciis, atque ignorantibus quæ loquantur; vnde & ignoto idiomate aliquando loquũtur. Et ad hoc genus pertinebat pythia illa vates; & mulier habens pythonem in Act. Apoſt.[c] quem Paulus eiecit. Pluribus aliis modis dæmon homines curioſa vanitate deludit, ſed iſta ad inſtitutum ſufficiunt. Huius itaque pythoniſſæ ſuperſtitio non ad ventriloquas proprie, ſed ad necromanticas pertinebat. *(b Deut. 18. 10.) (c Act. 16. v. 17. 18.)*

LXX. *Serui Saulis de pythoniſſa eũ edocent.*

REDEAMVS iam ad Saulem, cuius impiæ voluntati non defuerunt ſerui nequiores, ad quælibet, mala præſertim, dominorum ſuorum placita expediti: qui dixerunt Sauli eſſe iſtiuſmodi mulierem in Endor, quæ ciuitas fuit quidem intra ſortem Iſſacharis, pertinebat tamen ad Manaſſem, vt ex libro Ioſue conſtat.[d] Vbi Maſius. *Porro Endor, quod eſt ac ſi fontem Doræ dicas, exiſtebat in iugo, quod* *(d c. 17. v. 11.)*

Endor vbi.

a monte Thabor decurrit verſus auſtrum, atque Hermonem minorem; vrbs nobilitata excito ab inferis Samuele per veneficium. Et hanc quoque prope torrentem Ciſon poſitam fuiſſe, argumento ſunt diuini vatis verba, quibus eam memorat cladem, qua Siſara præfectus regis Iabin apud illum torrentem eſt afflictus à Debbora, & Baraco. ſic Maſius: quæ ſatis ſunt con-

Mutat habitũ Saul, & cur. 1

ſentanea Adrichomij tabulis,[e] qui Endor ponit in Iſſachar: *Mutauit ergo Saul habitum ſuum, veſtituſque eſt aliis veſtimentis*; noluit ſcilicet notus eſſe mulieri, ne metu Saulis, ſe pythoniſſam negaret, & diuinationem exercere nollet. Noluit *(e n. 17.)*

2. etiam exercitui innoteſcere profectionem ſuam, ne illi timorem abſentia regis incuteret, multoque minus profectionem ad huiuſmodi mancipium Sathanæ, ad vitandam infamiam; propterea que duos tantum viæ comites aſſumpſit; qui ſcilicet, vt videtur, ei de muliere pythoniſſa retulerant.

LXXI. *Abit ieiunus.*

ABIIT *ergo ipſe, & duo viri cum eo*, & quidem cum præ feſtinatione ac metu nihil cibi, potuſue, aut ante diſceſſum, aut medio in itinere ſumpſiſſent: Itaque paulo inferius[f] dicitur Saul elanguiſſe, *quia non comederat panem tota illa die*, quod de ſociis quoque dicendum videtur. Quamuis autem diſtet Endora Gelboë quatuor ſere horarum itinere, iuxta Adrichomij topographiam, apparet tamen tota die ambulaſſe, longo vſos circuitu, ad vitanda Philiſthæorum ca- *(f verſ. 20.)*

Colloquitur cũ muliere.

ſtra, quæ non longe aberant ab Endora, & ad eam noctu perueniſſe; *veneruntque ad mulierem nocte*, vt exercerent opera tenebrarum. *Et ait illi* Saul, *Diuina mihi in pythone*, quod eſt, volo à te aliquid diſcere, ope pythonici ſpiritus, quo prædita es; idque ſuſcitato ab inferis eo, quem dixero tibi; ideoq; necromantem actura erat, non ventriloquã. Et apparet crediſſe Saulẽ magicis artibus quancũmque animã euocari potuiſſe, ſiue iuſtorum, ſiue improborũ: cum mox petierit euocari Samuelẽ: & eum, vt verum Samuelẽ honorauerit. Mulier quoque idem credens, vltro offert ſe ad ſuſcitandũ quemcumq. petierit Saul. Quod vtriuſq. ignorantiæ Abul. tribuendum putat.[g] Verum hac de re aliquanto poſt iterum dicetur.[h] *(g q. 25 in c. 28.) (h num. 82.)*

LXXII. *Quæ callide excuſat.*

RESPONDET mulier ignoto hoſpiti. *Ecce tu noſti quanta fecerit Saul; & quomodo eraſerit magos & ariolos de terra. Quare ergo inſidiaris animæ meæ, vt occidar?* Vide calliditatem mulierculæ: neque ait neque negat ſe huius artificij peritam, ſed ſignificat, poſt Saulis hoſce maleficos ſtudioſe exterminantis ſeueritatem, nullos iam id genus artifices reperiri; & huiuſmodi interrogationem hominis eſſe captantis occaſionem importandæ calumniæ innocenti; ſignificat quoque hanc

maleficorum colluuiem, non regno pulſam, aut aliquò deportatam, ſed iuxta Dei legem, occidi iuſſam. [a] *Maleficos*, ait Moſes, *non patieris viuere.* Cæterum egregium hoc Saulis facinus, hactenus traditum non fuerat, neque hoc loco, niſi obiter, & ex occaſione tangitur; vt intelligatur, quod alibi diximus, geſta Saülis non niſi propter Dauidem referri; ad quem nihil eximia hæc aduerſus conſceleratos nebulones animaduerſio pertinebat.

a Exod. 22. 18.

Quando Saul eraſerit magos.

Svspicari autem licet Samuelis, aut Achimelechi pontificis authoritate, & conſilio, eam ſuſceptam fuiſſe, atque perfectam. Imo etiam Deum in mercedem præclari huius operis, regem à vexatore cacodæmone liberaſſe; neque enim iam à pluribus annis fit mentio iſtius ſpiritus maligni, in Saulem ſubinde inuadentis. Congruum quippe fuit eum à dæmone liberari, qui regnum ſuum ab hiſce teterrimis infernorum ſpirituum mancipiis expurgaret. Hac de re libet adiungere, quæ apud Iuſtinum martyrum, [b] ſi tamen Iuſtinum, leguntur. *Suſpicione concepta Saul de Dauide, quod in eum Deus regnum tranſtuliſſet; modis omnibus machinatus eſt Dauidi cædem, ne ad rem conferretur ſententia, quam de illo Deus diuino ſuo calculo ſtatuiſſet. Diuinatrices autem ſuſtulit, facto eo ſe Deum conſiliaturum ſperans, vt ſuam ille ſententiam, qua eum vt regno indignum repudiauerat, mutaret: non odio habens hariolorum impietatem, ſed regni: adamans adminiſtrationem. Et quia conſilium eius Deus non probauit, propterea eum ita reliqnit, vt illos is requireret, quorum non bono inſtituto*, id eſt intentione, *patrauerat cædem.* Difficile tamen eſt de occultis hominum conſiliis, atque intentionibus tutam ferre ſententiam. Et in re dubia in mitiorem potius partem inclinandum eſt: nec parieti inclinato, ac maceriæ depulſæ incumbendum. [c] Sed bene habet, quod hic author, ſapientum iudicio, non eſt Iuſtinus martyr.

LXXIII. *Et quo fructu.*

b in lib. quæſt. & reſp. ad q. 52.

An malo fine eos deleuerit.

Non videri.

c Pſal. 61. 4.

Et *iurauit ei Saul in Domino, dicens, viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquam mali propter hanc rem.* nimirum à Saule. Promittit videlicet rem ad Saulis notitiam, quod illa verebatur, non venturam; aut ſi veniret nihil eam ſcientiam ipſi obfuturam. Quo iureiurando iterum peccauit Saul, ſacrum adhibens iuſiurandum, ad inducendam mulierem, ad ſacrilegum maleficium. Sic abyſſus abyſſum inuocat, & facile peccatum vnum ſuo pondere ad aliud pertrahit. Nec tamen eo iureiurando tenebatur adſtrictus Saul: [d] Erat enim de diuino præcepto non exequendo quod ait, [e] *Maleficos non patieris viuere.* Maxime cum ipſe ſummus eſſet in Republ. magiſtratus. Recte itaque non obſtante iuramento impuram mulierem gladio confodiſſet. Confirmata mulier, *quem ſuſcitabo*, inquit, *tibi?* Qui ait Samuelem mihi ſuſcita, eum enim putabat, pro antiqua eius in ſe beneuolentia, ſummæ regis neceſſitati opem eſſe laturum. Idq. ab ea factum ſtatim oſtenditur, cum ſubditur mulierem viſo Samuele exclamaſſe, nec dubium illam fuiſſe vſam maleficis quibuſdam ritibus, vtpote maleficam. Illud potius dubium, & multis iam ſeculis controuerſum, veréne anima Samuelis apparuerit; an quid aliud eius loco dæmonis artibus ſubſtitutum.

LXXIV. *Iurat mulieri Saul.*

Non recte,

d Abul. q. 26. in c. 28.
e Exod. 22. 1. 18.

Requirit Samuelem.

Statvendvm autem primum eſt Samuelem in hac apparitione non reuixiſſe; neque corpus eius, quod ante biennium ab anima ſeparatum fuerat, ei rurſum per veram reſurrectionem fuiſſe copulatum. Id enim nemo factum dicit, ſiue à Deo, cuius vnius illa eſt actio, ſiue à dæmone magicis incantationibus prouocato; neq. id ad veram Samuelis apparitionem neceſſarium eſt. Satis eſt vt apparuerit in aëreo corpore, vt angeli quondam Abrahamo, [f] & ſæpe deinceps, quæ eſt doctrina Theodoreti, vt infra dicemus, & Procop. & Abulenſ. [g] & plane communis. Neque enim de Samuele à mortuis excitato ſcriptores diſſentiunt, ſed de anima eius, veréne euocata venerit, an eius loco dæmon, aut phantaſma quodpiam. Quo etiam pertinet illud, *quare inquietaſti me?* Nam quies animabus potius iuſtorum conuenit, quæ requieſcunt in pace, quam corporibus, quæ corruptioni & mutationi obnoxia ſunt.

LXXV. *Samuel non reuixit.*

f Gen. 18. 4. 62.
g q. 24 & 30 & 33. in c. 28.

Statvimvs ergo ſecundo animam Samuelis vere ex inferis excitatam fuiſſe, ac Sauli apparuiſſe. Hæc eſt apertiſſima Scripturæ [h] ſententia hoc loco, quæ niſi quid obſtet, in ſimplici ac propria verborum ſignificatione accipienda eſt; nihil autem obſtare ex ſequentibus intelligetur. Vocat autem Scriptura ſexies, eū qui ſuſcitatus eſt, Samuelem, id cum de integro compoſito accipi non poſſit, vt diximus, de anima eius accipiendum eſt; nec eſt vllum verbum ex quo pro Samuele,

LXXVI. *Anima eius vere excitata ab inferis.*

h ca. 28.

imaginem eius aut figuram accipiendam eſſe ſuſpicari poſſimus, quod tamen neceſſe erat, ne lectores inducerentur in fraudem. Cum enim Ciceronis, aut Saluſtii, aut Romæ imagines pro rebus ipſis accipiuntur, id ex rerum circunſtantiis ſatis intelligitur, alioqui vitioſa, fallax & captioſa eſſet oratio.

LXXVI. *Probatur ex Scriptura.* DEINDE in libro Eccleſiaſtici Sapiens de Samuele loquens ait: [a] *Et poſt hoc dormiuit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltauit vocem ſuam de terra, in prophetia delere impietatem gentis.* *Dormiuit*, vtique Samuel, id eſt defunctus eſt, vt hoc ipſo loco primi Regum de induſtria repetitum eſt. [b] *Et notum fecit regi*, quis niſi idem Samuel defunctus? & cui regi, niſi Sauli? & quando, niſi hoc tempore? non enim ſæpius apparuiſſe legitur poſt mortem. *Et oſtendit illi finem vitæ ſuæ*; cum ſcilicet illi dixit, *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Quomodo denique *exaltauit vocem ſuam de terra in prophetia*, niſi quando viſus eſt aſcendere de terra; & de Saulis morte prophetauit, & de impietate gentis Iſraëliticæ delenda per Philiſthæos, in quorum manus tradendi erant Iſraëlitæ. Iuxta illud [c] *Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthiim.* Quomodo tanta homonymia Scripturam vti credamus, vt in eadem omnino ſententia, modo verus Samuel, modo phantaſma diabolicum illius loco accipiendum ſit?

[a c. 46. 23.] [b ca. 28. v. 3.] [c c. 28. v. 19]

LXXVII. *Et D. Auguſtino.* TANTAM huius loci vim exiſtimauit ſanctus Auguſtinus, in libro de cura pro mortuis agenda, [d] vt ex eo aſſerat Samuelem prophetam defunctum, viuo Sauli regi futura prædixiſſe, neque pro contraria ſententia quidquam afferat, niſi hunc librum in canone Hebræorum non haberi. [e] At cum iam in numerum librorum ſacrorum ab Eccleſia vniuerſa receptus ſit, dicendum vtique eſt ſententiam hanc noſtram, S. Auguſtino interprete, eſſe Scripturæ ſententiam. *& S. Ambroſio.* Quod ſentit etiam ſanctus Ambroſius in primum Lucæ. *Samuel*, inquit, *poſt mortem, ſecundum Scripturæ teſtimonium, futura non tacuit.* Non diſſimulabo ego quidem S. Auguſtinum, [f] cum hac de re a Simpliciano Epiſcopo interrogatus eſſet, & fuſius in vtramque partem diſputaſſet, ita concluſiſſe, eam vt in partem magis propenderet, quæ phantaſma pro Samuele apparuiſſe putat, rem tamen diligentiori inquiſitioni reſeruandam videri. *Sed quoniam*, inquit, *ſiue illud fieri poſſit, ſiue non poſſit, tamen fallacia Sathanæ, atque imaginum ſimulandarum callida operatio, decipiendis humanis ſenſibus multiformis inuigilat, pedetentim quidem inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus; ſed tamen potius exiſtimemus tale aliquid factum maligno illius pythoniſſæ miniſterio, quamdiu nobis aliquid amplius excogitare, atque explicare non datur.* ſic ipſe.

[d cap. 15.] [e D. Tho. 1 p. q. 89. art. 8. ad 2.] [f l. 2. q. 3.]

LXXIIX. *S. Auguſt. fauet veræ euocationi.* VERVM cum rurſus hac de re à Dulcitio interrogatus eſſet, [g] priori reſponſioni hæc addidit, quæ ſententiam noſtram confirmant. *Sed quam non fruſtra dixerim*, inquit, *pedetentim nos in hoc genere ſimulatam Samuelis imaginem maligno pythoniſſæ miniſterio præſentatam exiſtimare debere, ne inquiſitionibus diligentioribus præſcribamus, mea poſterior inquiſitio declarauit, quando inueni in libro Eccleſiaſtico, vbi patres laudabantur ex ordine, ipſum Samuelem ſic fuiſſe laudatum, vt propheta ſſe etiam mortuus diceretur. Sed ſi & huic libro, quia non eſt in Hebræorum canone, contradicitur; quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Elia, qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe viuentibus.* Ex quibus verbis apparet ſanctum Auguſtinum ſententiam, mutaturum fuiſſe, & pro veritate, deſerto phantaſmate, apertiſſime pronunciaturum, ſi hunc librum in canone ab Eccleſia Catholica receptum nouiſſet; quod cum nos ſciamus, quo iure dubitare poſſimus? 6

[g q. 6. li. ad Dulcit.]

LXXX. *Et Iuſtinus Martyr.* IDEM ſentit S. Iuſtinus martyr in dialogo cum Triphone Iudæo. *Animas enim*, inquit, *manere ſuperſtites, etiam eo demonſtrauerim, quod & Samuelis animam ventriloqua pythoniſſa, ita vt Saul petierat, euocauit.* Vbi S. martyr etiam amplius quam petimus vltro concedit: Subdit enim, *Apparet autem ad eum modum omnes animas virorum iuſtorum & prophetarum, ſub poteſtatem eiuſmodi virtutem cadere.* At nos tantum requirimus, vt vera Samuelis anima, Sauli viuenti apparuerit. Non ignoro tamen in libro quæſtionum, qui D. Iuſtino tribuitur, contrariam haberi ſententiam: ſed hoc ipſum argumentum à viris eruditis affertur, ad illud opus à D. Iuſtino abiudicandum; cum in altero illo libro, minime dubii authoris, ſententia de

.6.x. [Lqq. & reſp.]

de vera Samuelis anima, tam apertè contineatur. Fuiſſe hãc Hebræorum communem traditionem, & ſententiam ex D. Hieron. in tradit. liquet: & ex ea cum *Et Hebrai.*
a l. 6. c. 15. Tryphone Iudæo] S. Iuſtinus argumentatur; & eam Ioſephus apertè ſequitur, [a] LXXXI.
b l. 2 q. 26. ſect. 4. ibid. *ſexta probatio.* iuxta ſimplicem & claram Scripturæ ſententiam; aliiq. Rabbini apud Delrio [b] in *Non tamen arte magica.*
c q. 62. diſquiſitionibus magicis. Idem ſentit Theod. [c] nam de prędictione facta Sauli, ait; *Vera ergo fuit prædictio, fuit enim diuina, vtpote quæ per Samuelem vt arbitror, facta fuerit.* ſic ipſe. Atqui idem fuit qui hæc prædixit, & qui apparuit. Vt omittã dæmoni ignota eſſe futura contingentia, vt de iis certo pronunciet: quod videmus à Samuele Propheta factum; qui Iſraeliticam cladem in proximum diem, & regis mortem, filiorumque eius prædicit. Denique hanc ſententiam plurimi antiqui, recentioreſque ſequuntur quorum longum texit Catalogum Serar. in hunc
d q. 3. lo. cit. locum [d] & Delrio. 7 *Ex Tertulliano,*

Statvimvs tertio animam Samuelis non fuiſſe arte magica ſuſcitatam. *Abſit,*
e l. de anima. c. 57. inquit Tertullianus [e], *vt animam cuiuſlibet Sancti, nedum prophetæ, à dæmonio credamus extractam.* Et paulo ante hæreticum id eſſe contendit. *Ecce hodie*, inquit, *eiuſdem Simonis hæreticos, tanta præſumptio artis extollit, vt etiam prophetarum animas ab inferis mouere ſe ſpondeant.* Videtur Tertullianus refutare voluiſſe, quod à Iuſtino in prædi- *Theodoreto.*
f epiſt. 80. cto dialogo dictum fuerat. Cui tamen aſſentiri videtur. D. Baſil. [f] ad Euſtathium medicum, vbi ait mulierem pythonicam Samuelem ab inferis incantationibus ſuis euocaſſe. Verum S. Baſil. idolum apparuiſſe exiſtimauit, non veram animam prophetæ. Hunc enim locum affert ad probandum, idolis Dei nomen in Scriptura nonnunquam tribui, quia ſcilicet illa qualiſcumque anima vocetur Deus. Sanctus autem Iuſtinus ex ſententia Hebræorum, quibuſcum agebat eo loco, vi-
g q. 62. vide Abul. q. 24. in ca. 28. detur locutus, nec rem plane affirmaſſe. Tertullianum ſequitur Theodoretus [g], nec minus ſeuere. *Nonnulli dicunt*, ait, *ventriloquam vere retuliſſe Samuelem. Ego autem hoc exiſtimo eſſe impium. Exiſtimo enim mulieres necromanticas ne quamlibet quidem reducere animam, tantum abeſt vt prophetæ, & tanti prophetæ. Eſt enim perſpicuum quod in aliquo alio loco degunt animæ expectantes reſurrectiones corporum. Eſt ergo valde impium credere ventriloquam habere vim tantam.* Hæc Theodoretus.

h l. 2. q. 3. S. Auguſtinus licet in vtramque partem diſputet ſcribens ad Simplicianum [h], LXXXII.
negat tamen animam Samuelis cogi potuiſſe artibus magicis, vt ſe pythoniſſæ, *S. Auguſtino,*
aut Sauli ſiſteret, ſed volentem veniſſe; nec inuitam, nec dominante, aut ſubiugante magica potentia. Eique totidem verbis aſſentitur Iſidorus in 1. lib. Regum *Iſidoro.*
i apud S. Augu to. 3. li. 2. 4. ca. 11. c. 20. Etſi alibi [i] dicat non prophetæ animam, ſed aliquam phantaſmaticam illuſionem, Sathanæ fallacia factam, de inferni abditis euocatam. Et reuera omnes antiqui, qui animam Samuelis negarunt à pythoniſſa euocatam, ſed phantaſma quoddam diabolicum, propterea id negarunt, quia cenſuerunt animas ſanctorum diabolicis magorum maleficiis non ſubiacere. Et quidem ſapienter ac *Et communi ſententia.*
verè. *Iuſtorum* quippe *animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illas tormentum malitiæ.* In his
k l. 8. Orig. c. 9. q 26. ſunt Author. mirab. ſacræ ſcript. [k] & author libri quæſt. veteris & noui teſtam. qui inter alia, *quomodo fieri poterat*, inquit, *vt arte magica attraheretur vir & natiuitate*
l ca. Nec mirum, 26. q 5. *ſanctus, & operibus iuſtus*, &c. quæ in canonibus referuntur, [l] Author item libri quæſtionum & reſponſ. apud S. Iuſtinum. Baſilius, quoque & Iſidorus, quos paulo ante retulimus.

E recentioribus animoſius profecto quam par erat locutus eſt Eugubinus hac LXXXIII.
m c. 3. Geneſ. de re in Coſmopœia. [m] *Sceleratiſſimum*, inquit, *& omnibus rationibus improbiſſimum eſt, tantæ potentiæ credere mulierculam fuiſſe, vt virum ſanctitate, & amicitia, commercioque diuino maximum, frigidis incantationibus exſuſcitarit.* Hactenus non male: ſed mox ſcriptorem ſacrum, audacter ſane, reprehendit, quod niſi ratio ſuccurreret, ab eo in maximum, & inexpiabile facinus traheremur; non declarante videlicet, Samuelem non à vili, contemptiſſimaque muliercula, ſed à Deo fuiſſe ſuſcitatum. Verum cogitare oportuit Eugubinum, Scriptorem ſacrum à *Refutatur.*
Spiritu ſancto dirigi, non ſolum vt falſa non dicat, ſed etiam vt quantum, quoque modo ei viſum fuerit dicat. Ideóque eius ſiue reprehenſionem, ſiue vt eam, declinandæ inuidiæ cauſa, maluit appellare, monitionem in ipſum Deum cadere. *Quid Eugubinus.* LXXXIV.

Statvimvs quarto diuina virtute atq. imperio Samuelis animã Sauli apparuiſſe. *Diuina virtute.*

EXITVS AB ÆGYPTO AN. 436.

Euocatur, & quomodo.

EVOCATVR ANIMA SAMVELIS.

Cũ enim pythoniſſa per incantationes dæmonem aliquem ſub ſpecie Samuelis, quem requirebat Saul, excitare vellet, præuenit Deus, & impediuit dæmonis conatum, & animam Samuelis propria vi, & authoritate euocauit, quemadmodum exercente Balaamo maleficia ſua, non dæmon, quod perditus ille quærebat, ſed Deus impleuit os eius; & crebrius repetitã Hebraici populi benedictionem, quam ille dare nolebat, extorſit. Sic Ochoſia mittente qui conſulerent Beelzebub Deum Accaron, præuenit Dominus reſponſionem diaboli, miſſo Elia, qui ei mortem prædiceret. Hoc quoque ab Hebræis cogitatum apparet

Philo biblicus.

Nam Pſeudophilo biblicus, ait Samuelem dixiſſe Sauli, *vt quid inquietaſti me, vt eleuares me? putaui quod appropinquaſſet tempus reddendi mercedem operum meorum. Et ideo noli gloriari rex, neque tu mulier; vos enim non deduxiſtis me, ſed ea traditio* (iuſſio) *in qua dixit mihi Deus cum viuerem, vt veniens nunciarem tibi quod peccaueras iam ſecundo &c.* His ſimilia habent Rabb. Salomon, & Kimhi apud Abulenſ.[a]

LXXXV. *Confirmatur ex Theodoreto.*

Hoc ſine dubio voluit Theodoretus,[b] *hinc eſt*, inquit, *perſpicuum quod ipſe Deus vniuerſorum, efformata vt voluit ſpecie Samuelis* (quod ad corpus videlicet, in quo ille loquebatur, non enim id erat corpus Samuelis & propterea aliquanto poſt comparat Angelis; qui apparuerunt Abrahæ; pergit.) *Protulit ſententiam, cum hoc non potuiſſet facere ventriloqua, ſed Deus: qui etiam per aduerſarios ſententiam protulit*, & ſubdit exemplum Balaami, quod dixi. Et rurſus in 1. Paral. *Oſtendit autem oratio, quod non ventriloquæ incantatio, ac præſtigia reduxerunt Samuelem: ſed ille quidem impie, & nefarie petiit vt hoc fieret; Deus autem tulit in ipſum ſententiam ſupplicii:* Et paulo poſt, *ſiue autem viſus fuerit Angelus in figura Samuelis, eius oſtendens formam, ſiue anima ipſius Samuelis, ſciendum eſt in hac viſione hoc non fuiſſe factum præſtigiis & incantatione ventriloquæ, ſed Dei ſapientia & virtute, qui etiam per homines impios multa prædixit futura.* Hæc ibi. Idem

Et Auguſtino.

voluit quoque Sanctus Auguſtinus dum ſcribit ad Simplicianum,[c] cum ait non eſſe abſurdum credere, ex aliqua diſpenſatione diuinæ voluntatis permiſſum fuiſſe Samuelem, non inuitum aut magica potentia ſubiugatum, ſed volentem, atque obtemperatam occultæ diſpenſationi Dei, quæ & pythoniſſam illam & Saulem latebat, ſe oſtendere aſpectibus regis, & diuina eum ſententia percutere. Et in fine quæſtionis eiuſdem *Et ſi poteſt*, inquit, *inquiri vtrum etiam iuſti anima, non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtendi, occultioribus imperiis ſummæ legis obtemperans.* Quam ſancti Auguſtini ſententiam ſecutus eſt totidem verbis Iſidorus in 1. Reg. Lyranus, Abulenſis,[d] qui & refutat ſententiam, quam S. Auguſt. in libris de ciuit. ſecutus[e] eſt. Bellarm. l. 2. de purg. c. 6. & l. 4. de Chriſto c. 11. Delrio. lib. 2. diſquiſitionum magicarum q. 6. & q. 26. ſect. 4. Serar in hunc locum primi Reg. q. 3. & Lyrani defenſor contra Brugenſem.

Et aliis.

LXXXVI. *Nec Deus ideo ſeruit magiæ.*

NEQVE vero propterea conſequens eſt Deum arti magicæ vlla ratione fauiſſe, aut ſubſeruiſſe, exhibendo incantationibus prophetam, ſed eam potius impediuiſſe. Etſi enim Abulenſis[f] non improbabiliter putat, pythoniſſam credidiſſe, ſe vere euocaturam fuiſſe Samuelem: alii tamen exiſtimant hanc mulierem non deſtinaſſe animo euocare Samuelis animam, quæ iam experientia didiciſſet, dæmonem ſolere vicem animarum, quæ euocantur ſupplere, quippe qui nequeãt illas e ſuis locis educere, ſed credidiſſe ſe dæmonem ſub illius ſpecie ſuſcitaturum, quod ex pacto cum dæmonibus inito poterat; & id permiſſa non eſt.

Mulier cognoſcit Samuelem.

Vnde videns mulier rem præter ſententiam contigiſſe, & verum non fictum Samuelem excitatum, admirans voce magna exclamauit. Præſertim cum eodem Samuele indicante, vt Ioſepho placet, didiciſſet, illum, à quo rogata fuerat, eſſe Saulem: à quo ſibi, vt ab exterminatore magorum, vehementer timebat: idque probabilius eſt, quam quod Rabbini dicunt, mulierem id cognouiſſe, eò quod vidiſſet Samuelem, non eodem modo, quo cæteros mortuos, ſed erecto capite, & ſtatura recta ſurrexiſſe, propter honorem regis conſulentis. At oportuiſſet incuruum, & venerabundum apparere. Caietanus ait occultum nobis eſſe modum, quo mulier ex viſo Samuele cognouit Saulem. Sed ſubintelligenda eſt media reuelatio, licet in textu non exprimatur.

LXXXVII *Et quomodo.*

DVBIVS quoque eſt modus agniti à muliere Samuelis, de quo ſic Theodoretus[g] *Quidam dicunt*, hi autem ſunt Rabbini, apud Lyranum, & Abulenſem &

[a] q. 32. in c. 28.
[b] q. 62.
[c] l. 2. q. 3.
[d] q. 28. in c. 28
[e] l. 18 c. 11
[f] q. 25. in c. 28.
[g] q. 62. in 1. Reg.

q. 30. in c. 18.

Bellarminum libro ſecundo de purgat. cap. 6. *Quod quæ per ventriloquas reduci videbantur animæ, reducebantur pedes ſurſum habentes, alij autem quod ſupinæ, vt qui ſepeliuntur. Et ideo ventriloqua cum vidiſſet Samuelem rectum aſcendentem obſtupuit, & dixit ego video Deos. Eſt autem veriſimile poteſtates quoque ſanctas, & diuinas circa eum fuiſſe, glorificante* Deo *ſuum prophetam, vt etiam vera viderentur, quæ erant ab eo prædicenda.* Hebræi apud Lyranum & Abul. [a] Moyſem & Samuelem ſimul viſos fuiſſe putant, quos ſequens ſcriptura refellit, quæ de vno tantum deinceps mentionem facit, qui deſcribitur, qui honoratur, qui loquitur, qui futura prædicit. R*ectius ergo* alij hebraicæ phraſi tribuunt, vt pluralis numerus pro ſingulari accipiatur, vt in Exodo de vnico vitulo aureo dictum eſt. *Hi ſunt dij tui.* Itaque pythoniſſa mutato ſtatim loquendi modo, ait virum ſenem aſcendiſſe; recte, fuiſſet enim nunc annorum 79. eumque pallio amictum, prophetico ſcilicet, quale dudum lacerauerat Saul. [b]

Et an ſolus venerit.

[a] q. 31. in ca. 28.

[b] ca. 15. v. 27.

[c] ca. 28. 14.

LXXXVIII. *Agnoſcitur à Saule nec videtur.*

Et *intellexit Saul quod Samuel eſſet.* [c] Ex eo quod Saul dicitur intellexiſſe, ſiue cognouiſſe, vt eſt in verſione Pagnini, non autem cogitaſſe aut putaſſe illum, qui ſuſcitatus erat eſſe Samuelem, confirmauit D. Auguſtinus noſtram ſententiam, de veritate apparitionis eius; Sed illud quoque cognoſcitur, non fuiſſe à rege viſum prophetam, quem pythoniſſa vidit, & deſcripſit ab ætate; atque veſtitu: non tamen audiuit. Intelligitur enim egreſſa, ne conſcia fieret eorum, quæ ſecreta eſſe oportebat; in cuius rei non obſcurum argumentum inferius poſt colloquium Saulem inter & Samuelem habitum, dicitur ingreſſa mulier ad Saulem; egreſſa ergo fuerat, vt notauit Abul. [d] Qui etiam exiſtimat duos illos comites Saulis, nihil horum aut vidiſſe, aut audiuiſſe, Saule eos excludente. Illud autem quod ſequitur. *Et inclinauit ſe ſuper faciem ſuam in terra*, nequaquam veritatem Samuelis infirmat; quaſi is non eſſet permiſſurus ſe à Saule adorari. Probandum enim eſſet agi hoc loco de cultu latriæ, ſiue adoratione quæ ſoli debetur Deo, & quam maxime ambit ſuperbiſſimus apoſtata. Conuenit autem iſta ſummiſſio, præſenti partim Saulis calamitati, partim conditioni Samuelis ad aliam vitæ conditionem longe hac præſtantiorem, ac ſecuriorem tranſlati.

[d] q. 28. in fine in ca. 28.

Adoratur.

LXXXIX. *Quies Samuelis defuncti.*

Dixit *autem Samuel ad Saul quare inquietaſti me vt ſuſcitarer?* Turbatio in animas ſanctorum, quæ in limbo, qui dicitur patrum, tunc erant, non cadit. De illis enim ait Sapiens. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Cuius quietis indicium eſt, loci denominatio, qui dictus eſt ſinus Abrahæ: in quo Lazarus mendicus conſolabatur, dum diues epulo cruciaretur. [e] Itaque turbatio hic, iuxta communem loquendi modum, accipienda eſt, quia inquietari dicuntur, qui è loco quietis, & pacis educti, moleſtis negotiis implicantur. Cæterum qui fictum Samuelem defendunt, negant credibile eſſe Deum, qui iam ad omnia Saulis interrogata obſurduerat, nunc etiam non rogatum, interuentu maleficæ mulierculæ, per Samuelem reſpondere voluiſſe. Reſpōdet Bellarminus eleganter [f], Deum ſe iratum Sauli oſtendere voluiſſe, idque feciſſe tam non reſpondendo cum interrogabatur; quam reſpondendo cum non interrogabatur, vtrumque enim iræ ſignum eſt. Adde quod hæc reſponſio nihil ei cōſolationis affert, ſed maximum triſtitiæ incrementum, ac ſupremam rerum deſperationem, cum pugna detrectari vltra non poſſet, in qua illi peribant omnia.

[e] Luc. 16. 22.

Cur permittat Deus eum regi reſpondere.

[f] l. 2. de purg. c. 6.

XC. *Rex excuſat ſuam euocationē, & exponit ſtatum ſuum.*

Videtvr hoc loco Saul excuſare voluiſſe importunam euocationem ſuam, cum eius cauſam in præſentes rerum ſuarum anguſtias transfert. *Coarctor*, inquit, *nimis, ſiquidem Philiſtijm pugnant aduerſum me; & Deus receſſit à me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum neque per ſomnia; vocaui ergo te, vt oſtenderes mihi quid faciam.* Receſſerat vtique à Saule Dominus, quia *longe à peccatoribus ſalus.* Nec poterat Dominus eſſe cum eo, qui eum tot à ſe, tantiſque ſceleribus expuliſſet; receſſerat quoque ſubtrahendo auxilium ſuum, & permittendo eum turbulentiſſimis tempeſtatibus obrui, ac naufragium certiſſimum facere, ne aurem quidem præbendo clamoribus eius: nec tantillum priſtinæ fortitudinis largiendo, ſed mœrorem potius, pauorem ac deſperationem effundendo in cor eius. Putant enim Hebræi non meminiſſe Saulem ſacerdotum, conſcium quam male de ipſis meritus eſſet; verum non conſulti ſacerdotis per ephod, & rationale, cauſa erat pontificis quintum iam annum abſentia. Sed hac de re iam ſupra dictum eſt. [g]

[g] nu. 52 & 53.

[...]XITVS [...]B ÆGYP[...]O ANN. 36.

SAMVELIS CVM SAVLE COLLOQVIVM.

XCI. [...]biurgatur à propheta.

PERGIT Samuel irato ſimilis, vt qui nihil ei conſolationis erat allaturus, *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te, & tranſierit ad æmulum tuum?* An ignoras me tibi fauere non poſſe, cum ſis inimicus Domini mei? Cur expectas à me conſolationem, quæ nulla vere contingere poteſt iis, qui deſeruerunt Deum, & à Deo deſerti ſunt? An inuito domino regnare potes, qui regnum à te ad æmulum tuum tranſtulit? *Faciet enim tibi Dominus, ſicut locutus eſt in manu mea; & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid; quia non obediſti voci domini; neque feciſti iram furoris eius in Amalec, idcirco quod pateris fecit tibi Dominus hodie* [a]. Non vult Samuel hanc ſolam eſſe cauſam repudiati à Deo Saulis, ſed primam. Imo neque primam. Anteceſſit enim illa inobediētia accelerati ſacrificij, ſed ſacrilegium violati anathematis, quod Deus in Amalecitas fulminarat, cauſa fuit vt pendens quodammodo diuina ſententia, in eius ruinam, totiuſque domus eius incumberet. Sed acceſſerunt deinde tot grauiſſima crimina, tot innocentium cædes, & ſuper hæc omnia ipſa dæmonis præſens conſultatio, vt non mirum ſit Saulem cum ſuis à regno Iſraëlitico abdicatum.

[...]auſa de[...]elictionis [...]um.

[a] vide Abul. q. 38 in ca 28. ca. 13.

XCII. An, & quatenus ad deſperationem inducatur Saul.

QVIDAM ex eo quod Samuel non inuitat Saulem, ad Deum pœnitentia placandum, ſed ea tantum refert, quæ eum ad deſperationem, ad quam propter infelicem rerum ſuarum ſtatum propendebat, impellerent, hunc non Samuelem, ſed dæmonem ſub ſpecie Samuelis exiſtimarunt. Verum fatendum quidem eſt verba Samuelis induxiſſe Saulem ad deſperandum de retinendo regno, imo & de ſua, ſuorumque vita; atque adeo de victoria totius populi: vt propterea prælium magna cum temeritate inierit. Sed non propterea prophetæ oratio idonea erat, ad inducendum regem, ad deſperandum de peccatorum venia, & miſericordia Dei. Quin potius debuit Saul audiens actum eſſe de cæteris, & ſibi mortem imminere, de ſalute animæ ſuæ cogitare; & pro ea Deum, & Samuelem ſuppliciter exorare. Fecit autem mentionem peccati admiſſi in data importune venia Amalecitis, vt ipſe ad petendam pro ſe veniam opportuno hoc tempore ſtimularetur. Quod non aperte promiſerit veniam. neque ad eam petendam inuitarit, id diuino decreto, quod tum Samuel videtur non ignoraſſe, tribui poteſt, qui præuiſa finali, quam vocant, impœnitentia, ſententiam in eum mortis æternæ coniecerat. Potuit tamen ſemper, ac debuit ad Deum per pœnitentiam recurrere, alioqui ſine culpa deſperaſſet; quod abſurdum eſt.

XCIII. Denunciatur ei clades in ſequentem diem.

RELIQVA eſt concluſio propheticæ reſponſionis. *Cras tu & filij tui mecum eritis, ſed & caſtra Iſraël tradet dominus in manus Philiſthijm.* Ex qua denunciatione non recte colligitur, hæc verba à dæmone fuiſſe dicta: quod videlicet Saul non venturus eſſet ad locum quietis cum Samuele, ſed tormentorum cum dæmone, non recte inquam colligitur, vt bene vidit S. Auguſtinus, quia id non ad æqualitatem fœlicitatis, ſed ad parem mortis conditionem referatur, quod vterq. homo fuerit, & vterque mori potuerit, iamque mortuus mortem viuo ineuitabilem, cum certi temporis definitione, prænunciabat. Adde quod Ionathas, vt plerique non immerito cenſent, non futurus erat cum dæmone. Quamuis autem Saul his auditis, poterat vitandæ mortis cauſa non pugnare, futurum tamen erat vt quocumque tandem caſu moreretur; imo futurum erat vt ſtatueret ſibi nihilominus pugnandum eſſe; & vt liberè quidem, ſed tamen certiſſime pugnaret: ſiue formidans timiditatis opprobrium, ſiue potius quaſi iacta eſſet alea, & omnia iam funditus perdita, deſperatione plenus, in interitum voluntarium ruens, atque vltro præcipitans.

XCIV. Animo linquitur.

AD tam triſtia Samuelis nuncia vſque adeo perculſus eſt Saul, vt pene exanimatus ſit. Videtur enim linquente animo, & deficientibus plane corporis viribus deliquium paſſus, in terram toto corpore corruiſſe: dicitur enim, *Statimque Saul cecidit porrectus in terrā*; 8 Nam poſt exhibitā Samueli venerationē erectus ſteterat, ſubitę autē prolapſionis cauſa ſubiungitur; *Extimuerat enim verba Samuelis*. Caiet. etiam ex Hebræo putat dici poſſe, cū ſe ſponte abieciſſe in terrā; quod eſſet ſummæ deſperationis indicium; & non timoris duntaxat, quē huiuſmodi apparitiones incutiunt. Sunt enim natura ſua terrificę, licet innocentibus contingant, & nihil infauſtū nuncient. Nam paſtores ad vocē angeli, Chriſti natiuitatē nunciantis, *timuerunt timore magno* [b]. Et Daniel viſione ſua ita affectus eſt, vt de ſe ipſe

8. ex.

[b] Luc. 2. 9.

dicat, *Non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quicquam virium. Et audiui vocem ſermonum eius, & audiens iacebam conſternatus ſuper faciem terræ, & vultus meus hærebat terræ.* Quidni & Saulis, quem & nouum crimen conſulti dæmonis, & imminentis mali magnitudo cruentabat. Acceſſit & ſubitus prophetæ diſceſſus, & auerſa, tanquam ab inimico, digreſſio.

XCV. *Adiuuatur à muliere & famulis.*

HANC tantam ille animo hauſit calamitatem, ſed corporis quoque debilitas, animi languorem exaggerabat: mutuo quippe ſibi bonam, malamque habitudinem communicant; itaque ſubditur. *Et robur non erat in eo, quia non comederat panem tota illa die*; in hebræo, & chaldæo, & græco additur, *& tota nocte*, quæ ſcilicet erat in curſu, cuius non modica pars iam tranſacta erat. Hic mulier audito fortaſſe ſtrepitu corruentis, & Sauli ac ſibi malè timens; *ingreſſa eſt ad Saulem.* Intelligendum enim eſt, vt ante dixi, eam viſo Samuele, & agnito Saule, ſedato aliquantulum metu, exiſſe ex cubiculo, vt liberius, remotis arbitris, rex & propheta colloquerentur: nunc autem ad inopinatum motum; quo domus ipſa concuſſa videbatur, irruiſſe in deſtinatum illum maleficiis locum, in quo proſtratus iacebat Saul, & miſericordia, quam ipſa perſonæ conditio conciliabat, permotam, de reficiendis afflicti, & mœrore confecti viribus cogitaſſe; Irruerunt & famuli duo cum illa, domino ſuo metuentes à terrificis dęmonum ſpectris ac plagis, eodemque modo ſemianimum humi ex caſu iacentem repererunt, & ægrè ſe commouentem; & videlicet modice expectarunt quid factura eſſet mulier, illa vero dixit ad eum.

XCVI. *Vrgetur ad cibum ſumēdum.*

a ca. 28. 21. ECCE *obediuit ancilla tua voci tuæ* [a], *& poſui animam meam in manu mea*, id eſt, mortis diſcrimen adij, dum deſiderio tuo de euocando Samuele ſum obſecuta. *Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ*, non vt ſimile periculũ adeas, ſed vt vites, *& ponam corā te buccellam panis, vt comedens conualeſcas, & poſſis iter agere*, Sic illa, quā propterea valde

b l. 2. ep 13. laudat Petrus Damianus in quadam epiſtola [b]. Idem quoque orabant famuli Saulis, & ſua, & ipſius cauſa. At ille durior atque præfractior, *Non comedam*, inquit, cui enim bono, cum moriendum ſit? & mœror, quo contabeſco, mihi omnem ademerit appetitum. Vrgent illi nihilominus, quamuis perquam lugubri, atque inopinato icti nuncio: negant futura mala præſentibus augeri oportere, præſertim cum illa incerta ſint, vt fert conditio eorum, quæ ex plurimarum rerum concurſu pendent; hæc autem certa, & cum præſenti culpa coniuncta; non poſſe ipſum diutius, confecto præſertim pedeſtri, ac laborioſo itinere, quod etiam nunc remetiendum ſit, ſine magno, ac ſponte acceſſito vitæ diſcrimine perdurare; intereſſe ſalutis totius exercitus, ne caput languidum, ac mœrore cōfectum appareat; ſpem in Domino collocandam, cuius proprium eſt deſperatis rebus occurrere, vt tanto apertius conſtet, cuius ope fuerit parta victoria.

XCVII. *Conſentit.*

ERGO hinc muliere, inde famulis inſtantibus, atque infimis precibus vrgentibus ceſſit; *Coegerunt enim eum ſerui ſui, & mulier; & tandem audita voce eorum ſurrexit de terra, & ſedit ſuper lectum*, expectaturus commodius, dum mulier pararet cibos. Habebat illa vitulum præpinguem, quem ſaginari curabat ad cibum, quem feſtina occidit, & ſcilicet coxit in cœnam; coxit & propere azymos panes, & poſuit ante Saul, & ante ſeruos eius; qui tuto potuerunt, in tantam coniecti cibi neceſſitatem, apud ſceleſtam mulierem cibum capere. Sed videlicet non timuerunt minorem culpam, qui tanto maiorem paulo ante contraxerant; regi de ſacrilega fœmina ſuggerendo, & eum ad veneficiorum officinam deducendo, ne ipſis illud occineretur, *excolantes culicem, & deglutientes camelum.* [c] *Qui cum comediſſent, ſurrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam.* Significatur iter à peditibus confectum, & certe cum furtim conficeretur iter; nam per medios fere hoſtes eundum erat, ac redeundum; & exeundum fuit è caſtris diſſimulato itinere, ſatis conſtat pedites facilius quam equites latere potuiſſe. In hebræo & græco eſt, ſurrexerunt, & abierunt in nocte ipſa. Cæterum ambulare non raro idem eſt, atque iter facere, vel incedere, vt *qui ambulas ſuper pennas ventorum. Et, Deus tuus ambulat in medio tui.*

Et recedit cum ſuis.

c Matth 23. 24.

XCVIII. *Et nocte redit in caſtra.*

d Abul. q. 43. & ſeqq. in c. 28. SICVT autem in Endor furtim ventum fuiſſe ex eo colligitur, quod plane ieiuni venerunt [d], nullo in loco cibi cauſa ſubſiſtentes, ne agniti periclitarentur; ita ex nocturno nunc reditu ſatis intelligitur tenebrorum ſecuritatem fuiſſe capta-

tam. Timuit etiam ſuis in abſentia ſua, ne ſi forte interim arte quapiam ad pugnam traherentur, multa ſua clade exercitus lueret abſentiam regis, ſiue ductore carens, ſiue animis; ratus regem deſperatis rebus aufugiſſe. Et impellebat interius Saulem Deus ad caſtra, vt ouem ad victimam: nec repugnabant famuli, qui cibo paulo alacrioris facti, melius de re tota ſperabant, quam princeps præ ſe ferret; præſertim cum credibile ſit Saulem non aperuiſſe illis rem omnem, ne ea emanante in vulgus omnes frangerentur animis, & fugam prius, quam pugnam capeſſerent, & nihilominus inulti, atque ignominioſe perirent, & maiore fortaſſe cum clade.

XCIX. *Magnitudo animi Saulis.*

MAGNITVDINEM porro animi Saulis hoc loco non iniuria prædicat Ioſephus. [a] *Hic*, inquit, *licet futuri gnarus, & de obitu ſuo præmonitus à propheta, noluit tamen eum vitare, & ob vitæ cupiditatem exercitum hoſti prodere, atque hoc modo regiam maieſtatem dehoneſtare, ſed cum liberis totaque familia periculo ſe obijciens, pulchrum exiſtimauit in prælio pro ſuo imperio ſubditis, pugnando cadere, & filios in eiuſdem laudis ſocietatem aſſumere, potius quam ſuperſtites relinquere, incertum quales nam futuros. Sic enim exiſtimauit loco poſteritatis perpetuam laudem, & immortalem memoriam ſibi futuram.* ſic ipſe. Neque vero exiſtimandus eſt ſeſe temerè certiſſimæ morti obieciſſe; imo neceſſariam, & à Deo decretam, ſibique reuelatam mortem fortiter excepiſſe [b]; ne eam declinando ignauiæ inſuper notam ſubiret. Denique officij ſui eſſe ducebat, non negare ſubditis ſuis, qui in acie ſtabant, auxilium, vt merito bonus paſtor audiret, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Certe Romani exercitus, Cicerone teſte, eò ſæpe alacriter proficiſcebantur, vnde ſe nunquam redituros certo ſcirent. Et Saul eam pugnam fortiter adijt, in qua ſciebat ſibi neceſſario moriendum, & quam ſalua honeſtate, & officij ſui debito, vitare non poterat. Atque vtinam non fuiſſet vlterius progreſſa fortitudo.

a l.6.ca.vlt.

b vide Abul. q.45.

C. *Dauid cum ſuis peruenit in Siceleg.*

ET hæc quidem ſunt, quæ circa Saulem hoc quinto die belli geſta ſunt; reliquum eſt, vt quæ eodem die Dauidi contigerunt, cum Scriptura paucis enarremus. [c] *Cumque veniſſent*, inquit, *Dauid & viri eius in Siceleg die tertia*, à digreſſu videlicet è caſtris, vt omnes fatentur, nec tamen exiſtimandum eſt totos tres dies in itinere eos poſuiſſe; ſed duos integros, & partem aliquam tertij. Id enim requirit res hoc ipſo die à Dauide, & ſuis poſtmodum geſta. *Amalecitæ* autem in Dauidis abſentia, *impetum fecerant ex parte auſtrali in Siceleg, & percuſſerant Siceleg, & ſuccenderant eam igni, & captiuas duxerant mulieres ex ea*, & omnes incolas abduxerant *à minimo vſque ad magnum*, vt ſupra ſuo loco declaratum eſt. [d] *& non interfecerant quemquam, ſed ſecum duxerant, & pergebant itinere ſuo*, & quidem lente, & ſoluto à metu animo, rati tridui itinere abeſſe prædæ vindices, eoſque occupatos ad plurimos dies: itaque vix triduo cum omni præda ſua, tantum promouerunt, quantum Dauid cum ſuis non toto vno die, quamuis non recentes & integri, ſed ex itinere fatigati confecerant.

c Ca.30.

d nu 66

CI. *Deflet eius vaſtitatem.*

CVM [e] *ergo veniſſent Dauid, & viri eius ad ciuitatem, & inueniſſent eam ſuccenſam igni, & vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ductas eſſe captiuas, leuauerunt Dauid, & populus qui erat cum eo voces ſuas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ*, aut vt habetur hebraice, donec non eſſent eis vires ad plangendum, ſiue plorandum. *Dauid autem*, ait Ioſephus [f], *vicum ſuum vaſtatum inueniens, omnibuſque direptis, vtramque etiam vxorem abductam, & pari modo commilitonum vxores, ac liberos, cum cætera præda abactos, doloris impatiens, ſcidit veſtimenta ſua, & adeo huic calamitati ſuccubuit, vt non prius flere ac lamentari ſuam & ſuorum vicem deſineret, quam lacrymæ eum deficerent.* ſic ipſe. Fleuerunt autem etiam cæteri; ſed præcipua fuit Dauidis afflictatio, & lamentatio, ſiue quia plus cæteris vnus amiſerat, ſiue quia aliorum iactura, ac querelæ in eum redundabant. Nam ſequitur, *Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant Achinoam* Iezraelites, *& Abigail*, quondam *vxor* Nabal *Carmeli. Et contriſtatus eſt Dauid valde: volebat enim eum populus lapidare; quia amara erat anima vniuſcuiuſque viri, ſuper filiis ſuis, & filiabus.*

e ca.30.v.3

f l.6.c.15.

CII. *Commilitonum iracundia.*

CONSENTIT Ioſephus. [g] *Nec multum aberat*, inquit, *quin ab iratis ob iacturã coniugum, ac liberorum militibus, ſaxis impeteretur, quod in ipſum cauſam tanti mali reiicerent*; eam explicat Abulenſ. [h] quod Dauid ſuos omnes abduxiſſet in caſtra Philiſthæorum, nec quemquam ex ipſis ad cuſtodiam vrbis reliquerat; cum nimirum

g l.6.ant.c. vlt.

h q.3. in c. 30.

oppidani qui reliqui erant, pauci eſſent, & forte armorum inſolentes. Apparet autem Dauidem, plurimoſque ſociorum eius voluiſſe exactè obtemperare Gethæo regi, qui eum cum ſuis ad bellum acciuerat, [a] nec egregiam cohortem detruncare, non ſine ſuſpicione, aut dedecore. Iure autem quis miretur hoc loco Iſraëlitarum ingenium mobile, ingratum, ſeditioſum, temerarium. Verum hæc eorum in Dauidem inſania, non omnium æſtimanda eſt; ſed deterrimorũ, vt aſſolet, qui ei mox circa prædæ diuiſionem, negotium faceſſebant. Et meminiſſe oportet in hac turba multos fuiſſe, qui ſolum variis de cauſis verterent, obærati, amaro animo; crimonoſi etiam fortaſſe plerique. [b] Denique non fuit hæc deliberata voluntas, ſed primus doloris & iracundiæ motus, qui facile detumeſcit, & rationi cedit. [c]

a ca.28.1.
b ca.22.1.2.
c Abul. q. 4. in c. 30.

CIII. *Et conſilium perſequendi latrones.*

Qvoniam vero non decebat viros fortiſſimos calamitatem ſuã duntaxat plangere, & malis remediũ non quærere; Id enim mulierum, ac puerorum eſt, cenſebant omnes iracundia in cladis authores efferri oportere, & vel mederi acceptis malis, vel parem prædonibus plorandi cauſam reponere. Statuit autem Dauid in primis, ſi id propitio, ac volente numine liceat, latrones iſtos perquirere, ac perſequi, & prædam de manibus eorum excutere. Et quamuis ſe diuinitus ad hoc facinus præclarè animatum ſentiret: Id enim ſignificant illa verba. *Confortatus eſt Dauid in Domino Deo ſuo*, & ſcilicet bona ſpe imbutus amiſſa recuperandi, quamuis humanitus res deſperanda videretur: cum ignotum eſſet omnibus, qui eſſent hi latrones, quam multi, quonam gentium ſe recepiſſent, & quam dudum prædas abegiſſent. Fiduciam ergo habuit in Domino, quam ille ipſe ei fuerat elargitus, qui omnem benè agendi conatum, deſiderium, imo & cogitationem anteuertit; fuerunt & participes eiuſdem fiducię ſocij plerique omnes, qui Dauidem erant comitaturi.

CIV. *Dauid Dominum conſulit.*

Qvoniam tamen Dauid in promptu habebat, vnde poſſet Dominum conſulere, Abiatharem pontificem [d]; quem quintum iam annum habebat omnium laborum, itinerum, ac periculorum ſocium, ait ad ipſum, *applica ad me Ephod.* Caue putes Dauidem voluiſſe ſibi applicari Ephod, quaſi illud ipſe inducturus eſſet; ſed vult vt illud ſibi applicet ſacerdos, ad obtinendam Dauidi quærenti & interroganti reſponſionem. Videtur autem Dauid ipſemet coram ſacerdote induto epomide, & rationali propoſuiſſe quæſtionem ſuam [e], vt alibi quoque ſignificauimus. *Poſtquam* ait Ioſephus *à mœrore ſe recollegit, & animum ad Deum erexit, rogauit pontificem Abiatharem, vt ſumpto ſacerdotali amictu Deum conſuleret, & oraculum referret, num Deus conceſſurus ſit aſſecuto Amalecitas, vxores ac liberos recipere, pœnaſque de hoſte ſumere.* At nundũ ſciebant qui fuiſſent rerum ſuarũ prædones. Scriptura paulo aliter; petit enim Dauid tantum an authore Deo cõtra prædones iſtos profecturus ſit, & quo euentu. Et ad vtrumque reſpondet Dominus, *Perſequere*, inquit, *abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam*. Et eam maximè quærebat Dauid, præſertim perſonarum. Itaque ea recepta fugitiuos illos quadringentos perſequi ſuperſedit, ac comprehendere. [f]

d ca.30.7.
e vide Abul. q. 6.
f c.30.v.17.

CV. *Perſequitur Amalecitas.*

Abiit *ergo Dauid ipſe, & ſexcenti viri, qui erant cum eo.* [g] Aliquanto plures fuiſſe credibile eſt, poſt aduentum transfugarum de tribu Manaſſe, quos huic bello interfuiſſe Scriptura teſtatur, [h] ſed minorem numerum abundantem de more prætermiſit. Fortaſſe autem Dauid ſexcentos omnino commilitones aſſumpſit, cæteris qui ſuperabant vrbi præſidio relictis, ſi qui forte alij latrunculi alicunde irruerent, vt in prædonum, ac flammarum reliquiis ſpicilegium facerent. Itaque ſexcenti qui expeditionem hanc ſuſceperunt, venerunt vſque ad torrentem Beſor, Septuag. eum vocant Boſor; Ioſephus Baſelum. Hic torrens ſub fines tribus Simeonis conſtituitur ab Adrichomio, quem incertis lineamentis ex montanis Iudæ deriuatum, ad occidum mare deducit, ad oppidum & portum Maioma, non longe vltra vrbem Gazam, ad quam ille pertinet. Ad torrentem iſtum, *laſſi quidam ſubſtiterunt*, ſiue vt eſt in hebræo, *remanentes remanſerunt*, cauſam ſuppleuit interpres ex ſequentibus, vbi laſſitudo etiam in hebræo aperte memoratur. 10 Videtur ſignificare Scriptura omnes ad torrentem Beſor perueniſſe ibique ad tranſeundum, aliquam moram, vt fit, factam fuiſſe; quam aliqui fatigati ex triduano itinere, longiorem eſſe cupiebant; aliquos etiam fortaſſe tædebat longioris, in-

g c.30 9.
h 1. Paral. 12.21. Comeſt. 1.Reg.28.
Βάσελον.
10. χ.

Laſſi ſubſiſtunt ad torrentem.

certique itineris, nullum quippe adhuc habebant viæ ducem. Itaque Dauid toto è numero elegit quadringentos magis expeditos, atque alacres, reliquos ad torrentem reliquit; quibus & curam dedit ſarcinarum, eorum qui ſecum progrediebantur, vt nõ neceſſarijs leuati oneribus, magnis itineribus hoſtem opprimerent. Imo etiam vt ad ipſos, ſi res poſtularet, tanquam ad caſtra poſſent, pugna longiore fatigati, recipere ſeſe.

CVI. *Cæteri progrediuntur, & inueniunt Aegyptiũ.*

SVPERATO torrente cum ſocij Dauidis latius diffunderentur, ad odoranda latronum veſtigia [a], *inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid, dederuntque ei panem vt comederet, & biberet aquam; ſed & fragmen maſſæ cariarum, & duas ligaturas vuæ paſſæ*; ferebant videlicet milites iſti aliquid viatici, prudenter vtique, cum verſus deſerta loca iter facerent. Quod ſi aliquid etiam cibi antequam emigrarent è Siceleg, vt par eſt credere, deguſtarunt, non alium inuenerunt, quam quem vel è Philiſthæorum caſtris, aut ex occurrentibus in via pagis ſecum detulerant. *Quæ cum comediſſet reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt, non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus.* Si hæc temporis deſignatio exactè accipienda eſt, nullum ceperat cibum hic Ægyptius, à veſpera quæ anteceſſit diem tertium belli, nam nunc ventum erat ad finem diei quinti.

a ca. 11. 30.

CVII. *Eius cum Dauide colloquiũ.*

DIXIT *itaque ei Dauid, cuius es tu? vel vnde, & quo pergis? Qui ait, Puer Aegyptius ego ſum, ſeruus viri Amalecitæ.* Dereliquit *autem me* Dominus *meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius* 70. τριταῖος, tertianus, ſiue à tribus diebus, cõputatis extremis: itaque ægrotare cœperat eodem die, quo vaſtata fuerat Siceleg, & quo Dauid à Gethæo rege diſceſſerat: cum interim Amalecitæ, vt ante dixi, admodum lente feſtinarent abeuntes. Rectè autem notari poteſt barbari huius Amalecitæ in ſeruulum ægrotum inhumanitas, quæ etiam iuſta pœna diuinitus caſtigata eſt. Si enim miſerum iſtum ſuper carrum aliquem cum præda conieciſſent, non fuiſſet is vſui ipſorum hoſtibus, ad eos comprehendendos; nec inueniſſent fortaſſe, vt erant magna ex parte inuia & deſerta loca, donec ſe illi ad tuta loca, munitaque recepiſſent. Sæpe animaduerſa eſt iſtiuſmodi in Ethnicis inhumanitas, quæ ex oppoſita Chriſtianorum charitate in difficillimis temporibus magis apparebat.

CVIII. *Spondet ſe viæ ducem.*

INDE puer breuiter ac ſyncere cõfitetur, quæ à ſuis perpetrata fuiſſent; nec dubitat ſe in numero eorum ponere, qui Siceleg ſuccenderant; nempe excuſationem habebat vt ſeruus, in neceſſitate obtemperandi duro, ac feroci hero: & verebatur ne in mendacio deprehenſus, pœnas lueret vtriuſque culpæ. Dixitque ei Dauid, potes me ducere ad cuneum iſtum? tuum ſcilicet, militaremque illam turmam, ad quam tu pertines? Septuag. hebræam vocem Gedud retinuerunt, vide Theodoret. q. vlt. Requirebat autem ducem, propter inuia, deſertaque loca ſolitudinis Pharan, ad quam Amalecitæ habitabant, & quæ tanquam non nouus incola nota habebat. *Iura mihi per Deum*, ait Ægyptius, *quod non occidas me, & non tradas me in manus Domini mei. & ego ducam te ad cuneum iſtum.* Ab vtroque mortem timebat miſer, à Dauide, quoniam ipſe ſe fatebatur vnum de iis, qui tantam ipſis cladem intulerant. ſicut ille [b].

Iureiurando interueniente.

b l. 2. & 3. Aen.

——neque me argolica de gente negabo.

Et alter

——ſcio me Danais è claſſibus vnum,
Et bello Iliacos fateor petiiſſe penates.

ab hero autem, quod ſe hoſtibus ducem præbuiſſet, in perniciem Domini ſui.

CIX. *Cur timeret Aegyptius.*

ET erat quidam cur ſibi à Dauide timeret, ne poſtquam deductus fuiſſet ad prædones, interficeretur, vt deinceps inutilis, & hactenus vile latronum mancipium [c] Sed non ſatis apparet, cum eſſet in poteſtate Dauidis, quid ſibi iam ab Amalecita timeret, aut vnde ſuſpicari poſſet ſe hero ſuo deditum iri, id certe Dauid lege Moſaica prohibebatur. [d] Reſpõdet Abulenſis, timuiſſe Ægyptium ne ſi Dauid Amalecitas ſuperare non poſſet, & prædam extorquere, in aliquam deſcenderetur conuentionem inter hoſtes, & in conditionibus pacis ſua reſtitutio poneretur; ſicque herili iuri redditus, multo cum cruciatu necaretur. Timuit quoque, quod neſciret qua intentione Dauid requireret Amalecitas; forte enim neſciebat Dauidem cum ſuis eſſe incolam Siceleg; credebatque eum quoque cum ſuis prædas agere, & velle fœdera cum popularibus ſuis agere, non amiſſam

c Abul. q. 12 & 12. 10 c. 30

d Deut. 23. 15.

prædam recuperare: qua de re nullum ei verbum fecerat Dauid. Potuit autem ſcire locum in quo eſſent iſti prædones, nam forte dixerat illi dominus eius, vt cum reualuiſſet, ad exercitum, certum in locum ſeſe conferret.

CX. *Deducit Dauidem.* Nihil cunctatus Dauid iurauit Ægyptio, qui eum deduxit quo promiſerat. *Ecce autem illi diſcumbebant ſuper faciem vniuerſæ terræ*, cœnabant videlicet, erat enim veſpera, vt ratio temporis exigit, & paulo poſt clare ſignificatur. Exiſtimat Abulenſis iſtos non quaſi in itinere ſubſtitiſſe ad ſumendum cibum, ſed eum locum, amœnum fortaſſe præ cæteris, conſulto elegiſſe, vt ibi epularentur, *Amalecitæ epulantur.* & cura metuque ſoluti, diem feſtum agerent; eoque factum vt etiam tertio die ab incenſa Siceleg, non longius vno die ab ea abeſſent. Ergo *diſcumbebāt*[a] *ſuper faciem vniuerſæ terræ, comedentes & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes diem. Quibus vltimus eſſet ille dies.* In Hebræo eſt, *tripudiantes*, id ſcilicet erat Amalecitis feſtum celebrare *Et caduntur.* diem, in honorem deorum ſuorum, eis gratias agentes *pro cuncta præda, & ſpolijs quæ ceperant de terra Philiſthijm, & de terra Iuda. Et percuſſit eos* Dauid *à veſpere vſque ad veſperam alterius diei*, qui fuit ſextus belli dies. Nec dicitur pugnaſſe Dauid, totus labor fuit vino madidos, cibo diſtentos, tripudio fatigatos, huc illucque palantes obtruncare, intercipere fugientes. *Et non euaſit ex eis quiſquam, niſi quadringenti viri adoleſcentes, qui aſcenderant camelos, & fugerant*, ab ipſo videlicet cædis initio cum maturius periculum animaduertiſſent. Et hæc quinto belli die contigerunt.

[a] 1. Reg. 30. 16. 17.

SEXTVS BELLI DIES.

CXI. *Dies ſextus qualis.* Dies cædium, & ſanguinis eſt iſte dies,[b] tam Amalecitis in deſerto Pharan, quam Iſraëlitis in montibus Gelboë; dies terroris & fugæ; dies prædarum & vltionum; dies deſertarum, & occupatarum ciuitatum; dies gaudij, & triumphi inimicis domini: dies luctus & tenebrarum populo Dei. Dies in quo varia ſorte, & quaſi alternis probi, improbique lætantur & gemunt. Amalecitæ gementes pereunt, Philiſthæi gaudio perfunduntur, Dauidici lætantur,[c] *ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.* Iſraëlitæ male pugnant, funduntur, fugantur, cæduntur, vſque ad regis, ac totius pene regiæ domus interitum. Sed prius expediamus ea quæ ad Dauidem pertinent, vt mox, à deſerto digreſſi, adeamus montes Gelboë.

[b] ſupra nu. 30.
[c] Eſa. 9. 3.

CXII. *Delentur Amalecitæ.* Plane cruentus fuit hic dies Amalecitis, & vere extrema gaudij luctus occupauit, quando de infinita multitudine tam pauci euaſerunt. Paucos enim fuiſſe fugitiuos hoſce quadringentos, habita ratione interfectorum, ipſa Scripturæ phraſis oſtendit, quæ negat euaſiſſe quemquam, præter quadringentos. Mirum eſt autem non effugiſſe per nocturnas tenebras vniuerſos illos, in quibus interficiendis totus hic dies conſumptus eſt. Exiſtimari poteſt locum ipſum fauiſſe Dauidi, ſecluſam videlicet vallem quaſi ampliſſimum amphitheatrum præruptis *Qui non effugerint.* montibus rupibúſve circumſeptum, gemino tantum aditu, quorum cum vnum Dauidici à principio occupaſſent, altero quadringenti effugerunt, ſed occupato mox etiam illo exitu, nullus effugio relictus eſt locus. Ergo incluſi pœnam expectant; & ne quam victoris mererentur miſericordiam, ſe inuicem ad defenſionem hortantur in craſtinum diem, vt vel vincerent, vel non morerentur inulti. Sed neutrum eis contigit, nam vix albeſcente cœlo, cum ventum eſſet ad manus, illico in pauorem verſi, ac victi ſunt, pecudūq. inſtar cæſi, atque internecione deleti: incolumi ad vnum tota Dauidis cohorte, & integra tota hoſtium præda, iis tantum exceptis quæ fuerant epulis abſumpta: vt illi mutuo accepiſſe potius, & conſeruaſſe, quam rapuiſſe videri poſſent.

CXIII. *Eadem clades ex Ioſepho.* Iosephvs in huius expoſitione victoriæ, circa notationem temporis aberrat à vero, deſertaque ſcriptura, veſperam vertit in meridiem, & cœnam in prandium; cætera non improbabilis.[d] Terminata veſpere cæde, media inter cadauera victores ſtetere, & cibo refectis artubus quieuere, in diem craſtinum, receptis quiſque iam tum vxoribus, liberiſque.

[d] l. 6. c. vlt. Itaque hic ductore, &c. 11. &c.

CXIV. *Pugna Philiſthæorum contra Iſraëlitas.* Dvm hæc[e] in ſolitudine cōtra Amalecitas, à Dauidicis gerūtur, Philiſthæi in valle Iezraël, & in montibus Gelboë feliciter contra Iſraëlitas pugnarunt, quam pugnam poſtremo huius libri capite paucis admodum ſcriptura deſcribit, vt nec initium pugnæ, neque ordinem eius agnoſcere liceat, *Philiſthijm autem*, inquit,

[e] Cap. 31.

pugnabant aduerſum Iſrael, vtique & Iſraelitæ aduerſus Philiſthæos; ſed iſti pugnaſſe dicuntur, quaſi inuadentes vltro hoſtiles copias; dum hi ſatis haberent ſuſtinere impetum irruentium, ac ſe defendere. Et apparet non ſuſtinuiſſe diu: ſtatim enim ſequitur, *Et fugerunt viri Iſrael ante faciem Philiſthijm, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe*, quod in primo quoque Paralip. repetitur; [a] Sed & nuncius qui venit ad Dauidem ex prælio, narrationem ſuam à fuga exorſus eſt, [b] *fugit*, inquit, *populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui ſunt*; Ne omnes in fuga interceptos atque occiſos putaremus, multos quoque ante fugam occiſos credere par eſt; idque Ioſephus non obſcurè ſignificat, *Interea Palæſtini* ait, *acri prælio cum hoſte congreſſi, & ſuperiores facti, plurimos ex aduerſa acie ſternunt*, acri prælio non pugnatur, niſi cum vehementer reſiſtitur.

Fuga, & cædes Iſraelitarum. — [a] c. 10. v. 1. [b] 2. Reg. 1. v. 4.

CXV. *Et filiorum Saulis, cũ robore exercitus.*

ET hæc quidem de gregariis militibus dicta intelligi poſſunt; deinde vero ad triarios, ac prætorianos res deducta ſignificatur: in illis enim apparet fuiſſe filios Saulis, ibidemque pugnantes cecidiſſe. *Irruerunt*, inquit, *Philiſthym in Saul, & in filios eius, & percuſſerunt Ionathan, & Abinadab, & Melchiſua filios Saul.* Filios ante patrem mortuos, primo quoque Paralip. totidem fere verbis recitatur. Idẽ ſequitur Ioſephus, qui, in gratiam gentis ſuæ, rem paulo ampliorem facit. *Ibi Saul*, inquit, *& filii contra hoſtem egregiè certantes, & hoc tantum agentes ne inulti caderent, vtque honeſtis vulneribus confecti, luctuoſam hoſti victoriam relinquerent, totam vim hoſtium in ſe conuerterunt; & circumuenti multitudine, magna circa ſe ſtrage Palæſthinorum edita, poſtremo & ipſi hoſtium telis ſunt obruti. Fuerunt autem Saulis filii Ionathas, Aminadabus & Melchiſus, poſt quorum caſum vniuerſus Hebræorum exercitus profligatur: dumque nullo ordine trepidi fugiunt, inſtantibus à tergo barbaris, ingens cædes eſt perpetrata.* Sic ipſe.

CXVI. *Cur Saul filios à prælio non abduxerit.*

VERVM miretur aliquis Saulẽ, pridie de morte filiorũ ſuorum præmonitũ, non dediſſe operam vt illi à prælio abeſſent, & mortem vitarent, in magnum familiæ ſuæ, ac Reip. bonum. An id ab eo factum, quod certum credidit eſſe, atq; immutabile decretũ diuinum, de ſua & ipſorum morte? itaque noluit eos maturius affligi tam acerbo nuncio, aut vitæ amore glorioſam mortem fugiendo, ignominioſam incurrere; noluit hac denunciatione diuinæ diſpoſitioni quoquo modo obſiſtere, ſed ei ſe in re tam graui, tamque difficili, in pœnam peccatorum ſuorũ obtemperare, vt volunt Hebræi, Abulenſi minime repugnante. [c] Potuit tamen exiſtimare; Samuelis ſententiam eſſe comminatoriam, quales ſæpe contra peccatores latæ in Scriptura memorantur; ſicque operam dare ne illi hoſtili mucrone interirent; Sic didicit Dauid Ceila nos tradituros ipſum in Saulis manus, quod vt ne contingeret, abiit inde, & periculo ereptus eſt: ergo ne in prælio caderent potuit Saul filiis prælium interdicere.

[c] q. 3. in c. 31.

CXVII. *Curque mortui ante Saulem.*

Hoc autem iam ad Saulis pœnam & dolorem ſpectabat, vt non prius moreretur ipſe, quam triſte de morte filiorum, ante ora patris cadentium, ſpectaculum cerneret; ſicque in ſummo luctu, & rerum deſperatione interiret, nec iniuria; quandoquidem illi, ſicut & populus, propter Saulis peccata interibant, ſicut ei Samuel pridiè ſignificauerat. Cum enim illi inobedientiam in Amalecitano anathemate exprobraſſet, ſubdidit. *Idcirco quod pateris fecit tibi Dominus hodie, & dabit Dominus etiam Iſrael tecum in manus Philiſthijm; cras autem tu, & filii tui mecum eritis*, vbi tria membra eadem particula cauſali illigantur: vt propter eandem inobedientiam tam ipſe, quam filii eius, & bona pars populi, Palæſtinorum ferro obtruncaretur, ſiue quia omnes ad vnum idemque corpus œconomicum ac politicum pertinebant, ſiue quia eiuſdem criminis culpæ, aut prædæ participes fuerant. Eadem porro morte filiorum Saulis, Dominus voluit Dauidi ad regnandum expeditam ſterni viam, quæ trium principum vita, & ſucceſſionis iure obſtruebatur: nec ſine multo ciuili ſanguine poterat aperiri, cum vnus Iſboſeth, quamuis regno parum vtilis, regni tamen Dauidis initia cruentarit. Neque Dauid, viuo Ionatha perſuaderi potuiſſet, vt regni gubernacula ſuſciperet. Sed iam ad luctuoſam miſerrimi Saulis mortem, quamuis triſtis, ac renitens deſcendat oratio.

CXVIII. *Mors Saulis.*

EXTINCTIS cum prætoriana cohorte, & omnibus amicis, ac domeſticis Saulis, tribus eius filiis, (nam domeſticos Saulis, & cuſtodes regij corporis, & omnino fortiſſimos quoſque, fortiter pugnando in regis ac filiorum eius oculis cecidiſſe,

minime dubitandum eſt. Eoſque Saulis viros vocaſſe videtur Scriptura cum ait. *Mortuus eſt ergo Saul & tres filij eius, & armiger illius, & vniuerſi viri eius in die illa pariter*, quamuis ea verba Septuag. non habeant;) extincto inquam, ipſo flore, ac robore militiæ, *totum prælij pondus verſum eſt in Saulem*, quod eo viuo ac libero non videbatur contigiſſe perfecta victoria Philiſthæis. Itaq. audaciſſimi quiq. eorum, ac pugnaciſſimi, ad eum vel in poteſtatem redigendum, vel interficiendum concurrunt. Saul autem qui hunc globum pene iam ſolus ſuſtinere non poterat, in fugam ſe dat, quamuis nullum haberet receptum in caſtris, ab hoſte iam occupatis, ſed fugientem *conſecuti ſunt viri ſagittarij, & vulneratus eſt vehementer à viris ſagittarijs*, hebræam vocem vertunt Pagninus & Caietanus *timuit*, neque negant vulneratũ; ſed timuiſſe ait Caietanus propter vulnera ſagittarum, ne viuus in hoſtiũ manus incideret, vulneribus prohibentibus, aut certe tardantibus fugam.

vaiachel ויחל — Et timuit. — *Vulneratur.*

Septvaginta vero non ſolũ vulneratũ fuiſſe teſtãtur, ſed declarãt etiam vulneris locum ἐτραυματίσθη εἰς τὰ ὑποχόνδρια. Vocant hypochondria medici partes muſculoſas ſupra vmbilicum, quæ ſpuriis coſtis ad latera vtrimq. ſubijciũtur; Theodotio, ait vulneratum in parte, quæ eſt prope iecur. Vocem autem illam hebræam non ſolum Hieronymus in editione vulgata, ſed alij etiam recentiores verterunt, *& vulneratus eſt à ſagittarijs* vt Montanus & Tigurina, & Pagninus ipſe in 1. Para. vbi legimus, *inueneruntq. eũ ſagittarij, & vulnerauerunt iaculis*. Quibus præit Ioſephus, [a] *Saulus*, inquit, *ſtipatus ſuorũ caterua fugiebat; in quẽ Palæſtini immiſsis ſagittarijs & iaculatoribus, omnes paucis exceptis confixerũt. Ipſe vero poſt multa fortia facinora edita, grauatus vulneribus, vt iam nec ſubſiſtere, nec ſibi manus inferre valeret, &c.* prius ergo quã ipſe ſibi manus inferre conaretur, iã vulneribus debilitatus erat; nec integer facinus poſtremũ, demẽtiæ ac crudelitatis pleniſſimũ ſuſcepit. Sulpitius Seuerus equo delapſũ ait, vtiq. præ dolore accepti vulneris, ſi tamẽ eques fugiebat, nã equi huius Scriptura nuſquam meminit: probabile tamen fit ex eo quod currus & equites Philiſthæorum ipſum perſequebantur, vt nuncius mortis huius Dauidi retulit. [b]

CXIX. *Circa præcordia.* — μόνος τὸ ἴσχυς τῶ ὑπάτως. — a ca. 10. v. 3. — *An fuerit in equo.* — b 2. Reg. 1. 6.

Savl ergo videns actum eſſe de ſe, de filiis, de regno, in ſummã rerũ omniũ deſperationẽ adductus, honori tamẽ ſuo conſultũ voluit, ne hoſtes ad mortis ſuæ calamitatem, etiam ignominiam, ac dedecora illuſionum adiungerent. Itaque ad armigerum ſuum conuerſus, *Euagina*, ait, [c] *gladiũ tuũ, & percute me, ne forte veniant incircumciſi iſti, & interficiãt me illudentes mihi.* Quæ eodẽ modo in 1. Paralip. legũtur. Nec mirũ eſt armigerũ iſtũ, gladiũ habuiſſe hoc loco ac tẽpore in vagina reconditum; erat enim hæc fuga, non pugna: nec gladiis cominus pugnabatur, ſed eminus ſagittis. *Armigerum iſtum*, ait Hieron. [d] *Hebræi Doeg Idumæum fuiſſe dicunt, qui cernens Saulem mortuum, ſeipſum ob metũ Dauidis interemit* quibus cõſentiunt Rupertus, Comeſtor, Angelomus, Lyranus, Abulenſ. Dionyſ. Caiet. Probabilis vtiq. & pleriſq. probata ſententia, cũ ex ſuperioribus conſtet, eũ fuiſſe vnũ de primariis ſeruis Saulis: nec dubitaret ſe Dauidi meritas pœnas de delatione ſua, & ſacerdotum carnificina, & vaſtata ciuitate Nobe quamprimum daturum. Sed pœnas miſer non effugit, ſed in multo grauiores commutauit.

CXX. *Vult interfici ab armigero ſuo.* — c ca 31. v. 4. — d in trad. hebr. — *An is Doëg.*

Nolvit armiger hic, etiam in re deſperata, etiam rogante rege, etiam mortem beneficij loco accipiente, regi ſuo manus inferre, [e] *fuerat enim nimio terrore perterritus*, præ ſumma videlicet in perſonam regiam reuerentia, vt Ioſephus quoque notauit, qui tamen nuper importuna, atque impia regij præcepti reuerentia, in ſummum pontificem Achimelechum, & tot ſacerdotes Domini, inſignibus ſacerdotij ſui venerabiles, tam crudelis, ac barbarus fuit. Non magis vtique in vno laudabilis, quam in altero execrandus; In vtriſque enim diuinam maieſtatem relucentem oportuit reuereri. Cum ergo Doëg facinus, quod rogabatur, auerſaretur, neq. temporis anguſtiæ paterentur aliũ quærere carnificem; *arripuit* ipſe *Saul gladium, & irruit ſuper eum.* Non dicit Scriptura eum ſtatim ex vulnere expiraſſe: ex quo fit probabilis narratio iuuenis Amalecitæ, quæ initio libri ſequentis habetur; vocatum ſcilicet à rege palpitante, & iuſſum incumbere in ipſum, vt ex inflicto ſibi mortifero vulnere, citius interiret. Res tamen controuerſia non caret, aliquemne ſcilicet Saul habuerit cædis adiutorem, an neminem.

CXXI. *Qui recuſat.* — e ca. 31. v. 4. — l. 6. ca. vlt. — *Et Saul proprio gladio incumbit.* — CXXII. *An habuerit cædis adiutorem Amalecitam.*

Aientem partem tuetur Rab. Leui apud Serar. & Ioſephus, cuius eſt hæc oratio, *obſecrauit*, inquit, *armigerum vt ſe ferro transfigeret, priuſquam viuus in hoſtium poteſta-*

l. 6. ant. c. vlt.

tem veniret. Quod cum armiger, ob maieſtatis reuerētiam detrectaret, ipſe admoto ad pectus proprij gladij mucrone, in eum incubuit, & cum deficientibus viribus traycere ſe non poſſet, circumſpiciens iuuenem proximum rogat, quiſnam eſſet, auditoque eſſe Amalecitam, orat vt ſe iuuaret efficere, quod ipſe ſuis manibus non quiret; qui eius optata executus eſt, &c. ſubſcribit & Philo ille qui biblicas ſcripſit antiquitates, in quarum fine, vocat hunc Amalecitam Edab, aitque fuiſſe filium Agag regis Amalecitarum, quem Samuel interfecerat; & Saulem, audito iſtum eſſe Amalecitam filium Agag, dixiſſe. *Ecce nunc venerunt ſuper me verba Samuelis, quando dixit, Qui natus erit ex Agag, erit tibi in ſcandalum. Vade autem & dic* Dauid, *ego occidi inimicum tuum; & dices ei. Hæc dicit Saul ne memor ſis odij mei, & iniuſtitiæ meæ.* Hæc ibi.

CXXIII. *Non videri.* Negantem ſententiam communiter omnes ſequuntur, vt ait Abulenſ.[a] affirmantes iuuenem hunc Amalecitam apud Dauidem fuiſſe mentitum; vt ei tanto gratiora afferret nuncia, quanto certiora. Mendacij certe eum arguit Theodoretus,[b] Procopius, Eucherius, Angelomus, Lyranus, Abulenſis, Serarius, Torniellus, & ſi qui alij. Quæ videtur omnino Scripturæ ſententia, *Arripuit*, ait, *Saul gladiū, & irruit ſuper eū*; ſcilicet cōfoſſus interiit, nā ſequitur. *Quod cū vidiſſet armiger eius, videlicet quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* eodemq. modo habent Septuag. quæ totidē pene verbis in 1. Paral. repetuntur, qui liber cū ſupplere ſoleat, quæ ſunt in libris regū prætermiſſa, vt fert ipſum eius nomen, de hoc tamen Amalecita nullum habet verbum. Ex facto autem ipſius armigeri, quid Rex fecerit oſtenditur; at de iſto ſcriptum eſt; *irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo*, ex accepto ſcilicet vulnere irruendo in gladium, ſicuti contigerat regi. Itaque ſimilis illi & genere mortis fuit, & cauſa moriendi: iactura videlicet præſentium, & deſperatio futurorum.

[a] in 1. Reg. c. 1. q. 5.
[b] q. 1. in 2. Reg.

CXXIV. *An omnis domus Saulis extincta.* Mortvvs *eſt ergo Saul, & tres filij eius & armiger illius, & vniuerſi viri eius, in die illa pariter*, id eſt vniuerſum eius ſatellitiū, vt ait Ioſephus;[c] at in 1. Paral[d] *& omnis domus illius pariter concidit* Remāſerunt vtiq. nonnulli ad tēpus aliquod, puta Iſboſeth & Miphiboſeth, quorum ille Saulis, hic Ionathæ filius fuit: remanſit & Abner patruelis Saulis. Sed tunc omnis domus Saulis dicitur concidiſſe, quia hoc tanto caſu præcipuæ columnæ, omnia in proximam ruinam inclinata ſunt. Cum autem propriæ ipſum conſtet mortis authorem fuiſſe, & adminiſtrum, nulla authoritate, nullo iure, nulla inſpiratione diuina, minimè dubium eſt Saulem, in ſe ipſo interficiendo, grauiſſime deliquiſſe, & quidem grauius, quam quouis alio mortalium occidendo; maiorem quippe erga ſe charitatem habere, atque exercere debet, quam erga quemuis alium. Conſtat quoque deſperationem de diuina bonitate, miſericordia, aut ſalute propria ſcelus eſſe maximum, & ſi vltimum fuerit, ad æternam miſeriam aditum eſſe certiſſimum. At Scriptura[e] prioris vitæ criminibus addit, quod non ſperarit in Domino, propter quod eum interfecerit, & tranſtulerit regnum eius in Dauidem.

In ſui cæde grauiter peccaſſe.

[c] l. 6 ant. c. vlt.
[d] ca. 10. v. 6.
[e] 1. Paral. 10. ſ.

CXXV. *Quæ pro Saule facere videantur.* Sed placet argumentum grauiſſimum, & multorum doctorum diſputationibus, ſcriptiſque agitatum, paulo vberius, in gratiam eruditi lectori, explicare. Non enim deſunt qui inconſulta in Saulem moti miſericordia, ſibi eius æternam ſalutem perſuadeāt, & poſtremum propriæ cædis facinus imprudentius excuſare conentur. In his in primis ſunt Hebræi, quibus fauet Lyranus, non tamen Ioſephus; etſi enim eum redeuntem ad caſtra, in quibus certo ſciebat ſibi eſſe moriendum, vehementer commendet, vt ſuo loco diximus, vbi tamen recitat mortem, quam ſibi ipſe intulit, neq. eum laudat, neq. vituperat. Itaque illi pro Saulis
1. innocentia, & ſalute iſthæc afferunt. Primùm potuiſſe Saulem ſibi manus afferre ne illuderetur à Philiſthæis, quorum irriſiones cederent in contemptum Dei. Ad quod etiam diuinam credunt inſpirationem interueniſſe, vt de Samſone, Raſia, aliiſque ſanctis dicitur, quos ne S. quidem Auguſtinus condemnat. Aiunt
2. ſecundò Saulem de peccatis ſuis pœnituiſſe, audita mortis à Samuele ſententia, quam Dominus contra ipſum, eiuſque filios tuliſſet; eamque in pœnam peccatorum ſuorum humili animo admiſiſſe, & ad eam luendam prompte tota nocte ad caſtra, pugnamq. cucurriſſe, nec ſuos, cū poſſet, certæ morti eripere voluiſſe.

Neqve vero modicam in verbis Samuelis vim ineſſe putāt, cū vir iuſtus & ſanctus, & in cœtu ſanctorū patrum, & ſinu Abrahæ collocatus, de eo & filij eius di-

xerit, *cras tu & filij tui mecũ eritis*; aut ergo ille ſaluus eſt cũ Samuele, aut Samuel cũ 4.
Saule periit, quod dicta impiũ eſt. Accedit quod antea de hoc rege dictũ eſt, fuiſ-
ſe illũ electum & bonũ, nec fuiſſe in toto populo meliorem illo. Licet ergo poſtea
multa, grauiáq; peccarit, rationi conſentaneũ eſt exiſtimare, Deum, cuius infini-
ta eſt bonitas, & miſericordia, miſeratũ priſtinæ vitę ſanctitatẽ, ei miſericordiam
in extrema vitæ periodo impendiſſe. Iuxta illud, *Recordatus ſum tui, miſerãs adoleſcen-*
tiam tuã, & charitatẽ deſponſationis tuæ, quãdo ſecuta es me in deſerto. [a] Præterea vbicunq. 5.
dicitur à Deo reprobatus, & reiectus à facie ſua, facile intelligi poteſt, ſicut &
non ſemel ab ipſa Scriptura exprimitur, de regno Iſraëlitico vitæ huius, & non
de felicitate æterna. Poſtremo cum illi neceſſario tum moriendum eſſet, non vi- 6.
tam ſibi eripuiſſe, ſed manum duntaxat mutaſſe videri poteſt.

a Ierem. 2. 2.

CXXVII. *Qui Saulem condemnent. Chryſoſtomus.*

Nihilominvs communis eſt doctorũ & ſanctorumque patrum veriſſima ſententia, Saulem ſeipſum interficiẽdo grauiſſime deliquiſſe, & æternis ſuppliciis addictum eſſe. Et hanc eſſe vnanimem catholicorum ſententiam Lyranus ipſe non negat: idq. Brugenſis contra ipſum vehementer vrget. Sed id aperte teſtatur S. Chryſoſtomus. [b] *Quid commodi* inquit, *cepit infelix ille ac miſer tot inſidiis molitus Dauidi? nonne regno excuſſus eſt, nonne miſeranda morte periit vna cum filio? nonne ab omnibus vituperatur, & quod his grauius eſt, æterna luit ſupplicia?* τί δὴ χαλεπώτερον, τῆς ἀθανάτου τοῦ ἐκδέχεται τιμωρίας. Author quæſtionum ex veteri teſtamento, vtiq. antiquus & grauis, qui pro Auguſtino in canonibus laudatur. [c] *Et quomodo*, inquit, *vir Dei qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum peſtilentiæ, dignum ardore gehennæ, cras mecum eris?* Et mox, *Saul*, inquit, *cum diabolo futurus erat, ad eum enim tranſmigrauit, quem adorauit.* Sic ipſe, de cuius opinionis veritate non diſputo, quod ad rem ipſam attinet; ſatis eſt agnoſcere quid ille de Saulis æterna ſalute ſenſerit. Idemque de authore mirabilium ſacræ ſcripturæ idem affirmante dicendum eſt.

b to. 1. homil. de Dauide & Samuele.

Author. q. q.

c 26. q. 5. c. nec mirũ.

Et mirabiliũ Script.

CXXVIII. *Ambroſius. Hieronymus, &c.*

S. Ambroſius [d] ſemel iterumque Saulem Iudæ aggregat, dum agit de iis, qui in malo permanſuri, aliquoties prius ſunt boni. Aggregat & S. Hieronymus. *Eliguntur*; inquit, *præſentia; nec ſtatim qui eligitur tentari non poteſt, nec perire; quia & Saul electus in regem, & Iudas in Apoſtolum, ſuo poſtea vitio corruerunt.* S. Auguſtinus dum exanimat illa verba Samuelis, *cras mecum eritis. Et forte hoc eſt*, inquit, *quod cũ illa imago Samuelis Saulem prædicaret moriturum, dixit etiam ſecum futurũ; quod vtique falſum eſt. Magno quippe interuallo ſeparari poſt mortẽ bonos à malis in euangelio legimus; cũ Dominus inter ſuperbũ illum diuitem, cum iã apud inferos tormenta pateretur, & illũ qui ad eius ianuã vlceroſus iacebat, iam in requie conſtitutos, magnũ chaos interiectũ eſſe teſtatur.* Sentit ergo Auguſtinus Saulem non futurum cum Samuele poſt mortem, vt qui futurus eſſet in loco, in quo poſtea diues ille tormenta inferorum paſſus eſt. Ei ſubſcribit, quem etiam deſcribit Eucherius. Beda vero exponens eadẽ verba Samuelis, ait Saulem, *cum diabolo in inferni flamma ſepultũ.* Gregorius, Rupertus, Petrus Damianus, Auguſtinus l. 2. ad Simplic. q. 1. & Bernardus paſſim Saulem reprobum vocant. Et ſerm. 26. in Cant. ait merito Dauidem plãxiſſe ſuper Saul, quẽ ait reſurrecturũ, ſed nõ ad vitã. *Imo ad vitã, ſed vt viuus in morte infelicius moriatur.* E recẽtioribus id cõfirmant Abul. q. 9. & 10. in cap. 31. Caietanus, Dionyſius, Serarius, Pineda in ſuo Salomone, [f] vbi Sauli Salomonem conferens, ait Saulem amotum à facie Dei in æternũ; & corpore & animo male periiſſe. Sed quid alia teſtimonia requiramus, cum Scripturam habeamus dicentem, *eũ mortuum eſſe in peccatis ſuis?* Nam vbi nos legimus, *Mortuus eſt ergo Saul propter iniquitates ſuas, eo quod præuaricatus ſit*, hebraicè, & apud Septuag. habetur, *in iniquitatibus ſuis, quibus præuaricatus eſt*, vel peccauit Domino. ſubditq; deinceps præuaricationẽ Amalecitanã, conſultã pythoniſſam, diuino auxilio deſperato. Et ſuper hæc omnia, armigero ſuo regiã ſuaſit cædẽ: ſibi ipſe. i. regi, ac Chriſto domini violẽtas manus intulit, & ad tã deſtandũ facinus, famulo ſuo crudeli præiuit exemplo. Si maxime inſpirãte Deo ſeſe perimere potuiſſet, certe, ex debita proximo charitate, eius ruinam vitare debuiſſet.

d in epiſt. ad Rom. c. 8. & 9.

Bernardus.

Relentiores. Et Scriptura ipſa.

e l. 8. c. 1. n. 56.

f 1. Paral. 10. 13.

CXXIX. *Refelluntur quæ pro Saule faciunt. Non habuit inſpirationem.*

Neqve vero priora illa argumenta tantas haſce maculas eluere poſſunt, quas nihil efficacius emũdaret, quã diuina inſpiratio, ſi quo illa modo probari, aut veriſimiliter affirmari poſſet; potuit vtiq; habere inſpirationẽ, potuit animo conteri: ſed nos non quærimus quid fieri potuerit, ſed quid factum ſit. Tota hiſtoria ſacra ipſum damnat grauiſſimorum criminum, in quibus mortuus ſit;

vnde habent Hebræi, vt purgẽt temeritatem aſſertionis ſuæ? inſpirauit aliis, quid tum? num credibile eſt hominem, in perpetua inuidia, & odio cruentiſſimo innocentis viuentem, & in multis quotidie criminibus volutatum, Deum potius tanti facinoris, quam diabolum authorem atque impulſorem habuiſſe? Nam quod dicunt Saulem voluiſſe vitare irriſiones, quæ cederent in contemptum Dei, nihil dicunt. Non enim facienda ſunt mala, vt eueniant bona, nec maiora mala vltro accerſenda, nec minora contingant. Quod autem maius eſt crimen, quam ſeipſum, & quidem principem populi interficere? & cur quiſquam certiſſimo ſuo crimine alienum incertum redimat, vel anteuertat? Quin etiam euenta ipſa ſatis ſuperque docuerunt, Deo non fuiſſe cordi vitari à Saule haſce contumelias, ſed ferri potius, in pœnam, aut expiationem criminum ſuorum. Paſſus enim eſt poſtridie ipſi caput abſcindi, & per vniuerſam Philiſthæorum regionem circumferri, vt poſt varia procaciſſimæ gentis ludibria, in templo Dagonis affigeretur, corpuſque ipſum armis nudatum ac veſtibus, vna cum corporibus filiorum eius, de muro, qui eis eſſet inſtar patibuli, ſuſpenderetur. Itaque interficiendo ſeipſum non vitauit, neque vitare potuit irriſiones, & contumelias, ſiue eæ cederent in contemptum Dei, ſiue non cederent; ſed vitauit, ac vitare potuit ludibria, quæ viuo inferri poterant, quibus ille propter Deum, & in pœnam peccatorum ſuorum ferendis, præ animi infirmitate, par non fuit.

Saul male vitatas irriſiones incurrit.

CXXIX. *Propria cædes infirmitatis eſt.*

Infirmitas enim ac mollicies animi eſt nõ fortitudo, vel ipſo Ariſtotele iudice, [a] contumelias atque irriſiones non ferentem, ſeipſum interficere; imprudentia eſt huiuſmodi proba, atque dedecora, certa filiorum, vxorum, populi, regni, bonorumque omnium iactura, & inſuper temporali & æterna morte redimere: quæ poteſt fortitudo cum tanta imprudentia, ac temeritate conſiſtere? Quomodo mortem ferre, aut ſibi etiam accerſere fortitudo eſt, cui nullus rectus finis propoſitus eſt? Hæc vtique aprorum, taurorum, aut leonum furentium fortitudo eſt, in quos virtus non cadit. Hæc eſt ignauiſſima, atque inconſultiſſima Sardanapali fortitudo. Hic eſt inſanientis mulieris furor.

[a] 5. Ethic.

------faces in caſtra tuliſſem,

inquit illa.

Impleſſemque foros flammis, natumque, patremque
Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.

Nonne videri poſſit Saul in ſumma deſperatione rerum omnium, qui viuens perpetuo aduerſus Dauidem inuidiæ liuore contabeſcebat, etiam moriens id agere voluiſſe, vt ſecum pereunte Republica, non ſupereſſent Dauidi quibus imperare poſſet.

CXXX. *Solutio primi argumenti.*

Vt ergo ad Hebræos noſtros reuertamur, dicimus has illuſiones, quæ dicuntur in Dei iniuriam ceſſuræ, non debuiſſe maiore iniuria præueniri, ſed patienter ad Dei gloriam, & peccatorum ſatisfactionem ferri; Ad magnam quippe Dei gloriam cedit, vt quis magno animo malit omnium mortalium irriſione deludi, licet probra ſupra ipſam mortem exhorreſcat, quem Dei legem vllo peccato violare. Itaque ſanctos vehementer commendat Apoſtolus [b] non ſolum qui *in occiſione gladii mortui ſunt*, ne Deum offenderẽt; ſed etiam qui *ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres.* Denique Chriſtus ipſe Dominus contumelioſiſſime tractari non dubitauit, vt diuinæ iniuriæ ſatisfieret, & homo redimeretur. Nam quod aiunt, aut diuinant potius, Saulem de peccatis ſuis pœnituiſſe, & ſuam, ſuorumque mortem pęnæ nomine ſubiiſſe, magis dicunt, quid factum, oportuit, quam quid factum fuerit. Summi enim timoris, & abiecti animi ſigna, audito triſti nuncio legimus, pœnitentiæ ſigna nõ legimus: nec præcedens illius vita patitur, vt talis acceptatio, obedientiæ longe difficillimę potius, quam deſperationi tribuatur. Et quamuis tam heroicam virtutẽ Sauli tribueremus, poſtremo tamen eius facinore, vim omnem eius, ac meritum irritum factum eſſe conſtat.

[b] Hebr. 11 36. 37.

2. An Saulem pœnituerit.

CXXXI. *3. An Samuel promiſerit Sauli requiem.*

Perparum quoque momenti eſt in illa promiſſione Samuelis. Nam S. Aug. [c] cum illam verſaret quæſtionem, verúſne Samuel, an eius ſimulachrum Sauli apparuiſſet, *Aut ſi propterea*, inquit, *Samuel Sauli dixit mecum eris, vt non ad æqualitatem felicitatis, ſed ad parem conditionem mortis referatur, vt vterque homo fuerit, & vterque mori*

[c] l. 2. ad Simpl. q. 3.

potuerit, iamque mortuus mortem viuo prænunciebat. Sic ipſe. *Ergo mecum eritis*, id eſt extra præſentis vitæ ſtatum, pœnam aut mercedem pro culpis meritiſque à iuſtiſſimo iudice accepturi.

Et verum quidem eſt fuiſſe Saulem à principio regni bonum, atque adeo cęteris meliorem, & verum quoque eſt Iudam à principio Apoſtolatus fuiſſe commendabilem, ſed quia vtrique perſeuerantia defuit, vterque ſibi deſperatione mortem attulit, vterque non diſſimilem damnationem incurrit, ſicut paulo ante, ex ſanctis Ambroſio & Hieronymo, dicebamus. [a] Et ſicut verum eſt Deum propter priora merita, ex infinita miſericordia ſuo excitare peccatorem ad reſipiſcendum, vt qui nolit ea perire, ſed ei valere ad ſalutem. Ita verum quoque eſt nō reſipiſcentem extrema damnatione percelli. [b] *Si enim auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua,* [c] *& fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius quas fecerat non recordabuntur: in præuaricatione qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccauit, in ipſis morietur.* Itaque illa adoleſcentię miſeratio priuilegium eſt, non lex: miſericordiæ munus eſt, non communis norma iuſtitiæ.

CXXXII. 4. *Defuiſſe Sauli perſeuerantiam.*

a n.128.

b vid. 2. Pe. 2.21.

c Ezech. 18. 24.

Reprobatio quidem Saulis de regno Iſraëlitico, & vitæ huius imperio ſumi poteſt, iuxta illud: [d] *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael.* Plerique tamen eam proiectionem tam de figurata abiectione ſynagogæ, quam de æterna ipſius reprobatione interpretantur. A qua non abhorret S. Gregorius: *Quid eſt,* inquit, *quod dicit, vſquequo tu luges Saul? niſi quia perditi nimis lugendi non ſunt. Nam ſæpe doctor de perditione ſubditi vehementer affligitur; ſed reſpectu ſummæ iuſtitiæ conſolatur*, non agit hic B. Gregorius de perditione temporali. Accedit quod poſt latam illam de abdicatione Iſraëlitici regni ſententiam, quæ non tam ipſum reſpiciebat, quam eius poſteros, non paucis annis regnauit, & quidem perſeuerans in multis, magniſque peccatis, vt illi regnum cōſeruatum, in mercedem præcedentium meritorum, non abſurdè æſtimari poſſit. Improborum enim felicitas maximum eſt æternæ damnationis argumentum; proborum ærumnæ expiationi ſeruiunt delictorum, & meritorum incremento.

CXXXIII. 5. *An reprobatio tantū ad temporalia,*

ſignum reprobationis

d 1. Re. 16. 1.

Ibid.

Reliqva eſt illa in obiectionibus occupata mors, in neceſſitate moriendi, quā ſi iuſtam eſſe conceſſerimus, quid obſtat quo minus toto vitæ tempore mortem occupari poſſe fateamur, cum in perpetua moriendi neceſſitate viuamus? nam breuitas, aut longinquitas temporis quod præciditur, ſunt in accidentibus, quæ rei ipſius naturam non mutant; & qui duarum ſibi horarum vltro vitam eripit, æque ſibi eripit, ac ſi 50. deinde annos victurus fuiſſet: æque iniuſſu ſummi illius imperatoris de vitæ ſtatione decedit, & patriæ ciuem, vxori virum, filiis parentem, ſeruis Dominum, neceſſariis amicum per vim rapit. Nec licuit Sauli manum accommodare Philiſthæis, & eorum agere carnificem in ſeipſum, non magis, quā armigerum ſuum ad eundem carnificinam vocare. Et de Saulis quidem interitu corporis animique hactenus, in perpetuum principum omnium, quantumuis à Deo electorum, documentum obedientiæ, regum principi Deo primùm: deinde eiuſdem vicario ſacrorum antiſtiti ſtudioſius deferendæ.

CXXXIV. *An liceat occupare mortem, in neceſsitate moriendi.*

Saul documēto principibus.

Qvod ad Saulis filios attinet, Ionathan præſertim (nam de cæteris vix quidquam alterutram in partem dici poteſt) longe diuerſa fuit Saulis & Ionathæ, vitę & mortis ratio, etſi pariter planxerit Dauid *ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius.* Quæ cauſa videtur mitiſſimo Bernardo fuiſſe, ſeueriore ſententia filium cum parente percellendi: ſic enim loquitur: [e] *Planxit merito Dauid ſuper Saul, & ſuper Ionathan, quibus æque abſorptis ſemel emerſio iam non ſperabatur. Et quidem reſurgent, ſed non ad vitam. Imo ad vitam, vt viui in morte infelicius moriantur. Durus eſt hic ſermo*, inquies, *& quis poteſt eum audire?* Audi tamen quod ſequitur. *Quamquam de Ionatha poßit non immerito hærere ſententia.* Amo te vir ſancte de hac correctione tua: Et perquam libenter Rabanum audio, [f] *vt à perditione*, inquit, *inimicorum David Ionathas oſtenderetur immunis, quia diligebat eum ſecundum legem Dei, qui etſi morte præuentus regnum terrenum cum eo, ſicut ſperabat, habere non potuit, abſque vlla dubitatione regni cæleſtis conſortium, cum eo quem pro virtutibus diligebat, cum eſſet & ipſe vir virtutum, accepit.* Audio & venerabilem Bedam in expoſitione in Samuelem, [g] *Nequaquam Saul malus ibi poſt mortem, vbi Ionathas bonus potuit recipi, imo chaos magnum inter eos confirmatum eſt,*

CXXXV. *Ionathæ mors.*

Et probabilis ſalus.

e ſerm. 26. in cant.

f in c. 20. l. 1 Reg.

g l. 4 in Samuel. c. 7.

quorum vnus in ſinu eſt Abrahæ cum Samuele receptus, alter cum diabolo in inferni flamma ſepultus. ita Beda. Audio quoque Lyranum, [a] *Ionathas autem*, inquit, *ibidem interfectus, erat valde bonus vir & perfectus, propter quod tenendum eſt quod receptus fuit in parte ſanctorum.* Eique aſſentitur Abulenſis, [b] additque mortuum in actu meritorio, pugnando pro patria.

a in c. 31 1. Reg. Vide infra Schol. 16.
b q. 10 in c. 31.

SEPTIMVS BELLI DIES.

CXXXVI. *Dauid ſpolia colligit.*

IS vt primum illuxit, ad ſpolia, prædamque conuerſi ſunt Dauid, [c] & quadringenti ſocij eius, & non ſolum amiſſa recuperarunt, ſed omnia etiam, quæ iſti variis in locis rapuerant, acquiſiuerunt; ſicque vehementer locupletati ſunt. De vtriſque indiſtinctè loquitur Scriptura cum ait, [d] *Eruit ergo Dauid omnia quæ tulerant Amalecitæ, & duas vxores ſuas eruit: nec defuit quidquam à paruo vſque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, & de ſpoliis, & quæcumque rapuerãt omnia reduxit Dauid.* Iis tamen exceptis, quæ vel incendio deflagrarant, vel in cibum, potumque ceſſerant. *Et tulit vniuerſos greges & armenta, & minauit ante faciem ſuam, dixeruntque, hæc eſt præda Dauid.* Non alij quam ipſi milites victores, gratulabundi Dauidi, quem nudius tertius tantum non appetierant lapidibus: ita homines imperfecti pro diuerſis rerum ſucceſſibus commutantur, in proſperis effuſi ſunt in laudem, ac beneuolentiam, in aduerſis manus armant lapidibus, ora maledictis.

c ſup. n. 31
d c. 30. v. 18

CXXXVII *An iniuſta præda Dauidis.*

Minime porro ſpernenda eſt hoc loco de tota iſta præda dubitatio, quam excitat, & late perſequitur Abulenſis. [e] Nam Amalecitæ vel hæc iuſte ſiue iuſto bello rapuerant, vel iniuſto: ſi iuſto, eis auferri nõn potuerunt, legitimi enim domini prædarum facti fuerant, ſicut alij omnes, qui legitimo bello hoſtilem regionem populantur: ſicque peccauerit Dauid cum ſociis ſuis, & obligatus fuerit ad reſtitutionem. Sin autem iniuſte, facti non ſunt domini prædarum ſuarum, ſed manſit dominium penes eos, qui ab Amalecitis ſpoliati fuerant, & conſequenter non tranſiuit dominium in Dauidem. Nam quæ quis furi ſuſtulit, non acquirit ſibi, ſed tenetur ea vero domino reddere. Ergo & Dauid debuit nõ diſtribuere prædas pro arbitrio, ſed veros dominos inquirere, quandoquidem ſecum habebat Ægyptium puerum cuius ope diſcere poterat, ad quæ loca populabũdi excurriſſent. Hos ergo euocatos oportuiſſet, vt ſuas quiſq. res agnoſceret, ac recuperaret; non in alieno corio fieri liberalem, & munera largiri non ſua.

e q. 15. & 16 in c. 30.

CXXXIIX *Licuiſſe ſua recuperare.*

Dicendvm videtur nihilominus licuiſſe Dauidi, & omnibus eius ſociis, defendere in primis ab inuaſoribus, tam vxores & filios, quam omnia bona ſua; quiſque enim ius habet defendendi res ſuas; qua defenſione continetur, non ſolum propugnatio, ne auferantur quæ noſtra ſunt, ſed eorum quoque recuperatio cum oblata fuerint. Nihil ergo peccarunt Dauidici, prædonibus per vim eripiendo res ſuas, & recuperando vxores, filios, famulos, & reliqua bona ſua. Præſertim cum ad hanc expeditionem conſulto oraculo miſſi viderentur, *Perſequere*, inquit Dominus, *abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Et vniuerſe loquendo poterat Dauid, & omnes Iſraëlitę iuſto bello inuadere quoſcunque Amalecitas, & delere nomen eorum ſub cœlo, iuxta præceptum Domini. [f] Nec præceptum de illis exterminandis Sauli datum, erat ita antiquatum, vt Dauidi reliquias belli perſequi non liceret. [g]

f Deut. 25. 19.
g Vide Abul. in c. 15 1 Reg. c. 5.

CXXXIX *Et reliquã prædam acquirere.*

Qvod ad reliquam attinet prædam, dicendum eſt bellum Iſraëlitarum contra Amalecitas iure diuino iuſtum fuiſſe. Habebant enim à Deo præceptum de eis exterminandis ſæpius in lege iteratum, atque inculcatum. Amalecitarum verò contra Iſraëlitas iure humano iuſtum fuiſſe. Inuaſerant enim eos Hebræi, Saul in primis, & Dauid proxime, à quibus nulla iniuria violati fuerant; & illata quondam iniuria, ipſa temporis longinquitate obliterata erat, nec præſentes Amalecitas, poſt 436. annos, pœnę aut direptioni reddebat obnoxios. Quæ ergo Amalecitę Iudęis rapuerunt; iuſtè rapuerunt, & legitimi domini prædarum facti ſunt, nec eis iuxta humana iura auferri potuerunt. Eis tamen ex diuino iure peculiari auferri potuerunt ab Iſraëlitis, qui mandatum à Deo acceperant illos & vita & bonis omnibus euertendi. Cum ergo Amalecitæ facti fuiſſent Domini prædarum ſuarum, priores domini ius in eas res amiſerant, pro-

bellum vtrimque iuſtum.

ptereaque Dauid cum eas iure diuino accepiſſet, nihil illis reſtituere in foro conſcientiæ tenebatur, ſed eas iuſte poſſidere poterat, & legitimum dominium in donatarios transferre.

a c. 30. v. 21. ſupra n. 105.

VENIT *autem Dauid ad ducentos viros* [a] *qui laſſi ſubſtiterant, nec ſequi potuerant Dauid & reſidere eos iuſſerat in torrente Beſor: qui egreſſi* ſeu progreſſi *ſunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accendens autem Dauid ad populum ſalutauit eos pacifice*: innuit hæc beneuola ſalutatio, nulla hos in culpa fuiſſe; niſi velis hoc eximiæ Dauidis manſuetudini tribuere. Multæ ergo vtrimque ſalutationes, gratulationeſque factæ, deinde redditæ populo qui ſubſtiterat vxores, liberique. Cum autem præ ſe ferret Dauid velle ſe cum illis prædam diuidere. Auaritia eorum, qui progreſſi ad Amalecitas cum Dauide pugnauerant, prorupit in querelam, & Dauidi author fuit vt hac liberalitate abſtineret. Eos ſcriptura hiſce verbis accuſat. *Reſpondensque omnis vir peſſimus & iniquus*, ſiue vt eſt in Hebræo, vir Belial: in Septuag. vir peſtilens & malignus, *de viris qui fuerant cum Dauid dixit; Quia non venerunt nobiſcum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus, ſed ſufficiat vnicuique vxor ſua, & filii, quos cum acceperint recedant.* Vt hæc querela aliquid probabilitatis habeat, alicuius aut veræ, aut apparentis culpæ fundamento niti debet. Nam ſi iuſſi duntaxat ſubſtitiſſent, nec per eos ſtetiſſet quin pugnarent, manifeſte inurbana atque iniuſta hæc recuſatio prædæ videretur, quæ eſt Ioſephi quoque ſententia.

λοιμὸς ϗ πονηρός.

CXL. *Dauid redit ad ſuos, qui erant ad ſarcinas.*

OBSERVA hoc loco lector Dauidis æquitatem & manſuetudinem, vt in eo nō præferocem iuuenē, victoria, & præda inſolentem, ſed quaſi parentem ætate grauem, cum filiis grandioribus placidè agentem poſſis agnoſcere. Vide erga commilitones liberalitatem, erga Deum gratitudinem, erga poſteros prouidentiam, erga amicos munificentiam. *Non ſic facietis*, inquit, *fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & cuſtodiuit nos, & dedit latrunculos, qui erup eerant aduerſum nos in manus noſtras.* Cum Dominus tam liberalis in nos fuerit, non eſt æquum aduerſus fratres noſtros nos eſſe tenaces, & nihil male commeritos, noſtra à nobis illiberalitate diſtrahere. *Nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas.* Vtrique enim ad arbitrium, ac nutum imperatoris ſunt parati, ſicut & qui pugnant ad eius imperium, primo aut ſecundo, aut poſtremo loco pugnant. Cum ergo in hac expeditione Dauidis aliqui neceſſariò cuſtodiæ ſarcinarum deputandi eſſent, & cōtigiſſet aliquos eſſe fatigatos, illi potius huic militari miniſterio ſunt aſcripti; itaque ipſi quoque in bellatoribus cenſendi ac munerandi fuerunt.

CXLI. *Quibus cum prædam partitur.*

Et iure quidem.

II. σχ.

b lib. 10.

ET *factum eſt hoc ex die illa, & deinceps* II. *conſtitutum & præfinitum; & quaſi lex in Iſrael vſque in diem hanc.* Neque in Iſraele tantum valuit illa lex, ſed apud Romanos quoque. Audi Polybium [b] vbi de præda in expugnatione nouæ Carthaginis in Hiſpania, Scipione Imperatore. *Omnes*, inquit, *qui ad diripiendam vrbem fuerint ſelecti, ad ſuam quique legionem referunt, quæ vendita tribuni æquis portionibus inter omnes pecuniam diuidunt, non ſolum ijs qui in ſubſidiis manſerunt, ſed iis quoque qui tentoria & ſarcinas cuſtodierunt, imo & ægrotis, & iis, qui ad muneris alicuius curationem fuerint alio miſſi &c.* Dicitur autem deinceps veniſſe Dauid in Siceleg. indeque miſiſſe dona ad amicos ſuos, in terram Iuda, ſed id ante ſequentem diem factum non eſt. Nam & iter hodiernum longum erat, & multa turba mulierum, puerorum, & pecorum impeditum, proptereaque lentum.

CXLII. *Idem ſeruatum à Romanis.*

Hoc ipſo die ſeptimo belli dum Dauidici ſpoliant Amalecitas, Philiſthæi ſpolia & ipſi detrahunt Iſraelitis. Cum enim, vt apparet, ad veſperam vſque vel pugnatum eſſet, vel fugientibus perſequendis laboratum, nec quiſquam vltra hoſtium, vel in viuis, vel in armis cerneretur, ad curanda corpora ſua Philiſthæi conuerſi ſunt. *Facta autem die altera*, ait ſcriptura, [c] *venerunt Philiſthym vt ſpoliarent interfectos; & inuenerunt Saul & tres filios eius iacentes in monte Gelboe.* Nec fuit difficile eos agnoſcere, ſiue ex armorum & veſtium ſpecie, ſiue ex frequenti aſpectu: nam principes viri curioſius vulgo aſpiciuntur. Mirum eſt autem in tot militibus, qui reges ſolent circumſiſtere in præliis, non extitiſſe vnum aliquem, qui Saulem & filios aut ſtatim, aut ſaltem intempeſta nocte, Philiſthæorum furori, & irriſionibus eriperet. Nam fratres Iudæ Machabæi eius corpus è loco prælii, in non minori perturbatione rerum, ſuſtulerunt; Cum tamen REX infelix hoſtilia probra, ac

CXLIII. *Philiſthæi ſpoliant Iſraelitas.*

c c. 31. v. 8.

dedecora deuitans, ſuum ipſe vltro acceleraſſet interitum. Cernitur vtique hac in re diuinum iudicium, vt is peculiari ignominia puniatur, qui ignominię vitandæ cauſa peccauerat.

CXLIV. Regis caput abſcinditur

INVENTO ergo Saulis cadauere, *Præciderunt Philiſthæi caput eius, & ſpoliauerunt armis, & miſerunt in terram Philiſthinorum per circuitum, vt annunciaretur in templo idolorum, & in populis.* Huc nimirum reſpiciebat poſtmodum Dauid [a] cum lamentans diceret. *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis, ne forte lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum.* Sic Michæas quoque Propheta. [b] *In Geth nolite annunciare*, &c. Vides hic vicem à Philiſthæis accurate redditam Iſraëlitis: Fortiſſimus Philiſthæorum Goliath in ſingulari contra Dauidē certamine corruerat, maximus Iſraëlitarum Saul in montibus Gelboë contra Philiſthæos pugnans occubuit. Ille proprio gladio caput amiſit; iſte ſibi vitam proprio gladio eripuit; vtrique ab hoſte caput per ludibrium amputatum, & in triumphum per vrbes hoſtiles circumlatum, illius caput delatum in Hieruſalem, iſtius affixum in templo Dagon, in perpetuum glorioſæ victoriæ monimentum. [c] Goliathi gladius tabernaculo Domini conſecratus eſt. Arma Saulis in templo Aſtaroth, quaſi anathemata poſita ſunt. Lætatæ ſunt, & choros duxerunt, & cecinerunt filiæ Iſraël & Iuda, dum Goliathi caput in triumphum ferretur. Lætatæ ſunt & choros duxerunt filiæ Geth, & filiæ Aſcalonis, dum Saulis caput in triumphum circumferretur. Num hæc ſine numine Diuum?

Comparatio Saulis & Goliæ.

a 2 Re. 1. 10.
b c. 1. v. 10.
c 1 Paral. 10 v. 10.

CXLV. Quæ hic mutet Ioſephus.

MVTAT hic nonnulla de more Ioſephus. [d] Die, inquit, *quæ prælium proxime conſecuta eſt, dum cæſorum cadauera ſpoliant, inciderunt in Saulis filiorumque eius corpora, quibus exutis capita etiam præciderunt, & dimiſſis in hoc per totam ſuam regionem certis hominibus, hoſtes cecidiſſe nunciauerunt; quorum arma in templo Aſtartes dedicauerunt; porro corpora eorum circa mœnia vrbis Bethſanæ quæ nunc eſt Scythopolis, crucibus affixerunt* ſic ipſe. Vnius tantum Saulis caput præciſum Scriptura [e] commemorat, à Philiſthæis: à Ioſepho triū inſuper principū capita præciduntur. Illi *miſerunt in terram ſuā caput, vt circumferretur & oſtenderetur idolorum templis, & populis.* Ioſephus per certos homines nunciare victoriam ſatis habet. Illi affixerunt caput in templo Dagon, Ioſephus id humi temere iacere, aut ignotum, aut neglectum, aut obliuioni traditum permiſit. Illi corpora in muro Bethſan ſupenderunt, 12 Ioſephus maluit in patibulis. Aſtaroth autem in Aſtartem mutatam non arguo, eadem quippe eſſe perhibetur. [f]

d l. 6. c. vlt.
e 1. Paral. 10 9.
12. ꝟ.
f vide Serar. in c. 2. Iud. q. 1.

CXLVI. Iudicium Dei in probris Saulis.

LIBET autem hoc loco, vti cœperamus, cum ſapienti lectore admirari iudicium Dei, aduerſus Saulis nō ſolum animam miſere permiſſam perire, ſed etiam corpus perquam ignominioſe tractatum. Nam ille qui, vt illuſiones effugeret, ſe ipſe glorioſe trucidauerat, vt prophanum vulgus arbitratur; ille idem præ omnibus Iſraëlitarum regibus, illuſus & contumeliis affectus fuit. Regum capita, etiam in funeribus coronis aureis, & diademate honorantur: Saulis caput per ludibrium tota Palæſtina circumlatum eſt. Regum corpora vnguentis, atque aromatibus delibuta, honorifice condiuntur. Saulis & filiorum eius corpora ſub dio volatibus cœli, & beſtiis terræ obiecta computreſcebant, ſanie diffluebant, tetramque mephitim exhalabant. Regum corpora aureis loculis ambitioſe conduntur, hæc in omnium inimicorum inſultantium oculis ignominioſiſſimè de muro ſuſpenduntur, aut etiā, vt Ioſepho placet, in crucem aguntur, qua ignominia nullam magis horrebant Iudæi, quibus maledictus erat, qui pendebat in ligno. Saul dæmonum officinas, conſulendo pythoniſſam, viuus volenſque adierat, mortuus in fana idolorum inuitus ignominioſe defertur.

CXLVII Fuga Iſraëlitarum è ciuitatibus.

Hoc ipſo die ſeptimo belli poſtridie prælij, cum late vulgaretur accepta clades, cum morte Saulis & filiorum eius, [g] *Videntes viri Iſraël qui erant trans vallem, & trans-Iordanem, quod fugiſſent viri Iſraelitæ*, è prælio ſcilicet, fuſi fugatique; *& quod mortuus eſſet Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates ſuas, & fugerunt, veneruntque* poſtea *Philiſthiim, & habitauerunt ibi.* Non facile eſt intelligere quinam eſſent viri iſti qui erant trans vallem, & trans Iordanem, nec rem illuſtrat, ſed obſcurat Ioſephus. *Qua clade*, inquit, [h] *audita ab Hebræis, qui vallem vltra Iordanem ſitam habitant, quique campeſtres vrbes tenent, quod Saul rex cum filiis, & exercitu in prælio cecidiſſet, relictis ſuis oppidis in munitiſſimas quaſque vrbes confugerunt; quæ Palæſtini deſerta nacti, facile occupata*

g c. 31. v. 7.
h l. 6. c. vlt.

ipſi poſthac incoluerunt. Pro eodem ſumit trans vallem, & trans Iordanem, quaſi per hendiadyn, vnum per duo dictum eſſet; vt cum equus dicitur chalyben frœnoſque momordiſſe.

Vervm, niſi ego fallor, vehementer ipſe fallitur. Nam neque hebræo, neque græco iuuatur, neque chaldæa paraphraſi, in quibus duo quædam loca ſignificantur, ſicut & in editione vulgata. Nec vallis trans Iordanem quærenda eſt, cuius habitatoribus primùm omnium infuſus ſit timor, cum & remotiores eſſent ab hoſte, & fluuium haberent interiectum, cuius tranſitus Philiſthæos impedire, aut retardare poſſet. Deinde cum oppida, quæ Iſraëlitæ, metu ſuadente, reliquerunt, mox à Philiſthæis occupata, atque inhabitata fuerint, vt vtroque Scripturæ loco perſcriptum eſt, [a] mirum eſt ea oppida dici trans Iordanem ſita; cum nefando quidam auditum ſit vnquam Philiſthæos trans Iordanem habitaſſe. Quid quod in 1. Paralip. in quo hæc ipſa hiſtoria repetitur, Iordanis, aut vrbium trans Iordanem, nulla plane fit mentio? *Quod cum vidiſſent*, inquit, *viri Iſrael, qui habitabant in campeſtribus, fugerunt, & Saul ac filiis eius mortuis, dereliquerunt vrbes ſuas, & huc illucque diſperſi ſunt. Veneruntque Philiſthiim, & habitauerunt in eis.* ſic ibi.

CXLVIII. *Quæ earũ regio, & ſitus.*

[a] 1. Reg. 31 v. 7. & 1. Paral. 10. v. 10

Dicendvm videtur nullam aliam hic vallem, aut regionem campeſtrem, quæ vallis quoque in hebræo appellatur, intelligi oportere, præter vallem Iezraël, quæ à meridie montes habebat Gelboë, à Septentrione montes Hermon, & vtriſque ſubiecta erat, vt perſpicue in tabella tribus Iſachar, apud Adrichomium cernere licet. Cum enim hic fuerit pugnæ locus, [b] non mirum eſt ab his primũ auditum fuiſſe ſonitum ingentis ruinæ, & ab iiſdem primùm remedium in fuga quæſitum. Dicendum quoque hic *trans* pro tranſitu poni, vt ex hebræo, & græco perſpicue intelligitur. Nã in hebræo habetur ad verbum. *Et viderunt viri Iſrael qui erant in tranſitu vallis, & qui in tranſitu Iarden*, ſiue Iordanis: in græco autem. Καὶ εἶδον οἱ ἄνδρες Ισραὴλ, οἱ ἐν τῷ πέραν τῆς κοιλάδος, καὶ οἱ ἐν τῷ πέραν τοῦ Ιορδάνου. Hi autem viri erant Iſacharitæ, quorum in ſorte erat tota ea vallis, quæ porrigebatur vſque ad Iordanem: itaque Iſacharitæ, qui campeſtria vallis huius habitabant, viciniora loco prælij, primi fugerunt, & huc illucque diſperſi ſunt. Deinde qui erant prope Iordanem, & quaſi in tranſitu eius, fugerunt & ipſi. Nominatimque ciues vrbis Bethſan, quam dimidio milliario prope Iordanem ponit Adrichom. [c] etſi ea pertinuerit ad tribum Manaſſe cis Iordanem. Eamque vacuam occupauerunt Philiſthæi, & corpora Saulis, & filiorum eius, è muro ipſius ſuſpenderunt.

CXLIX. *In tranſitu vallis, & Iordanis.*

fuiſſe Iſacharitas.

[b] c. 29. v. 1. & 11.

*benghebe*r בעבר in tranſitu. ἐν τῷ πέραν.

[c] Adrich. in Manaſ. cis Iord. n. 13. & Hiero. in lo. hebr.

Existimamvs quoque hunc ſeptimum belli diem, in quo adhuc verſamur eſſe primum illorum trium, quorum fit mentio initio libri ſecundi Regum, [d] vbi dicitur Dauidem à præda recepta manſiſſe in Siceleg duos dies, in die autem tertia apparuiſſe hominem venientem de caſtris Saul. Hic eſt prior duorum dierum, vt ſupra dixi [e] poſterior erit craſtinus in quo Dauid mittet dona. Et hic idem eſt primus trium illorum, quos poſuit nuncius in itinere de caſtris vſque ad Siceleg. Quo in itinere tantundem poſuerat temporis Dauid, quando dimiſſus fuit ab Achis è caſtris Philiſthinorum in Siceleg: & vterque matutinis horis diei tertiæ peruenit in Siceleg. Quis porro fuerit hic nuncius ab Hieronymo in tradit. hebraicis refertur in hæc verba. [f] *Hominem iſtum Amalecitem Hebræi filiũ Doeg fuiſſe dicunt. Amalecites enim, & Idumæus vnum eſt. Quia filius primogenitus Eſau Eliphas fuit, & huius filius Amalech. Diadema autem & armillam, quæ Dauidi detulit, à patre Doeg commendata ſibi fuiſſe Hebræi perhibent.* hæc ibi. Quæ ſi vera non ſunt, certe probabilitate non carent; de quibus iterum aliquid inferius attingendum erit. [g]

CL. *Nuncius adit Dauidẽ è prælio.*

An filius Doeg.

[d] ca. 1. v. 1.

[e] nũ. 142.

[f] l. 2. Reg. init.

[g] n. 175.

Iosepho certe viſa ſunt probabilia. [h] *Circumſpiciens*, inquit Saul, *iuuenem proximum rogat quiſnam eſſet, auditoque eſſe Amalecitam, orat vt ſe iuuaret efficere, quod ipſe non quiret; qui poſtquam eius optata executus eſt, ademptis aureis armillis, & corona inſigni regio, quantum potuit feſtinus inde ſe proripuit.* Sic Ioſephus; qui non recte diadema in coronam mutauit. Nam Amalecites ipſe, *Tuli*, inquit, [i] *diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Et fuiſſet ſane corona in prælio potius impedimento, quam vſui, & irritamentum ad cædem eius, qui eam ambitioſe circumferret. Volunt itaque Hebræi Doëgum fuiſſe

CLI. *Ex Ioſepho confirmatur.*

[h] l. 6. ant. c. vlt.

[i] l. 2. c. 1. 10.

armigerum Saulis, vt ante dixi, qui cum vidiſſet Saulem ex impacto ſibi ferro mortuum, abſtulit ei diadema & armillas, deditque filio, qui & ipſe patri aderat, Dauidi perferenda, vt ei ex fauſto nuncio, & regiis inſignibus fieret commendatus; quo facto, irruit & ipſe in gladium ſuum, deſperans ſe gratiam apud Dauidem inuenire poſſe. Filius autem eius quantum potuit feſtinus inde ſe proripuit, ad latebras aliquas; quia videbat currus, & equites appropinquantes, vt cum prima luce verſus Siceleg ſe in viam daret.

OCTAVVS BELLI DIES.

CLII. *Quæ hodie geſta.*

HIc eſt ſecundus dies nuncij Amalecitæ [a] pergentis ad Dauidem, ſecundus item Dauidicæ reuerſionis è recepta præda. In quo etiam, ſicut & aliquot ſequentibus, apparet caput Saulis, per Philiſthæorum vrbes fuiſſe circumlatum, corpus autem eius, & filiorum à Iabeſitis ſublatũ. Ad hunc autem maximè diem pertinere arbitror, vt ante dixi, [b] diſtributionem prædæ amicis factam. *Venit ergo Dauid in Siceleg*, ait Scriptura, [c] *& miſit dona de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis, dicens, Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini.* Indeque magnum catalogum pertexit vrbium, ad quas dona miſit. Ingentem porro fuiſſe hanc prædã neceſſe eſt, vt in tot partes diuidi poſſet, nec eſſent ſingulæ indignæ quæ mitterẽtur. Ex eo vero iſtius prædæ magnitudo æſtimatur, quod non ſolum vrbem Siceleg, prędis Dauidicis refectã, vaſtauerant, ſecumq. abſtulerant; ſed multa quoque loca illi vicina, quæ ad tribum Simeonis pertinebãt, & in tribu Iuda, propter primam diuiſionem terræ, factam à Ioſue eſſe dicebantur, populati erant, aliaq. loca in montanis Iudæ, quæ Calebo quondam contigerant. Denique multa oppida Philiſthinorum, qui in bellum contra Saulem profecti fuerant, eandem fere vaſtitatem ab Amalecitis acceperant.

Quanta præda Amalecitis erepta.

[a] ſupra n. 30.
[b] nu. 142.
[c] 1. Reg. 30. 26.

CLIII. *Quanta Dauidis portio.*

DIci etiam poteſt non ſolum Dauidis fuiſſe hæc munera, ſed ſociorum etiã eius, qui ad amicos quiſq. ſuos, Dauidis exemplo, dona mittebant, memores acceptorum apud ipſos beneficiorum. Dauidi autem magna prædæ pars ab exercitu conceſſa merito creditur, quoniam, vt notauit Abul. [d] de iure militari eſt vt principi detur maior pars. [e] Et certe ſi prout quiſque maior eſt ita mercedem maiorem meretur, nec præmiis pares ſunt velites haſtatis; neque hi principibus, neque principes triariis, certe principem totius exercitus, longe maiori præmio afficiendum quouis alio, nemo non videt: præſertim cum eius virtuti ac prudentiæ maxima ex parte victoria debeatur. Et facit nonnihil ad hanc rem, quod Tobias [f] iunior ducẽ ſuũ Raphaëlẽ, cui felicitatem ſuam referebat acceptam, media parte bonorum omnium, quæ allata fuerant è Media dignum putabat. Certe è præda Madianitarum [g] Gedeon vltro à militibus accepit inaures, quarum pondo fuit mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus reges Madian vti ſoliti erant; & præter torques aureas camelorum. Qua de re vide quæ diximus anno Gedeonis 8. [h] Denique de Aſſyriorum præda, vniuerſa quæ Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & veſtibus, & gemmis, & omni ſupellectili. [i]

[d] q. 19. in c. 30.
[e] diſt. 1. c. ius militare.
[f] Tob. 12. 4. 5.
[g] Iudic. 8. 26.
[h] to. 1. an. m. 2768. nu. 71. & 74.
[i] Iudith. c. 15. v. 14.

CLIV. *Qui facta videatur diſtributio.*

MAGNAM itaque totius prædę partem videtur Dauid, omnium militum ſuorũ conſenſu, accepiſſe; quippe qui paulo ante, totam prædam, Dauidis prædam appellauerant: eoque maiorem accepiſſe, quo in plures munificus eſſe cupiebat, mediam fortaſſe partem, aut tertiam, deinde reliqua in totam multitudinem proportione geometrica videntur eſſe diſtributa, quam ipſe *prædam Domini*, aut *benedictionem Domini* maluit vocare. Erant enim in iis non pauci gregarij milites, & decuriones, & quinquagenarij, & centuriones, & tribuni, vt ex 1. Paral. facile conſtat; [k] nulla tamen diſtinctio inuecta eſt, ex eo quod aliqui reipſa pugnaſſent, aliqui remanſiſſent ad ſarcinas: iuxta legem recens à Dauide ſtabilitam. Vocat autem Dauid hanc prædam *benedictionem Domini*, ſiue *benedictionem de præda hoſtiũ Domini*, quia ſingulari quadam ratione Deus fauerat Dauidi, & viris eius; ita vt bellum ipſe egiſſe contra hoſtes ſuos, & victricia de ipſis ſpolia retuliſſe videretur: Nã conſulto oraculo [l] eius auſpiciis profecti ſunt in prædones iſtos, à quo & certi facti ſunt de futura victoria. Eius prouidentia ab homine ſemimortuo edocti,

Cur dicta benedictio, & præda Domini.

[k] 1. Paral. 11. v. 14. 18. 20.
[l] ca. 30. 1. Reg. [illegible]

ac deducti ſunt ad hoſtem; eius virtute roborati ſunt, vt pauci longe plurimos ſubiugarent, vt incolumes omnes infinitam ederent ſtragem, ſua omnia recuperarent, nulla rebus, nulla perſonis, Domino conſeruante, iniuria illata: denique ſolus Dominus ei ius dederat in hanc prædã. Quæ agnoſcẽs Dauid atq; confitens aiebat, *Non ſic facietis, fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & cuſtodiuit nos; & dedit latrunculos in manus noſtras.*

CLV. *Quibus hæc miſſa munera.*

Alia inſuper duo de hac præda Scriptura indicat, quæ nõnullam habent difficultatem, quibus ſcilicet miſſa fuerint hæc munera, & quam ob cauſam. Nam quo iure mitterentur, aut ad Dauidem pertinerent, iam ſupra diſputatum eſt. [a]

Et apparet quidem ad ſolos Iudæos miſſa fuiſſe munera. Sic enim legimus. [b] *Miſit dona de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis.* Nec alii erant proximi Dauidis, niſi contribules eius. Deinde miſit munera ad eos, qui erant in iis locis, in quibus ipſe commoratus fuerat, at in terra tantum Iuda manſerat, iuxta mandatum Domini per prophetam Gad. [c] *Noli manere in præſidio, proficiſcere & vade in terram Iuda.* Denique Ioſeph. non niſi huius tribus meminit. Nihilhominus ad plures alios legaſſe dona, ſiue per ſe, ſiue intermediis ſociis ſuis, quos habebat de diuerſis tribubus plurimos, ex ſubiecto in textu catalogo ſatis liquet. Nam quæ prima nominatur Bethel erat in terra Beniamin. Ramoth Galaad in tribu Gad trans Iordanẽ. Iether in tribu Iuda, [d] eaq. leuitica fuit. Aroër in tribu Ruben, Sephamoth Abulenſis in tribu Iuda conſtituit, etſi in catalogo vrbium Iuda non reperiatur, nec alibi quã hoc loco à Scriptura nominetur. Eſthamo, quæ Eſthemo dicitur in lib. Ioſue, & in leuiticis tribus Iuda cum Iether recenſetur. Rachal hoc tantũ loco legitur, & prætermiſſa eſt ab Adrichom. Abul. ait eam fuiſſe in tribu Iuda, licet non memoretur in catalogo, Ioſue 15. Ierameel & Ceni fuerunt paruæ prouinciæ in tribu Iuda, vt ſupra ſignificatum eſt. [e] & plura erant in vtraq; oppida, & pagi. Arama in tribu Nephthali Ioſue c. 19. quamuis diuerſa ſit in hebræo ſcriptio. Lacus Aſan nomen oppidi eſt, quod hebraicè dicitur Chor Haſan, nec proditum eſt ad quam tribum pertineat. 13 Athach à S. Hieron. in tribu Iuda ponitur, nec alibi vlla eius eſt in Script. mentio. Poſtrema eſt Hebron prædictarum omnium ciuitatum clariſſima, in montanis Iudæ de qua ſæpe dictum eſt.

a 137. 138. 139
b c 30. 26.
c 22. 5.
d Adrich. n. 166.
Ioſ 15. & 21.
Ioſ. 25.
Ioſ. c. 61. v. 14.
e 1. Reg. 27. 10.
13. ✗. verſ. 30 in loc hebr.

CLVI. *Saris ſit obiectus.*

Itaq. non ſolis dicitur ſenioribus Iuda miſiſſe munera, ſed præ cæteris illi memorantur, quod multo plures erant in tribu Iuda, ad quos miſſa ſunt munera, quam in cæteris omnibus. Nec proximi dicuntur ſoli contribules, ſed eo quoque nomine alij Hebræi continentur: ſicut cum Samuel dixit Sauli, [f] regnum eius datum iri proximo ipſius, Dauidi ſcilicet, qui tamen ad aliam tribum pertinebat. Hoc tamen in loco proximi omnino intelliguntur contribules, ſed cæteri non excluduntur. Idemque dicendum de locis in quibus habitauerat, in quorum ciues præ cæteris beneficus eſſe voluit, gratitudinis ergò: quod ſignificant illa verba in extremo capite poſita, vbi ait Scriptura miſiſſe Dauidem munera, præter numeratos, etiam reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat Dauid ipſe, & viri eius. Denique neque Ioſephus ad alios munera miſſa negauit, neque loca in textu nominata expendit.

f 1. Reg. 15. v. 28 & c. 28. 17.

CLVII. *Cur miſſa munera.*

Mittendi porro cauſa primaria fuit, ne ingratus eſſet multis contribulibus ſuis, à quibus beneficia acceperat, dum in deſertis Iudææ locis morabatur, vbi multis ſubſidiis opus habuit, tam propter multitudinem ſociorum, nam ſexcentis hominibus nihil fere ad victum, veſtitumque ſuppetebat, præter hoſtium prędam, & amicorum liberalitatem: quam propter temporis diuturnitatem. Nam ex quo à Propheta Gad diuinitus iuſſus eſt venire in terram Iuda, ſextus iam agebatur annus. [g] Conciliabant quoque hæc munera animos hominum, vt Saule mortuo pauciores haberet Dauid ſibi obſiſtentes; Quamuis enim nondum Saulis mortem didiciſſet Dauid, diuina tamen prouidentia ipſum ad hanc liberalitatem incitabat, vt diuinum de eius regno cõſilium ac decretum ſuauius executioni mandaretur. [h] Denique voluit amicos hac benignitate exhilarare; & firmare deinceps, ſi res ferret, ipſorũ benignè faciendi voluntatẽ; pendebat enim animo ſuper exitu belli præſentis, veritus ne ſi victor euaderet Saul, Philiſtæos adigeret, ad ſibi reddendũ Dauidem; ſin vinceretur ne Philiſthæi victores, qui ipſum è ſuis caſtris eiecerant, eũ tota ſua ex regione exterminarent. Nihilominus eo cõ-

1. 2. 3. 4.

g an. Saulis 13. n. 10.
h vid Abu. q. 21. in ca. 30. 1. Reg. 5 Pſal 17.

fugiebat vt diuinæ prouidentiæ acquieſcens diceret. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* [a]

CLVIII. *Nobile Jabeſitarum facinus.*

RELIQVA nobis eſt narratio egregii facinoris Iabeſitarum, quod in hunc diem non ſine probabilitate coniecimus. Cum enim Iſacharitæ poſtridie prælii trans Iordanem diffugiſſent, narrauerunt omnibus in locis, ad quos ſe recipiſſent, quæ in prælio contigiſſent; fuerunt autem nonnulli vt fit tardiores ad fugam, qui cũ vidiſſent Philiſthæos oppida deſerta occupaſſe, & in iis Bethſan, & ex eius muro corpora Saulis & filiorum eius ſuſpendiſſe, ingenti dolore tam inſolentis ſpectaculi affecti, abierunt & ipſi trans Iordanem, & Iabeſitas tota de re certiores fecerunt: quæ cum ab iis accepta fuiſſent, conſiliũ ineũt inter ſe quid facto eſſet opus, ad teſtandam ſuam in Saulem beneuolentiam, & accepti quõdam beneficii memoriam. Denique ſtatuitur abeundum in Bethſan primo quoq. tempore, tollenda de muro corpora, auferenda trans Iordanem, & honorifice apud ſe tumulãda. Obtulerunt ſe plerique, omnes viri fortiſſimi, qui hoc ipſo die pomeridianis horis de Iabes profecti, ſub noctem traiecto Iordane, nocte Bethſan peruenerunt. Eſt iter illud apud Adrichomium octo fere horarum.

CLIX. *Cauſa eius.*

CAVSA porro ſuſcepti non tam laborioſi, quam periculoſi negotii, à ſcriptura & Ioſepho prætermiſſa, paſſim ab interpretibus, poſt Lyranum & Abulenſem ex cap. 11. ſuperioris hiſtoriæ repetitur. [b] Hi enim ſunt ciues vrbis Iabes in Galaaditide, in ſorte Manaſſe trans Iordanem, quos Naas rex Ammonitarum obſeſſos ad eam neceſſitatem adegerat, vt ne quietam quidem ab eo ſeruitutem obtinere poſſent, niſi dextris omnium oculis in opprobrium ſempiternum effoſſis. Eos cum Saul mox omni periculo exemiſſet, eximia eum ſemper deinceps beneuolentia proſecuti ſunt; quam nunc erga ipſum mortuum, filioſque eius, metu omni poſthabito oſtendere voluerunt: eoq; facto & meritum apud Dominũ, cui accepta ſunt huiuſmodi opera miſericordię, & laudẽ apud homines ſunt cõſecuti; Et nominatim à Dauide vt poſtea dicemus, egregie cõmendati ſunt: vt qui nõ ſolũ de Saule bene meriti fuerãt, ſed de toto etiã populo Hebræorũ, in quorũ ingens dedecus, & contumeliã cedebat, quod rex ipſorũ, treſq; filij eius, in omnium oculis, in medio regni ſui, volucribus & feris expoſiti penderent. Indicauit hanc cauſam quã moti ſunt Iaebſitæ, vener. Beda ſub finem expoſitionis in Samuelẽ.

CLX. *Rapiũt ſuſpenſa corpora.*

CVM *ergo audiſſent habitatores Iabes Galaad*, inquit Scriptura, *quæcumque fecerant Philiſtijm Saul; ſurrexerunt omnes viri fortiſſimi, & ambulauerunt tota nocte*, imo & non exiguam partem præcedentis diei, propter loci diſtantiam, vt per noctem tutius quidquid erat periculoſum conficeretur. *Et tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethſan*; & traiecto rurſum Iordane cum defunctorum corporibus *venerunt Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi.* Id nono die belli, & quarto ab accepta clade factum eſt, ad quem tranſeo. vt de Saule, quæ reliqua ſunt, cum eius funere, expleamus.

NONVS BELLI DIES.

CLXI. *Exequiæ Saulis, & filiorum.*

HIc dies eſt funeris & exequiarum Saulis, & filiorum eius, cum quartum iam diem ſepultura carerent, vt paulo ante dicebamus; quo ipſo die eum Dauid in Siceleg vehementer planxit, vt mox dicetur. De funere hæc habet Scriptura, *Veneruntque* ciues Iabeſitæ in ciuitatem ſuam *Iabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi*, non quidem vſque ad cineres, ſed carnibus igne conſumptis, *tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes*, & nominatim *ſubter quercum*, vt eſt in 1. Paralip. [c] *& ieiunauerunt diebus ſeptẽ.* vide vt Scriptura breuitatis amans rem ipſam duntaxat breuiter attigerit, nihil de occurſu ciuium, nihil de luctu, nihil de funebri pompa dixerit, memoratis tantum ſeptem dierum ieiunijs, Et cætera fortaſſe depropera ta ſunt, & acta pene clanculum, Philiſtæorum metu, qui late cis Iordanem vagabantur, quiſque ſublata ſuo iniuſſu corpora, iniuriç loco accipere poterant, & immitem à Iabeſitis expetere vltionem. Verum Philiſthæi ad ſua quamprimum rediſſe videntur, illius intinctu, qui eos ad ſumendam de Saule, & eius familia vltionem tantum euocauerat.

CLXII. *Ex Ioſeph.*

De hoc funere Ioſeph. hæc habet. *Quod poſtquam auditum eſt in Iabiſſa vrbe regionis Galaditidis, truncata eſſe Saulis ac filiorum cadauera* (truncata filiorum cadauera præ-

a Pſal. 17.
b 1. Reg. 11.
c ca. 10. v. 12.

ter ſcripturam eſt, vt diximus) [a] *rem indignam rati eos extremo exequiarum honore fraudari, aliquammulti fortiſsimi, & audaciſsimi egrediuntur: alii enim hæc vrbs homines robuſtos ac feroces; factoque per totam noctem itinere ad Bethſanæ mœnia peruenientes, demptis Saulis & filiorum corporibus, Iabiſſam ea deportauerunt nemine hoſtium arcere eos, aut aggredi propter virtutem ipſorum audente.* Intempeſtiuus videtur hic timor, ſiue præſentem perſonarum conditionem conſideres, quorum Philiſthæi, ex recentiſſima victoria, elata tollebant cornua, Hebræi abiecti humileſque nuſquam comparare, aut mutire audebant; ſiue tempus ipſum nocturnum, quo hæc corpora inſciis omnibus ſublata ſunt: Quid enim neceſſe erat noctu iter facere, ſi luce palam in oculis attonitorum hominum, neque arcere neque aggredi audentium corpora erant auferenda? Vnde obſecro victoribus tanta timiditas, aut tanta ſuperbia victis, vt iſti 4. corpora de cruce, aut vrbis muro potius, deponere, carris imponere, & cum illis abire potuerint, nemine Philiſthæorum eos, vel cominus gladiis, vel ſagittis eminus repellente? addamus reliqua. *qui arguitur.*

Iabisseni *autem populariter eos deploratos in celeberrimo agri ſui loco ſepeliuerunt, & indicto ob regis, & filiorum cædem luctu, ac ieiunio dierum ſeptem, in lamentis & planctu eos exegerunt.* Id vltro factum eſt à Iabeſitis, & ſine obligatione aliqua, non enim vel lege, vel conſuetudine in funere principum Hebræi ieiunabant, ſed ſponte aliquando, & quantum quoque modo videbatur Itaque Dauid pro Saule vnum diem duntaxat ieiunauit, cum ſociis ſuis: [b] ſicut & in funere Abneris principis militiæ. Ieiunarunt autem triſtitiæ demonſtrandæ, & honorandi funeris cauſa. Septem vero diebus iuxta numerum dierum induciarũ inter ipſos & regem Ammonitarum, intra quos Saul venit ad ipſos, eoſque magnifice liberauit. Notatum id à Rabbino Dauide, & probatum Toſtato & Caietano. At venerabilis Beda [c] ſignificat eos pro auxilio defunctorum ieiunaſſe. *Recte*, inquit, *& ad literam pro mortuis, vt ad requiem peruenire valeant, ſeptem diebus ieiunatur. qui poſt ſex huius ſæculi ætates, in quibus in carne laboramus, ſeptima eſt in illo ſæculo ætas requietionis animarum carne exutarum, in qua beatæ tempus illud glorificum, quando reſurgere mereantur expectant.* Hæc ibi, quæ probant Bellarm. [d] atque Serar. [e] Nec tamen crediderim pro ſolo Saule, ſed pro tribus quoq; filiis eius ieiunaſſe, vt quod ieiunium Sauli prodeſſe non poterat, cæteris ad expiationem peccatorum valeret.

CLXIII. *Ex eodem. Ieiuniũ Iabeſitarum.*

pro defunctis.

[b] 2 Reg. 1. 12 & c. 3. v. 25.
[c] In expoſ in Samuel in fine.
[d] l. 1 de purgat c 5.
[e] in fin. cõment. in li. 1. Reg.

Viſum eſt autem nobis hoc loco & Saulem & Ionatham ſuis epitaphiis quæ ex annoſa quercu, in nemore Iabes pendeant, vel honorare, vel plangere. Saulem hoc fere modo.

CLXIV *Epitaphiũ Saulis.*

EPITAPHIVM SAVLIS.

SVB HAC ANNOSA QVERCV, VIATOR, ET INFELICI ARBORE, SAVLIS PRIMI HEBRÆORVM REGIS OSSA LATENT, QVEM DEVS NOMINATIM ELEGIT IN PRINCIPEM POPVLI SVI, QVANDO ILLI PAR IN OMNI POPVLO, NEQVE GRATIA NEQVE MERITIS FVIT. CERTAMEN FORTE DATVM EST ILLI IN GALGALIS VT VINCERET, ET VICTVS EST INFELIX. HINC OMNIA RETRO SVBLAPSA REFERRI. EX TEMERARIA EXECRATIONE, FILIVM MORTI ADDICIT, ET TANTVM NON IVGVLAT. APVD AMALECITAS INOBEDIENTIA, ET MISERICORDI SACRILEGIO MACVLATVS REPROBATVR, ET CACODÆMONI VEXANDVS TRADITVR. MORTIFERO DEINDE HAVSTO INVIDIÆ VENENO, EX MVLIEBRI LAVDATIONE DAVIDIS, PERTINAX ODIVM IN EIVS INTERITVM VERSAT, ET SEMPER IRRITAM PERVICACIAM, QVAM PIVS HOSTIS INCREDIBILI QVADAM CLEMENTIA SEMEL ITERVMQVE FLEXIT, NVNQVAM PERFREGIT ATQVE PERDOMVIT. HIC EST CVIVS ZELVS IN GABAONITAS CRVDELIS, FVROR IN SACERDOTES SACRILEGVS, BARBARA ET INSOLENS FERITAS IN CIVITATEM INNOCENTEM. DENIQVE QVI TOTIES PHILISTHÆORVM GLADIO DAVIDEM PERDE-

RE MALITIOSE STVDVERAT, INGENTI PHILISTHÆORVM EXERCITV APPETITVS, EXPAVIT, ET A DEO DESERTVS, ET PYTHONE PER SVMMVM SCELVS CONSVLTO, SAMVELEM HABVIT NVNTIVM IMMINENTIS RVINÆ, QVAM NEC FERRE MISER POTVIT, NEC VITARE. MOX PRÆLIO VICTVS, VIDIT TRES FILIOS BARBARICO FERRO TRVCIDATOS, VIDIT EVERSAM FVNDITVS REGIAM DOMVM. ET CÆLO SOLOQVE DESPERATO, AC NE MORTE QVIDEM BENEFICII LOCO IMPETRATA, AD INFEROS PROPRIO INCVMBENS MVCRONI DESCENDIT, ANNO ÆTATIS FERE SEPTVAGESIMO. VALE VIATOR, ET DIC REGIBVS VT SAVLIS RECORDENTVR.

EPITAPHIVM IONATHAE.

CLXXV. Epithaph. Ionathæ. HIC QVOQVE IACET PRINCEPS ILLE IONATHAS, QVEM DILIGEBAT DAVID; ILLE REGNI ISRAELITICI CANDIDATVS, ET HÆRES, SI QVA FATA ASPERA PERRVPISSET. HIC EST ILLE PRINCEPS QVI PRINCEPS AD HOSTILES ACIES, PER ABRVPTA SAXA PERREPTANS, INTEGRVM SOLVS EXERCITVM NON DVBITAVIT INVADERE. HIC EST ILLE IONATHAS, QVI DAVIDEM DILEXIT SICVT ANIMAM SVAM; CVI ARMA SVA, CVI TVNICAM, CVI ANIMAM IPSAM DEDIT. HIC INNOCENTIÆ PROTECTOR, ET CVLTOR AMICITIÆ, QVAS PATERNA GRATIA, ET HÆREDITATE REGIA ANTIQVIORA DVXIT. ILLE IONATHAS DECORVS NIMIS, ET AMABILIS SVPER AMOREM MVLIERVM. ILLE QVEM PATRIS INIQVITAS, ET ACERBA IN DAVIDEM ÆMVLATIO, FVNERE ACERBO MERSIT, EIVS PIACVLVM IN ACIE, IN MONTIBVS GELBOE SINE EXPIATIONE FACTVS. CVI PRO REGNO IN POPVLVM DEI, MORTEM CRVDELEM, PRO EBVRNEO SOLIO, INFAME PATIBVLVM PEPERIT. VERVM EX ACIE QVOQVE, AC PATIBVLO IN CAELVM ASCENDITVR. OBIIT QVADRAGENARIO MAIOR, ANNO ANTE
CIƆLXXIV. CHRISTVM; NEQVE PARENTE, NEQVE LIBERIS, SED AMICO DAVIDE FELIX.

CLXVI Cauſa mortis Saulis ex Ioſepho. HIC *finis fuit Saulis*, ait Ioſeph. [a] *iuxta Samuelis vaticinium, propterea quod mandata Dei de bello contra Amalecitas gerendo non eſt executus; & quia trucidato cum tota cognatione Achimelecho pontifice, vrbem quoque pontificalem ſubuertit.* Obſerua prudens lector hanc poſteriorem cauſam luctuoſæ mortis Saulis à Ioſepho ſubſtitutam ei, quæ de conſulta pythoniſſa in 1. Paralip. [b] legitur, prout exiſtimauit eam ethnicis, quibus ſcribebat, iuſtiorem ac probabiliorem viſum iri, qui pythones conſulere ſanctum & religioſum putabant; ideoq; non dixit eos à Saule extremo ſupplicio affectos; ſicut 70. apud quos habetur [illegible], quod non ſolum exterminare eſt, ſiue extra fines, & terminos regni eiicere; ſed diſperdere, interficere, efficere vt funditus pereant; ipſe autẽ regno duntaxat pepuliſſe ait, [illegible], eiecit. Verſio autẽ noſtra, quæ habet, *abſtulit magos de terra*, ſignificat interfeciſſe, & deleuiſſe. Sicut cũ Dauid ſicariis duobus dixit, ſe eo ablaturũ de terra, quos ſtatim iuſſit interfici. Idẽ quoq. valet illud, *eradere magos de terra*, [c] ſiue vt aliivertũt, abſcindere. ſicut apud Ierem. impii de Chriſto dicunt, *Eradamus eum de terra viuentium.* [d]

a l.6.c.15. fine.
b c.10. extremo
init.c.15.
Al. [illegible]
c 4.Reg 18.
d c.11. v.19.

INITIA REGNI DAVIDIS, ET ISBOSETHI.

QVÆ circa hunc annum vltimum Saulis narrata ſunt hactenus, ſex fere menſibus contigerunt. Reliquis autem ſex menſibus, & ſeptem inſuper annis, regnauit Dauid in Hebron, [e] vt ſuo loco dicetur, & præterea tribus & triginta in Hieruſalem, vt capite quinto libri ſecundi legimus, vbi nihilominus quadraginta tantum annis regnaſſe perhibetur. Ex quo perſpicuum

1.Reg 1.
e 2.Reg.5.

eſt ſex illos menſes negligi, & ad Saulis, ſiue Samuelis annos 40. non perfectos referri. Itaque nos annum Dauidis primum poſt ſex menſes a morte Saulis inchoabimus & Dauidi, ſicut & Sauli cum Samuele quadragenos tribuemus, quamuis Dauid eam periodum ſex menſibus ſuperauerit, iſti totidem menſibus diminuerint. Potuimus quoq; hinc primū Iſboſethi annum inchoare: nam mox à patris morte opera Abneris principis militiæ Saulis factus eſt rex, & regnū illi ſucceſſio detuliſſe videbatur. Vitandæ tamen confuſionis cauſa primum ipſius annum cum primo Dauidis componemus, cæteroſque deinceps quibus, Dauide in Hebron regnante ſuper tribum Iuda, ipſe in reliqua regione, ſuper vndecim tribus regnauit.

Dauid an rex fuerit viuo Saule.

a 1. Reg 16. 12. 13. b an. Saul. 7. n. 50. & 51. & an. 9. n. 11.

Neqve vero dubitari poteſt, quin ſtatim mortuo Saule rex fuerit Dauid, vt CLXVIII
qui a Deo nominatim electus, & opera Samuelis prophetæ vnctus fuiſſet in regē: [a] regni tamen ad Saulis vſque mortem poſſeſſione dilata; quem Dominus in reliquam ipſius vitam, iuſtiſſimis de cauſis, de quibus alibi diſputatū eſt, [b] vt legitimum regem in regno tolerauit. Eodem fere modo quo primogeniti regum ex iure gentium apud quas non electio, ſed ſucceſſio reges facit, parentibus fato functis reges fiunt, & in regno ius habent, qui prius ius tantum in regnum habebant. Nec diuina electio eius per quem reges regnant, & apud quem ſunt omnium iura regnorum, minus potens eſt ad legitimam regnandi poteſtatem alicui tribuendam, quam ſucceſſio, totius regni ſuffragiis comprobata, ac ſolemni ritu & iureiurando firmata. Cum qua ratione minus Chriſtiani omnes reges ac principes Dei ſe gratia regnare, ac principes eſſe religioſiſſime profitentur. Dauid autem diuinæ voluntatis non inſcius, Sauli dum vixit facile ceſſit, eumq; pro veriſſimo rege ſemper habuit, ac veneratus eſt, etiam cum manifeſto, ſæpiuſque iterato diſcrimine capitis ſui. vt præcedens hiſtoria declarauit.

Anni Dauidis.

c c. 5. v. 4. d an. Saul 8. e ſup. n. 50.

Ætas porro Dauidis præclare cum hac noſtra temporum diſtributione cō- LXIX.
ſentit, atque accuratè congruit. Cum enim ageret trigeſimum annum per ſex menſes inchoatum, mortuus eſt Saul, atq; ita reliqui ſex menſes nihil in ſeptuaginta eius vitæ annis, nihil in periodo quadraginta annorum regni mutabunt: eritque vere & proprie & in rigida chronologiæ veritate accipiendum illud 2. Regum, [c] *filius triginta annorum erat Dauid cum regnare cœpiſſet*, id eſt trigeſimum annum expleuerat, & trigeſimum primum cum primo regni ſui anno inchoabat. Itaque in præſentis anni, quo mortuus eſt Saul, indice notatum habes, annum ætatis Dauidis trigeſimum, qui ab eius vnctione à Samuele facta fuit vndecimus, numeratis extremis. [d] Sed iam ad reliqua, quæ Saulis mortē ſunt conſecuta pergamus: in quibus eſt nuncius de Saulis morte ad Dauidem perlatus, quem ſupra [e] nono die belli, & quarto die prælii diximus contigiſſe, & cum quo ſecundus regum liber inchoatur.

Dies tertia Dauidis in Siceleg.

f l. 1. Reg. c. 29. 3. 4. g Abul q. 1. in c. 1 l. 2. Reg. h ſup n. 50. & 112.

Factvm *eſt autem*, ut Scriptura, *poſtquam mortuus eſt Saul, vt Dauid reuerteretur à* CLXX
cæde Amalec quæ 30. cap. ſuperioris libri expoſita eſt, *& maneret in Sicelec duos dies*, qui fuerunt ſecundus & tertius à prælio, belli autem ſeptimus, & octauus. Neq. mirum manſiſſe in Siceleg: neque enim Amalecitæ ita ciuitatem ſuccenderant, vt tota in cineres redacta eſſet, ac fauillam ſed abducta ſecretaque, quæ placuerat præda, diuerſis vt ſit, in locis oppidi incendium immiſerant, partim vindictæ cauſa, partim vt dum ciues, qui cum Dauide erant reuerſi reſtinguerent incendium, ipſi ſe per otium ad tutiora reciperent. Manſit autem in Siceleg, quamuis flammis ac ruinis deformata, quod non auderet ad aliam vrbem Philiſthæorum ditioni ſubiectam, ipſis præſertim abſentibus conferre ſeſe; ne ſuſpiciones eorum contra ſe flagrantes, vt ex præcedentibus perſpicuum eſt, [f] magis magiſque accenderet. [g] *In die autem tertia*, quæ fuit belli nona, & prælii quarta, *apparuit homo veniens de caſtris Saul, veſte conſciſſa, & puluere conſperſus caput*; quò ipſum non inconſulta fugientis temeritas traxerat, in hoſtilem videlicet ciuitatem, ſed prudens Dauidi, quem illic eſſe non ignorabat, gratificandi conſilium. Si diſtantia Siceleg à loco certaminis rectè æſtimetur eodem plane die reperientur cæſi Amalecitæ à Dauide, quo Saul cum Iſraëlitis cæſi ſunt à Philiſthæis. idque Ioſephus init. l. 7. affirmat. vt illius cladis dolor huius victoriæ lætitia quoquo modo temperaretur. [h]

CLXXI. *Et mors Saulis, & Ionathæ nunciatur.*

Et *vt venit ad Dauid, cecidit ſuper faciem ſuam, & adorauit*, regiam videlicet in Dauide dignitatem, Saule mortuo agnoſcens, apertius etiam mox agniturus ex regiorum inſignium oblatione; *Dixitque ad eum Dauid, vnde venis? Qui ait ad eum, de caſtris Iſrael fugi*, verbum fugiendi iam cladem nunciat; ſicut prædicta veſtis conſciſcio, & pulueris conſpertio, triſte quoddam, & lugubre nuncium. *Et dixit ad eum Dauid, quod eſt verbum, quod factum eſt; indica mihi. Qui ait: fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui ſunt: ſed & Saul, & Ionathas filius eius interierunt.* Alios filios non memorat, vt minus celebres; [a] vel potius quia minus ad Dauidem pertinebant, cuius futuro regno Saul & Ionathas ſoli obſtare videbantur: etſi bonus Ionathas, pro iure intimæ cum Dauide amicitiæ, ſe ei ſecundum tantum fore ſibi pollicebatur, cum diceret. *Tu regnabis ſuper Iſrael, & ego ero tibi ſecundus.* [b] Perculit Dauidem vehementer hic nuncius; prudenter tamen continuit ſeſe, donec certo rei veritatem didiciſſet, ne fruſtra ſe triſtitiæ, & lamentis daret. Itaque rogat adoleſcentem, quem ſupra filium Doëgi, cum Hebræis, apud ſanctum Hieronymum diximus, [c] vnde id ſciat.

[a] Abul q. 4. in c. 1. 2. Reg.

[b] 1. Reg. 23. 17.

[c] n. 150. & 152.

CLXXII. *Narratio eius compendioſa.*

Dixitqve *Dauid ad adoleſcentem qui nunciabat ei, vnde ſcis, quia mortuus eſt Saul, & Ionathas filius eius?* hos enim duos tantum nominauerat. *Et ait adoleſcens, qui nunciabat ei. Caſu veni in montem Gelboe*, in illum ſcilicet eius montis locum, in quo erat moribundus Saul, *& Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam.* Quidam interpretantur incumbebat, innitebatur, quod conſiſtere non valeret propter vulnera. Sed præcedentia, & ſequentia docent eum iacuiſſe ſuper haſtam, ſiue gladium in proprium pectus infixum. 14. Nam ante dictum eſt, [d] eum irruiſſe ſuper gladium ſuum, & mox dicitur, *Sta ſuper me, & interfice me.* Niſi enim ferrum adhuc hæreret in vulnere, fruſtra diceretur, *Sta ſuper me*, ſed ſufficiebat id ei dicere, quod armigero ſuo dixerat, *euagina gladium tuum, & percute me*, Ioſephus quoque verbum [illegible] quo Septuag. vtuntur, interpretatur [illegible] *in proprii gladii mucronē incumbere.* Hebræa ergo, & græca quæ habent Saulem haſtæ innixum fuiſſe, de metaphorico niſu accipiēda: ſuſtinebatur quippe hac haſta corpus eius, ne in terram corrueret 15. Et hæc quidem prout hic nuncius rem à Dauide intelligi vult, & probabiliter narrat, ſicut & reliqua eius narratio, accipienda ſunt.

14. ex.

[d] c. 31. v. 4.

15. ex.

CLXXIII. *Quis fuerit hic nuncius.*

Pergit autem adoleſcens, *porro currus, & equites appropinquabant ei, & conuerſus poſt tergum ſuum, videnſque me, vocauit, cui cum reſpondiſſem, Adſum: dixit mihi. Quiſnam es tu? Et aio ad eum Amalecites ego ſum.* Timebat Saul ne eſſet Philiſthæus, à quo viuus caperetur, facile autem hic ſe Amalecitem prodidit, quia Saul eos olim indulgentius tractauerat, magno ſuo malo: permiſitque Dominus ab Amalecita interfici, qui Amalecitas, Deo iubente, penitus delere noluerat. Nec eſt abſurdum iſtum adoleſcentem, quem ſupra cum Hebræis diximus Doëgi filium [e] quique cum patre apud regem crebro aderat, ignotum fuiſſe Sauli, in illa tanta animi eius, rerumque omnium perturbatione, oculis præſertim, ex magna ſanguinis effuſione caligantibus, Sed nec ſe filium Doëgi apud Dauidē nominauit, non ignorans illum Dauidis fuiſſe inimicum. Et mox iterum ſe filium hominis aduenæ Amalecitæ vocat; neſciens quo illos odio proſequeretur Dauid, quidque illi recens in Siceleg perpetraſſent, & quid vice verſa à Dauide paſſi eſſent.

[e] n. 150.

CLXXIV. *Purgat ſe de cæde Saulis.*

Istvm ergo Amalecitam, iubet Saul, vt ipſe ait, ſtare ſuper ſe, vt ex incremento ponderis, gladius omnia viſcera perfodiat. *Quoniam*, inquit, *tenent me anguſtiæ, & adhuc tota anima mea in me eſt.* Ex vulgari hominum ſenſu hæc dicuntur, quaſi per partes exeat anima, cum paulatim membra extrema emoriuntur. At illa indiuiſibilis tota ſimul exit. Dicebat ergo Saul, diu languebo moribundus, & incidam viuus in Philiſthæorum manus, niſi mortem acceleres impulſu tuo. *Stanſque ſuper eum occidi illum, ſciebam enim quod viuere non poterat poſt ruinam*, qua ſcilicet irruerat ſuper gladium ſuum. Nam amiſſo prælio, imo & regno viuere poterat, lethali autem vulnere accepto, diu viuere non poterat: Sicque exponunt peritiores Hebræorum, quamuis repugnante Toſtato, [f] qui ruinam refert ad vulnera inflicta à ſagittariis Philiſthinorum. Hoc autem prudenter addidit nuncius, cognita fortaſſe Dauidis manſuetudine, qua vſus fuerat in Saulem, cum eum, quamuis infeſtiſſimum inimicum, non ſemel in ſua poteſtate habuiſſet, & illum nō impune ſolum, ſed cum magna etiam vtilitate, & fine ærumnarum ſua-

Et quare.

[f] q. 5. & 7 in c. 1.

rum,& regni adoptione occidere potuiſſet. Itaque non ſine cauſa verebatur ne Saulis mortem Dauid aliter,quam cæteri mortalium accepturus eſſet.

CLXXV *Quomodo regis inſignia detulerit.* ITAQVE leniunt quæ ſequuntur. *Et tuli diadema quod erat in capite eius,& armillam de brachio illius,& attuli ad te dominum meum huc.* Non eſt exiſtimandum Saulem in ipſo prælio geſtaſſe diadema, nedum coronam, vt ante dixi. [a] Sed galeam potius,quæ eum cõmodius à vulneribus protegeret,& hoſtem ad ipſius cædem minus irritaret. Hoſtis enim principem hoſtilis exercitus acriore contentione perſequitur, quod eo vno vel capto, vel interempto victoria in manu eſt. Idque intelligi poteſt ex pugna Syrorum, contra Ioſaphat regem Iuda, & Achab regem Iſraël quod Abulenſis quoque notauit. [b] Itaq. Doëg huius pater,cum eſſet Saulis armiger,& haberet in ſua poteſtate regis inſignia,nec ſperaret ſe veniam à Dauide obtinere poſſe,ea filio ſuo ad Dauidem perferenda dedit, ſi quo modo is in Dauidis gratiam ſe hoc munere inſinuare poſſet. [c]

a nu.151.
b q.7.in c.1 ex 1. Reg. 22.30.31.
c vide Abul. q. 2. & 8.

CLXXVI. *Luctus & ieiunium Dauidis, & sociorum.* AVDITIS hiſce nunciis Dauid apprehendens veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo, turmæ ſcilicet militares, recenti è victoria de Amalecitis cum Dauide regreſſæ;quod huius nuncij negotio minime omnium fauebat, nec mediocrem ingenerabat metum. *Et planxerunt,& fleuerunt,& ieiunauerunt vſque ad veſperam, ſuper Saul,& ſuper Ionathan filium eius*;in quibus,vt populi principibus, populus ipſe quodammodo capite truncatus videbatur. Fleuerunt quoque *ſuper populum Domini*, quem Abulenſis [d] ſacerdotes & leuitas domino conſecratos interpretatur;domum autem Iſraël reliquos de populo laïcos, quoniam de vtriſque multi in prælio ceciderant.Cauſam autem planctus atque ieiunij Scriptura ſubdit;*eo quod corruiſſent gladio*.Iuxta ſcilicet conſuetudinem Iudæorum in morte charorum,& graui calamitate lugentium,& luctui ieiunium adiungentium;vt patet ex eorum calendario ; [e] in quo ieiunia nullam fere aliam ob cauſam aſſignatur;quod etiam Iabeſitæ obſeruarunt,vt paulo ante dicebamus. [f] Etſi autem negat Abulenſis [g] hoc ieiunium relatum fuiſſe ad remiſſionem peccatorum, eorum qui in bello ceciderant, quia Scriptura ſignificat planctum, fletum, & ieiunium ſuſceptum, quia corruiſſent gladio. Credibile tamen eſt pium Dauidem, eiuſque hortatu cæteros,pro expiatione delictorum, vt poſtea Machabæos, domino ieiunium obtuliſſe:vide quæ de Iabeſitis cum Beda diximus. [h]

d q.8.
e vide to 2 in ſingulis menſibus.
f nu.163.
g q.9 in c 1.
h ſupra nu. 165.

CLXXVII. *Dauidis iuſſu interficitur nuncius.* DIXITQVE Dauid *ad iuuenem qui nunciauerat ei.* [i] Non vtique dixit poſt ieiunium vſque ad veſperam,neque enim tamdiu diſtulit eius ſupplicium; ſed poſt primos gemitus & veſtium lacerationem, quam ſocij Dauidis ſtudioſe imitati ſunt, ei iam quaſi mox regi futuro placere, & gratificari ſtudentes, qui nuper vix à lapidatione temperauerant. [k] Sed habebant etiam pleroſque amicos, & cognatos, qui interfecti fuerant,quos poterant lamentari. Nec mirum eſt quod Dauid hũc nuncium iterum roget vnde ſit: nam id non ſatis aduerterat, tam triſti nuncio de morte ſoceri, & amantiſſimi Ionathæ perturbatus, ſicut & de Saule vulnerato paulo ante dicebamus [l]. *Et ait ad eum* Dauid, *quare non timuiſti mittere manum tuam,vt occideres Chriſtum Domini? vocanſque* Dauid *vnum de pueris ſuis ait, aſcendens irrue in eum*: (aut potius accedens, vt exigit hebræus, græcuſque textus, & legitur in pleriſque latinis) *qui percuſſit illum,& mortuus eſt.*

i ca.1.v.13.
k 1.Reg 30 6.
l nu.173.

CLXXVIII. *Eius in ſacram vnctionem reuerentia.* SANCTO quodam horrore,ac veneratione mouebatur Dauid in perſonam regiam,propter ſacram inunctionem;adeo vt in ſummis anguſtiis ſuis,& opportunitate maxima ; & acri ſuorum adhortatione, nec interficere eum voluerit, nec interfici paſſus ſit à ſuis. Imo & percuſſerit cor ſuum eo quod abſcidiſſet oram chlamydis eius ; [m] quod id vergeret in contemptum regis. Dixitque ad viros ſuos. *Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem domino meo*, *Chriſto Domini*, *vt mittam manum meam in eum,quia Chriſtus Domini eſt.* Et rurſum ad Abiſai. [n] *Ne interficias eum. Quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini,& innocens erit?* Nocentiſſimum ergo iudicauit hunc adoleſcentem, qui auſus eſſet perpetrare quod ipſe vſque adeo exhorreſcebat. *Et ait ad eum* Dauid, *Sanguis tuus ſuper caput tuum: os enim tuum locutum eſt aduerſum te dicens,ego interfeci Chriſtum Domini.* Poſſunt hæc vltima verba dicta eſſe mortuo,ad teſtandam Dauidis in hac hominis condemnatione iuſtitiam : poſſunt & dicta fuiſſe viuo, quaſi capitalis ſententia morituri; quæ tamen narrationi cædis in ſcribendo ſubiecta ſint. Sicut paulo ante nar-

m 1.Reg. 24 7.
n 1 Reg. ca.26 9.

ratum eſt ieiunium ante cædem, quod tamen eam conſecutum eſt.

CLXXIX *An iuſta mors nuncij.*

Non moratur Dauid hunc Amalecitam ſiue occiderit, ſiue non occiderit, & reuera non occidiſſe, nec Saulis morti interueniſſe plurimorum ſententia eſt, quam ſuperius amplexi ſumus. [a] Sed ſiue verum, ſiue fictum crimen in ſe admittentem iuſſit interfici; quod aliqui apud Theodoretum reprehendunt, [b] & tangit Procopius, & Pineda, [c] & Serarius, qua de re fuſius Abulenſis q. 11. Reuera enim hunc Amalecitam iniuſte occiſum a Dauide cauſari quis poſſit.
1. Primùm, quia ipſemet Dauid fatetur huic debitam fuiſſe mercedem pro nuncio, [d] nedum
2. pœnam, & quidem tantam. Deinde ſi miſericordia in laude eſt, nonne hic qui in languentem miſericors fuit, laudandus, nedum occidendus fuit? Languenti
3. enim quantum vitæ, tantum & ſuppliciorum abſtulit.
4. Adde quod legitimo ſuperiori præcipienti obtemperauit. Quin publico etiam honori conſuluit, qui à profanis, & incircumciſis hominibus erat proculcandus, cum ſumma regis con-
5. fuſione, triſtitia, & ignominia. Denique quid iuris erat Dauidi in Amalecitam?

[a] nu. 122. & 123.
[b] q. 1. in c. 1. 2. Reg.
[c] l. 1. de Salom. c. 5. parag. 12.
[d] 2. Reg 4. 10.

CLXXX. *Iniuſtam videri.*

Verum enimuero hæc non ſatis purgant confitentem reum, qui priuatus, nulla authoritate, principem populi ſui non dubitarit occidere; & contra ſeipſum, & omnia diuina, humanaque cura peccanti, peccati particeps; & inſtrumentum effectus ſit. Adde Amalecitam morti a Deo iamdudum, cum tota gente deſtinatum; adde diſſimulationem atque mendacium.
Ad 1. Neque vero negatur debitam iſti fuiſſe mercedem pro nuncio, quo ſe Dauidi gratificari exiſtimauit, additis etiam muneribus. Et reuera ex ipſius rei natura & conditione gratificabatur. Illo ſiquidem nuncio intellexit patefactum ſibi ad regnum aditum, ærumnis timorique perpetuo impoſitum finem Saulis morte. At non pro nuncio occiſus eſt, ſed pro culpa, cuius ſe reum illa nunciando demonſtrauit: & ſupplicium culpæ debitum merito nuncij præponderauit. Nec poſſunt iudices amicum aut benefactorem cædis reum, aut cuiuſuis noxæ capitalis, pœna liberare & abſoluere. Nec cætera ſunt firmiora.

CLXXXI *Satisfit obiectis.*

Illa enim in languentem miſericordia, crudelitas verius dici poteſt, quæ à minoribus ereptum malis, ad longe grauiora præcipitat, æterna videlicet, ſui ipſo-
Ad 2. rum homicidis deſtinata, ſicut nec miſericors dicendus eſt, qui febri æſtuantem frigidæ potu recreat, cum magno inflammatæ ægritudinis incremento. At ſu-
3. periori obtemperauit. Num ius habuit Saul in propriam vitam, quam nulli mortalium mancipio datam eſſe conſtat? Num rectè ſuperiori poteſt ad ſcelus perpetrandum obtemperari? Deo videlicet tunc magis obedire oportet, quam hominibus. Honori autem publico, cum maioris boni diſpendio conſuli non de-
4. bet. Ad malam enim Domini iuſſionem, acceſſit famuli conſenſus, & peccatum vnum geminum factum eſt. Præterquam quod ignominia publica in moribundo vitari non poterat, quando in hoſtium manus incidendum erat, & reuera vitata non eſt, quantum quidem ad publicum honorem attinet.
5. Poſtremo Dauidi, penes quem rerum ſumma Saule mortuo fuit, licuit in reum, crimen morte piandum publice confitentem, publicè ſine alia forma iudicij animaduertere. Innuit Theodoretus, [e] qui Dauidem hoc loco nouo titulo regem vocat: & reus ipſe eum pro rege & iudice ſuo habebat, cui diadema, regiæ dignitatis inſigne detulerat.

[e] vide Theodoret. q. 1. & Abul q. 11. in 2. Reg.

CLXXXII *Planctus Dauidis.*

Planxit *autem Dauid planctum ſuper Saul, & ſuper Ionatham filium eius*; in quo non videtur immorandum, cum quæ hactenus ſuper funere, & morte vtriuſque diximus, ſufficere videantur. Præcepiſſe autem dicitur Dauid, vt docerent arcum filios Iuda, id eſt interprete Beda, [f] Rabano, Lyrano, Abulenſi, & cæteris, artem militarem, ſiue autem ſagittãdi, quia multus erat tum ſagittarum vſus, & tribum Iuda hoc tempore præſidium eſſe oportebat totius populi, contra victores Philiſthæos, quaſi diceret. Hortatus eſt ne deſponderent animos in aduerſis rebus, ſed ad futura ſe bella inſtruerent, ne quemadmodum nunc contigerat, vinci à Philiſthæis arte ſagittandi, cum Saul ipſe iis vulneratus fuerit, totuſque exercitus fuſus ac fugatus; ita in poſterum eueniret. Mariana *quod ſequitur*, inquit, *vt docerent arcum titulus eſt cantilenæ, ſicut & pſalmi ſuos titulos habent, & per arcum intellige alia bellica inſtrumenta.* D. Hieronymus, & poſt eum Rupertus ad ſpiritualem ſenſum declinant. Ait enim ille ex Hebræis Dauidem dixiſſe, vt Dominus doceret filios Iuda

[f] in lib. 30. qq. in 1. Reg. q. 7.
cap. 31. in tradit. Hebr.

arcum. id eſt reges Iuda doceret fortitudinem, vt fortes & intenti eſſent in timore Domini, & in præceptis Dei, ne per inobedientiam reges Iuda a fortitudine, & timore Domini ſicut Saul recederent, & eo modo quo ipſe perierat, perirent.

CLXXXIII *Quis iuſtorum liber.*

Pergit autem eodem loco Hieronymus, agitque de libro iuſtorum in hæc verba. *Quod autem ait ecce ſcriptum eſt in libro iuſtorum, liber iuſtorum liber Samuelis eſt, vbi continentur prophetæ iuſti, Samuel videlicet, Gad, & Nathan, in quorum libro ſcriptum eſſe perhibetur, qualiter Saul recedens à timore per inobedientiam ſuam perijt.* 16 Hæc ibi, quæ non probat Abulenſis,[a] quod abſurdum ſit eundem librum allegare ſeipſum: mauultque librum fuiſſe propheticum magnæ authoritatis à Moſe ſcriptum, qui multa futura contineret, bella præſertim Iſraëlitarum. Cæterum communis eſt interpretum ſententia, hunc iuſtorum librum, qui hebraicè, & græcè liber Recti appellatur, non extare, ſicut nec alios pleroſque, qui in Scriptura laudantur. Vide hic Lyranum, Hugonem, Caiet. & Bedam,[b] qui inter alia. *Vaſtata*, inquit, *à Chaldæis Iudæa, etiam bibliotheca antiquitus congregata, inter alias prouinciarum opes, hoſtili igne conſumpta eſt. Ex qua pauci, qui nunc in ſacra Scriptura continentur libri, poſtmodum Ezræ pontificis, & prophetæ ſunt induſtria reſtaurati*, &c. Vide quoque Sixti Senenſis bibliothecam.[c]

16. ἑβδ.
a q. 13. in c. 1. 2. Reg.
b in l. 30. qq. q. 7.
c l. 2. lit. I. in fine.

CLXXXIV. *Encomium funebre, ſeu nænia.*

Seqvitvr funebre carmen, cuius initium ponitur. *Conſidera Iſraël, pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati*, quæ tamen abſunt ab hebræo. Ideoque Mariana vult initium huius næniæ fuiſſe quod ſequitur. *Inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt, &c.* cuius modi ac menſuræ hodie ignorantur. Id cecidit Dauid quaſi ſolenne encomium interfectorum in defendenda patria, Saulis præſertim & Ionathæ, qui principes in propugnando populo Dei contra capitales illius hoſtes Philiſthæos, in montibus Gelboë ceciderant. Quæ conſuetudo in ſequentia deinde ſecula per omnes prope nationes propagata eſt. Nec iniuria id enim officium deberi defunctis natura dictauit, vel in ſignum beneuolentiæ, & gratitudinis viuorum in mortuos; vel in propriæ iacturæ conſolationem, & acerbi doloris leuamentum: vel in exemplum & excitationem virtutis in poſteris. Laudata enim virtus, ſicut in iis creſcit qui laudantur: ita & in iis, qui alienis laudationibus interſunt, vel quoquomodo in earum cognitionem deueniunt; præſertim ſi præclaris quibuſdam naturæ, gratiæ, doctrinæve præſidiis ad virtutem & veram gloriam ſunt inſtructi. Illam porro imprecationem, ſiue execrationem in montes Gelboë, ne in eos vel ros, vel pluuia deſcenderet; neque vt vlli agri fertiles illic eſſent, quales ſunt agri primitiarum, qui primos fructus ferunt dicatos primitiis, à Deo auditam fuiſſe, & ad vltima vſque ſecula valuiſſe, docet itinerarium Beniamini, quod anno Chriſti 1173. ſcriptum traditur; in quo ita ſcriptum eſt. *Illinc*, ſcilicet ab vrbe Sichem, quæ ſita eſt inter montes Gebal & Garizim, *leucis quatuor Gilboagh mons eſt, quem Chriſtiani Gelboë montem vocant, ſolo ſteriliſſimo & aridiſſimo.* Hæc ille, poſt annos ab hac nænia edita 2247. Nec apparet ſolum ab eo tempore, his 447. annis fertilius euaſiſſe, quod teſtatur etiam Breidembachius: quale autem prius fuerit, non liquet.

CLXXXV. *Laus Saulis, & Ionathæ.*

Lavdavit Saulem & Ionathan Dauid, & habuit vterque pleraque, quæ iure meritòque laudarentur: Sed funeſtiſſimus Saulis finis, imo & magna vitæ ac regni pars, totam eius commendationem corrupit: adeo vt omnes illius laudes criminibus, & omnis generis malefactis obruantur. Verè laude ac prædicatione dignus Ionathas, princeps glorioſiſſimus, primogenitus regis, imperio populi Dei, ſi parentis peccata ſinerent, deſtinatus. Nam ſi laudari à laudato viro glorioſum eſt, certe diligi à ſancto & Deo dilecto viro, qualis erat Dauid, maximum eſt virtutis, grauiſſimumque teſtimonium. Neque ſane mirum Dauidem inter & Ionathan eximiam coaluiſſe amicitiam, eam multiplex inter vtrumque diuinorum donorum ſimilitudo copulauit, quam hic perpaucis indicari non erit opinor lectori, virorum illuſtrium amanti, ingratum.

CLXXXVI. *Ionathæ & Dauidis ſimilitudo, forma, & fortitudo.*

Ionathas decorus erat & amabilis nimis, & ſpecie imperio digna.[d] Dauid quoque pulcher aſpectu, decoráque facie.[e] Ionathas eximia fortitudine vir. *A ſanguine* quippe *interfectorum, & adipe fortium ſagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum.* validis enim vibrata lacertis ſcuta perfodiebat, thoraces perrumpebat, adipem, ſanguinem, intima viſcera ſcrutabatur. Deniq. *Saul & Ionathas aquilis velociores*, ad

d 2. Reg. 1. 26.
e 1. Reg. 15. 12.

inuadendũ hoſtem, *leonibus fortiores*; ad debellandum. Sed ſuſpectum ſit forſitan amici teſtimonium: carmini quoque, ſi placet, aliquid datum fuerit, nonne clariſſimum, ac vere prodigioſum fortitudinis argumentum præbuit Ionathas, [a] quãdo vnico armigero ſuo comite armatam aciem, manibus pedibuſque perreptans adiit, nihil veritus ne aduerſis haſtarum ictibus deuolueretur in præceps, & audaciæ miraculo obſtupefactos inuaſit, ſtatimque exercitum vniuerſum terrore, cæde, confuſione compleuit. Dauid leonum prius & vrſorum victor, malleus poſtmodum Philiſthæorum futurus, magnifice in Goliatho gigante, atque animoſe præluſit, quem terrorem populi vniuerſi ludibundus deiecit, ſuoque ipſius gladio capite truncauit. Et ſicut glorioſiſſima illa Ionathæ victoria, qua ſalutem magnam omnium confeſſione pepererat Iſraëli, magno eius vitæ diſcrimine terminata eſt. Ita & hic tam eximius Dauidis triumphus, qui regi, & populo vniuerſo gloriam, lætitiam, ſecuritatem attulerat, ipſi perpetuum mortis diſcrimen inuexit. — *a 1.Reg.14.*

CLXXXVII. *Manſuetudinis.* — INCOMPARABILIS quidem eſt manſuetudo Dauidis erga illum, qui omnes animi corporiſque neruos intendebat, vt eum quoquo modo perdere poſſet. Neque tamen ei perperam conferri poteſt mitiſſimus Ionathas, qui ex hoſte teterrimo & infenſiſſimo victoriam nobiliſſimam reuehens, mille dignus palmis & coronis, tanquam agnus ad occiſionem adductus obmutuit, & audiit ſine querela fulminantem patrem. *Hæc faciat mihi Deus, & hoc addat, quia morte morieris Ionatha.* (*Obedientiæ.*) Dauid promptiſſimus ad mortifera Saulis imperia, contra Philiſthæos, alioſve hoſtes populi Dei decertans, gloriam & prædas, pro morte aut dedecore referebat. Ionathas ad patris præceptum venit in Gelboë, & eum ad indubitatum ruentem exitium ſecutus, cum iiſdem Philiſthæis fortiſſime pugnans, factuſque obediens vſque ad mortem, infelices cautes proprio cruore fœcundans, glorioſa morte defunctus eſt.

CLXXXVIII. *Fides in amicitia.* — IONATHAS & Dauid, ille regis filius, iſte gener; & vterque regno Iſraëlitarum, alter ſucceſſione legitima, alter diuina electione deſtinatus, vterque amicitię cultor fideliſſimus, atque conſtantiſſimus in proſperis & aduerſis, vterque vtriuſque amicitia digniſſimus, vterque animi demiſſione eximiè commendabilis fuit. (*Demiſſionis animi.*) Ionathas primogenitus regis, princeps omnibus numeris abſolutiſſimus, homini exuli & fugitiuo, & rerum omnium egenti, regno ſponte cedit, diuinæ prouidentiæ quamuis duræ diſpoſitioni, per quam placidè acquieſcens. Dauid a Deo electus & vnctus in regem, quem populus omnis in oculis ferret, cuius omnes manſuetudinem, ac ſuauitatem morum exoſcularentur, cuius æqui atque iniqui ſapientiam, fœlicitatem, fortitudinem, conſtantiam demirarentur: cuius in principem ſibi infenſiſſimum reuerentiam atque indulgentiam, elinques atque attoniti obſtupeſcerent. Hic ipſe tamen Dauid, [b] *Quem perſequeris*, inquit ipſe de ſe, *Rex Iſrael, quam perſequeris, canem mortuum, & pulicem vnum.* — *b 1.Reg.24. 15.*

CLXXXIX. *Iuſtitiæ, beneuolentiæ.* — IONATHAS pro iuſtitia & innocentia Dauidis propugnator acerrimus, etiam indignationem paternam, verborum probra, & mortis diſcrimen non dubitauit incurrere. [c] Dauid ne iuſtitiam violaret, & obſeruantiam aduerſus principem ſuum, ipſos propemodum annos decem variis ærumnis conflictatus, centies in apertum mortis diſcrimen incurrit. Quid ergo mirum ſi Dauidem Ionathas, & Ionathan Dauid, vterque vtriq. ſimillimum, & quaſi geminum, vterque vtrumque virtutibus ornatiſſimum, & gratiæ naturæque donis locupletiſſimum, intimo ac flagrantiſſimo amore proſequeretur, cum ad eandem flammam nutriendam, vna eademque vitæ ratio, & exercitatio armorum accederet, & mutuus ille ſenſus, quo ſe alter ab altero vehementer diligi ſentiebat, vt vere dicere vterque poſſet, vtriuis eorum præſens calamitas contigiſſet. *Doleo ſuper te frater mi Ionatha*, vel Dauid *decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum. Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam.* — *c 1.Reg. 20.*

CXC. *Dauidis amor in Ionatham.* — AMOREM mulierum interpretatur Chaldeus paraphraſtes Dauidis amorem in duas vxores ſuas, Achinoam & Abigailem. Accipi autem poteſt vniuerſe, tam de amore quo viri ſolent amare mulieres, quam de eo quo mulieres, quarum affectus ſunt admodum violenti, aut viros ſuos, aut filios proſequuntur. Illa porro ſimilitudo matris amantis filium, non eſt in hebræo, græcóve textu, aut chaldæa

paraphraſi; eaque verba ex interlineari gloſſa in textum irrepſiſſe exiſtimat Abuſis. [a] Quia tamen in emendatis biblijs retenta ſunt, ab Hieronymo interprete Deo inſpirante addita eſſe credendum eſt, vt hic amor mulierum explicaretur, quæ cum alioqui impotenter ament, eum amorem præcipue erga vnigenitos oſtendunt; quem tamen à ſuo erga Ionathan ſuperari affirmat Dauid. Et de Ionatha quidem hactenus: cuius laudi illud abunde ſufficere videatur, quod ſanctiſſimo & laudatiſſimo Dauidi ſimillimus & chariſſimus fuit; & proinde illi quoque, cuius Dauid admodum expreſſa ac viuida imago fuit, qui eſt Chriſtus Dominus.

[a] Vide Pined. lib. de Salom. c. 11. n. 1 & Abul. in fine pr. cap. I. 2.

CXCI. *Miphiboſeth claudus efficitur.* Hoc ipſo tempore, quo Saulis familia incomparabili calamitate afflicta in acie ac proſtrata eſt; domi etiam non leue malorum incrementum accepit. [b] Ionathæ ſiquidem filius ætate quinquennis [c] nomine Miphiboſeth per nutricis imprudentem feſtinationem debilis pedibus effectus eſt. Cum enim pene exanimis curſu & trepidatione nuncius, in Gabaa ciuitate Saulis, vbi regia, vt videtur, familia, in aula ſtudioſius alebatur, vulgaſſet Saulem, & Ionathan cum duobus fratribus, cum domeſticis regis, & vniuerſo propemodum exercitu, in montibus Gelboë, luctuoſiſſimo interitu cecidiſſe: verita mulier ne vtentes victoria Philiſthæi in Gabaa properarent, totam Saulis poſteritatem deleturi, infantem ſibi commiſſum neci, vt putabat imminenti ereptura, feſtinans rapuit in tutum aliquem ac munitum locum concedens; ſed dum incautius feſtinaret vt fugeret, cum puerulo cecidit, qui ex caſu luxatis vel conquaſſatis cruribus, claudus in reliquam vitam effectus eſt.

[b] 2 Reg. 4. v. 4.
[c] ſupra Saulis 14. nu. 6.

DECIMVS BELLI DIES.

CXCII. *Dauid conſulit Dominum ſuper migratione ſua.* NOTEMVS & hunc poſtremo decimum ab inito bello diem, in quo Dauid Dominum de ſua ex Siceleg migratione conſuluit, ait enim Abulenſis [d] Dauidem poſt iſtum planctum immediatè receſſiſſe in terram Iſraël. Dauid ergo qui nihil inconſulto Numine attentabat, quique experientia ipſa didicerat, quam vere illud caneret. *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ, ibi me collocauit,* perfunctus lamentationis officio, interim dum ieiunatur ad veſperam, conſuluit Dominum, num de Siceleg ad aliquam de ciuitatibus Iuda deberet aſcendere; ad ineundam ſcilicet adeundi regni viam, ope tribus Iudæ; quam ſibi fauturam non ſine cauſa ſperabat, vt qui ad eam pertineret; & ipſa Dauidis regnum ſibi glorioſum duceret, plurimoſque ex eadem tribu ſecum haberet ſocios. *Et ait Dominus ad eum;* (& quidem per pontificem Abiatharem, quem ſecum quintum iam annum habebat, cum ephod pontificio, quod confirmat Abulenſis, [e] etſi Ioſephus per prophetam malit.) *Aſcende, & dixit Dauid, quo aſcendam? & dixit Dominus in Hebron.*

[d] q. 15 in c. 2. Reg & q. 1. in c. 2.
[e] 2. Reg. c. 2. q. 2.

CXCIII. *Hebron cur electa regni ſedes.* Eam vrbem elegit Dominus, vt ait Theodoretus, [f] propterea quod patriarchæ in illa ciuitate & viui habitarint, & mortui fuerint ſepulti. Et quia tum metropolis erat tribus Iudæ, ad quam Dauid pertinebat, Ieruſalem enim magna ex parte tenebant Iebuſæi; & nominatim arcem Sion, quæ poſtea dicta eſt ciuitas Dauid, ideoque plures ibi fautores atque amicos, quam alibi inuenturus erat. Sed erat quoque hæc tribus omnium potentiſſima, & ad regni domicilium & caput à Deo deſtinata, & à patriarcha Iacobo ante annos triginta quatuor ſupra ſexcentos. [g] Inde autem conijci poteſt Dauidem multos habuiſſe in tribu Iuda ſtudioſos ſui, atque fautores, quod hoc ipſo tempore tam multos habuerit ad quos munera deſtinaret. Quamuis autem Ziphæi, & ſi qui forte alij, animo in Dauidem inimico fuiſſe videantur, eumque in Saulis manus tradere voluerint, id tamen ab iis tentatum non vllo in Dauidem odio, ſed regiæ gratiæ colligendæ cauſa, deinde metu proprio extimulante, exiſtimandum eſt.

[f] q. 8. in 2. reg.
[g] an. m. 2345.

CXCIV. *Dauid migrat in Hebron.* ASCENDIT *ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraëlitis, & Abigail vxor* quondam *Nabalis Carmeli; ſed & viros, qui erant cum eo duxit Dauid, ſingulos cum domo & familia ſua, & manſerunt in oppidis Hebron,* quæ ſcilicet ex ea tanquam metropoli dependebant. Nec tamen exiſtimandum eſt Dauidem ita deſeruiſſe

Siceleg, vt Achis Gethæorum regis liberalitatem repudiarit, eique id hoſpitium renunciarit; cum enim ea deinceps in poteſtate regum Iuda permanſerit, credibile eſt Dauidem aliquod in ea præſidium reliquiſſe, atque ita Hebronem immigraſſe, [a] vt non eriperet ſacerdotibus vrbis dominium, ſed habitationem vt ciuis, cum bona eorum venia, acciperet. Plerique enim laici, & varii opifices in ſacerdotum vrbibus habitabant, & nominatim qui ad eas cædis cauſa confugiebant. Nullos porro liberos adhuc alterutra ex vxore habebat Dauid; ei quippe natus eſt primogenitus in Hebron, vt ex cap. ſequenti conſtat.[b]

[a] Abul. q. 3. in c. 2.

CXCV. *Ibi conſilia de rege agitantur.*

Venervntqve *viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda.* Admodum breuis eſt & præciſa iſta Scripturæ narratio: conſilia enim gerendæ rei tantæ, cauſas, occaſioneſque prætermittit, nobiſque ex probabilitate, conſiderato præſenti Hebraicæ Reipub. ſtatu, inquirendas reliquit. Nimirum Hebrone primum ciuitate metropoli ſeniores inter ſe conſilia priuatis colloquiis agitant, quæruntque quid hoc rerum ſtatu faciendum videatur. Aiunt totam Rempublicam morte Saulis & filiorum eius, multorumque fortiſſimorum virorum clade vehementer turbatam, in tribum Iuda, quæ ſit eius propugnaculum, oculos conieciſſe, tribum autem Iuda in Hebronæos intueri, in iis ſpem præſidiumque collocare, nec par eſſe amantes patriæ, ſeorſum ſibi quemque conſilia capere potius, quam in commune conferre. Adeſſe nunc Dauidem cum non exigua fortiſſimorum virorum manu, adeſſe quoq; Pontificem Abiatharem cum ornatu ſacerdotali, qui Dominum conſulere poſſit. Rempublicam capite truncatam ſtare non poſſe; neceſſarium primo quoque tempore principem, qui vniuerſos contra Philiſthæorum audaciam, vim, ſeruitutem tuetur.

[b] c. 3. v. 2. & 1. Para. c. 3. v. 1.

CXCVI. *Pontifex fit author populo creandi Dauidem.*

Haec cum pleriſque ſeorſim viſa eſſent, & in maiore frequentia diiudicanda conferentur, plurimi Abiatharem, cuius erat ſumma in ſacerdotali ciuitate poteſtas, atque authoritas adeunt, orantque vt pro ſua in publicam rem pietate, ac priuata ſapientia, & præcipua familiaritate cum Deo, periclitanti populo Dei conſilio, auxilioque adeſſe velit. Ille autem nihil cunctatus. An neſcitis inquit conſtitutum à Deo Dauidem regem populi ſui? eundem à Samuele, viuo adhuc Saule, Dei iuſſu in medio fratrum ſuorum inunctum fuiſſe in principem Iſraelitarum. Id ille idem Propheta Sauli neque ſemel neque obſcure teſtificatus eſt. [c] Quin eius nuper in Endor hæc fuit oratio [d] *Faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo Dauid.* Sciebat hoc Saul ipſe, & in multorum millium corona Dauidem alloquens dicebat, *Certiſſime ſcio quod regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* [e] Idem ſciebat ac profitebatur Ionathas, & ſe Dauidi ſecundum in regno eſſe cupiebat. [f] Itaque videri rem non deliberationis eſſe, ſed executionis; nec quicquam inueniri poſſe, quod tantæ authoritatis prærogatiuæ præferendum eſſe videatur.

Electum à Deo.

[c] 1. Reg. 13. 14. c. 15. v. 18.
[d] c. 28. 17.
[e] c. 24. 21
[f] c. 23. 17

CXCVII. *Et regno digniſſimum.*

Neqve vero timendum eſſe ne Sauli fiat iniuria, niſi qui in eius familia reliquus eſt Isbaal, regno inauguretur. Non enim aut lege cautum, aut fœdere conſtitutum, aut conſuetudine firmatum, vt regnum populi Dei ſucceſſione deferatur. Id electione diuina accepit Saul, accipiat & Dauid; In cuius electionem, vt nullum eſſet diuinum ſuffragium; minime dubitandum eſt Tribum Iuda, cui regnum iam ante ſexcentos annos deſtinatum eſt, ab authore gentis noſtræ Iacobo Patriarcha, eligere ſibi poſſe regem, eique ſupremam in ſe poteſtatem cōmuni ſuffragio conferre. Atque vtinam poſtrema hæc clades multos nobis viros reliquiſſet, in quorum optione nutare poſſet electio. Nunc autem circumferte oculos in omnes tribus atque ciuitates, & videte num quem inuenire valeatis qui Dauidi ſapientia, ac rerum gerendarum prudentia, qui communi omnium beneuolentia, qui rerum geſtarum gloria, qui vitæ innocentia, qui felicitate bellorum, qui morum ſuauitate cum Dauide certare poſſit.

CXCVIII. *Depoſcitur à populo.*

Incalvit ad hanc orationem Iudæorum animus, communiſque inſonuit clamor depoſcentium Dauidem regem. Euocatumque vniuerſi rogarunt, vt quoniam ipſis abunde conſtaret, ipſum in principem populi à Deo electum eſſe, & demortuo regi antiquo iam ſuffragio ſuffectum, ne eam recuſaret prouinciam,

ad quam illi deferendam, primarii quique viri de tribu Iuda, vno ore, vnaque ſententia conſentirent; ſperare ſe aiunt reliquas tribus de quarum pene ſingulis non paucos habeat viros egregios iam ſibi ſuffragantes, Iudaicæ prærogatiuam facile ſecuturas, quoniam hoc rerum ſtatu integrum non ſit populi vniuerſi conſilium cogere: & primo quoque tempore in imperio ſtatuendus ſit, is cuius virtute ac ſapientia, ad ruinam pene præcipitans publica res firmata conſiſtat. Proindeque orare ne communibus totius populi deſideriis votiſque deſit, ne alieniſſimo tempore laboranti patriæ defuiſſe, ac diuinæ voluntati obſtitiſſe videatur.

CXCIX. *Acquieſcit Dauid.*

HIC Dauid ingemiſcens, intelligere ſe ait quantum ſibi ponderis, diuinis humaniſque ſuffragiis imponatur, cui ferendo angelici humeri pares eſſe non poſſint. Quoniam tamen diuino imperio reſiſti non poteſt, [a] *quis enim reſtitit ei, & pacem non habuit?* eius nobis mandatis aut voluntate aut neceſſitate obſequendum eſt, ne in triſtiſſimum Saulis iudicium incidamus. Etſi quando reſiſtendum fuit, tunc demum omni opera ſtudioque reſiſtendum fuit, cum euocatus è paſcuis adoleſcentulus tum, & contemptus in medio fratrum in parentis oculis, rei nouitate atque inſolentia attonitus, magis paſſus ſum vngi à Propheta, quam in vnctionem conſenſi: ignarus quanti ex eo fonte ærumnarum fluctus, ac periculorum in animum meum eſſent inundaturi. Quando ergo iacta pridem eſt alea, & ſperandum eſt eum qui onus impoſuit, id mecum ſubleuaturum, voſque omnes, promptiſſima obſequendi voluntate, imperandi pericula & moleſtias leuiores eſſe facturos; Agite quod lubet, & regem quoniam ita vultis habete Dauidem.

[a] Iob. 9. 4

CC. *Rè inungitur.*

TVM demum ingeminatum eſt illud *viuat rex*, oleoque ſancto inunctus eſt, ſiue miniſterio Pontificis, cuius id erat munus, ſiue Gadi, aut cuiuſpiam alterius Prophetæ manu. Nam Salomon [b] per manus Sadochi Pontificis, & Nathan Prophetæ inunctus. Vnctum etiam fuiſſe habent hebræa volumina, græca, chaldæa, latinaque: & plerique omnes qui Dauidem ter vnctum memorant, in quibus Lyranus, [c] Abulenſis, [d] Caietanus, Dionyſius, Genebrardus, *Hebron*, inquit Sulpitius Seuerus, *Iudaæ oppidum petiit, ibi rurſum regali vnguento illitus rex appellatus eſt.* Ioſephus tamen hanc vnctionem premit ſilentio. *Moxque tota tribus*, inquit, *ad eum locum confluens, regem cum communi ſuffragio declarauit*; & mox cum iterum fieret in textu iſtius vnctionis mentio, Ioſephus eam in ſalutationem mutauit, *ſimulque nunciarent*, inquit, *quod Iudæ tribus regem ſe conſalutaſſet.* Theodoretus [e] autem Ioſephum vt ſolet ſecutus, vnctionem hoc loco pro electione poſitam putat, eoquod iam antea à Samuelo Propheta fuiſſet inunctus; Sed quidni ſecundo vngeretur, ſicut & Saul, cum prior illa ſecreta, & quaſi furtiua, coram paucis arbitris facta fuiſſet. Illa initiaret ad regnum, hæc in regni poſſeſſionem mitteret. Illa vniuerſe totius regni hæredem fore diceret, hæc in vnam tribum imperium daret. De huius autem celebritatis ceremoniis in Saulis inauguratione actum eſt, [f] ſimillima quippe ſunt omnia, vt nihil ſit neceſſe iterare.

[b] 3. Reg. c. 1. vide an. Saul 1 n. 79. hic & in p. 16.
[c] q. 5. & ſeqq. in c. 2.
[e] q. 8. in 2. Reg.
Quibuſdā aliter viſū.
[f] an. eius 2 n. 14 & ſeq. & n. 55.

CCI. *Iabeſitarū in Saulem miſericordia.*

HIS rite peractis, nunciatum eſt Dauidi regi Iabeſitas ſepultura donaſſe Saulem, ac filios eius, *Et nunciatum eſt Dauid*, ait Scriptura *quod viri Iabes Galaad ſepeliſſent Saul*. Breui compendio tangit hiſtoriam, quæ habetur in primo libro Samuelis [g] de raptis cadaueribus Saulis, ac filiorum eius, è muro Bethſan, contempta Philiſthæorum victoria, vrbiſque militari præſidio; de honorifica ſepultura, additóque ſeptem dierum ieiunio. Hic autem ſolius Saulis fit mentio, quia totum hoc beneficium Saulis cauſa fiebat, & in Saulem redundabat. *Miſit ergo* DAVID *nuncios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos. Benedicti vos Domino*, quod eſt eis bonorum omnium abundantiam diuinitus optare, *qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem*, id eſt, iuſtam copioſamque mercedem, iuxta, ſupraque merita. *Sed & ego reddam gratiam, eo quod feciſtis verbum iſtud. Confortentur manus veſtræ & eſtote filij fortitudinis*, neque amiſſo rege abiiciatis animos, quaſi præſidio, quod à legitimo principe ſperatur, deſtituti. *Licet enim mortuus ſit Dominus veſter*

[g] 31. ſi.
Et Dauidis ad eos legatio.

Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem ſibi.

CCII. *Quibus de cauſis ſuſcepta.* 1. LEGATIO hæc ſapienter admodum, vtiliterque ſuſcepta eſt. Primum ad commendationem virtutis incolarum Iabes, vt ea laudata creſceret, & in plures imitatores propagaretur. 2. Deinde ad oſtendendum Dauidis erga Saulem animum minime hoſtilem, vt qui impenſum in eum beneficium, ſuum beneficium ducat, & reddendæ gratiæ ſe obnoxium agnoſcat, ac ſpondeat redditurum. Quomodo autem inimico animo eſſet in mortuum, qui in viuum, & in eius ruinam ſemper intentum tam mitis fuit? Non eſt hæc nobiliſſimi Dauidis ira, ſed tyranni alicuius

[a] *At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi*
Et quæcumque minor mobilitate fera eſt. a Ouid.

3. *Eos ſibi conciliat Dauid.* IGNAVORVM, & fugacium leporum eſt mortui leonis barbam vellere. Poſtremo quia ſciebat totum Iſraëlitarum regnum ſibi diuinitus deſtinatum, Iabeſitas qui trans Iordanem habitabant, erantque inter cæteros fortitudinis laude clariſſimi, vt hic ſcriptura ſignificat, & ſupra ex Ioſepho retulimus; [b] eorumque exemplum non parum ponderis habiturum videbatur ad reliquorum animos erga ſe inflectendos, Iabeſitas inquam ſibi amice conciliare voluit, vt ſuauius diuinum decretum executioni mandaretur. Ideóque non ſolum eis bene precatur, dignoſque iudicat quibus Dominus ipſe benignè faciat: ſed ſe quoque memorem fore tam ſancti operis pollicetur. Addit quoque ſe non ſolum electum, ſed vnctum etiam in regem, à maxima omnium & nobiliſſima tribu; ne ſcilicet eos pigeat tale exemplum ſequi. b n.161. l.6.ant.c. vlt.

CCIII. *Abner parum æquus in Dauidem, & cur.* ET res in procliui eſſe videbatur, niſi qui viuo Saule fuerat princeps militiæ, Abner obſtitiſſet; qui ſchiſmati in Hebræo populo initium dedit. 1. Siue enim exiſtimauit non pari ſe fore apud Dauidem poteſtate, qui ſuos iampridem haberet ſecum ex tribu Iuda cognatos & commilitones: 2. ſiue alieniore erat in eum animo, ex quadam inuidia ab eo tempore, quo poſuerat Dauidem Saul ſuper viros belli, [c] videratque acceptum in oculis vniuerſi populi: 3. ſiue oderat ob acrem & publicam male cuſtoditi regis reprehenſionem [d]: 4. ſiue conſtanti in defunctum regem fide, & in eius familiam amore, cui imperium conſeruatum voluit, monebatur; ſiue alia quapiam ex cauſa adductus fuit Iſboſethum regem conſtituit, Deo rebus aduerſis Dauidis virtutem perpetuo exercente. Hanc porro Iſboſethi regis creationem ſtatim à morte Saulis factam fuiſſe, teſtatur Ioſephus. [e] *Dat initiũ ſchiſmati.* Ait enim, cum primum agnouit Abner, cecidiſſe regem cum filiis, propere tuliſſe Iſboſethum, & periculo ereptum conſtituiſſe regem in Mahanaim trans Iordanem. Et celeritatem res exigebat, cum conſtaret principi militiæ, pronos eſſe omnium animos in Dauidem. c 1.Reg. 18.5. d 1.Reg.26. 16. e l.7.ant.c. 1.

CCIV. *An creatus rex tardius.* CAIETANVS tamen [f] exiſtimat non ſtatim à morte Saulis Iſboſethum factum fuiſſe regem. Idque probat ex eo quod Abner dixit ſenioribus Iſraël, [g] *Tam heri quam nudius tertius quærebatis Dauid, vt regnaret ſuper vos.* Id autem factum ait mortuo Saule, excitata diſſentione in regno; aliis, præſertim ſenioribus, optantibus regem Dauidem, electum à tribu Iuda: aliis regnum in tribu Beniamin, & familia Saulis conſeruare cupientibus. Addit præterea, fortaſſe Abnerem ad regnum aſpiraſſe; quod cum videret ſe aſſequi non poſſe, operam dediſſe vt Iſboſethus rex fieret. *An potius hoc ipſo tempore.* Nihilominus certior nobis videtur chronologia quam ſequimur. Nec verba illius loci arguunt ſeniores iſtos Iſraëlis deſideraſſe Dauidem regem, antequam crearetur Iſboſethus, ſed etiam poſt eum creatum indicaſſe, quonam animis propenderent. Præſertim cum viderent eximias Dauidis ad regnandum dotes; Iſboſethum autem experirentur bello parum idoneum, ideóque minus habilem ad defendendum populum à Philiſthæis. Adde quod non habet Caietanus in quem annum referat initium regni Iſboſethi. Denique chronologia Hebræorum ait quinque annis vacaſſe regnum Iſraël, vtique continentibus; alioqui bis vacaſſe dicendum eſſet. Ex quo plane conſequens eſt regnum Iſboſethi non fuiſſe dilatum. f in c.3.huius lib. g 2.Reg.3. 17.

CCV. *Nomen Isboſethi.*

NONNVLLA porro eſt in huius noui regis nomine diſſentio, quam alio quoque loco attigimus. Quem enim Iſboſethum Scriptura vocat hoc loco [a], cum Sulpitius Seuerus Iſbaalem, Theodoretus Miphiboſethum, [b] ſumpto vtique filio Ionathæ, pro filio Saulis, vocauit, aitque ab aliis interpretibus Iſbaalem dici; in quibus ſunt Hebræi cum Genebrardo. Imo Scriptura ipſa. [c] Nam in 1. Paralip. quartus filius Saulis dicitur Eſbaal iuxta Hebræos, pro quo Septuag. habent Iſbaal. Videtur autem proprium nomen eius fuiſſe Iſbaal, quaſi dicas vir dominans, qui tamen contemptim dictus ſit Iſboſeth, id eſt vir confuſionis. Sic filius Ionathæ primum dictus fuiſſe videtur Meribaal, [d] id eſt impugnatio Idoli Baal, vel dominantis. Deinde vero mortuo patre claudus effectus dictus videtur contemptim Miphiboſeth, id eſt oris ignominia vel confuſio.

CCVI. *Ope Abneris fit rex.*

QVOMODO vero ſuſcitatum ſit in populo regnum Iſraëlis, ab Abnere militiæ principe, Scriptura ſic narrat. *Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Iſboſeth filium Saul, & circumduxit eum per caſtra, regemque conſtituit ſuper Galaad.* In quibus erant Iabeſſeni: veritus fortaſſe ne hi ad Dauidem deficerent; à quo ſcire potuit legatione fuiſſe tentatos; in quibus aut retinendis, aut amittendis non leue duxit eſſe momentum ad ſummam rei. Conſtituit etiam eum regem ſuper Geſſuri. Hebraice Aſſuri, teſte Hieron. in tradit. quod ipſe explicat tribum Aſſer, Sept. & Chaldæo minimè repugnantibus. Dici etiam poteſt in regione Geſſuri, quæ regem habebat Tholmai, [e] qui poſtea Dauidis ſocer fuit, aliquam terræ illius partem ad Iſraëlitas, & nominatim ad tribum Manaſſe pertinuiſſe: aut vniuerſè iuri Hebræorum ſubiacuiſſe; vt ſolent plerique dynaſtæ in regno ſupremo principi parere; [f] caue autem putes eandem eſſe Geſſuri, cum ea in quam Dauid nuper populabundus excurrebat. Qua de re ſupra dictum eſt. [g]

CCVII. *Quibus regionibus præfuerit.*

REGEM quoque fecit ſuper Iezraël, id eſt tribum Iſſachar, in quorum ſorte latiſſima erat vallis Iezraël, habens à Septentrione montes Hermon, & à meridie montes Gelboë, iuxta topographiã Adrichomij. Denique ſuper tribum Beniamin, & Ephraim, & reliquum Iſraëlem. Nec mirum fuit Beniamitas nomen dediſſe filio Saulis, qui in eorum tribum regiam dignitatem inuexerat. Sed quid eſt quod per caſtra dicitur circumduxiſſe? D. Hieron. in tradit. Caſtrorum nomine oppidum trans Iordanem intelligit vocabulo Mahanaim, ab ipſo Iacobo patriarcha celebratum, [h] quod interpretatur Caſtra, vbi primum Iſboſeth conſtitutus ſit rex. Conſentit Abulenſis, [i] putat tamen probabilius, & Torniello probauit, nomine caſtrorum intelligi multitudinem exercitus congregati ad conſtituendum regem. Sed hi metu Philiſthæorum hoc tempore diſperſi erant, cuius rei ſignum haud obſcurum eſt, quod per varia loca Iſboſethus circumductus eſt. Eadem eſt Ioſephi ſententia. 17 Regia item biblia, ſicut & vulgata latina, Pagninus & Theodotion, proprium vrbis vocabulum, quaſi appellatiuum verterunt. Adde Theodoretum [k] *Abner*, inquit, *creauit regem Miphiboſeth.* Imo Iſboſeth, filium Saulis, quem alij interpretes vocant Iſbaal, *& relictis Rama & Gabaon Saulis habitaculis*; ſcribendum Gabaa, non enim habitauit in Gabaon, nec vna eademque eſt: ſed pergit, *tranſmiſit Iordanem, & qua vocabatur Caſtra, ciuitatem effecit regiam.* Hæc ipſe: fuit autem in tribu Gad, vt ait Hieron. in locis, ſeparata Leuitis in Galaaditide.

Manaim, ſiue Caſtra.

CCVIII. *Quandiu regnarit.*

MINIME autem leuis eſt dubitatio de diuturnitate regni Iſboſethi, eoque grauior quo apertius definita videtur à Scriptura periodus regni eius. *Quadraginta annorum erat*, inquit, *Iſboſeth filius Saul cum regnare cœpiſſet ſuper Iſraël*, regnare quippe cœpit ſtatim à patre mortuo, & natus fuerat anno primo, quo Samuel Hebræorum Rempublicam gubernare cœpit: perſpicuum id quidem. Hoc autem perobſcurum, *& duobus annis regnauit.* At videtur tandiu regnaſſe ſuper Iſraël, quandiu Dauid regnauit in Hebron, id eſt 7. annis cum dimidio. Nam ſtatim eo mortuo venerunt filij Iſraël ad Dauidem, & conſtituerunt eum regem ſuper vniuerſas tribus Iſraëlis; vt ſeries ipſa ſacræ narrationis exigit. Capite enim 4. explicata morte & ſepultura Iſboſethi, ſtatim capite quinto ſubditur legatio Iſraëlitarum ad Dauidem. Neque vero probabile eſt illud quinquennium, quo Chronicon Hebræorum vacaſſe ait regnum Iſraëlis. Quomodo enim hoc tempore, in quo Philiſthæi victores Hebræis imminebant, maxima populi pars ſine duce ac

[a] 2. Reg. 2. 8. 10.
[b] q. 8. in l. 2.
[c] c. 8. 33. c. 9. 39.
[d] 1. Para. 8. 34.
[e] 2. Reg. 3. v. 3.
[f] vide Abul. q. 11.
[g] ſupra n. 16.
[h] Geneſ. ca. 32. 1.
[i] q. 10.
17. χ. παρεμβολῶν.
[k] q. 8.
in græco eſt γαβαὼ· τὰ καλουμένας παρεμβολάς.

capite totum quinquennium, & eo amplius vixiſſet? Præſertim Dauide iam dudum imperium in nobiliſſimam populi partem tenente; Dauide viro fortiſſimo, diuinitus electo, & à multis iam annis omni populo vehementer dilecto?

CCIX *Videri 7. annis cum dimidio.*

DICENDVM itaque videtur Iſboſethum filium Saulis, Dauidis æmulum ſeptem annis cum dimidio ſuper Iſraëlem regnaſſe. Ita ſentit Abulenſis in hunc locum, [a] & alibi ſæpius. Hebræi quidam ante ipſum, quos ſequitur Genebr. l. 1. Chron. initio regni Dauidis, Serarius in c. 2. 2. Reg. Torniellus an. mundi 2980. n. 3. & quicunque annos ſcripturæ accuratius expenderunt; quibus adde Heluicum & Capellum ſectarios. Idque confirmatur ex eo, quod initio capitis tertij dicitur, factam fuiſſe longam concertationem inter domum Saul, & domum Dauid. Nimirum domum Saulis ſuſtentabat Iſboſeth ope Abneris; nec longa bellorum concertatio de biennio ſatis commodè dici videtur.

[a] q. 12 in c. 2. & q. 1. & 5 in ca. 5. 2. Reg. & q. 11. & 13. in ca. 9. l. 1. Reg.

CCX. *Nec repugnare Scripturam.*

NEQVE obſtat chronologiæ noſtræ, quod Scriptura duobus annis Iſboſethum regnaſſe ait, quod pleroſque ſcriptores reliquit ambiguos, & impediuit ne annos regni Iſboſethi definire auderent, vt Ioſephum, Gordonum, Adrichomium, Emanuelem Sa, & alios: nonnulli etiam nullam planè ipſius in chronologia rationem habuerunt, quod ſeries annorum ſatis in Dauide conſiſteret: non obſtant inquam duo illi anni Iſboſetho aſſignati; non enim ait duobus illum armis regnaſſe duntaxat, ſed regnaſſe duobus annis, antequam ſcilicet bella inter vtramque domum exorirentur, vt interpretatur Toſtatus; [b] affertque ſimile de Saule, qui itidem regnaſſe dicitur duobus annis, quem tamen certo conſtat longe diutius regnaſſe, cum S. Paulus ei 40. annos attribuat. Sed nimirum duos illos annos ſanctè, innocentérque traduxit, vt ex S. Hieronymo ſupra explicauimus, [c] reliquos non item. Primum porro Iſboſethi inchoare potuimus, ab hoc ſtatim tempore quo creatus eſt. Sed annos principum à dimidio annorum inchoare non ſolemus. Regni quoque Dauidis annos ad ſextum menſem diſtulimus, vt ipſius 40. anni integri eſſent, vt ante diximus. [d] Ponitur autem hoc regnum quaſi illegitimum, ſicut & regnum Iſraël poſt Salomonem, cum regni Iuda præcipua ratio habeatur.

[b] q. 1. in c. 5. 2. Reg. ca. 13.

[c] an. Saul. 3. nu. 1.

[d] hoc anno n. 167.

CCXI. *Qualis fuerit Iſboſethus.*

SVNT qui exiſtiment hunc Saülis filium minimè generoſum fuiſſe, aut bellicoſum; ideoque domi deliteſcentem; in bello cum patre & fratribus non fuiſſe; idque ſuſpicari non abſurdè licet ex cap. ſeq. [e] vbi acerbè eum verbis Abner exagitat; nec tamen præ timore mutire audet aduerſus eum. Ioſephus tamen eum cum patre in caſtris fuiſſe putat; vereor vt ſatis conſultè, & à militiæ principe periculo ereptum. Sic enim ait. *Interea Saulis copiarum præfectus Abenerus filius Neri, vir ſtrenuus, & ad magnas res obeundas natus; quamprimum cognouit cecidiſſe regem, & Ionathan, alioſque duos eius filios, proſperè in caſtra delatus;* aberat ergo, vel aufugerat princeps militiæ, quis hoc credat? ſed pergit, *reliquum ex omnibus filijs* Isboſthum, ſic enim vocat ſecutus Septuag. *periculo eripit & ſuperato vna cum illo* Iordane, *totius populi regem eum conſtituit.* Sed tribum Iuda nunquam habuit ſibi obſequentem, quæ ſibi Dauidem delegerat, atque vnxerat regem. 18.

[e] 2. Reg. 3. 8. 11.

ἐπείχθη εἰς τὴν παρεμβολήν.

18. ex.

SCHOLIA IN 18. ET VLTIMVM SAVLIS ANNVM.

1. N.XII. E Sectariis Lutherus in verſione ſua, Codomanus, Capellus, & miniſtri Caluiniani, in verſione ſua gallica bibliorũ anni 1588. licet in margine addiderint, quaſi diuerſam le-
2.N.XVI. ctionem, *quatre mois & quelques iours.*

Ex eo loco, inquit Ioſephus, Siceleg videlicet, *clancularijs excurſionibus Palæſtinæ gentis vicinos ſibi Sarritas, & Amalecitas infeſtabat, magnas iumentorum & camelorum prædas abigens.* Exiſtimo legendum Suritas, a nomine deſerti Sur, cuius meminit ſcriptura, eoque nomine a Ioſepho comprehendi Geſſuritas, & Gerzæos, quorum nulla hoc loco apud ipſum mentio.

3. N. XVI. *Machati* ait Hieron. in locis hebraicis, *vrbs Amorrhæorum ſuper Iordanem, iuxta montem Hermon, de qua exterminare non valuerunt filij Iſraël Machathæum.* Quæ conſentanea ſunt Scripturæ Deuter. 3. 14. Ioſue c. 12. 5. & c. 13. 13. vbi dicitur, *noluerunt que diſperdere filij Iſraël Geſſuri, & Machati, & habitauerunt in medio Iſraël, vſque in præſentem diem.* Vt mirũ ſit Abulenſem, q. 16. in c. 27. ſcripſiſſe Gerzi & Machati nomine tãtum differre, cum iſti, ſcriptura teſte in medio Iſraelitarum habitarent, Gerzei longe extra terminos eorum; Machathæi trans Iordanem ad orientem, Gerzei cis Iordanem ad meridiem. Nec omnino fieri potuerit, vt prędas egerit apud Geſſuri & Machati Dauid, quin prædas abegerit pene per totam latitudinem terræ Iſrael, quod nunquam auſus fuiſſet, ne in Saulis manus inter eundum ſæpius ac redeundum incurreret. Notauit quoque Torniellus.

4. N.XX. Situs Paleſtinæ non recte à Toſtato aſſignatur q. 24. in c. 17. in fine. cum ait eam fuiſſe meridianam reſpectu terræ Iudæ, & latus Septentrionale terræ Philiſthinorum fuiſſe latus meridinaum ſortis Iudæ. Verum Philiſthæos acolas fuiſſe mediterranei maris, omneſque ſatrapias eorum ad littus eiuſdem ſitas, proptereaque ad occaſum Iudæ fuiſſe, omnes topographicæ tabulæ clamant. Quin ex cap. 15. Ioſue perſpicue conſtat Idumæos à meridie Iudæorum fuiſſe, non autem Paleſtinos. Itaque non eſt mirum ſi in ſitu Geth & Siceleg, quod ad delatas à Dauide prædas attinet, hallucinetur.

5.N.XLIV. Toſtatus q. 4. in c. 29. non ſatis probabile affert etymon vocis ſatrapæ, cum ait ſatrapam dici quaſi ſatis potentem, at Perſas opinor Latinè non loqui; Nec magis probanda triumphi etymologia, a tris quod eſt tres, & phonos quod eſt ſonus, quod tres canebant, vel tripliciter canebatur ad laudem victoriæ. Sic ipſe q. 14. in c. 30. ſatius erat græcam vocem θρίαμβος agnoſcere, nec aliunde deducere.

6.N.LXVI. Hieronymus in tradit. in hunc lib. refert ex Hebræis hãc mulierem fuiſſe matrem Abner filij Ner, & propter eundem Abner, ne perimeretur cum cæteris pythoniſſis, abſconſam & reſeruatam fuiſſe. At Ioſephus longe aliter ſentit. l. 6. ant. ca. vlt. vbi ſemel atque iterum ſignificat mulierculam fuiſſe pauperem, quæ vnicum haberet vitulum domi a ſe educatum, & quotidianis operis victum ſibi pararet, & nihil præterea poſſideret. Et reuera iſtiuſmodi perſonæ pauperrimæ eſſe ſolent, & de fece plebis.

Hæc eſt ergo D. Auguſtini ſententia, ex certis & indubitatis eius operibus elicita. Nam 7.N.LXXIX.
liber qq. veteris & noui teſtam. qui habetur in appendice 4. tomi, eius non eſſe, ſicut neque opus de mirabilibus ſacræ ſcript. quod ad finem 3. tomi r iectum eſt, communis eſt doctiorum ſententia. Vt non mirum ſit in illis contrariam tradi ſententiam, in priori quidem opere. q. 26. ex veteri teſt. in poſteriori autem lib. 2. c. 11. quæ tamen loca in rectam ſententiam non difficulter adducemus.

Quidam pro hac ſententia D. Hieronymum laudant. Verum is numquam videtur hac de certi aliquid pronunciaſſe, vt patet ex comment. in ca. 7. Iſaiæ, & 13. Ezechielis: potiuſque pro contraria ſententia ſtare videtur; ait enim tantum viſam fuiſſe ſuſcitari. quaſi dicat non reuera id factum, ſed ad ſpeciem tantum externam. 8. N. LXXX

Pagninus vertit, *& feſtinauit Saul & cecidit plenitudo ſtaturæ eius in terram.* Putat Caietanus Saulem feſtinantem egredi de ſecreto loco, vbi mulier exercebat incantationes, cecidiſſe. Sed non fuiſſe mulierem in loco, in quo erat Saul, ſed a principio apparitionis Samuelis exiſſe, vt remotis arbitris poſſet Saul agere cum Samuele, ex eo colligitur quod mox ſubditur. *Ingreſſa eſt itaq. mulier illa ad Saul, &c.* 9. N.XCIV

Theodoretus. q. 64. *ducentos autem viros*, (ſic enim recte correctum eſt, cum ante legeretur, viros autem miniſtros, in græco enim eſt ὀλιγοψυχήσαντες non διάκονοι) *qui ex itineris curſu erant infirmi manſiſſe dicit Aquila.* S. tamen Hieron. in tradit. hebr. ait in codicibus latinis legi laſſos quoſdam ſubſtitiſſe ad ſarcinas: in Hebręo autem haberi iuſſos fuiſſe vt reſiderent ad ſarcinas; itàque legendum eſſe. Idque confirmat ex lege, quam poſt victoriam tulit Dauid, dicens. *Aequa pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas. Non ait*, inquit, *qui laſſi remanſerũt ad ſarcinas, ſed abſolutè remanentis ad ſarcinas: quia ſi laſſi remanſiſſent nulla eis deberetur de prædis portio.* Ita ibi, quod aſſerit etiam Caiet. verum qui hæc concilientur, & quomodo in hebræo habeatur in textu dixi, n. 105. 10. N.CV

Verba Ioſephi ſunt. *Itaque hoc ductore Dauid vſus ad perſequendos Amalecitas, aſſecutuſque eos in terram proiectos, & partim prandium ſumentes, partim iam temulentos, & rebus ex præda quæſitis ſe oblectantes ex improuiſo irruens, magnam eorum ſtragem edidit. Inermes enim, & nihil tale expectantes, & epulis tantum ac compotationibus intenti facile ab armatis conficiebantur. Alij enim inſtructis menſis* 11.N.CXII

accubantes, cruore appoſitos cibos inundabant, alij propinantes ſibi inuicem opprimebantur: nonnulli vero ſomno iam ac vino ſepulti, & ſi qui ſe interim armare potuerunt, non multo maiore negotio quam cæteri cadebantur. Durauit enim ea cædes à prandio vſque ad veſperam, vt ex omnibus Amalecitarum copiis, ægre quadringenti celeritate camelorum ab internecione ſint exempti. Hæc ille.

11.N.cxlii In hebræo eſt, *& ſupra*, ideoque Tigurina vertit; *fuit enim ab hac die, etiam olim conſtitutus hic mos.* Vbi Vatablus, *id obſeruatum fuerat ab initio mundi, vſque in eum diem.* Verum id refutat Abulenſ.q.17.in c.30. & ſupra recte explicari poteſt de temporibus ſuccedentibus, & quaſi ſuperuenientibus, itáque interpretati ſunt Septuag. habent enim ἐπάνω, quam vocem paſſim vſurpant pro deinceps, cum de tempore eſt ſermo, pro quo vulgata, habet, ſupra, v.g. à 20. annis & ſupra, &c. vide Num.1.3.4.14. 1. Reg. 16. 13. & cum ſpiritus Domini dicitur directus in Dauid à die illa, *& deinceps*, in Græco eſt ἐπάνω: in hebræo eadem vox quæ hoc loco.

12.N.cxlv. Quidam putauerunt Bethſan fuiſſe in regione Philiſthinorum, eo quod de muro eius vrbis, corpora principum illi ſuſpenderunt. Abulenſis exiſtimat fuiſſe in tribu Iuda.q.26. in c.31. at fuiſſe reuera in tribu Manaſſe cis Iordanem, ex Ioſue 17. 11.16. ſatis liquet. & clarius etiam Iud. 1. 27. eadem & Scytopolis dicta. vide Adrich. in Manaſſe 1.n.13.

13 N.cxlv. Aſſentior plane Marianæ exiſtimanti in hebræo pro Chor-haſan legendum Bor-haſan, quod ב in כ male mutatum fuerit, itaque legerint Hieron. in vulgata, & Sept. Eam tamen vocem in Septuag. non reperio. Bor autem puteum, lacum, ciſternam ſignificat.

14 Num. clxxii. Gladius enim in ſcriptura omne telorum genus comprehendit, vt paſſim cum minatur Dominus per prophetas, populum peſte, gladio, fame periturũ: & multos ait interfectos in ore gladij: & bellatores educentes gladiũ, &c. id genus; ſic & haſta pro ſpiculo, lancea, alióve telo; inde eſt quod Abſalon in latino tribus lanceis, in hebræo ſpiculis cõfoſſus dicitur, 2.Reg.18. 4. nihil ergo mirum dici Saulem modo gladio, modò haſtæ incubuiſſe.

Non enim ſtatim pectore aut ſtomacho perforato, neceſſario homo in terram corruit. Nam plerique viſuntur, qui traiecto opportunè corpore, multis annis ſuperuixere. 15. Ibid.

In prædictis porro Hieronymi verbis durius aliquid & deterius innuit, toties repetita pereundi vox, quam ſimplicem vitæ iacturam. Id ex eo fit credibilius, quod mox agens de Ionatha locutionis modum commutauit; ait enim. *O Saul Ionathas in excelſis tuis, id eſt, in peccato inobedientiæ tua occiſus eſt*; qui tamen de aliis ſociis Saulis paulo ante dixerat, eos cum Saule in peccato inobedientiæ periiſſe. 16.Num. CLXXIII.

Niſi quod pro Mahanaim habet Manalim, minime dubio errato; Septuag. Sixti habent *è caſtris in Manaïm*, vbi priora verba videntur ſuperflua. Vide ibi ſcholiaſtem latinum. Ratio porro & origo nominis huic oppido attributi, perſpicue habetur in Geneſi.c.32.1. Comeſtor, caſtra intellexit vbicumque erat diſperſus exercitus, ſed non admodum adhæret illi ſententiæ. l.2.Reg.c.3. cum ait per caſtra poſſe intelligi Manahim locum munitiſſimum. 17.N.ccvii

Poſſumus hoc loco ex S. Leone noſtram de Dauide firmare chronologiam, qui Serm. 16. de paſſ. Domini. *Nam rex Dauid*, inquit, *cuius ſecundum hominem ſemen eſt Chriſtus, diem crucis Domini mille, & plus quam centum annorum ætate præceſſit, & nihil eorum ſuppliciorum, quæ ſibi memorat illata perpeſſus eſt.* Si enim ad 1073. an- 1073
nos qui ad Chriſti ortum ſuperſunt addas vi- 33
tæ eiuſdem 33. fient 6. ſupra mille & centum,
vt S. Pontificis chronologia comprobetur. 1106

18.n.CCXI

ANNVS MVNDI 2980. DILVVII 1324. 5. ÆTATIS. 41.

EXITVS AB ÆGYPTO 437. ARCÆ IN CARIATH. 40.

Davidis, et Isbosethi 1. Abiath. Pontif. 6.

Troiæ excisæ 109. Dercylli 30.

Imper. Assyriorvm 1049.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1073.

I. *Duo reges apud Hebr. & vterque legitimus.*

CREATIS iam ante ſextũ circiter menſam duobus ſummis vnius eiuſdẽq. populi principibus, & quaſi duobus in eodem corpore capitibus, vterque, vt credere par eſt, rem ſuam non tueri ſolum, ſed etiam amplificare conabatur; nec tamen alteruter iniuſtus regni poſſeſſor aut erat, aut dici poterat. Nam Dauid diuina primum electione, tum primariæ partis populi voluntate, liberoque conſenſu rex creatus erat, atque inunctus: nec eum priore illo titulo munitum, ſucceſſionis recentis adhuc, imo nondum vſurpatæ rationem habere oportebat: præſertim quam ſciret à Deo in Saule proſcriptam. Iſboſethus autem vt legitimus Saulis filius, ius ad regnum paternũ ſucceſſione primum, ex iure gẽtium; obtinebat: deinde maximę partis populi voluntate, ſuffragijſque eiuſdẽ regni adminiſtrationem adierat: nec de diuina electione Dauidis, vt quæ clam facta fuerat, ei ſatis conſtabat, vt propterea illi acquieſcere, & regno cedere aliqua religione teneretur, vt fuſius diſputat Abulenſis. [a] Cum ergo principes ipſi bonæ fidei, ac legitimi iuris poſſeſſores eſſent, tanto magis vtramque populi partem à peccato immunem fuiſſe putandum eſt.

[a] q. 13. in c. 2. Reg.

II. *Dauid ordinat ſuam militiam. & cur.*

PORRO Dauid qui apud populum ignarum diuinæ electionis minus iuris ad regnandum habere putabatur, tanquam rex in ſchiſmate aut ſeditione creatus, in magna certe perturbatione Reipub. propter acceptam à Philiſthæis cladem, vt
regnum ſuum ſtabiliret, & haberet ſemper ad manum milites expeditos, [b] ſi 1
quando eum vel Amalecitæ, quos nuper afflixerat, vel Philiſthæi, quorum antiquum erat ac perpetuum in Hebræorum gentem odium; vel æmulus eius Iſboſethus, Abnere duce bello peterent, nequaquam imparatum inuenirent, ingen-
tem militum numerum, quos ei partim populoſiſſima tribus Iuda ſuggerebat, 2.
partim aliæ tribus, quæ eum ſibi ducem etiam viuo Saule delegerant, & conſtanter ei adhærebant, in certas claſſes diſtribuendum putauit: ſiue vt confuſio in
multitudine vitaretur, cui euitandæ apta & ſubordinata diſtributio ſeruiebat 3.
ſiue vt pluribus præfecturis, præfectiſque honorandis locus eſſet, quandoquidem multi de tribu Benjamin, & Gad, & Manaſſe, & maxime de tribu Iuda ad Dauidem iam ante aliquod annos venerant, qui prius centenis milleniſque præfuerant, vt ex 1. Paral. 12. conſtat. [c] quos decuit à Dauide, vel grati animi nomine, honorari.

[b] Vid. Abu q. 3 in c. 17. l 1. Paral.

[c] ca. 12. 14. 20. 21.

III. *Diuidit in turmas 12.*

PRIMARIA autem diuiſio fuit vt omnes in duodecim partes diſtribuerentur non pro ratione tribuum, id enim fieri non poterat, cum de aliquibus tribubus Dauid, aut paucos, aut forte nullos apud ſe haberet hoc tempore, ſed pro numero menſium, vt certus numerus ſingulis menſibus apud regem in armis eſſet; nec graue eſſet cuiquam menſe vno domo abeſſe, cui vndecim menſes tractandis negotijs domeſticis ſupereſſent. Itaque duodecim turmæ conſtitutæ ſunt, non quidem viginti quatuor millium ſingulæ, non enim à principio numerare potuit Dauid in ſuo exercitu duodecies 24. millia militum, ſiue 288. millia. ſed multo minoris numeri, qui tamen creſcebat quotidie, vſque dum fieret grandis numerus *quaſi exercitus Dei*, vt ſcriptura loquitur. [d] Itaque prout ſe quique in dies ad Dauidem conferebant, ita ad hanc aut illam turmam referebantur, donec expleretur in vnaque numerus 24. millium, qui numerus toto deinde regno Dauidis perſeuerauit: nec apparet à Salomone fuiſſe mutatum. Fuiſſe autem diuerſos

[d] 1. Par. 12. 22.

Earũ principes alij à principibus tribuum.

iſtos duodecim principes turmarum à duodecim principibus tribuum vel ex eo conſtat, quod illi ab his ſeorſim, per ſua quiq; nomina, numerantur. [a] & cum principes turmarum 24. millibus duntaxat præeſſent ſinguli, principes tribuum toti ſuæ tribui ſinguli præerant, in qua 40. aut 50. millia, aut plures etiam numerabantur. Illo denique numero ſoli milites, cuiuſcumque tandem tribus eſſent; iſto ciues omnes vnius eiuſdemque tribus, ſiue contribules continebantur.

IV. *Quæ militiæ ſubordinatio.*

NON habitam porro in hiſce duodecim turmis rationem tribuum, vel ex eo patet quod ex vna eademque tribu Iuda plures turmarum principes electi ſunt. Imo ſcribit Abulenſis, [b] & quaſi regulam tradit, omnes hoſce principes fuiſſe de tribu Iuda, exceptis iis quorum diuerſa tribus ſignificatur: principe videlicet tertiæ turmæ, ſeptimæ, nonę, & vndecimæ; quod mox viderimus. Ordo autem & ſubordinatio ſic habebat. Primum vt princeps militiæ ſub rege omnibus turmis præeſſet, puta Ioab apud Dauidem, Abner apud Saulem, & Banaias apud Salomonem. [c] adde Siſaram apud Iabin, & Sobach apud Adarezerd. [d] Ei ergo proxime ſuberant duodecim principes, quorum quiſque ſuum habebat Vicarium, quem præfectum videtur Scriptura appellare, [e] qui eo impedito, ipſius munere fungeretur; idque in aliquot turmis notatum eſt, vt idem de cæteris intelligeretur. Habebant ſecũdo ſub ſe Chiliarchas, ſiue tribunos 24. ſingulos millenis militibus præpoſitos, quæ fuit pridem dignitas Dauidis apud Saulem, [f] qui fecit eum tribunum ſuper mille viros. Tertio quiſq; tribunorum decem habebat centuriones: nam centuriones eodem loco Paralip. cum tribunis recenſentur, quorum quiſque centum milites habebat ſibi ſubiectos. Centurionibus autem quinquagenarii, & his Decani ſuberant, ex inſtitutione Moſis. [g]

V. *Prima turma, eiuſque princeps.*

DIGESSSIT porro Scriptura hos duodecim turmarum principes in eum qui ſequitur modum, quem eo libentius tradimus, quo minus à Carolo Sigonio [h] viro eximia eruditione atque diligentia, cum de Hebræorum militia ſcriberet aut traditus eſt aut obſeruatus.

PRIMO ergo menſe Niſan, in quo Paſcha, & feſtum Azymorum celebrabatur, cum populus pene vniuerſus Hieroſolymam confluebat, in armis erat apud regem Dauidem princeps primæ turmæ, nomine Ieſboam filius Zabdiel; eratq; de tribu Iuda, vt qui ad familiam Phares, ſicut Dauid ipſe, pertinebat; & hunc voluit eſſe principem cunctorum principum non authoritate & imperio, id enim pertinebat ad principẽ militiæ, quod Abulenſem præterit, [i] ſed vt arbitror, dignitate quadam, & iure præcedenti, non ſolum tempore, inchoabat enim annum, ſed etiam loco, cum res ferret vt plures conuenirent, ne qua inter pares æmulatio aut rixa naſceretur. Et fortaſſe etiam in ſequẽtibus turmis idem voluit obſeruari, vt ordo menſium ordinem præcedendi monſtraret. Dicitur autem Ieſboam filius Zabdiel, ad differentiam alterius Ieſboam, ſiue Ieſbaam (nam in hebræo eædem omnes ſunt litteræ) filij Achamoni, qui eſt princeps inter triginta fortes Dauidis. [k]

VI. *Secunda turma militaris.*

SECVNDÆ turmæ menſe Iiar princeps erat Dudia, ſiue vt eſt in hebræo Dodai, [l] in Sept. *Δωδία*. de quo nulla eſt alibi mentio. Fuiſſe autem hunc de tribu Iuda patria oſtendit. Dicitur enim Ahohites: fuit enim Ahohi oppidum in tribu Iuda, apud Adrichom. in eadem tribu. [m] Nam Eleazar vnus de fortiſſimis Dauidis, filius patrui eius, dicitũr Ahohites, [n] & pertinet ad familiam Iſai, vt ſupra oſtenſum eſt, [o] & confirmatur ex 1. Paral. c. 11. 12. vbi idem repetitur. Ex quo eodem oppido duo alii de fortibus Dauidis oriundi memorantur, Selmon, & Ilai. [p] Habuit autem hic Dudia Præfectum ſiue Vicarium turmæ ſuæ, nomine Macelloth, ſiue vt eſt in hebræo Micloth, vbi non partis huius turmæ, ſed ſimpliciter dux ſuper parte exercitus, ſiue turma 24. millium appellatur. Eundemq. vicarium Vatabl. interpretatur. Idque ex ſequenti turma confirmatur, in qua filius toti turmæ vice parentis præeſt. Nec probabilis eſt Abulenſis [q] dum iſtum Macelloth vult aliquot millibus in eadem turma præfuiſſe; id enim perturbaret concinnitatem ſubordinationis in hac turma, ſine vlla neceſſitate, vel fructu.

VII. *Tertia.*

TERTIÆ turmæ menſe Siuan princeps fuit Banaias de tribu Leui, erat quippe ſacerdos, & filius Ioiadæ ſacerdotis: qui hoc elogio celebratur, *Ipſe eſt Banaias*

a 1 Par. 27. 1. 16.
b q. 6. & 8. in c. 27. 1. Paral.
c 3 Re. 2. 35.
d Iud 4. & 2. Reg. 10.
e Toſtat. q. 7. in c. 27
f 1. Reg. 18. 13.
g Exod. 18. 21. 25.
h l. 7. de rep. Hebr. c. 9. & ſeqq.
i 1. Paral. 27. 3.
k q. 9. in c. 27
l 1. Par. 11. 12
m 1. Par. 27 4.
n num. 14. 2. Reg. 23. 9
o 2. m. 2969 n. 6.
p 2 Reg. 23. 28 & 1. Par. 11. 29
q q. 2. & 10.

fortiſſimus inter triginta, & ſuper triginta, ſed de his egregiis Dauidis bellatoribus alius erit nobis dicendi locus, ne longiores ſimus, & confundamus argumenta. Copioſius celebratur Bananias in l. 2. Reg. cap. 23. Præerat autem ipſius turmæ Amizabad filius eius, vicaria vtique præfectura, cum patrem abeſſe contigiſſet. a 3. Reg. 2. 35. Eum iam grandem natu conſtituit Salomon militiæ principem [a] habuit & alia officia apud Dauidem, vt ſuo loco dicetur.

Quarta. Quartæ turmæ, menſe Tammuz præfuit Aſahel frater Ioab, & ſcilicet Dauidis, ex Saruia ſorore, nepos, proptereaque de tribu Iuda etiam ipſe. Recte autem Abulenſis, & eum ſecutus Torniellus, hinc colligunt his ipſis initiis regni Dauidis has duodecim turmas inſtitutas fuiſſe. Mortuus quippe eſt Aſaël tertio anno Dauidis regnantis in Hebron, ex vulnere Abneris, quem pertinacius perſequebatur. [b] b 2. Reg. 2. 23. Cum autem dux eſſet quartæ turmæ, oportet eas ante illum annum fuiſſe inſtitutas. Vicarium habuit, & vt probabile eſt ſucceſſorem filium, qui hic dicitur Zabadias. Venit autem Azahel cum fratribus ad Dauidem inter primos, c 1. Reg. 22. 1 qui eum adierunt in ſpecu Odollam. [c]

VIII. *Quinta.* QVINTAE turmæ, menſe Ab princeps fuit Samaoth Iezerites, iuxta prædictã Toſtati regulam, eſt hic quoque dux de tribu Iuda. Dicerẽ potius pertinuiſſe ad tribum Gad, fuit enim Iezer ſiue Iazer ciuitas illius tribus, ſeparata leuitis, vt cõſtat ex 1. Paral. ca. 6. Quod ſi Iezerites patronymicum eſt familiæ Iezeritarum, verſ. 30. quæ memoratur 26. Numer. pertineret ad Manaſſæam tribum trans Iordanem. Verum hæreo propter cap. 12. primi Paral. vbi recenſentur viri egregii tam de tribu Gad, quam de tribu Manaſſe qui venerant ad Dauidem, cum eſſet in deſerto, & in Siceleg; vbi nullum reperio Samaothi veſtigium. Itaque quod ad eius tribũ attinet, libenter ſubſcripſerim, N. L. Eius vicarius prætermiſſus eſt, ſicut & in ſequentibus principibus.

Sexta. Sextæ turmæ menſe Elul, præfuit Hira filius Acces Thecuides. Nominatur d c. 23. 26. e c. 11. v. 28 hic idem in fortibus Dauidis, tam in 2. Reg. [d] quam in 1. Paral. [e] cum autẽ Thecua oppidum, vnde hic princeps oriundus fuit, reperiatur in tribu Iuda, vt placet f in lo. & in tr. Iud. n. 156. Hieron. & Adrichom. [f] perſpicuum eſt hunc principem ſextæ turmæ Iudæum fuiſſe.

IX. *Septima.* SEPTIMAE turmæ, menſe Tizri dux fuit Helles Phallonites, de filiis Ephraim, g c. 11. v. 27. h c. 23. 26. Phallonites quoque dicitur ſupra [g] in 2. autem Regum dicitur de Phalti, [h] quod oppidum mirum eſt ab Adrichomio prætermiſſum: ex quo etiam dicẽdus videretur Phaltites, vel Phaltonites. Verum eadem eſt in textu Hebræo diuerſitas, quam editio noſtra fideliter repræſentauit. Fuit autem hic quoq; in fortibus viris Dauidis, qui prædictis numerantur locis. De hoc Helles vide Hieron. in trad. i in cap. 11. hebraicis. [i]

Octaua. Octauæ turmæ menſe Marcheſuan Sobochai Huſathites præpoſitus fuit, in 2. Reg. c. 21. dicitur de Huſathi, quod oppidum quoque miſſum fecit Adrich. In 2. Reg. 23. dicitur Mobonnai, quod notauit Hieron. ibid. Cum autem dicatur de ſtirpe zarai, apparet ortum ex Zara fratre Phares, quem Iudas ex Thamare ſuſcek Gen. 38. pit; [k] & quod conſequens eſt, fuiſſe ex tribu Iuda; cui expoſitioni fauent hebr. textus, & Vatabl. ſicque oppidum Huſathi in tribu Iuda collocandum foret.

X. *Nona.* NONAE turmæ menſe Caſleu præfuit Abiezer Anathotites. Anathot oppidum fuit iuxta Ieroſolyma, iuris ſacerdotalis, in tribu Beniamin, vnde oriundus quoq. fuit Ieremias propheta, itaque & hic Abiezer dicitur fuiſſe de filiis Iemini, ſiue l 1 Par. 12. 3. Beniamin: nec tamen eſt idem cum Ahiezer, qui venit ad Dauidem in Siceleg, [l] licet tribu conueniant Beniaminitæ: Nam princeps turmæ nonæ habet in ſecunda ſyllaba beth ב in hebræo, alter autem chet ח, par quoque in græco eſt, latinoque differentia.

Decima. Decimæ turmæ menſe Teuet princeps fuit Marai, ſiue Maharai, vt in catam 2. Reg. 23 28. & 1. Par. 11 30. logo fortium vocatur, [m] vbi ex oppido Netophati in tribu Iuda dicitur Netophatites; pertinebat autem iſte quoque ad familiam Zarai; ex quo intelligitur vnam familiam ad plura oppida pertinere. Nec mirum, nam ingens fuit multitudo vrbium Iuda: familiæ autem in 26. Numerorum, [n] quinque tantum n 26 Num. 13. & 20. numerantur. Si quis tamen contenderet iſtum principem decimum, ſicut & octauum, ad tribum Simeonis pertinuiſſe, in qua erat vna familia Zarei-

tarum, ſicut in tribu Iuda, non facile erroris conuinci poſſet. Eodem enim plane modo vtraque familia ſcribitur.

XI. *Vndecima.* Vndecimam turmam menſe Scheuet moderabatur Banaias, alterâ duce turmæ tertiæ. Erat enim hic Ephraimita, illa leuita, hic oriundus ex oppido Pharaton, ex quo fuit olim Abdon Iudex. Numeratur autem hic quoque Banaias in fortibus Dauid, ordine 13. vt ſuo loco dicemus; & notauit Abulenſis hoc loco.[a]

Duodecima. Reliqua eſt duodecima turma menſis Adar, cuius princeps erat Holdai Netophatites; proptereaque de tribu Iuda, ſicut & Marai, ſed id etiam clarius agnoſcitur, ex eo quod dicitur fuiſſe de ſtirpe Hotoniel, quem minime dubium eſt fuiſſe Iudæum, ſicut & Calebum eius fratrem. *Quid in menſe decimo tertio.* Quoniam vero tertio fere quoque anno menſis decimus tertius veadar intercalabatur, dici poteſt eo anno duodecimum principem duobus mēſibus in ſuo munere fuiſſe, ne ordo turbaretur: idq; commodius erat, quam ſi vel primus ſeruiret menſe Veadar & ſecundus primo, & ita deinceps; aut ſi ille menſis decimus tertius in 12. partes quodammodo diuideretur, vt ſcilicet primus princeps eſſet in officio, vno menſe & 3. diebus; ſecūdus item vno menſe & aliquot diebus: qui modus videtur omnium incommodiſſimus, propter dierum inæqualitatem, quomodo enim 29. aut triginta dies in 12. partes æquales diuidas?[b] Poſſent tamen ita diuidi vt duodecim principes alternis præter menſem ſuum tres dies, & duos perſtarent in officio, primus videlicet adderet menſi ſuo tres dies, ſecundus duos, tertius tres, quartus duos, quintus tres, & ita deinceps. Vel vt ſex priorum quiſque tres dies adderet, ſex poſteriores quiſque duos, vel viceuerſa; ſed primus modus; vt dixi facillimus eſt, & commodiſſimus. Et hæc quidem ad militiam pertinent.

XII. *Dauidis prouidentia circa reditus regios.* Qvoniam vero *fruſtra ſunt arma foris*, vt ait Tullius, *niſi eſt concilium domi*, & bene conſtitutus ordo domeſticus index eſt bene adminiſtrandæ Reipub. minime dubitandum videtur quin Dauid, qui erat longe prudentiſſimus, dirigebat quippe eum ſpiritus Domini, rem etiam domeſticam pro præſenti rerum ſtatu eleganter digeſſerit. *Si quis enim domus ſuæ præeſſe neſcit*, vt ait Apoſtolus[c] *quomodo Eccleſiæ*, aut populo *Dei diligentiam habebit?* Eius rei indicia quædam, atque initia habentur in prædicto libro, & capite Paralip. quæ etſi magis ad illud tempus pertinent, quo Dauid vniuerſo Iſraeli præſidebat, hoc tamen tempore inchoata credere par eſt. Cum enim tota tribus Iuda, eligendo & inungendo in regem Dauidem, omnia ea iura in eum tranſtuliſſent, quæ Saulis regis in ea tribu fuerant, multos ſine dubio reditus, tributaque poſſidebat; oportuit itaque habere præfectos, qui illis regio nomine præeſſent, vt reditus in theſauros regios conferrent, vt eorum ope Dauid ſplendori regio par eſſe poſſet.

XIII. *An nobiles apud Hebræos tributarii.* Cvm itaque Hebræi tributa ſuis regibus penderent, & nominatim Sauli pependiſſent, eadem nunc Iudæi Dauidi penſitarunt; & quidem nullo nobilium aut ignobilium diſcrimine vt putauit Abulenſis,[d] ex eo quod Saul vniuerſe edictum poſuit, vt qui Goliathum ſingulari certamine vinceret, obtineret domui ſuæ immunitatem à tributo, quam ſi qui iam haberent, nullo emolumento ad hoc facinus prouocarentur.[e] Verum niſi valde fallor, fallitur Abulenſis. Non enim id vnum præmium immunitatis edicto regio continebatur; ſed addebatur etiam victorem ditatum iri diuitiis magnis, & regia affinitate honorandum. *Saltem non videri.* Vt ſententia eius decreti fuerit; Victorem Goliathi immunem fore à tributis, ſi forte iis penſitandis eſſet obnoxius, ditatum iri magnis diuitiis, & generum regis fore, quæ duo in omnes cadere poterant.[f] Et certe ſicut hoc facinore victori immunitas vectigalium dabatur, ita & priorib. ſeculis à principib. Reip. fieri potuit, vt aliis viris fortibus, ob res præſertim fortiter in bello geſtas, eadem immunitas in præmium data eſſet, quæ in vltimam vſque poſteritatem propagaretur: ſicque multi iam eſſent, qui tributis non eſſent obnoxii. Præmia porro fortitudini dari ſolita, argumento eſt Iephte principatus,[g] & oblatum Gedeoni dominium,[h] & ſummus magiſtratus Samſoni collatus,[i] qua de re conſule ſi placet, quæ in ſecundo tomo anno Samſonis tertio diximus.[k] Vt ſacerdotium Phinees, & Ioſue & Calebi præmia diuinitus data omittamus, Sed redeamus ad Dauidem.

a q. 2. in c. 27. 1. Par.
b vide Abul. q. 4. in c. 27. 1. Par.
c 1. Tim. 3. 5.
d q. 28. in c. 27. 1. Par.
e 1. Reg. 17. 25.
f vide ſupra a. m. 2971. nu. 3.
g Iud. 11. 9. 10.
h Iud. 8. 22.
i Iud. 15. 20.
k an. m. 2882. n. 1. & 2.

Dvo is genera reditum habuiſſe iam hoc tempore videtur, alterum ex tributis, & vectigalibus tribus Iudæ, quæ deferebantur nunc quidem in Hebron, poſtea vero in Hieruſalem, de quibus accipio cum Abulenſi illud, [a] *ſuper theſauros autem regis fuit Aſmoth filius Adiel* Erat hic de tribu Beniamin cuius filij duo iãdudum venerant ad Dauidem in Siceleg, [b] vtique cum patre, vt videtur, niſi forte pater tantiſper retentus eſt, Saulis metu, dum ille paulo poſt in Gelboë mortuus eſt hinc autem etiã ratio temporis confirmatur. Cæterũ dum eximiam fiduciam ſuam oſtẽderet Dauid in eos, qui ex inimica tribu eſſent, ſicut & in diſtributione principatuum in turmas bellicas; eorum animos ſibi valde deuinciebat, & regii cordis latitudinem præ ſe ferebat, quæ omnes amplecteretur prouincias, nec vnius Iudçæ finibus coërceretur. Porro iſte Azmoth in fortibus Dauidis numeratur, [c] 1. Par. & 2. Reg. 23. diciturq. oriundus ex oppido Beromi, vel Bauromi, in tribu Beniamin. [d] Pro Azmoth autem Hebræi dicant Azmaueth motionibus mutatis, retentis iiſdem elementis.

[a] 1. Par. 27. 25.
[b] 1. Par. 12. 3.
[c] 1. Par. 11. 32.
[d] Adrich. n. 31. in ead. tribu.

XV. *Quæſtor prouentuũ.*

Alterum redituum genus proueniebat ex opere ruſtico, & agricolis, terræ fructibus, diuerſiſque pecoribus, & omnino ex ſubſtantia regis, vt Scriptura loquitur; [e] cui decem viri præpoſiti erant diuerſis in locis, qui in textu nominantur. Illis autem omnibus præerat vnus, nomine Ionathan, filius Oziæ, qui collectis inde pecuniis, & in vrbibus vicis, turribus, conſeruatis, præfectus erat quæſtor. Erat autem pater eius Ozia, vnus de fortibus Dauidis, qui dicitur Aſtarothites, [f] oriundus nimirum ex Aſtaroth vrbe leuitica in tribu Manaſſe trans Iordanem. [g] de qua vide Adrichomium in eadem tribu. [h] Hoſce autem omnes fuiſſe viros honoratos, & aliis quoque dignitatibus inſignes, ex initio capitis vigeſimi octaui oſtendi putat Abulenſis, [i] vbi cum primariis viris à Dauide conuocantur, & tribuni, ac centuriones appellantur. [k] *Conuocauit*, inquit, *Dauid omnes principes Iſrael* Quos autem principes? *duces tribuum & præpoſitos turmarum, qui miniſtrabant regi; tribunos quoque & centuriones, qui præerant ſubſtantiæ, & poſſeßionibus regis*, Verum omittit Toſtatus particulam *&* quæ in omnibus linguis habetur, qua tribuni & centuriones ab his quæſtoribus diſtinguntur. Legitur enim *& centuriones, & qui præerant ſubſtantiæ regis*, quos 70. vocãt γαζοφύλακας. Primarios nihilominus viros fuiſſe ex eo liquet, quod in principibus Iſraël numerantur, & principibus tribuum, & turmarum aggregantur.

[e] 1. Par. 27. 31.
[f] 1. Par. 11. 44.
[g] 1. Pa. 6. 71
[h] n. 19.
[i] q. 30. in c. 27. 1. Par.
[k] 1. Par. 28. 1.

XVI. *Conſiliarij Dauidis* 1. *Ionathã.*

Habvit & conſiliarios Dauid ad manum, viros prudentes & eruditos, legiſque ac rerum ſacrarum peritos. In his principem locum tenuit Ionathan frater Iſai, & patruus Dauidis, quem Septuagin. vocant πατράδελφον. Is cum fratre apud Dauidem à principio fuit inter eos vtique, qui ad Dauidem confugerant in ſpeluncam Odollam. Cum enim illic eum latere didiciſſent, fratres Dauidis, & omnis domus patris eius deſcenderunt ad eum illuc, vt ait Scriptura. [l] Is ergo rerũ vſu atque experientia propter ætatem præſtans, & propter generis propinquitatem, & probatam vitæ conſuetudinem fidelis, primus in regio conſilio cenſebatur. Erat porro hic Ionathan non ſolum prudens ea prudentia quam naturalis conſtitutio, & rerum vſus ſuggerebat; ſed ea quam ex literaria eruditione, & diuinæ legis ſcientia hauſiſſet; in hebræo enim textu ſcriba vocatur, quod nomen doctoribus legis tribuebatur. Ergo eius conſilium non poterat non eſſe præſtantiſſimum, quod & rectæ rationi, & diuinæ legi eſſet conſentaneum, & propter generis propinquitatem, qua Dauidi erat inſtar patris, egregiè fidele.

[l] 1. Reg. 22. 1
ſophet

XVII. 2. *Iahiel, idemq. doctor filiorũ regis.*

Consiliarivs etiam Dauidi fuit Iahiel filius Hachamoni, [m] qui videtur fuiſſe frater Ieſbaam, qui princeps inter triginta memoratur: dicitur enim vterque filius Achamoni. Quod ſi ita eſt (nam diuerſi eodem nomine appellari potuerũt) beatus in filiis dici potuit hic Hachamoni, qui duos haberet filios alterum fortitudinis, alterum prudentiæ laude clariſſimum; & vtrumque regi chariſſimum, atque intimũ. Porro ex hebræo textu non ſatis cοnſtat, an hic Iahiel ſolus eſſet cum filiis regis, an cum ipſo etiam Ionathan. Nam vox *ipſe* referri poteſt ad Ionathan, vt dicatur ſcriba ipſe; ibique adhibeatur interpunctio, quo modo legitur in bibliis regiis, quo modo legit & Hieron. in tradit. hebraicis, in cap. 27. 1 Paral. & Septuag. Referri etiam poteſt ad ſequentia, quomodo retulit idem Hieronymus in editione vulgata. Dici poteſt peculiarem filiorum regis curam cõ-

[m] 1 Par. 11.

miſſam fuiſſe Iahieli, ita vt Ionathan propter perſonæ dignitatem, ſuperiorem quandam haberet curam. Itaque huic Iahieli inſtitutio liberorum regiorum commiſſa erat, quem propterea Vatabl. Emanuel Sa, & Mariana vocant pædagogum filiorum regis, quæ eſt ſententia Hebræorum apud Lyran. cui tam ipſe, quam Abul. ſubſcribunt. Cum autẽ nondum nati eſſent filii Dauidis, erat tantũ in eius conſiliarius, cui officio poſtmodũ illud alterum adiunctum eſt. Salomonis tamen doctorem plerique Nathanem prophetam putant, vt ſuo loco dicetur. [a]

XVIII. 3 *Achitophel.* ACHITOPHEL etiam conſiliarius regis fuit, & quidem omnium prudentiſſimus, adeo vt hoc ei à Scriptura [b] tribuatur elogium, *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum, ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalon.* Cum autem eſſet hic de tribu Iuda, in ea enim erat Gilo, ex qua ipſe, & filius eius dicti ſunt Gilonitæ, [c] videtur ab ipſis regni huius initijs adhæſiſſe Dauidi. Habebat & filiũ nomine Eliam, qui in fortibus Dauidis numerabatur; cuius filia fuit Bethſabee vxor Vriæ, 2.Reg.c.11.v.3. qui tamen 1.Par.c.3. 4. dicitur Ammiel. Verum de eius conſiliis alius erit dicendi locus.

4 *Chuſai regis amicus.* Quartus regis conſiliarius fuit Chuſai, quem Scriptura [d] ſæpiſſimè vocat amicum Dauid, quod ſingulari cum beneuolentia proſequeretur, eique eſſet familiariſſimus, Septuag. ἑταῖρον vocant; vulgò *mignon.* Ita Salomonis amicum legimus [e] Zabud filium Nathan. Dictus videtur ab vrbe Arachin quam Phœniciæ vrbẽ eſſe vult Adrichomius [f] vltra Tripolim ſitam, ad radices Libani, & Antilibani, cuius eſt crebra apud Ioſephum mentio Inde fortaſſe oriundus, aut illius ciuis aliquando fuerit, & factus proſelytus tranſierit ad Iſraëlitarum coloniam, qua de re rurſum infra anno Dauidis trigeſimo, numer. 31. & ſeqq. Sic Vrias dictus eſt Hethæus, & Obededom Gethæus, & Ethæi Gethæus, & Doëg Idumæus.

XIX. 5 *Ioiada..* QVINTVS conſiliarius Dauidis fuit Ioiada filius Banaiæ, illius qui in ſecunda triade fortiſſimorum numeratur ſecundus, & fuit Dauidi à ſecretis. vt in 2.Reg. & 1.Paralip. ſcriptum eſt. [g] Habuit hic Ioiada auum ſibi cognominem, Banaias quippe filius Ioiadæ nuncupatur. Quod autem dicitur poſt Achitophel, nimirũ conſiliarius, dubitationem habet: nam illud *poſt* Lyranus & Mariana ad tempus referunt, vt ſcilicet factus intelligatur Dauidis conſiliarius, poſt mortem Achitophelis. Abulenſis autem, cui [h] potius aſſentior, refert ad dignitatẽ, volens ſcilicet fuiſſe hunc Ioiadam eodem tempore conſiliarium cum Achitophele, ſed illi imparem opinione prudentiæ. Idque ſuadet quod non videtur vllo modo probabile Dauidem ad annos 30. eo ſiquidem anno [i] mortuus eſt Achitophel [i] diſtuliſſe adhibere conſiliis ſuis Abiatharem pontificem, perpetuum laborum ipſius comitem: nam illa particula æque ad Abiatharem ac Ioiadam refertur. Fuerunt ergo ambo in conſiliariis regis, Achitopheli tamen vt ætate, ſic & ſapientiæ laude cedebant.

XX. 6 *Abiathar, idemq. pontifex.* SEXTVS denique conſiliarius fuit Abiathar ſummus ſacerdos: quem par fuit regiis intereſſe conſiliis, cum per eum Dauid Dominum in pontificia veſte conſuleret; fieretque neceſſariò regiorum negotiorum ac ſecretorum particeps. Neque vero exiſtimandum eſt Abiatharem minore in pretio fuiſſe apud Dauidem, quod hic vltimò nominetur. Nam etiam poſt eum nominatur Ioab, qui princeps Dauidicæ militiæ fuit; quæ fuit proxima à rege dignitas. Exercuit autem in Hebrone ciuitate munera pontificia, quamuis arca eſſet adhuc in Cariathiarim; interim dum Sadoc in Gabaone ad Tabernaculum tanquam vicarium pontificis ageret. Ex hac autem mora regis ac pontificis cum veſte pontificia in Hebrone ciuitate, non parum illi religioſæ dignitatis acceſſit, quam Abſalon ad obtegendam coniurationem ſuam, quaſi prætextum accepit, cum ſe velle reddere vota ſua in Hebron, [k] apud Dauidem mentiretur.

Ioab princeps. DENIQVE Ioabum, cum eſſet princeps exercitus regis, eiuſque ex ſorore nepos, & alioqui vir fortiſſimus, nec facile cuiquam rerum gerendarum prudentia cederet, non immerito regio conſilio interfuiſſe putandum eſt, ſed ei nomen à potiori dignitate tribuitur.

Adiungi his poſſunt rerum domeſticarũ præpoſiti, iiq. nõ pauci, in ea familia, in qua duæ reginæ numerarentur, ſed de his alius erit poſtea dicendi locus.

a 2o Dau. d 17 n.6. & 7.
b 2.Reg.16 23.
c 2.Reg. 23. 34.
d 2.Reg. 15. 37. c. 16.16. 17 1.Par.27 33.
e 3.Reg. 4.5
f in loc. ext. n 9.
g 2.Reg.23. 23. 1.Par. 11.25.
h 1.Par. 27. in text.
i Vide ann. Dau 30. n. 78. & ſeqq.
k 2.Reg 15 7.8.

ANNVS MVNDI 2981. DILVVII 1325. 5ᵉ. ÆTATIS. 42.
EXITVS AB AEGYPTO 438. ARCÆ IN CARIATH. 41.
Davidis, et Isbosethi 2. Abiath. Pontif. 7.
Troiæ excisæ 110. Dercylli 31.
Imper. Assyriorvm 1050.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1072.

I. *Alter annus Dauidis quietus,*

FVit hic quoq; annus inter vtrumque Iſraëlitarum regem quietus: quieſcentibus etiam, diuina prouidentia, quantum quidem ex ipſa Scriptura cognoſci poteſt, per quam opportunè Philiſthæis, & populo Hebræorum tempus colligendi ſe, ac reſumendi ex clade & pauore animos, imprudenter concedentibus; quos facilius nunc erat in duo regna, regeſque diſtractos opprimere, quam ſub vno principe, armis probè animiſque iunctos, ac conſentientes labefactare.

Augetur eius familia

a Cõſentit Abul. q. 1 in c. 3. 2 Reg.

Poſſumus & ad hunc annum meritò referre incrementa, & quaſi interiora firmamenta Dauidicæ familiæ, [a] quæ in multiplici prole conſiſtit. Imperium enim admodum nutare neceſſe eſt, quod vno duntaxat capite nititur; quod, ſi quo forte caſu, vt ſunt in vita humana innumerabiles, deiectum conciderit, illico ruinam minantur omnia; improba ambitione, quaſi quadam ex inferis furia, ſeditionibus excitandis validè incumbente. Vice autem verſa vt pluribus columnis firmata domus, & pluribus arbor nixa radicibus, & ciuitas pluribus munita propugnaculis, ita familia pluribus firmata, nixa, munita liberis, longinquam ſibi meritò poteſt diuturnitatem polliceri: quantum quidem humanitus fieri poteſt.

b 2. Reg. c. 3. v. 1

II. *Et roboratur imperium filiis.*

HOc ſine dubio Scriptura ſignificat, cum tertio cap. libri ſecundi Regum [b] ait in longa concertatione, quæ facta eſt inter domum Saul, & domum Dauidis, Dauidem profeciſſe ſemper, & factum ſeipſo robuſtiorem, domo Saulis quotidie decreſcente; in cuius rei probationem recenſet filios, quos ſuſcepit Dauid in Hebrone, quibus ipſius familia roborabatur: quibus ſimul Dei beneuolentia in Dauidem oſtendebatur; quoniam eo tempore, & in lege Moſaica filiorum multitudo felicitati, ſterilitas magnæ miſeriæ tribuebatur. Hinc illa, *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ,* [c] &c. Etſi autem quo quiſque anno natus ſit certo definire non poſſumus; ſed tantum ſex filios Dauidi natos eſſe ſeptem annis, [d] quibus Dauid manſit in Hebron: non temere tamen exiſtimari poteſt duos filios de duabus vxoribus hoc circiter anno natos eſſe; poſt initum iam ante aliquot annos coniugium, fuitque primogenitus eius Amnon, de Achinoa Iezraëlite; ſecundum autem filium ſuſcepit ex Abigaile, dudum Nabalis vxore, qui in libris Regum dicitur Cheleab, [e] in priore autem Paralip. dicitur Daniel, [f] qua in mutatione nominis Hebræi de more nugantur. 1

c Pſ. 127. 3.
d 1. Par. 3. 4.

Primogenitus,

Secundus,

e l. 2 c 3. 3.
f 1. Par. 3. 1
1. ℞.

III. *Cur tertiã vxorem duxerit.*

g a. m. 1977 n. 50.

SVſpicari autem licet vtramque harum mulierum, & tardè parere cœpiſſe, & cito deſiiſſe. Nam quintus hic annus eſt, ex quo duxit Dauid Abigailem, Achinoam vero aliquanto ante duxerat, vt ſupra diximus. [g] Et tamen nunc primum peperere, nec deinceps vlli earum liberi memorantur. Quæ cauſa fuerit fortaſſe Dauidi, vt tertiam duceret vxorem Maacha filiam regis Geſſur; huius tamen affinitatis contrahendæ alia cauſa occurrit, quam vidit etiam Caietanus. Memento enim prudens lector Abnerem conſtituiſſe regem Iſboſethum ſuper Galaad, & ſuper Geſſuri, & ſuper Iezraël. Itaque Dauid ineundo affinitatem cum Tholmai rege Geſſur, voluit æmulo ſuo Iſboſetho vicinum aduerſarium

hoc tempore.

ſuſcitare: erat enim Geſſur prouincia vicina Manahem, vbi regnabat Iſboſeth, & ſibi amicum in omnem euentum quærere apud eumdem æmulum. Nam quod Abulenſis [a] hanc Geſſur confundit cum ea, in qua prædas agebat Dauid, [b] cõſtanter ille quidem facit, non tamen rectè, vt ſupra declaratum eſt.[c] Suadet autem hæc ratio vt credamus hoc anno, aut etiam præcedenti fortaſſe, haſce nuptias coaluiſſe.

IV. *An ſine culpa alienigenam.*

MIRVM nihilominus videtur hanc mulierem alienigenam à Dauide in vxorem acceptam fuiſſe, quod in lege Moſis ſæpius fuerat interdictum: præſertim cum iſti Geſſuritæ intra Chananitidem habitarent. Dicunt Hebræi apud D. Hieronym. in traditionibus hebraicis, [d] Maacham à Dauide in prælio captam, & cæſarie, & vnguibus præciſis iuxta legem, [e] eam vxorem ſibi ſociaſſe, ex eaque Abſalonem, & Thamarem ſuſcepiſſe. Mirum eſt non addidiſſe Rabinos placuiſſe illam Dauidi propter pulchritudinem, cuius eſt in eadem lege mentio, & confirmare poterant ex Abſalonis & Thamaris pulchritudine, quam ipſa Scriptura celebrat. Verum hoc prælium cõtra Geſſuræos pro arbitrio excogitatum eſt; & quamuis vtramque Geſſurim cum Toſtato confunderemus, certum nihilominus eſt Dauidem, nullum virum aut mulierem captam ſeruaſſe, [f] ſed omnes interfeciſſe, cum ex Sicelec populabundus excurreret. Adde quod fuiſſet hoc matrimonium violentum, neque valuiſſet ad finem quem reſpiciebat Dauid in hac affinitate contrahenda, ſed ad augendas potius Iſboſethi vires.

V. *Quatenus id lege qui prohibitũ.*

RECTIVS ergo Caietanus hoc loco, & ante eum Abulenſis, [g] negant in lege Moſis vniuerſe prohibitum coniugium cum ethnicis, ſed duntaxat cum illis ſeptem nationibus habitantibus in terra promiſſa: quas Dominus deleri iuſſerat. [h] In iis autem non comprehenditur Geſſur; vt colligitur ex libro Ioſue. [i] Rationi quoq; conſentaneum eſt exiſtimare conueniſſe inter Dauidem ac puellam iſtam, vt ipſa ad veri Dei cultum, & Iudæorum religionem tranſiret: nec periculum fuiſſe ne ab illa ad cultum idolorum vir ſanctus, ac Deo plenus traduceretur: quæ tamen cauſa præcipua fuit prohibendi huiuſcemodi connubia, vt ex ipſa lege conſtat. [k] Ceſſante itaque illa diſparitate cultus, quæ matrimonia impedire ſolet, & Geſſuri ad fines Chananæorum, aut certe ad Chananæos populos non pertinente; planum eſt hoc coniugium non male initum fuiſſe. Itaque neque eam ob cauſam vnquam reprehenſus fuit. Sed age, quoniam in curſu iam ſumus, reliquas Dauidis, vxores, filioſque in Hebrone ſuſceptos pertexamus; cum præſertim ad quem annum nominatim aut matrum nuptiæ, aut filiorum ortus pertineant, ignoremus.

Reliquæ Dauidis vxores.

VI. *Quarta vxor, & quinta cum filiis.*

QVARTVS Dauidis filius fuit Adonias filius Haggith, vir ambitioſus & callidus, qui ſub extrema Dauidis tempora plurimos ſibi ad inuadendum regnum Dauidis conciliarat, ſed exitu malo, ſicut Abſalonem fratrem male fuerat imitatus; quæ autem fuerit hæc mulier non inueni qui traderet. Eam Ioſephus Angitem appellauit. Quintus fuit Saphatia filius Abital, obſcura mater, nec notior filius. Incidit porro Toſtatus in deprauatos libros, cum pro Abital legit Abigail, cui duos tribuit filios, ſecundum, & quintum. Nam in omnibus hebræis, græcis, latiniſque codicibus, [l] tam in ſecundi Regum tertio, quam in 1. Paral. conſtanter legitur Abital, nec vſquam Sapphatia dicitur filius Abigail. Grauius eſt etiam erratum apud Ioſephum in verſione Rufini; ſic enim habet, *Quintum habuit de Sapphatia filium Abital, ſextum Iethram de Egla natum denominauit.* Vbi vides mirabili metamorphoſi filium mutatum in matrem, & matrem vice verſa in filium. At in verſione Gelenii magis etiam deprauatus eſt hic locus. Nam ſic habet πέμπτον δὲ, καὶ ἕκτον Γεθεσὰν, καὶ Γάλα ἐπωνόμασε. *Quintum vero & ſextum Gertheſan, & Galam nominauit* Vbi ſane deeſt quintus filius cum matre ſua; ſextus autem eiuſque mater in duos filios transformati ſunt. Nam Gertheſan ex Iethrahan, & Gala ex Egla deformata ſunt.

Emendatur Ioſephus.

XII. *Sexta putatur Michol.*

SEXTVM ergo ſuſcepit filium nomine Iethraham de Egla vxore ſua. De hoc autem Dauidis filio, ſicut & de Saphatia, nihil præter nomen habetur in Scriptura. Neſcio autem vbi apud Ioſephum legerit Comeſtor, & eum ſecuti Lyranus, Abulenſis, Dionyſius. Hunc Ietraham ab ipſo vocari Natham; qui non in Hebron natus eſt, ſed Hieroſolymis, neque ex Egla, ſed ex Bethſabee, vt ex

[a] q. 3. in c. ... [b] 1. Re. 27. [c] a. m. 2979. n. 16
[d] in 2. Reg. c. 13. [e] Deut. 21. 10.
[f] 1. Reg. 27. 9. 11.
[g] q. 4. in c. 3. 2. Reg.
[h] Deut. 7. 2.
[i] c. 12. 4. 5. & c. 13. 11.
[k] Deut. 7. 4.
γυναικὸς Ἀγγίτης.
[l] 2. Reg. 3. 4. & 1. Par. 3. 3.

Scriptura conſtat. [a] De iſta vero Egla nonnulla eſt controuerſia. Permulti enim ſecuti traditiones Hebræorum apud Hieronymum, vnde & gloſſa deſumpta eſt, & in iis Angelomus, Lyranus, Dionyſius, Caietanus aiunt Eglam fuiſſe Michol filiam Saulis, quæ vocetur Egla, id eſt vitula, quia illi data fuit in iuuentute, & ab eo valde dilecta; ideoque eam Dauid per modum blandientis Eglam vocarit, quomodo & Samſon vxorem ſuam. [b] Licet enim etiam reliquæ eſſent Dauidis vxores, quia tamen hæc prima omnium fuit, & dilecta præ omnibus, vt quam etiam ab altero ductam repetierit, vt poſtea dicetur, præ omnibus vxoris nomẽ accepit. Sic Ioab Rachelem vocat vxorem ſuam, [c] licet Liam quoque duxiſſet, & quidem prius; Sed Rachelem primùm vxorem ſibi animo deſtinarat, maximeque dilexerat. *Vos ſcitis*, inquit, *quod duos genuerit mihi vxor mea. &c.*

a 1. Reg. 5. 14. & 1. Par. 3. 5.
b Iud 14. 18
c Gen. 44. 27.

VIII. *Aliis improbãtibus.*

Svnt tamen qui Eglam hanc aliam à Michole putent, in quibus Comeſtor in hiſtoria ſcholaſtica, [d] Abulenſis, [e] Pineda, [f] Vatablus, Emanuel Sa, Serar. Mariana, licet non clarè proferat ſententiam ſuam. Probantque ex eo maxime quod Michol ſterilis fuerit, vt ex ſequentibus [g] conſtat, Egla vero fœcunda. Reſpondet in illis traditionibus Hieronymus, & iuxta eas, Micholi non fuiſſe quidem natum filium vſque in diem mortis ſuæ, vt Scriptura loquitur, at in die mortis ſuæ peperiſſe Iethraham, & ex dolore partus, vt olim Rachelem, occubuiſſe. Alij aiunt non peperiſſe quidem Micholem ex quo Dauidem irriſit, peperiſſe autem antea. Verum conſtat Eglam Hebrone peperiſſe Iethraham, quod Micholi contingere non potuit, quæ reducta eſt ad Dauidem ſub ipſum tempus diſceſſus eius ex Hebrone Hieroſolymam. Itaque ſi peperit, Hieroſolymis peperit: at nos agimus cum Scriptura de filiis Dauidis Hebrone natis. Nam quod aiunt rediſſe Hebronem vt pareret, commentitium eſt, nec vlla probatione firmatum.

d l. 2. c. 4.
e q. 5 in c. 3
f l. 7. de Salom. c. 5.
g l. 1. Reg. c. 6. 23. Abulenſ.

IX. *Authoris ſententia.*

Mihi ſane multo probabilius videtur aliam fuiſſe Eglam à Michole: Hiſtorica enim narratio, qualis eſt horum librorum, & Paralipomenon, planam & cuique obuiam verborum ſignificationem & vſum requirit, non iſtam callidam, & figuratam dictionem, ſimplicitati ſacræ hiſtoriæ parum conſentaneam, ad quam niſi vrgente neceſſitate recurrendum non eſt, quæ hic nulla eſt. Saltem quæ vno loco figuratè Egla vocata eſt, altero explicandi cauſa vocaretur Michol, vt in ſecundo filio Dauidis obſeruatum videmus. At in lib. Paral. vbi eadem habetur vxorum Dauidis enumeratio, iterum Egla dicitur, neque vſquam vbi de Michole diſerte agitur, Eglæ illi nomen tribuitur. Rectius itaque cenſetur Egla ignobilis, & obſcura mulier, nedum Saulis filia; quæ nominatim Dauidis vxor dicta ſit, ne propter tenuitatem concubina putaretur, vt moris eſt. Neque habuerit aliam excellentiam, niſi quod Dauidis vxor fuerit. Et Hieronymus ipſe cum vocem Egla retinuit; nec vitulam vertit, vt in lib. Iudicum, oſtendit nomen id hoc loco non appellatiuum eſſe, ſed proprium.

Egla mulier ignobilis.

X. *An Michol in die mortis pepererit.*

Illa porro interpretatio de Michole in die mortis pariẽte, plus habet concinnitatis quam veritatis; repugnat certe Ioſepho, [h] qui clare aſſerit Micholem nullos ex Dauide liberos ſuſcepiſſe, ſed ex alio marito, cui eam pater à Dauide abſtractam tradiderat, quinque liberos genuiſſe. Sic ipſe, non ſatis intellecto loco, [i] in quo id Scriptura dixiſſe videtur. Cum tamen illi filij à Merobe, non à Michole geniti fuerint, vt ſuo loco dicetur. [k] Repugnat & Hieronymo, qui vbi ſerio, & ex propria ſententia diſputat contra Heluidium, illum refellit quod diceret hæc aduerbia *donec*, *vſque* & ſimilia ſignificare certum tempus, quo completo fiat id quod ante non fiebat: Ipſe autem contendit ſæpe in Scriptura ſignificare tempus indefinitum, & non ibi ſolum. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum.* Nam Dauid, & cum eo Paulus Apoſtolus, dum dicit. *ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, non ſignificat Chriſtum Dominum non ſeſſurum ad dexteram Patris poſt ſubiugatos inimicos. Eadem eſt vis locutionis illius, *oculi noſtri ad Dominum, donec miſereatur noſtri. Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Nemo cognouit ſepulchrum Moſis vſque in præſentem diem.* Hæc & alia loca cum Hieronymus afferat. ſatis intelligitur ex eo aduerbio non recte inferri Micholem in die mortis ſuæ peperiſſe: re: ſed liberi toto vitæ tempore plane caruiſſe.

h l. 7. c. 4.
i 2 Reg. 21. 8.
k Ante gi ſupra ann. m. 2972. n. 10.

donec,
vſque.

XI. *Cur hic omiſſa Michol.*

QVARE ergo, inquies, prætermiſſa eſt Michol, quæ prima omnium fuit, & omnium nobiliſſima, ideoque prima nominari debuit? Reſpondeo non fuiſſe hic propoſitum ſcriptori ſacro recenſere vxores Dauidis, ſed filios. Ait enim, [a] *Natique ſunt filii Dauid in Hebron*, &c. & expleto catalogo, *hi nati ſunt*, inquit, *Dauid in Hebron*. Eodemque modo in lib. Paral. [b] Obiter autem etiam eorum matres adiunxit, ne eadem matre geniti putarentur. Quia ergo Michol caruit liberis, occaſione filii ſui nominari non potuit. Quare autem nominauerit filios ea videtur eſſe cauſa quam diximus, [c] nimirum vt doceret Dauidem profeciſſe in dies, & ſeipſo robuſtiorem factum fuiſſe, familias autem filiorum multitudine fieri robuſtiores, ſignificauit Moſes cum dixit, [d] filios Iſraël creuiſſe, & quaſi germinantes multiplicatos eſſe, ac roboratos nimis impleuiſſe terram. Et Dominus ait Abrahamo, [e] *Faciam te in gentem magnam ac robuſtiſſimam.* Huc denique pertinet illud Annæ matris Samuelis; *Quæ multos habebat filios infirmata eſt.* [f] Sed quoniam ſemel, in catalogum filiorum Dauidis, atque vxorum eius ingreſſi ſumus, age totam Dauidis familiam, in tabella, quantum poſſumus, diſtincte proponamus, ne alio in loco eam per partes digerere neceſſe ſit. Inde ad rerum geſtarum ordinem regrediemur.

filij robur familia.

[a] 2. Reg. 3. 2. 5.
[b] 1. Par. 3. 1. 4.
[c] n. 1. & 2.
[d] Exod. 1. 7.
[e] Gen. 18. 18.
[f] 1. Reg. 2. 5.

Schema familiæ Dauidis.

XII. *Familia Dauidis.*

Dauid rex multos habuit filios, ex variis vxoribus & cõcubinis.

- Prima vxor fuit Michol filia Saulis, ex qua nullos ſuſcepit liberos; Ipſa autem filios Merob adoptauit, ſuoſque duxit, 2. Reg. 21. 8. numero quinque, quorum nomina prætereuntur
- Secunda fuit Achinoa Ieſraëlitis, ex qua ſuſcepit - 1. Reg. 25. 43. c. 30. 5.
  - Ammon primogenitum. 2. Reg. 3. 2. 1. Paralip. 3. 1. qui vitium obtulit Thamari ſorori Abſalonis. 2. Regum 13. propterea que ab eo occiſus eſt. 2. Regum 13. 32. filij eius in Scriptura prætermiſſi ſunt.
- Tertia Abigail Nabalis vidua, 1. Reg. 25. 42. quæ mater fuit Chelcabi, 2. Reg. 3. 3. qui dicitur Daniel, 1. Par. 3. 1.
- Quarta, quam duxit in Hebron, fuit Maacha filia Tholmai regis Geſſur. 2. Reg. 3. 3. & 1. Paralipomenon 3. verſ. 2. ex qua nati
  - Abſalon; & Thamar. Abſalon genuit tres filios, 2. Reg. 14. 27. & Thamarem filiã, quæ Maacha quoq. dici videtur 2. Paralip. 11. 20. diuerſas tamen fuiſſe docemus, an. Dauid 28. n. 9. quæ nupſit Roboamo, & genuit
    - Abiam regẽ, Ethai, Zizam, Salomith.
- Quinta fuit Haggith, ex qua ortus Adonias, quem regnum ambientem Salomon iuſſit interfici, 2. Reg. 3. 4. 1. Par. 3. 2. 3. Reg. 2. 24. 25.
- Sexta Abital, ex eaque ortus Saphathia. 2. Reg. 3. 4. 1. Par. 3. 3.
- Septima Egla, ex qua Iethraham, quæ peculiariter dicta vxor Dauidis. 2. Reg. 3. 5.
- Octaua Bethſabea, dudum vxor Vriæ, ex qua Dauid ſuſcepit - 1. 1. Par. 3. 5. 2. Reg. 5. 14.
  - paruulum, qui mortuus eſt. 2. Reg. 12. 18.
  - Samuam. 2. Reg. 5. 14. ſiue Simmaã 1. Par. 3. 5.
  - Sobab.
  - Nathan.
  - Salomonẽ regem, ex quo
    - Roboam rex, Taphet, quæ nupſit Benabinadab. 3. Reg. 4. 11.
- Ex aliis vxoribus 1. Ierimoth, ex quo Mahalath, vxor Roboami. 2. Par 11. 18. vide Abul. 2. Paral. cap. 11. q. 20.
  - 2 Iebaar, 3 Eliſama, 4 Eliphaleth, 5 Noge, 6 Nepheg, 7 Iaphia, 8 Eliſama alter, 9 Eliada, 10 Elipheleth. 1. Par. 3. 6.
  - 2. Reg. 5. 14. eſt aliqua in Latino vulgai. diuerſitas. in Græco plurima. nõ enim 7 ex ignota matre, ſed 20. numerantur. 2
- Ex 10. concubinis alij inſuper nati. 2. Reg. 15. 16. & 1. Paralip. 3. 9.

2. 4. χ.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2981.

1. N. II. SCRIBIT Lyran. ex Rab. Salom. filium Dauidis ex Abigaile primum dictũ fuiſſe Danielem, prout in 1. Paral. 3. appellatur, contigiſſe autem vt aliqui irriderent Dauidem, exiſtimantem illum eſſe filium ſuum, cum eſſet Nabalis, qui reliquerat vxorem grauidam. Deum autem ad Dauidis videlicet preces, mutaſſe faciem pueri, ita vt Dauidi ſimillimus efficeretur; eamque ob cauſam appellatum à Danide Cheleab, id eſt quaſi pater, vel ſimilis patri. Eandem fabulam habet hiſtoria Scholaſtica, & R. Kimhi, Hiero. in trad. in 1. Para. 3. vocat Chilaab, id eſt, inquit, vindicans patrem, eo quod diſceptans cum Miphiboſeth de quæſtionibus legis; & victor apparebat, & patrem vlciſci videbatur. Quæ frigere nemo non videt, & rabiniſmum ſapere.

S. Hieronymus in trad. int. 3. Paral. notat duos filios Dauidis abeſſe in lib. 2. Reg. nimirum Noga, & Elipheleth. In græco autem Romanæ editionis hi leguntur. Ταῦτα τὰ ὀνόματα τῶν γεννηθέντων αὐτῷ ἐν ἱερουσαλήμ. Σαμμοὺς, καὶ σωβὰβ, καὶ νάθαν, καὶ Σαλώμων. Hos conſtat fuiſſe Bethſabee filios, 1. Par. 3. 5. ſubduntur autem hi. καὶ ἰβεάρ, καὶ ἐλισουέ, καὶ ναφὲκ, καὶ ἰεφιές, καὶ ἐλισαμά, καὶ ἐλιδαὲ, καὶ ἐλιφαλὰθ, σαμαὲ, ἰεσσεβὰδ, νάθαν, γαλαμαάν, ἰεβαάρ, θεησοῦς, ἐλιφαλάτ, ναγὲδ, ναφὲκ, ἰαναθὰν, λεασαμὺς, βααλιμὰθ, ἐλιφαάθ. Apparet, inquit Scholiaſtes latinus, coagmentatio, & repetitio in iſtis nominibus. 2. N. XII.

ANNVS MVNDI 2982. DILVVII 1326. 5ª. ÆTATIS. 43.

EXITVS ET DATÆ LEGIS 439. ARCÆ IN CARIATH. 42.

DAVIDIS, ET ISBOSETHI 3. ABIATH. PONTIF. 8.

TROIÆ EXCISÆ III. DERCYLLI 32.

IMPER. ASSYRIORVM 1051.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1071.

DVO reges in eodem populo non diu pacificè vixerunt, ſed biennio dũtaxat, qui ſunt duo anni, quibus dicitur regnaſſe Iſboſeth, ſuper Iſraël, prius ſcilicet quam bella inter vtrumque regem exci tarentur, vt interpretantur Abul. ª Serar. Torniel. ſicut Saul duobus annis regnauit, priuſquã militari præſidio vteretur, aut Deum contra ſe irritaret. Exacto ergo iã biennio à morte Saulis, Abneris opera inter Iſraëlitas & Iudæos ciuile bellum exarſit. Abner enim qui vndecim tribus in poteſtate habebat, cum Iſboſethus nomine tenus rex eſſet, aggreſſus eſt Dauidem bello petere exitu infelici; cui bello duodecim militũ, quaſi totidem gladiatorum, paria initium dederunt. De huius autem certaminis, ac belli occaſione, proximáque cauſa exiſtimat Abulenſis dici poſſe, exercitus duos ex condicto conueniſſe in vnum locum ad pugnam; aut potius caſu contigiſſe, vt dum vterque princeps militiæ, cum valida militum manu regni fines obit, pugnę occaſionem acceperint.

I. Ratio temporis.

a q. 12. in c. 2. 2. Reg & in expoſ text. 1. reg. 13.

Excitatum ciuile bellũ ab Abnere.

QVANTVM nihilominus licet ex Scripturæ narratione colligere, cõiicere poſſumus Abnerem optaſſe populum duas in partes diſtractum, quarum altera ruinæ alterius immineret, fœdere aliquo, & æquis conditionibus conſiliare inter ſeſe, atque conſtringere: idque non communis ſolum boni ſtudio incitatum, ſed priuati etiam ac ſui. Senſerat quippe militiæ princeps militares animos, ab ipſis gregariis militibus, vſque ad centuriones, ac tribunos, mira in Dauidem inclinatione propendere; hærere ipſorum animis eius egregia facinora, fortitudinis, clementiæ, humanitatis, prudentiæ, charitatis, modeſtiæque ſingularis erga Saulem ſibi infeſtiſſimum, erga Philiſthæos, Hebræumque populum vniuerſum. Mirari induſtriam, promptitudinem, felicitatem, & vbique ei aſſiſtens diuinum numen: idque ſenſerat viuo etiam Saule, & in eius interitum, dies, noctesque, omnibus regni viribus incumbente, multoque vehementius hoc biennio, quo *per ſingulos dies*. vt ſcriptura teſtatur, ᵇ *veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei*. Vixque prudentia, atque authoritate ſua, fortunarum periculo, neceſſariorum conſuetudine retineri.

II. Cupiebat fœdus, & quare,

b 1. Par. 12. 22.

Avdiebat, ſi quando curioſius admoueret aurem, conferri priuatis in cœtibus atque colloquiis Iſboſethum Dauidi, tenebras videlicet luci, ignauiam fortitudini, nouitatem atque inſolentiam cum prudentia rerum gerendarum, ſimulachrum hominis cum viuo ac vigente principe componi. Meminerat illam Saulis vocem coram ſe, atque vniuerſo exercitu, quaſi ex oraculo profuſam. [a] *Et nunc ſcio quod certiſſime regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſrael.* Itaque cum pro innata ſapientia, & multiplici rerum vſu videret, ſiue rem humanis rationibus æſtimaret, ſiue diuinis, fore proculdubio vt, deſerto Iſboſetho, totus ſe populus in fidem Dauidi ac clientalem daret, *& transferret regnum Saul, ad eum, iuxta verbum Domini,* [b] ſibi faciendum putauit, vt quod poſtmodum futurum erat neceſſitatis, mature occuparetur, vt gratiæ fieret, ac beneuolentiæ. Eam autem gratiam hoc fore Dauidi, totique populo gratiorem quo citius executioni mandaretur; quo plures abirent abſque reconciliatione dies, hoc conditiones pacis ſibi deteriores fore: priuatas inimicitias inter diuiſos populos, graſſaturas; & nuper victorem hoſtem validius diſtractos aggredientem, facilius conciſurum.

III. *Populi in Dauidem propenſio.*

a 1. Reg. 24. 21.

b 1. Paral. 12. 23.

Vidit quoque Abner pro ſua prudentia, tanto ſe ſuoſque in patrando fœdere potiore iure futuros, quanto minus aut neceſſitatem, aut timiditatem præ ſe ferrent; biennio ſatis probatum eſſe, nulla ſe neceſſitate Dauidi ſociari velle, qui nullam toto eo tempore pacis, aut concordiæ prior mentionem ingeſſerit, re autem vera, nihil eſſe nunc quidem, ſibi aut priuatim aut publicè à Dauide aut Ioabo, multoque minus ab Iſboſetho formidandum, vndecim tribuum armis ac beneuolentia munito; colloquii nihilominus occaſionem quærendam eſſe, ſed minime à ſua dignitate alienam. Commodam eam videri, ſi cum lecta aliquot centuriarum manu, regnum pro rege obiret, ad ipſos vſque Iudaicæ tribus fines, non defuturum Ioabum cum ſuis, ibique aliquem colloquiis aditum apertum iri: vt res ſine bello, ex dignitate ſua, & communi vtilitate componantur.

IV. *Abneris prudentia.*

Hisce coniecturis non leuem confert probabilitatem, primùm quod Abner prior egreditur de Caſtris, vrbe videlicet regia, quaſi meditatum quippiam domo afferens, & venit in Gabaon vrbem tribus Beniamin, Iudæ conterminam, & prior in ſermonem militarem ingreditur. Deinde quod non hoſtiliter irruit, ſicut neque vice verſa Ioab, ſed quaſi amici, aut amicitiam captantes, placidis animis vicini conſederunt. Præterea Abnere inuitāte inceptatur certamen, Ludusque appellatur; quaſi non hoſtium inter ſe id certamen foret, ſed commilitonum in eadem palæſtra ſe rudibus exercentium. Maxime autem prodit prædictam Abneris voluntatem, eius cum Azaële colloquium, *Recede*, inquit, *noli me ſequi, ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Cogitabat enim duos militiæ principes, hoc pacis negotium tractare debere, à quo ſi alter, propter acceptam iniuriam, abhorreret, rem diſiectum iri, aut tardiorem certe, atque impeditiorem fore: & ſibi priuatim non leuem aduerſarium ſuſcitari. Quæ eſt mens omnium paſſim interpretum in prædicta verba, Lyrani nominatim, Abulenſis, atque Dionyſii. Poſtremo alienam à bello, & amicam paci voluntatem indicant illa Abneris verba, *vſquequo non dicis populo, vt omittat perſequi fratres ſuos?* ſed hæc in progreſſu certiora fient, atque illuſtriora.

V. *Abnerem optaſſe pacem Scriptura indicat.*

Egressvs *eſt*, inquit Scriptura, [c] *Abner filius Ner, & pueri Isboſeth,* milites ſcilicet, qui in eius, vel Abneris erant ſatellitio, cumque ſequebantur ducem, Iſboſetho domi ſe in Caſtris, ſiue in vrbe Manaim continente. Sic enim caſtra hoc loco Septuag. interpretantur, cum inuariatam retinent vocem Manaim, ſicut & Ioſephus, [d] qui ſimul cauſam egreſſionis tradit, *Inde profectus eſt*, inquit, *cum delectiſſimo milite, vt prælio cum Iudæ tribu decerneret; iratus quod Dauidem regem creauiſſent.* Frigida eſt hæc ira poſt biennium, ſed id tempus Ioſephus non obſeruauit: voluntatem autem decernendi prælio, res ipſa refellit, ſi enim ad pugnandũ veniſſent, vt primum hoſtis apparuit, infeſtis in ſe mutuo gladiis concurriſſent, quod notauit etiam Abul. [e] *Porro Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egreſſi ſunt de ciuitate Hebron,* & ſiue caſu luſtrantes tribum Iuda, ſiue de induſtria, cum accepiſſent Abnerem traieciſſe Iordanem, *occurrerunt ei, iuxta piſcinam Gabaon,* lacum videlicet non magnum nutriendis piſcibus idoneum, fontem vocāt 70: Ioſephus fon-

VI. *Abner venit cum militari manu in Gabaon.*

Ioſephus arguitur.

Venit & Ioab.

c 2. Reg. 2. 12.

d l. 7. ant. 1.

e q. 13. in c. 2. 2. Reg. in fine.

ticulum quidem ciſternam interpretantur. *Et cum in vnum* eumdemque campum *conueniſſent, è regione ſederunt, hi ex parte piſcinæ, & illi ex altera.*

κρήνης, κοιλάδα. Sept. ἐπὶ τὸ αὐτὸ ſ. πεδίον.

VII. *Petitur, & admittitur certamen gladiatorium.*

HIC Abner oſtentare cupiens militum ſuorum fortitudinem, fortaſſe ne, ad id quod moliebatur, videretur adductus diffidens, ac deſperans rebus ſuis, *dixit ad Ioab, ſurgant pueri, & ludant coram nobis*, gladiatorium intelligit ludum, in quo non rudibus, ſed veris gladiis, ſine miſſione pugnaretur. Cui conſentiens Ioab, ne ſui audacia & alacritate aduerſariis æmulis cædere putarentur, *ſurgant* ſane, inquit, Quæ in prouocatione, vel admiſſione certaminis dubia æquitas eſſe poſſit. Cum enim vterque rex iuſtam regni poſſeſſionem obtineret, vt diximus; [a] vtrimque bellum, ſiue certamen quod inſtar belli eſſet, legitimum fuiſſe videri poteſt. At res habet longe ſecus: hoc enim ipſo quod vterque in iuſta regni poſſeſſione erat, neuter alteri vim inferre poterat, vterque bellum inchoando faciebat iniuriam, quam qui prouocabatur iuſte repellere poterat. Verum hic neutra ex parte iniuria facta fuerat, aut damna illata, vt qui fuerat affectus iniuria, iuſtum bellum agere poſſet. Sed animi gratia certamen ſine vlla conditione oblatum, atque admiſſum eſt, & quidem eiuſmodi, vt valde probabilis eſſet aliquorum cædes.

[a] a.m.2980. nu 1.

VIII. *Cum vtriuſque ducis culpa.*

ITAQVE minimè dubitandum videtur, [b] quin Abner, à quo facta eſt prouocatio, graui ſe peccato obſtrinxerit, qui ex inani oſtentatione, & non ex vlla cauſa legitima, milites ſuos in arenam miſerit, quaſi gladiatores ſingulari certamine pugnaturos. Peccauit & Ioab, qui malè prouocanti conſenſit. Et minuit quidem culpam eius ille metus, ne dedecore ex recuſatione afficeretur; & ſimul audaciores fierent Iſraëlitæ, ad Iudæos deinceps damnis afficiendos; culpam tamen plane non delet; quia tanti non fuit ille pudor, vt ad eum euitandum in ſuorum probabilem, iniuſtámque mortem conſentiret. Quoniam ergo maior fuit culpa Abneris prouocantis, permiſit Dominus iuſto iudicio ipſum vinci, ac magna clade affici, & inſuper vnius viri cædem admittere, quæ mox in ipſiuſmet cædem redundaret, vt ſequens hiſtoria declarabit. Magis tamen dubia eſt culpa ipſorum gladiatorum, qui legitimis ducibus ſuis obtemperarunt, [c] nec ſatis iuſtitiam certaminis expenderunt, aut expendere potuerunt, ſed id iudicium ducibus reliquerunt ſuis. Si tamen non obediendi cauſa ſimpliciter, ſed oſtentandarum virium gratia ad certamen deſcenderunt, vtique peccarunt, & infelici morte defuncti ſunt, vt cæteri, qui vulgò in ſingulari certamine vita funguntur.

[b] Abul. q. 14. in c. 1.

An & militum?

[c] Idem q. 16. & 17.

IX. *Certant duodeni, & mutuis omnes vulneribus cadunt.*

SVRREXERVNT *ergo & tranſierunt vltra piſcinam numero duodecim de Beniamin.* His videlicet plus erat animi, quorum magis intererat debellare Dauidem, & regnum in tribu ſua conſeruare. Et erant alioqui Beniaminitæ animoſi admodum, ac bello fortes, vt qui olim contra reliquas omnes tribus bello decernere non dubitaſſent; & victoriam etiam, ſemel iterúmque retuliſſent. Nihilo ſecius ſurrexerunt ad certamen totidem de militibus Dauidis, & tribu Iuda, vt apparet, nam de cæteris tribubus perpauci adhuc erant apud Dauidem: *apprehenſoque vnuſquiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt ſimul.* Omnia ſcilicet duodecim paria mutuis vulneribus confoſſi interierunt. Id enim exigit textus hebræus, græcus, & latinus, cum chaldæa paraphraſi, quibus omnes interpretes aſſentiuntur. Neque aliter ſenſit Ioſephus; quamuis Comeſtor dicat illum ſignificare ſolos milites Dauidis fuiſſe ſuperſtites; idemque affirment Lyranus & Dionyſius de Ioſepho, & quidem vere habita ratione verſionis Rufini; ſed audiamus ipſum totum hunc locum breuiter explicantem.

X. Reliqui exercitus pugnam ineunt.

HVIC *occurrit* Ioab *Saruiæ* D*auidis ſororis filius, natus ex patre Suri, duos ſecum fratres, Abiſaum & Aſaëlem, vniuerſumque* D*auidis exercitum ducens: & cum circa quendam fonticulum apud vrbem Gabao in eum incidiſſet, aciem ad prælium explicat. Cumque Abnerus dixiſſet cupere ſe experiri vtrius partis præſtantiores milites eſſent, ex pacto vtrinque duodeni ad certamen ſunt deſtinati: qui progreſſi inter vtramque aciem emiſſis prius pilis, gladios ſtringunt: comprehenſisque aduerſariorum capitibus latera & ilia feriebant; donec mutuis vulneribus ad vnum ſe conficerent. Quo facto exercitus etiam conflixerunt, & poſt acre certamen partes Abneri ſuccubuerunt.* Incaluerunt nimirum vtrimque militares animi viſo ſuorum ſanguine, vt ſociorum mortem vtrique ſi poſſent vlciſcerentur, & incertam adhuc victoriam, dubiamque fortitudinis laudem ſuo exercitui promererentur.

Fugatuſque eſt Abner, & viri Iſrael à pueris David. *Verſos in fugam* ait Ioſephus [a] *Ioabus non deſtitit perſequi, ſed tergis eorum hærens hortabatur ſuos, vt ne defatigarentur; idemque etiam fratres eius faciebant.*

[a] 7.c.1.

XI. *Azaël Abnerem perſequitur.*

CONTIGIT autem deinceps exemplum improuidæ, ac iuuenilis audaciæ, aduerſus ſenilem emeriti imperatoris fortitudinem. Dauidici effuſo curſu ferebantur in fugientes Iſraëlitas; in illis Aſaël curſor velociſſimus, tantæque pernicitatis, vt capreis ſylueſtribus [b] conferri poſſet. Is cum ad primos fugientium ordines prouolaſſet, in quibus Abner ipſe fuga ſalutis ſuæ conſulebat, moliebatur eum in ſuam redigere poteſtatem, magis intentus ad tanti facinoris gloriã, quam ad eius perficiendi facultatem. Abner autem audiens ſtrepitum & clamorem perſequentis, dorſoque imminentis Azaëlis, reſpexit poſt tergum ſuum. & ait, *Tune es Aſaël? qui reſpondit, ego ſum. Dixitque ei Abner, vade ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, & apprehende vnum de adoleſcentibus, & tolle tibi ſpolia eius.* Inuade aliquem de iunioribus iſtis, pugna, interfice, ſpolia, neque affectes maiora viribus tuis. Ille monitionem ex timore profectam ratus, inſtabat vt eum viuum comprehenderet, & tanto captiuo proprij iuris effecto, vel finem bello imponeret, vel apud fratrem Ioabum, & Dauidem auunculum, gaudio & gloria triumpharet. Hæc nimirum cauſa fuit cur ſtatim atque ad Abnerem peruenit, in ipſum ſtricto gladio non inuolauerit, atque confoderit, ſed iſtis interrogationibus, ac monitis Abneris tempus, ac locum dederit.

[b] 2. Reg. 2. 18.

Et qua de cauſa.

XII. *Cui parcit Abner.*

VICE autem verſa militiæ princeps iuuenem temere irruentem, auerſa haſta excipere poterat, vt ſe ille in ferrum, aprorum more indueret. Sed animo verſans reconciliationem, quæ Ioabi interuentu perficienda erat, parcebat feroci adoleſcenti, quem ſi interficeret, aditum ſibi ad Ioabum præcluderet, qui hac cæde irritatus, omnia fœderis, pacisve conſilia diſturbaret, perpetuo ad fraterni ſanguinis vltionem aſpirans. Itaque rurſus locutus eſt Abner ad Azaelem. *Recede, noli me ſequi*, ſequebatur autem vrgens vt ille ſe dederet, & interim auxilium ſociorum expectans; *ne compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad fratrem tuum.* At ille nimium ſibi fidens, & ſcilicet animos augebat recens collatus quartæ turmę principatus, ideoque auidius gloriam de capto, vel occiſo principe militiæ aduerſariorum ambiens, bene monentem *audire contempſit*, & alterutram in partẽ *declinare noluit.* Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt eodem loco. Hebræi habent percuſſum in quinta, ſcilicet coſta, vbi iecoris & fellis eſt ſedes, Septuag. vertunt ἐπὶ τὴν ψόαν, id eſt regionem lumborum, quod vulgatæ fauet, certe quicunq. fuerit vulneris locus Azaëlem perruptis viſceribus in veſtigio concidiſſe conſtat.

1. Par. 27. 7.

Tandemque inuitus occidit.

Vatab. & Caiet.

XIII. *Cadis modus.*

QVOD autem Hieronymus vertit transfodit, compendio eſt vſus, in Hebræo enim dicitur ita percuſſus, vt egrederetur lancea a tergo eius; Septuag. quoque, καὶ διεξῆλθε τὸ δόρυ, ἐκ τῶν ὀπίσω αὐτοῦ. *Et pertranſiit lancea ex poſterioribus eius.* Ex quo refelli poſſunt, qui non ferro ipſius haſtæ, ſed haſtili ligneo percuſſum putant, quos improbant Lyranus, & Abulenſis etſi Toſtatus Lyranum quaſi ita ſentientem refutet; cui ſententiæ nihilominus vehementer fauet hebræus textus, & græca verſio: vtrobique enim habetur Azaëlem percuſſum poſteriore parte lanceæ quam nemo dixerit eſſe cuſpidem. Sed nimirum haſtæ bellicæ ferro vtrimque obarmantur, quod Mariana quoque notauit; itaque ferrum poſterius ſiue inferius quod humum fodicare ſolet, impactum in ventrem vehementius, etiam haſtili aditum patefecit, donec à tergo exiret. Videtur tamen Hieronymus auerſam haſtam intellexiſſe, dixiſſeque, ratione eius, quia ea vtitur, & hoſtem auerſus petit. Sic vrſus auerſos lapides in fuga vibrare dicitur, & Partus fugiens *auerſas torquere ſagittas.* Itaque auerſa haſta, & ſcelerata dicitur, quam auerſus homo, aut ſceleratus intorſerit. Eadem Ioſepho mens fuit, qui ait Abnerem fugientem haſta, prout eam ferebat, imminentem Azaëlem lethali vulnere retrorſum percuſſiſſe, φεύγων, ὡς εἶχε τὸ δόρυ, πλήξας εἰς τοὐπίσω καιρίως. Et fugientes imminenti hoſti cuſpidem offerre ſolent, nec in anteriorem partem fruſtra vertunt.

Haſta auerſa.

Scleratam contorſit haſtam. Virg.

XIV. *Abner cum ſuis in collem adit.*

PROSTRATO Azaële Abner propere cum ſuis verſus collem vnum progreditur, ibi locum ad reſiſtendum capturus. Interim Iudæi accelerabant iter, ſed Azaël in media proſtratus via, nonnihil tranſeuntes in ſui contemplatione mo-

rabatur, dum in morte præmatura iuuenis ſummo loco nati, ſummæque expectationis ingemiſcunt. Maxime autem, vt par eſt credere, Ioab & Abiſai eius fratres re cognita ingemuerunt. Et nihilominus progreſſi ad ſolis vſque occubitum fugientes perſequebantur. *Et venerunt vſque ad collem aquaductus, qui eſt ex aduerſo vallis itineris deſerti in Gabaon.* Siue vt alij vertunt, [a] retentis nominibus propriis, quæ Hieronymus in appellatiua, iuxta eorum ſignificationem conuertit. *Et venerunt vſq. ad collem, cui nomen Amma, qui eſt è regione oppidi Giach, iuxta viam deſerti Gabaonis:* Ad quod videlicet deſertum fugiebant milites Abneris. Ioſephus, *qui ab aquæductu nomen accepit.* ἀμματῖν καλεῖ, legendum ἀμμάν, propter Hebræum Amma אמה: Gelenius interpretationem ex vulgata mutuatus eſt. *Congregatique ſunt filij Beniamin ad Abner, & conglobati in vnum cuneum ſteterunt in ſummitate tumuli vnius*; vnde facilius erat è ſuperiore loco vrgentem hoſtem vexare, & ſeſe defendere.

a (Notauit Emanuel Sa, & Mariana.)

XV. *Et finem prælij petit.*

Eo cum peruentum eſſet, Abner circũſpiciens vidit Ioabum, & exclamans ait, *Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? an ignoras quod periculoſa ſit deſperatio?* Significat Abner milites ſuos ad vitæ deſperationem adductos; non iam ludum, vt initio certaminis, ſed internecionem aduerſariorum, imo fratrum ſuorum meditari, ad quam Iudæorum perſequentiũ pertinacia compellantur; idq. vnũ moliri ne multi moriantur; ideóque canendum eſſe receptui, & hoſtibus ad deſperationem pronis, dandam eſſe elabendi viam: præſertim cum non hoſtes hoſtibus immineant, ſed fratribus fratres. Hic Ioab; *viuit Dominus ſi locutus fuiſſes, mane receſſiſſet populus perſequens fratrem ſuum.* Id eſt ſi quo modo nunc dehortaris, & reuocas nos a bello contra fratres noſtros, ita hodie mane nos ab eodem reuocaſſes, populus, ſiue milites mei, qui nunc perſequuntur fratres ſuos, mane ſine cæde & ſanguine receſſiſſent. Eſt enim hæc petitio hominis victoriam cedentis aduerſario. Itaque Ioab hac victoriæ confeſſione contentus abiiſſet, quæ facillima eſt loci huius explicatio. Alij autẽ ex hebræo & græco textu, & chaldæa paraphraſi negationẽ addunt, niſi locutus fuiſſes; id eſt niſi prouocaſſes nos certamẽ petẽdo, & ad gladiatoriũ ludũ prouocando, non ventũ eſſet ad prælium, ſed exercitus meus pacifice receſſiſſet à vobis. Itaq. Mariana ſuſpicatur pro *ſi* legẽdum eſſe *niſi*.

Et imperat.

XVI. *Quare tam facile; an ignoraret mortem Azaëlis.*

MIRVM eſt autem Ioabum tam facile acquieuiſſe Abneri petenti vt prælio imponeretur finis, [b] neq. acrius cum fratre inſtitiſſe aduerſus eum, expetendo vltionem ſanguinis Azaëlis, & ſtudio parentandi manibus eius, ipſius Abneri morte; An forte ignorabat adhuc fratrem ſuum Abneris manu cecidiſſe, ſi forte alia via breuiore venerat ad collem Abneris, & ſociorum eius? idque innuit Scriptura ipſa cum ait, *omneſque qui tranſibant per locum illum, in quo ceciderat Azael, & mortuus erat, ſubſiſtebant*: quaſi dicat, paucos ſubſtitiſſe, qui eadem via gradiebantur, cæteros non item, qui mille viis fugientes Iſraëlitas, vt fuſo, fugatoque exercitu contingit, totidẽ viis perſequebantur; ac ne puncto quidẽ temporis ceſſatum fuerat, vt ad Ioabum hic nuncius referretur, quem, vt triſtiſſimum, quiſque referre cunctaretur. Quod ſi mortis huius non ignarum Ioabum fateamur, dicendum erit eum ceſſationi armorum conſenſum præbuiſſe, veritum pugnare contra eos, qui de fortunis omnibus, de vita, de ſalute deſperaſſent. Vltionem tamen diſſimulatione ac ſilẽtio preſſã, in opportuniorẽ commoditatẽ reſeruaſſe, & ne ille ſibi caueret, vlla ratione præ ſe tuliſſe. Itaq. illũ poſtea per fraudem de medio ſuſtulit.

b Abul. q. 11 in c. 2.

XVII. *Ioab canit receptui.*

INSONVIT *ergo Ioab buccina, & ſtetit omnis exercitus, nec perſecuti ſunt vltra Iſrael, neque inire certamen,* contra globum illum Beniamitanum, qui ad collem cum Abnere ſeſe receperant. Ea tamen verba Caietanus, nõ ad illam ſolùm noctem refert, ſed ad reliquum etiam tempus regni Iſboſeth, ſcripturæ phraſi minime repugnante. Et reuera deinceps ceſſatum plane ab armis inter Iſraëlitas inde colligitur, quod nullum plane inter eos prælium legitur, vſque ad regnum Dauidis ſuper totum Iſraëlem. Quod autem ad præſens tempus attinet, gladiis vtrimque in vaginam reconditis; *Abner & viri eius* de tumulo deſcendentes *abierunt per campeſtria tota illa nocte, & tranſierunt* Iordanem; *& luſtrata omni* Bethoron *venerunt ad caſtra.* Gemina fuit Bethoron, [c] & vtraque cis Iordanem, altera quæ ſuperior dicta in tribu Ephraim, altera quæ inferior in Beniamin, aut certe Manaſſe, vt ſignificatur in libro Ioſue. [d] Quomodo ergo tranſito Iordane luſtrauerunt Bethoron? verum Scriptura id non aſſerit, ſed tantum tranſiſſe Iorda-

Abner recedit.

c Adrich n. 29 & n. 45.

d c. 16.

Bethoron.

Bethoron. nem, & luſtraſſe Bethoron; quid autem prius poſteriúſve factum fuerit, non tradit. Aliqui Bethoron diuiſionem interpretantur, & proprium nomen loco appellatiui vſurpatum putant, eaq. voce intelligi totam regionem inter Iordanem & Manaim interiectam: quod minimè abſurdum eſt, quamuis Toſtato improbatum. Nam Septuag. pro Bethoron habent παρατείνουσαν nimirum χώραν, *regionem protenſam*.

XVIII. *Cæſorum numerus.* PORRO *Ioab reuerſus, omiſſo Abner, congregauit omnem populum, & defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Azaële*; qui ſcilicet erat vigeſimus. *Serui autem Dauid percuſſerunt de Beniamin, & de viris qui erant cum Abner trecentos ſexaginta, qui & mortui ſunt.* Partim in ipſo veſtigio, partim poſtmodum ex vulneribus acceptis. *Tuleruntque Azaël, & ſepelierunt eum in ſepulchro patris ſui in Bethlehem*: tum Ioſephus [a] vocat Suri. Non eſt autem exiſtimandum eum hac ipſa nocte ſepultum; regis enim nepotem, & virum bellica laude inſignem, & multis hominum millibus in turma quarta præpoſitum, non decuit funebri honore priuari. Delatum quidem fuerit cadauer in Bethlehem, erat enim pene in via, venientibus Gabaone Hebronem verſus; poſtridie autem honorifice ſepultum. *Et ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.* Diurno labori etiam nocturnum copulantes, & quidem non exiguum. Eſt enim illud iter ſi Adrichomio credimus Gabaone vſque ad Bethlehem, horarum 4. inde autem Hebronem vſque, ſex horarum: quod recte conuenit cum itinerario Beniamini, in quo habetur Bethlehem ſex leucarum itinere Hebrone diſtare.

excepto, id eſt præter, vt alibi.

Azaëlis ſepultura.

[a] l. 7. c. 1.

XIX. *Hæc ipſa hiſtoria* VERVM priuſquam ad vlteriora progrediamur Ioſephus conueniendus eſt nobis, [b] & Scriptura duce de more corrigendus, *verſos*, inquit, *in fugam Ioabus non deſtitit perſequi, ſed tergis eorum hærens hortabatur ſuos, vt ne defatigarentur: idemque etiam fratres eius faciebant, præcipuè iunior Azaël ob eximiam pedum pernicitatem celebris, & non ſolum cum hominibus, ſed cum equis etiam curſu contendere ſolitus: is tum Abnerum recta inſequebatur, nec in ſiniſtram, nec in dextram deflectens. Conuerſus autem Abnerus, & impetum eius fruſtrari volens, primum vnius militis armatura cum eo depaciſci voluit, vt perſequi deſineret; deinde rogabat ne ſe in hanc neceſſitatem adduceret; vt illo interfecto in fratris eius conſpectum poſthac venire non auderet. Cumque ille his verbis nihil moueretur, ſed perſequi pergeret, ita vt verſa haſta fugiebat, imminenti lethale vulnus inſligit, vt in veſtigio concideret. Qui vero cum eo Abnerum inſectabantur, poſtquam ad locum, in quo Azaël iacebat peruenerunt, obliti amplioris perſecutionis circum cadauer conſtiterunt.*

[b] l. 7. ant. c. 1.

XX. *Ex Ioſepho refertur.* IOABVS *autem, & frater eius Abiſæus, præter exanime corpus curſu prouecti, incitatique ira extincti fratris, mira pernicitate, atque alacritate vſque ad ſolis occaſum perſecuti ſunt Abenerum, & vſque locum qui ab aqua ductu nomen accepit. Hic in loco eminentiore conſiſtit, Abenerum cum Beniamitis fugientem proſpiciens: qui cum exclamaſſet ſatis iam indignationi indultum, nec eſſe viros conſanguineos improba inſectatione cogendos, omiſſa fuga in certamen redire, culpam enim penes fratrem eius Azaëlem eſſe, quod monitus ab inſequendo deſiſtere noluiſſet, & ideo ictus cecidiſſet: viſus eſt non male admonere: moxque* Ioabus *dato receptui ſigno ſuos cohibuit, & in eo loco caſtris poſitis pernoctauit. Abenerus vero continuato per totam noctem itinere, trans Iordanem in Iesboſthi regiam ſe contulit. Sequenti die Ioabus recenſitis cæſorum cadaueribus, omnes ſepultura dignatus eſt: ceciderant autem ex Abeneri exercitu trecenti ſexaginta; ex Dauidis nouemdecim, præterque Azaël, cuius cadauer Bethlema reportatum fratres cum patris monumentis intuliſſent, ad regem ſuum in Hebronem ſunt reuerſi.* Hactenus Ioſephus.

XXI. *Et examinatur. Quæ improbentur.* QVEM ſane non libet arguere, quod improbata Scripturæ comparatione, maluerit dicere Azaëlem curſu cum equis contendere ſolitum, quam cum eadem illum conferre capreis, quæ morantur in ſyluis. Multo minus etiam trium fratrũ adhortationes arguerim, breues ſcilicet, & in ipſo curſu, quia probabilitate non carent. Illud tamen certe probare non poſſum, quod contra Scripturæ narrationem, & decorum ait Abnerem voluiſſe cum Aſaële paciſci vnius militis armatura, vt ſe perſequi deſineret. quę promiſſio cum ignauiam ſapiat & metum, ignominioſa eſſet fortiſſimo militiæ principi, fuiſſetque hominis non illi, ſed ſibi metuentis; ideoque terrore & minis eum auertere ſatagebat à ſe, non promiſſis. Nec Scriptura promiſſam ait illi vnius militis armaturam, ſed amandatum ad impugnandum, & ſpoliandum gregarium aliquem militem ſibi ſupparem, ab aula-

ἀφελοῦ σαυτῷ τὴν πανοπλίαν.

ciore conatu deſiſtendo. Neque illud probari poteſt, quod ait milites Dauidis ſubſtitiſſe ad corpus Azaëlis, nec vltra fugientibus inſtitiſſe. Nam ſi id verum eſſet, quid opus erat eos à perſequendis hoſtibus tã petitione Abneris, quam Ioabi buccina reuocari? Scriptura moram aliquam ad cadauer Azaëlis factam ait, cum inquit, *ſubſiſtebant*; non autem oblitos amplioris perſecutionis ibi conſtitiſſe. XXII. 3. *Quæ improbentur.*

IMPROBANDVM tertio quod ait Ioabum cum fratre incitatos ira extincti fratris Abnerem ad ſolis occaſum acrius perſecutos, non enim ex Scriptura conſtat eis tum notam fuiſſe fratris cædem, nedum inde irritatos, imo valde probabile eſt eam tum notam illis non fuiſſe, cum Ioab Abneris petitioni conſenſit, vt paulo ante dicebamus. [a] Quid quod Ioabi reſponſio nullam plane iram ſapit? Vnde quod quartò addit excuſationem Abneris, de occiſo à ſe Azaële præter voluntatem ſuam, eius improba inſectatione compulſum, totum ſuperfluũ, & periſſologicum eſt, nullum habens in Scriptura, aut ratione fundamentum. Illud autem aperte contra Scripturam eſt, quod ait milites cum Ioabo in loco certaminis caſtris poſitis pernoctaſſe. Audi enim ſcriptorem ſacrum. *Et ambulauerunt tota nocte Ioab, & viri qui erant cum eo, & in ipſo crepuſculo peruenerunt in Hebron.* Quod enim dicitur in textu. *Inſonuit Ioab buccina, & ſtetit omnis exercitus, nec perſecuti ſunt vltra Iſrael, neque inire certamen.* Et rurſus, *Ioab reuerſus omiſſo Abner congregauit omnem populum*, hæc inquam, verba non ſignificant ibi pernoctaſſe. Neque vero enumeratio defunctorum quæ ſequitur, quęque Ioſephum adduxit vt Scripturam deſereret, arguit eam poſtero die ab ipſis factam; potuit enim illa fieri eadem veſpera, à ſolis occubitu, vſque ad noctem. Illud autem de ſepultis omnibus, qui in prælio ceciderant, adiectitium eſt, neque ſatis probabile id factum vrgentibus tenebris; cibi potius aliquid ſumptum ante profectionem. Denique Scriptura, quæ Azaëlis ſepulturæ meminit, eadem opera cęterorum cadauera humo condita dixiſſet, ſi id vere dici potuiſſet.

a ibi. 26. (margin) 4. 5. 6.

EST porro hic annus Dauidici regni tertius, ſabbaticus ordine quinquageſimus ſeptimus. Nam ſi duxeris 57. per 7. efficies 399. quibus adde annos 40. deſerti, exiſtet numerus annorum, quem ab exitu ex Ægypto notatum habes initio anni huius. Profana porro hiſtoria hoc tempore apud Euſebium ſilet: imo & ſacra aliquantiſper, vt mox dicetur. XXIII.

ANNVS MVNDI 2983. DILVVII 1327. QVINTÆ ÆTATIS 44. EXITVS ET DATÆ LEGIS 440. ARCÆ IN CARIATHIA. 34. DAVIDIS ET ISBOSETHI 4. ABITHARIS PONT. 9. TROIÆ EXCISÆ 112. DERCYLLI 33. IMPERII ASSYRIORVM. 1052.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1070.

SABBATICVM annum ſeptimum ſupra quinquageſimum, excepit hoc anno Iubilæus annus Moſaïcus, ordine octauus, iuxta ſchema trigeſimo tertio Othonielis anno propoſitum: [b] quos à Dauide in tribu Iuda ſtudioſè obſeruatos, religio ſit dubitare. In altero regno obſeruatos fuiſſe, non habeo vnde ambigam, vel aſſeuerem. I. *Moſaicus iubilæus octauus.*

b to. 2. a. m. 2653. (margin)

PERTINET autem ad hunc annum, & ſequentes aliquot, longa illa concertatio, quæ initio tertij capitis memoratur, [c] inter domum Saul & inter domum Dauid. Exorſa enim anno proximè præterito, eo modo quem expoſuimus, ad illud tempus propagata eſt, quo occiſo Abnere; quo vno Saulis familia nitebatur, & poſtmodum Iſboſetho ipſo, tribus omnes vnanimi conſenſu venerunt ad Dauidem, & eum vniuerſi populi regem conſtituerunt, quod octauo Dauidis anno II. *Concertatio inter vtrumque regem.*

c 2. Reg. c. 3. (margin)

Qualis, quamque diuturna.

factum eſt, vt ſuo loco dicetur. Concertatio fuit, ſæpiúſque iterata certamina; irritati enim Iſraëlitæ ſuper amicorum ſuorum clade, pudore etiam affecti, quod cum priores bello initium dediſſent; coacti nihilominus fuiſſent pugnæ finem ab aduerſario poſtulare, quod erat propemodum veniam ac vitam petere, in eam cogitationem intenti erant; vt dedecus aliquod Iudæis cum inſigni aliqua clade reponerent. Itaque crebris excurſionibus & velitationibus certatum eſt, ſæpe ventum ad manus, ſed ea prælia ſigillatim explicare Scriptura prætermiſit; illud dicere contenta. *Dauid proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie*, ſignificans in diutino illo bello, frequentibúſque prælijs, Dauidicos plurimùm ſuperiores euaſiſſe.

III. *Ipſi tamen principes non pugnarunt.*

Concertatio fuit inter domum Saulis, & inter domum Dauidis, Abnere illam in gratiam Saulis, & Iſboſethi ſuſtentante, Ioabo autem cum ſuis pro Dauide, & tribu Iuda pugnante. Neque enim in hac ciuili concertatione ipſi principes pugnaſſe leguntur, Iſboſethus quidem, vt putatur ignauia, & rerum bellicarum inſolentia: Dauid autem certo conſilio, ne populi Dei, & ſuorum ſubditorum ſanguine pollueretur. Quo fit vt nuncium de 360. Iſraëlitis, & 20. Iudæis interfectis, non ſine luctu, vt arbitror, acceperit. Potuit etiam de induſtria à pugnis abeſſe, non ſolum quia in eius capite omnium vertebatur ſalus, ſed etiam vt inuidia, ſi qua ex Ioabi geſtis exiſteret, in ipſum Ioabum, & non in Dauidem, qui omnes ſibi conciliare nitebatur, redundaret. Fiebat quotidie robuſtior Dauid; neque mirum. [a] Nam qui multos habuit, etiam viuo Saule ac vigente; etiam inops ac fugitiuus, deſertorum locorum, ſpeluncarum, & rupium inacceſſarum incola, qui ad eum confluerent, eiúſque partes ſequerentur; quanto id magis conſentaneũ eſt contigiſſe mortuo Saule? præſertim diuino fauore ita illi obſecundante, vt in regem populoſiſſimæ, nobiliſſimæque tribus electus iam eſſet, & conſecratus. Et alioqui eas haberet ad regnandum dotes, vt ad eam dignitatem fictus à Deo videretur.

Dauid roboratur.

[a] vide an. præced. nu. 2. & 3.

IV. *Iſboſeth deficiebat.*

Quid interim Abner.

Savlis autem domus attenuabatur in dies. Abner enim in quem vnum ſpes domus Saulis inclinata recumbebat, ſuas ipſe res potius, quam Iſboſethi cogitabat, vt ſupra explicatum eſt. [b] Præſertim cum certum haberet atque exploratum, quod ipſe poſtmodum publice profeſſus eſt, regnum vniuerſum in poteſtatem Dauidis, ex Dei decreto, eſſe venturum; Ideóque minus erat acer in reſiſtendo, vt pene coactus pugnare videretur, eſſetque pacis appetentior, quam ciuilis belli, deinde infelix eius pugna ad piſcinam Gabaonicam, non parum animos eius, & populi qui eius auſpiciis militabat, infregerat. Ex ea enim quoddam quaſi omen accipiebatur, quam denique in partem victoria declinatura, ac ceſſura videretur. Azaëlis tamen cædes, ob quam exulceratum Ioabi fratris animum, fortaſſis etiam Dauidis auunculi, non ſine cauſa ſuſpicabatur, Abnerem ipſum reddebat cunctatorem; ne quod inceptabat ad exitum perducere conaretur, donec Iſboſethi obiurgatio labantem iamdudum Abneris animum, & ad Dauidem valde inclinantem denique inflexit, ac perpulit, vt poſtea dicetur. [c]

[b] an præced. n. 4. & 5. ca. 3. v. 17. & 18.

[c] an. 6. Dauid. n. 8.

V. *Quæ Saulis familiã ſuſtentarent.*

Familiam tamen Saulis non pauca, neque leuia firmamenta ſuſtentabant: Primum ius regiæ ſucceſſionis, quod pro Iſboſetho pugnabat: Secundò, populi in Saulem & Ionathan beneuolentia. Principes enim ſuos populi, natura duce diligunt, ac venerantur, verbis commendant, nec modo ad eorum incolumitatem excubias & cuſtodias, ſed laterum etiam ſuorum oppoſitus, corporumque pollicentur, ac præſtant. Nec ſine cauſa Dauid in ſuo illo carmine lugubri Saulem, & Ionathan dicebat amabiles. Erant enim non exiguis dotibus commendabiles, præſertim in hoſtes fortitudine, & in ſuos beneficentia; cuius illa indicia [d] ſunt. *Filiæ Iſraël ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.* Tertio zelus aliarum tribuum aduerſus Iudam, cuius potentiæ, vt fit, inuidebant, eiuſque dominationem, & ſuam deiectionem metuebant, & auerſabantur. Quarto tribus ipſa Beniamitica, quæ iam erat in poſſeſſione regiæ dignitatis, & viris fortiſſimis abundabat, & tribui Iuda erat contermina pro viribus reſiſtebat; cuius rei ſignum eſt, quod tardiſſimè omnium ſe ad Dauidem aggregauit. [e] Hæc ergo, hiſque ſimilia longam concertationem fouerunt, alijs retinere, & conſeruare ius ſuum; alijs acquirere, & augere molientibus.

[d] 2. Reg. 1. 14.

[e] 1 Paral. 12. 29.

VI. *Philiſthæi interim quieſcentibus.*

INTERIM autem diuina prouidentia fiebat, vt ſupra quoque notauimus, vt Philiſthæi quieſcerent, nec in ſchiſmate conſtitutos ſeorſim inuaderēt: & ſibi inuicem mutua vt fit auxilia negantibus, perniciem non difficulter afferrent. Quomodo enim diuiſi reſiſtere potuiſſent, qui coniuncti nuper in montibus Gelboë tanta cum clade cecidiſſent? Exiſtimari tamen poteſt tam Dauidem quam Abnerem bellicarum rerum ſcientiſſimos prouidētiſſimoſque in eam, pro ſe quemque, curam intentos fuiſſe, vt Philiſthæorum incurſum, aut impune, aut quam minimo detrimento ſuſtinere poſſent.

VII. *Dauid augetur vxoribus & liberis.*

CÆTERVM vt illud iteremus, quod ad hoc quoque tempus pertinet, hoc rerum ſtatu, & temporum conditione, pene pacem inter bellumque media, Dauid, qui difficillimis ſuis, aſperrimiſque temporibus iuuenis adhuc, amiſſa Michole filia Saulis, non vna tantum, ſed duas vxores acceperat, Deo vtique inſpirante, quo inconſulto nihil admodum, quod alicuius momenti eſſet, agebat, ad duas illas treſue priores, breui quartam ad regem Geſſuri ſibi affinitate obligandum adiecit. moxque addidit etiam quintam, ſextam, & ſeptimam, & de ſingulis, excepta Michole, ſingulos ſuſcepit liberos, quos ſupra [a] vno eodemq; loco poſuimus, propter incertitudinem temporum. Scripturam imitati, quæ omnes in Hebrone natos, hoc loco ſimul enumerat; quia non habet propoſitum ſuos quibuſque rebus annos aſſignare.

[a] an Dauid. 2. nu. 11.

ANNVS MVNDI 2985. DILVVII 1329. QVINTÆ ÆTATIS 44. EXITVS ET DATÆ LEGIS 442. ARCÆ IN CARIATHIA. 45. DAVIDIS ET ISBOSETHI 6. ABIATHARIS PONT. 11. TROIÆ EXCISÆ 114. DERCYLLI 35. IMPERII ASSYRIORVM. 1054.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1068.

I. *Summa capita rerum anni huius.*

SEXTVM iam annum regnabant in Chananitide reges duo, cum Abner princeps militiæ Isboſethi diu cunctatus, tandem fœdus iniit cum Dauide, ſed priuſquam res plane confecta eſſet, Ioabi inſidiis interceptus interiit; res late toto pene tertio capite deſcribitur; Primum enim cauſa offenſionis Abneris explicatur, tum eius ad Dauidem legatio, quam excipit concio ad Iſraëlitarum, & nominatim Beniamitarum maiores natu, de regno ad Dauidem transferendo. Inde ſecuta eſt eiuſdem Abneris ad Dauidem profectio, vt quod per nuncios agitarat, coram ipſe conficeret. Re autem cum ipſo compoſita, dum reuertitur ad ſuos, euocatus à Ioabo, crudeliter in vltionem Azaëlis occiditur. Eam mortem Dauid indigniſſimè tulit, & homicidam execratus, defuncti funus multo honore, luctúque, cum totius populi approbatione proſecutus eſt. Hæc hoc anno geſta: nam Isboſethi mortem ad ſequentem potius pertinere arbitramur; ſed ſingula nobis de more diligentius inſpicienda ſunt.

II. *Diutina concertatio regnorum.*

CVM *ergo eſſet prælium inter domum Saul, & domum* Dauid, *Abner filius Ner regebat domum Saul*, inquit Scriptura, [b] *qui quod eſſet vir prudens*, addit Ioſephus, *& ad popularem gratiam factus, multitudinem in officio continebat, vt longo tempore in fide Iebosthi permanerent.* Non eſt auſus Ioſephus definire annos regni Isboſethi, etſi in Scriptura legeret, [c] eum regnaſſe biennio, quod illic aliquid myſterij latere, non ſine cauſa ſuſpicaretur. Prælium autem dicit hoc loco Scriptura, quam ſupra vocauit concertationem; vtrobique in græco & hebræo eodem belli vox iteratur; quod explicans Ioſephus, [d] *porro*, inquit, *poſt conflatum ciuile bellum, & crebros partium conflictus, præcipuum momētum fuit in Abenero*: quem ſecutus Sulpitius Seuerus. Crebris ait pręliis inter duces regum concurſum, & Abnerem pulſum ſæpius. Hoc rerum ſtatu exorta eſt ingentis ſiue occaſio, ſiue cauſa diſſidij, ex quo totus populus Abneris opera ſeſe quamprimum diditurus erat Dauidi, eumque pro rege, abdicato, & repudiato Isboſetho, agniturus; niſi cædes illius importuniſſimo tempore, & Dauidis negotiis incommodiſſimo, contigiſſet.

III. *Occaſio tollendi ſchiſmatis.*

OCCASIO hæc fuit, fuerat Sauli concubina nomine Reſpha filia Aia, Ioſephus

[b] 2. Reg. 3. 6. ἰσχύων χριστός.
[c] 2. Reg. 2. 10.
[d] li. 7. ant. c. 1.

Sibathi filia vocat, quē Rufinus interpres ex Scriptura correxit. Cum ea muliere Abner conſuetudinē habuit: quod cum Iſboſetho innotuiſſet, rem minime ferēdam ratus, & vultu & oratione ſeueriore Abnerem obiurgans, vt ex irata eius reſponſione colligitur. *Quare*, inquit, *ingreſſus es ad concubinā patris mei?* Quidam hanc Reſpham concubinam dici volunt, non vxorē ſecundariā Saulis, qualis fuit Cethura & Agar Abrahami, Bala & Zelpha Iacobi, ſed pellicem, prætertim cum Septuag. hebręā vocē פלגש pilleges vnde videtur nata latina vox, verterint pellicem; ſicut & nonnulli recentiores interpretes. Verum ea vox, ſicut & concubinæ, aliquando in bonam partem ſumitur. Eam ergo cum Abner pro poteſtate ſua, quaſi ſolutus legibus ſibi accepiſſet, ægre id tulit Iſboſethus. Siue enim eam habere voluit vxorem, vt inde ius quoddam ad regnum acquireret, vt poſtea Adonias, dum vxorem habere voluit Abiſac Sunamitidem; ſiue eam ob eximiam fortaſſe pulchritudinem habere voluit pellicem, vtrumque merito Iſboſetho diſplicuit. Alterum enim ad regni ſui amiſſionem, alterum ad graue ipſius dedecus vergebat, vt notarunt Lyranus & Abulenſis.

Reſpha Saulis concubina. — Aldi Sixti Reg. — Arias, Tigur.

IV. *Abner iraſcitur Isboſetho.*

ABNER autē iræ impotens, neq. peccatum ſuū agnoſcens, neq. regiā maieſtatē reueritus, à qua non verbis ſolum, ſed graui etiā pœna meruit caſtigari, vt poſtea à Salomone Adonias, aſperioribus etiā verbis regē increpare auſus eſt: audacem quippe reddebat ſumma authoritas, & poteſtas in Isboſethi regno, quod ipſius vnius præſidio nitebatur. *Nunquid*, inquit, *caput canis ego ſum aduerſus Iudam hodie?* Nihiline ſum ego in hoc regno tuo cōtra Iudam? num canis aliquis ego ſum in bello iſto, quod ego pro te contra Dauidem gero? Et non potius is, qui totum publicæ rei pondus, & regnum tuum ſuſtento humeris meis? Canem enim pro re vili, & abiecta iam ſupra [a] vſurparat Dauid, Saulem alloquens. Volebat autem hanc culpam, quam non diffitebatur, ſine reprehenſione diſſimulari, & condonari ſibi; tanquam viro qui de toto regno eſſet quam optime meritus, ſubdit enim. *Qui fecerim miſericordiam ſuper domum Saul patris tui, & ſuper fratres, & proximos eius*; explicat autem in quo poſita fuerit hæc miſericordia; *& non tradidi te in manus* Dauid, qui ſcilicet te vel morte affeciſſet, vel in æterna vincula conieciſſet; *Et tu requiſiſti in me quod argueres pro muliere hodie.* Et tu ne hanc quidem gratiam mihi reddidiſti, vt leuem culpam mihi tacitus condonares.

a 1. Reg 24.15.

V. *Iniuſtè, atque arroganter.* — *Etiam intentat minas.*

HÆC fuit quaſi acceptæ iniuriæ expoſtulatio, & ingratitudinis aduerſus dominum, ac principem ſuum, perquam iniuſta accuſatio; ſiue quia arrogans, atque inverecunda aduerſus Chriſtum Domini: ſiue quia benefactorū ſuorū improbum exigebat præmium, peccandi impunitatē. Neq. tamen his contentus, etiā minas ingerit execratione firmatas. [b] *Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat, niſi quomodo iurauit Dominus Dauid, ſic faciam cum eo.* Non apparet vbi iurauerit Dominus ſe Dauidi regnum daturum; nimirum firmitas promiſſorum diuinorum iuramento ſignificatur. Sed expende interim lector vtrum Abner ſextum iam annū contra conſcientiam propriam pugnauerit, & ſciens prudenſque reſtiterit diuino decreto, quod ſciebat eſſe *vt transferretur regnum de domo Saul, & eleuaretur thronus* Dauid *ſuper Iſraël, & ſuper Iudam à Dan, vſque Berſabee*; id eſt, quā patet omnium tribuum Iſraëliticarū poſſeſſio. Dan enim, vt alibi diximus, erat in extremis finibus regni Hebræorum ad Septentrionem in tribu Nephthalim; Berſabee vero in oppoſitis finibus ad meridiem in tribu Simeonis, verſus Idumæos & Amalecitas.

b 2. Reg 3. v. 9.

VI. *An peccarit transferendo regnum.*

ILLI autem dubitationi rectè reſpondet Abulenſis;[c] Si Abner à principio, cum conſtituit Iſboſethum regem ſuper Iſraëlem aduerſus Dauidem, ſciebat nullum iſti filio Saulis ius eſſe regnandi, ſed illud in Dauide ex diuino decreto, & electione reſidere; grauiter peccauit conſtituendo illum regem, quem Deus reiecerat, & priuando iure ſuo illum in quem Deus vniuerſum tranſtulerat, & cuius conatus oportuerat omni ope ac viribus fouere. Sin autem bona fide tunc credidit regnum ad Saulis filium hæreditario iure pertinere, non peccauit. Cum autem poſtea conſcius factus eſt iuris Dauidici, nō tenebatur regno ſpoliare Iſboſethum, & illud Dauidi reſtituere; eo quod Iſboſetho ius aliquod ex poſſeſſione bonæ fidei acquiſitum eſſet, quo ab Abnere, qui nullum in eum ius habebat, neq. authoritatem, per vim priuandus non erat. Non poterat tamen, ea cognitione accepta, Iſboſetho contra Dauidem opem ferre, ſine graui culpa iniuſtitiæ, fauendo iniu-

c q 7 in c 3. 2. Reg

ABNER SATAGIT REGNVM IN DAVIDEM TRANSFERRE.

ſto poſſeſſori contra legitimum dominum. Iſboſethus autem ipſe, cum factus eſt conſcius Dauidici iuris, debuit illud Dauidi cedere, & Abner ipſe eum ad eam ceſſionem hortari, non autem ei regnum, quantumuis illud haberet in manu, per vim eripere. Hæc pluribus Abulenſis.

VII. *Imprudentia Iſboſethi.*

AD hanc Abneris obiurgationem, increpationẽ, & minas nihil auſus eſt reſpõdere Iſboſethus, quia videbat in manu eius eſſe regnũ ſuũ; nec minus iratum nocere poſſe, quam amicum fauere; apertéque intellexit ſe imprudentia lapſum, qui intempeſtiue hominem reprehenderit, nec cogitarit quantum ſpei eſſet ad perficiendum quod inceptabat; nec viderit minora mala, quæ emendari ſine maiore damno nõ poſſunt, eſſe toleranda. Hoc enim modo admonere pene dixerim eſſe (Mat. 7. 6.) proijcere margaritas ante porcos, qui eas cõculcent pedibus ſuis, & inſuper conuerſi dirumpant nos. Neque vero mirum eſt Iſboſethum non potuiſſe quidquam reſpondere Abneri præ metu; nã ne Dauid quidem ſatis animi, aut virium habuit, aduerſus Ioabum nepotem ſuum principem militiæ, cum Abnerem per proditionem occidiſſet, ſed ingemuit, & punitionem vltra triginta annos diſtulit; quin etiam Amaſæ mortem diu impune tulit idem Ioab. Et Dauidis prohibitione contempta, Abſalonem interfecit, [a] coëgitque regem luctum comprimere, nec præ ſe ferre triſtitiam ob mortem eius, totius regni defectione propoſita. Porro Abner non tantum minatus eſt hanc regni Iſraëlitici defectionem, ſed minas ſtatim in rem conferre cœpit.

Et timor.

Ioab violentus in Dauidem.

a 2. Reg. 18. 14. & c. 19.

VIII. *Mittit Abner nuncios ad Dauidem.*

QVAM PRIMVM enim miſit nuncios nomine ſuo ad Dauidem, qui ei regnum Iſraëliticum offerrent; nec expectauit dum populum eſſet allocutus, & eorum voluntatem ſtudioſe pertentaſſet, etſi id Toſtatus putet. [b] Nam neque Scriptura, neq. Ioſephus, quem refert, id affirmant; neq. erat neceſſe: habebat enim ſatis exploratam totius militiæ cui præerat, atq. adeo vniuerſi populi voluntatem: eámque à ſuo arbitrio pendere non ignorabat. Habuerunt autem in mandatis vt Dauidi dicerent. *Cuius eſt terra?* id eſt, vt agnoſcerent, ac profiterentur terram promiſſionis vniuerſam ad ipſum pertinere, eius videlicet liberalitate, cuius eſt terra, & plenitudo eius. 1 Deinde vt amicitiæ fœdus iniri inter Dauidem regem, & dominum ſuum poſtularent; nonnullæ enim interceſſerant inter eos ſimultates, vt ante diximus. [c] Sed apparet eum aliquid amplius à Dauide poſtulaſſe; nimirum, vt inter prçcipuos regis amicos reciperetur, vt Ioſephus explicat, & quod conſequens eſt, præcipuas dignitates, atq. officia regni obtineret; ſi efficeret vt Dauid ab omnibus Hebræis rex agnoſceretur. Id autem cum eſſet regno ſpoliare Iſboſethum, non dubium eſt Abnerem auertendo populum à rege ſuo, præſertim ex cupiditate vindictæ, non leui ſe crimine inquinaſſe.

b q. 8. & 18 in c. 3.

1. ex.

c a m. 1979. n. 103.

De transferendo regno.

IX. *Accipit cõditionem Dauid.*

DAVID autem lætus cõditionem accepit, *optimè*, inquit, *ego faciam tecum amicitias*; nec tamen Abneris culpæ particeps fuit, vt qui iure ſuo vſus fuerit. Cum enim ad Dauidem regnũ ex diuina electione pertineret, potuit illud ſibi ſine Iſboſethi, aut cuiuſquã iniuria vindicare. Neq. Abnerem ad peccandum induxit, ſed mala eius voluntate bene vſus eſt ad obtinẽdam rem ſuam, ſicut Dominus mala improborum voluntate vtitur ad ſontes caſtigandos, & inſontes patientiæ præmio coronandos. Secluſa porro Abneris culpa, prouidit Deus hanc rationem & modum, quo populum vniuerſum ſine vi, ac ſanguine adduceret ad Dauidem; qui alioqui maluiſſet iure ſuo priuari, quam regnum cruenta victoria obtinere, & inuitos propriæ ſubiicere poteſtati. Nam quod occiſus eſt Abner, id non publica ex cauſa, ſed priuata, Dauide inuitiſſimo, Ioabi ſcelere contigit. Iſboſethi quoque mors ad hanc regni tranſlationem neceſſaria non fuit, quç inuito quoque Dauide perpetrata eſt, qui pro innata manſuetudine, vt Saulis malefacta benefactis obrueret, eum habiturus erat, apud ſe, atque honoraturus. [d]

Sine culpa ſua.

d vide Abul. q 11 in ca. 3.

X. *Repetit Micholem.*

CÆTERVM cum dilectam haberet, atq. honoratam coniugem Micholem, ſub alterius viri poſitam poteſtate, quam ſibi inuito à Saule rege ereptam, eo viuo recuperare nequiuerat, [e] & hactenus fruſtra ſe ab Iſboſetho repetiturum crediderat; præſenti occaſione vſus, eam cõditionem fœderis eſſe voluit, ſine qua id coaleſcere non poſſet, vt ea ſibi reſtitueretur. *Non videbis*, inquit, *faciem meam, antequam duxeris Michol filiam Saul, & venies, & ſic videbis me.* Mouebat autẽ Dauidem ad eam repetendam, non ſolum mutuus ille, nec vulgaris cõiugum amor, in quo Michol

e vide ſupra an 16. Saul. nu. 50. & 51.

Et quamobrem.

ABNER SATAGIT REGNVM IN DAVIDEM TRANSFERRE.

Dauidem præuenit,& pro eius ſalute patris atrociſſimam indignationem, ac periculum vitæ non dubitauit incurrere: ſed illa quoque cogitatio,ne illam diutius in adulterino coniugio,cum proprio dedecore,viuere pateretur: [a] in quo mulierem inuitam degere,propter eius in ſe amorem non ſine cauſa exiſtimabat. Præſertim cum & conſtantem erga ſe Dauidis amorem experiretur, qui tot iam annos abſentem non repudiarat,nec eius,licet alijs ſuperinductis vxoribus, obliuiſcebatur; & iam videret Dauidem ad regiam dignitatem euectum; & libenter auditura eſſet regis filia,ſoror,coniux,& ſi fieri poſſet,mater.

a Theodoret. q. 11. in l. 2 Reg.

XI. Per nuncios ad Isboſethum.

MISIT autem Dauid nuncios ad Isboſeth filium Saul dicens, *Redde mihi vxorem meam Michol,quam deſpondi mihi centum præputijs Philiſthinorum.* Ioſephus eã mendacij legem,quæ memoriã requirit, vt ſit in dictis conſtantia, nec priora poſterioribus refellantur,religioſè ſeruauit;itaq. nunc quoq. cẽtum Philiſthæorum prǫputia, in ſexcenta eorumdem capita commutauit. Cur autem miſit nuncios ad Isboſeth,nec ſolius Abneris poteſtate,atq; auctoritate eſt vſus,qui Micholem, Isboſetho & Phaltiele,ſiue inuitis,ſiue volentibus,Dauidi reſtituere potuiſſet. An
1. regi,& vxoris ſuæ fratri id honoris deferri voluit, vt ne eo inconſulto, & conſentiente,ſoror à præſenti viro abducta,priori reſtitueretur? An eum ſibi aliquo mo-
2. do conciliare voluit,quaſi ei receptæ vxoris debitor fieri vellet? An vt ne iurgia
3. atque offenſiones inter Abnerem atque Isboſethum multiplicarentur,ac creſcerent,ſi is de regis ſorore pro arbitrio,ſine conſenſu regis,in re tanta diſponeret;&
4. quidem in gratiam inimici ſui,atque æmuli regni. An denique ne ſi miſiſſet nuncios ad Abnerem prætermiſſo rege, fœdera ſiue conſpirationes Dauidem inter & Abnerem pateſcerent?

XII. Conſentit Isboſethus & quare.

HISCE nuncijs acceptis Isboſethus,non tam æquitate poſtulationis cõmotus, quam veritus ne hanc cauſam acciperet Dauid,vi eam,& armata manu repetẽdi: hoc præſertim tẽpore,quo ſentiebat Abnerem, columen & protectorẽ regni ſui, ſibi offenſum;à quo etiã ſuſpicari poterat hanc cõtra ſe inſtrui,parariq. occaſionẽ,ad ſe de regio ſolio deturbandum:nihil negare auſus eſt,aut contradicere;ſed miſſo quam primum ad Phaltielem,qui Micholi pro viro erat,nuncio,qui ſororẽ repoſceret,iuſſit eã reſtitui,& Dauidi legitimo marito reddi. Is reddidit eam ſed

Inuito Phaltiele.

inuitus;cuius apertũ indicium eſt,quod *eam ſequebatur plorans vſque Bahurim*, quod oppidum eſt in tribu Beniamin [b] in monte ſitum;eam vbique gentium,vt apparet,ſecuturus,niſi Abneris imperio deſiſtere, ac reuerti coactus eſſet. Oportuit vtiq. hanc mulierem nõ ſolum nobilem,ac ſpecioſam, ſed etiam ſapientem eſſe, quã vir ſapiens & eruditus,vt Hebræi aſſerunt,longo itinere plorans ſequeretur. Sciebat vtiq. illud Salomonis. [c] *Qui inuenit mulierẽ bonã, inuenit bonum, & hauriet iucunditatẽ à Domino.* Sciebat eo maiorem prudentis mulieris eſſe iacturã,quo res pretioſior eſt,&rarior. Idem enim rex virum de mille vnum ſe reperiſſe ait,mulierem ex omnibus non reperiſſe. 2 Sed hic ploratus,& deductio aliquanto poſt cõtigit.

b vide Adrich. in ea tribu. n. 28.

Mulier bona.

c Prou. 18. 22.

XIII. Abner ſeniores ſollicitat.

INTERIM enim dum Michol diſceſſum parat,& perpetuũ à Phaltiele diuortiũ; & is quantũ poteſt cunctatur,à diſceſſionẽ dilectiſſimæ coniugis,ſi tamen coniugis, remoratur,vt ille quondã leuitæ ſocer: [d] ſermonem intulit Abner ad ſeniores Iſraël. Potuit ſeorſim cum iis agere,potuit etiam cum ſimul congregatis. Etſi enim huiuſcemodi conuentus clam fieri ſolent; Abner tamen qui nihil timebat ſibi ab Isboſetho, palam, in maius ipſius dedecus & contemptũ, ſeniores populi congregare potuit;precario iſto rege ne muſſitante quidẽ. Exiſtimo itaq. cõgregatos,quod Ioſephus quoq. fatetur,[e]& quidẽ publicè,ſed ſpecie negotij cuiuſpiã militaris,quod hoc belli tempore ſatis magnã habebat probabilitatem. Alioqui enim hoſtem ſe aperte declaraſſet Isboſethi,& non ſubita duntaxat in eũ motum iracundia. Atqui Abnerem tenuiſſe tecta proditionis conſilia, declarat ille luctus Isboſethi,& perturbatio in eius morte; qui potius in cõiurati ac proditoris morte lætatus fuiſſet. Audi Ioſephum. [f] *Iebosthus autem Saulis filius Abneris morte audita grauiter hoc tulit,mirumque in modum ob hanc cauſam ſe afflictauit.*

2. eX.

d Iud. 19.

Et congregat diſſimulanter.

e l. 7. c. 1.

f l 7. c. 2.

XIV Eius ad eos oratio.

SVMMA orationis fuit,ipſos dudũ deſideraſſe habere Dauidem regẽ, 3. vt vnus eſſet princeps, vnius politici corporis vnũ caput; & quidẽ eiuſmodi caput quod Deo acceptum eſſet, & idoneum ad populum Dei è Philiſthæorum manu liberandum: Huiuſmodi eſſe Dauidem,de quo editum ſit oraculum. *In manu ſerui mei*

3. eX.

Dauid ſaluabo populũ meum Iſrael de manu Philiſthym & omniũ inimicorũ eius. Ne videretur proditor, ait Caiet. vindictã in Iſboſethũ exercet ſpecie exequendi diuinã reuelationẽ. Ioſephus ait editũ fuiſſe à Samuele hoc oraculũ, additq. dixiſſe ad eos Abnerem, *remoratum ſe illos hactenus, quo minus relicto Iſboſetho ad Dauidem deſciſcerent, Nunc autem libenter ſe hoc illis permiſſurum, quod certo comperiſſet, hunc per Samuelem Prophetam toties Hebræorum gentis regem diuino iudicio deſignatum eſſe, eundemq. vatem præcecinisſe, quod huius ductu vindicandum ſit in Palæſtinos, nec alio rege ſub iugum Iſraëlitarum eos poſſe ſubigi.* Verum huiuſmodi oraculum in ſuperioribus non legitur; ſed multa dicta factaque ſunt, quæ ad hiſtoriam ſacram pertinent, quæ literis mandata non fuerunt, cuius rei ſtatim ſubditur exemplum.

Qvid enim reſponſum fuerit ab Iſraëlitis hoc loco non dicitur; mox tamen id toti populo placuiſſe ea verba demonſtrant. *Et abijt vt loqueretur ad Dauid in Hebron omnia, quæ placuerant Iſraeli, & vniuerſo Beniamin.* Seorſim ponuntur Beniamitæ, quia cum iis ſeorſim, & poſt alios actũ eſt: eo quòd ipſi peculiariter aduerſus Saulem, & domum eius eſſent affecti; quorum gloria in totam ſuam tribum redundabat, vtpote quam præ cæteris, officiis honoratis, ac dignitatibus decorabat. Ideóq. ſi ad eos primùm hæc defectionis oratio eſſet perlata, eam vtiq. repudiaſſent. Cum autẽ, poſt reliquarum tribuum cõſenſum elicitum, cum eis actum eſt, magnum videlicet pondus decem tribuum ſuffragiũ apud eos habuit ad ſequendam ſententiam, quam ab initio reſpuiſſent. *His auditis*, inquit Ioſephus, [a] *ſeniores & præfecti, certiſsam in eorum ſententiam Abnerem tranſiiſſe, Dauidi in poſterum aperte ſtuduerunt. Supererat vt & Beniamitæ in hanc ſententiam concederent, quod ex hac tribu eſſet Iesboſthi ſatellitum.* Alludit Ioſephus ad ſua tempora, quibus factione militum prætorianorum ſæpe Imperatores creabantur, & deſtituebantur; ſed pergit. *Ad quos cum eadem verba feciſſet, ac ne illos quidem reniti animaduertiſſet, cũ viginti fermè comitibus ad Dauidẽ proficiſcitur, vt præſens initurn fœdus confirmaret*; aut promiſſum potius iniret.

a l. 7. ant. c. 1.

Abner itaq. cum maiorũ natu, & eorum qui authoritate in omnibus tribubus eminebãt, conſenſum in regnũ Dauidis, & abdicationẽ Iſboſethi obtinuiſſet, & Michol ad profectionẽ parata eſſet, aſſumptis viginti viris ſibi familiariſſimis venit ad Dauidẽ in Hebron. Significat Ioſephus fuiſſe eos de tribu Beniamin, ad quã Abner ipſe pertinebat. Porro iter ſuſceptum ſpecie Micholis ad Dauidem deducendæ, per mihi quidem probabile videtur. Etſi enim Abner, vt diximus, nihil Iſboſethum formidabat, anceps tamen eſt natura ſua huiuſmodi negotium, nec ſine aliquo integumento fieri amat. Quamuis enim iam populi conſenſum haberet, ſciebat tamen vir prudens leui momento populi voluntates in alteram partem reflecti poſſe. Ergo ſpecie deducendæ Micholis cum viginti viris ſe in viam dedit; cui ſe comitem addidit Phaltiel vſque Bahurim, vt paulo ante dicebamus: vbi ab Abnere regredi iuſſus, domum reuerſus eſt. Ipſe autem nouus paranymphus vxorem marito deduxit, atque reſtituit.

Venientem Abnerem Dauid magna beneuolentiæ ſignificatione accepit, vt qui ei duplici nomine gratiſſimus factus eſſet; quod & dilectam vxorem poſt tot annos reſtitueret, & vndecim tribuum pacificam ſubiectionem ſua opera impetratam deferret. *Et fecit Dauid Abner, & viris qui erant cum eo*, & videlicet nouæ etiã coniugi *conuiuiũ*, quod nõ parũ Ioſephus amplificat; ait enim ſplendidis ac ſumptuoſis epulis per aliquot dies adhibitũ. Quo tẽpore cũ Abner ea cumulatè præſtitiſſet, quæ Dauid ad iungendã cũ eo amicitiã poſtularat, ratio poſtulat vt cũ eo intimæ amicitiæ fœdus inierit, [b] eiq. primariũ aliquẽ in regno ſuo locũ ac dignitatẽ promiſerit; fortaſſis etiã militiæ principatũ; ne tam bene de Dauide meritus, deteriore eſſet apud eum conditione, quã apud Saulem; tanto pręſertim & ætate, & meritis, & rerũ gerendarũ prudẽtia Ioabo melior atq. pręſtantior. Id certe Ioabum timuiſſe ſequẽtia demõſtrabunt. At enim ſi Dauid iniit cùm Abnere fœdus hoc tẽpore, quid eſt quod ait Abner. *Surgã vt congregẽ ad te dominum meũ regem, omnẽ Iſrael, & ineam tecũ fœdus, & imperes omnibus ſicut deſiderat anima tua.* Publicũ nimirum requirebat fœdus cũ populo cõgregato, cuius ipſe quaſi fecialis eſſet, in quo noui regni conditiones ſancirentur, & regi populus fidelitatis atque obedientiæ, & viciſſim rex populo paternæ benevolentiæ & protectionis iuramenta præſtaret.

b Abul. q. 25 in c. 3.

Ergo poſt epulas, priuatumq; fœdus [c] Abner miſſionẽ petit, traducturus ad regẽ

XV. *Perſuadet etiam Beniamitis.*

Factiones militares.

XVI. *Abner venit Hebronem.*

Specie Micholis deducendæ.

XVII. *Amanter à Dauide accipitur.*

Et init cum eo fœdus priuatum.

Et publicum parat.

XVIII. *Abner dimittitur à Dauide.*

exercitum, & quod promiſerat, re exhibiturus, & quaſi in manus gentis imperium ei traditurus. Dauid autem non ei tantum fecit abeundi poteſtatem, ſed hominem honoratum & principem, & rebus ſuis vſque adeo fructuoſum honorificè aliquo vſque deduxit, vt Scriptura teſtatur, [a] vt is intelligeret Dauidem rebus ad nutum fluentibus non inſoleſcere, ſicut nec frangi aduerſis, ſed ſibi ſimilem ſemper eſſe. *a 2. Reg. 3. 21.*

Res turbatur à Ioabo. HACTENVS res belliſſimè procedebat, eratque in procliui extinctio ſchiſmatis, & vniuerſi populi ad vnum eundemque regem Dauidem, Iſboſetho exautorato, atque redacto in ordinem, aggregatio cum vnius hominis vel vindictæ appetitus, vel ambitioſa inuidia triſtem attulit rebus peripetiam; Et niſi diuina prouidentia, & Dauidis ſapientia remedium tuliſſet ei cladi, quæ ex Abneris cæde imminebat, implacabili ac deplorata diſcordia duo regna perpetuo diſtracta manſiſſent. Rem totam cognitione digniſſimam Scriptura duce, à cauſis ipſis exorſi, breuiter perſequamur.

XIX. *Qua ex cauſa. Vindictæ ne.* CVM enim viueret ſub Ioabi pectore acceptum vulnus ab Abnere, in cæde fratris ſui Azaëlis, eius manibus eiuſdem Abneris morte parentandum putauit; idque aperte ſignificant Septuag. vbi pro interfecerant habent ἐθηρεύοντο captabant. Eam cauſam aliquanto poſt Scriptura recenſuit, [b] *& mortuus eſt*, inquit, *in vltionem ſanguinis Azael fratris eius*. Verum exiſtimat Abulenſis, [c] hanc quidem cauſam vulgò iactatam, & à Ioabo ipſo vſurpatam, quod probabilitate quadam colorata eſſet iſthæc oratio, proptereaque à Scriptura relatam; veram tamen cauſam inuidiam fuiſſe & timorem, ne forte Abner Ioabi luminibus obſtrueret, atq; adeo ipſius cauſa principatu militiæ deiiceretur, vt paulo ante ſignificauimus. *b c. 3. 27.* *c q. 25. in c. 23.*

An potius ambitionis ex Ioſepho. Eadem eſt Ioſephi ſententia. [d] *Veritus*, inquit, *Ioabus ne Abner primum inter amicos locum obtineret, author illi factus regij faſtigij, & alioqui vir prudens in conſiliis capiendis, & rerum momentis obſeruandis: ipſe vero deteriori conditione eſſe inciperet, & præfectura copiarum priuaretur, malum & iniquum conſilium concepit.* Et infra. *Hunc exitum habuit vir egregius, inſidiis à Ioabo interceptus, vt ipſe videri volebat, in vltionem fratris Aſaelis, quem in prælio ad Hebronem*, imo ad Gabaonem *commiſſo Abenerus pertinaciter ſe inſequentem interemerat: re autem vera quod miſere timeret, ne honore quem obtinebat priuaretur, Dauide imperium exercitus in Abnerum transferente.* *d l. 7. c. 1.*

XX. *Theodoreto, & aliis.* EANDEM cauſam Ioſephus Theodoreto [e] merito perſuaſit, & Procopio Theodoretus, quibus aſſentiuntur Comeſtor in hiſtoria ſcholaſtica, Andreas apud Abulenſem, Lyranus, Serarius, & ſi qui alii: ex quibus libet audire Theodoretum, qui cum quæſtionem poſuiſſet, qua de re cauſa Ioabus Abnerem occidiſſet, reſpondet. *Prætextum quidem habebat cædem Aſaelis, veram autem cauſam inuidiam. Sciebat enim fore vt ille præeſſet exercitui, qui vniuerſum Iſraelem adducebat ad regem. Imperandi ergo deſiderium eum armauit ad cædem illius faciendam. Rex autem plane optimus, & eum luxit qui iniuſte fuerat interfectus, & eum qui iniuſte interfecerat multis ſubiecit execrationibus.* Sic ipſe, ſed priora videamus. Hanc ergo fortunæ ex voto fluentis commutationem ſacer hiſtoricus ſic exorditur. [f] *e q. 11. in l. 2. Reg.* *f 2. Reg. 3. 22.*

XXI *Venit Ioab ab excurſione.* CVM *ergo deduxiſſet Dauid Abner, & ille iſſet in pace, ſtatim pueri Dauid & Ioab venerunt cæſis latronibus, cum præda magna nimis.* Hic quoque proſper rerum ſucceſſus ſuperbiam Ioabi auxit, & audaciam. Qui autem eſſent hi latrones, & vnde profecti Scriptura non tradit, Ioſephus latronum ne meminit quidem. Septuag. aiunt veniſſe ἐκ τῆς ἐξοδίας ab excurſione, nimirum aduerſum latrones, quos Toſtatus putat Philiſthæos fuiſſe, vel Amalecitas. Ego crediderim potius Amalecitas. Nam Philiſthæi totis exercibus Hebræos petebant; Amalecitæ autem vere prædones erant, quorum 400. iuuenes nuper euaſerant conſcenſis camelis, qui fortaſſe nunc in laqueum ſe induerunt, quem tum vitauerant.

Diſcit quæ contigerant. REVERSO ergo cum exercitu & præda magna Ioabo *nunciatum eſt ei à narrantibus. Venit Abner filius Ner ad regem, & dimiſit eum, & abiit in pace.* Videntur iſti narratores tacite Dauidem arguere imprudentiæ, & fatuæ lenitatis, qui habuerit in ſua poteſtate principem hoſtium ſuorum, male vtique ſibi aliquid machinantem: quid enim aliud de huiuſmodi viris ſuſpicari conueniat? & tamen innoxium abire permiſerit; non arguunt quod eum conuiuio exceperit; ſed voluiſſent per fraudem aut calumniam in diſceſſu interfectum. Ita iſti temere in conſilia regũ

ſe ſuſpicionibus ingerentes, vngues in Ioabi vlcere fuerunt: prudentiores vtiq; futuri, ſi illud Salomonis alte in pectora dimiſiſſent, *Cælum ſurſum & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile.* [a]

[a] Prou. 25. 3.

XXII. *Adit regē, eumque increpat.*

Iſtos autem non ſolum ita de Abnere & Dauide ſenſiſſe, ſed Ioabo quoque perſuaſiſſe ſequentia demonſtrant. Adiit enim illico regem Ioab tum ad increpandum eum ob admiſſam huiuſmodi culpam, tum ad eius illi cædem perſuadēdam. *Quid feciſti?* inquit, *ecce venit Abner ad te, quare dimiſiſti eum, & abiit & receſſit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, vt deciperet te, & ſciret introitum tuum, & exitum tuum*: Penitius ſcilicet introſpiceret quo ſtatu eſſent res tuæ, & noſcet omnia quæ agis, quæ videlicet debent eſſe hoſtibus noſtris, quam occultiſſima. Vides lector inſignem Ioabi audaciam, confidentiam, malitiam, pernicioſaſque ſuſpiciones. Quis non miretur, ac damnet impudentem hominis audaciam, qui regem ſuum omnibus nominibus honore digniſſimum, licentius increpare audeat, quam herus aliquis paulo humanior ſeruulum ſuum? qui auunculum ſuum ætate quidem fortaſſe parem, aut inferiorem ſi placet, ſed tamen auunculum, & tanto dignitate ſuperiorem, fiducia conſanguinitatis tam inſolenter inuadat, quam triſtis aliquis vitricus priuignum ſuum; qui malitioſe hominum conſilia, in deteriorem partem interpretetur, & calumniis opprimere ſtudeat innocentem, ob ſuſpiciones, quales fuerunt conſiliariorum Hanonis regis Ammonitarum, [b] quibus iuuenis princeps in fraudem inductus, legatos Dauidis innoxios, maximo ſuo malo contumelioſe tractauit.

inſigni cum audacia, confidentia, malicia.

[b] 2. Reg. 10.

XXIII. *Quo prætextu ſit vſus.*

Præ ſe tulit Ioab zelum regis ac regni eius, vt fidentius poſſet increpare ipſum; [c] & quamuis certus eſſet Abnerem interficere, addiit tamen regem, cum hac querela, quam vehemens eius conſeruandi ſtudium effudiſſe videretur, vt vel hominis cædem impetraret; vel ſi id minus à principe clementiſſimo aſſequeretur, eam dum ipſe propria autoritate perpetraſſet, perſuaderet ſibi rex Ioabum non propriam iniuriam vlciſcentem, ſed regiis ſtudentem commodis Abnerem ſuſtuliſſe. Male autem accuſat Dauidem, quod Abnerem incolumen dimiſerit, cum eum data, vt fieri ſolet, fidei publicę ſecuritate, non potuerit, niſi violato iure gentium, vlla ratione violare; ſed ſibi tantum ab ipſo, tanquam ab hoſte prudenter cauere. Ipſe autem Ioab publici boni, aut periculi integumento male tectus, & omnia Abneris promiſſa, ſpeſque Dauidis, hoſtiles fraudes, inconſultamque probitatem interpretans, ambitioſum timorem ſuum, atque inuidiam obtegebat.

[c] Abul. q. 21 22. 23. in c. 3

eiuſdē calliditas.

XXIV. *Dauidis patientia, & ſinceritas.*

Quæ quo deteriora, & maiore in culpa erant, hoc præſtantior fuit patientia, & mãſuetudo Dauidis, vincentis in bono malum, nec hominem pro merito verbis factiſque caſtigantis. Nihil enim impudenti ac falſæ accuſationi reſpondit, ratus dandum eſſe locum iræ, quæ ex bono zelo, licet non ſecundum ſcientiam profecta videretur: ea vbi deferbuiſſet, ſe iuſtæ ac meritæ correptioni non defuturum, ipſumque euentum proſperum, Ioabum temeritatis conuicturum. Et forte ille ſe raptim è regis conſpectu ſubduxit, nō expectata reſponſione. Metiebatur Dauid vt in more eſt optimis quibuſque viris, ex ſeipſo reliquos, nec à Ioabo conceptum animo facinus, à quo ipſe pro ſuo candore ac ſinceritate exhorruiſſet, vllo modo ſuſpicabatur. Itaque rectè ſubditur, [d] *ignorante Dauide* Ioabum à rege digreſſum, miſiſſe nuncios ad Abnerem, & eum ex itinere Hebronem reuocaſſe. *Poſtquam*, inquit Ioſephus, *fruſtra ſe verba fundere animaduertit, ac ne tantillum quidem regem his moueri, mutato conſilio facinus audax mente concipit, & certus hominum tollere, mittit confeſtim, qui curſim per eius veſtigia viam carperent, & aſſecuti eum Dauidis nomine reuocarent, quaſi per obliuionem quiddam, maxime ad rem pertinens, illi ſignificare omiſiſſet.*

[d] c. 3 v. 26.

Ioab reuocat Abnerē.

XXV. *Nomine Dauidis.*

Recte Ioſephus Abnerem nomine Dauidis reuocatum ait, quod affirmat etiam Abulenſis. Neque enim decebat Ioabum ſuo eum nomine accerſere, vtiq. multo maiorem natu, virum præſentis, defunctique regis conſanguineum, & ſumma in vndecim tribubus autoritate. potentia, dignitate præſtãtem. Non caruiſſet etiam ſuſpicione inſidiarum iſta reuocatio. Qui enim præuiderat periculum ſuum, antequam Aſaëlem inuitus interimeret, vltionis quoque cupidum animum facile ſuſpicatus eſſet. Inuenerunt nuncij Ioabi Abnerē [e] in ciſterna

[e] Adrich in tribu Iuda, n. 214.

4 ※· Sira, 4 ſiue, vt alii vertunt, in puteo ſpinarum, quem Ioſephus ait 20. ſtadiis
Hebrone diſſitum: is rogatus regis nomine vt reuerteretur, illico reflectit iter
Hebronem verſus; quo cum perueniſſet inuenit Ioabum expectantem ipſum ad
portam vrbis, & cum inter ſe amicè conſalutaſſent, ſeducit Abnerem Ioab à tur-
Eumq. interficit cũ fratre. ba ad interiora portæ, *vt loqueretur ei in dolo.* id eſt finxit ſe velle ipſum remotis ar-
bitris alloqui nomine regis. *& percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in vltionẽ ſan-
guinis Aſael fratris eius.* Nec auſus eſt ſolus Ioab exequi meditatum ſcelus, vt ti-
mida eſt in ipſo articulo facinoris improbitas, ſed aſſumpſit ſocium fratrem
suum Abiſai, vt paulo inferius Scriptura [a] commemorat. a c. 3. v. 20.

XXVI. Ex Ioſepho. PAVLO plenius Ioſephus rem explicat, *Cui* Abneri ſcilicet, *obuiam factus ante mœ-
nia Ioabus, humaniſſime exceptum, ſummam beneuolentiam præ ſe ferens, vt ſæpe fit cum ad
obtexendas inſidias malum aliquod facinus molientes ſummam bonitatem ſimulant, ſeorſum à
cætero comitatu ſeducit, quaſi ſecretius aliquid cum eo colloqui vellet, atque ita abductum in
locum portæ ſolitarium, vno tantum fratre Abiſæo præſente, ſtricto ferro per ilia traijcit.
Diuinum in ea cæde iudicium. *Hunc exitum habuit vir egregius, inſidijs à Ioabo interceptus,* & cætera. In quo vide pru-
dens lector æquitatem diuini iudicii: Ad ciſternam, ſiue piſcinam Abner pro-
uocauit ſocios ad cruentum certamen: idem nunc cum ad ciſternam eſſet, euo-
catur a ſocio principe militiæ vt interficiatur; proditione abducebat populum
ab Iſboſetho; proditione abductus à via ſua perimitur. Azaëlem in inguine per-
cuſſerat, ipſe ibidem perfoſſus interiit, vt eius quoque libido punita intelligere-
tur. Seuerus Sulpitius ait Ioabum præcepiſſe vt Abner iugularetur, *non ſine regis
dolore* inquit, *cuius fidem cruentauerat.* Scriptura tamen manu eum ſua confodiſſe
ſignificat.

XXVII. *Quantus inde Dauidis dolor.* VVLNVS hoc grauiſſimum Dauidis animo vulnus inflixit, quippe qui intelli-
geret magno publicæ, priuatæque rei detrimento, eam cædem fuiſſe perpetra-
1. tam. Dolebat male turbari bene ſuſceptam ab Abnere regni totius & populi cõ-
2. iunctionem; ideoque tanquam de tota repub. bene meritum lamentabatur. Do-
lebat principem virum regio ſanguini coniunctiſſimum, prudentiæ & fortitu-
3. dinis laude clariſſimum, regnóque ſuo vtiliſſimum, ſine cauſa, ſine iuriſdictione,
contra voluntatem ſuam, contra ius gentium morte ſublatum. Dolebat tantum
virum per proditionem cæſum, & quidem ab iis, quorum facinoris ignominia,
propter coniunctionem ſanguinis in ſeipſum redundabat; qui tamen prodito-
4. rias artes, pro ſuo ſingulari candore animi, & ſynceritate deteſtabatur. Dolebat
inquam cædis inuidiam in ſe deriuari, exiſtimante populo Ioabum, niſi rege vel
iubente, vel conſcio, id ſcelus non fuiſſe aggreſſurum: ex quo fiebat vt animi ab
ipſo valde abalienarentur, & ciuile bellum, magno vtriuſque partis damno, ve-
hementius exardeſceret.

XXVIII. *Quo remedio huic malo attulerit.* IN quorum remedium ſapientiſſimus Dauid primùm publice proteſtatus eſt
mundum ſe eſſe ab hoc crimine, eo quod ſe inconſulto, atque inſcio perpetra-
tum eſſet. [b] *Mundus,* inquit, *ego ſum, & regnum meum apud Dominum*, qui regum b 2. Reg. 3.
1. peccata nonnunquam ſeuera in populos animaduerſione caſtigat, *vſque in ſempi-* 28.
ternum, a ſanguine Abner filii Ner. Quia ſcilicet neque per me, neque per ſubditos
meos, volente me, effuſus eſt. *Audita nece,* inquit Ioſephus, [c] *Dauid vehementer in-* c l. 7. ant. c. 1.
*doluit, ſublatáque ad cælum dextera, magna voce proteſtatus eſt, quod nec iubente ſe, nec con-
2. ſcio cædes ea fuiſſet commiſſa.* 5 Secundo diuinam reis vltionem vel imprecatus eſt, 5 ※·
vel prædixit, vel quid mererentur oſtendit, dicens, *& veniat ſuper caput Ioab, &
ſuper omnem domum patris eius* quatenus ſcilicet ad ipſum aliqua ratione pertinent,
aut ad eius fratrem ſceleris participem; [d] minore tamen in culpa quam Ioabum, d c. 3. v. 30 &
Quæ imprecatus ſit Ioabo. veniat inquit ſanguis iniuſte effuſus; eáque afficiatur pœna Ioabi familia, vt *non* 39.
deficiat de domo eius fluxum ſeminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum. id eſt egenus, 1.
propterea que vili ac muliebri opificio vitam ſuſtentans. Alii pro fuſo ex hebręo
legunt ſcipionem, qui ſcilicet baculo nitatur, propter pedum, aut totius cor- 2.
poris infirmitatem. Septuag. quoque habent σκυτάλης κρατῶν, tenens baculum
quod Aquila cæcum interpretatur, qui baculo egeat ad pertentandam viam 5. 3.
& forte amanuenſes fuſtem in fuſum mutarunt. 5 ※·

XXIX. *Alia eiuſdem pœna.* ALIAM quoque pœnam imprecatur, vt non deficiat de domo Ioab *cadens gla-
dio,* qui ſcilicet præpropera, aut violenta morte, non naturali ac matura decedat.

quam pœnam primus ipſe, iuſſu Dauidis ac Salomonis occiſus, expertus eſt, nō deficiat denique, *indigens pane*, id eſt rebus ad vitam neceſſariis, quæ nomine panis ab Hebræis intelliguntur. Ex quo etiam confirmatur hebræa & græca lectio de tenente baculum propter valetudinem imbecillam, ne paupertas imprecationis materia bis poſita, & fruſtra iterata videatur. Hæc ergo pænæ nomine Dauid Ioabo, & poſteris eius imprecatur, & quidem non vſque ad tertiam aut quartam generationem, ſed *vſque in ſempiternum*, id eſt quandiu durabit familia eius; nam videmus non raro parentum pœnas in ſeram poſteritatem propagatas: præſertim cum malorum coruorum deteriora oua naſcūtur. Certe Adami poſteritas luit, luetque pœnas peccati eius, vſque ad nouiſſimam generationem. Chami poſteritas quæcumque nunc reliqua eſſe poteſt, ſeruituti paſſim mancipata, fit quotidie particeps Noëticæ maledictionis. Iudæi infelices ex quo Ieſu Chriſti ſanguinem ſuper ſe & ſuper filios ſuos depopoſcerunt, iam vltra quinquageſimam generationem vagi ac profugi ſunt ſuper terram, ſicut alteri Caini, innocentiſſimo Abele fratre per inuidiam trucidato, omnibus mortalibus odioſi, [a]*omnium peripſema vſque adhuc.* *Quæ ſæpe in poſteros longiſſima.*

a1. Cor 4. 14.

XXX. *Tertium ſignum doloris.*

TERTIO Dauid in ſignum doloris ſui de morte Abneris, publica ſigna luctus indixit, etiam iis qui pro accepta vltione in corde ſuo lætari videbantur. *Dixit* enim *ad Ioab, & ad omnem populum qui erat cum eo, Scindite veſtimenta veſtra, & accingimini ſaccis, & plangite ante exequias Abner*, voluit nimirum Ioabum ipſum luctui publico cum ſuis intereſſe: partim ad excitandum eum, vt de admiſſo facinore doleret; nam externæ doloris actiones internum prouocant ac fouent: partim ne frigida res eſſet, quam Dauid cupiebat eſſe honoratiſſimam, ſi Ioab cum magna parte populi & militiæ abeſſet; partim ne ſcandalum eſſet populo, ſi rege lugente, plurimi cum Ioabo, eiuſque fratre importunæ lætitiæ indulgerent. Quarto publicis, ſolennibuſque exequiis eum honorauit, ſic vt ipſemet feretrum ſequeretur, cum nobiliſſimis quibuſque regni ſui, lugubri omnes habitu. *Edixit*, ait Ioſephus [b] *vt totus populus defleret, ac lugeret virum, & ſolennibus funeralibus eſſet parentaret, ſciſſis veſtibus, & ſaccos indutus: atque hoc modo exequias frequentari voluit, quas & ipſe vna cum honoratioribus, & præfectis deduxit, planctu & lacrymis ſuis indicans, vel beneuolentiam erga viuum, vel mærorem ob defunctum, quodque præter ipſius voluntatem interemptus fuerit.* *Quartum honor exequiarum.*

b l. 7. c. 1. fi.

XXXI *Quintum ſepultura.*

QVINTO eandem beneuolentiam ac mœrorē ſepulto teſtatus eſt. Nam *cum ſepeliſſent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem ſuam, & fleuit ſuper tumulum Abner, fleuit autem & omnis populus*; indecorum enim erat rege flente, præſentem ei populum à fletu temperare. *Quin & magnifice apud Hebronem ſepultum*, ait Ioſephus, *atque epitaphio à ſe compoſito honoratum, ſtans ſuper monumentum primus deplorauit; ſuoque exemplo cæteros ad idem faciendum prouocauit.* Epitaphium vocat ea verba, quæ nunc quoque in Scriptura immortalitati conſecrata leguntur. *Plangens rex*, inquit, *& lugens, Abner ait; Nequaquam vt mori ſolent ignaui mortuus eſt Abner. Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati, ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis ſic corruiſti*; quæ auribus Ioabi, ad eius infamiam occinebantur. Nam *congeminans omnis populus fleuit ſuper eum.* Inſinuare voluit, hac congeminatione Hieronymus populum repetiiſſe lamentationem Dauidis: eamque repetitionem ſolennem atque ordinariam fuiſſe affirmat Toſtatus; conſentit Lyranus, Dionyſius, Emanuel Sa: licet improbante Caietano. Plangamus & nos ſi placet, Abnerem Dauidis exemplo, ſed ad mores, modumque noſtrum accommodato epitaphio, quod ad ſpeluncæ fores appendatur. *Epitaphiū Abneris.*

EPITAPHIVM ABNERIS.

XXXII. *Aliud Epitaphiū*

HIC SITVS EST ABNER, PRIMVS MILITIÆ PRINCEPS, APVD PRIMVM REGEM HEBRÆORVM, EIVSDEMQVE PATRVELIS: CVIVS INSIGNEM PRVDENTIAM, ÆTERNIS IGNOMINIÆ NOTIS DIGNA PRODITIO, PRAESTANTEM FORTITVDINEM, FRAVDVLENTA FALLACIA, SINGVLAREM DIGNITATEM METICVLOSA AEMVLATIO LABEFECIT,

ATQVE PROSTRAVIT. PLANGE ABNEREM POPVLE DEI, QVI IN IPSO CONATV TOLLENDI SCHISMATIS QVOD INCHOARAT, ET AGGREGANDI AD REGEM SVVM VNIVERSVM ISRAELEM, CRVDELI, AC PERFIDA AMBITIOSI HOMINIS MANV INTEREMPTVS EST. SIMVLQVE MIRARE AEQVITATEM DIVINI IVDICII, PERMITTENTIS, VT QVI REGEM SVVM POPVLO SVO INIVSTA CONIVRATIONE SPOLIABAT, IDEM LICET IN REGEM A DEO ELECTVM ORNANDVM INTENTVS, INIVSTISSIMA PRODITIONE TOLLERETVR. MORTVVS EST SEXAGENARIO MAIOR, ANNO REGNI DAVIDIS SEXTO, MVNDI CIↃ CIↃ DCCCC XXCV.

XXXIII. *Sextum ieiunij.*

Adiecit Dauid ſexto loco ieiunium, indicium doloris eiuſdem, ſicut nuper in morte Saulis & Ionathæ. Expleta enim tota funeris ceremonia, *cum veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die*, pomeridianis videlicet horis, ſat multo tempore ante ſolis occaſum, *iurauit Dauid* ſe reliquum diem ſine cibo potuque tranſacturum. *Hæc faciat mihi Deus*, inquit, *& hæc addat, ſi ante occaſum ſolis guſtauero panem, vel aliud quidquam.* Quod vt durum reputaretur atque difficile, oportuit Dauidem toto illo die cibo abſtinuiſſe. Quæ omnia facta ſunt, vt omnes intelligerent Abnerem à Dauide dilectum fuiſſe, eiuſque mortem ab eo ægerrimo animo ferri: nedum illius authorem fuiſſe, aut eius vllo modo conſcium. Nec priuatus eſt expectatione ſua Dauid. Omnis enim populus qui funeri affuit, & regem comitatus eſt, viditque regem plangentem, ſequentem feretrum, Ioabũ eiuſque familiam grauibus execrationibus obligantem, denique mortem lacrymis, næniis, ieiunioque proſequentem, vehementer probauit *quæ fecit rex in conſpectu totius populi; & cognouit omne vulgus, & vniuerſus Iſrael in die illa, quoniam non actum fuiſſet à Rege vt occideretur Abner.*

Quo fine hæc omnia Dauid.

XXXIV. *Populus cognoſcit Dauidis innocentiam in hac cæde.*

Non cognouit in illa die vniuerſus populus innocentiam Dauidis circa cædem Abneris, quia eadem die neque cædes, neq; ea omnia quæ geſta erant à Dauide circa illam toti Iſraëli nota eſſe potuerunt, vt notarunt Toſtat. & Caietan. Sed ex iis quæ eo die dicta & facta fuerunt, vniuerſus Iſraël poſtea nouit, Dauidem huic culpæ affinem non fuiſſe: opportuiſſet quippe alioqui eum non ſolum improbiſſimum eſſe, ſed etiam amentiſſimum, & propriæ gloriæ, atque vtilitatis inimicum.

Laudat priuatim Abnerem Dauid.

Non ſolum autem publice Dauid hæc præbuit argumenta doloris ſui, ſed priuatim etiam apud domeſticos ſuos. *Num ignoratis*, inquit, *quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Iſrael?* quaſi diceret, non eſt quod exiſtimetis hunc omnem luctum & pompam exequiarum male in Abnere honorando collocatam, vt qui & princeps fuerit ſanguine & dignitate, & princeps maximus prudẽtia, fortitudine, cæteriſq; virtutibus imperatoriis, & cuius ſalus, Reip. magno emenda eſſet.

XXXV. *Quare in reos nõ animaduerterit.*

Dicat aliquis, ſi verus fuit iſte dolor, neque ſimulatæ lacrymæ, neque fictæ querelæ Dauidis, quare debito ſupplicio in reos non animaduertit? Reſponſionem ſequentia verba continent. *Ego autem adhuc delicatus & vnctus rex. Porro viri iſti filij Saruiæ duri ſunt mihi. Retribuat Dominus facienti malam iuxta malitiam ſuam.* Quæ ſic explicat Ioſephus, [a] *Sed Deus*, inquit, *qui vniuerſa gubernat, necem huius inultam non ſinet. Is mihi teſtis eſto quod in Ioabum & Abiſæum animaduertere non valeo, qui apud exercitum pene plus poſſunt quam ego ipſe: pœnam tamen diuinitus infligendam non effugient.* hæc ipſe. Vtique, opinor, præter decorum. Nam hæc confeſſio ad maiorem audaciam, regiſque contemptum reos adduxiſſet. Cum Dauid pene ænigmaticè ſuam infirmitatem ſignificauerit, de induſtria. Tãgit idem Ioſephus vbi moriturus Dauid mandat Salomoni, vt de eo pœnas ſumat. Ioſepho conſentit Theodoretus, [b] qui id confirmat ex eo quod cum ſine periculo potuit huiuſmodi ſcelera punire, nihil diſtulit vltionem; vt cum è veſtigio iuſſit interfici, qui Iſboſethum (ſic enim legendum eſt non Miphiboſethum) & Saulem ſe interfeciſſe fatebantur.

a l.7. c.1 ß.

b q.14. in l.2.

XXXVI. *Metuit ne*

Existimavit ergo Dauid non eſſe nunc è publica re, & regno vix coaleſcente, hoſce fratres ad pœnam commeritam rapere. Delicatum ſe vocat, id eſt viri-

bus infirmum, & ea potentia nondum præditum, quæ in regnis pridem conſtitutis reperitur. Delicati enim infirmi ſunt, & facile poſſunt præ imbecillitate lædi. Et huic teneritudini opponitur duritics filiorum Saruiæ, qui vt res duræ, facile & diu reſiſtere poſſunt. Accedit etiam ad excuſationem Dauidis, quod non dabat impunitatem ſceleri, ſed pœnam differebat, dum interim illi ſtabiliendo regno vtilem operam nauare poterant. Et de Abneris morte hactenus. Et eſt qui ſuſpicetur eum Iſboſethi mortem animo deſtinaſſe, vt ſolidius conferret Dauidi beneficium. Quod ſi ita eſt, meditati facinoris pœnas mature luit, diuina iuſtitia futurum ſcelus anteuertente; ſed hæc ſuſpicio tantum eſt: cui Abneris in Iſboſethum indignatio ſpeciem aliquam probabilitatis conciliat. Sed de Iſboſethi morte proximo anno quo eam contigiſſe putamus, dicendum erit. *male ſuccederet punitio. Eã diſtulit.*

Ad hunc porro annum Dercylli 35. refert Euſebius celebrem illam Codri Melanthi filij, regis Athenienſium mortem, qui regni ſui anno 21. in bello Peloponenſiaco ſeipſum morti tradidit, vt ſuis iuxta oraculum Apollinis Delphici *Codri mors*
8. ※. victoriam relinqueret. 8

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2985.

1. N.VIII. ALIAM expoſitionem habet Abul. q. 8. in c.3. vt ſcilicet hi nuncij dicant Dauidi totam vndecim tribuum regionem in Abneris eſſe poteſtate, non Isboſethi; eamque cui libuerit dare poſſe: ideoque dignum cuius amicitia quantouis pretio ematur. Habet & alteram, vt ea ſint verba iurantium per eum cuius eſt terra, id eſt per Deum, ad ſtabiliendum videlicet aliquid, quod affirmabant. Et ipſe quidem priorem expoſitionem præfert, ego vtrique eam, quam in textu poſui.

2. N.XII. Itaque monet alter Sapiens, Eccl.7.21. *Noli diſcedere à muliere ſenſata, & bona, quam ſortitus es in timore Domini.* Diſceſſionem autem videtur intelligere per libellum repudij, quo Hebræi leui ſæpe de cauſa vtebantur; lege cum illis magna laxitate vtente. Deut.24.1. Aiunt autẽ Hebræi Phaltielem nunquam eam cognouiſſe, ſiue quia ſciebat eam non fuiſſe repudiatã, ſed vi ereptam viro ſuo; ſiue quia Michol ſimularit infirmitatem, & præ amore Dauidis ſemper triſtis fuerit, & aliena à Phaltiele. Vide Theod. q.11. in 2. Reg. Procop. Comeſt. Lyran. Dionyſ. Abu. q.12. & 13. ſed hæc, ſi Ioſeph. credimus, facile refellũtur, qui putat Micholem ab eo quinque liberos ſuſcepiſſe, vt ante diximus.

3. N.XIV. Caiet. illud *heri & nudius tertius* refert ad interregnum, quod ipſe inducit inter mortẽ Saulis, & creationem Isboſethi, quod ſupra improbauimus. Nec obſtat quod ait eos electo iam rege, non fuiſſe quæſituros alium regem, puta Dauidem, quia id crimen eſſet læſæ maieſtatis. Non obſtat, inquam, quoniã Isboſethus non erat ita formidabilis, vt propter eum populus timeret Dauidis deſideriũ præ ſe ferre, eum laudando, ſermoneſque de ipſo ſæpius ingerendo. Deinde pauculi aliqui timeant crimen læſæ maiſtatis; totus autem populus, non item, quia non ſint per quos caſtigari poſſit.

4. N XXV. Ioſephus hanc ciſternam vocat locum cui nomen Beſira, Βησιρὰ 20. ſtadiis Hebrone diſſitum. Rufinus vel legit olim in Ioſepho Sira; vel ex Scriptura correxit. In Hebræo legitur הסרה *haſsira*, & apparet factam articuli mutationem. Græca partim habent σειρ, partim σειρὰμ· vt mirum ſit aliquot apud Lyranum, & Toſtat. legere Syra, & putare dictam ciſternam Syram, quod eſſet in via Syriæ, ſcriptione repugnante, & notatione vocabuli, in qua Hebræi ſuo more fabulas narrant, de rhãno, à quo rupta ſit ora chlamydis Saulis. Conſule Abul. q.23. in cap.3. 2. Reg.

5.N.xxviii Eum Ioſephus l.7. ca. 1. vocat filium Suri σουεί. Rufinus habet Sar, inuenio quidem Sur in familia Saulis, 1. Par. 8.30. & cap. 9.39. ſed antiquior eſt, quam vt poſſit eſſe pater Ioab. præterquam quod Sur ille ad tribum Beniamin pertinet, hic autem ad tribum Iuda.

6.N xxviii Scytalam Serar. interpretatur flagellum, quaſi futuri eſſent poſteri Ioabi bubulci, vel ægaſones, aut ſaccum coriaceum quaſi mendici: vel deniq; baculum pro pedum morbo, vel infirmitate corporis, aut cæcitate, geſtaturi: quod ex Aquila notauit Theodoretus, qu. 12. & Procop. & Scholiaſtes græcus, latinuſque edit. Rom. Septuag.

7. N. xxxi. In hebræo eſt Nabal, quod ſtultum, vilem, ignauum ſignificat. Septuag. eam vocem myſterij alicuius cauſa retinuerunt, tanquam nomen proprium mariti Abigailis. Itaque Theodoretus comparationem inſtituit mortis Nabalis & Abneris, q.13. *Ille*, inquit, *tanquam ſæuus, & iniuſtus, & ingratus, iure à Deo immiſſa morte fuit affectus. Abner autem & in conſiliis æquus, & in bello fortis: hoc enim ſubiunxit. Manus tuæ non fuerunt ligatæ*, &c. Neque improbat Abul. q.32.

8.N.xxxvi. Hanc mortem, vt egregium exemplum pietatis in patriam, plerique ſcripto tradiderunt, nominatim Valer. Max. l.5. c.6. Iuſtin. l 2. S. Auguſt. l.18. de Ciuit. c.19. tangunt obiter Herodotus, Pauſanias, Oroſius, Velleius, Strabo, Plutarch. quos lector eruditus per otium conſulere poterit.

ANNUS MUNDI 2986. DILUVII 1330. 5ª. ÆTATIS. 47.
EXITUS AB ÆGYPTO 443. ARCÆ IN CARIATH. 46.
David. 7. Isboset. 7. & ult. Abiath. Pontif. 12.
Troiæ excisæ 115. Dercylli 36.
Imper. Assyriorum 1055.

ANNUS ANTE CHRISTUM 1067.

I. *Ratio temporis.* SEptimum & vltimum egit hunc annum Dauid in Hebron, Iſboſethus autem ſeptimum & vltimum in viuis, improbiſſimorum hominum coniuratione nefaria. Eius mortem in hunc annum reiecimus; quoniam ſeptem annis eum regnaſſe docuimus, præter ſex illos menſes, quos cum vltimo Saulis anno copulauimus. Apparet autem aliquot interceſſiſſe menſes, inter Abneris & Iſboſethi mortem, præſertim in illorũ ſententia, qui aiunt hos duos principes latronum coniuraſſe contra Iſboſethum, & cõſpiratione pateſacta fugiſſe in Gethaim, deinde ad hoc facinus perpetrandum reuertiſſe. Cõiurati autem non tam cito ſe credunt periculo, quod ſemel euaſerunt, vt qui ſciant eos quibus periculũ creabatur cautiores factos, omnia diligenter circunſpicere, omnia tuta timere. Feruor autem diei, & purgatio tritici indicant hoc facinus ſub æſtatem ab his ſicariis perpetratum fuiſſe. Cito tamen ad Iſboſethum de morte Abneris perlatus eſt nuncius. Nam viginti illi viri, qui Abneris comites fuerant, eo occiſo, quamprimum ad regem ſuum contulere ſe, remque illi totam expoſuerunt.

II. *Morte Abneris rex & populus turbantur.* AUDIVIT *ergo Iſboſeth* ᵃ *filius Saul, quod cecidiſſet Abner in Hebron, & diſſolutæ ſunt manus eius, omniſque Iſrael perturbatus eſt.* Ille quidem perturbatus eſt, quia cæſo Abnere ſucciſi erant omnes nerui roboris eius, fugerat ab eo omne conſilium, eratq. in mediis fluctibus, inſtar nauarchi ſine gubernaculo. Iſti autem quia facti erant ſicut oues ſine paſtore, aut ſine nauarcho remiges. Ille quia cæco, & debili ſublatus erat baculus, quo dirigi & fulciri poſſet; iſti quia amiſerant interpretem, & quaſi moderatorem reconciliationis ſuæ. Etſi enim primarij quiq. à quibus pendebat populus, de ſingulari Dauidis manſuetudine & fide bene ſperabant; timebant tamen Ioabum & Abiſai, & alios factionis eorum, ne ab eis ſicut Abner per inſidias obtruncarentur, præſertim cum eos etiam Dauidi formidabiles ſuſpicarentur. Denique perturbatus eſt Iſraël, quoniam in huiuſmodi principum cædibus, aut eiuſmodi inopinatis caſibus maioris momenti, populus turbari ſolet, circunſpectans quem tandem exitum res ſit habitura. Sic nunciato nouo rege turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo.

ᵃ 2. Reg. c. 4. 1.

Matth. 2. 3.

III. *Alia maior perturbatio.* SED ecce aliam perturbationis, & timoris cauſam non minorem: execrandam videlicet Iſboſethi necem, quæ eo priore deteſtabilior fuit, quod hæc à domeſticis, illa ab inimicis perpetrata eſt; illa princeps militiæ, hac regni princeps, & rex ipſe interfectus eſt. Illam Ioab princeps exercitus cum fratre, hanc latronum principes Baana & Rechab fratres perpetrarunt. Illam appetitus vindictæ concepit, ambitioſus timor fouit, excluſit hypocriſis. Hanc improbitas genuit, deſiderium gratificandi Dauidi, & ſpes vtilitatis fouit, edidit ſimulatio. Vterque nihil inſidiarum cogitans, vterq. in inguine percuſſus, vterque inſcio atque ægre ferente Dauide occiſus eſt: vtrorumque ſcelus ſerius ocyus violenta morte punitum eſt. Prior porro illa cædes poſteriori occaſionem dedit, Quoniam enim duo iſti ſoli à morte Saulis obſtiterant, ne populus vniuerſus ad Dauidem conflueret, prioris interitus eam cogitationem iniecit, in vnico eoque infirmo, atque imbelli capite, ſalutem Reip. verti; eo ſublato populum vniuerſum, qui in varia nunc ſtudia, parteſque diſtrahitur, in eandem ſub Dauide mentem, ſententiamque coaliturum.

IV. *Diſpoſitio* EAM narrationem in hunc modum Scriptura exorditur. *Duo autem viri principes*

huius hiſtoria.

latronum erant filio Saul, nomen vni Baana, & nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de Beniamin. Siquidem & Beroth reputata eſt in Beniamin; & fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntq. ibi aduenæ vſque ad tempus illud. Hunc locum ſic explicat Hieron. in tradit. hebr. *Duo viri iſti*, inquit, *principes erãt ſuper expeditiones Isboſeth: mortuo vero Abner, vt Hebræi tradunt, conſiliati ſunt cum Miphiboſeth, vt vna interficerent Isboſeth: & eundem Miphiboſeth conſtituerent regem, & eiuſdem conſilij delatorem Miphiboſeth extitiſſe: & idcirco hic idem Miphiboſeth ſubintroducitur. Videntes vero Baana & Rechab à Miphiboſeth ſuũ proditum eſſe conſilium, timore perterriti, fuga lapſi ſunt in Gethaim; fueruntq. ibi aduenæ vſque ad tempus illud, quãdo inde reuerſi, domum Isboſeth feruente die ingreßi ſunt.* Verum vt habeat aliquam probabilitatem iſta traditio, maximè quod Miphiboſeth filius Ionathæ primogeniti, regno ſuccedere potius debuit, quam eius patruus Isboſeth: credibile tamen non eſt duodennem puerum conſilio de interficiendo patruo ſuo adhibitum fuiſſe; aut iſtos ſicarios tam imprudentes fuiſſe, vt rem tantam puerili conſcientiæ, aut linguæ crederent. *Iuxta trad. Hebræorũ.*

V. *Ex Lyrano.* LYRANVS autẽ ex Rab. Salomone ait Berothitas, cum Baana & Rechab, mortuo Saule metu Philiſthinorum, quorum erant vicini, fugiſſe ex vrbe ſua, ſicut & alios pleroſque, vt conſtat ex c. vlt. 1. lib. Poſtea vero fugitiuos iſtos ducibus Rechab & Baama, alios ſibi fugitiuos aggregaſſe, & rapto vixiſſe. Donec intellecta morte Abneris ad Isboſethum clam venerunt, vt eo interfecto, & capite ad Dauidem delato, munera & pręfecturas ab eo aſſequerentur. Verum huic expoſitioni officere videtur, quod legendum eſſet in Scriptura fugerãt, non fugerunt, ſi de oppidanis Berothidis agatur: itáq; legunt plerique; nec tamen videtur ad rẽ præſentem facere, quod illa ciuitas dicatur fugiſſe ſub mortẽ Saulis: aut etiam Ioſuę, vt vult Caiet. Deinde Script. tradit hos latronum principes fuiſſe cum filio Saul, Isboſetho videlicet, non ergo ſeptimum iam annum aberãt populabundi.

VI. *Ex Ioſepho.* a l 7. ant. c. 2. TERTIA eſt Ioſephi expoſitio, a *Nec ipſe Isboſeth*, inquit, *diu ſuperſtes fuit, ſed à filiis Hieremonis Banaoth, & Thanno per inſidias eſt oppreſſus.* Rufinus vel in alia Ioſephi exẽplaria incidit, vel Ioſephũ in propriis hiſce nominibus ex Scriptura correxit, quæ in hebræo, græco, latino eodem modo habet. ſed pergit. *Hi enim cum eſſent Beniamitæ genere, & inter præcipuos optimates,* (τῶ πρώτου τιμηκότος.) *exiſtimantes, ſi Ieboſthum interficerent, magna ſe munera à Dauide accepturos, & aut amplas præfecturas, aut aliud quid honorificũ apud eum per hoc factum ſe conſecuturos, nacti ſolum Ieboſthum in cubiculo meridiantem*, &c. *dormientem interemerunt.* Hæc expoſitio ſuam quoq. probabilitatem habet vt cæteræ: ſed ſi textui componatur, valde manca eſt. Nihil enim Miphiboſethi, nihil Berothitarum meminit, quos non ſine cauſa hoc loco Scriptura recenſuit; ſed & fugam ſiue ciuium, ſiue duorum principum miſſam fecit.

VII. *Ex Caiet.* CAIETANVS putat iſtos Baana & Rechab turmarum præfectos fuiſſe non ſub Isboſetho, ſed ſub Ionatha, ideoque mortuo Saule fauiſſe Miphiboſetho filio Ionathæ, vt patri ſuo in regnum ſuccederet, cui illud, tanquam primogenito, debebatur: proptereaque Isboſetho regi exoſos fuiſſe. Cum ergo viderent puerum ex caſu claudum effectum, & ideo tam propter ætatem, quam corporis vitium, regno inhabilem à populo haberi, exiſtimarunt ſpes ſuas alio conuertendas; & Dauidis gratiam, & ſibi ſecuritatem, interficiendo Isboſetho acquirendam.

Sed hæc expoſitio præter quam quod manca eſt, ſicut & præcedens, illud habet violentum, vt per filium Saul non intelligatur Isboſeth, de quo proxime facta fuerat mentio, ſed Ionathas, de quo iampridem Scriptura tacuerat. Durum quoque quod iſti duo modo fauiſſe, modo non fauiſſe dicuntur Miphiboſetho, nulla in eo mutatione facta. Nec docere poteſt Caiet. hos duos mutata populi voluntate in Miphiboſethum, mutaſſe fauorem: nec habet Scriptura populum in Miphiboſethum propendiſſe, aut ab eo abalienatum fuiſſe.

VIII. *Ex propria ſententia.* PLACET ergo vt monoteſſaron efficiamus, ſublatis aut emendatis, quæ minus probantur in reliquis, ſeruata Scripturæ ſententia, & verbis ipſis. Abneris morte promulgata perturbatus eſt omnis Iſraël, & ſinguli rebus ſuis proſpicere ſtuduerunt, animaduertentes Saulis familiam in certum interitum ruere. In his duo in primis fuerunt, qui veſtigia Abneris nuper ſectabantur, quos ille viuens in conſilium adhibuerat, vtpote viros fortes ac primarios, & regiæ cohortis, regis latera cingentis præfectos. Hi ergo Dauidis gratiam ambire, eamq. ſicut Abner,

eximio aliquo beneficio demereri ſtuduerunt. Horum duorum Scriptura memorat officium, quod iam diximus, & mox explicabimus, memorat & nomina, patrem, patriam, & tribum, qua occaſione alia tria quaſi per parentheſim narrat, ab eo loco, *Siquidem & Beroth.* vſque ad *venientes*, vbi ſuſcepta reſumitur narratio.

Tria per parentheſin dicuntur.

I. In ea vero parentheſi habetur primo, quare Berothitas vocarit filios Beniamin, quia ſcilicet vrbs Beroth reputata eſt in tribu Beniamin. vt conſtat ex lib. Ioſue,[a] cuius tempore vrbs Gabaonitarum fuit. Beniamitas autem ſuos tam Saul quam Iſboſeth præfecturis ornabant, vt ſupra dictum eſt cum Ioſepho.

[a] Ioſ 18.25 & Ioſ 9.17

IX. *Secundum,* SECVNDO occaſione horum duorum Berothitarum refert in eadem parentheſi, ciues oppidi Beroth ad Gethæos, qui erat Philiſthæi, transfugiſſe, & ibi manſiſſe vſque ad diem hanc, id eſt tempus illud, quo autor libri hæc ſcribebat; ſicq; habetur in textu hebræo, græcoque, chaldęaque paraphraſi: vnde colligit Caiet. eos ſedes penitus tranſtuliſſe. *& tertium.* Tertiò occaſione fugæ Berothitarum ſub mortẽ Saulis, narrat & aliam fugam, quæ eodem tempore contigit nutricis Miphiboſethi, per quam fugam quinquennis puer claudus effectus eſt. Et hic finita parentheſi, reditur ad narrationem ſuſcepti ſceleris: quæ mihi videtur perquam facilis, & expedita huius loci explicatio. *Principes turmarum, & latronũ.* Cęterum iſti in hebræo vocantur principes turmarum ſiue agminum, quod præfecturam aliquam gererent in turmis exercitus Iſboſethi, ſub Abnere principe militiæ, & eandem vocem idem Hieronymus turman vocat,[b] Septuaginta habent συστρεμμάτων, quo nomine agmina militum, & quidem mercenariorum quidam intelligunt, quorum duces vocantur ξεναγοὶ & [illegible], Hinc ille miles, apud Comicum, *vt latrones quos conduxi hinc ad Seleucum duceret. Qui eius regiam tutarẽtur.* Propter quem vſum, quidam latronis vocem à λατρεύειν. quod eſt inſeruire deducunt; quod duci in prõptu eſſent ad omnẽ expeditionem. Huiuſmodi autem à D. Hieron. dicuntur latrones, quia ſoleant latrocinari, vbi videtur ad Varronis etymon alluſiſſe, qui latrones quaſi laterones dictos putat, quod principem latera ſtipare ſoleant. Erant itaque iſti quos vulgo dicimus *Capitaines des gardes du Roy.*

[b] 1. Par. 12. 18.

X. *Sicarii regẽ adeunt.* VENIENTES *igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Banna, ingreſſi ſunt feruẽte die domum Isboſeth, qui dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie.* Captauerunt videlicet tempus quo quieſcẽte rege, eius quoque cuſtodes quieſcebant, in domo quiſque ſua; aberant certe, & quamuis adfuiſſent, nemo erat qui ducibus ſuis turmarũ principibus, in rege quocunque tempore adeundo, negotium faceſſeret. Aderat vna muliercula purgans triticum, & dormitans: quod habent Septuag. & eos ſecutus Ioſephus. *quo tempore, & loco.* *Nacti,* inquit, *ſolum Iebosthũ in cubiculo meridiantem, videnteſq. nec ſatellitũ quemquam adeſſe, neque ianitricem vigilare: ſed & ipſam partim laſſitudine, partim æſtu in ſomnum ſolutam, ſubintrogreſſi ad eum, dormientem interemerunt.* Huius oſtiarię nulla eſt mentio in hebræo, neque in trad. hebr. ideoque adiectitia putant hic verba nonnulla Abul. Lyra. Serar. quæ Arias Montanus in bibliis regiis, ex vulgata Hieron. verſione expunxit; quæ tamen biblia correcta retinuerunt, & à S. Gregorio in ſenſu morali eleganter explicantur.[c]

[c] l. 2. Mor. c. 46.

XI. *Cum ſpicis tritici.* INGRESSI *ſunt autem domum latenter aſſumentes ſpicas tritici.* 1 ſiue vt in hebræo legitur, *Et ecce ingreſſi ſunt vſque in medium domus accipientium frumenta.* Spicas tritici, ait Hieron. in trad. quaſi cauſa primitiarum tulerunt, vt honorem regi deferre viderentur, & eorum dolus nequaquam deprehenderetur, quæ habentur in interlineari. Quod ſi accipimus, colligi poteſt hæc ſub menſem Aprilem contigiſſe. Verum hæ primitiæ quæ explicandi cauſa à Rabbinis adduntur, non ſatis videntur cum oſtiaria triticum purgante conuenire: nam primitiæ non parum meſſem antecedunt, purgantur autem frumenta ſub meſſem, aut etiam poſt eam. An forte alij quoque iam primitias tulerant, quas ancilla purgabat? Alij hos ſpecie mercatorum tritici ſubintraſſe aiunt, quoniam rex de ſuis reditibus frumenta vendebat, vt ait Salomon apud Lyran. & Abul.[d] cui expoſitioni fauet textus hebræus, & chaldæa paraphraſis. De vulneris loco iam dictum eſt ſæpius, cum Ioſephus & Septuag. omiſerunt hoc loco.

1. 6. X.

[d] q. 7. in c. 4. in morte Abneris & Azaelis.

XII. *Cõfoditur, & obtruncatur.* Hoc vulnere confoſſum, exanimemque factum, obtruncant, *ſublatoque capite eius abierunt per viam deſerti tota nocte* & ſcilicet præcedentis parte diei. Ioſephus ait per totam noctem ac diem cõtinuato itinere Hebronem perueniſſe. Nec mi-

rum,longum enim erat iter, cum Iſboſeth trans Iordanem in ciuitate Manahim habitaret. Adrichomius trium ac triginta horarum iter inde Hebronem vſque conſtituit. Scriptura ſolius noctis meminit, diem nihilominus non negat. ſed ſignificari voluit,eos proxima nocte à patrato facinore,non auſos fuiſſe quieſcere: ſed ſtatim magni ſceleris conſcios magnis itineribus, ne à ſeruis regis eos perſequentibus comprehenderentur, perque deſertas vias ad Dauidem contendiſſe, apud quem non ſolum tuta ſibi omnia,ſed honorifica etiam, & beata ſtultè polli cebantur. *Et attulerunt caput Isboſeth ad Dauid in Hebron, dixerunt ad regem. Ecce caput Isboſeth filij Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam. Et dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de ſemine eius.* Pluribus etiam rem totam narratam ex Dauidis reſponſione perſpicuũ eſt. Sed hanc orationem paulo diligentius, ſi placet inſpiciamus. *deſertur caput ad Dauidem.*

XIII. *Expẽditur ſicariorum oratio.*

Primvm vide lector, vt loco ſalutationis omnis, oblato ſcelerato munere regẽ ſibi conſiliare ſtudent. Et ne in defunctum, imo per iniuſtiſſimam proditionem trucidatum à ſubditis principem, eundemque innocentem manſuetudinis Dauidis viſcera commouerentur, ei odium à patris eius perſona conflare conantu. *Filij Saulis*, inquiunt, *inimici tui*, neque hoc ſatis, *qui quærebat animam tuam:* quoniam nihil habebant, quo ipſius Iſboſethi perſonam Dauidi redderent odioſam. Et quoniam non ignorabant Dauidem religioſiſſimum eſſe, multũque diuinæ prouidentiæ tribuere, etiam Deum immanis facinoris autorem faciunt, ſe autem adminiſtros, ne ſi aliter quam ipſi cupiunt hoc factum Dauid voluerit accipere, Dei prouidentiæ repugnare videatur. At volebat quidem Dominus delere domum Saulis, ſed vtendo aliena malitia quam iuſtè permiſiſſet. Sicut cum populum vniuerſum manu Philiſthæorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Aſſyriorum, aliorũque populorum & principum affligebat, & odijs in Hebræos iniuſtis, iſtorum peccata graui ſæpe animaduerſione caſtigabat, qui propterea non minus peccabant, ſicut & iſti ſiccarij, & ſceleratiſſimi parricidæ.

XIV. Quid ad eos Dauid.

Qvibvs reſpondens Dauid iuſtiſſima indignatione commotus. *Viuit Dominus*, inquit, *qui eruit animam meam de omni anguſtia, quoniam eum qui annunciauerat mihi, & dixerat, Mortuus eſt Saul; qui putabat ſe proſpera nunciare, tenui & occidi eũ in Siceleg*, [a] *cui oportebat mercedem dare pro nuncio.* 2 *Quanto magis nunc cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo ſuo, ſuper lectum ſuum. non quæram ſanguinem eius de manu veſtra, & auferam vos de terra?* Vide hic primum quomodo mitiſſimus Dauid principio diſſimulet omnes Saulis erga ſe iniurias atq. inimicitias, diuinam in ſe prouidentiam commendans, quæ ipſum ab eis ſine vlla ſua culpa eripuerit. Deinde iſtorum facinus cum ſcelere Amalecitæ, qui rogatus, & languentem in mortifero vulnere Saulem, ex quadam miſericordia occiderat, ita comparat, vt iſte præ illis laude & præmio dignus videri poſſit. Hos autem vocat impios, qui pietatẽ erga Deum violent, quem ſui parricidij autorem faciant, qui pietatem principi ſuo debitam, qui diuinam maieſtatem repræſentet in terris, deteſtabili lęſæ maieſtatis crimine corruperint. Accedunt quæ dicuntur circunſtantiæ facinoris, quod innocentem, quod in domo ſua, quod dormientem interfecerint. Adde etiam benemeritum, vt qui eos cuſtodibus corporis ſui præfecerat. Et Ioſephus in ea oratione quam Dauidi contra eos tribuit: *vos vero*, inquit, *maxima etiam beneuolentia, ſummiſque honoribus proſecutus eſt.*

[a] Vide ſup. an.m 2979 n.179. & 180.

2. X.

conſertur cædes Saulis, & Isboſethi.

XV. Præciſis manibus ac pedibus in crucem aguntur.

Præcepit *itaque Dauid pueris ſuis, & interfecerunt eos:* quo autem genere mortis perierint ſubditur, *præcidenteſque manus & pedes eorum ſuſpenderunt eos ſuper piſcinam in Hebron.* Septuag. ſupra fontem; id eſt in media platea ciuitatis, iuxta fontem. *Caput autem Isboſeth tulerunt, & ſepelierunt in ſepulchro Abner in Hebron. Hæc locutus*, inquit Ioſephus, *iuſsit eos exquiſitiſsimis tormentis cruciatos ſupplicio dedi, caputque Isboſethi cum omni honore funeratum, in Abneris monumentum intulit.* Erant enim non ſolũ tribu & familia, ſed domo etiam & ſanguine coniunctiſſimi. *Eos enim*, inquit Theod. [b] *qui Miphiboſeth*, legendum Iſboſeth, *occiderant, & eius caput attulerant, extremis membris mutilatos egit in crucem, etiam ſi exiſtimaſſent ſe vniuerſum Iſraelis regnum ad eum illius cæde qui rex illorum erat, adducere. Regis autem ei infeſti caput honorifica tradidit ſepulturæ.* Ex quibus intelligimus hanc de qua loquitur Scriptura manuum ac pedum am-

[b] qu.14.

putationem, non mortuis, ſed viuis illatam fuiſſe. Voluit autem David hoc publico nefariorum hominum ſupplicio intelligi ab omnibus, ſe nullo modo huic cædi affinem fuiſſe, ne populus à ſe alienus fieret, tanquam ab eo qui tyrannorum more aditum ſibi ad regiam dignitatem, per proditiones, & nefaria ſcelera muniret. Et Ioſephus dum hac de re agit, Dauidem quam maxime ſollicitum fuiſſe oſtendit amoliendæ à ſe huiuſmodi opinionis, quam etiam in iſtis parricidis nominatim, ac ſeuere puniuerit.

XVI. *Cur Abneris funus honoratius quam Iſboſethi.*

Qvaerit autem Toſtatus quare contentus fuerit Dauid Iſboſethi caput ſepulchro Abneris condere, nec eum, ſicut nuper Abnerem, eximio funere honorarit, præſertim cum Iſboſeth rex eſſet, Abner autem ſeruus eius. Et reſpondet Abnerem occiſum fuiſſe in terra Dauidis Iſboſethum autem in propria, ſolẽt autem principes, externos viros illuſtres viuos mortuoſque honorare in terris ſuis. Deinde benemeritus erat Abner de Dauide, cui & vxorem ſuam reddiderat, & vniuerſum populum, quantum in ſe fuit, ad ipſum traduxerat. Ab Iſboſetho autem nihil beneficii aut gratiæ acceperat. Poſtremo cum Abner apud Dauidẽ à Dauidicis occiſus fuiſſet maxima ſuſpicione laborabat Dauid ne author aut quoquo modo conſcius eſſet illius ſceleris, ideoque oportuit modis omnibus eam dubitationem omnibus beneuolẽtiæ indiciis è cordibus hominum eripere. Iſboſeth autem domi ſuæ; à ſubditis ſuis occiſus fuerat. Quia tamen ſuſpicio nonnulla eſſe poterat Dauidem huius mortis non ignarum fuiſſe, iuxta illud cui bono? & quia caput ad eum ſtatim delatum fuerat, ideo ad eam eximendam tum caput ſepelire, tum ſicarios exquiſitis ſuppliciis morti tradere. Ioſephus tamen & Theodorethus aiunt, caput omni honore funeratum.

XVII. *Comitia in Hebron.*

Reliqvo anno Hebrone celebrata ſunt maxima, celeberrimáque comitia, omnium tribuum ad conſtituendum Dauidem regem, ſuper vniuerſum Iſraẽlẽ; quod & perfecerunt: ſicque impleti ſunt ſeptem illi anni cum dimidio, quos Dauid Hebrone regnaſſe perhibetur.[a] Itaque ad hoc maxime tempus referuntur illa verba 1. Paralip.[b] vbi recenſitis qui hactenus partim viuo Saule, partim etiam regnante Iſboſetho ad Dauidem confluebant, ſubditur. *Sed & per ſingulos dies veniebant ad Dauid ad auxiliandum ei, vſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei.*

Omnes ſe dedunt Dauidi.

Neque ſane mirum defluxiſſe paulatim omnes ad Dauidem;[c] Nam nihil erat in domo Saulis quod eos retineret, Abner & Iſboſetho interfectis, & qui reliquus erat Miphiboſethus Ionathæ filius, puerulus erat, & à corporis vitio contemptus, Armoni autem & Miphiboſeth, filii Saulis ex Reſpha, vitio natalium, viles erant & deſpicati:[d] denique filii Merob à regni ſpe remotiores erant. Accedebat quod Abner, paulo ante quam occideretur, eos iam ad defectionem publice priuatimque diſpoſuerat, minimo vt momento, verbo exemploque ſociorum, Dauidi ſe dederent.

a c. 5. v. 5.
b c. 12. v. 22.
c vide Abul. 1. Par. 12. q. 25.
d 2. Reg. 21.

XVIII. *Quid eos moueret.*

David autem ex altera parte, plurimum excitabat vniuerſos ad amorem ſui: multis iam annis probata fuerat virtus eius, tam proſperis, quam aduerſis rebus ex quo gigante illo quaſi per ludum proſtrato, victoriam populo ſuo, pacemque pepererat. A Saule primum centurio, deinde tribunus factus hoſtes populi Dei ſæpiſſime fregerat, ducentis eorum præputiis generum ſe regis effecerat, & commilitones ſuos gloria ſubinde ornauerat, prædáque ditauerat: Saulis vim atque inſidias mira ſemper felicitate declinarat: eundemque in ſua poſitum poteſtate, incomparabili lenitate animi ſaluum atque incolumem, ſemel iterumque à ſe dimiſerat: eum ad damnandam ac deplorandam iniuſtitiam ſuam impulerat, mortuum denique quaſi amantiſſimum ſui principem, eiuſque filium Ionathan publicis honoribus lacrymiſque decorauerat, & mortem quantum adhuc potuerat ſtudioſe vindicarat. Poſtremo ſeptem hiſce annis cum crebræ Abneritas inter & Dauidicos velitationes contigiſſent, Deum ſecum eſſe, ſecumque pugnare ipſa victoriarum felicitate docuerat.

XIX. *Quid contra retardaret.*

Qvoniam vero intelligebat Dauid Abneris morte importuniſſima primum, deinde Iſboſethi, propenſionem illam populi aduerſum ſe plurimum potuiſſe retardari, & feruorem animorum quaſi ſuperfuſa frigida intepeſcere, diligentiſſimam operam dedit, vt publice omnibus, priuatimque conſtaret, ſe inuitiſſimo hæc facinora fuiſſe perpetrata, vt ſuis locis demonſtratum eſt. Satis tamen

conſtat toto hoc ſeptennio plerosq; cunctatos fuiſſe ſeſe Dauidi tradere, & cum Amaſai dicere, [a] *Tui ſumus, ô Dauid*: ſiue quod metuebant Ioabum cum ſuis, virum audacem, qui Dauidis manſuetudine abutens, ei propemodum inſultabat, & Abnerem militiæ principem, in ipſo conatu tollendi ſchiſmatis impunè trucidauerat: ſiue quia gloriam tribus Beniamin & familiæ Saulis æmulabantur, à qua omnia deinceps ad Iudam, tribum iam alioqui ſplendidam, præcipua dignitatum ornamenta collatum iri credebant: ſiue quia notam ingrati in Saulem animi, à quo ſæpenumero beneficiis, & honoribus affecti fuerant, verecundè refugiebant. Siue quia præpotens ille regum moderator Deus, ita Dauidis ſui res voluit temperare, vt dum ex modicis quotidie incrementis augeſcerent, noua ipſe in dies lætitia perfunderetur, nouas identitem gratias iteraret Deo: & ſenſim imperii eius amplitudo altioribus defixa radicibus felicius, firmiuſque conſiſteret; cum ea paſſim videamus quamprimum defloreſcere, atque concidere, quæ præpropere ad faſtigium ſuæ magnitudinis euolarunt.

a 1. Par. 12. 18. — 1. — 2. — 3. — 4. *Dei prouidentia in Dauidem.*

XX. *Omnes tribus in Hebron conueniunt,*

ERGO cum nihil admodum retineret vndecim tribus, quin vno ore dicerent, *Pax tibi, ô Dauid, & pax adiutoribus tuis*, venerunt illæ quidem vniuerſæ ad Dauid in Hebron, vt eſt in 2. Reg. [b] vt eum totius populi regem conſtituerent, ſed quo vel ordine vel numero venerint ex 1. libro Paralip. addiſcendum eſt, [c] vnde & Ioſephus ſuam hoc loco mutuatus eſt narrationem. Cum ergo capite illo duodecimo explicatum eſſet quinam è diuerſis tribubus, ad Dauidem, diuerſis locis ac temporibus conueniſſent, ex quo Saul apertas cum eo cœperat inimicitias exercere, ea clauſula catalogum illum cõcluſit, vt diceret, quotidianis incrementis auctos fuiſſe ſubditos Dauidis, ita vt fieret exercitus maximus; tranſit ad eos, qui hoc denique tempore Iſboſetho mortuo venerunt ad Dauidem, vt caducam regni hæreditatem transferrent ad ipſum. *Iſte quoque*, inquit, *eſt numerus principum exercitus, qui venerunt ad Dauid cum eſſet in Hebron, vt transferrent regnum Saul ad eum iuxta verbum Domini.* Hanc chronologiam ſequitur Ioſephus, [d] Abulenſis in eundem locum primi Paral. [e] Caietanus, Lyranus, Torniellus, etſi maluerit hæc comitia, & regis inaugurationem ad octauum Dauidis annum differre, [f] quia ſex menſes qui ſuperarunt ſeptem annos regni Hebronici, nos ſtatim à Saulis morte collocauimus, vt deinceps omnes Dauidici anni integri eſſent, quos menſes ille maluit huc differre.

Ibidem. *b c. 5. v. 1.* *c l. 1. c. 12. 22.* *quo tempore.* *d l. 7. ant. c. 2* *e c. 12. q. 18.* *f an. Dauid 8. n. 3.*

XXI. *Quo ordine cenſeantur.*

IN hac porro enumeratione videtur ſcriptor ſacer rationem habuiſſe vicinitatis. Itaque ab ipſa tribu Iuda, in qua ſeptimum iam annum regnabat Dauid, duxit initium. Inde venit ad Simeonem, qui Iudam ab occaſu tangebat, [g] & in eius primis terminis claudebatur; poſtea ad Beniamin tranſiturus, qui Iudam à Septentrione attingebat, inſerit Sacerdotalem tribum, quæ magna ex parte in tribu Beniamin cum arca Domini reſidebat, Beniamin ergo inde ſequitur, tum aſcendendo ſemper verſus aquilonem, Ephraim qui Beniamino adhærebat, inde dimidia tribus Manaſſe, Iſſachar, Zabulon, Nephthali, Dan & Azer. Deinde tranſmiſſo Iordane percenſet duas illas tribus Ruben & Gad, cum dimidia tribu Manaſſe.

g Ioſ. 19.

XXII. *Filij Iuda.*

PRIMI itaq; numerantur filij Iuda, [h] *portantes clypeum & haſtam*, id eſt, viri bellatores, qui ferre ſolerent clypeum & haſtam, aut qui reipſa tunc ferebant, vt res eſſet magnificentior, quamuis extincto cum Abnere & Iſboſetho ciuili bello pax reuixiſſet; Sed oportebat etiam propter Philiſthæos in armis eſſe, ne ipſi audientes congregari Hebræos, armati ipſi in eos irruerent; vt pridem, [i] cum in Maſphath à Samuele congregati fuiſſent. Fuerunt autem qui de hac tribu ad Dauidem venerunt hoc tempore, *ſex millia & octingenti expediti ad prælium*. At quomodo hic ponuntur viri Iuda veniſſe ad creandum regem Dauidem, quem iam ante ſeptem annos regem inunxerent? Et quomodo tam pauci in tanta, tamque amica tribu? Reſpondet Ioſephus, iſtos hactenus Saulis filium fuiſſe ſecutos, & ſine ipſis tribum Iuda Dauidi iam ante regnum decreuiſſe, itaque iſtos nunc ſeſe ad reliquos Iudæos aggregaſſe: quod ſentit etiam Lyranus. Abulenſis autem [k] explicatius ait hos veniſſe vt intereſſent vnctioni reliquos autem ex quibus conflatus erat pene totus exercitus Dauidis non comparuiſſe, quia erant nunc occupati, in parandis cibis reliquis tribubus, quæ magno numero ad Dauidem in-

h 1. Par. 12. 24. *i 1. Reg. 7. v. 7.* *quomodo tã pauci nominati.* *k q. 19 in c. 12. 1. Paral.*

ungendum confluebant. Vt poſtmodum hoc ipſo loco ſignificatur. [a] Verum poterant nihilominus nominari. a c. 12. v. 39.

XXIII. *Simeonitæ,* Secvndo loco numerantur filij Simeonis, de qua tribu viri bellatores venerũt ad hæc comitia *ſeptem millia, & centum.* Veniebant autem omnes vltro, vt qui neminem haberent, ad cuius imperium ad comitia venirent, niſi forte principem ipſius tribus, minus fortaſſe addictum Dauidi. Et redierat illud tempus, quo [b] *non erat rex in Iſrael*, ſed tantum in Iuda, itaque ibi *vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat*, conſentit autem huic numero Simeonitarum, ſicut & ſuperiori Iudæorum, Ioſephus. [c] b Iud. 21. 24 c l. 7 ant. c. 2

Leuitæ, De *filijs Leui quatuor millia ſexcenti.* Corrigendus Ioſephus, qui ad quatuor millia male addidit ſeptingentos, & mox peius omiſit tria millia; itaque deprauatus Ioſephi locus ex ſcriptura reſtituẽdus eſt. 3 Et hi vidẽtur fuiſſe Leuitæ propriè dicti; cæteri autem qui ſequuntur ſacerdotes. *Ioiada quoque princeps de ſtirpe Aaron, & cum eo tria millia & ſeptingenti, Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris eius principes viginti duo,* quos Hieronymus in trad. interpretatur ſacerdotes. Hos quoque poſteriores in prima ſumma non comprehendi putat Abulenſ. fuerunt ergo *Aaronitæ,* omnes de filijs Leui, & Aaronis octo millia trecenti, & viginti duo. Fuit autem hæc tribus lõge minor quacumque alia, quamuis non à 20. annis vt cęteræ, ſed ab vno menſe numerarentur. Sadocum porro præproperè pontificem vocat Ioſephus, quem ſequitur Mariana, qui tamen Salomone tantum regnante factus eſt pontifex, poſt annos tres ſupra triginta; ſed hac de re in primo anno Abiatharis egimus pluribus. 3. ex. 4600. 3700. 22. — 8322.

XXIV. *Beniamitæ,* De *filijs autem Beniamin fratribus Saul tria millia: magna enim pars eorum adhuc ſequebatur domum Saul* etiam poſt Iſboſethi mortem, vt regiam dignitatem in tribu ſua retinerent, promoto ad regnum Miphiboſetho filio Ionathæ, vel aliquo filiorum Saulis ex Reſpha. Nam Micha, quem nominat Toſtat. [d] nondum natus erat. De hac tribu ſic Ioſeph. *Ex tribu Beniamitide armati quater mille*, imo ter duntaxat, *hæc enim tribus adhuc ſuſtinebat, credens aliquem ex genere Saulis regnaturum.* ſic ipſe. d 1. Par. 12. qu. 25.

Ephraimitæ. *Porro de filijs Ephraim viginti millia octingenti, fortiſsimi robore, viri nominati in cognationibus ſuis,* id eſt inſignes & primarij in familijs ſuis. *Et ex dimidia tribu Manaſſe,* quæ *Manaſſæi,* cis Iordanem ſedes fixerat, *decem & octo millia ſinguli per nomina ſua*, nominatim ſcilicet deſcripti, & appellati in tribu ſua, *venerunt vt conſtituerent regem Dauid.* Et his tribubus nihil repugnat Ioſephus.

XXV. *Iſſacharitæ,* De *filijs quoque Iſſachar viri eruditi qui nouerant ſingula tempora, ad præcipiendum, quid facere deberet Iſrael, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus eorum conſilium ſequebatur.* *Ioſephus arguitur.* Quæ verba ita exponit Ioſeph. *Ex tribu Iſſachar ducenti futurorum præſcij* προγιγνώσκοντες τὰ μέλλοντα, *& armatorum viginti millia.* Fidenter magis quã fideliter; vnde enim nouit non plures, neque pauciores in tribu fuiſſe, quam totam ducentis illis conſenſiſſe Hebræi & Septuag. affirmant, nulla numeri mentione facta? qui etiam hos faciunt viros valde prudentes, idoneos ad dandum conſulentibus, pro temporum occaſione & conditione, conſilium; ideoq; ait Scriptura reliquam tribum eorũ ſententiam fuiſſe ſecutam. Prophetas vero, aut futuri pręſcios, ſolus Ioſephus facit; qui etiam ea de cauſa à Theod. reprehenditur. *Eos autem,* inquit, *in admiratione habuit propter ſapientiam, vt qui idonei eſſent & ſolertes ad videndum quid eſſet agendũ & prævidendum* οὐ προφητικῶς, ἀλλὰ σοφῶς, *non prophetice, ſed ſapienter futura: & ad ſuggerendum conducibilia.* hæc Theod. Nihil etiam de prophetia Hieron. in tradit. in hunc locum, [e] ſed illud tantum: *Ipſi enim erant doctores, computatores & magiſtri, ſiue ad feſtiuitates celebrandas ſiue ad cætera.* Habebant videlicet cognitionem Hebraici computi de quo vide Scaliger. [f] Et hoc videntur intellexiſſe, qui hos dixerunt Aſtrologiæ peritos, quos tanquam iudiciarios Toſtatus [g] impugnat. e in 1. Par. cap. 12. f l. 7. de emend. tẽp. fuſe g qu. 16. in cap. 12.

XXVI. *Zabulonitæ.* Seqvvntvr Zabulonitæ. *Porro de Zabulon,* ait Script. *qui egrediebantur ad prælium, & ſtabant in acie, inſtructi armis bellicis quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici.* De quibus hæc Ioſeph. *Ex tribu Zabulon armatorum lectiſſimorum quinquaginta millia; hæc enim tribus ſola vniuerſa ad Dauidem confluxit.* Imo vero Scriptura id de Iſſachare potius dixiſſe videatur, de Zabulonitis autem plane tacuiſſe. Sed Ioſephus deſerta Scriptura maluit ex multitudine Zabulonitarum, hanc ſibi proprio iudicio formare ſententiam. Quod autem nominatim de his Scriptura ait, non veniſ-

ſe ad Dauidem *corde duplici*; 5 Significari putat Abul. nonnullos inter hanc multitudinem veniſſe potius ad impediendam Dauidis electionem, quam ad eam iuuandam præſertim qui erant in tribu Beniaminia, quorum intererat regnum in Saulis domo retineri. Nimirum inducendo populum, vt aliquam à Dauide conditionem requirerent, quam ipſe admittere nollet: ſicque irrito conatu comitia diſſoluerentur, populuſque noua conſilia caperet, vt in regno Roboami contigit. Verum hæc interpretatio refelli videtur ex iis quæ mox Scriptura ſubdit. [a]

Et *de Nepthali principes mille, & cum eis inſtructi clypeo & haſta triginta ſeptem millia*: Sic Scriptura. Ioſephus autem; *Ex tribu Nephthalitide inſigniores, & ductores mille, ſcuto & haſta armati, quos ſequebantur reliqui tribules eorum, multitudo pene innumerabilis*, ἡ φυλὴ ἀναρίθμητος ἦν. Mirabile hominis ingenium, cum ſcriptura non exprimit numerum, ipſe eum quaſi Propheta ſuggerit vt in tribu Iſſachar. Et viceuerſa vbi ea numerũ diſtincte tradit, ipſe confundit: ſatius vtique fuit vtrobique ſimpliciter Scripturam ſequi, quam in corde duplici vtrobique deſerere.

De *Dan etiam præparati ad prælium 28. millia ſexcenti*. Septuaginta in pleriſque editionibus addunt ducẽtos minori numero, habent enim octingentos. Et vice verſa de eo numero Ioſephus aufert, & quaſi exauctoratos dimittit mille ſexcentos. Nam *ex tribu Danitide*, inquit, *ſelectorum 27. millia*, δισμύρια ἑπτακισχίλιοι. Eum tamen numerum Rufinus ex Scriptura correxit. Cæterum hic tribus Dan inter Aſer & Nephthalim interiicitur, propter vrbem Dan, quæ & Paneas poſtea dicta eſt, quæ ad Iordanis fontes ſita, vtramque tribum ab aquilone fere attingebat: etſi ſors illius tribus, ac terræ portio, à principio iuxta Simeonem, in ſinu tribus Iudæ conſtituta erat.

Et *de Aſer egredientes ad pugnam, & in acie prouocantes quadraginta millia*. Abulenſis vitioſo exemplari vſus, legit viginti millia. repugnante hebræo, græcoque textu, & Ioſepho. Et hactenus tribus cis Iordanem ſitæ.

Trans Iordanem autem de filijs Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manaſſe, inſtructi armis bellicis centum viginti millia. Ita conſtanter habent hebræa, & græca omnia; imo & Ioſephus in græco textu. Itaque male Gelenius viginti duo millia. Nam & Rufini verſio habet 120. millia. Vniuerſum hũc numerũ habes qui exacte iniri nunc non poteſt, propter tribum Iſſachar non numeratam; ſumma tamen numerorum, qui diſtincte poſiti ſunt à ſcriptura aſcendit ad trecenta 37. millia octingentos & viginti duos. Quibus ſi addideris viginti millia Iſſacharitarum ex Ioſepho, fient trecenta quinquaginta millia, octinginti & viginti duo. *Omnes iſti viri bellatores expediti ad pugnandum corde perfecto venerunt in Hebron, vt conſtituerent regem Dauid ſuper vniuerſum Iſrael*. Quibus verbis refellitur expoſitio Toſtati, de quibuſdam qui duplici corde ad hæc comitia veniſſe putantur; ſi enim omnes venerunt corde perfecto, non venerunt aliqui eorum corde duplici. Id autem peculiariter dictum videtur de Iſſacharitis, propter eorum multitudinem, in qua mirum eſt non inuentos aliquos hypocritas.

Horvm autem omnium præcipui fuerunt, qui dicti ſunt fortes Dauid, aut robuſti Dauid, in quibus tres erant omnium eminentiſſimi, qui ſe rebus præclariſſimè geſtis, omnibus vehementer probarant, quarum aliquæ in eiſdem locis recenſentur, nec tamen ad hoc tempus pertinent, quia tamen tempus quo geſtæ ſunt ignotum eſt, eodem quo à Scriptura loco referentur. [b] Hi autem fuerunt Iſbaam, Eleazar, & Semma. Huic triadi proxime accedebat alia virorũ item clariſſimorũ, Abiſai, Banaiæ & Aſaëlis: qui inter, id eſt ſupra triginta eminebant; qui deinceps extremo cap. 23. ſecundi regum numerantur, ſed omnes cum Dauide, qui vtiq. erat fortiſſimus, 37. recenſentur. Cap. tamen vndecimo primi Paral. plures alij adiiciuntur, qui quod eximia etiam fortitudinis laude præſtarent, ad præcedentes aggregari meruerunt. De his ergo ait Scriptura, [c] *hi principes virorum fortium Dauid, qui adiuuerunt eum vt rex fieret ſuper omnem Iſraël, iuxta verbum domini, quod locutus eſt ad Iſraël*. per os videlicet Prophetę Samuelis. 1. Reg. 15. 28. & 1. Par. 11. 3.

Effvderat porro Dominus in gratiam Dauidis, quem elegerat in regem totius populi ſui, ſpiritum pacis & concordiæ in vniuerſum Iſraëlem, vt omnes eadem mente, eademque ſententia vellent Dauidem regem. Ideo ſcriptura [d] recenſitis prædictis 357 millibus, adiecit. *Sed & omnes reliqui ex Iſraël vno corde erant*,

Margin notes: 5. 6. 7. (beside first line) — a v. 38. — XXVII. Nephthalita. — Sixti. A. di Baſil. Weckel. — Danitæ. — XXVIII. Aſerita, & qui trans Iordanem. — Baſil. Gene. — Summa vniuerſorum. — XXIX. Fortes Dauidis. — b 2. Reg. 23. 8. & 1. Par. 11. 11. — Duo ternarij fortiſſimorum. — c 1. Par. 11. 10. — XXX. Omnium in Dauidem conſenſus. — d 357. 822. 1. Par. 12. 38.

vt rex fieret Dauid. Qui ergo præſentes fuerunt, pro abſentibus etiam, de quorum ſuffragio, & voluntate conſtabat præſentibus, dicebant ſententiam, & regiam Dauidi dignitatem pro ſe ſuiſque offerebant. Itaque quod Scriptura affirmat [a] congregatum fuiſſe omnem Iſraëlem ad Dauid in Hebron, intelligendum eſt de maxima populi parte, cui reliqui omnes aſſentirentur; ſuóque nomine regem Dauidem creari poſtularent. Congregati autem regnum Dauidi in hæc verba detulerunt. [b] *Ecce nos os tuum & caro tua ſumus: heri quoque & nudius tertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Iſrael. Tibi enim dixit Dominus Deus tuus; tu paſces populum meum Iſraël, & tu eris princeps ſuper eum.* Ad quæ verba videtur alluſiſſe ipſemet Dauid [c] cum diceret. *Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hereditatem ſuam. Et pauit eos in innocentia cordis ſui, &c.*

Et poſtulatio.

a 2. Reg 5. 1. *b 1. Par. 11. 1.* *c Pſal. 77. 6.*

XXXI. *Explicatur ratio.*

Israelitæ porro tria proferunt argumenta, ob quæ Dauidem eligant in regem. Primum quod nullum habeat generis impedimentum. Lex enim Moſis diſerte cauet, [d] ne liceat Iſraëlitis quemquam in regem ſibi aſſumere, niſi de fratribus ſuis, id eſt de domo Iacob: Et id quidem factum apparet, quod tunc vbique gentium regnaret idololatria. Itaque ſiue regem acciperent de circumfuſis populis, ſiue eum de lõginquis accerſerent, regem idolorum cultorem habuiſſent, qui eos iam ſponte ſua idolorum amore prurientes ad dæmonum cultum verbo & exemplo pellexiſſent, notum enim eſt, Regis ad exemplum populum componere mores. Et quamuis externi reges ea labe caruiſſent; quia tamen eorum mores, & vitæ ratio admodum diſſimilis eſſe ſolet à cæteris, vt quotidiana docet experientia; huiuſmodi autem diſſimilitudo morum, & vitæ diuerſitas cũ diſtrahat hominum animos, atque diſiungat, quos ſimilitudo copulat, neceſſe fuit vt rex & populus, ex quibus, tanquam capite & membris, debet coaleſcere corpus vnum, moribus perquam ſimiles eſſent. Alioqui occini poſſet illud. *Humano capiti ceruicem pictor equinam iungere ſi velit, &c.* Ergo recte Iſraëlitæ, *os tuum, & caro tua ſumus.*

Cur rex ex eadem gente.

d Deut. 17. 14. 15. *Horat.*

XXXII. *Alterum argumentum ab experientia.*

Alterum eſt, quod regendæ Reip. bellique gerendi peritiam, atque experientiam habeat. Nimirum alludunt ad illud quod habetur in primo regum, [e] *Egrediebatur quoque Dauid ad omnia quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat.* Et iterum, *fecit eum Saul tribunum ſuper mille viros, & egrediebatur & intrabat in conſpectu populi; & in omnibus viis ſuis prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* Ergo iamdudum rudimenta poſuerat rerum gerendarum, nec nouus, & inſolens gubernandi, ad clauum imperii accedebat; quæ ſcientia, vt nihil eſt in rebus humanis inchoatum ſimul, atque perfectum, non ſine aliquo ſubditorum detrimento acquiri ſolet.

e 1. Reg. 18. 5.

Tertium ex Dei voluntate.

Tertivm eſt, quod diuinitus electus eſſet in regem Iſraelitarum, cuius voluntati nefas ſit non obſequi. Hæc porro verba, quæ populus ait Dauidi dicta fuiſſe diuinitus, non habentur totidem vocibus ab aliquo propheta enunciata. Sed cum didiciſſet populus Samuelem diuinitus reuelaſſe Dauidi, eum fore totius populi regem, diuerſi diuerſis verbis eandem ſententiam referebant. Itaque aliter ea hoc loco populus, [f] aliter ſupra Abner; [g] aliter ſuperius Abigail [h] & Saul ipſe & Ionathas retulerunt. [i] Addere poterant vitæ innocentiam, ætatem florentem, belli paciſque actibus idoneam, & maxime ſpiritum illum principalem, de quo alibi diximus. [k]

f 2. Reg 5. 2. *g 2. Reg. 3. 18.* *h 1. Reg. 25. 30.* *i Abul q. 1. in c. 5. 2. Reg.* *k ..m. 2969. n. 45.*

XXXIII. *Fœdus initur.*

Caetervm de immenſa illa multitudine vitandæ confuſionis gratia, electi ſunt tributim communi ſuffragio aliqui viri primarii, qui nomine omnium cum nouo rege fœdus inirent, de quibus videntur accipienda illa Scripturæ verba, [l] *Venerunt ergo omnes maiores natu Iſrael,* de ſingulis videlicet tribubus aliquot electi, *ad regem in Hebron, & iniit Dauid cum eis fœdus coram Domino.* Aſſumpto videlicet Deo in teſtem populus ſpopondit Dauidi fidem & obedientiam, quam ſubditi regi ſuo ſecundum Deum debent. Et vice verſa Dauid eodem authore & teſte pollicitus eſt, ſe populum fideliter ex Dei legibus, & recta ratione gubernaturũ, & contra inimicos eius omni ope protecturũ; credibile autem eſt in tam ſolemni, tantique momenti fœdere non eſſe omiſſas ceremonias omnes adhiberi ſolitas, præſertim diuiſionem animalis, & tranſitum per partes diuiſas; qua de re ali-

l 1. Par 11. 3.

Coram Domino.

Sanctuarium, &

a m. 2119. nu 15 & ſeqq.
b q. 5. in c. 5 2. Reg.

bi diſputatum eſt. [a] Illud autem *coram Domino*, etſi accipi poſſit vt idem ſit quod, publicè, in oculis omnium: aut Deo in teſtem aſſumpto. Placet tamen coniectura Toſtati [b] excitatum à Dauide quoddam ſanctuarium, & altare in Hebron, dum, regnante Iſboſetho, non liceret populo libere adire tabernaculum, quod erat Gabaone, & Arcam fœderis, quæ erat in Cariathiarim, oppido vtroque tribus Beniamin: non enim videtur Dauidis pietas ferre potuiſſe, vt tot annos cultu diuino careret, cum etiam pontificem cum Ephod apud ſe haberet. Atque id ſanctuarium, & altare videtur ſignificaſſe Abſalon, cum peteret à Dauide facultatem reddendi vota ſua in Hebron; Crediderim etiam Abiatharem pontificem in veſtitu pontificio quaſi Dei perſonam ſuſtinentem, huic fœderi interueniſſe.

Coram Domino.

Sanctuarium, & altare Dauidicum.

XXXIV. *Vnctio tertia Dauidis.*

c 1. Reg. 15. 16.
d Pro. 8. 15.

INITO fœdere ſecuta eſt vnctio, ſequitur enim; *vnxeruntque eum regem ſuper Iſraël, iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt in manu Samuelis.* [c] Vnxerat Samuel Dauidem Domini iuſſu, vt eſſet rex loco Saulis, quem Deus proiecerat, ne eſſet rex ſuper Iſraël; proptereáque eadem vnctione ius acquiſierat, quale habebat Saul ſuper omnes tribus; vnctio ergo quæ hoc tempore facta eſt, fuit ad repræſentandam, approbandam, ac confirmandam illam, nec ad conferendum ius nouum, ſed ad ſtabiliendum antiquum, quod Deus Dauidi per Samuelem contulerat. Deus enim ius habet ſupremum, & independens in omnes gentes, ſuóſque vicarios conſtituit reges ſingulos, qui propterea ſe Dei gratia regnare fatentur: memores illius, [d] *per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Nec populi conſentientes in electionem alicuius in regem par ius ei tribuunt ad regnandum, iuri quod ei Dominus contulit, quem elegit, imo totum illud populi ius ex iſto pendet; ſicut ius quod ſeruus aliquis dat cuipiam in ſeipſum, dependet ex arbitrio heri. Non enim poteſt ſeruus de ſeipſo ſtatuere, quia ſuus non eſt, ſed heri; & ſi quid valide ſtatuit, ac decernit, conſenſu Domini decernit, itaque ius in ſeruum non transfertur ab ipſo ſeruo, ſed ab Hero in nouum dominum. Maius autem eſt Dei ius in homines, quam hominis in mancipium; ergo ius quod homines conferũt vni, vt ſit eorum princeps, pendet ab arbitrio Dei, qui herus eſt, potius quam hominis, qui eius ſeruus eſt. [e] Et ſicut poteſt herus vendere ſeruum eo inſcio, ita & Deus dare alicui ius in populum aliquem ipſo ignorante, ſicut dedit Dauidi per Samuelem; & vt ſeruus tenetur approbare venditionem Domini; ita & populus electionem Dei, quod & præſentibus comitiis factum eſt, & ſuperioribus à tribu Iuda fuerat inchoatum. Recte itaque Ioſephus. [f] *Omnes communi ſententia, regnum ei ratum ac firmum eſſe voluerunt.* 7

Prima omnium præcipua.

Dei ius in electionem principum.

e Abul. q. 4. in c. 5. 2. Reg.
f l. 7. ant. c. 2.
βασιλεύειν ἐκύρωσαν.
7. 8χ.
g 1. Par. 12. 39.

VNCTIONEM excepit conuiuium, de quo Scriptura, [g] *fuerúntque ibi apud Dauid tribus diebus comedentes, & bibentes*, Dauidis videlicet ſumptibus, vt ſignificat illud *apud Dauid*, & affirmat Abulenſ. in eum locum, quoniam comitia in eius vnius gratiam fiebant & gloriam. Quod ſi populo congregato ad tranſlationem arcæ, præbuit Dauid cibos, multo magis, id nunc fecit; At quomodo nō eſſent graues hi ſumptus Dauidi, trecentis & quinquaginta ſeptem hominum millibus triduo nutriendis? Dicendum videtur plurima munera publice priuatimque Dauidi nouo regi oblata fuiſſe, quibus plurimum onus expenſarum leuari potuit. Idque haud obſcurè ſignificant Septuag. qui dicunt Zabulonitas veniſſe βοηθῆσαι τῷ Δαυίδ, οὐ χενοχείρως, *auxilio Dauidi non vacuis manibus*, & ſine munere, quod de aliis quoque tribubus intelligi poteſt. Copia autem ciborum quæ tanto conuiuarum numero ſufficeret, collecta fuit à tribu Iuda, quæ erat apud Dauidem, & Hebronem opera mulorum, camelorum, aſinorum, qui onera ferunt, delata, ſed in carris, & vehiculis, quæ trahuntur à bobus; neque à vicinis tantum tribubus Simeonis, & Beniamini, ſed à remotioribus etiam Iſſachar & Zabulon & Nephthali, quæ erant omnium remotiſſimæ cis Iordanem. Itaque cibaria collecta ſunt ad omnem copiam; itáque factum oportuit, *gaudium quippe erat in Iſraël* ob nouum regem, & ſine epulis huiuſmodi celebritates frigent.

XXXV. *Conuiuium tridui Dauidis ſumptibus.*

Munera illi data.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2986.

1.N.XI. VOx *latenter* mutuo ſumpta eſt ex Septuaginta, ſicut & quæ de ancilla oſtiaria dicta ſunt, vno enim illo verbo reddidit hæc, καὶ ῥηχὰβ καὶ βαανὰ οἱ ἀδελφοὶ διέλαθον, καὶ εἰσῆλθον εἰς τὸν οἶκον. *Et Rhechab & Daana fratres latuerunt, & ingreſſi ſunt domum*, id eſt, vt vertit Hieronymus, *latenter ingreſſi ſunt*, per hendiadyn.

2.N.XIV. Breuius Septuag. dicunt δοῦναι εὐαγγέλια, quod Hieron. *mercedem dare pro nuncio*. Cæterum totum hunc locum habes diligentius explicatum ſupra an. mun. 2979. num. 179. & 180.

3.N.XXIII. Scriptura habet τῶν υἱῶν λευὶ τετρακισχίλιοι, (καὶ ἑξακόσιοι,) καὶ ἰωαδὰε ὁ ἡγούμενος (τῷ ἀαρὼν, καὶ μετ' αὐτοῦ τρεῖς χιλιάδες) καὶ ἑπτακόσιοι. Καὶ σαδὼκ νέος δυνατὸς ἰσχύϊ, καὶ τῆς πατρικῆς οἰκίας αὐτοῦ ἄρχοντες εἰκοσιδύο. Id eſt, *filiorum Leui quatuor millia ſexcenti. Et Ioadas dux familiæ Aaronicæ, & cum illo tria millia, & ſeptingenti. Et Sadoc iuuenis fortis robore, & patriæ domus ipſius principes viginti duo.* Ioſephus autem ſic habet. Ἐκ δὲ τῆς λευιτῶν τετρακισχίλιοι ἑπτακόσιοι, ἔχοντες ἄρχοντα ἰώδαμον, μετὰ τούτων ἦν ὁ ἀρχιερεὺς σάδωκος σὺν εἴκοσι καὶ δύο συγγενέσιν ἡγεμόσιν. Vides omiſſa quæ incluſi ſemicirculis. Neque additam diſtinctionem Aaronitarum, id eſt, ſacerdotum à Leuitis. Et contra vocatum Sadocum pontificem, quod neque Scripturæ, neque rationi conſentaneum eſt. Vide an. m. 2975. n. 2. & 5.

4.N.XXV. Septuag. habent γινώσκοντες σύνεσιν εἰς τοὺς καιροὺς, Ioſephus προγιγνώσκοντες τὰ μέλλοντα. Theodoretus autem τούτους δὲ ἐπὶ σοφίᾳ τεθαύμακεν, ὡς ἱκανοὺς καὶ δεινοὺς, ἰδεῖν τὸ πρακτέον, καὶ προϊδεῖν οὐ προφητικῶς, ἀλλὰ συνετῶς τὰ ἐσόμενα, καὶ τὰ συμφέροντα εἰσηγήσασθαι. *Hos vero propter ſapientiam admiratus eſt, tanquam idoneos & ſolertes ad videndum quid ſit agendum, & prouidendum, non prophetice ſed prudenter futura, & vtilia ſuggerenda.* Vbi vides illud συνετῶς reſpicere σύνεσιν τῶν ὁ.

5.N.XXVI. Hebræi ad verbum habent, *& ad diſponendum non in corde & corde*, quod Complut. & regia græca retinuerunt, ſicut in Pſal. 11. 3. *in corde & corde locuti ſunt*. At reliquæ editiones habent βοηθῆσαι τῷ δαυὶδ οὐ χερσὶ κεναῖς, id eſt, non manibus vacuis, quod non parum ad rem facit, vt dixi nu. 35. Qui autem volunt legendum pro ν χεροῖν: οὐ καρδίᾳ ὡς εἷς *quorum cor vt vnius*, ſubtiliter magis quam vere emendant; non enim de concordia, ſed de ſynceritate agitur, ideóque recte Hieronymus vertit *non in corde duplici*. 6.N.XXX.

Et forte non longe poſt hæc tempora ſcriptus eſt hic Pſalm. Ad ea certe Lyran. refert Pſalm. 26. in cuius titulo habetur, *priuſquam liniretur*, hac ſcilicet tertia vnctione, vt idem ait. Sed materia Pſalmi illius non admodum quadrat huic tempori. Ei pſalmo initium eſt. *Dominus illuminatio mea, &c.* 7.N.XXXIV.

Theodoretus videtur exiſtimare Dauidem non fuiſſe ter vnctum, ſed tantum ſemel a Samuele, reliquas autem, quæ dicuntur, vnctiones, fuiſſe electiones. Cum enim is in quæſtione poſuiſſet. Cur Dauid fuit ter vnctus? Ita reſpondet *per Samuelem regiam adeptus eſt vnctionem, populi autem electiones hiſtoria appellat vnctiones*. Verum nihil eſt periculi vnctiones proprio accipere. Non enim huiuſmodi vnctio ſacramentum eſt imprimens characterem, vt iterari non poſſit. Vide quæ ſupra diximus an. Saulis vlt. n. 200. Sed nec Ioſephus hoc loco l. 7. c. 2. meminit vnctionis; habet enim tantum, τὸν δαυίδην βασιλεύειν ἐκύρωσαν. *Regnum ei ratum eſſe voluerunt.* 8.N.XXXV.

Ioſephus hæc comitia ita concludit. *Hæ fuerunt copiæ, quæ in Hebronem ad Dauidem ſunt collectæ, cum magno commeatu frumenti, & vini, cæterorumque ad victum commodorum, omneſque communi ſententia, regnum ei ratum ac firmum eſſe voluerunt. Cumque triduo illic feſta celebraſſent, epuliſque operati eſſent* (κατευωχηθέντες τῆς λαοῦ, alluſit interpres ad ſacrificia pacifica Hebræorum, quæ ad epulas referebantur; ita tamen vt pars vna Deo cederet in ſacrificium) *Dauid cum omnibus his copiis Hieroſolymam eſt profectus.* Sed hæc expeditio recte ad proximum annum differtur.

ANNVS MVNDI 2987. DILVVII 1331. 5ᵉ. ÆTATIS. 48. EXITVS AB AEGYPTO 444. ARCÆ IN CARIATH. 47. DAVIDIS 8. ABIATHARIS PONTIF. 13. TROIÆ EXCISÆ 116. DERCYLLI 37. IMPER. ASSYRIORVM 1056.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1066.

I. *Tempus expugnatæ Sionis.*

CELEBRIS eſt hic annus Hieroſolymorum arce noui regis auſpiciis expugnata. Eam expugnationem in hunc annum differimus, quod licet ſtatim ab inauguratione Dauidis ſuſcepta ſit expeditio, vt Ioſephus,[a] & Toſtatus[b] affirmant, & ratio ipſa confirmat, quæ perſuadet Dauidem prudenter vſum, tum commoditate congregati populi, tum præſenti eiuſdem alacritate: nihilominus admodum probabile eſt arcem illam, poſt diuturnam admodum oppugnationem, tandem in Dauidis poteſtatem veniſſe. Ergo ſub extremum annum ſeptimum Dauidis obſeſſa eſt Sion, octauo denique expugnata. Hanc expugnationis longinquitatem ſuadet, tum locus ipſe natura munitiſſimus, & vndique propemodum inacceſſus, tum induſtria, & ſtudium pertinax Iebulæorum, in vno eo loco omni opera muniendo, & propugnando, ex quo pendebat non ſolum eorum ſalus, ſed ſupremus etiam interitus vniuerſæ gentis. Accedebat quod eluſerat hic mons, ab ipſo Ioſue ad hanc vſque diem, omnium bellatorum, principum, iudicumque populi Dei conatus, ipſos iam quadringentos annos,[c] & ex quo inferior Ieruſalem capta fuerat, annis 385. quibus in dies magis magiſq. munitus ac firmatus eſt. Itaque armis, viris, cibis, propugnaculis egregie inſtructa Sion, non modo ſuſtentabat, ſed irridebat etiam conatus Dauidis, & omnium copiarum eius. Denique hanc difficultatem & tarditatem expugnationis illud non obſcure innuit, quod quaſi in re admodum ardua, ac prope deſperata præmium propoſitum eſt ei, qui aditum ad victoriam dediſſet.

Difficultas, & tarditas expugnationis.

a l. 7. c. 2. b 1 Par. 11. poſt q. 9. c a m. 1601. ad an. 1987.

II. *Arguitur Ioſephi chronologia.*

ANTEQVAM autem prouehamur vlterius, corrigendus eſt Ioſephus,[d] qui de tempore expugnatæ huius arcis ita ſcribit. *Totum autem hoc tempus ex quo Ioſue, Hebræorum aduerſus* Chananæos *imperator, deuicta regionis agros ſuis diuiſit, poſtquam* Iſraëlitæ *nunquam barbaros ex Hieroſolymis eÿcere valuerunt, vſque ad hanc* Dauidis *expugnationem, anni fuere quingenti & quindecim.* At errat manifeſtiſſimè cum enim ab egreſſu ex Ægypto, vſque ad templi fundamenta iacta, 480. dumtaxat annos intercurriſſe, ex 3. Reg. cap. 6. conſtet, & ex eo numero auferendi ſint. 33. anni Dauidis, & tres Salomonis, & 40. anni quibus Iſraëlitæ per deſerta loca vagati ſunt, & ſeptem anni deuictæ, & diuiſæ regionis, certe hi omnes anni efficiunt annos tres & octoginta, quos ſi de prædicta ſumma detraxeris, 397. duntaxat reſidui erunt. Itaque centum & octodecim annis abundantior eſt Ioſephi numerus, quam Scripturæ. Natum autem errorem putamus ex detractis in libro Iudicum ſeruitutum annis, & ſeorſim ab annis ſingulorum iudicum computatis; ij ſunt anni centum & vndecim. Reliqui ſeptem ad debellatam, diſtributámque regionem pertinere poſſunt. Verum de his ſeruitutum annis non diſtrahendis,[e] alibi diſputatum eſt à nobis.

d l. 7. c. 3.

33
3
40
7
83

e a. m. 1601. n. 1. & 2.

III. *Dauid ambit Ieruſalem in regni ſedem.*

DAVID ergo rex vniuerſi populi, Dei voluntate, populíque conſenſu conſtitutus, nihil habuit antiquius, quam vt totius regni ſedem Ieroſolymis, & nominatim in Sionis arce collocaret. Erat enim is locus quaſi centrum & vmbilicus terræ Chananitidis, vt inde facilius in totum regnum decreta regia, ad rectam populi gubernationem, æquis ferme ſpatiis diffundi poſſent, atque perferri. Locus inſuper erat amœniſſimus, qui cœli delicias repræſentaret, qui nunc à Deo deſertus ſqualet totus, vti referũt oculati teſtes. Locus erat natura ipſa egregiè factus ad firmitatẽ, & accedẽte arte reddi poterat inexpugnabilis, niſi Deũ habuiſ-

ſet oppugnatum. Huc ſæpenumero coniecerat oculos Dauid cũ Hebrone regnaret, & regni ſedem, imo & religionis domicilium, & aſylum animo deſtinabat. Vnum erat Iebuſæorum præſidium, longe munitiſſimum atque firmiſſimum, quod Dauidis conſilia multos iam annos fruſtrabatur. Itaque de iſtis Iebuſæis inde poſt plura iam ſecula exturbandis conſilium capit, vt non ſolum tribui Iudæ, & Beniamini, quorum ceruicibus tanquam iugum impoſitum erat, ſed toti regno ſuo libertatem afferret: & eam quaſi ſpinam in eius corde infixam extraheret. Cum populo vniuerſo conſilium placuiſſet, & profectioni dictus adueniſſet dies, pars magna populi cum Dauide Hieroſolymam venit, neque enim neceſſe fuit ad diuturnam obſidionem arcis vnius, 357. hominum millia cum magnis, minimeque neceſſariis ſumptibus, laboribuſque retineri, cum vel vnica tribus Iuda abunde ſufficeret. Ergo dimiſſis magna ex parte cæteris tribubus, cum Iuda & Beniamin obſeſſum Sionis montem putamus.[a] — a vide Abul. 2. Reg. 5. q. 6.

IV. *Expeditio in eam.*

Expeditionem hãc ſic paucis Script. deſcribit.[b] *Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo in Hieruſalem ad Iebuſæum habitatorem terræ.* Et alibi. [c] *Abiit quoque Dauid, & omnis Iſrael in Ieruſalem, hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſæi habitatores terræ.* Nec te moueat, erudite lector, quod audis omnem Iſraëlem veniſſe in Ieruſalem: non enim ibi ſubſtitiſſe intelligendi ſunt, ſed illac tranſiſſe recedentes, erat enim Ieruſalẽ propemodum in via omnibus tribubus Hebrone ad proprios lares reuertentibus, præterquam Iudæ & Simeoni. — b 2. Reg. 5. 6. c 1. Par. 11. 4.

Iebuſæi habitatores terræ.

Exiſtimat autem Toſtatus [d] dici Iebuſæos habitatores terræ, quod non ſolum Ieroſolyma haberent in poteſtate ſua, ſed alia etiam vicina loca; cum eſſet vna de gentibus exterminandis. Verum id probari non poteſt; nec profertur locus vllus, quem incoluerint in Chananitide à temporibus Ioſue, præter Ieruſalem, quam ne totam quidem tenuerunt, vt mox dicetur. Cæterum habitatores terræ dicuntur, id eſt habitatores loci illius; vt cum dicitur, *locus in quo ſtas, terra ſancta eſt.*[e] Et dicitur Aran mortuus *in terra natiuitatis ſuæ, in Vr Chaldæorum.*[f] Et Abraham iubetur ire in terram viſionis, quæ mox vnico monte Moria circumſcribitur. Sic ergo & hoc loco terra, montem Sionis duntaxat ſignificat. — d in 1. Par. 11. q. 9. e Exod. 3. f Gen. 11. 28 c. 22. 2.

V. *Nec tamen tenuerunt totam Ieruſalem.*

Vt autem de loco, quem tenuerunt Iebuſæi, quemque expugnauit Dauid, dicamus aliquid, in primis ſtatuendum eſt quidquid Hieroſolymorum nomine Dauidis tempore comprehendebatur, non fuiſſe in Iebuſæorum poteſtate [g] Eo quippe nomine primum continetur mons Sion, qui ciuitas ſuperior dictus eſt. Secundo illi è regione reſpondens mons Acra ſeptentrionem verſus, qui inferiorem ſuſtinebat ciuitatem, vt ait Ioſephus; [h] tertio iſti oppoſitus, & vtrique interiectus collis humilior Acra, qui dictus eſt Moria, vbi templum à Salomone conditum eſt: quarto alius etiam, qui dictus eſt Bezeta, & noua ciuitas. — g vide Vil. [illegible] h l. 6. bel. c. 6.

Eius 4. partes, ſiue montes.

Iebuſæi in Sionis tantum monte habitabant: inde enim expulit eos Dauid, cepitque arcem Sion, quæ deinceps facta eſt ciuitas Dauid. Ac ne totum quidem montem Sionem Iebuſæi tenuerunt, ſed eam tantum illius partem, quę dicta eſt arx Sion, & ciuitas Dauid. Quamuis enim totus mons Sion, iunctus reliquæ ciuitati Hieroſolymorum, diceretur arx Hieroſolymorum: ipſe tamen per ſe ſumptus inſtar oppidi erat, habebatque verſus occaſum locum eminentiorem, qui erat arx Sion, ſiue ciuitas Dauid.

VI. *Montis Sionis magnitudo.*

Mons enim Sion, vt ait Burchardus [i], tam late patet, vt ſolus commodam vrbem fundare potuerit. Eius latitudo, quæ ſumitur a meridie ad aquilonem, bis mille cubitis extenditur: longitudo quæ eſt ab ortu ad occaſum, quater mille. Ioſephus [k] ait hunc montem multo cæteris excelſiorem, & prolixitate directiorem fuiſſe; & vrbem ex parte auſtrali, in modum theatri, forma ſemicirculi ambiuiſſe, & planiciem inſtar oppidi habere, eamque valde amœnam. Plenius aliquanto Villalpandus noſter [l] *A meridie,* inquit, *ciuitatis, totus mons ſublimior eſt, & in prolixitate directior, decliuior autem verſus aquilonem, qua tota ciuitas deſcendens vergit, & ob eam cauſam ipſa etiã Latera aquilonis, Ciuitas regis magni dicuntur. Porro à meridie prærupta rupe ſemicirculari forma idem mons clauditur; quæ & ipſa in profundam vallem* (extra vrbem) *deſinit. Ab aquilone vero nonnihil ad interiora curuatur, valléque Tyropœon terminatur: in quam, Ioſepho teſte, domus creberrimæ deſinebant. Ab oriente ob rupes ac vallem Ioſaphat, quæ ibi latius patere incipit, nullius eſt certæ aut æquabilis formæ. Denique ab occidente* — i 1 p. c. 7. parag. 41. k l. 6. bel. c. 6. l to. 3. l. 1. c. 6.

mons hic curuatur, & in maximam celſitudinem erigitur: in cuius vertice prærupta rupes in coronæ modum exurgit, in qua olim Iebuſæorum arx extructa erat. Hæc Villalp.

VII *Oppidum fuiſſe per ſe.*

Et hic quidem mons, ſicut & ipſa eius arx non claudebatur, tunc cum reliquis collibus Acra, Moria, Bezetha, vnius ciuitatis mœnibus, ſed vt ait Beda, ei vicinus erat, & oppidum per ſe quoddam efficiebat muris validiſſimis, firmiſſimiſque turribus cinctum. Et reipſa oppidum vocatur in libro Iudicum, [a] vbi leuites, negat ſe ingreſſurum oppidum gentis alienæ, cum eius famulus eum monuiſſet, vt declinaret ad vrbem Iebuſæorum. Ioſephus quoque l. 7. antic. c. 2. vrbem non ſemel vocat. Quin & poſt delertos Iebuſæos vrbem appellari videas à Scriptura. [b] Itaque nonnullos apud eum deceptos fuiſſe, dum vrbem, de cuius expugnatione mox agit, putauerunt eſſe ipſam Hieroſolymam, & non dũtaxat oppidum Sion, quod ſua mœnia, ſuamque habebat arcem. Recte itaque oppidum dici potuit ſpectatum per ſe, vt ante dixi, [c] iunctum autem reliquæ vrbi Hieroſolymæ, arx appellatur. Ergo ſuperiorem Hieroſolymorum partem Iebuſæi tenebant, inferiorem vero Hebræi, cuius perſpicuum argumentum eſt, quod ante annos ſedecim Dauid reſectum Goliathi caput detulit Hieroſolymam. [d]

Et arcem habuiſſe.

a Iudic. 19. v. 11. 12. b 1. Par. 11. 8. c nu. 5. d an. Saul 30. n. 51.

VIII. *Obſidetur a Dauide cum Iebuſæorum cõtemptu.*

Ad hunc ergo ſiue montem, ſiue oppidum poſtquam ventum eſt, cum omni bellico apparatu, partim ad oppidum Salem, quod operiebat montem Acra; partim circa Sionem Dauidicæ copiæ conſederunt; miſitque Dauid nuncios ad Iebuſæos qui eos ad deditionem, æquis, vti fieri ſolet, conditionibus inuitarent. At ipſi loci firmitate & munitionibus confiſi, non ſolum deditionem recuſarunt, dicentes per nuncios Dauidi, [e] *non ingredieris huc*, ſed contempſerunt etiam, atque irriſerunt, dicentes ſolos cæcos & claudos adhibitos ad defenſionem oppidi, & arcis ſuæ ſatis eſſe ad frangendos omnes eius conatus. Hæc eſt enim ſententia illorum verborum: [f] *Dictumque eſt Dauid ab eis, non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos, & claudos.* Sic enim Ioſephus quoque explicat. [g] *Iebuſæi*, inquit, *qui tum vrbem incolebant, Chananæorum & ipſi generis, clauſis ad eius aduentum portis, & in mœnibus quotquot erant cæci vel claudi, aut alioqui mutili, in contemptum regis collocatis, dictitabant hos ad arcendum hoſtem ſufficere, freti munitionum firmitate*: eadem eſt Theodoreti expoſitio, q. 16. Quæ autem circa hos cæcos & claudos nugentur Iudæi, vide apud Abulenſem, [h] qui etiam notat cum Lyrano, ex eadem confidentia Tyrios ad cuſtodiam turrium ſuarum poſuiſſe propugnatores Pigmæos [i]

e 1. Par. 11. 5. f 2. Reg. 5. 6. g l. 7. ant. c. 2. h 2. Reg. q. 7. i Ezech. 27. 11.

IX. *Pars Sionis inferior occupatur.*

Qvo *ludibrio ad iram concitatus Dauid*, inquit Ioſephus, *oppugnationem aggreditur, & cum ſtrenua militum opera vteretur, omnibus annitentibus vt vnius vrbis expugnatione, cæteris, ſi qui ſimiliter pertinaces eſſent, metus incuteretur: vt inferiorem vrbis partem occupat.* Quos alios intelligat difficile eſt intelligere: non enim alia loca tenebant Iebuſæi, forte Philiſthæos intelligit, qui deſertas aliquot vrbes in morte Saulis occuparant, & adhuc retinebant; caue autem *inferiorem vrbis partem* intelligas, reliquã Hieroſolymorum ciuitatem, ſed reliquam partem Sionis, retenta adhuc ipſius Sionis arce. Itaque cum alibi ait [k] Hieroſolymæ partem inferiorem à Beniamitis captam fuiſſe, & habitatores trucidatos; at ſuperiorem natura loci, & munitionibus fuiſſe defenſam, inferiorem Hieroſolymæ partem vocat omnia, quæ poſtea ad Hieruſalem pertinuerunt, excepto monte Sion, quo ſolo potiri non potuerunt, vſque ad præſentem annum Dauidis octauum; hoc autem loco inferior vrbis pars, eſt inferior pars Sionis: nec libenter audio hanc inferiorem partem de ſuburbiis, de quibus nulla vſquam eſt mentio, explicari. [l]

k l. 5. ant. c. 2.

X. *Proponitur præmium, occupanti arcem.*

Occvpata iam inferiore parte Sionis, & ſola arce reſiſtente, *decreuit Dauid*, vt ait Ioſephus, *propoſitis honoribus ac præmiis militem ad rem alacriter gerendem excitare, promiſitque ei qui per ſubiectas valles in arcem euaſiſſet, totius exercitus imperium ſe commiſſurum. Et cum eo certatim omnes eniterentur cupiditate ſummæ præfecturæ accenſi, Saruiæ filius Ioabus alios præuenit, & conſcenſa arce, clamore ſublato, à rege promiſſum copiarum imperium repopoſcit*, vt in Paral. [m] refertur. Ex quibus explicanda ſunt, quæ in 2. Regum habentur. [n] *Propoſuerat enim Dauid in illa die præmium* præfecturæ, *ei qui percuſſiſſet Iebuſæum, & domatum fiſtulas*, id eſt tectorum canales, *& abſtuliſſet cæcos & claudos*, tranſcenſis videlicet muris iſtos propugnatores, ibi per ludibrium poſitos, deturbaſſet. Quas autem ſubiectas valles Ioſephus intelligat non video,

l Villalp. tom. 3. l. 2. cap. 1. ἐξ ἀφ' ὧν χωμάτων ἀγρ... m 1. Parai. 11. 6. n 2. Reg. 5. 8.

planiciem potius montis ipſius dictam oportuit; occupata enim ſemel inferiore parte Sionis, nulla vltra vallis ad arcem occurrebat. Vallem fortaſſe dixit eam ipſam planiciem, circumfuſam rupi arduæ, in qua erat arx ipſa.

XI. *Occupatur à Ioabo.*

EST & nonnulla circa Ioabi præmium dubitatio, quomodo enim nunc dicitur obtinuiſſe militiæ principatum, quem iamdudum gerebat? ipſe enim duxit exercitum aduerſus Abnerem, quem etiam interfecit, ne ea dignitate priuaretur, vt ſupra diſputatum eſt. [a] An hactenus ex gratia eo functus eſt officio, deinceps autem in mercedem illud obtinuit? An potius qui princeps militiæ erat in regno Iuda, nunc in 12. tribubus militiæ principatum adeptus eſt, quem fortaſſe Dauid cupiebat hac occaſione in quempiam alium à Ioabo trãsferre, qui ei grauis erat, præſertim ob interfectum Abnerem. Aut certe relicto ei principatu ſuper tribum Iuda, alteri cuipiam totius exercitus proximam à rege curam tradere deſiderabat. *Aſcendit ergo primus Ioab, & factus eſt princeps.* Qua arte aſcenderit, an manibus pedibúſque perreptando per eminentes ſcopulos, vt pridem Ionathas, an ſcalas aliquas adhibuerit, neque Ioſephus, neque Scriptura tradiderunt. Hebræi quidam [b] aiunt Ioabum curaſſe deferri excelſum cedrum, ad eámque ſe alligari, tum erigi prope murum, ſicque factum vt in illum euaderet, & præmium obtineret: Nec vident eum ſolum ibi facile occiſum iri. Dicendum potius factum vndique à fortibus Dauid aſſultum, ſcalis ad ſaxa applicitis, interim dum reliquus exercitus certatim telis propugnatores ſummouerent à propugnaculis, & è ſcalis primum Ioabum ad ſummum murorum peruolaſſe, tum ſubinde alios atque alios, donec non tam numero pares, quam viribus ſuperiores euaderent.

Quomodo.

a m 19. n. 18 19 & 20.

b apud Abul. in ca 5. & reg q. 7. ſi.

XII. *Exitine fuerint Iebuſæi.*

OCCVPATA igitur arce facile eſt intelligere omnes qui in armis erant, & quicumque furenti militi occurrerunt interfectos eſſe. An autem reliqui, ſi qui in latebris fuerunt, ſi qui tenera aut deuexa ætate erant, ſi qui cæci & claudi poſtmodum interfecti fuerint, dubitari poteſt. Nam Ioſephus [c] ait ex arce eiectos, nec dicit occiſos. Theodoretus [d] explicans illa verba, quæ iuxta Septuag. leguntur. *Omnis feriens Iebuſæum claudum, aut cæcum tangatur pugione.* 2 *Cum Dauid*, inquit, *cepiſſet Iebus, alios quidem Iebuſæos iuſſit interfici, claudos autem & cæcos, qui irridebant è muro, ob lenitatem & animi magnitudinem conſeruauit, propoſito edicto vt occideretur qui ferirет aliquem ex ipſis. Tangatur enim pugione pro eo quod eſt, perimatur enſe; & ideo laudem eſt ab omnibus conſecutus.* ſic ipſe. Certe ex ſequentibus [e] perſpicuum eſt Areunam Iebuſæum conſeruatum, imo & bona eius ei ſalua fuiſſe, ab eo quippe Dauid emit aream, in qua excitauit altare, & ſanctificauit ad ſedandam peſtilentiam.

c l. 7. c. 3.

d q. 17. 2. 67.

e 2. Reg. 24. 21.

XIII *An potius occiſi.*

DICENDVM nihilominus videtur Iebuſæos paſſim omnes interfectos fuiſſe; ſic enim conueniebat tractari impios irriſores, & vi non deditione captos, & in primis morti iampridem à Deo addictos. Nam Theodoretus idem. [f] *Cum cepiſſet*, inquit, *arcem*, id eſt, inferiorem partem Sionis, *ſummis viribus vrgebat hoſtes, milites incitans ad ſtrenue pugnandum, & iubens vt omnes telis confoderent, conuenienter latæ quondam à Deo ſententiæ.* ſic ipſe. Erant enim Iebuſæi in 7. gentibus, quæ iuſſæ fuerant interneciоne deleri. Procopius quoque Gazæus ait Iebuſæos omnes à Dauide interfici iuſſos, ſecundum præceptum DOMINI, quod initio reuelatum fuerat. Ioſephus dum vni parcitum dicit, in reliquos ſæuitum fuiſſe ſignificat, ait enim. *Nec prætermittendus eſt per ſilentiũ Orphanus, vir inter Iebuſæos opulẽtus, cui in expugnatione Ieroſolymorum parcitum eſt à rege, tum propter perpetuam eius erga Hebræos beneuolentiam, tum quia priuato quodam officio demeritus eſt eum, vt paulo poſt magis opportuno loco indicabimus.* Illo autem opportuniore loco [g] nihil aliud dicit, quam illum fuiſſe inter præcipuos amicos Dauidis, ideóque illi parcitum fuerit vrbe capta: neque priuati vllius officij meminit.

f q. 16.

g l. 7. c. 10.

XIV. *Areuna an fuerit ſeruatus.*

QVOD autem priuatum officium illud fuerit, non apparet, niſi quod libenti, ac liberali animo Dauidi ſacrificare volenti, pro cõmuni populi ſalute, vltro aream, & boues, & omnia ad ſacrificium neceſſaria gratis obtulit. At mirum valde eſt huic Iebuſæo parcitum fuiſſe à Dauide, propter beneficium futurum, quod illi tum in mentem venire non poterat. Dicendum potius fuerat è conuerſo, Areunam in ſignum grati animi, id officij in Dauidem poſtea obtuliſſe. Fateor ſuſpectam quoque mihi eſſe hanc Dauidis, cum hoc Iebuſæo, ami-

amicitiam, quorum nulla eſſet conſuetudo vitæ, ſed magna potius à tota gente animorum abalienatio, iuxta domini præceptum; quod gratis à Dauide violatum fuerit, per hanc amicitiam. Opulentum autem vocat propter illam aream Dauidi venditam. Quæ area non fuit in Sione, ſed in vicino monte Moria, in quo Abraham ſacrificauit, & Salomon templum excitauit. Exiſtimauerim potius hunc Iebuſæum iampridem, Deo inſpirante, Sione, ſiue ex oppido Iebus egreſſum, factum eſſe proſelytum inter Hebræos, & tranſlato domicilio, in monte Moria habitaſſe. Deinde eum locum Dauidi vendidiſſe, omnes autem qui ad arcem Sionis confugerant ad vnum interfectos.

XV. *Aut etiam cæci, & claudi.*

NAM quod Ioſephus dixit eiectos, ipſemet mox interpretatur occiſos; nec alterum cum altero pugnat, potuerunt enim foris interfici. Illud autem Theodoreti, Flaminius in ſcholiis verſionis ſuæ, ſuſpicatur eſſe ſcholion ex alio authore inſertum. Nititur autem ea expoſitio voce ἀντιϛῶν quæ tanquam è verbo medio, nunc actiuè redditur, nunc paſſiuè, apud ipſummet Theodoretum.[a] Nec par eſt credere Dauidem lenitatem ſuam & magnitudinem animi in iſtis Iebuſæorum quiſquiliis, contra Dei legem ſeruandis, demonſtrare voluiſſe, ſed iuſſiſſe potius vt ſinguli ſingulis pugionum ictibus perfoſſi darentur in præceps: itáque factum eſſe. Id verba ipſa 70. interpretum ſatis oſtendunt. *Et dixit Dauid in die illa, omnis qui percuſſerit Iebuſæum, tangat in pugione, & claudos, & cæcos, & odio habentes animam Dauid.* Denique Iebuſæos omnes interfectos paſſim interpretes cum Ioſepho ſentiunt, nominatim Serarius, & Hieron. in tradit. Hebraicis.[b] *Pereuntibus*, inquit, *Iebuſæis gladio, ſi qui ex Iſraëlitis, inter eos inuenti fuiſſent à Ioabo ſaluabantur.*

a q. 16. & 17.

b in 1. Par. c. 11.

XVI. *Qui dicuntur non intrare in templum.*

QVID eſt autem illud, idcirco dicitur in prouerbio, claudus & cæcus nõ intrabunt in templum? Reſpondet S. Hieron. in tradit. *In Hebræo habetur, cæcus & claudus non intrabit domum. Hoc eſt cæcus & claudus ſubauditur, dicunt, non intrabit quilibet domum cæcorum & claudorum, quandiu cæcus & claudus intus fuerint.* Durè ſane; agitur enim in prouerbio de cæcis & claudis ab ingreſſu domus arcendis; non de eorum propugnatione ad alios arcendos. Reſpondent Lyranus & Abulenſis ex libro Leuitici.[c] Scriptum eſſe non licere cæco & claudo intrare templum, ad exercendum ſacerdotum miniſterium; reddebantur enim inhabiles, ob eiuſmodi defectus, ad ſacra miniſteria: illamque ſcripturam ex hoc facto in prouerbium trahi cœpiſſe; quo vtebantur Hebræi, vt vult Caiet. quando repellebant aliquem ab officio petito, tanquam ineptum vel ſuſpectum. Exiſtimarem potius Dauidem cum ſuis ſtatuiſſe ad vltionem temerariæ iactationis iſtorum Iebuſæorum, & ad perpetuam rei memoriam, vt nunquam liceret cæco vel claudo intrare in arcem Sion. Quod præceptum inter Iudæos vulgatum; ad alia quoque deinde transferebatur. Ita ſentit etiam Vatabl. quod confirmatur ex eo quod hebraïcè habetur tantum, *non intrabunt in domum*, Dauidis ſcilicet, de qua in Sione ædificata mox agitur. Septuaginta habent in domum DOMINI,[d] per quo Hieronymus vertit in templum, quod de palatio, non de templo DOMINI rectè accipi poteſt. Conſtat enim cæcos & claudos templum DOMINI ingredi ſolitos, ibique etiam à Chriſto DOMINO curatos.[e]

c q. 8 in c. 5. 2 Reg. Le. 21. 18.

d ἐις οἶκον κυρίου.

e Matth. 21. 14.

XVII. *Arx Sionis fit Ciuitas Dauidis.*

SIONE itaque ab his impurorum hominum, omniumque idolorum ſordibus à Dauide perpurgata, arcem ipſam in propriam habitationem delegit, & vocauit eam Ciuitatem Dauid:[f] quamuis aliquando totus ipſe mons ciuitas Dauid appelletur, vt pluribus docet Villalp.[g] Pertinuit autem hæc appellatio, ad perpetuum victoriæ monimentum; & gentis ipſius memoriam vulgò penitus delendam.

f 2. Reg. 5. 7. 9.

g 10. 3. 1. 2. c. 1.

Qui regiam extruit & murum.

Hoc porro anno cœptam fuiſſe arcis & regiæ Dauidis, & murorum Sionis, qui hoc bello labefactati fuerant, ædificationem, rationi conſentaneum eſt: neque enim Dauid pro ſua prudentia dubitare poterat, quin Philiſthæi, qui immortales cum Iſraëlitis gerebant inimicitias, & ſuo à Dauide periculo, & calamitate Iebuſæorum, & Iſraëlitarum felicitate excitati, quamprimum ſibi, populoque ſuo negotium faceſſerent. Itaque primo quoque tempore manus operi admouit, vt hoc quoque validiſſimo præſidio contra eos munitus eſſet, & ſuam familiam admodum iam numeroſam, in tuto collocaret.

XVIII. *Murus Sionis quantus fuerit.*

FVIT autem hoc opus ſane magnum atque operoſum. Si enim Villalpando

noſtro, hæc accuratiſſima diligentia perſcrutanti, ac dimetienti, vt par eſt credimus, murus Sion, quem Scriptura dicit a Dauide ædificatum *per gyrum à Mello, & intrinſecus.* [a] Habuit per totum circuitum longitudinem triginta quinque ſtadiorum, arx autem ipſa nouem ſtadia cum dimidio; in cuius medio regium palatium excitatum eſt. Neque vero exiſtimandum eſt Dauidem hominem prudentem, & armis caſtriſque aſſuetum; ſecundiſſimis inſuper animis numeroſiſſimi populi vtentem, hæc opera tumultuarie, & non eximia cura ac firmitate excitari voluiſſe: vt qui ſciebat ſe metropolim regni potentiſſimi, multiſque hoſtium inſultibus obnoxij inchoare. Quod autem ait Scriptura terminos muri huius aſſignans, Dauidem ædificaſſe *per gyrum à Mello & intrinſecus.* Facile intelligi poteſt, ſi ponamus, quod pleriq. omnes fatentur, [b] Mello fuiſſe voraginem quandam, & vallem profundam, & latam, quæ montem Sion à ciuitate interiore diſtinguebat, & Ioſephi ætate dicebatur Tyropæon, [c] quæ à meridie relinquebat montem Sion; à Septentrione vero tam montem Acra, quam montem Moria, in quo poſt annos ſex & triginta templum à Salomone excitatum eſt: & ab oriente porta aquarum, ab occidente porta piſcium, vt vult Adrich. vel iuxta Villalp. porta ſtercoris ſiue Eſſenorum terminabatur. Ergo Dauid à Mello ædificationem exorſus, (ſiue ab Acra, vt habent Septuag. tanquam extrinſeco termino) totum montem Sion per gyrum muro circundedit, [d] vetere videlicet muro magna ex parte diſturbato.

Mello quid.

[a] 2 Reg 5. 9. & 1. Par. 11. 8.

[b] Lyran. Abul in lo. cit. Adrich. in Ieruſ. n. 16. Villap. t. 3 l. 1 c. 1.

[c] l. 6. bel. c. 6.

[d] 1. Par. 11. 8.

XIX. *Palatij magnificentia, & artifices Tyrij.*

Regiam porro Dauidis magnifico extructam fuiſſe opere Scriptura ſignificat, [e] cum ait miſiſſe Hiram regem Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificeſque lapidum ad parietes, & ædificaſſe domum Dauidis. Artifices fuiſſe peritiſſimos, & regiis operibus exercitatos, ex eo colligi poteſt, quod à rege ad regem mittuntur; qui deinde magna ex parte magnificentiſſimis Salomonis ædificiis operam ſuam locauerunt. Nec hi artifices ad murum Sionis dicuntur adhibiti, in quo firmitas potius operis, quam dignitas ac ſpecies quærebatur. Accedebat pretioſa materia, & forma egregia, vt merito non ſolum arx & caſtrum Dauid, ſed palatium etiam, & regia dici poſſet. Nam Ioſephus, [f] *per idem tempus*, inquit, *Hyramus legatione in hoc miſſa in amicitiam, & ſocietatem Dauidis, eſt receptus*; mercaturæ enim quam armorum amantior fuiſſe videtur hic rex, Dauidem autem hominem bellicoſum, & vicinum ſibi, maluit amicitia occupare, quam aduerſarium experiri, pergit, *miſitque ei domo materiam cedrinam, & architectos ac fabros, qui regiam ei Hieroſolymis exædificarent. David autem ſuperiorem vrbis partem*, id eſt montem Sion, *& arcem in ea conditam in vnum corpus redegit; cingendumque eiſdem munitionibus* Ioabo *demandauit.*

[e] 2 Reg 5. 11. & 1. Paral. 14. 1.

Hyram rex. Tyri Dauidis amicus.

[f] l. 7. ant. c. 3.

XX. *Quid Ioabus in muro extruxerit.*

Ita nimirum Ioſephus explicat, quæ habentur in primo Paral. [g] vbi dicitur Dauid ædificaſſe vrbem: ita videlicet vocat montem Sion, *in circuitu à Mello vſque ad gyrum.* Id eſt, vt ego interpretor, per totam longitudinem voraginis Mello, & vtroq. in extremo orientis & occidentis, reducẽdo murum interius meridiẽ verſus: Ioabum autẽ reliqua vrbis extruxiſſe. Ioabi, codices aliqui græci non meminerunt, at hebræi non tam extruxiſſe aiunt murum, quam reparaſſe, ſeu viuificaſſe, veterem ſcilicet olim à Iebuſæis excitatum. Dauide id illi oneris imponente, dum ipſe tam domui ſuæ ædificandæ, & regendæ, quam publicis regni negotiis incumbit. Cæterum quæ de filiis Dauidis iterum hoc loco traduntur, non ad hunc vnum annum pertinent, ſed hic vna eademque opera enumerantur, in argumentum diuinæ erga Dauidem & regnum eius beneuolentiæ & protectionis. Sed humanitus etiam loquendo his affinitatibus optimatis regni ſui ſibi deuinciebat vt in eo firmius contabiliretur, qua de re inferius iterum dicemus aliquid. Nam de his ſatis anno Dauidis ſecundo [h] dictum eſt, vbi Dauidicam familiam in ſchema digeſſimus.

[g] ca. 11. 8.

Sixti. יחיה

[h] an. m. 2981. nu. 12.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2987. DAVIDIS 8.

1. N. VIII.

SAnctus Hieronymus in tradit. ſic interpretatur hæc verba, ac ſi diceretur ab illis cæcis & claudis. *Non ingredietur huc Dauid, donec nos hinc auferat, quos inermes & imbecilles, ſicut cæcos & claudos eſſe arbitratur, & quos bello aggreſſurus, ſicut cæcos & claudos ſe triumphaturum putat.* Hæc ibi. Quod autem hoc loco Ioſephus ait Dauidem cum omnibus copiis Hieroſolyma eſſe profectum, ſicut & Scriptura abiiſſe ait in Ieruſalem. c. 5. v. 6. per occupationem dictum eſt, ſicut hactenus in præcedentibus libris. Non enim Ieruſalem fuit, aut dicta fuit donec Iebus, & Salem, quæ erant oppida duo, cum interiecto ſpatio, vno murorum ambitu comprehenſa in vnam vrbem coaluerunt. Id innuit Scriptura ipſa cum ait, 2. Reg. 5. 6. *Et abijt rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Ieruſalem ad Iebuſæum,* quaſi dicat, ad eam partem Ieruſalem, quæ erat Iebus, & habitabatur à Iebuſæis, & clarius 1. Paral. 11. 4. *Abijt Dauid, & omnis Iſraël in Ieruſalem; hæc eſt Iebus, vbi erant Iebuſæi habitatores terræ.* Illud quoque quod ſubdit Ioſephus ibid. l. 7. c. 2. *Iebuſæi vero qui tum vrbem incolebant*, eodem modo de Iebus, ſiue

Ieruſalem.

monte Sionis, non de Hieroſolymis propriè dictis accipiendum eſt.

2. N. XII.

Alij ἁπτέσθω vertunt, *tangat*, ἐν παραξιφίδι *in pugione*. Sed addit ibidem Theodoretus, aliquem Hebræum dixiſſe Aquilam edidiſſe, tangat in Saliente ἐν κρουνῷ, hoc dicens quod Dauid parcens muris ciuitatis, iuſſit militibus ingredi ciuitatem per aquæductum, quem aliquo modo repræſentat Villalpandus in ſua Ieruſalem. Et hunc canalem per fiſtulas domatum quidam intelligunt. At S. Hieron. in tradit. *Quod autem dicit qui tetigerit fiſtulam, ita intelligendum eſt. Qui tanta fuerit audaciæ & fortitudinis, vt ad murum ciuitatis vſque veniat, & haſta ſua fiſtulam, quæ in muro eſt, tangat, ipſe princeps erit.*

Ad hoc tempus quidam referunt bellum Iloticum, quod Agis Euryſthenis filius, Lacedæmoniorum rex, contra agreſtem multitudinem geſſit, æquabili illis iure ſublato. Tangit Sigon. in temporibus Lacedæmonicos. vide Plutarchum in Lycurgo. Et Diodorum Siculum.

ANNVS MVNDI 2988. DILVVII 1332. QVINTÆ ÆTATIS 49. EXITVS AB ÆGYPTO 445. ARCÆ IN CARIATHIA. 48. DAVIDIS REGIS 9. ABIATHARIS PONT. 14. TROIÆ EXCISÆ 117. DERCYLLI 38. IMPERII ASSYRIORVM. 1057.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1065.

STrenve hoc anno vrgetur murus montis Sionis, Ioabo militiæ principe annitente ex regis mandato; Vrgetur & ciuitas Dauid, & regia; præſertim cum late ſpargeretur in vulgus, Philiſthæos fremere quod Dauid rex factus eſſet, à quo merito ſibi malè metuebant. Ideoque animo deſtinarunt, ipſum cum populo ſuo, ſicut dudum Saulem profligare, ac perdere. Hoc verbis illis Scriptura ſignificat. [a] *Audierunt ergo Philiſthijm quod vnxiſſent Iſraëlitæ Dauid in regem ſuper Iſrael, & aſcenderunt vniuerſi, vt quærerent Dauid*, cum eo videlicet pugnaturi. Et vix quidem fieri potuit, in tanta vicinitate terrarum, tribus Iudæ & Philiſthæorum, vt de eo Hebrone in regem electo, inunctóque nihil inaudiſſent, poſt annum denique ſeptimum; [b] ſed exiſtimare potuerunt Dauidem à ſuis illis ſexcentis viris appellatum eſſe regem, aut eum Philiſthæis minime inimicum fore, qui 4. menſes nuper apud ipſos innoxius vixiſſet, paratuſque fuiſſet in Saulem arma conuertere, & nunc in eius filium bellum gereret. Itaque rem contemnendam putarunt, dum tributa interim ſibi ab Iſraëlitis penderentur, quos etiam inteſtinis diſcordiis inter ſe conſumi, facile petiebantur, vt tanto redderentur infirmiores, ad iugum ipſorum excutiendum.

I. *Philiſthæi in Dauidem inſurgunt.*

Cur non prius.

a 2. Reg. 5. 17.

b vide 1. Paralip. c. 14. & ibi Toſt. q. 7. 8. 9. 10.

Nvnc autem cum accepiſſent alterum regulorum, poſt amiſſum militiæ ſuæ

II. *Quæ belli cauſa.*

principem, vitam quoque cum regno amiſiſſe, populum autem vniuerſum ad Dauidem Hebronem confluxiſſe, tanta multitudine, vt trecenta & quinquaginta hominum millia facile ſuperarent, ab eaque ſumma celebritate factum eſſe regem; inſuper & in Iebuſæorum arce expugnanda, quæ tot iam ſæculis in eorum poteſtate permanſerat, imperij rudimenta poſuiſſe, reum minime negligendam, ſed hoſtem, antequam confirmaret ſe, inuadendum putarunt; veriti, vt ſe dabant initia, ne ſe in Philiſthæorum ſatrapias improuiſi effūderent, Saulis mortem vlturi, & dudum victi victores euaderent, & frenum tributi, à ſe reiectum, in ora ipſorum immitterent. Cum autem tantum exercitum (neque enim neceſſe eſt ſciuiſſe Philiſthæos illum, magna ex parte dimiſſum, ad proprias prouincias reuertiſſe) cum tantū inquam exercitū, ſine paribus viribus debellare ſe poſſe diffiderent, magnas omnino copias, contraxerunt, quæ in valle Raphaim diffuſæ ſunt.

III. *Dauid hoc tempore Pſalm. 2. componit.*

Interim autem dum parantur, & aduentant copiæ militares, Dei ſpiritu afflatus Dauid eximium illum Pſalmum cecinit, cuius initium eſt, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?* Etſi enim dubium eſſe non poteſt homini Chriſtiano, vt ibi recte notauit Ianſenius, quin de Chriſto Domino hic Pſalmus intelligendus ſit, cum variis in locis Apoſtoli eum de Chriſto interpretati ſint, [a] dubitari tamen poteſt an primo de illo accipiendus ſit; & non potius primo & ad literam de Dauide, ſed tanquam typo Chriſti, in quem verius & perfectius competant, quæ in ipſo Dauide aliquo modo completa ſunt. Videri enim poteſt Dauid cum iam in regem ſuper Iſraël eſſet receptus, & in monte Sion, ſibi regiam delegiſſet, hoc pſalmo contra Philiſthæos expoſtulaſſe, perniciem eius quęrentes, & regnū Iſraëlis diſſoluere conantes, prædicereq. irritos fore eorū conatus; quia à Deo ſit in regem electus, ſumma accepta ab eo in hoſtes poteſtate. Nā omnino videri poteſt in ſua perſona dicere. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, &c.* Neq. veritati officit, ſi quæ de Chriſto ſunt in nouo teſtamento citata, ad literam intelligantur primo competere alicui, qui figuram, & typum Chriſti geſſit; imo iucundius, & clarius ea de Chriſto intelligimus, cum in ipſius typo eadem contemplamur. Hæc fere, & plura in eandem ſententiam Ianſenius.

An is de Chriſto tantum accipiendus.

a A 26. ca. 13. v. 33. Hebr. 1 v. 5. c. 5. 5. Apoc. 2. v. 26. 27. ca. 19. v. 15.

IV. *An etiam de Dauide in literali ſenſu.*

Lyranvs hebræos recentiores de Dauide hunc Pſalmum interpretatos ait, antiquos autem de rege Meſſia. Chriſtiani paſſim de vtroque accipimus, de Chriſto in re, de Dauide in figura; & quidem vtrumque in literali, ſiue hiſtorico ſenſu; vnum enim eundemque Scripturæ locum plures habere literales ſenſus docet S. Auguſt. [b] non vno in loco. Figuratæ enim, ac tropicæ locutiones, metaphoricæ, atq. allegoricæ, geminam ſignificationē habent: natiuā atq. aduentitiam, quarū neutra hiſtoricā ſententiā excludit; ſicut ergo & planta florere dicitur & reſpub.1 Ita & gētes fremere dicūtur contra Dauidē & Iſraëlitas, & rurſum cōtra Chriſtū & Chriſtianos. Et ſicut in allegorica oratione nonulla ſunt, quæ tranſlatione carent, ne allegoria in ænigma vertatur; ita & in hoc, aliiſque pſalmis nihil vetat quædam eſſe, ſine figura, quæ & de ſolo Dauide, aut de ſolo Chriſto dicantur. Negari tamen certe non poteſt quin Dauidi aut totus, aut magna ex parte aptari poſſit: quod Torniello quoq. viſum fuit [c]. Idque libet hoc loco, cum bona lectoris venia, breuiter experiri, non ſine luce aliqua, & vtilitate præſentis hiſtoriæ; expoſitione altera, quæ de Chriſto eſt, Pſalmorum interpretibus relicta.

b l. 12 confeſſ. c. 30 & 31. in quæſt. 11. de ci. ca. 19 & l. 1. de gen. ad lit. c. vlt.

c an̄ Dauidis 8. n. 8.

V. *In quo etiā explicatur.*

Cvm ergo Dauid audiret Philiſthæos iratos contra ſe fremere, dixit. *Quare fremuerunt gentes*, erant enim idolorum cultores, qui in ipſum, eiuſq. populū inſurgebant, ac tumultuabantur; *& populi meditati ſunt inania.* Quinque videlicet Philiſthæorum reſpublicæ, totidēmq. populi, qui irrito conatu cōtra Dauidem arma ſumpſerunt, ſicut ipſe prophetice prævidebat. Nam hoc ipſo cap. 5. ſecundi regum, ſemel, iterumque victi, fuſi, fugatique ſunt. *Aſtiterunt reges terræ*, ſinguli enim ſatrapæ Philiſthinorum, etiam reges dicebantur, vt de Achis rege Gethæorum ſatis conſtat, & apud Ioſue [d] omnes dicuntur reguli; dicuntur etiam *principes* multis in Scripturæ locis, [e] qui *conuenerunt in vnum* contra Dauidem, dicuntur enim vniuerſi aſcendiſſe, vt quærerant Dauid, idque erat conuenire *aduerſus Dominum*, qui protegebat Dauidem, & quo authore factus erat rex, vt merito Chriſtus & vnctus eius diceretur. Congregati ſe mutuo exhortantur ad bellum contra Dauidē, ne fiant Iſraëlitarum ſerui, qui prius domini fuerant, coacti vnicula eorū &

d Ioſ. c. 13. 3 e Iud. c. 16. 5. 18. 21. 27. & 1. Reg. 29. v. 3. 4. 9.

iugum ſubire, ſicut olim dixerant cum arcam inuaſiſſent. [a] *Atqui habitat in cælis irridebit* conſilia & conatus eorum, eoſque leui momento irritos & inanes reddet, ſuiſque cultoribus deridendos præbebit. Cumque ad pugnam ventum erit, & conſerendæ erunt manus, *loquetur ad eos in ira ſua* non tam verbis, quam factis ipſis, *& in furore ſuo conturbabit eos.* Vnde conſulenti Dauidi reſpondit Dominus, [b] *tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthym,* quod & factum eſt.

[a] 1. Reg 4. 9.

[b] 2. Re. 5. 24

VI. *Qui cõuenìat Dauidi, ego hodie genui te.*

CONVENIVNT & cætera, quæ minus quadrare videbantur. *Ego autem*, inquit Dauid, quem vos perſequimini, & cui ſeruire detrectatis, diuino nutu *conſtitutus ſum rex, ſuper Sion montem ſanctum eius* quam ſanctificaui nunc, & perpurgaui, ſordibus Iebuſæorum exterminatis. Itaque ſicut obedire debetis Deo, ita debetis & mihi, quem ipſe regem eſſe voluit totius populi ſui, & omnibus annunciare quid de me ſtatuerit Dominus, ne per ignorantiam peccetis. *Dominus dixit ad me*, Ego te peculiari beneuolentia, quaſi filium recens genitum complexus ſum. Sicut enim, vt notat hoc loco Ianſenius. Hanc generationem D. Paulus de Chriſti reſurrectione interpretatur: [c] Tunc enim pater nouo modo Chriſtum genuit, cum eum à morte ſuſcitauit, & per reſurrectionem manifeſto eum filium ſuum eſſe declarauit; reuocatio enim ad vitam, quaſi noua generatio eſt, ideoque tempus futuræ reſurrectionis, Chriſtus ipſe regenerationem vocauit. [d] Ad eũdem ergo modum Dauid ad nouam gloriam, & dignitatem regiam à Deo excitatus, ab eo genitus dicitur; ſicut & nouo ſpiritu ad hoc manus rite fungendum adimpletus fuit. Nouus autem ſpiritus nouam quandam generationem facit.

[c] Act. 13. 33.

[d] Mat. 19. 28

VII. *Et promiſſa gentium hæreditas.*

QVONIAM vero filij ſunt hæredes patrum; *Domini* autem *eſt terra & plenitudo eius*, vult etiã Dominus Dauidem hæredẽ & dominũ conſtituere vicinarum nationũ olim Abrahæ, & Iſaaco, & Iacobo promiſſarum, cuius termini longe lateq; funduntur, & mare mediterraneum attingant. Eos populos ſibi gladio, ſiue ferrea virga ſubiecit. Confractionem autem illam inſtar vaſorum figlinorum interpretatur R. Salom. de Ammonitis, ſuper quos debellatos egit ferrata carpenta. [e] Inde vero Dauid exhortatur vniuersè reges, & principes, & populorum præpoſitos, vt ſapientiam ad rectè gubernandum addiſcant, vt timorem Domini amplectantur, eique ſe humiliter ſubiiciant, quem Dominus regem conſtituit ſuper montem ſanctum ſuum, cuius humilis ſubiectionis indicium eſt manus exoſculatio; ne cito incidant in vltrices Dei manus.

[e] 2. Re. 12. fi.

VIII. *Vallis Raphaim, quæ gigantum, & titanũ.*

SED iam tempus eſt vt ad Philiſthæorum copias, in valle Raphaim diffuſas redeamus. Fuit ea vallis in tribu Beniamin fere extrema, verſus occidẽtem, & Philiſthæorum regionem, qui occiduam mediterranei maris oram incolebant, licet eam Abulenſis in tribu Iuda collocet; [f] nimirum in finibus Iudæ eſt, ſed in ſorte Beniamin iacet, ad ſeptemtrionalem plagam Hieruſalem vt ait Hieron. [g] Dicta eſt vallis Raphaim ſiue gigantum, quod ibi olim gigantes habitarent, ſicut in Hebron, & in Geth, vnde ortus eſt Goliath. [h] Theodoretus, & ex eo Procop. [i] veriſimile eſſe aiunt fuiſſe olim in hoc loco aliquam eorum aciem, & ex ea locum accepiſſe cognomen. Hanc vallem Chaldæus paraphr. vocat *planitiem fortium:* Septuag. *vallem titanum*, quos Theodoretus, Procopius, & Ioſephus interpretãtur gigantes. *Palæſtini*, inquit Ioſeph. [k] *cognito quod Hebræi Dauidem regem creaſſent, collecto contra eos exercitu, & occupata conualle, quæ dicitur gigantum, non procul Hieroſolymis ſita, caſtra ibi poſuerunt.*

[f] Ex Ioſ. 15. 8.

[g] in lo. heb.

[h] Vide 2. reg. 21.

[i] qu. 18.

[k] l. 7. c. 4.

Numeroſus exercitus, in quo labitur Ioſephus.

Numeroſiſſimum fuiſſe hunc exercitum idem affirmat, & vniuerſam Syriam ac Phœnicem conſociatis armis auxilium Palæſtinis tuliſſe. Sed id inconſultè excogitatum fuiſſe ad rem amplificandam ex eodem Ioſepho facile probatur. Nam Hiram rex Tyri vrbis totius Phœnicis maximæ atque potentiſſimæ, ex qua multa oppida, & pagi eiuſdem prouinciæ pendebant, regnabat in Phœnicia, qui nuperrime amicitiam cum Dauide inierat, vt ipſemet paulo ante narrauit.

IX. *Dauid Dominum cõſulit.*

PERGIT autem Ioſephus. *Iudæorum vero rex nihil inconſulto Deo ſolitus agere, iuſſit pontificem, quid tunc quoque de euentu belli polliceretur prædicere: à quo poſtquam læta omnia didicit, incunctanter & ipſe exercitum contra hoſtes eduxit.* Conſuluit autem Dominũ non vtique in Cariathiarim, vbi arca Domini erat adhuc, ſed in præſidio, ad quod proxime dictus eſt deſcendiſſe: munitum ſcilicet aliquem locum, Septuag.

vocant σπήλαιον, id eſt ſeptum, ambitum, arcem, præſidium muris vndique cinctũ, ſed inferiore aliquo loco ſitum; ad illud enim dicitur deſcendiſſe. Et licet Philiſthæi in valle eſſent, iubet tamen Dominus mox Dauidem ad eos aſcendere: ſicut ipſe idem petierat, an aſcenſurus eſſet ad ipſos. Sed quid opus eſt diuinare? cum in 1. Paral. [a] habeamus Dauidem fuiſſe in præſidio ad ſpeluncam Odollã. quando Philiſthæi caſtrametati ſunt in valle Raphaim. Vel enim nondum ſatis munitus erat mons Sion, vel noluit in eo incluſus obſidionem expectare, ſed foris potius hoſtem inuadere; nec alias vnquam Philiſthæos in hac valle contra Dauidem copias explicaſſe inuenimus.

in præſidio Odollam. — [a] c. 11. v. 15.

X. *Per Abiatharem.*

Habebat autem ſecum Abiatharem pontificem, cum ephod pontificio. Ex quo enim exciſa Nobe ad Dauidem in Ceilam venit, [b] cum eo ſemper manſit. Duo porro exquirit Dauid à Domino, primum an ipſo annuente pugnaturus eſſet contra Philiſthæos. Alterum an ipſo propugnante victoriam eſſet conſecuturus: alterum enim ſine altero contingere poſſe, Iſraëlitæ contra Beniamitas pugnantes magno ſuo malo didicerunt. [c] Reſpondet ad vtramq; interrogationem Dominus, *Aſcende quia tradens dabo Philiſthæum in manu tua.* Quæ verba geminata, vt rem de qua agitur amplificare ſolent, ita hoc loco, inſignem Deo ipſo quodammodo pugnante victoriam pollicentur. Pugnaſſe autem putat Abul. [d] immittendo timorem Philiſthæis, vt non auderent in Hebræorum conſpectu conſiſtere. Promiſerat enim Moyſi ſe terrorem ſuum in Chananæorum populos immiſſurum, in eorum autem numero erant Palæſtini, idque in ingreſſu Ioſue in Chananitidem manifeſto comprobatum eſt, & ipſius Rahab teſtimonio firmatũ. [e] Et vniuerſe putat idem doctor quoties contra eas gentes ab Hebræis pugnatum eſt, Deum illis victoriam, immiſſo in hoſtem terrore, tribuiſſe; niſi forte alius quiſpiam victoriæ, aut diuini auxilij modus exprimatur.

Fit author belli. *Terret hoſtem.* — [b] 1 Re 22. 5. [c] Iud 20. [d] q. 16. in c. 14. 1. Par. [e] Ioſ a. 11. & c. 5. 1.

XI. *Et vincit opera Dauidis,* *& diſpergit.*

Venit *ergo Dauid in Baal Pharaſim, & percuſſit eos ibi, & dixit. Diuiſit Dominus inimicos meos coram me ſicut diuiduntur aquæ;* [f] *propterea vocatum eſt nomen loci illius Baal Pharaſim*, id eſt vallis ſiue planicies diuiſionum. Vide Dauidis modeſtiam & pietatem, qui Deo victoriam ita tribuit, vt nihil ſibi tribuere videatur, quaſi ſpectator tantum fuerit hoſtium, Deo terrorem incutiente ſparſim omnem in partem fugientium. In primo autem Paral. vbi eadem narratur hiſtoria *Diuiſit Deus*, inquit, *inimicos meos per manum meam*: ille primarium agens, ego inſtrumentum; ille imperator, ego gregarius miles; ille rex, ego armiger eius; ille Deus, ego homo. Diuiſio hæc diſperſionem ſignificat, & illi coniunctam fugam, & cõfertur aquæ in plurimos ſe riuulos pro loci opportunitate diſpertienti. Et ſicut aqua ob molliciem ſuam facile diuiditur: ſic Philiſthæi à Deo territi, molles redditi, atq. effœminati, per diuerſas vias coram Dauide diffugerũt. Sic nimirum impletum eſt illud Moſis vaticinium. [g] *Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo; per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua.* Id Dauid hoc tempore expertum ſe eſſe coram Domino profitetur, eiuſque beneficij ad poſteros memoriam propagari, noua nominis impoſitione curat.

[f] 2. Re. 5. 20. Lyran. Abul. [g] Deut. 28. 7.

Idola Philiſthæorum peſſundata.

Aliter quoque hæc diuiſio explicatur; quidam enim eam de diuiſione viuorum à mortuis, quorum illi quo tulerat impetus proripuerant ſeſe, hi terram Iudæ iacentes metiebantur, ſatis frigide interpretantur; alij autem non inepte de diuiſione, & ſeparatione Philiſthæorum à diis ſuis, quos in caſtris reliquerant, accipiunt. Nam Baal Pharaſim etiam idolum diuiſionum ſonat. Prima tamen expoſitio ſimplicior videtur & melior. etſi poſtrema ex ſequentibus confirmari videatur: ſubditur enim, *& reliquerunt ibi ſculptilia ſua, quæ tulit Dauid, & viri eius.* Additur in 1. Paral. [h] iuſſa fuiſſe à Dauide comburi, iuxta præceptum Domini; [i] quæ ſcilicet lignea erant, metallica vero fundi ac conflari. *Non magno*, ait Ioſephus, *labore ingenti præda potiti, deos etiam eorum confractos diripuerunt*, imo διέφθειρεν corrupit, diſſipauit, Rufinus autem exterminauit. Annon videtur hic Dominus iniuriam factam Arcæ ſuæ à Philiſthæis ante annos 48. hoc quoque tempore, in diis eorum, quibus victoriam impiè & falſo tribuerant, vindicare voluiſſe? quos Iſraëlitæ impune inuaſerunt, confregerunt, combuſſerunt; cum illi Arcam apud ſe, etiam honoratam habere non potuerint, ſed grauibus ignominioſiſque

[h] c. 14. 12. [i] Deut. 7. 5.

pœnis afflicti fuerint. Si forte aperirent illi oculos, & inanitate deorum ſuorum animaduerſa, ad verum Deum confugerent.

XIII. *Reſumunt animos ad alterum prælium.*

VBI Philiſthæi ex fuga, & pauore panico collegerunt ſeſe, de eo vt par eſt credere, maiorem in modum confuſi ſunt, dum & militarium copiarum ſuarum magnitudinem, & bellatorum vires animoſque, & armorum, ac machinarum fortaſſe bellicarum, præſtantiam, omnia denique victoriæ præſidia circunſpiciunt. Deinde caſui & fortunæ, vt olim plagas ſuas, [a]amiſſam victoriam, incertiſque bellorum ſucceſſibus tribuentes, properè bellum redintegrarunt, ſi forte Dauidem necopinantem opprimerent. Quantum autem interceſſerit temporis ex Scriptura colligi non poteſt. Nam in ſecundo regum [b] habetur tantum. *Et addiderunt adhuc Philiſthym vt aſcenderent, & diffuſi ſunt in valle* R*aphaim*. In primo vero Paral.[c] *Alia autem vice Philiſthym irruerunt, & diffuſi ſunt in valle.* Nec Ioſephus[d] id tempus expreſſit, Toſtatus [e] modicum id fuiſſe ſcribit, cui libenter aſſentior; Pineda vtrumque bellum ad eundum annum refert, nec repugnat Tornielius, etſi prius bellum in finem octaui anni Dauidis retulerit. Ergo quæ Scriptura narratione coniunxit, tempore ſine vllo fundamento, non diſiungamus. Eadem certe locorum diſpoſitio, ex parte tam Dauidis, quam Philiſthæorum innuit, vtrumque exercitum non longe abiiſſe, ideoque cito reuocaſſe certamen ſi forte fugitiuam victoriam reuocarent.

[a] 1. Reg. 6. 8.
[b] 2. Reg. 5. 22.
[c] c. 14. 13.
[d] l. 7. c. 4.
[e] q. 18. 19. 20. in c. 14. 1. Par

XIV. *Et certamẽ repetunt.*

ITERVM ergo congregatæ ſunt hoſtiles copiæ in eundem locum, in quo ante deuictæ fuerant; ſpe quidem, ac deſiderio, eam maculã delendi, & priorem ignauiam noua virtute obruendi, re autem ipſa, vt maiori clade attererentur, & impleretur vaticinium Samuelis, de Dauide liberaturo Iſraëlitas de ſeruitute Philiſthęorum. Dauid autem, accepto nuncio de Philiſthæis certamen repetentibus, conſuluit Dominum, eiuſdem Abiatharis interuentu, an prælium contra eos redintegrari placeret, & an iteratam ſponderet victoriam. Cui Dominus non ſolum victoriam promittit, ſed etiam de modo inuadendi hoſtem inſtruit, *Non aſcendas*, inquit, *contra eos*, ſiue, vt habent Septuag. *in occurſum eorum, ſed gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum*, aut mororum, vt alii vertunt; circumflectere iubetur Dauid hoſtilem exercitum, ſub arborum interpoſitarum integumento, nec prius hoſtem à tergo adoriri, quam ei Dominus ſignum prælii dederit, ſonitu in cacumine pyrorum excitato. *Et cum audieris*, inquit, *ſonitum gradientis in cacumine pyrorum tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthym.*

XV. *Aliquæ è textu difficultates.*

CVM autem duobus in locis poſterior hæc pugna narretur, [f] vt alter alteri lucem afferat, defectúmve ſuppleat: non leuis tamen ex vtriuſque narrationis apparente repugnantia, & quaſi conflictu difficultas exoritur. In priore enim loco legimus, *non aſcendas contra eos*, Septuaginta, *non aſcendes in occurſum eorum.* In poſteriore, *non aſcendas poſt eos*, eodemque modo in Hebræo; Septuag. *non ibis poſt eos* quomodo ergo pugnabit, ſi neque contra, ſiue ante, neque poſt; id eſt, neque à fronte, neque à tergo hoſtem aditurus eſt? & tamen mox hoſtem à tergo iubetur inuadere. Deinde in priore loco dicitur, *gyra poſt tergum eorum*, quod eſt venire, ſiue aſcendere poſt eos, quod iam vetabatur; in poſteriore, *recede ab eis*, quod videtur contrarium. Præterea in vtroque loco, Hebræi, & Latini libri habent, *ex aduerſo pyrorum*, ſiue mororum. At græci in priore loco habent, *prope plorationem* in poſteriore, *prope pyros.* In illo Dauid perſequitur Philiſthæos de Gabaa in Gezer; in hoc de Gabaon in Gazera. Dignus videtur locus qui diligentius expendatur; diuinam enim ſapientiam non obſcure prodit, ſi obſcuritas ipſa verborũ, facili explicatione illuſtretur.

[f] 2. Reg. 5. 23. & 1. Par 14. 14.

εἰς ἀπάντησιν αὐτῶν.

ממול הבכאים mimmul bachaiche

ἐπίσω αὐτῶν.

πλησίον τοῦ κλαυθμῶνος. τῶν ἀπίων.

XVI. *Dei in Dauidem beneuolentia.*

PRIVS autem attende animum lector ad paternam Dei erga Dauidem beneuolentiam, qui non ſolum de futura victoria rogatus, eum certiorem reddit, ſed de modo etiam, & tempore pugnæ accuratius edocet, eamque ſibi depoſcit ac ſpondet. Vide & fructum accuratæ obedientiæ, egregii bellatoris erga Dominũ exercituum, quaſi gregarii militis aduerſus Imperatorem ſuum. Animaduerte rurſum diuinam in hac tota re prouidentiam. [g] Cum enim poſſet eodem plane modo Philiſthæum in poſteriore prælio, quo in priore percellere; voluit tamen nunc pauore interiùs duntaxat incuſſo, nunc ſonitu quoque extrinſecus

Et prouidentia. 1.

[g] Abul q. 23. in ca. 14. 1. Para.

excitato, debellare hoſtem populi ſui, ad magnitudinem potentiæ ſuæ demonſtrandam, cui varij in promptu ſint modi vincendi hoſtes ſuos: ſicut periti artificis

2. ſapientia in operum grata varietate cognoſcitur. Cum etiam poſſet ſummus ille bellorum præſes, tantam inferre cladem Philiſthæis, vno eodemque prælio, quantam duobus, maluit tamen iterato prælio, hoſti ſupparem afferre luctum, quoniam maior potentia ſe prodit in gemina, quam in vna victoria, quæ improuiſo caſui tribui poteſt: at cum geminatur, meritò potentiæ tribuitur, viribuſq;

3. victoris. Voluit quoque geminata ſuperare victoria ad Philiſthæorum animos magis infringendos, & Dauidis famam magis magiſque celebrandam. Itaque ad

4. ditur in primo Paralipom. [a] poſt vtramque victoriam diuulgatum eſſe nomen Dauidis in vniuerſis regionibus, & Dominum dediſſe pauorem eius ſuper omnes gentes.

XVII. *Modus victoriæ, & rei geſtæ ſumma.*

Conciliatio porro prædictorum locorum Scripturæ, ex modo victoriæ huius rectè explicato dependet, quem copioſe plurimis quæſtionibus perſequitur Abulenſ. [b] etſi in eo, mea quidem ſententia, non probandus, quod putat Dauidem fuiſſe Hieroſolymis, huius belli tempore Ioſepho cōſentiens, [c] qui tamen erat in præſidio Odollamitico, vt ex cap. 11. primi Paral. [d] intelligi poteſt; ipſum tamen pugnæ, ac victoriæ modum recte & conuenienter Scripturæ verbis explicat, in hanc fere ſententiam.

exponitur textus.

Voluit Dominus eo terrore turbare Philiſthæos, vt ſe in duorum exercituum medio poſitos putarent, à quibus à fronte ſimul ac tergo conciderentur. Erat autem inter præſidium, copiaſque Dauidis vna ex parte, & Philiſthæorum agmina ex altera, denſa quædam ſiue pyrorum, ſiue mororum ſylua interiecta. Prohibet ergo Dominus [e] ne Dauid aſcendat poſt eos, ne ſcilicet magno circuitu capto, hoſtem à tergo improuiſus adoriatur; neque vult Dauidem aſcendere contra eos, [f] id eſt aduerſas acies oppoſitis frontibus concurrere; ſed iubet vt aliquouſque hoſti procedat obuiam, per medias arbores, Philiſthæo id obſeruante, vt mox putaret Dauidem magnam ibi copiarum partem reliquiſſe, quando primum ſonitus à Philiſthæis ex ea parte exaudiretur.

XVIII. *Modus victoriæ.*

Ivbet itaque Dominus Dauidem vſque ad conſpectum hoſtium venire, deinde recedere ab eis; ſiue, vt alio in loco habetur, gyrare, & circumflectere exercitum ſuum, vſque ad terga Philiſthæorum. Eo vero cum peruentum eſſet, expectare dum Dominus ſignum pugnæ ex cacumine pyrorum daret: nam eo fragorum Dauidem monitum iri de præſenti auxilio Dei, & ipſo temporis articulo ad pugnandum diuinitus deſtinato; Philiſthæum autem metum concepturum de exercitu inde ſuperueniente. Hic Dauidis acie Philiſthæos à tergo inuadente, cogerentur iſti faciem ad Dauidicos dorſa fodicantes conuertere, ſeque defendere: alterius autem exercitus imminentis, & è ſylua ſuperuenientis opinione occupati, exiſtimarent ſe à gemino exercitu cæſum iri; indeque metu concuſſi, ſalutis viam præcipiti fuga vndique peterent, & victoriam Dauidi, eos infeſtis gladiis, glorioſè, atque animoſè perſequenti, relinquerent. Quod & factum eſt: Hæc rei ſumma eſt; nonnulla tamen ſunt quæ maiorem requirant explicationem.

XIX. *Cur Dauid circumducat exercitum.*

Qvid enim, inquies, opus fuit Dauidem exercitum circūflectere? potuit enim Dauid hoſtem à fronte adoriri, & terror nihilominus à ſylua in hoſtiū tergo poſita exiſtere: hoſtemq. eodem modo conturbare. Verum diuina ſapientia nihil fruſtra facit. Exiſtimaſſent enim Philiſthæi iſtum opinatum in ſylua exercitum, non eſſe Dauidicum, quippe quem totum coram ſe viderent, nec iuſtam haberent cauſam ſuſpicandi Hebræos illuc eſſe tranſgreſſos: crederent potius aduentare copias alicuius ſatraparum in auxilium ſuum. Adde quod mox fugituri Philiſthæi intercluſum habituri erant reditum in patriam, ab exercitu victore; vt ſic omnes propemodū conciderentur.

Cur in ſylua ſonus.

Rvrſum quid opus fuit iſtis arboribus, in quibus ſonitus ille terrificus ederetur, cum poſſet in monte, aut planicie idem fieri? Dicendum eſt [g] Deum voluiſſe excitare opinionem exercitus, nec tamen vllā illius formam oculis ſubiicere: ſi ergo media in planitie ſonitus excitaretur, neque appareret quidquam ſpectantium oculis, tanquam ludibrium innoxium, atque inutile facile contemneretur; mons autem ita poſſet eſſe diſpoſitus, vt ean-

[a] 1. Paral. 14. 17.
[b] in ca. 14. 1. Paral. q. 24. vſque ad 31.
[c] l. 7. c. 10.
[d] c. 11. v. 15.
[e] 1. Par. 14. v. 14.
[f] 2. Reg. 5. 23.
[g] Abul. q. 27.

dem opinionem latebrarum, & latentium copiarum præberet, & ſic eundem ipſum quem ſylua terrorem incutere potuiſſet. Quod ſi noctu pugnatum eſſet, & DEVS eundem terrorem immittere voluiſſet, vt cum Benadab Syriæ rex contra Samariam pugnabat, [a] nihil arboribus, latebriſue opus fuiſſet.

a l. 4. Reg. c. 7. v. 6.
b l. 7. ant. c. 14.

XX. *Cuiuſmodi eſſet.*

QVÆRATVR quoque cuiuſmodi eſſet iſte ſonitus, & à quibus ederetur. Reſpondet Ioſephus [b] à pontifice dictum fuiſſe, exercitum non prius ad pugnam educendum, quam ſylua nullo perflante vento, ſuapte ſponte agitaretur. Rectè id quidem: quamuis enim motus in arboribus diuinitus excitaretur, ſi tamen interea ventus caſtra perflaret, non obſeruaretur, & ſic fruſtra fieret: ſin autem in ſola ſylua eſſet commotio facilius is motus à latente exercitu fieri putaretur. Nec tamen hic Ioſephi modus ſatis idoneus eſt, vt rectè aduertit Abulenſis, [c] quamuis eum probarit Theodoretus [d] quia ſi arbores eo modo concuterentur, eumque tantum ederent ſonum, quem vento impulſæ ſolent auribus noſtris immittere, non poſſent terrorem, & opinionem ſuperuenientis exercitus ingenerare, in quo auditur armorum fragor, hinnitus equorum, ſtrepitus quadrigarũ, *clamorque virum, clangorque tubarum.* Oportuit ergo tales in ſylua excitari ſonos, taleſque ad Philiſthæorum aures perferri, quales poſtea perlatæ ſunt Syris. Siquidem, vt Scriptura teſtatur [e] *Dominus ſonitum audire fecerat in caſtris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi*, adeo vt inter ſe dicerent, *Ecce mercede conduxit aduerſus nos rex Iſrael reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt ſuper nos.*

c q. 18. in c. 14. 1 Par.
d q. 18.
e 4. Reg. 7. 6.

XXI. *Et à quibus excitarentur.*

EDITOS autem fuiſſe hoſce, tanquam à numeroſo exercitu ſonos, angelorum miniſterio facile eſt intelligere, *ſunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſteriũ miſsi, propter eos, qui hereditatem capient ſalutis*, vt ait Apoſtolus. [f] & DAVID, [g] *Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius,* &c. Adde quod huiuſmodi opera quæ in tẽpore fiunt, & motu perficiuntur DEO non conueniunt, qui ſi quid per ſe agit, in inſtanti agit: [h] vnus ergo angelus, pluresue in aſſumptis corporibus omnes prædictos ſonos in aëre formarent, & late ſpargerent, ſic vt ab humanis, aut aliorum animantium naturalibus ſonis diſtingui non poſſent, præſertim ab hominibus in ipſo articulo pugnæ, & limine mortis poſitis, quando

f Hebr. 1. v. 14.
g Pſal. 102. 20.
h Abul q. 10. in c. 14. 1 Paral.

Ab angelis, non à Deo.

Intenti expectant ſignum, exultantiaque haurit
Corda pauor pulſans, laudumque arrecta cupido. [i]

i Æneid. 5

An & Philiſthæos occiderint.

Quin nec eas tantum voces videntur efformaſſe, ſed etiam reipſa plurimos Philiſthæorum, morte effeciſſe, etiam nulla corporis aſſumpta forma, vt in primogenitis Ægyptiorum interficiendis, & grandine, aut lapidibus è cœlo mittendis. [k] Idque illa verba confirmant, *Egreſſus eſt Deus ante te, vt percutiat caſtra Philiſthiim.* Oportuit autem DAVIDIS exercitum de hoc euentu præmonitum, vt dum impij turbarentur, ipſi confirmarentur, atque animarentur magis.

k Ioſ. 10.

XXII. *Sylua fletus*

IAM quod ad Græcorum plorationem attinet Ioſephus, ſic habet. *Rege vero iterum de euentu oraculum conſulente, reſpondit Pontifex, in ſylua, quæ fletus cognominata, non longe ab hoſte aberat, exercitum continendum.* Syluam fletus dixit Ioſephus, imitatus Septuag, qui habent τὰ ἄλση τοῦ κλαυθμῶνος, id eſt nemora, ſiue ſaltus fletus; 2 forte is locus fuit, in quo angelus DOMINI Iſraelitas præuaricatores olim [l] reprehenderat, quem tamen locum alij Bethel, alij Silo eſſe putauerunt. Ratio diſcriminis eſt quod בכא bacha ſignificat morum arborem, ſed quia ea dictio venit à radice בכה bacha, quod eſt flere, inde fit vt eadem dictio per fletum & per moros, ſiue pyros exponatur. Sic vbi in Pſalmo [m] legimus cum Septuag. *in valle lacrymarum*, Hebræi habent *in valle mori*, ſiue mororum. Et nihilominus exponunt in valle in qua ſtillat aqua, vt ab oculis lacryma. Alias afferunt Hieron. in trad. & Theodoret. expoſitiones parum hiſtoricas, quas ſatius eſt ſeorſum referri. 3 Eſt & alia in græco diuerſitas: nam vbi nos habemus ſonitum gradientis, vel greſſus, quædam græca habent συσσεισμοῦ concuſſionis, alia συγκλεισμοῦ concluſionis. Theodoretus ὅταν ἴδῃς, φησὶν, αὐτομάτως ἀνέμου δίχα τὰ ἄλση κινούμενα: [n] *cum videris*, inquit, *ſponte abſque vento nemora commoueri.*

2. X.
l Iud. 2. 1.
Vide a. m. 2599. n. 13.
m Pſal. 87. 7.
Lexic. Step.
3. X.
n q. 18.

XXIII. *Quò fuga compulſi Philiſthæi.*

RELIQVA eſt de terminis huius fugæ dubitatio. Et primum dicendum Gezer ſiue Gazer, & Gazera vnam eſſe eandemq, ciuitatem in tribu Ephraim, quæ & Leuitis aſſignata eſt, Gabaa vero, & Gabaon diuerſas, illa enim erat regia

Adrichom.

Saulis, hæc Gabaonitarum metropolis, vtraque in tribu Beniamin non multum inter ſe diſtantes. Itaque cum pugna commiſſa eſſet in valle Raphaim, & Dauid exercitum ad terga Philiſthæorum traduxiſſet, Hebræi medii erant inter Philiſthæam, & exercitum Philiſthæorum, ſiue terram Iſraëlitarum, fugam ergo ineuntibus Philiſthæis, neceſſe fuit à facie victoris exercitus fugere, id eſt verſus terram Iſraëlitarum, cum fugam in patriam, obſeſſam, atque interclulam haberent ab eodem exercitu Hebræorum; plurimi itaque verſus Gabaa, alij ad Gabaonem fugiebant, prout eos aut impetus, aut ſpes euadendi ferebant; priuſque oppreſſi, cæſiq. ſunt, quam vlterius progredi poſſent; alij ad dexteram, læuamque fugientes, magno circuitu, aut in patriam, aut in viciniorem Gazeram, quam alienigenæ incolebant, æſtuantes, vulneribuſque debilitati proripiebant ſeſe. tantaque hominum multitudo ferro abſumpta eſt, ipſaſque reliquias tantus Dauidis, aut Dei Hebræorum timor inceſſit, vt tertiam tentare pugnam neque poſſent, neque optarent.

XXIV. *Dei & Dauidis victoria,* DAVIDIS autem exercitus inclytus atque glorioſus ſtetit, nullis fortaſſe, aut perpaucis deſideratis, vt tanto magis intelligeretur à quo protecta eſſet tanta victoria; vltroque illud Iſraëlitæ prædicarent, *Dominus noſter excelſus, & non manus noſtra fecit hæc omnia.* [a] Is fuit qui pauorem cordibus, qui ſtuporem mentibus, qui oculis caliginem, languorem brachiis, pedibus etiam ipſis torporem ad fugam, ac tarditatem dedit. Quæ rumore nuncio per circũquaque poſitas vulgata regiones, Dauidis nomen partim admirabile, partim etiam formidabile *& fama.* reddiderunt. Ait enim Scriptura, *Diuulgatum eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes*, Ammonitas ſcilicet, ac Moabitas, Arabes & Idumæos, Syros, Tyrios atque Sidonios, maximeque Palæſtinos: Illi enim vehementer formidabant, ne ſi aduerſus ipſos arma conuerteret eadem felicitate vſus, eos ſibi ſubiugaret, cum tam facile, tum robuſtam gentem iteratis præliis attriuiſſet. Hi autem ne ſi belli reliquias perſequi vellet, non ſolum regioni vniuerſæ vaſtitatem afferret, ſed Philiſthæorum etiam nomen internecione deleret. Hæc fere hoc anno geſta.

[a] Deut. 32. 27.

XXV. *Eadem hiſtoria ex Ioſepho.* ANTIQVAM autem ad ſequentem tranſeamus, Ioſephus conueniendus eſt nobis: deinde memorabile facinus, quod huius belli tempore contigiſſe putamus, breuiter explicandum. Illuſtrat enim hunc locum, atque amplificat Ioſephus, [b] cuius orationem operæ pretium erit referre. *Commiſſo prælio,* inquit, loquitur autem de priore, *ipſe à tergo eos ex improuiſo adortus, partim occidit partim in fugam compulit.* Ne autem hæc Iſraëlitarum victoria, Deo ac DAVIDE duce parta, ignobilis & obſcura videatur, eam ſic Ioſephus auget. *Nemo autem ſuſpicetur modicum, aut ignauum fuiſſe Palæſtinorum exercitum, qui tum Hebræos inuaſerat, coniecturam inde faciens, quod non magno negotio ſit profligatus, nulla prius memorabili re geſta. Sed ſciat vniuerſam Syriam, ac Phœnicem conſociatis armis auxilium illis tuliſſe.* Omiſit aliquot verba Gelenius; ἢ τοὺς ἄλλως ἅμα ἔθνη μάχιμα, id eſt, *ad hæc alias etiam bellicoſas gentes*, quo modo habet etiam Rufinus. Pergit autem Ioſephus. *Quæ cauſa fuit vt toties victi, tam multis myriadibus deſideratis, denuo bellum maioribus viribus redintegrarent: quandoquidem poſt præſentem quoque cladem triplicato exercitu Dauidis regionem inuaſerunt, & eodem quo prius, loco caſtra metare ſunt auſi.*

[b] l. 7. ant. c. 4.

Cur redintegratum à Philiſthæis bellum.

XXVI. *Ex eodem.* REGE *vero iterum de euentu oraculum conſulente, reſpondit pontifex, in ſylua quæ fletus cognominata, non longe ab hoſte aberat, exercitum continendum, nec prius ad pugnam educendum, quam ſylua nullo perflante vento, ſuapte ſponte agitaretur. Quod vbi obſeruatum eſt, & Deus mature præſentiæ ſuæ ſignum dedit; nihil moratus, ad paratam iam, & indubitatam victoriam eſt progreſſus: nam ne primum quidem impetum hoſtilis acies ſuſtinuit, ſed mox vt ad manus ventum eſt, terga vertit: nec ſegnius Hebræus inſtitit, fodiendoque terga fugientium & multos proſternendo vſque Gezara, quod oppidum in vtrorumque confinio ſitum erat, victos eſt inſecutus. Itum eſt deinde ad caſtra expugnanda, vbi non magno labore ingenti præda potiti, deos etiam eorum confractos diripuerunt.* Hactenus Ioſephus.

ibid.

XXVII. *Improbatur.* MINIME vtique in eo probandus, quod tam ſculptilium direptionem, aut exuſtionem potius, quam ineundæ pugnæ modum à Deo præſcriptum ad ſecundum prælium retulit, cum vtrumque, Scriptura teſte, in primum cadat. Ipſum autem adoriendi modum, & rationem ipſam ſtratagematis, eiuſque cau-

ſam

ſam, vereor vt ſatis intellexerit, parum certe explicauit. Nec item in eo probandus quod vniuerſam Syriam ac Phœniciam arma cum Palæſtinis conſociaſſe fidenter affirmat: nam præterquam quod Scriptura nullam iſti aſſertioni conciliat fidem, certe Tyrios exceptos oportuit, populum omnium in Phœnice potentiſſimum; cuius regem paulo ante amicitiam cum Dauide contraxiſſe, ipſemet Ioſephus eſt author, vt paulo ante ſignificaui. Quin & plurimi Tyriorum artifices hoc ipſo tempore in Sione, eiuſque arce operam ſuam Dauidi, induſtriamque locauerant; nedum contra eum arma ſumpſerant. Neque rurſum quod tam prçcisè, quaſi in re exploratiſſima, triplicato exercitu Philiſthæos veniſſe contra Iſraëlitas affirmat. Vnde enim id didicit cum Scriptura tantum dicat eos rediiſſe ad pugnandum. Sufficiebat ſane cum dubitatione dicere, eos redintegrato, aucto etiam fortaſſe exercitu reuertiſſe. Timidius certè, qui eum ſecuti ſunt, Lyranus & Dionyſius, maiorem tantum exercitum collegiſſe aiunt, qui fortaſſis etiam minor fuit, ſi diſperſos raptim coëgerunt, ad prælium citò, & improuisò reparandum, quod minimè improbabile eſt.

[Margin: 2. Phœnices an pugnauerint contra Dauid. — nu. 8. — παντὶ σῷ στρατῷ. — 3.]

XXVIII. Haudquaquam etiam probanda illa ratio, profugiſſe Palæſtinos vſque Gezaram, quod oppidum in vtrorumque confinio ſitum eſſet; id enim vt demus, quod tamen Adrichomius minimè dabit, qui in topographia Ephraim, multò vltra vrbem hanc, verſus Philiſthæos ponit Ramatham ciuitatem Samuelis, ea tamen cauſa non videtur fuiſſe, cur eo ſeſe ex fuga reciperent, ſed quia illam vrbem Iſraëlitæ non habebant in poteſtate ſua. Nam vt in libro Iudicum [a] ſcriptum eſt, Ephraimitæ, in quorum tribu ea ciuitas ſita erat, non interfecerunt Chananæum, qui habitabat in Gazer, ſed habitauit cum eis. S. Hieron. in locis hebraicis, ait non potuiſſe eos expellere. Itaque poſt annos decem Dauid bellum gerit in Gazer [b] contra Philiſthæos ibidem habitantes. Non probandum denique quod ait hoc bellum, nulla memorabili re geſta, confectum fuiſſe. Certe vt omittam ipſius belli modum, quem Deus ipſe ſuggerere primùm, deinde etiam exequi dignatus eſt, terrendis angelorum miniſterio Philiſthæis, excitato fragore irruentis exercitus, maximè memorabilem videri: illud certe facinus trium virorum fortiſſimorum, qui aquam de ciſterna Bethlehem, per medios hoſtes ad Dauidem tulerunt, [c] memoria digniſſimum autor Scripturæ duxit, & poſteritati prodi voluit, quod alibi ipſemet ad hoc tempus retulit. [d]

[Margin: Improbatur 4. in fuga termino. — a c. 1. v. 29. — b 1. Par. 20. 4. — c 2. Re 23. 13. & 1 Par. 11. 15. — d l. 7. ant. c. 10.]

XXIX. Contigisse autem hoc tempore exiſtimat Abulenſis in cap. 23. ſecundi Regum, [e] & in 1. Par. vndecimo. [f] Tornielllus in fine anni octaui regni Dauidis. [g] Ioſephus ipſe l. 7. ant. c. 10. vel 2. apud Rufinum. Adrichomius in ſua chronol. [h] Serar. in c. 23. 2. 1. Reg. quibus libenter aſſentior, etſi non ignorem S. Gregorium homil. 34. in euang. ſecutum ſeriem narrationis Scripturæ, arbitratum eſſe hoc facinus longe poſt adulterium Berſabeæ contigiſſe, quod Theodoretus quoque in 2. Reg. q. 45. ſignificat. Chronologiam confirmat tempus ipſum, & locus. Cum enim deinceps valde attritæ fuerint vires Philiſthæorum, nunquam ſtationem in Bethlehem, quæ in ipſis pene Hieroſolymorum ianuis erat, vbi ſedem regni fixerat Dauid, habere potuerunt, habebant autem, cum hæc aqua delata eſt ad Dauidem. Sed nec prius contingere potuit, cum Ioſephus & Abulenſis ſcribant Dauidem fuiſſe Hieroſolymis: cum Philiſthæi hanc quæ hactenus narrata eſt, expeditionem ſuſceperunt. Fauet & locus vallis Raphaim, in qua caſtrametati ſunt in hoc bello Philiſthæi, nec vnquam alias in eo loco cōſediſſe reperiuntur ad præliandum. At ibidem caſtra locauerant, cum fortes illi ciſternam Bethlehemiticam adierunt; ex quo apparet aquam illam hoc ipſo tempore & deſideratam à Dauide, & ab illis heroibus delatam fuiſſe.

[Margin: Quando aqua ad Dauidem delata. — e q. 16. — f poſt q. 11. & 11 ā. — g n. 8. — h a. m. 2897. — Reg. 23. v. 14. 3. %.]

XXX. Accedit quod Dauid vtrobique [i] cum hoc geſta ſunt, dicitur fuiſſe in prçſidio. Quod præſidium Abul. q. 13. in cap. 5. 2. 1. Reg. ait fuiſſe quoddam caſtrum in finibus terræ ſuæ, contra terram Philiſthinorum, vbi nunc erant caſtra eorum q. autem 15. in cap. 23. 2. 1. Reg. id præſidium interpretatur arcem Sion in Hieruſalem. Vbi refert Ioſephum eadem ſentientem, refellitque interpretationem eorum, qui hoc præſidium conſtituunt in terra Moaba, de quo fit mentio l. 1. Reg. c. 22. eam tamen interpretationem ipſe obiter amplectitur, [k] Exiſtimo nihilominus hoc præſidium non fuiſſe arcē Sion, quæ hoc tempore à Tyriis ædificabatur

[Margin: Quo tum in præſidio eſſet Dauid. — i 2. Reg. 5. 17. & 1. Par. 11. v. 16. & 2. — l. 7. c. 10. — k q. 13. in c. 11. 1. Par.]

non in arce Sionis,

AQVA E BETHLEHEM DEFERTVR.

& muri eius ſemiruti à proximo bello reſtaurabantur: nec clariſſimum locum nomine præſidij perpetuo Scriptura obſcuraſſet, ſed aliquo in loco, vt cæteris lux daretur, vocaſſet arcem Sion. Deinde quomodo dictum eſſet Dauidem deſcendiſſe in præſidium, in hebræo, græco, & latino textu, [a] cum arx Sionis eſſet locus eminentiſſimus vniuerſæ regionis Hebræorum; erat enim altiſſimus locus Sionis, & Sion Hieroſolymorum, & Hieruſalem regni totius. Præterea 1 Par. [b] *Deſcenderunt*, inquit Scriptura, *tres de* 30. *principibus ad petram, in qua erat Dauid; ad ſpeluncam Odollam*: quando autem id factum? *quando Philiſthiim fuerant caſtrametati in valle Raphaim.* Quam autem vocauit petram, in qua erat Dauid, ſtatim explicans vocat præſidium; ſubdit enim, *Porro Dauid erat in præſidio, & ſtatio Philiſthinorum in Bethlehem.* Erat ergo præſidium hoc arx quædam opportuna bello, prope ſpeluncam, eique vicinam ciuitatem, Odollam: in quam, vt ait Vatabl. in hunc locum, ſe recipere ſolebat Dauid, perſequente Saule. Et in id præſidium tam à Hieroſolymis, quam à Bethlehẽ deſcenditur; & ex eo ad vallem Raphaim aſcenditur, vt conſtat ex 1. Paral. 10. [c] 2. Reg. 5. [d] quod Sionis arci nullo modo conuenire poteſt.

ſed ad Odollam.

[a] 2. Re. 5. 17.
[b] cap. 11. 15. Vide Abul. q 17 in c. 23 2. Reg.
[c] v. 10 & 14
[d] v 19. & 23

XXXI. *Statio Philiſthæorũ in Bethlehem.*

AT enim quomodo ſtationem habebant Philiſthæi in Bethlehem, cum id oppidum multum diſtaret à valle Raphaim, vt aiunt Comeſtor, Dionyſ. Adrich. Dicendum eſt in clade Gelboë multa loca Iſraëlitarũ occupata eſſe à Philiſthæis, [e] cum ab illis præ metu deſerta fuiſſent; in quibus fuit Bethlehem. Nec neceſſe eſt ſtationem cum caſtris confundere, quod facit Ioſephus l. 7. c. 10. Nam in ſtatione habitant præſidiarii milites, in caſtris morantur ad breue tẽpus. Ergo Philiſthæi caſtra habebant in valle Raphaim, ſtationem autem in Bethlehem, ſed caſtra ita erant diſpoſita, vt Dauidicis per mediũ ipſorum tranſeundum eſſet, vt veniretur in Bethlehem. Mox enim dicitur, *Tres ergo iſti per media caſtra perrexerunt.* Vtique neceſſitate, non ſponte ſua. Ex quibus intelligitur quam arduum atque anceps eſſet hoc facinus, cum tam in aditu, quam in reditu, per hoſtilia caſtra eundũ eſſet, & in ipſo ciſternæ loco hoſtis in armis foret, intentus ſemper in prædam, & hoc maxime tempore, quo ciues ipſorum in armis erant. Sed de loco & tempore ſatis, rem ipſam audiamus.

[e] 1. Reg. 31. 7

Quam arduum facinus fortium Dauidis.

XXXII. *Dauid aquam deſiderat è Bethlehem.*

DESIDERAVIT *igitur Dauid*, [f] *& dixit. O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem, iuxta portam*: Minus gratas habuit Dauid aquas quibus in præſidio Odollamitico vtebatur; id ſcilicet memoriam renouauit aquæ Bethlehemiticæ, ſimulq; accẽdit deſiderium eius, & vocem indicem deſiderij excuſſit ex pectore. Cum enim fuiſſet in oppido illo enutritus, aquarum illarum bonitatẽ, ac ſalubritatem norat, eius maximè quæ erat ad portam oppidi. Non caruiſſe autem aquis in illo præſidio perſpicuum eſt: non enim ibi cum ſuis, vel vnum diem moras trahere potuiſſet. Ex quo etiam intelligitur id deſiderium non neceſſitatis fuiſſe, ſed delectationis cuiuſdam, & quidem culpa vacantis: neque enim illicitum eſt natura ſua huiuſmodi deſiderium. [g] Eam tamen ſibi non iuſſit afferri, quod ſciret illam ſine ſummo vitæ diſcrimine obtineri non poſſe, noſſetque contra rectam rationem eſſe, vt quis ſine neceſſitate aliquem, præſtãtem præſertim virum, periculo mortis obiiciat. Viri tamen fortiſſimi agnito regis deſiderio, eique gratificari cupientes, negotium audaciſſimum ſuſceperunt: quod potuit etiam temeritate carere, in huiſmodi hominibus, qui aliàs nõ minus prodigioſa opera perpetrarãt.

[f] 1. Par. 11. 17. & 2. Re 23. 15.

an cũ culpa.

[g] Caietan. hic, & Abu. q. 20 in c. 23. 2. Reg.

XXXIII. *Vt iuſſiſſe ſenſiſſe Gregor.*

SIGNIFICAT tamen S. Greg. [h] iuſſionem factam eſſe militibus, aquam ex ciſterna Bethlehemitica petere: ait enim, *A rege vero fortia iuberi militibus, vel deſiderari aquam lex pœnaliter*, id eſt, propoſita pœna, *non vetat.* Statimq; id dictũ hoc exemplo confirmat. Et ſatis conſtat deſideria principum, aulicis præſertim, inſtar iuſſionum haberi. Quin & mox ſe in culpa fuiſſe ipſemet Dauid oſtendit, cum eam aquam bibere non eſt auſus, &, vt ait idem Gregorius, *vir eruditus flagellis, ſe protinus cum periculo militum aquam deſideraſſe reprehendit.* Et mox, *culpam concupiſcentiæ mactauit, per pœnitentiam reprehenſionis ſuæ.* Dicendum nihilominus iuſſionem neque factam fuiſſe, neque rectè fieri potuiſſe, vt dictum eſt; imo neque exprimi hoc deſiderium ea mente, vt illius notitia animos militum ad huiuſmodi aleam iaciendam inclinaret, [i] quin potius oportuiſſet, ſi iſta profectio innotuiſſet Dauidi, omni ratione ab ipſo impediri: tribus enim hiſce modis milites ſuos leuis delectationis cauſa morti obieciſſet. Propoſitio autẽ illa Greg.

[h] Hom. 14. in euang. & ex eo Angelomus & Eucher.
[i] Abul q. 15 in c. 11. 1. Par.

vniuerſè ſumpta vera eſt, neque neceſſe eſt exemplum illi adæquatè reſpondere. Nec fuit mens Dauidis deſiderium ſuum inſtar iuſſionis habere, ſed id tantum declarare voluit, ad qualecumque ſolatium ſuum. [a] Reprehendit autem ſe, non quod deſiderauerit, aut quod inde occaſionem ſumpſerint milites periculum mortis adeundæ; id enim extra Dauidis ſcientiam, ac voluntatem fuit, proptereáque minimè obnoxium reprehenſioni: ſed reprehendit præſentem cupiditatem, eáque generoſè, & cum quadam ſui reprehenſione coercuit, veritus ne ſi illam bibiſſet, ſimul etiam videretur optaſſe; vt illa cum tanto periculo quæreretur, quod neque iubere rectè potuit, neque optare. Neque textus ipſe præteritum deſiderium reprehendit.

[a] qu. 24. in c. 23. 2 Reg.

Dauid non iuſſit, neq. conſentit vt deferretur.

XXXIV. *An probare voluerit fortitudinẽ.*

Addam & S. Hieronymus expoſitionem in hunc locum, [b] quæ expoſitione indigere videatur. *Deſiderauit*, inquit, *Dauid aquam, qui non deſiderio aquæ hoc fecit, ſed ad probandum vtrum tam fortes inueniri potuiſſent, qui hoc attentarent.* Verum hæc ex Hebræorum ſententia dixit Hieronymus, & textus ipſe Scripturæ ſatis perſpicuus eſt. Ac ne licitum quidem fuiſſet, hoc experimentum fortitudinis vltro quærere: A regibus enim fortia iuberi poſſunt militibus, vt ait S. Gregor. non tamen temeraria. Nam vt ait Toſtatus [c] experientia fortitudinis debet ſumi in huiuſmodi operibus, quæ viri fortes, quamuis non ſine periculo, exequi poſſunt, non in iis quorum felix euentus ſine miraculo obtineri non poteſt, *alioqui non eſt experientia fortitudinis*, inquit, *ſed inflictio mortis.* Itaque eiuſmodi iuſſio, aut deſiderium inuitans ad talem experientiam, cum graui, vt idem ait, Dauidis peccato coniunctum fuiſſet. Etſi viri illi fortes, rati non ſuperare hunc conatum trium ſimul coniunctorum fortitudinem, potuerint ſine temeritate id ſuſcipere, vt ante dixi. [d]

[b] in tradit. Hebr. in 1. Par. c. 11. & ex Lyr. in c. 23. 2. Reg.

Non videri.

[c] q. 20. in c. 23. Reg.

[d] nu. 31.

XXXV. *Qui eſſent hi fortes.*

Irrvpervnt [e] *ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. Attonitis*, ait Ioſephus, [f] *audacia tanta barbaris, nec auſis paucitatem eorum contemnere.* Cum autem Dauid in catalogo virorum fortium ſuorum haberet triginta circiter viros fortitudinis laude præſtantes, de quibus dicetur inferius; habebat præterea duas triades fortiſſimorum virorum, qui ſeorſim ab illis quaſi omnium fortiſſimi numerabantur. Quidam ergo arbitrantur, hoc facinus à tribus viris ſecundæ triados ſuſceptum, in quibus Hieronymus in tradit. in 3. Reg. 2. 23. & Angelomus. At communis ſententia eam laudem tribuit priori triadi, quam ſequuntur Lyranus & Abulenſis, [g] quæ eſt etiam Hieron. in quæſt. Hebr. & Ioſephi, etſi nonnulla eſt in nominib. perturbatio, quod diſtinctè eos hoc loco Scriptura non perſcripſerit. Fuerunt autem Ieſbaã filius Hachamoni, [h] Eleazar filius patrui Dauidis, Semma filius Age. [i] Id autem ex eo confirmatur, quod hoc factum enarratur, antequam incipiat agere de ſecundo ternario, ad quem pertinebat Abiſai. Sic enim habet. [k] *Hæc fecerunt tres robuſtiſſimi.* Statimque ſubdit de Abiſai, quem ait nominatum in tribus tanquam eorum principem, ſed vſque ad tres primos non perueniſſe: verum de his omnibus alius erit nobis dicendi locus, nunc Dauidis abſtinentiam, pietatem, & præclaram ſui victoriã audiamus.

[e] 2. Reg. 23. 16.
[f] Theod. quoq. q. 45. in li. 2. Reg.

Videri tres primæ triados.

[g] qu. 17. & 24. in c. 23. 2. Reg. 23. & in cap. 11 1. Paral. 4. %.
[h] 1. Par. 11. 11. v. 12.
[i] 2 Re. 23 11.
[k] 2. Reg. 23. 18.

XXXVI. *Dauid non bibit, & quare.*

Attvlervnt *ergo aquam ad Dauid; at ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino, dicens, Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Noluit bibere, non ſolum ne videretur cupiuiſſe, vt tanto cum periculo aqua illa peteretur, vt dixi, [l] ſed iuxta S. Greg. *vt in licitis cupiditatem refrenaret, cui aliquando in illicitis fræna laxaſſet.* Noluit bibere, quia maluit rem ſibi chariſſimam offerre Deo, oblationem non ex reipſa, ſed ex offerentis animo acceptiſſimam; erat enim illa tum Dauidi multarum pecuniarum inſtar. Nam Ioſephus. *O ſi quis*, inquit, *mihi eam afferret id certe mallem, quam multum argenti accipere.* Noluit bibere, quia exiſtimauit aquam tam precioſam dignam eſſe; non quæ mortalis hominis cupiditati, ſed præpotenti Dei gloriæ ſeruiret, transiretque in materiam cuiuſdam extraordinarii ſacrificii. Ideoque multo magis hoc facto honorauit heroës ſuos, quam ſi eam ebibiſſet. *In ſacrificium Domini*, inquit magnus Gregorius, *effuſa aqua conuerſa eſt, quia culpam concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam reprehenſionis ſuæ.* Noluit denique bibere, vt exemplum coſtantiæ & fortitudinis militibus præberet vincens naturam, ne ſi-

[l] n. 32. & 33.

tiens biberet, vt exercitus ſitim tolerare diſceret, vt ait gloſſa quædam. [a] & habetur apud Eucherium.

[a] 2. Reg. c. 11.

XXXVII *Ædificia Dauidis cõſtruuntur.*

ET de hoc quidem anno hactenus. Etſi enim hæc tempore meſſis contigerunt, vt Scriptura ipſa teſtatur, [b] quod pertinet ad vehementius commendandam Dauidis calore æſtuantis abſtinentiam; quid tamen reliquo anno geſtum fuerit non inuenio; niſi quod in ciuitate DAVID, & monte Sion ædificia murorum, & regiæ Dauidis diligenter promota fuerunt, vel forte vrgentibus præſentium bellorum periculis, abſoluta. Id ſi verum eſt, vt eſt certe probabile, ad hunc annum pertinebit Pſalm. 29. [c] qui Hebræis trigeſimus eſt, qui ex titulo ipſo confectus perhibetur in dedicatione domus Dauid, illius ſcilicet cedrinæ, quam Tyrij artifices conſtruebant; [d] fuiſſe autem huiuſmodi dedicationes in vſu apud Hebr. lex ipſa Moſaïca haud obſcure ſignificat. [e] *Quis eſt homo*, inquit, *qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam.* Id erat eam offerre Domino, & orare vt eam, & omnes habitantes in ea cuſtodire dignaretur, iuxta illud quod quotidie precatur Eccleſia. *Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant*, &c. Et hunc Pſalmum de hac Dauidis domo interpretantur. S. Thomas, Ianſenius, Bellarminus, Flamin. Vatabl. Lorinus, [f] & apud eum alij.

[b] 2. Reg. 23. 13.
[c] Pſal. 29.
[d] 2. Reg. 5. 11.
[e] Deut. 20. 5.

Domus cedrina dedicatur cum Pſal. 29.

[f] in eum Pſalm. in ſent.

XXXIIX *Dauidis morbus.*

EORVNDEM fere ſententia eſt Dauidem hoc tempore graui morbo tentatum fuiſſe, & ſub eandem domus ſuæ dedicationem ſanitati fuiſſe reſtitutum; eaque de cauſa gratias liberatori ſuo ſtudioſius agere, vt totus ipſe Pſalmum apertè loquitur, nulla facta mentione dedicationis, de qua eſt titulus ipſe in omnibus linguis. Voluit nimirum Dominus DAVIDEM tot victoriis, tot coniugiis, tot ædificiis, tot ſubditis auctum; tanto imperio, tantiſque diuitiis exaltatum, omnibus denique rebus ad nutum fluentibus exultantem, à ſuperbia prohibere, & in officio pij ac moderati hominis contineri. Quo libenter retulerim illud pſalmi huius. *Ego autem dixi in abundantia mea non mouebor in æternum*; & quidem ſine ſuperbia: agnoſcebat quippe in his omnibus diuinæ beneficentiæ largitatem, dicebatque, *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem*. Prouidit tamen Dominus ne quà vanitas pro conditione humanæ infirmitatis obreperet. Itaque hominem graui, ac periculoſo morbo lecto affixit, vt illa verba declarant, *Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Erat autem in ægritudine eius oratio, *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?* Angebat etiam eum illa cura, ne Philiſthæi, aut ſi qui forte ex Iebuſæis ſupererant, morte ipſius gaudio triumpharent, quaſi contrito baculo, quo afflicti fuerant, atque contriti. Itaque id poſuit in capite cantici ſui. *Exaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Qui quem ferro ipſi perdere non potuerant, morbo è viuis auferri cupiebant.

...cur immiſſus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2988. DAVIDIS 9.

1.Nom.IV. Senſus literalis.

CVM Rempub. florere dicimus, etſi ipſum florere arborum eſſe, plantarumque intelligimus, eiſque primum ac proprie conuenire; de Reipub. tamen optimo ſtatu, idem iucundius, ac ſignificantius accipimus. Et quidem vtrumque in literali ſenſu, quando illum vnum profanæ ſcriptiones agnoſcunt. Vnde omnino conſequens eſt figuratas locutiones in Scriptura ſacra literalem ſenſum, ſiue hiſtoricum minime excludere, quæ ne ab euangeliis quidem abſunt. Imo ne diu quidem loqui ſine iis poſſumus. Num ſine tropo Herodes vulpes dicitur, aut Ioannes & Elias angeli? aut mercenarius portat pondus diei, & habet oculum nequam? Num Dominus aut apoſtoli ſine figura calicem bibunt, aut Chriſtus ſedet ad dexteram patris? ſed de his ſatis.

2.Nu.XXII

S. Hieronymus in tradit. Hebr. in l. 2. Reg. c. 5. eademque repetit ex eo Angelomus. *In Hebræo non pyrorum, ſed flentium legitur. Ex aduerſo itaque flentium eum venire iubet, hoc eſt ex aduerſo idolorum ſuorum, vbi ſcilicet idola eorum erant, in quibus confidebant. Quæ idola idcirco flentium vocantur, quia fletu digna ſunt, & eos qui ea colunt, ad fletum miſeriarum perducunt. Flentium itaque eorum idola, ob blaſphemiam hic ſermo diuinus vocat, ſicut alibi vocatur idolum Moab, contaminatio Moab. Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine flentium; hoc eſt cum audieris poteſtatibus angelicis, eorum idola, in quibus omnis fortitudo eorum eſt, conteri & conculcari, tunc inibis prælium; quia tunc egredietur* Dominus *ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthiim. In eorum namque idolis Dominus iudicia fecit, ſicut & in diis Ægyptiorū.* Sic Hieronymus ex Hebræis, qui durius vtique flentes idola interpretantur: præterquam quod merito quis illis obiiciat idolorum confractionem & cladem in priore prælio à Scriptura poni, non in poſteriore; & docendum eſſet idola rurſum ad prælium fuiſſe allata; ſed nimirum hic moralis eſt ſenſus, non ſatis adhærens literæ, cum ænigmatica idolorum interpretatione.

Idola.

Idolum lacrymarum.

Aliam quoque ſuggerit huius loci expoſitionem S. Hieron. in tradit. in c. 14. l. 1. Par. *Tradunt*, inquit, *Philiſthæos idolum habuiſſe, cui in lacrymis hominum ſacrificium parabatur. Huic illi more ſuo lacrymis ſacrificabant. Et eis ex aduerſo venit David, in quorum capitibus iam furor Domini ſæuiebat, quando ad eos ventum eſt. Ideo timuerunt gentes David propter idolum deſtructum, cui humanis lacrymis ſacrificabatur.* Sed hæc mania eſſe rabinorum commenta, & aniles fabulas ſatis agnoſcis lector, quibus nihil felicius contingere potuit, quam vt eas Hieronymus referre dignaretur; cui aliam etiam gratiam debent, quod ea ſexcutere, & refutare neglexerit.

3 N.XXIX

Legit fortaſſe Theodoretum Gregorius; aut in eadem veſtigia necopinantes incurrerunt, vterque certe circa tempus hiſtoriæ idē ſenſerunt, propter ſeriem narrationis ſcripturæ. *Quantum*, inquit, q. 45. *profuerit caſtigatio, docet hiſtoria. Cum enim didiciſſet experientia, quantas calamitates conciliet cupiditas, frigidam quidem aquam appetiit, recordatus eſt autem eius, quæ erat in Bethlehem. Tres autem ex iis, qui ſe ſtrenue gerere conſueuerant in præliis alienigenarum, qui caſtra metati erant circa Bethlehem.* Scriptura ibi ſtationem habuiſſe ſcribit, non caſtra; ſed nimirum ſequitur Ioſephum, qui l. 7. c. 10. ait Philiſthæos cum exercitu vſque ad vrbē Hieroſolymorum acceſiſſe, à qua tamen non parum diſtabat vallis Raphaim, ſi quid Adrichomio credimus, qui eā ad occaſum Ieruſalem collocat, non ad Septentrionalem plagā cum Hieron. in locis Hebr. ſed redeamus ad Theodoretum. *Tres ergo magno ſtudio contenderant, vt afferrent aquam etiamſi rex non iuſſiſſet, quam cum medium pertranſeuntes hoſtium exercitum quam citiſſime hauſiſſent, reuerſi ſunt, nullo ex alienigenis aggreſſo eos inuadere, timuerunt enim ſummam eorum audaciam, Sed rex longe optimus non induxit in animum, vt illius quam deſiderabat aquæ fieret particeps, ſed pia conſideratione ſuperauit cupiditatem: eam enim nominauit ſanguinem eorum qui attulerant: quoniam cum regis curam ſuæ ſaluti prætuliſſent, magno impetu periculum adeuntes ruperunt hoſtium aciem, & ſeruati ſunt præter opinionem à ſuperis. Tantum obtulit ſtudium in Deum qui ſeruauerat, & ad tantam philoſophiam eum deduxit diſciplina.* quod ſcilicet caſtigatus fuiſſet ob culpam cum Berſabæa, vt clarius tradidit Gregor.

4.N.XXXV. Secunda trias fortium.

Hieron. in trad. in c. 23. 2. Reg. *Tres iſti fuerunt*, inquit, *Abiſai filius Saruiæ, & Sibbachai vſathites, & Ionathan filius Semmaa fratris David.* Idque confirmat in c. 11. 1. Paral. Eadem habet Angelomus, in c. 23. 2. Reg. ſed vbi legitur apud ipſum, *& ſub hoc Hai*, corrige & lege *Subbochai*, vel vt habet Sanctus Hieron. *Sibbachai* vel vt eſt in editione vulgata in 1. Paral. 11. 29. Sobbochai huſatites. Ioſephus autem l. 7. c. 10. primam triadem vtique numerare voluit, ſed nomina non parum inflexit ad grecum modum *Primus*, inquit, *Iſſamas filius Achemai: poſt hunc Eleazarus filius Dodeiæ*, in Hebræo 2. Reg. 23. 9. eſt filius Dodo, quod Hieronymus in vulgata vertit, *filius patrui eius. Tertius erat Sebas Ili filius*, quem ſcriptura vocat Samma filium Age 2. Reg. 23. 11. nec dubium eundem intelligi a Ioſepho, vt res ab eo geſta tam in ſcriptura, quam apud Ioſephum indicat.

ANNVS MVNDI 2989. DILVVII 1333. QVINTÆ ÆTATIS 50. EXITVS ET DATÆ LEGIS 446. ARCÆ IN CARIAT. 49. & VLT. DAVIDIS REGIS 10. ABIATHARIS PONT. 15. TROIÆ EXCISÆ 118. DERCYLLI 39. IMPERII ASSYRIORVM. 1058.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1064.

I. *Confirmatio Dauidis in regno.*

Devictis gemino bello Philiſthæis, euulgatum eſt nomen Dauidis in vniuerſis regionibus circumpoſitis, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes, vt ſuperius ex 1. Paralip. diximus, [a] quæ ad hunc quoque annum pertinent: ſicut & illa. [b] *Et ingrediebatur proficiens, atque ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.* Et paulo poſt: *Et cognouit Dauid quoniam confirmaſſet eum Dominus regem ſuper Iſrael, & quoniam exaltaſſet regnum eius ſuper populum ſuum Iſrael.* Quidni enim? domi ſuorum beneuolentia fruebatur, foris tum cæteri populi vicini, tum inimici eius iterata fracti clade quieſcebant. Cæterum vt ſuos ſibi magis magiſque deuinciret, affinitatem cum multis, tam vxorum quam concubinarum multiplicatione contraxit, ex quibus plurimos ſuſcepiſſe liberos proditum eſt. [c] Qua in re minime peccaſſe putandus eſt cum eas Dominus ipſe illi in domum dediſſe videatur. [d] Neque vſquam ea de cauſa reprehenſus fuerit. Accepit autem vtraſque ait Caiet. non ſolum ad multiplicandum ſemen ſuum, ſed etiam ad affinitatis vinculo vinciendum ſibi multos ex Hieruſalem ciuitate recens electa ad ſedem regiam.

[a] ca. 14. 17 an Dauidis n. 14.
[b] 2. Reg. 5. 10. 12.

II. *Filij Dauidis.*

Neqve tamen exiſtimandum eſt, vno eodemque anno omnes acceptas fuiſſe, ſed paulatim, & pro bona occaſione. Cuius rei ſatis firmum illud eſt argumentum, quod qui primi quatuor recenſentur eius filij in ſecundo Regum, [e] in primo Paralipom. [f] filij Bethſabee dicuntur: quam tamen ante annos 7. ductam non fuiſſe ſatis conſtat. Fieri poteſt vt alias vxores ante eam duxerit, eius tamen filij propter hæredem regni Salomonem, primi honoris ergo nominentur inter eos, qui Hieroſolymis nati ſunt. In quibus illud eſt non parum controuerſum inter ſcriptores eruditos, neque à nobis ſilentio prætereundum, vtrum tres illi primi filij Bethſabee fuerint filij Vriæ, adoptati à Dauide, an vero filij Dauidis, ab eoq; geniti. Qua de re fuſe diſputant Pineda noſter in Salomone ſuo, [g] Torniellus, [h] Abulenſis, [i] Salazar in c. 4. Prouerb. & alij eius loci interpretes: Baradius item, Salmeron, & Galatinus, &c.

[c] 2. Reg. 5. 13. 14. & 1. Paral. 3. 5. & ſeqq.
[d] 2. Reg. 12. 8.
[e] ca. 5. v. 14. & 1. Par. 14. 4.
[f] ca. 3. v. 5.
[g] l. 1. c. 8.
[h] a m. 198. n. 5.
[i] in cap. 3. 1. Paral. q. 4.

III. *4 filij Bethſabææ, an & Dauidis?*

Dicendvm breuiter probabile videri Samua, & Sobab, & Nathan filios fuiſſe Bethſabee, ex Vria priore marito. Ita cenſent Abulenſ. [k] Lyranus, & Vatablus. Torniellus loco citato, Hugo Card. [l] nec diſplicet Salmeroni. [m] Probatur autem, quia ſi Dauid multos ex Bethſabea liberos ſuſcepiſſet, cum primus eorum omiſſo paruulo innominato, qui ex adulterio natus eſt, fuerit Salomon, tam naturæ ordine, [n] quam regiæ ſucceſſionis dignitate, primus vtique nominatus fuiſſet in filiis Bethſabææ, non poſtremus. Ordinem enim natiuitatis à Scriptura ſeruari ex vtroque loco [o] in quo numerantur filij Dauidis intelligi poteſt, vtrobique enim Amnon tanquam primogenitus, primus cenſetur, tum Daniel ſiue Cheleab. Tertius Abſalon, & ita deinceps. Cum ergo tres illi priore loco nominentur, priores nati fuerint: nõ ex Dauide, qui ex Bethſabæa primũ ſuſcepit infantulum illum innominatum, tum Salomonem; ergo ex Vria, cuius filios propterea Dauid adoptione fecit ſuos, quod ſic reparabat iniuriam factam patri. Cum enim, eius vxore corrupta, filium ei affingere ſtuduiſſet ignaro, ipſe ſciens prudenſque eius filios ſibi per adoptionem attribuit: reparauit & factam

[k] in cap. 3. 1 Paral.
[l] in cap. 5. 2 Reg.
[m] Tract. 28 in tom. 3.
[n] vt conſt. ex 2. Reg. 12. 24.
[o] 2. Reg. 3. 2. & 1. Par. 3. 1.

filiis iniuriam, quibus patrem ſuſtuliſſet, dando illis pro priuato homine parentem regem. Denique ſic plurimum dilectæ Bethſabææ gratificabatur, cuius Salomon dicitur vnigenitus. [a]

[a] Prou. 4. 3.

IV. *Ita videri.*

PROBABILIOR nihilominus eſt ſententia tres illos, & inſuper Salomonem, à Dauide, & Bethſabæa genitos fuiſſe. Clariſſima eſt enim Scripturæ id affirmantis oratio. [b] *Porro in Ieruſalem*, inquit, *nati ſunt ei*, Dauidi ſcilicet *filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethſabae filia Ammiel.* Quomodo nati ſunt Dauidi quatuor, ſi tres eorum nati ſunt Vriæ? magna profecto vocem abuſio admitteretur, ſi pro vno qui natus eſſet reuera Dauidi, quatuor ei nati dicerentur. Retenta igitur ſimplici ſignificatione verborum, nec violenta interpretatione obſcurata, dicendi ſunt omnes filij Dauidis naturales, ab eóque geniti. Deinde ſi Nathan non fuit verus Dauidis filius, ſed adoptiuus; verus autem Vriæ, non rectè vtiq. à D. Luca per ipſum Nathan generatio Chriſti ad Dauidem duceretur, quippe qui Dauidis non fuerit, ſed Vriæ. Nec ſane video quomodo hic locũ habeant legales filij aut parentes, quo confugit Torniellus, cum filij dicantur eius, cui defuncto ſine liberis, ſuſcitati ſunt à fratre. Nam Dauid non erat frater Vriæ, neque Vrias Dauidis, vt alter alteri filios ſuſcitaſſe dicatur; & filius per patruum reducitur ad eundem auum: quod hic locum habere non poteſt; Vrias enim non fuit filius Ieſſe. Deniq; per legem ſuſcitandi ſeminis, dantur filij mortuo, & eius appellantur; hic mortuus dat filios viuo, & appellantur eius filij, puta Dauidis.

[b] 1. Par. 3. 5.

V. *Confirmatur.*

EXIMIA etiam Bethſabææ pulchritudo, quando eam rex adamauit, ſuperiori ſententiæ repugnare videtur, vt notauit Pineda. Si enim tot ex viro ſuo filios iam ſuſcepiſſet, vt de filiabus nihil dicam, inſignis illa forma iam defloruiſſet, min uſque amabilis ei viſa fuiſſet, cui iam abunde vxorum erat, & concubinarum. Hãc ſententiam probant quicumque volunt Nathan fuiſſe fratrem naturalem Salomonis, quorum plurimos numerat Pineda [c]. Eadem eſt enim cæterorum duorum ratio: & qui volunt natum Salomonem quadriennio poſt adulterium Dauidis. Eiuſdem ſententiæ ſectatores ſunt Theodoretus & Procop. in 1. Paral. & ille idem Pineda. Et Salazar in c. 4. Prouerb. & ibidem Bainus, Ioan. Arboreus, Ianſenius, Caietanus, Clitouæus in Damaſcenum [d] Salmeron [e] Baradius [f] addunt & Annij Philonem biblicum, & ſi quos alios. Quod ad illum autem ordinem filiorum Dauidis, in quo eſt robur præcedentis ſententiæ, ſentit Salazar, hoc ipſo quod non numeratur quotus quiſque fuerit inter filios Dauidis natos Hieroſolymis, ſicut inter natos Hebrone, ſignificari promiſcue nominatos fuiſſe, neque ordinem natiuitatis ſeruatum: putatque filios Dauidis natos Hieroſolymis ordine conuerſo fuiſſe numeratos; vt primus fuerit Eliphaleth, tum Eliada, & Eliſama, & ita conſequenter, ſicq. fieri vt Salomon ſit primogenitus quatuor filiorum Bethſabee, & vt tarde ab eodem genitus, valde iuuenis ei in regno ſucceſſerit. Certe inuerſi ordinis in enumeratione ſeruati, præbet exemplum S. Lucas in genealogia Saluatoris, & Moyſes in filiis Thare. vt alibi docuimus. [g]

[c] l. 1. c. 8. n. 3. & l. 7. ca. 16. Codom. Caluiſ. Heluic.
[d] l. 4. c. 15.
[e] tract. 28 tomi 3.
[f] to. 1. lib. 5. c. 9.

Refellitur negans opinio.

[g] to. 1 an. m. 1979. n. 3. 4. 5.

VI. *Salomon an, & quomodo vnigenitus.*

RATIO autem ex adoptione petita, quam Abul. & Torniel. afferunt, ſupponit quod eſt in quæſtione, docetque quare factum ſit, quod probandum eſt factum fuiſſe. Quod autem Salomon vnigenitum ſe dicit coram matre ſua, non eſſe rigidè accipiendum clare docet Hiſtoria. 2. Reg. 12. quæ habet Bethſabæam ante Salomonem genuiſſe filium adulterinum, qui præmature mortuus nomine caruit; Itaque paſſim omnes vnigenitum interpretãtur vnice dilectum, quo modo diligi ſolent vnigeniti: quam phraſim inuenies in Scriptura frequentatam. [h] Eamque expoſitionem confirmat textus hebræus, qui habet vnicum ad facies matris, & græcus, qui non habet μονογενῆ, ſed ἀγαπώμενον ἐν προσώπῳ μητρός *dilectus in facie matris*, vel coram matre. Fortè, inquit Barad. [i] alij filij traditi ſunt nutricibus alendi extra domum, & conſpectum matris; Salomon autem vel ab ipſa matre, cui erat chariſſimus, vel coram ipſa nutritus eſt. Salazar vnigenitum interpretatur primogenitum, ſiue quia primogenitus aliquando pro vnigenito vſurpatur, vt cum B. Virgo dicitur peperiſſe filium ſuum primogenitum: ſiue quia reuera Salomon primogenitus fuit omnium filiorum Bethſabææ, qui fuere ſuperſtites. Sed ad alia huius temporis magis propria tranſeamus.

[h] Geneſ. 22. 2. 12. Ierem 6. 26 Amos. 8. 10 Zachar. 12. 10.
[i] to. 2. l. 5. c. 9.

VII. *Annus vltimus in Cariath.*

VOCAVIMVS præſentem annum quadrageſimum nonum & vltimum commo-

Translatio Arcæ ſuſcepta.

rationis arcæ fœderis in Cariathiarim, quod eo putemus delatam in arcem Sion. Abulenſis quidem in 1. Regum [a] exiſtimat Dauidem tranſtuliſſe arcam in ciuitatem ſuam illo ipſo anno quo factus eſt rex ſuper vniuerſum Iſraëlem: ſed mora aliqua neceſſario admittenda eſt in expugnandis Iebuſæis, & in gemino bello contra Philiſthæos conficiendo; adde ædificationem Sionis, & Dauidicæ regiæ, in qua etiam paratus eſt locus, & tabernaculum nouum ad collocandam Arcam Domini, quæ facile duos annos tenuerunt. Adeo vt propterea Torniellus hanc tranſlationem in annum Dauidici regni vndecimum differendam putarit. Ego præſentem malui, tum quia duo anni proximè elapſi prædictis rebus conficiendis ſufficere videntur, tum quia videtur Dauid anni ſabbatici occaſionẽ captaſſe, qui in præſentem annum cadit, qui eſt ordine octauus ſupra quinquageſimum. Ann. Sabbat. 58. Qui cum primo die ſeptimi menſis inchoaretur; [b] rectè opinor reliquum annum dabimus conſultationi, & congregationi populi, & tribus menſibus moræ eiuſdem arcæ in domo Obededom; vt proximus annus, ab ipſo ſui initio, ſit primus arcæ in Sion, ſicque rurſum in eadem epocha cum Torniello conueniemus, à qua minimùm abſunt cæteri chronologi, qui hanc tranſlationem notarunt.

[a] c. 7. q. 11. vide tamen 2. Reg. c. 6. q. 1.

[b] vide an. 2544. n. 68.

VIII. Cur arca Domini tranſlata.

Exigit itaque pietas, & ſapientia Dauidis, vt debellatis iis hoſtibus, qui regnõ ipſius, in cunabulis poſito, interitum afferre moliebantur, monte & Sionis arce communitis, & palatio regio cum tabernaculo ad accipiendam Arcam Moſis exædificato, de ea quamprimum Hieroſolymam deportanda cogitaſſe dicamus.
1. Id enim & ad ſtabiliendam totius populi religionem valebat, cum videret Arcam Domini, quæ erat religioſiſſimum pietatis monimentum, & primarium diuini cultus obiectum, regi eſſe chariſſimam, ſic vt eam vellet honorificentius collocare, & apud ſe præſentem habere, vt crebro apud eam Deum precibus exo-
2. raret, cuius exemplum populus facile eſſet imitaturus. Valebat & ad implendum diuinum præceptum de certo loco, in quo deinceps conſtanter apud Hebræos
3. Dominus coleretur. Valebat & ad nobilitandam regiam ciuitatem, ad quam & regis, & religionis cauſa, tum ſponte, tum etiam ex præcepto diuino, populus vniuerſus crebro eſſet venturus. Hanc porro mentem Dauidi à Deo datam, ea
4. verba ſatis oſtendunt. [c] *Si placet vobis, & à domino Deo noſtro egreditur ſermo quem loquor.* Deus enim loquitur per ora prophetarum ſuorum, in quibus non poſtremus Dauid.

[c] 1. Par. 13. 2. vide ibi Abul. q. 3. & 4.

IX. Conſulit maiores natu è ſuis, & cur.

Nihilominvs Dauid vt doceret nos humanæ prudentiæ vias non ſpernere, voluit eodem inſpirante Domino optimatum ſuorum conſilium exquirere, vt Dei ſuper ea re voluntas ſuauius executioni mandaretur. Cum enim vellet Dauid magnificè fieri tranſlationem iſtam, & à multa populi frequentia celebrari,
1. conueniebat rem cum principibus populi, à quibus ille pendebat communicari, vt iſtis approbantibus illi non grauate conuenirent, quod publicæ lætitiæ & de-
2. uotioni plurimum obfuiſſet. Deinde cum Dauid videretur deinceps velle vt arca priuati iuris fieret, eam collocando intra ſepta regiæ ſuæ, ſicque iuribus & commoditati populi totius officere; decuit cogi conſilium maiorum natu ſuper hoc, ne, habito ſemel conſenſu populi, locus eſſet obmurmurationibus & querelis: cum didiciſſent id ab eo fieri, dum templum, quod ipſe agitabat animo, con-
3. ſtrueretur. Noluit quoque videri agere omnia pro arbitrio, ac poteſtate, ſed honorare velle conſiliarios ſuos, eorum conſilium exquirendo, & ſic eos ſibi in his regni initiis, magis magiſque beneuolentia deuincire. Quod qui non faciunt ſuperbi æſtimantur; & domino permittente in rerum adminiſtratione multa peccant.

X. Qui ad conſilium adhibiti.

Inijt ergo conſilium Dauid cum tribunis, & centurionibus, & vniuerſis principibus, [d] qui ſcilicet ad Dauidis exercitum pertinebant, ſiue ad turmam præſentis menſis, quæ 24. millia bellatorum continebat; vt ſupra diximus [e] & inſuper qui de tribu Iuda erant ei magis familiares & ordinarij conſiliarij, fratres item, cognatique omnes, affines, atque domeſtici. Quibus congregatis, ait ad omnem cœtum Iſraël. *Si placet vobis, & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo quem loquor*, id eſt, vt interpretatur Abulenſis, [f] Agnoſcam Dei eſſe voluntatem, vt fiat quod ego propoſiturus ſum vobis, ſi omnes in eandem ſententiam conſenſeritis; non enim poteſt huiuſmodi conſenſus non eſſe à Deo. At ſic ſuperflua eſt illa con

[d] 1. Par. 13. 1.

[e] an. Dauid. 1. n. 1. & ſeqq.

[f] q. 4. in c. 13. 1. Par.

a Pſalm 54. 20. & 89. 1. &148 14 & alibi. vide phraſes.Sa.

[1] unctio & quam rectius fortaſſe interpretemur *quoniam*. Vt alibi ſæpe [a] Matt.17.9. *Ceciderunt in facies ſuas, & timuerunt valde.* Rom. 1. 23. *Stulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, &c.* Habebat enim Dauid commodiorem rationem cognoſcendæ diuinæ voluntatis per Ephod pontificium, per quod etiam credibile eſt conſuluiſſe, antequam congregaret hunc populum. Ipſa autem denunciatio diuinæ voluntatis magnum habebat pondus ad communem omnium conſenſum eliciendum, & omnes oppoſitiones contradicentium præcidendas.

XI. Cur conueniet populum.

Qvoniam ergo inquit Dauid, *à Domino Deo noſtro egreditur ſermo quem loquor, ſi placet vobis, mittamus ad fratres noſtros reliquos in vniuerſas regiones Iſraël,*
& inuitemus eos ad conueniendum ad celebritatem, quam paramus. Ne-
que enim committendum arbitror, vt populus de me tam bene meritus, ſe 1.
contemptum putet, & priuatum honore quem Domino in hac ſolenni pom-
pa deferre vellet. Et vero etiam formidandum foret, ne ſi nobis ſolis con
ſilium caperemus, de transferenda fœderis Arca in montem Sion, & ciuita-
tem noſtram, cæteræ familiæ Iſraëlis in eam ſuſpicionem inciderent, quæ olim 2.
fratres noſtros, qui ſunt trans Iordanem perſtrinxit, [b] quando altare viſen-
dæ magnitudinis ad ripam fluminis excitarunt, in teſtimonium ne ipſis in
poſterum dici poſſet. *Non eſt vobis pars in Domino.* Sicque ſchiſma, quod
populum Dei nuper, ſeptem ipſos annos, multa cum clade, & animorum abalienatione diſtraxit, tanto maiore cum damno redintegretur, quanto iuſtior cauſa diſtractionis futura videatur, & nouis altaribus, nouis ceremoniis, nouis denique dijs in Iſraële pernicioſiſſimus aditus aperiatur.

b Ioſue 22. 27.

XII. Et leuitas, ac ſacerdotes.

c 1 Par.13.2. ibi. Toſt q. 7. Num.4.

Mittamvs quoque ſi placet nuncios ad ſacerdotes & leuitas, quos vt
Deo conſecratos viros, minimè omnium contemni par eſt, [c] & ad quos in
primis pertinet iſta ſolennitas, quique vel maximè in ea nobis neceſſarij ſunt;
Non ignoratis ipſorum eſſe arcam deferre, & lege diuina cautum, ne quis cæ 1.
terorum eam auſit attingere, ſi quis contra faxit, capitale fore. Adhiben- 2.
da eſt pſalmorum & canticorum celebritas, nec fas eſt diuinum hoc pignus, aut
mouere loco, aut deferre per vias, aut deſtinato in loco collocare, niſi diuinis
laudibus vndique perſonantibus. Cantores ergo aduocandi ſunt nobis. Pluri- 3.
ma quoque ſacrificia offerenda ſunt, quæ nobis totique regno noſtro diuinum
concilient numen, propitiúmque reddant, & in populares epulas tranſeant, dandáque eſt opera, ne minus populo in præſenti celebritate diuina, quam nuper in regia, lætitiæ cauſa tribuatur. Inuitentur ergo omnes, etiam *qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus arcam* Dei *noſtri ad nos.*

XIII. Cur tantum dilata translatio.

Inconsvltvm quippe videtur atque indecorum quod quinquageſimum pene iam annum patimur eam in Cariathiarim, ſub læuitæ vnius cuſtodia, operimentis inuolutam reſidere; nullo cultu, nullis ſacrificiis, nullis ceremoniis honorari; arcam tabernaculo ſpoliatam eſſe, ſanctuarium & ſanctum ſanctorum oraculo vacuum atque inane, pene in contemptum, ac deſuetudinem abire. Non accuſo Samuelem Prophetam: nam vel dilationis huius authorem habuit Deum, vt eximius, ac Deo familiaris Propheta, vel inquieta belli tempora, & Philiſthæorum dominatu turbulenta ſanctum ſenem excuſarunt. De Saule nihil dico; meipſum potius, meique ſimiles accuſauerim, qui dum apud eum gratia, atque auctoritate valuimus, nunquam ei ſuggeſſimus, nunquam authores fuimus, vt ea vel ſuo tabernaculo reſtitueretur, vel alicubi honorificentius haberetur. Ab eo tempore domeſticis, atque inteſtinis republica turbata diſſidiis, non potuimus in vnum locum, eandémque ſententiam conuenire. Nunc quoniam diuina prouidentia factum eſt, vt aliquorum ſcelus in communem totius populi vtilitatem, concordiam, ſalutem verteretur, & Dominus ipſe Hieroſolymam in regni ſedem electam, etiam præſentia ſua cupit honorare, placetne ad translationem arcæ in eum locum, quem illi parauimus, tantiſper dum templum ei magnificum, Deo bene propitio, conſtruamus, vniuerſum populum conuocare?

X.V. *Conſentit tranſlationi populus.*

[a] ET *reſpondit vniuerſa multitudo, vt ita fieret, placuerat enim ſermo omni populo.* Qui enim Dauidem excitauerat, populum quoque ipſi conſentientem dedit. *Congregauit ergo Dauid cunctum Iſraël, à Sihor Aegypti*, id eſt fluuio, ſiue torrente, qui dicitur Ægypti, & Rhinocoruram alluit, & tribum Simeonis à meridie terminat; *vſque dum ingrediaris Emath*, oppidum ad radices Libani verſus Damaſcum in finibus tribus Nepthalim ad boream, quæ eſt tota longitudo Chananitidis. Omnes vbique moneri voluit, vt quicumque cuperent huic celebritati intereſſe, Hieroſolymam conuenirent. *Qui ei aſfuerint.* Ait autem Abulenſis [b] conueniſſe ad Dauidem 224. millia virorum, ex 1. Par. 13. ſed id textus hebræus, græcus, latinúſve non habent, nec apparet vnde ipſe id ſumpſerit. In ſecundo autem Regum legimus congregaſſe Dauidem omnes electos ex Iſraël, numero triginta millia. Quo in numero non continentur viri Iuda, de quibus mox dicitur. Surrexítque Dauid, & abiit, & vniuerſus populus, qui erat cum eo, de viris Iuda. Qui ſcilicet erant illi magis in promptu propter vicinitatem, & cognationem, in quem etiam numerum, minimè dubitauerim turmam viginti quatuor millium præſentis menſis referendam eſſe.

XV. *Veniunt ad collem Cariathiarim.*

ASCENDIT [c] ergo Dauid, & triginta millia electorum ex vndecim tribubus Iſraëlis, *& vniuerſus populus, qui erat cum eo de viris Iuda ad collem Cariathiarim, qui eſt in Iuda.* Explicat Scriptura locum 1. Reg. 7. vbi dictum eſt, arcam delatam fuiſſe in Cariathiarim, & inductam in domum Abinadab *in Gabaa*, docet enim Gabaa non eſſe nomen vrbis, vt viſum eſt nonnullis, ſed commune vocabulum ſignificans *excelſum*, ſiue vt hic explicatur, *collem.* Septuag. in dicto regum loco & rurſum 2. Reg. 6. v. 3. habent ἐν βουνῷ. Repetendum autem memoria, quod alibi diximus cum Caiet. & Abulenſi, Arcam Dei in Cariathiarim, quaſi in propriis ſedibus manſiſſe, à quo Philiſthæi plagis coacti eam reſtituerunt; quamuis enim aliquoties aliò delata in 1. Reg. legatur, ſemper tamen relata intelligitur in Cariathiarim, vnde nunc a Dauide in arcem Sionis adducitur. 2. Itum eſt ergo à Dauide cum populo ſuo, ad vrbem Cariathiarim, & in collem illius, in quo erat domus Abinadab, vt afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper Cherubim, ſiue ſuper propiciatorium, quod Cherubinorum alis inumbrabatur, & ab eiſdem ferebatur, vt fuſius in Exodo explicatur à Moſe. [d]

XVI. *Auſertur è domo Abinadab.*

CVM ventum eſſet in vrbem Cariathiarim, actum eſt de ſuſcepto negotio, non quidem cum Abinadabo, aut Eleazaro, quorum fidei Arca commiſſa fuerat, ab annis 49. Apparet enim vtrumque hoc tempore fuiſſe defunctum, cum neuter huic tranſlationi interfuiſſe memoretur; ſed tantum duo Abinadabi filij, vtique Eleazaro iuniores, quod ſentit quoque Serarius. Nec moror traditionem illam hebræorum, apud Hieronymum [e] vbi iuſſiſſe inquiunt Abinadabum duobus filiis ſuis Oza & Ahio, vt portarent arcam Domini humeris ſuis. His ergo qui in demortuorum curam, prouinciamque ſucceſſerant, cum regis decretum, totius populi conſenſu, in primíſque diuina voluntate firmatum innotuiſſet, de Arca Domini in Sionis arcem transferenda, ingemuerunt videlicet in eius theſauri iactura, cuius præſentia, multa, vt par eſt credere, felicitate fruebantur tanto præſertim tempore, cum Obededon ob arcam tribus menſibus cuſtoditam, multis bonis locupletatus fuerit. *Et plauſtro imponitur.* Quoniam tamen neceſſitati parendum erat, eam vt erat ſuis obuoluta velaminibus, vt habetur quarto Numerorum, [f] de loco ſuo cum reuerentia acceptam, impoſuerunt ſuper plauſtrum nouum, quod Oza & Ahio deducebant, ſic vt hic arcam bouéſque antecederet, ille ſequeretur.

XVII. *Non ſine culpa.*

QVA in re minime controuerſa eſt horum culpa, cum ea vnius ipſorum capitali animaduerſione punita fuerit; peccabant autem contra legem quæ ſtatuerat tam arcam, quam altaria, menſam, & candelabrum, cæteraque vaſa ſanctuarij humeris [g] Caathitarum ferri oportere, proptereáque annulos habebant affixos, quibus immiſſis vectibus, per deſertum circumferebantur; & cum cæteris leuitis data fuiſſent plauſtra [h], quibus reliqua tabernaculi ſupellex impoſita deueheretur, nulla data ſunt Caathitis, quod onera proprijs humeris portare ſolerent. *Cur id factum videatur.* Itaque cum poſtmodum ex domo Obededom eadem arca in domum Dauidis tranſlata eſt, non in plauſtro, ſed in humeris portata eſt. [i] Sed vnde eis in mentem venit, vt in plauſtrum nouum imponeretur? Nempe quoniam laboris pige-

a 1. Paral. 13 4.
1 ℞.
b 2. Reg. 6. q. 1. & in 1. Para. 13. poſt. q. 16.
c 2. Reg 6. 1. Par 13
2. ℞.
d Ex. 25. 17. & 37. 6. a. m 2544. n. 454.
e in 1. Par. c. 13.
f Num. 4. 5.
g Num. 4. 5.
h Num. 7. 9.
i 1. Par. 15. 15.

bat, didicerantque à Philiſthæis, dum redderetur, impunè impoſitam plauſtro nouo; quod notat quoque Theodoret. q. 20. & Procopius, & fortaſſis interpretabantur id præceptum ad tempora illa Moſaïca duntaxat pertinuiſſe: non dubitarunt Philiſtæorum exemplum imitari. Vtique parum feliciter, parumque ſapienter.

XVIII. *Nec poſſunt excuſari.*

a Toſt. 1. para. 13 q. 22. & 23. PHILISTHÆOS enim minimè obligabat Moſaïca lex,[a] in iis quæ ad ipſius ceremonias pertinebat, qualis erat arcę vectatio, geſtatioue; quę poſitiui iuris ſunt, non naturalis; adde quod eam ignorabant, & quamuis eius conſcij dicerentur, non habebant tamen apud ſe leuitas quibus eam prouinciam demandarent, vt
b q. 20. in 1. Reg. rectè notauit Theodoretus.[b] Huiuſmodi autem præcepta magis in Chananitide, quam in ſolitudine obligabant, in qua pleraque atque adeo ipſa circuncisio, de-
c 12. 8. 9. ſierant vſurpari. Quo pertinet illud Moſis, [c] *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur. Neq. enim vſq. ad præſens tempus veniſtis ad requiem, & poſſeſsionem, quam* Dominus *Deus veſter daturus eſt vobis.* Neque tamen aut Dauid, aut populus participes facti ſunt leuitici peccati. Neq. enim prohibere tenebantur, rati fortaſſe id eis DOMINUM nouo priuilegio indulſiſſe; aut certe eo confugiebant, non eſſe laici iuris, officijs ſacerdotibus, aut leuiticis immiſcere ſeſe. Abiatharis potius ea culpa fuit, ſi interfuit, & diſſimulauit Et forte Hebræi in illa traditione, quam paulo ante attigi, Abinadabum, parentem, pro Abiathare pontifice poſuerunt.

Cur non prohibuit à rege.

XIX. *Quis huius ordo pompæ, modúſve.*

QVIS porro huius ordo pompæ, modúſve fuerit à Scriptura explicatum non eſt. Fieri potuit vt Arca cum leuitis & ſacerdotibus antecederet, tum populus
d a. m. 2545 n. 121. & ſeqq. ſequeretur vniuerſus; quem morem in deſerto ſeruatum anno Moſis octogeſimo ſecundo docuimus; [d] idemque à Ioſue in tranſeundo Iordanem, Dei iuſſu ob-
e Ioſ. 3. 3. 6. & ca 4 11. ſeruatum eſt. [e] Potuit & populus omnis antecedere, & arca ſequi, nam in eodem Iordane, arca quæ anteceſſerat, in medio alueo ſtetit, dum populus omnis tranſiret; *cumque tranſiſſent omnes, tranſiuit & arca Domini* Potuit denique arca medium occupare locum, populus autem partim antecedere, partim ſequi, vt in obſidio-
f Ioſ. 6. 7. 13. ne Ierichuntis [f] factum eſt. Nam ſacerdotes *præcedebant arcam* Domini *ambulantes atque clangentes, & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, & buccinis perſonabat.* Quem ego pompæ modum vt decentiſſimum crediderim obſeruatum. Cum enim eſſet in medio, tam qui præibant, quam qui ſequebantur, ei magis præſentes erant, eiuſque quodammodo magis participes fiebant. Præcedebant ergo ſi placet, ſiue illa 30. millia electorum Iſraëlitarum, ſiue illa 24. millia turmæ, quæ apud Dauidem hoc menſe in armis erat. Inde ſequebatur Dauid, præcedebatque arcam. vt ait Ioſephus; ſic enim interpretatur illud
g vide Abul. 1. par. 13. q. 18. *coram Domino*, ſiue *ad facies Dei.* [g] Et cum eo plurimi viri primarij, tum ſequebatur plauſtrum cum arca, Ahio præcedente, & Oza ſubſequente: cum multa turba leuitarum, indéq. reliquum vulgus omnis ætatis, conditionis, ac ſexus.

XX. *Cantus Dauidis, ſacerdotum, Leuitarum, & totius populi.*

DE veſtimentis aut Dauidis, aut ſacerdotum, ac leuitarum, nihil in hac priore pompa à Scriptura notatum. Præcedebant nimirum induti ephod lineo, qui fere erat eorum in populo veſtitus. vt ſupra diximus [h] cum de cæde ſacer-
h an. m. 2974. n. 34. dotum diſſeruimus. Illud autem maximè notatum, quod præcipuam habebat lætitiæ ſignificationem. *Dauid autem, & omnis* Iſraël *ludebant coram* Domino, [i]
i 2. Reg. 6 5. & ✱χ. *in omnibus lignis fabrefactis* 3 omni ſcilicet genere muſicorum inſtrumentorum, *citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.* Adduntur in 1. Paral. [k]
k 1. par. 13. 8. tubæ ſiue corneæ, ſiue argenteæ. Eodemque modo habemus in obſidione Hierichumtina, non ſolum iubilæorum buccinas à ſacerdotibus inflatas, ſed
l Ioſ. 6. 6. 13. & vulgus ipſum, quod ſequebatur arcam, buccinis perſonuiſſe. [l] Adduntur & cantica, quæ leuitæ, quorum plerique cantores erant, ex officio decorè modulabantur; reliquus autem populus, ex deuotione, etiam ipſe cantica, pſalmoſque ingeminabat, & forte præcinentibus ſacerdotibus ac leuitis, ipſe ſonoris vocibus ſuccinebat, quo fere modo in eccleſiis vbique fieri videmus.

XXI. *Periclitatur arca, & ab Oſa ſuſtentatur.*

HACTENVS res bellè procedebat, & ſuccedebat ex animi ſentẽtia, cũ cõtigit nõ
4. ✱χ. modica turbatio. *Poſtquam* enim peruentum eſt *ad aream Nachon*, 4. *extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniã calcitrabant boues, & declinauerant eam*: vel tetendit

Oza manum ſuam, vt ſuſtentaret arcam: bos quippe laſciuiens paululum inclinauerat eam, vt eſt in lib. Paralip. [a] vocatur area Chidon, quo etiam modo vocatur à Ioſepho; [b] ex quo binominem fuiſſe apparet. Quo in vocabulo non infacetum eſt Hebræorum ingenium, apud Hieronymum, *Chidon*, [c] inquiunt, *interpretatur clypeus, traditur enim iſte locus eſſe vbi Ioſue ſtabat, quando dictum eſt ei, leua clypeum contra vrbem Hai.* At qui fieri id poteſt; cum eleuatio clypei facta fuerit prope vrbem Hai, [d] quæ recto itinere diſtet ab Ieruſalem ſex horarum itinere, iuxta topographiam Adrichomii, Ozæ autem percuſſio contigerit inter Ieruſalem & Cariathiarim. Cariathiarim vero in via recta ad vrbem Hai mediam fere habeat Ieruſalem? Prius autem & periculum vidit Oza, manumque adhibuit quam Achio, quia hic antecedebat; dirigendis bobus, ille ſequebatur periculo intentus.

a 1. c. 13. 9.
b l. 7. c. 14.
c in trad. Hebr. in 1. Par. 13.
d Ioſ. 8. 18

XXII. *Et diuinitus occiditur.*

Iratvsqve *eſt indignatione Dominus contra Ozan,* [e] *& percuſſit eum ſuper temeritate, eo quod tetigiſſet arcam, & mortuus eſt ibi coram Domino.* Terribilis eſt iſta cædes, & mirabilis cauſa eius. Nam tetigiſſe arcam, & tenuiſſe in tanto periculo, merito potius, & pietati, quam culpæ adſcribendum videbatur. Vt ſi quis non ſacerdos cadentem in terram ſanctiſſimam Euchariſtiam, manu excipiat, ne cadat. Itaq; exiſtimat Toſtatus [f] Ozam ſine reuerentia arcam tenuiſſe, idque ſignificari, eo quod dicatur, *ſuper temeritate percuſſus.* Hebræi referunt eam temeritatem ad immunditiam, quam contraxerat, propter quam eo die inhabilis erat ad res ſacras attingendas. Verum iſte ſtatus, ſi abſit irreuerentia, in culpa non erat, ſuperueniente neceſſitate, attingerant enim Arcam duo fratres, cum eam plauſtro impoſuerunt, nec tamen à Domino percuſſi ſunt. Alii aiunt attigiſſe eam nudam, ideoque incurriſſe eam pœnam, quam Dominus comminatus fuerat Caathitis, ſi eam viderent priuſquam obuoluta eſſet opera ſacerdotum; idque putat Serar. At eam nuditatem probare ipſi non poſſunt: & quamuis concederetur, non ſolus Oza qui tetigerat: ſed circumfuſus populus, qui eam ſic viderat, morte mulctatus eſſet, ſicut contigit Bethſamitis. [g]

Qua ex cauſa, an quod temere tacta.

e 1 Par. 13. 10. & 2. Reg. 6. 7.
f an David 11. n. 2.
g l. 1. Reg. 6. 19.

XXIII. *An potius quod impoſita plauſtro.*

Commvnis ſententia eſt, cauſam huius cædis fuiſſe eam culpam, quæ admiſſa eſt, in arca imponenda in plauſtro, cum Leuitarum humeris deferenda eſſet. Idque Dauid ipſe agnouit, ac profeſſus eſt, cum arca ex domo Obededom delata eſt Hieroſolymam. [h] Id clare agnoſcit Sanctus Hieronymus in tradit. [i] *Iuſſerat*, inquit, *Abinadab duobus filiis ſuis Oza & Ahio, vt portarent arcam Domini humeris ſuis. Et quia neque ipſi eam portauerunt, neque Caathitis ad portandum dederunt, idcirco Oza multatus eſt morte: fuit enim peccatum in non portando, in ſuſtinendo arcam, iam pœna peccati.* Et paulo poſt. *Ignorabat Dauid ob quam cauſam indignatio Dei veniſſet in Ozã Poſtquam vero cognouit cauſam, pro qua Oza percuſſus eſt, iuſſit eam portari in humeris, ſicut ſequentia demonſtrant.* Hæc ibi, & ad Sabinianum breuius. *Oza leuites arcam Domini, quam portare ipſe debuerat, quaſi ruentem ſuſtentare voluit, & percuſſus eſt, quid de te futurum eſt, qui ſtantem arcam Domini præcipitare conatus es?* Theodoretus autem. [k] *Sed neque luit pœnas*, inquit, *propter temeritatem; inclinato enim plauſtro manu eam tulerunt in plauſtro.* Et infra *Ozan autem, cum eſſet leuita, & legem ſciret, Dei iram eſt expertus, quod eam temere plauſtro impoſuerit. Quamobrem euertebatur quidem plauſtrum, ille autem cauſam non intelligens, ſed ſe opem laturum ſperans, extremas dedit pœnas.* Eadem pene habet Procopius.

Ex Hieronymo.

Theodoreto.

Procopio.

h 1. Par. 15. 2. 14. 15.
i in c. 13. 1. Paral.
k q. 20. in 2. Reg.

XXIV *Caietano, & Lyrano.*

Explicativs paulo Caiet. ait Deum diſtuliſſe punire peccatum, donec effectus peccati palam fieret, peccatum enim commiſſum fuiſſe, cum arca plauſtro impoſita eſt, a bobus traheretur, cum eam leuitæ, ex lege Domini, humeris portare tenerentur. *Sed diſtulit*, inquit, *Deus punitionem, vſque ad ſenſibilem effectum peccati, quando ſcilicet arca inclinari cæpit, & adire periculum cadendi in terram, ob quod vitandum: ſicut & ad maiorem eius honorem, humeris portari voluerat.* [l] Hæc Caiet. quibus ſimilia habet Lyranus. Itaque illud, *eo quod tetigiſſet arcam*, interpretantur, eo quod temeritate ſua veniſſet in neceſſitatem tangendi arcam. At inquies, ſi tetigiſſe culpa non fuit ſed arcam plauſtro impoſuiſſe, quare ſolus Oza mortuus eſt, cum non ſolus, ſed cum fratre id fecerit? Reſpondet Lyranus, Ozam huius conſilii authorem fuiſſe, ideoque grauius deliquiſſe. Abulenſis autem exiſtimat etiam alterum fratrem, & alios, qui forte illius conſilii fuere participes, in alias

Cur ſolus Oza occiſus.

l Num. 4. & 7.

etiam peccandi occaſiones incidiſſe, ac ſecreta morte affectos eſſe; primum autem punitum Ozam, quod eius culpa populo publice innotuiſſet; & hanc præ illis animaduerſionem fuiſſe narratam; quod ad pertexandam ſequentem narrationem neceſſaria ſit.

XXV. *Et quo genere mortis.*

Qvoniam vero mortis genere affectus fuerit Oza, non ſatis conſtat. Hebræi,[a] vt appareret pœnæ quædam cum culpa proportio, tradiderunt aruiſſe brachiũ eius & humerum, vbi arca Domini portanda erat, & ſic factam eſſe in eius corpore diuiſionem, quæ in Scriptura memoratur. Verum diuiſionem pro morte ſimpliciter accipi hebraica dialecto probabilius eſt: etenim quæ diuiſio dicitur in I. Paral. in I. Regum percuſſio appellatur; ſicut cum ſuperius dicebat Dauid, diuiſſe Dominum inimicos ipſius coram ſe, nimirum occidiſſe. Author mirabilium ſacræ ſcripturæ [b] eum ſuffocatum fuiſſe ſcribit. Abulenſis [c] ait externa quapiam affectum plaga, vt euidentius appareret non naturali aliquo caſu, ſed ſupernaturali eum Dei, neglectum ceremoniarum ſuarum vlciſcentis, percuſſione concidiſſe: ſicque maior omnibus incuteretur timor; Significat Scriptura ſubitam fuiſſe mortem, cum ait, *qui mortuus eſt ibi coram Domino, iuxta arcam Dei.* Aperte Ioſephi, interpres ait in veſtigio expiraſſe, [d] ipſe [illegible]. Idque conueniebat diuinæ conſuetudini: ſic enim mortui ſunt filii Aaronis Nadab & Abiu, [e] ita exploratores, [f] ita ſeditioſi in ſeditione Core, ita Maria ſoror Moſis, lepra ſubito percuſſa eſt, ſicut & Ozias aliique non pauci, ſubita clade affecti ſunt.

a apud Hieron. in trad. Hebr.
b apud Aug. to. 3. l. 2. c. 12.
c 1. Par. 13 q. 29. & 30.
d l. 7. ant. c. 4.
e leuit. 10.
f Num 14. 16. &c.
g q. 29. in c. 13.

XXVI. *In igne diuino.*

Existimat etiam Abulenſis [g] Ozam immiſſo diuinitus igne occubuiſſe, quod hoc maxime mortis genere Dominus vteretur, in punienda violatione rituum diuinorum; id appertiſſimum eſt in Nadab & Abiu ignem alienum vſurpantibus, & in ducentis & 50. leuitis, qui offerebant incenſum, ſacerdotali ſibi munere arrogato. [h] Idem mox in 14. millibus & ſeptingentis, contra Moyſem & Aaronem murmurantibus contigit. Idem in iis, qui ob laborem itineris contra eoſdem obloquebantur. [i] Verum cum nulla ſit in Scriptura ignis mentio, alterutro in loco, in quo hæc narratur hiſtoria, nec eius occaſionem præſens celebritas offerat, vt in ſupradictis ſacerdotibus, ac leuitis, nec alius quiſquam, quod ſciam, ita ſenſerit, ſatis eſt dicere eum, in ipſo arcæ contactu, linguente animo concidiſſe, nec videtur ignis pro arbitrio accerſendus.

h Num. 16. 35.
i Num. 11. 1.2.

XXVII *An perierit Oza.*

Nec tamen arbitror improbandum, quod idem doctor de hominis huius æterna ſalute ſuſpicatur; idque multo eſt probabilius in noſtra, quam in ipſius ſententia, arbitrantis peccatum Ozæ in ipſo arcæ tactu admiſſum fuiſſe, in quo licet illico corruerit mortuus, non tamen in eodem inſtanti, & interea potuerit conteri. At nos qui peccatum putamus anteceſſiſſe, & admiſſum arca in curru imponenda, facile inuenimus tempus in quo dolere potuerit, cum ſcilicet agnouit periculum grauiſſimi ſcandali, in quod ſe coniecerat, ſi arca in terram coram populo corruiſſet. Itaque cum Dominus tam ſeuera hominem pœna caſtigare ſtatuiſſet, & ea quæ culpæ magnitudini facile reſponderet; ſub ipſum pœnę tempus ſpiritum illi contritionis infudit, ne mors, quam ſtatim erat illaturus, ſuperueniens, hominem in ærumnas coniiceret ſempiternas: quæ eſt eiuſdem Toſtati [k] Angelomi, Dionyſii ſententia: imo & Hieronymi, cuius eſt hæc oratio. [l] *Si quis autem punitus ſit, vt ille in lege qui Iſraelitis maledixerat, & qui in ſabbato ligna collegerat, tales poſtea non puniri, quia culpa leuis præſenti ſupplicio compenſata ſit.* Sic ipſe: cum paulo ante dixiſſet, grauiora peccata, tam præſentibus, quam futuris magnis ac diuturnis elui cruciatibus; in purgatorio ſcilicet carcere, nam in gehenna nunquam eluuntur. 5.

Non videri.

Ex Hieronymo.

k 1. par. 13. q. 31.
l in c. 1. Nahum.

5. ex.

XXVIII *Contriſtatur Dauid.*

6. ex. Contristatvs *eſt autem Dauid, eo quod percuſiſſet Dominus Ozam, & vocatum eſt nomen loci illius percuſſio Ozæ, vſque in diem hanc;* qua ſcilicet ſcribebatur hic liber. 6

Quidni autem contriſtaretur, commiſeratione tactus aduerſus Ozam, tam leui, vt videbatur, de cauſa, repentina morte ſublatum, in negotio ipſius voluntate ſuſcepto? præſertim ſi ſuſpicabatur eum & animo & corpore periiſſe. 1. 2.

m c. 30. v. 31. Contriſtatus eſt totius populi conturbatione, qui merito potuit hoc tempore, antiquum illud Iobi vſurpare, [m] *verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Contriſtatus eſt ob violatas diuiæ legis ceremonias, quas Deo 3.

tiens biberet, vt exercitus ſitim tolerare diſceret, vt ait gloſſa quædam. [a] & habetur apud Eucherium.

XXXVII *Ædificia Dauidis cōſtruuntur.*

ET de hoc quidem anno hactenus. Etſi enim hæc tempore meſſis contigerunt, vt Scriptura ipſa teſtatur, [b] quod pertinet ad vehementius commendandam Dauidis calore æſtuantis abſtinentiam; quid tamen reliquo anno geſtum fuerit non inuenio; niſi quod in ciuitate DAVID, & monte SION ædificia murorum, & regiæ Dauidis diligenter promota fuerunt, vel forte vrgentibus præſentium bellorum periculis, abſoluta: Id ſi verum eſt, vt eſt certe probabile, ad hunc annum pertinebit Pſalm. 29. [c] qui Hebræis trigeſimus eſt, qui ex titulo ipſo confectus perhibetur in dedicatione domus Dauid, illius ſcilicet cedrinæ, quam Tyrij artifices conſtruebant; [d] fuiſſe autem huiuſmodi dedicationes in vſu apud Hebr. lex ipſa Moſaïca haud obſcure ſignificat. [e] *Quis eſt homo*, inquit, *qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat & reuertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam.* Id erat eam offerre Domino, & orare vt eam, & omnes habitantes in ea cuſtodire dignaretur, iuxta illud quod quotidie precatur Eccleſia. *Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle, Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant*, &c. Et hunc Pſalmum de hac Dauidis domo interpretantur. S. Thomas, Ianſenius, Bellarminus, Flamin. Vatabl. Lorinus, [f] & apud eum alij.

Domus cedrina dedicatur cum Pſal. 29.

XXXIIX *Dauidis morbus.*

EORVNDEM fere ſententia eſt Dauidem hoc tempore graui morbo tentatum fuiſſe, & ſub eandem domus ſuæ dedicationem ſanitati fuiſſe reſtitutum; eaque de cauſa gratias liberatori ſuo ſtudioſius agere, vt totus ipſe Pſalmum apertè loquitur, nulla facta mentione dedicationis, de qua eſt titulus ipſe in omnibus linguis. Voluit nimirum Dominus DAVIDEM tot victoriis, tot coniugiis, tot ædificiis, tot ſubditis auctum; tanto imperio, tantiſque diuitiis exaltatum, omnibus denique rebus ad nutum fluentibus exultantem, à ſuperbia prohibere, & in officio pij ac moderati hominis contineri. Quo libenter retulerim illud pſalmi huius. *Ego autem dixi in abundantia mea non mouebor in æternum*; & quidem ſine ſuperbia: agnoſcebat quippe in his omnibus diuinæ beneficentiæ largitatem, dicebatque, *Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* Prouidit tamen Dominus ne quà vanitas pro conditione humanæ infirmitatis obreperet. Itaque hominem graui, ac periculoſo morbo lecto affixit, vt illa verba declarant, *Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.* Erat autem in ægritudine eius oratio, *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam?* Angebat etiam eum illa cura, ne Philiſthæi, aut ſi qui forte ex Iebuſæis ſupererant, morte ipſius gaudio triumpharent, quaſi contrito baculo, quo afflicti fuerant, atque contriti. Itaque id poſuit in capite cantici ſui. *Exaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.* Qui quem ferro ipſi perdere non potuerant, morbo è viuis auferri cupiebant.

...cur immiſſus.

a 1. Reg. c. 11.
b 2. Reg. 23. 13.
c Pſal. 29.
d 2. Reg. 5. 11.
e Deut. 20. 5.
f in eum Pſalm. in 8. ſent.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2988. DAVIDIS 9.

1 Num IV. Senſus literalis.

CVM Rempub. florere dicimus, etſi ipſum florere arborum eſſe, plantarumque intelligimus, eiſque primum ac proprie conuenire; de Reipub. tamen optimo ſtatu, idem iucundius, ac ſignificantius accipimus. Et quidem vtrumque in literali ſenſu, quando illum vnum profanæ ſcriptiones agnoſcunt. Vnde omnino conſequens eſt figuratas locutiones in Scriptura ſacra literalem ſenſum, ſiue hiſtoricum minime excludere, quæ ne ab euangelijs quidem abſunt. Imo ne diu quidem loqui ſine iis poſſumus. Num ſine tropo Herodes vulpes dicitur, aut Ioannes & Elias angeli? aut mercenarius portat pondus diei, & habet oculum nequam? Num Dominus aut apoſtoli ſine figura calicem bibunt, aut Chriſtus ſedet ad dexteram patris? ſed de his ſatis.

2 Nu. XXII. Idola.

S. Hieronymus in tradit. Hebr. in l. 2. Reg. c. 5. eademque repetit ex eo Angelomus. *In Hebræo non pyrorum, ſed flentium legitur. Ex aduerſo itaque flentium eum venire iubet, hoc eſt ex aduerſo idolorum ſuorum, vbi ſcilicet idola eorum erant, in quibus confidebant. Quæ idola idcirco flentium vocantur, quia fletu digna ſunt, & eos qui ea colunt, ad fletum miſeriarum perducunt. Flentium itaque eorum idola, ob blaſphemiam hic ſermo diuinus vocat, ſicut alibi vocatur idolum Moab, contaminatio Moab. Et cum audieris ſonitum gradientis in cacumine flentium; hoc eſt cum audieris poteſtatibus angelicis, eorum idola, in quibus omnis fortitudo eorum eſt, conteri & conculcari, tunc inibis prælium; quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthum. In eorum namque idolis Dominus iudicia fecit, ſicut & in diis Ægyptiorũ.* Sic Hieronymus ex Hebræis, qui durius vtique flentes idola interpretantur: præterquam quod merito quis illis obiiciat idolorum confractionem & cladem in priore prælio à Scriptura poni, non in poſteriore; & docendum eſſet idola rurſum ad prælium fuiſſe allata; ſed nimirum hic moralis eſt ſenſus, non ſatis adhærens literæ, cum ænigmatica idolorum interpretatione.

Idolum lacrymarum.

Aliam quoque ſuggerit huius loci expoſitionem S. Hieron. in tradit. in c. 14. l. 1. Par. *Tradunt,* inquit, *Philiſthæos idolum habuiſſe, cui in lacrymis hominum ſacrificium parabatur. Huic illi more ſuo lacrymis ſacrificabant. Et eis ex aduerſo venit David, in quorum capitibus iam furor Domini ſæuiebat, quando ad eos ventum eſt. Ideo timuerunt gentes David propter idolum deſtructum, cui humanis lacrymis ſacrificabatur.* Sed hæc inania eſſe rabinorum commenta, & aniles fabulas ſatis agnoſcis lector, quibus nihil felicius contingere potuit, quam vt eas Hieronymus referre dignaretur; cui aliam etiam gratiam debent, quod ea excutere, & refutare neglexerit.

Legit fortaſſe Theodoretum Gregorius; aut in eadem veſtigia necopinantes incurrerunt, vterque certe circa tempus hiſtoriæ idẽ ſenſerunt, propter ſeriem narrationis ſcripturæ. *Quantum,* inquit, q. 45. *profuerit caſtigatio, docet hiſtoria. Cum enim didiciſſet experientia, quantas calamitates conciliet cupiditas, frigidam quidem aquam appetut, recordatus eſt autem eius, quæ erat in Bethlehem. Tres autem ex iis, qui ſe ſtrenue gerere conſueuerant in præliis alienigenarum, qui caſtra metati erant circa Bethlehem.* Scriptura ibi ſtationem habuiſſe ſcribit, non caſtra; ſed nimirum ſequitur Ioſephum, qui l. 7. c. 10. ait Philiſthæos cum exercitu vſque ad vrbẽ Hieroſolymorum acceſſiſſe, à qua tamen non parum diſtabat vallis Raphaim, ſi quid Adrichomio credimus, qui eã ad occaſum Ieruſalem collocat, non ad Septentrionalem plagã cum Hieron. in locis Hebr. ſed redeamus ad Theodoretum. *Tres ergo magno ſtudio contenderunt, vt afferrent aquam etiamſi rex non iuſſiſſet, quam cum medium pertranſeuntes hoſtium exercitum quam citiſſime hauſiſſent, reuerſi ſunt, nullo ex alienigenis aggreſſo eos inuadere, timuerunt enim ſummam eorum audaciam, Sed rex longe optimus non induxit in animum, vt illius quam deſiderabat aquæ fieret particeps, ſed pia conſideratione ſuperauit cupiditatem: eam enim nominauit ſanguinem eorum qui attulerant. quoniam cum regis curam ſuæ ſaluti prætuliſſent, magno impetu periculum adeuntes ruperunt hoſtium aciem, & ſeruati ſunt præter opinionem à ſuperis. Tantum obtulit ſtudium in Deum qui ſeruauerat, & ad tantam philoſophiam cum deduxit diſciplina.* quod ſcilicet caſtigatus fuiſſet ob culpam cum Berſabæa, vt clarius tradidit Gregor. 3 N. XXIX

4 N. XXXV Secunda trias fortium.

Hieron. in trad. in c. 23. 2. Reg. *Tres iſti fuerunt,* inquit, *Abiſai filius Sarui&, & Sibbachai vſathites, & Ionathan filius Semmaa fratris David.* Idque confirmat in c. 11. 1. Paral. Eadem habet Angelomus, in c. 23. 2. Reg. ſed vbi legitur apud ipſum, *& ſub hoc Hai,* corrige & lege *Sobbochai,* vel vt habet Sanctus Hieron. *Sibbachai* vel vt eſt in editione vulgata in 1. Paral. 11. 29. Sobbochai huſatites. Ioſephus autem l. 7. c. 10. primam triadem vtique numerare voluit, ſed nomina non parum inflexit ad græcum modum *Primus,* inquit, *Iſſamas filius Achemai: poſt hunc Eleazarus filius Dodeia,* in Hebræo 2. Reg. 23. 9. eſt filius Dodo, quod Hieronymus in vulgata vertit, *filius patrui eius. Tertius erat Sebas Ili filius,* quem ſcriptura vocat Samma filium Age 2. Reg. 23. 11. nec dubium eundem intelligi a Ioſepho, vt res ab eo geſta tam in ſcriptura, quam apud Ioſephum indicat.

ANNVS MVNDI 2989. DILVVII 1333. QVINTÆ ÆTATIS 50. EXITVS ET DATÆ LEGIS 446. ARCÆ IN CARIAT. 49. & VLT. DAVIDIS REGIS 10. ABIATHARIS PONT. 15. TROIÆ EXCISÆ 118. DERCYLLI 39. IMPERII ASSYRIORVM. 1058.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1064.

I. *Confirmatio Dauidis in regno.*

DEvictis gemino bello Philiſthæis, euulgatum eſt nomen Dauidis in vniuerſis regionibus circumpoſitis, & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes, vt ſuperius ex 1. Paralip. diximus, [a] quæ ad hunc quoque annum pertinent: ſicut & illa. [b] *Et ingrediebatur proficiens, atque ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.* Et paulo poſt: *Et cognouit Dauid quoniam confirmaſſet eum Dominus regem ſuper Iſrael, & quoniam exaltaſſet regnum eius ſuper populum ſuum Iſrael.* Quidni enim? domi ſuorum beneuolentia fruebatur, foris tum cæteri populi vicini, tum inimici eius iterata fracti clade quieſcebant. Cæterum vt ſuos ſibi magis magiſque deuinciret, affinitatem cum multis, tam vxorum quam concubinarum multiplicatione contraxit, ex quibus plurimos ſuſcepiſſe liberos proditum eſt. [c] Qua in re minime peccaſſe putandus eſt cum eas Dominus ipſe illi in domum dediſſe videatur. [d] Neque vſquam ea de cauſa reprehenſus fuerit. Accepit autem vtraſque ait Caiet. non ſolum ad multiplicandum ſemen ſuum, ſed etiam ad affinitatis vinculo vinciendum ſibi multos ex Hieruſalem ciuitate recens electa ad ſedem regiam.

a ca. 14. 17. an Dauid 9 n. 14.
b 2. Reg. 5. 10. 12.
c 2. Reg 5. 13. 14. & 1 Paral. 3. 5 & ſeqq.
d 2. Reg. 12 8.

II. *Filij Dauidis.*

NEque tamen exiſtimandum eſt, vno eodemque anno omnes acceptas fuiſſe, ſed paulatim, & pro bona occaſione. Cuius rei ſatis firmum illud eſt argumentum, quod qui primi quatuor recenſentur eius filij in ſecundo Regum, [e] in primo Paralipom. [f] filij Bethſabee dicuntur: quam tamen ante annos 7. ductam non fuiſſe ſatis conſtat. Fieri poteſt vt alias vxores ante eam duxerit, eius tamen filij propter hæredem regni Salomonem, primi honoris ergo nominentur inter eos, qui Hieroſolymis nati ſunt. In quibus illud eſt non parum controuerſum inter ſcriptores eruditos, neque à nobis ſilentio prætereundum, vtrum tres illi primi filij Bethſabee fuerint filij Vriæ, adoptati à Dauide, an vero filij Dauidis, ab eoq; geniti. Qua de re fuſe diſputant Pineda noſter in Salomone ſuo, [g] Torniellus, [h] Abulenſis, [i] Salazar in c. 4. Prouerb. & alij eius loci interpretes: Baradius item, Salmeron, & Galatinus, &c.

e ca. 5. v. 14 & 1. Par. 14. 4.
f ca. 3. v. 5.

III. *4 filij Bethſabeæ, an & Dauidis?*

DIcendum breuiter probabile videri Samua, & Sobab, & Nathan filios fuiſſe Bethſabee, ex Vria priore marito. Ita cenſent Abulenſ. [k] Lyranus, & Vatablus. Torniellus loco citato, Hugo Card. [l] nec diſplicet Salmeroni. [m] Probatur autem, quia ſi Dauid multos ex Bethſabea liberos ſuſcepiſſet, cum primus eorum omiſſo paruulo innominato, qui ex adulterio natus eſt, fuerit Salomon, tam naturæ ordine, [n] quam regiæ ſucceſſionis dignitate, primus vtique nominatus fuiſſet in filiis Bethſabææ, non poſtremus. Ordinem enim natiuitatis à Scriptura ſeruari ex vtroque loco [o] in quo numerantur filij Dauidis intelligi poteſt, vtrobique enim Amnon tanquam primogenitus, primus cenſetur, tum Daniel ſiue Cheleab. Tertius Abſalon, & ita deinceps. Cum ergo tres illi priore loco nominentur, priores nati fuerint: non ex Dauide, qui ex Bethſabæa primũ ſuſcepit infantulum illum innominatum, tum Salomonem; ergo ex Vria, cuius filios propterea Dauid adoptione fecit ſuos, quod ſic reparabat iniuriam factam patri. Cum enim, eius vxore corrupta, filium ei affingere ſtuduiſſet ignaro, ipſe ſciens prudenſque eius filios ſibi per adoptionem attribuit: reparauit & factam

g l. 1. c. 8.
h a m. 1987 n. 5.
i in cap 3. 1 Paral. q. 4.
k in cap. 3. 1. Paral.
l in cap. 5. 2 Reg.
m Tract. 25 in tom 3.
n vt conſt ex 2. Reg. 12 24.
o 2. Reg. 3. 2. & 1. Par 3. 1.

filiis iniuriam, quibus patrem ſuſtuliſſet, dando illis pro priuato homine parentem regem. Denique ſic plurimum dilectæ Bethſabææ gratificabatur, cuius Salomon dicitur vnigenitus.[a]

a Prou. 4. 3.

IV. *Ita videri.*

Probabilior nihilominus eſt ſententia tres illos, & inſuper Salomonem, à Dauide, & Bethſabæa genitos fuiſſe. Clariſſima eſt enim Scripturæ id affirmantis oratio.[b] *Porro in Ieruſalem*, inquit, *nati ſunt ei*, Dauidi ſcilicet *filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Bethſabæe filia Ammiel.* Quomodo nati ſunt Dauidi quatuor, ſi tres eorum nati ſunt Vriæ? magna profecto vocem abuſio admitteretur, ſi pro vno qui natus eſſet reuera Dauidi, quatuor ei nati dicerentur. Retenta igitur ſimplici ſignificatione verborum, nec violenta interpretatione obſcurata, dicendi ſunt omnes filij Dauidis naturales, ab eóque geniti. Deinde ſi Nathan non fuit verus Dauidis filius, ſed adoptiuus; verus autem Vriæ, non recte vtiq. à D. Luca per ipſum Nathan generatio Chriſti ad Dauidem duceretur, quippe qui Dauidis non fuerit, ſed Vriæ. Nec ſane video quomodo hic locũ habeant legales filij aut parentes, quo confugit Torniellus, cum filij dicantur eius, cui defuncto ſine liberis, ſuſcitati ſunt à fratre. Nam Dauid non erat frater Vriæ, neque Vrias Dauidis, vt alter alteri filios ſuſcitaſſe dicatur; & filius per patruum reducitur ad eundem auum: quod hic locum habere non poteſt; Vrias enim non fuit filius Ieſſe. Deniq; per legem ſuſcitandi ſeminis, dantur filij mortuo, & eius appellantur; hic mortuus dat filios viuo, & appellantur eius filij, puta Dauidis.

b 1. Par. 3. 5.

V. *Confirmatur.*

Eximia etiam Bethſabææ pulchritudo, quando eam rex adamauit, ſuperiori ſententiæ repugnare videtur, vt notauit Pineda. Si enim tot ex viro ſuo filios iam ſuſcepiſſet, vt de filiabus nihil dicam, inſignis illa forma iam defloruiſſet, minuſque amabilis ei viſa fuiſſet, cui iam abunde vxorum erat, & concubinarum. Hãc ſententiam probant quicumque volunt Nathan fuiſſe fratrem naturalem Salomonis, quorum plurimos numerat Pineda[c]. Eadem eſt enim cæterorum duorum ratio: & qui volunt natum Salomonem quadriennio poſt adulterium Dauidis. Eiuſdem ſententiæ ſectatores ſunt Theodoretus & Procop. in 1. Paral. & ille idem Pineda. Et Salazar in c. 4. Prouerb. & ibidem Bainus, Ioan. Arboreus, Ianſenius, Caietanus, Clitouæus in Damaſcenum[d] Salmeron[e] Baradius[f] addunt & Annij Philonem biblicum, & ſi quos alios. Quod ad illum autem ordinem filiorum Dauidis, in quo eſt robur præcedentis ſententiæ, ſentit Salazar, hoc ipſo quod non numeratur quotus quiſque fuerit inter filios Dauidis natos Hieroſolymis, ſicut inter natos Hebrone, ſignificari promiſcue nominatos fuiſſe, neque ordinem natiuitatis ſeruatum: putatque filios Dauidis natos Hieroſolymis ordine conuerſo fuiſſe numeratos; vt primus fuerit Eliphaleth, tum Eliada, & Eliſama, & ita conſequenter, ſicq. fieri vt Salomon ſit primogenitus quatuor filiorum Bethſabee, & vt tarde ab eodem genitus, valde iuuenis ei in regno ſucceſſerit. Certe inuerſi ordinis in enumeratione ſeruati, præbet exemplum S. Lucas in genealogia Saluatoris, & Moyſes in filiis Thare. vt alibi docuimus.[g]

c l. 1. c. 8. n. 3. & l. 7. ca. 6. Codom. Caluiſ. Heluic.
d l. 4. c. 15.
e tract. 28 tomi 3.
f to. 1. lib. 5. c. 9.

Refellitur negans opinio.

g to. 1. an. m. 1979. n. 3. 4. 5.

VI. *Salomon an, & quomodo vnigenitus.*

Ratio autem ex adoptione petita, quam Abul. & Torniel. afferunt, ſupponit quod eſt in quæſtione, docetque quare factum ſit, quod probandum eſt factum fuiſſe. Quod autem Salomon vnigenitum ſe dicit coram matre ſua, non eſſe rigidè accipiendum clare docet Hiſtoria. 2. Reg. 12. quæ habet Bethſabæam ante Salomonem genuiſſe filium adulterinum, qui præmature mortuus nomine caruit; Itaque paſſim omnes vnigenitum interpretãtur vnice dilectum, quo modo diligi ſolent vnigeniti: quam phraſim inuenies in Scriptura frequentatam.[h] Eamque expoſitionem confirmat textus hebræus, qui habet vnicum ad facies matris, & græcus, qui non habet μονογενῆ, ſed ἀγαπώμενον ἐν προσώπῳ μητρός *dilectus in facie matris*, vel coram matre. Fortè, inquit Barad.[i] alij filij traditi ſunt nutricibus alendi extra domum, & conſpectum matris; Salomon autem vel ab ipſa matre, cui erat chariſſimus, vel coram ipſa nutritus eſt. Salazar vnigenitum interpretatur primogenitum, ſiue quia primogenitus aliquando pro vnigenito vſurpatur, vt cum B. Virgo dicitur peperiſſe filium ſuum primogenitum: ſiue quia reuera Salomon primogenitus fuit omnium filiorum Bethſabææ, qui fuere ſuperſtites. Sed ad alia huius temporis magis propria tranſeamus.

h Geneſ. 22. 2. 12. Ierem. 6. 26 Amos. 8. 10 Zachar. 12. 10.
i to. 1. l. 5. c. 9.

VII. *Annus vltimus in Cariath.*

Vocavimvs præſentem annum quadrageſimum nonum & vltimum commo-

rationis arcæ fœderis in Cariathiarim, quod eo putemus delatam in arcem Sion.
Abulenſis quidem in 1. Regum [a] exiſtimat Dauidem tranſtuliſſe arcam in ciui-
tatem ſuam illo ipſo anno quo factus eſt rex ſuper vniuerſum Iſraëlem: ſed mora
aliqua neceſſario admittenda eſt in expugnandis Iebuſæis, & in gemino bello
contra Philiſthæos conficiendo; adde ædificationem Sionis, & Dauidicæ regiæ;
in qua etiam paratus eſt locus, & tabernaculum nouum ad collocandam Arcam
Domini, quæ facile duos annos tenuerunt. Adeo vt proptetea Torniellus hanc
tranſlationem in annum Dauidici regni vndecimum differendam putarit. Ego
præſentem malui, tum quia duo anni proximè elapſi prædictis rebus conficien-
dis ſufficere videntur, tum quia videtur Dauid anni ſabbatici occaſionẽ captaſſe,
qui in præſentem annum cadit, qui eſt ordine octauus ſupra quinquageſimum.
Ann. Sabbat. 58. Qui cum primo die ſeptimi menſis inchoaretur; [b] rectè opinor reliquum annum
dabimus conſultationi, & congregationi populi, & tribus menſibus moræ eiuſ-
dem arcæ in domo Obededom; vt proximus annus, ab ipſo ſui initio, ſit primus
arcæ in Sion, ſicque rurſum in eadem epocha cum Torniello conueniemus, à qua
minimùm abſunt cæteri chronologi, qui hanc tranſlationem notarunt.

VIII. *Cur arca Domini tranſlata.*

Exigit itaque pietas, & ſapientia Dauidis, vt debellatis iis hoſtibus, qui regnũ
ipſius, in cunabulis poſito, interitum afferre moliebantur, monte & Sionis arce
communitis, & palatio regio cum tabernaculo ad accipiendam Arcam Moſis
exædificato, de ea quamprimum Hieroſolymam deportanda cogitaſſe dicamus.
1. Id enim & ad ſtabiliendam totius populi religionem valebat, cum videret Ar-
cam Domini, quæ erat religioſiſſimum pietatis monimentum, & primarium diui-
ni cultus obiectum, regi eſſe chariſſimam, ſic vt eam vellet honorificentius col-
locare, & apud ſe præſentem habere, vt crebro apud eam Deum precibus exo-
2. raret, cuius exemplum populus facile eſſet imitaturus. Valebat & ad implendum
diuinum præceptum de certo loco, in quo deinceps conſtanter apud Hebræos
3. Dominus coleretur. Valebat & ad nobilitandam regiam ciuitatem, ad quam &
regis, & religionis cauſa, tum ſponte, tum etiam ex præcepto diuino, populus
vniuerſus crebro eſſet venturus. Hanc porro mentem Dauidi à Deo datam, ea
4. verba ſatis oſtendunt. [c] *Si placet vobis, & à domino Deo noſtro egreditur ſermo quem lo-
quor.* Deus enim loquitur per ora prophetarum ſuorum, in quibus non poſtre-
mus Dauid.

IX. *Conſulit maiores natu è ſuis, & cur.*

1. Nihilominvs Dauid vt doceret nos humanæ prudentiæ vias non ſpernere,
voluit eodem inſpirante Domino optimatum ſuorum conſilium exquirere, vt
Dei ſuper ea re voluntas ſuauius executioni mandaretur. Cum enim vellet Da-
uid magnificè fieri tranſlationem iſtam, & à multa populi frequentia celebrari,
conueniebat rem cum principibus populi, à quibus ille pendebat communicari,
vt iſtis approbantibus illi non grauatè conuenirent, quod publicæ lætitiæ & de-
2. uotioni plurimum obfuiſſet. Deinde cum Dauid videretur deinceps velle vt
arca priuati iuris fieret, eam collocando intra ſepta regiæ ſuæ, ſicque iuribus &
commoditati populi totius officere; decuit cogi conſilium maiorum natu ſuper
hoc, ne, habito ſemel conſenſu populi, locus eſſet obmurmurationibus & quere-
lis: cum didiciſſent id ab eo fieri, dum templum, quod ipſe agitabat animo, con-
3. ſtrueretur. Noluit quoque videri agere omnia pro arbitrio, ac poteſtate, ſed ho-
norare velle conſiliarios ſuos, eorum conſilium exquirendo, & ſic eos ſibi in his
regni initiis, magis magiſque beneuolentia deuincire. Quod qui non faciunt ſu-
perbi æſtimantur; & domino permittente in rerum adminiſtratione multa pec-
cant.

X. *Qui ad conſilium adhibiti.*

Iniit ergo conſilium Dauid cum tribunis, & centurionibus, & vniuerſis prin-
cipibus, [d] qui ſcilicet ad Dauidis exercitum pertinebant, ſiue ad turmam præ-
ſentis menſis, quæ 24. millia bellatorum continebat, vt ſupra diximus [e] & inſu-
per qui de tribu Iuda erant ei magis familiares & ordinarij conſiliarij, fratres
item, cognatique omnes, affines, atque domeſtici. Quibus congregatis, ait ad
omnem cœtum Iſraël. *Si placet vobis, & à Domino Deo noſtro egreditur ſermo quem lo-
quor*, id eſt, vt interpretatur Abulenſis, [f] Agnoſcam Dei eſſe voluntatem, vt fiat
quod ego propoſiturus ſum vobis, ſi omnes in eandem ſententiam conſenſeritis;
non enim poteſt huiuſmodi conſenſus non eſſe à Deo. At ſic ſuperflua eſt illa con

[a] c. 7. q. 11. vide tamen 2. Reg. c. 6. q. 1.

[b] vide a m. 2544. n. 68.

[c] 1. Par. 13. 2. vide ibi Abul. q. 3. & 4.

[d] 1. Par. 13. 1.

[e] an. Dauid. 1. n. 1. & ſeqq.

[f] q. 4. in c. 13. 1. Par.

TRANSLATIO ARCÆ SVSCEPTA.

a Pſalm 54. 20. & 89. 3. & 148 14 & alibi. vide phraſes. Sa.

unctio & quam rectius fortaſſe interpretemur *quoniam*. Vt alibi ſæpe [a] Matt. 17. 9. *Ceciderunt in facies ſuas, & timuerunt valde.* Rom. 1. 23. *Stulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, &c.* Habebat enim Dauid commodiorem rationem cognoſcendæ diuinæ voluntatis per Ephod pontificium, per quod etiam credibile eſt conſuluiſſe, antequam congregaret hunc populum. Ipſa autem denunciatio diuinæ voluntatis magnum habebat pondus ad communem omnium conſenſum eliciendum, & omnes oppoſitiones contradicentium præcidendas.

XI. Cur conueniet populum.

QVONIAM ergo inquit Dauid, *à Domino Deo noſtro egreditur ſermo quem loquor, ſi placet vobis, mittamus ad fratres noſtros reliquos in vniuerſas regiones Iſraël,* & inuitemus eos ad conueniendum ad celebritatem, quam paramus. Neque enim committendum arbitror, vt populus de me tam bene meritus, ſe 1. contemptum putet, & priuatum honore quem Domino in hac ſolemni pompa deferre vellet. Et vero etiam formidandum foret, ne ſi nobis ſolis conſilium caperemus, de transferenda fœderis Arca in montem Sion, & ciuita- 2. tem noſtram, cæteræ familiæ Iſraëlis in eam ſuſpicionem inciderent, quæ olim fratres noſtros, qui ſunt trans Iordanem perſtrinxit, [b] quando altare viſendæ magnitudinis ad ripam fluminis excitarunt, in teſtimonium ne ipſis in poſterum dici poſſet. *Non eſt vobis pars in Domino.* Sicque ſchiſma, quod populum Dei nuper, ſeptem ipſos annos, multa cum clade, & animorum abalienatione diſtraxit, tanto maiore cum damno redintegretur, quanto iuſtior cauſa diſtractionis futura videatur, & nouis altaribus, nouis ceremoniis, nouis denique dijs in Iſraële pernicioſiſſimus aditus aperiatur.

b Ioſue 22. 27.

XII. Et leuitas, et ſacerdotes.

c 1 Par. 13. 2. ibi. Toſt q. 7. Num. 4.

MITTAMVS quoque ſi placet nuncios ad ſacerdotes & leuitas, quos vt Deo conſecratos viros, minimè omnium contemni par eſt, [c] & ad quos in primis pertinet iſta ſolennitas, quique vel maximè in ea nobis neceſſarij ſunt; Non ignoratis ipſorum eſſe arcam deferre, & lege diuina cautum, ne quis cæterorum eam auſit attingere, ſi quis contra faxit, capitale fore. Adhibenda 1. eſt pſalmorum & canticorum celebritas, nec fas eſt diuinum hoc pignus, aut 2. mouere loco, aut deferre per vias, aut deſtinato in loco collocare, niſi diuinis laudibus vndique perſonantibus. Cantores ergo aduocandi ſunt nobis. Pluri- 3. ma quoque ſacrificia offerenda ſunt, quæ nobis totique regno noſtro diuinum concilient numen, propitiúmque reddant, & in populares epulas tranſeant, dandáque eſt opera, ne minus populo in præſenti celebritate diuina, quam nuper in regia, lætitiæ cauſa tribuatur. Inuitentur ergo omnes, etiam *qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus arcam Dei noſtri ad nos.*

XIII. Cur tantum dilata tranſlatio.

INCONSVLTVM quippe videtur atque indecorum quod quinquageſimum pene iam annum patimur eam in Cariathiarim, ſub læuitæ vnius cuſtodia, operimentis inuolutam reſidere; nullo cultu, nullis ſacrificiis, nullis ceremoniis honorari; arcam tabernaculo ſpoliatam eſſe, ſanctuarium & ſanctum ſanctorum oraculo vacuum atque inane, pene in contemptum, ac deſuetudinem abire. Non accuſo Samuelem Prophetam: nam vel dilationis huius authorem habuit Deum, vt eximius, ac Deo familiaris Propheta, vel inquieta belli tempora, & Philiſthæorum dominatu turbulenta ſanctum ſenem excuſarunt. De Saule nihil dico; meipſum potius, meique ſimiles accuſauerim, qui dum apud eum gratia, atque auctoritate valuimus, nunquam ei ſuggeſſimus, nunquam authores fuimus, vt ea vel ſuo tabernaculo reſtitueretur, vel alicubi honorificentius haberetur. Ab eo tempore domeſticis, atque inteſtinis republica turbata diſſidiis, non potuimus in vnum locum, eandémque ſententiam conuenire. Nunc quoniam diuina prouidentia factum eſt, vt aliquorum ſcelus in communem totius populi vtilitatem, concordiam, ſalutem verteretur, & Dominus ipſe Hieroſolymam in regni ſedem electam, etiam præſentia ſua cupit honorare, placetne ad tranſlationem arcæ in eum locum, quem illi parauimus, tantiſper dum templum ei magnificum, Deo bene propitio, conſtruamus, vniuerſum populum conuocare?

X.V. *Conſentit tranſlationi populus.* [a] ET *reſpondit vniuerſa multitudo, vt ita fieret, placuerat enim ſermo omni populo.* Qui enim Dauidem excitauerat, populum quoque ipſi conſentientem dedit. *Congregauit ergo Dauid cunctum Iſraël, à Sihor Aegypti*, id eſt fluuio, ſiue torrente, qui dicitur Ægypti, & Rhinocoruram alluit, & tribum Simeonis à meridie terminat; *vſque dum ingrediaris Emath*, oppidum ad radices Libani verſus Damaſcum in finibus tribus Nepthalim ad boream, quæ eſt tota longitudo Chananitidis. Omnes vbique moneri voluit, vt quicumque cuperent huic celebritati intereſſe, Hieroſolymam conuenirent. *Qui ei affuerint.* Ait autem Abulenſis [b] conueniſſe ad Dauidem 224. millia virorum, ex 1. Par. 13. ſed id textus hebræus, græcus, latinúſve non habent, nec apparet vnde ipſe id ſumpſerit. In ſecundo autem Regum legimus congregaſſe Dauidem omnes electos ex Iſraël, numero triginta millia. Quo in numero non continentur viri Iuda, de quibus mox dicitur. Surrexitque Dauid, & abiit, & vniuerſus populus, qui erat cum eo, de viris Iuda. Qui ſcilicet erant illi magis in promptu propter vicinitatem, & cognationem, in quem etiam numerum, minimè dubitauerim turmam viginti quatuor millium præſentis menſis referendam eſſe.

[a] 1. Paral. 13. 4. — 1 ℞. — [b] 2. Reg. 6. q. 1. & in 1. Para. 13. poſt. q. 16.

XV. *Veniunt ad collem Cariathiarim.* ASCENDIT [c] ergo Dauid, & triginta millia electorum ex vndecim tribubus Iſraëlis, *& vniuerſus populus, qui erat cum eo de viris Iuda ad collem Cariathiarim, qui eſt in Iuda.* Explicat Scriptura locum 1. Reg. 7. vbi dictum eſt, arcam delatam fuiſſe in Cariathiarim, & inductam in domum Abinadab *in Gabaa*, docet enim Gabaa non eſſe nomen vrbis, vt viſum eſt nonnullis, ſed commune vocabulum ſignificans *excelſum*, ſiue vt hic explicatur, *collem*. Septuag. in dicto regum loco & rurſum 2. Reg. 6. v. 3. habent ἐν βουνῷ. Repetendum autem memoria, quod alibi diximus cum Caiet. & Abulenſi, Arcam Dei in Cariathiarim, quaſi in propriis ſedibus manſiſſe, à quo Philiſthæi plagis coacti eam reſtituerunt; quamuis enim aliquoties aliò delata in 1. Reg. legatur, ſemper tamen relata intelligitur in Cariathiarim, vnde nunc a Dauide in arcem Sionis adducitur. 2. Itum eſt ergo à Dauide cum populo ſuo, ad vrbem Cariathiarim, & in collem illius, in quo erat domus Abinadab, vt afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper Cherubim, ſiue ſuper propiciatorium, quod Cherubinorum alis inumbrabatur, & ab eiſdem ferebatur, vt fuſius in Exodo explicatur à Moſe. [d]

[c] 2. Reg 6. 1. Par 13. — 2. ℞. — [d] Ex. 25. 17. & 37. 6. a. in 2544. n. 134.

XVI. *Auferetur è domo Abinadab.* CVM ventum eſſet in vrbem Cariathiarim, actum eſt de ſuſcepto negotio, non quidem cum Abinadabo, aut Eleazaro, quorum fidei Arca commiſſa fuerat, ab annis 49. Apparet enim vtrumque hoc tempore fuiſſe defunctum, cum neuter huic tranſlationi interfuiſſe memoretur; ſed tantum duo Abinadabi filij, vtique Eleazaro iuniores, quod ſentit quoque Serarius. Nec moror traditionem illam hebræorum, apud Hieronymum [e] vbi iuſſiſſe inquiunt Abinadabum duobus filiis ſuis Oza & Ahio, vt portarent arcam Domini humeris ſuis. His ergo qui in demortuorum curam, prouinciamque ſucceſſerant, cum regis decretum, totius populi conſenſu, in primiſque diuina voluntate firmatum innotuiſſet, de Arca Domini in Sionis arcem transferenda, ingemuerunt videlicet in eius theſauri iactura, cuius præſentia, multa, vt par eſt credere, felicitate fruebantur tanto præſertim tempore, cum Obededon ob arcam tribus menſibus cuſtoditam, multis *Et plauſtro imponitur.* bonis locupletatus fuerit. Quoniam tamen neceſſitati parendum erat, eam vt erat ſuis obuoluta velaminibus, vt habetur quarto Numerorum, [f] de loco ſuo cum reuerentia acceptam, impoſuerunt ſuper plauſtrum nouum, quod Oza & Ahio deducebant, ſic vt hic arcam boueſque antecederet, ille ſequeretur.

[e] in 1. Par. c. 13. — [f] Num. 4. 5.

XVII. *Non ſine culpa.* QVA in re minime controuerſa eſt horum culpa, cum ea vnius ipſorum capitali animaduerſione punita fuerit; peccabant autem contra legem quæ ſtatuerat tam arcam, quam altaria, menſam, & candelabrum, cæteraque vaſa ſanctuarij humeris [g] Caathitarum ferri oportere, proptereáque annulos habebant affixos, quibus immiſſis vectibus, per deſertum circumferebantur; & cum cæteris leuitis data fuiſſent plauſtra [h], quibus reliqua tabernaculi ſupellex impoſita deueheretur, nulla data ſunt Caathitis, quod onera proprijs humeris portare ſolerent. Itaque cum poſtmodum ex domo Obededom eadem arca in domum Dauidis tranſlata eſt, non in plauſtro, ſed in humeris portata eſt.[i] Sed vnde eis in mentem venit, vt in plauſtrum nouum imponeretur? Nempe quoniam laboris pige- *Cur id factum videatur.*

[g] Num. 4. 5. — [h] Num. 7. 9. — [i] 1. Par. 15. 15.

bat, didicerantque à Philiſthæis, dum redderetur, impunè impoſitam plauſtro nouo; quod notat quoque Theodoret. q. 20. & Procopius, & fortaſſis interpretabantur id præceptum ad tempora illa Moſaïca duntaxat pertinuiſſe: non dubitarunt Philiſtæorum exemplum imitari. Vtique parum feliciter, parumque ſapienter.

XVIII. *Nec poſſunt excuſari.*

a Toſt. 1. para. 13 q. 12. & 13. Philisthæos enim minimè obligabat Moſaïca lex, [a] in iis quæ ad ipſius ceremonias pertinebat, qualis erat arcę vectatio, geſtatioue; quę poſitiui iuris ſunt, non naturalis; adde quod eam ignorabant, & quamuis eius conſcij dicerentur, non habebant tamen apud ſe leuitas quibus eam prouinciam demandarent, vt rectè notauit Theodoretus.[b] Huiuſmodi autem præcepta magis in Chananitide, quam in ſolitudine obligabant, in qua pleraque atque adeo ipſa circuncifio, deſierant vſurpari. Quo pertinet illud Moſis, [c] *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur. Neq. enim vſq. ad præſens tempus veniſtis ad requiem, & poſſeſsionem, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis.* Neque tamen aut Dauid, aut populus participes facti ſunt leuitici peccati. Neq. enim prohibere tenebantur, rati fortaſſe id eis dominum nouo priuilegio indulſiſſe; aut certe eo confugiebant, non eſſe laici iuris, officijs ſacerdotibus, aut leuiticis immiſcere ſeſe. Abiatharis potius ea culpa fuit, ſi interfuit, & diſſimulauit Et forte Hebræi in illa traditione, quam paulo ante attigi, Abinadabum, parentem, pro Abiathare pontifice poſuerunt.

b q. 20. in 1. Reg.

c 12. 8 9.

Cur non prohibitis à rege.

XIX. *Quis huius ordo pompæ, modúſve.*

Qvis porro huius ordo pompæ, modúſve fuerit à Scriptura explicatum non eſt. Fieri potuit vt Arca cum leuitis & ſacerdotibus antecederet, tum populus ſequeretur vniuerſus; quem morem in deſerto ſeruatum anno Moſis octogeſimo ſecundo docuimus; [d] idemque à Ioſue in tranſeundo Iordanem, Dei iuſſu obſeruatum eſt. [e] Potuit & populus omnis antecedere, & arca ſequi, nam in eodem Iordane, arca quæ anteceſſerat, in medio alueo ſtetit, dum populus omnis tranſiret; *cumque tranſiſſent omnes, tranſiuit & arca Domini* Potuit denique arca medium occupare locum, populus autem partim antecedere, partim ſequi, vt in obſidione Ierichuntis [f] factum eſt. Nam ſacerdotes *præcedebant arcam Domini ambulantes atque clangentes, & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum ſequebatur arcam, & buccinis perſonabat.* Quem ego pompæ modum vt decentiſſimum crediderim obſeruatum. Cum enim eſſet in medio, tam qui præibant, quam qui ſequebantur, ei magis præſentes erant, eiuſque quodammodo magis participes fiebant. Præcedebant ergo ſi placet, ſiue illa 30. millia electorum Iſraëlitarum, ſiue illa 24. millia turmæ, quæ apud Dauidem hoc menſe in armis erat. Inde ſequebatur Dauid, præcedebatque arcam. vt ait Ioſephus; ſic enim interpretatur illud *coram Domino*, ſiue *ad facies Dei.* [g] Et cum eo plurimi viri primarij, tum ſequebatur plauſtrum cum arca, Ahio præcedente, & Oza ſubſequente: cum multa turba leuitarum, indéq. reliquum vulgus omnis ætatis, conditionis, ac ſexus.

d a. m. 2545 n. 121. & ſeqq.

e Ioſ. 3. 3. 6. & ca. 4 11.

f Ioſ. 6. 7. 13.

g vide Abul. 1. par. 13. q. 18.

XX. *Cantus Dauidis, Sacerdotum, Leuitarum, & totius populi.*

De veſtimentis aut Dauidis, aut ſacerdotum, ac leuitarum, nihil in hac priore pompa à Scriptura notatum. Præcedebant nimirum induti ephod lineo, qui fere erat eorum in populo veſtitus. vt ſupra diximus [h] cum de cæde ſacerdotum diſſeruimus. Illud autem maximè notatum, quod præcipuam habebat lætitiæ ſignificationem. *Dauid autem, & omnis* Iſraël *ludebant coram* Domino, [i] *in omnibus lignis fabrefactis* 3 omni ſcilicet genere muſicorum inſtrumentorum, *citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.* Adduntur in 1. Paral. [k] tubæ ſiue corneæ, ſiue argenteæ. Eodemque modo habemus in obſidione Hierichuntina, non ſolum iubilæorum buccinas à ſacerdotibus inflatas, ſed & vulgus ipſum, quod ſequebatur arcam, buccinis perſonuiſſe. [l] Adduntur & cantica, quæ leuitæ, quorum plerique cantores erant, ex officio decorè modulabantur; reliquus autem populus, ex deuotione, etiam ipſe cantica, pſalmoſque ingeminabat, & forte præcinentibus ſacerdotibus ac leuitis, ipſe ſonoris vocibus ſuccinebat, quo fere modo in eccleſiis vbique fieri videmus.

h an. m. 2974. n. 34.

i 2. Reg. 6 5.

3. ℞.

k 1. par. 13. 8.

l Ioſ. 6. 6. 13.

XXI. *Periclitatur arca, & ab Oſa ſuſtentatur.*

Hactenvs res bellè procedebat, & ſuccedebat ex animi ſentẽtia, cũ cõtigit nõ modica turbatio. *Poſtquam* enim peruentum eſt *ad aream Nachon,* 4. *extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniã calcitrabant boues, & declinauerant eam:* vel tetendit

4. ℞.

etiam peccandi occaſiones incidiſſe, ac ſecreta morte affectos eſſe; primum autem punitum Ozam, quod eius culpa populo publice innotuiſſet; & hanc præ illis animaduerſionem fuiſſe narratam; quod ad pertexandam ſequentem narrationem neceſſaria ſit.

QVONIAM vero mortis genere affectus fuerit Oza, non ſatis conſtat, Hebræi,[a] vt appareret pœnæ quædam cum culpa proportio, tradiderunt aruiſſe brachiũ eius & humerum, vbi arca Domini portanda erat; & ſic factam eſſe in eius corpore diuiſionem, quæ in Scriptura memoratur. Verum diuiſionem pro morte ſimpliciter accipi hebraica dialecto probabilius eſt: etenim quæ diuiſio dicitur in I. Paral. in I. Regum percuſſio appellatur; ſicut cum ſuperius dicebat Dauid, diuiſſe Dominum inimicos ipſius coram ſe, nimirum occidiſſe. Author mirabilium ſacræ ſcripturæ [b] eum ſuffocatum fuiſſe ſcribit. Abulenſis [c] ait externa quapiam affectum plaga, vt euidentius appareret non naturali aliquo caſu, ſed ſupernaturali eum Dei, neglectum ceremoniarum ſuarum vlciſcentis, percuſſione concidiſſe: ſicque maior omnibus incuteretur timor; Significat Scriptura ſubitam fuiſſe mortem, cum ait, *qui mortuus eſt ibi coram Domino, iuxta arcam Dei*. Aperte Ioſephi, interpres ait in veſtigio expiraſſe, [d] ipſe [illegible]. Idque conueniebat diuinæ conſuetudini: ſic enim mortui ſunt filii Aaronis Nadab & Abiu, [e] ita exploratores, [f] ita ſeditioſi in ſeditione Core, ita Maria ſoror Moſis, lepra ſubito percuſſa eſt, ſicut & Ozias aliique non pauci, ſubita clade affecti ſunt.

> [a] apud Hieron. in trad. Hebr.
> [b] apud Aug. to. 3. l. 2. c. 12.
> [c] 1. Par. 13 q. 29. & 30.
> [d] l. 7. ant. c. 4.
> [e] leuit. 10.
> [f] Num 14. 11. &c.
> [g] q. 29. in c. 13.

XXV. *Et quo genere mortis.*

XXVI *An igne diuino.*

EXISTIMAT etiam Abulenſis [g] Ozam immiſſo diuinitus igne occubuiſſe, quod hoc maxime mortis genere Dominus vteretur, in punienda violatione rituum diuinorum; id appertiſſimum eſt in Nadab & Abiu ignem alienum vſurpantibus, & in ducentis & 50. leuitis, qui offerebant incenſum, ſacerdotali ſibi munere arrogato. [h] Idem mox in 14. millibus & ſeptingentis, contra Moyſem & Aaronem murmurantibus contigit. Idem in iis, qui ob laborem itineris contra eoſdem obloquebantur. [i] Verum cum nulla ſit in Scriptura ignis mentio, alterutro in loco, in quo hæc narratur hiſtoria, nec eius occaſionem præſens celebritas offerat, vt in ſupradictis ſacerdotibus, ac leuitis, nec alius quiſquam, quod ſciam, ita ſenſerit, ſatis eſt dicere eum, in ipſo arcæ contactu, linguente animo concidiſſe, nec videtur ignis pro arbitrio accerſendus.

> [h] Num. 16. 35.
> [i] Num. 11. 1.2.

XXVII *An perierit Oza.*

Non videri.

NEC tamen arbitror improbandum, quod idem doctor de hominis huius æterna ſalute ſuſpicatur; idque multo eſt probabilius in noſtra, quam in ipſius ſententia, arbitrantis peccatum Ozæ in ipſo arcæ tactu admiſſum fuiſſe, in quo licet illico corruerit mortuus, non tamen in eodem inſtanti, & interea potuerit conteri. At nos qui peccatum putamus anteceſſiſſe, & admiſſum arca in curru imponenda, facile inuenimus tempus in quo dolere potuerit, cum ſcilicet agnouit periculum grauiſſimi ſcandali, in quod ſe coniecerat, ſi arca in terram coram populo corruiſſet. Itaque cum Dominus tam ſeuera hominem pœna caſtigare ſtatuiſſet, & ea quæ culpæ magnitudini facile reſponderet; ſub ipſum pœnę tempus ſpiritum illi contritionis infudit, ne mors, quam ſtatim erat illaturus, ſuperueniens, hominem in ærumnas coniiceret ſempiternas: quæ eſt eiuſdem Toſtati [k] Angelomi, Dionyſii ſententia: imo & Hieronymi, cuius eſt hæc oratio. [l] *Si quis autem punitus ſit, vt ille in lege qui Iſraelitis maledixerat, & qui in ſabbato ligna collegerat, tales poſtea non puniri, quia culpa leuis præſenti ſupplicio compenſata ſit.* Sic ipſe: cum paulo ante dixiſſet, grauiora peccata, tam præſentibus, quam futuris magnis ac diuturnis elui cruciatibus; in purgatorio ſcilicet carcere, nam in gehenna nunquam eluuntur. 5.

> [k] 1. Par. 13. q. 31.
> [l] in c. 1. Nahum.

Ex Hieronymo.

5. eχ.

XXVIII *Contriſtatur Dauid.*

6. eχ. CONTRISTATVS *eſt autem Dauid, eo quod percuſſiſſet Dominus Ozam, & vocatum eſt nomen loci illius percuſſio Ozæ, vſque in diem hanc;* qua ſcilicet ſcribebatur hic liber. 6 1.
Quidni autem contriſtaretur, commiſeratione tactus aduerſus Ozam, tam leui, vt videbatur, de cauſa, repentina morte ſublatum, in negotio ipſius voluntate ſuſcepto? præſertim ſi ſuſpicabatur eum & animo & corpore periiſſe. 2.
Contriſtatus eſt totius populi conturbatione, qui merito potuit hoc tempore, antiquum illud Iobi vſurpare, [m] *verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Contriſtatus eſt ob violatas diuiæ legis ceremonias, quas Deo 3.

> [m] c. 30. v. 31.

cordi eſſe, & earum neglectu non leuiter offendi, ex huius ſupplicii acerbitate æſtimabat, Contriſtatus eſt ſui cauſa, qui tanto ſe bono, tamque deſiderato priuari videbat; & irritum fore omnem apparatum ad arcam apud ſe collocandam ſuſpicabatur, Deo, vt apparebat, non probante iſtam tranſlationem, quam triumphalem hactenus, funebrem reddidiſſet.

XXIX. *Et timet ad ſe arcam deducere.* Tristitiam timor excepit. [a] *Et extimuit Dauid Dominum in die illa dicens, Quomodo ingredietur ad me arca* Domini? Veritus enim eſt, præſenti edoctus exemplo, ne poſita apud ſe arca, Dominus facile offenderetur, in tanta multitudine vxorum, filiorum, aulicorum, famulorum atque familiarum, quantum regia domus capit; offenſionem autem plurimi ſubinde morte luerent, & paulatim domus principis, quæ ſolet eſſe frequentiſſima, deſerta redderetur. Itaque ſatius eſſe credidit propria conſolatione carere, quam arcam Domini ad ſe adducere, quæ habita ratione infirmitatis humanæ, & diuinæ ſeueritatis, cuius tam clarum, tamque formidabile ſumptum eſſet experimentum, de arca fœderis, in petram ſcandali verteretur. *Nec immerito.* At ſciebat eam vltra 40. annos in domo Abinadabi impune manſiſſe, quidni eandem Dei miſericordiam erga ſe ſperaret, domumque ſuam? an quia leuitica erat illa domus, laica autẽ ſua? & plures apud ſe delictorum occaſiones emerſuras videbat, quam apud hominem priuatum, & cuſtodiendæ illius gratia ſanctificatum, & hoc ipſo quod leuita eſſet, à Deo in rerum ſacrarum miniſterium deſtinatum.

[a] Toſt. 1. Par. 13. q. 31. 34. & ſeqq.

XXX *Deferri iubet ad Obededonem, an cum culpa?* Qvæ etiam cauſa fuit, cur nõ formidaret arcam fœderis in domo Obededonis collocare, leuitica ſcilicet, in qua paucos inter domeſticos facile eſſet ab ijs delictis abſtinere, quæ diuinam prouocarent iracundiam, & ſupplicia elicerent. præſertim cum eam ipſe, vt apparet, libenter Deo vtique interius inſpirante, ſuſciperet, nec iis vocibus quibus olim prophani illi vteretur; [b] *Exclamauerunt enim Accaronitæ dicentes. Adduxerunt ad nos arcam* Dei *Iſraël, vt interficiat nos, & populum noſtrum.* Et, *Non maneat arca Dei* Iſraël *apud nos, quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon Deum noſtrum.* Non procurabat ergo Obededoni mortem Dauid, aut occaſionem eius, neque eius familiæ, quam ipſe timidè deuitaret, cum admodum diſpar eſſet vtriuſque familiæ conditio. Neque conterruit Obededonem Ozæ interitus, magis quam ciues Cariathiarim, aut Abinadabum, [c] luctuoſa Bethſamitarum clades; ſperantem ſe quoque qui Leuita eſſet, illa ſtudioſe obſeruaturum, quæ ad inculpatam arcæ cuſtodiam pertinerent, & domum ſuam, quæ pene in ſanctum ſanctorum verſa eſſet, tum honore ſingulari, tum diuina benedictione repletum iri.

[b] 1. Reg. 5. 7. 10.

[c] 1. Reg. 6. 11. c. 7. 1.

XXXI. *C... cum fructu.* Dominvs autem boni viri hoſpitis ſui expectationem non fefellit. Trium enim menſium ſpatio, quibus arca fœderis manſit in domo eius *benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat.* [d] Hebræi apud D. Hieron. in tradit. aiunt Dominum benedixiſſe domum Obededom, eo quod omnes vxores eius & concubinæ, & nurus & ancillæ maſculos pepererint filios; fœminæ quoque quadrupedes geminos ei ediderint fœtus. in 1. etiam Paral. [e] numerantur octo filij eius, & additur ratio, *quia benedixit ei Dominus.* Eorum primogenitus fuit Semeias, qui etiam paternæ benedictionis factus eſt particeps, natique ſunt ei filij præfecti familiarum ſuarum; *erant enim*, inquit, *viri fortiſſimi*, & mox in eadem familia duo & ſexaginta cenſentur. Ioſephus ait eum diuinitus multis felicitatibus cumulatum, & ex paupere & humili, repente, vſque ad inuidiam eorum, qui incrementa eius viderent, felicem extitiſſe. Improbat quidem Abulenſis ſententiam hebræorum de fecunditate, vt argumento diuinæ benedictionis; quia trium menſium ſpatio, illa ex fecunditate felicitas apparere non potuit, ſicque non præſentiæ arcæ, ſed aliis cauſis tribueretur.

[d] in 2. Reg. c. 6. 11.

[e] 1. Par. 26. 4. & ſeq.

XXXII. *Obededonis felicitas.* Vervm Toſtati ſententia non ſolum valde infirmari poteſt, ex Scripturæ verbis, quæ retulimus, ſed etiam ex eo quod Scriptura non dicit notam factam eſſe hominibus Obededonis felicitatem, ſed dominum ei benedixiſſe, ſiue hominibus id aduertentibus, ſiue non aduertentibus. Illo autem trimeſtri ſpatio iacta ſunt ſemina felicitatis quæ ſuis temporibus adoleuerunt, domino, cuius dona ſunt ſine pœnitentia, non retrahente manũ ſuam: potuerunt autem intra id tem-

pus videre omnes fœminas vterum ferentes, greges, armenta, ſeruos, ancillas, omnem familiam ſanam & incolumen, omnes agros ſegetibus graues, omnes arbores pomis onuſtas, frumenta vinaq. recondita, omnemque ſupellectilem pulcherrimè conſeruari. Si quid contraherent aut negotiarentur cum aliquo, ſi quid acquirerent venderentue, omnia feliciter cedere, nullas à cœlo, nullas ab hominibus iniurias pati. Adde ſi placet effoſſos theſauros, contractas affinitates, amicitias & clientelas acquiſitas, honores, gloriam, famam amplificatam. Denique ſemper & ab omni parte beatos fortunatoſque viuere cœpiſſe.

XXXIII. *Conditio, & genus.*

SED pene obliti ſumus Obededonis conditionem, & genus. An fœlicitas iſta non ſolum poſſeſſa, ſed etiam celebrata homines reddit obliuioſos? Fuit is ſine dubio leuita, ſanctuarij ianitoribus annumeratus, vt conſtat ex multis 1. Paral. locis [a] imo & inter cantores recenſetur in eodem libro. [b] Ex quo intelligitur Gethæi cognomen, quod illi attributum eſt, non illi generis, aut originis cauſa tributum fuiſſe, etſi id Theodoretus ſenſiſſe videatur. *Statuit*, inquit, [c] *eam arcam in domo Obededom Gethæi, oſtendens Deus ſe non noſſe differentiam Iſraelitæ, & alienigenæ*, ſic vocant græci Philiſthæos, *ſed ſolam honorare pietatem, effecit vt domus alienigenæ abundaret omne genus benedictionibus*. Idem habet & Procopius. Rectius putat Caiet. eum in Geth vrbe Palæſtinorum natum fuiſſe, quod eius pater, peregrinatione ſuſcepta, ibi filium ſuſceperit. *Peregrinabantur ſiquidem*, inquit, *prius etiam leuitæ, habitantes vbi commodè poterant*. Nimirum alludit ad leuitam Michæ, de quo in Iudicum libro diſſeritur. [d] Hieron. in tradit. [e] ait ita vocatum, eo quod pater eius in Geth habitauerit; quod Serarius probat, & Vatablus.

Quare Gethæus dictus.

a 1. Par. 15. 18. 24. c. 16. 38. ca. 26. 1. 4.
b 1. Par 15. 21. c. 16. 5
c in notis in 1. Paral.
d ca. 17. 8
e in 2. Reg. c 6.

XXXIV. *Alia cognominis ratio.*

CONFIRMAT id Abulenſis, putatque id contigiſſe, quod ad Gethæos cum Dauide venerit, ibique inter ſexcentos illos DAVIDIS ſocios habitarit, plurimos enim ex omnibus tribubus eo confluxiſſe conſtat: [f] etiam leuitas, in primiſque Abiatharem pontificem, vtique non ſolum. Hi ergo poſt mortem Saulis reduces in patriam Gethæorum cognomen acceperunt. Audi enim [g] Scripturam. *Egreſſuſque rex, & omnis Iſraël pedibus ſuis, ſtetit procul à domo: & vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi & Pheleti, & omnes Gethæi pugnatores validi ſexcenti viri, qui ſecuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.*

f 1. Par. 12.
g 2. Reg. 15. 17.

XXXV. *Vbi habitaret.*

QVOD attinet ad eius nomen varie id apud græcos deformatur. Hebræi codices conſtanter habent Obed-Edom, cum nota quæ ſignificet compoſitum nomen, & illud Hieron. in tradit. vbique id effert quaſi geminum nomen, vnde data occaſio Comeſtori dicendi, huic proprium fuiſſe nomen Obed, addi autem Edom, ſubintellecto filius quaſi diceres Obed filius Edom. Quod non improbat Abul. [h] ſed fallitur cum ait ipſum vocari à Ioſepho Obed, vt ſeorſim dicam. 7

SVPEREST vt & locum habitationis huius leuitæ inquiramus. Significat Ioſephus fuiſſe prope Hieroſolymam. Ait enim Dauidem non induxiſſe arcam ad ſeipſum in vrbem, ſed declinaſſe ad exiguum locum, villam ſcilicet in ſuburbio, vt vertit Gelen. aut agellũ vt Serar. qui & putat eum locum de inferiore Hieroſolyma accipi poſſe, quod accepit Toſtatus [i] in ca. 6. 2. Reg. quia cum ſexto quoq. paſſu ſeptẽ tauri, totidémque arietes mactarentur, non ſuffeciſſent omnes tauri, & omnes arietes totius regni Iſraëlitarum ad immolandum. Quod argumentum vim haberet, ſi poneremus eam domum milliaribus aliquot ab vrbe abfuiſſe, at in ſuburbio potuit eſſe arci vicinior, quam in extrema vrbe, & huc pertinet illud quod dixit Dauid, in conuocando populo ad hanc celebritatem. [k] *Mittamus ad ſacerdotes, & Leuitas, qui habitant in ſuburbanis vrbium, vt congregentur ad nos.* Quæ tamen videtur figurata locutio, pro in vrbibus ſuburbanorũ, vt eſt in Hebræo, ſiue in vrbibus, quæ habent leuitica ſuburbana, de quibus Ioſ. 21. nam in aliis quoque vrbibus habitarunt. Quæ mihi ſententia videtur probabilior, nec repugnat ei Abul. [l] & menti Ioſephi [m] proprior, quem tempus eſt vt conueniamus ſuper hanc hiſtoriam, paucis quidem de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis.

h q. 18. in c. 13. 1. Paral.
7. ἐκτρέψας εἰς τὸ χωρίον.
i q. 13. & 1. Par. 15. q. 31.
k 1. Par. 13. 2.
l in 1. Par. c. 15. q. 31.
m l. 7. ant c. 4.

XXXVI. *Explicatur præcedens narratio à Ioſepho.*

VISVM *eſt*, inquit *regi, de communi ſeniorum, & optimatum, ac tribunorum conſilio, omne ſuæ tribus robur, ex tota eorum ditione conuocare, & itidem ſacerdotes ac leuitas*. Accipio quod datur, requiro tamen 30. illa millia electorum ex Iſraël [n] quæ deſiderantur, qui iure ſe ab hac celebritate querantur excluſos, ad quam ab ipſo rege miſſis nunciis fuerant euocati, pergit, *atque ita profectos vna ad oppidum Cariathiarim, arcam De*

n 2. Reg. 6. 1

ex eo loco Hieroſolyma tranſportare, omnemque diuinum cultum, cum ſacrificijs, & ceremonijs à maioribus acceptis, in poſterum in hac vrbe celebrare. Ea certe mens Dauidis ac deſiderium fuit, quandoquidem de templo ædificando quamprimum, ſerio cogitabat, niſi conſilium eius ac ſpem vis maior fefelliſſet, quæ id opus filio nondum nato deſtinarat. Sequitur. *Si enim ſub Saule ſacra non fuiſſent neglecta, nunquam talem cladem populum accepturum fuiſſe.* At eodem ipſo tempore ſacrificia primum in Nobe viuo Achimelecho, deinde Gabaone Sadocho, aut eius potius parente annitente curabantur; nec Dauid eam cladem huic negligentiæ acceptam refert, quippe qui tantum arcam non requiſitã dicat; & Scriptura cladem peccatis Saulis attribuat.

XXXVII *Non ſine lapſu.* CONVENTV *igitur, ſicut decretum fuerat, habito, rex ad transferendam arcam accedit, quam ſacerdotes ex ædibus Aminadabi elatam, in plauſtrumque nouum impoſitam ſubiunctis bubus, fratribus eius, & liberis ducendam permiſerunt.* Vox fratrum de Leuitis accipienda eſt, nã germani fratres aut mortui erant, aut decrepiti, & feretro magis, quam pompæ habiles. *Præcedebat rex, & cum eo multitudo ſacros hymnos canentes, & omne genus patriorum carminum, & ad variorum inſtrumentorum muſicorum pulſum ſaltitantes, accedentibus & tuvis & cymbalis, atque ita arcam Hieroſolyma deducentes*, eius ſcilicet arcem in Sionis monte excitatam. *Poſtquam autem ventum eſt ad locum cui nomen Chidonis area, manifeſta numinis ira Oza quidam exanimatus eſt; bubus enim exorbitantibus plauſtrum & arca inclinata, Oza cum non eſſet ſacerdos, auſus manum ſuſtentandi cauſa admoliri in veſtigio expirauit, & loco nomen reliquit, qui inde vſque hodiernum Ozæ percuſſio vocatur.*

Septuaginta habent Aminadab: in hebræo, & latine eſt Abinadab.

ἐπιδιεσαί-των βοῶν, declinantibus bobus. ὅτι μὴ ὢν ἱερεύς.

XXXVIII. *Reprehenditur à Theodoreto.* REPREHENDIT hoc loco Ioſephum Theodoretus, & eum ſecutus Procopius; illius hæc verba ſunt. *Quidam dicunt eum dediſſe pœnas ſuæ temeritatis, vt qui tentauerit arcæ opem ferre, quæ cum vniuerſum populum tueretur, aliorum non egebat auxilio. Ioſephus autem dicit quod luit pœnas, propterea quod cum non eſſet Leuita, auſus ſit arcam tangere. Eſt autem perſpicuum hoc eſſe falſum, erat enim filius Aminadab.* & cætera. Probat enim pluribus Ozam vt Aminadabi leuitæ filium fuiſſe leuitam. Sed fruſtra, Ioſephus quippe negat fuiſſe ſacerdotem, non leuitam. Non erat autem vetitum leuitis, arcam, modo à ſacerdotibus, vti lex prçſcribit, obuolutam, contingere: imo ægre ſine contactu humeris imponi cum ſuis vectibus poterat. Et iam illam, cum plauſtro imponerent, Oza cum fratre impune apprehenderant, atque contrectarant, nec ſacerdotum erat eam tangere, ſed ſuis velis operire. Reprehendit etiam Ioſephum Theodoretus, quod ob arcę contactum illum occiſum dixerit. *Sed alterius* inquit, *delicti pœnas luit: Nam cum Deus iuſſiſſet vt ſacerdotes arcam ſuis humeris ferrent*, erat id ordinarium Caathitarum leuitarum munus, *præter legem eam tulerunt in plauſtro.* ſic Theodoretus.

An recte?

XXXIX. *Reliqua Ioſephi narratio.* IOSEPHVS autem reliqua pertexens. *Tum Dauid*, inquit, *territus, & cogitans ſe forte idem paſſurum quod Oza, ſi ad ſe in vrbem*, in arcem videlicet, *arcam reciperet, quandoquidem ille manu tantum in eam extenſa*, ſed temerè, atque irreuerenter, *morte mulctatus ſit, ſuperſedit illam Hieroſolyma inducere, diuertenſque paulum in villam hominis cuiuſdam iuſti, nomine Obadami, genere Leuitæ, apud hunc eam depoſuit, quæ per tres integros menſes hoc hoſpitio vſa, rem Obadami familiarem auxit, eiuſque domum multis felicitatibus cumulauit.* Hactenus Ioſephus; cuius narratio, in hunc reſeruata locum, erit inſtar epitomes expoſitionis longioris plurimarum rerum, quæ ab ipſo prætermiſſæ ſunt. Cæterum Dauid arca ita depoſita, populum ad ſuos lares dimiſit, quod neſciret quam diuturna futura eſſet, ea quam inceptabat experientia.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2989. DAVIDIS 10.

1 N.XIV. HIc riuus, ſiue torrẽs ſe in mediterraneum ad Rhinocorurã exonerat, qua de re fuſius anno 6. Ioſue diximus, num. 3. & 4. Adde autem videri poſſe hoc loco dici Sihor Ægypti, ſiue Ægyptum verſus, ad differentiam alterius Sihor, oppidi in tribu Aſer. Ioſue. 19.26.

2. N.XV. Obſerua lector dum hic de arcæ tranſlatione agitur, nuſquam fieri tabernaculi mentionem, quod in Gabaone relictum eſt, vſque ad tempora Salomonis. Nam Dauid aliud arcæ tabernaculum in Sionis arce præparauerat. Primo enim 1. Par. 15. de Dauide dicitur, *& ædificauit locũ arcæ Dei, tetenditq. ei tabernaculũ*. vbi Hieron. aliud nouum tabernaculum fecit, quo iſtud quod à Moyſe factum fuerat in eremo, cooperiret. Sed hac de re iterum proximo anno dicetur.

3. N.XX. Hebræi habent *abiegnis*, quo modo vertit Pagninus, & Tigurina. Arias, *abietum*, quia ex abiete fabricabantur; Hieronymus alluſit ad 70. qui habent ἡρμοσμένοις, adaptatis, vel concinentibus. Flaminius vertit modulatis.

4. N.XXI. *Dicunt Hebræi*, ait Caiet. in cap. 6. 2. Reg. *Nachon non eſſe nomen proprium, & latine dicendum ad aream præparationis, præparata ſiquidem in area illa holocauſta pro veneratione Arcæ inſinuantur. Vel area præparationis appellatur, area quædam exiſtens in loco, in quo congregatus fuerat populus electus. Eo quod ibi præparatus fuerat cum Dauide ad deducendam arcam Dei*. ſic ipſe. Eodem modo alterum nomen interpretari poſſemus: Chidon enim quod Hieronymus in tradit. interpretatur clypeum, ſignificat etiam infortunium, quod ſcilicet ibi Ozæ contigit. At ſatius eſt cum communi interpretum ſententia, hæc nomina vt propria accipere non loci, ſed perſonæ ad quam hæc area pertinebat.

Creditur ait Dionyſ. *quod Oza per temporalem illam percuſſionem purgatus ſit, & damnationem euaſit. Nam etſi repente obierit, potuit tamen in tempore illo permodico pœnitere, præſertim dum manum ſuam, brachiumque, & humerum ſenſit arere*. ſic ipſe, iuxta Hebræorum traditionem. Eadem videtur fuiſſe Angelomi ſententia. in c. 6. l. 2. Reg. *Sacerdos quoque*, inquit, id negat Ioſephus, leuitam dicere voluit Angelomus, *qui arcam inconſiderata temeritate tetigit, auſus ſui reatum immatura morte purgauit*. 5. N.XXVII.

Patres multa hic notant, ait Serar. non oportere laicos ſacris ſeſe miniſteriis ingerere. D. Areop. quem tamen puto non de Oza loqui, qui non erat laicus, ſed de Ozia. D. Hieron. ad Euſtoch. ne virgines, quæ ſunt arca ſpiritualis tangãtur. D. Chryſ. orat. in Priſcillam & Aquilam, ne à ſubditis ſuperiorum facta temere carpantur. Idem in 1. Gal. ne fidei dogmata temere tractentur & violentur. S. Patianus, ne Euchariſtia indigne adeatur, &c. 6. N.XXVIII.

Ioſephus Obadamum, ſiue Obedamum vocat Ὠβεδάμον. Rufinus legit Obidam. Septuag. Ἀβιδδαρα, & Ἀβεδδάμ. Suſpicor apud Ioſephum μ, apud Septuag. ρ pro δ. ſcriptorum amanuentium vitio poſitum eſſe. Sic enim hebraica origo requirit. Niſi fortè placet in Hebræo ד pro ר, vt alibi quoque, poſitum fuiſſe, notaui ſupra an. m. 1931. nu. 39. 7 N.XXXIV.

ANNVS MVNDI 2990. DILVVII 1334. 5ᵉ. ÆTATIS. 51. EXITVS AB ÆGYPTO 447. ARCÆ IN SION 1. DAVIDIS REGIS 11. ABIATHARIS PONTIF. 16. TROIÆ EXCISÆ 119. DERCYLLI 40. & vlt. IMPER. ASSYRIORVM 1059.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1063.

VItam cum imperio depoſuit hoc anno Dercillus, ex Chronologia Euſebij, qui ei regni 40. annorum periodum attribuit, Africanum ſecutus. Eſt autem hic idem annus primus arcæ in Sione à Dauide collocatæ, vbi ad annos 40. & vnum permanſit, dum, Salomonis templo perfecto, in eius oraculum tranſlata eſt. Ad iacta ſiquidem templi fundamenta reliqui ſunt 4. anni ſupra triginta, quibus addendi ſunt anni 7. quibus templum ipſum ædificatum eſt, Cur autem ad hunc annum diſtulerimus tranſlationem arcæ in Sionis arcem. iam ſuperiore anno diximus. ª Eſt autem hic annus quartus regni Dauidis in totum Iſraëlem, ætatis vero quadrageſimus primus. I. *Ratio temporis.*

ª Nu. 7.

II. *Cur arca non delata in Gabaon.*

Illvd porro quæri non immerito poteſt, cur Dauid cum Arcam fœderis ex oppido Cariathiarim abduceret [a], non eam in Gabaon, vbi erat eius tabernaculum, cum cætera ſacra ſupellectile, detulerit; aut certe cur tam arcam quam ſanctuarium non tranſtulerit Hieroſolymam: ne arca diutius abeſſet à tabernaculo, quem ei locum Dominus aſſignauerat. Exodi 26. [b] & 40. [c] vbi & eam Moſes à principio collocarat. [d] Reſpondendum eſt Deo ita viſum fuiſſe, quem à Dauide conſultum priuſquam rem ad ſuos optimates deferret, anno eius decimo diximus, [e] ſed erat ea voluntas rationi valde conſentanea. Cum enim ſtatuiſſet Dauid templum excitare Hieroſolymis, in eóque arcam, reliquaque vaſa ſanctuarij collocare, non oportuit Arcam Gabaonem deferri; ne paulo poſt eo excitato, iterum noua tranſlatio ſuſcipienda eſſet, cum magna populi diſtractione, magniſque regis ſumptibus in ſacrificia, epulaſque populares. Minus quoque conueniebat reuerentiæ, quæ ſacroſancto vaſi debebatur, & quo nihil erat in tota Hebræorum religione auguſtius, illud ſæpius ex vno loco in alium transferri.

a Tob. 1. Par. 13. 14
b verſ. 33. & 34.
c v. 2. & 3.
d Exod. 40. 19.
e n 8 & 10.

III. *Sed in Sion.*

Nolvit autem Dauid, pro inſigni pietate ſua, diutius carere ea conſolatione quam percipiebat, dum ſacris intereſſet ceremonijs: quæ ſiue ad arcam in Cariathiarim, ſiue ad tabernaculũ Gabaone fiebãt. Itaq. alterum transferre voluit, Arcam ſcilicet ſanctuario diuiniorem, vt quæ illi ſuam communicaret ſanctitatem, eámque apud ſe maiore cultu ac veneratione proſequi. Maneret interim Gabaone, dum templum excitaretur, tabernaculum, quod poſtea minore apparatu, cultu, ſumptibuſque transferendum erat; ſimúlque Gabaonitis totique tribui Beniamin gratificabatur, cum apud ipſos ſacrificia de more perſeuerarent. Cognita vero Dei voluntate de templi ædificatione differenda, non curauit arcam Gabaonem in tabernaculum deferri, ratus nõ ingratum fore Deo, ſi interea duobus in locis ei religioſe ſeruiretur, eadémque opera multis laboribus ſumptibúſque parceretur; & paulatim populus aſſuefieret frequentare Ieruſalem religionis cauſa.

Manente Gabaone tabernaculo.

IV. *Dauid diſcit Obedonis felicitatem.*

Tertivs iam menſis abierat, ex quo mœrebat Dauid fruſtratum ſe expectatione ſua, & propiore apud arcam fœderis communicatione cum Deo; Obededom autem lætus & incolumis, non ſolum liber erat ab iis malis, quæ Dauid formidabat, cum apud ipſum arcam, quaſi fida in ſtatione depoſuit, ſed bonis etiã omnibus circunfluebat: cum vel ipſe rex vltro quæſiuit, qui valeret Obededom, quo ſtatu res eius forent vel ſponte aulici ex familiarium relatione docti, familiari in ſermone vſurparunt, Obededonem lautiſſime viuere, & ab arcæ domini hoſpitio, domi foriſque beatum eſſe, atque fortunatum. Exhilarauit ea res, & mouit ſancta æmulatione Dauidem, dixitque apud ſe. [f] *Ibo, & reducam arcam cum benedictione in domum meam*, quæ verba habentur illa quidem apud Lyranum, & Abulenſem, Dionyſ. & in pleriſque vulgatis. etiam manuſcriptis; abſunt autem ab hebræis, græciſque libris, & nunc ſublata ſunt ab emendatis bibliis. Ait autem Lucas Brugenſis, non eſſe vero abſimile ea verba dicta à Dauide, cogitata autem certum.

Et ſtatuit arcam repetere.

f 2. Reg 6. 12.

V. *Ordo & ſumma rei geſtæ.*

Abiit *ergo Dauid*, [g] *& adduxit arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio.* Hæc ita dicta compendio, omiſſis pleriſque, quæ ſupplentur in primo Paralip. [h] & huc pro rerum ordine, & ratione temporis accerſenda ſunt nobis. Videntur autem ad 4. omnino capita reuocanda. Primum eſt quò delata fuerit; alterum à quibus; tertium quomodo, quóque apparatu; quartum quis cultus Arcæ in Sione delatus, quæ ſecundi regum ſexto, a verſu 12. vſq. ad finem cap. & primi Paral. cap. 15. & 16. continentur.

g 2. Reg. 6. 12.
h ca. 15. & 16.

Arca vbi poſita.

Vt autem à loco ducamus initium, ipſius enim præparatio, etiam præcedentem pompam anteceſſit, & huius poſterioris initio attingitur. *Et ædificauit* ait Scriptura [i] *locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum.* Dubium autem eſſe poteſt an in monte Sion collocata fuerit à Dauide extra arcem. Nam 3. Reg. 8. legitur congregatum iuſſu Salomonis populum, vt deferrent arcam fœderis domini de ciuitate Dauid, id eſt de Sion. Eique fauet ratio; nam locus hic erat futurus inſtar templi, ad quod non ſolum plurimi ſacerdotes & leuitæ, ſed magna etiam populi multitudo conuẽtura erat; itaque in Sione, ſed extra arcem collocari debebat, vt & in tuto eſſet, & arci, quæ militari cuſtodia tenebatur, periculum non crearet.

i 1. Par. 15. 1

VI. *Intra arcem Dauidis.*

DICENDVM eſt nihilominus arcam fœderis hoc tempore collocatam intra arcem ipſam Sionis, quæ propriò nomine dicitur Ciuitas Dauid. Nam 1. Paral. 15. legimus, *fecit quoque ſibi domos in ciuitate Dauid, & ædificauit locum arcæ Dei*: ſupra [a] dictum fuerat Dauidem ſibi, opera Tyriorum artificum, ędificaſſe domum, nimirum regiam, nunc autem vtitur plurali numero, vt ædificium arcæ deſtinatũ comprehendat, quod hoc ipſo intelligitur, aliquantulum à regio palatio ſeparatum: propter vicinitatem tamen quaſi vna domus cenſebatur. Vnde dicebat Dauid, [b] *Quomodo ingredietur ad me.* id eſt, ad domum meam, *arca Domini?* &, *Noluit diuertere ad ſe arcam Domini:* & *reducam arcam cum benedictione in domum meam.* Theodoretus quoque [c] *Cum cecidiſſet*, inquit, *Oza, rex veritus, non tulit arcã in regiam, vbi diuinum conſtruxerat tabernaculum, ſed in domum Obededom. Poſtquam autem vidit domum illam tribus menſibus repletam omne genus benedictione, ſtatim eam tranſtulit in regiam.* Et Dionyſius quidem ait arcam poſitam intra ſepta palatii, ſed palatii nomine totam arcem intelligit; ſicut & Theodoretus, & Scriptura ipſa. Nam in primo Paral. [d] *Et ob hanc cauſam*, inquit, ſcilicet ob percuſſionem Ozæ, *non adduxit eam ad ſe, hoc eſt in ciuitatem* DAVID, *ſe auertit in domum Obededom Gethæi.* Cum ergo vel in Sion, vel in Hieruſalem tranſlata legitur, non de proprio, ſed de communi loco, id accipiendum eſt.

chez moy. — *An etiam intra palatium regis?*

a 2. Reg. 5. 11. & 1. Par. 14. 1.
b 2. Reg. 6. 9. & 1. Par. 13. 12.
c q. 20. in 2. Reg. ὑκ εἰς τὰ βασίλεια.
d c. 13. v. 13.

VII. *An potius in ſeparata domo.*

CONFIRMATVR autem hæc arcæ ſeparata domus, partim ex eo quod non conueniebat in palatio regis collocari arcam; ad quam orandi cauſa populus vniuerſus confluere debebat, vt dixi. Principis autem regia, quæ militari etiam præſidio cuſtoditur, ab omnibus paſſim adiri nec poteſt, nec debet; ne ſub deuotionis ſpecie ac prætextu, regis ſalus à conſceleratis in diſcrimen vocetur: partim quod plurimi ſacerdotes ac leuitæ, plurimi ianitores & cantores iuxta arcam habitare debebant, quibus regia fuiſſet anguſta; quæ quamuis ampliſſima, vix toti familiæ Dauidis par eſſe poterat: in qua tot vxores & concubinæ, tot famuli & ancillæ, tot excubitores, militeſque præſidiarii, dies nocteſque morabantur; quorum pleriſque peculiares, ſeparataſque domos extructas, atque aſſignatas fuiſſe minime dubitandum videtur, multoque magis arcæ fœderis, ac diuino ſanctuario. In iis ergo domibus, quas artifices Tyrii Dauidi conſtruxerant, non ſolum palatium, & regia domus, ſed etiam domus Dei, vt à ſcriptura non ſemel appellatur, [e] aliæque priuatorum ædes continebantur.

VIII. *Cuius modi ea eſſet.*

EXISTIMAT Abulenſis hunc arcæ locum fuiſſe magnũ quoddam palatium [f] in cuius medio aula quædam erat prægrandis, quæ in extremo vno habebat tabernaculum, ex pellibus hiacinthinis, quod Dauid arcæ tetenderat, [g] in medio vero arca conſtituta erat. Circumquaq; autem multa erant cubicula & exedræ cantorum, & ianitorum à quibus ſtatis temporibus canebatur, & ianuæ claudebantur, & aperiebantur: ne ad domum Dei aditus immundo cuipiam pateret. Nam ne Dauid quidem eò eſt auſus ingredi poſt mortem infantuli, [h] niſi purificatus, mutata ſcilicet veſte, lotus & vnctus; & tunc demum *ingreſſus eſt domum Domini, & adorauit.* Cantores autem diſtributi erant per ordines ſuos ad dexteram & ſiniſtram, & in medio, vt infra declarabitur. [i] Erat ibidem altare corã arca, in quo offerebantur holocauſta, & pacifica, [k] Ibi autem ius aſyli fuiſſe Adonias & Ioab, ſub initia regni Salomonis, exemplo ſuo docuerunt. [l] vterque enim confugit ad tabernaculum, & tenuit cornu altaris, vnde cum nollet egredi Ioab, ibidem interfectus eſt: denique tabernaculo moſaico, quod erat Gabaone, proportione aliqua reſpondebat. Hæc de loco, & noua domo Domini.

e 2. Reg. 2. 10. 1. Par. 6. 31.
f q. 29. in c. 17. 1. Par. & q. 3. in c. 15. 1. Par.
g 1. Par. 16. 1.
h 2. Reg 12. 20.
i ex 1. Par. 6. 39. 44.
k vt habetur 2. Reg. 6. 17. 18. & 1. Par. 16. 1.
l 3. Reg 1. 51. & c. 2. v. 28. 29. 30.

IX. *A quibus Arca delata.*

SEQVITVR à quib. delata fuerit arca. Cum ergo ſtatuiſſet Dauid arcam Domini ad ſe in locum ipſi præparatũ transferre, memorq; eſſet, quid nuper Ozæ cõtigiſſet, illud certo apud ſe definiuit, dixitque eam à leuitis, iuxta Domini mandatum in lege, deferendam eſſe. *Illicitum eſt*, inquit, *vt à quocumque portetur arca Dei, niſi à leuitis quos elegit Dominus ad portandum eam*, [m] *& ad miniſtrandum ſibi vſque in æternum*, nomine leuitarum intelligit omnes filios Leui, in quibus erant multi ſacerdotes, qui præſentes fuerunt huic celebritati, & crebrius ſacrificarunt. Leuitas autem dicit miniſtraturos Domino in æternum. [n] Siue quia id miniſteriũ

Leuiticum miniſteriũ quomodo æternum.

m Num. 4. 15.
n Abul. q. 5. in c. 15. 1. Paral.

1. mandatum fuerat ſine certi definitione temporis, ſed quamdiu legiſlatori colli-
buiſſet; & inde quædam leges perpetuæ dicuntur, aliæ temporales. Siue quia
2. manſurum erat quamdiu reſpublica Iudæorum, qua mutata, totum id miniſte-
rium commutandum erat. Non enim politica lex ipſo politico ſtatu diuturnior
3. eſſe poteſt, aut accidens ſubiecto ſuo. Siue quia admodum diu duraturum erat
id officium, nimirum ad Christi Domini mortem, vel Hieroſolymorum vaſti- (447. ab ex 1063. ad Ch. 3 Christ 40. ad Ti)
tatem, id eſt, ad 1583. annos; diuturnum autem tempus, etiam 50. annorum, vt (1583)
iubilæi, æternum in Scriptura nominatur. Deuteronom. 15. 17. ſed hæc obiter
dicta ſunto. Vide Abul. (q 5 in c 15. 1. Paral.)

X. *Leuitas portaſſe arcã.*

Provt autem ſtatuerat Dauid, ita & factum fuit. Cum enim euocaſſet ad ſe
principes ſacerdotum & leuitarum, & eis reuocaſſet in memoriam, [a] quid nu- (a 1. Par. 15. 12. &c.)
per leuitarum culpa contigiſſet, monuit vt ſanctificarentur, ab omni ſcilicet im-
munditia legali puros ſeſe exhiberent, & debitis Deo circa arcam miniſteriis
fungerentur. *Sanctificati ſunt ergo Sacerdotes & Leuitæ, vt portarent arcam Domini Dei
Iſrael*: Leuitæ quidē è familia Caathitarum, vt eam portarent, ſacerdotes vt por-
tantibus adeſſent; ideo ſubditur, *Et tulerunt filij Leui arcam Dei, ſicut præceperat Moy-
ſes, iuxta verbum Domini humeris ſuis in vectibus.* Et infra dicitur Dominus, *adiuuiſſe
leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini.* Illa autem verba ſic explicat Theodore-
& quomodo, tus. [b] *Iuſſit autem lex ne arca ferretur in plauſtro, ne trahentes boues haberent poſteriores* (b q. 10. in 2. reg.)
*partes verſas ad arcam, ſed leuitæ eam tollerent ferentes humeris longa ligna à quibus pendebat:
& non alij quidem ante, alij vero pone incederent, ſed ex æquo ingrederentur, adeo vt eorum
poſteriora ad eam non eſſent conuerſa, ſed quod ferebatur eſſet in medio, longe inter ſe remotis,
& iis qui ferebant, & ipſa.* Sic Theodoretus, qua de re anno Ioſue primo dixi-
mus. [c]

XI. *Aut potius ſacerdotes, vt in aliis celebritatibus.*

Minime tamen abſurdum eſt dicere arcam fœderis in hac celebritate à ſacer- (c n. 37. & 38)
dotibus portatam fuiſſe. Primùm quia in omnibus celebritatibus à ſacerdoti-
bus geſtata reperitur; à leuitis autem ex neceſſitate, vt per deſertum cum man-
ſiones mutarentur. Itaque in Iordanis tranſitu quando arca, quaſi in ſupplica-
tione deferebatur, ad aperiendum Iordanem, eam à ſacerdotibus portatam le-
1. gimus. Ioſue 3. & 4. idque octies inculcatur. Deinde in oppugnatione vrbis Ie-
2. richo, cum arca quaſi debellatrix ſeptem ipſos dies circumferebatur, ſoli ſacer-
3. dotes eius geſtatores fuerunt, Ioſue 6. [d] Facta eſt & alia ſupplicatio ad montes (d v 6. & 12.)
Hebal & Garizim, Ioſue 8. vbi dicuntur maiores natu cum omni populo ſtetiſ-
ſe, *ex vtraque parte arcæ, in conſpectu ſacerdotum, qui portabant arcam fœderis Domini.*
Denique cum tranſlata eſt Arca à Salomone è ciuitate Dauid, in templum re-
4. cens ædificatum. *Venerunt*, ait Scriptura, *cuncti ſenes de Iſrael, & tulerunt arcam ſa-
cerdotes, & portauerunt arcam Domini.* Reliquam autem ſupellectilem, ipſumque
tabernaculum tam ſacerdotes quam leuitæ tulerunt, vt habetur in 3. Reg. 8. [e] & (e v 3. & 4.)
repetitur, in 2. Paral. c. 5. vbi tamen ſacerdotes dicti ſunt leuitæ, generali nomine,
idque aperte prior locus euincit, & ipſa ratio. Nam ſi ſacerdotes dicti ſunt por-
taſſe aliquid de reliqua ſanctuarij ſupellectile, quanto magis arcam tuliſſe di-
cendi ſunt, ſicut in tertio Regum, quæ principem locum in toto ſanctuario ob-
tinebat? Quidni ergo idem in hac magna celebritate, & minimè dubio trium-
pho, quo victrix arca in Sionis arcem, quaſi in capitolium Hebræorum, non qua-
drigis, ſed humeris hominum deferebatur, idem factum putemus?

XII. *Idem probatur, neq. Scripturam repugnare.*

Præsertim id affirmante Ioſepho, & Scriptura minimè repugnante? Nam
cum dicitur à Dauide, [f] *Illicitum eſſe vt à quocunque portetur Arca Dei niſi à leuitis*, late (f 1. Par. 15. 2)
accipitur Leuitæ nomen, prout continet omnes filios Leui, in quibus eſt Aaron,
& omnes filij eius, vnde ſequitur, *& ad miniſtrandum ſibi vſque in æternum*, quod mi-
niſterium ſacerdotibus maximè conuenire, in confeſſo eſt.

Deinde cum dicitur Dauid congregaſſe vniuerſum Iſraelem vt afferretur arca
Dei: in iis primum nominat filios Aaronis, deinde leuitas: & cum principes al-
loquitur pro arca ferenda, in iis principio nominat Sadochum, & Abiatharem
ſacerdotes: rurſum æquè ſacerdotes ac leuitæ dicti ſunt ſanctificati ad portan-
dum arcam. *Sanctificati ſunt ergo*, inquit, *ſacerdotes & leuitæ vt portarent arcam Do-
mini Dei Iſrael.* Nec repugnat quod ſequitur, *Et tulerunt filij Leui arcam Dei, ſicut
præceperat Moyſes, iuxta verbum Domini humeris ſuis in vectibus.* Nam in filiis Leui

ſunt ſacerdotes, vt dixi. Nec Caathitæ intelliguntur hoc ipſo, quod memoratur geſtatio in humeris: nam à quibuſcumque ferretur, iuxta Dei inſtitutionem, humeris ferri oportebat, propterea enim circuli affixi erant arcæ, & in eos immiſſi vectes.

XIII. *Imo ſauere*

Imo de induſtria videtur Scriptura tacuiſſe Caathitas, & ſemper leuitas vſurpaſſe, vt ſub generali nomine leuitarum ſacerdotes geſtatores comprehenderentur: & tamen ne id adhuc remaneret ambiguum: nominatim filios Aaron & ſacerdotes appellaſſe, & leuitis coniunxiſſe. Neque diſſimulabo illud quod additur, [a] *Sicut præceperat Moyſes*, qui de ſolis Caathitis egit, cum de geſtatoribus arcæ loquitur, Num. 4. & 7. facilis quippe eſt eorum locorum cum noſtra ſententia conciliatio. Cum enim ſolemniter & honoris cauſa publicè deportabatur, id erat officium ſacerdotum, vt pluribus exemplis comprobatum eſt. Eoq; merito retulerimus illud Moſis in Deuteronomio. [b] *Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filiis Leui, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis ſenioribus Iſrael.* In ſolẽni videlicet eius latione ſacerdotes deſtinati erãt ad portandam arcam: alioqui id erat officij Caathitarum. Quamuis autem demus ſacerdotes nunquam ex officio, aut præcepto generali legi arcam tuliſſe; ex præcepto tamen particulari, & ex deuotione in celebritatibus eam tuliſſe variis ſcripturæ exemplis demonſtratum eſt.

Quâ differrent in hac re à Caathitis.

a 1. Par. 15. v. 15.
b cap. 31. 9.

XIV. *Cõuocatus eſt populus iterum.*

Qvod ad modum ipſius tranſlationis, & vniuerſæ pompæ: Primum conuocatus eſt iterum populus vniuerſus, ad hanc celebritatem cohoneſtandam, ſic enim in Scriptura legimus, [c] *Congregauitque Dauid, vniuerſum Iſrael in Ieruſalem, vt afferretur arca Dei in locum ſuum, quem præparauerat ei.* Ex domo videlicet Obede donis. Obiter autem tangitur congregatio populi, quia iam ſatis explicata fuerat, nec opus nunc erat deliberatione noua, ſed executione rei definitæ, & caſu interruptæ. Itaque in 2. Reg. [d] hæc altera populi conuocatio prætermiſſa eſt, ſatis tamen ſignificatur conuocatus, cum mox dicitur dimiſſus: neque enim toto trimeſtri retentus eſt apud Dauidem, præſertim cum ignoraret, quandiu placeret Domino, vt arca apud Obededonem maneret.

c 1. Par. 15. 3
d 2. Reg. 6 18. 19.

Et leuitæ cũ ſacerdotibus.

Conuocatio autem Leuitarum, & numerus eorum per familias ſuas accuratius perſcribitur. [e] Et primum de filiis Aaronis, id eſt de ſacerdotibus, omnes enim illius filij erant ſacerdotes, & nulli præterea, duo ponuntur duarum familiarum principes, Sadoc Aaronitarum ex Eleazaro, & Abiathar Pontifex ex Ithamare: eos autem plurimi ſequebantur ſacerdotes, erant enim multi, & eorum particulares cognationes, & familiæ plurimę, quas poſtea Dauid in 24. diſtribuit, [f] vt ſedecim ad domum Eleazari, & octo ad domum Ithamaris pertinerent, & per vices Domino miniſtrarent, in domo Domini ſub principibus ſuis immediatis, vt ſuo loco dicetur. Eorum tamen numerus in hac celebritate non eſt traditus.

e 1. Par. 15 4. & ſeqq.
f 1. Par. 24.

XV. *Leuitarum familia. 1 Caathitarum.*

Levitarvm autem ſex familiæ numerantur aſſignato cuiuſque principe, & numero eorum, qui in quaque familia ad Dauidem venerunt. [g] Porro neq; omnes ſacerdotes, neque omnes leuitas ad hanc celebritatem confluxiſſe, vel ex eo liquet, quod nefas dictu ſit iuge ſacrificium, aliaque miniſteria Gabaone prætermiſſa. Prima familia fuit Caathitarum, quæ cum multas ſub ſe familias contineret, & in iis ſacerdotalem, cæteris ob amplitudinem, ac dignitatem præfertur; quamuis Caath non eſſet primogenitus Leui, ſed Gerſon. Neque tamen in tota ſua amplitudine familia Caath hoc loco vſurpatur, cum enim genuerit Amramũ patrem Aaronis & Moſis, Iſaarem, Hebronem, & Ozielem, detrahendi primum ſunt omnes filij Aaronis, qui, ſacerdotes cum eſſent, ſeorſim à leuitis cenſentur, ſeponenda quoque familia Hebronis, & Ozielis, quæ mox ſeparatim ponuntur. Caathitæ igitur hic intelliguntur filij Amrami, qui à Moſe propagati ſunt, & filij Iſaaris ad quos pertinent Coritæ, quorum fortaſſe familiæ in vnam coaluerint, ſicut duæ familiæ Gerſonis, totidemque Merari in vnam ob paucitatem videntur confluxiſſe, ſicut è contrario familia Ozielis ob amplitudinem diſtributa in duas, hoc loco reperitur. Eliſaphan enim vnam familiam, ſeorſim à patre ſuo Oziele, conſtituit. His autem familiis lucem plurimam dabit ſchema familiæ leuiticæ, quam in primo tomo dedimus. [h]

g Vid. Abu. in 1. Par c. 15. q. 6. ad 13
Quos comprehendat.
h a. m. 2329 n. 38.

XVI. *Eius princeps, & vnde ſumerentur hi principes.*

CAATHITARVM igitur, id eſt filiorum Moſis, & Iſaaris, princeps fuit Vriel hoc tempore in familia ſua. Sicut enim in ſacerdotali familia erat princeps vnus, idemque ſummus pontifex, ortus ex primogenito Aaronis, (quamquam in Heli res turbata eſt ſpatio 120 annorum, ad regnum vſque Salomonis) ita & in leuiticis familiis, principes fuerunt, qui per lineam primogenitorum deſcenderũt, Vriel ergo in prædictis Caathitis princeps fuit, duxitque ſecum de fratribus ſuis 120. & non 220. vt legit Abulenſis.

Secũda familia.

Secundo loco cenſetur familia Meraritarum, quæ à tertio filiorum Leui proſeminata eſt, familiis Mooli & Muſi, quæ in 26. Numerorum [a] recenſentur, in vnam vt dixi coaleſcentibus, & patrium nomen vſurpantibus; itaque plures in hac familia, quam in quauis alia reperiuntur. Princeps fuit Aſaia, ſecumque de fratribus ſuis habuit viginti ſupra ducentos. a c.26. v.58

XVII. *Tertia familia.*

SEQVITVR familia Gerſonitarum, à primogenito Leui orta, de qua itidem dicendum videtur ex duabus Gerſonitarum familiis fuiſſe conflatam, Lobni ſcilicet & Semei, quarum hæc poſterior cum in vltimo ſenſu populi 26. Numerorum non exprimatur, videtur iam viuo Moſe defeciſſe, aut paternum nomen accipere maluiſſe: hic autem etiam familia Lobni reticetur. Ergo familia Gerſonitarum principem habuit Ioëlem, qui ſecum duxit de poſteris Gerſonis centum & triginta.

Quarta.

Quarto loco venit ad celebritatem familia Eliſaphani filij Ozielis vt dixi, cuius princeps fuit Semeias cum ducentis fratribus.

Quinta.

Quinta fuit familia Hebronitarum, ab Hebrone tertio filio Caathi proſeminata, principem habuit Elielem, ducem octoginta fratrum.

Sexta.

Sexta & poſtrema fuit Ozielis, quarti filij Caathi, cuius nulla eſt facta menſio in cenſu qui 26. Numerorum perſcribitur: hic autem in familia Ozielis includentur, qui ex duobus eius filiis Mizaële & Sethri orti ſunt. Habuit hæc familia principem Aminadab, ſocios autem ſiue cognatos, centum & duodecim. Omnes omiſſis ſacerdotibus, quorum numerus traditus non eſt, 862. quibus adde duos principes ſacerdotum, & ſex leuitarum, fient octingenti & ſeptuaginta.

1.	120.
2.	220.
3.	130.
4.	200
5.	80.
6.	112.
	862.

XVIII. *Dauid monet principes de arca transferenda.*

HOSCE itaque tam ſacrdotum, quam leuitarum principes, ad ſe euocatos ſic alloquitur Dauid; [b] *Vos qui eſtis principes familiarum leuiticarum, ſanctificamini cum fratribus veſtris* reliquis ſcilicet ſacerdotibus, ac leuitis, *& afferte arcam Domini Dei Iſrael*, id eſt eſtote parati ad eam ferendam, *ad locum qui ei præparatus eſt; ne vt à principio*, cum eam primum transferre cæpimus, *quia non eratis præſentes*, vos nimirum principes familiarum, qui in familiis veſtris ſcientia ad dirigendum, docendumque iuniores, & authoritate ad præcipiendum polletis; vt impediretis ne delictum aliquod in ſuſcepta tranſlatione arcæ admitteretur, *percuſſit nos Dominus*, Oza repentina atque improuiſa morte ſublato: *ſic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus*. Vbi vides eximiam optimi regis modeſtiam erga perſonas Deo conſecratas; qui potuiſſet præcedentem negligentiam, quam præter ſcandalum, & diuinam offenſionem, atque indignationem, mors leuitæ conſecuta fuerat, ſeueriore oratione increpare: Vide & paternam charitatem, vno de ſubditis ſuis percuſſo, ſe percuſſum agnoſcit. b 1 Pa.15.12

XIX. *Quam ſanctificati fuerunt.*

SANCTIFICATI *ſunt ergo ſacerdotes, & leuitæ*, nimirum in diem ſequentem, ſi qui forte aliquam immunditiam contraxerant, quæ ad veſperam vſque producebatur: *vt portarent arcam Domini Dei Iſrael, & tulerunt filii Leui*, id eſt ſacerdotes, vt ſupra declaratum eſt, [c] *arcam Dei ſicut præceperat Moyſes, iuxta verbum Domini humeris ſuis in vectibus*, eo modo, quem dixi ex Theodoreto. [d] Quæ autem fuerit huius pompæ diſpoſitio ſuſpicari ex Scriptura poſſumus, perſpicuè explicare nõ poſſumus. Habemus autem, vti dictum eſt, arcam portatam fuiſſe à quatuor ſacerdotibus: neque plures videntur fuiſſe neceſſarij, ſiue quod via breuis eſſet, ſiue quod ſexto quoque paſſu interquieſcendum erat ad ſacrificia: Ad latera aderant quaterni qui dicuntur ianitores arcæ, id eſt cuſtodes, vt ait Lyranus, proſpicientes ne quis temere ad arcam accederet, & turbam ſummouentes, quorum Barachias & Elcana præcedebant, Obededom & Iehias ſequebantur: Abulenſis tamen [e] ait eos ita dictos ab eo miniſterio, quod ipſis poſtea in hac domo c n.11.12.13 d n. 10. e q 11 in c 15.1.Par.

Et qua põpa.

Ianitores qui.

domini demandatum eſt, vel quo in domo Obededonis functi fuerant; eos autem qui abſolutè dicuntur ianitores, illo functos officio in tabernaculo, quod erat in Gabaone, etſi aliter Caietanus.

XX. *Sacerdotum locus, & tubæ.*

Arcam proxime præcedebant nouem ſacerdotes, duo ſacerdotum principes, Abiathar pontifex, & Sadoc, vterque cum veſtibus, omnique ornatu ſuo, & ſeptem alij clagentes tubis coram arca, quorum nomina habentur in textu. [a] Erant autem hæ tubæ ſacerdotales argenteæ, quarum erat vſus in iubilæo, vt placet Abul. [b] quo in numero fortè imitati ſunt ſacerdotes; qui ex Domini præſcripto ſeptenis tubis ad Iericho cecinerunt. Cum his autem videtur præceſſiſſe arcam non exiguus numerus ſacerdotum, ſiue ad canendas Dei laudes, ſiue ad ſacrificandum; quamquam ad ſacrificia fuiſſe videntur immixti leuitarum choris. Leuitæ enim diſtributi erant in 7. choros, vt habetur in 2. Reg. [c] *Et erant cum Dauid 7. chori, & victima vituli*; quæ verba contemnit Lyranus, quod in hebræo nō habeantur; & addita ſint, vt ait, ab hominibus imperitis, ſed dicendum potius ab audacibus licentius expungi; habentur enim in optimis quibuſque editionibus Septuag. quos fas non eſt vocare imperitos, & in edit. vulgata emendata, quibus conſentit Ioſephus [d] *Arcam*, inquit, *in vrbem ſuam tranſtulit Dauid hac pompa, vt à ſacerdotibus deportaretur, deduceretur que à 7. choris, à ſe in hoc inſtitutis, & ordinatis*, &c.

Leuitarum chori 7.

a c 15. v. 24.
b qu. 27. & ſeqq.
c c. 6. v. 12.
Ald. Rom. Baſil Vechel.
d l. 7. c. 4.

XXI. *Quibus conſtarent.*

Qvoniam vero Scriptura non expreſſit, eſſent ne omnes hi chori leuitarum; quidam putauerunt vnum fuiſſe ſacerdotum chorum, ſex autem leuitarum, quorum ſingulis præeſſent illi, qui paulo ante nominati ſunt principes. Alii eos aliter diuidunt, vt eſt apud Abul. [e] quos ipſe non probat: nec tamen alibi ſatis explicat. [f] Dicendum videtur omnes leuitas diuiſos fuiſſe in ordines duos, nam ſecundum ordinem ſcriptura nominat cap. 15. primi Paralip. [g] quorum prior antecedebat arcā poſterior eam ſequebatur, prior ordo tribus choris, poſterior, 4 diſtinguebatur. Primo choro præerat Heman filius Ioël, qui habebat apud ſe Caathitas fratres ſuos. [h] Secundo Aſaph filius Barachiæ, cui ſuberant Gerſonitæ. Tertio Ethan filius Cuſi, ſiue Caſaiæ, qui præerat Meraritis, erant autem omnes cantores, *& cymbalis æreis concrepabant*. [i] Et quoniam prior ordo videbatur honoratior poſteriore, voluit Dauid in priore aliquos de ſingulis leuitarum familiis reperiri, ne qua contingeret honoris, aut præceſſionis cauſa, inter fratres Deo conſecratos æmulatio, atque contentio. Hi ergo erant tres leuitarum chori in primo ordine, quem claudebat chorus ſacerdotum, ipſi arcæ immediatus.

Digeſti in duos ordines.

e 1. Reg. 6. q. 16.
f 1 Par. 15. q. 18. & ſeq.
g v. 18.
h 1 Par. 6. 33 39. 44.
i 1. Par. 15. 19.

XXII. *Ordo poſterior.*

Seqvebantvr arcam quatuor leuitarum chori, vt ſeptem ſint chori leuitici; aut certe tres, ſi in hoc ſepteno numero etiam chorum ſacerdotum numerare placet, ſed eos aut perſonis, aut rebus diſtinguere, ex ipſa Scriptura, alióue ſcriptore non poſſumus. Illa tantum quatuordecim numerat, reliquis omnibus leuitis præpoſitos, quos bipertitò diſtinguit, quorum octo in nablis arcana cecinîſſe dicuntur, [k] reliqui ſex in citharis, pro octaua canebant epinicium. [l] Et fortaſſe illi octo, aut potius ſex, duobus illis arcæ ianitoribus, in alium locum, prope arcam tranſlatis, cum ſuis duos efficiebant choros, iſti vero ſex, totidem. Canebant autem omnes, etiam qui ianitores appellantur, vt docet Abulenſis, [l] ſiue id nomen illis 14 conueniat, ſeu potius duobus poſtremis. Obededoni, & Iehieli. Qui etiam docet eos qui arcana dicuntur cecinîſſe, habuiſſe argumentum ſublimius, & obſcurius ſuorum canticorum, puta de rebus futuris, aut diuinis iudiciis, cum aliis res diuinitus geſtas ſacris hiſtoriis comprehenſas canerent; & victoriale carmen de hoſtibus à Deo ſubiugatis modularentur, quale eſt illud quod à Moſe, & Maria, reliquoque populo Hebræorum in Ægyptiorum ſubmerſione decantatum eſt. Sed de hic hoc loco ſatis.

l. ex.

k 1. Par. 15. 20. 21.
l q. 21.

XXIII. *Progreſſio pompæ & crebra ſacrificia.*

Tota porro pompa lentè admodum procedebat, nam ſexto quoq; paſſu bouem & arietem immolabant, vt eſt in 2. Reg. 6. In 1. autem Par. [m] ſeptem tauri, & ſeptem arietes immolati dicuntur. Nimirum poſterior locus priorem ſupplet, & ex vtroq. integra elicitur hiſtoria. Prior locus docet quid fieret in ſingulis choris, poſterior quid in omnibus ſimul. Cū ergo ſeptē eſſent leuitarū chori, & totidem populus in partes diſtributus eſſet cum eis, vt placet Abul. [n] & arca Domini ſex paſſibus cum vniuerſa pompa proceſſiſſet, arca ſuper præparatam menſam

m 1 Par. c. 15 26.
n Abul. q. 14. & 15 2. Reg. c. 6.

aulæo quopiam inſtratam imponebatur, ſtatimque ſuum à ſingulis choris ſacrificium fiebat in altari, quod in eum vſum commodè circũferri poſſet; boue vno, qui modo taurus, modo vitulus appellatur, & vno ariete immolato coram Domino: ſicq; Deus frequenti ſacrificio honorabatur, & tanto populo epulum de pacificis hoſtiis immolatis parabatur. In quibusdam libris, quos ſecutus eſt Abulenſ. [a] altera hoſtia inſuper additur, nimirum ouis; ſed eam emendata biblia non agnoſcunt, neque in hebræo, aut græco textu tria ſunt hoſtiarum genera, ſed tantum duo; etſi eſt in illis nonnulla diuerſitas. 2 — a 2. Reg. 6. q.15. & 17. — 2. ex.

XXIV. *Qui Deus leuitas adiuuerit.*

Qvod autem dicitur ſacrificatum, *cum Dominus adiuuiſſet leuitas*, non eſt exiſtimandum dilata ſacrificia donec intellectum eſt, adiuuante Domino, leuitas nihil mali eſſe perpeſſos, quod plerique, in quibus Abulenſis ipſe, cenſuerunt: ſed à principio ipſo ſenſiſſe eos mirabili ſe alacritate perfuſos in arca ferenda humeris, Deo id agente; vt clarè agnoſcerent gratam ſibi eſſe hanc arcæ geſtationem, præ vectatione præcedenti. Itaque in hebræo, & græco eſt *in adiuuando*, ſiue *roborando leuitas*. ἐν τῷ κατισχῦσαι θεὸν λευίτας. Quam expoſitionem ſpero non minus probatũ iri lectori, quam hebraicam illam, quam referunt Lyran. Vatabl. Dionyſius, Abulenſ. in 1. Par. cap. 15. qu. 31. Deum videlicet adiuuiſſe leuitas detrahẽdo onus arcæ, ſic vt pondus à leuitis nullum ſentiretur; eoque miraculo excitatos immolaſſe. Verum id genus circa arcam miraculi, tanquam minimè neceſſarium, & inutile fuſe refutat Abul. quamuis ab Hebris adamatum, vt qui eandem arcam volaſſe ſuper aquas in Iordanis tranſitu non dubitarint aſſerere. Ioſ. 2. Ioſephus quoque huc alludens, [b] in tranſlatione arcæ in templum Salomonis ait, neque hymnos canentibus, neque choreas ducentibus laſsitudinem eſſe obortam, dum ad templum peruenirent. Sic legimus apud D. Gregor. homil. 39. in Euangel. Martyrium quendam monachum Chriſtum in ſpecie leproſi ſine vllo pondere tuliſſe. — b l. 8. c. 2. med.

XXV. *Quo modo fierent iſta ſacrificia.*

Altero autem duorum modorum fiebant iſta ſacrificia, [c] vt ſexto quoque paſſu iugularentur duntaxat iſta animalia, id enim propriè eſt immolari, qua voce Scriptura vtrobique vtitur: quæ autem cremanda erant reſeruarentur comburẽda in domo Domini coram arca, idque videtur ſignificari initio capitis decimi ſexti fuiſſe factum. Secundo vt ſacrificia integrè fierent, omnibus mature rite præparatis, quæ ad illa requirebantur; idque toto itinere, quod breue erat, & à multis ſacerdotibus ſeptem in locis ſimul ſacrificantibus: præſertim cum perpauca comburerentur, vtpote in ſacrificiis pacificis, nimirum adipes, cũ cauda & renibus arietum. Et hunc modum magis probat Abulenſis, quod prior eſſet contra communem & ordinarium ſacrificiorum ritum: & merito timendũ erat, ne dimidiandis hiſce ſacrificiis Dominus non minus offenderetur, quam temeraria vectatione arcæ, illiuſue contactu. Eum itaque ſacrificandi modum, neque Dauidem elegiſſe, neque præſentem pontificem permiſiſſe putandum eſt. — c q.16. in 1. Par. 15.

XXVI. *Veſtes Dauidis in hac ſupplicatione.*

Neqve vero exiſtimandum eſt Dauidem, qui honorandi numinis cauſa regias veſtes depoſuerat, neque glorioſus apparere in conſpectu Domini cupiebat, eum offendere, in vſurpando cultu, veſtituque leuitico, non reformidaſſe. Legimus tamen eum indutum fuiſſe eodem modo quo leuitas. *Porro Dauid erat indutus ſtola byßina, & vniuerſi Leuitæ, qui portabant arcam.* Eam autem ſtolam byſſinam mox ephod lineum interpretatur. Verum cum leuitis nullæ propriæ veſtes diuinitus aſſignatæ fuerint, ſicut ſacerdotibus; potuerunt laici, modo ne in contemptum leuitici ſtatus, iiſdem cum illis vti veſtibus, vtpote non ſacris; [d] quales erant ſtolæ byſſinæ, quibus inter miniſtrandum, & cantandum vtebantur, qualia ſunt ſuperpellicea, quibus nunc alij præter clericos vti ſolent, & quidem ſine culpa, aut reprehenſione cuiuſquam, præſertim in ſupplicationibus, & pompa ſolenniore, qualem vidimus Pariſiis non ſemel, cum S. virginis Genouefæ lipſana, à laicis in ſtola byſſina multo cum apparatu deferrentur. *Erant*, inquit Theodoretus, [e] *ſuperindumenta ſacerdotalia, erant & communia. Eſt autem perſpicuum quod magnus Dauid, cum eſſet pius ac religioſus, legem non eſſet transgreſſus, neque ſacerdotalem auſus eſſet induere veſtẽ: ſed docet oratio quod cum arcã præcederet, & ſaltaret, non erat veſtibus amictus regiis, ſed ſuperhumerali ſolo.* Septuag. habent ἐνδεδυκὼς στολὴν ἔξαλλον. id eſt, ait Procop. — d Abul. q. 40. — e in 1. Par.

inſignem variis gemmis & coloribus diſtinctam; Serarius mauult inuſitatam, & vilem habita ratione perſonæ: & quidem tripudio, & ſaltationi operam daturæ. quo pertinet illa eius ad vxorem vox, *ludam & vilior fiam.* Itáque ſentit Abulenſis. [a]

a q. 42. in c.15.

XXVII. *Eius ad arcam ſaltatio,*

DAVID ergo miro ſpiritus feruore concepto, & locum regiæ maieſtati debitum dimiſerat, regiaſque veſtes, & inceſſum regium, ſeque inter leuitas inſinuauerat, indutus cum ipſis ſtola byſſina, & ephod lineo, ſi eorum ſententiæ libet accedere, [b] qui ea diuerſa putant, & ephod ſtolæ, ſiue tunicæ lineæ ſuperpoſitam, & *ſaltabat totis viribus ante arcam*, [c] aptans videlicet vocem motumque corporis muſicis inſtrumentis, vel quæ alij pulſabant, vel quæ tangebat ipſe, & quidem non obiter, & perfunctoriè, ſed diu, atque ad defatigationem vſque, & coniugis irriſionem, quo eius virtus & patientia exerceretur. *Cum enim intraret arca Domini in ciuitatem Dauid*, nuper Iebuſæorum arcem, cum mirabili totius populi lætitia, *Michol filia Saulis proſpiciens per feneſtram vidit regem Dauid ſubſilientem, atque ſaltantem coram Domino, & deſpexit eum in corde ſuo.* Sed neque interno contemptu ſuperba mulier contenta fuit, prodiit contemptus foras, ſeque à maioribus verbis non impunè prodidit, vt mox dicetur.

b vide Tig. & Vatab. & antiq. verſionē apud eos.
c 2. Reg. 6 14 & 1 Par. 15.27.

cum Michelis contemptu.

XXVIII. *Quis arcæ cultus in Sione.*

SEQVITVR poſtremum eorum, quæ de arcæ translatione propoſueramus cum Scriptura dicenda, Quis ſcilicet cultus arcæ in Sione delatus, Is cap. 16. primi Paralip. explicatur: *Attulerunt*, inquit, *arcam Dei, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi*, ſiue tentorij, *quod tetenderit ei Dauid*, quo ſcilicet obuoluebatur quaſi Moſaïco velo, ne qua ex parte pateret humanis aſpectibus, vectibus duntaxat modice extuberantibus, & de arcæ præſentia monentibus. De hoc loco & tabernaculo à Dauide præparato, iam paulo ante dictum eſt. [d] Et mox ſatis intelligitur extra regiam fuiſſe hanc domum, quoniam poſtquam in eo ſacrificatum fuit, dicitur reuerſum fuiſſe Dauidem in domum ſuam, vt ei benediceret, erat igitur tunc extra eam.

d N. 6. & ſeqq.

XXIX. *Ibi quamprimum ſacrificat cū populo.*

CONSTITVTA arca in loco ſuo, quaſi ſponſo in thalamo ſuo, & decenter iuxta legem Domini circuntecta, *obtulit Dauid holocauſta, & pacifica* ſacrificia *coram Domino*, neque obtulit modo, ſed & populum ſuum ad eadem pietatis officia inuitauit, pſalmo in id compoſito, qui eſt ordine vigeſimus octauus, & inſcribitur: *Pſalmus Dauid in conſummatione tabernaculi*, cuius initium eſt, *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, neque fruſtra inuitauit, obtulerunt enim etiam ipſi: itaque cum ſingulariter de Dauide offerente dictum eſſet, [e] *& obtulit Dauid holocauſta, & pacifica*, in lib Paralip. pluraliter dicitur, *obtulerunt holocauſta, & pacifica coram Domino*: quæ diuerſitas etiam in hebræo reperitur, & græco. Ex quo etiam conſequens eſt ante tentorium arcæ ſub dio excitatum fuiſſe altare nouum holocauſtorum, cui victimæ imponerentur, ad quod hoſtiarum ſanguis funderetur, in quo tum adipes, tum tota animalia exurerentur, cæteraque legitima perficerentur. Nam altare æneum, quod Moſis iuſſu fabricatus erat Beſeleel, in Gabaone remanſit, vt Scriptura non ſemel affirmat. [f]

e 2. Reg. 6. 17.

f 1. Par. 16. 39 40. & 2. Par. 1.5.

XXX. *Eumque benedicit,*

CVMQVE compleſſet Dauid *offerens holocauſta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituũ*, eos ſcilicet ſalutauit, ſicut mox dicitur Michol benedixiſſe Dauidi. Benedixit, quia laudauit de adhibita opera in honoranda arca Domini, tam pręſentiam exhibendo ſupplicationi, quam ſacrificiis religioſè offerendis, eóque modo benedicimus Domino, quem laudamus propter magnam gloriam ſuam; cui gratias agimus pro acceptis beneficiis. Benedixit populo in nomine DOMINI, cum eis à Domino precatus eſt omnium bonorum abundantiam, ſicut cum Heli benedixit Annæ & Helcanæ [g] poſt oblatum Domino Samuelem. Sed nec pontificem Abiatharem iſti muneri tam ſolemni die, tantaque occaſione defuiſſe credendum eſt, præſertim cum ſolemnis in lege præſcripta eſſet benedictio, qua is populum proſequi debebat. *Loquere Aaron & filiis eius*, inquit Dominus, [h] *ſic dicetis filiis Iſrael, & benedicetis eis. Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te. Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.*

g 1. Reg. 2. 20.

h Num. 6. 23.
i 2. Reg. 6. 19.

XXXI. *Et liberaliter accipit.*

NEQVE verbis tantum populo benedixit Dauid, ſed rebus ipſis benigne fecit. [i]

Nam *partitus eſt vniuerſæ multitudini Iſrael, tam viro quam mulieri, ſingulis collyridã panis vnã*, ſiue vt habetur in 1. Par.[a] *tortam panis*, vtrobiq; Pagn. habet placentã panis dedit & *aſſaturam bubulæ carnis vnã*, id eſt partem aſſæ carnis bubulæ, vt in altero loco explicatur, *& frixã oleo ſimilam*, pro qua quidam pultem, alij lagenam, vini videlicet, ſubſtituunt. At Ioſeph.[b] *In ea feſtiuitate*, inquit, *ſumptuosè, ac ſplendidè ſacrificatũ eſt, & totus populus exceptus conuiuio, vt tã mulieribus quã viris ac pueris in ſingulos diſtribueretur libum panis ſubcineritij*, Gelen. addit de ſuo ſubcineritiũ; id enim Ioſeph. non habet, neque enim vox ***** id requirit, neque verſio Rufini. Sed pergit, *& laganum frixum, & fruſtum de victima*, aſſum videlicet, *atque his epulis populo paſto, ipſe domum reuertitur*. Vbi vides nullam fieri lagenæ vini mentionem, ſicut neque apud Septuag. aut Chald. aut vulgatam: eam tamen adamarunt hebraizantes. Sed eam ſatius erit reſeruare conuiuio domeſtico, ſi forte, vt videtur, Dauid eo excepit primarios quoſque viros, de ſacerdotibus præſertim ac leuitis, iuxta Domini mandatum.[c]

a 1 Par. 16. 3.
b l. 7. ant. c. 4.
Sixti. Reg. Ald. &c.
c Deut. 12. 18. 19.

XXXII *Officia ſua leuitis diſtribuit,* PRIVSQVAM autem reuerteretur Dauid in domum ſuam, ſua leuitis officia diſtribuit, [d] non vtique temerè, ſed vti prius animo deſtinarat: Eos autem omnes bipertito diuiſit, vt alij apud arcam Domini in arce miniſtrarent, alij in excelſo Gabaonitico, vbi relictum fuerat tabernaculum, cum altari holocauſtorum, vt ſæpius dictum eſt. Prioribus præfecit leuitam Aſaph; poſterioribus ſacerdotem Sadoc, quem non rectè Abulenſis pontificem hoc quoque tempore fuiſſe putat, vt alio loco diſputatum eſt.[e] Vtriſque autem præpoſitum fuiſſe Abiatharem pontificem dubitandum non eſt, neque id addi oportuit; *duobus in locis.* nihil enim à Dauide circa eius dignitatem, atque authoritatem innouatum eſt;[f] & qui toto regni Dauidis tempore pontifex fuit, etiam omnibus ſacris functionibus, tam quæ Gabaone, quam quæ Sione exercebantur, & vtriuſque loci ſacrificiis diuino iure præpoſitus fuit. Ea tamen ſacrificia ita diſtinguit Toſtatus,[g] vt Gabaone fierent, quæ erant legitima, ac neceſſaria; in ciuitate autem Dauid, quæ votiua, aut priuatæ deuotionis.

d 1. Par. 16. & v. 7.
e 1 Abiat. n. 1. 3. & ſeq.
f vide Abu. 1. Par. 16. q. 14.
g 2. Reg. 6. q. 22. & 1. Par 16 q. 5. & 15.

XXXIII. *Qui in Sione.* CÆTERVM *conſtituit Dauid*, ait Scriptura, [h] *coram arca Domini de leuitis, qui miniſtrarent, & recordarentur*, ſiue reuocarent in memoriam ſibi, populoque opera Domini, *& glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Iſrael, Aſaph principem & ſecundum*, ſiue vicarium *eius Zachariam*. Voluit quoque duos eſſe ſacerdotes Banaiam, & Iazielem, *qui iugiter tuba canerent coram arca fœderis Domini*, tempore quo fiebant ſacrificia, ſiue ordinaria & legitima, vt vult Lyra. ſiue quæ ex Dauidis, aut populi deuotione offerebantur, vt mauult Abulenſis. De quibus tubarum ſono monebatur populus, aut ad ea euocabatur.

h 1 Par. 16. v. 4. & 6.

Quæ ibi canerentur. Porro quæ propoſita dicuntur ad canendum, ex duobus Pſalmis elicita, [i] videntur fuiſſe quæ tunc temporis fuerunt decantata: neque enim eadem perpetuo canebantur, ſed pſalmi grata viciſſitudine mutabantur, etſi Hebræi in ſeder Olam aliter ſenſiſſe videantur.[k] *Aſaph*, inquiunt, *& fratres eius mane canebant pſalmum 10 . Confitemini Domino, & inuocate nomen eius*, &c. vſque ad verſum, *Nolite tangere chriſtos meos. Inter duas veſperas cantabant ſequentem pſalmum, Cantate Domino omnis terra, annunciate de die in diem ſalutare eius, ad finem vſque. Et dicat omnis populus Amen, & hymnus Domino. Atque iſta*, vel his ſimilia, *quotidie per quadraginta tres annos canebant in Sion ante arcam, quouſque eam collocaret Salomon in æde fixa, & immobili quam ipſe ædificauerat*. Sic ipſi. Sed fallax eſt eorum chronologia. Oportuiſſet enim Dauidem ſtatim à morte Saulis, inito q; regno in Hebron, hanc arcæ tranſlationẽ feciſſe; cum non niſi poſt initum regnũ ſuper omnes tribus, ei operi vacaſſe cõſtet: inſuperq; addendum ſit biennium de quo præcedẽti anno [l] diximus. Itaque apparet mendum in chronologiam irrepſiſſe, & pro quadraginta tribus ab ipſis lectum eſſe triginta tribus omiſſo, quod dixi biennio.

i Pſal. 104. & 95.
k 1. p. c. 14.
l Dauidis an. 10. nu. 7.

XXXIV. *Qui rebus reditibus ſuſtẽtarentur.* NON videtur autem omittenda illa quæſtio, quibuſnam reditibus ſuſtentarentur iſti leuitæ, qui apud arcam in Sione miniſtrabant. Nam de iis qui a multis annis Gabaone Domino ſeruiebant, eadem ratio quæ prioribus ſæculis obſeruabatur. Vt ſcilicet leuitæ acciperent omnes decimas filiorum Iſrael, pontifex decimam partem decimarum; reliqui ſacerdotes omnia iura ſacrificiorum, & oblationum, & primitiarum, & redemptionum, & votiuorum, &c. Ex qui-

bus omnibus ſumma quædam conflabatur, quæ in quotidianas diſtributiones conferretur, dareturque iis, qui præſentes erant ſacerdotalibus, aut leuiticis functionibus. Quandiu ergo omnes iſti Gabaone miniſtrabant, æquum fuit vt omnes quoque diſtributiones eis darentur, diminuto autem & tranſlato operariorum ſacrorum numero, æquum etiam fuit vt pars redituum proportione transferretur. Quamquam probabile quoque putat Toſtatus, [a] eos qui nunc Hieroſolymis miniſtrarunt, tam ſacerdotes quam leuitas, regia Dauidis munificentia fuiſſe ſuſtentatos. Quæ autem ſingulis ex paterna hæreditate prouenie-bant, [b] habebant enim vrbes, & domos, & pecora, & ſuburbana, quæ ad filios tranſmitterent, eadem vtrouis in loco immota permanebant. Sed iam tempus eſt vt domum cum Dauide reuertamur.

An regis liberalitate.

a 1. Par 16. q 35.

b Deut. 18. 8.

XXXV. *Ecce ut domũ Dauid.*

Reversvs *eſt* enim *Dauid, vt benediceret domui ſuæ,* [c] vel ei bene precaretur, ſicut benedixerat populo, vel vt partem epularum ex ſacrificiis diſtribueret, vt alij explicant: talia enim munera benedictiones in Scriptura crebro appellantur: *Suſcipe*, inquiebat Abigail, [d] *benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua*. Abul. benediceret domui ſuæ, id eſt curam illius gereret, vel quod magis eſt conſentaneum præſenti celebritati, cum domeſticis & amicis, & primariis viris, vt ante dixi [e] lætus epularetur, quod omnia recte ſucceſſiſſet Domino non ſolum leuitas adiuuante, ſed regem, & clerum, & populum vniuerſum benignisſime protegente. Quidam Hebræi, apud S. Hieronymum [f] benedictionem per antiphraſim interpretantur, quoniam Micholem increpuerit: at neque illam ob cauſam domum venit, neque adhuc patefacta fuerat illius culpa, in regis mariti contemptu, nondum certè huiuſmodi voculæ, mulieris de Dauide obtrectantis: ad illius notitiam venerant.

c 1. Par. 16. 43. & 2. Reg. 6. 20.

d 1. Reg. 25. 27.

e N. 24. & nu. 30.

f in trad. 1. Par. 6.

XXXVI. *Excipitur à Michole cum increpatione,*

Michol ergo, quæ domi ſubſtiterat, neque communi interfuerat celebritati, cum prius Dauidem ſaltantem contempſiſſet, conceptum animo dolorem diu retinere non potuit, ſed cum venienti Dauidi officioſè, vt par erat, occurriſſet, eique, vt habent Septuag & cum iis Ioſephus, & quædam antiquæ editiones apud Abulenſem, [g] benedixiſſet, ſiue eum ſalutaſſet. *Quam glorioſus*, inquit, [h] *fuit hodie rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.* Ironicam locutionem ſentiunt omnes. Michol autem, quæ ſaltantem ante contempſerat, nunc denudatum reprehendit. Caietanus hanc nuditatem interpretatur non ſolum regij ornatus depoſitionem, ſed etiam detectionem parum decentem, licet membra non nudarentur, quia linea veſtis ſuperhumeralis non tegebat totum hominem, ſicut toga, vel pallium talare: *Nam nec brachia*, inquit, *nec latera nec tibiæ tegebantur ſuperhumerali veſte; propter hoc enim diſcoopertus dicitur, ac ſi hodie rex cum ſolis caligis & thorace, habens deſuper ſuperhumeralem amictum lineum, publice in ſacris appareret. Et hic videtur verus ſenſus: & confirmatur, quia talis veſtium forma requirebatur ſaltanti, & ſubſilienti totis viribus, nec maior nuditas requirebatur.* Sic ipſe.

g q. 41. in c. 15. 1. Par.

h 2. Reg. 6. 20.

Quæ Dauidis nuditas

XXXXII. *Non inhoneſta;*

Neqve tamen conuenit exiſtimare Dauidem in hac non ioculari, ſed religioſa ſaltatione, immemorem fuiſſe honeſtatis; aut non ſatis prouidiſſe ne contra eam caſu aliquo peccaretur. 3 Etſi aliter Toſtato viſum, [i] qui etiam propterea recte eum à Michole reprehenſum dicit, & reuera fuiſſe increpatione dignum, qui nimium regiam dignitatem deiiceret, & motus ederet ſcurriles, & viro probo indecoros. Quin & alibi [k] ait teneri omnes rectores populorum, & potiſſimè prælatos, obſeruare grauitatem in actibus, & habitu, & modeſtiam in ſingulis rebus: alioqui ſi propter eorum leuitatem contemnitur popularis diſciplina, & inſtar puerorum habentur, mortifere peccare, hoc ipſo quod ſe contemptibiles reddant. *De Dauid autem*, inquit, *ſic erat quodammodo. Nam ipſe apparuerat leuis in duobus, primo quia ſaltabat & ſubſiliebat, quod ad pueriles ludos pertinet, non ad graues mores. Secundo erat leuis, quia exutus regalibus inſignibus, induit ſe tunica byſſina, vnde quodammodo recte indignata eſt Michol redarguens eum.* Sic ipſe, ex patria vtique diſciplina, quæ grauitatem habet à teneris vnguiculis plurimùm commendatam; & leuitatem vehementer aſpernatur, ac merito reſpuit.

3. ※.

i 1. Par. 15. q. 42.

k 1. Reg. 6. q. 19.

Licet arguatur à Toſtato.

XXXVIII *Defenditur.*

Vervm huiuſmodi ſaltationes, & depoſitiones veſtium, quæ natura ſua in culpa

non ſunt, non æque vbique gentium improbantur, aut æque apud populos omnes male audiunt, aut principes in contemptum adducunt; certe nullum eſt in ſcriptura veſtigium, Dauidem apud quemquam, præter ſuperbam vnam mulierem, regio ſanguine tumentem, quamque S. Gregorius [a] ex tumore regij ſanguinis inſanam vocat in cōtemptum veniſſe. Cum autem in diuino cultu adhiberentur, non dedecori erant, ſed admirationi. Ex Romana grauitate ac moribus, maledictum erat ſaltatorem dici, [b] & accuſatur nobilis mulier quod pſallere & ſaltare noſſet elegantius, quam neceſſe eſt probę. [c] Salij tamen apud eoſdem, Martis ſacerdotes erant, nec alij, quam patritij, quorum maxime ſolemnis ceremonia, ſaltatio. Eos quippe Numa, cœleſtia arma quæ ancilia appellantur ferre, ac per vrbem ire canentes carmina cum tripudiis, ſolemnique ſaltatu iuſſit, vt author eſt Liuius. [d] 4 Hæc ipſa cauſa Dauidem in veri Dei cultu culpæ immunem reddit, cuius ſaltationem Deo gratam fuiſſe ne Abulenſis quidem negat; [e] nec in ea Dauid, etiam poſt reprehenſionem, culpam agnouit, imo ſe perſeueraturum profeſſus eſt. Laudant etiam Dauidem ſaltantem Ambroſ. Angelom. & alij. Vide Serar. hoc loco.

Saltatio religioſa honorata Romanis.

a l. 17 Mor. c. 17.

b Cic. pro Mur.

c Sempronia apud Saluſt.

d Liuius l. 1 4. 2.

e 1. Reg. 6. q. 19.

XXXIX. *Quæ Micholem excuſent.* 1. 2. 3.

QVAMVIS autem non deſint, quæ pro Michole dici poſſint, vt quæ nullo in Dauidem deteriore motu ferebatur, quem à tot annis dilexerat, cuius beneuolentiam paternæ antetulerat, pro cuius ſalute ſuam in diſcrimen vocarat; vt quæ zelo regij honoris mouebatur, cuius imminutio in magnum populorum detrimentum vergit, eorum decreta facile contemnentium, quorum perſonam deſpicatui habuerint; priuatim etiam, vt par eſt credere, regem admonuerit: In culpa tamen eam fuiſſe dubitari non debet, cum eam Deus, vtique non iniuſta caſtigatione, puniuerit, & quidem ea caſtigatione: quæ principibus fœminis ſolet eſſe grauiſſima, vt fructu coniugij perpetuò careant. Ea pœna Micholi acerbiſſima fuit, quæ quod eſſet regis filia, & prima vxorum Dauidis, non temerè ſperabat vnum aliquem de filiis ſuis, in regium Dauidis ſolium euectum iri. Sed Dominus, qui Saulis domum, quod ad regnum Iſraëlitarum attinet, funditus repudiarat, vel hanc ipſam ob cauſam mulieri non malæ fœcunditatem negauit, vt Theodoretus notauit, [f] atque Procopius.

Quæ accuſent.

Vt punita diuinitus.

f in q. 22. 2. Reg

XL. *Peccauit maxime in modo.*

VT autem reprehendentis intentio mala non fuerit, nec finis valde accuſandus, modus tamen ipſe reprehenſionis, reprehendendus eſt, quamuis ab vxore regiæ ſtirpis profectus, & vxore bene merita, quæ prior iuuenem, neque natalibus illuſtrem, neque diuitiis ſubnixum dilexiſſet, & fortiter, conſtanterque diligeret. Regem enim cum ſcurris, & nebulonibus, quaſi fatuum, ac mente captum comparare non dubitauit: mulierculis ridiculum dixit; quod & viro & regi perquam ignominioſum eſt. Sicut enim magis probroſum eſt mulieri turpe aliquid coram viris agere, quam cum ſui ſimilibus fœminis; ita maius eſt dedecus viro coram mulieribus turpiter ſe gerere, quam coram viris, quia eo quis magis contemptus redditur, quo à viliore contemnitur vir ſcilicet à muliere. Et eo quis magis confunditur, quo apud eum confunditur apud quem optimam affectat opinionem, vt mulier apud viros. Denique reprehendit Michol Dauidem in eo, in quo erat vehementer laudabilis, ac glorioſus; vt qui Dei honorandi cauſa, ipſe ſe abiiceret, & quantum in ſe erat, deridendum ſe præbens, ſuum illi honorem conſecraret.

Et arguens quod erat laudabile.

XLI. *Reprehenditur à Dauide cōmotiore.*

DAVID autem acceptam hanc è muliere contumeliam tacitus non tulit, ſiue quia ea in Dei iniuriam redundabat; eſt enim irriſio potentiſſimum dæmonis telum, ad retrahendos homines à Dei cultu, in iis operibus, quæ pudorem aliquem iniiciunt authoribus ſuis: ſiue quia & regis erat, & coniugis, vxorem delinquentem arguere, & emendare. Factus autem videatur ex irriſione muliebri commotior, vt qui ſtatim à iureiurando ordiatur, quod ab hebræo ſuppreſſum interpres latinus expreſſit: nec minus animi motum truncata in hebræo locutio repræſentat, illius qui dixit, *Iraſcimini & nolite peccare. Viuit Dominus.* inquit, *quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domum eius.* Abiicere ſe vult non coram hominibus, quorum factus eſt caput & princeps, ſed coram Deo, cuius ſe ſeruulum

Defendente factum ſuum.

agnoſcit; calcare vult humanum faſtum, in gratiam eius, qui ipſum extulit in apicem humanæ dignitatis: aſſumere vult plebeia indumenta, illius honorandi gratia à quo regia purpura, ſceptro, & corona honoratus eſt. Eligit ei placere præ omnibus, à quo factus fuerat vir ſecundum cor eius, & in quem transfuderat omnem dignitatem, quam antea Domino eius, & regi, & ſocero contuliſſet.

XLII. *Et exprobrante mulieri reprobationem patris.*

Comprimit autem faſtum mulieris, quam fiducia generis tumidam reddebat, atque audacem, quando illi exprobrat diuinam tam parentis eius, quam vniuerſæ in poſterum familiæ reprobationem: qui Saulem ita elegerat, vt mox ipſum electionis quodammodo pœniteret, & de tot filiis eius neminem patri ſuffecerat; etſi paſſus eſt ad tempus aliquod vnum precario regem fieri, & nomine tenus imperare. Cum ipſe vice verſa præceptum acceperit ſuſcipiendi imperium in Iſraël & Iudam, ad vniuerſum Dei populum cum ſumma poteſtate gubernandum; & ſcilicet cum bona ſpe regni in ſeram poſteritatem tranſmittendi. Itaque tantum abeſt, vt Dauidem pœniteat vltro ſuſceptæ ad Deum honorandum humilitatis, vt eam etiam amplificare conſtituat. *Ludam*, inquit, *& vilior fiam plusquam factus ſum: & ero humilis in oculis* & æſtimatione mea, quantumcumque alii me, meaque efferant, atque deprædicent. Nimirum Saul cum paruulus eſſet in oculis ſuis, caput in tribubus Iſraël factus eſt, [a] & mox propter ſuperbiam repudiatus atq; abiectus eſt. Denique honorandi Dei cauſa, vt tibi oculi magis doleant, ancillarum oculos, cenſuramque non reformidabo: ſicq; Domini erga me benignitatem conciliabo, cui animi demiſſio gratiſſima eſt.

[a] 1. Reg. 15. 17.

XLIII. *Sterilitas Micholis.*

Vide autem diuinum iudicium atque animaduerſionem, ſuperbiam Micholis penitus atterentem. *Igitur* [b] propter eam ſcilicet aduerſus Dauidem ſuperbiam, atque contemptum, *Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſque in diem mortis ſuæ.* Imo ne illo quidem die, licet ita putarint Hebræi quidem in traditionibus ſuis: quod ſatis ſupra dum de Dauidis vxoribus ageretur [c] refutatum eſt. Hic tantum addam ex Theodoreto, quid ipſe Ioſephum ſecutus de Micholis ſterilitate ſcripſerit. [d] *Docuit*, inquit, *historia* ſacra videlicet, *quod Micholi quidem filiæ Saul, non fuit filius vſque ad diem mortis ſuæ. Neque tamen propter eam cauſam manſit ſterilis; ſed vt nullus regnaret ex eo ſemine. Eſt enim veriſimile populum fuiſſe prælaturum eum, qui vtrimque generis claritate fulgeret.* Nimirum eum Ioſephus induxit in fraudem, apud quem legerat. *Hæc Michole ex Dauidis coniugio nullos filios peperit, ſed ex alio marito, cui pater à priore abſtractam tradidit, quinque liberos genuit*; imo ſororis filios adoptauit, vt hoc loco Abulenſis, [e] & paſſim omnes Catholici interpretantur illum locum, in quo Micholi quinque filii videntur attributi. [f]

[b] 2. Reg. 6. 23 apud Hier.
[c] an. Dau. 2. num. 12.
[d] q. 21. in 2. Reg.

Præter Theodoreti, & Ioſephi mentem.

[e] 2. Reg. 6. q. vlt.
[f] 2. Reg. 21. 8.
[g] l. 7. de Saio c. 4.

XLIV. *Quæ eius cauſa.*

Scribit Pineda [g] Dauidis pietatem & ſanctitatem vxorem Michol effeciſſe ſterilem, quod ſcilicet ab ea perpetuo deinceps abſtinuerit, quia ei religioſa viri tripudiantis coram arca Domini pietas diſplicuiſſet. Verum id valde mihi profecto dubium videtur. Neque enim arbitror tantam manſuetiſſimi Dauidis extitiſſe ſeueritatem, erga ſibi dilectam Micholem, vxorem pubertatis ſuæ, cuius interuentu in regiam familiam aſſumptus fuerat, quæ zelo honoris eius, de quo agi tum videbatur deliquerat, vt tam acerbam ab ea, & odioſam vindictam repeteret. Sterilem potius natura fuiſſe dicendum eſt. Alioqui, cum vndecimum iam annum cum Dauide regina viueret, vt omittatur illud omne tempus, quo viuo Saule cum eo vixit, aliquid certe liberorum ſuſcepiſſet. Ob hanc igitur culpam perſeuerauit naturæ vitium, & tranſiit diuino iudicio in pœnam, ſicut iris in ſignum, vt in Noëtico diluuio explicatum eſt, anno ab orbe condito 130. num. 18. & 1657. num. 28.

Naturæ vitium in pœnam tranſiit.

XLV. *Conſilium Dauidis de templo & ratio temporis.*

Conceptvs à pientiſſimo Dauide in arcæ tranſlatione deuotionis feruor, eiuſdem zelum diuini honoris accendit, & ad aliquid amplius, & præſtantius pro diuinæ maieſtatis cultu, & arcę Dei gloria audendum, & ſuſcipiendum incitauit. Id priuſquam explicare aggrediamur, de temporis ratione dicendum, hanc Dauidis deliberationem, & omnia quæ cum ea coniuncta ſunt, in hunc annum eius vndecimum cadere, vt ſeries ipſa ſacræ narrationis poſtulat: fateturque Abulenſis hoc loco conſilium de templo ædificando breui ſuſceptum à Dauide, poſt arcam in Sione collocatam.

2 Reg. 7. q. 1. & 1. Par. 4.

Itaque etiam Torniel. viſum; [a] quæ mihi chronologia viſa eſt probabilior ea, quæ hanc omnem deliberationem differt in annum ſequentem, ita ſenſit Pineda noſter in ſuo Salomone, [b] ſed tardior vno anno videtur nobis eius chronologia, propter nimium dilatum geminum bellum Philiſthæorum contra Dauidem, quod ipſe in annum regni Dauidis decimum, nos in nonum retulimus, quorum prius etiam in octauum retulit Torniellus. Itaque deinceps vno ab eo anno diſcrepare cogemur, donec occurrat, quod nos in vnam eandemque viam reducat: Habetur porro hæc tota narratio 2. Reg. 7. & 1. Paral. 17. 5

a 4. Ætat. 447. n. 5.
b l. 8. c. 4.

XLVI. *Occaſio de liberationis requies.*

5 ℞.

FACTVM *eſt* ergo *cum ſediſſet rex in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis.* Hæc eſt occaſio inuitans Dauidem ad ſuſcipiendam templi ædificationem. Eam requiem Ioſephus proſperitatem interpretatur, ait enim. *Cæterum rex videns res ſuas quotidie ſucceſſibus per Dei fauorem proficere.* Alij multo ſcripturæ propius, in quibus Dionyſius, aiunt hanc ædificandi templi mentem inditã Dauidi, poſt debellatas, circumquaq; nationes Iudæis inimicas, At Syri debellati non erant, neque aliæ nationes, quibus cum non ita multo poſt pugnauit Dauid. Dicẽdum potius cum Abulenſi [c] requiẽ fuiſſe Dauidi ab hoſtibus, quod poſt debellatos Philiſthæos, nemo illum bello petere auderet, & quieturi eſſent omnes, niſi eos prior Dauid inuaderet; ſicut proximo anno fecit. Itaque cum Salomon dixit Tyrio regi, [d] non potuiſſe Dauidem ædificare domum Domino *propter bella imminentia per circuitum*, de bellis quæ Dauid ipſe mouebat contra hoſtes ſuos intelligendus eſt: qui alioqui quieturi erant, & Dauidi quietem libenter permiſſuri.

c 3. Reg. 5. 3
d 3. Reg. 5. 3.

XLVII. *Cauſa pietas Dauidis.*

OCCASIO hæc fuit, cauſa autem pietas Dauidis, ac religioſa voluntas Deum honorandi, colendique magnificentius, quando illum tam liberalem erga ſe hactenus eſſet expertus. Inſita porro pietas ea comparatione acuebatur, quam illa verba continent, quæ dixit ad Prophetam Nathan *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium?* 6 At, vides ne tu lector, vt Dauid eodem animi motu afficiatur, quem Deus ipſe longe poſt præ ſe ferebat, cum per Aggæũ [e] prophetam diceret, *Nunquid tempus vobis eſt vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta?* Et mox, *domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.* Vides ne vt tam ſollicitus ſit diuini cultus, ipſum vt prophetam, & pontificem, quorum maxime munus erat iſta cogitare, & regi ſuggerere, ſponte ipſe præueniat, & tacite neglecti officij commonefaciat? Vides ne vt religioſiſſimus princeps, ad quandam ſui reprehenſionem pertinere arbitretur, quod ipſe regiæ domus ſplendorem prius & potius curaſſe viſus fuiſſet, quam arcam, & tabernaculum domini? [f]

6 ℞.
e Agg. 1. 4.
f vid. Pined. l. 5. c. 5. nu. 24. Sciat hoc loco.

XLVIII. *Ædificatio conueniens, non neceſſaria.*

NON negat rex domum ſuam fuiſſe lapideam, ſed intelligit tabulata, trabes, tigna, aſſeres, ianuas, feneſtras, cæteramque ligneam materiam cedrinam, eoque ipſo pretioſam fuiſſe, ex Libano mõte, & Tyro vſque aduectam; vt ſupra [g] declaratum eſt: *Peccare ſe putauit*, ait Ioſephus, [h] *quod cum ipſe habitaret in alta regia, cedrinis trabibus extructa, & omni exornata artificio, arcam pateretur in tabernaculo iacere*; ſub dio videlicet more tentoriorum, & tabernaculorum militarium. Porro cum nullum extaret præceptum diuinum de templo extruendo (negat enim Dominus ipſe quemquam à ſe mandatum accepiſſe, de ædificanda Deo domo cedrina) nullum erat in ea ceſſatione peccatum: neque id ignorauit Dauid; ideóque neque ſe peccare putauit, ſed tantum indecorum cenſuit, [i] Neque in Deuteronomij 12. vbi crebra eſt mentio loci, quem elegerit Dominus ad ſacrificia, templum aliquod magnificum memorat, aut requirit. Adeo vt ei legi hactenus in Silo, Nobe, Gabaone factum ſatis videri poſſit. Itaque ſignificauit Dominus hoc eſſe ſupererogationis opus, non iuſtitiæ. [k]

g 2. Reg. 5. 11 an Dauid 8 n. 19.
h c. 7. c. 4. fi.
i Abul. q. 3. in cap. 7. l. 2. Reg. [illegible]
k 3. Reg. 8. 8.

XLIX. *Quis Nathã Propheta, non filius Dauidis.*

SED quis eſt hic Nathan propheta? Non ſane id plane conſtat; cum is ex inſperato hic prodeat, quemadmodum ſuperius [l] Gad Propheta, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia. Et certo quidem conſtat non fuiſſe filium Dauidis, [m] qui dictus eſt Nathan, nam is ſuſceptus eſt è Bethſabæa, vt ex 1. Paral. liquet: [n] ideoque neque natus erat hoc tempore. S. Hieronymus ex traditionibus [o] hebraicis refert hunc Nathan eũdem fuiſſe cum Ionatha filio Semmaa fratris Dauidis, qui inter Dauidis Heroës numeratus eſt, fuerit ergo Dauidis nepos, ſed ei ætate

l 1. Reg. 22. 5.
m 2. Reg. 5. 14.
n 1. Par. 3. 5
o 2. Reg. 21. 21.

DAVID CVPIT TEMPLVM ÆDIFICARE.

ſuppar, iuxta ea quæ nono Saulis anno dicta ſunt. Verum non minus fortaſſe fidei tribuendum eſt Abulenſi, quam Hebræis iſtis, qui coniecturis nitentur ſæpe leuiſſimis, vt hoc loco ea, quæ petitur ex dimidiata parte vocabuli. Exiſtimat autem Toſtatus fuiſſe quendam virum ſanctum tempore Dauidis, nam & in catalogo ſanctorum à Sapiente numeratur, [a] eique valdè familiarem, à quo & de peccato ſuo admonitus eſt, & Salomoni vngendo affuit, cui prophetæ officium melius conueniat, quam homini militari.

a Eccli. 47.

L. Quî eum Dauid conſuluerit.

PERQVAM familiarem autem fuiſſe Nathanem Dauidi, [b] aperte docet amica illa eiuſdem prophetæ querela, de non reuelata ſibi à Dauide voluntate ſua ſuper regno Adoniæ. *Numquid à Domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſeruo tuo?* Itaque iure familiaritatis & amicitiæ, Dauid deſiderium ſuum cum Nathane communicauit, vt amici inter ſe ſolent, ſi qua maioris momenti negotia aggrediantur. Non conſuluit autem tanquam prophetam, vt per eum Dei voluntatem exquireret; alioqui enim præceps fuiſſet Nathani reſponſio, nec regiæ voluntati ſatisfeciſſet: ſed eo potius animo ſuam illi mentem aperuit, vt rem ſanctiſſimam, minimeque dubiam, iunctis ambo conſiliis, viribuſque promouerent. Non enim ignorabat illam prudentiæ legem, tanto antequam perſcripta eſſet. [c] *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Ergo Dauid non exiſtimauit conſulendum eſſe Dominum circa hoc deſiderium ſuum, quod crederet exploratiſſimam eſſe in ea re diuinam voluntatem. Quis enim dubitat Deo gratiſſimum fore gloriam, cultum, & honorem ſuum promoueri?

b 1. Par 17. q. 4 & 6 Abul. & Pin. l. 5. c. 5. n. 24.

Vt amicum, non vt Prophetam.

c Eccli. 32. 24.

LI. Deceptus eſt Nathan.

APPARVIT autem quamprimum, quam verè dixerit Philoſophus, multa falſa eſſe probabiliora veris. [d] Neque enim ſi Dominus vult cultum & gloriam ſuam abſque dubitatione promoueri, propterea conſequens eſt, vt quouis modo, & loco, & tempore, & à quouis promoueri velit. Nathan ergo prima ſpecie probabilitatis allectus, ratus in re laudatiſſima de diuina voluntate nihil ambigendum, *Omne*, inquit, *quod eſt in corde tuo, vade fac, quia Dominus tecum eſt*, quo ſcilicet inſpirante aſcendit in cor tuum iſta cogitatio, & voluntas. Etſi enim Dominus noluit templum à Dauide ædificari, voluit tamen ipſum id velle, & ſpatio triginta ferme annorum, ſumptus & materiam magnificentiſſimo templo præparare. Et quamuis nondum prophetæ reuelatum eſſet à Deo, quod eius eſſet conſilium circa templi fabricam, ei tamen certum erat Dauidem ſpiritu Dei in hac ipſa voluntate, quæ bona erat, regi: quoniam omne donum optimum de ſurſum eſt. Et ita videtur explicandus Hieronymus, [e] cum ait Nathan hæc ex ſe, non ex ſermone Domini dixiſſe Dauidi. Et Theodoretus cum dicit, Nathan neſciuiſſe Dei voluntatem, de tempore ſcilicet, loco, & perſona in particulari; vniuerſè autem ſciuiſſe, eſſe huiuſmodi opus Deo gratum & acceptum.

d vide Theod. q. 22. in 2. Reg.

Quî Dominus cum Dauide hac in re.

e in trad. 1. Reg. 7.

LII. Dei oraculum ad Nathan.

FACTVM *eſt autem in illa nocte & ecce ſermo domini ad Nathan, dicens, vade & loquere ad ſeruum meum Dauid.* [f] Copioſè perſcriptum eſt diuinum oraculum, vltro datum Nathani Prophetæ, ad aperiendam Dauidi voluntatem Dei, circa templi ædificationem. quod in 1. Paral. 17. iteratur, & in tertio quoq. Regum attingitur. Tota porrò Domini reſponſio tribus capitibus continetur, negatione ædificationis, & gemina promiſſione; altera de familia Dauidica in perpetuum conſeruanda: altera de ſuſcitando ei filio, à quo templum Domino ædificaretur. Porrò properè, & proxima nocte à præcedente colloquio, Dominus prophetæ in ſomnis apparuit, immutando phantaſiam eius, & imprimendo ſpecies eorum verborum, quæ volebat Dauidi nunciari; nec diſtulit, ne Dauid ſtatim manum operi admoueret, quod maiore triſtitia, mox intermitteretur. Nec voluit alium monere Dominus, vt ipſe idem Propheta erudiretur in poſterum, ne facile inconſulto Domino, quaſi ex Dei oraculo reſponderet; quod feciſſe videbatur, cum diceret. *Omnia quæ in corde tuo ſunt fac, Deus enim tecum eſt.*

f 2. Reg. 7. 4. & ſeqq. 1. Par. 17. 4. c. 22. 7. 3. Reg. 5.

Eius ſumma.

LIII. Deus non vult à Dauide templum ædificari.

QVOD ad primum attinet caput, negat Dominus velle ſe à Dauide ædificari ſibi domum, ſiue templum. In quo agnoſcendus eſt ſuauiſſimus Dei in Dauidem amor. Quoniam enim ſciebat eum, pro eximio ſuo erga Dei honorem affectu, & incenſo eum religioſiſſimè colendi deſiderio, hac negatione vehementer afflictum iri, eam multis modis lenit, ac temperat. Ei ſiquidem aditum aperit, Dauidi quodammodo blandiendo, cum eum ſeruum ſuum ſemel, iterumque vocat,

quod Theodoretus notauit. [a] *Primum quidem*, inquit, *eum delinijt appellatione ſeruitutis*. Eſt enim ſummus honor nominari ſeruum Dei; quippe cum id nomen etiam vnigenito filio Dei homini facto tribuatur. [b] Deinde omnem ſuſpicionem auertit, ne ſe Dauid ab hoc tam glorioſo munere reiectum exiſtimare poſſit, ob aliquam culpam, aut indignitatem ſuam: ſed cauſam negationis huius in ſe transfert, quod ipſe adhuc vrbana domo minimè delectetur; contentus, ſicut hactenus, cum Iſraëlitis in tabernaculo campeſtri, & viatorio habitare, aut potius ad tempus aliquod, cum intentione alio demigrandi, ſubſiſtere. Eóq. modo fuit in Galgalis, in Silo, in Cariathiarim, in domo Obededonis, & nunc in Sione.

Contentus viatoria hactenus domo.

a q. 22. in 2. Reg.
b Iſa. 42. 1. c. 44. 1. c. 49. 5.

LIV. *Nec petijt à principibus.*

In huius rei ſignum ait ſe nunquam ab Iſraëlitarum ducibus, quos ad eam diem ſuſcitarat, petiiſſe vt ſibi templum aliquod magnificum excitarent, neque vnquam ea de re expoſtulaſſe. Theodoretus ait [c] Deum hac vti oratione, ad oſtendendum naturam ſuam nulla indigentia laborare. At hæc ratio æque doceret templum, neque à Dauide, neque a Salomone, neque ab vllo alio ædificandum vllo tempore: nunquam enim diuinitas *in manufactis templis habitat*, *indigens aliquo*, vt dicebat Apoſtolus. [d] Verum alibi alia cauſa ſuggeritur, ob quam hoc officio Dauid indignus exiſtimari poſſit. Ipſemet enim Dauid Salomonem filiũ alloquens. [e] *Fili mi*, inquit, *voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, ſed factus eſt ſermo Domini ad me dicens, multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me.* Quorum deinde verborum memor Salomon ſcribebat ad regem Tyri. [f] *Tu ſcis voluntatem Dauid patris mei; & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui, propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos, ſub veſtigio pedum eius.*

An Dauidi negetur ob effuſum ſanguinem.

c 2. Reg. 9. 22.
d Act. 17. 24.
e 1. Par. 22. 7.
f 3. Reg. 5. 3.

LV. *Non videri, ex Salomonis expoſitione.*

Nonnulla videtur differentia in relatione cauſæ huius, in patris & filij oratione. An fortaſſe Dauid animi demiſſione præſtans in contemptum ſui rem auget; quam filius in reuerentiam parentis diminuit, ſeruata vtrobique veritate? Nam & multa bella geſſerat à iuuentute ſua, & multa adhuc gerenda ſupererant, quæ eſt integra vtriuſque ratio. Certe Abulenſis [g] exiſtimat hanc totam ſanguinis commemorationem non aliò pertinere, quam ad ſignificandas bellicas occupationes, quæ diſtinerent ſubinde Dauidem, vt huic tanto operi operam dare non poſſet. Quod autem non propter effuſum ſanguinem, ſed propter bellicas occupationes in quibus multus ſanguis effunditur, præter Salomonis expoſitionem, illa non obſcure docent, quæ ſequuntur eodem in loco; [h] *filius qui naſcetur tibi erit vir quietiſſimus, faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum; & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur, & pacem & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius; ipſe ædificabit domum nomini meo.* Non dicit non erit effuſor ſanguinis, vt tu, ſed erit quietiſſimus, & in ſumma pace & otio poterit ædificare, quod tua negotia non tulerant, aut deinceps ferent.

Sed propter bellicas occupationes.

g 3. Reg. c. 5. q. 4.
h 1. Par. 22. 9.

LVI. *Probatur ratione.*

Davidem quoque non repelli ab ædificando templo, ob effuſum ſanguinem inde probari poteſt. [i] Quoniam aut repellitur quia iniuſte ſanguinẽ fuderit, aut omnino quia ſanguinem humanum quomodocumque fuderit; poſterius dici non poteſt. Nam Salomon templo ædificando diuinitus deſtinatus, ſanguinem fudit. Ipſo enim primo regni aditu, fratrem ſuum Adoniam iuſſit interfici, iuſſit & Ioabum conſobrinum ſuum, & Semei. Multo autem minus exiſtimandum eſt, in pœnam ſanguinis, iniuſtè à Dauide effuſi, noluiſſe Deum vt is ei templum excitaret. Nam prælia Domini ille præliabatur, vt dicebat Abigail, [k] & Saul, *eſto vir fortis & præliare bella Domini.* Et Dominus eidem teſtimonium perhibuit, eum coram ſe multum ſanguinem effudiſſe, id eſt ipſo authore Deo; & per manus Dauidis impiorum ſcelera vindicante. Propterea enim Dominus ſibi ea bella, & cædes attribuit; *fui tecum*, inquit, [l] *in omnibus vbicumque ambulaſti, & interfeci vniuerſos inimicos tuos à facie tua*; idemque repetitur in 1. Paral. [m] eamq. ob cauſam prædam quam referebat ex hoſtibus, prædam hoſtium Domini appellabat, cum eius partem diſtribueret amicis ſuis. [n]

Sanguis ab eo innoxiè effuſus.

i Abul. 3. Reg. 5. q. 4. Pined. l. 5. c. 5. n. 13.
vide infra. a. 12. Dauid. n. 3.
k 1. Reg. 25. 28 & cap. 18. 17.
l 2. Reg. 7. 9.
m ca 17. 8.
n 1. Reg. 30. 26.

LVII. *Vera cauſa non conceſſæ ædificationis.*

Princeps autem & primaria cauſa recuſationis huius, nulla alia inquirenda eſt præter diuinum beneplacitum, ſicut & cur nondum ſibi vellet ædificari templum, ſed vltra tres & triginta annos differri: aut cur voluerit non in valle, ſed in monte, nec in Sione mõte, ſed in Moria, ei vicino colle ædificari. Eadem quippe

ratio eſt perſonæ, loci, atque temporis. Et cum ædificatio templi ſeptem annis duntaxat Salomonem tenuerit, facile poterat Dominus bella, quæ eius nutu poſtmodum ſuſcepit Dauid, in viginti annos differre. Non placebat ergo Domino ab homine bellatore, licet alioqui ſanctiſſimo, ſibique amantiſſimo, ſacram domum ſibi excitari: quare autem non placeret, eſt pro ratione voluntas. Noſtrum [a] *non eſt noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate*; &, *an mihi non licet quod volo facere?* non deſunt tamen congruæ rationes, quæ illam voluntatem mortalibus probabilem reddant. 7

a Act. 1. 7. Matth. c. 20. 15.

7. χ.

LVII. *Non defectus beneuolentiæ Dei in ipſum.*

RVRSVM vero ne recuſatio hæc defectui diuinæ erga Dauidem beneuolentiæ tribui poſſet; recenſet Dominus beneficia à ſe in eum collata, quæ ſunt totidem beneuolentiæ argumenta. Quod è gregibus eductum principem populi ſui effecerit. 2 Quod vt amicus intimus ab eo nunquam ſeparari voluerit, ſed vbique dux eius fuerit & comes. *Et fui tecum in omnibus vbicumque ambulaſti.* 3. Quod inimicos eius interfecerit, Saulem ſcilicet, & quicumque in eius gratiam oderant Dauidem; ſicque eum vitæ, & fortunarum omnium periculis crebro eripuerit. 4. Quod gloria & honore, quod maxime deſiderant reges, abunde cumulauerit. Quo pertinet illud, [b] *diuulgatumque eſt nomen Dauid in vniuerſis regionibus & Dominus dedit pauorem eius ſuper omnes gentes.* Hanc enim reor eſſe ſententiam horum verborum. [c] *Fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum, qui ſunt in terra*, aut [d] *qui celebrantur in terra.* Alludens fortaſſe ad potentiſſimos Aſſyriorum, Ægyptiorum, Græcorum, & Latinorum reges, qui temporibus iſtis regnabant: quorum annos digeſſit Euſebius. [e] At Hieron. in tradit. nomine horum magnorum intelligit Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſem, & Ioſue; qui tamen tempore Dauidis poſt tot ſecula, vix erant vſquam noti, præterquam apud hebræos. Videtur autem hic locus explicari per illa verba Dauidis. [f] *Et feciſti me ſpectabilem ſuper omnes homines, Domine Deus.*

b 1. Par. 14. 17.
c 2. Reg. 7. 9.
d 1. Par. 17. 8.
e in Chron.
f 1. Par. 17. 17. vbi vide Abul. q. 31. & 32.

Fama Dauidis.

LIX. *Populum non vltra vagum fore.*

PRÆTEREA ne recuſatio hæc augurium quoddã foret, aut vaticinium ſubobſcurum, populum Iſraëliticum adhuc vagum, & incertis ſedibus fore; ideóque templum ſtabile non eſſe illi neceſſarium, ſed quod huc illucque pro rerum neceſſitate circumferri poſſet, firmitatem deinceps populo ſuo, & habitationem minime erraticam pollicetur. *Et ponam*, inquit, *locum populo meo Iſrael, & plantabo eum, & habitabit ſub eo*, loco ſcilicet Septuag. *καθ' ἑαυτῶν*, *apud ſeipſum*, gallicè, *chez ſoy*; *& non turbabitur amplius. Nec addent filij iniquitatis vt affligant eum ſicut prius, ex die qua conſtitui* Iudices *ſuper populum meum Iſraël.* Quæ intelliguntur promitti, ſub conditione diuinæ legis obſeruandæ, qua nefarie violata, poſt 70. fere annos Roboamo regnante, grauiſſimæ clades in Hebræorum Rempub. incubuerunt. Denique nominatim Dauidi requiem, & victoriam de inimicis ſuis pollicetur. Vide obſecro lector, quãtum DOMINVS, ſi fas eſt ita loqui, laborauerit, ne ſeruum ſuum DAVIDEM nimium hac recuſatione affligeret; quam multis illam modis leniuerit, temperarit, compenſarit. Sed nondum finis.

vide infra ſchol. 8.

Et quatenus.

LX. *Domini erga Dauidem humanitas.*

ADDO enim ſingularem Domini humanitatem, vrbanitatis officijs propemodum cum Dauide certantem, quæ hoc regum loco prætermiſſa, [g] à Salomone repræſentatur. [h] *Quod cogitaſti*, inquit Dominus, *in corde tuo ædificare domum nomini meo, benefeciſti, hoc ipſum mente tractans*; proprie ex hebræo, *gratum feciſti*, vt notauit Pineda [i]; perplacuit mihi hæc animi tui deliberatio; hilari, gratóque animo accipio, quod hilari gratóque animo offers. Quis non miretur tanti domini ſuauitatem; qui etiam gratias agit ſeruo ſuo. Quam congrua vero eſt ac decora mutua DOMINI liberalitas, qui DAVIDI ſibi domum ædificare volenti, viciſſim ſe ei domum, & familiam perpetuam ædificaturum pollicetur: ſicut olim obſtetricibus Hebræorum, maſculos contra Pharaonis edictum conſeruantibus, & ſic Iacobi domum ab interitu vindicantibus, Deus ipſe ædificauit domos. [k]

g 2. Reg 7. & 1. Par. 17
h 3. Reg 8 18. & 2 Par. c 6. 7.
i l. 5. c. 4. n. 26.

Et mutua liberalitas.

k Exod. 1. 21.

LXI. *Promittit perpetuitatem regiæ familiæ.*

ALTERVM enim ſequitur caput ſolidioris conſolationis. Pollicetur enim DOMINVS DAVIDI regiæ familiæ in poſterum perpetuitatem. *Prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi* DOMINVS, & paulo poſt, *& fidelis erit domus tua*, id eſt firma & ſtabilis, vt eſt in Hebræo, & Chaldæo, *& regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam*, id eſt intuitu tuo, aut propter te, vt explicat Caiet. dure ſane, durius Vatablus, te viuente & vidente, quomodo enim id conſentit cum æternitate, cum DAVID tri-

Meam, Abul. & 70.

ginta tantum annos eſſet adhuc victurus. Sed rectè Sa , te vidente, viuunt nimirum animæ, & vident poſt mortem apud Deum, quæ ad ſtatum earum pertinent; Denique addit, *& thronus tuus erit firmus iugiter*; quia poſt mille & centum circiter annos, in regnum Chriſti , & ſpirituale tranſiturus erat; quod durabit vſque ad conſummationem ſeculi: & deinceps in Chriſto filio eius, quem promiſit angelus ſeſſurum ſuper thronum Dauid, & regni eius nullum vnquam futurum finem. Et hoc beneficium maximi fecit Dauid, vt mox videbimus, ex eoque maximam conſolationem accepit. 1097.

LXII. *Et templi à Salomone ædificationem.*

SVPEREST vltimum diuini oraculi caput, quo Dominus Dauidis deſiderio maximè ſatisfaciebat. Cum enim ratum eſſet apud Deum non permittere, vt ipſe ædificaret templum Domino, proximum erat vt id fieret à ſuis: maxime autem à filio ſibi in regnum proxime ſucceſſuro, vt ipſe quoque tanto operi cooperari poſſet. Ea promiſſio aliquot in locis habetur, non nominato Salomone [a]. Alibi autem eadem promiſſio iteratur, tam ſub nomine proprio Salomonis, quam Pacifici. [b] *Sed & de filijs meis, elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſraël, dixitque mihi, Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea; ipſum enim elegi mihi in filium, &c.* Quæ deinde a Salomone, ſub templi dedicationem iterantur. [c] Quibus in locis videtur Dominus ſignificare, ſe dediſſe Dauidi Salomonem filium ad conſtruendum templum, in præmium piæ huius voluntatis. Vt fuſius explicat Pineda. [d]

a 2. Reg. 7. 14. & 1. Par. 17. 11. & 3. Reg. 8. 9
b 1. Paral. 22. 9. & 10. & ſtea. c. 28. 5.
c 2. Paral. 6. 9. 10.
d l. 5. c. 5. n. 10.

LXIII. *Et Chriſtum ex ipſo venturum.*

VERVM longe nobilius & magnificentius præmium ſpondet Dominus Dauidi, cum ipſi etiam illum promittit cuius figura erat Salomon, Chriſtum videlicet vnigenitum filium Dei. De quo eccleſiæ ſanctæ fundatore, & omnium electorum principe, illa verba in literali quoque, & hiſtorico ſenſu, & primaria intentione dicta ſunt. *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.* Quod in primis de Chriſto, & de Salomone in Chriſto filio eius, verum eſſe demonſtratur, vt paſſim omnes ſancti patres, doctoreſque, & antiqui, recenteſque interpretes affirmant. Et id ſignificauit Gabriel Angelus cum virgini ſanctiſſimæ diceret. [e] *Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid,* quæ eadem Salomonis fuit, *patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quo pertinet etiam illud. [f] *Et permanebit cum ſole, & ante lunam, in generatione & generationem*, quæ auguſtiora ſunt, quam vt Salomoni, niſi figurate conueniant.

e Luc. 1. 32.
f Pſal. 71.

LXIV. *Prophetia de Salomone.*

ILLA etiam verba quæ ſequuntur. *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* S. Paulus [g] de Chriſto Domino interpretatur; quæ nihilominus etiam vere & proprie de Salomone dicta eſſe, [h] teſtis eſt in primis ipſemet Dauid, qui alloquens Salomonem, ea de ipſo ſibi diuinitus dicta fuiſſe aperte profitetur, [i] & docent etiam quæ ſtatim ſequuntur; *qui ſi inique aliquid geſſerit, &c.* Iniquitas enim in agnum Dei innocentiſſimum cadere non poteſt. Salomon autem deliquit, & in delictis ſuis non expertus eſt iudicem Deum vt Saul, ſed patrem, qui corripit & caſtigat in ſalutem, ſicut in extremis Salomonis temporibus dicendum erit, & iam ſupra in eius cum Saule comparatione, quæ hic ponitur, indicatum eſt.

g c. 1. 5. ad Hebr.
h Abul. q. 9. in ca. 7. 2. Reg.
i 1. Par. 22. 10.

Et eius erratu caſtigandu.

Certe *virgam virorum* pœnas huius vitæ, quales viri inferre poſſunt interpretatur Ioſephus, [k] ait enim. *Quod ſi quid peccauerit, pœnam non vltra morbos, & terræ ſterilitatem proceſſuram.* Hieronymus autem in tradit. Virgam virorum vocat gladium inimicorum. Plagæ vero filiorum hominum, ſunt incommoditates corporum humanorum, quibus quaſi flagellis à Domino pro peccatis ſuis homines merito cæduntur, quo modo eum locum etiam Theodoretus interpretatur. [l] Et hæc videtur quædam prophetia Salomonis pœnitentiam acturi, & ſalutem conſecuturi.

k l. 7. c. 4.
l 2. Reg. q. 22. Glos. Caiet. Diony. Pine. Abul. q. 11.

LXV. *Dauid adit tabernaculum oraturus.*

An ſederit orans.

SECVNDVM *omnia verba hæc, & iuxta vniuerſam viſionem iſtam, ſic locutus eſt Nathan ad Dauid. Ingreſſus eſt autem rex Dauid*, ad tabernaculum, ſiue ad locum in quo tetenderat tabernaculum, quo arca fœderis circumtegebatur in arce Sion, *& ſedit coram Domino.* Quaſi diutius, ac familiarius cum Domino, eo permittente collocuturus. Nemini licebat ſedẽti orare Deum præterquam regi, vt ait Vatab. quod Sa non improbat, ſed explicat etiam *manſit*, ſicut *ſtare*, non ſemper erectum corporis poſitionem ſignificat, ſed quietem, & manſionem: qualis erat ſanctarum mulierum ad Domini crucem. Abul. & Dionyſ. *poſuit ſe humiliter*; Caiet. *plus animo*

quam corpore ſedit quietus coram Domino,*meditando & orando.* Quam orantis corpoream diſpoſitionem eleganter perſequitur. D. Auguſtinus. [a] *Conuenienter*,inquit,
a lib. 4 q. 4. l. 2 ad Simplic. vide Serar. hic.
dictum eſt , ſedit ante Dominum : niſi forte quod ſedens orauit hoc mouet , cum & ſanctus Elias hoc fecerit , quando pluuiam orando impetrauit. Quibus admonemur exemplis non eſſe præſcriptum quomodo corpus conſtituatur ad orandum , dummodo animus Deo præſens peragat intentionem ſuam. Hæc & plura S. Aug. ex quibus ſuſpicari licet Simplicianum admiratum eſſe,quod Dauid ſedens orauerit,quaſi rem parum decoram & inſolentem. Ioſephus [b] *Ad arcam*,inquit,*ſe contulit,procidenſque in faciem adorauit Deum*;apparet id primum factum eſſe.
b l. 7. c. 4.

LXVI. Eius oratio affectuum plena.
ADIIT ergo Dominum Dauid, & animi corporiſq. ſenſibus ſtudioſe ad orandũ collectis,effudit cor ſuum corã Domino,& quidem oratione affectuũ pleniſſima, & animo in gratiarum actiones exundante. Teſtis illa decies iterata mentio propriæ ſeruitutis,quam Dominus ſemel,iterumque vſurparat. Teſtes illæ vndecies repetitæ voces *Domine Deus*, vel *Domine mi Deus*, vt Septuag. quod pertinet ad blandam quandam loquendi formam , & pronunciationem , vt ſolemus blande obſecrando alloqui principem , vt ait Caiet. Sic nimirum conatur Dauid reddere vicem Domino Deo,qui ad eum legationem miſerat longe humaniſſimam;vt agnoſcere liceat intimam familiaritatem , & mellitiſſimam ſuauitatem Deum inter & Dauidem,alioſque Dauidi ſimiles ſeruos & ancillas eius. Effundit ergo nunc cor ſuum Dauid in oratione ſua ; propterea enim ſe inueniſſe ait cor ſuum vt oraret Deum oratione hac,ex toto ſcilicet corde,totoque mentis affectu. Et quoniam ſciebat gratioſiſſimam eſſe animi demiſſionem apud Deum , ab ea ducit initium. *Quis*,inquit,*ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea,quia adduxiſti me huc vſque*, vel vt eſt in 1. Paral. [c] *vt præſtares mihi talia*? Quæ prima eſt gratiarum actio, de regia ſibi dignitate collata, ſuſcitando è terra inopem, vt collocaret eum *cum principibus populi ſui.*
Exordium ab animi demiſſione.
c c. 17. v. 16.

LXVII. Gratias agit de promiſſa perpetuitate familiæ ſuæ.
ALTERA gratiarum actio eſt , quod voluerit Dominus hoc beneficium ſuum eſſe perpetuum, & in omnem poſteritatem propagari. *Sed & hoc parum viſum eſt*, inquit,*in conſpectu tuo Domine Deus,niſi loquereris etiam de domo ſerui tui in longinquum* , in Paralip. [d] habetur *in futurum*, infra autem ſæpius dicitur *in ſempiternum.* Homines quidem,quorum duratio breui tempore circunſcribitur , beneficia hominibus breuia,& ad breue tempus cõferunt. At æternus,idemq. liberaliſſimus Deus, non ſatis habet beneficiũ ſuum vita vnius hominis dimetiri, ſed vult tum omniũ mortalium vitæ,tum etiam ſuæ æternitati quodammodo coæquari. Nam regni Dauidis in Chriſto eius filio,nullius erit terminus , nullus finis. Semper enim quandiu viuent homines , & à reſurrectione in æternum ſancti & electi omnes Chriſtum dominum & regem,& filium Dauidis regis prædicabunt.
d c. 17.

LXVIII. Lex Adam & ſimilitudo Adami & Dauidis.
AT enim quæ eſt iſta *lex Adam* quę hoc loco à Dauide memoratur?diuerſi in diuerſas abiere ſententias, dum Adami vocem alij propriã , alij communẽ putant, hæc videtur cõmodiſſima,atq. apertiſſima. Agis mecũ Domine Deus,vt olim cũ primo parẽte,quo cum pro ſe, & tota poſteritate ſua pepigiſti,ita & mecum pro me,poſteriſq. meis in ſempiternum. Et ſicut illum pro ſe, totoq. humano genere maximis & immortalibus bonis affeceras ; ita & me adduxiſti hucuſq. & familiã 1.
meam glorioſam in poſterum reddere voluiſti. Adamum & poſteros eius, reges 2.
& dominos omnium inferiorum creaturarum conſtituiſti. Omnia enim ſubieciſti pedibus eius:tu me nunc , & deinceps filios,& nepotes meos , reges & principes eſſe voluiſti populi innumerabilis , qui ſtellas cœli , & arenam maris æquare 3.
poſſit. Et ſicut Adamo & filiis eius ſupernaturalia illa bona & dignitatem ſub cõ- 4.
ditione dediſti ſeruandi præcepti tui;ita mihi & meis. Dixiſti enim , [e] *Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum,& teſtimonia mea hæc quæ docebo eos,& filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Et ſicut Adamo , & humano generi peccanti 5.
e Pſal. 131. 12.
miſericordiam conceſſiſti , neque abiecisti eum in perpetuum , ſicut luciferum & angelos eius. Ita & me & filiũ meum peccantem argues *in virga virorum,& in plagis filiorum hominũ,miſericordiam autem tuã non auferes ab eo,ſicut abſtuliſti à Saul, quẽ amouiſti à facie tua.* Nec ſoli Salomoni miſericordiã iſtam pręſtabis,vt qui vniuersè de filiis meis dixeris,*viſitabo in virga iniquitates eorum,& in verberibus peccata eorũ , &c.*

LXIX. Agnoſcit & commendat gratuitum beneficium.
BENEFICIVM ergo hoc tantum eſſe fatetur Dauid, vt gratiis agendis, nedum

referendis, parem orationem afferre ſe poſſe neget. *Quid ergo*, inquit, *addere poterit Dauid vt loquatur ad te?* neque neceſſe eſt vt verbis patefaciam apud te, quanto me tibi beneficio obligatum putem, *tu enim ſcis ſeruum tuum Domine Deus*[a] *tu probaſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam &c.* Pergit autem huius magnitudinem beneficii amplificare, ex eo quod ſine vllo merito ſuo, ſed ex mera Dei liberalitate hoc beneficium conferatur. *Propter verbum tuum*,[b] inquit, id eſt quia tibi placuit ita promittere, *& ſecundum cor tuum*, quia inſigniter bonus es, *feciſti omnia magnalia hæc: ita vt notum facere ſeruo tuo:* vt de me quod de Abrahamo quondam diceres;[c] *num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint illo omnes nationes terræ.*

a pſal. 138. 1. 2.
b 2. Reg. 7. 21.
c Gen. 18. 17.

LXX. *Gratias agit de antiquis in populum beneficiis.*

TERTIA gratiarum actio ſequitur, in recolendis antiquis Dei in populum ſuum beneficiis, vt oſtendat eum ſibi ſemper fuiſſe ſimilem; ſemper liberalem ac munificum, ſemper conſtantem in benefaciendo populo ſuo, præ omnibus gentibus & nationibus terræ, & eligendo eum in populum peculiarem ſibi: quaſi non eſſet Deus & Dominus omnium; adeo vt propter ipſum à ſeruitute Ægypti liberandum, adierit Deus regionem illam, in eaque magnalia fecerit, & horribiles plagas inflixerit, ſuper terram, & gentem, & Deum eius. Alludit autem ad illud Numerorum.[d] *Nam in diis eorum exercuerat vltionem.* 8.

d . 33. 4. 8 cit.

Petit confirmari promiſſa diuina.

Poſtremo à communibus, & antiquis Dei beneficiis, ad recentia & priuata redit, commemorationem diuinæ promiſſionis erga ſe, & familiam ſuam, quam ſummis precibus confirmari, & conſtabiliri, & inconcuſſam, & incommutabilem reddi poſtulat, ad gloriam eius ſempiternam, *Nunc ergo*, inquit, *Domine Deus verbum quod locutus es ſuper ſeruum tuum, & ſuper domum eius, ſuſcita in ſempiternum, & fac ſicut locutus es.* Et rurſus vrgens petitionem ſuam, obteſtatur Deum per veritatem, & fidelitatem & conſtantiam promiſſorum ſuorum. *Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera, locutus es enim ad ſeruum tuum bona hæc;* per Nathan ſcilicet quo internuncio vti voluiſti.

LXXI. *Qua ſub conditione data.*

ERVNT ſane vera. *Non eſt enim Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit:*[e] vt olim Balaam ex ore Domini dicebat ad Balac Moabitarum regem. Quid ergo eſt quod Dauid tam inſtanter diuinæ promiſſionis ſtabilitatem flagitat?[f] Sciebat ille quidem dona Dei, ex parte ipſius eſſe ſine pœnitentia; ſed nec oblitus erat ea paſſim promitti cum conditione, qualem paulo ante attulimus;[g] nec ignorabat illud quod multo poſt enunciauit Dominus per Ieremiam prophetam. *Subito*[h] *loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud, Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum vt facerem ei.* Et certe incidit poſtea tempus illud, quo formidaret Dauid *commutationem Chriſti ſui.*[i] Itaque benedictione qua poſtulat benedici domum ſuam, non ſolum beneficentiam, ſed etiam gratiam intelligere poſſumus, quam Dauid ſibi, & poſteris ſuis petat, ne obicem ponant impletioni promiſſionis diuinæ.

e Num. 23. 19.
f vide abul q. 38 in c. 17. 1. Paral. & nu. 68.
h Ier. 18. 9.
i pſal. 88. 5.

LXXII. *Dauid exauditus in vtilitatem nepotum. Salomonis. Abiæ. Iorami, Achaz, Manaſſæ, &c.*

REVERA autem exauditus eſt Dauid, & non eſt confuſus ab expectatione ſua,[k] non quidem vt illi non peccarent, id enim ab eorum libera voluntate pendebat, ſed vt ne regnum amitterent, ad multas annorum centurias; quia orauerat Dominum Dauid, dicens, *propter Dauid ſeruum tuum, ne auertas faciem Chriſti tui.*[l] Hinc eſt quod ſæpe deinceps in grauiſſimis criminibus poſterorum Dauidis, profitetur Dominus ſe propter Dauid ſeruum ſuum ignoſcere & placari, & nolle extinguere lucernam Dauid ſerui ſui.[m] Nam Salomon ipſe poſt grauiſſima peccata non amiſit regnum penitus, ſed illud quamuis valde diminutum, tranſmiſit ad poſteros, propter Dauid patrem ſuum. Poſtmodum Abias[n] eandem merebatur pœnam; ſed propter Dauid dedit ei Dominus Deus ſuus *lucernam in Ieruſalem, vt ſuſcitaret filium eius poſt eum.*[o] Deinde noluit Dominus diſperdere Iudam, licet id exigentibus Iorami ſceleribus, propter Dauid ſeruum ſuum ſicut promiſerat ei. Denique tempore Ezechiæ[p] poſt infanda ſcelera regis Achaz, & tempore Ioſiæ poſt execrandam Manaſſe impietatem, diu adhuc dilata eſt vltio, propter Dauid ſeruum Domini, & omnem manſuetudinem eius: etſi id in ſingulis regibus expreſſum non eſt.

k pſal. 118. v. 116.
l pſal. 131. 10.
m 3. Reg. 11. 33. 34.
n 3. Reg. 15. 4.
o 4. Reg. 8. 19 & 2 Par. 21. 7
p 4 Reg 19. 34.

LXXIII. *Quid circa templum conceſſum Dauidi.*

Merito autem quis admiretur nullam fieri in hac oratione templi ædificandi mentionem. Num Dauid tam cito eius oblitus exiſtimari poteſt? Notat Pineda, [a] Dauidem charitate, & zelo diuini cultus promouendi æſtuantem afflixiſſe ſe, quod non poſſet reipſa perficere votum ædificandi templi, & peculiaribus corporis afflictationibus ſe maceraſſe, ad obtinendam à Deo reuelationem ſaltem loci, & diſpoſitionis, qua templum eſſet à Salomone filio conſtruendũ. Quo referri poteſt illud. [b] *Memento Domine Dauid & omnis manſuetudinis eius*, vel vt alii ex Hebræo vertunt, *afflictionis eius*, Et illud, *ſicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob; Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei &c.* rectiſſime accipitur in eam ſententiam, vt poſtquam accepit Dauid fieri non poſſe, vt ipſe templum perficeret, ſaltem pro ſua conſolatione templi aliquam curam, & partem ſibi communem fieri poſtulauerit, indicato templi conſtruendi loco, & deſcriptione, quam poſtea à Deo obtinuit, & aliis neceſſariis ad templi fabricam, abundantius fortaſſis & cumulatius opinione & petitione ſua.

a l. 5. c. 4. n. 27.
b psal. 131.

LXXIV. *Eius votum de templo.*

Praedictis autem pſalmi verbis agi de templo, non de loco tabernaculi, ex eo clare conſtat, quod tabernaculum in arce Sionis iam collocatum erat, & domus cedrina Dauidis à Phœnicibus extructa, antequam Dauid conſilium caperet templi ædificandi, vt ex ſerie totius præcedentis narrationis, & nominatim ſecundi regum apertiſſimum eſt: fruſtra ergo votum emitteret de inueniendo loco, quem iam inueniſſet. S. Chryſoſt. in eum pſal. *Quid enim deſiderabat? videre templum excitatum, vetereſque ritus, ac ceremonias reſtitutas. Quoniam ergo Dauid erat ea re*, manſuetudine ſcilicet, *maxime inſignis, tanquam illius ſtudii & animi remunerationem, petit à Deo templi ædificationem.* Idem ſentit Theodoretus in eundem pſal. Ianſenius vult quidem, cum Pineda & Hebrçis, votum hoc pro loco templi ſciendo editum, ſed poſt enumerationem populi: cum angelus à Dauide viſus eſt, paratus ad perdendam Hieroſolymam; & Dauid anxius erat, vbinam ſacrificandum eſſet ad placandum Deum.

LXXV. *Quando ei ſit demonſtratum.*

Verum credibile non eſt, vel Dauidem tanto tempore hoc deſiderium compreſſiſſe, vel Deum ea conſolatione ſibi amantiſſimum regem tandiu priuare voluiſſe. Præſertim cum hæc reuelatio, magnum futurum eſſet incitamentum, ad materiam omnem ſumptuſque alacriter præparandos. Factam ergo Dauidi hanc [c] demonſtrationem hoc tempore cenſet Abulenſis, valde veriſimile, & Pineda in ſuo Salomone, [d] ſtatim ſcilicet poſt conceptum votum ædificandi templi, & longe ante populi enumerationem, & inde ſecutam cladem; quod putant Lyran. & Dionyſ. imo & Ioſephus, [e] & ſignificatur 1. Paral. 22 Vbi poſtquam Dauid animaduertit Deum placatum fuiſſe ſacrificio facto in area Ornam Iebuſæi, dixit, *hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael*; ſtatimque ſubdit præceptum congregandi artifices; & parandi omnem templi materiam. Verum ex hoc loco inferri non poteſt, tum primum factam fuiſſe Dauidi hanc reuelationem: ſed tum primum eam à Dauide populo manifeſtatam, vt notat Pineda. Denique Eupolemus apud Euſebium, [f] nulla facta mentione peſtis, ait Angelum viſum fuiſſe ſtantem ſupra locum, vbi altare hieroſolymis ſtatuendum eſſet, Dauidique mandaſſe, ne templum ædificaret, apparatus tamen illius curam gereret. Sed de hoc loco alius erit nobis commodior dicendi locus.

c l. 2. Par c. 3. q. 8.
d l. 5 c. 5. num. 31.
e l. 7 ant. c. 10.
f l. 9. c. 4.

LXXVI. *Exemplar, & ſcriptura templi.*

Davidis ergo promptiſſime voluntati annuens is, qui voluntatem timentiũ ſe facit, integram atque perfectam futuræ fabricæ deſcriptionem regi oſtendit, vel Nathani prophetæ, vel angeli etiam miniſterio, vel peculiari reuelatione ipſi Dauidi facta. Nam 1. Paral. [g] ſcriptum eſt Dauidem dediſſe *filio ſuo Salomoni deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cænaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis, necnon & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in theſauros domus Domini, & in theſauros ſanctorum &c.* Et aliquanto poſt, *omnia*, inquit, *venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.*

g c. 28. v. 11.

Vbi indicatur primum datum Dauidi exemplar quoddam futuræ fabricæ, quod tabula, lapide, vel membrana deformatum eſſet, [h] conſtans veſtigiis fabricæ, atque tota ædificii orthographia: ſicut Moſi dicitur oſtenſum exemplar in monte, [i] & ſimilitudo tabernaculi. Secundo datam ſcripturam & quaſi commentarium, vt intelligeret Dauid totum illud exemplar; [k] nam alte-

h Abul. 1. Par. 28 in fi. q. 7.
i Exod. 25. 9. 40.
k Pin. l. 5. c. 5. n. 30.

LXXVII rum ſine altero ſæpe multam habet obſcuritatem.

Data Dauidis pietati. AGNOSCIS religioſè lector eximiam DOMINI in ſeruum ſuum DAVIDEM indulgentiam, & familiaritatem; qui vt olim legem digito ſuo Moſi tradendam ſcripſit, aut angelico potius miniſterio exarauit: ita nunc DAVIDI templi omnem rationem depingere, & ſcripto explicare dignatus ſit. Ex quibus ſuſpicari licet quantum Dauidi templum Salomonis debuerit, vt alibi apertius intelligetur. Nunc illud Chryſoſtomi [a] ſatis erit addere. *Eum quidem*, puta Salomonem, *qui eſt ædificaturus preterit; eum vero qui eſt pollicitus in medium adducit; vt ſcias quantum bonum ſit rectus animus, & quomodo DEVS ſemper conſueuerit recto animi inſtituto, & bonæ voluntati mercedem conſtituere; & ideo eius potius meminit, quoniam ipſe eſt potius qui ædificauit, quam filius. Hic enim pollicitus eſt*, id eſt, vltro ſe optulit ad ædificandum, *ille vero iuſſus eſt.* Ita Chryſoſtomus. Quanto autem ſtudio deinceps incubuerit ad præparanda, quæ templo magnificentiſſimo vſui futura erant, ſequens hiſtoria indicabit. [a] In Pſalm. 131.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2990.

1. N.XXII. Aliqui Pſalmorum tituli.

HÆc diſtinctius explicare pertinet ad pſalmorũ interpretes, ſunt enim hi multorũ pſalmorum tituli. Libet tamẽ hic referre, quæ in hunc locum habet Hieron. in tradit. Nam in illa verba textus 1. Par. 15. 19. *in cymbalis æneis concrepãtes; In hebræo habet*, inquit, *in cymbalis æneis ad audiendum;* (ſiue vt audire faciant) *quia videlicet ab ipſo pſalmo incipiebant, qui habet in capite Exaudi domine iuſtitiam meam, qui eſt ſextus decimus.* Imo in verſione Hieronymi eſt 17. ſicut & apud Hebræos, cuius initium eſt apud eum. *Audi Deus iuſtum, intende deprecationem meam.* In illa autem verba. v. 36. *in nablis arcana cantabant. In hebræo*, inquit, *habet pro iuuentutibus* (vel ſuper Halamoth.) *Quia à pſalmo 45. incipiebant, qui hoc habet in titulo.* Vel potius 46. iuxta diuiſionem Hebræorum, quam S. Hieron. ſequitur in verſione ſua, vbi eum pſalmũ inſcribit. victori filiorum Core, pro iuuẽtutibus canticũ. Rurſum ad illa verba. v. 21. *In citharis pro octaua canebant epinicion. Quia à ſexto*, inquit, *pſalmo incipiebant, qui hoc habet in titulo, pro octaua autem quidam putant pro circumciſione.* Habet autem in ſua verſione Hieron. *Victori in canticis, ſiue in Neginoth ſuper octaua.* in 1. vero

Epicinium. Paral. 15. 21. additur Cenaſcach, *ad vincendum*, 70 τοῦ ἐνισχῦσαι; vulgata ἐπινίκιον, quod eodem redit. Quam vocem mirum eſt putari a Toſtato Hebræam. 1. Par. c. 15. q. 25. & mox lyricos verſus, *vel à lyra dici, vel à lyrim, quod eſt varietas, propter diuerſam metrorum legem*; quod probari certe non poteſt: & viſum eſt notare, ne quis, à magno alioqui viro, inducatur in fraudem. Quod autem iſti dicuntur cecinisſe epinicium, quaſi dicas victoriale, ſignificatur, quod paſſim notant interpretes, & Pineda l. 5. de Salom. c. 4. n. 3. contentionem fuiſſe inter muſicos ad obtinendam palmam peritiæ canendi. Alij putant crebro iterata illa verba, *victori Deo triumphus & palma*, vt ſolent verſus intercalares. Chonenias denique dicitur prophetiæ præfuiſſe ad præcinendam melodiam; *quia*, inquit Hieron. in iiſdem tradit. *Spiritu prophetiæ melodias & verba ad memoriã reuocabat.* At Toſtat. l. 1. Par. c. 15. q. 26. hãc prophetiã interpretatur quandã ſapientiam ad cõponendos pſalmos diuinæ laudis, & ad modulandum eos, quod vtrumque cum egregiè præſtaret Chonenias omnium cantorũ princeps poſitus eſt. Quibuſdam placet prophetias veteres decantatas, præeunte & moderante Chonenia. Quod ſi accipimus credideꝛim ſelectas quæ ad cantum erant accommodatæ; vt canticũ Moſis Exod. 15. & Deuter. 32. Deboræ item, Iudicum 5. & Annæ 1. Reg. 2. forte etiam benedictiones Iacob. Geneſ. 49. & Moſis Deuter. 33. & Balaam Num. 23. ſunt enim ſimul benedictiones, & prophetiæ.

In 2. reg. 6. 13. in Hebræo eſt. *Et immolabat bouem, & craſſum*, vt vertit Arias. Tigur. *pecus pingue.* Pagninus *bubalum*, Hieronymus in vulgata *arietem.* Septuag. vero nec hebræo, nec latino admodum hoc loco conſentiunt: & inemendata quædam, biblia addunt oues. 2. N.XXIII

In 1. Par. 15. 26. *Immolabant ſeptẽ boues*, ſiue iuuẽcos, *& ſeptẽ arietes.* In hebræo, græco, latino, niſi quod pro bobus, 70. habent vitulos.

Ioſephus tamen, ſi eius interpretibus credimus, nuditatem nõ ſolum proprie, ſed etiam turpiter videtur accipere. *Huic occurrens*, inquit, Dauidi ſcilicet, *Michol vxor filia Saulis, omnia precata eſt illi, quæcunque Deus propitius largiri ſolet: reprehendit tamen quod præter decorum rex tantus ſaltaſſet, ita vt in conſpectu ſeruorum ſuorum, & ancillarum partes quaſdam inter ſaltandum denudarit.* ſic Gelen. Ruſinus autem, *ante ſeruos*, inquit, *& ancillas fuiſſet turpiter denudatus.* Cum Ioſephus eum nudatum tantum dicat, ſicut & Scriptura. Illud tamen præter eius mentem videtur, quod Micholem, quam ex ſuperbia Dauidem contempſiſſe conſtat, & ſcurris ac morionibus comparaſſe, nimium modeſtam facit. Et bene precantem ſcilicet, & amice corripientem. Alioqui enim indecora ſit, ac prope dicam improba Dauidis in eam obiurgatio. Itaque in male excuſanda fœmina, Dauidem ab eo peius accuſari neceſſe eſt. Quod vt vitaret etiam reſponſionem, Dauidis mitiorem facit, quam Scriptura exigat, quæ grauem habet exprobrationem de- 3. Num. XXXVII.

ſertæ à Deo paternæ ipſius familiæ, & muliebris reprehenſionis contemptum: vt qui paratuſ ſit in eo perſeuerare, quod ipſi probroſum videatur.

4. Num. XXXVIII. Saltatio. Cæterum quam probroſa eſſet apud Romanos ſaltatio, nemo elegantius dixit M. Tullio. *Saltatorem*, inquit, *appellat L. Murenam Cato. Maledictum eſt, ſi vere obijcitur, vehementis accuſatoris: ſin falſo maledici conuitiatoris. Quare cum iſta ſis authoritate M. Cato, non debes accipere maledictum ex triuio, aut ex aliquo ſcurrarum conuiuio, neque temere conſulem populi Romani ſaltatorem vocare, ſed conſpicere quibus præterea vitijs affectum eſſe neceſſe ſit eum, cui vere iſtud obijci poſſit. Nemo enim fere ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit, neque in ſolitudine, neque in conuiuio moderato, atque honeſto. Intempeſtiui conuiuij, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.* Et alibi. *Ait hac lætitia Deiotarum elatum, vino ſe obruiſſe, in conuiuióque nudum ſaltauiſſe. Quæ crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij afferre? Deiotarum ſaltantem quiſquam, aut ebrium vidit vnquam?* Et vice verſa de homine luxu perdito. *Cum collega tui domus* (Gabinij) *cantu & cymbalis perſonaret, cumque ipſe nudus in conuiuio ſaltaret; in quo ne tum quidem cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem fortunæ rotam permiſcebat.* Vide de ſaltatione Luciani librum. Athenæum. l. 4. Cælium. l. 5.

5. N. XLV. Huic chronologiæ ſatis conſentiunt, quod ad annum quidem Dauidis attinet, Sectarij, Codomanus, Caluiſius, Heluicus, quem tamen non præciſe definiunt. *Circiter hoc tempus*, inquit Codomanus, *quod natiuitatem Chriſti præceſſit annus 1063. per Prophetam Nathan promittitur Dauidi filius, qui ſit Deus & homo, nempe Meſſias Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Sic ille, quem eo libentius retuli, quod ab eo cæteri fere Allophyli: & quod in annum noſtrum ante Chriſtum incidit. Heluicum autem, qui hûc mundi annum appellat bis milleſimum nongenteſimum, Caluiſium quoq. qui nongenteſimum primum, nobiſcum ſentire intelliges, ſi eorum ſummæ annos Abrahæ. 60. & Cainæ iunioris 30. adieceris.

6. N. XLVII. Hebraice & Chaldaice, *in medio cortinæ*, ſiue aulæi; cortinæ & pelles nomine tabernaculi comprehenduntur. Nam arca intra tabernaculum, ſiue tentorium Dauidicum, eo quaſi cortinis cingebatur; & velis ac pellibus operiebatur quod ſub dio eſſet, more tentoriorum militarium. Quod tentorium illi erat inſtar Sancti ſanctorum tabernaculi Moſaici.

7. N. LVII. In quibus illa omnium ſcriptis, ſermonibuſque iactata, etiam Ethnicorum, vt Eupolemi, apud Euſebium de præpar. l. 9. c. 4. minime ſpernenda eſt: quod ſcilicet voluerit intelligi quantum clerici miniſtri Domini, & incolæ domus eius, à ſanguine abhorrere debeant, cùm ne eum quidem exſtructorem templi ſui eſſe voluerit, qui plurimum ſanguinem, quamuis ſine crimine effudiſſet. Eam tamen infirmat Abulenſis. 3. Reg. c. 5. q. 4. ex eo quod ſacerdotes ipſi in lege Moſaica, a bello gerendo non prohibebantur; vt ex Matathia & filiis eius in lib. 6. Machabæorum conſtat. Ad quæ bella ipſa quotidiana ſanguinis animalium profuſio in ſacrificiis, quodammodo diſponebat.

8. N. LXX. Verba iſta, *à facie populi tui, quem redemiſti tibi ex Aegypto*, legenda ſunt, quaſi in parentheſi, & vox *ſuper*, ἀπὸ κοινοῦ repetenda. Quod quidam non animaduertentes, maluerunt legere *gentibus & dijs eius*, ſubaudiendo particulam *ex*, quo modo habetur in hebræo. (Vide Serar. hic.) Quod autem ſubdit Dauid, v. 24. *Firmaſti enim tibi populum tuum Iſrael in populum ſempiternum. Et tu Domine Deus factus es eis in Deum.* Id promiſerat Dominus Moyſi, Exodi 6. 7. & ca. 19. v. 5. 6. Et præſtitit Exod. 24. Et quod hoc loco Dauid populo ſuo gratulatur, idem ei Moſes moribundus gratulabatur, Deuter. ca. 4. v. 6. 7. Cæterum ſatis conſtat omnibus Chriſtianis, ex Apoſtolo Paulo, iſtum populum Iſraëliticum ſempiternum, de Iudæo ſecundum carnem accipiendum non eſſe, ſed de eo, qui eſt hæres fidei, & obedientiæ patriarcharum, & diuinorum oraculorum poſſeſſor. Itaque neque Deus eſt illis vltra in Deum, quos repulit à ſe, & eorum ritus omnes, ceremoniaſque deteſtatur. Audi Eſaiam. (Ca. 1.) *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens. Et cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam.* Et quæ cauſa horum? *manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Quo ſanguine? niſi eo de quo dixerunt. *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Et quod remedium tot & tantis malis, quæ inde graſſantur inter eos? niſi quod ſequitur, *lauamini* per lauacrum regenerationis, *mundi eſtote*, virtute illius ſanguinis, qui perſequitur obſtinatos, & profugos Cainitas, occiſo innocentiſſimo Abele fratre ſuo.

ANNVS MVNDI 2991. DILVVII 1335. 5ª. ÆTATIS 52. EXITVS AB ÆGYPTO 448. ARCÆ IN SIONE 2. DAVIDIS REGIS 12. ABIATHARIS PONTIF. 17. TROIÆ EXCISÆ 120. EVPALIS REGIS ASSYRIORVM 1. IMPERII 1060.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1062.

I. *Eupales Imperator & ratio temporis.*

Assyriorvm imperio nouus hóc anno ſufficitur Imperator Eupales, apud Euſebij Chronicon, quē Eupacmen vocat Africanus. Vterque annos ei 38. regni attribuit; ſed hic ipſum ordine trigeſimum quintum eſſe vult, ille autem, omiſſis quatuor intermedijs, vt alibi notatum eſt, trigeſimum primum; de quo nihil præter nomen, & annos regni, qui chronologiæ ſeruiunt, memoriæ proditum eſt. (Εὐπάκμης, apud Scal.)

Vt autem intelligeret Dauid non tam ædificandi templi, quam gerendi belli tempus eſſe, mox poſt prædictum oraculum, quod proximo anno explicatum eſt, voluit ſiue permiſit Dominus bella ſuſcitari. Mox inquam. Nam quod Scriptura minus expreſſit, [a] cum ait duntaxat poſt hæc Dauidem percuſſiſſe Philiſthæos, poſt prædictam videlicet diſputationem, Deum inter & Dauidem ſeruum eius, de conſtruendo templo. Ioſephus explicans, *non multo*, inquit, *deinde in tertio tempore, expeditionem in Paleſtinos decreuit.* [b] Idem ſcribit Abulenſis, [c] Pineda [d] quoque hoc bellum in proximum ab oraculo edito annum conijcit, quem putat eſſe Dauidis 13. ob cauſam quam ſupra dixi. [e] Verum hic nobis eſt annus Dauidis duodecimus ſicut & Torniello.

a 2. Reg. 8 & 1. Par. 18
b l. 7 ca 5.
c 2 Reg. 8. q. 1.
d l 8. c. 4.
e Dauid. 11. n. 45.

II. *Aliud bellum in Philiſthæos. Frenum tributi.*

Cæterum belli huius cauſa, ſi id à Philiſthæis inchoatum eſt, non exquirenda ex parte ipſorum alia, quam odium eorum implacabile aduerſus Iſraëlitas, quo incitati eis ſemper aliquid mali aut agebant, aut moliebantur. Quidam putant cauſam belli huius fuiſſe, quod Dauid eripuerat Philiſthæis vrbem, aut regionem dictam *Meteg amma*, quæ vox *frenum tributi* vertitur, aut vt alijs placet, aquæductus, vel frœnum riui; eleganti enim metaphora, hebræi aquæductum vocant fœnum riui, quod aquæ riuum coërceat, & contineat, vt frœnum equos, neque huc illucque dilabi, & excurrere patiatur, Septuag. pro frœno tributi habent ἀφωρισμένην, id eſt, ſegregatam, perobſcurè ſanè. Forte vrbem ſubaudierunt, intellecta Geth, vrbe Philiſthinorum, ex 18. ca. primi Paral. qua de re poſtea dicetur aliquid Serar. ſubintelligit φόρου, id eſt, tributum iniunctum. Hoc ergo Dauidis facto putant bellum exarſiſſe. Verum ſatis ex ipſo textu Scripturæ intelligitur, hanc ablationem bellum hoc non anteceſſiſſe, ſed ſecutum eſſe.

III. *Quæ eius cauſa.*

Ex parte Dei dici poteſt Deum tam hoc, quam ſequentia bella geri voluiſſe à Dauide: non enim illi Dauidem adoriebantur, ſed eos ipſe inuadebat, vt ſupra dicebamus[f] & mox ex Ioſepho dicetur. Primùm vt intelligeret Dauid ſibi tempus non ſuppetere ad templum ædificandum, quod quieta tempora, animoſque requirebat. Itaque Salomon, [g] vt ſupra dixi, [h] ſcribens regi Tyri, hanc vnam cauſam dilatæ ædificationis templi affert, quod multa illi per circuitum bella imminerent. Quam rationem ibi Vatablus, ſiue quis alius ſcholiaſtes probabilem vocat, negat tamen eſſe veram, *noluit enim*, inquit, *detegere peccatum patris.* Sed errat ipſe profectò vehementer. Nam ſi id peccatum intelligit adulterium cum Bethſabæa, & Vriæ cædem, id negotium nullo modo templum attingit, cuius extructionem Deus tanto ante Dauidi negauerat; itaque falſo à Salomone memoratum eſſet. Sin autem multitudinem prœliorum, & copiam effuſi ſanguinis intelligi vult, vt videtur, errat quoque cum ſupra docuerimus, [i] bella Dauidis fuiſſe bella Domini, in iiſque commendabilem eſſe, & plurimum meriti apud Dominum fuiſſe conſecutum; nedum peccatum admiſiſſe, quod oporteret à Salomone celari, quaſi ipſa bella cum finitimis populis, apud alios etiam vicinos cælari poſſint.

f an. Dauid. 11. n. 50.
g 3. Reg 5.
h an. Dauid. 11 n 55.
i n 55 & 56. ann 11. Dauidis.

IV. *Alia cauſa, in templi vſum.*

Secvndo permiſſum hoc bellum diuinitus, vt ex victoriarum manubiis, & omni hoſtili præda, ingentes templi ſumptus paulatim præpararentur. Itaque hoc ipſo capite octauo [a] habetur, plurima vaſa aurea, & argentea ſanctificata fuiſſe Domino, de vniuerſis gentibus, quas ſubegerat; id eſt deuota, & conſecrata, ad templi ſupellectilem, & ſumptus. Id autem Dauidi valde fuiſſe cordi, ſignificat Theodoretus. [b] *Poſtquam*, inquit, *per vatem Nathan Deus prohibuit, prædixitque templi ædificationem à Salomone faciendam, diſtulit quidem ædificium, non autem ſegnitiem amplexus eſt, ſed aurum, & argentum, & ferrum, & æs, & ligna, & lapides coaceruauit*. Horum bellorum narratio hic ſuperioribus capitibus adiungitur, ait cum R. Salomone Serarius, vt non par tantum, ſed bello etiam præſtātiſſima Dauidis in Deum, eiuſque ſacra, & cultum, religio perſpiciatur. Quæ autem narrandi belli cauſa, eadem & gerendi fuit. *Corradebat vndecunque* ait Pineda, [c] *non ſibi ſordidè, ſed Deo liberaliter & magnificè, ſpiritu regio & principali, vt & ipſa prophana, & pretioſa ornamenta diuinis vſibus conſecrarentur, & eſſet, quod ſupra frenum equi eſt, ſanctum Domino*; [d] *& equeſtres illæ, & bellicæ phaleræ, ſic exponente Hieronymo, non amplius ſibi aduerſus hoſtes pugnanti, ſed filio pacifico religionem curanti, ad Dei cultum deſeruirent.* ſic ipſe.

a 2. Reg 8. 10. 11.
b in Pſalm. 131.
c l. 4. c. 1. n. 2. & l. 5. c. 5. n. 36
d Zachar. 14. 20.

V. *Quietem regni.*

Significat autem Ioſephus, [e] ſi belli cauſam ex parte Dauidis quærimus, ipſum vltro bellum intuliſſe Philiſthæis, otij propemodum conſumendi cauſa. *Expeditionem*, inquit, *in Palæſtinos decreuit ablegato omni otio, ac ſegnitie*, vel, vt apertius vertit Rufinus. *Cogitauit vt bellum Palæſtinis inferret, ne vllam pigritiam, aut deſidiam generari ſuis rebus inſpiceret.* Sed quia id iniuſtum, & crudele merito videri poterat, excuſandi cauſa ſubdit, *vt quemadmodū Deus prædixerat, deuictis hoſtibus, pacatum regnum ſucceſſoribus relinqueret.* Sic ipſe: etſi vt nonnulli putant, non inferebatur à Dauide bellum ſed repellebatur, nec gerebatur vt pacatum regnum ſucceſſoribus relinqueretur, ſed conſequenter fiebat vt deuictis hoſtibus, pax ſucceſſoribus relinqueretur. Rectius tamen opinor Abulenſis [f] exiſtimat bellum à Dauide vltro illatum Philiſthæis, alioqui quieſcentibus; non vitandi otij gratia, ſed quia incumbebat illi onus pugnandi contra Philiſthæos, reliquias Chananæorum, quos iampridem Dominus proſcripſerat, & igni ferroque deleri iuſſerat. Et apparet geminam cladem à Philiſthæis nuper acceptam, non tam cito fuiſſe curatā. Ergo

Et ruinam Philiſtinorum.

Nondum ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

e l. 7. c. 5.
f 2. Reg 8. q. 2 & 3. & 1 Par. 18. q. 2. 3 & 6.

VI. *Bellum ipſum & exitus eius.*

Qvale autem, & quantum fuerit hoc bellum, quam breue aut diuturnum, vbi & quomodo geſtum, vel inchoatum, Scriptura ſilentio penitus inuoluit, effectum illius duntaxat exprimere cōtenta. Humiliatos ſcilicet fuiſſe Philiſthæos, & deuictos, victoriáque antiquam eorum ferociam magis magiſque fuiſſe compreſſam. Ioſephus [g] rem ipſam explicat ex probabilitate, in hæc verba. *Indicta die militibus ad conueniendum, iuſſiſque omnibus vt quam inſtructiſſimi ad bellum eſſent, vbi ſatis omnia parata exiſtimauit, profectus Hieroſolymis in Palæſtinam peruenit, hoſtibuſque magno prælio victis, & bona agrorum parte mulctatis, hiſque agris Iudæorum terra contributis, in Moabitas bellum traduxit.* Hos agros vocat Scriptura, [h] ciuitatem Geth & filias eius, ſiue oppidula, quæ in eius erant agro, & quaſi clientela. Erat enim vna de quinque primariis Philiſthæorum vrbibus, ad quam apparet bellum à Dauide traductum, vt ſibi præ cæteris cognitam, & fortaſſis infeſtam præ cæteris.

g l. 7. c. 5.
h 1. Par. 18. 1.

VII. *Philiſthæi tributarij.*

Qvoniam vero liber Paral. ſupplet & explicat, quæ in Regum libris aut breuius habentur, aut obſcurius; frenum tributi, quod 2. Reg. 8. dicitur à Dauide ſublatū de manu Philiſthæorum, videtur in 1. Paral. 18. explicari per vrbem Geth, quod ea Iudæos maximè premeret, & quaſi iniecto in ora freno coërceret, tributis ſeuere exigendis: quam Dauid in poteſtatem ſuam redegerit, & omnem tributi penſitationem antiquarit, vt vult Abul. Emanuel tamen Sa, & Serar. malunt tributum à Dauide Philiſthæis impoſitum; & merito. Mihi enim valde fit veriſimile Philiſthæos, gemina illa clade, quam à Dauide ante quatuor ánnos acceperant, ab omni tributorum exactione repulſos, quam durantibus ciuilibus bellis retinuerant. Nunc autem tributa viciſſim pendere compulſos fuiſſe. Nec obſcurè id Ioſephus ſignificat, [i] qui caput quintum, libri 7. inſcribit, *de circumpoſitis gentibus, quæ Dauidi tributa ſoluerunt*; quo in numero primum Palæſthinos numerat, deinde Moabitas. Addit & pleroſque alias Eupolemus apud Euſebium, [k] quas Deo bene propitio, fidelis & erudita manus interpretis noui è Societate noſtra

i l. 7. c. 4.
k l. 9. c. 4. de præpar. euang. Angelem.

repræſentabit. Laxior paulo videtur Hieronymus in tradit. hebraïcis, aut hebræi ipſi potius. Ibi enim legimus, *frenum tributi erant quinque ciuitates Philiſtinorum, quæ frequenter Iſraël ſibi tributarium faciebant, quas ab eis tulit Dauid, & humiliauit eos, fecitque ſibi tributarios.* Vix tamen crediderim omnes eas ciuitates nunc à Dauide ſubiugatas, cum Scriptura [a] id tantum aſſerat de ciuitate Geth.

a 1. Paral. 18. 1.

VIII. *Quam diuturnum bellum fuerit.*

QVAMVIS autem non conſtet quamdiu hoc bellum Dauidem detinuerit, recte tamen conijcere poſſumus plures in eo menſes poſitos fuiſſe. Erant enim Philiſthæi armis viriſque potentiſſimi, & ciuitates habebant munitiſſimas, & in iis Geth regiam, quæ etiam poſt aduerſum aliquod prælium, obſidionem diu ferre poterat; & nunc pertinacius pugnabatur, quod de ſubeundo iugo, & accipiendo freno ab iis agebatur, qui ſub ipſis iam ſæpius ſeruitutem diuturnam ſeruiuiſſent. Itaque Pineda [b] quamuis in ſua chronologia ad vnum eundemque annum expeditionem aduerſus Philiſthæos, & Moabitas retulerit, ſicut & Torniellus, alibi tamen Pineda [c] eis duos minimum annos tribuendos putat; quæ mihi ſententia viſa eſt probabilior. Cum enim Dauid non ex neceſſitate pugnaret, ſed belli tempus ſibi pro arbitrio aſſumeret, vt ſignificatur in bello, quo aduerſus Ammonitas pugnauit; [d] poſt aliquot menſes in bello poſitos, Hieroſolymam ad hyberna reficiendi militis, regendique populi ſui cauſa ſe conferebat, donec appetente vere, quo *ſolent reges ad bella procedere*, nouam ipſe expeditionem ſuſciperet.

b l. 8. c. 4.

c l. 3. c. 2. n. 3.

d 2. Reg. 11.

ANNVS MVNDI 2992. DILVVII 1336. 5[?]. ÆTATIS. 53.
EXITVS AB AEGYPTO 449. ARCÆ IN SIONE 3. DAVIDIS
REGIS 13. ABIATHARIS PONTIF. 18. TROIÆ
EXCISÆ 121. EVPALIS 2. IMPERII
ASSYRIORVM 1061.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1061.

I. *Summa rerum deinceps geſtarum.*

PVGNATVM eſt hoc anno contra Moabitas iuxta Chronologiam, quam paulo ante ſtabiliuimus; ſingulis enim annis ſingulos Dauidi Dominus aduerſarios ſuſcitabat, quos caſtigando pro meritis, & veri Dei gloriam pro Dauide, & cum Dauide pugnantis amplificaret, & militares copias exerceret, & gloriam ſuam ac venerationem apud omnes circumquaque nationes ſpargeret, & diuitias ſancto operi deſtinatas augeret, regni denique ſui fines latius ad omnem cœli plagam dilataret, atque diffunderet. Hoc enim anno à finibus occiduis regni ſui, in quibus habitabant Philiſthæi, ad orientales terræ promiſſionis terminos, in quibus erant Moabitæ, & Ammonitæ, trans Iordanem exercitum transfert, & in Moabitas arma conuertit; Septentrionem poſtmodum, ac meridiem infeſtis ſignis petiturus, ſed ea ſuo tempore ac loco viderimus, nunc quod inſtat agamus. Illud tamen notare libet, diuidere hunc annum æquis ſpatiis tempus ab exortu regni Aſſyriorum, vſque ad ortum Chriſti Domini, quod fuit 2122.

II. *Belli Moabitici cauſa.*

BELLI huius cauſam non facile eſt, quamuis latè circunſpicienti reperire; grauem tamen aliquā interceſſiſſe neceſſe eſt, ne Dauidem crudelitatis accuſare cogamur, qui in eos ſeuerius animaduerterit, quam in Philiſthæos, à quibus Iſraëlitæ mille iam clades acceperant, & qui ad noua ſemper odia, nouóſque bellorum motus, noua ſubinde draconis, vel Hydræ capita emittebant foras. Præſertim cum Moabitæ optime de Dauide meriti viderentur, vt qui vtrumque ipſius parentum, tutum apud ſe, incolumemque ſeruauerant; [e] quo tempore eum Saul armis caſtriſque perſequens, nullo in loco quietum eſſe patiebatur. Rabinorum fabula, de iis à Moabitis occiſis, aliquam ex hoc loco probabilitatem accipere poſſet: ſed eam ibi refutauimus; neque enim tam diu, id eſt, octodecim ipſos annos, id facinus impune tuliſſent. Dauide præſertim decimum tertium iam annum

e 1. Reg. 22. 3. 4.

feliciter regnante; qui cum apud Philiſthæos exularet, Amalecitas tamen, alioſque inimicos ſuos promptiſſimè, fortiſſiméque vindicauerit. Caietanus nullam haberi fatetur huius belli cauſam, niſi cæteris nationibus, populiſque communem.

III. *Cauſa antiqua ex lege.*

[a] 2. reg. 8. q. 5. — [b] Deut 23. 34

Abvlensis cauſam ab altiore accerſit initio; [a] aitque Hebræos ſemper habuiſſe cauſam pugnandi contra Moabitas & Ammonitas, propter legem illam à Deo latam. [b] *Ammonites*, inquit, *& Moabites, etiam poſt decimam generation. in non intrabunt eccleſiam Domini in æternum* & ſubditur infra; *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona, cunctis diebus vitæ tuæ, vſque in ſempiternum, Non ſolum ergo*, ait Abul. *poterant contra illos pugnare, ſed etiam pugnando merebantur. quia implebant præceptũ Domini.* Non fiebat autem bellum iſtud ſine cauſa; eius enim legis gemina ibidem cauſa ſubditur: *quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, quando egreſſi eſtis de Aegypto; & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi.* Ex ea autem maledictione, & impio conſilio eius, grauia damna in Hebræos importata ſunt, & nominatim 24. millia Iſraëlitarum interfecta ſunt. [c] Ad reſarciendum ergo iſtam iniuriam, & damna, malitiam & fraudes Moabitarum, poterant ſemper Iſraëlitæ pugnare contra eos, non ſubſiſtente alia cauſa. *Et forte*, ait Toſtatus, *iſta fuit cauſa primaria, propter quam Dauid pugnauit contra Moabitas*; In particulari tamen ſuſpicatur [d] Moabitas, vicinitate inuitante, impetum feciſſe in Hebræos, & damna intuliſſe, quæ Dauid præſenti bello vlciſceretur; Deo ob ſupra dictas cauſas permittente, vt morituræ muſcæ candelam extinguere conarentur.

[c] Num. 25. 9. — [d] 1. reg. 8. q. 4. — *particularis*

IV. *Funiculi Moabitarũ varie explicati.*

[e] 2. reg. 8. 2 — [f] 1 Par. 18. 2 — [g] l. 7. ant. c. 5. — [h] q. 23. in 1. Reg.

Percvssit *ergo Dauid Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ. Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum, factuſque eſt Moab Dauidi ſeruiens ſub tributo.* [e] Hæc tantum Scriptura hoc de toto bello. De quo etiam breuius in 1. Paral. [f] vbi munera vocat, quæ hoc loco tributa, vt alibi ſæpe. Hos porro funiculos ita explicat Ioſephus: [g] *In Moabitas bellum traduxit; eorum copias ita concidit, vt tertia tantum pars ſupereſſet, quam in deditionem accepit, eiſque annuum tributum impoſuit.* Quæ explicatio conſentanea eſt verſioni Pagnini, quæ habet ex Hebræo ad verbum, *& menſus eſt duos funiculos ad mortificandum, & plenum funiculum ad viuificandum*; quo modo etiam habent Vatabl. Caiet. Montanus. Tres ergo funiculos ponunt, quos Ioſeph. tres populi partes interpretatur, & eum ſecutus Theod. [h] *Tanta erat*, inquit, *victoriæ vis: & tanta multitudo corũ, qui viui capti fuerant, vt non potuerit fere eos numero ſubiicere. Iuſsit enim eos deiici pronos in terram, diuiſos trifariam, & duas quidem partes occidit, vnam autem viuam cepit, & iuſsit ferre tributũ.*

V. *Ex Septua.*

Sixti. Aldi. Vuechel.

Septvaginta emendatiora, præter regiam editionem, quæ ſicut & Complutenſis, ad hebræam conformata eſt, quatuor funiculos ponunt duos mortis, totidem vitæ; *Et fuerunt*, inquit, *duo funiculi ad occidendum, & duos funiculos viuificauit*, ſiue viuos reliquit dimidia ergo tantum pars occiſorum fuit; quod conſentaneum eſt editioni vulgatæ. Cui Caietanus, valde præter morem, hebræum textum accommodat, duoſque tantum funiculos admittit, alterum ad moriendum, alterum ad viuificãdum cum plenitudine; Præiuit Caiet. Toſtatus [i] qui hebræam interpunctionem, iuxta latinam in hunc modum conſtituit, *menſus eſt duos funiculos*, ibique addito inciſo ſubditur, *ad occidendum* ſubintellige vnum, quæ vox in hebræo deeſt, *& plenum funiculum ad viuificandum. Non eſt autem ſenſus*, ait idem, *quod omnes Moabitæ intra duos funiculos caperentur; ſed quod ad quemcunque locum iret* Dauid, *& caperet Moabitas, eos ex partitio diuideret, & vnam partem ſub funiculo mortis clauderet, & alteram ſub funiculo vitæ; licet multi funiculi eſſent pro morte, & multi pro vita.* Vocantur tamen duo qui duo ſpecie erant, numero multi.

[i] 1 reg. 8. q. 3. — *Hebræa latinæ accommodatur.*

VI. *Expoſitio Bedæ.*

[k] c. 4. l. 30. q. in li. Reg. c. 8. & ex eo Angel.

Totvm autem hunc locum ſic explicat Beda.[k] *Quod ſcriptũ eſt*, inquit, *de* Dauid, *& percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo coæquans terræ, hyperbola debet accipi. Non enim fieri poterat vt homines in terra viuentes tantum humiliarentur, donec ipſius terræ dorſo, funiculo ſuper extenſo comprobante apparerent æquales: ſed immenſam humiliationem captæ & oppreſſæ gentis voluit ſcriptura hoc verbo accumulare, vt diceret coæquatos eos terræ, qui ſub eo eſſent euirati*, id eſt, viribus ſpoliati, *atque contempti; ita vt in nullo amplius homines in terra degentes, quam terra ea quæ nullos haberet homines poſſent valere.* In quam ſententiam Abulenſis. *Sciendum*, inquit, *quod* Dauid *non men-*

(m)trabat, vel numerabat Moabitas funiculis, quaſi neſciret alio modo inquirere, quos occidere (v)ellet, aut viuos relinquere; ſed id fecit de induſtria; quia non ſolum volebat occidere Moa(b)itas, ſed aliam etiam dedecoris pœnam inferre, vt non quaſi homines, ſed tanquam pecora & (b)eſtiæ intra laqueos & funiculos captæ occiderentur. Aliqui tamen malunt illam coæquationem terræ, explicare Moabitarum arces dirutas, & ſolo æquatas, in quibus Lyranus, Dionyſius, Caietanus, nec improbat eam expoſitionem Abulenſis.[a]

[a] q. 3. in c. 8. 2. Reg.

VII. *Ex eodem*

Pergit autem Beda paulo poſt, *Quod autem menſus eos funiculo dixit, funiculum (a)llegorice pro ſorte poſuit, eo quod funiculo ſolent agrorum ſpatia metiri, vnde ſcriptum eſt. Et (ſ)orte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Significat autem quod tam libera diſpoſitione Dauid regiones Moabitarum hæredibus quibus vellet diuideret, quam ſi poſſeſſor quilibet agros (p)roprios ad nutum ſuum ducto hinc inde funiculo dirimeret. Menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum. Et hoc allegorice dictum ſignificans, quod in ſua poteſtate habuerit, nullo vtique contradicente, quos eorum neci daret contumaces, quibus parceret ſubiectis.* Ita Beda. Alii breuius hoc modo. *Proſtrauit Moabitas ingenti (ſ)trage, interfecit plurimos, pepercit quibus voluit, & qua voluit eos menſura dimenſus eſt.* Sic fere Comeſtor, Vatablus, Sà, Pineda,[b] Abulenſis in 1. Paralip. c. 18.[c] & ſi qui alii.

Serar Angelom.

[b] L. 3. de Salo c. 2. n. 3.
[c] q. 9.

VIII. *Res geſta a Banaia.*

In hoc bello Moabitico egregie ſe geſſit Banaias filius Ioiadæ, vir fortiſſimus; numeratur quippe ſecundus in ſecunda triade fortium Dauidis, de quo Scriptura[d] teſtatur eum percuſſiſſe duos leones Moab. Id eſt, vt interpretatur[e] Hieron. *duos fortiſſimos Moab. Quando enim Dauid eoſdem Moabitas bello aggreſſus eſt, & fecit tres funiculos, duos ad mortificandum & vnum ad viuificandum, iſti potentes, Moabitas tuebantur.* Hæc ibi: quæ cauſa fuit, vt eam hiſtoriam huc retulerimus cum alioqui de tempore illius facinoris non conſtet. Ac ne res quidem ipſa vacat controuerſia. Nam Hieronymus, vt dixi, leones interpretatur, milites Moabitas: inſtar leonum fortes; & Ioſephus. *Iſte*, inquit, *prouocatus à duobus fratribus, (v)irtute inter Moabitas illuſtribus, vtrumque confecit*; Idem ſentit Chaldæus paraph. qui vocat eos magnates, Comeſtor principes, Idem Caietanus, Sa, Lyranus, Hugo, Dionyſ. eáque eſt communis ſententia Hebræorum doctorum & Latinorum, vt fatetur Abulenſis.[f] Ipſe tamen leones proprie accipere mauult, *cum nihil ſit*, inquit, *quod cogat nos hic conuertere ſenſum literalem in metaphoram.* At metaphora, ſiue metonymia literalem ſenſum non mutat.

[d] 2. Reg. 23. 20. & 1 Paral. 11. 22.
[e] In trad. 2 Reg.

Leones Moab qui.

[f] 2. Reg. 23. q. 26.

IX. *Non arces, ſed milites.*

Vatablus autem duos leones explicare maluit duas arces, vel duo loca fortiſſima, quæ expugnarit Banaias: quorum vterque dicebatur Ariel, id eſt, fortis locus, quorum habitatores, Moabitas percuſſerit. Ego tamen communem ſententiam non deſeruerim. Nam Arielem pro arce accipere, obſcurum eſt, & pene in hiſtoria ſacra ænygmaticum; & oportuiſſet alterutro in loco proprie explicari. Senſit autem Hieronymus proprium Arielis nomen. cum id vno in loco verterit, in altero non verterit, vt notauit Abulenſis.

Lo. cit.

Ratio temporis.

Hæc porro omnia breui quidem verborum compendio à Scriptura narrata ſunt, non tamen breui admodum tempore perfecta videntur. Dauidis enim in eos ſeueritas, maiorem videtur eorum obſtinationem in reſiſtendo indicare; vti Beda & Angelomus ſignificarunt:[g] præſertim ſi eorum arces dirutæ, & ſolo æquatæ ſunt, vt plerique crediderunt.

[g] ſupra n. 7. num. 6.

ANNVS MVNDI 2993. DILVVII 1337. QVINTÆ ÆTATIS 54. EXITVS AB ÆGYPTO 450. ARCÆ IN SIONE 4. DAVIDIS REGIS 14. ABIATHARIS PONTIF. 19. TROIÆ EXCISÆ 122. EVPALIS 3. IMPERII ASSYRIORVM. 1062.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1060.

I. *Bellum Dauidis contra Syros.*

DECIMVS quartus Dauidis annus rem ab eo contra Syros geſtam continet, tam Soba, ſiue Sophenorum, vt Ioſeph. loquitur, quam Damaſcenorũ. Ab vrbe enim regia Soba, ſiue Sobal, Syria Soba dicta eſt, ſicut à Damaſco, Syria Damaſci: eratque vtraque contermina dimidiæ tribus Manaſſe, quæ vltra Iordanẽ habitabat: Syria quidẽ Soba, quæ & Cœleſyria, & caua Syria, ex Orientali parte; Syria vero Damaſci, verſus Septentrionẽ. Vide Tabul. Adrich. quibus rectius in re topographica credas, quam Toſtat.[a] qui Phœnicẽ apud Euphratem ponit, ſicut Palæſtinam ad meridiem terræ Iuda. Nimirum geographia crebris & longinquis nauigationibus facta eſt hiſce temporibus multo illuſtrior. Beniaminus in ſuo itinerario p. 55. *Ab oppido Lamdin duobus itineribus Haleb itur, cui vrbi & regioni antiquum nomen Aram Tſoba fuit, eſtque regia Noraldini regis, intra quam palatium eſt, maximo muro cinctum, nulluſque in tota vrbe fons, aut puteus, aut fluuius eſt, bibuntur vero imbres in ciſternis collecti, quas lingua Iſmaelitica Algubos vocant.* hæc ille. Hoc ipſo anno 14. Dauidis rem cum Syro geſtam ponit Pineda noſter. Torniell. maluit 13. Nemo facile alterutrum erroris arguerit.

a 2. Reg. 8. qu. 6. & 8.

II. *Quando geſtum.*

CAVSAM geſti à Dauide belli contra regem Syriæ Adarezer coniicere poſſumus ex eo quod Scriptura[b] hoc bellum geſtum ait, *quando profectus eſt, vt dominaretur ſuper flumen Euphratem*: vel vt habetur in 1. Paral.[c] *quando perrexit vt dilataret imperium ſuum vſque ad flumen Euphratem.* Ex quibus verbis dubium remanet, quis profectus ſit, Dauidne an Adarezer, & vter voluerit dilatare imperiũ ſuum. Nec ſatis ex textu hebræo, græco, chaldæo, latino vtrouis in loco; aut ex Ioſepho, Hieronymo, Theodoreto, Lyrano, Serario, tollitur ambiguitas. Pineda noſter, Torniellus, Dionyſius, hanc profectionem Dauidi tribuunt, ad dilatandum imperium Hebræorum, idque iuſte facere potuiſſe, imo & debuiſſe ait Dionyſ. quoniam eos quondam terminos ſtatuerat Dominus poſſeſſionis Hebræorum.[d] *Omnis locus*, inquit *quem calcauerit pes veſter, veſter erit. A deſerto & Libano*, id eſt à Meridie & Septentrione, *à flumine magno Euphrate, vſque ad mare occidentale, hoc eſt ab Oriente ad Occidentem, erunt termini veſtri.* Quod reperitur initio libri Ioſue.[e] Idem ſentit Freculph. &[f] Caietanus, licet in hebræo reſtitutionis, ſiue reparationis regni mentionem fieri agnoſcat. *Tanquam occupata*, inquit, *ab alijs regio, vſque ad Euphratem reſtituenda Iſraeli narratur, eo quod erat Iſraelitarum, à Deo eis data: & Dauidis tempore executioni mandata eſt diuina largitio.*

b 2. Reg. 8.
c 1. Par. 18. 3.

An Dauid aliret Euphratem.

d Deut. 11. 24.

e cap 1. 3.
f l. 3. c. 2.

III. *An potius Adarezer.*

VATABLVS contra eam profectionem tribuit Syro, quem ait profectum, vt inſtauraret imperium ſuum in flumine Euphrate, ſiue vt vindicaret ſibi regionem adiacentem Euphrati, quam ante ceperat: at neque Dauid, neque vllus Iſraëlitarum princeps eam regionem vnquam tenuit; idem ſentit Abulenſis. Et certe durior eſt Caietani expoſitio, magiſque conuenit hæc imperij reparatio Syro, qui erat potentiſſimus, vt ſequentia docebunt, & verſus Euphratem regnabat,[g] imo & fortaſſe trans Euphratem: Nam Strabo,[h] & Scriptura ipſa Syriam trans Euphratem agnoſcit; à quo Dauid longiſſime aberat; & conſultius erat contiguos inimicos debellare Idumæos, Ammonitas, Philiſthæos, Damaſcenos, quam ignotos aduerſarios quærere; & longinqua gerendo bella, regnum ſuum

g 2. Reg. 10. 16.
h l. 16.

prædæ vicinorum hoſtium relinquere, aut ſe vtrinque à duobus aduerſariis concidendum præbere. Cum ergo Adarezer [a] rex Soba filius Rohob proficiſceretur verſus Euphratem, & infeſtis ſignis eam regionem ſibi repeteret, maxima clade à Dauide affectus eſt. Sed quam tandem huius belli cauſam fuiſſe dixerimus? An nullam cauſam habuit, quæ hominibus probari poſſet, ne Tyrannus audiret & prædo, non Imperator? a 2.Reg. 8. 11.

IV. *Cauſa belli*

CREDIDERIM ſane hunc regem armis, diuitiis, viriſque potentem; cum Dauidis haberet incrementa ſuſpecta, vt vſuuenit inter vicinos principes, Moabitis auxilio fuiſſe contra Dauidem; quos, ſicut & Ammonitas, habebat, quaſi pro muro, aduerſus Iſraëlitas. Itaque iis defendendis ſuum ſe regnum defendere, atque in tuto collocare arbitrabatur. Quæ etiam cauſa fuit, cur quamuis magna clade affectus hoc tempore, non multo poſt [b] Ammonitis contra Ioabum auxilio fuerit, vt capite ſequenti dicetur. Accedit quod diuina prouidentia tam ſuauiter Dauidis arma, pugnaſque diſpoſuit, vt quos populos volebat a Dauide ſubiugatos, ab iis permitteret, belli etiam humano iudicio legitimi, iuſtam cauſam dari: vt de Philiſthæis, Syris, Damaſcenis, Idumæis, Amalecitis, aliiſque conſtat. At dominari vſque ad Euphratem non poterat, niſi quietas nationes bello inuadendo; quod contra ius gentium eſt, & primis tantum temporibus, occupatæ ab Hebræis Chananitidis, vſurpatum. b c. 10. 2. Reg.

V. *Apparatus eiuſdé, & locus.*

MAGNVM fuiſſe vtrimque belli huius apparatum cladis magnitudo, quam refert Scriptura perſpicue docet, vt non ſine cauſa ipſum ad hunc annum diſtulerimus, præter magnitudinem negotij ab vtroque ſuſcepti: Nam alter magnam cupiebat recuperare regionem: alter illum ipſum tot inſtructum copiis inuadere. Nec credendum eſt Dauidem, licet magnitudo copiarum eius non prodatur, & DEI præſentiſſimo auxilio niteretur, validum cogere exercitum, quod ei in promptu erat, temerè neglexiſſe. Ad Euphratem pugnatum fuiſſe Ioſephus affirmat, Caietanus ad Emath. cui conſentiens Vatablus ait percuſſum fugientem ad Hamath: quod abſurdum eſt. Erat enim ea ciuitas ipſi inimica, ſicut & Thou rex eius. Probabilius eſt circa eas vrbes exercitus fuiſſe congreſſos, quæ mox Iſraëlitis prædæ potuiſſe dicentur. in 1. Par. 18. Ibid. v. 9. & 10.

Quæ copiæ.

Clades autem ex qua copiarum multitudo colligitur his verbis à Scriptura memoratur. [c] *Et captis* DAVID *ex parte eius mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, ſubneruauit omnes iugales curruum; dereliquit autem ex eis centum currus.* In altero autem loco diuerſitas non modica reperitur; ſic enim habetur. [d] *Cepit ergo* DAVID *mille quadrigas eius & ſeptem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, ſubneruauitque omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis quas reſeruauit ſibi.* Eodemq. modo legitur vtrobique in hebræis, græciſque codicibus. c 2. Reg. 8. 4. d 1. Par. 18. 4.

VI. *Examinatur hic Ioſephus.*

IOSEPHVS [e] difficultatem non tollit, ſed impedit, implicatque magis; cum vtroque ſiquidem Scripturæ loco pugnat. *Contra Adrazarum Arachi filium mouit,* videtur legendum Raachi filium per tranſpoſitionem elementorum. Nam Septuag. paſſim habent Raach pro Rohob; pergit, *Sophenorum regem; cum quo ad Euphratem congreſſus, viginti peditum millia, equites quinquies mille occidit.* Scriptura captos tantum refert, non occiſos, & ſeptem millia, non quinque: ſubdit. *Currus eius mille cepit, ex quibus, incenſis reliquis, centum ſolos ſibi reſeruauit.* Quadrigarum equos ſubneruatos, miſſos fecit Ioſephus, veritus opinor ne Dauid imprudentiæ, ac crudelitatis cuiuſdam argueretur, qui eos ad ſuum, ſuorumue vſum nō reſeruarit. Theodoretus [f] ait id à Dauide factum, eo quod lex diuina iuſſiſſet regem non vti multis equis, vt ne in eis, ſed in diuina virtute confideret. *Hanc legem implens*, inquit, *confregit currus plurimos*: quod habet etiam Procopius. Sed timuit etiam fortaſſe Ioſephus, ne lex quoque diuina ab ethnicis, quibus probabilia de lege ſua ſcribere cupiebat, ſtultitiæ argueretur. At Septuag. diuinam veritatem fideliter coram regibus, conſtanter ſcripſerunt. e l. 7. ant. c. 5. f q. 24. in 2. Reg.

VII. *Et loca Scripturæ conciliantur.*

VERVM omiſſo tantiſper Ioſepho, quid Scripturę faciemus, quæ vno in loco mille & ſeptingentos equites habet, in altero ſeptem millia? [g] Dici poteſt cum Abulenſi, & hebræo Kimhi priore in loco primarios tantum equites fuiſſe numeratos, puta qui habebant arma aurea, aut turmis equitum præerant, aut nominatim ad regis ſatellitium pertinebant; poſteriore verò plane omnes, qui in equis g 2. Reg. 8. q. 11. & 1. Par. 18 q. 14.

pugnabant. Quid ſi priore loco ſolos equites poſuit, in poſteriore etiam curruum equi comprehenduntur? Nam ex equis etiam pugnabant, qui equis curulibus inſidebant: fortaſſis aliquid errati irrepſit in numeros, cui ſuſpicioni coniecturam præbet, quod Septuag. in vtroque loco eodem modo habent, quo latina in poſteriore. Non apparet autem occiſos à Dauide milites, quos captos ſcriptura commemorat, ſed venditos, aut ſeruituti reſeruatos: neque enim erãt

a 2. Reg. 8 q. 9.

Chananæi, quos lex iubebat occidi. Vice autem verſa putat Toſt. [a] equos non ſolum ſubneruatos, ſed etiam occiſos, quod ſucciſis poplitibus, aut ſuffraginibus nulli vſui eſſe poſſent, præterquam ſegetibus ſine vlla vtilitate vorandis.

b 2. Reg. 8. 5. — c 1. Par. 18. 5.

VIII. *Altera pugna Dauidis contra Syros.*

VENIT *quoq; Syria Damaſci, vt præſidium ferret Adarezer regi Soba;* [b] *& percuſſit Dauid de Syria* Damaſcena *viginti duo millia virorum.* Non eſt rationi conſentaneũ has copias auxiliares exiſtimare multo poſt prædictam victoriam in Dauidem pugnaſſe; erant enim alii aliis vicini, atq; contermini. Et 1. Par. 18. dicitur [c] Syrum Damaſcenũ ſuperueniſſe, vt auxiliũ præberet Adarezer. Tardius tamen veniſſe quã vt ſe cum præcedentibus coniungere poſſent, recte dici poteſt; ſiue Dauidis induſtria anteuertentis coniunctionẽ, ſiue Domini prouidẽtia aliorum aduentum retardantis, ſeorſim vt facilius debellari poſſent, nec alii aliis opẽ ferre. Nec credibile eſt omnes iſtos Damaſcenos, qui à Dauide percuſſi dicuntur, ad vnũ interfectos; erãt enim admodum fugaces, vt primo bello intellectũ eſt, [d] quo aduerſus eos pugnauit Ioab. Et nominatim conſtat de fuga Razonis filii Eliadæ, cuius Scriptura meminit, [e] ſub extrema tempora Salomonis; de quo dicemus anno eiuſdem 38. Hinc etiam coniectura eſt, ſi forte 22. millia cæſa ſunt, longe maiorem eorum numerum conueniſſe, ad ſuppetias ferendas regi Soba.

Syri fugaces. — d 1. Reg. 10. 13. 14. — e 3. Reg. 11. 23.

IX. *Syriam Damaſci occupat Dauid.*

VSVS porro victoria Dauid, Damaſcenos iſtos ſua clade conterritos, antequã ſeſe colligere poſſent, perſecutus, totam Syriam Damaſci occupauit, *& poſuit in ea præſidia, factáque eſt Syria Dauidi ſeruiens ſub tributo. Seruauitque Dominus Dauid in omnibus, ad quæ profectus eſt. Et tulit Dauid arma aurea,* pharetras explicat liber Paral. in Hebræo vtrobique habentur ſcuta aurea [f] *quæ habebant ſerui Adarezer, & attulit ea in Hieruſalem. Et de Bete & Beroth ciuitatibus Adarezer, tulit Rex Dauid æs multum nimis.* Sic in 2. Reg. At in altero libro, ſcriptor ſacer aurea arma, pharetras, vt dixi, aureas interpretatur; nam arma ad offendendum aut defendendum idonea, ferro, quod domat omnia, melius quam auro cõflantur. Alias etiam à præcedentibus ciuitates, memorat quamuis non deſint, qui diuerſa tantum nomina velint eorundem oppidorum; 2. addit denique ex illa ingenti æris copia, Salomonem feciſſe mare æneum & columnas, & vaſa ænea, de quibus ſuis locis dicendũ erit. Nec plura de hoc bello Scriptura: quibus aliqua Ioſeph. addit tã ſuo quam Nicolai Damaſc. hiſtorici nomine, cui propriæ regionis hiſtoriam ſcribenti non modica debetur fides, ſi nihil ſacris literis aduerſentur: in rebus præſertim longe à memoria patrum, aut auorum remotis. Nam in propinquis ſpes aut metus veritatem hiſtoriæ labefactant, vt huic ipſi Damaſceno in Herodis cauſa contigit.

f 1. Par. c. 18. — Dionyſ. — 2. χ.

X. *Quid hac de re Ioſephus.*

INTERIM, *Adadus,* inquit Ioſephus, ſic enim Damaſcenum regem ex Nicolao vocat, cuius nomen Scriptura tacuerat, *Damaſci & Syrorum rex; audito quod Dauid Adrazaro bellum intuliſſet, cum eſſet eius amicus ac ſocius, cum valido exercitu in auxilium eius properat, ſperans ſe bellum ab eo depulſurum; cumque & ipſe non procul Euphrate cum Dauide conflixiſſet, prælio victus magnam exercitus partem amiſit: deſideratis enim ex eius acie 20. millibus, reliqui fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt. Huius Adadi etiam Nicolaus, in quarto hiſtoriarum ſuarum libro, in hæc verba meminit. Longo deinde poſt tempore indigenarum quidam nomine Adadus, cæteris potentior, Damaſci & reliqua Syria, præter Phœnicem, regnum obtinuit. Hic bello inter eum & Dauidem regem exorto, crebris præliis cum eo cõflictatus, in poſtremo, quo apud Euphratem victus eſt, regem ſe, & viriũ, & animi robore præſtantiſſimũ declarauit. Idẽ de poſteris quoq; eius narrat, quod quaſi per manus alius ab alio regnum ſimul, & nomen acceperint.*

XI. *Et Nicolaus Damaſcenus.*

ILLO, inquit Nicolaus, *defuncto, poſteri eius decimam vſque generationem, regnum obtinuerunt, quiſque à ſuo patre cum imperio nomen accipiens, quemadmodum apud Aegyptios Ptolemæi.* 3. χ. *Ex his potentiſſimus ordine tertius inſtaurato bello, abolere volens ignominiam aui temporibus acceptam, expeditione contra Iudæos facta Samariam vaſtauit.* Sic Nicolaus, quæ confirmans Ioſephus in eodem loco *Nec à vero,* inquit, *aberrauit hac parte. Hic eſt enim ille Adadus, qui Achabo apud Iſraelitas regnante, Samariam*

inuaſit. Porro Dauid peragrata cum victore exercitu Damaſco, & reliqua Syria totam ſub imperio redegit, diſpoſitiſque opportunis in locis præſidiis, & tributo impoſito domum eſt reuerſus, & cui trophæum aureas ſatellitum Adadi pharetras, reliquamque eorum armaturam, pretioſam videlicet, Deo *Hieroſolymis conſecrauit.* Hactenus Ioſephus, & Nicolaus. Cuius aſſertio de pluribus prælijs contra Dauidem initis, ſi vera eſt, facile eſt intelligere, totum hũc annum in expeditione Syriaca fuiſſe conſumptum.

XII. *Expenduntur.*

Cæterum quod ait ad decimam vſque generationem filio patrem in regno Syriæ Damaſcenæ ſucceſſiſſe, videtur cum Scriptura [a] pugnare, quæ Benadado Hazaëlem famulum eius ſubſtituit. Nam ſi filius eius eſſet, nihil noui diceret ei propheta, cum dicit regnaturum: neque id nuncium abſurdum putaſſet Hazaël, quē Ioſephus quoque famulum vocat. [b] Cui ſucceſſit etiam Benadad eiuſdem Hazaëlis filius. [c] Quod autem ait Adadi nepotem ordine tertium Samariam vaſtaſſe, non facile adducor vt redam, licet ei Ioſephus aſſentiatur. Nam ab hoc anno 14. Dauidis, vſque ad annum Samaritanæ famis, minimùm 150. anni intercedunt; quos quomodo tribus regibus applicent, ipſi viderint. Certe in regno Iuda Ioſaphat, qui tum regnauit, erat à Dauide ſextus; & tamen Dauid regnauit adhuc annis 26. tum Salomon 40. Aſa etiam diutius. Rectius dicitur ordine quartus, qui à Scriptura vocatur Benadab: Cuius pater dictus eſt Tabremon, auus Hezion, vt eſt in 3. Reg. [d] Proauus autem fuerit hic Adad, qui pugnauit contra Dauidem. Quod autem viginti millia Damaſcenorum cæſa dixit Ioſephus, non recte dixit, habet enim Scriptura in omnibus linguis viginti duo millia, ſicut nec illud, opinor, quod ait, illud æs quod in vrbibus Adarezer repertum eſt, auro pretioſius habitum eſſe, quod fortaſſe ipſe non credidit; certe mihi non perſuaſit. De multo autem auro & argento, quod addit, facile credi poteſt.

a 4. Reg. 8. & 9.
b l. 9. c. 2. παῖδα τῶν οἰκετῶν.
c 4. Reg. 13. 24.
d 3. Reg. 15. 18.

XIII *Dauidis felicitas.*

Bello contra Syriam fœliciter confecto, Dauid domum victor reuertitur, gloria & diuitiis vehementer auctus: relictis tota Syria validis, crebriſque pręſidiis, maiore etiam ſui nominis terrore, ac felicitatis metu: Videbāt enim Dominum eſſe cum Dauide, à quo ſeruabatur in omnibus, ad quæcunque proficiſceretur, [e] imo & iuuabatur, vt dicitur in 1. Paral. [f] ita vt neque nocere illi poſſent aduerſarij, neque ſe ab eo incolumes conſeruare: Domino Iſraëlitis, in gratiam Imperatoris ſui, induſtriam, animos, vires, alacritatem ſuggerente: Syris, ſtuporem, metum, deſperationem iniiciendo; vt magis de fuga, quam de pugna cogitarent, & maiorem ſpem ſalutis in pedibus, quam in dexteris collocarent; latebras denique potius, quam victoriam quærerent.

e 2 Reg 8. 6
f 1. Par. 18. 6

XIV. *Regis Thoü legatio ad ipſum.*

Qvæ cauſa fuit, vt Ioſepho placet, cur rex Emath nomine Thou, Dauidis amicitiam expetierit. *Amathenorum autem rex*, inquit, *audita Adrazari clade, quodque exercitum amiſiſſet, timens ſibi, decreuit in fidem, & amicitiam* Dauidis *vltro venire; miſitque ad eum Adoramum filium, qui victoriam de communi inimico ei ſuo nomine gratularetur, & in ſocietatem, atque amicitiam recipi peteret, & munera offerret antiqui operis, vaſa aurea, & argentea, & ærea.* Dauid *vero inita amicitia cum Thæuo, ſic Amathenus vocabatur, & acceptis muneribus, filium eius pro vtriuſque dignitate tractatum dimiſit.* Sic ipſe. Scriptura huius timoris, ſane per quam probabilis, nihil meminit, ſed tantum ait miſſam à rege legationem, vt ſalutaret Dauidem, congratulando, & gratias agendo. *Audiuit autem Thou*, inquit, *rex Emath*, erat ea ciuitas ad montis Libani radices, in ipſo tranſitu à Syria Damaſci, in terra Iſraëlitarum, 4 *quod percuſiſſet* Dauid *omne robur Adarezer*, non tamen ipſum Adarezer, qui fuga lapſus poſtmodum Iſraëlitis negotium faceſſet. *Et miſit Thou Ioram filium ſuum*, is in 1. Paral. [g] dicitur Adoram, & habetur eadem in hebræo diuerſitas, nimirum binominis fuit, *ad regem* Dauid, *vt ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret, eò quod expugnaſſet Adarezer; & percuſiſſet eum. Hoſtis quippe erat Thoü Adarezer & in manu eius*, Iorami ſcilicet, *erant vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea.*

Thoghi תעי vel Thoghu תעו
4. x.
g 1. Par. 18. 10.

XV. *Et munera*

His videlicet pacem honorifice redimens, cupiens vna eademque opera, *Munera ferre viro, pacemque expoſcere genti.* Nam Septuag. miſſam aiunt hanc legationem, vt pacem à Dauide peteret, quod etiam diſerte habetur in 1. Paralipom. [h] Poterant autem illa vaſa, vel ad domeſticam regis, vel ad bellicam pertinere ſupellectilem; non tam ad commoditatem vſus bellici, quam ad regiæ magnificentiæ oſtentationem. Quæ cauſa Salomoni fuit, [i] vt ducenta ſcuta

h c. 18. 10.
i 3. Reg. 10. 16. 17.

de auro puriſſimo conficeret, & trecentas peltas ex auro probato, quas poſuit in domo ſaltus Libani; quæ vel propter ponderis magnitudinem vſui eſſe nō poterant, ſed in regia pompa præferebantur.

Ratio temporis.

Cum autem ſiue petitio pacis, ſiue congratulatio ſera non eſſe debeat, ne vel inutilis ſit vel ingrata, ideo eam ad hunc ipſum annum retulimus. Cæterum Dauid tam hæc munera, quam prædictam prædam; ſicut & aliam deinceps plurimam, Deo in vſum deſtinati templi conſecrauit, & deinceps quaſi ſacram in theſauris ſuis diligenter conſeruauit, & auxit.

XVI. *Scriptio pſalmi 59.*

Hoc ipſo tempore, dum expectat Dauid tempus, quo ſolent reges ad bella procedere, ſcripſiſſe videtur pſalmum 59. cuius initium eſt, *Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, iratus es, & miſertus es nobis.* Nam titulus præ ſe fert editum, à Dauide pſalmum, *cum ſuccendit Meſopotamiam Syriæ, & Syriam Sobal, & conuertit Ioab, & percuſſit Edom in valle Salinarum.* Fatentur enim interpretes, in quibus Ianſenius, ad id tempus pertinere, quo deuictis Syris expeditio in Idumæos, quæ proximo anno contigit, pararetur. Id colligitur ex illis pſalmi verbis. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt*, nimirum Philiſthæi, qui peculiariter hoc nomine intelliguntur, & Moabitæ, de quibus proxime locutus fuerat, & Syri, de quibus in pſalmi titulo. Et quoniam expugnatio Idumæorum, qui in montibus & præruptis rupibus habitabant, & ciuitates admodum munitas incolebant, ardua erat, atque difficilis, auxilium à Deo petens ait. *Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſque in Idumæam?* verum hac de re anno ſequenti accuratius.

ἀλλόφυλοι.

XVII. *Meſopotamia duplex.*

POSITA eſt Syria Meſopotamiæ pro Syria Damaſci, neque enim legimus vſquam Dauidem tranſgreſſum eſſe Euphratem, nedum regionem vlteriorem ſuccendiſſe, ſed Sophenorum primum, deinde Damaſcenorum prouinciam expugnaſſe. Pro qua Syria Meſopotamiæ poſita videtur, ſiue quia vtraque prouincia ad regem Damaſci pertineret, in cuius rei ſignum, dicitur ille idem rex eduxiſſe Syros, qui erant trans fluuium, [a] & adduxiſſe eorum exercitum, vt pugnarent cōtra Hebræos: ſiue quod peculiaris quædam prouincia in Syria Damaſcena dicta ſit Meſopotamia, ſiue Syria fluminum, vt loquuntur Hebræi: quæ multo poſt tempore Naaman Syrus celebrat. [b] Abana & Pharphar. Habetur autem etiā ex illo pſalmi titulo, quod in hiſtoria non habetur; flammas in domos iniectas, & pluribus in locis contra Syros, igne ſæuitum eſſe. Nam Septuaginta habent ἐνέπρησε, ex quo vulgata *ſuccendit*, Hieronymus vertit, *pugnauit*, Pagninus, *cum rixaretur*, alii, *dum bellum gereret*, neque vnam aliquam vrbem, ſed prouinciam Meſopotamiæ ſuccenſam fuiſſe dicunt.

a 2. Reg. 10.16. vide infra a.m. 1996. n 12 a. m. fere 3150.
b 4. Reg. 5. 12.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2995.

1 N.IX. Septuaginta habent χλιδῶνας χρυσοῦς armillas aureas, quas Aquila interpretatus eſt χρυσοῦς κλοιοὺς, aureos torques, vt habet Theodoretus q. 23. in 2. Regum, & ipſimet 70. in 1. Paral. 18. vbi tamen aliqui habent κλοιούς.

2 N.IX. Rectius videtur arbitrari diuerſas vrbes, ſiue quia diuerſis vocabulis diuerſæ reſpondent res, niſi quod cogat fateri rem eſſe polyonymam, quod hic non apparet: ſiue quia magis conuenit gloriæ Dauidis, plures vrbes ab eo captas fuiſſe, pluribus locis poſita præſidia. Sunt ergo 4. oppida Bete & Beroth, Thebath & Chun. Primam Ioſephus vocat Bettæam, alteram Machonem, græca regia habent Βατὰκ, & electas ciuitates, in Paral. autem Ματεβὲθ. Ex quo intelligi poteſt priorem vocē per metatheſim ex Thebath factā fuiſſe, ſed aliæ editiones græcæ etiam corruptius edunt hæc vrbium nomina.

3. N. XI. Hæc dominatio Syriorum regū nō repugnat Scripturæ, hic enim qui pugnauit cum Dauide dictus fuerit Adad, eius autem filius Hezion Adad, nepos Tabremon Adad, pronepos Ben Adab; iuxta 3. Reg. 15. 18. fuiſſe autem etiam Idumæorum id cognomen ex Gen. 36, 35. colligitur, vbi dicitur Adad regnaſſe, diciturq; filius Badad; quod putatur factum per ſyncopē ex Ben Adad, filio patris nomen retinente. Septuag. habent Barad, ד in ר mutato: ſicut & qui v. 39. decitur Adar, 1. Paral. 1. 50. & 51. dicitur Adad, rex alius a priore. Et 3. Reg. 11. 14. ſuſcitetur contra Salomonem Adad Idumæus de ſemine regio, qui erat in Edom. Sed hæc minutiora ſunt, & fere incerta.

Beniamin in ſuo itinerario p. 55. Profectus ex kiriathaim integro itinere, Hamath ingreſſus ſum, antiquum, nomen retinentem ſub Libano monte ſitam, ſecundum fluuium Iaboth. Accidit autē in illis diebus, vt magno terræ tremore concuſſa vrbe, vltra 15 hominum millia vna die perierint: neq; plures quam 70 viri fuerint ſuperſtites, Hæc ille ſub annum Chriſti 1173. 4. N° 14.

ANNVS MVNDI 2994 DILVVII 1338. QVINTÆ ÆTATIS 55. EXITVS AB ÆGYPTO 451. ARCÆ IN SIONE 5. DAVIDIS REGIS 15. ABIATHARIS PONTIF. 20. TROIÆ EXCISÆ 123. EVPALIS 4. IMPERII ASSYRIORVM. 1063.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1059.

I. *Ratio temporis.*

IMPLETVR hoc anno vetus illud oraculum, quod quondam datum eſt Rebeccæ. [a] *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populuſq. populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Quæ prophetia in natiuitate patriarchę Iacobi edita eſt annis ab hinc ſeptingentis & nonaginta ſeptem; tot enim ab anno mundi 2197. ad hunc annum fluxerunt, aut certe impletur illa Iſaaci benedictio, [b] quæ Iacobum Dominum fratris ſui Eſau conſtituit, vt notarunt Theodoretus & Procopius. [c] Cur autem in hunc potiſſimum annum bellū Dauidis contra Idumæos coniiciamus, ex tota horum bellorum ſerie ſatis intellectum arbitror, ac probatum. Progreſſionem autem annorum τῶν ἐτῶν recte procedere vides; vel ex eo quod ab anno Dauidis quintodecimo, ad quartum Salomonis, quo templi fundamenta iacta ſunt 30 anni numerantur, computatis extremis: eodemque modo ab anno exitus ex Ægypto.

(right margin: a Gen. 25. 23 — Abu. 2. Reg. 8 16. — 2994. 2197 / 797 — b Gen. 27. 29 — c q. 14. in 2. Reg.)

II. *Cauſæ belli huius ex coniectura.*

CAVSAM belli huius difficile eſt inuenire; etſi illud, certo conſtare debet, Dauidem virum Deum timentem, ac religioſum, nequaquam hoc bellum contra Idumæos, qui non ſemel fratres Hebræorum in Scriptura dicuntur, ſine cauſa, id eſt contra ius faſque ſuſcepiſſe. Forte, inquit Toſt. [d] inſultum fecerant in terrā Iſraël; cum tamen Iraëlitæ terram eorum, vel prędādi vel occupandi cauſa, Domino prohibente, non tangerēt. [e] Alterā cauſam ſuſpicatur idem Scriptor, quod forte inuitante vicinitate, Syris opem contra Dauidem tuliſſent. Verum hæc vicinitas non eſt conſentanea communi topographiæ, nominatim Adrichomij, iuxta quam Idumæi claudunt meridionale Iſraëlitarum latus. Syri autem boreale. Itaque tantum diſtant à ſe inuicem, quanta eſt longitudo vniuerſæ Chananitidis. Ex loco tamen in quo pugnatum eſt, qui vallis Salinarum dicitur; eſtque in tribu Iuda, ad extremum maris mortui, meridiem verſus cōiicere poſſumus Idumæos, diuina id permittente prouidentia, bello aggreſſos eſſe Iſraëlitas ſalinarū cauſa. Ad eam enim oram maris mortui, quæ lingua maris ſalſiſſimi dicitur, [f] erant ſalinæ & putei bituminis, de quibus Geneſ. 14. [g] vbi Abrahami tempore pugnatum eſt.

(right margin: d 2. Reg. 8. q. 17. — e Deut. 25. — f Ioſ. 15. 2. — g v. 10.)

III. *Pugnæ locus, quæ vallis ſalinarū.*

VALLIS porro Syluestris, non eadem eſt cum valle, quæ hic dicitur Salinarum; quia illa nunc eſt mare ſalis, & eſſe deſiit. Hæc autem etiam nunc perſeuerat in finibus tribu Iuda. Eſtque locus Idumæorum cladibus celebris; ibi enim rurſum magna clade affecti fuerunt ab Amaſia rege Iuda, annis ab hinc fere 14. ſupra ducentos. [h] Permiſit ergo Deus Idumæos ſuperbos, & vel ab ipſo primo eorum parente, moribus aſperos, quique ſe inexpugnabiles credebant, eo quod habitarent *in ſciſſuris petrarum*, Iſraëlitarum arma victricia, propriis iniuriis contra ſe conuertere, vt pluribus edomiti cladibus, Dauidis, & Iſraëlitarum ſubiicerentur ſeruituti, & ſentirent vere dictum illud; *Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filii matris tuæ.* [i]

(right margin: h 4. Reg. 14. 7. — i Gen. 27. 29.)

IV. *Quis belli dux.*

DVBIVM porro eſſe poteſt, à quo geſtum ſit hoc bellum. Nam in 2. Regum à Dauide geſtum dicitur. [k] In titulo pſalmi 59. & in 3. Regum, à Ioab principe militiæ Dauidis. [l] In primo autem Paralipo. [m] ab Abiſai filio Saruiæ, qui erat Ioabi frater, quod ſequitur [n] Ioſephus. Nulla tamen eſt contradictio.

(right margin: k 2. Reg. 8. 13. — l 3. Reg. 11. 16. — m c. 18 12. — n l. 7. c. 6.)

Nam Dauidi victoria tribuitur vt Regi, ſiue Imperatori, cuius autoritate, & auſpiciis omnia ſuſcipiuntur, ac fiunt. Præſertim cum Dauid tunc eſſet in Idumæa, vt habetur in 3. Regum, belli vtique gerendi cauſa: vnde gloriam adeptus eſt, non ex alieno labore, vt infra, [a] ſed ſuo, ait enim Scriptura, *fecit quoque ſibi Dauid nomen cum reuerteretur capta Syria.* Tribuitur & Ioabo, vt principi militiæ, ex cuius directione, totum bellum ab immediatis ducibus conficiebatur. Poſtremo tribuitur Abiſai, quod in eo bello virtus eius maxime enituerit. Ioſephus tamen hunc nominatim à Dauide in Idumæam miſſum, quaſi toti huic bello præpoſitum ſignificat. Ait enim Deum non ſolum quoties rex ipſe bellum adminiſtraret, rem proſperare ſolitum; *verum etiam*, inquit, *miſſo in Idumæam Abeſæo, Ioabi ſummi copiarum ducis fratre, illius ductu Idumæos perdomari conceſſit.* Sic ipſe, admodum vtique probabiliter.

[a] 2. Reg. 12. 11.

Ioab; proprie Abiſai.

V. *Idque confirmatur.*

Cavsa enim nulla apparet, cur hæc victoria nominatim Abiſæo tribueretur in 1. Paral. [b] Dauide & Ioabo præteritis, qui erant autoritate potiores; cum vice verſa fieri contingat, vt minorum bene geſta maioribus tribuantur. Dicendum itaque erit, vt Caietanus exponit, Dauidem in Idumæa tum fuiſſe, non ipſum per ſe, ſed per duces ſuos: & Ioabum dici percuſſiſſe Idumæum, cum Hebræis tum præeſſet frater eius Abiſæus, qui fratre id agente, & ei gloriam acquirere volente, huic expeditioni præpoſitus fuerat. Verum hæc paulo poſt accuratius diſquiſita clareſcent. Interim dicamus pugnatum ab Iſraëlitis ductore, ſiue Imperatore Abiſæo, in valle Salinarum contra Idumæos, & Domino exercituum Dauidi, cuius res agebatur, fauente, victoriam penes Iſraëlitas ſtetiſſe. Diuinum enim auxilium erga Dauidem, in hoc quoque bello innuunt illa, quæ 2. Regum 8. iterantur. [c] *Et ſeruauit Dominus Dauid in omnibus ad quæcunque profectus eſt.*

[b] 1. Para. 18. 12.
[c] v. 6. & 14.

Qui & victoriam cõſequitur.

VI. *Quis cæſorum numerus.*

Cæsorvm in hoc bello numerus dubitatione non vacat. Nam in 2. Reg. [d] & 1. Paral. [e] dicuntur cæſa Idumæorum 18. millia. Itaque conſtanter habetur in omnibus libris hebræis, græcis, chaldæis, latinis, & apud Ioſephum loco citato. [f] D. quoque Hieronymus in tradit. in 2. Reg. ait, vitio ſcriptorum in pleriſque latinorum codicibus, legi 12 millia, & legendum eſſe 18 millia. Sed quid eſt quod in pſalmi 59. titulo, cæſa tantum ponuntur, & quidem à Ioab 12 millia? Dicent Nicolaus, & Dionyſius, minorem numerum comprehendi in maiore, & vbi ponitur minor, nullam addi particulam, qua excludatur maior. Dicent alij apud Abulenſ. [g] vnum fratrum, puta Ioabum, occidiſſe 12 millia, vt dicitur in illo pſalmo, Abiſæum autem reliquos, cum tamen ipſi vbique 18 millia à Scriptura tribuantur, vt dixi. Dicet Hieron. in tradit. in 2. Reg. [h] Dauidem occidiſſe 18 millia, Ioabum vero 12 millia, vt in prædicto pſalmo dicitur. Quæ puto lectori non facere ſatis. Sed augeamus etiam difficultatem. Nam in pleriſque codicibus latinis in 2. Reg. adduntur hæc verba, *& in Gebelem ad 23 millia*, quæ agnoſcit, & interpretatur Abul. & Lyranus ea de more non reiicit, eademque habet Comeſtor in hiſtoria ſcholaſtica. [i]

[d] c. 8. v. 13.
[e] c. 18. v. 12.
[f] l. 7. c. 6.
[g] q. 16. in c. 8. 2. Reg.
[h] cap. 8.
[i] l. 2. c. 10.

VII. *Eo duce fuiſſe 18. millium.*

His vt lucem aliquam, ex temporum, & rerum diſtinctione afferamus, dicendum eſt primùm, bellum hoc, quod duce Abiſæo confectum ex Scriptura & Ioſepho diximus, octodecim hominum millia duntaxat hauſiſſe. Is numerus ſatis ex libro Regum, & Paral. Ioſepho & Hieronymo & omnium linguarum, & textuum conſenſu confirmatum eſt.

nullum in Gebellem prælium.

Dicendum quoque putamus nullum in Gebelem fuiſſe prælium, licet ſecus viſum ſit Abulenſi, [k] eaque verba eſſe adiectitia, & merito ex bibliis emendatis reiecta. Eius errati originem aperit D. Hieron. in tit. pſal. 59. quod ſcilicet Septuag. interpretes ipſa verba hebræa poſuerint בגיא-מלח begemelach in valle ſalis, vnde poſtea nata ſunt γεβελὲμ & γαμελὰχ, quaſi propria loci cuiuſpiam in Idumæa, vocabula. Illa autem 23 millia nuſquam in græcis codicibus reperiuntur, ſed illa tantum quæ dixi 18 millia.

[k] 2. Reg. 8. q. 16.

IIX. *Inde poſt defectionẽ, 12 millium Ioabo duce.*

His addo tertiò, conſentaneè expoſitioni Caietani, bis hoc ipſo anno pugnatum fuiſſe contra Idumæos, ſemel ab Abiſæo, de quo iam dictum eſt, & iterum à Ioabo. Cum enim Abiſæus parta feliciter victoria, ad continendos in officio Idumæos, & tributum impoſitum exigendum, præſidiarios milites in Idu-

mæa reliquiſſet, Idumæi, qui ægerrimè, atque inuictiſſimè iugum ferebant, nacti occaſionem aliquam, incautum Hebræorum præſidium interemerunt, & ſeruitutis iugum præpropere excuſſerunt. Quo cognito Dauid, ingenti mœrore ſuper inopinata ſuorum clade affectus, mittit Ioabum cum exercitu, qui Idumæos omnes præter fugitiuos internecione deleuit, numero duodecim millia. Quæ narratio, lucem dat titulo pſalmi 59. & ab eo viciſſim accipit firmitatem. *Et conuertit Ioab, & percuſſit Idumæam in valle Salinarum 12 millia.* Pro conuertit, Hieronymus habet *& reuerſus eſt Ioab*, vt intelligamus renouatum bellum. Idem etiam in tradit. *Veraciter*, inquit, *Dauid, in eadem valle Salinarum decem & octo millia cecidit, Ioab vero 12 millia, ſicut in titulo 59 pſalmi ſcribitur.* [& Pagnin. & Tigur.]

IX. *Ioab 6 mẽſibus in Idumæa graſſatus eſt cædibus.*

VERVM hæc ex alio loco, ſatis alioqui obſcuro clariora fient, qui ſimul etiam illuſtrabitur. Nam in 3. Reg. [a] fugiſſe dicitur Adad, cum eſſet Dauid in Idumæa; *& aſcendiſſet*, inquit, *Ioab princeps militiæ, ad ſepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidiſſet omne maſculinum in Idumæa. Sex enim menſibus ibi moratus eſt Ioab, & omnis Iſrael, donec interimeretur omne maſculinum in Idumæa.* Hæc ibi. Quæ obſecro cauſa tantæ ſeueritatis, niſi cruenta coniuratio, defectioque Idumæorum? & quomodo credibile eſt aſcendiſſe Ioabum cum exercitu, ad ſepeliendos mortuos Idumæos, vt putauit Lyranus, & concedit Abulenſis, [b] ſi eos totis ſex menſibus interimebat? Recte igitur ibi Caietanus, *Coniuge*, inquit, *hæc duo, videlicet quod Ioab ſtuduit interficere omnem maſculum in Idumæa, & quod aſcendit in Idumæam, ad ſepeliendos interfectos. Et perpendes defeciſſe Idumæos à Dauide; & interfeciſſe Iſraelitas milites, poſitos pro cuſtodia Idumææ recens acquiſitæ, & ad hos interfectos ſepeliendos aſcendiſſe Ioab, & ſimul ad occidendum omnem maſculum in Idumæa, in vltionem rebellionis; & Iſraelitarum interfectorum.* Sic Caietanus, quem ſequitur Tornielllus. [c]

[a c. 11. v. 15.] [b 2. Reg. 8. qu. 16 & 3. Reg. 11. q. 3 & 4.] [c an. Dauidis 15.]

X. *Dauid quod ſibi fecerit nomen.*

ADDO etiam quartò, quod ex dicta expoſitione ſequitur, nomen quod ſibi dicitur feciſſe Dauid, poſt priorem ſcilicet Idumæorum cædem non eſſe quod curauerit ſepeliri Idumæos tunc occiſos, ex quo acquiſierit ſibi bonum nomen, propter opus miſericordiæ in mortuos, & quidẽ origine fratres, iuxta illud quod ſcriptum eſt in Deuteronomio, [d] *non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt*; quæ eſt Lyrani expoſitio, & R. Salom. & Abulenſis in dictum locum tertij Regum, & Dionyſ. Sed quod erexerit ſibi, aut Abiſæus potius eius nomine, fornicem, ſiue arcum triumphalem in victoriæ monimentum. Quæ eſt S. Hieronymi expoſitio in tradit. in 2. Regum, & Abulenſis in eundem. [e] Lyranus quoque ibidem fatetur eam eſſe communem expoſitionem latinorum interpretum: cui ipſe prætulit priorem, quod non videatur probabile, id à Dauide factum; quod ad oſtentationem quandam pertinet: præſertim cum Saul increpitus fuiſſet de huiuſmodi arcu triumphali. [f] Verum nuſquam legitur reprehenſio Saulis, ob iſtiuſmodi arcum excitatum. Et licet reprehenſus eſſet propter rem natura ſua non malam; id propter malam intentionem vanitatis factum fuiſſet, quam Dauidi non eſt opus affingere, qui Deum victoriarum ſuarum habebat, atque agnoſcebat autorem: & nominatim huius ipſius. Vnde in pſal. 59. qui de hoc bello ſcriptus eſt: & iterum pſalm. 107. ita concluditur. *In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.*

An arcum triumphalem.

[d c. 23. 7.] [e 2. Reg. 8. q. 16.] [f 1. Reg. 15. 12.]

XI. *Ita videri.*

NIHILOMINVS quia hæc dicta ſunt poſt acceptam cladem in Idumæa, ex quo factus ſit Dauid humilior & cautior, ſatis exploratum videtur erectum fuiſſe hunc arcum, Dauide vel iubente, vel non improbante, & quidem non ſine alicuius culpa vanitatis. Caietanus certe non ſolum triumphale ſignum à Dauide conſtructum putat; ſed propterea etiam punitum defectione Idumeæ. Quo referre poſſumus illud eiuſdem pſalmi 59. *dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Id eſt hac caſtigatione noſtra ſignificaſti nobis qui metuimus te, vt arcum hunc triumphalem, teſtimonium vanitatis noſtræ, & exultationis de oppreſſis fratribus noſtris fugiamus, deiiciamus, auerſemur. Qui videtur ſenſus eſſe veriſſimus, maximeque literalis: Eamque fugam à facie arcus, agnoſcit etiam S. Hieronymus in verſione ſua, & eam confirmant verba, quæ ibidem ſubdit Dauid, *vt liberentur dilecti tui*, quia ſcilicet caſtigando vis liberare à malo vanitatis, nos amicos & dilectos tuos: quos enim diligis arguis & caſtigas. Sed obſeruemus hanc Dauidis orationem attentius, vt hoc totum argumentum

& confirmatur ex pſal. 59.

magis magiſque, poſt apertam hiſtoriæ veritatem, atque ordinem eniteſcat

1. x.

Accepto Dauid nuntio defectionis Idumæorum, & cędis præſidiariorum ſuorum, eo mœrore, atque animi ſenſu videtur affectus fuiſſe, quo Ioſue iampridem, [a] cum ſuorum cladem in vrbis Hay oppugnatione didiciſſet, cum ſcidit veſtimenta ſua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini vſque ad veſperam, & puluere conſperſus caput lamentatus eſt vehementer, didicitque cauſam cladis acceptæ. Ita & Dauid, qui curſum victoriarum ſuarum interruptum videret, & diuinam offenſam formidaret, ob quam ab ipſo deinceps repelleretur, illam cum ingenti gemitu profudit vocem, *Deus repuliſti nos, & destruxiſti nos, iratus es, & miſertus es nobis,* quæ niſi poſt deletum illud præſidium dicta accipiantur, nihil habere videntur probabilitatis, in ſecundiſſimis Dauidis rebus, in perpetuis victoriis, in coaceruatione opum, in pace domeſtica, in totius populi beneuolentia: quæ rectiſſimè conueniunt, poſita hiſtoriæ veritate, quam dixi. Dicitur enim Deus repuliſſe Iudæos, à dominio ſcilicet Idumææ, quod paulo ante inierant, & destruxiſſe, quia interfecti erant præſidiarii milites, & vt hic ſignificatur, eorum munitiones deſtructæ: vt deſtructo, quod aiunt, nido, importunæ volucres non haberent, quo ſe vltra reciperent. Iratus dicitur, quia tanquam iratus, aliquam populi ſui vanitatem caſtigauit: cuius etiam dicitur miſertus, ſiue quia non permiſit, vt Idumæi eadem opera irruerent in Iudęam, & eam late popularentur: ſiue quia diuinitus indicauit Dauidi, victoriam de illis redintegrandam.

Quoniam vero tam triſti cæſorum militum nuncio, multi in Iudæa afflicti & conturbati ſunt, ſequitur, *commouiſti terram, & conturbaſti eam; ſana contritiones eius,* per ſequentem videlicet conſolationem ſperatæ victoriæ, *quia commota eſt,* metu ne deinceps à protectione tua, & fauore deſtituatur. Eodem pertinet illud, *Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis;* quæ pro cordis affectu variis dicendi modis iterantur, & inculcantur. Vocat autem acceptam plagam vinum compunctionis, quoniam illa excitati ſunt, vt ob admiſſam culpam cõpungerentur, ac triſtarentur. Quod clarius ſignificatur cum ſubditur. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui,* prout paulo ante explicatam eſt. [b] Saluum ergo, *fac,* Domine populum tuum, *dextera tua,* qui nos ſiniſtra per Idumæos percuſiſti, *& exaudi me:* ſaluum fac, inquam, dextera tua, quia noſtra infirmata eſt, præualentibus Idumæis, ſupra militum manum quam ibi collocaueramus.

Deinde vero cum in ancipiti verſaretur, & ex euentu victoriam de Idumæis ſecuto, dubitare poſſet, an Deo cordi eſſet, vt Idumæi nunc Iſraëlitis ſubiicerentur, quoniam in lege ſcriptum erat, [c] in gratiam ipſorum. *Videte diligenter ne moueamini contra eos; neq enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium, quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir.* Cum ergo hæc diuinitus dicta eſſe conſtaret, & quidẽ ſine vllius determinatione temporis; conſuluit Dominum Dauid; habebat enim apud ſe arcam Domini, & pontificem cum Ephod; *Deus autem locutus eſt in ſancto ſuo,* id eſt in propitiatorio, quod erat ſuper arcam, in Sione monte ſancto eius, locutus eſt inquam victoriam, proſperéſque ſucceſſus. Itaque *lætabor, & diuidam Sichimam,* vrbem aliquam munitam eſſe conuenit apud Idumæos. Nam Sichẽ, ſiue Sichima Samariæ, quæ eſt in tribu Ephraim, quid ad rem faciat non apparet. *Et conuallem tabernaculorum dimetiar,* id eſt, vallem Salinarum, in qua tabernacula bellica nuper fixeramus, pro arbitio dimetiar, victor ſcilicet iterum effectus.

Inde, ad roborandam etiam humanitus fiduciam, nominat fortiſſimos populos quibus dominetur, *Meus eſt Galaad,* quo nomine tribum Gad intelligit, in qua erant montes Galaad trans Iordanem, [d] vbi erant viri fortiſſimi. Manaſſes quoque, vtrique Syriæ contermina, fortes habebat viros, & nuper contra eos probatæ, ſpectatæq; virtutis. Ephraim item tribus, ſecundum Iudam ampliſſima erat atque fortiſſima, Moab autem vocat ollam ſpei ſuæ, ſcilicet fundamentum ſubiugandi vicinas nationes orientales, vſque ad Euphratem. Neque irrita ſpes fuit. Nam poſt vnum vel alterum annum Ammonitas Moabitarum fratres, & Syros iterum fregit. *In Idumæam* igitur, *extendam calceamentum meum,* vel vt vertit Hieron.

Margin notes: [a] Ioſ. 7. 6. — XII. *Senſus Dauidis accepta clade.* — *Paraphraſis pſal. 59.* — XIII. *Eadem paraphraſis.* — [b] N. 11. — XIV. *Pergit in eadem.* — [c] Deut. 2. 5. — XV. *Fiducia Dauidis.* — [d] Iud. 11.

ſuper Idumæam incedam calceamento meo, id eſt, mihi ſubiiciam tanquam calceamentum quod ſubiicitur pedi: Neque timebo ne illis auxilio ſint Philiſthæi, qui eis ab occidente coniuncti ſunt, quippe qui mihi iam ſubditi ſunt, & tributis penſitandis obnoxij.

XVI. *Reliquum paraphraſis.* Opto igitur adire, *quis deducet me vſque ad Idumæam?* 2 Adibo ſed ductu tuo, & tectus præſidio tuo, quamuis tu ille idem ſis, *qui nuper repuliſti nos, nec egreſſus es in virtutibus*, ſiue exercitibus *noſtris*: vt vertit Hieron. dum victoriam irritam reddidiſti: Nunc ergo egredere cum exercitu noſtro, & dato auxilium poſt tribulationem deleti militaris præſidij, *quia vana ſalus hominis*, Abiſæi, ſcilicet, Ioabi, Dauidis arma, & contentio, deſtituta fauore tuo. Innixi ergo Domino, fortiter nos geremus, *& ipſe ad nihilum deducet*, ſiue conculcabit *tribulantes nos*. Ita ſperauit: ita dixit, ita factum eſt. Ioab, incuſans fortaſſe ſeipſum, quod Abiſæo fratri totũ præteriti belli negotium permiſiſſet, aſcendit ipſe cum exercitu, iuſſu Dauidis ad monticolas iſtos Idumæos, ſuos, qui ab eis fuerant interfecti, non ſine commendatione & honore ſepeliuit. Et ſex menſium ſpatio, duodecim millia Idumæorum occidit: & iterum, *poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium*, [a] *et facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid, Et ſeruauit Dominus Dauid, in omnibus ad quæcumque profectus eſt.* 2. x. | a 2. Reg. 8. 14.

XVII. *Idumæorũ, & Adadi in primis fuga.* Interea Idumæi plerique tanti facinoris conſcij, cum admodum debilitati eſſent, clade 18. milliũ virorum, neque vltra Dauidis exercitum expectare auderent, hinc inde fuga lapſi ſunt. in quibus Adad Idumæus de ſemine regio, qui poſtea Salomoni cæpit negotium faceſſere, vt Scriptura [b] teſtatur. *Fugit*, inquit, *Adad ipſe, & viri Idumæi de ſerui. patris eius cum eo, vt ingrederetur Ægyptum. Erat autem Adad puer paruulus*, quinque ſcilicet vel ſex annorum, vt vult Abulenſis in eũ locum. [c] Pineda mauult fuiſſe 10 vel 12 annorum: [d] at prior ſententia videtur probabilior. Nam ab hoc anno vſque ad tempus illud, quo turbare cæpit regnũ Salomonis, numerantur anni 63. ſi addas decem, vel duodecim, ad ætatem peruenies rebus turbandis parum pronam, aut idoneam. Itaque delatus eſt in Ægyptum ab amicis patriis, nõ autem fugæ dux fuit. [e] *Cumque ſurrexiſſent de Madian, venerũt in Pharan* deſertum Iſraëlitarum diutina peregrinatione clarum: *tuleruntq. ſecum viros de Pharan, & introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti*; qui in gratiam regiæ familiæ, *dedit ei domum, & cibos conſtituit, & terram delegauit.* b 3. Reg. 11. 14. 17. | c q. 24. in c. 11. | d l. 7. c. 11. n. 2. | e 3. Reg. 11. 18.

XVIII. *Tributum in Idumæos.* Iosephus totum hoc bellum breuiſſima narratione perſtrinxit; [f] aitque victorem Dauidem non ex agris tantum, ſed viritim etiam, ſiue ex ſingulis capitibus exegiſſe tributum ὑπὲρ τῆς ἑκάστου ψυχῆς; quod ſi verum eſt, de prima expugnatione accipiendum eſt: Nam in ſecunda viri omnes vel fugati ſunt, vel occiſi; vt plane propter regionis deſolationem, vix eſſent qui tributa ſoluerent ſi quis enim forte apparebant, eos rigidiſſimus Ioabi gladius ſex menſium ſpatio depaſcebatur; neque eo fortaſſe viuo reſpirare potuit Idumæa, vſque ad tempora Salomonis, aut certe ad reditum Adadi ex Ægypto. f l. 7. c. 6.

Ratio temporis. Addo de tempore valde probabiliter dici poſſe, geminatum hoc bellum contra Idumæos totum hunc annum, aut fortaſſis etiam aliquid amplius occupaſſe; cum de poſteriore omnino conſtet, illud ſupra ſex menſes tenuiſſe: Nam aliquod tempus vtriuſque præparationi dandum eſt, aliquod etiam inter vtrumque interiectum fuit.

SCHOLIA IN ANNVM DAVIDIS 15.

1 Num.XI. TOtum hũc Pſalmum triſtem eſſe, ac mœſtum rectè miratus eſt. S. Hilarius, cutitulus ipſe lætitiam, congratulationem, & epinicia requirere videatur. Etſi autẽ ipſe, alijq. paſſim ad myſticos ſenſus, moraleſque confugiant, veriorem tamen, aptioremve triſtitiæ cauſam, ea quæ prolata eſt ex præſenti rerum ſtatu petita, quamque fere ſecutus eſt Caietanus, non facile reperias; In qua ſi quid forte coactius videbitur, exiſtimari poteſt id ex ignota quapiam circunſtantia pendere, qualis eſt illa inductio Galaad, Manaſſe, &c.

Qui autem hiſtoriam deſerunt, ad quam nos ipſe titulus Pſalmi manu ducit, coguntur vndique probabilia, ſibique parum cohærentia carpere, & quæ omnem in locum, æque idonea ſint congerere.

Verbum Iabal, ſignificat non tantum deducere, ſed cum pompa & iubilo. 2.N.XVI. Nam ab eadem radice eſt Iobel, id eſt buccina, qua hebræi in Iubilæo vtebantur. Ait ergo Dauid *quis deducet me*, videlicet cum pompa triumphali, & regio comitatu, more victoris, cum gaudio & iubilo. Pined. l. 5. de Salom. c. 4. v. 15.

ANNVS MVNDI 2995. DILVVII 1339. 5ª. ÆTATIS. 56.
EXITVS AB AEGYPTO 452. ARCÆ IN SIONE 6. DAVIDIS REGIS 16. ABIATHARIS PONTIF. 21. TROIÆ EXCISÆ 124. EVPALIS 5. IMPERII ASSYRIORVM 1064.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1058.

DEDERAT Dominus Dauidi pacem, tam domi cum ſuis, quam cum circumquaque poſitis regionibus bello ſubactis, Philiſtæis ab occidente, Syris Damaſcenis à Septentrione, Moabitis & Syris Sophenis ab oriente, & proximè à meridie Idumæis gemina expeditione perdomitis, & ſub conditione tributi ſeruire compulſis. Cum adiecit animum ad inſpiciendam iterum domum ſuam, & pacata Reipub. negotia tractanda. Id ſignificat Scriptura cum ait. [a] *Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſraël, faciebat quoque iudicium, & iuſtitiam omni populo. Erat autem natura iuſtus*, ait Ioſephus, [b] *& in reddendo iure, verum tantum, & æquum reſpiciebat.* Ad hunc quoque annum pertinere arbitramur rem à Dauide geſtam in cauſa Miphiboſeth, iuxta ſeriem narrationis Scripturæ. Etſi non deſit qui putet hanc Miphiboſetho præſtitam à Dauide gratiam, paulo poſt mortem Iſboſethi. Narrari tamen hoc tempore, quo idem genuit filium Micham. Vtique non plane abſurde. Et Scriptura ipſa magnam dat ad dimetiendos Dauidis annos ex ſilentio laxitatem. — I. *Ratio temporis.*

a 1 Par. 18. 14 & 2. reg. 8. 15.
b l. 7. c. 6.
Laur. Codo.

VTEBATVR autem Dauid in adminiſtranda Repub. idoneis adminiſtris; neque enim omnia ipſum agere per ſe, quamuis Prophetam & familiarem Deo, par erat; at ne fieri id quidem per humanam infirmitatem poterat. Diuinam ergo ſapientiam imitabatur, quæ cum omnia poſſit, hominum tamen cooperationem, & quaſi auxiliarem manum requirit. Aſſumpſerat igitur ſibi pleroſque diuerſorum negotiorum adminiſtros; quorum in re politica primarij duo erant, Ioab ipſius ex ſorore nepos, & Ioſaphat filius Ahilud, ille militiæ princeps, iſte à commentariis, quos gallicè vocaremus, *le Connestable, & le Chancelier*. Et de priore quidem nihil dubium eſt. Nam Abiſai eius frater, qui proximo anno contra Idumæos duxit exercitum, & ſequentibus contra Syros & Ammonitas, non niſi ex ipſius arbitrio militabat, & quaſi vicariam illi operam præſtabat. Quid ſit autem hoc loco, eſſe à commentariis, non eadem eſt omnium ſententia, tres ferme reperio. — II. *Adminiſtri Dauidis in Reip. cura. Princeps militiæ.*

SEPTVAGINTA, & Ioſephus [c] habent ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, id eſt, Rufino interprete, *ad conſcriptiones geſtorum*, Gelenio, *à commentarijs*. Comeſtor, Vatablus & Sa, in- — III. *Qui diceretur à commentariis.*

c l. 7. c. 6.

terpretantur fuiſſe rerum geſtarum ſcriptorem, qui ſcilicet in hiſtorias, aut annales referret, quæ in regno fieri contingeret, digna quæ propagarentur ad poſteros. Altera hebræa deriuatione nititur, Mazchir enim eſt commemorans, vt vertit Arias, quod eſt à Zachar recordari, aut reuocare in memoriam, quo ſpectat etiam græca vox: ὑπομνήματα enim ſunt breuia quædam ſcripta in ſubſidium memoriæ, ſiue commentarij. *Non eſt perſpicuum*, ait Caiet. *an officium huius eſſet, ſcribere annales hiſtorias ſummariè, vt intellexit interpres, dicendo, erat à commentarijs, an officium eius erat renocare ad memoriam regis expediendas cauſas*, & hoc poſterius amplectitur Abulenſis in ſecundum Regum,[a] ſecutus Lyranum, & Salom. prius autem in 1. Paral.[b] *Iſte Ioſaphat*, inquit, *erat Chronographus Dauid. Nam ſcribebat omnia geſta eius, & hiſtoriam regni; & forte hiſtorias aliarum gentium, quæ erant tempore Dauid, ſicut fecit Propheta Gad*, [c] *qui ſcripſit librum Chronicarum de omnibus regibus, & gentibus, qui fuerunt in orbe tempore* Dauid. ſic ipſe.

IV. *Propria opinio. Videri Cancellarium.* PLVRES tamen huius officium fuiſſe volunt ſuggerere Dauidi verbo, ſcriptove, quæ ad iuſtitiam, & iura, & grauia regni negotia pertinerent: plurimaque ipſorum, regio nomine atque auctoritate, ipſum per ſe expedire. Nam ſuperiora illa humiliora videntur officia, nec, omiſſis grauioribus, primum nominanda, & quaſi è regione principis militiæ collocanda. Etſi enim ratio ordinis habita non eſt, cum laici clericis, atque adeo ſummis ſacerdotibus prius memorati fuerint, hiſtoricum tamen, aut commemoratorem regium, cum Principe militiæ componi, quæ erat proxima à rege dignitas, non videtur rationi congruere. Itaque malim illum, aut regni totius cancellarium; aut primarium Regis Secretarium interpretari: & quidem Cancellarium potius; Secretarium autem Saraiam, qui mox ſcriba dicitur. *Vicem regis habebat*, inquit gloſſa, *cuius iudicio leges ſcribebantur, ſcriba ex ore regis verba deſcribebat.* Hæc ibi. Dionyſius etiam cancellarium vocat; nec repugnant Lyranus, Burgenſis, Torniellus. Hic autem cum plurimus ſit apud Regem, & ſuggerere, & monere ſolet; mentem eius quoque apud populum, legatos, principes enunciare, atque interpretari pro poteſtate, atque ex officio poteſt, rege in grauioribus negotiis conſulto.

V. *An duo eſſent nunc ſummi ſacerdotes.* MAIOR eſt etiam in re ſacra ac ſpirituali difficultas, ſed alio iam loco [d] à nobis expedita, & obiter tantum hic attingenda. *Et Sadoc*, inquit Scriptura, *filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant ſacerdotes.* Quæ verba repetuntur in 1. Paral. 18. & geminam ſuggerunt quæſtionem, priorem de re, de verbis alteram. Circa priorem putat Abulenſis. [e] Duos fuiſſe nunc ſummos ſacerdotes, Sadocum à Saule, Abiatharem à Dauide conſtitutum. Quæ videtur etiam Ioſephi ſententia qui non ſolum vocat Sadocum ἱερέα, ſed ἀρχιερέα. pontificem cum Abiathare, *quia*, inquit, *amicus eius erat*; aut æmulus potius; iuxta illud, *& videbis æmulum tuum* [f] *in templo in vniuerſis proſperis Iſrael*; quod de Sadoco accipiunt paſſim interpretes, & Abulenſ. hoc loco. [g] Verum Sadoc non fuit pontifex, ante initium regni Salomonis, quando abdicatus eſt Abiathar. [h] Fuitque tantum hoc tempore quaſi archipreſbyter, ſacris in Gabaone, vbi erat tabernaculū, adminiſtrandis; vt ſcriptū eſt in 1. Par. c. 16. [i] ſumma ſacrorum cura apud Abiatharem reſidente; & in domo Domini, quæ erat in Sione, cum Ephod & veſtibus pōtificijs, apud rege commorante; vt nulla ſit neceſſitas hoc tēpore biceps conſtituere ſacerdotium Hebræorū.

VI. *An Abiathar pater Achimelechi.* VERBORVM dubitationem proponit, facileque tollit Theodoretus.[k] *Meminit*, inquit, *hic quoque Sacerdotum, nempe Sadoc filij Achitob, & Achimelech filij Abiathar. Hic autem exiſtimo eſſe errorem ſcriptionis ſiue librarij, non enim Achimelech fuit filius Abiathar, ſed Abiathar filius Achimelech.* ſic ipſe. Nimirum certum eſt patrem Abiatharis pontificis, quem Saul interfecit [l] dictum fuiſſe Achimelech. *Et fieri poteſt*, inquit Flaminius,[m] *vt ſit accipiendū illud Achimelech in caſu generandi, id eſt ipſius Achimelechi; filius, ſcilicet Abiathar.* Hunc ſcopulum vitauit Ioſephus, qui Achimelechi hoc loco non meminit, ſed tantum Abiatharis. Toſtatus [n] exiſtimat Abiatharem pontificem habuiſſe filium dictum Achimelechum, eumque loco patris conſecratum, pontificem, retenta tamen apud Abiatharem pontificia dignitate: ſicq. pro vno pontifice, tres introducit. Niſi placet Theodoreti, aut Flaminij explicatio, dicamus cum Dionyſio, nominari hoc loco duos primarios ſacerdotes, quaſi archipreſbyteros, duobus locis in quibus Dei cultus exercebatur præpoſitos, Gabao-

מזכיר

a in c. 8. 2. Reg q. 19.
b 1. Par. c. 18. ante q. 32.
c 1. Par. 29. B.
d ann. 1 Abia. h. n. 1. & ſeqq.
e 2. Reg. 8 q. 20. & ſeqq.
f vide a. m. 2912. n. II.
g q. 21.
h 3. Reg. 2. 26 35
i v. 39 & 40.
k q. 24. in 2. Reg γεγραφικὸν ἁμάρτημα.
l 1. Reg. 22 20.
m in ſchol. 70 lat.
n 2. Reg 8. q. 24.

ne ſcilicet ac Sione, quibus tamen præerat Abiathar, vt qui vnus ſummum gerebat ſacrorum omniũ magiſtratum. Habuit autẽ hic Achimelech fratrem nomine Ionatham, de quo infra non ſemel [a] niſi forte vnus & idem binominis fuerit.

[a] 2. Reg. 15. 27. 36 & 3. Reg. 1. 42.

VII. *Scriba ſiue ſecretarius.*

SEQVITVR Saraias, quem Scriptura vocat Scribam, id eſt primarium vt dixi regis Secretarium, quod probat Abulenſis, vocatque protonotarium. Quem tamen Comeſtor, & Caieta. vocāt Cācellarium, alij Doctorem, aut Iuriſperitum, aut Theologiæ magiſtrum, Septuag. συμβουλον, id eſt conſiliarium. Hic idem 1. Par. 18. [b] dicitur Suſa, & Ioſepho [c] Siſa, quam vocem ex textu noſtro videtur correxiſſe Rufinus, apud quem legitur Saraias.

[b] v. 16. [c] l. 7. c. 6.

Qui Cerethi, & Phelethi.

Qui autem ſunt iſti cerethi & phelethi, [d] quibus præpoſitus fuit Banaias filius Ioiadæ? Ioſephus [e] ait datum Banaiæ principatum τῆς σωματοφυλακίας. id eſt, regij ſatellitij, ſiue cuſtodum corporis regij, & alibi vocat cohortem regiam, quæ a regis latere nunquam diſcedebat; idem affirmat Caiet. Gloſſa ord. Comeſtor, Dionyſ. Vatablus ait fuiſſe duas cognationes, quæ nunquam recedebant ab aula Dauidis, quod illis cura regii corporis eſſet commiſſa. Fuiſſe autem ex certo genere & prouincia oriundos, vt Heluetij apud pleroſque principes. Coniectura ex 1. Reg. [e] vbi puer ille Ægyptius dicebat Dauidi, Amalecitas erupiſſe ad auſtralem plagam Cerethi. Nec deſunt qui velint Cerethæos dici quaſi Cretæos, ſiue Cretenſes, quoniam Philiſthæi, aut peculiaris hæc Philiſthæorum prouincia fuerit olim Cretenſium colonia. Pheleti etiam à Philiſthæis dictos volunt. Qua de re vide Riberam in ca. 2. Sophoniæ, vbi contendit hos milites non fuiſſe alienigenas. Vide & Pinedam l. 2. de Salom. [f]

[d] Reg. 8. 18. & c. 20. 23. [e] l. 7. c. 6. & 11.

[e] c. 30. v. 14.

Quod eorum officium.

[f] ca. 4. n. 6. & 14. & alios quos citat.

VIII. *Numerus, exercitatio.*

ADDO his duo, primum fuiſſe hos numero plurimos, quandoquidem eorum legiones, non vno in loco Scripturæ memorentur: [g] quas tamen negat paruiſſe Ioabo militiæ principi, Toſtat. in ca. 8. 2. Reg. [h] fuerunt autem exercitatione militari ſagittarij & fundibularij, vt author eſt Chaldæus paraphraſtes, & Theodoretus q. 24. Quamuis autem his armis egregie vterentur; non minus tamen gladiis erant inſtructi: iuxta illud. [i] *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vnius cuiuſque enſis ſuper femur ſuum.* Eóque etiam referri poteſt illud Pſalmi. *Gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Lictorum enim munere fungebantur circa inſignes viros. Nam eorum princeps Banaias, filium & fratrem regis Adoniam; & militiæ quondam principem Ioabum, extremo ſupplicio, iuſſu Salomonis affecit.

[g] Nominatim 2. Reg. 15 & 4. Reg. 11 & 1. Paral. 18. [h] q. 24. [i] Cant. 3. 7. Pſal. 149. 6.

IX. *Filij Dauidis qui ſacerdotes dicantur.*

QVOD poſtremo filij Dauidis dicuntur hoc loco [k] ſacerdotes [l] ſatis perſpicuum eſt id vocabulum in ſua vſitata & propria ſignificatione accipiendum non eſſe. Neque enim ſacerdotes eſſe poterant, qui filij Aaronis non erant, neque Leuitæ, ſed ex tribu Iuda, ſicut & pater eorum. Ideóque Pagninus vertit principes, alij magnates, primores. Septuag. αὐλάρχας, ſiue aulæ principes; quod Ioſephus obſcurat cum ait, omnes Dauidis filios ætate prouectiores, circa regis corpus fuiſſe, & eius cuſtodiam. Ipſa autem Scriptura quos hic dixit Sacerdotes in 1. Paral. 18. primos ad manum regis fuiſſe dicit; quod nolim interpretari expeditos ad regia negotia obeunda, etſi in eam ſententiam hæc phraſis fere vſurpetur; ſed de ordine ſedendi in menſa, in concilio, &c. Vt hinc inde eſſent proximi regis, & paulatim erudirentur. Nam Dauidis natu maximus erat adhuc adoleſcentulus annorum quindecim. Ideoque nondum idonei erant, vt regiis negotiis præficerentur. Et id fortaſſe Ioſephus intellexit cum ait, περὶ τὸ σῶμα ἐπὶ τῶ τούτου φυλακὴ ὄντας.

[k] 2. Reg. 8. 18. [l] 1. ℞.

Vide Pined. l. 5. c. 14 n. 45. Ca 9.

X. *Dauid inquirit de poſteris Ionatha.*

HIS *ita ordinatis*, inquit idem Ioſephus, *venit illi in mentem amici quondam Ionathæ, fœderiſque mutui, quod inter eos interceſſerat.* Pertinet quidem ad maiorem Dauidis laudem, & humanitatis eius, ac benignitatis commendationem, vt maturius recordatus fuerit fœderis initi cum Ionatha; puta cum poſtremus Saulis filius interfectus eſt. Sed quoniam hæc ratio temporis nullum habet in Scriptura fundamentum, narrationis eius ſeriem, quam Ioſephus quoque obſeruat, non deſeremus. Eamque obliuionem non defectui charitatis, ſed vel occupationibus Dauidis, vel diuinæ prouidentiæ tribuemus.

Nam vt idem ait, *inter cæteras omnes virtutes, hanc quoque habuit, quod egregie meminerat beneficiorum, quæ vnquam accepiſſet. Igitur ſciſcitatus eſt num quis ſupereſſet ex amici genere, cui gratiam referre poſſet pro iucundiſſima, olim cum Ionatha acta conſuetudine.* Alia quidem eſt Dauidis interrogatio, vt quæ vniuerſæ fiat de Saulis domo; Sed Ioſephus; non verba eius, ſed mentem expreſſit, cui erat animus Ionathæ poſteritati benefacere, non cæteris. Itaque cum Siba rogatus, filij Ionathæ meminiſſet, nihil vltra requirens, eum accerſiri iuſſit. Et poſtea cum quærendi eſſent filij Saulis ad mortem, [a] Dauid ſolis Ionathæ filiis pepercit. a 2.Reg.21.

XI. *Diſpar promiſſio Dauidis Sauli facta, & Ionathæ.*

Dispar autẽ erat virorumque ratio, quamuis Dauid vtrique roganti iuſiurandum dediſſet. Nam quod Sauli iurauerat, violauerat prior Saul atque interruperat. Iuſiurandum enim editum eſt ſtatim ab ora chlamydis abſciſſa. 1. Reg 24. Inde autem Saul reuerſus ad ingenium perſecutus eſt Dauidem, cum ille ſopitis lanceam abſtulit, & ſcyphum. Ionathas autem iuſiurandum & fœdus conſtanter ſeruauit. 1. Deinde non iurauit Sauli Dauid ſe beneficum fore in eius poſteros, 2. ſed non deleturum ſe eius ſemen, quod & ſeruauit. At Ionathæ promiſerat ſe fa- 3. cturum miſericordiam Domini cum domo eius vſque in ſempiternum, quod erat beneficium miſeris impendere. Denique quamuis daremus obligatum fuiſſe Dauidem benefacere ſemini Saulis, cum id de vniuerſo eius ſemine non promiſiſſet, iuriiurando ſatisfaciebat, benefaciendo filio Ionathæ, qui filius Saulis fuit, vt fuſius diſputat Abul. [b] Filium ergo Ionathæ requirebat Dauid, potius quam Saulis, vt illi in gratiam patris benigne faceret. b 2.Reg.9. q.2 & 3.

XII. *Siba libertus, & proſelytus.*

Erat *autem de domo Saul ſeruus nomine Siba.* Quem Saulis libertum vocat Ioſephus, ſimulque ſignificat, eum non fuiſſe genere Iudæum, ſed proſelytum, ex aliqua circumpoſitarum nationum oriundum; idque confirmat Abulenſis. Neque enim Iudæi expleto ſeruitutis tempore liberti dicebantur, ſed ingenui & liberi erant, vt prius. Alienigenarum autem erat diuerſa ratio, qui ſemel addicti ſeruituti, iure ipſo in perpetuum ſerui erant. Audi legiſlatorem. [c] *Seruus & ancilla ſint vobis de nationibus, quæ in circuitu veſtro ſunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra, hos habebitis famulos, & hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum; fratres autem veſtros filios Iſraël ne opprimatis per potentiam,* diutius videlicet detinendo ſeruos, quam lex ferat, quæ ſaltem in Iubilæo dimitti vult liberos. Accerſitum ergo Sibam libertum Saulis, rogat Dauid num ſupereſſet aliquis de domo Saulis, cui poſſet ipſe præſtare beneficium. *Supereſt*, inquit ille, *filius Ionathæ debilis pedibus.* Quo caſu id contigiſſet dictum eſt ſupra ca. 4. [d] ex quo etiam loco intelligitur Miphiboſethum nunc annum egiſſe circiter vigeſimum, quod viſum quoque Teſtato. [e]

πλὴν [illegible] δοῦλον [illegible] in tex. c Leuit.25.44.

Ætas Miphiboſethi. d 2.Reg 4.4. e 2.Reg 9. q 1. & in ſi. cap.

XIII. *Vbi maneret.*

Hic Dauid ab Sibam, *vbi inquit, eſt? & Siba ad regem. Ecce ait in domo eſt Machir filij Ammiel in Lodabar.* Hæc ciuitas (quam Ioſephus Labatham vocat, pro qua Rufinus ex textu reſtituit Lodabar, quam etiam retinuerunt Septuag. & Hieron. in locis hebraïcis) hæc, inquam, ciuitas fuit in monte Galaad, in tribu Gad, trans Iordanem. Eam Adrichomius collocat inter Ramoth Galaad, celebre in Scriptura oppidum, & Manahim, vbi regnauerat Iſboſeth patruus eius, ſub cuius ipſe vmbra ex propinquo latere cupiebat. Cui diſpoſitioni Scriptura fauet. [f] Eratque hic Machir nutritius eius, ex illuſtri, & antiqua familia Machir, filij Manaſſe patriarchæ, quem videtur etiam Iſboſetho mortuo, dum Dauidem timeret Miphiboſeth, protectorem ſibi, ac patronum aſſumpſiſſe. Quin & nunc euocatus à Dauide, non parum ſibi ab eo timuit, ne Saulis familiam ſibi olim infeſtiſſimam vellet exſcindere. Vide autem timoris indicia. *Cum autem veniſſet Mephiboſeth filius Ionathæ filij Saul ad Dauid corruit in faciem ſuam, & adorauit. Dixitque Dauid,* vtique ſerena facie, atque exporrecta fronte, *Miphiboſeth? Qui reſpondit, adſum ſeruus tuus. Et ait ei Dauid, ne timeas.* f 2.Reg.17.27.

Euocatus à Dauide timet.

XIV. *Quæ timoris cauſa.*

Timidvm faciebat non tantum propria debilitas, ſed genus etiam ipſum, vt dixi, quod nouæ familiæ regiæ inuiſum opinabatur, mortique deſtinatum, vt alio poſtea loco ipſemet faſſus eſt. [g] Solent enim noui principes, præcedentis genus extinguere, ne aut ipſi, aut alij, eorum tecti patrocinio, res nouas moliantur. Itaque Achabi genus funditus ſuſtulit Iehu, & Baaſa cum primùm regnum obtinuit, *percuſſit omnem domum Ieroboam, non dimiſit ne vnam quidem animam de ſemine* g 2.Reg 19.28.

Mos tyrannorum.

eius. [a]Et zambri percuſſit omnem domum Baaſa, Abimelech quoque filius Gedeonis,[b] & Ioram filius Ioſaphat, omnes fratres ſuos occiderunt, [c] ne quid eorum ambitio detrimenti caperet. Sed longe alia mens erat, & humanitas Dauidis, qui & vultu & voce omnem illi abſtergens metum, *ne timeas*, inquit, *quia faciens faciam in te miſericordiam, propter Ionathan patrem tuum*; & quidem magnam, vt hæc loquendi ratio indicat, & ſuperior illa cum dixit Sibæ; ſe velle facere poſteris Saul *miſericordiam Dei*, id eſt magnam, & Deo gratam. Sed quæ eſt iſta miſericordia.

a 3. Reg. 15. 29. b Iud. 9. 5. c 2. Par. 21. 4. Vat. Sa. d 2. reg. 9. 7.

XV. *Reſtituit ei Dauid bona Saulis.*

Restitvam *tibi omnes agros Saul patris tui.* [d] Erant ergo fiſco addicti, ex quo mortuus fuerat Iſboſeth; & Dauid in regnum totius Iſraëlis inauguratus. Imo ex quo fuerat mortuus Saul, regnum ad Dauidem diuina diſpoſitione pertinebat; cui qui reſiſtebant, diuinæ ordinationi reſiſtebant, & rei erant imminutæ maieſtatis, & iacturæ fortunarum omnium: reſtiterant autem maxime, qui in regnum Iſboſethi conſenſerant, in quibus haud dubie Miphiboſethus cenſebatur. Iure ergo amiſſa bona, miſericorditer à Dauide reddebantur. At enim quo iure, inquies, dabantur Miphiboſetho, quæ in omnes Saulis poſteros diſpertienda erant? Viuebant enim duo filii Saulis ex Reſpha, & quinque nepotes eiuſdem ex Merob. Reſpondet prudenter Toſtatus, [e] Miphiboſethum, vt filium primogeniti Saulis, omnibus eius bonis, vt in omnibus optimatum familiis, ſuccedere debuiſſe, reliquis filiis permodica bonorum portione aſperſis. Quamuis enim ex lege Domini, [f] duplum tantum primogenitis dabatur, in vulgaribus familiis, in regia tamen totum regnum dabatur primogenito, cæteris munera duntaxat: cuius rei illuſtre dedit exemplum optimus rex Ioſaphat.[g] Et Abraham ipſe patriarcha, [h] *dedit omnia quæ poſſederat Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera.* Adde quod duo filii Reſpha, vt illegitimi, iure ſucceſſionis carebant, filii autem Merob iuri matris ſuccedebant, quod nullum erat, quandiu erant in familia maſculi.

e 2. Reg. 9. q. 5. f Deuter. 21. 17. g 2. Par 21. 3. h Gen. 25. 5. 6.

XVI. *Gemina miſericordia in eundem.*

Ivstitia itaque & miſericordia in Miphiboſethum exercebatur; nam recte amiſſa bona, miſericorditer reddebantur, & quandoquidem reddebantur, iuſte omnia Miphiboſetho reddebantur. Sed his non contenta Dauidis humanitas, meram voluit exercere miſericordiam: ſubdit enim. *Et tu comedes panem in menſa mea ſemper.* Non ſolum dat ei vnde viuat, ſed regio eum conuictu, & familiaritate honorat. Sic nimirum Deus opt. max. propter ſibi dilectiſſimum Ionathan, Chriſtum ſcilicet Dominum patrem noſtrum, nos miſeros, & pedibus imo toto corpore, animoque debiles, mortique deſtinatos, miſericorditer recipit; & hic & in futurum cæleſtis menſæ participes facit. Quos vtique conuenit tantum, tamque immeritum, & inſperatum beneficium, ſumma gratitudine, animique demiſſione, inſtar Miphiboſethi recipere. *Qui adorans eum dixit.*

XVII. *Miphiboſethi humilitas.*

Qvis *ego ſum ſeruus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei:* figura eſt, pro eo quod eſt, reſpexiſti ſuper me, ſimilem cani mortuo: quem homines non ſolum contemnunt vt inutilem, ſed etiam execrantur vt fœtentem: cum etiam viuus ſit immundum animal. Frequens porro eſt in Scriptura hæc hominis cum cane comparatio, in contemptum & vilitatis argumentum, vnde dicebat Golia Dauidi, [i] *Nunquid ego canis ſum, quod tu venis ad me cum baculo.* Et Dauid Sauli. [k] *Canem mortuum perſequeris, & pulicem vnum.* Et Abner Iſboſetho. [l] *Nunquid caput canis ego ſum aduerſum Iudam hodie?* & Abiſæus maledico Semei [m] *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi?* Et Haſaël Eliſeo, [n] *Quid enim ſum ſeruus tuus canis, vt faciam rem iſtam magnam.* Et Iob. [o] *Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Quæ communicatio ſancto homini ad canem?* ait ſapiens. [p] Eodem pertinet illud, *Nolite ſanctum dare canibus.* [q] *Et non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* [r] Canes nimirum vocabant Iudæi, homines prophanos, incircumciſos, & execratione dignos: ſed ad noſtrum Miphiboſethum reuertamur.

Canis in contemptũ.

i 1. Reg. 17. 43. k 1. Reg. 24. 15. l 2. Reg. 3. 8. m 2. Reg. 16. 9. n 4. Reg. 8. 13. o Iob. c. 30. 1. p Eccleſ. 13. 22. q Matth. 15. 26. r c. 7. 6.

XVIII. *Miphiboſeth quomodo alen-*

Vocavit, inquit Scriptura, *rex Sibam, puerum Saul, & dixit ei. Omnia quæcunque fuerunt Saul, & vniuerſam domum eius dedi filio domini tui. Operare igitur ei terram tu, & filii tui, & ſerui tui, & inferes filio domini tui cibos, vt alatur.* Infra quindecim

filij Sibæ, & 20. ſerui eius memorantur. [a] Filium autem domini ſui quem intelligat, non ſatis apparet. Toſtatus ait dominum Sibæ aliquando intelligi Saulem, cuius filius, ſiue nepos ſit Miphiboſeth, & ſic paulo ante Siba vocatus eſt ſeruus de domo Saul, aliquando vero intelligi Miphiboſethum ipſum, vt cum de eo conqueretur apud Dauidem dicens; *ſeruus meus contempſit me*. Itaque priore loco, [b] filium domini intelligi Miphiboſethum filium Saulis, quia ipſe eſt cui dati ſunt agri, poſteriore autem accipiendum eſſe Micham quia ipſe erat, qui prouentu agrorum alendus erat, nam Miphiboſetus cibum accepturus erat in menſa regis. Quæ eſt etiam expoſitio Lyrani. Dionyſ. Caiet. Vatablus autem & Sa volunt eo prouentu alendum Miphiboſethum. At videtur abſurdum aliquem è menſa regis viuere, & tamen ali ſumptibus ſuis. Ex altera parte quomodo reditus omnes Saulis ad infantulum vnum alendum impendantur?

[a] 2 Reg. 9. 10. & 19. 17.

[b] v. 9.

XIX. *Et nihilominus proprijs bonis.*

EXISTIMO Scripturæ ſententiam eſſe Dauidem præcipere Sibæ; primum vt prouideat vt domus & agri Saulis è fiſco, aliorumue poſſeſſorum manibus recipiantur; & deinceps quaſi propria, à Miphiboſetho poſſideantur. Secundò vt villicatione agrorum ſuſcepta, vt ait Ioſephus, omnes reditus Hieroſolymam referat ad Miphiboſethum dominum ſuum, vt ex illis tam ſibi, quam familiæ ſuæ, habebat enim iam filium, & vxorem, ex qua eum ſuſceperat, proſpiciat de neceſſariis pro conditione ſua; excepto tamen victu, quem deinceps apud regem perpetuo ſumeret. Et hæc eſt Ioſephi mens, [c] & Comeſtoris, & Septuag. qui in editiones aliquot habent, ϗ τάγματι, & Emanuelis Sa, qui in illis verbis *vt alatur* ſubintelligit, familia eius. Et confirmatur ex eo quod mox ſequitur, omnem cognationem Sibæ ſeruiuiſſe non Michæ, ſed Miphiboſetho. Quod autem dictum eſt, *inferes cibos vt alatur*, non tantum de cibo, ſed de omnibus neceſſariis ad cultum corporis accipiendum eſt. Sicut eodem loco, panis pro omni cibo, ac potu accipitur. Vnde Ioſephus, & Comeſtor cibos reditus, fructuſque interpretantur.

[c] l. 7. c. 6. Compl. Vechel. Baſil.

προσόδους.

XX. *Fit Siba eius procurator.*

ADMITTIT autem Siba procurationem bonorum Miphiboſethi ex regis mandato cum ait, *Sicut iuſſiſti Domine mi rex ſeruo tuo; ſic faciet ſeruus tuus.* Poſt quæ verba videntur deeſſe hæc, vel his ſimilia, *Dixitque rex.* Nam quæ immediate ſubiiciuntur, verba Dauidis ſunt. *Et Miphiboſeth comedet ſuper menſem meam, quaſi vnus de filiis regis*: alioqui legendum eſſet ſuper menſam tuam, quomodo legit Abul. quomodo etiam habent 10. manuſcripti Lucæ Burgenſis, & legebatur etiam tempore Hieronymi; vt ipſe notat in tradit. in hoc caput. Affirmans in Hebræo legi, *ſuper menſam meam*; *quia* inquit, *in hoc loco defectus eſt, & neceſſaria ſubauditio*, quem defectum agnoſcunt etiam Lyranus, Vatablus, Caiet. Poſſent tamen ſine vlla ſubauditione hæc verba eſſe Sibæ dicentis. Miphiboſethum apud ſe victurum quaſi filium regis, allatis ſcilicet ad eum cibis de menſa regis, vt dicitur in fine capitis. [d] Quæ eſt etiam expoſitio Emanuelis Sa. Vatablus refert ad præteritum. Quamuis hactenus eum aluerim more regio.

[d] v. 13.

XXI. *Viuit Miphiboſeth Hieroſolymis apud regem.*

VERVM prior expoſitio certior eſt & verior: vt ſcilicet non apud Sibam ſeruum ſuum, qui forte habitabat in pagis, ipſe vixerit, ſed Hieroſolymis apud regem cum filiis regis, quibus cibi de menſa regis diſtribuebantur. Alioqui non apparet magna quæpiam gratia facta Ionathæ, quam tamen rex ſignificauit ſe ampliſſimam eſſe facturum. Adde quod inurbanum videtur vt dicat ſeruus de domino ſuo; *ipſe comedet ſuper menſam meam.* Eſt enim oratio quæ beneficium ſapiat, & gratiam inferiori collatam. Nam ſic à Dauide vſurpata eſt. Denique Hebræi codices, & græci, & Chaldæa paraphraſis in extremo capite non habent, *quia de menſa regis iugiter veſcebatur*, ſed *ſuper menſam regis.* Proptereáque Ioſephus, *poſt hæc*, inquit, *ſingulis diebus eum menſæ adhibuit*, & infra *Ionathæ vero filius poſt hæc Hieroſolymis habitauit*, qui ſcilicet antea morabatur in Lodabar; *conuictor regis*, *nec aliter*, *quã ſi ipſius filius eſſet*, *tractatus.* Et Theodoretus [e] ait Dauidem iuſſiſſe αὐτῷ ὁμοδίαιτον εἶναι.

συνεστιάτορες τῷ βασιλεῖ.

[e] q. 24. in 6.

XXII. *Micha eius filius quando natus.*

NATVS *vero eſt ipſi filius, quem Michanum nominauit.* Sic Ioſephus qui relinquit in dubio an natus is illi fuerit antequam conciliaretur regi, an vero poſtea. Scriptura vero. *Habebat autem Miphiboſeth filium paruulum nomine Micha.* Quæ verba ſatis clarè ſignificant, illum iam tum natum fuiſſe. In Hebræo verbum *erat* ſubauditur, quod Septuag. reddiderunt. Itaque iam ante natum paſſim fatentur inter-

a an. mun 1987. n. 7. preres, & nominatim Abulenſis. Torniellus etiam [a] trium vel 4. annorum fuiſſe putat; quod multo probabilius eſt in noſtra ſententia, qui hunc annum numeramus Dauidis decimum ſextum, non vt ipſe decimum quartum. Qui autem aſſerunt hoc anno natum, non habent vnde id probare poſſint. Viderturque is cum vtroque parente manſiſſe Hieroſolymis, tranſlata illuc familia. *Ergo qui relicti fuerant de genere Saul & Ionathæ hunc honorem apud Dauidem habuiſſe noſcuntur,* Sic Rufinus, fidelius aliquanto quam Gelenius. Illud tamen genus Saulis & Ionathæ coniunctim accipiendum eſt, vt ſupra declaratum eſt. [b] Huius porro Michæ poſteritas refertur in 1. Paral. [c]

b n. 10. & 11. c 1. Par. 8. 35. & ſeqq.

XXIII. *Mors Naas Ammonitæ.* Dvm hæc Hieroſolymis agerentur contigit Ammonitarum regem, amicitiæ fœdere cum Dauide coniunctum mori. Ait enim Ioſephus *per idem tempus* quo prædicta cum Miphiboſetho à Dauide tranſacta ſunt, contigiſſe Ammonitarum regem Naaſſem ſocium & amicum defungi: ſocietatis autem, & amicitiæ cauſam non attingit. Libenter ſubſcribo conjecturæ Toſtati, [d] coaluiſſe amicitiam, ex eo quod Naas eſſet inimicus Saulis, vt pote ingenti ab eo clade affectus in exordio regni eius, idemque Dauidem hoſtiliter perſequeretur. Qui autem vnius eiuſdemque hoſtes ſunt, facile inter ſe conueniunt, vt coniunctis animis viribuſque, contra communem hoſtem roborentur. Contigit quoque filium eius in regnum paternum ſuccedere; ad quem propterea Dauid legationem honorificam indicem beneuolentiæ, conſolationis cauſa mittendam putauit: quæ grauiſſimo bello occaſionem præbuit. Videtur autem legatio, ſicut & bellum ipſum, ſequenti anno contigiſſe, vt ſuo loco dicetur.

d Abul. 1. Par. 19. q. 2. & 3.

SCHOLIA IN ANNVM DAVIDIS 16.

1. N. 11. Aſſentiri non poſſum Torniello, explicanti quomodo filij Dauidis dicantur Sacerdotes, an. 4. ætat. 450. n. 1. ſub fi. vbi ait recte exiſtimari poſſe, non otioſè editionem vulgatam idem vocabulum hebraicum vno in loco tranſtuliſſe *Sacerdotes*, nimirum 2. Reg. 8. fi. & in alio, *primos ad manum regis*, ſeu primates curiæ regis: puta 1. Paral. 18. fin. nam priore loco legimus כהנים cohanim, ſacerdotes; in poſteriore הראשנים-ליד hariſſonim le iad, primi ad manum. Septuag. quoque in priore habent αὐλάρχαι ἦσαν, erant principes aulæ. In poſteriore οἱ πρῶτοι διάδοχοι τοῦ βασιλέως, primi vicarij regis, aut primi excipientes iuſſa regia, & alijs ex regis ore denunciantes. Non mirum autem eſt variam eſſe tranſlationem, vbi diuerſæ ſunt dictiones in textu, ex quo illa petita eſt. Illud vero quod ibidem ſubditur, de Vriæ filiis à Dauide adoptatis, improbatum eſt Dauidis anno 10. nu. 2. 3. & ſeqq.

ANNVS MVNDI 2996. DILVVII 1340. 5a. ÆTATIS 57. EXITVS AB ÆGYPTO 453. ARCÆ IN SIONE 7. DAVIDIS REGIS 17. ABIATHARIS PONTIF. 22. TROIÆ EXCISÆ 125. EVPALIS 6. IMPERII ASSYRIORVM 1065.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 1057.

I. *Ratio temporis.* Bellicosvm principem, & ad armorum tractationem natum, non permiſit Dominus diu bellorum expertem deſidere, [a] quandoquidem à bellis, imperii eius, & diuitiarum, & gloriæ amplificatio pendebat: ſimulque pacifico ſucceſſori beatiſſimæ pacis fructus, & magnificentiſſimorum operum, & immenſorum ſumptuum ædificatio parabatur. Itaque hoc tempore ab Ammonitis, quorum puniendorum iam tempus appetebat, contra Dauidem, in ſuam ipſorum perniciem bellum excitari paſſus eſt. Ad hunc enim annum

a 2. Reg. 10. & 1. Par. 19.

nos rerum ſeries ipſa, & ſpatium temporis rebus agendis neceſſarium, & ordo ſacræ narrationis deduxit. Cui chronologiæ conſentit Pineda, [a] Torniellus refert ad annum Dauidis decimum quartum. Abulenſis contigiſſe[b] putat hoc bellum, cum iam Dauid 15. annis, ſuper totum Iſraelem regnaſſet, id eſt quinque ab hinc annis. Nititur autem ætate tenera Salomonis, qua regnare cœpit, ſed non ſolide, vt ſuo loco dicetur: mediam ergo viam incedamus. Eſt autem & hic annus ſabbaticus ordine quinquageſimus nonus: toties enim ab ingreſſu in Chananitidem ſeptenarius annorum numerus euolutus reperitur: quem religio ſit dubitare, Dauide pacifice regnante religioſe fuiſſe obſeruatum. Belli porro, quod in hunc annum cadit, occaſio & cauſæ, euentaque nobis cum ſcriptura exponenda ſunt.

Annus ſabbaticus 59.

[a] 1 8. c. 4. de Salom. 1. §. [b] 2. Reg. 10. q. 1.

II. *Occaſio & cauſa belli Ammonitici.*

Officiosissima ergo Dauidis humanitas occaſionem; Ammonitarum autem ſuſpicioſa temeritas; & iuris gentium, in legatorum iniuria, violatio, grauiſſimo bello iuſtam cauſam dedit. *Factum eſt autem poſt hæc*, [c] quæ narrata ſunt hactenus, *vt moreretur Naas rex filiorum Ammon*, poſt regni annos minimùm 35. tot enim ſunt, ex quo clade affectus eſt à Saule; [d] ipſo initio regni Hebræorum. *Et regnauit Hanon filius eius pro eo. Dixitque Dauid, faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, 2 ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam.* quam vocem pro gratia ſumi, & ſignificatione beneuolentiæ, nec ſupponere hoc loco miſeriam, minime dubium eſt. Tunc enim maxime florere videbatur hic Ammonita, vt ſequentia docebunt. Et ſcriptura ſeſe explicans in primo Paral. [e] vbi eadem hiſtoria continetur ait, *præſtitit enim mihi pater eius gratiam.* vtrobique in hebræo eadem eſt vox cheſed. & in græco ἔλεος. Quamuis autem non deberent Hebræi præuenire beneficiis Ammonitas aut Moabitas, nec eorum ambire amicitiam: Eo quod in lege ſcriptum eſſet, [f] *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum*; præuenti tamen ab eis beneficiis, ex lege naturæ ad gratitudinem tenebantur: [g] præuentus autem fuerat Dauid; non ergo peccauit, neque in legatorum ſuorum confuſione punitus eſt, vt rabbini dictitant: ſed laudabili officio iuſtitiæ functus eſt.

Qualis Hebræorum cum Ammonitis amicitia.

[c] 2 Reg. 10. 1. [d] 1. Reg. 11. 11. 2. §. [e] ca. 19. 1. הסד [f] Deu. 23. 6 [g] Abul. q. 2 in c. 10. l. 2. Reg. & q. 4 in c. 19 1. Par.

III. *Quæ gratia à Dauide accepta.*

Qvæ ergo fuit iſta gratia? Ioſephus tacet, [h] & gratiam potius à Dauide collatam, quam receptam ſignificat: cum eum per legatos ita ſalutatum dicit, vt iuberet eum eandem, quam pater expertus fuerat, à ſe amicitiam expectare. Lyranus exiſtimat Ammonitam iniiſſe à Dauide gratiam, excipiendo fugitiuos de amicis & cognatis Dauidis, cum rex Moabitarum ſæuit in parentes eius. [i] ſed hæc opinio cum fabula perabſurda nitatur vt alibi diximus, [k] quid poteſt habere veritatis? D. Hieron. in trad. in hunc locum ſecundi Reg. (eumque ſequuntur Comeſtor, & Abulenſis,) *Quando fugit*, inquit, *Dauid à facie Achis regis Geth, venit ad Naas regem Ammon, qui fecit cum eo miſericordiam, multa impertiens ei bona. De Nahas itaque venit in ſpeluncam Odollam &c.* Inſerunt hebræi profectionem Dauidis ad Naas, priuſquam veniret ad ſpeluncam Odollam, quæ profectio nuſquam in Scriptura reperitur: nec tamen improbabiliter ſuppletur. Demereri enim voluit ille rex fortiſſimum iuuenem, vt eo propugnatore contra Saulem, à quo debellatus fuerat, vteretur: & Iſraelitarum opera Iſraelitas vlciſceretur. Et ita Dauidis ſiue victoria, ſiue calamitas, in eius vtilitatem, tantumdem diminuta aduerſariorum potentia, verteretur. Sicque non vera hæc amicitia fuit, quæ ſola vtilitate nitebatur.

[h] l. 7. c. 6. [i] vid. Abul. 2 Reg. c. 10 q. 4 [k] an Saul. 15. n. 4.

IV. *Mittit Dauid conſolatores.*

Qvæcvmqve porro Ammonitæ intentio fuerit, Dauidis certe gratificatio vera fuit. *Miſit ergo Dauid*, ait Scriptura, *conſolans eum per ſeruos ſuos, ſuper patris interitu. Dauid*, inquit Ioſephus, *per legatos officioſè eum conſolatus eſt, hortatus vt æquo animo patris obitum ferret; eandemque quam pater expertus fuerat amicitiam à ſe expectaret.* Senſit Dauid fieri poſſe vt Ammonitarum hoſtes captata occaſione regni à veterano principe, ad adoleſcentem tranſlati, ſiniſtrum aliquid in eum molirentur, ideoque vltro ei ſuam operam obtulit, ſi res ita ferret. Et quidem propter præſentem potentiam, facile opem ferre poterat, & propter gratitudinem, etiam volebat. Venerunt ergo Legati ad Hanonem ad terras Ammonitarum, & videlicet nomine domini ſui Dauidis eum peramanter ſalutarunt, aliaque id genus officia prolixe, vt moris eſt,

detulerunt. Qui & beneuole, vt apparet, videntur à principio excepti à iuniore principe, donec ipſum homines improbi malitioſe peruerterunt: idque ſignificat Abulenſis hoc loco.[a]

a 1. Par. 19. text. *b 2. Reg. 10.*

V. *Temerarium Ammonitarũ iudicium.* Dixervnt *enim principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum.* [b] *Putas quod propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideo vt inueſtigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, miſit Dauid ſeruos ſuos ad te.* In 1. Paral. additur de exploranda & ſcrutanda non ſolum ciuitate, quæ infra Rabba vocatur, Ammonitarum metropolis, ſed etiam terra, id eſt prouincia Ammonitide. Itaque volunt ſpecie quidem legatos eſſe, re autem ipſa exploratores. Temerarium plane iudicium, & ſcelerata calumnia; *Et calumnia.* eique non abſimilis qua Ioab apud Dauidem vſus eſt, cum Abnerem eſſet interfecturus. [c]Calumniis enim eum prius onerare voluit, vt iis præoccupatus Dauid, illius mortem, quam tacitus moliebatur, facilius ferret. Fundatur autem iſta Ammonitarum calumnia, ſuper innata principibus ambitione dilatandi imperium ſuum, & vicinos infirmiores in ſuam redigendi poteſtatem. At eam cupiditatem ſapientes iuſtitiæ & æquitatis regula mentiuntur, atque moderantur.

c 2. Reg. 3. 25.

VI. *Quid ab eis in periculo agendum fuiſſet.* Non ita ſapuerunt iſti conſiliarii vt dicerent formidabilem eſſe Dauidis potentiam, propstereaque cum alioqui vir bonus eſſet, ac iuſtus, etiam atque etiam prouidendum, ne qua illi occaſio præberetur offenſionis; admittendam quidem amicam, quæ offerebatur, voluntatem, non enim nimis multos poſſumus amicos habere; nihilominus dandam operam Ammonitis, vt ſe ſuaque accurate circumſpicerent, tegerent, tutarentur, quod ſine cuiuſquam offenſione facere poterant, ac debebant. Ac ne rex quidem iunior ita ſapuit, vt *Et ipſi regi.* cogitaret, aut diceret, multo eſſe generoſiore animo Dauidem, quam vt gratiam malefactis rependeret, & amicorum officia in proditionum artes flagitioſe conuerteret,: iuſtam adhuc ei bellorum cum finitimis cauſam extitiſſe: nullam ſi ei dederint, perpetuo ipſi amicos, aut ab eo certe incolumes fore. E contrario patulas, vt fit, calumniæ aures præbens, nulla adhibita inquirendæ, aut eliciendæ veritatis cura, nullo defendendi ſui loco, accuſatis de tanto facinore, dato, nulla prius delata ad Dauidem querela, quaſi conuictos damnauit, & ignominioſiſſimæ pœnæ ſubiecit.

Vide Abul. 2. Reg. 10. q. 5.

VII. *Indigniſſime accipiũtur legati.* Tvlit enim *ſeruos Dauid, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias, vſque ad nates, & dimiſit eos.* In libro Paralipomenon paulo aliter; additur enim decaluatio, quæ non habetur hebraicè, neque græce: ſed in eraſione comprehenditur. *Igitur Hanon pueros Dauid decaluauit, & raſit.* Non addit totamne, an dimidiam barbam, ſed de dimidia, iuxta præcedentem locum, affirmandum eſt; *& præcidit tunicas eorum à natibus vſque ad pedes*, vt eorum turpitudo in conſpectu omnum aulicorum; & ciuium appareret, & circuncіſio derideretur, & nuditas cachinnis exhibilaretur; & ſic dimiſit eos turpiſſime pudefactos. Verum Hanoni tempus erit magno cum optauerit emptum intactos legatos: cum riſus iſtos vberrimis lacrymis diluet, & præciſionem veſtimentorum dependet Hebræis, horribili diſſectione, ac detruncatione membrorum. Ex his autem intelligitur tunicas legatorum fuiſſe talares, idque honori fuiſſe, ſicut & barbam promiſſam, & intonſam comam.

VIII. *Caluitiũ pudoris, & luctus.* E contrario caluitium, præſertim accerſitum, quale hoc fuit, pudori fuiſſe atque dedecori. Hinc puerilis illa vox; [d] *Aſcende calue:* & diuina comminatio inducendi *pro criſpanti crine caluitium.* [e] Quod ſi quæramus quid habuerit fundamenti hæc abraſio, & decaluatio, dicam moris fuiſſe iſtis nationibus, præſertim Moabitis, nam de ipſis nominatim id conſtat, in charorum funeribus depilari faciem, & caput abraſa cæſarie decaluari. Ideoque Eſaias [f] vaticinans contra Moabitas: eiſque multitudinem mortuorum prædicens ait: *Moab vlulabit, in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Et Ieremias de iiſdem, [g] *Omne caput caluitium* feret, *& omnis barba raſa erit; in cunctis manibus colligatio, & ſuper omne deorſum cilitium.* Habes & dimidiæ barbæ eraſionem apud Ægyptios ad irriſionem vſurpatam, in Euterpe Herodoti: & apud Græcos, in Ageſilao Plutarchi. Quoniam autem Dominus nolebat populum ſuum, imitari iſtarum gentium ritus, prohibuit ne ſe inciderent, [h] nec facerent caluitium ſuper mortuo.

d 4. Reg. 2. 23. *e Eſa. 3. 24.* *f Eſa. 15. 2.* *g c. 48. 37.* *h Deut. 14. 1.*

IX. *Abraſio barba.*

QVONIAM ergo iſti Dauidis legati ſe lugere de morte Naas præ ſe ferebant, voluit Hanon eos vel inuitos, in lugubri eorum ritu ſuis aſſimilari: ideóque eos decaluari iuſſit, non euulſis, ſed abraſis capillis, 3. barbas item radi; ſed addidit, in manifeſtam contumeliam, vt dimidia tantum parte faciei raderentur, vt vel ipſimet ſeipſos reliqua parte raderent, quod execrabantur, vel omnium irriſioni paterent. Veſtrum etiam decurtatio, tanta præſertim apertam habebat ignominiam, propter denudationem partium corporis tegendarum, vt Prophetæ ipſi aperte docent. [a] Talarem autem veſtē honori fuiſſe, ſignificat talaris tunica dilecto Ioſepho à parente facta. Et Romana gens tota in pace togata fuit: naturaque ipſa duce literati omnes, etiam apud disiunctiſſimas gentes Sinarum, & clerici, & religioſi, præſides, ſenatores, conſiliarii, omneſque viri graues, vbique gentium fere togis, vel oblongis veſtibus vſi ſunt. Sed redeamus ad Dauidis legatos.

3. *ex.*
a Eſa. 47. 2. c. 20. 4. Ier. 13. 26. Nahu. 3. 5. Ezech. 16.

X. *Iubentur legati in Iericho ſubſiſtere.*

QVI cum non auderent ſe conſpectui regis, & populi ſiſtere, ei rem totam per nuncios expoſuerunt. Quo cognito iuſſit Dauid eos remanere in Iericho. Erat is locus, olim oppidum, tunc raro habitatore cultum, in itinere Ammonitico, Hieroſolymis diſtans, vt ait Ioſephus 150. ſtadiis, à Iordane ſexaginta. Ibi ergo iuſſit eos ſubſiſtere, nouam in Iſraelitide confuſionem vitantes, & expectare dum barba eorum creſceret.

Ammonitæ bellum parant.

Interea cum non dubitarent Ammonitæ, ſe tantam iniuriam regi potenti, & bellicoſo factam, non impune laturos, miſerunt [b] & conduxerunt mercede mille talentorum argenti Syros omnes, iam infeſtos Dauidi, & hanc occaſionem excutiendi iugum Iſraelitarum ſtudioſe præſtolantes, & auidè arripientes. Hæc porro argenti ſumma ingens eſt: cum enim talentum æquiualeat tribus ſiclorum millibus, illi multiplicati millies, aſcendunt ad ſummam trium, vt vulgo dicuntur, millionum; id eſt in ære gallico, quatuor millionum 125. milliū Francorum; vel quod eodem redit 137, 000. aureorum. Hac primum mulcta punitus eſt ſcurrilis Ammonitarum ludus; ſed poſtmodum etiam ludum multo magis ſerium ludent.

b 1. Par. 19. 6.
Mille talētorū valor.

XI. *Quo tempore.*

IOSEPHVS [c] tam male prouidos, ac fatuos facit Ammonitas, vt poſt admiſſum tantum facinus aduerſus potentiſſimum principem, de præparando bello tantum cogitarint, poſtquam relatum eſt ad eos, Dauidem bello iniuriam vindicaturum; cum vice verſa bellum illi ante Dauidem parauerint, vt ex textu apertum eſt. Ioſephus ita ſcribit. *Quam rem Dauid indigniſſime tulit, nihil diſſimulans non neglecturum ſe iniuriam, cum contumelia coniunctam; ſed bello vindicaturum in Ammonitas, & pœnas violatæ contra ius gentium legationis, à rege eorum exacturum. Quod poſtquam perlatum eſt ad regis barbari neceſſarios, & copiarum eius præfectos, conſcij ſibi violati fœderis, ac debitam pœnam metuentes, & ipſi ad bellum ſe parabant.* At vice verſa exiſtimat Abulenſis non cogitaſſe Dauidem de vltione, quin potius paratum fuiſſe ad indulgentiam, ſi qui hoſtiliter deliquerat, veniam poſtulaſſet; cum autem intellexit Ammonitam non de reparanda, ſed de augenda iniuria cogitare, illico & ipſe arma cepit.

c l. 7. ant. c. 6.

XII. *Quatuor genera auxiliarium contrahunt.*

CÆTERVM habemus ex Scriptura Ammonitas quatuor genera auxiliarium copiarum contraxiſſe. Primum Syros Rohob, ſiue Meſopotamiæ, vt habetur in
1 1. Paral. [d] & apud Ioſephum, quorum metropolis videtur fuiſſe Rohob, quo nomine erat etiam Leuitica quædam ciuitas in tribu Aſer. Septuag. vocant hoc Syros Βιθραὰβ. ſiue Βαιθραάμ, hebraica voce retenta beth-rechob, quam aliqui putant Antiochiam, alii nomen putant principis eius prouinciæ, patris Adarezer, [e] vbi Adarezer dicitur filius Rohob regis Soba, At 2. Reg. 10. Syrus Rohob, à Syro Soba diſtinguitur. Porro iſti Syri Meſopotamii, non ſic dicuntur à Tygride, & Euphrate, ſed ab aliis fluminibus Syriæ, vt ſupra dixi. [f] & confirmo, nam in 1. Paral. [g] Syros de Meſopotamia conducit Hanon rex Ammonitarum, quibus fuſis fugatiſque mox eduxit Adarezer Syros, qui erant trans fluuiū, [h] nempe Euphratē, qui dici ſolent Meſopotamii, ergo gemina erat Meſopotamia, gemi-
2. niq; Syri earū incolæ. Secundo conduxit Syrū Soba, quorū rex erat Adarezer, de
3. quibus ſupra dictū eſt. [i] Tertio Syros ſubiectos regi Maacha, [k] *conduxerunt*, inquit,

Gemina Meſopotamia.

d c. 19. 6.
בית רחוב Beth rechob.
e 2. Reg. 8. 3. 12.
f a. m. 2993. n. 17.
g c. 10. 6.
h ibid. v. 16. & 2. Reg. 10. 16
i a Daui 14.
k 1. Par. 19. 7.

regem Maacha cum populo eius, Ioſephus pro Maacha Micham dixit,[a] ſed quod deterius eſt hominem in regionem mutauit. Poſtremo Syros Iſtob, id eſt incolas terræ Tob, in qua peregrinatus eſt Iephte, [b] vt notant Vatablus, & Emanuel Sa, Ioſephus vult eſſe proprium regis nomen. Hebræi ſeparant Is-tob quaſi dicas, virum, aut principem Tob: licet ei Toſtatus attribuat Moſopotamiam. Syri autem Damaſceni ſubiecti Dauidi, quieuerunt.

a l. 7. c. 6. ſ. | b Iud. 11. 3

IAM quod ad numerum copiarum attinet, priores duæ Syrorum prouinciæ ſuppeditarunt Ammonitis peditum viginti millia; tertius mille viros, quartus duodecim millia: quo modo habet etiam Ioſephus; ... Quamuis Gelenius verterit viginti duo millia. Sed grauior ſe nobis ingerit ex 1. Paral. difficultas [c] vbi pro triginta duobus millibus virorum, quæ ſuggerit Regum liber, habentur 32. millia curruum; qui numerus immenſus videtur, iuxta ea quæ alibi de curribus Philiſthæorum diximus.[d] Itaque Lyranus interpretatur 32. millia hominum pugnantium è curribus, & ſub eo numero etiam pedites, quorum hic fit mentio vult comprehendi. Milites item inſidentes in equis currum trahentibus comprehenduntur. Quo modo etiam paulo poſt [e] ſeptingentos currus Vatablus explicat totidem milites, qui curribus vehebantur, continens pro contento: ſic infra dicuntur occiſi ſeptingenti currus. Abulenſis interpretatur 32. millia virorum venientium cum curribus, quorum numerus non exprimatur: triginta verò illa duo millia militum ex 2. Reg. accipiantur, quibus adduntur milites regis Maacha, qui vno in loco populus, in alio mille viri appellantur.

XIII. *Numerus copiarum.* | *Et curruum.*

c 1. Par. 19. 7. | d 2. 3. Saulis n 15. | e 2. Reg. 10. 18.

AVDITO Dauid tanto contra ſe belli apparatu, nihil aut principum, aut copiarum multitudine territus, miſit Ioabum aduerſus eos, *& omnem exercitum bellatorum.* Non dicitur congregaſſe, ſed miſiſſe, nimirum quos habebat ad manum, puta turmam 24. millium, qui eo menſe apud Dauidem in armis erant. Id colligi poteſt partim ex eo quod hoſtes, Dauidis exercitum, tanquam exiguum concludere voluerunt; partim ex eo quod poſtmodum [f] Dauid dicitur contraxiſſe omnem Iſraelem, cùm maioribus copiis pugnauit contra Syros, qui trans Euphratem habitabant.

XIV. *Dauid contra eos mittit Ioabum.*

f 2. Reg. 10. 17.

Aduentu Iſraelitarum cognito, Ammonitæ, qui ſe domi in vrbe regia continuerant, ſiue vt recentes contra hoſtem ex itinere fatigatum depugnarent, ſiue vt, ſi quis id caſus aduerſus tuliſſet, facilem haberent in vrbem receptum; *egreſſi ſunt, & direxerunt aciem ante ipſum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Iſtob, & Maacha ſeorſum erant in campo.*

Ammonitæ ad vrbem ſuam caſtra metantur.

CONSILIVM Ammonitarum & Syrorum fuit, Iſraelitas, Syros inter & Ammonitas includere, vt à fronte cæderentur ab Ammonitis, à tergo autem à Syris, idque præuidit, ac præcauit Ioab. vnde ſequitur, *Videns igitur Ioab quòd præparatum eſſet aduerſum ſe prælium, & ex aduerſo, & poſt tergum, elegit ex omnibus electis Iſrael, & inſtruxit aciem contra Syrum.* Hanc enim aduerſariorum partem vidit difficilius expugnatum iri, ideóque eam ſibi cum lectiſſimis legionibus impugnandam aſſumpſit. *Reliquam autem partem populi, tradidit Abiſai fratri ſuo, qui direxit aciem aduerſus filios Ammon.* Sperabat Ioab Syrum vehementi impreſſione floris ipſius totius exercitus ſui impulſum, ac nutantem ceſſurum loco, eamque rem reliquis Hebræis animos daturam aduerſum Ammonitam; eademque opera timorem Ammonitis iniectum iri, vt reuera contigit. In omnem tamen euentum, *Si præualuerint*, inquit, *aduerſum me Syri, eris mihi in adiutorium. Si autem filii Ammon præualuerint aduerſum te auxiliabor tibi.*

XV. *Conſilium Ammonitarum, & Syrorum.*

ESTO *vir fortis, & pugnemus pro populo noſtro*, qui cum rege ſuo iniuria affectus eſt ab Ammonitis, *& ciuitate Dei noſtri.* Vtique Hieruſalem, nouam Iudæorum metropolim intelligit; etſi apud Hebræos, Græcos, & Chaldæum paraphraſtem habeatur *ciuitatibus*, quo modo etiam legitur in editione vulgata in 1. Paral. [g] & ſine dubio ſi viciſſet hoſtis, in omnes late ciuitates victorem exercitum circumduxiſſet. Supponit autem Ioabi oratio, alterutrum Hebræorum ducem hoſti præualiturum, & alteri laboranti cohortes aliquas miſſurum auxilio, dum reliquis copiis hoſtem pauefactum percelleret. Quod ſi vrſiſſet Abiſai, quid ſi vtrique vtrumque ſuperent, & æquè ad vltimum diſcrimen adducant? reſpondiſſet Ioab, *Dominus autem faciet quod bonum eſt in conſpectu ſuo*, in cuius ſcilicet

XVI. *Oratio Ioabi, & prudentia in copiis diuidendis.*

g ca. 19. v. 13.

manu, tanquam Domini, & Dei exercituum, ſunt bella omnia, atque victoriæ. Egregia plane vox fortis & Deum timentis Imperatoris! quam tot poſtea ſeculis imitatus eſt etiam religioſior Imperator [a] Iudas Machabæus. *Accingimini, ait, & eſtote filij potentes, & eſtote parati in mane, vt pugnetis aduerſus nationes has, quæ conuenerunt aduerſus nos diſperdere nos, & ſancta noſtra: quoniam melius eſt nos mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cælo, ſic fiat.* Hæc ille in luctuoſiſſimo gentis Hebræorum ſtatu, ſub dira Græcorum imperatorum tyrannide gementium.

XVII. *Pugnatur; Syri cedũt.* HACTENVS quatuor exercituum ad vnicum prælium apparatus, de quorum ſingulis illud vſurpare liceat;

Iam iam minaci murmure cornuum Horat. l. 2 Oda. 1
Perſtringis aures, iam litui ſtrepunt,
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

Iniit itaque Ioab, *& populus qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui ſtatim fugerunt à facie eius.* In libr. Paral. habetur tantum, *& fugauit eos.* Ioſephus [b] ait aliquantiſper magna vi reſtitiſſe, ſed multis ſuorum cadentibus, terga vertere coactos fuiſſe. Sed neque in hebręo, græco, vel chaldæo habetur vox *ſtatim*, quæ ſignificat non diuturnam fuiſſe pugnam, ſed ſtatim apparuiſſe victoriam penes Iſraëlitas futuram. Non enim par eſt animus conductitio militi, & ei cuius proprium eſt periculum [c] *Mercenarius fugit, quia mercenarius eſt.* Nimirum animoſam Ioabi audaciam, & cæterorum heroum impetum, virorum fortium Dauidis, qui cum eo erant, ferre nequiuerunt, nec mirum; eorum enim ſinguli, ſingulis pene exercitibus pares erant; Iuuit &, Dauidis precibus exoratus, Deus, qui pauorem in corda Syrorum iniuſtum bellum fouentium infudit, vt vix bene tentato prælio, quaſi ceruis cum leonibus res foret, quamprimum auerterentur in fugam.

an ſtatim. (margin) — b l. 7. ant. c. 7. — c Ioa. 10. 13.

XVIII. *Cedunt & Ammonitæ.* FILII *autem Ammon videntes quia fugiſſent Syri*, in quorum virtute ac multitudine ſpem ſuam collocauerant, *fugerunt & ipſi*; nimirum tam virtus vincentis quam cædentis pauor, in ſocios vtrorumque peruaſit. Fugam etiam ſuadebat tum metus iamiam ſuperuenturi Ioabi, & fulminis inſtar omnia perrupturi, tum facilis ac tutus in ciuitatem receptus. Fugerunt ergo etiam ipſi *à facie Abiſai, & ingreſſi ſunt ciuitatem* Rabba, in qua poſt ſequentem annum obſidionem paſſi ſunt. Ioſephus [d] ait Ammonitas viſa Syrorum fuga, territos, Abiſæum, cum ſuo milite aduentantem, non expectauiſſe, ſed motos ſociorum exemplo, intra mœnia refugiſſe. Non additur magnáne fuerit hoſtium ſtrages; non magnam fuiſſe credibile eſt, & Ioabum numero militum inferiorem, vt dixi, [e] victoria contentum Hieroſolymam reuertiſſe. Neque enim aut præſidiis, ad vrbis obſidionem neceſſariis, inſtructus erat; aut tutum putabat Syris fugientibus inſtare, ne in periculum incluſionis, quod ante prudenter vitauerant, temerè inciderent. Et hæc quidem inter Syros & Hebræos hoc anno geſta. Hiſtoria prophana nihil iamdudum ſuggerit, quod dignum videatur Annalibus.

Finis, aut …otius in …erruptio …lli. (margin) — d l. 7. c. 7. — e Num. 14.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2996. DAVIDIS 17.

1. N.I. IT è ſectariis Chriſtophorus Heluicus, qui & in anno exitus plane conuenit; annis vero vno & nonaginta diſcrepat in anno mũdi, ſicut & Caluiſius, propter annos Abrahæ 60. & 30. iunioris Cainan. Verum ille idem mox bellum contra filium, a morte patris nimium diſtrahit: non enim tam ſera fuit congratulatio, neque tam ſera vindicta.

2. N.II. Non recte quidam exiſtimarunt iuniorem hunc regem, quem Hanonem ſcriptura vocat, a Ioſepho dici Naas; ea enim Gelenij culpa fuit, non Ioſephi. Nam lib. 7. c. 6. *At rex Ammanitarum Naaſſes, ab optimatibus contra rei veritatem perſuaſus*, &c. legendum eſt *Naaßis filius*. In græco enim ſic legimus ὁ τῶν ἀμμανιτῶν βασιλέως Ναάσου παῖς. Vide Serarium in hunc locum.

Fuiſſet quippe huiuſmodi caluitium non ignominiæ ſolum, ſed atrocis crudelitatis. qualem ſcelerati Iudæi in Chriſtum Dominum exercuerunt, iuxta illud Prophetæ Iſa. c. 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Radebant autem nouacula, iuxta illud eiuſdem prophetæ. c. 7. 20. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen ſunt, in rege Aſſyriorum, caput & pilos pedum, & barbam vniuerſam.* Ezech. 27. 31. contra Tyrum. *Et radent ſuper te caluitium, & accingentur ciliciis.* Vice verſa de Nazaræis, Nu. 6. 5. *Omni tempore ſeparationis ſuæ, nouacula non tranſibit per caput eius.* Quod in Samſone, & Samuele obſeruatum eſt. Iud. 13. 5. 1. Reg. 1. 11. 3.N.IX.

ANNVS MVNDI 2997. DILVVII 1341. 5a. ÆTATIS 58. EXITVS AB ÆGYPTO 454. ARCÆ IN SIONE 8. DAVIDIS REGIS 18. ABIATHARIS PONTIF. 23. TROIÆ EXCISÆ 126. EVPALIS 7. IMPERII ASSYRIORVM 1066.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1056.

APPARATVS ingens, & longinquus Syrorum, & Iſraelitarũ non patitur, vt in eundem annum ſuperius bellum cum præſente compingamus. Suſcepta & miſſa à Dauide legatio, quatuor regum & prouinciarum ad bellum inuitatio, & præparatio, & progreſſio; Ammonitarum item & Iſraelitarum, pugna denique, & reditus ad hyberna, facile præcedentem annum tenuerunt. Etſi enim eodem tempore diuerſi diuerſis parabantur locis, tardius tamen multi, quam pauci, & diuerſorum principum ſubditi, quam vnius eiuſdemque parari ſolent. Nunc autem Adarezer acceſſit auxiliares Syrorum copia, ab vltima vſq; Meſopotamia. Et Dauid accepto hoc nuncio contraxit totum Iſraẽlẽ; illi Euphratem tranſeunt, & veniunt ad Ammonitas, tranſit Dauid Iordanem & venit in Helam, quæ ſine dubio nouum requirunt annum. Decimus octauus ergo Dauidis annus habet tertio redintegratum à Syris bellum contra Dauidẽ, & tertio feliciter à Dauide geſtum, & eorum tributaria ſeruitute terminatum. Eandem nobiſcum chronologiam ſequitur Pineda. [a] Torniellus hoc quoque bellum confert in annum 14. Dauidis; nobis vtique non probantibus. Alij diſtinctius hæc tempora notare aut noluerunt, aut non potuerunt.

I. Ratio temporis.

a 18 de Sal. c 4.

REDINTEGRATVM porro hoc bellum à Syris, id agentibus Ammonitis, quamuis ea res à principio in Scriptura ſileatur, ex fine tamen narrationis intelligitur, vbi dicitur non auſos vltra Syros auxilium præbere Ammonitis: quomodo ſcilicet iam ſemel iterumque fecerant. Sed id perſpicuè Ioſephus affirmat. [b] *Nec tamen ea clades, inquit, Ammonitarum effecit, vt experti ſe impares in poſterum quieſcerent, ſed miſsis nunciis ad Chalaman Syrorum Transeuphratenſium regem, eius auxilia mercede conduxerunt.* Non debuit hæc imparitatis Ammonitarum agnitio, eos ad quieſcendum induere, ſed ad pacem cum ſatisfactione requirendam: Et ſi quidem hactenus de præſtantia, potentiaue fuiſſet inſtituta contentio, merito ſanè

II. Redintegratum bellum cõtra Syros

b l.7.c.7.

Ope Ammonitarum

ſuam edocti infirmitatem quieſcerent; nunc autem cum reſiſtere ſtatuiſſent, tanto vehementius iſta cognitio ad contrahenda vndique belli præſidia debuit incitare. Intelligebant enim Dauidem non quieturum, & alieno præſidio deſtitutos ſe illi prædæ fore, vt reipſa probatum eſt. Quod autem de Chalama rege Syrorum dicit, aut abutitur ignorantia hebraicæ linguæ lectoris, aut oſtendit ſuam, vt ſeorſim indicabo. 1 1. ※.

III. *Auctore Adarezer.* CÆTERVM Adarezer qui decimoquarto Dauidis regis anno, [a] bello contra ipſum ſuſcepto, magna clade affectus fuerat: & rurſum anno proxime præcedente [b] ſe Ammonitarum ſociis aggregauerat, & actus in fugam, pacem cum Dauide, aut habere nolebat, aut deſperabat obtinere, ab Ammonitis iterum, reliquiſque Syrorum regulis ſollicitatus, belli aleam iterum tentare perſuaſus eſt, & omnibus viribus in bellum incumbere, vt præteritum ignominiam, rerumque ſuarum iacturam repararet. Sed idem ei quod aleatoribus vſu venit, quos cum tædeat dimidiatæ pecuniæ ludo amiſſæ, ludum vrgent ſpe reparandæ iacturæ; ſed nec priorem recuperant, & reliquam inſuper amittunt. *Videntes igitur Syri quod* proximo anno *corruiſſent coram Iſrael*, ignauiæ accuſationem non iniuſtam formidantes, aut præuaricationis, qui vix inchoato certamine terga vertiſſent, ad eam ignominiæ notam delendam, *congregati ſunt pariter*, illi ipſi, perpauci enim ceciderant, Sed *miſit* inſuper nuncios *Adarezer*, & euocauit *Syros, qui erant trans Euphratem, & adduxit eorum exercitum.*

[a] a 2.m.-991 n.5.& 6.

[b] b n.11.

Qui euocat trãs Euphrataos.

IV. *Per Sobachum militia ſua principem.* MISISSE autem videtur Adarezer, ad euocandos meliore euentu Euphratæos Syros, principem militiæ ſuæ Sobachum, vt ab eo deducerentur. Nam vbi nos legimus, *Sobach autem magiſter militiæ Adarezer erat princeps eorum*. in hebræo & græco eſt ἔμπροσθεν αὐτῶν, *antecedebat eos.* Euocauit autem non imperio quaſi ſubditos, ſed precio, vt ait Ioſepus, quaſi mercenarios: qui etiam exiſtimat Sobachũ iſtis omnibus Syris, loco Adarezer præfectum fuiſſe imperatorem: ne videlicet ſub pluribus ducibus diſſectus exercitus, quamuis maximus & potentiſſimus, facile dilaberetur. Sed difficile credi poteſt iſtum, qui erat ſeruus Adarezer, tribus regibus fuiſſe præpoſitum.

Syrorum copia. Numerati ſunt autem in hoc exercitu, vt ex numero fugitiuorum, & occiſorũ colligitur, militum centum triginta & octo millia, præter ſeptingentos currus, aut ſeptem millia, vt eſt in libro Paral. [c] A quo numero valde abeſt Ioſephus; ait enim conflatum fuiſſe ex octoginta peditum, equitum vero decem millibus: quæ ſine dubio non ex Scriptura, ſed proprio iudicio, ac probabilitate dicta ſunt. Nam illa habet 40 millia peditum, & totidem equitum fuiſſe ſublata, [d] vt mox dicetur.

[c] c 1.1.c.19. v.18.

[d] d 1. Par. 19. 18 & 2. Reg. 10. 18.

V. *Dauid cogit omnes copias.* CVM autem nunciatum eſſet Dauidi Syros cum Ammonitis ſumma vi bellum paraſſe, maximum exercitum contraxiſſe, totiſque viribus, quaſi de ſumma rerum, & orientis imperio velle decernere, contraxit & ipſe vniuerſum Iſraëlem qui erat cis Iordanem, & cum eis tranſiuit Iordanem, & venit in Helam, vel, vt eſt in Hebræo, Chelama, eam vrbem Syrorum putat Abul. alij ſuſpicantur fuiſſe locum, in quo congregati erant Iſraëlitæ, qui trans Iordanem habitabant, Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe, quos ſemper quaſi ſuccenturiatos in armis eſſe oportebat, vt qui hoſtem haberent in ianuis, à quo nec-opinantes opprimi poſſent. *Tum Hebræorum rex*, ait Ioſephus, [e] *intellecto quod denuo tam magnas copias Ammonitæ contra ſe parauiſſent, nolens amplius per legatos*, puta Ioabum & Abiſæum *cum eis bellum gerere, ipſe cum vniuerſo exercitu Iordanem tranſgreſſus illis occurrit.* Quod videntes Syri *direxerunt aciem ex aduerſo Dauid*, Dauid quoque direxit ex aduerſo aciem, irruitque in eos, illis contra pugnantibus.

[e] e l.7.c.7.

VI. *Pugnat, & vincit.* ACRITER vtrimque aliquandiu pugnatum eſſe, Syris præteritam ignauiam emendare ſtudentibus, Hebræis partam gloriam retinere, atque amplificare cupientibus, cæſorum multitudo demonſtrat; Sed infelices Syri non contra Dauidem ſolum, atque Iſraëlitas pugnabant, ſed habebant repugnantem Deum, cum angelis ſuis, quorum opera concuſſi metu, atque in fugam acti ſunt, malentes dorſa vulneribus, quam vultum ac pectus offerre, & incertam vitam quærere, quam certam mortem inuenire. *Commiſſo prælio*, ait Ioſephus, *victor euaſit, cæſis peditum quadraginta, equitum vero ſeptem millibus.* Sic ipſe ex 1. Paral. [f] niſi quod ſeptem

Ruf. ſeptingentis.

[f] f c.19.18.

millia equitum ponit pro totidem millibus curruum. Sed facile eſt interpretari ſeptem millia curruum dici, pro ſeptem millibus militum è curribus & equis
a 2. Reg. 10. 18. pugnantium, licet tantum eſſent ſeptingenti currus, vt eſt in ſecundo Regum, [a] in quorum ſingulis deni pugnarent. Vbi alia quoque difficultas exiſtit. Nam ibi *Quam multi deſiderati.*
b 1. Par. 19. 18. dicuntur equites, qui in Paral. [b] pedites. Verum reſpondet Lyranus & Abul. Vatablus & Sa; in vno loco equites omiſſos fuiſſe, in alio pedites, & priorem locum à poſteriore ſuppleri. Cui expoſitioni ſi acquieſcimus, non 7 millia equitũ, vt vult Ioſephus, ſed 40 millia in hoc prælio deſiderata ſunt; quod in tot regibus, qui plurimum equitatu gaudent, facile quiſque conceſſerit.

DESIDERATA quoque ſunt 40 peditum millia; vt eſt in Paral. Nominatim autem percuſſus dicitur à Dauide Sobach princeps militiæ Syriæ, qui ex vulnere *ſtatim mortuus ſit*, vel, vt eſt in Hebræo, & Græco textu, qui mortuus eſt ibi; in veſtigio ſcilicet, & loco vbi vulnus accepit, quod eodem redit. Dubium tamen eſt an manu Dauidis ipſius percuſſus ſit, an ab aliquo alio: id Scriptura non dicit; æquè enim ait à Dauide interfecta 40 millia equitum, atque Sobachum. Sed id Ioſephus aperte dicit, *Sabecus quoque hoſtium imperator, in eo prælio vulnus accepit à rege, ex quo poſtea curam non admittente, mori eum contigit*, in quo non Ioſephi fides, ſed interpretis diligentia deſiderata eſt: in Græco enim habetur tantum [illegible], *ex vulnere mortuus eſt*. Credibile autem eſt Adarezer, cæteroſque reges fuga ſibi maturè conſulentes, mortem euaſiſſe, eamque tributaria ſeruitute redemiſſe. Nam ſcriptura quæ principem militiæ non tacuit, ipſum eius Dominum, cæteroſque regulos non omiſiſſet mortuos referre. ſed quid opus eſt coniecturis? audiamus Scripturam ipſam. VII. *In his princeps militiæ*

c 2. Reg. 10. 19. δοῦλοι παῖ-δες. VIDENTES *autem vniuerſi reges, qui erant in præſidio Adarezer*, [c] id eſt qui ſub eius auſpiciis, contra Iſraëlitas pugnabant; qui propterea in Hebræo ſerui eius dicuntur, ſicut & à Septuaginta, & in primo Paral. [d] quod ei fortaſſe vectigal ali- IX. *Belli euenta & finis.*
d c. 19. 19. quod, aut tributum penderent, videntes, inquam, *ſe eſſe victos ab Iſrael, expauerũt, & fugerunt 58 millia coram Iſrael, & fecerunt pacem cum Iſrael, & ſeruierunt eis; timue-*
e c. 10. E. *runtque Syri auxilium præbere vltra filiis Ammon*. Sic in 2. Reg. [e] in primo autem Paralipomenon non dicuntur fugiſſe coram Iſraëlitis, ſed transfugiſſe ad Dauid: vtrumque factum eſt, ſed illud prius. Non placet autem Ioſephus, dum quod Scriptura vniuersè de Syris affirmat, ipſe de ſolis Meſopotamitis refert. *Meſopotamiæ*, inquit, *cognito tam triſti pugnæ euentu, ſine mora legatione ad Dauidem cum muneribus miſſa, deditionem fecerunt, promittentes ſe eius hoſtibus Ammonitis auxilio vltra non futuros.* Quidam etiam putant eos tributum, quod Adarezeri pendebant, cum ab eo receſſiſſent, Dauidi, cuius fiebant clientes, pependiſſe, illo ſiue coacto, ſiue conſentiente; itáque accipi poteſt transfugium à Scriptura memora-
2. Χ. tum. 2 Et de hoc bello hactenus, quod Ioſephus ait appetente iam hyeme terminatum, Dauide cum exercitu Hieroſolymam ad hyberna reuertente.

SCHOLIA IN ANN. DAVIDIS. 18.

1. N. II. IN hebræo legitur, & venerunt chelam חילם, & Sobach princeps militiæ, erat ante eos. Septuag. & veniunt εἰς αἰλάμ. in Ælam. quaſi id eſſet nomen loci, vulgata vero, accepit vt nomen appellatiuu, & adduxit eorum exercitum, ſicut & Pagninus, & Tigurina. Ioſephus autem putauit eſſe proprium viri, & ne illi deeſſet honos, regem creauit. Mox autem cum dicitur Dauidem tranſiiſſe Iordanẽ, & veniſſe in Helam; in hebræo eſt חלאמה chelama, quæ vox diuerſa eſt a priore, & rectè vt loci nomen à S. Hieronymo accepta eſt, etſi in Septuaginta vtrobique ſit αἰλάμ. Ioſephus vt ignotum hominem præterit. Chalaman autem illum Rufinus aut non inuenit apud Ioſephum, aut mutauit in Adarezer. Sic enim habet. *Sed mittentes ad regem Syrorum Adadezer trans Euphratem, eum ad ſolatium conduxerunt, qui habebat quindecim principes militiæ ſabbatorum, pedeſtrium vero* 80 *millia*. Vides Rufini verſionem vitiatam, legendum eſt enim, *Qui habebat quidem principem militiæ Sabecum*, &c. vt patet ex græco, in quo nullum veſtigium neque ſabbatorum, neque quindecim principum.

Transfugientium numerus, & illa omnia verba, *Et expauerunt, & fugerunt quinquaginta & octo millia corã Iſrael*, quæ in vulgata habentur 2. Reg. 10. 19. in hebræo, græco, aut chaldæa paraph. nuſquam habentur, nec in latinis aliquot manuſcriptis, vt notauit Brugenſ. Eorum certe neque Lyranus meminit, neque Abulenſis, qui nulla verba textus intacta prætermittit. Et Arias Montanus ea de editione vulgata regiorum bibliorum ſuſtulit: niſi libros ſecutus eſt, qui iis carebant. 2. N. VIII.

ANNVS MVNDI 2998. DILVVII 1342. QVINTÆ ÆTATIS 59. EXITVS AB ÆGYPTO 455. ARCÆ IN SIONE 9. REGNI DAVIDIS 19. ABIATHARIS PONTIF. 24. TROIÆ EXCISÆ 127. EVPALIS 8. IMPERII ASSYRIORVM 1067.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1055.

I. Res hoc anno geſtæ.

INGREDIMVR annum Dauidi, & populo eius multorum malorum ſeminarium, & vtrique luctuoſum. Cum enim hactenus ipſos quadraginta & octo annos vitæ inoffenſo pede, aut certe ſine vllo grauiore delicto decurriſſet, & grauiſſimus caſibus, ac tẽpeſtatibus viuo Saule ſuperior euaſiſſet; deinceps non minus inter proſpera, quam aduerſa conſtans ſtetiſſet atque inuictus, Deo ipſi, hominibuſq; chariſſimis; contigit illi hoc anno lapſus huiuſmodi, quo Deo inimicus, homini iniuſtiſſimus, maximeque iniurioſus fuit. Res eſt omnium ſanctorum, ac propemodum ſcriptorum literis linguiſque celebrata. Impletum eſt enim illud Domini verbum, [a] *Tu feciſti abſcondite, ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.* Nobis tamen pro inſtituto hoc loco breuiter explicanda. Cedit enim ad Dei ac Dauidis denique gloriam, cuius admirabiles pœnitentis virtutes mundo vniuerſo patefactæ ſunt. a 2. Reg. 12. 12.

II. Ratio temporis.

AD hunc porro annũ adulterium Dauidis cum Bethſabæa, & Vriæ ad illud occultandum homicidium pertinere, tam ipſa ſingulorum annorum narrationis ſeries, perenni hactenus filo deducta confirmat, quam conſequentium etiam rerum apte congruens atque conſentiens diſpoſitio, quod ego grauiſſimum in hoc genere arbitror argumentum. Sed eadem eſt quoque grauium ſcriptorum ſententia. Pineda [b] lib. 3. & 8. de rebus Salomonis, hiſtoriam hanc anno vitæ Dauidis 49. regni vero decimo nono, nobis in vtroque conſentiens, contigiſſe putat: nec id aliter, quam ex rerum hactenus geſtarum ordinatione, & temporis, eis conficiendis neceſſarij, diſtributione confirmat. Qui duodecimo æta- b l. 3. c. 2. n. 1 l. 8. c. 4.

tis ſuæ anno Salomonem regnare cæpiſſe putant, in quibus S. Hieron. in epiſtol. ad Vitalem, [a] in nonum adhuc annum hanc hiſtoriam differre coguntur, & ſimul etiam Salomoni filium vndecimo anno tribuere; quod ſatis eſt ad reſpuendam rationem temporum, quæ ad talem adigat neceſſitatem. Torniellus autem coarctatis præcedentium annorum hiſtoriis, pręſentem, in annum Dauidis decimum quintum coniecit, & conſequenter 24. ætatis anno Salomonem regem conſtitutt. Sed quod inſtat agamus.

III. *Obſidio Rabbæ Ammonitica.*

Nondvm Ammonitæ pœnas dederant violati iuris gentium, in contumelia legatorum Dauidis: nec eas, vt cupiebant, ſuſtulerant interuenientibus Syrorum auxiliis, ſed diſtulerant. Nunc autem tanto nudati præſidio, pro Dauide pugnantibus, qui contra Dauidem collatis ſignis in acie pugnauerant; Iſraëlitarum videlicet vindictæ & prædæ patuerunt.

Vere ſuſcepta, & quare.

Euoluto itaque anno, quo res cum Syro poſt pugnam compoſita eſt, & anno ſacro rurſum ineunte, is enim cum vere ſumit initium, & id tempus eſt, *quo reges ſolent ad bella procedere*, quæ eſt altera temporis nota à Scriptura obſeruata; miſit Ioabum Dauid contra Ammonitas. Rectè autem veris initia, Martiuſque menſis notatur ea circunſtantia temporis, quo ſolent reges ad bella procedere. Tunc enim idoneum eſt bello tempus, cum miteſcente cœlo, miles ex hybernis excedit & nocturni vim frigoris in vrbium obſidione ad 7. vel 8. menſes ferre poteſt, cum herbis campi in equorum pabula veſtiuntur, & fruges paulatim humanis vſibus matureſcunt, cum dierum longitudo rebus agendis commoditatem præbet, è contrario in Autumno noctes productiores ſunt ac frigidiores, fruges omnes fructuſque ex agris arboribuſque collecti ſunt, & in vrbes illati, imbres frequentiores, minuſque tolerabiles accedunt, miles denique ſine pugna aduerſa tempeſtate expugnatur. Denique Martio menſe Mars bellatores ad arma vocat.

IV. *Vaſtitate prius agris illata.*

Hoc ergo tempore, τῷ ἔαρος, vt Ioſephus ait, ἀρχομένου, vel vt Septuag. ἐπιστρέψαντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, hoc inquam tempore. *miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt Rabba*, metropolim & regiam Ammanitarum ciuitatem. Agris autem prius intulere vaſtitatem, quam fruges à ciuibus colligi poſſent, vt fame ad deditionem compellerentur. Et quæ iam tum victui apta reperirentur, ad vſum obſidentis militis conderentur, aut quotidie abſumerentur. In agros ergo, & pagos populatione inducta, tota belli moles in eam ciuitatem incubuit; quam & natura & arte munitiſſimam, armis, viris, & cõmeatu inſtructiſſimam fuiſſe dubium eſſe non poteſt: præſertim cum iam biennium bellum ab Hebræis expectaretur. Ibi ergo diu pugnatum eſt, alteris pro gloria impugnantibus, alteris pro ſalute propugnantibus: alteris ex crebris iam victoriis animoſioribus; alteris ex neceſſitate, & ſumma rerum deſperatione fortibus. Dauidicis pro iuſtitia, Ammonitis pro iniuſtiſſima temeritate arma ferentibus.

V. *Dauidis ſtatio, & ratio loci,*

Dvm *hæc agerentur* in caſtris apud Ammonitas, *accidit vt Dauid*, qui remanſerat in Hieruſalem; quem nec fas erat in diuturna vrbis obſidione moras trahere, *ſurgeret de ſtrato ſuo poſt meridiem*, vbi ſe à prandio ad horam quieti dederat, *& deambularet in ſolario domus regiæ*, ſupra tectum videlicet palatij, quod peribolo ambiebatur, *viditque mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum*; vel vt eſt in hebræo, de ſuper tecto, vel de ſolario, vt Septuag. quoque habent, non enim ſignificat mulierem lauiſſe ſuper ſolarium ſuum, vt putauit Abulenſ. [b] & verba præ ſe ferunt, quod eſt valde contra decorum, & lotionis commoditatem, vt Pineda [c] quoque recte animaduertit, ſed Dauidem exiſtentem ſupra ſolarium ſuum, ibique deambulantem eam vidiſſe ſiue per feneſtram lauantem domi, Vatablo iudice, ſiue in horto ad fontem, qui etiam num ibi oſtenditur, vt ait Adrichom. quo modo Suſanna lauit *in pomario domus ſuæ*. Erat autem ei lauandi cauſa, vel legalis aliqua immunditia, vel naturalis; de qua fit poſtea mentio, vel etiam æſtus, hæc enim [a]ſtate contigiſſe cenſet Caietanus, idque poſtmodum probabitur.

& tẽporis.

[b] 2. Reg. 11. q. 4. 5.
[c] l. 1. c. 4. n. 12.
in monte Sion n 11.
Dan. 13. 15

VI. *Domus Vriæ vicina regia,*

Ex eo vero quod mulierem Dauid ex aduerſo vidit, & agnouit pulchram valde, intelligitur domum Vriæ regiæ Dauidis vicinam fuiſſe: non enim remoto ex

loco membrorum exquiſita proportio, & coloris ſuauitas, niſi confuſe agnoſci poteſt. [a] Itaque Adrichom. Vriæ domum in Sione iuxta arcem collocat, Ioſephus in vicinis ædibus à Dauide viſam ait. Verum nihil obſtat in ipſa ciuitate, atque arce Sionis, ædes Berſabeæ, aliaſque pleraſque ſitas fuiſſe. Erat enim ampla, decem fere ſtudia ambitu ſuo colligens, iuxta typum à Vvillalpando noſtro delineatum. [b] Alias inquam pleraſque, licet Adrichom. ſolum Dauidis palatium in arce collocet, ſi enim ea vnica domus in arce cum ſuo palatio fuiſſet, quomodo neſciiſſet Dauid; quæ eſſet illa mulier, poſt plures prærertim annos quibus in ſua regia morabatur? Itaque exiſtimo fortes Dauidis, in quibus Vrias Hethæus numerabatur, [c] magna ex parte domos non ſolum in monte Sion, ſed etiam in ipſa arce habuiſſe; iuxta quam memoratur domus fortium in 2. Eſdræ. [d] quæ militaribus exercitationibus deſtinata erat, vt ſignificat ibi Lyra.

& in arce

[a] Abul q. 5.
[b] to. 3. in Ezech.
[c] 1. Par. 11. 41 & 2. Reg. 23. 39.
[d] 2. Eſdr. 3. 16.

VII. *De ea ſciſcitatur Dauid.*

Misit *ergo rex* è ſolatio famulum aliquem, in inferiorem regiam; qui certa de ea referet, *nunciatumque eſt ipſam eſſe Bethſabeam* filiam Eliam, vxorem Vriæ Hethæi. Cupiebat Dauid amore ſaucius ſcire virgóne eſſet an vidua, & honeſtane ex familia orta, necne, vt eam reliquis ſuis vxoribus aggregaret; ſed vbi didicit iunctam matrimonio, non refrixit cupiditas, ad rationis imperium; ſed exarſit magis, quia *nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata*, & aquas furtiuas credimus dulciores. Hũc autem Heliam [e] fuiſſe filium Achitofel, ex 2. Reg. [f] ſatis conſtat, idemque ait D. Hieron. in tradit. & poſt eum Comeſtor, [g] Abul. Dionyſ. Quod autem in primo Paralipom. vocetur filia Ammiel, nihil abſurdi eſt, ſiue eundem virum binomium dicamus, ſiue hæc duo nomina, re idem eſſe, per tranſpoſitionem elementorum; [i] imo & ſignificatione. Nam idem Hieron. [h] Ammiel interpretatur, *populus meus Deus*, Eliam, *Deus meus populus.* Cum autem tam apertè in Scriptura [i] tradatur Eliam filius Achitophel Gelonites, vtique corrigendus eſt Hugo Cardinalis in cap. 11. 2. Reg. vbi ait. *Iſte Eliam fuit Achitophel, qui dedit conſilium Abſalon cõtra Dauid, forte in vltionem huius facti*, quod affirmat etiam Abulenſis, [k] at in Hugone legendum eſt: *Iſte Eliam fuit filius Achitophel.* Nec video quare id credatur improbabile, ratione temporis, & ætatis perſonarum: [l] potuit enim Achitophel auus Bethſabææ, annum agere hoc tempore ſexageſimum quintum: Eliam autem quadrageſimum, & Bethſabæa decimum octauum.

eius genus, Pater, Auus.

[e] in 2 Reg. 11. & 1. Par 3. 5.
[f] cap. 23. 34
[g] l. 2. c. 32.
Eſ7.
[h] in par. 5.
[i] 2. Reg. 23. 34.
[k] 2. Reg. 11 q. 6.
[l] Pin l. 2. c. 4. n. 3.

VIII. *Maritus Vrias, cur dictus Hethæus.*

Coalvisse videtur Eliæ huius, ſiue Ammielis cum Vria Hethæo affinitas, quod vterque eſſet in cohorte fortium Dauidis: [m] eiuſque pater Achitophel vir ſapiens, & honoratus, & conſiliarius regis. [n] Vrias autem dictus eſt Hethæus,
1. ſi Theodoreto, & Procopio credimus, quod ex Hethæis oriundus eſſet. *Videtur autẽ*, inquit ille, [o] *Vrias quidem ortus eſſe ex alienigenis, fuiſſe autem proſelytus. Eum enim Chethæum appellauit Deus vniuerſorum, & oſtendit ſe nullum iniuria affectum deſpicere, ſed etiam ſi ſit alienigena, qui afficitur iniuria, qui autem afficit Hebræus, illi quidem fert o-*
2. *pem, punit autem eum qui facit iniuriam.* ſic ipſe. Abulenſis negat Hethæum dictum, quod eſſet de genere Hethæorum, qui erant Chananæi, quibus cum non licebat Hebræis inire connubia, ſed Hethæi nomen accepiſſe, quod in terra Hethæorum aliquid egiſſet, aut quod ibi moratus eſſet. Vtramque opinionem Vatablus probat: Dictum enim ait Hethæum aut habitatione, aut genere, ſed qui poſtea fuiſſet conuerſus ad fidem Iſraëliticam. Ego libentius Hieronymo in tradit. ſub-
3. ſcripſerim, [p] *Vrias*, inquit, *Hethæus vir Bethſabeæ à loco qui vocatur Eth. Ethæus vocatus eſt.* Sic ipſe, cui aſſentitur Adrichom. [q] eamque in tribu Iuda ad Hebronem collocat, iuxta ſepulchrum Abrahæ. Sic ab vrbibus ſuis plerique alij cognomen acceperunt, ad aliorum differentiam, qui idem nomen ſortiti eſſent, vt ex catalogo fortium Dauidis intelligi poteſt, & is, de quo proximè agebamus, Achitophel, à ciuitate ſua Gilo dictus eſt Gilonites; & Iſai Bethlehemites, & vidua Thecuitis.

ex ſua ciuitate.

[m] 2 Reg. 23. 34. 39.
[n] 1. Par 27. 33. & 2 Reg. 15. 12. 31.
[o] 2 Reg. q. 25. in 8.
[p] in 1. Par c. 11.
[q] in tribu Iuda n. 2. 8.

IX. *Cunctatur Dauid, & vincitur.*

Redeamvs porro ad Dauidem; qui vbi intellexit matrimonio coniunctam mulierem, ex priſtina virtute animi, & inhabitante diuina gratia, aliquantum retardatus videtur à ſuſcipiendo adulterij crimine, probroſa quoque in Vriam electum militem ſuum iniuria inferenda. Mox tamen inualeſcente tentatione, & abſentia coniugis inuitante, altiuſque animo infixa pulchritudine, quam

vt cito

vt cito deleri, aut facile euelli poſſet, denique *à concupita ſibi temperare non valens*, vt ait Ioſephus, *miſſis nuncius tulit eam*; euocauit ſcilicet in regiam; quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, facile muliebrem prodidit infirmitatem, quippe quam ne verbo quidem legimus regiæ intemperantiæ reſtitiſſe; putaſſeque, vt illa Iulia Caracallæ nouerca, omnia quę liberet, licere principibus: neque Dei præceptum, neque præſtantiſſimi fortiſſimique viri ſui amorem, neque familiæ probrum, neque pœnam adulterio à lege conſtitutam in mentem reuocaſſe; ſuoque exemplo probaſſe, quam vere ille dixerit, *lis eſt cum forma magna pudicitiæ.* 2

ey.2.

X. *Bethſabæa emũdatur.*

Comeſt. Lyran. Abul. Caiet. Hugo Dionyſ. Vatab. Sa.

Statimqve *ſanctificata eſt ab immunditia ſua*; quia nimirum ſtatim concepit, vnde ſequitur, *& reuerſa eſt in domum ſuam concepto fœtu.* Sicque ceſſauit menſtruus ſanguis, quo contaminabatur, quem natura reſeruare dicitur poſt conceptum, in nutritionem fœtus; itaque hunc locum plerique omnes interpretantur. Rupertus tamen ſuper primum caput Matthæi, immunditiam ſterilitatem interpretatur, vbi Bethſabæam Saræ, Rebeccæ, Racheli, matri item Samſonis, Annæ, & Eliſabethæ annumerat; quarum filii, Iſaac. Iacob, Ioſeph, Samſon, Samuel, Salomon, & Ioannes Baptiſta imagines fuerint Chriſti Domini; & ipſæ matres beatiſſimæ Virginis typi. Ad quam interpretationem alludens Dionyſius, ait nonnullos dicere eam à ſua immunditia ſanctificatam, id eſt à ſterilitatis opprobrio liberatam, quod antea non genuiſſet: quæ opinio valde repugnat iis, qui eam tres iam filios ab Vria ſuccepiſſe putent, nihilominus prior expoſitio vt communior eſt, ita & verior; neque enim vllam habet iſta ſterilitas probabilitatem, de qua conſule Pinedam. [a]

an à ſterilitate.

a l. 1 de Sal. c. 7.
b Abul. 2. Reg 11. q. 10. & 11.

XI. *Nunciat Dauidi conceptum.*

Bethsabæa grauidam ſe ex menſtrui ceſſatione cognoſcens, [b] curauit nunciari Dauidi ſe concepiſſe; ſignificans prouidendum ipſi de occultando crimine, ne turpe obſequium ſibi in ſupplicium verteretur: vnde Ioſephus, *Paulo poſt mulier grauidam ſe ſentiens, nunciat regi diſpiciat, quomodo factum hoc latere poſſet, alioqui publicis legibus adulterij damnatam ſupplicium daturam.* Chryſoſtomus ipſam per ſe hoc nuncium ad regem detuliſſe, populariter refert, quaſi verecundantem fortaſſe hoc ſecretum vlli mortalium committere. *Prægnans*, inquit, *facta mulier, vadit ad regem, & dicit ei, O rex perii, & ille ait, Quid habes? Prægnans inquit ſum, peccati mei pullulat fructus, accuſatorem interius habeo, in ventre profero proditorem. Si venerit & viderit vir meus, quid dicam? quid loquar? quam excuſationem prætendam?* Ex hoc quoque loco intelligitur poſt aliquot menſes à diſceſſu Ioabi, & Vriæ, commiſſum adulterium. Alioqui dierum aliquot, vel vnius etiam menſis abſentia, ad manifeſtationem peccati non ſatis fuiſſet.

an per ſe.

XII. *Quod inde ... periculũ Bethſabææ, & Dauidi.*

Cogitavit ergo Dauid, vnicum eſſe remedium occultando facinori, Vriam aduocare, qui vxore cognita ſuum eſſe crederet poſtea, quod erat alienum. Audi eundem Chryſoſtomum, *dicit militi vade in domum tuam, & laua pedes tuos, & requieſce pauliſper, quia de via veniſti. Propter quam cauſam ô Dauid ſolicitus es? ob hoc*, inquit, *plenum pietatis do conſilium, ſi quo pacto potero obumbrare ſceleris magnitudinem, & vulneri ſuperducere cicatricem, vt illius eſſe dicatur, quod meum eſt.* Hæc ipſe. Alioqui enim concepto fœtu, qui marito propter diuturnam abſentiam tribui non poſſet, neceſſe erat ſuperueniente Vria Bethſabæam adulterii ream fieri; & conuictam facinoris, ab vniuerſo populo lapidibus obrui, cum acerbiſſimo Dauidis mulierem diligentis dolore, præſertim quæ, ob ſuam vnius culpam periret. Sed nec minore vulgo laboraturus erat infamia, dum moritura mulier Dauidem vnum adulterum accuſaret; & iniuſtum, ingratumque proclamaret, qui quam fœminam blanditiis ſuis pudicitiæ laude priuaſſet, eam nunc perquam atroci ſupplicio vita priuari pateretur.

XIII. *Accerſitur Vrias.*

Hoc itaque excogitato apud ſe, probatoque conſilio, fortaſſe & cum Bethſabæa communicato, vt illa quoq; prout res ferret, fabulæ ſeruiret, miſſis ad Ioabum belli ducem eam in rem literis, Vriam accerſit, neutro quidquam quid ageretur ſuſpicante. Vrias, accepto ab Imperatore commeatu, duce obedientia, innocentia comite feſtinus ſollicitum venit ad regem. Quæſiuitque i aud quam recte ageret Ioab. & populus, & quomodo adminiſtraretur bellum; aliaque his ſimilia; ne ſuſpicari poſſet, quam ob cauſam vocatus

eſſet, & ſimul ſuam illi, erga ſubditos ſuos, prouidentiam commendaret, & ſignificaret non obſcurè, quæ inquireret, Vriæ fiducia priuatim inquirere. Tacetur Vriæ reſponſio, quæ expoſitionem habebat præcipuarum rerum vtrimque geſtarum, ſed eam narrationem Scriptura breuitatis cauſa prætermiſit, eamque breuiſſimè ſuppleuit Ioſephus. *Rex*, inquit, *accerſitum ad ſe ex caſtris Ioabi armigerum, maritum mulieris, Vriam nomine, de exercitu, & quomodo oppugnatio procedat percontatur, quo referente omnia cadere ex ſententia, partes ei de ſua cœna obtulit*, &c. Non male quis dubitauerit Ioabo armigerum fuiſſe Vriam, alium enim Scriptura [a] ſuggerit nomine Naari Berothitem, qui eodem catalogo fortium cum Vria ponitur; forte poſt Vriæ mortem Naari factus eſt armiger.

[Right margin: [illegible]]

[Left margin: An is armiger Ioabi.]

[Right margin: a 1 Par. 11. 39.]

XIV. *Eum dimittit domũ.*

Hoc omni ſermone confecto, intulit Dauid concluſionem, quam maximè intendebat, & dixit ad Vriam, *vade in domum tuam & laua pedes tuos. Et egreſſus eſt Vrias de domo regis, ſecutuſque eſt eum cibus regius*, ſpecie quidem in ſignum ſingularis beneuolentiæ, re autem ipſa vt Hilarius & lautius potu ciboque regio exceptus, ad voluptatem alliceretur, vt Abul. & gloſ. notarunt. Eo etiam ablutio pedum videtur pertinere; præſertim ſi huiuſmodi ablutione balneum, quo totum corpus refouetur, & calefit, intelligatur, vt plerique non improbabiliter putant; niſi quod æſtiuum tempus refrigerationem poſtulat potius, quam calorem; ſed balnea omni ratione ad omne tempus anni temperari poſſunt; & erãt admodum vſitata balnea in illis regionibus, vt pro magna vitæ ſeueritate duceretur balneis non vti. Et Bethſabæam in balneo domeſtico à Dauide viſam exiſtimat Pineda, [b] vt domeſtica commoditas etiam Vriam ſtimularet ad corporis indulgentiam, & vxoriam conſuetudinem. Sed excidit expectatione, ac deſiderio ſuo Dauid. Deus quippe, qui ſtatuerat nota facere, quæ Dauid occultare conabatur, eam mentem iniecit Vriæ, vt id tum maxime auerſaretur, ad quod eum rex omni artificio impellere cupiebat.

[Right margin: Nicol. Gloſ. Hugo. Dionyſ.]

[Left margin: quam non adit.]

[Right margin: b l. 1. c. 4. n. 12.]

XV. *Sed perneſtat ad fores palatii.*

Dormivit *ergo Vrias ante portam domus regiæ cum aliis ſeruis domini ſui*, [c] ordinario ſcilicet ſatellitio, è legionibus Cerethi & Pheleti; quorum aliqui per vices excubabant ad fores regij palatii: *Et non deſcendit ad domum ſuam. Nunciatumque eſt Dauidi à dicentibus*, id eſt reſpondentibus, id enim ſine dubio quæſierat Dauid, *Non iuit Vrias in domum ſuam.* Pupugit is nuncius Dauidem vehementius, quod videret ſpem ſuam, ac conatum irritum fieri; diſſimulans nihilominus, dixit ad Vriam, amica vtens admonitione de nimium officioſa ſui negligentia, *Numquid non de via veniſti?* Et quidem longinqua; Rabbam enim ad quam erant caſtra Dauidica, pluſquam triginta milliaribus vnius horæ Hieroſolymis diſiunctam putat Adrichomius. *Quare non deſcendiſti in domum tuam?* vicinam præſertim, vbi vxorem habes amantiſſimam tui: & vnde abes iam menſes aliquot. Eo porro ferebatur iſta monitio, vt Vrias exiſtimaret vel annuente, atque inuitante rege, vel patris familias officio exigente, ſibi leuiter ſaltem, atque ex itinere inſpiciendam domum, vxoremque ſalutandam, & quod pridie factum non fuit, hodie prætermittendum non eſſe.

[Right margin: c 2. Reg. 11. 9.]

[Left margin: Monetur à Dauide.]

[Right margin: in tab. gener.]

XVI. *Perſtat in propoſito.*

Vrias contra, *Arca Dei*, inquit, *& Iſrael & Iuda habitant in papilionibus; & dominus meus* Ioab, *& ſerui domini mei* regis *ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* O eximiam militis pietatem, & reuerentiam in Deum, & maiores ſuos, & dignam meliore mercede fidem! Hinc autem perſpicuum eſt Arcam Dei Sione in caſtra fuiſſe delatam, quod in ſuperioribus quoque bellis factitatum, ad bene animandum exercitum, non iniuria exiſtimare licet? Non enim minoris momenti ea fuerunt; nec minus neceſſariũ fuit Iſraëlitas diuina præſentia confirmari. [d] Cum arca vero fuiſſe quoque pontificem Abiatharem, aut certe ſacerdotes, qui eam quaſi in ſignum triumphi, certamque ſpem victoriæ circumferrent, exiſtimare licet. Addit autem iuſiurandum Vrias. de non adeunda hoc tempore domo ſua, vt ab hoc propoſito, religione prohibente, non liceat dimoueri.

[Left margin: Arca in caſtris.]

[Right margin: d 2. Reg. 14. 18. & c. 18. 6]

[Left margin: eiuſdem iuſiurandum.]

XVII. *Dauidis cõſiliũ contra illud.*

Ingratvm vtique fuit hoc iuſiurandum Dauidi, & tam conſtans animi propoſitum; nec tamen deſtitit verſare animo conſilium expediendæ, atque exequendæ deliberationis ſuæ. Vide itaque ingenioſum amorem; quod à ſobrio

non potuit obtinere, id ab ebrio ſibi obtinendum putauit. *Mane*, inquit, *hic etiam hodie, & cras dimittam te.* Paruit Vrias, videns ſe breui dimittendum, quò properabat; *Et vocauit eum Dauid, vt comederet coram ſe, & biberet, & inebriauit eum.* Tum vt non recordaretur iuris iurandi ſui, tum vt vino ad hilaritatem ſolutior, domum ſuam atque vxorem adiret. *Venter enim mero æſtuans deſpumat in libidinem*, vt ait Hieron. Non miſit cibos vt pridie, non tam vt eum magis honoraret, quem menſa ſua dignabatur, quam vt ne temperanter alibi cibũ potumque ſumeret, rege autem inuitante, laxius cibum potumq. ſumere cogeretur. *Rex*, inquit Theodoretus, [a] *cum eum rurſus iuſsiſſet manere, conuiuio excepit, frequentique, ac liberali inuitatione, vltra modum coegit bibere, vt irrigata cupiditate vinum eum incitaret ad coniunctionem.* Sed ne ſic quidem potuit verſutia Dauidis conſtantiſſimam voluntatem Vriæ in contrarium diſtorquere. [b] Quamuis enim vino perturbatus, *egreſſus* tamen *veſpere* à triclinio regio, *dormiuit in ſtrato ſuo, cum ſeruis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit.*

a q. 25. in I. 2. Reg.

b Abul q. 14 & 15.

fit irritum

XVIII. *Diuinum in ea re iudicium.*

ECQVIS hic non clare videat iudicium Dei, qui non permittat induci in animum Vriæ adire domum ſuam, in propinquo poſitam, à qua tertium iam, aut quartum menſem aberat; & mox in longinquam regionem ad bellum rediturus erat, indeque forſan, quæ eſt vita militaris, nunquam reuerſurus. Quomodo non veritus eſt, ne vxor, forma & ætate florens ſe contemni arbitraretur, eiuſq; non pietatẽ admiraretur, ſed alienos ſuſpicaretur amores, & cũ illa diceret

Ouid.

Hæc ego dum ſtulte meditor, quæ veſtra libido eſt,
Eſſe peregrino captus amore potes.

Quomodo non timuit commilitonum irriſionem, atque exprobrationem, quod iuuenculæ mulieri commiſſam familiam, negligentiſſimus pater familias obiter ſaltem videre, homo fatuus, ac ſupinus neglexiſſet: nec cogitaſſet quam in partem, aut ſocer, aut ſoceri pater, hanc neglecti officij culpam eſſet accepturus.

XIX. *Conſilium de Vriæ cæde.*

VIDENS ergo Dauid hactenus ſuſcepta conſilia optatum exitum non ſortiri, audax conſilium, atrox facinus, ingratiſſimum ſcelus animo deſtinat, vacuam ſecundis nuptiis Bethſabææ domum, Vriæ morte efficere ſtatuit, & mulieris adulteræ honorem, indigniſſima optimi mariti cæde mercari. [c] *Factum eſt ergo mane*, ab altera nocte qua manſit Vrias Hieroſolymis, & pernoctauit ad fores palatij, cum reliquo regis ſatellitio: & Dauid deſperans induci poſſe Vriam, vt domum ſuam viſeret, qui etiam iureiurando propoſitum ſuum firmauerat, *ſcripſit epiſtolam ad Ioab, miſitq. per manum Vriæ, ſcribens in epiſtola. Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſsimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* Intellexit Ioab Vriam aliquo ſcelere admiſſo contrà regem, mortem eſſe commeritum, velle tamen regem in eum ita animaduertere, vt ſimul eius honori parceretur. Non potuit tamen deſeri à ſociis in prælio, quin illi quoque de regis voluntate admonerentur, ſicque innocentiſſimus Vrias infamabatur apud commilitones; cuius totum crimen erat vxor pulchra, & fatua: quæ cum mox facta eſt Dauidis vxor, tum demum intellectum eſt, quod eſſet Vriæ facinus, quæ Dauidis in illum indignatio.

c 2. Reg. 11. 14.

XX. *Et litera ad Ioabum.*

INDIGNATVS *enim rex*, [d] ait Ioſephus, *ſcripſit Ioabo, vt in Vriam pœnam meritum animaduerteret, modumque puniendi indicauit, ne manifeſtum fieret ſuo iuſſu hoc factum. Iuſsit enim vt qua plurimum periculi eſſet hoſti opponeretur, moxque à ſociis, quo facilius opprimi poſſet, deſtitueretur. His ita ſcriptis, & proprio ſigillo obſignatis, epiſtolam Vriæ commiſit ad Ioabum perferendam.* Vt ſcilicet hæc quoque circunſtantia, criminis augeret indignitatem, vt ipſemet Vrias, ſuæ mortis mediator fieret, & adminiſter. *Abiit*, inquit Theodoretus, *ferens cladium ſuæ cadis*, vt ille quondam Bellerophon, quem finxerunt Græci literas à Præto rege Argiuorum ad Iobatem tuliſſe, vt interficeretur, & quidem propter muliebrem nequitiam. Hinc comicus ille ſeruus:

d l 7. c. 7.

Aha Bellerophontem iam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas detuli, vt vincirer.

Sic Lyſander literas à Pharnabazo attulit ad Ephoros Lacedæmonios aduerſus ſeipſum. Exiſtimat autem Abulenſ. [e] Dauidem, etiam in modo quem elegit

e q. 18. in c. 11.

interficiendi Vriã peccaſſe, quia non potuit ita ab hoſte interfici, quin ſimul alii perimerentur: & quia ex fuga compoſita, audaciam dedit hoſti contra Iſraëlitas, in damnum ipſorum: atque ita mors vnius in multorum caput redundauit.

XXI. *Qui eum morti obijcit.*

Redit ad bellum Vrias cum literis proditoriis, quibus Ioab, qui rem ignorabat, meritoque poterat pro Dauidis innocentia, quem perquam religioſum principem eſſe nouerat, contra Vriam ferre ſententiam illum etiam morti obiicere non dubitauit. Nec tamen culpam vitauit omnem, [a] qui eam vſurparit eius interficiendi viam, quæ cum multorum aliorum morte coniuncta eſſet. *Igitur cum Ioab obſideret vrbem, poſuit Vriam in loco, vbi ſciebat viros eſſe fortiſſimos. Egreſſique viri de ciuitate, bellabant aduerſum Ioab, & ceciderunt de populo ſeruorum* David, *& mortuus eſt etiam Vrias Hethæus.* Ad murum ciuitatis pugnantem occubuiſſe, ſignificauit Dauidi per nuncium Ioab. Præcepit enim nuncio, vt narraret ei. quomodo res tota tranſacta eſſet, priuſquam vllam de Vria mentionem induceret: & addidit, *ſi eum videris indignari, & dixerit, quare acceſſitis ad murum, vt præliaremini? An ignorabatis quod multa deſuper ex muro tela mittantur? Quis percuſſit Abimelech filium Ierobaal?* [b] *nonne mulier miſit ſuper eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? Quare iuxta murum acceſſitis? dices, etiam ſeruus tuus Vrias Hethæus occubuit.* Hactenus Ioab.

XXII. *Pugnæ, mortiſque modus ex Ioſepho.*

Pvgnæ huius, mortiſque modum, nonnihil mutauit, auxitque Ioſephus in hunc modum. *Ioab receptis literis, & cognita regis voluntate, quem locum maxime ab hoſtibus infeſtari ſciebat, in eo collaturus Vriam, adiunctis illi lectiſſimis aliquot militibus pollicitus eſt ſe cum toto exercitu afferre, ſi qua parte muri ſuffoſſa, aditum intra vrbem patefeciſſent:* hoc maius multo erat atque difficilius, quam ad murum accedere; eum tamen acceſſum ita Ioſephus intellexit, aut intelligi voluit non improbabiliter. Pergit autem; *hortatus eum vt exiſtimationi quam tum apud regem, tum apud commilitones ſibi parauerat, reſpondens, libenter potius, quam grauatim iuſſa capeſſeret. Cumque Vrias magna alacritate demandatum munus ſuſcepiſſet, manipulo illi adiungendo clam imperauit, vt cum primum, occurrentibus hoſtibus, vrgeri hominem viderent, deſerto illo, in tutum ſe reciperent. Itaque cum Hebræi feciſſent aſſultum ad mœnia, veriti Ammanitæ, ne ab illa parte hoſtis murum occuparet, fortiſſimus quiſque recluſa repente porta magno impetu erumpunt. Quod vbi viderunt qui circa Vriam verſabantur, memores Ioabi mandatorum, vno agmine ſeſe retrorſum receperunt, Solus Vrias, quod puderet, contra quam promiſerat, aſſignatum locum non tueri, in ſe ruentes ſuſtinuit, ferroque exceptos interemit non paucos, donec circumuentus cum aliquot aliis, quos ignaros conſilii, pudor idem in officio continuerat, non inultus occubuit.* Sic ipſe.

XXIII. *Obiter emendatur.*

Qvæ ſane de fortiſſimo viro valde probabiliter dicere potuit. Sed illud quoque in Scriptura mutauit, quod cum exemplum Abimelechi ad murum occiſi a Ioabo allatum fuerit, ipſe Dauidi tribuat, & quod ille exempli cauſa in omnẽ euentum attulerat, vt ſi illud vel ſimile quidpiam attuliſſet Dauid, haberet nuncius quid reſponderet, ipſe quaſi reipſa à Dauide vſurpatum narret. Et cum nullum in Dauide, ex accepto nuncio, iræ veſtigium appareat; ſed quidam potius conſolationis affectus, ipſe obiurgantem exhibeat, atque indignabundum. Illud autem in mandatis Ioabi, ſeu monitis nuncio datis animaduertendum, *Prudens ordo narrandi.* differri eum voluiſſe mentionem mortis Vriæ ad narrationis finem, quoniam ea ad placandum Dauidem inducebatur, qui eam mandauerat: & culpam Ioabi, ſi qua imprudentia commiſſa videbatur, non ſolum excuſabat, ſed in meritum, ac laudem obſequii conuertebat, qui imprudenter agere, non ſine ſuo, ſuorumq; damno voluiſſet, vt is occumberet, quã Dauid interfici voluiſſet. Nam Ioabo nonnulla temeritas, & imperitia belli à militibus tribui potuit, quam viri fortes inutili morte luiſſent.

XXIV. *Dauidi mors Vriæ nunciatur.*

Abiit ergo nũcius, & venit, & narrauit Dauidi omnia, quę ei pręceperat Ioab. *Præualuerunt*, inquit, *aduerſum nos viri*, id eſt, eruptione facta, vehementi impreſſione irruerunt in nos in campum. *Nos autem facto impetu perſecuti eos ſumus, vſque ad portam ciuitatis, & direxerunt iacula ſagittarii ad ſeruos tuos ex muro deſuper, mortuique ſunt de ſeruis regis; quin etiam ſeruus tuus Vrias Hethæus mortuus eſt.* Apparet ſeruatum à nuncio narrationis ordinem à Ioabo præſcriptũ; [c] noluit enim ſtatim à principio nunciari mortem Vriæ, ne iuſtam daret nuncio, aliiſque qui

[a] Abul. 2. Reg. 11. q. 19.

[b] Iud. 9. 53.

[c] Abul q. 20.

audirent, ſuſpicionem, eam à Dauide mandatam; præſertim ſi is illa audita, lætitiam aliquam, quod facile erat, in conſecutione rei valde deſideratæ, ac neceſſariæ, præ ſe tuliſſet; quæ temperata, ex præmiſſo nuncio mortis aliorum, facilius tegebatur, ne ſuſpicioni daretur locus. Apparet quoque viſos ſtratagemate Ammonitas, vt quoniam videbant Hebræos, longius extra teli iactum ſe continere; eos ad ſe facta eruptione pertraherent, parata interim è muro telorum procella, quam commode in ſubiectos, nullo pene irrito telo, effunderent.

ET dixit Dauid ad nuncium. *Hæc dices Ioab, Non te frangat iſta res, varius enim euentus eſt belli, nunc hunc, & nunc illum conſumit gladius. Conforta bellatores tuos ad uerſus vrbem, vt deſtruas eam, & exhortare eos.* Sapiunt hæc animi male voti compotis lætitiam, ſed breui in acerbum luctum cõuertendam: ſapiunt politicum, vt vocant, ingenium, vafrum & callidum, & ad fucum faciendum affabre factum. Simulat triſtitiam Ioab, diſſimulat lætitiam Dauid, & in vnius optimi viri proditoria cæde, de multorum interitu facile conſolatur; à quorum etiam ſanguine vtique non mundus fuit, vt ex Abul. dixi. Certe Caiet. multorum homicidiorum reum fuiſſe Dauidem affirmat, & propterea poſtea pœnitentem in ſua oratione dixiſſe, *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. uſſit*, ait Ioſephus, *Ioabo renunciari, vulgare eſſe id incommodum, nec à natura belli alienum, cuius hæ ſint vicißitudines. Debere tamen eum in poſterum cautius rem adminiſtrare, & aggeribus & machinis expugnatam vrbem ſolo æquare, & habitatores eius ad vnam neci dedere.* Cum his mandatis nuncius ad Ioabum properè ſe recepit. XXV Quid Ioabo Dauid reſponderit.

n. 10.

a 2. Reg. 11. 26. AVDIVIT *autem vxor Vriæ, quod mortuus eſt vir ſuus, & planxit eum.* [a] Quam diuturnus fuerit hic luctus non conſtat. Caietanus diuturnum putat more nobilium matronarum; ex quo etiam effectum ait, vt Dauide non ducente in vxorem Bethſabæam, niſi tranſacto luctu, vt ait Scriptura, illa breui tempore poſt nuptias pariente, publicatum fuerit adulterium. Annuum etiam fuiſſe viduæ luctum recte notauit Pineda, [b] ex conſtitutione Theodoſij de ſecundis nuptiis. *Si qua ex fœminis perdito marito intra anni ſpatium alteri feſtinauerit nubere, paruum enim tempus poſt decem menſes ſeruandum adiicimus, probroſis inuſta notis, honeſtioris, nobilioriſque perſonæ decore & iure priuetur.* Adiicit Imperator tempus bimeſtre, ad decem antiquos menſes, quibus conſtabat annus; eo enim aucto, vult & tempus luctus augeri. Videtur autem alludere ad primum faſtorum Ouidij, vbi agens de anno Romuli decem menſium, ait XXVI. Bethſabææ breuis plãctus, an diuturnus?

b l. 1. de Sal c. 4. n. 6. c. 2.

Quod ſatis eſt vtero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere coniugis vxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

EXISTIMO tamen propter illam ipſam Caiet. rationem tempus luctus Bethſabęæ non diuturnum fuiſſe. Quare enim tanto ſtudio, imo & tanto facinore quęſiuiſſet Dauid tegere adulterium, & honorem Bethſabęæ vulgo conſeruare. nũc autem ceremonia minus neceſſaria retineretur, & ſuum omne ſtudium irritum reddi pateretur. Ideoque Abul. [c] ſeptem aut paulo plures dies in luctu eam tranſegiſſe putat, iuxta conſuetudinem Hebræorum, & Sapientis præceptum ex [d] ſapientum vtique conſuetudine, *Modicum*, inquit, *plora ſuper mortuum, quoniam requieuit*: & mox, *luctus mortui ſeptem dies. Non quod non liceat diutius,* inquit Ianſenius, *mortuum lugere, ſed quod ſatis ſit ſeptem diebus*, quot ſcilicet ſolebant nuptialem celebrare lætitiam, vt ex libro Tobiæ [e] intelligi poteſt, quos etiam geminatos propter inſigniorem lætitiam habes in eodem libro. [f] Ioſeph. ait ευχιαὶ ὁ μέγας, luxiſſe, multos dies, quos triginta æſtimare poſſumus, quot diebus Moſem & Aaronem Iſraëlitæ planxerunt aut deinceps alios claros viros: quamquam non eadem videtur ratio viduarum, ad quarum conſuetudinem alludens Ioab, dixit mulieri Thecuitidi, [g] *lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo, vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum.* Et illud Sapientis, amicis dictum videtur, non viduis. XXVII Nõ videri.

c 2. Reg. 11. q. 21.
d Eccl. 21. 11
e Tob. 11. 21
f c. 8. 23.
g 2. Reg. 14. 2.

BREVE tamen tempus vſq; ad Bethſabęæ cum Dauide nuptias interceſſiſſe, idẽ Ioſephus oſtendit, cum ait; *vbi verò à mœrore & lacrymis deſtitit, ſine mora eam rex coniugem ſibi aſciuit,* Non ait poſt legitimos viduitatis menſes, ſed poſt legitimos XXVIII Idque confirmatur ex Ioſepho.

& Theod. mœroris & lacrymarum dies. Breuem etiam luctum putauit Theodoretus, [a] cũ ait; *Deinde poſt illius mortem, mulieris luctus fuerunt nuptiæ* τὸ πένθος τῆς γυναικὸς, ὁ γάμος ἐγένετο, quaſi dicat parum aut nihil temporis luctui attributum. Erat & alia cauſa minuendi luctum, autore Feſto, cum honos in familiam veniret, tenuioris ſcilicet conditionis mulieribus, in ſplendidiorem familiam immigrantibus, quod vocabant innubere; [b] & vice verſa enubere, cum in humiliorem nubendo tranſibatur: cum ergo maximus accederet honos familiæ Bethſabææ, regalium interuentu nuptiarũ, quibus illa ad regni cõſortium euehebatur, facile intelligi poteſt eam lege ſolutam fuiſſe: aut ſi qua tum vigebat conſuetudo apud Hebræos, quæ legis inſtar eſſet, à rege in cauſa ſua, aut à pontifice in gratiam regis vi ſua fuiſſe priuatam, ad hoc tempus, præſenſque negotium.

XXIX. *Eam ducit Dauid.* Lvctv igitur quantulo tempore honeſtè, & decore fieri potuit, breuiter *tranſacto, miſit Dauid* nuncios, ad requirendum ſpecie tenus, & ad vſurpationem conſueti ritus, viduæ conſenſum in nuptias, eoque non ægrè obtento, *introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor.* Eas nuptias Theodoretus vocat illegitimas, ſiue vt alij vertunt, nefarias, ὃν ἐχρῆν μετὰ τὸν ἄδικον φόνον θρηνεῖν καὶ στένειν, οὐ γάμων ἀνόμων ἀπολαύειν, *quem oportebat poſt iniuſtam cædem lugere ac gemere, non illegitimis nuptiis aſſentiri.* Non illegitimas vocat; quod irritæ eſſent, nullaque vi ſubſiſterent, ſed quod malis artibus, ac per nefariam cædem coaluiſſent. Non enim lege Moſaica antiquabantur nuptiæ, quas præcedens adulterium conciliaſſet. Itaque licet cum culpa contractum fuerit matrimonium, [c] & quidem tanta, vt Theodoretus, & Procopius non dubitarint aſſerere, [d] Deum magis ſuccenſuiſſe Dauidi ob matrimonium, quam ob prius admiſſum adulterium: *Nam illud quidem* inquiunt, *erant vehementiſſimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat; hoc autem habet etiam rationis aſſenſum.* Firmum nihilominus, ac validum fuit, proptereaque & liberi deinceps ex Bethſabæa ſuſcepti, legitimi. [e]

XXX. *An cum culpa.* Dici etiam pro Dauide poteſt, eum huius matrimonij cauſa, ſecluſis quæ antegreſſa ſunt, accuſandum non videri. Non enim lege vetitum fuit viro, mulierẽ à ſe adulterio pollutam ducere: & altera ex parte ratio exigebat, vt mulieris famæ, cuius erat occultum facinus, conſuleretur; quo patefacto ex legis præſcripto lapidibus erat obruenda. Sed & iniuria delibati pudoris, ſi qua tamẽ volenti facta erat iniuria, aut certe occiſi mariti reparabatur. Nec obſtat quod dicitur in Scriptura, *& introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei vxor, peperitque ei filium, & diſplicuit verbum hoc quod fecerat Dauid coram Domino.* Non enim iſtius offenſionis obiectum eſt, introducta vxor, non magis quam partus filij, ſed cauſa horum, ſcilicet cædes & adulterium; omnia tamen hæc, per modum vnius culpæ cõgeruntur. Idemque de ſequenti obiurgatione prophetæ dicendum eſt. [f]

XXXI. *An cum celebritate.* Non fuiſſe autem has nuptias, quamuis regias, mirumque in modum deſideratas, admodum celebres, facile intelligi poteſt, tum ex aliarum iam vxorum multitudine; erant illæ iam minimum ſex præter concubinas; [g] tum præſertim ex admodum recenti prioris mariti morte, & his quæ has nuptias fuerant antegreſſa, quæ vtriuſque lætitiam, vellicante vt par eſt credere, ac mordente conſcientia, temperabant; ſequitur enim culpam ille mœror natura ſua; etſi abſit tum, vt in Dauide, de offenſo Deo cogitatio, vt ſequentia demonſtrabunt. Eam quippe præſentis delectationis, quamuis iam deguſtatæ, vehementia, obruebat; imo prior illa delibatio magis accendebat cupiditatem rationis expertem, vt in negotio Dinæ & Sichem iã pridem agnitum fuit. [h] Interea Ioab vrgebat obſidionem Rabbæ, quam non niſi ſequenti anno captam, ſeries ſacræ narrationis oſtendit; à qua religio eſt ſine neceſſitate diſcedere.

a q. 25. in 2. Reg.
b Vide Pined. l. 1. c. 4.
c ca. 12. v. 9.
d q. 25. in l. 2 & Ado. 23 in c. 11.
e Vide Pin. l. 1. c. 5.
f 2. Reg. 12. v. 9. & 10.
g 1. Par. 3. & 2. Reg. 3. 2. c. 5. 13.
h Gen. 34.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2998. DAVIDIS 19.

1.N.VII. HEbraicè in 2. Reg.11.3. habetur אליעם Eliam, in 1.Paral. v.5. עמיאל Ammiel. Græcè priore loco Ἐλιάμ, poſteriore Ἀμιήλ. breui vocali in longam verſa. Latine quoque iidē characteres ſeruantur, niſi quod geminatur m. propter hebræum daghes. Sed iſte anagrammatiſmus fortaſſe fortuitus eſt, vt ille, *Henry de Vallon Roë. Louyſe de Lorrhayne.* nomen vxoris in nomine viri. Nam etiam aliqui alterum prædictorum ſuſpicantur fuiſſe nomen matris: quod ſi grammatica patitur, ratio denominationis non repugnabit, pleriq; enim à matribus denominantur, vt Ioab & fratres eius, vt Adonias, & Saphatia, &c. eandem metatheſin agnoſcunt Caluiſ. &c.

1.N.IX. Tam peruerſo ſunt iudicio aliquando rabbini, vt in meridiana luce caligent. Ecce enim Dauidis peccatum cum Bethſabæa non agnoſcunt, quod eam fingant accepiſſe libellum repudii ab Vria in bellum eunte. Sed tota eos Scriptura mendacii coarguit, vt copioſe docet Abul. q. 8. in c. 11. lib. 2. Reg. Sed eundem miror non repudiare illam eorundem fabulam, quæ extat apud Epipha. initio libri de vita & interitu prophetarum, de Nathan præſcio peccati Dauidis (2 Reg. 11. q. 11. & in c.12. q.1. refert eandem Comeſtor. l.2. c. 12. & alii poſt eum) committendi cum Bethſabæa, & dum iret ad eum monendum & impediendum, in via incidiſſe in hominem mortuum, nudum humi iacentem, quem cum ſepelit, nocte proxima Dauid commiſit adulterium. Quod ille cognoſcens rediit in patriam. At iret ſaltem poſtridie vt eum moneret de culpa admiſſa, & impediret ſecutum homicidium, nec ad annum fraternam correctionem propheta negligeret. Itaque Iſidorus in vita Nathan nihil tale habet.

ANNVS MVNDI 2999. DILVVII 1343. QVINTÆ ÆTATIS 60. EXITVS AB ÆGYPTO 456. ARCÆ IN SIONE 10. REGNI DAVIDIS 20. ABIATHARIS PONTIF. 25. TROIÆ EXCISÆ 128. EVPALIS 9. IMPERII ASSYRIORVM. 1068.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1054.

SOPITA pene vel dormitante peccati memoria, Dauid multos iam menſes illius dulcedine fruebatur, ſed mox diuina ſuperfundente ſe miſericordia, vitiatæ radicis amariſſimos fructus deguſtare cæpit. Nam Bethſabæa, quæ breui poſt mortem Vriæ facta eſt Dauidis vxor, decurſis puerperii menſibus peperit ei filium. [a] *Et diſplicuit verbum hoc, quod fecerat* Dauid *coram Domino.* Nec tamen præ ſe tulit offenſionem ſuam, & vindictæ exigendæ voluntatem, donec natus eſt ex adulterio filius. Tunc enim miſit Dominus [b] Nathan prophetam ad Dauidem; idque ex eius extrema oratione clarum eſt, vbi dicitur filium, qui ei recens natus fuerat, in vltionem peccati morte moriturum. Videtur autem hic Bethſabææ partus ſub initium veris contigiſſe. Nam vt ſupra diximus, ſub initium veris, quando ſolent reges ad bella procedere, abiit Ioab cum Vria ad Ammonitas; tribus deinde, quatuorue poſt menſibus concepit ex Dauide mulier. Si enim modico poſt viri diſceſſum tempore concepiſſet, facile poterat adulterium latere, nec in eo occultando tantum fuiſſet Dauidi laborandum. Exierit ergo Vrias à Paſchate menſe martio, conceperit Bethſabæa extremo menſe Iunio: nonus menſis paſchalibus feriis vertentis anni terminabitur; qui eſt præſens Dauidis vigeſimus, quo natus eſt puer. Magno vtique patris gaudio, vt ex ſubſecuta triſtitia, & deſiderio retinendi ipſum in viuis agnoſcitur. Quo quid enim magis diligitur, hoc maiori cum mœrore, luctuque perditur.

I. *Ortus filij adulterini.*

Et ratio temporis.

a 2.Reg.c 11.27.
b 2.Reg.12. 1.

II. Mittitur Nathan ad Dauidem.

Vt eum arguat in parabola.

IN noua igitur nouæ, eiuſdemque dilectiſſimæ vxoris prole, lætitia perfuſus incedebat Dauid; & in eius argumentum conuiuia fortaſſe, ludoſque cogitabat; cum per viſum nocturnum monitus Nathan, vt ait Ioſephus, [a] miſſu Domini ad regem venit; & comminatione numinis, ac ſententia ad tempus diſſimulata, blanda illum oratione ſub parabolæ formam aggreditur; vt in alieno exemplo, ſuam ipſe culpam magis agnoſceret, atque damnaret. Audi Theodoretum. [b] *Aliter*, inquit, *in aliis cernimus peccatum, & aliter mala noſtra aſpicimus; vnde non ſimiliter nos & alios iudicamus. Nam in aliis quidem iuſtam ferimus ſententiam, ſæpe etiam aliam plagam inferimus. Ipſi autem delinquentes, aut mentis ſenſum omnino eijcimus, aut videntes peccatum veniam damus. Ea de cauſa diuitis & pauperis fabulam compoſuit Propheta.* Sic Theodoretus. Ei parabolæ pleræque editiones græcæ præmittunt, ἀνάγγειλον δή μοι κρίσιν. *renuncia*, aut *reſponde mihi iudicium*; id eſt iudex eſto in controuerſia, quam tibi proponam; & habentur in latinis codicibus nonnullis: ea tamen verba in latinis emendatis, aut editione Romana Septuaginta interpretum non habentur, ſicut neque in hebræo textu, neque in paraphraſi chaldæa.

[a] l. 7. ant. c. 7.

[b] q. 25. ſub med. Regia. Aldin. Vechel. Baſil.

III. Parabola Prophetæ.

Parabola ipſa hæc eſt. *Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues & alter pauper: diues habebat oues, & boues plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum, cum filiis eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens: eratque illi ſicut filia. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe.* Hactenus parabola: cuius qui particulas ſingulas, rei quæ agitur, accommodare conantur, inutili ſe, ne dicam inepto labori dedunt; cum ſatis ſit eam recte conuenire in eo ad quod declarandum aut probandum aſſumitur, in demonſtranda videlicet iniuria, quam intulit Dauid Vriæ, cuius vnicam accepit vxorem, propriis quibus abundabat neglectis. Cætera decoro ſeruiunt, neque anxie eorum ſignificatio, aut accommodatio exquirenda. Pauper erat Vrias præ Dauide rege, & emerat Bethſabæam, dotem ei antiquo ritu tribuendo, quæ familiariter cum ipſo vt vxor verſabatur; Nec male peregrinus aduentitiæ cupiditati confertur, quæ ſatiari deſideret; ſed filiorum mentio ex abundanti eſt ad parabolæ venuſtatem; neque neceſſe eſt cum Rabinis priores aliquas Vriæ nuptias propterea comminiſci.

Vt rei conueniat.

IV. Dauidis ſententia in diuitè parabolicum.

IRATVS *autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan, viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum,* 1. *eo quod fecerit verbum iſtud, & non pepercerit.* Prodit ſtatim hæc oratio iuſtitiæ & æquitatis amantem principem, & acrem iniuriæ vindicem, vt qui hominem iſtum quamuis opulentum, & videlicet amicis abundantem, reum mortis pronunciet, & quidem adhibito etiam iureiurando. Caietanus affirmat, nec diſſentit Abul. hanc ſententiam, ex magno affectu effuſam, hyperbolice accipiendam eſſe. Neque enim diuina lex [c] furem morte afficit, ſed furem ouis damnat pœna quadruplici. Idque res ipſa reſpondens parabolæ confirmauit: neque enim Dauid hac de cauſa mortuus eſt, etſi mortem Vriæ propria morte luere merebatur; pro illius tamen morte mortui ſunt Dauidi quatuor filii, primus fuit filius adulterinus, quem percuſſit Dominus, alter Amnon quem Abſalon interfecit; tertius Abſalon qui à Ioabo occiſus eſt; quartus Adonias, quem frater eius Salomon iuſſit interfici. Adde etiam pro corrupta vna Bethſabæa, permiſiſſe Dominum vt decem eius concubinæ, à filio ipſius nefario ſcelere, publicoque polluerentur.

1. 2.

in exp. tex.

[c] Exod. 22. v. 1.

V. In ipſum retorquetur

HAC prolata à Dauide ſententia, qua ſe ipſe morte damnarat, & quidem eo iuſtiore, quo maius erat crimen adulterium homicidio cumulatum, oue vel ſublata vel rapta & occiſa, quantumuis ea eſſet Domino ſuo in deliciis: Subintulit Nathan, *Tu es ille vir*, contra quem ſententiam mortis tute protuliſti: ſed audi vice verſa Domini tui aduerſum te ſententiam. *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & vxores Domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael & Iuda;*

& ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multo maiora. Quare ergo contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo? Vriam Hethæum percuſſiſti gladio filiorum Ammon; & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum, eo quod deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt eſſet vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis, in oculis ſolis huius. Tu enim feciſti abſcondite. Ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis.

& pœna vtriq; criminis denunciatur.

VI. *Propheta artificium regem occupantis.*

Vide hic eximium Prophetæ artificium. In primis enim Principis animum, reprehenſionum, vel accuſationum inſolentem, hominis præſertim ſibi ſubditi, ſuaui ſimilitudine circumuenit, vt huiuſmodi comparatione introducta, in aliena re ſuam agnoſceret, & in minore culpa maiorem æſtimaret, & nihil minus cogitans fieret iudex, & condemnator ſui. Ne excuſare vt homo, aut diſſimulare poſſet peccatum ſuum; ne prætendere innatam ad libidinem propenſionem, ne tentationis vehementiam, animum caligine obcæcantem, corpus quaſi admotis facibus ſuccendentem; ne regiam potentiam, quæ ſibi licere omnia facile credit, quaſi diuinis ſimul, humaniſque legibus ſolutam. Ne deliciarum vſum, qui pronam & decliuem viam ſternit ad nequitiam; ne otium molliens animum, & efficiens reſiſtendi pene impotentem: ne primam aſpiciendi ſimplicitatem minime curioſam, quæ impræmeditata incurrit in laqueum. Nedenique illecebras obiecti ſpecioſiſſimi, atque delicioſiſſimi; & id genus alia, quæ hominum iudicio culpam ac pœnæ reatum plurimum diminuunt.

Ne excuſet.

VII. *Et peccati grauitatem demonſtrãtis ob ingratitudinem.*

Secvndo peccati grauitatem demonſtrat ex perſona Dei, contra quem in primis peccauit, cui tam multis magniſque beneficiorum nexibus obligatus eſſet: quorum ſingula redderent ingratiſſimum. Primum quod electus, & vnctus eſſet in regem maximi, nobiliſſimique populi, cum vitam degeret ruſticanam, fratrum minimus, & contemptiſſimus. Deinde quod toties de manu Saulis ereptus, qui omni contentione animi corporiſque, in eius interitum incumbebat:
1. in quo beneficio tot ſunt beneficia, quot capitis diſcrimina; & toties Dauidi
2. Dominus vitam dedit, quoties eam illi conſeruauit, & operam dedit ne amitteret.
3. [a] Tertio quod in eius arbitrio, & poteſtate dederit Saulem inimicum ſuum; quod eius quoque familiam, vt eam perdere, ac conſeruare poſſet, bona fiſco ſuo addicere, vxores ſi vellet accipere nemine repugnante. Neque enim fas eſt exiſtimare Dauidem vxoribus ſoceri ſui abuſum eſſe; præſertim cum vna earum eſſet Micholis mater, quæ eum primo gradu affinitatis attingebat; & qui tale crimen operatus eſt, viuus iubetur ardere in lege Moſis. [b] Accedit quod Saule moriente omnes vetulæ eſſent. Saul enim moriens filium natu minimum reliquit quadragenarium,[c] vt ſupra diximus. In lege tamen tale connubium non reperitur prohibitum.[d]

An Dauid acceperit vxores Saulis.

[a] Lyran. & Abul. q. 3. in c. 12.

[b] Leu. 20. 14.

[c] 2. Reg. 2. 10.

[d] Leu. 18. & 20.

VIII.
4. Exprobrat quarto quod beneficio ſuo factus ſit rex Iuda primum, id eſt tribus omnium maximæ, atque nobiliſſimæ: deinde quinto poſt annos ſeptem, aut
5. paulo amplius, omnium tribuum pacificum imperium obſtinuerit. Addere potuit ſexto fructuoſiſſimam dominationem, in nationes omnes circumquaq; poſitas, quas ei Dominus reddiderat vectigales. Quam omnem Dei beneficen-
6. tiam comitabantur gloria, diuitiæ, potentia, amici, & cætera, quæ ab homini-
7. bus maximi fiunt. Septimo addere potuit eximia corporis eius, animique dona, robur, ſanitatem, pulchritudinem, vitæ & regni diuturnitatem, gratiam & affabilitatem, ingenuos mores: magnitudinem animi, manſuetudinem, patientiam, iuſtitiæ zelum, animi demiſſionem, Dei timorem, pietatem, prophetiæ donum, prudentiam &c. quæ eum Deo atque hominibus amabilem reddiderant.

Exprobrat etiam alia beneficia.

IX.
8. Addit octauo eximium beneficium: beneuolum videlicet, ac beneficum in eundem animum, etiam poſt tam grauia crimina perſeuerantem. Qua Dei charitate tam inopinata, perfoditur ſine dubio ingenuus animus pudore ingratitudinis, in talem dominum. Quem enim credimus Dauidis, qui ſortitus erat animam bonam, animum fuiſſe ad illa verba, *& ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multo maiora.* 2. Produnt enim animum qui in benefaciendo omnibus abunde ſatis-

Propenſio Dei ac ad benefaciendũ Dauidi.

2. ex.

faciat, ſibi autem ipſi nunquam ſatisfaciat, animum in profundendis bonis infinitum, atque infatigabilem: animum qui amici beneuolentiam omni precio redimere, omni artificio conſeruare velit. Hæc autem multo maiora intelligi poſſunt fidei, ſpei, charitatis, gratiæ diuinæ, & meritorum incrementa, tum æternæ gloriæ in cœlo poſſeſſio; tum denique quod eum Meſſiæ parentem facturus ſit, quod beneficium quingentorum regum perpetua ſucceſſione æquari non poteſt: cum electorum omnium princeps Chriſtus Dominus eum in omnem æternitatem patrem agnoſcet, patrem vocabit, honorabit vt patrem, & naturali in parentem beneuolentia proſequetur.

X. *Grauitas peccati aliis ex capitibus oſtenditur.*

Tertivm orationis caput eo pertinet vt crimen ipſum prodatur, eiuſque magnitudo aliquo modo æſtimari poſſit. Nam ne quo modo negari poſſet occultum crimen, oſtendit Propheta id ſibi notum eſſe, cum etiam modum interfectionis Vriæ in crimen vocet: Ex quo etiam epiſtolam, & ſcribendi intentionem diuinitus ſibi fuiſſe patefacta demonſtrat. Ipſum autem crimen exaggerat;
1. primo quod factum ſit in conſpectu Dei, nihil reuerita talis, tantique Domini præſentia: quæ verba aculeum acerbiſſum Dauidis animo infixerunt. Vnde eorum memor in ſua lamentatione dicebat, *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.*
2. Secundo ex ipſa peccatorum grauitate: ſunt enim duo peccata omnium eorum maxima, quæ in proximum admitti poſſunt; ſed accuſat etiam nouum matrimonium, cui aditus per immania ſcelera patefactus eſſet; quod in lege Chriſti non ſolum damnabile, ſed irritum etiam atque inualidum iudicaretur.
3. Tertio ex modo facinoris, quod per proditionem gladio impiorum Ammonitarum occiſus ſit.

4. XI. *Ex data occaſione blaſphemãdi.*

Qvarto quod occaſionem dederit infidelibus Deum blaſphemandi, & de eo male ſentiendi, qui populo ſuo regem dederit adulterum & homicidam; quaſi huiuſmodi ſcelera nihili faciat. Ex hoc autem non ſequitur iam peccatum vulgo notum fuiſſe, atque etiam ad exteras quoque nationes fama penetraſſe: ſed id factum dicitur, cuius iam cauſa producta eſt.

5. *Ex perſona Vriæ.*

Addere potuit quinto perſonæ Vriæ qualitatem, quod vir primarius ſupra notam adulterii ſibi turpiter inuſtam, dum negotium publicum gerit, etiam nefarie deſertus ſit, vt periret; Vir inſuper fortiſſimus, & vnus de electis inter tam multas bellatorum myriadas, qui fortes Dauidis glorioſo titulo dicerentur, [a] quique præ cæteris benemeriti eſſent de rege ſuo. Fortes enim Dauidis ad ipſum iampridẽ aggregati erant, [b] etiam Saule viuo, vt ſuo loco explicatum eſt [c] vir innocentiſſimus; vir eximiæ aduerſus Deum, & regem ſuum pietatis. Sed ab his exaggerandis propheta abſtinuit, & ea reliquit ipſi cogitanda, ne forte abundantiore triſtitia cor peccatoris abſorberetur. Quæ autem Abulenſis [d] hic in gratiam Vriæ contra Dauidem præter morem declamet, vide apud ipſum.

[a] 2. Reg. 23.39. & 1. Paral. 11 41
[b] 1. Reg. 22. & 1. Par. 11. & 12.
[c] an. Saul. 12 nu 121. & ſeq & an. 13. nu. 6 & deinceps.
[d] q. 5. in c. 12. li. 2. Reg.

XII. *Pœna peccati multiplex.*

Qvarto explicat Propheta Nathan imminentes admiſſi peccati pœnas, quæ non ſolum pœnæ ſint, quas infliget Dominus, ſed etiam culpæ, quas permittet, & quidem in filiis, atque domeſticis.
1 Primum ergo denunciat gladium pro gladio ſtringendum, domeſticum pro Ammonitico, & pro bello exigui temporis, ſempiternum. Vix enim lucida quædam pacis interualla, excepta periodo regni Salomonis, in tota regum, filiorum
2. Dauidis poſteritate, à bellis immunia reperiuntur. Deinde prænunciat a-
3. miſſionem vxorum multarum, pro vnius acquiſitione. Tertio manifeſtum peccatum multiplex in pœnam vnius occulti, vt qui exprobrabilem fecit Vriam vitiata eius vxore, ipſemet reipſa in omnium oculis confundatur.
4. Quarto mortem filii adulterini prædicit, quæ intra ſeptimum diem conſecuta eſt; vt quamprimum inciperet guſtare amariſſimum calicem vini furoris Domini.

XIII. *Dauid culpam agnoſcit.*

David autem his auditis dixit ad Nathan, *Peccaui Domino*; Idem videtur dixiſſe Saul, cum eſſet in minore culpa. nec tamen audiuit à Samuele, *Dominus tranſtulit peccatum tuum; ſed proiecit te Dominus ne ſis Rex ſuper Iſrael.* [e] Sed nimirum alia mens, alius ſenſus Dauidis, alius Saulis fuit. [f] Hic enim timore & dolore humano affectus eſt, ille diuino. Hunc in eam vocem

[e] 1. Reg. 15. 26.
[f] vide Abul. q 5. in c. 12. 1. Reg. fine.

impulit amor ſui, qui nō facinus admiſsū exhorret, ſed imminētē pœnā: nec diuinū honorē violatū gemit, ſed ſuum, vnde dicebat, *honora me coram ſenioribus populi mei*: illum diuinus amor ad eā peccati agnitionem & deteſtationē adduxit. Quam expoſitionem euentorum in vtroque rege diuerſitas perſuadent. Sed qui dedit hunc ſenſum & ſpiritum Dauidi, decimum iam menſem in gemino peccato, & vtroque grauiſſimo obſordeſcenti, eum Sauli minora peccanti non dedit. An quia Dominus eſt, & quod bonum eſt in oculis ſuis facit? Hinc nihilominus clare agnoſcitur, quam ſit neceſſaria, quamque efficax diuina gratia ad peccatoris conuerſionem; cum talis tantuſque vir, nouem ipſos menſes in ſtatu peccati, quaſi graui ſomno oppreſſus manſerit, manſurus vtique totidem annos, imo totam æternitatem, niſi gratia præueniens hominem excitaſſet, quæ puncto temporis impium mutauit in iuſtum, & vile mancipium Satanæ reddidit filium Dei.

An vt Saul.

Gratia vis,

XIV *Vitam obtinet, & veniam. Ex Ioſepho.*

PRIVSQVAM vero Nathan reuertatur in domum ſuam, promittit regi fore, vt non moriatur ipſe in pœnam peccati huius; quod ille non ſine cauſa formidabat, qui gladium perpetuo in ſua domo ſæuiturum audiuerat: & ex lege diuina oculum pro oculo, dentem pro dente, animam pro anima rependi norat, filium tamen eius ipſius loco moriturum, & patrem in filio punitum iri, in re ſibi chariſſima. Eam promiſſionem, ſicut & culpæ agnitionem Ioſephus amplificat in hunc modum. *Territo per hanc denunciationem rege, vehementerque perturbato, & cum lacrymis fatente ſe peccaſſe in Deum: erat enim vir pius, & qui hoc vno excepto, in tota vita nihil admiſerat, placatus Deus recepto in gratiam promiſit & regnum, & vitam ei ſeruaturam ſe eſſe; poſt pœnitentiam enim non amplius ſe iraſci.* Verum ſi iraſci dicitur Dominus cum punit, tota ira ſupererat, cum tota punitio, quam comminatus erat Nathan, luenda remaneret. Sola enim culpa per contritionem ſublata erat, & pœna æterna in temporariam fuerat commutata; vt quotidie in peccatorum iuſtificatione contingit.

XV. *Ex S. Auguſtino.*

QVANTO elegantius ſanctus Auguſtinus [a] *Quid aliud*, inquit, *quam cordis eius profunda cernebat ſpiritus* Dei, *quando correptus per prophetam dixit. Peccaui: continuoque ad hoc vnum verbum audire meruit, quod acceperit veniam? Ad quam rem, niſi ad ſempiternam ſalutem. Neque enim prætermiſſa eſt in illo ſecundum Dei comminationem flagelli paterni diſciplina, vt & confeſſus in æternum liberaretur, & afflictus temporaliter probaretur.* Audiamus & ſanctum Ambr. [b] *Ille rex tantus ac potens, nec exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam*, poſtquā videlicet à propheta reprehēſus fuit, *ſed præmatura confeſſione, atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino. Quem mihi nūc facile reperias honoratum, ac diuitem, qui ſi arguatur alicuius culpa reus, non moleſte ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinitus probatus oraculis, cum à priuato hoomine corriperetur, quod grauiter deliquiſſet, non indignatus infremuit, ſed confeſſus ingemuit, culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimus mouit affectus, vt Nathan diceret, Quoniam pœnituit te, & Dominus abſtulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ profundam regis fuiſſe pœnitentiam declarauit, qua tanti erroris offenſam traduxerit.* Sic Sanctus Ambroſius 3.

a l. 22. contra Fauſtum c. 67.

b Apol. Dauid c. 2.

Et S. Ambroſio.

XVI. *Ægritudo infantuli.*

PERCVSSIT porro *Dominus paruulum, quem pepererat vxor Vriæ Dauid, & deſperatus eſt.* Febricula videlicet nutu Domini infantulum corripuit, & in vltimum vitæ diſcrimen adduxit, medicis de eius vita deſperantibus. Exiſtimauit Dauid, qui iam incredibilem expertus erat Dei erga ſe bonitatem, in recipiendo ipſo in gratiam, & vita ſibi, qui tam grauiter peccarat, largienda, eundem ipſum Deū non difficilem fore, in mutanda ſententia contra innocentem lata. Sed decidit ab expectatione ſua, *Deprecatus eſt*, inquit Scriptura, *Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit* DAVID *ieiunio, & ingreſſus ſeorſum iacuit ſuper terram. Venerunt autem ſeniores domus eius cogentes eum vt ſurgeret de terra, qui noluit, nec comedit cum eis cibum.* Habes hic luctum Dauidis, ad impetrandam infantulo ſuo vitam, non obſtante prophetica denunciatione mortis; neſciebat enim abſolutam, & irreuocabilem ſententiam à Deo latam eſſe; ſed piarum orationum, & afflictationum corporis interuentu, reuocabilem putabat, vt fere contingit.

Et Dauidis pro eo preces.

XVII. *Aliaque pia opera.*

ITAQVE cum iam ipſe per pœnitētiam diuinæ gratiæ reſtitutus eſſet, eam erga filium ſuum miſericordiam conatus eſt bonis operibus promereri, vnde dicebat. *Quis ſcit ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans?* Et primum intentam, fer-

2. uidam & continuam orationem ad Deum adhibuit. Secundo ieiunium rigidum ac ſeuerum; quod illa iteratione verbi ſignificatur, *& ieiunauit ieiunio.* Ioſephus ait eum per ſeptem dies à familiaribus induci non potuiſſe, vt cibum vllum deguſtaret. Verum id Scriptura non dicit, imo contrarium ſignificat: non
3. enim ait eum non comediſſe cibum, ſed non comediſſe cum eis. Tertio lecto abſtinuit, vigilia ſeſe affligens; & ſi quid opprimenti ſomno indulgendum fuit, *tacuit ſuper terram.*

4. XVIII. *Solitudo lugentis.*

QVARTO domeſticorum conſuetudine, & amica familiaritate ſeipſe priuauit. Id enim ea verba ſignificant, *ingreſſus ſeorſum*, licet vocem *ſeorſum* declarationis cauſa interpres addiderit, præter hebræum & græcum: in quibus eſt Dauidem veniſſe, ingreſſum eſſe, quod eſt incedere, & inambulare; ſolitarie vero, & ſeorſum id factum eſſe. tum ipſa rei conditio exigit, tum illud indicat, quod domeſtici & familiares ad eum veniſſe dicuntur, quibuſcum Dauid non comederit. Publico etiam caruiſſe illud docet, quod notatum eſt eum poſtea
5. *Veſtitus lugubris.* veniſſe in domum Domini. Quinto veſtitum, & cultum regum à ſeſe abiecit, & lugubria veſtimenta induit, quæ mox poſt ſeptimum diem dicitur depoſuiſſe. Ioſephus ait eum atratum & ſacco amictum humi iacuiſſe, μέλαιναν ἢ [illegible] ποτει ἐπὶ σάκκου κατὰ γῆς ἐκεῖτο. Et Septuag. in aliquibus libris habent ἐκοιμήθη ἐν σάκκῳ ἐπὶ τῆς γῆς.
6. *Dormiuit in ſacco ſuper terram.* Sexto ſordidatus reorum in morem perdurauit, lotione & vnctione intermiſſa. Sed hæc omnia Dominus maluit in ſatisfactionem culpæ parentis ipſius, quam in filii vitæ impetrationem admittere.

XIX. *Moritur infans,*

ACCIDIT *autem die ſeptima vt moreretur infans: timueruntque ſerui Dauid nunciare ei, quod mortuus eſſet paruulus. Dixerunt enim: Ecce cum paruulus adhuc viueret loquebamur ad eum, & non audiebat vocem noſtram; quanto magis ſi dixerimus mortuus eſt puer, ſe affliget? Cum ergo Dauid vidiſſet ſeruos ſuos muſſitantes, intellexit quod mortuus eſſet infantulus, dixitque ad ſeruos ſuos: Nam mortuus eſt puer? Qui reſponderunt ei. Mortuus eſt.*

In primam iuſtamque parentis pœnam.

Prima adulterii caſtigatio fuit mors adulterini pueri. Et quidem iuſta. Conueniebat enim infantem furtiuo concubitu acceptum, furi quam primum eripi, & omnium Domino reddi, nec diu frui fructu nequitiæ ſuæ. Theodoretus [a] ait Deum infantem recens natum morti tradidiſſe, quoniam viuus erat futurus argumentum ſceleris, pii alioqui regis, ac prophetæ: in eoque curam eius honoris Deum geſſiſſe, quem nolebat tota vita huic confuſioni, atque opprobrio expoſitum eſſe. *Ex iniquis enim ſomnis* vt ait Sapiens, [b] *filij qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.*

a q.36 in 2. Reg.

b Sap. c. 4. v. 6.

XX. *Dauidis æquanimitas,*

NEQVE vero modica eſt Dauidis laus, quod diuinæ ordinationi ita acquieuit, vt explorata per filii mortem eius voluntate, ſtatim omnem animi mœrorem, quantum potuit abſterſit, omnia ſigna luctus depoſuit, & ad communem, ſolitamque vitæ conſuetudinem rediit. Nam vt ait Scriptura, *Surrexit Dauid de terra, & lotus vnctuſque eſt; cumque mutaſſet veſtem ingreſſus eſt domum Domini, & adorauit, & venit in domum ſuam, petiuitque vt ponerent ei panem, & comedit.*

An infans fuerit circumciſus.

Non eſt omittendus hoc loco dies mortis infantuli huius: habet enim dubitationem, vnde initium numerandi ſumendum ſit cum dicitur, die ſeptimo eum fuiſſe mortuum, à natiuitate ne, an ab ægritudine? Caietanus & Vatablus à natiuitate putant: ſicque Dauidi maximam lugendi cauſam relinquunt, ſi ſine circunciſione deceſſit, & expers factus eſt beatæ ſpei redemptionis æternæ, deletuſq; ex albo filiorũ Dei. Sin autẽ ſeptem dies ab ægritudine numerentur, magnum habuit Dauid conſolationis argumentum. Idque multo probabilius eſt: quæſtio enim erat de ægritudine, qua percuſſus fuit à Domino, & non de vita; itaque ſeptem dies ægrotaſſe, non vixiſſe cenſendus eſt; quæ eſt ſententia Abulenſis. Dionyſius ait quorundam eſſe ſententiam licuiſſe, in mortis periculo, octauum diem circunſionis cauſa anteuertere.

XXI. *An Dauid templum adierit.*

ALTERA dubitatio eſt de ingreſſu Dauidis in domum Domini, in aulam videlicet illam, in qua collocata erat arca Domini, in ciuitate Dauid. Appparet enim violatam ab eo legem, quæ vetat immundos adire tabernaculum Domini; [c] erant enim immundi, qui in luctu fuerant, aut adierant tabernaculũ immundi. [d]

c Leuit. 16. [illegible]

d [illegible] 22 & 21 [illegible] c. 12. 2. Reg.

Verum

Verum neque Dauid planxerat ſuper mortuo, ſed ſuper viuo, ſtatim enim atque intellexit puerum mortuum ceſſauit à luctu. Quin ne plorando quidem ſuper mortuo contraxiſſet immunditiam, niſi exeundo ad exequias, vellendo capillum, ſcindendo veſtes, tangendo, aut comitando funere; nam Aaron [a] filios ſuos incendio mortuos in ſanctuario, fletu proſecutus eſt, nec tamen tanquam immundus abire iuſſus eſt è loco ſancto. Tabernaculum porro mortui, dicitur ratione deſerti, in quo lex data eſt,[b] in vrbibus autem fuit cubiculum, in quo ille iacebat; neque enim totam domum funeſtabat mortuus. Dauid autem non eſt ingreſſus cubiculum mortui, ſed manſit foris, vbi à ſeruis ſuis didicit mortuum eſſe puerum: ſicque nullam incurrit immunditiam.

[a] Leu.10.
[b] Nu.19.14

ITAQVE aulici Dauidis non mirati ſunt, quod adierit Dauid domum Domini; ſed quod pro mortuo non eiularet, qui viuentem fleuerat. *Quis eſt ſermo*, inquiunt, *quem feciſti? propter infantem cum adhuc viueret ieiunaſt', & flebas; mortuo autem puero ſurrexiſti, & comediſti panem.* Quibus reſpondit Dauid, *Propter infantem dum adhuc viueret, ieiunaui & fleui, Dicebam enim, Quis ſcit ſi forte donet eum mihi Dominus, & viuat infans? Nunc autem quia mortuus eſt, quare ieiunem? Numquid potero reuocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me.* Quæ dum dixit, nequaquam de animorum immortalitate, aut corporum reſurrectione dubitauit. Sed pro certo habuit Deum non exoratum iri, vt mortuum vitæ reſtitueret, qui tot tamque incenſis deſideriis flexus non fuiſſet, ad vitam, quod facilius videtur, in corpore retinendam. [c] Accedit quod nullum adhuc extabat exemplum, mortui ad vitam, viuentium precibus reuocati. Quin & illud telum facile eſt Caluiniſtis eripere, de non ieiunannando pro mortuis: non enim ieiunamus vt illi ex mortuis reſurgant, ſed vt à peccatis, ſiue peccatorum ſoluantur pœnis; quæ infantulo mortuo non debebantur, vt qui eſſet in ſinu Abrahæ, quo ſe iturum Dauid ſperabat, vbi pœnas peccatis ſuis debitas exoluiſſet.

[c] Abul. q. 15 in c. 12. l. 2. Reg.

SED num ſolus Dauid pro ſalute pueruli orauit, fleuit, ieiunauit, in luctu, ſordibuſque iacuit? Imo vero pœnitentiæ huius, pro naturali in filium amore, haud dubie particeps fuit Bethſabæa, quantum tamen diſpoſitio puerperæ permittere potuit. Propterea enim ait Scriptura Dauidem conſolatum eſſe Bethſabæam vxorem ſuam, vt ipſa quoque diuinæ diſpoſitioni de cõmuni filio acquieſceret. Refert Abulenſis [d] Hebræorum traditionem de Bethſabæa, quæ cum vehementer de infantuli huius morte doleret, metueretque ne ſi quos deinceps ex Dauide ſuſciperet filios, ſimili morte præriperentur, decreuiſſet à Dauidis conſuetudine prorſus abſtinere. Dauidem vero operam dediſſe; vt falſam hanc ex eius animo ſuſpicionem, ac timorem eriperet: itaque diuinum illi oraculum expoſuiſſe, ac iureiurando affirmaſſe fore, vt quem primum ex ipſa filium ſuſciperet, non ſolum vitalis, ſed fortunatiſſimus etiam mortalium eſſet, ſibique in paterno regno hæres ſuccederet: quæ fuit magni ſolatii cauſa grauiſſima, & dolori præſenti abſtergendo accommodatiſſima.

[d] q. 25 in c. 12. 2. Reg.

EANDEM traditionem vero ſimillimam Pineda [e] quoque exiſtimat; & probabilitatem quoque accipit ex initio tertii Regum,[f] vbi Bethſabæa, à Propheta Nathan admonita, reuocat in mentem Dauidi, iuſiurandum ab eo editum in gratiam Salomonis eius loco regnaturi. *Domini mi*, inquit, *tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo.* Neque enim alio in loco reperitur hoc iuſiurandum. [g] Neque ex eo quod nominatur Salomon, conſequens eſt hoc iuſiurandum factum eſſe Bethſabeæ, poſt eum natum: additur enim ibi nomen à matre, & à propheta declarationis cauſa; quaſi dicat mulier, iuraſti de filio mihi naſcituro, quem natum vocauimus Salomonem. Putat etiam idem Pineda, Bethſabæam vota nuncupaſſe pro filio hoc tum ſuſcipiendo, tum feliciter in tantam ſpem, & gloriam educando. Idque colligitur ex iis quæ Salomon ipſe in matris ſuæ perſona recitat in prouerbiis, quibus illa filium ſuum blande compellat. [h] *Quid dilecte mi? quid dilecte vteri mei? Quid dilecte votorum meorum?* quæ in Hebræis æque, ac Græcis, Latiniſque leguntur.

[e] l. 1. de Salom. c. 6.
[f] l. 3. c. 1. v. 17.
[g] Torniel. a. m. 2995. nu. 2.
[h] Prou. 31.

RECTE etiam dici poteſt hoc ſeptiduo, quo precibus, ieiuniiſq; vacabat Dauid,

& publico abſtinebat, nobiliſſimum illum ac celebratiſſimum cecinitſſe pſalmum, ordine quinquageſimum. [a] Eius enim titulus, cuius, ſicut & reliquorum, Eſdram autorem fuiſſe volunt, teſtatur eum à Dauide factum, *cum venit ad eum Nathan Propheta*, [b] *quando intrauit ad Bethſabee.* Qui pſalmus videtur explicatio eorum, quæ rex animo voluebat, quando acerbiſſimo cordis dolore ictus, Prophetam obiurgantem tacitus audiebat; quæque deinceps gementi & oranti occurrebant: in cuius expoſitione Mazarinus noſter elaboratiſſimum conſcripſit opus, quod prius Romanis auribus de ſuperiore loco dederat, vt nil ſit quod hic à nobis pius lector, præſertim præter inſtitutum, requirat. Illud potius hic ſuggeramus, non immerito videri plerìſque, in quibus Theodoretus, pſalmum ſextum ad hoc ipſum tempus pertinere. Et certe nullum eſt tempus cui illa conuenientius aptentur. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Nunquam enim ſcelus aliud admiſit Dauid, cui iſtæ tam vberes lacrymæ deberentur.

[a] Pſal. 50.

[b] Septuag. ὡς εἰσῆλθε.

XXVI. Morbus Dauidis.

IANSENIVS enim, grauis in primis, & eruditus interpres, *Correptus*, inquit, *graui morbo Dauid, quem ob ſtuprum cum Bethſabaa, & homicidium Vriæ à plerìſque incurriſſe putatur, ardentiſſime à Deo precatur ſanari, mortem plurimum horrens, metuenſque ne per eam gloria Dei aliquatenus obſcuretur, & inimicis eius impiis occaſio detur, de eius interitu gloriandi. &c.* Inimici autem, de quibus meminit in eo pſalmo, accipi poſſunt Ammonitæ, contra quos Ioab bellum gerebat hoc ipſo tempore. Quod ſi quis dicat non potuiſſe timere mortem, qui nunc audiſſet à Propheta, *Non morieris*, facile reſponderi poteſt, Dauidem, etiam fide promiſſis propheticis non negata, potuiſſe eius vaticinium de morte violenta interpretari. Gladii ſiquidem tantum propheta meminerat, in vltionem gladii, quo Vrias occiſus fuerat, & qui perpetuo in domo Dauidis graſſaturus erat: ſicque etiam mortem ex morbo potuiſſe probabiliter formidare. Huic pſalmo initium eſt, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Eam correptionem morbum interpretatur; ſubdit enim, *Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.* Forte autem ex intentiore ieiunio, vigiliis, & reliqua pœnitentiæ aſperitate, morbum Deo permittente contraxit, vt etiam infirmitate corporea, iniuſta corporis delectatio puniretur.

XXVII. Edidit nunc Pſal. 31.

PSALMVS item trigeſimus primus, qui ad pœnitentiam quoque pertinet ad hoc tempus non immerito ſpectare creditur: idque plerique aſſerunt, in quibus Theodoretus, Ianſenius, Lorinus & alii. Illud certe ad hoc tempus videtur maxime pertinere, vt ſignificat Theodoretus, quo agnouit Dei in venia peccatoribus largienda promptitudinem, quando vix emiſſa voce confeſſionis culpæ, audiuit, *Deus quoque tranſtulit peccatum tuum.* Hic autem conſentaneè tam acceleratæ veniæ, *Dixi*, inquit, *confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; id eſt culpam, qua offenditur Deus, & debita erga eum pietas violatur, remanente tamen pœna peccati; quod Theodoretus de diminutione pœnæ interpretatur.

& 37.

Pſalmus etiam trigeſimus ſeptimus aperte loquitur ægritudinem, quam propter hoc ipſum peccatum contractam vel immiſſam à Deo, interpretes fere ſentiunt. *Non eſt*, inquit, *ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum. &c.* Nullæ aliæ Dauidis adhuc iniquitates fuerunt, quibus hæc verba conuenire poſſent; nec apparet aliud tempus ægritudini conuenientius. Illud quoque *Miſer factus ſum, & curuatus vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar*; vel vt Hebræi habent, *atratus*, ſiue, *pullatus ingrediebar*; quod in hoc tempus quadrare, ſupra cum Ioſepho dictum eſt.[c]

[c] num. 17.

XXVIII. Recepta ſanitate gignit Salomonem.

RECVPERATA deinde ſanitate, & compos facti petitionis illius, *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*; diuini promiſſi memor circa filium naſciturum, qui eximiis Dei donis, ac priuilegiis futurus eſſet inſignis, & confirmata, vt diximus Bethſabæa, genuit ex ea filium, cuius natiuitas neceſſario in annum ſequentem cadet. Cum enim dixerimus natiuitatem filii adulterini ſub extremum Martium incidiſſe: nemo credo prudenter negauerit, luctum quandiu ille ægrotauit, & poſtquam defunctus eſt, & Daui-

dis ægritudinem, & diſpoſitionem mulieris ad iteratam conceptionem, facile duos menſes tenuiſſe. Nã ex lege mulieres 40. diebus immundæ cenſebãtur, quo tempore nefas erat à viris adiri. Extremo ergo Maio, vel vere ad finem labente Salomonem conceptum fuiſſe, magna cum probabilitate dici poteſt, ad ſequentem ergo annum eius natiuitas differatur. Eam ad quadriennium quidam differunt, quod velint tres Salomonis fratres ipſo natu grandiores fuiſſe, qua de re diſputatum eſt à nobis ſuperius [a] decimo Dauidis anno. 4.

[a] an. Dauidis 10 n. 2. 3 & ſeqq. 4. ✗.

XXIX Tempus expugnatæ Rabbath.

DVM hæc Hieroſolymis aguntur, Ioab militiæ Dauidicæ princeps obſidionem Rabbath, vrbis primariæ Ammonitarum, conſtanter, ac feliciter vrget, ſic vt expugnationem regiæ ciuitatis certam ac propinquam agnoſcat; quando honori regis ſui fauens, eum ad exploratam victoriam vocat. Contigiſſe hanc expugnationem poſt mortem adulterini filii, tum ſeries ipſa narrationis ſcripturæ ſignificat, tum illa Toſtati ratio; [b] quod Dauid, nondum placato Deo, non auſus fuiſſet ad bellum aduerſus Ammonitas proficiſci, ratus ſe calamitatem aliquam, pro deſiderata victoria, ab irato Deo accepturum. Torniellus quoque [c] hanc victoriam morte pueri poſteriorem facit. Itaque vltra vnum annum durauit obſidio, contra ſolitam Dauidis felicitatem; nimirum peccatum Dauidis moram attulit victoriæ; & dum Ammonitarum manu Vriam ſuſtulit, eos aduerſum ſe reddidit fortiores; Mox autem regis pœnitentia hoſtem afflixit, ac penitus perdidit; res in hunc modum à Scriptura narratur.[d]

[b] q. 17 in c. 12. 2. Reg.

[c] an. 4. ætat. 452. n. 3.

[d] 2. Reg 12. 26.

XXX. Vnicã vrbem fuiſſe.

IGITVR *pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat vrbem regiam. Miſitque Ioab nuncios ad Dauid, dicens dimicaui aduerſum Rabbath, & capienda eſt vrbs aquarum.* Hæc in hebraico textu per præteritum offeruntur; *Pugnauit Ioab, & cepit vrbem regiam*; quo etiam modo habent Septuag. & chaldæus paraphraſtes; verum eadem eſt ſententia. Hebraica enim phraſi factum dicitur, quod proximum eſt vt fiat, vel certiſſime futurum eſt, qui loquendi modus frequentiſſimus eſt in Prophetis; latine quoque dicimus perii, actum eſt, *vixi & quem dederat curſum fortuna peregi.* [e] Et aperta ratio hanc expoſitionem exigit. Si enim expugnata erat ciuitas, fruſtra vocabatur Dauid, vt gloriam expugnationis obtineret. Scio aliquos Rabbath ab vrbe regia diſtinguere, & vrbem regiam iam captam dicere, non autem Rabbath. Sed id non ſatis probant, cum hactenus vnius tantum vrbis facta ſit mentio, quæ vocatur Rabbath, & dicitur à Ioab obſeſſa, [f] quomodo ergo Ioab vnam ciuitatem obſedit, & aliam cepit?

[e] Æne. 4.

Vatab. Eman. Sa.

[f] c. 11. 1. & 16.

XXXI. Nec bipertitam.

ALII vero, in quibus Caiet. & Serarius, vnam quidem aiunt fuiſſe ciuitatem, ſed diſtinctam in partes duas, quarum exterior vocabatur ciuitas aquarum, quæ pars à Ioabo capta fuit; interna autem portio reſtabat, quam ſcilicet Ioab Dauidi reſeruauit. Verum editio vulgata ne hanc quidem diſtinctionem admittit, & nihil adhuc in ea vrbe captum aperte ſignificat. Et id foret contra intentionem Ioabi, qui totam gloriam captæ vrbis regi ſuo reſeruabat, non partis vnius duntaxat. Atque ita ſentit Abulenſis, [g] eadem eſt Ioſephi mens[i], & Lyrani, gloſſæ, Dionyſii, Hugonis, &c. Rabbath igitur ciuitas Ammonitarum regia cum alterum iam annum obſideretur, nec vltra obſidionem, & impreſſionem Iſraelitarum ferre poſſet, & iam forte de deditione, aliquibus conditionibus modificata per internuncios ageretur, miſit Ioab qui dicerent imminere expugnationem vrbis aquarum; quæ ſcilicet ſe inexpugnabilem iactabat, eo quod plurimis aquis, aut locis paluſtribus cincta eſſet, ideoque Hebræorum conatus irritaret, atque eluderet, vt plerique cum Lyrano tradiderunt; vel potius quod torrens Iaboc eam circumflueret, vt Serario & Adrichomio [h] placet, qui ortus ex Arabiæ montibus, regionem Ammonitarum terminat, & influit in Iordanem. Idemque ſignificat Hieron. in locis hebraicis. 5.

[g] q. 17. in c. 12. 2. Reg.

Dionyſ. Gloſſa. Hugo.

Vrbs aquarum vnde dicta.

[h] in tribu. Gad n. 13 & 37. 5. ✗.

XXXII. Ioab euocat Dauidẽ ad victoriæ laudem.

NVNC *igitur*, inquit Ioab, *congrega reliquam partem populi*, ſiue exercitus, *& obſide ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vaſtata fuerit vrbs, nomini meo aſcribatur victoria.* Poterat quidem, cum copiis quas ſecum habebat, vrbem in poteſtatem redigere, voluit tamen Dauidem ſecum nouas adducere copias, nẽpe vt probabile fieret Regem, cum nouo exercitu aduenientem, ciuitatem

XITVS Æ GY- ... AN. 56.

CLADES AMMONITICA.

expugnaſſe, quod alioqui minus credibile foret. Quo autem in ſtatu eſſet obſidio cum aduocatus eſt Dauid, ita deſcribit Ioſephus. [a] *Interea Ioabus*, inquit, *Ammanitas acri obſidione premebat, præciſis aquæductibus*, qui ſcilicet à torrente Iaboc per occultos cuniculos in vrbem deriuabantur, *& commeatibus interclusis, vt fame ſimul & ſiti laboraretur. Ab vnico enim puteo ſpes eorum pendebat, ac ne hoc quidem ad ſatietatem vtebantur, parce aquam diſpenſantes, ne forte in totum deficeret. Hæc Ioabus per literas regi ſignificauit, hortans vt ad excidium vrbis ipſe veniret, & hunc quoque titulum victoriis ſuis apponeret*: vides rationem à Ioſepho datam, cur Rabbath aquarum vrbs diceretur: fame autem aut ſiti in ea laboratum, non habeo dicere, vnde didicerit à Scriptura certe non didicit. a l. 7. ant. c. 7.

XXIII. Capitur vrbs, ac datur in prædam.

CONGREGAVIT *itaque Dauid omnem populum, & profectus eſt aduerſum Rabbath, cumq; dimicaſſet cepit eam*; Hebræus ſignificat apertius non prodiiſſe ad certamen ciues, ſed Hebræos in vrbem irrupiſſe, & in ipſo aditu, reſiſtente pro viribus Ammonita, dimicatum eſſe, denique victoriam Dauidi ceſſiſſe, totamque vrbem in poteſtatem veniſſe. Addit Ioſeph. eum militi diripiẽdam permiſiſſe, neque enim ſolius regis præda fuit, ſicque intelligendum videtur, quod ſequitur, *prædam aſportaſſe ciuitatis multam valde*: Eo enim congeſſerant Ammonitæ omnia ſua, tanquã in loco tutiſſimo. Regis autem in primis præda fuit corona pretioſiſſimis gemmis ornata 6. ſiue diadema, aut regis, aut idoli Ammonitarum; id enim ambiguum eſt; Nam duorum locorum ſcripturæ, in quibus eſt huius rei mentio alter [b] pro rege facit, in quo vox Melchon, quaſi appellatiuum nomen ſumitur, & vertitur, regis eorum: alter [c] pro idolo, quod vox Melchon, quaſi proprium nomen retineatur. In Hebræo autem vtrobique eadem dictio eſt; quæ in græcis [d] vtrobique retinetur, addita nihilominus interpretatione βασιλέως αὐτῶν exceptis regiis & Complut. Priorem ſententiam amplectitur Ioſephus [e] nullumque hic proprium agnoſcit nomen Melchon, ſequitur & Abulenſis [f] Caiet. Arias Pagninus, Vatablus. Quibus fauet illa ratio, quod ſpolia idolorum non liceret accipere, [g] quodque maioris ponderis eſſet illa corona, quam vt à Dauide ferri poſſet, puta vnius talenti, id eſt 125. librarum, vt ab Epiphanio æſtimatur, ſiue trium millium ſiclorum.

6 χ. Dauid coronam accipit, regu ne.

b 2. Reg. 12. 30. c 1 Par. 20. 2. d Aldi, Sixti, Baſil Venet. e l. 7 ant. c. 7. f q. 19. in c. 12. 2. Reg. g Deuter. 7

XXIV. An potius idoli.

POSTERIOR ſententia videtur probabilior, quæ agnoſcit in 2. Regum interpretationem ſumptam loco nominis proprii. Nam ſanctus Hieronymus in traditionibus Hebræorum in eum locum ita legit, *& tulit diadema Melchom de capite eius*; & ſubdit, *Melchom interpretatur rex eorum. Rex eorum vocatur Idolum eorum, quod hic vocatur Melchom; cuius diadematis aurum & gemmas conflaſſe & purgaſſe dicitur Dauid ſecundum legem, & feciſſe ſibi inde diadema.* Eodem modo & legit, & interpretatur locum [h] primo Paralipomenon, idem Hieronymus, quem ſecutus eſt Lyranus vtroque in loco, & Comeſtor in hiſtoria ſcholaſtica, Dioniſius, Hugo, Adrichomius,[i] Pineda libro primo & ſeptimo de Salomone [k] Villalpandus in parte ſecunda apparatus vrbis & templi, capite trigeſimo tertio. Quin & Abulenſis ipſe à priore diſcedens, hanc quæſtione octaua in caput vigeſimum, primi Paralip. amplectitur; quibus libenter ſubſcribo, cum pro hac opinione euidentior ſit Scripturæ ſententia: quæ ait Dauidem tuliſſe *diadema Melchon de capite eius.* Nimirum geſtabat Melchon in delubro ſuo coronam in capite, quam Dauid dicitur abſtuliſſe. At Rex Ammonitarum in vltimo vitæ diſcrimine poſitus, longe aberat à tali ornamento gloriæ circumferendo, quo proderetur, qui lateret, & ignotus eſſe cupiebat; quam ne ferre quidem poſſet, ob ponderis grauitatem. Quod autem Græci tam Melchom, quam vocis eius interpretationem retinuerunt, quaſi Rex Ammonitarum diceretur Melchom, mendo vacare non videtur. Rex enim Ammonitarum vocatur Hanon filius Naas non autem Melchom.

h c. 10. i in trib. Gad n. 17. k l. 1. c. 3. 19 & l. 7 c. 11. n. 1. & 7.

XXV. Num in eo Dauid legẽ violarit.

AT enim lege diuina prohibebatur Dauid huiuſmodi coronam de idolo accipere, legitur enim [l] *Sculptilia eorum igne combures, non concupiſces argentum & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quidquam, ne offendas & cætera.* Reſpondet Lyranus, hæc de idolis Chananæorum dicta eſſe; in quibus non cenſebantur Ammonitæ: nec odia amplianda ſunt, ſed reſtringenda. Abulenſis [m] exiſtimat id de idolis vniuerſe accipiendum eſſe propter eandem

l Deut. 7. 25. m q. 12 in c. 01 Pa

periculi rationem in accipiendis idolis, ſiue Chananæorum, ſiue aliarum gentium. Exiſtimat ergo ipſa idola aurea & argentea non potuiſſe retineri, quæ eorum cultum, aut memoriam renouarent, eorum tamen ornamenta, vt torques, annulos, coronas accipi potuiſſe: quod in his nullum reſideret ad idolorum cultum incitamentum; forma præſertim mutata; vt in hac corona factum eſt. Dici etiam poteſt, ex eo fine legis, qui additus eſt, *Ne offendas*, intelligi poſſe mentem legis fuiſſe, non parcendum idolis quamuis aureis, & argenteis, propter materiæ precium, aut elegantiam formæ, quia ſic offendiculo eſſe poſſent; ſed conflata, atque in alios vſus conuerſa, puta in numeratam pecuniam auream & argenteam, offenſionem creare non poſſent; ſicque non videretur contra mentem legiſlatoris fieri.

VIDE autem acumen Hebræorum, dum dictam interpretantur legem, ſatis enim eam obſeruari putant, ſi quis donaria idolorum aliena rapiat manu, non ſua. Nam Sanctus Hieronymus in eorum tradit. *Illicitum*, inquit, *erat de idolis aliquid auri appetere, aut argenti Iudæis per legem. Sed, vt ipſi tradunt, Ethai Gethæus* (Hic eſt qui Dauidem fugientem in ſeditione Abſalonis ſecutus eſt, [a]) *qui de gente Philiſthinorum ad Dauid venerat, ipſe diadema diripuit in capite Melchom, vt liceret Hebræo de manu hominis capere, quod de capite idoli non licebat.* Sed errant quoque in hoc Ethai Gethæo; qui hoc tempore non erat cum Dauide. Nam in illo ciuili bello, quod trigeſimo Dauidis anno, id eſt poſt decennium contigit, vt ſuo loco dicemus, dictum eſt ei à Dauide, *Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi.* Quomodo heri, ſi ante decem annos venerat ad Dauidem? Hæc nihilominus Rabinorum fabula confirmat ſententiam diadematis idoli Melchon, qui & Melcham, & Moloch ab Hebræis, à Septuag. μολὼμ dici ſolet: quem nonnulli volunt eundem eſſe cum Saturno. Eius ſtatuam enormis fuiſſe magnitudinis quidam [b] ex Diodoro Siculo referunt, vt ei corona maior, quam pro humano capite tribuenda videatur; id tamen Diodorus non habet [c], ſed tantum æneam fuiſſe ſtatuam, quæ protenſa brachia, manuſque ſupinas deorſum vergentes haberet, in quas infantes impoſiti, in ſubiectos ignes delaberentur.

XXXVI. Rabbini refelluntur.

a 1. Reg. 15. 19.

Statua Melchom.

b Lud viues in 7. de ciu. Dei c. 19.
c L. 20. Bibl.

ACCVSATVR autem Dauid crudelitatis hoc loco, quia, vt Scriptura loquitur, [d] *populum vrbis Rabbath adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitq; cultris, & traduxit in typo laterum*; 7 quibus ſimilia habentur in 1. Paral. [e] Et ſenſus eſt aliquos fuiſſe ſerra diſſectos, alios ſuppoſitos ferratis carpentis 8 contritos, ac contrucidatos, alios gladiis, ſiue ſecuribus truncatos; alios denique traductos per fornacem lateritiam, vt Vatablus explicat, vt ignibus ibi vſtularentur, & additur, ſic factum fuiſſe vniuerſis ciuitatibus filiorum Ammon. Quæ videntur longe acerbiora, quam pro peccato, ſupplicia: & ad plures, multo, quam culpam admiſſam pertinere. Reſpondet Theodoretus, [f] *Recordari oportet*, inquit, *eorum quæ auſi ſunt aduerſus Iſraelem: dexteros enim oculos eis effoderunt, & alias eorum crudelitates docent prophetæ. Pares ergo iis, quæ admittere auſi ſunt, pœnas luerunt.* Verum neque hi oculos effoderant, neque patres eorum; ſed rex eorum eam deditionis conditionem obtulit: quæ in rem non eſt redacta. At hæc ſupplicia longe grauiora ſunt; & pœnam talionis hic potius valere decuiſſet. Quæ autem prophetæ de Ammonitis referunt, multis poſtea ſeculis contigerunt; Nec pœnam delicto anteuertere par eſt, ne patres pro filiis, & innocentes pro reis puniantur; contra quam diuina lege præſcriptum eſt.

XXXVII Accuſatur Dauid crudelitatis.

d 2. Reg. 12. 31.

e c. 20. v. 3.
7. χ.
8. ex.

f q. 20. in c. 2. Reg.

Reſponſio Theodoret. improbatur.

ALII ad Dauidis ſeueritatem excuſandam, eo confugiunt vt dicant, Dauidem ita ſe geſſiſſe in exemplum; ne populi circumquaque poſiti auderent iura gentium, & naturæ contra Hebræos violare. Verum, vt erudite notauit Abulenſis, [g] etſi animaduerſiones, & ſupplicia publice in exemplum inferuntur, non licet tamen in exemplum maiora inferre ſupplicia, quam peccata mereantur; ſatiſque eſt vt tota pœna, quæ admiſſo facinori ex æquo reſpondet, ſine vlla diminutione, aut indulgentia inferatur. Culpa autem valde magna fuerat. Primum quia legatos maximi regis, & in vniuerſo oriente clariſſimi ſummo dedecore, ac probro affecerant, hoc autem culpa maior eſt, quo in maiorem peccatur. Deinde pro benefactis, aut certe bene merendi voluntate

XXXVIII. Alia defenſio. etiam improbata.

g q. 11. in c. 20. 1. Paral.

grauis Ammonitarū culpa.

CASTIGATIO AMMONITARVM.

maximis contumeliis affecerant. Tertio quod vicinos contra Dauidem populos, regeſque concitarant; quod quartum iam annum [a] contra eum, per ſe, ſuoſque bellum gerebant; quod & damna hominum, & ſumptus pecuniarum, quæ bella comitari ac ſequi ſolent, plurima intuliſſent, nec mature ad veniam, ac ſatisfactionem debitam confugiſſent. a ab an Dauid 17.

DICAMVS quoque cum Lyrano & Dionyſ. hæc ſupplicia non toti populo, ſed aliquibus de ſingulis ciuitatibus illata fuiſſe: iis videlicet, qui authores fautoréſue fuerant iniuriæ, & contumeliæ Dauidis legatis illatæ; quorum quia veſtes medias ignominioſe diſſecuerant, medii ſerris diſſecari meruerunt: & quia cultris & nouaculis eorum capita abraſerant, iure cultris & gladiis, capite aut aliis etiam membris truncati ſunt. Quod ſi curribus, vt fieri ſolet, vel trahis impoſitos legatos circumduxerant, & aulicis, totique populo deridendos exhibuerant, ferratis curribus & carpētis merito ſubſterni & conteri potuerunt. Et cum Ammonitæ in ſuis ſacrificiis Deo Moloch, ſiue Melchon offerendis crudeliſſimi fuiſſent, vt qui ſuos infantes per ignem traducere, vel inter brachia candentis Idoli concremare ſoliti eſſent, vt ait Kimius Dauid, merito & ipſi per incenſam fornacem traducti, aut in eam etiam coniecti fuerunt. Poſtremo fas non eſt Dauidem crudelitatis accuſare, quem ſcriptura eo nomine nunquam reprehendit: fortaſſe quod ſi qua pœna exuberantior fuit, Ioabo potius, quam Dauidi tribuenda foret.

NON omnes autem Ammonitas his affectos ſuppliciis; neque gentem totam exciſam, ex ſequentibus ſatis conſtabit: etſi Gelenius dicat in Rabba omnes ad vnum interemptos; nec mitius alias Ammonitarum vrbes tractatas, cum parimodo expugnatæ fuiſſent. Nam poſt annos circiter decem, cum Dauid fugeret à facie Abſalonis, Sobi filius Naas Ammonitarum ſiue rex, ſiue princeps Dauidi affuit. Et hunc fuiſſe Hanonis fratrem, qui hoc tempore vel bello cæſus, vel prædictis ſuppliciis affectus eſt, idem patris nomen oſtendit, dicitur enim *Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon.* [b] In cuius etiam gratiam videtur Dauid regnum conſeruare voluiſſe; eique alterum eius filium, ſed annuis, vt videtur, tributis penſitandis obnoxium, ſuffeciſſe. Hac enim lege cæteris etiam populis deuictis pax à Dauide data eſt, vt ex ſequentibus etiam conſtabit. His autem ita tranſactis Dauid cum exercitu ſub extremum annum Ieroſolymam reuerſus eſt. b 2. Reg. 17. v. 27.

SCHOLIA IN ANNVM DAVIDIS 20.

QVidam hebræorum diſcipuli vertunt; *reddet euem bis quadruplicatam,* quaſi octo pro vna redditurus dicatur, vt Pagninus, Caietanus, Vatablus; quod nimirum voluerit Dauid legis pœnam duplicare, propter rei indignitatem, in homine diuite aduerſus pauperem prędonem agente. Verum Arias, & verſio Vatabli, quæ & Tigurina, habent tantum *quadruplum,* quo modo habēt etiam Septuag. & Chaldæus, & Ioſephus, & Latina vulgata: quod etiam res ipſa reſpondens parabolæ confirmat, vt in textu diximus.

In hebræo textu Pagninus habet, *& ſi parum eſt, & adiiciam tibi ſimilia, & ſimilia.* Arias *ſicut illa, & ſicut illa.* Vatabl. *ſecundum hæc, & ſecundum hæc.* quaſi dicat Dominus, nondum finem feci bene merendi de te, alia atque alia congeram, & effundam in ſinum tuum: vt nulla ſit inter priora & poſteriora beneficia, quaſi inter maiora & minora comparatio. Et reuera, quæ adiecit deinceps, res humanitus æſtimando, non fuerunt maiora, quam eum è viliſſima conditione fortunæ, ad ſupremum eius apicem extuliſſe, & tot caſibus exercitum ſuperiorem omnibus atq. inexpugnabilem reddidiſſe, præſertim cum iam regiam illi ſucceſſionem in ipſius familia dudum ſpopondiſſet. Abul. interpretatur *maiora* partim plura, partim eiuſmodi vt ideo maiora cenſeri debeant, quod efficiant ne præterita beneficia inania fiant, atque irrita; qualis fuit aqua Samſoni in ſiti data: & victoria Dauidi contra Abſalonem conceſſa. omnis enim prior Dauidis gloria ignominioſe concidiſſet, ſi is domeſtico ſcelere ſolio deiectus, inops & exul peregre periiſſet. Itaque Vatablus hæc non ſolum plura, ſed etiam maiora, cum editione vulgata interpretatur.

Incaluit è contrario Abulenſis animus aduerſum Dauidē, q. 5. in c. 12. 2. Reg. quo eum indigna mors optimi Vriæ adduxit, vbi inter alia. *Lamentabile fuit, & indignum decretum infideliſſimi regis Dauid, qui tam fideli militi per tam amaram & excogitatam infidelitatem prius vt infamaret inſidiatus eſt, poſtremo vt immerita morte conficerat operam dedit. Quis te non virorum indigniſſimum rex improbe, & ipſo regno indignum arbitretur? qui vt fera ſæuiens tantæ probitati nocuiſti? Profecto quia tu probus non eras: poſuiſti enim ig-* 3. N. xv.

nominiam gloriæ tuæ. Factus es vir clariſſimo virtutis materia, tu autem inæſtimabiliter abiectus es. Neque enim remediabilis tua ruina fuiſſet, niſi largiſſima Dei magni benignitas affuiſſet, qua immeritos quandoque in hac vita fouet, & magnis beneficiis ornat. Quid enim tantum, aut tale Saul egit qui miſeranda calamitate cum tota ſua progenie extinctus eſt? Exclamare libet, quia profecto in rebus humanis nihil eſt niſi fauor Dei magni, qui cui vult miſeretur, & quem vult indurat: cum non ſit currentis, nec volentis ſed eius clementia miſerentis. Hæc Toſtatus vtique valde præter morem, contra Dauidem ſecundum præſentem iniuſtitiam; niſi forte hæc adiectitia ſunt.

4.N.xxviii Ioſephus l.7.ant. c.11. vel 14. vocat Salomonẽ Dauidis [illegible], id eſt nouiſſimũ, ſiue natu minimum; in quo vehementer errat, præſertim cum vniuerſe loquatur, & nõ de ſolis filiis Bethſabææ. Nam 2.Reg.5. v.14. poſt Salomonem, 7 alij filij Dauidis Hieroſolymis nati memorantur; 1. etiam Paral.3.6. nouem. Vide ſchol. anni ſequentis.

5.N.xxxi. Putat Abulenſis Rabbath dictam fuiſſe vrbem aquarum, id eſt fluminũ, quia per illã tranſirent magna flumina, ſicut & Haram dicitur vrbs fluminum propter Tygrim & Euphratem, eſt enim in Meſopotamia. Exiſtimat autem eundem Euphratem ad terram filiorum Ammon pertinuiſſe, qui ab eo abeſt plurium dierum itinere, vt ex omnibus geographis conſtat: Inductus eſt in fraudem loco libri numerorum c.22.5. de quo vide quæ diximus an. mundi 2583. n.63.

In hebræo & græco dicitur corona habuiſſe pretioſum lapidem, duplici hebraiſmo ſingularis pro plurali, & poſitiui pro ſuperlatiuo, vt docet editio vulgata. Ioſephus tamen precioſum lapidem proprie accepit, vocauitq. ſardonichem, nec tamen negat alios, qui illum quem ipſe inuenit comitarentur. 6.N.xxxiii

Septuaginta regiæ editionis διὰ τοῦ πλινθίν manifeſto mendo: ea enim vox neque aciem, vt reditur, & habet S. Ambroſius in priore Apolog. Dauidis: neque aliud quidquam opinor ſignificat. Aldus & Roma. Vvechel. Baſil. habent πλινθίν, melius legitur πλινθεῖον vt ſignificaretur locus, in quo finguntur lateres, pro quo Chaldæus habet, *lacerauit eos in plateis.* S.Hieronymus in tradit. in 2.Reg.c.12. *diuiſit cultris, ſicut lateres diuidi ſolent, qui ex paleis, & luto conficiuntur*: ſicque non quatuor, ſed tria tantum genera pœnarum hoc loco recenſerentur. 7.N.xxxvii

Circumduxit ſuper eos ferrata carpenta: ſic in 2. Reg. 12. quæ eodem modo habentur in 1. Par.c.20. in hebræo, totidemque verbis: at in latino Paral. explicandi cauſa aditum eſt *trahas, & tribulos*: vel vice verſa trahæ & tribuli per ferrata carpenta explicantur: quia trahæ & tribulæ agricolarum paſſim ligneæ ſunt. Forte autem S.Hieron. reſpexit ad illud Virgil. l.1. Georg. 8.N.eod.

Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere raſtri, legitque, *tribulæque*, quod carmini melius conuenit, omiſit tamen, vt in oratione ſoluta, epentheſin ſecundi vocabuli.

ANNVS MVNDI 3000. DILVVII 1344. 5ª. ÆTATIS. 61. EXITVS AB ÆGYPTO 457. ARCÆ IN SIONE 11. REGNI DAVIDIS 21. ABIATHARIS PONTIF. 26. TROIÆ EXCISÆ 129. EVPALIS 10. IMPERII ASSYRIORVM 1069.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1053.

HACTENVS dimidium regni Dauidis exegimus, quo illi omnia videntur ad votum, Deo benigniſſime obſecundante fluxiſſe; quo vbique victor & triumphator, Deo charus, dilectus ſuis, hoſtibus formidabilis fuit; donec oblitus ſui, in hoc ætatis, & regni flexu, hæſit ad metas, & conuerſo curſu, auerſo numine properare cæpit ad calcem. Quem enim parentem adhuc pene blandientem ſenſerat, ſeuere caſtigantem iudicem expertus eſt; ita tamen caſtigantem, vt quem grauiſſimis domi caſibus afflictari pateretur; omnibus procellis fortiorem, omnibus telis impenetrabilem redderet. *Fabulas omnes*, inquit S.Chryſoſtomus, [a] *omnemque tragædiam vicerunt regis huius clades, adeo illi portentoſa, & inuicem ſibi ſuccedentia, domique ſuæ contigerunt, cum clades cladibus ſuccedere ſemper pergerent,* Et recte quidem Chryſoſtomus: Nam perexiguis temporum interuallis, inceſta Thamaris filiæ, primogeniti ſui ſcelere violatio, eiuſdemque ſceleris per fraternam cædem vltio, defectio & tyrannis Abſalonis, ignominioſa regis fuga, & luctuoſum exilium, eiuſdem Abſalonis in plurimis maximiſque peccatis interitus: Seditio Sibæ, peſtis populi, ambitio Adoniæ mitiſſimum

I. *Aduerſæ res Dauidis regnantis.*

a l.3. de prouid.

Dauidis pectus, quaſi totidem ſagittæ adulterij, & homicidij vltrices, ſubinde perfoderunt. Vſque adeo vere prophetauit Nathan. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua*; vſque adeo magnum eſt odium Dei in peccatum, etiam ſibi amiciſſimorum! Ex quo illud etiam vel digito tangi poteſt, quanta violentia in inferis furor eius, atque ira deſæuiat in eos, qui perpetuo in hac vita vltori numini hoſtes fuere capitales.

II. *Ortus Salomonis, & ratio temporum.*

Nihilominvs lætitia, triſtitiaque mixtus eſt hic annus, natiuitate Salomonis, & turpiſſimo Ammonis flagitio; vtrumque enim in hunc annum cadere perſuaſum habemus; idemque viſum Torniello. [a] Pineda quoq in Salomone ſuo, eius natiuitatem in vigeſimum primum regni Dauidis annum conijcit, idque ſeries ipſa ſacræ narrationis requirit, [b] iuxta ea quæ paulo ante de morte pueri adulterini dicta ſunt. [c] Non ignoro eſſe qui hanc natiuitatem ad vnum, aut alterum annum differant. quod velint Salomonem quartum eſſe Bethſabææ ex Dauide filium; at Scriptura 2. Reg. cap. 12. tantum non clamat fuiſſe ſecundum. Nam pueruli adulterini morte narrata, & luctu Dauidis, & ſcilicet matris eius Bethſabææ, ſtatim Scriptura ſubdit. *Et conſolatus eſt Dauid Bethſabææ vxorem ſuam, ingreſſuſque ad eam dormiuit cum ea, quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomonem*, &c. Ioſephus quoque expoſito luctu regis ſubdit, *nec ita multo poſt Bethſabæa grauida exactis legitimis naturæ menſibus, filium ei peperit, quem Nathanis monitu Salomonem nominauit*. De ordine autem filiorum Bethſabææ alibi [d] dictum eſt. I De Ammonis quoque crimine nihil eſt cur Scripturæ narrandi ordinem, quem Ioſephus etiam ſequitur, hoc loco non ſequamur: præſertim cum decem anni proxime ſequentes exacte cum annis à Scriptura notatis conſentiant, vt ſequens hiſtoria declarabit, ſed de priore primum agamus.

[a] n. 4. ad 453. [b] 2. Reg. 12. 24. [c] ca. præced. n. 27. [d] an. Dauid 10 n. 2. 3. & ſeqq.

III. *Natiuitatis tempus, & locus.*

Natvs eſt Salomon, ſicut & conceptus Hieroſolymis, vt ex iis locis intelligi poteſt, in quibus catalogus filiorum Dauidis texitur. [e] vbi id diſerte aſſeritur, & clare colligitur ex 2. Regum, cap. 11. & 12. Is ſuæ conceptionis, & primæ formationis primordia in libro Sapientiæ, in hunc modum explicat; [f] *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, & de genere terreni illius, qui prior factus eſt*, clarũ eſt alludi ad Adamum terra genitum, & à Deo in parentem omnium hominum, quos ipſe mortales reddidit, ex luto figuratum; pergit, *& in ventre matris figuratus ſum caro, decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine*, &c. Digna vtique ſapientiſſimo rege vox, qui nihil ſe ſupra conditionem, & naturam cæterorum hominum habere profiteatur; tametſi rex eſſet longe maximus atque potentiſſimus; contra quam aliqui reges aliquando factitaſſe leguntur, quos ſuæ maieſtatis ſplendor excæcarat. Cæterum ſuæ in vtero commorationi decem menſes tribuit, quod aiunt heroum eſſe proprium, & eorum qui in magnos viros euaſuri ſunt: natura eos perfectius & accuratius elaborante, vti fuſius diſputat Pineda l. 1. de Salomone cap. 10. [g] vbi decimum menſem in pleriſque, interpretatur de ſex vel octo diebus vltra nonum menſem.

[e] 2. Reg. c. 5. v. 14. & 1. Par. 3. 5. [f] Sap. 7. v. 1. [g] n. 15 & ſeqq.

IV. *Materna educatio.*

Ex quo ſequitur, iuxta ea quæ præcedenti anno dicebamus, [h] Salomonis natiuitatem menſe Martio ſub feſta paſchalia contigiſſe, quando *natus accepit communem aerem, & in ſimiliter factam*, id eſt eiuſdem generis, *terram decidit, & primam vocem ſimilem omnibus emiſit plorans; in inuolumentis nutritus eſt, & curis magnis*, vt ipſe de ſe eodem libro Sapientiæ profitetur; [i] quæ copioſe Pineda noſter perſecutus eſt. [k] Vbi has curas magnas & ſolicitudinem, qua ſe nutritum dicit Salomon, eò deriuat, vt hinc probari poſſit infantem non fuiſſe commiſſum externæ, & conductitiæ nutrici, ſed nutritum, & lactatum propriis matris vberibus. Cum enim mercenarius ſit nutricum amor, ſollicitus ille timor, qui ex amore naſcitur, minor eſt in nutrice, quam in matre; cuius amor verus, naturalis, gratuitus, parens eſt ſollicitudinis, & curarum magnarum; quas ſine dubio Dauidis promiſſa, iureiurando firmata vehementer acuebant. Quæ etiam ex eo ſuaderi poſſunt, quod ipſe de ſe fatetur, ſe fuiſſe vnigenitum *coram matre ſua*; [l] id eſt tanquam vnigenitum longe dilectiſſimum, ſemper in brachiis, in gremio, in matris oculis verſatum, nec ad aliam nutricem amandatum.

[h] nu. 27. [i] Sap. 7. 3. [k] l. 1 de Sal c. 11. &c. [l] Prou. c. 4. 3.

V. *Impoſitio*

Octavo autem natiuitatis die circumciſus eſt puer, eique nomen Salomonis à matre datum. [m] ſic enim legimus. *Quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Sa-*

[m] 2. Reg. 12. 24.

lomon, & Dominus dilexit eum. Miſitque in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. Duobus inſignitur nominibus infans, altero à matre, altero à propheta; ſed vtriuſque author Deus. Salomonis enim nomen, quod latine Pacificus redditur, Dauidi à Deo reuelatur in 1. Para. [a] addita ſimul ratione nominis. *Filius*, inquit, *qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus; faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum; & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius.* Nomen tamen à matre imponitur, vt Abul. [b] Pineda, aliq; ſentiunt, vtique non ſine Dauidis conſenſu, quia Salomoni promiſſa gloria, in eam vnam maxime redundabat. Falliturque Ioſephus, dum ait Bethſabæam filium ſuum Nathanis prophetæ monitu Salomonem nominaſſe. Dauidis potius monitu dictũ oportuit, cui à Deo fuerat reuelatũ. Certe Caiet. à Dauide nominatũ ait; nec repugnat ipſi hebræum nomen vaijcra. *& vocauit*, quod ſæpius de viris, quã de mulieribus dictum reperies.

nominis Salomonis.

[a] c.22. v.9.

[b] q.28. in c. 12. 2. Reg ויקרא Pineda l. 1. c.16. n 7 videtur legiſſe. ותקרא

Alterum etiam nomen à Deo inditum eſt, qui vt in priore matris, ita in hoc poſteriore prophetæ manu, ſiue miniſterio vti voluit: eumque vocauit Iedid-jah tribus ſyllabis, quod eſt *Amabilis Domino*, vel dilectus Dei, ſiue à Deo. Nec abſurdum eſt vtroque nomine eodem tempore appellatum fuiſſe. Ita enim ſecundus Rachelis filius, Benoni à matre, Beniamin à patre eodem tempore vocatus eſt. Et quidem proprio vtroque nomine, ſed altero, vt fit, vſitatiore, ſicut & nomen Salomonis, quam Iedid-jah magis frequentatur. Alia vero nomina, quæ Salomoni tributa leguntur appellatiua ſunt, nec tam ſunt nomina conuenientia perſonis, quam ſignificationes rerum perſonis conuenientium. Et vtrumque pertinet ad eius felicitatem, & omnium bonorum abundantiam, quam ei Deus, pro ſuo in eum amore, ſtatuerat impertiri. Omnium inquam, non enim temporalium dumtaxat, vt quibuſdam placet, [c] ſed etiam ſpiritualium. Certum eſt enim eum maxima vitæ parte ſancte vixiſſe, maximiſque animi, corporis, externiſque bonis à Deo affectum fuiſſe. Quo in primis pertinet illud, quod ipſe de ſe refert [d] *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam*, id eſt, optime compoſitus ad ſapientiam & probitatem; idque diuinitus. Solent enim quæ ſorte dantur diuinitus dari, vt ait S. Auguſtinus. [e] Diligere autem Domini eſt benefacere; & beneficia ſunt indicia, & clara dilectionis argumenta. Sed de prima Salomonis infantia hæc dicta ſunto.

VI. *Et Iedidiæ ſiue Amabilis Domino.*

[c] Pined. l. 1. c16 fi.

[d] Sap. 8.19.

[e] l.10. de benefic. ad lir. cap.18.

Qvod ad facinus Amnonis attinet, poſt natiuitatem Salomonis illud contigiſſe, non ſolum ex eo probatur quod poſterius à Scriptura narratum eſt; ſed ex eo etiam quod Amnon biennio à perpetrato ſcelere refertur occiſus, & quidem eo tempore quo tondebantur oues, ex quo deducitur probabiliter Thamarem ſub veris extremum fuiſſe vitiatam, cum Salomon eius initio natus ſit. Agebat autem illa annum decimum quartum, vt plerique notarunt, ſi eam volumus natam Hieroſolymis, quod ſoli filij in Hebrone nati memorentur: [f] Verum parum firmum eſt id argumentum; quia filiæ, præter vnam Thamarem, nuſquam nominatim poſitæ ſunt; quin & illa verba, [g] *Accepit Dauid adhuc concubinas, & vxores de Ieruſalem, poſtquam venerat de Hebron, natique ſunt Dauid, & alij filij & filiæ*: Hæc inquam verba innuunt iam in Hebrone tam filios quam filias natas fuiſſe; idque ſentit Abulenſis in eum locum; *præter filios*, inquit, *& filias quas genuit in Hebron, genuit alios in Hieruſalem*; quam expoſitionem libri Hebræi, Græci, Chaldæique recipiunt.

VII. *Ammonis facinus quãdo admiſſum.*

Codom. Sethus.

[f] 1. Par. c.3 9

[g] 2. Reg. 5. v.13.

Videtvr autem Dominus erga Dauidem ſuum ita ſe geſſiſſe, vt quamuis eũ acerbiſſimis verberibus pulſaret, ea tamen non ſolum intermedia quadam quiete, & reſpirandi poteſtate interrumperet, ſed interuentu etiam rei alicuius lætæ temperaret, & tolerabiliora redderet: quæ fere eſt diuinæ prouidentiæ ratio erga mortales omnes, dum in hac vita peregrinamur. Itaque lætitiam de filij adulterini natiuitate, triſtiſſima illius mors excepit, & parentis morbus, & luctus Bethſabææ. Secuta eſt conceptio, & natiuitas Salomonis, maxima ſine dubio hilaritate celebrata. Cum enim alios reges, [h] & Herodem nominatim in Iudæa diem natalem ſuum quotannis celebraſſe legamus: [i] quis dubitet ortum futuri regis, qui ſpem tantam, tamque multiplicem ſuſtentaret, à Dauide futurorum probe conſcio, multis lætitiæ argumentis fuiſſe cohoneſtatum? [k] Sed ecce ex-

VIII. *Viciſſitudo laterũ Dauidis ac triſtium.*

[h] Gen. 40. 20. & 2. Machab. 6 7.

[i] Math. 14. 6.

[k] Vide Pin. l. 2. 14. fi.

trema gaudij luctum occupantem,& præcedentem dulcedinem felleo amarore diluentem.

IX. *Ammonis morbus.*

Nam *factum eſt poſt hæc* [a] quæ hactenus de Ammonitarum clade,& Salomonis natiuitate narrata ſunt, *vt Abſalonis filij Dauidis ſororem ſpecioſiſſimam vocabulo Thamarem, adamaret Amnon filius Dauidis, & deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret*; Erat illa quidem Amnonis quoque ſoror, quo etiam nomine crebrius mox appellatur, erat & Adoniæ, & Salomonis, & cæterorum, ſed erat ſpeciatim Abſalonis, quod eadem cum illo matre genita eſſet; eodemque modo Ioſeph erat Beniamini frater, & Leui, Iudæ & Simeonis, & Dina eorundem ſoror. Augebat Amnonis ęgritudinem deſperatio potiundi,quæ tanto vehemētius affligebat, quanto deſiderium erat ardentius. Deſperabat autem, quia *cum Thamar eſſet virgo, difficile ei videbatur, vt quippiam inhoneſtè ageret cum ea.* Naſcebatur hæc difficultas ex ſollicita cuſtodia,& diligenti aſſeruatione virginum apud Hebræos: cuius rei teſtis eſt Ioſephus. [b] *Huius amore*, inquit, *correptus Amnon filiorum Dauid natu maximus,cum propter virginitatem ipſius, & aſſeruationem potiri ea non poſſet, adeo paſſione hac aſſl ctabatur, vt non aliter quam ex morbo lentam tabem, ac pallorem ſibi contraheret.* Nimirum furioſus ille ardor natiuam humorum temperiem diſſoluebat.

[a] 2.Reg.13. 1.

[b] l.7.ant.c. 7.

X. *Virginum curata custodia.*

Sic legimus & virgines templo ſeruientes diligentiſſima cuſtodia conſeruari ſolitas: atque adeo reliquas in propriis ædibus, vt ne oculis quidem hominum paterent. Audi S. Hieronymum in 7. Eſaiæ, [c] vbi agens de Ghalma, quæ inſigni prodigio cōceptura erat, *Ghalma*, inquit, *non ſolum puella vel virgo, ſed virgo abſcondita dicitur & ſecreta, quæ nunquā virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit*,&c. itaq; deducitur à radice ghalā עלם quod eſt latere, abſcondere,occultare. Ergo & Thamar, quæ ad nubiles annos peruenerat,aut certe accedebat,ne cum fratribus quidem habitabat,niſi cum Abſalone vterino,&quidem fortaſſe poſt caſum duntaxat,nedum aliis iuuenibus familiaris erat. Idque illa ſignificant. [d] *Miſit Dauid ad domum Thamar dicens,veni in domum Amnon fratris tui.* Cui praxi conſentanea ſunt illa præcepta ſapientis. [e] *Filia patris abſcondita eſt vigilia, & ſolitudo eius aufert ſomnum, ne forte in adoleſcentia ſua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat; ne quando polluatur in virginitate ſua, & in paternis ſuis grauida inueniatur.* Et infra, [f] *ſuper filiam luxurioſam confirma cuſtodiam*, quaſi dicat, noli contentus eſſe communi & ordinaria.

עלמה

[c] Eſa 7.14.

[d] c.13. 20.

[e] Eccl.42 9

[f] & c. 26.13

XI. *Ionadab ne... Dauidis*

Erat *autem Amnon amicus nomine* Ionadab *filius Semmaa fratris Dauid, vir prudens valde.* Erat idem conſanguinitate proximus,conſobrinus ſcilicet patruelis, cum eſſent fratrum duorum filii. Sed hic amicitiæ & prudentiæ nomina, iuxta vſum vel abuſum potius improborum ſumuntur, qui res nefarias nominibus honeſtis & ſanctis appellitant. Et hic iam ſe aperit miſera Dauidis conditio, cuius infelici filiæ paratur probrum, per inceſtum filium ſuum primogenitum, eiuſdemque fratrem,arte & conſilio, ſeu potius lenocinio nepotis ſui; quem Ioſephus Ionathan vocauit,duorum fratrum,vt arbitror,nomina confundens,quorum fuerunt diſſimillimi mores. Nam vnus fortitudine,alter vafra calliditate commendatur: ſed hac de re iam ſupra ſatis dictum eſt. [g] Diſcedit etiam nonnihil ab hiſtoriæ veritate,cum inducit iſtum Ionadabum,vt eum ſolertem coniectorem oſtendat, diuinantem Amnonis ægritudinem: qui tamen, iuxta Scripturæ fidem, eam prior aperuit,cum de valetudinis incommodæ cauſa à patruele rogaretur,in hanc ſententiam.

[g] an.Saul 8 n.34.& 35.

XII. *Sceleris artifex.*

Qvare *ſic attenuaris macie fili regis per ſingulos dies.* [h] Honorifice vocat filium regis,quaſi regni hæredem,& ſucceſſorem, vt pote Dauidis primogenitum, eique in primis dilectum,neſciens quid Deus de Salomone ſtatuiſſet. *Cur*,inquit,*non indicas mihi*,qui te pro intima neceſſitudine iuuare velim, & fortaſſe poſſum. *Dixitque ei Amnon, Thamar ſororem fratris mei Abſalon amo. Cui reſpondit* Ionadab. *Cuba ſuper lectum tuum, & languorem ſimula*: aderat quidem languor,& ægritudo,vt ante dictum eſt,ſed quæ lecto non affigeret,*cumque venerit pater tuus,vt viſitet te, dic ei, veniat oro Thamar ſoror mea, vt det mihi cibum & faciat pulmentum, & comedam de manu eius.* Ita dictum,ita factum; ſed vide calliditatem in verbis ipſis. Quam enim agens cum amico,vocarat ſororem fratris ſui, mox agens cum patre vocat ſororem ſuam;

[h] 2.Reg.13 4.

verſ.2.

nulla vt eſſet ſuſpicio meditati facinoris, quam etiam quæ foris apparebat ægritudo diluebat; & aliunde periculum erat, ſi ea res negaretur, nouo mœrore morbum amplificatum iri, qui hac indulgentia poterat mitigari.

XIII. *Diuinum hac in re iudicium.*

APPARET iam hoc loco iudicium Dei, vindéxque iuſtitia, vt qui nequitiam cordis Amnonis filij ſui, Dauidem & dilectum, & Prophetam celauerit, nec indicarit ei; ſed permiſerit deteſtabili inceſto adulterium puniri, ſicut & fraterna cæde Vriæ homicidium. Quin etiam iſtius pudendi ſceleris permiſit ipſummet patrem aliquo modo fieri adminiſtrum. *Cum* enim *veniſſet rex ad viſitandum eum*, nihilque mali ſuſpicatus eſſet, conſentiens petitioni miſit ad Thamaris domum: quæ patris iuſſa faciens venit in Amnonis domum, & acceptam farinam commiſcuit aqua, ſicque liquefactam coram eo in ſartaginem effudit vt coqueretur, fecitque lagana, quæ vulgo dicimus *des bignes*, & cocta poſuit coram eo, vt comederet, qui noluit comedere, fingens faſtidium cibi, vt omnes è cubiculo eiicerentur. Exiuit etiam Thamar cum laganis ſuis; nam mox reuocatur ab Amnone, qui internuncio cubiculario famulo dixit ei, *infer cibum in conclaue, vt veſcar de manu tua.* Acquieuit Thamar, ſtatimque ille nactus optatam ſolitudinem; effudit virus animi ſui, requirens conſenſum eius in inceſtam libidinem, & nihilominus apprehenſam retinens, ne effugeret.

Abul. in exp. tex.

Thamar in uitatur ad ſcelus.

XIV *Verbis non ſatis reſiſtit!*

QVÆ *reſpondit ei, noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas eſt in Iſrael; noli facere ſtultitiam hanc. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quaſi vnus de inſipientibus in Iſrael: quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi.* Infelix virgo rationibus agit contra rationis impotem, & furioſum hominem, cuius vim vi, aut certe clamore repellere oportebat, iuxta præceptum diuinæ legis, [a] vt accurrentes domeſtici vim prohiberent. Sed illa vel ſuam confuſionem, vel fratris dedecus, aut mortem timens, vel culpam coniugio celare ſe poſſe credens, verbis inutilibus agere contenta, oppreſſa eſt. Ioſephus quidem exclamaſſe ait, ſed neque Scriptura id habet, neque probabilis eſt ille clamor; cum conſtet plurimos, qui modo eiecti fuerant, in anteriore cubiculo fuiſſe, qui rei ignari accurriſſent, quorum ille conſpectum reueritus à cogitata ſtultitia, aut prohibitus fuiſſet, aut ſponte deſtitiſſet.

a Deut. 20. 22. 24.

nec clamorē adhibet neceſſarium

XV. *An potuerit nubere Amnoni.*

FRATREM appellat, ait Dionyſius, vt tantæ propinquitatis audito nomine à ſuſcepto crimine retrahatur: nefas id dicit eſſe in Iſraël, quia in lege eorum diſerte cautum eſt: [b] *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius. Ego Dominus.* Et paulo poſt diſtinctius ad præſens negotium. *Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſiue ex matre quæ domi vel foris genita eſt, non reuelabis.* Cui culpæ ſupplicium mortis decernitur aliquanto poſt, [c] *nefariam rem operati ſunt, occidentur in conſpectu populi ſui, & portabunt iniquitatem ſuam.* Ethnici autem hæc, & ſimilia omnia ſibi licere putabant; vnde ibidem ſubditur. *Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus ſum eas.* [d] Quin & fornicatio virginis in paterna domo morte puniebatur. Obiicit præterea Thamar commune opprobrium, vindictam minatur. Denique ſpem ei præbet licitè adimplendi, quod ipſe illicitè poſtulabat. [e] Quā illa ſpē iniicit, ſiue id credidit fieri poſſe, ſiue non credidit, aut neſciuit, quod prædictæ leges tam apertè clamant. Et illa vel maxime, [f] *Maledictus qui dormit cum ſorore ſua filia patris ſui, vel matris ſuæ: & dicet omnis populus, Amen.* Volens interim fratrem à ſe auertere, & vim eius ad præſens effugere, vt ait Ioſephus, & Abulenſis. Noluit autem *ille* acquieſcere precibus eius, ſed præualens viribus, ei quæ parum reſiſtebat, oppreſſit eam.

b Leuit. 18. 6. 9.

c ca. 20. 17. 23.

d Deut. 22. 21.

e Abul. q. 4. in c. 13.

f Deut. 27. 22.

XVI. *Amor verſus in odium Vnde.*

VIDE porro mirabile iudiciū Dei, *Et exoſam*, ait Scriptura, *eam habuit Amnon odio magno nimis, ita vt maius eſſet odium, quod oderat eam amore quo ante dilexerat.* Vnde enim hoc tantum, tamque repentinum odium? & non lætitia potius, ex fruitione rei tanto ardore deſideratæ; & amoris incrementum, quale in Sichem poſt violatam Dinam, [g] omnia ad illam obtinendam agere, ac pati perſuaſo. An quod ille in vi inferenda ſe grauiter læſit, vt aiunt Hebræi apud Lyranum, Abulenſem, & Dionyſium? an quod interior humorum diſpoſitio mutata, mutauit affectum? vt vult Caiet. An ex conſcientiæ ſtimulo, & ſyntereſi, & pudore infamiæ ſecuturæ? quæ videtur Ariſtotelis mens in problematis. [h] An potius id

g Gen 34. 11

h ſect. 4. Probl. 2[illegible].

egit Dæmon permittente Deo, vt expulſa virgine, & propalato crimine, ea contingerant in pœnam Dauidis, quæ poſtea ſunt ſubſecuta quæ eſt opinio Toſtati. Nam ſalaces illi Hebræi, fœdi, & falſi, ac ridiculi ſunt. Caietanus nihil rationis affert, cur tali cauſa millies poſita, vix effectus hic ſemel conſequatur; quem tamen vel ſemper, vel plurimum oporteret contingere. Et hæc videtur eſſe imago immenſi illius odii, quo qui in inferis pœnas luunt immortales, non peccata ſua, ſed cauſas & obiecta peccatorum ſuorum perpetuo deteſtantur.

XVI. *Thamar expellitur.* DIXITQVE ei *Amnon ſurge & vade. Quæ reſpondit ei; maius eſt hoc malum quod nunc agis aduerſum me, quam quod ante feciſti, expellens me.* Sed num verum eſt expulſionem hanc, illa inceſta copula eſſe peiorem? Dicendum eſt non eſſe ſeorſim hæc comparanda, cum ſint in eiuſdem perſonæ iniuria coniuncta; Eſtque mens Thamaris dicere hanc expulſionem reddere peccatum grauius, quam ante erat, quia remedium, quod illi adhiberi poſſe videbatur, publicando excludebat. Exiſtimabat enim fieri poſſe, vt peccatum coniugio celaretur. At videns tantam erga ſe animi eius alienationem, qui ſaltem poſt illatam tantam iniuriam, conſolari eam debuit, & lenire blanditiis, dum conueniens aliquod culpæ remedium inueniretur: videns ſe ignominioſe, quaſi meretricem expelli, & infamari, merito lamentatur, & grauitatem mali huius expulſionis exaggerat. Qua de re audiendus eſt etiam Ioſephus.[a] *Poſt oblatum,* inquit, *vitium in contrarium mox affectum vertitur, & exoſam ac faſtiditam conuitiis aggreſſus, iubet vt è veſtigio ſe inde faceſſat. Quæ cum hanc iniuriam priore grauiorem diceret, quod conſtupratam vel vſque ad noctem illic manere non patiatur; ſed confeſtim extrudat clara adhuc luce, vt turpitudinis ſuæ teſtibus occurrat, mandauit famulo vt illam eiiceret.*

Cum iuſta querela.

a l. 7. ant. c. 7.

XVIII. *Propalatur flagitium.* INSANVS enim iuuenis, & in ſuum pronus interitum, acquieſcere noluit bene monenti ſorori, ſed vocato puero, qui miniſtrabat ei, dixit, *Eiice hanc à me foras, & claude oſtium poſt eam.* Quod vbi factum eſt, ab inuito vtique famulo, atque animo renitente, illa *aſpergens cinerem capiti ſuo,* ſcidit talarem tunicam, qua filiæ regis virgines vti ſolebant, in argumentum, non ſolum acerbiſſimi doloris animi, ſed amiſſi quoque per vim pudoris, cuius illa indicium erat, & comes; *impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens, & clamans.* Ne ſi rem iam manifeſta leuiter iniuriam ferre videretur, non vim paſſa, ſed ſine vi corrupta putaretur; eam enim prior patefecit Ammon. *Conſidera quæſo,* inquit Chryſoſtomus.[b] *Adamauit ſororem Thamar Amnon frater; amatam vi oppreſſit, oppreſſam odio habuit, eamque violationem, nefariumque concubitum prior ipſe patefecit, alicui ex ſeruis mandans, vt inuitam pelleret domo, ac per plateam emitteret clamantem, ploratuque & lamentis omnia complentem.* In viis enim clamitaſſe ſignificat illud, *Ibat ingrediens & clamans:* ſiue vt eſt in Hebræo, ibat eundo & clamando. Ioſephus quoque *cinere caput ſparſa, per mediam vrbem diſcedebat, vim ſibi illatam quiritando.* Idem ſentit Dionyſius.

b l. 5 de prouid.

XIX. *Thamaris luctus.* INDICIVM quoque ingentis mœroris, & luctus fuit illa impoſitio manuum ſuper caput ſuum; quibus etiam facies, in qua eſt confuſionis ſedes, magna ex parte tegebatur. Vſurpauit hoc ſignum Ieremias capite ſecundo extremo, denuncians Iſraëlitis mala, quæ paſſuri eſſent ab Ægyptiis. *Ab iſta,* inquit, *egredieris & manus tuæ erunt ſuper caput tuum, quoniam obtriuit Dominus confidentiam tuam &c.* quod ibi notauit Sanctus Hieronymus.[c] Cæterum Lyranus vult hæc non publice facta, ſed in domo Abſalonis fratris ſui, ne ſe infamaret, quod videtur Toſtatus quoque probaſſe, qui illud *ibat ingrediens* explicat, ingrediens in domum fratris ſui Abſalonis clamabat. Ibi autem potius feciſſe hoc, quia ille erat apud quem conqueri debebat, qui poſſet iniuriam ſibi factam vindicare vellet: & quod ad eum maxime iniuria pertineret, quam ſoror ex vtroque parente pertuliſſet. Verum priori ſententiæ ſtandum videtur; nec *ingredi* hoc loco aliud eſt quàm ambulare.

c Comm. in 2. Ierem.

XX. *Innoteſcit Abſaloni.* CVM ergo cauſam luctus ſui non diſſimularet Thamar, quam publice innotuiſſe ſatis agnoſcebat, eo quod coram omnibus, qui paulo ante ex interiore cubiculo egreſſi, in anteriore aula morabantur, ex eodem cubiculo turpiter eiecta eſſet. Eandem etiam cauſam facile agnouit Abſalon, dixitque ei, *nunquid Amnon frater tuus concubuit tecum? ſed nunc ſoror tace, frater tuus eſt, neque affligas cor tuum pro hac re.* Non ſignificat Abſalon id licuiſſe fratri, aut impune eſſe debere, ſed premendam

dam rem ſilentio, ne maior fiat infamia, quæ tam in eos redundet, qui intulerũt iniuriam, quam qui acceperunt: aut valere ad conſolationem eius, quod à fratre vim paſſa fuerit, & vere vim paſſa crederetur ab homine, à quo nihil ſibi tale auderet ſuſpicari, in re ergo tam aperta ac publica, indecora videatur illa Ioſephi oratio. Cum enim dixiſſet illam per mediam vrbem diſceſſiſſe, vim ſibi illatam quiritando, *In quam ſic affectam*, inquit, *cum Abſalomus frater incidiſſet, ſciſcitatus eſt quid mali haberet, quod ita ſeſe affictaret, cumque illa de ſtupro rem totam ei denarraſſet ſolatus eam &c.* ſed nimirum Abſalom, qui rem in confuſo ſtatim didicit, totam ſigillatim hiſtoriam diſcere voluit.

CVM *autem audiſſet Dauid verba hæc contriſtatus eſt valde*. Et merito quidem. Nam ſiue Deum cogitabat, videbat illum vehementer offenſum; ſiue ſeipſum intuebatur, agnoſcebat grauiſſima ſe iniuria, atque contemptu affectum, qui tantæ nequitiæ particeps, atque adeo adminiſter imprudens factus eſſet. Si miſeram filiam, in eam perpetuo luctu, & infamia futura, videbat, contabeſcentem in domo fratris coniugio priuatam. Neque enim Amnon, qui eam corruperat, poterat eandem ducere in vxorem, tam arcto conſanguinitatis gradu prohibente, & periculo cædis ab eo, qui capitali eam odio proſequebatur. Duriſſimum etiam erat filiæ regis, viro inferioris conditionis in vxorem dari, durius etiam æquali nupſiſſet, ſi quis tamen æqualis, turpiter corruptam ducere voluiſſet: qui tamen, ſi quis huiuſmodi fuiſſet inuentus, eam non vt vxorem, ſed vt abiectam concubinam habiturus erat. Ideoque oportuit eam in viduitate conſeneſcere. Si crimen ipſum verſabat animo, videbat admiſſum eſſe facinus morte mulctandum. quæ animaduerſio non minus iudicem ipſum, quam reum caſtigaret.

XXI. *Dauid contriſtatur.*

QVÆRIT autem Caietanus an hic reus factus ſit Dauid omiſſæ iuſtitiæ, cum ſecundum legem mors vtrique deberetur, viro, quia virginem oppreſſiſſet virgini, quæ propter omiſſum clamorem, cum eſſet in ciuitate, conſenſiſſe præſumeretur. Et reſpondet excuſari Dauidem, quia res ei non innotuit vt iudici, nec per teſtes probari poterat: nec puella, id agente fratre ipſius, qui vindictam animo meditabatur, querebatur vltra, aut rem amplius euulgabat. Eadem ſenſit, ſcripſitque Lyranus, vel in eo minime probandus, quod conſanguinitatem Thamaris & Amnonis, & conſequenter inceſtum negat, contra apertam ſcripturæ ſententiam, omniumque eius interpretum, vt fuſe docet Abulenſis. [a] Qui etiam ait [b] hoc crimen inceſti à Dauide puniri debuiſſe, quatenus iuri publico nocebat, cuius ipſe iudex eſſet & vindex, quamuis pars læſa cederet iuri ſuo: quæ tamen publice ſatis conqueſta erat, vt Iudex rem ad ſe pertinere, exiſtimare deberet.

XXII. *An reus omiſſæ iuſtitiæ.*

a q. 4. in c. 13 2. Reg.
b q. 9.

SCRIPTVRA porro ipſa cauſam omiſſæ à Dauide iuſtitiæ hanc affert, *Et noluit contriſtare ſpiritum Amnon filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Quæ verba non habentur illa quidem in Hebræo, habẽtur tamen in Græcis, Romanis, Aldinis, Baſileenſibus, Vvechelii, & apud Ioſephum, [c] & à Theodoreto agnoſcuntur, [d] & in latinis codicibus perpetuo retenta ſunt, niſi in iis qui recens ad hebræum textum conformata ſunt. Ea porro valde ſuſpectum reddunt Dauidem nimiæ erga filium ſuum indulgentiæ, quam propterea Deus alio rurſum grauiore ſcelere Abſalonis vindicari permiſit, vt ſcribit Toſtatus, [e] quia noluit filium pro manifeſto crimine condemnare, neque in aliquem alium transferre iudicium, ideoque eius culpam confert cum Heli ſacerdotis in filios ſuos indulgentia; imo & Dauidem maioris culpæ reum facit, cum ille filios quoquo modo corripuerit, hic filium in tanto tamque manifeſto crimine deprehenſum, ne corripuerit quidem: cum id ſcriptura tacuerit, imo contrarium dicere videatur. Non enim poterat non contriſtare Amnonem Dauid illum corripiendo, iuxta magnitudinem admiſſi flagitii; noluit tamen contriſtare, ergo neque corripere.

XXIII. *Ita videtur.*

c l. 7. c. 7. ſub fin.
d q. 19.
e q. 10. in c. 13 2. Reg.

EXISTIMO nihilominus, ſi iuſtam, & crimini parem vltionem naturalis amor, & conditio perſonæ prohibebant, non defuiſſe tamen Dauidem correctioni, quam debebat filio pater, loci & temporis occaſione captata, licet id ſacris literis traditum non fuerit, quæ eſt Lyrani, Dionyſii, aliorumque inter-

XXIV. *Non omiſſam tamen correctionẽ.*

pretum ſententia: exceptꝰ Abulenſi,[a] qui non ſatis probat reum à Dauide nunquam reprehenſum, neque idoneam vllam fuiſſe cauſam cur Dauid reprehenſionem Amnonis differret: oportebat enim differre, dum ingens illud odium, quo flagrabat deferueſceret. Quod autem Hugo exiſtimauit non reprehenſum, quaſi ita pœnitentem de facinore admiſſo, vt timendum eſſet Dauidi, ſi eum obiurgaret, ne abundantiore triſtitia abſorberetur, ſine ratione dicitur: nec vllam habet ex Scriptura probabilitatem, vt Dionyſius quoque ſentit. Nihil enim de eius pœnitentia, nihil de ſatisfactione, poſtulata venia, reconciliatione legimus, aut eius virtute, aut moribus præſumere poſſumus, ſicut in Dauide. Quod ſi illa interueniſſent, fuiſſet vtique Abſalon ab eius cæde, admiſſa ſatisfactione reuocatus. Cæterum hac tota de controuerſia lege pluribus Abulenſem, quem reperies paulo fortaſſe in Dauidem ſeueriorem.[b]

[a] q. 9. in c. 13.

[b] q. 9. 10. 11 12. in c. 13.

SCHOLIA IN ANNVM DAVIDIS 21.

1. N. 11. Infantvli huius nomen proditum non eſt, & vero nullum fuit, ſi vt quibuſdа placet, circumciſione caruit: Quidam tamen, & fere ſectarij, eum non ſolum circumciſum putant, quod nos putamus probabilius, ſed appellatum etiam Simmaa, ſiue Samua, quod hoc ſit nomen ordine primum in filiis Bethſabææ, tam ſecundo Regum 5. 14. quam primo Paralipomenon 3. Verum in iis locis ordinem ſeruatum non fuiſſe, alibi declaratum eſt. Et ſi ſeruatum dicamus, Salomon non erit ſecundus in filiis Bethſabææ, quod exigit caput 12. verſ. vigeſimus quartus, ſecundi Regum, ſed quartus. Itaque illa opinio fere ſectariorum eſt, Caluiſij, Codomani, quem ſequitur Sethus; quibus nonnihil fauere videtur Ioſephus, qui Salomonem vocat Dauidis παῖδα νεώτατον noniſſimum, ſiue natu minimum, quod præcelentis anni ſcholio quarto notauimus.

N. 1. Hæc tunica talaris ab Aquila vocatur, καρπωτὸς, inquit, Theodoretus, quæſtione vigeſimanona, propterea quod fructus habebat intertextos. Hodie autem eam vocant plumarem. ſic interpres. Author autem ipſe ex Manuſſ. Regiis, τὸν δὲ χιτῶνα ἀστραγαλωτὸν ὁ μὲν Ἀκύλας καρπωτὸν ὠνόμασεν, ὡς τοὺς καρποὺς συνυφασμένους ἔχοντα. οἱ δὲ νῦν αὐτὸν καλοῦσι πλουμαρικόν, id eſt acupictam ὁ δὲ Ἰώσηπος τὸν μέχρι ἀστραγάλων διήκοντα pertingente vſque ad talos. ſic ibi. In Ioſepho legimus ἐφόρουν γὰρ αἱ τῶν ἀρχαίων παρθένοι χειροδέτους, ἄχρι τῶν σφυρῶν, πρὸς τὸ μηδὲ βλέπεσθαι χιτῶνας. Geſtabant apud antiquos, virgines manicatas tunicas (legendum enim χειριδωτοὺς, vel χειριδωτούς. de quo vide Thezaurum tom. 4. 458.) vſque ad talos, ne tunicæ viderentur. Septuaginta Sixti, Aldi, Vechel. vocant χιτῶνα καρπωτόν. Aquilam ſecuti, regia habent ἀστραγαλωτόν. Hebraice dicitur Chetoneth paſſim, Pagnino tunica polymita: Montano, multorum colorum. Eadem cum Theodoreto habet Procopius hoc loco.

ANNVS MVNDI 3001. DILVVII 1345. QVINTÆ ÆTATIS 62. EXITVS AB ÆGYPTO 458. ARCÆ IN SIONE 12. REGNI DAVIDIS 22. ABIATHARIS PONTIF. 27. TROIÆ EXCISÆ 130. EVPALIS 11. IMPERII ASSYRIORVM. 1070.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1052.

PRIMVS eſt hic annus quarti millenarij ab orbe condito; qui ſi Hebræos quoſdam audire placet, initium dat alteri parti deſtinatæ durationis mutabilitatis rerum ſublunarium, ſed audire non licet eos, qui de rebus ſibi, atque adeo Angelis Dei ignotis, temere pronunciant, & inanibus nituntur coniecturis. Meminit anni huius Herodotus, dum natalitium Homeri annum inquirit: AIT enim ab expeditione Græcorum, quam Agamemnon & Menelaus in Ilium habuerunt, annis centum poſt atque triginta (qui præſens annus eſt, vt vides in indice huius anni) Leſbũ oppidatim habitari cœpiſſe, cum antea nullam prorſus haberet ciuitatem. Contigit id ante Ionicam emigrationem, annis decem, vt ſuo loco dicetur cum Euſebio, qui hanc Leſbiam temporis notam, vt parum vulgatam omiſit, alia quippe eſt ab expeditione Æolica, ad quam nationem Leſbus pertinet. [a] — I. *Initium quarti millenarii ab orb. cond.* — *Lesbos oppidatim habitata.*

[a] Pauſ. l. 10 p 340.

LVCTVS porro & diſſimulationis eſt vigeſimus ſecundus hic Dauidis annus. Manſit enim Thamar contabeſcens in domo Abſalon fratris ſui, coniugij, quod quidem ſciatur, per totam vitam expers, iuxta ea quæ anno ſuperiori dicebamus, [b] ideo pro contabeſcens Hebræi habent *deſolata*, Septuaginta χηρεύουσα *viduata*, aliqui ἀψυχοῦσα *exanimis*. Ioſephus totius vitæ cælibatum non affirmauit, ait tamen Thamarem multo tẽpore, in cælibatu quaſi viduam apud fratrem perſeueraſſe. At quæ ratio valet in multo tẽpore valet & in tota vita. *Abſalon autem*, vt ait Theodoretus, [c] *cum eſſe alioqui arrogans & audax, in præſentia celauit iram. Porro Abſalomus*, ait Ioſephus, *graue odium eius in pectore celabat opportunitatem vindictæ expectans.* vel vt Scriptura loquitur, *non eſt locutus Abſalon ad Amnon nec bonum nec malum*: quod merito Caietanus, Dionyſius, & fere Abulenſis intelligunt de hoc violatæ ſororis facinore: ſi enim plane ab omni eius colloquio abſtinuiſſet, ſuſpectum eum habuiſſet Amnon, & ab eo ſibi cauiſſet. Erat autem præſentia, & mœror Thamaris, Abſaloni perpetuus ad vindictam ſtimulus, & monimentum, & obſcuri, ſed penitus inſiti odij ſeges: eoque magis in dies augeſcentis, quo minus verbis aut ſignis ſe efferebat foras, donec, quod ſequenti anno contigit, in fraternam cædem erumperet. — II. *Thamaris luctus.* — *Abſalonis odium.*

[b] Nu. 15. & 21.

[c] q. 29 in 2. Reg.

INTEREA Salomon à parente Bethſabæa magna ſollicitudine, magniſque nutritur curris, [d] vt ipſe de ſe fatetur, & quidem materno lacte, vt ſuperius cum Pineda diximus. Qui illa verba Eccleſiaſtici, [e] quæ de patrum erga filios cura ſcripta ſunt, matrum ſollicitudini in eis, dum infanculi ſunt, educandis eleganter accommodat, *Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera eius. Quid enim*, inquit, *eſt frequens illa inuoluendi, euoluendi, ligandi, ſoluendi puerum cura, & quotidiana repetitio, quam colligatio quædam, & quaſi curatio naturæ vulnerum, id eſt incredibilis cuiuſdam infirmitatis, & imbecillitatis? Quid aliud illa conturbatio viſcerum ad omnem vocem pueri, quam ad omnem vagitum & lacrymulam infantis parentum commotio, perturbatio.* Quod ſi priorem etiam huius ſententiæ partem ex græco legas ψύχων υἱόν, refrigerans, ſiue molliter tractans filium, ſiue abſtergens; in infantiles ſordes, & curam molliter tractandi infantilia membra non male conueniet. — III. *Educatio Salomonis.* — *Et parentũ cura.*

[d] Sap. 7. 4.

[e] ca. 37. 7.

Quæ omnia non minus magno Salomoni, quam cæteris contigerunt. *Nemo enim*, inquit ipſe, [f] *ex regibus habuit aliud natiuitatis initium*. Cæterum eius iugis præſentia, atque emicans iam ex facie indoles, parentem diuinorum de eo

[f] Sap. 7. 5.

pro miſſorum conſcium conſolabatur, in magno de Thamaris violatione mœrore.

ANNVS MVNDI 3002. DILVVII 1346. 5ᵉ. ÆTATIS 63. EXITVS AB ÆGYPTO 459. ARCÆ IN SIONE 13. DAVIDIS REGNI 23. ABIATHARIS PONTIF. 28. TROIÆ CAPTÆ 131. EVPALIS 12. IMPERII ASSYRIORVM 1071.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 1051.

I. *Res anni huius, & ratio temporis.*

HABET hic annus Amnonis cædem, Abſalonis fugam, Dauidis luctum, Salomonis ablactationem.

Nam quod ad Ammonis cædem, hunc annum perſpicue Scriptura notat. *Factum eſt*, inquit, *poſt tempus biennij vt tonderentur oues Abſalom*; ſiue vt in hebræo & græco eſt, *poſt duos annos dierum.* Pars enim poſterior anni vigeſimi primi Dauidis, cum priore vigeſimi tertij vnum annum conficiunt: alterum autem vigeſimus ſecundus Nec aliud intellexit Ioſephus cum ait, *Iamque alter*, id eſt ſecundus, [illegible], *annus abierat, ex quo pudicitiæ ſororis eius illuſum eſt*, &c. Theodoretus cum duo anni præteriiſſent; & in curſu iam eſſet tertius, additur & tempus *quo tondebantur oues*, vt ſupra quoque notauimus. [a] Numerat hunc annum Torniellus Dauidis decimum nonum, aliam diſtributionem annorum Dauidis ſecutus, nobis minus probatam. *a an. Dauid 21. n. 7.*

II. *Abſalonis apparatus ad vindictam.*

Cvm ergo videret Abſalom memoriam facinoris in ſororem ſuam admiſſi, tam longinquitate temporis, quam ſuo, & ſororis ſilentio pene obliteratam, ad vindictam de eo ſumendam accinxit ſe, loci ac temporis opportunitate captata. Non enim exiſtimauit in ciuitate, atq. in palatio rem eſſe perpetrandam, ne difficile ipſi eſſet effugium, volebat tamen in regis ipſius, atque omnium fratrum ſuorum oculis Ammonem interficere, partim vt reipſa exprobraret Regi iniuſtitiam, in illo flagitio non vindicando: partim vt eo ſibi eſſet vindicta dulcior, quo plures haberet ſuæ teſtes audaciæ, ac temeritatis. Alioqui enim ſubdolis artibus eum de medio tollere potuiſſet, nemine authorem facinoris Abſalonem ſuſpicante. Quamquam non reſpuo illam cauſam inuitati Dauidis quam ſuggerit Abulenſis. [b] vt res eſſet tectior, & minus obnoxia ſuſpicioni meditati ſceleris, quod nemo putaret in parentis oculis perpetrandum: quæ etiam cauſa fuit vt non vnum Amnonem, quem deſtinarat ad cædem, ſed omnes filios regis ad epulum inuitaret. *b q. 14. in c. 13.*

III. *Temporis detonſarum ouium.*

Vt ergo eam omnem turbam in agris cogere poſſet, tondendarum ouium tempus opportunum iudicauit, quando patres familias pecuariæ, vt rei in primis fructuoſæ ſtudioſi, ſimulque laxandi animi cauſa villas ſuas cum familia ſolent inuiſere. Celebre erat agricolis hoc tempus apud Hebræos, vt indicat hiſtoria Labani, [c] & Iudæ, [d] & Nabalis Carmeli, [e] & nunc Abſalonis. Nec ſolis Hebræis, qui viri paſtores erant ab infantia ſua, ipſi & patres eorum, [f] pecorum cura grata fuit, ſed aliis etiam principibus viris, vt alio quoque loco me dicere memini, cum de Saule ex agro redeunte cum bobus ageremus. [g] In agris quoque ſuis habiturus erat Abſalom viros ſibi fidos, atque obſequentes, quibus è contrario Amnon, & cæteri carituri erant, ad vim vi repellendam. Habebat ergo Abſalom villam in pago Baalhaſor, *qui eſt iuxta Ephraim*, à Ioſepho Belſophon dicitur, & vocatur oppidum tribus Ephremiticæ. Rufinus tamen habet Baalhazor, ſiue ita legit olim in Ioſepho, ſiue ex Scriptura correxit. Eoque modo habetur in omnibus linguis, niſi quod Chaldæus habet, *in planicie Chazor*: alii atrium idoli interpretantur.

c Gen 31. 19. d c. 38. 13. e 1 Reg. 25. f Gen. 46. 34. g an. Saul. 2. n. 17. & 38 & 20. n. 2. n. 107.

loci, villæ ſuæ.

IV. *Baalhaſor*

Cæterum non videtur hoc oppidum fuiſſe in tribu Ephraim, non enim di-

a in Tribu Ephr. n. 41.
b c. 11. 54.
iuxta vrbē Ephraim.
non tribum

ceretur eſſe iuxta Ephraim, ſed intra, quamuis ibi illud Ioſephus, & poſt eum Adrichomius, [a] Abulenſis, Tigur. collocent. eratque potius in finibus tribus Beniamin, vt aliis placet. Quid ſi dicamus villam Baalhazor fuiſſe deſcriptam non à vicina prouincia, ſiue tribu Ephraim, ſed potius, vt ratio, & loquendi conſuetudo poſtulat, à vicino oppido, quod Ephraim, ſiue Ephrem dicebatur, cuius eſt mentio apud Ioannem Euangeliſtam, [b] ad quod Dominus abiiſſe dicitur, ibique moratus cum diſcipulis ſuis? certe in 2. Reg. Scriptura non vocat Ephraim tribum, ſed Ephraim tantum, & apud Ioannem legimus εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, ſiue Ephræm cum diphthongo, quam ſanctus Hieronymus Ephron, & Ephraim appellat, in locis hebraicis, eamque in tribu Iuda fuiſſe teſtatur. Cui aſſentiuntur Toletus in eum Ioannis locum, Ianſenius in concordia Euangelica, [c] Barad. [d] Iuxta hanc ergo vrbem fuit Baalhaſor, Abſalonis villa, quod neceſſarium videtur, ne bona eius extra tribum Iuda fuiſſe dicamus, & tribuum poſſeſſiones, contra Dei pręceptum, fuiſſe perturbatas.

c cap. 103.
d to. 3. l. 6. c. 7.
e l. 2. Reg. 13. 23. 24.

V. *Inuitat regem cum tota familia.*

Et *vocauit*, [e] ſiue inuitauit, *Abſalon omnes filios Regis*, qui videlicet cum bona patris venia ſe ituros, ſpoponderunt: *venitque ad regem*, ſiue vt facultatem abeundi fratribus ſuis obtineret: ſiue vt dum ipſemet Rex inuitaretur, nihil fraudis ſuſpicaretur. *Et ait ad eum, Ecce tondentur oues ſerui tui, veniat oro Rex cum ſeruis ſuis*, tota ſcilicet familia regia, *ad ſeruum ſuum. Dixit rex ad Abſalon, noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te.* Apparet Abſalonem ſua ſibi bona habuiſſe ſeparata, & coniugio fuiſſe deuictum; præſertim cum capite ſequenti tres eius filij, & vna filia memorentur. Cum ergo rex præciſe negaſſet ſe iturum: inſtitit Abſalon vt Amnon veniret, qui ſcilicet, cum eſſet natu maximus, regis ipſius locum teneret, & eum tanquam primogenitus repræſentaret; idque vix tandem multis precibus à patre impetrauit. Quem tam moroſum in danda venia cor eius mali cuiuſpiam prænuncium, & mens præſaga futuri videtur reddidiſſe. *Coegit itaque Abſalom eum, & dimiſit cum eo Amnon, & vniuerſos filios regis*, quorum numerum habes ſupra cap. 3. & 5. [f] & anno eius regni ſecundo, num. præſertim duodecimo.

obtinet Amnonem cum fratribus.

f 2. Reg. 3. 2 & c 5. 14. & 1. Par. c. 3.

VI. *Excipit cõuiuio.*

Feceratqve *Abſalon conuiuiũ, quaſi conuiuiũ regis*, vt qui regem ipſum, cum omnib. eius filiis, fratribus ſuis, conuiuas ſe habiturum ſperauerat, & in lautiorib. epulis laxius omnes potaturos, cum præſertim, quem vt regem conuiuii, omnes prouocarent ad potũ. Cæterum hæc verba nunc non leguntur in hebræis codicibus, leguntur autem in græcis Aldi, Sixti, Vvechelii, Baſil. Abſunt autem à regiis; & ſcilicet à Complutẽſibus ad hebræum textum conformatis non ita pridem, quæ leguntur in Latinis omnibus antiquis editionis vulgatæ, & in emendatis retenta ſunt, nec poſſunt ſine culpa repudiari.

VII. *Iubet Amnonem occidi,*

Præceperat *autem Abſalon pueris ſuis, dicens; Obſeruate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis; percutite eum, & interficite, nolite timere; ego enim ſum, qui præcipio vobis.* Quaſi dicat, ego periculum veſtrum in me recipio, ego damnum omne præſtabo, *roborabimini, & eſtote viri fortes.* Eſt autem credibile, vt Lyranus, Abul. & Dionyſ. volunt, fuiſſe iſtos alienigenas, Geſſuritas, ex regno Geſſur, aui ſui materni oriundos, vt patrata tanti criminis cæde, cum Abſalone aufugere poſſent, nec familias ſuas in certiſſimo vitæ, & fortunarum omnium diſcrimine relinquerent. *Fecerunt ergo pueri Abſalon aduerſus Amnon ſicut præceperat eis Abſalon.* Et Dauidis primogenitum temulentum, nihil de imminente morte, nihil de admiſſo flagitio cogitantem, & nondum, vt apparet, cum ſorore, cum fratre, cum Deo reconciliatum, ad æterna ſupplicia præcipitarunt: Quod videtur ſenſiſſe D. Chryſoſtomus, qui lib. 3. de Prouid. eum vocat, hoc ipſo tempore, quo fuit occiſus, ſororium ſtupratorem. *Abſalon*, inquit, *ad prandium fratres inuitat vniuerſos, inter quos & ſtuprator ille ſororius aderat: edentem illum, atque bibentem cum cæteris, inter conuiuandum per ſeruos iugulat.* Certe ſi qua interueniſſet reconciliatio, eam minime ſcriptura tacuiſſet, & Abſalom, ſatisfactione accepta, ad hoc probroſum vltionis genus non prorupiſſet. Lyranus illum periiſſe putat in ebrietate ſua, idemquo ſignificat Angelomus. [g]

caditur temulentus.

g c. 13. in fi.

VIII. *Tumultus,*

Cvm maxime occideretur Amnon, omnia tumultu, clamoribus, & terrore re-

pleta ſunt; cumque ſicarij de cæteris regis filiis idem quod de Amnone factu-ri viderentur, aut illi inter manus eorum, fratrem, vt fit, defenſuri verſarentur, aufugêre aliqui præcipites; & non vnus aliquis, vt ait Ioſephus. Nam Scriptura rem ad Dauidem fama primum delatam refert, fama vero vnius non eſt, ſed multorum incerta nunciantium. Ergo fugitiui ad Dauidem aduolant, omniũ filiorum ſuorum necem illi nunciaturi; ſi forte aliquod etiam Regi periculum immineret, vt illi ſtatim occurreret. At filij regis vt omnia ex compoſito geri vident, vnumque Amnonem peti, præterea neminem, paululum à timore reuelati ſunt; *ſurgenteſque* nihilominus, adornata raptim fuga, *aſcenderunt ſinguli mulas ſuas, & fugerunt*, triſtiſſimum parenti nuncium allaturi. Quod ergo mulam quiſque ſuam inſcendit, (Mulam enim habent 70. Hebræi nunc quidem mulum, Ioſephus autem ἡμιόνους, mulum in equum mutauit) quod inquam mulas aſcenderunt, quod non petiere latebras, quod non arma ſumpſerunt, ſignificatur in illa trepidatione illis declaratum fuiſſe non eſſe quod timerent, Amnonem vnũ ad necem, propter violatam Thamarem quæſitum fuiſſe: omnia cæteris eſſe in tuto. nec minus tamen illi non abierunt, ſed fugerunt.

IX. *Rumor ad Dauidem.* Cvmqve *adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad Dauid dicens, Percuſſit Abſalon omnes filios regis, & non remanſit ex eis ſaltem vnus. Surrexit itaque rex, & ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram*, humi ſcilicet iacuit, *& omnes ſerui illius, qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua*. Pertinebat hæc fama, diuino conſilio atque iudicio, ad maius ſupplicium Dauidis, vt de falſa omnium filiorum ſuorum cæde cruciaretur. *& luctus eius.* Q*ui non aliter quam par erat*, inquit Ioſephus, *amiſsis ſimul tot filiis, idque fratris ſcelere, graui dolore ictus, nec cauſam quidem rogauit: neque expectato nuncio, in re propter facinoris magnitudinem incredibili, totum ſe luctui tradens, conſciſſa veſte, humi proſtratus iacebat, deplorans non ſolum quos peremptos acceperat, ſed ipſum etiam interfectorem*. ſic ipſe, & Theodoretus cum ipſo. Et merito quidem ipſum planxit interfectorem, grauius enim vulnus accepit in animo, quam corpori Amnonis inflixit; qui fratem, qui primogenitum, qui regni hæredem, qui dilectiſſimum parenti, nulla præditus authoritate, inter epulas ac temulentum perfidioſe trucidauit; plurimoſq; in eiuſdem ſceleris ſocietatem traxit. Sed hæc initia fuerunt malorum eius.

X. *Addiſcit rei veritaté.* Respondens *autem Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, dixit, ne æſtimet dominus meus rex, quod omnes pueri filij regis occiſi ſint. Amnon ſolus mortuus eſt, quoniam in ore Abſalom erat poſitus, ex die qua oppreſsit Thamar ſororem eius*. Apparet non interfuiſſe conuiuio iſtum lenonium ſtupri ſororii architectum, ſed ex coniectura, de re ſibi ſatis nota ratiocinari. Dicitur autem Amnon in ore, id eſt in decreto & voluntate Abſalonis poſitus fuiſſe ad cædem, quia decreuerat, forte etiam iureiurando confirmauerat ſe interfecturum eum, ad vindicandam pudicitiam ſororis ſuæ turpiſſimè violatam. Quidam libri incorrecti habent *in odio Abſalon*, quo modo legit Abul. in hebræo eſt *in ore*, quod Chaldæus paraphraſtes interpretatus eſt *in corde*, Septua. regia *in ira*, reliqua cum Hebræo & Latinis emendatis conſentiũt. Nam os proprie hic accipi non poteſt, cum ea de re ipſe penitus taceret, iuſſiſſetque etiam Thamarem ſeruare ſilentium, ne quod impedimentum alicunde deſtinatæ animo vindictæ naſceretur.

XI. *Fugit Abſalom ad auum.* Fvgit *autem Abſalon*, neque enim tutum erat in recenti crimine, quolibet in regni loco ſubſiſtere, nedum redire Hieroſolymam, & paternæ indignationis adire diſcrimen. Satis porro intelligi poteſt omnia illi iamdudum ad fugam fuiſſe præparata & fugæ ſocios fuiſſe, qui fuerant ſceleris adminiſtri. *Fugiens autem abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Geſſur*. *Tholmai*, inquit Hieron. in tradit. [a] *pater fuit Maacha matris Abſalon: quam dicunt Hebræi ad Dauid in prælio captam, & cæſarie, & vnguibus præciſis, ſecundum legem, eam ſibi Dauid vxorem ſociaſſe & ex ea generaſſe Thamar & Abſalon*. ſic ipſe. Infelici vtique coniugio, ſi id ex euentis æſtimandum eſt, vtraque enim proles parenti ſuo multarum lacrymarum ſegetem protulit. Geſſur à D. Hieronymo [b] vocatur regio alienigenarum in Syria; in terminis Septentrionalibus dimidiæ tribus Manaſſe [c] trans Iordanem, ex qua priſtini habitatores nunquam expulſi fuerant. Eo igitur Abſalon ad auum maternum fuga ſe recepit, ratus eum minime omnium vindictam, in gratiam neptis ſuæ ſuſceptam, improbaturum; eiuſque opera veniam ſe à parente impetraturũ.

a 2. Reg. 3.
b in locis hebr.
c vide Adrichom. in ea tribu, n. 57.

XII. *Confugiũt ad Dauidem filii.*

INTEREA *eleuauit puer, ſpeculator oculos ſuos, & aſpexit, & ecce populus multus veniebat, per iter deuium ex latere montis.* Significat fortaſſe, vt ſuſpicatur Abulenſis, eos metu Abſalonis compendia viarum fuiſſe ſectatos, non via regia progreſſos. *Dixit autem Ionadab ad regem; Ecce filii regis adſunt, iuxta verbum ſerui tui, ſic factum eſt,* id eſt ita ſe res habet, ſicut prædixeram. *Cumque ceſſaſſet loqui apparuerunt & filii regis, & intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt: ſed & Rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* Quæ Ioſephus ita narrat. [a] *Interea ſonitus aduentantium equorum,* mularũ potius, *& quorundam eos præcurrentium omnes in ſe conuertit. Hi fuerunt filii regis, qui relicto conuiuio profugerant. Ibi pater flens flentibus occurrit, ex inſperato videns, quos paulo ante extinctos acceperat, denuoque gemitus ac lacrymæ inſtaurantur his fratrem, rege filiũ fœde trucidatum deplorantibus.* Sic Ioſephus, qui ſpeculatoris neglecta diligentia, illi ſtrepitum equorum ſubſtituit; cum tamen in re turbida, & expectatione venientium, qui certiora referrent, ſpeculator eſſet valde probabilis.

a l.7.c.8.

XIII *Quæ plorandi cauſa Dauidi, filiis, & aulicis.*

PLORABAT rex, quia memor verborum Nathan prophetæ, ſuſcitandum malum de domo ſua, in vltionem peccati ſui, culpis ſuis hoc facinus, & illud alterum, ex quo hoc natum fuerat, tribuebat. Plorabant filii, teſtes & ſpeculatores facti horrendi facinoris, à fratre in fratrem, à filio regis, in filium regis perpetrati. Plorabant omnes ſerui regis, tam diram regiæ familiæ adhuc florentiſſimæ calamitatem. Lugebat Dauid iniuriam Thamaris male à ſe diſſimulatam, & flammam cineribus mollioris indulgentiæ coopertam, hoc incendium ſuſcitaſſe: lugebant filii regis ſororis dedecus, & eius cauſa fratrem trucidatum, & trucidatorem fratrem, lugebant aulici omnes commiſeratione dominorum ſuorum acerbe lugentium. Lamentabatur Rex interitum filii ſui, & primogeniti, & nimium dilecti, quem dum noluiſſet peccantem iuſta animaduerſione punire, imo ne contriſtare quidem ſpiritum eius, eum alteri filio iugulandum cum corporis animique luctuoſiſſimo interitu præbuiſſet. Lamentabantur filii, regiæ familiæ dedecus & infamiam, à patre adulterio & homicidio contaminatæ, à filiis inceſto concubitu, & patrato per proditionem fratricidio. Lamentabantur ſerui regis propriam in alterutro principe vel occiſo, vel exule iacturam, diuturna obſequia irrita, ſpes inanes. Ingemiſcebat rex ad eam ſe adactum eſſe neceſſitatem, vt ſine laceratione viſcerum ſuorum iuſtus eſſe non poſſet: & tanti vulneris medicinam debere eſſe incrementum eius. Gemebant filii factum eſſe populum Dei obiectum ſubſannationum circumpoſitarum nationum: quando talia ac tanta ſcelera, ab iis qui hoc gloriantur nomine, eiuſque diuina lege, perpetrarentur. Gemebant omnes imminentes ab vltore ac vindice Deo plagas, quæ cum ſimul & plagæ eſſent & peccata, perpetuo nexu, quaſi catenarum annuli ſeſe attrahebant.

XIV. *Salomon à lacte amouetur.*

INTEREA triennium Salomonis agebatur, iſque nutriebatur magna cum parentis vtriuſque ſollicitudine, ex qua probari certo poteſt, eum quam commodiſſime, atque opportuniſſimo tempore fuiſſe à lacte remotum, ne diuturniori lactis cibo debilior & mollior, imo & ſtolidior, vt quibuſdam medicis placet, efficeretur. Id autem tempus fere exiſtimatur commodiſſimum poſt exactum biennium. Qua de re multis Pineda noſter in ſuo Salomone diſputat, [b] vbi etiam conuiuium ablactationis, iuxta Hebræorum morem non immerito exiſtimat celebratum. [c] Sed cum id fere inciderit in tempus regi, totique familiæ regiæ luctuoſiſſimum illud valde moderatum fuiſſe par eſt credere. *Muſica enim in luctu,* vt ait Sapiens, *importuna narratio.*

b l.1.c.17.

c Geneſ.21. 8.& 1.Reg. 1.24. Eccl.22.6.

ANNVS MVNDI 3003. DILVVII 1347. 5[a]. ÆTATIS. 64. EXITVS AB ÆGYPTO 460. ARCÆ IN SIONE 14. REGNI DAVIDIS 24. ABIATHARIS PONTIF. 29. TROIÆ EXCISÆ 132. EVPALIS 13. IMPERII ASSYRIORVM 1072.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1050.

I. *Exulat Abſalom triennio.* TOTO hoc anno, duobuſque fere ſequentibus Dauid in luctu, Abſalon in exilio, & latebris fuit. Vtrumque Scriptura teſtatur. [a] *Luxit ergo Dauid,* inquit, *filium ſuum cunctis diebus*, id eſt reliqua tota vita ſua; etſi enim quidam libri habent, *multis diebus*, quo modo legit Abulenſis: Hebræi tamen, & græci, & latini emendati, conſtanter habent, *cunctis diebus*; nec mirum regem tota vita luxiſſe, qui caſum lugebat, qui in totam redundabat æternitatem. Subdit vero de Abſalone; *Abſalom autem cum fugiſſet, & veniſſet in Geſſur fuit ibi tribus annis.* Ioſephus etiam ait eum apud maternum auum toto triennio permanſiſſe. Et Theodoretus, [b] *Rex,* inquit, *plurimum luxit ambos*, nempe & eum qui interemerat, & eum qui fuerat interemptus, *cum autem tres anni prateriſſent & tempore extincta eſſet ira, &c.* *Ira Dauidis.* Addit aliquid ex probabilitate vt apparet, S. Chryſoſtomus l. 3. de Prouidentia. *Poſtquam vero ille* Dauid *rem geſtam apertius audiuit, filio quidem comminatus eſt, eumque ſe morti addicturum aſſeuerauit. Cum vero ille effugiſſet, totumque triennium in aliena vixiſſet regione, toto illo tempore rex permanſit iratus, & ne tum quidem illum accerſiſſet, niſi eum ducis ſui ſapientia flexiſſet.*

[a] 2. Reg. 13. fin.
[b] q. 29.

II. *Perſequitur filium.* CVM ergo anno Dauidis vigeſimo tertio, Iunio circiter menſe occiſus fuerit Amnon; eo enim tempore tonderi ſolent oues; vigeſimo ſexto eiuſdem anno, & quidem ſub Iulium vel Auguſtum, quæ deinceps narrantur contigiſſe par eſt. Quæ autem durante iſto luctu à Dauide, vel ſeruis eius geſta fuerint, memoriæ proditum non eſt. Perſecutum tamen fuiſſe ex eo apparet, quod Scriptura dixit eum ceſſaſſe perſequi Abſalonem. Perſequebatur Dauid Abſalonem, ait Abulenſis, non quidem pugnando contra eum, nec hoſtiliter inſectando, vt pridem rex Saul Dauidem; ſed non permittendo ipſum ingredi in terram ſuam, & comminando mortem ſi ingrederetur in eam. ſic ipſe.

Annus ſabbaticus ſexageſimus. Cadit in hunc annum ſabbatiſmus anni ſeptimi, ordine ſexageſimus. Eſt enim ab ingreſſu in Chananitidem quadringenteſimus & vigeſimus, qui ſeptenarium numerum ſexagies adæquat. quibus ſi addideris annos peregrinationis quadragenariæ in deſerto, fient 460 ab exitu ex Ægypto, quem habes in indice anni huius expreſſum. 60. 420.

III. *Myrina cõdita.* IN eundem vigeſimum quartum Dauidis annum refert Euſebius Myrinam conditam. In græco eiuſdem chronico, in theſauro temporum legitur Μύρινα, ἡ πα-νοι Σμύρνα λεγομένη, ἐκτίσθη ἐν Ἀσίᾳ Myrina, quæ ab aliquibus Smyrna dicitur, condita eſt in alia. At Velleius inter vrbes ab Æolijs conditas, Smyrnam, & Myrinam, vt diuerſas recenſet. ait enim. [c] *Et mox Æolij eadem profecti Græcia, longiſſimiſque acti erroribus non minus illuſtres obtinuerunt locos, claraſque vrbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Lariſſam, Myrinam, Mitylenemq. & alias vrbes quæ ſunt in Lesbo inſula.* Hæc Velleius, *Improbatur Scaliger.* vide autem quam vere ſcripſerit in hunc Euſebij locum Scaliger, *Velleius ſcribit Myrinam occupatam ab Æolibus non conditam*; clare enim conditam ſcribit: nec illud *obtinuerunt* aliud eſt quam tenuerunt, ſiue poſſederunt à ſe conditas, eodemque ſtylo paulo ante, *Athenienſes*, inquit, *in Eubœa Chalcida Erethriam colonis occupauere.* Non ergo recte ad Amazonibus conditam probat. Certe Hyginus [d] ſcribit Cynaram Paphi filium Smyrnam à ſe conditã, filiæ ſuæ nomine appellaſſe. Sed hic fabulas narrat, non Velleius. Smyrnam nouam, veteremque memorat Pauſanias lib. 7. p. 210.

[c] l. 1. c. 4.
[d] ca. 275.

a græc.p. 110. [a] quem conſule. Myrinam vero Amazonum reginam expugnationem Gorgonum, memorat Diodorus Siculus lib.4.

ANNVS MVNDI 3004. DILVVII 1348. 5^a. ÆTATIS. 65. EXITVS AB ÆGYPTO 461. ARCÆ IN SIONE 15. REGNI DAVIDIS 25. ABIATHARIS PONTIF. 30. TROIÆ EXCISÆ 133. EVPALIS 14. IMPERII ASSYRIORVM 1073.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1049.

INTEGRVM hunc annum Abſalom extorris à patria fuit. In hunc Dauidis annum 25. refert Euſebius conditas in Italia Cumas; qui eſt apud eum Eupalis annus 13. Troiæ autem exciſæ 131. eo quod duobus annis quam nos eius caſum poſteriorem faciat; quod ab illo caſu ad primam olympiadem annos numeret 406. nos 408. Vt autem coniecturam Scaligeri non improbo, vt Cyme legatur in Italia condita, vt exigit Græcum Euſebii chronicum, non Mycene, quocumque modo ſcribatur ea vox apud Pontacum. Eius tamen de tempore aſſertionem, quam Straboni, & Velleio affingit non probo; quos ait velle ante Troica conditam; non cum Euſebio anno Troiæ deletæ 131. Strabo enim duntaxat ait Cumas Italiæ fuiſſe antiquiſſimas, quæ phraſis facile conuenit rebus, quæ multo ante vrbem conditam, & initium olympiadum contigerunt, à quo 275. annis abſumus: ab vrbis initiis ducentis circiter & quinquaginta. Velleius autem plane conſentit Euſebio. Ait enim Lacedæmonios in Aſia Magneſiam colonis occupauiſſe, nec multo poſt Chalcidenſes ortos ex Atticis, Hippocle & Megaſthene ducibus, Cumas in Italia condidiſſe. At Euſebius 4. tantum annos interiicit. Quid quod Paterculus res Troicis rebus ſuperiores, non attigit hiſtoria ſua? ſed à Troianis temporibus cœpit, vt recte ſenſit eruditus Lipſius in notis in Velleium ſuis.

I. *Cuma in Italia condita.* — *& quando erratum Scaligeri.*

b c. 8. de Ital. NON repugnat porro Velleio Polyhiſtor Solinus [b] dum ait Cumas ab Eubœenſibus conditas, ſicut Nolam à Tyris. Nam Chalcidenſes, quos Velleius memorat, in Eubœam ab Atticis in coloniam abducti ſunt. Sed illud mirum, quod iſti ſiue Eubæenſes, ſiue Chalcidenſes, ſuæ claſſis ductrices columbas habuiſſe memorantur, quæ volatu claſſem antecederent: alii nocturno æris ſono qualis Cerealibus ſacris cieri ſolet, deductos volunt, vt ſcripſit idem Velleius. Apparet autem dictam à fluctibus, quæ in eo littore vehementius alliduntur. Eam vrbem Cumana Sibylla proprio nomine dicta Phemonoë celebrem reddidit, ſiue ibi nata eſt, ſiue culta. Eius enim ibi ſacellum memorat Solinus. ſed de his ſatis.

II. *Età quib. Cumana Sibylla.*

Seruius. Ibid.

ANNVS MVNDI 3005. DILVVII 1349. QVINTÆ ÆTATIS 66. EXITVS AB ÆGYPTO 462. ARCÆ IN SIONE 16. DAVIDIS REGNI 26. ABIATHARIS PONT. 31. TROIÆ EXCISÆ 134. EVPALIS 13. IMPERII ASSYRIORVM 1074.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1048.

I. *Finis exilij Abſalonis.* MAGNA huius anni parte Dauid in luctu, Abſalom in exilio fuit, quandoquidem eum fuiſſe in Geſſur tribus annis Scriptura teſtatur, cuius triennii exordium à tempore cædis ducitur, quæ ſub æſtatem, qua tõdentur oues, incidit, & eadem nunc anni parte terminatur. Sed ipſa dies partim exulceratum Dauidis animum mitigabat, partim moleſtum Abſaloni reddebat exilium, patris & familiæ ſuæ, amicorum patriæque percupido. Itaque amicorum interuentu patri reconciliari ſatagebat, Ioabi maxime, qui authoritate ac meritis plurimum apud regem poterat: & erat Dauidi ſanguine iunctus, vtpote ex ſorore nepos, & Abſaloni conſobrinus, ſiue amitinus frater; mater enim Ioabi amita erat Abſalonis, vt ex Dauidicæ familiæ ſchemate intelligere quiſque poteſt, quod ſupra regni Dauidis anno ſecundo digeſſimus.[a]

II. *Dauid ceſſat eũ perſequi.* QVOD ad Dauidem ergo attinet, *Ceſſauit*, inquit Scriptura, *rex Dauid perſequi Abſalom, eo quod conſolatus eſſet ſuper Amon interitu:* quem ſenſum reddunt Septuaginta regia, Aldi, & Sixti, imo & Hebræa in verſione Vatabli, & Montani, & quia in Hebræo eſt, Dauidis regis in obliquo ſubintelligũt vocem ira, ſupplentq; ſic Complutenſes addiderunt θυμῷ. Pagninus tamen, & Caietanus vertunt vocem *thecal* deſiderare; quod ſcilicet deſiderauit rex egredi ad Abſalonem, beneuolentiæ redintegrandæ cauſa. Quæ eſt Ioſephi etiam ſententia; ait enim. *Cum autem Dauidi animus eſſet Abſalonem ad ſe reuocare, non ad ſupplicium, ſed vt eum apud ſe haberet, iam enim ira reſiderat, &c.* Prior tamen expoſitio probabilior videtur; Nã ſi in rege fuiſſet hoc deſiderium; non oportuiſſet Ioabum tanto vti artificio ad veniam Abſaloni, reditumque impetrandum; nec poſt reditum tamdiu illum conſpectu ſuo prohibuiſſet Dauid.

[a] a.m. 1981. n. 12.

תכל

III. *Et quo modo.* FACILIOR itaque, & rei accommodatior eſt expoſitio, Dauidem ceſſaſſe velle perſequi, id eſt depoſuiſſe voluntatem perſequendi Abſalonem. Nam, vt dixit S. Chryſoſt. A principio flagrante in crimine eum ſe morti addicturum aſſeuerauit; & forte ipſum ad ſupplicium à rege Tholmai depopoſcit, diuque in huiuſmodi voluntate perſtitit; idque vt arbitror, ſemetipſum incuſans quod Ammonis ſcelus non puniuiſſet, ex quo alterum hoc crimen propagatum eſſet. Formidabat enim, niſi iuſto Abſalonem ſupplicio afficeret, ne alicunde nouum incendium, Deo vindicante exardeſceret. Paulatim tamen refrigeſcere cœpit voluntas occidendi Abſalonem, ne damnum damno cumularet, contentus eũ exilio punire, & quidem vt videtur perpetuo. Cuius rei ſignum eſt quod iam attigi, de ægre impetrato eius reditu. Eoque pertinet quod à Ioſepho & Theodoreto [b] dictum eſt, Dauidis iram tempore reſediſſe: quæ ſimul fuit conſolatio Dauidis ſuper Amnonis interitu. Diuturna enim odioſi obiecti abſẽtia iræ fomitẽ ſubtrahebat, & cum eadem abſentia pœna eſſet, eidem mitigandæ ſeruiebat, vt fami & ſiti, cibus & potus. Sed paternus amor in rei gratiam tacitus pugnabat; & culpa Amnonis, meritumque ſupplicium; iuxta illud,

Quæ venit ex merito pœna, ferenda venit.

[b] q. 29. in 2. Reg.

IV. *Ioab occaſionem captat reconciliationis.* ACCEDEBAT poſtremo voluntas acquieſcendi in diuinorum iudiciorum profunditate infinita; & admittendi aduerſos omnes caſus in vindictam peccatorum ſuorum, quoniam in eum finem diuinitus permitti, à propheta iamdudum edoctus, minime dubitabat. Itaque hebeſcebat, ac retundebatur doloris acies, ad hos quaſi ſcopulos illiſa, & minus acerbum in dies morſum efficiebat.

Id agnouit Ioab, quo rex familiariter vtebatur. Videbat enim Dauidis faciem hilariorem, de Amnone nihil vltra conqueri, de Abſalone nihil acerbius loqui. Ratus ergo non eſſe amittendam occaſionem de Abſalone bene merendi; à quo, vt valde credibile eſt, per literas, vt ab eius vxore, filiiſque per quotidianas preces, lacrymaſque ſollicitabatur, conſilium denique init expugnandi regem, & ei reditum Abſalonis perſuadendi. Et quoniam verebatur ne forte repulſam à rege pateretur, ſi cauſam ageret ipſe per ſe, (nolunt enim quidquam negari ſibi viri principes, idque ſibi dedecori vertunt, quaſi parum gratia & autoritate valeant apud regem,) maluit aliena vti opera, & quidem muliebri, cuius oratio mitior eſt, & in animos virorum magis influit; *fauus enim diſtillans labia eius, & nitidius oleo guttur eius.* [a]

Pro. 5. 3.

V. *Per mulierem internuntium.*

Non deerant quidem Hieroſolymis, & in ipſa regis aula, familiaque mulieres, quæ ſe in regis gratiam blanda oratione inſinuare poſſent; ſed parabola qua vtendum erat, ignotam requirebat mulierem, eandemque ſapientem, qualem Thecuitem quandam fœminam fama celebrabat. Parabola porro ritu patrio vti volebat Ioab, qui meminerat parabolam, quam nuper vſurpauerat Nathan Propheta apud ipſum Dauidem, recte, atque ex ſententia ſucceſſiſſe, nec immerito. In parabola enim res ipſa quæ agitur in aliena perſona, negotioque perſimili proponitur; quam recta ratio agnoſcit, probatque, voluntas amplectitur; perturbationibus animi quieſcentibus, vt in re, quæ nihil ipſarum intereſſe videatur. Itaque lata quamprimum pro æquitate ſententia, applicatur parabola, & retecto velamine, intelligitur lata iam ſententia, quam reuocare pudet, ac piget. *Non licebat*, ait mulier apud Theodoretum q. 29. *recta via tibi ſupplicare. Quãobrem ſuggeſſit mihi vt vterer hoc circuitu verborum, vt in ficto caſu tuum videns, quod mihi eras adhibiturus medicamentum, hoc tibi ipſi adhibeas.* Hæc ibi. Miſit ergo Ioab Thecuam. Ea fuit olim vrbs tribus Iudæ, diſtans Bethlehemo duobus milliaribus. *Nunc vicus viſitur*, ait Hieron. [b] *in nono ab Ælia milliario. contra meridionalem plagam.* 1. Hinc ergo aduocauit Ioab mulierem ſapientem, quam ſic allocutus eſt.

Uſus parabolæ.

Ioab.

Thecua.

in loc. ebr.

VI. *Quam inſtruit.*

2. Reg. 14.

Lvgere *te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne vngaris oleo,* [c] *vt ſis quaſi mulier iam plurimo tempore lugens mortuum*; non funeris exequias celebrans; quæ paucis diebus, pro defuncti qualitate finiebantur, ſed mœrens pro tua in mortuum beneuolentia, & accepto damno; ſicut Iacob patriarcha Ioſephum ſuum luxit diutiſſime, & Amnonem triennio Dauid. Valebat autem lugubris iſte cultus corporis, præſertim diuturnus, & in muliere vidua, & ætate iam prouecta, ad excitãdam erga ipſam Dauidis commiſerationẽ. Pergit Ioab, *& ingredieris ad regem, & loqueris ad eos ſermones huiuſcemodi, Poſuit autem Ioab verba in ore eius*, quaſi mulieris ore ipſe loqueretur, totam ſcilicet parabolam cum applicatione eius; ſic vt ipſa ſolam dicendi gratiam afferret, & ex conditione perſonæ ſuæ, calamitatem propriam deplorantis, non exiguam commiſerationem. Nec difficilis ei fuit ad regem aditus, id agente per fidos amicos Ioabo.

VII. *Ea cauſam agit.*

Itaqve *cum ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo ſuper terram, & adorauit, & dixit, Serua me Rex, & ait ad eam Rex; quid cauſa habes?* à quonam periculo, aut malo eripi cupis? *Quæ reſpondit: Heu, mulier vidua ego ſum: mortuus eſt enim vir meus*; ne forte mireris hanc fieri à me expoſtulationem, quæ à viro fieri debuiſſet, cuius in poteſt ſunt liberi, pro quibus ego ad clementiam tuam confugio. *Et ancillæ tuæ erant duo filii, qui rixati ſunt aduerſum ſe in agro, nulluſque erat qui eos prohibere poſſet, & percuſſit alter alterum, & interfecit eum.* Non fatetur crimen vidua, cum id teſtibus conuinci non poſſet, neque id reus fateretur, ſed accuſatorum referebat orationem, vt placet Abulenſi. [d] *Et ecce conſurgens vniuerſa cognatio aduerſus ancillam tuam dicit. Trade eum qui percuſſit fratrem ſuum, vt occidamus eum, pro anima fratris ſui, quem interfecit*; Erant hi cognati ex parte patris, qui occiſo filio ſuperſtite, heredes futuri erant; itaque non zelo iuſtitiæ, ſed hereditatis amore in viduam inſurgebant, itaque ad eorum non verba, ſed intentionem alludens, ait, *& deleamus heredem*, quod illi non verbis, ſed factis dicebant.

q. 10 in. 14.

VIII. *Et queritur de cognatis.*

Cvm autem hæc moliuntur *quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt*; in qua extinctus iam pridem pater reuiuiſcat, & ego propediem moritura deinceps

uiuam, ne funditus periſſe videamur. Cumque ex lege ad ſuſcitandum defuncto ſemen obligati ſint, ne illud quidem, quod vnum reliquum eſt, viuere patiuntur: ex quo futurum eſt *vt non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram.* Viri ſui nomen memorat, tacet ſuum; quia filij non ſuccedebant matribus, ſed patribus; Matres enim nihil habebant in quo eis filij ſuccederent, niſi cum fratribus carerent, & ad filias deuoluebatur hæreditas. Et à patribus filij, non à matribus denominabantur, vt Dauid filius Iſai & Salomon filius Dauid. Præter morem enim Ioab, & fratres eius filij Saruiæ appellantur. Quoniam autem Iſraëlitæ magnæ infelicitati tribuebant carere liberis, cui etiam affectui lex ipſa ſeruiebat, quæ ſemen defuncto ſuſcitari iubebat, propterea hæc mulier id damnum coram rege inculcat, pluribus verbis eodem pertinentibus, *deleamus heredem*, & *quærunt extinguere ſcintillam meam, &c., vt non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram.*

IX
Dauid pro ea pronunciat.

Hactenvs mulieris parabola, conſultò a Ioabo excogitata, & per mulierem regi propoſita. Qua audita *ait Rex ad mulierem; Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te.* Præcepturũ ſe dicit iudicibus, & magiſtratibus, iuſtitiæ miniſtris, & vindicibus criminum, ne mulieri huic, aut filio eius ſuperſtiti moleſtiam exhibeant. Qua in re merito videatur Dauid male agere. Non enim licet principi, aut omnino vlli iudici pro arbitratu ſuo ſontem aliquem ſoluere legibus, non tantum ſuis, ſed etiam naturalibus ac diuinis. Lex autem naturalis exigit, vt qui male egit, male patiatur; diuina vero lex homicidæ ſupplicium mortis definiuit. *Si quis*, inquit,[a] *ferro percuſſerit, & mortuus fuerit qui percuſſus eſt, reus erit homicidij, & ipſe morietur*, & mox. *Propinquus occiſi homicidam interficiet, ſtatim vt apprehenderit eum, interficiet.* Verendum ergo Dauidi fuit, verendum eſt & alijs regibus, atque principibus, ne miſericordia in reos, Dei aduerſus ipſos vindictam exacuat, & pœnam in ſeipſos, familiaſque ſuas conuertãt, quando ſine cauſa idonea volunt eſſe miſericordes. Par eſt eos meminiſſe importunæ Saulis in Agagum, & Amalecitas miſericordiæ, quæ ipſi, ac regno eius funeſta fuit. Meminiſſe & propheticæ illius vocis aduerſus Achabum, pro indulgentia in Benadabum Syriæ regem male vſurpata.[b] *Quia demiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua, pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Denique in hoc exemplo parabolico fiebat parti iniuria, quæ non cedebat iuri ſuo, quod ei ex diuina lege aduerſus homicidam competebat.

an recte.

Miſericordia regibus noxia.

a Num. 35. 16.

b 3 Reg. 20. 42.

X.
Recte videri.

Dicendvm videtur cum Alphonſo Toſtato[c] potuiſſe regem, in exemplo propoſito, reum tanquam innocentem dimittere. Nam quæ nunc pro contraria ſententia allata ſunt, locum habent in manifeſto crimine, vel ex idoneis probationibus, vel ex confeſſione rei quæ in hoc exemplo deſiderantur; teſtibus enim non probabatur crimen, *nullus* quippe *aderat in agro, qui eos prohibere poſſet*, aut de re facta teſtari: neque reus, vt ſupponimus, ſe fatebatur homicidam, neque ad eam confeſſionem obligabatur, nemine contra ſe dicente teſtimonium. Itaque oportebat Dauidem hominem tanquam innocentem abſoluere, ſine præiudicio tamen iuris aduerſariorum, ſi quid deinceps contra accuſatum probare poſſent: quo pertinet illud quod mox ſubiecit Dauid. *Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet, vt tangat te*; ego quippe ei nominatim interdicam ne tibi moleſtiam exhibeat, aut filio tuo. In re enim dubia ex arbitrio principis pendet accuſati ſalus vt ait Caietanus.

c q. 22. in c. 14. 2. Reg.

XI.
Inſtat Thecuitis.

Ne forte autem rex vereretur in corde ſuo, ne miſericordia in hunc reum, in ſcipſum, aut ſuos, Deo vindicante redundaret; ideo mulier imprecatur ſibi potius id omne malum, quod hinc poſſet exiſtere, dicens, *In me Domine mi rex ſit iniquitas*, id eſt pœna iniuſtitiæ, *& in domum patris mei, Rex autem & thronus eius ſit innocens.* Alij interpretantur *ſit* poſitum pro *erit*, vt ſit vrgentis oratio, in hanc ſententiam. Si quid accider nihilominus mali, in me non in regem cadet, ſi aut tu obliuiſcaris petitionis meæ, aut ſerui tui non impleuerint iuſſionem tuam; aduerſarijs meis interim filio meo imminentibus. Et vtraque expoſitio ſatis cohæret cum ſequenti reſponſióne regis *Qui contradixerit tibi*, dicenti videlicet à me abſolutum filium tuum, neque fidem habere voluerit, *adduc eum ad me, & vltra non addet, vt tangat te.* Quoniam vero mulier dixerat vniuerſam cognationem aduerſus ipſam conſurrexiſſe, petit à rege vt non tantum qui proximus eſt,

& rex gratiam, etiam [illegible] confirmat.

&

& habet primarium ius ad accuſandum, ab accuſatione repellatur, ſed alii quoque qui illo recedente illius iuri ſuccedunt, ne multiplicentur vltores fuſi ſanguinis, ſed Dei exemplo integram ac perfectam faciat miſericordiam. Neque enim videtur petiiſſe iuſiurandum à rege, ad firmitatem regiæ promiſſionis: id enim ſapienti mulieri non conueniret. Rex tamen ipſe ſponte profert iuſiurandum, ad eripiendam ei omnem dubitationem atque formidinem, *Viuit Dominus*, inquit, *quia non cadet de capillis filii tui ſuper terram.* Quaſi dicat, ne capillis quidem ipſius, nedum ipſi nocebitur.

Et rex gratiam, etiā iureiurando cōfirmat

XII. *An parabola recte aptetur.*

HACTENVS parabola, quam recte Dauid propter diſſimilitudinem repellere potuiſſet. Nam de filio illo parabolico non conſtabat, an fratrem occidiſſet: cum id neque teſtibus, neque confeſſione probaretur; & quamuis de cædis autore conſtaret, dubium tamen erat an prouocatus, & in ſui defenſione fratrem occidiſſet, non ex antecedente odio, aut deliberata voluntate, qua in re lex clementia vtebatur. At hic publicum erat facinus, & coram plurimis teſtibus perpetratum: iuxta illud, *& ecce populus multus veniebat per iter deuium ex latere montis*, qui nimirum cædi Amnonis interfuerat. Illud quoque certum erat, quod falſus eſt Ionadab, ex antiquo odio, & deliberata voluntate, & per proditionem hanc ab Abſalone patratam cædem. Deinde præcipuum argumentum quo nititur mulieris deprecatio, eſt conditio perſonæ, quæ hæres ſit, & ſcintilla vnica in paterna familia: cum Dauid plurimos haberet præterea filios, qui ad regni ſucceſſionem educarentur. Denique cum maritus mulieris ponatur defunctus, ne vltra poſſit ſuſcipere filios: Dauid viuus ac valens erat, & potuit 14. quos adhuc regnauit, annis alios ſuſcipere liberos, & fortaſſe ſuſcepit.

XIII. *Cur eſſet vſui.*

ETSI autem non erat efficax ad perſuaſionem parabola, diſponebat tamen Dauidem, propter nonnullam ſimilitudinem fratrum, quorum alter in alterum inſurrexit, vnde ſecuta eſt cædes. Et forte non deerant ex Amnonis cognatis qui regem aduerſus Abſalonem exaſperarent, & perpetuum eius optarent exilium. Cum autem parabola pro arbitrio à Ioabo efformata fuerit, vt ex ſequentibus liquet, cur ea non ita efficta eſt, vt ex æquo cum veritate congrueret? At ſic mulier non habuiſſet Dauidem pro filio ſuo ſententiam ferentem, ſed condemnantem eum potius, & accuſatoribus addicentem, quibus inuitis abſolui non poterat. Defuiſſet quoque illa cauſa hæredis vnici, quæ regem ad abſoluendum reum inflexerat. Itaque condemnato filio parabolico, præcluſa erat via ad cauſam Abſalonis agendam, ad quam parabola diſponebat, vt recte vidit Abulenſis.[a]

[a] q. 25. & 24. in c. 14. 2. Reg.

XIV. *Ioabi in cauſa Abſalonis prudentia.*

QVIN & ipſa mulier, ſeu potius Ioab, ſatis vidit infirmam eſſe Abſalonis defenſionem, frigidamque petitionem, ſi ſola parabola niteretur. Itaque & rationes adiecit, quæ poſſent Dauidi eius reuocationem perſuadere. Prima eſt periculum ne inter Geſſuritas Abſalom cum ſuis aliquam ſuperſtitioſæ infidelitatis labem contraheret: id enim peccati nomine in Scriptura maxime intelligi ſolet: quæ ratio illis verbis illigata eſt. *Quare cogitaſti huiuſcemodi rem contra populum Dei, vt peccet, & non reducat eiectum ſuum?* quaſi dicat, niſi reuocetur hic exul, peccaturus eſt, & futurus cultor idolorum, in damnum, & dedecus populi Dei. Altera ratio eſt *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Quaſi dicat, quod factum eſt infectum eſſe non poteſt qui mortuus eſt, exilio viui ad vitam reuocari non poteſt. Nos potius ibimus ad eum, quam vt ille reuertatur ad nos. Quid ergo malum noſtrum geminare malumus, quam venia, atque indulgentia reparare.

XV. *Principum eſt Deum imitari*

TERTIA ratio ex Dei imitatione petita eſt, cuius bonitatem & miſericordiã in peccatores imitari par eſt: eos præſertim qui cum ſupremam in terris habeant poteſtatem, diuinam maieſtatem cuius locum tenent, cuius nomen & authoritatem participant, hominibus repræſentare debent. Atqui *non vult Deus perire animã, ſed retractat cogitans ne penitus pereat, qui abiectus eſt.* Mutat videlicet Deus ſẽtẽtiã in peccatorẽ latã, ſi ipſe velit reſipiſcere; quia nõ vult mortẽ peccatoris, ſed potius vt conuertatur & viuat, nec delectatur in perditione viuẽtiũ; ſunt enim filii eius, & bonus pater in filii etiã prodigi ruina lamẽtatur, & lanquet: & in eiuſdẽ pœnitẽtia hilareſcit, & reuiuiſcit nec vult quãtũ in ſe eſt, vt qui perit pereat, qui

abiectus eſt, abiectus ſit, qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & qui æger eſt deſperetur. His ergo rationibus apud me perpeſis, dixerit Thecuitis exiſtimaui mei muneris eſſe, ſi ſalutem animarum, ſi Dei gloriã, ſi Reipublicæ vtilitatem quærerem, venire ad Dominum meum regem, vt hæc ipſa ei præſente populo repræſentarem, 2. ſicque ſapiens mulier vult à rege intelligi, hanc eſſe non tam ſuam, quam totius populi vocem, & deſiderium; cui proinde rex gratificabitur, & de eo bene merebitur. 2.17.

XVI. *Mulier concludit petitionem ſuam.*

ADDIT etiam argumentum ex applicatione parabolæ; vt ſi iudicauit Rex liberandum eſſe filium viduæ cædis reum de manu cognatorum, liberet etiam rex filium ſuum à reatu & pœna culpæ ſuæ, cuius grauitatem perſonæ conditio ſubleuare videatur; & qui miſericors fuit in figura, in re figurata ne ſit crudelis. *Dicat ergo ancilla tua*, obtineat atque impetret ab humanitate, & benignitate tua, *vt fiat verbum regis ſicut ſacrificium* placationis videlicet, vt placetur exuli Abſaloni: iſque requiem inueniat à tribulatione ſua. Et Dominus qui tecum eſt, tanquam cum Angelo ſuo, moderabitur actiones tuas, vt ſtatuas quod rectum eſt, nec inde te dimoueri patiaris. Innuere autem videtur promiſſionem iam factam & iureiurando firmatam. *Et reſpondens rex dixit ad mulierem. Ne abſcondas à me verbum quod te interrogo; Dixitque ei mulier: loqvere Domine mi rex. Et ait rex, nunquid mamanus* Ioab *tecum eſt in omnibus iſtis?* nonne opera eius & conſilio vſus es hoc toto negotio tuo? Cui mulier, *per ſalutem animæ tuæ Domine mi rex*, rem ipſam attigiſti, neutram in partem à ſcopo veritatis aberrans.

XVII. *Et fatetur authorem parabolæ Ioabum.*

NIHIL cunctata eſt mulier fateri authorem fabulæ huius, ſiue quia id iam ei Ioab permiſerat: ſiue quia id gratum regi fore, cuius cor verſum erat ad Abſalonem, cognoſcebat. Eſt enim gratum nobis eorum officium, qui eos nobis reconciliare ſtudent, ad quorum beneuolentiam natura propenſi ſumus: idque & vocis ſonus, & ipſa facies paulo hilarior loquebatur. De Ioabo vero ſuſpicatus eſt Dauid, potius quam de alio quopiam, ſiue quia ipſius in Abſalonem peculiarem beneuolentiam iam dudum agnouerat, quam eximia eius ſpecies exaggerabat; ſiue quia Ioab valebat ingenio ad hæc excogitanda præ cæteris, ſicque ſeipſe in hoc facto proderet, ſiue quia viſus fuit hanc mulierem introducere ad regem, & familiarius cum ea hoc ipſo tempore, ac ſtudioſius agere. Itaque mulier, *ſeruus tuus* Ioab, inquit, *ipſe præcepit mihi, & ipſe poſuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc: vt verterem figuram ſermonis huius*, vt de filio meo agere me ſimularem cum agerem de tuo; & veniam meo quærerem, quam quærebam tuo. Nec fas eſt me diſſimulare vlterius, aut ſperare te falli poſſe, quippe qui *ſapiens es, ſicut habet ſapientiam angelus Dei, vt intelligas omnia ſuper terram*: qui tanto interuallo reliquos mortales poſt te relinquas, quanto angeli Dei omnes homines ſapientia antecedunt.

XVIII. *Rex perſuadetur.*

HIC rex, ea maxime, vt arbitror, cogitatione tactus, ne forte Abſalon in diuturno exilio mores & ritus patrios in prophanos, ac peregrinos, in Geſſuritarum regione commutaret; ſocioſque ſuos ad idem flagitium exemplo ſuo inuitaret; ad Ioabum conuerſus, ſi is forte aderat; aut eo aduocato, ſi is aberat longius aliquanto, vt probabilius videtur. *Ecce*, inquit, *placatus feci verbum tuum*, quod interpoſita mulieris perſona à me poſtulaſti: remitto iram, ignoſco criminoſo iuueni. *Vade ergo, & reuoca puerum Abſalom.* Vox pueri tacitam habet excuſationem criminis ex imprudentia, & feruore, & temeritate iuuenili, cur aliquid condonandum eſſe ſapientes credunt; quod innuit etiam Chaldæus vocans adoleſcentem. Et ſolent grandiores natu in ſermonis hilaritate vocare pueros, qui reuera minime pueri ſunt ætate. Agebat autem nunc Dauid annum ætatis quinquageſimum ſextum; Abſalom autem ad ſummum vigeſimum quintum. Nondum enim tertiam vxorem duxerat Dauid, cum factus eſt rex in Hebron, vt ex ſecundi Reg. ſecundo conſtat. [a] ex tertia vero vxore Maacha nomine natus eſt Abſalom. [b] Hoc ipſo autem quod eum reuocari iuſſit ab exilio mortis pœnam ipſi debitam, non tanquam iudex remiſit, ſed tanquam parens, qui iniuriam in filii ſui nece acceperat, & poterat condonare.

Et reuocat Abſalonẽ.

a 2. Reg. 2. 3. 4.
b 2. Reg. 3. 3.
c Abul q. 7 in c. 14. 2. Reg.

XIX. *Quem adit Ioab.*

ACCEPTO Ioab tam optato nuncio, *cadens ſuper faciem ſuam in terram adorauit, & benedixit regi, & dixit. Hodie intellexit ſeruus tuus, quia inueni gratiam in oculis*

tuis domine mi rex: feciſti enim ſermonem ſerui tui, quo verbo agnoſcit ſe per intermediam Thecuitem hanc à rege gratiam Abſaloni poſtulaſſe; & regis in ſe beneuolentiam probaſſe, qui tam grauem offenſionem ſuam, poſthabuerit Ioabi deſiderio. Qui minime cunctatus eſt regio vti beneficio; neque ſatis habuit eum monere per literas de paterna indulgentia, & impetrata ſibi venia: Sed vt honorabilior eſſet reditus, & exilii temperaretur pudor, *Surrexit* ipſemet *Ioab* princeps vniuerſæ militiæ, & multi videlicet è primaria nobilitate cum eo, *& abiit in Geſſur & adduxit Abſalon in Hieruſalem.*

XX. *Redit Abſalon,*

Pleraqve hic curſim omittuntur in Scriptura, quæ facile ſuppleri poſſunt. Qua videlicet ſignificatione lætitiæ ab Abſalone acceptus ſit Ioab, qua à rege Geſſur: quid hic ad Dauidem in nepotis ſui gratiam ſcripſerit, qua pompa tam ipſe quam Ioabus reditum cohoneſtarit. Omittitur quoque monitum regem poſt Abſalonis reditum de eius aduentu; ſimul etiam à Ioabo qui inchoatam reconciliationem perficere ſatagebat, rogatum, vt ad ſuum conſpectum reum ſiſti pateretur, veniæ videlicet petendæ cauſa; ſimulque vt de obtenta miſericordia, meritas debitaſque gratias præſens ageret.

& arcetur à patris cõſpectu.

At rex qui ingenium Abſalonis probe norat, & operæpretium ducebat noua ſeueritate illum in officio continere, & admiſſi facinoris grauitatem vehementius apprehendere, & diuturniore pœna luere, ſed ea pœna quæ periculo vacaret, non eſt paſſus eum adduci in conſpectũ ſuum; nulla tamen ſimultate, quam liberaliter abiecerat, in paterno pectore reſidente: id quippe alieniſſimum erat ab ipſius manſuetudine. Itaque iuſſit eum in domum ſuam reuerti, nec videre faciem patris ſui.

XXI. *Auit domum.*

Reversvs *eſt ergo Abſalom in domum ſuam*, & palatium regis non adiit, *& faciem* patris ſui *non vidit.* Vtique non ſine acri morſu doloris, quem tamen illa ſpes, ac cogitatio leniebat, quod ſibi perſuaderet, id facile mox impetratum iri; & ſatis eſſe nunc id quod difficillimum fuerat obtinuiſſe. Sic nimirum peccatores precibus amicorum Dei, ceteriſque ſalutis noſtrę præſidiis in hora mortis reconciliantur Deo; ſed ita tamen, vt extemplo faciem æterni regis non videant, donec culpas præteritas iuſta ſatisfactione purgauerint. Quo referre merito poſſis illud magni poëtæ.

6. Æneid.

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit;
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt——— & quamdiu?
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit.

XXII. *Salomõ ingenioſus.*

Vervm omiſſo pauliſper Abſalone, paruulum eius fratrem Salomonem, ſextum iam ætatis annum agentem inuiſamus. Cuius præcellens ingenium, & ſingularis indoles, ſanctæ parentum inſtitutionis præmaturè idoneum reddebat, & quotidianis augeſcebat incrementis. Nam vt recte notauit Pineda, [a] eo referri poteſt quod Salomon ſe puerum ingenioſum vocauit, [b] id eſt εὐφυῆ, quod non ſolum ingenium, & ingenitæ naturæ bonitatem ſignificat, ſed etiam ingenium vbertim & copioſe ſuccreſcens, inſtar generoſæ plantæ in ſolo felici. Quoniam vero egregia indoles ſine inſtitutione, & cultura ſylueſcit; & quo quis ad maiora natus eſt, eo euadit deterior, ſi illa deſideretur: (nobilia enim ingenia nihil mediocre parturiunt, ſed vel optima euadunt inſtitutione diligenti, vel longe deterrima, natura, vt eſt in malum prona, ſponte ferociam, & barbariem induente.) ideo Dauid quam maturrime Salomonem inſtituere cœpit, vt ipſemet Salomon in 4. Prouerbiorum teſtatur.

a l. 1. de Salom. c. 18.
b Sap 8 19. *bien né.*

XXIII. *Eius puerilis educatio.*

Avdite, inquit, *filij diſciplinam patris, & attendite vt ſciatis prudentiam.* & mox. *Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me.* Id eſt quamuis tenellus adhuc eſſem, & tenere diligerer à matre; nihilominus docebat me pater meus, atque dicebat, *Suſcipiat verba mea cor tuum,*

cuſtodi præcepta mea & viues. Tenellum ſe vocat, inquit Ianſenius, *& ſic vnice dilectum à matre, vt inſinuaret nec ob ætatis teneritudinem, neque ob maternam dilectionem, qua in delicijs habebatur à matre, patrem ab admonitione, & adhortatione ad ſapientiam abſtinuiſſe, quemadmodum ſtulti quidam parentes faciunt, nimium ætati, & dilectioni naturali indulgentes.* Sic ipſe. Nec dubium eſt hæc à matre quoque inculcata, vt Prouerbiorum trigeſimo primo ſignificatur. Exiſtimandum enim eſt vtrumque parentem, qui impenſe puerulum ex æquo diligebant, hæc ita filioli animo pro ſua prudentia inſtillaſſe, vt ea ille quaſi ludibundus addiſceret, quæ ſenſim ſine ſenſu animam bonam, quam ſortitus erat, ad omnem probitatem, & virtutis ſtudium informarent.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3005.

1. N. V. Vide Adrichom. in topographia tribus Iudæ num 236. Ab ea vrbe deſertum Thecuæ nominatum eſt, de quo mentio eſt in 1. Machab. 9. 33. Hinc oriundus Amos propheta; ibidem mortuus ac ſepultus traditur. Putant Hebræi, idque habet Sanctus Hieronymus in eorum traditionibus, hanc mulierem auiam fuiſſe Amos prophetæ, qua in re ſi eis lubet aſſentiri, caue tamen ſumas auiam proprie, matrem ſcilicet patris aut matris prophetæ: cum is prophetarit in diebus Oziæ, regis Iuda, vt habetur initio prophetiæ eius, initiũ autem regni Oziæ diſtat hinc 220. annis; vt nunc ne tritauia quidem eius nata fuerit.

2. N. *Volui*, ait Abulenſis, *iſtud dicere præſente populo, vt omnes nouerint ſententiam regis pro abſolutione filii mei: & nemo me inquietet amplius;* quæ eſt etiam Theodoreti mens, q. 29. eoque refert Septuaginta, qui legunt, *ὄψεταί με ὁ λαός.* quia aſpiciet me populus. Alii ex Hebræo vertunt, *quia terruit me populus*, vt de Abſalone, non de parabolico filio loquatur, quaſi dicat, feci in gratiam populi, quem vidi ob eam rem mœſtum, & quem hoc tuo beneficio exhilarabis. Caietanus hunc populi mœrorem ad metum belli ciuilis trahit: qui parum videtur hoc tempore probabilis: ſi metus fuit, omen fuit.

ANNVS MVNDI 3006. DILVVII 1350. QVINTÆ ÆTATIS 67. EXITVS AB ÆGYPTO 463. ARCÆ IN SIONE 17. DAVIDIS REGNI 27. ABIATHARIS PONT. 32. TROIÆ EXCISÆ 125. EVPALIS 16. IMPERII ASSYRIORVM 1075.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1047.

I. *Ratio temporis.* Belle nobis hactenus expanſi anni procedunt, vt ex anni huius indice innoteſcit. Nam ſi annos primæ ætatis 1656, qui ante diluuium excurrerunt, cum præſenti anno à diluuio componamus, exiſtet annus mundi, quem præfert index, ter milleſimus ſextus, Rurſum ſi præſenti anno imperii Aſſyriorum, adiunxeris 275. annos, qui a diluuio abierant, ante quam imperium Aſſyriorum conderetur, exacte in annum diluuii prænotatum incurres. Deinde annis exodi; adde reliquos Dauidis annos numero tredecim, & 4. Salomonis, explebis ad amuſſim annos, quos Scriptura numerat ab anno exitus ab Aegypto, vſque ad annum fundati templi Salomonis, nam 463. 13. 4. conficiũt 480. Denique anni mundi, coniuncti cum annis ante Chriſtum, in primum ab ortu Chriſti annum incidunt, quem ponimus quater milleſſimum quinquageſimum tertium.

(1656. / 1350. / 3006. — 275. / 1075. / 1350. — 3006. / 1047. / 4053.)

II. *Abſalom caret patris conſpectu.* Cæterum toto hoc anno, & poſteriore parte præcedentis, Abſalom ſiue Hieroſolymis, ſeu alio potius loco vicino Hieroſolymis, vbi domum haberet, exors aulæ regiæ, & paterni conſpectus fuit. Nam Hieroſolymis habitare extorrem curiæ & regiæ familiæ, intolerabile ſupplicium videretur; nec ille hominum oculos, tacitaſque cogitationes ferre potuiſſet. Neque huic ſententiæ aut Scriptura repugnat, [a] quæ ait manſiſſe Abſalonem in Ieruſalem, duobus annis, carentem conſpectu patris: aut Ioſephus [b] cum ait illum, vti iuſſus

[a] 2. Reg. 14. 28.
[b] l. 7. c. 8.

ABSALOM CARET PATRIS CONSPECTV.

fuerat deuitato patris conſpectu intra domeſticos parietes, cum ſuo famulitio ſe continuiſſe,& mox. *Ad hunc modum priuato cultu per biennium Hieroſolymis habitans.* Verum nihil vetat quo minus regiam hanc,omniumque maximam vrbem laxius paulo accipiamus,vt eo nomine etiam ſuburbanas domos, pagoſq. accipiamus. Sicque Iebuſæi dicuntur habitaſſe in Ieruſalem cum filiis Iuda, [a] licet habitarent in arce Sion,quæ tunc ab vrbe ſeparata,ac ſecluſa erat, vt alibi diximus. Et vbi legimus Adonibezechum adductum fuiſſe in Ieruſalem, [b] & ibi mortuum, explicat Ioſephus, *non longe à Ieruſalem*, vt in primo Othonielis ante dictum eſt. [c]

[a] Ioſ. 15. 63.
[b] Iud. 1. v. 7.
[c] num. 26.

III. *Quam id graue illi eſſet.*

ITAQVE habitabat Abſalom in vicinis pagis, aut domo aliqua ſuburbana; vt exilium non finiſſe, ſed in deterius mutaſſe videretur. Conſuetudinem ſcilicet aulicorum aui ſui,in familiaritatem & conuictum inurbanæ plebeculæ, & rusticanæ. Nam quod eum plerique viri primarij, vt par eſt credere, officij cauſa adibant, id dolorem exilij augebat potius,quam mitigabat; nec eum iacturæ, & calamitatis ſuæ obliuiſci patiebatur. Erat autem tanto acerbius hoc exilium,quanto magis præter expectationem contigerat, vt naufragium in portu feciſſe miſer Abſalom quodãmodo videretur. Cum enim Ioab ſimpliciter iuſſus fuiſſet à Rege reuocare Abſalom;nec vlla facta eſſet mentio exceptionis iſtius, de nõ vidẽda facie patris ſui;credidit vterq. Dauidem in plenam, ac perfectam cum filio recõciliationem conſenſiſſe,eumque omnibus filij iuribus reſtituiſſe. Ideoque legimus, [d] Ioabum Abſalonem adduxiſſe in Ieruſalem. Alioqui vitaſſet regis filius eam confuſionem, vt ex vrbe iuſſu patris rus amandaretur, & multorum, qui ei gratulabantur,ſuaque ſimul expectatione falleretur.

[d] 2. reg. 14. 23.

IV. *An cum confuſione reuectus.*

SED facile eſt intelligere quomodo huic confuſioni obuiam tum fuerit. Cum enim aliquot horarum itinere abeſſet ab vrbe,ſignificatum eſt Dauidi aduentare Abſalonem,ſi forte prodigo filio pater etiam obuiam ire vellet; & vt omnino ſignificaret quid fieri in hoc eius reditu placeret. Dixit autem rex: *reuertatur in domum ſuam,& faciem meam non videat*;quo ille nuncio accepto,iter non in vrbem,ſed in pagum aliquem,in quo domum haberet,recta direxerit. Idq. ſignificare videtur Ioſephus, [e] cum ait. *Rex vero audiens filium aduentare, miſit qui ei denunciaret ne ad ipſum accederet; nondum enim ita ſe affectum vt reuerſum videre ſtatim ſuſtineat.* Sic Ioſephus. Sed vt abeſſet hoc publicæ confuſionis malum, ipſa tamen excluſio ab aula in homine, qui in ipſa dudum florebat inter primos, magnum doloris ſenſum afferebat. Accedebat ad ægritudinis incrementum, quod huic nouo exilio nullus à rege præfinitus erat terminus,nullus præſcriptus finis.

[e] l. 7. ant. c. 8.

V. *Quid eum conſolaretur.*

ADERAT quidem Abſaloni non exigua conſolationis ſeges,quod vxore, liberiſque frueretur,quod rem domeſticam & priuatam per ſe ipſe adminiſtrare per otium poterat,& delicioſiſſimis agricolarum voluptatibus potiri, quas plerique ſapientes mirabiliter extulere dicendo, neque tamen ſupra meritum ac veritatem.Longe quippe lateq. patet. Neq.enim ſegetibus ſolum & pratis, & vineis & arbuſtis ruſticæ res lætæ ſunt, ſed hortis etiam,& pomariis,tum pecudum paſtu, &apium examinibus,tum florum omnium varietate.Nec conſitiones modo delectant, ſed etiam inſitiones, quibus nihil inuenit agricola ſolertius. [f] Quid agricolarum dico, quorum ſtudiis Hebræi mirifice capiebantur? In promptu erant voluptates virorum nobilium, atque principum, venationes, piſcatus, aucupia, armorum ac ludorum exercitationes multiplices, &c. Hæc tamen omnia homini ambitioſo ſordebant, qui vitam ab aulico fumo, ac ſtrepitu alienam,non vitam ſuauem,ſed mortem acerbiſſimam ducebat; quam id vnum quod deerat magis cruciabat,quam cætera omnia affatim congeſta delectarent; ſeque ad aulæ fores verſantem ingreſſu prohibitum, quẽdam reputabat è fabulis Tantalum, cui in mediis vndis,atque arborum pomis, neque potum neq. cibum liceret attingere.

[f] Cic. de Senect.

VI. *Salomonis inſtitutio, quæ eius præceptor an Nathan vel Nabath.*

SEPTIMVS interea Salomonis decurrit annus, qui ſerio inchoandæ puerorum inſtitutionis terminus præfinitur; cum ei adhibitus eſt pædagogus. Sed quis? Eum nobis ſuggerunt Hebræi apud S.Hieronym.in tradit. Hebraicis [g] Nabath patrem Ieroboam,pro quo male apud Pinedam legitur Nathan. [h] In omnibus enim exemplaribus S.Hieron.legitur Nabath,non Nathan, & libro tertio,& 4. regum centies Ieroboam filius Nabath dicitur,nunquam filius Nathan. De hoc

[g] in l. 3. reg. c. 1.
[h] l. 1. de Salo. c. 19 n 5.

ergo Nabath patre Ieroboam ſcribit Hieronymus eum fuiſſe magiſtrum Salomonis, alio nomine dictum Semei: qui propterea initio tertii Regum[a] dicitur fauiſſe Salomoni contra Adoniam, regnum Dauidis ambientem; illum inquam Semei, qui Dauidi maledixit, id enim ſignificat eius patria Bahurim, quam memorat S. Hieronymus. & affirmant recentiores Hebræi, quos merito reprehendit Abulenſis.[b] Ille enim Semei qui memoratur initio tertii Regum, vir erat magnæ authoritatis, cum ponatur inter eos, qui plurimum iuuare, vel impedire poterant regnum Adoniæ. Quod non conuenit Semei illi maledico, quem Dauid non diligebat, neque magnifaciebat, ſed eum, vt ſeditioſum hominem, apud ſe habebat, quaſi in libera cuſtodia: quem etiam mox iuſſit à Salomone interfici.[c]

a c. 1. v. 8.
b 3. Reg. 1. q. 20.
c 3. Reg. 2. 8. 9.

Aut Semei.

VII. Non videri.

Alivs ergo fuit ille Semei; ſed in ſimilitudine nominis, facile retuſum eſt Hebræorum acumen, vt paſſim inanes ſolent captare coniecturas. Nam quod à S. Hieronymo magiſter Salomonis appellatur, non magis intelligendus eſt Salomonis pædagogus, quam Rhei de quo ibi quoque eſt mentio[d] pędagogus Dauidis. Sic enim ſcribit *Semei ipſe eſt Nabath pater Hieroboam, qui fuit magiſter Salomonis, & fuit de Bahurim, id eſt de electis. Rhei autem ipſe eſt Hiram Zairites ſacerdos,[e] id eſt magiſter Dauid.* ſiue vir primarius in aula Dauidis, vt ibidem Lyranus cum Rab. Salomone, Vatablo, Chaldæo, Emanuele Sa, interpretantur, non repugnante Toſtato. ſicut ergo hic ſacerdos, ſiue magiſter Dauid, non fuit eius pædagogus, quem fortaſſe nullum vnquam habuit, præter cuſtodem pecorum: & quæ eſſet ætas pædagogi Dauidis tum ſeptuagenarii? ſic nec ille Semei pædagogus fuit Salomonis, ſed primario quopiam in aula officio functus eſt, quale fortaſſe fuit apud Romanos Magiſtri equitum, aut Magiſtri morum. Vide tamen quæ ſupra de Iahiele doctore filiorum regis diximus.[f]

d 3. Reg. 1. 8.
e 2. Reg. 20. 26.
f an. Daui. 1. n. 17.

An Iahiel.

VIII. Aut Nathan propheta.

Exavthoratis ergo hiſce magiſtris, dicamus credibilius eſſe commiſſum fuiſſe Salomonem inſtitutioni, & induſtriæ prophetæ Nathan, quem maximi faciebat Dauid, eoque familiariter vtebatur, vt alibi notauimus.[g] Certe Epiphan. in lib. de vita & interitu prophetarum[h] ait prophetam Natham honori ac venerationi Dauidi fuiſſe, tanquam numen aut ſanctum Dei. Et huic magiſterio præfectum Nathan ſentit Pineda libro 1. de Salomone cap. vlt. cum Lyrano[i] Hugone, Genebrardo improbante Dionyſio; Comeſtor autem ait Dauidem commiſiſſe Salomonem in manu Nathan, alludens ſcilicet ad locum 2. Regum 12. in quo tamen id non habetur, niſi in mendoſis codicibus. Nec mirum eſt Nathanem prophetam in regiæ pueritiæ inſtitutorem electum, cum alibi de Samuele oſtenderimus,[k] ipſum magiſtrū iuniorum prophetarum in Naioth extitiſſe. Ex hac porro puerili inſtitutione conciliatus videtur Nathani erga Salomonem amor, & ſtudium; quod aperte prodidit 3. Reg. 1. cum eius maxime conſilio, & opera Adonias de occupato iam regno deiectus eſt. Salomon autem factus eſt rex, vt ſuo loco dicemus.[l]

g an Salo. 1. n. 27.
h c. 8.
i 2. Reg. 12. 25.
k an. Saul. 12. n. 31.
l an. 1. Sal n. 19. 20. & ſeqq.

ANNVS MVNDI 3007. DILVVII 1351. QVINTÆ ÆTATIS 68. EXITVS AB ÆGYPTO 464. ARCÆ IN SIONE 18. REGNI DAVIDIS 28. ABIATHARIS PONTIF. 33. TROIÆ EXCISÆ 136. EVPALIS 17. IMPERII ASSYRIORVM. 1076.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1046.

I. *Summa rerum huius anni.*

HOc anno natum Salomonem putant, qui eum duodennem credunt regnare cæpiſſe, ſed id iam partim in vero eius natiuitatis anno, à quo hic numeratur octauus, confutatum eſt, partim initio regni eius amplius refelletur. Eſt hic potius annus reconciliationis integræ atque perfectæ Abſalonis cum parente ſuo, quæ ſub tempus meſſis contigit, vt ex incendio immiſſo in Ioabi ſegetem intelligitur. Epheſus quoque nobilis Aſiæ ciuitas, hoc anno condita memoratur; ſed ab hiſtoria ſacra, vt par eſt ducamus initium, quæ obiter aliquo de Abſalonis pulchritudine cæſariæ, liberis, inſerit, præmittitque narrationi de eodem Abſalone ad conſpectum patris admiſſo. Ad cuius conſtantiam, & fortitudinem pertinet, quod cum rectum eſſe iudicaſſet, filium ſuum priuare tam diu conſpectu ſuo, propter admiſſum ſcelus, tantæ pulchritudini inuitanti, & paternos oculos ſollicitanti non ceſſerit; ſed eam in promptu poſitam, & vltro ſe ingerentem, ac ſpectari cupientem, duos ipſos annos ſpreuerit, gemino affectu ad rectè rationis imperium ſubiugato. *Dauidis conſtantia.*

II. *Eximia Ludouici regis cōtinentia.*

VLTRO ſe ingerit hoc loco glorioſſimum illud facinus tuum, CHRISTIANISSIME REX LVDOVICE, quod in limine voluminis huius memoratum, rurſum deguſtare libet: reficit enim mirandum in modum religioſas mentes, atque exemplo prouocat tam inſigne, tamque inuſitatum temperantiæ regalis exemplum & in rege potentiſſimo, & in ætate feruidæ adoleſcentiæ ſingulare. Fuere qui ſibi probro ac pudori non verterent, regem ſuum, ad contemplandā ſpeciem eximia pulchritudine mulierculæ, blandiſſimo verborū lenocinio inuitare: nec locum ſacroſanctum, nec diuina myſteria, nec Ieſu Chriſti ſummi regis ac iudicis ſui præſentiam reformidantes: rati iuuenile pectus, imo etiam corpus emortuum, vel vnico aſpectu ad effrenatam tantæ formæ cupiditatē raptum iri. Veniſti ad templum, fortiſſime atque amabiliſſime princeps: is enim erat dictus certamini locus, ſed veniſti eo animo vt ſtatueres, ne minimo quidem oculorum coniectu venatricem illam venerem intueri; & propoſiti teſtem virum ſapientem, ad firmitatem, opinor, accepiſti; ſtatuiſti, vultum oculos, animumque conſtantiſſime tenuiſti, perſeueraſti inuictus, & æſtuantes illos operarios iniquitatis confudiſti, pellaciſſima inimica pudoris tui, pulcherrima victoria triumphata.

III. *Quanta, quamque laudabilis.*

VIDIT hanc victoriam, & cum ſumma voluptate vidit è cœlis ſanctiſſimus ille auus tuus, cuius tibi non ſolum adoptaſti nomen, ſed auguſtiſſimæ quoque caſtimoniæ intemeratam atque immortalem lauream adamaſti, vidit inquam, & hanc tibi perpetuam, conſtantemque laudem à ſupremo numine flagitauit. Quam laudem atque victoriam, Ludouice regum maxime, Annales hi, quemcumque illis temporum curſum ventura ſecula, aut ipſe potius Rex ſeculorum immortalis conceſſerit, nunquam deſinent prædicare: nec puritatis amator Dominus, tam in hoc lutulento certaminum curriculo, quam in aula illa beatiſſima, ad quam nihil admittitur inquinatum, copioſiſſima mercede munerari.

Sed redeamus ad Dauidem, cuius tanto eſt minor in hoc certamine gloria, quanto facilius eſt filium, quem videris millies, & à quo incredibili mœrore ac luctu affectus ſis, quantauis forma præſtantem non intueri; quam elegantiſſima *collata ad Dauidicā.*

EXITVS AB ÆGYPTO ANN. 464.

ABSALONIS PVLCHRITVDO, ET RECONCILIATIO.

forma puellam, nunquam hactenus conſpectam plurimorum ore celebratam, & in conſpectu poſitam, nolle ne per tranſennam quidem atque obiter aſpicere: quam eius, quæ tibi omni animi contentione placere appetat, ſyderibus certantes oculos, frontem eburneam, labia coralina, ceruicem lacteam, & genarum lilia mixta roſis ita contemnere, vt ne leui quidem, aut erratico oculorum coniectu digneris.

IV. *Abſalonis pulchritudo.*

AD Abſalonis autem formam quod attinet, hoc ei dant ſacræ literæ teſtimonium, non fuiſſe in vniuerſo Dauidis regno, qui ei pulchritudine æquaretur. *Decorus nimis*, inquit, *à veſtigio pedis vſque ad verticem non erat in eo vlla macula*, ſiue defectus aliquis qui reprehendi poſſet, aut improbari. Itaque duobus ex capitibus ſingularem Abſalonis pulchritudinem deſcribit, quod ſcilicet nullus eſſet in eo defectus, non integritatis ſingularum partium, & accuratæ abſolutionis earum; non debitæ proportionis, ac reſponſus membrorum omnium, non coloris congrui, ex conueniente internorum diſpoſitione procedentis. Altera formæ laus ex comparatione petitur. Nam toto in regno Dauidis non dubium eſt plurimos extitiſſe præſtanti forma, decoraque dignitate vultus; quos omnes Abſalon antecedere non potuit, ſine ſumma pulchritudine corporis; cui ſi animi quoque ac mentis pulchritudo reſpondiſſet, melius vtique fuiſſet ipſius ſaluti conſultum.

V. *Et cæſaries quādo tonſa.*

DE capillo eiuſdem ita legimus. *Et quando tondebat capillum, ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæſaries, ponderabat capillos capitis ſui ducentis ſiclis pōdere publico.* S. Hieron. in traditionibus, in hunc locum, ait aliter legi in Hebræo quam in latinis codicibus. *Non enim*, inquit, *ſemel in anno, vt latini codices habent, tondebatur caput eius, ſed ſtatuto tempore, vt in Hebræo legitur, id eſt de triginta in triginta diebus.* hæc ibi. Verum neſcio in quos hebræos codices inciderit Hierony. nam nunc etiam à pleriſque qui hebraizantes audiunt, vt Pagnino, Caietano, Vatablo, conſentanæe vulgatæ editioni vertitur. In quibus Vatablus: *Cum tonderet caput ſuum, quod fiebat ſingulis annis ad finem anni*, &c. Alij autem magis ad verbum, eadem tamen ſententia legunt, *à fine dierum ad dies*, vt Arias Montanus, quomodo habent Septuaginta regia, & Complutenſia; cætera *ab initio dierum in dies*, eadem ſententia. Hieronymus autem, ſi tamen Hieronymus, finem dierum vocat finem menſis, quod eo abſoluto, dierum enumeratio à capite reſumatur. Nec tamen apparet quî triginta dierum ſpatio cæſarie grauaretur caput.

1.σχ.

Sixti. Aldi Vverchel. Baſil.

VI. *Quod eius pondus.*

LONGE aliter Ioſephus. [a] τοσοῦτο μὲν δὴ γὰρ ἦν τὸ βάθος τῆς κόμης αὐτοῦ, ὡς μόλις αὐτὴν ἡμέραις ἀποκείρειν ὀκτὼ, σταθμὸν ἕλκουσαν σίκλους διακοσίους· οὗτοι δέ εἰσι πέντε μναῖ. *Cuius capitis*, ait Rufinus, *erat tanta cæſaries, vt vix octo diebus tonderi potuiſſet: & erat tonſuræ eius pondus ſiclorum ducentorum, qui faciunt quinque minas.* Gelenius autem multum à Græco abeſt. *Tanta*, inquit, *fuit eius cæſaries vt intra octauum quemque menſem, ad ducentos ſiclos, hoc eſt ad quinque pondo accreſceret.* Puduit fortaſſe Gelenium huius abſurditatis, & hic non tam interpretem quam emendatorem egit. Quis enim credat octo dies capiti vni tondendo poſitos? corrigendus eſt ergo Ioſephus, & ad ſacrum textum aptandus. In ſiclorum autem numero conſentit cum omnibus libris ſacris, omnibuſque linguis; præterquam bibliis regiis, vbi centum duntaxat habentur ſicli: At ducentos habet etiam Hieron. in traditionibus.

a l. 7. ant. c. 8. Comeſt l. 2. c. 24. habet nouem.

VII. *Expeditur.*

CÆTERVM hoc pondus comæ ducentorum ſiclorum durum videtur; cum enim ſicli pondus eſſet ſemiunciæ, centum vnciarum eſſet grauitas comæ, id eſt duodecim marcarum cum dimidia; vel etiam iuxta Ioſephum, qui ſingulis minis Hebraicis tribuit duas libras cum dimidia, [b] duodecim librarum & ſemis, quantum vix eſt ipſius capitis humani pondus. Ea tamen omnino videtur Scripturæ ſententia, ait enim Abſalonem curaſſe quotannis reſecari ſibi comam, quod ea grauaretur, idque non mirum fuiſſe; cum eius pondus eſſet ducentorū ſiclorum. Aliqui, quos referunt Lyranus & Abulenſis, putarunt eos capillos nō fuiſſe tanti ponderis, ſed propter pulchritudinem vendi ſolitos ducentis ſiclis, quod improbant quaſi turpe lucrum filio regis, & quaſi pretium iniuſtum, atq; improbabile, & quaſi ineptum muliebribus ornamentis.

b l. 14. c. 18.

κατὰ βάρος τῶ 70.

VIII. *Siclos ad valorem referri poſſe.*

ARBITROR tamen dici poſſe hos ſiclos, & hoc pondus ad pretium referri, 2
qui eſt multorum ſenſus à tanto capillorum pondere abhorrentium. Et quidem

2.σχ.

2.σχ.

Scriptura minime repugnante. Nam ait Abſalonem totondiſſe capillum quotannis, eiuſque rei cauſam refert, quod cæſarie grauaretur: dolorem ſcilicet capitis, ſiue grauedinem afferebant, qua vt moleſtia leuaretur ſe capitis ornamento priuabat, & quidem tam eximio vt ducentis ſiclis publicæ ac probatæ monetæ æſtimari poſſet, ideoque ſubdit eam cæſariem ponderaſſe; ſiue æſtimatam fuiſſe ducentis ſiclis publici ponderis: quo modo vulgo diceremus, *ils valloyent cent bons eſcus d'or & de poids.* Nec propterea turpe lucrum impingimus Abſaloni, non enim dicimus ipſum eos tanti vendidiſſe, ſed propter pulchritudinem, & longitudinem, & perſonæ dignitatem, tanti vulgo æſtimatos fuiſſe. Iſtiuſmodi enim rebus, ſicut & gemmis, & lapillis, aliiſque deliciis, pretium libido facit. Valent autem ducenti ſicli, argentei ſcilicet, aureos circiter nonaginta: quod pretium in ditiſſimo Dauidis regno minime improbabile eſt.

91. & 2. — 3.

Qvod ad liberos Abſalonis attinet: *Nati ſunt Abſalon filÿ tres*, vt Scriptura teſtatur, *& filia vna nomine Thamar elegantis formæ*, cui id nomen pater videtur dediſſe in memoriam. aut deſiderium ſororis ſuæ, vt ait Abulenſis: aut ipſa potius amita, quæ cum Abſalone morabatur, nepti nomen ſuum attribuit conſentiente patre. Eam Ioſephus Roboamo nupſiſſe ait, & peperiſſe Abiam; Hæc in 2. Paral.[a] dicitur Maacha, ex qua natus eſt Abia, qui regno paterno ſucceſſit; idemque affirmat in 2. Regum Abulenſ.[b] Qui tamen in 2. Par. cap. 11. in textus expoſitione, & mox q. 20. & cap. 13. q. 6. putat non eundem fuiſſe Abſalonem, qui genuit Maacha; & nititur diuerſitate vocis Abſalom in Hebræo, quæ nulla eſt. Iſti tamen eius ſententiæ chronologia potius fauere videatur. Nam ſi illa Maacha eſt eadem cum Thamare vix potuit eſſe vxor Roboami, quod ſic declaratur. Roboam primo triennio, quo roboratum eſt regnum eius, duxit plures vxores, quarum tertia dicitur Maacha. At filia Abſalonis, vel hoc anno, vel intra ſequẽs biennium nata eſt, non enim vixit diutius pater eius. Sit ergo duorum annorum in morte patris, in morte Dauidis fuerit 12 annorum, in morte autem Salomonis, qui quadraginta regnauit annis, quinquaginta duorum, quomodo tunc erat apta regio coniugio? quomodo quatuor ex ea filios ſcribitur ſuſcepiſſe? Denique quæ ibi[c] dicta eſt Maacha filia Abſalonis, aliquanto poſt[d] dicitur *Michaia filia Vriel de Gabaa*, id eſt de tribu Beniamin, vt explicat Abulenſ. at Abſalon filius Dauid erat de tribu Iuda, & de vrbe Hebron. Itaque alia fuit Maacha à Thamare contra Ioſephi aſſertionem: ſed bene habet quod quam Ioſephus[e] vocat vxorem Roboami, poſtea lib. 8. c. 3. in fine vocat matrem vxoris: appellat enim Micham filiam Thamaris.

IX. Filia Abſalonis Thamar.

a c. 11. 20.

b c. 14. q. 20

An Maacha Roboami vxor.

c 2. Par. 11. 20.
d 2. Par. 13. 2
e l. 7. c. 8. & 9. in fin.

Filii autem Abſalonis, qui tres hoc loco memorantur, à Scriptura taciti in obſcuro manſerunt; videntur certe perexiguo tempore vixiſſe. Ante mortem enim ſuam, quæ poſt biennium contigit, defectu liberorum erexit monimentum, quod eum liberorum loco celebraret, nec eius memoriam extingui pateretur. Nam hoc ipſo in libro[f] legimus Abſalonem, cum adhuc viueret, erexiſſe ſibi titulum in valle regis: *dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Iam ergo mortui erant. Idque probat Theodoretus q. 35. ſed aliam Ioſephi expoſitionem affert. *Eſt*, inquit, *veriſimile eum & liberos procreaſſe*, imo certum id affirmante Scriptura, *& eos deceſsiſſe. Ioſephus autem dicit eum hoc feciſſe, quod filii non poſſent diu durare, ædificium autem poſſet diu eius conſeruare memoriam.* ſic Theodoretus. Ioſephi verba hæc ſunt, λέγων ὡς καὶ τῶν τέκνων αὐτῷ διαφθαρέντων, ἐν τῇ στήλῃ μένει τὸ ὄνομα· *dicens, quod quamuis mortuis ſibi liberis, nomen tamen in columna manſurum.* Gelenius vertit, *quod etiam ſi liberos eius perire contingat, in hac tamen nomen ipſius eſſet manſurum.* Hic quoque inepti ſunt Hebræi apud Hieronymum, vt in Abſalonis morte dicetur.

X. Filii Abſalonis breuis æui.

f 2. Reg. 18. 18.

in tradit.

Seqvitvr vt laxatam interdictæ paternæ viſionis pœnam deinceps perſequamur. Angebatur Abſalom deſiderio perfectæ libertatis, & ſuam ab aula & conſpectu regis abſentiam, ægrè, atque intoleranter ferebat, vt anno ſuperiore dicebamus. *Miſit itaque ad Ioab, vt mitteret eum ad regem*: eo ſcilicet legato vteretur ad patrem. Hinc autem videtur confirmari poſſe, quod ſupra dicebamus, Abſalonem iuxta Hieroſolymam potius, quam Hieroſolymis fuiſſe. Facile enim erat in eadem vrbe commoranti, aut eum adire, aut illi occurrere. At ſi alter

XI. Abſalom ſatagit apud Ioabũ pro viſione patris.

vrbe vix egrediebatur, alter vrbem omnino non adibat, facile eſt intelligere rē per internuncios agi debuiſſe, & Ioabum ad Abſalonem ægre ſe contuliſſe. Cum ergo ſemel atque iterum vocatus Ioab non veniſſet, & deſideria dilata creſcērent, & opinio contemptus proprij Abſalonis indignationem mouiſſet, excogitauit conſilium quo Ioabum ſi non ſponte, & cauſa gratificandi amico, certe coa-

XII. ctum accuſandæ iniuriæ gratia, ad ſe quam primum venire compelleret.

Eius agrum ſuccendit.

Dixit enim *ſeruis ſuis Scitis agrum Ioab iuxta agrum meum habētem meſſem hordei? Ite igitur, & ſuccendite eum igni. Succenderunt ergo ſerui Abſalom ſegetem igni.* Vide quam promptos habeant famulos viri principes ad improba eorum iuſſa exequenda. Iuſſit Abſalom interfici fratrem in cœtu omnium filiorum regis, interfectus eſt, iuſſi ſunt ſegeti flammas immittere, & quidem ſegeti viri, qui omnia in regno poſſet: nihil periculum ſuum ſiue à Domino, ſiue ab eius famulis excuſarunt, nihil cunctati ſunt, ſuccederunt ſegetem igni. *Et venientes ſerui Ioab ſciſſis veſtibus ſuis dixerunt* domino ſuo. *Succenderunt ſerui Abſalom partem agri igni.* Hanc poſtremam clauſulam Hebræorum diſcipuli è textu eiiciendam putant, quod abſit ab Hebræo. Legitur tamen in Septuag. Romanis, & Aldinis, aliiſque, & latinis omnibus, etiam emendatis.

XIII *Ioabi cum Abſalone colloquiū.*

Svrrexitqve Ioab, *& venit ad Abſalom, in domum eius. & dixit, quare ſuccederunt ſerui tui ſegetem meam igni? Et reſpondit Abſalom ad Ioab, miſi ad te obſecrans vt venires ad me, & mitterem te ad regem,* vt opera tua perficerentur, quæ induſtria, & gratia tua recte inchoata ſunt. Aliqua hic strictim Scriptura complexa eſt. Nam credibile eſt additam quoque ab Abſalone promiſſionem de reſarciendo illato damno; iuxta illud *fores effregit, reſtituentur. diſcidit veſtem, reſarcietur.* Seges exuſta eſt, reparabitur cum lucro, hordea conflagrarunt, triticum reponetur. Nunc autem te, etiam atque etiam rogo, mi Ioab, vt regi exponas miſeriam ſortis ac conditionis meæ, qui neque domi ſum, neque in exilio, aut potius in exilio ſum longe acerbiore, cuius acerbitatem vicinitas ipſa quotidie exaſperat, & cruentat; *Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi eſſe: obſecro ergo vt videam faciem regis, quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.* Si ſic me cogit viuere, cogat mori.

XIV. *Ioab regem adit.*

Omissa eſt etiam hoc loco reſponſio Ioabi, & promiſſio officij apud regem ſui, id enim pertinebat ad præſentem afflicti Abſalonis conſolationem, quam ratio poſtulat minime fuiſſe neglectam. Promiſſionem ſecutus eſt effectus. *Ingreſſus* enim *Ioab ad regem, nunciauit ei omnia;* vberius Paulo Ioſephus. *Abſalonis verbis inductus Ioab, & vicem eius miſeratus, deprecatus eſt regem pro illo, & tam accurate & feliciter eius cauſam egit, vt flexus ad pietatem confeſtim eum acciri iuberet. Qui cum ſupplex illi ad genua veniam peccati petens, procidiſſet, ſua manu erecto, obliuionem omnium anteactorum eſt pollicitus.* Oblitus eſt etiam Ioſephus ſuauiſſimum illud paternæ beneuolentiæ redintegratæ argumentum, quod Scriptura memorauit, *Vocatuſque eſt Abſalom, & intrauit ad regem, & adorauit ſuper faciem terræ coram eo,* iacuit ſcilicet humi proſtratus ad regis pedes, quem beneuole excita tum rex oſculatus eſt.

qui filium ad cōſpectū admittit.

XV. *Quanta charitate.*

Evm morem frequentem fuiſſe apud Hebræos, præſertim in reconciliatione filiorum, ex parabola [a] recepti filij prodigi intelligi poteſt. Nam hic quoque cecidit Dauid ſuper collum Abſalonis, & oſculatus eſt eum. Quidni etiam dixerit ei Abſalom. *Pater peccaui in cœlum, & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Non dubium quoque magnum in omnibus circumſtantibus factum eſſe animorum motum, dum filius ſe abiicit ad pedes patris, pater ſe demittit ad collum filij, filius contritione, pater commiſeratione lacrymatur. Filius triſtitiam in corde, pudorem in vultu, in ore ſingultus, in oculis lacrymas habet: Pater miſericordiam in pectore, lætitiam in fronte, in ore oſcula, & toto corpore luculenta ſigna paternæ beneuolentiæ redintegratæ. Hæc ſi quis de manſuetiſſimo Dauide, & parente in filios indulgentiſſimo ſibi perſuaſerit, non vtiq; à veritate multum aberrauerit: vt tam ſingularis bonitas patris in Abſalonem reſipiſcentem, digna ſit imago diuinæ bonitatis in peccatorem pœnitentem, qui vt frequenter in gratia Dei non perſiſtit, ita nec Abſalon diu in officio perſeuerauit, vt ſequens hiſtoria declarabit.

[a] Luc 15.20

imago reconciliationis peccatoris.

XVI. *Epheſi antiqua nomina, & conditus.*

In hunc vigeſimum octauum regni Dauidis annum refert Euſebii chronicū apud Pontacum & Scaligerum, Epheſum conditam, quam alterum Aſiæ lumen

vocet Plinius, [a] & Amazonum opus, ſicut & Iuſtinus ex Trogo, dictamque ſcribit ille pluribus nominibus. *Alopes*, inquit, *cum pugnatum apud Troiam eſt, mox Ortygia, & Morges vocata eſt, & Smyrna cognomine Trachea, & Samornion, & Preles*; ſic ipſe. Fuit ergo Epheſus etiam Troicis temporibus. Quin etiam Pauſanias [b] ait Epheſiæ Dianæ templum iam celebre fuiſſe antequam venirent in ea loca Iones. Imo & Pindarum improbat, eademque opera Solinum Polyſtorem, [c] & Melam [d] ſcribentes, ab Amazonibus bellum Theſeo Athenienſium duci inferentibus, conditum. Vultque Thermodonteas iſtas mulieres ſacrificaſſe quidem Epheſiæ Deæ etiam tunc, quippe quæ templum illud iam olim noſſent, & quo tempore Herculem, ac multo ante Bacchum fugiegiebant, ſupplices eo ſe recepiſſent, *Ipſa tamen*, inquit, *eius operis autores nentiquam fuere Creſus enim homo indigena, & Epheſus quem Cayſtri fluminis filium fuiſſe cenſent, templum erexerunt. Et ab Epheſo quidem ipſa etiam vrbs nomen accepit, incolebant tunc eam oram leleges Carici nominis, & Lydorum pars magna.* Hæc de antiqua Epheſo, & templo eius Pauſanias in Achaicis. Eius autem reſtauratio ab Androclo facta, quare ante Ionicam emigrationem, quæ quadriennio poſt contigit, ponatur ſane non intelligo, ſine qua ne explicari quidem poteſt: itaque ad annum Troiæ exciſæ 140. differatur.

[a] l 5. c.29.
[b] l.7.p.græ. 207.
[c] cap 53.
[d] l.1 cap. de Ionia.
ſub.init.

Eius templi antiquitas.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3007.

1.N. V. PVblicum ſicli pondus ſiue regium, ſiue ſiclus regius, ſiue lapis regius, vt eſt in hebræo hoc loco, 2. Reg.14.26. imo & ſiclus ſanctuarij, vnum & idem ſignificant. Siclus enim quod eſt pondus ſemiunciæ, vnus atque idem fuit, quocumque nomine diceretur; vt fuſe dicet Villalp. libro ſecuudo de ponder. cap. 28. vbi & hunc locum affert, diſſentiente hic Lyrano, & Abulenſi, & Dionyſio: aliiſque etiam recentioribus, qua de re vide quæ diximus ann. mund. 2178. num.14. Schol. 3. & ann. 2138. num. 103. & alibi ſæpius.

2. N. VIII. In hoc difficili pondere capillorum, facile eſt interpretari in noſtram ſententiam editionẽ vulgatam. Nam nihil eſt frequentius apud Ciceronem ipſum, quam ponderare pro æſtimare, vt cum negat fidem ex fortuna ponderandam, & orationem aurium iudicio ponderandum: & vnamquamque rem momento ſuo ponderari oportet. Reprehendit & Epicuræos omnia voluptatibus & doloribus ponderantes. Ponderabat vero idem eſt quod ponderabatur, ſicut hoc ipſo loco tondebat eſt tondebatur, & ſæpe vocauit, pro vocatum eſt nomen, hebraica phraſi. Vtrum autem hebræa vox ſacal שקל aut græca ἵστημι metaphoricè ſumi in hac ſignificatione poſſint, inquirendum eſt: eam certe non reſpuunt, gallice dicimus *cela eſt de grand poids*

ANNVS MVNDI 3008. DILVVII 1352. 5[2]. ÆTATIS. 69. EXITVS AB ÆGYPTO 465. ARCÆ IN SIONE 19. REGNI DAVIDIS 29. ABIATHARIS PONTIF. 34. TROIÆ EXCISÆ 137. EVPALIS 18. IMPERII ASSYRIORVM 1077.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1045.

I. *Apparatus belli ciuilis, & ratio temporis.*

PRæparatvr hoc anno belli ciuilis incendium, cuius deflagratio anno proximo ſubſequetur: hoc anno pice & reſina repletur olla, vt vertente anno ſuccendatur, & facies eius à facie Abſalonis. Neque enim fieri poteſt, vt tanta animorum commutatio paucis diebus, aut menſibus ſimul excogitata, ſuſcepta, & perfecta fuerit; neque exiguo aliquo tempore tanta rerum perturbatio concepta & orta eſt, quantam indicant illa verba nuncij, *toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom.* Quis credat ſtatim à recõciliatione natam eſſe audaciam inſtruendi, ac parandi ſibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent ambitioſum hominum? Merito itaque hunc annum damus meditatæ ac paratæ ſeditioni, ac defectioni, quo ſcilicet Abſalom blandiebatur vniuerſo Iſraëli, & corda eorum ſuffurabatur patri, de quo malitioſe obloquebatur, & ſibi conciliabat, multam de ſe ſpem verbis concitando. Neque reperio qui non ſaltem annum tribuat huic Abſalonis ſimulationi, cui Toſtatus etiam triennium concedit, adeo vt quarto anno à perfecta reconciliatione, quæ præcedenti anno facta eſt, velit factam coniurationem in Hebron, quæ eſt Ioſephi, & Theodoreti ſententia; ſed nititur mendoſo loco, vt dicemus anno ſequenti. Chronologia vero quam probamus ac ſequimur, eſt Hieron. in tradit. qui annum ſextum à fuga Abſalonis tribuit præparatæ perduellioni: fugit autem anno 23. Dauidis, vt ſuo loco declaratum eſt: eſt Lyrani, qui illi molitioni dat vnum annum, aut circiter biennium. Tornielli, [a] & aliquot ſectariorum; & fere omnium qui annos accuratius diſtinxerunt.

[a] an mundi 3004. Caluiſij Capelli. Heluici

II. *Cauſa belli ... Deus vltor.*

Cavsam belli huius, ſi quis ex primaria ipſa cauſa accerſere voluerit, cum domeſticum hoc & ciuile bellum & pœna peccati fuerit, & peccatum, pœna qua caſtigabatur Dauid, & peccatum eius expiabatur: [b] peccatum quod ab Abſalone in patrem conſurgente perpetrabatur, non dubium eſt peccati vindictam vindici atque vltori Deo eſſe tribuendam, mala filij voluntate vtenti ad puniendum patrem. Adhuc enim vigebat illa vox, viguitque porro quamdiu Dauid in viuis fuit, *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis*, &c. Quin & Adoniæ ambitio, quæ moribundo Dauide ad inuaſionem vſque regni elata eſt, malum erat de domo Dauidis, & reliquiæ pœnarum eius. Eodem pertinuit Amnonis ſcelus, maiori Abſalonis ſcelere vindicatum. Eodem & præſens malum, quod ſuſcitaſſe dicitur Dominus, dum permiſit Abſalonis nefaria conſilia ipſi ex voto ſuccedere, & quæ male hoc anno machinatus eſt, peius ſequenti perpetrare.

[b] Abul q. 10 in c. 15. 2. Reg.

III. *... ambitio ... Abſalonis.*

Absalonem autem ambitioſa regnandi libido permouit. Perſuaſum quippe habebat ſe ſtatim à Dauidis parentis morte regnaturum. Amnon ſiquidem primogenitus de medio ſextum iam annum ſublatus occiderat; Daniel quoque, qui & Cheleab, mortuus fuiſſe creditur, cum nulla fiat eius mentio, idque putant Lyranus, & Dionyſius. Comeſtor vero ait ipſum vel inertem fuiſſe vel mortuũ. Itaq. mora ipſi expectandi diadematis longa videbatur. In parentis quippe annos, ambitioſorum more inquirens, duriſſimum illi erat ipſos viginti annos, quos facile parentis capiebat ætas, regnandi cupiditatem, tanquam gladium in vagina reconditum, retinere. Adde quod & regium ge-

nus ex parte matris animos illi facere poterat. Extimulauit etiam eum fortaſſe vlciſcendi exilii, ad quinquennium paterna ſeueritate prorogati, deſiderium; tam in parentem ipſum, quam in eos, qui cum à rege & iuſtitia ſtarent, & eius ſcelere offenſi fuerant, ei minime fauebant. *At vero ille*, ait de Abſalone Chryſoſtomus, [a] *harum rerum memoria indignatus, ſiue alias tyrannidem geſtiens, inſurgit in patrem; illumque rurſus ad fugas, erroreſq; perpetuos, quos perpeſſus erat ſub Saul reuocat. &c.*

a l. 3. de Prouid.

IV. Adiutor Achitoſel, & quare.

VIDETVR etiam Achitophel huius conſilii non ignarus fuiſſe, vt qui infenſo eſſet in Dauidem animo; quem ſatis prodidit, cum vocatus ab Abſalone, ſtatim ad eius ſe partes adiunxit, & concilium efficax dedit perdendi Dauidis. Sed vnde illi tantum tamque ſubitum, in optimum, & ſui amantiſſimum regem odium? ad cuius etiam affinitatem propter Bethſabæam pertinebat. De odio ſatis omnino conſtat, de cauſa non ita conſtat, ſed in coniectura eſt. Neque alia circunſpicienti apparet, quam illa ipſa Bethſabæa neptis eius, adulterio contaminata, & maritus eius Vrias malis artibus occiſus; quem vt virum optimum atque fortiſſimum ſeni chariſſimum fuiſſe par eſt credere, [b] & cum eo nuptias cum nepte copulaſſe. Etſi enim illa macula, coniugio tam honorifico ſubſecuto, deleta videbatur, & militis egregii iactura, in duce tanto præſtantiore multo cum fœnore compenſata; in eorum tamen numero fuiſſe videtur Achitophel, quibus iniuria, etiam poſt annos multos, manet alta mente repoſita, quibuſque nulla vnquam ſatisfactione fit ſatis, niſi ruina, & morte illius, à quo iniuriam aliquando acceperint. Video etiam notatum à Dionyſio, ex aliquorum ſententia, Abſalonem ea de cauſa ab Achitophele contra Dauidem male animatum fuiſſe. Eſt autem ſententia Abulenſis. [c]

b 2. Reg. 11. 3. & c. 23. 34.

c q. 18. in c. 15. l. 2. Reg.
d l. 2. c. 15.

V. Abſalonis ſtudia.

ABSALOM igitur Achitophelis conſilio vſus, vt Comeſtor quoque ait, [d] vt in regnum parentis poſſet inuadere, eumque de ſolio regio deturbare, animos populi ſibi conciliare, à Dauide autem auertere ſtudioſe conatus eſt: deinde aliquid ſibi regiæ magnificentiæ aſſumere, faciendo ſibi currus & equites. Hoc enim licet recitetur prius, tanquam inſolitum quippiam, & ſatis apertum ambitionis argumentum, quod etiam poſtmodum Adonias, [e] eodem morbo affectus ſibi vſurpauit; poſterius tamen factum videtur. Sapientes enim non ſatagunt inducere formam in materiam, niſi in eam idoneas diſpoſitiones induxerint; quia tamen vtrumque eodem anno contigit, non admodum intereſt quo vtrumque ordine narretur.

e 3. Reg. 1. 5.

VI. Qua illi animos demererent.

REGNI ergo candidatus Abſalom populares ſibi animos demereri ſtudebat. Et præterquam quod pellax eſt pulchritudo, qua præ omnibus florebat Abſalom, & ſpecies digna imperio: ad ipſum etiam trahebat materna nobilitas, qua inter omnes filios regis eminebat. 1. Trahebat etiam animos Hebræorum anticipata de regni ſucceſſione, illi tanquam primogenito debiti opinio: orientem enim ſolem, vt ait quidam, plures quam occidentem adorant. 2. Trahebat & florens iuuentus, & multa iam eius proles, 3. & acre ingenium, & animi vigor; 4. maxime autem illa humanitas in agendo, illa comitas, affabilitaſque ſermonis. *Cum enim accederet ad eum homo, vt ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum.* Nimirum deiiciebat ille ſe humiliter coram excellentiſſimo principe; nam in Hebræo eſt, *cum appropinquabat quiſpiam, & incuruabat ſe ei.* ipſe autem eum humaniſſime erigebat, atque oſculabatur. Quæ apprehenſio, & extenſio manus, ſpeciem quandam habet præhenſationis candidatorum; quæ longo poſt tempore in vſu apud Romanos fuit, eorumque ſeueriores mores vehementer labefactauit. Tanto autem magis demerebatur animos hæc comitas, quanto maior erat & gratior, qui ad hanc ſeſe abiiciebat humilitatem.

comitas eiuſdem & affabilitas.

VII. Querela de rege.

TRAHEBAT & ſtudium quod ille præ ſe ferebat promouendi vniuſcuiuſque vtilitatem: cum diceret, *videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti. ſed non eſt qui te audiat conſtitutus à rege.* Videtur hoc aperte falſum; neque malo ſolum animo ab Abſalone vulgo iactatum, ſed etiam improbabiliter, atque abſurdè. Nam ſupra ſcriptum eſt. [f] *Et regnauit Dauid ſuper omnem Iſrael, faciebat quoque Dauid iudicium, & iuſtitiam omni populo ſuo.* Verum Abſalonis phraſis tono quodam hominis contemptim, & cum quadam indignatione loquentis adiuuanda eſt, quaſi qui iudicarent nullo numero eſſent, ſed vt iamdudum filij Samuelis, [g] *declina-*

f 2 Reg. 8. 15
g 1. Reg. 8. 3.

rent poſt auaritiam, acciperent munera, iudiciaque peruerterent. Itaque ſubdebat, *Quis me conſtituat iudicem ſuper terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuſte iudicem?* Præ ſe fert publicæ vtilitatis deſiderium; ſimulque vitare cupit opinionem ambitionis, & patentis iniuriæ aduerſus patrem ſuum, cum iudicem ſe fieri velle ait, non regem, neque tamen ſatis eam tegit. Quid eſt enim fieri iudicem ſuper terram, vniuerſam ſcilicet Hebræorum regionem, quam fieri regem? quam autem negotiorum partem relinquet patri, ſi omnes ad filium venerint?

ambitioſa.

VIII. *Abalienat ab eo populum.*

Vides autem vt eadem opera animos ſubditorum abalienet, ac diſiungat à Rege, de eo loquens tanquam ſupremo iudice, negotia publica negligente, & ſingulis ſubditis ius ſuum reddere non curante: neque idoneum aliquem expediendis iuſtè litibus conſtituente. Sic autem facile erat litigatores contra regem commouere, & iam iratos, ſiue cauſa cecidiſſent, ſiue diutius cum moleſtia & ſumptibus litigaſſent, labefactare, & ſenſim à rege auertere. Et vt diligentiam ſuam in poſterum in expediendis cauſis venditaret, mane conſurgebat Abſalon, id eſt bene mane: Vatablus habet ante lucem, & quidem per ſingulos dies, vt ait Ioſephus, [a] & ſtabat iuxta introitum portæ regiæ, ad quam ſcilicet iudicia exerceri ſolebant, & omnem virum qui habebat negotium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat Abſalon ad ſe, vt oſtenderet ſe non reſpicere perſonam hominum, cum virum omnem nullo delectu, atque indiſcriminatim vocaret ad ſe, omnium curam gereret, omnibus beneuolus, omnibus etiam beneficus futurus ſi poſſet. *Per ſingulos dies mane*, ait Ioſephus, [b] *regiam frequentans, eos qui illic ius petentes cauſa cadebant, comiter appellabat; dictitanſque malos adeſſe patri conſiliarios, aut etiam ipſum in ferenda ſententia lapſum, popularem auram ita captabat.*

a l.7.c.8.

b l.7 ant.c. 8.

IX. *Parat ſibi currus & equites.*

His *artibus conſiliatis ſibi populi ſtudiis, certus iam de eius fauore, fecit ſibi currus & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum.* Falcatos currus intelligit hoc loco Abulenſis, [c] & equites, qui in equis armati pugnarent, parum ſane probabiliter in altiſſima pace: neque Abſalon iſto apparatu ſuſpicionem ſeditionis alicuius vitare potuiſſet: Cauillatur hic Caiet. ſtudio reprehendendi vulgatam editionem, quod ſcribendum fuerit *fecit ſibi currum & equos*, ad differentiam currus tracti, non per equos, ſed per alia animalia: curribus autem & equis quinquaginta pedites adiunxerit, qui ante eum currerent. At currum pro curribus, ſicut militem pro militibus, & peditem & equitem pro peditibus & equitibus, ſiue peditatu & equitatu, ſumi vulgatiſſimum eſt; equos etiam pro equitibus poni omnibus pene in linguis vulgatum eſt; & Septuag. tum equos tam equites habent, ſicut & plures currus, quo modo etiam Pagninus habet, & Vatablus. Nec vno curru omnes eius amici, viri primarii vehi poterant, nec vnus currus ambitæ magnificentiæ conueniebat.

c q.1.in c. 15.

X. *Et alios inſuper ſiue currus,*

Iosephvs idem apertè confirmat. P*orro Abſalon*, inquit, *in gratiam patris receptus; breui magnum equitatum, & multos currus ſibi comparauit, & ſatellitium armatorum quinquaginta.* Non affirmo iſtos omnes fuiſſe in equis: ſed nec docere poteſt Caiet. eos fuiſſe pedites; nam etiam equites currunt ante faciem principis, & quidem potius quam pedites: & huiuſmodi olim à Latinis Celeres dicebantur, quales ſibi Romulus trecentos delegerat; quos tam equites, quam pedites fuiſſe legimus, imo equites potius, vt ex feſto & Plinio perſpicuum eſt. [d] Et hi videntur eſſe, qui paulo poſt exploratores vocantur, & miſſi dicuntur in vniuerſas tribus Iſraël. Abulenſis putat hos fuiſſe viros, qui Abſalonem incedentem comitarentur, vt currere idem ſit, quod præcedere. Hoc fuit ſemen luctuoſiſſimæ ſegetis; hæc diſpoſitio in populo Iſraëlitico ad defectionem, & Abſalonis ad inuadendam tyrannidem; quæ proximo anno toto regno graſſabitur, & quaſi torrens inopinatus è mõtibus liquefacta niue erumpens, totos late campos inundabit.

ſiue aſſeclas

Vatablus, Liuius, Dionyſius d l.3 & l.3. c.2.

XI. *An Abſalom à Dauide reprehenſus.*

Annon ſentio, erudite lector, te hic aliquid à nobis etiamnum requirere, imo & à Dauide. Atque in eo vel prudentiam deſiderare, qui non animaduerteret quorſum hic filii apparatus pertineret, quem perfecto ignorare non poterat; cũ nemo eſſet in populo, qui eum non manu ipſa palparet, & tanquam inſignia regni non agnoſceret; vel certe ſollicitudinem optare & curam commiſſæ

ſibi diuinitus Reipubl. in cuius inſigne detrimentum exoriri videbat fluctus, à quibus in magnum naufragii periculum adduceretur. vel denique correctionem requirere filio iuueniliter exultanti, & paterna lenitate abutenti; à prouido ac beneuolo parente debitam. Neque enim hic magis apparet correctio, quam cum Adonias poſt annum decimum regnum affectauit. [a] Cum enim eandem cum Abſalone ille viam inſiſteret; addit Scriptura illum non fuiſſe aliquando à parente reprehenſum. Verum vt Adoniam in ſuum differamus locum; de Abſalone hæc videntur dicenda.

a 3. Reg. c. 1.

XII. Quomodo diſsimulauerit.

Primvm Dauidem minime ſuſpicacem fuiſſe, vtpote magni animi virum, minimeque ambitioſum; neque tribuiſſe hunc, quem præter conſuetudinem videbat, apparatum ambitioni, ſed iuuenili faſtui, quem quaſi diuturni exilij conſolationem aliquam, & quaſi compenſationem diſſimulandam putabat. Cæteram autem prehenſationem, & populi ſolicitationem magna ex parte credimus ignoraſſe: quod nemo eſſet qui facile hæc ad Dauidem referre auderet, ne ſuo periculo author fieret paternæ atque domeſticæ amicitiæ, quæ nuper ægrè coaluerat, diſrumpendæ. Et dum quiſque ſibi timet, & optat vt alius hoc officium occupet, ſæpe tardiſſime omnium illi res ſciunt, quorum maxime intereſt eas, remedij cauſa non ignorare.

XIII. ...t quare.

Deniqve etſi hæc fierent captandæ dominationis cauſa, vt etiam poſtea ab Adonia factum eſt: non tamen apertum erat in his ambitæ tyrannidis argumentum; cum eadem alio trahi poſſent, vti diximus: Alioqui enim maturè inſurrexiſſet Dauid in filios, nec permiſiſſet rem nimia lentitudine immedicabilem fieri. Exiſtimauerit Dauid Abſalonem ad ſummum ſignificare velle ſibi regni ſucceſſionem deberi, iuxta ea, quæ paulo ante diximus. [b] Et non erat ille quidem ſucceſſurus, cum Dauid regnum filio Bethſabææ ex diuina inſpiratione ſpopondiſſet, & promiſſionem iureiurando firmaſſet: permittebat tamen illum ſua ſponte ſe fallere, & proprio errore delectari; ne eum quem nuper in amicitiam receperat maturius contriſtaret: confidens interim nihil præiudicij cauſæ & iuri Salomonis afferri.

b num. 3.

XIV. Salomonis profectus.

Interea hic idem filius Bethſabææ Salomon, propheta Nathan gubernatore, ſiue pedagoguo ſapientiſſimo vtens, vtique & ſapientia, & ætate proficiebat in dies: itáque proficiebat, vt æſtimare paulatim poſſet quanti ea eſſet, vt amator fieret formæ illius, & ſponſaliorum candidatus. [c] *Hanc amaui*, inquit, *& exquiſiui à iuuentute mea.* ἐκ νεότητός μου, quod ſatis in hunc nonum Salomonis annum quadrat, & præmaturi ingenii puero: *& quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* Videntur etiam illi adiuncti fuiſſe nobiliſſimi quique pueri, vt cum eo alerentur, iiſdemque præceptis, & præceptore ad omnem virtutem, pietatem, atque eruditionem informarentur. Idque in more fuiſſe poſitum in regum & principum filiis, ſatis ex Roboamo intelligi poteſt, qui conſilium iuuenum, qui ſecum à pueritia fuerant enutriti, male ſecutus eam ſecurim iniecit fortunis ſuis, quam poſteriora ſenela ſentire magis, & lamentari, quam emendare potuerunt. Sed ne præpropere luctum occupemus; ſufficit diei malitia ſua: præſertim cum immineat nobis ciuile incendium Dauidi omnibuſque amicis eius valde luctuoſum.

c Sap. 8.

ANNVS MVNDI 3009. DILVVII 1353. 5ª. ÆTATIS. 70. EXITVS ET DATÆ LEGIS 466. ARCÆ IN SIONE 20. REGNI DAVIDIS 30. ABIATHARIS PONTIF. 35. TROIÆ EXCISÆ 138. EVPALIS 19. IMPERII ASSYRIORVM 1078.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1044.

I. *Summa anni huius.* TRIGESIMVS hic regni Dauidis annus, idemque ætatis eius ſexageſimus, ei omnium luctuoſiſſimus fuit, in quo per filij tyrannidem regno ſuo indigniſſime deturbatus, omnes bellorum ciuilium calamitates perpeſſus eſt, Deo peccata eius vlciſcente, vt ſuperiore anno dicebamus. [a] Eius tamen benignitate factum eſt vt tota hęc tempeſtas paucorum menſium circulo circunſcriberetur, & intra eundē annum occiſo, miſera illa quidē, ſed tamē iuſta morte tyranno, regno ſuo reſtitueretur, quæ anno Dauidis 30. contigiſſe tradit chronic. Alexandrinū. Cæterum circa tempus belli huius dubitationem nobis textus ingerit, cum ait, *Poſt quadraginta annos* Abſalonem à rege petiiſſe commeatum Hebronicæ profectionis, neque aperit vnde eius initium accipiendum ſit. Primo autem ponendum eſt, ita legi in Hebræo, Chaldæo, & Græcis omnibus: quibus non ſolum ſuffragatur S. Hieronymus in tradit. hebraicis, ſed monet etiam lectorem vt caueat mendoſos codices, in quibus pro 40. legitur 4. quam monitionē apud Angelom. quoque leges. Annos autem 40. probant omnes pene interpretes, tam huius quam ſuperioris æui, etſi in iis inchoandis diſſentiant. a Nu. 1.

II. *Ratio temporis; non anno quarto geſtum bellum.* QVATVOR tamen duntaxat annos hic ſuggerit Ioſephus, [b] neque Hebræos ſecutus codices, neque Græcos; cum ait Abſalonem quarto poſt reconciliationem anno oraſſe patrem, vt Hebronem adiret, quem ſecutus eſt Theodoretus, [c] Hugo Cardinalis, Abulen. [d] Adrichomius, & Turſellinus in ſuis chronologiis, quo etiam inclinat Lucas Brugenſis in ſuis notis. b l. 7. c. 8. c q. 29. in 2. reg. d q. 11. in c. 15.

NON eſt nihilominus deſerenda communis ſententia: præſertim cum altera nullo Scripturæ textu iuuetur, niſi deprauato; neque quidquam habeat cauſæ, cur à probato Scripturæ textu diſcedat: neque illi 4 anni ſatis commodam habeant expoſitionem: non à fuga Abſalonis, à quo ſeptimus agitur: non ab integra reconciliatione cum patre, hunc enim eſſe tantum ſecundum, non quartum, vt voluit Ioſephus, & qui eum ſecuti ſunt, ſequens annorum ſeries apertè monſtrabit. Denique inſtar omnium probationum eſſe debet Chriſtianis Scripturæ autoritas. Idque vnum quærendum eſt, vnde iſti quadraginta anni initium ducant, cum fere quot capita tot ſententiæ reperiantur.

III. *Sex quadrageſimi varie accepti.* VATABLVS ex eo tempore numerat quo petierunt Iſraëlitæ regem à Samuelē; anno decimo Samuelis. Vtrumque falſum putamus. Nam à petito rege hic annus nobis eſt quadrageſimus octauus, pleriſque quinquageſimus: eratque ille annus non Samuelis decimus, ſed vigeſimus tertius. Hieronymus in tradit. hebraicis ab occiſis ſacerdotibus, & euerſa Nobe numerat, *vt monſtretur*, inquit, *diuinam vltionem ſuſcitari ſuper Dauid, eo quod Abimelech ſacerdotem fefellerit, & propter eum tot ſacerdotum cædes facta fuerit.* Verum nulla ibi Dauidis culpa fuit, vt tum oſtendimus, & hic annus ab ea cæde, quæ incidit in 13. Saulis annum, eſt trigeſimus ſextus. Quidam à cæde Goliathi numerant, à qua tamen hic annus eſt 39. etiam computatis extremis. Alii à natiuitate Abſalonis, à qua vix trigeſimus agitur, tertius enim filiorum Dauidis natus eſt in Hebron, ſub initia regni Dauidis. Alij à morte Saulis, & initio regni Dauidis, à quibus metis hic trigeſimus annus eſt, non quadrageſimus. Sed nec res adhuc à Dauide gerendæ patiuntur, vt hic annus ſit quadrageſimus regni Dauidis, quando emortuo pene corpore vix calefieri poterat, cum nunc etiam pedes iter conficiat, & bello idoneus egrediatur ad pugnam.

Rectivs ergo dixerimus initium horum annorum à prima Dauidis vnctione ſumendum eſſe ; quæ numerandi ratio cum noſtra chronologia rectiſſime congruit; facta eſt enim Dauidis anno vigeſimo , Saulis octauo , totis annis decem ante mortem ipſius ; à qua vnctione hic quadrageſimus primus numeratur annus , vt Scriptura requirit, quæ ait, *poſt quadraginta autem annos dixit Abſalom ;* Hebræi in fine quadraginta annorum , Septuaginta , ϰ ἐγένετο ἀπὸ τέλους τεσσαράκοντα ἐτῶν, Vatablus , exactis autem quadraginta annis , male Tigurina , appetente, ſiue ineunte anno quadrageſimo , cum oporteat , ſi Scripturæ conſentimus , eſſe abſolutum. Hanc autem omnem opinionum varietatem , & probabilitatem magnam ſententiæ noſtræ (quæ aliorum quoque multorũ eſt, in quibus Torniel. a.m.3005.n.2.& 3. Emanuel Sa, Abul.q.13.in c.15. Paulus Burg. Lucas etiam Brug eam vero ſimillimam putat, quibus cum ſentit Codomanus l. 1. c. 15. chronic.) ex eo quem ſeorſim ponemus ſchemate per te perſpicies, ſtudioſe lector, atque opinor probabis. IV. Videri à prima Dauidis inunctione.

[a] Vide ſup. an.7 Dauid n 33.

Qvod ad rem ipſam attinet, [a] animaduertenda primum eſt ambitionis hypocriſis, quæ ſeſe religionis integumento conatur obtegere. *Vadam*, ait regi Abſalom, *& reddam vota mea , quæ voui Domino in Hebron. Vouens enim vouit ſeruus tuus cũ eſſet in Geſſur Syriæ dicens , Si reduxerit me Dominus in Hieruſalem ſacrificabo Domino. Votum ſe vouiſſe*, ait Hieron. in trad. hebr. *mentiendo dixit , id eſt orationem facturum* 2 *in loco , quo requieſcunt Abraham , Iſaac , &* Iacob. ſic ipſe. Quod apertè oſtendit, etiam Dauidis tempore religioſe coli ſolita monimenta ſanctorum , votaque Deo ſub eorum patrocinio facta fuiſſe, ac perſoluta. Re enim dubia vel inſolenti, non bene texiſſet mendacium ſuum Abſalon , nec habuiſſet eius prætextus vllam apud Dauidem probabilitatem. Abſalonem imitati ſunt qui ſpecie reformandæ religionis, reges legitimos è ſuis regnis exturbare conati ſunt. De Hebrone autem religioſis peregrinationibus adiri ſolito , vide quæ alibi notauimus. [b]

V. Voti prætextus ad ambitionem.

2. ε7χ.

Hebron, & loca religioſa.

[b] to.2.a.m. 2589.n.15.

[c] Eccl.5.3.

[d] Dan.23 31

At mirum eſt inquies , Dauidem non ſenſiſſe fraudem. Primum quod videret tempus importunum reddendi voti , poſt quartum denique annum , ex quo reduxerat eum Dominus in Hieruſalem , cum Scriptura dicat, [c] *Si quid vouiſti Deo ne moreris reddere , diſplicet enim ei infidelis , & ſtulta promiſſio.* Et apertius lex ipſa: [d] *Cum votum voueris Domino Deo tuo , non tardabis reddere , quia requiret illud Dominus Deus tuus , & ſi moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.* Secundo quod ſacrificij locus, quãdoquidem ſacrificium vouerat , erat vel in ſanctuario in Gabaone , vbi erat excelſum maximum , vbi præerat Sadoc ſacerdos ; vel in Sione ante arcam Domini , vbi erat ipſemet pontifex , cum plurimis ſacerdotibus & leuitis. Tertio quod perſona ipſa iam ſuſpecta eſſe poterat , ſiue quia iam prætextu conuiuij cum regem ipſum cum filiis eius, inuitaſſet, Amnonem fratrem interfecerat: ſiue quia illum nimium ſuperbientem , ſeſeque in curribus & equis audacius efferentem animaduertebat.

VI. Quæ ſuſpectum redderent hoc votum.

[e] AidS Abu. 2.Reg. c.15. q 24.

[f] Pſal.37.11.

Dicendvm fortaſſe maluiſſe Dauidem videri, agendo cum ſuis , parum prudentem, quam nimium ſuſpicacem ; cumque ſuos valde diligeret, vt erga hunc ipſum Abſalonem poſtea demonſtrauit, paterna charitas non patiebatur eum cogitare malum. Quin & Deus ipſe cuius prouidentia hanc telam ordiebatur, Abſalom aduerſus parentem ſuum, quiq; [e] filii opera caſtigatum cupiebat, patrem obtuſiorem fieri paſſus eſt in his ſtudioſius obſeruandis, & ſapientius præcauendis; vt illud vſurpare poſſet , [f] *Cor meum conturbatum eſt , dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.* Interim dum *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Et qui inquirebant mala mihi locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Abſalom atque Achitophel. Non temere quoque potuit exiſtimare Abſalonem, qui Hebrone natus, atque educatus fuerat, ſingulari quapiam erga eum locum deuotione affici , locum etiam Dauidis ipſius ſacrificiis dum ibi regnaret , honoratum , locum ſanctorum patriarcharum lipſanis redditum anguſtiorem: cum tamen ipſe locum eligeret ad coitiones coniuratorum , & ſuam coronationem, ſicut olim Dauidis , ipſa vicinitate Hieroſolymorum ſatis idoneum.

VII. Qui fraus à Dauide nõ animaduerſa.

VIII. *Ordo rei ab Abſalone geſtæ.*

Hoc autem modo progreſſus eſt Abſalom, Primo accepit à rege commeatum, vt ſub ſpecie voti religioſius perſoluendi, multo cum comitatu proficiſci poſſet: multaſque victimas pacificas in conuiuia mactare. Secundò miſit nuncios per vniuerſum regnum, qui vbique populos monerent, vt præſcripto die & hora, ad clangorem buccinæ regem Abſalonem proclamarent, & ad eum quaſi regem agnoſcendum in Hebronem frequentes confluerent. Tertio profectus eſt ipſemet in Hebron, non ſolum cum ordinario cætu domeſticorum & amicorum, qui conſiliorum eius participes erant; ſed *fuerunt etiam cum eo ducenti viri de Hieruſalem ſimplici corde, & cauſam penitus ignorantes*, qui alioqui Abſaloni contra Dauidem non fauiſſent: qui mox videntes ſe per imprudentiam in coniuratione implicatos, progrederentur in facinore, quod noluiſſent inchoare: quod conſilium vtiq; videtur ex Achitophelis hominis vaferrimi officina prodiiſſe, vt non tantum illi deducerentur in fraudem, ſed aliæ etiam ciuitates, quæ Hieroſolymitarum exemplum facilius ſequerentur.

IX. *Achitophel cum Abſalone. ſit Rex Abſalom.*

QVARTO accerſiuit Achitoph. totius machinationis, vt diximus, [a] architectũ, idéq; affirmant Comeſt. Lyra. Abul. Dion. qui diſſimulandi cauſa fortaſſe in oppido ſuo tunc erat, vt ſi res minus ſuccederet, victori Dauidi innocentiã ſuam facilius probare poſſet. Quinto venitur in Hebron, ſacrificia & conuiuia celebrantur, inungitur, ac proclamatur, rex Abſalon, confluũt vndiq; populi quos ſibi toto anno ſuperiore ille demeruerat: fit coniuratio valida 3. quod explicatur, dum ſubditur, *populuſq; cõcurrens augebatur cum Abſalõ*, dum ille per duos treſve dies inſtaurat ſacrificia, & populares epulas. Innocentibus nihildũ mali ſuſpicantibus. Exiſtimat Pineda [b] Abſalonem in regem inunctum fuiſſe, & vnctionem ſecutum eſſe clangorem buccinæ; idque colligit ex ſimili facto, in vnctione Iehu & Salomonis: ſed res apertior eſt ex Scriptura ipſa, [c] quam vt à ſimili colligere neceſſe ſit. *Abſalom*, inquit populus, *quem vnximus ſuper nos, mortuus eſt in bello.* Et conueniebat Tyrannum nihil omittere ceremoniarum regiarum, vt nihil in eo, quo minus verus eſſet rex, deſiderari videretur. Itaque & de iureiurando fidelitatis ei exhibito facile Lyrano aſſentior.

Et inungitur. *accipit iuſiurandum fidei.*

[a] an præced. n. 4. 2. Reg. c. 15. [ſ] v. 12. [b] l. 2. de Salom. c. 6. nu. 6. [c] 2. Reg. 19. 10.

X. *Venit Hieroſolymam, Dauidi vitam & regnum ablaturus.*

POSTREMO venitur in Ieruſalem, vt vel vi, vel deditione rex & ciuitas in poteſtatem Abſalonis deueniant: & rege interfecto, ipſe pacifice, ac ſine vllo timore dominetur. Nam Abſalonem ſimul de regno occupando, & patre de medio tollendo conſilium cepiſſe ait Ioſephus, [d] eique aſſentitur Theodoretus. [e] Quæ cauſa fortaſſe Ioabo fuit, vt cum viuum haberet in ſua poteſtate Abſalonem, ipſum ſeruare noluerit; quamuis eo facto ſe regis ſui violare imperium exploratum haberet. Merito certe crederet Abſalom, & eius conſiliarius Achitophel res ſuas viuo Dauide ſtare non poſſe; ad quem populus eadem poſtmodum facilitate reuerteretur, qua ab illo deſciuerat: præſertim qui Dauidis facilitatem in condonandis iniuriis non ignoraret; & eum alioqui à Deo in regem electum, & à ſe confirmatum, multis magniſque de cauſis diligeret, ac veneratur. Hæc circa Abſalonem geſta, ſub ipſius belli ciuilis initium ſcriptura ſuggerit. [f]

[d] l. 7. c. 8. [e] q. 29.

XI. *Nunciatur coniuratio Dauidi.*

INTEREA vero venit nuncius ad Dauid, & quidem tardius, vt putat Lyran. & Abulenſis, quod viæ iuſſu Abſalonis cuſtodirentur, vt tanto maiores ad ipſum copiæ cogerentur, & ciuitas cum rege nec opinantes & imparati opprimi poſset. Dixit autem paucis, vt in re trepida nuncius. *Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom.* Mirum enim in modum eos labefecerat Abſolom, & à Dauide abalienatos in ſui amorem blanditiis, ac ſpe melioris gubernationis traduxerat. Et Deus qui ſe malum de domo eius ſuſcitaturum prædixerat, facilem præbebat populum Abſalonis, vt perſuaderetur partes eius ſectari, Dauidis aſpernari, ac deſerere, vt ait Abulenſis: [g] Eius rei non inſcius *Dauid ait ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Hieruſalem: Surgite, fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom; feſtinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij.* Agnoſcebat videlicet pius rex ſe, Deo pro illo ſtante, non poſſe reſiſtere; itaque vltro cedendum Deo.

[f] 2. Reg. c. 15. [g] q. 10. in c. 15. 2. Reg.

XII. *Eius virtutes. Amor populi.*

NIHILOMINVS in tam repentina calamitate multiplex Dauidis virtus agnoſcitur. Primum amor boni principis in populum ſuum, cuius ſalutem

& incolumitatem honori proprio antetulit, dum elegit exprobrabilem fugam qui in Sione, & in ciuitate Dauid cum Cerethæis & Phelethæis, & lectiſſima ſexcentorum militum manu, ad multos annos obſidionem ferre potuiſſet. Secundo timor Dei, vindicis peccatorum eius, quem non dubitauit hoc contra ſe flagellum quatere, ac vibrare, & tyranno contra ſe victoriam largiturum, quibuſcunque tandem copiis domi foriſve cinctus eſſet. Tertio emicat eximia demiſſio animi, hanc pœnam & confuſionem humiliter acceptantis, imo & augentis, vt qui pedes cum omnibus ſuis, imo & nudis pedibus abiret. [a] Quarta est ſingularis patientia & manſuetudo vere Dauidica: qui in tam repentina perturbatione, & confuſione rerum, in tam nefario filii ſcelere, in tam atroci iniuria ſua, nullam impatientiæ vocem effudit: nullam in ingratiſſimum, omnibuſque ſuppliciis digniſſimum filium querelam. Itaque notauit Theodoretus [b] filium non vocari à Dauide parricidam aut fratricidam, ſed regem. Etſi Ioſephus dicat Dauidem cum amicis de amentia filii collocutum, περὶ τῆς τοῦ παιδὸς ἀπονοίας.

2 Timor Dei. *3 Demiſſio animi.* *4. Patientia.*

a infra v. 30. *b q. 19. in 2 Reg. v. 19*

XIII. *5. Fiducia in Deum.*

Ac ne in Deum quidem tam funeſto contra ſe verbere ſæuientem commotus eſt, quin potius egregia in Deum fiducia ad eum confugit, cum pſalmo illo tertio, quem ex titulo conſtat ab eo compoſitum, cum fugeret à facie Abſalonis filii ſui. *Domine*, inquit, *quid multiplicati ſunt qui tribulant me, multi inſurgunt aduerſum me*, vniuerſus videlicet Iſrael, toto corde Abſalonem ſequens, & ſub eo militans aduerſum regem ſuum. Multi etiam, ex ipſius fortaſſe confeſſione Dauidis, hanc ei iuſto Dei iudicio infligi pœnam agnoſcebant, ſed quaſi ab eo penitus deſerto, ac repudiato, de quibus ſubdit, *Multi dicunt animæ meæ non eſt ſalus illi in Deo eius*, in quibus erat ille Semei, de quo poſtea. Sed ecce afflicti & fugitiui regis ſpem & fiduciam in Deum. *Tu autem Domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Suſcipies nimirum pro paterna, & ſolita tua in me beneuolentia, exulem, & domo ſua profugum; glorioſum reddes inhonoratum, & confuſum, & exaltabis humiliatum, ſeſeque libenter deiicientem: & caput ad ſuſcipienda verbera tua inclinantem; *& cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis.* [c]

Pſal. 3.

c Habac. 3 2.

XIV *Fugam init cum ſuis.*

Cvm ergo ſerui Dauidis agnoſcerent ipſi certum eſſe, ex arce atque ex vrbe, Deo & Abſaloni cedendo, ſine pugna profugere, nihil plane reluctati ſunt, cū tamen eſſent omnes viri fortiſſimi, & flos ipſe bellatorum totius Iſraëlis. Huiuſmodi autem viri cum mortis inſtar putent cedere hoſti, imo fugere. & quidem ſine vllo certamine, videtur ſine dubio aliqua Dauidis ad ipſos admonitio, pro rei & temporis opportunitate anteceſſiſſe; vnde factum ſit vt ei dicerent, *Omnia quæcumque præceperit Dominus noſter rex, libenter exequemur ſerui tui. Egreſſus eſt ergo rex, & vniuerſa domus eius pedibus ſuis.* Non deerant vtique aliquot equi in regia, non deerant currus, quibus vel ipſi viri primarii, vel certe ſupellex aliqua, & cibaria deferrentur; ea tamen omnia vel feſtinatione, vel patiendi deſiderio, vel egregia in Dei, etiam punientis prouidentiam fiducia, rex ſanctiſſimus prætermiſit, ſperans ſe hac ratione celerius diuinam miſericordiam conſecuturum; quam etiam, reorum in morem profugiens, prouocabat.

XV. *Relinquit domi concubinas.*

Et *dereliquit rex decem mulieres concubinas ad cuſtodiendam domum*, non quidem contra vim hoſtium; alioqui non mulieres, ſed viri fortes in arce tanquam in præſidio relinquendi fuerant ſed vt lenitate & agendi manſuetudine copias Abſalonis à cæde atque incendio reuocarent, [d] neque cogitauit, Deo ita diſponente, fieri poſſe, vt reuera factum eſt, vt earum pudicitia non ſolum periclitaretur inter militares viros, ſed etiam iniuriam pateretur, ex quo factum eſt, vt Nathanis vaticinium impleretur. Alias autem vxores, vel ſecum duxit, nam etiam cum fugeret à facie Saulis, vxores ſecum habuit, vel eas in locum aliquem munitum tranſtulit, vt Dionyſius exiſtimat, eas certe Dominus adulterio pollui non permiſit, quamuis in eodem vaticinio vxorum mentio nominatim facta eſſet: itaque vxorum nomine ibi concubinæ intelligendæ ſunt, vt alibi ſæpe. Sed iam aſſectemur regem profugum domo, incertum loci ad quem ſe reciperet. niſi quod deſertum verſus, nota ſibi iampridē loca, & frequentata, dirigebat iter.

d vide Abul. q. 24 inc. 15

Quid factū vxoribus.

XVI. *Abit in incertum.*

Eo pertinent illa verba Dauidis ad Ethai, *ego autem vadam quo iturus ſum*, id eſt ad locum neſcio quem, vt quidem explicant; [e] id eſt non certo mihi definitum vt fugientibus contingit, & infra, *ecce ego abſcondar in campeſtribus*

e Abul. Vat.

deſertis. Poſtea tamen, opera Chuſai amici ſui admonitus, tranſgreſſus eſt Iordanem. Etſi Ioſephus [a] in ipſo ſtatim exitu ab vrbe, imo ante exitum, & conuocatos amicos decreuiſſe dicat vltra Iordanem in tutiora ſe loca recipere. *Egreſſus ergo rex, & omnis Iſrael pedibus ſuis, ſtetit procul à domo*, id eſt non ingreſſi ſunt domos, vt late circumſpicerent, ſi quis ad eos de amicis ſeſe reciperet, vti poſtmodum factum eſt. Vel certe quoniam turmatim, & ſine ordine, ob feſtinationem egreſſi erant ab vrbe, ſubſtitit Dauid in idoneo aliquo loco extra vrbem vt ſuum omnibus locum bonus Imperator aſſignaret. Nam ſubdit *Et vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Pheleti, & omnes Gethaei pugnatores validi ſexcenti viri, qui ſecuti eum fuerant de Geth pedites praecedebant regem.*

a l. 7. c. 8.

XVII. Quis in abitu eo modus.

Servatus videtur hic ordo, primum vt locum attribuerit antiquis illis ſuis ſociis, & exilii comitibus, in ſpelunca Odollamitica, in praeſidio Moab, in expeditione Ceilana, in Ziphaeorum deſertis locis, in Siceleg Gethaeorum, in ſuburbiis Hebronis, & deinceps totis triginta annis regni Dauidis, plurimis ſub eo confectis ſtipendiis cum eo conſenuerant. Et ſcilicet manebat idem numerus, ſuffectis ſemper pari numero viris egregiis in defunctorum locum. ſicut de tribus millibus Saulis [b] alibi notatum eſt, & de 30. fortibus poſtea dicetur. Medio in agmine erant domeſtici regis, qui latera eius ſtipabant, vbi & imbellis turba, quaecumq; Dauidem ſecuta eſt; Hos poſtremo excipiebant legiones Cerethi & Pheleti, quos regii corporis cuſtodes fuiſſe alio loco diximus. Hi triariorum inſtar erant, qui imperum ſubſequentis ex vrbe hoſtis conuerſis vultibus exciperent, ſi res ita ferret. Dum rex e re nata conſilium caperet, & quid fieri placeret imperaret.

b 1. reg. 13. 2. & c. 14. 3.

XVIII. Quis Ethai Gethaeus.

In luſtrandis autem, & ordinandis ſuis, vidit Rex Ethaï Gethaeum, [c] quem Hebraeus Kimhius ait non improbabiliter fuiſſe filium Achis Gethaeorum regis, quod confirmat Comeſtor, Dionyſ. & Hugo Card. nec repugnant Lyranus & Abulenſis. [d] Hic ergo Dauidis virtute commotus, quam aliquandiu apud Patrem erat expertus, ei ſe cum aliquibus ſociis, qui hoc loco vocantur fratres eius, dediderat, & in Dei cultum relicta infidelitate tranſierat. Theodoretus certe eum proſelytum vocat. [e] *Regem*, inquit, *ſecuta eſt clypeatorum, ac ſatellitum multitudo. Secutus & Ethai Gethaeus, cum ſexcentis viris electis, qui nuper quidem patriam reliquerat; factus autem fuerat cum ſuis ſubiectis proſelytus.* Vides Theodoretum non diſtinguere praedictos ſexcentos viros, qui habitatione tantum Gethaei fuerant, ab his qui Gethaei origine ad verum Dei cultum traducti erant. Nec res in hebraeo, aut graeco ſatis diſtincta videtur. Hieronymus tamen in editione vulgata aperte ait illos ſexcentos viros ſecutos fuiſſe Dauidem venientem de Geth, & quidem ante annos triginta; mox à morte Saulis cum iſti ſocii Ethai, heri, id eſt nuperrime de Geth veniſſe dicantur: & illi Dauidem, iſti Ethai ſecuti fuerint, illi peregrini non eſſent, vt qui in patrio ſolo verſarentur, iſti peregrini a Dauide appellentur; quae eſt interpretatio Toſtati. [f]

c l. 2. reg. c. 15.

d q. 27. in c. 15.

e q. 29. in l. 2. reg.

f q. 27. & 28 in c. 15. l. 2. Reg.

XIX. Ei Dauid reditum ſuadet.

David ergo qui iſtis proſelytis compatiebatur, veritus ne recentes plantas repentina tempeſtas extirparet; ad eorum ducem conuerſus, *Cur venis* inquit, *nobiſcum? reuertere, & habita cum rege*; Abſalone ſcilicet: regem vocat, ne ſi tyrannum, quod ei nomen verius conueniebat, appellaſſet, hoc ipſo reuerſionem quam ſuadebat diſſuadere videretur: habita vero *quia peregrinus es, & egreſſus de loco tuo; heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi.* Reliquiſti patriam, vbi vero Deo libere ac quiete ſeruire non poteras, vt hic ſancto otio fruereris, apud Dominum Deum Iſrael, ad quem veniſti, & ſub cuius confugiſti alas. [g] Quieſce itaque Hieroſolymis, neque vagam nobiſcum, & incertam peregrinationem, illi quieti anteruleris: neque enim mihi adhuc conſtat quonam ſim iturus, aut vbi locorum ſubſtiturus. *Reuertere*, itaque Hieroſolymam, *& reduc tecum fratres tuos*, ciues videlicet tuos, ac ſocios Hethaeos, qui te agnoſcunt, ac ſequuntur ducem. *Et Dominus* qui benefacta copioſe remetitur, quod ego hiſce temporibus meis per me non poſſum, ipſe rependet, & *faciet tecum miſericordiam & veritatem, quia oſtendiſti gratiam & fidem*, quae poſtrema verba neque in Hebraeis codicibus habentur, neque in Graecis. Ea tamen agnoſcit Abulenſis, & paraphraſtice ab interprete videntur adiecta.

g auth. 2. 12

XX. *Nec perſuadet.*

Hac ſuaſio regreſſionis, adiuncta gratiarum actioni de beneuolentia, & laude fidelitatis, cum fauſta comprecatione, tanto magis Gethæorum animos accendit ad perſeuerandum in propoſito, & tentandam cum Dauide rege vtramque fortunam. Itaque Ethai animoſior factus reſpondit regi. *Viuit Dominus, & viuit Dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris domine mi rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus.* Agnita vero Dauid conſtanti ac germana hominis amicitia, quæ neque adhæreſcat proſperis, neque frangatur aduerſis, *veni*, inquit, *& tranſi*, in talem ſcilicet ordinem, aut potius vt ex conſequentibus intelligitur, tranſi torrentem Cedron. *Et tranſiuit Ethai Gethæus, & omnes viri qui cum eo erant, & reliqua multitudo.* Quæ proſelyti conſtantia & generoſitas, alios etiam Dauidis amicos, ac neceſſarios haud dubie confirmauit; ſed & ad commiſerationem erga regem ſuum vehementer accendit, vnde ſequitur, omnes fleuiſſe voce magna; Hebraice habetur, *omnis terra flebat*, quod Caietanus de vrbe Ieroſolyma, quam de ſociis Dauidis, cum ſancto Hieronymo, maluit interpretari. Eadem phraſi ſupra Septuaginta dixerunt. *Omnis terra prandebat* [a] vt ſuo loco explicatum eſt. [b]

a 2. reg. 14. 24. b in 4. Saul. num. 89.

XXI. *Flet Dauid, & populus.*

Flebat omnis populus inuitante regis exemplo, qui mox flens aſcendiſſe dicetur: ſolet enim ad regis ſe exempla componere: flebat Dauid offenſum à ſe Deum; & ex illa plaga hunc quoque ſanguinem mitti ſentiebat: flebat populus hanc tantam, tamque repentinam rerum perturbationem ac confuſionem, quã grauiſſima omnium damna ſequebantur. Flebat Dauid peccatum ſuum, & licet non inuitus, non ſine ſenſu tamen diuina verbera excipiebat; flebat populus flentem videns dilectiſſimum ſibi principem, ingraueſcente ætate tam indigna patientem; æmulaſque fundens lacrymas, lacrymantem ſolabatur. Flebat Dauid in ſui facinoris caſtigationem, ambitioſi filii grauiſſimum ſcelus eſſe permiſſum: flebat populus regem ſuum amore ac veneratione digniſſimum indigniſſimo filii ſui crimine pulſum domo, deiectum è ſolio, purpura ſpoliatum. Flebat quoque Dauid exturbatum ſe regno quod ipſe tot tantiſque laboribus ſibi poſteriſque peperiſſet. Flebat populus tum ſceptrum excuſſum manibus regis ſui & diademate priuatum caput; tum ſeipſum puncto temporis parentibus, liberis, vxoribus, amicis, fortuniſque omnibus, ſimul cum patria priuatum, quæ neſciebant, eſſentne aliquando recepturi.

XXII. *Incedens verſus deuerſus deſertum.*

c 2. Reg 15. 23.

Flebat vero, [c] ſimulque *tranſibat vniuerſus populus, Rex quoque tranſgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam*, 4. *quæ reſpicit ad deſertum.* Hæc per occupationem dicuntur. Nam ſacerdotes cum arca Domini ad Dauidem peruenerunt, antequam ille torrentem Cedron pertranſiret, vt ſequentia ſatis declarant. Cæterum hoc deſertum in cuius campeſtribus ſe abſconſum iri dixit Dauid, ſitum erat orientem verſus inter Ieruſalem & Iericho, & incipit, vt ait Adrichomius [d] iuxta Anathot, quæ fuit patria Ieremiæ, & extenditur vltra Galgala Ioſue & Iſraelitarum commoratione celebrata; à meridie, vſque ad deſertum Thecuæ & Engaddi. Ibi commoratus dicitur Sanctus Ioannes Baptiſta, ibidemq; Chriſtus Dominus 40 diebus ieiunaſſe, ex quo etiam deſertum hoc nomen Quarantenæ poſterioribus ſeculis creditur accepiſſe. Videtur autem electus hic locus, vt inde, ſi res ferret, facilius trans Iordanem rex cum ſuis elaberetur; vti etiam factum eſt.

4. 2.

d in trib. Beniā. n. 97.

XXIII. *Pontifex cum arca & leuitis Dauidem adit.*

Dvdvm iam ex vrbe rex fugitiuus exceſſerat, cum Abiathar pontifex, & Sadoc ſacerdos Dauidis ſtudioſiſſimi, cum filiis ſuis & vniuerſis leuitis, qui tum Hieroſolymis reperti ſunt, ad eum arcam Domini, è tabernaculo ſuo, & Sionis arce elatam detulerunt, vt pro eo Dominum cum res ferret, conſulerent; ſicut viuo adhuc Saule fecerat Abiathar, & pater eius Achimelech. *Et depoſuerunt arcam Dei, & aſcendit Abiathar, donec expletus eſſet omnis populus, qui egreſſus fuerat de ciuitate.* Præter eos qui ſecuti fuerant Dauidem; & vna cum eo egreſſi fuerant ex Ieruſalem; plerique alii arcam Domini & pontificem, cum ſacerdotibus & leuitis ſecuti ſunt. Subſtiterunt ergo ſacerdotes cum arca, vbi ad Dauidem, qui erat adhuc cis torrentem Cedron peruenerunt, & eam in tumulo aliquo collocarunt, vt ab omnibus, qui cum Dauide erant, videri atque honorari poſſet, dum pontifex Deum apud eam, Dauidis nomine conſuleret. Quæ eſt Hebræorum minime abſurda ſententia. Ideo, inquit Hieronymus, *arcam Dei depoſuiſſe dicuntur, vt Dominus ab Abiathar ſacerdote conſuleretur, quo verſus Dauid ire deberet. Aſcendiſſe au-*

Conſulit Dominum pro Dauide

tam Abiathar dicitur, id eſt oraſſe, & quia oraculo diuino non ei reſponſum eſt, idcirco in ſubſequentibus dixit Dauid, vt reportaretur arca Dei in vrbem. Hæc ibi, quæ à Caietano, Comeſtore, Lyrano, Abulenſi, Hugone, gloſſa, Dionyſio, Emanuel Sa, tum referuntur, tum probantur.

XXIV. *Silet Dominus.*

Itaqve intelligens Dauid nondum ſibi diuinum numen eſſe placatum; ſilentiũ enim quoddam erat offenſionis indicium, vt ex Saulis hiſtoria ſemel, iterumque intellectum eſt.[a] Et ſatis appareret nolle Dominum comitem fieri exilii, & peregrinationis ipſius, eam iuſſit in vrbem reportari. Nec alia videtur Theodoreti mens, *cum eſſet,* inquit, [b] *pius & propheta ſciebat, quid accidiſſet arcæ acceptæ ad opem ferendam iniquis. Nam illi quidem fuerunt interfecti, ipſa autem bello capta, data eſt alienigenis.* Id vltimo Heli anno contigerat, ex quo ſeptuageſimus agebatur annus. Cum ergo Dauid iniquum ſe adhuc reputaret, & ex Dei ſilentio eum ſibi adhuc infenſum, quod ad luendam peccati pœnam, intelligeret, ipſius arcam humiliter à ſe dimiſit. Dixit enim ad Sadocum, qui forte honoris cauſa arcam Domini ſuis ipſe humeris tulerat Abiathare pontifice infulato, & cum Ephod pontificio ſubſequẽte dixit, inquam propinquo ſibi Sadoco. *Reporta arcam Dei in vrbem, ſi inuenero gratiam in oculis Domini,* quam ſcilicet nondum inueni, *reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum,* ſiue quod in Sione ipſe tetenderat, ſiue Moſaicum, quod adhuc in Gabaone, ſub Sadoci cura extenſum fuiſſe, ſupra ex primo paral. retulimus [c] regni Dauidis anno vndecimo.

Et Dauid arcam remittit,

a 1. Reg. 14. 37. & c. 28. 6.
b q. 30.
c c. 17. v. 19 n. 1.

XXV. *Cum eximiis virtutum notis.*

Si *autem dixerit mihi non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* Vides opinor, atque obſeruas religioſe lector mirabilem plane, & dignam religioſiſſimo principe animi demiſſionem, obedientiam, propriæ voluntatis abdicationem. Quid eſt enim non places? nolo te habere in conſpectu meo, nolo te regem eſſe, nolo te viuere: *præſto ſum,* inquit. Volo te iterum exulem, iterum fugitiuum, & loco ſoceri, habere nunc filium quærentem animam tuam. Volo te rurſum captare ſpeluncas, & ferarum latibula, iterum viuere mendicato, & quotidie mortis adire diſcrimina, *præſto ſum,* ait. Volo te conſolationis loco, in calamitate tua, proſcindi conuitiis à ſubditis tuis. Lapidibus appeti, & in concubinis tuis turpiter ac petulanter illudi, ne iſthæc quidem reſpuo, *faciat quod bonum eſt coram ſe.* O heroicam ſanctiſſimi principis virtutem, qua vel ſola fieri potuit acceptiſſimus Deo: eique quam maxime placere: præſertim cum hæc lacrymans diceret vir diuinus, & lugubri habitu indutus, vt ait Theodoretus. [d] Tanti faciebat placere Deo vir ſecundum cor Dei, vt eam gratiam regno ipſo, quod principes mille vitiis anteferunt, & inſuper vita, & libertate & liberis, & vxoribus, & omnibus diuitiis libenter eſſet redempturus: Et ad hæc omnia præ illa amittenda paratus, fidenter diceret, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* [e]

d q. 30.
e Pſal. 107. 2.

XXVI. *Remittuntur Sadoc & Abiathar in vrbem cum mandatis.*

Nobilissimo hoc cordis ſui ſacrificio peracto, ad rerum ſuarum diſpoſitionem conuerſus rex, dixit ad Sadoc ſacerdotem, *O videns reuertere in ciuitatem in pace, & Achimaas filius tuus, & Ionathas filius Abiathar, duo filii veſtri ſint vobiſcum. Ecce ego abſcondar in campeſtribus deſerti, donec veniat ſermo à vobis indicans mihi.* Quo ſcilicet res loco ſit, quid rerum agat Abſalom, quid conſilii capiat, quidue mihi pro re nata conſilii capiendum videatur. Vocatur Sadoc videns, [f] id eſt propheta inquit Gloſſa, quando ſcilicet conſulto Deo prædicebat futura. At hæc Dei conſultatio Abiatharis pontificis potius munus fuit. Vt Sadoc videns & propheta propter donum prophetiæ potius dicendus videatur; & reuera hebraice vocatur videns, chaldaicè propheta. Caietanus dici putat videntem, quia ei Dauid curem dabat videndi in vrbe, quid ageretur, & eum admonendi. At ſic etiam Abiathar dicendus erat videns, cui eadem cura demandabatur. Vatablus explicat Hebræum, *Nonne videns tu? vides ne? vales ne conſilio?* quaſi dicat, ſi vales conſilio reuertere; plus enim mihi profueris redeundo, quam manendo. Melius, vt videtur, Dionyſius ait videri Sadoc prophetiæ ſpiritum habuiſſe. *Niſi forſan,* inquit, *dicatur propheta & videns, quia in diuino obſequio pſallentibus, & prophetarum oracula recitantibus præerat.* Sic dicitur Chonænias princeps leuitarum, prophetiæ præfuiſſe: quæ expoſitio ex eodem loco Paralip. confirmatur. [g]

f 1. Reg. 9. 9.
Sadoc cur videns.
g 1. Par. 15. 22. 27. & c. 16. 37. 41.

XXVII. *Cum Sadoc &*

Reportavervnt *ergo Sadoc & Abiathar arcam Dei in Ieruſalem, & manſerunt ibi.* Quoniam hic Sadoc ſemper cum Abiathare coniungitur, & priore etiam loco

nominatur, putauit Ioſephus [a] vtrumque fuiſſe pontificem & reuera ἀρχιερεῖς ambos vocauit, idemque ſenſit Abulenſis hoc loco. [b] Solus tamen hoc tempore pontifex fuit Abiathar; vt pluribus initio pontificatus eius declaratum eſt. [c] Sadoc autem fuit inſtar pontificis in tabernaculo, & altari quod erat in Gabaon; vt paulo ante dicebamus. Honorat vero Sadocum Dauid, iam forte prauidens eum pontificem fore, & deinceps filium eius & poſteros, reuocata in domum Eleazari pontificia dignitate, qua priuandus erat Abiathar & familia Ithamaris. Quod autem Ioſephus ait dixiſſe Dauidem ſe ſine arcæ præſidio, diuina ope è periculis ſeruatum iri, non eſt in deteriorem partē trahendum, aut ad aliquem arcæ contemptum, à quo pius Dauid, hoc maxime tempore, longiſſime abfuit. Senſitque duntaxat, quoniam Deus præ ſe ferat nolle ſe cum arca Dauidem peregrinantem comitari, ſperare nihilominus ſe ab eo, cuius virtus non ſit alligata ſacramentis, adiutum ac conſeruatum iri. Quamuis arcæ præſentia fiduciam in Deum augeat, & opem à propitio, veniam & pacem ab irato promptius, facilius atque vberius impetrare poſſit. [d]

..7. ant.c. | q 10 in c. | l.2 R. | a.Sau' 14 | .1.2 &c. | vid Abul. 31.in c.15.

PORRO *Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite.* Neque peccabat contra fortitudinem: non enim ex doloris impatientia in muliebres lacrymas effundebatur, quippe qui mala ſua vltro ipſe augeret, operiens caput, & pedibus, & quidem nudis aſcendens in montem: ſed ex peccatorum ſuorum dolore, pœnitentiæ operibus addicebat ſe; idque etiam manifeſtius paulo poſt oſtendit, cum eum Semei probris, ac maledictis impeteret. Lacrymæ porro pœnitentiæ. aut deuotionis fortitudini non aduerſantur. Videturque Dauid dono lacrymarum præditus, vt ex pleriſque etiam pſalmis liquet, præſertim qui dicuntur pœnitentiales. Quis autem hic non videt apertiſſime depictam Chriſti Domini imaginem, hominum pro quibus paſſurus erat peccata lugentis, tranſeuntis eundem torrentem, & aſcendentis eundem montem oliuarum, cum triſtitia animæ ſuæ vſque ad mortem, & triſtitia diſcipulorum ſuorum. Nimirum etiam hic omnis populus, qui erat cū Dauide, operto capite aſcendebat plorans. Sed hæc in alium reſeruentur locum.

XXVIII. *A... Dauidis ſit mollis animi.* | *quæ lacrymæ fortitudini non repugnent.*

NVNCIATVM *eſt autem Dauid, quod & Achitophel eſſet in coniuratione cum Abſalom. Dixitque Dauid infatua quæſo Domine conſilium Achitophel.* Optat vel ineptum ab eo dari conſilium, vel tanquam ineptum atque inutile contemni, vti reuerá contigit. Et potuit vtique illi optare hoc malum, cum ei factus eſſet hoſtis, & iniuſta arma ſequeretur, Dauid autem pernicioſo eius concilio; diſcrimen capitis aditurus eſſet: neque illi culpam optaret ſed pœnam, qui multo etiam maiore dignus erat, tam à Deo, quam ab ipſo Dauide inferenda Quod ſi ea tantum verba tū dixit rex, lōge plura verſauit animo; quæ poſtea in pſal. 54. relata exiſtimantur, cuius eſt initiū. *Exaudi Deus orationem meā, & ne deſpexeris deprecationē meā, intēde mihi, & exaudi me.* Illa certe verba tēpori huic & loco valde conueniunt. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine; expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.* Hæc autem etiam apertius perſonæ Achitophelis. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus:* ab ipſo enim initio regni Dauidis [a] ei ab intimis conſiliis fuerat; eumque Dauid quaſi patrem ac præceptorem, coluerat; ideoque Arias & Chaldæus ducem in præceptorem vertunt. Illud autem; *qui ſimul mecum dulces capiebas cibos*, Hieronymus vertit, *qui ſimul habuimus dulce ſecretum*, Septuaginta vero etiam ſocios menſæ fuiſſe oſtendunt.

XXIX. *Dauid petit conſilium Achitophelis infatuari.* | anſen. Arias Vatabl. Agell. Hebræi. Chald. ſā. | *Pſalmus in eundem.* | a.Dan. 1. 18.

QVOD autem petit hoc loco hiſtoriæ regum infatuari Achitophelis conſilium; idem etiam de reliquis Abſalonis conſiliariis in pſalmo petit, cum ait, *Præcipita Domine, diuide linguas eorum quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate*; id eſt præcipitabis eos in mala, diſperdes eos, facies vt diſſideant inter ſe linguis animiſque, & iniquis deſideriis in ciuitate rixentur. Nec irrita fuit oratio, vt ſequētia docebunt. Etſi enim Dominus ſe Dauidi mōſtrabat iratum, pœnas peccatorum exigendo, & nihil ei etiam interrogāti reſpōdendo,

XXX. *Ex parte explicatur.*

diligebat tamen eum, & ſe precibus eius vinci patiebatur. Idque vt ſuauius & humano more fieret, eam Dauidi mentem immiſit, vt Achitopheli ſuſcitaret æmulum Chuſai, qui & ipſe iampridem Dauidi à conſiliis fuerat, vt ex 1. Paral. liquet, [a] & ſi non conſiliarius, ſed amicus regis ibi appelletur: vt primo Dauidis anno notauimus. [b] a 1. Par. 27 33. b n. 18

XXXI. *Dauid in Oliueto vrbi valedicit.*

INTEREA *aſcendit Dauid ſummitatem montis, in quo adoraturus erat Dominum*, conuertendo ſe verſus montem Sion, vbi ſedes erat arcæ, & tabernaculi Dauidici, & tum ei, tum regiæ ciuitati eius valedicturus, [c] perinde ac ſi eam non amplius eſſet viſurus, & magiſtratu ſuo abiturus, & Dei regnum, & ſolium in eiuſdem manus reſtituturus. Nam, vt alibi quoque notauimus, [d] eius ſe vicarium potius, quam regem ducebat. Exiſtimat Toſtatus, [e] Dauidem ſolitum in monte oliuetano adorare Dominum, ſiue Ieroſolymam veniret, ſiue inde recederet, quod inde primum inciperet videri, ad eam venientibus: & ibidē poſtremum à recedentibus videri poſſet. Nimirum cum quis orientem verſus abiret ex vrbe, aut ex oriente ad illam pergeret. Ibi Dauid obuium habuit Chuſai Arachitem, qui cum abeſſet ab vrbe, accepto nuncio coniurationis Abſalonicæ, & fugæ Dauidis, ad eum concitus venit, ſed ſciſſa veſte, & puluere conſperſus caput, vt eum in maxima regis ſui calamitate facere par erat, qui ſingulari titulo amicus regis audiebat. [f]

c Theodoret. q. 30. d an. 1. Saul. & ſeq. Caiet. e 1. Par. 18. 5.

Et habet obuium Chuſai Architectē.

f 2. Reg. 15. 37 & c. 16. 16. 17 & 1. Par. 27. 33

XXXII. *Et quæ illa vrbs.*

DICTVS videtur Arachites à ciuitate Arach, idq; affirmat Lyran. & Dionyſ. nec repugnat Abul. *ſed non patet*, ait, *vbi eſſet iſta ciuitas*. Inuenimus tamē Arach ciuitatē quæ & Arachis in terra Sennaar, [g] quam aliqui Cœleſyriæ interpretātur. S. Hierō. in trad. in c. 10. Gen. Edeſſā dici ait notiori vocabulo, quā Plin. in Cœleſyria collocat, alii malūt in Meſopotamia. Nā quod ſub Olympiadē 119. condita Edeſſa à Seleuco memoratur, reſtaurata dicēda eſt eo tēpore, non condita, cum etiā Nemrob in ea regnaſſe dicatur in Gen. Ei nomen dediſſe videtur Aracæus ſeptimus filius Chanaam; [h] vt putat Adrichon. in locis exteris. n. 9. Hinc autē ſuſpicari poſſumus etiā Chuſai ex Syris gentilibus oriundum, proſelytum fuiſſe, ſimulq. quaſi per trāſennā videre zelum animarū in Dauide, qui pene ex omnibus circa regionibus aliquos ad veri Dei cognitionē cultumque traduxerit: Ethai filium regis Achis ex Getha Philiſthæorū, Cuſai ex Arachi Syrorū. Maacha filiā regis Geſſur. Vt mittam Vriā Hethæū, & habitatores Siceleg. & Cereth. & Pheleth., vt quibuſ placet. Nō nego tamē Arachitē filiū Arachi dici in cōment. Hieron. in Pſal. 7.

g Gen. 10. ..ide ſup. à Dau. 1. 1. ab Euſeb. in Chron.

Zelus animarum Dauidis.

h Gen. 17

XXXIII. *Vnde venerit Cuſai.*

IN vertice igitur montis oliuarum occurrit Dauidi Chuſai; quem quidā putant veniſſe ex vrbe aliquāto tardius poſt egreſſum Dauide, diciq. illi occurriſſe quod Dauid orandi cauſa ſe vrbem verſus cōuerterat. Quæ expoſitio ex eo confirmatur, quod ſequitur, *ſi in ciuitatē reuertaris*, quo modo hebraicè quoq. habetur, & græcè: dicēdū enim fuiſſet proficiſcaris, aut ieris: vtraq. interpretatio admitti poteſt, prior ſimplicior eſt, & cōmunior. Sicq. reuerſio in ciuitatem reſpondet egreſſioni, quæ ante dies aliquot facta fuerit, non quæ hoc ipſo tēpore contigerit. Huic ergo poſt mutuos gemitus & ſalutationes dixit Dauid. *Si veneris mecum, eris mihi oneri*, ſolidū amicum innuit hęc parrīſia, nam reuera etiam extra vrbem vſui fuiſſe ipſum Dauidi ex ſequentibus intelligetur; nunc autem in vrbe vtilior illi eſſe poterat, ideo ſubdit, *ſi autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Abſalon, ſeruus tuus ſum rex; ſicut fui ſeruus patris tui, ſic ero ſeruus tuus, diſſipabis conſilium Achitophel.*

Eum mittit in Vrbem.

XXXIV. *Ad diſſipanda Achitophelis conſilia.*

TIMVIT valde Dauid ſingularem viri huius prudentiam, nunc in deteriorē partem conuerſam. Magna enim ingenia, quam ſe cumque in partem dederint magna ſunt, & propter naturæ deprauationē, etiam in deteriorem maiora. Itaq. Ioſephus ait vix aliud triſtius nuncium ei in hac calamitate accidiſſe. *Quamobrē*, inquit, *precatus eſt Deum vt Abſalonis animum ab Achitophele alienaret; verebatur enim ne eius conſiliis contra ſe vteretur.* Quid verebatur quod erat exploratiſſimum? Nihil quoq. huiuſmodi precatus eſt Dauid, ſed infatuari cōſilium eius, id eſt quaſi inutile & fatuum reputari. Idque hebraice & græce habetur. Septuag. [illegible]. Aquila [illegible], alii, [illegible], diſſipa. Neque inimicitias optabat Dauid inter inimicos ſuos, ſed irritos eorum conatus & conſilia quæ ſibi futura erant pernicioſa. Nam mutuæ eorum inimicitiæ vix ſine peccato eſſe poterant, ac propter ea neque deſiderabiles.

Ioſephus improbatur.

Cvm ergo Chuſai hanc Dauidi operam commodiſſime nauare poſſet, ipſum ad eam hortatur, & vero etiam perſuadet. Nec ille ſimulationem hanc in cauſa iuſtiſſima reformidauit: nec Dauid fingendi conſilium dare; vbi vel officioſo mendacio vterque vſus eſt, quod affirmat Abulenſis, [a] neque negat Theodoretus, [b] Ioſephus, & Lyranus, vel cum eodem ac Dionyſio dici poteſt, Chuſi vere ſe dixiſſe amicum Abſalonis, & veri amici erga eum munere functum eſſe, cum à malo retrahendo, quod illaturus erat in patrem, & eius ſalutem hoc ipſo deſiderando, quod ipſum in poteſtatem patris venire cupiebat; qua re nihil ei vtilius contingere potuiſſet. Addit etiam rex ſacerdotes, quibus cum ille conferre, & quorum opera Dauidem certiorem poſſet efficere. *Habes*, inquit, *tecum Sadoc & Abiathar ſacerdotes, omne verbum, quodcunque audieris de domo regis*, quod ſcilicet mea inteſit cognoſcere, *indicabis Sadoc & Abiathar ſacerdotibus. Sunt autem cum eis duo filii eorum Achimaas filius Sadoc, & Ionathas filius Abiathar, & mittetis per eos ad me omne verbum, quod audieritis.* XXXV. *Dauid & Chuſai an officioſe mentiãtur.*

a q 37. in c 15 2. Reg. b q. 31.

Accepto Hoc à rege mandato Chuſi hieroſolymam profectus eſt, Dauidis negotia callide, ac ſtudioſe promoturus, & turbaturus Abſalonis. *Eo autem veniente in ciuitatem, Abſalon quoque ingreſſus eſt Ieruſalem:* haud dubie cum plurimo exercitu, ſi vere paulo ante dixerat ille nuncius. *Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom*, [c] Idque ex eo confirmari poteſt, quod ad vim vrbi afferendam paratus veniebat, quod ſine magnis copiis, magnoque apparatu fieri non poterat. Eam vim præuidebat Dauid cum diceret, *ne impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladii*, in vindictam, & odium eorum qui reſtitiſſent. Nemine itaque reſiſtente, plurimiſque, quos ille ſibi in vrbe deuinxerat, fauentibus, & obuiam honoris cauſa procedentibus, in vrbem, ſine puluere & ſudore, triũphator inuectus eſt, neque celebritati currus & equites, neque litui, tubæque neque fauſtæ acclamationes defuere. Idque eo ſtudioſius illi faciebant, quo magis, qui Dauidi ſtudebant, vrbe ceſſerant; Illud etiam fortaſſe mulieres parodice cecinerunt, Dauid percuſſit mille, & Abſalom decem millia. Vide autem quam breui interuallo Abſalom Dauidi immineret, eum vtrique comprehenſurus in vrbe, niſi diuina prouidentia factum eſſet, vt ille cum ſuis egredi feſtinaſſet. Nam quo tempore ingreſſus eſt Chuſi per portam, quæ reſpicit orientem, Abſolom per meridianam Hebroni obuerſam, in ciuitatem intulit ſeſe. XXXVI. *Abſalonis in vrbem ingreſſus.*

c ca. 15. 13.

Chvsi adeunte Hieroſolymam, Dauid cœpto itinere progreſſus eſt, [d] *cumque tranſiſſet paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboſeth in occurſum eius;* quomodo in occurſum? Nam ex capite 19.[e] intelligitur Sibam fuiſſe Hieroſolymis, cum egreſſus eſt Dauid. Ibi enim Miphiboſethum Dominum ſuum contempſit, negligens ei parare aſinum ad proficiſcendum cum rege peregre proficiſcente. Dicendum videtur Sibam celeriter egreſſum ex vrbe ante regem, omnemque turmam eius, cumque didiciſſet illum per Oliueti montem iter facturum, in villam aliquam, ſiue Ionathæ, ſiue Miphiboſethi profectus eſt. Cumque omnium poſſeſſionum eius curator eſſet, ibi onerauit aſinos duos muneribus; quæ mox recenſentur, vt iis in regis beneuolentiam percommoda occaſione inſinuaret ſe; moxque per inſignem calumniam accuſatum herum, Dauidi redderet odioſum, ac fortunis omnibus in proprium emolumentum euerteret, quod & conſecutus eſt. Munera fuerunt duo aſini onuſti ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ paſſæ, totidemque adiecit ficuum maſſas, quas vocant palatas & vtrem vini. Quidam libri duos vtres habent, quod probat Toſtatus, & agnoſcit in Hebræo enallagem numeri: & confirmat Abigailis exemplo. XXXVII. *Siba occurrit Dauidi.* *Cum muneribus.*

d c. 16. 1. e c. 19. 26.

Et *dixit rex Sibæ. Quid ſibi volunt hæc?* Quo hæc defers, cui vſui? *Reſponditque Siba: Aſini domeſticis regis* puta mulieribus, *vt ſedeant, panes & palathæ ad veſcendum pueris tuis; vinum autem vt bibat, ſi quis defecerit in deſerto.* Liberalem ſe exhibet qui ipſa animalia cum ſuis oneribus dono det, ſi tamẽ dono dare is dicendus eſt, qui mera beneuolentia non mouetur ad dandum, ſed in remunerationem ſolam auaro animo excubat. Quoniam vero nullam faciebat heri ſui mentionem nec ſatis intelligere poterat Dauid, ſuone ille nomine, an domini ſui daret, *vbi eſt*, inquit *filius Domini tui?* Miphiboſethus ſcilicet Ionathæ filius. *Reſponditqu,* XXXVIII. *Quæ offert & herum falſo accuſat.*

Siba regi. Remanſit in Ieruſalem, *dicens, hodie mihi reſtituet domus* Iſrael *regnum patris mei.* Inepta plane calumnia, nihil enim in hoc tumultu ſerebatur, aut metebatur Ionathæ, vel Sauli, ſed regnum de Dauide in Abſalonem transferebatur. Et vt maxime id populus optaret, quod ne cogitabat quidem; Quid ineptius ad regnum Miphiboſetho, homine elumbi, & claudo vtroque pede, homine in regni dedecus, aut in lucem edito, aut conſeruato in viuis?

XXXIX. *[...]anis ni[...]ia credu[...]tas.*

QVID ergo inquies, Dauide, ſi hæc vera credidit, imprudentius; ſi non credidit iniuſtius? [a] qui nefariæ accuſationi illam ſubiecit ſententiam, *Tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth*, qua innocentem, atque inauditum, & inſuper miſerabilem, & amantiſſimi ſui Ionathæ filium, omnibus funditus ſpoliabat bonis. Credidit vtique, & improbiſſimi hominis artificio, atque impudentia captus eſt, & lapſus facilitate credulitatis; *Cuius calidiſſimæ vulpeculæ*, ait Sanctus Bernardus, cui hodiernus, quo hæc ſcribimus, conſecratus eſt dies, *magnorum neminem comperi ſatis caui ſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in abſentes &c.* quæ vides non male in rem præſentem quadrare. Humanum ergo aliquid paſſus Dauid, ab hac vulpecula non ſatis cauit. Quia hoc facilius homines optimi inducuntur in fraudem, quo minus de aliis male cogitant, eoſque ex ſuo candore metiuntur.

a Abul. q. 6. in c. 16 2. Reg.

XL. *[...]xcuſatur. [...]ibæ artifi[...]ium.*

VIDE porro vaferrimi hominis artificium. [b] Elegit tempus afflictæ regis fortunæ, animique in hac tanta rerum perturbatione fluctuantis; perturbati autem vix ſatis attendunt ad examinandam veritatem, eorum quæ proponuntur, quæ animi corporiſque quietem requirũt; afflictis vero, vel nutantibus ad ruinam, mala quæ contra ipſos dicuntur aut fiunt, facile fidem inueniunt, naturali metu in tali opportunitate ad cauendum euigilante. Elegit & locum ad iſtius plagæ ſenſum acutiſſimum atque acerrimum. Credula enim eſt, & ſuſpicioſa ambitio, vt quæ probe nouit mortalium conatus, tum ad ſuperiores gradus inuadendos, tum ad alios inde deiiciendos atque deturbandos. Occupauit etiam muneribus oculos, animumque beneuolentia. Homines enim qui liberaliter calamitoſis, atque afflictis opem ferunt, optimi habentur, meritoque diliguntur. Quomodo autem non fidem dictis eius adhibeas, quem diligas, qui benefaciat, qui optimus cenſeatur; & tuis malis, quantum quidem valeat, ſuccurrere velle videatur? Denique ne meditatam accuſationem videretur attuliſſe domo, nihil quicquam de hero ſuo effatus eſt, donec de ipſo rogaretur à Dauide.

b Vide Abul. q. 3 & 4. in c. 16. l. 2.

XLI. *Et inſignis [...]mpudentia*

VIDE quoque eiuſdem nebulonis impudentiam. Non putauit enim Dauid hominem eſſe in terris vnum, oris tam ferrei, qui tam atrocem calumniam, & quæ reuinci aliquando poſſet, fabricari auderet, & pro vera accuſatione coram ipſo rege, totaque eius familia, & cohorte regia fallaciſſime venditaret. Niſi forte is interea ad aliud ſcelus adiiciebat animum, & cogitabat hominem contemptum, ac pene nihili de medio tollere, quod minime arduum erat ei, qui 15. domi liberos, & 20. ſeruos haberet in poteſtate: ne poſtmodum è tenebris enata veritas impudentem hominis faciem ſua luce verberaret, & pro indigniſſimo ſcelere digniſſimis ſuppliciis addiceret. Nõ putauit rex exiſtere poſſe, vel apud gentes immanitate barbaras, famulum, qui aduerſus Dominum ſuum, regio exortum ſanguine, Dauidi propter parentem charum, corporis calamitate miſerabilem, & in cuius fortunis adminiſtrandis multos iam annos ſaginaretur, famulum inquam, qui aduerſus optimum herum tantam inhumanitatem, pro gratia ingratiſſime reponeret.

XLII. *[...]u[...]la D[...]u[...]lis ſenten[...]ia, ſublata [...]alumnia.*

QVOD ſi accuſatio Sibæ veritate niteretur, potuit vtique Dauid Miphiboſetum, tanquam reum imminutæ maieſtatis, & vita, & omnibus denudare fortunis. Capitale enim eſt id crimen, & ex legum præſcripto omnia talium reorum bona fiſco addicuntur, vt fortunas principis augeat, qui eius dignitatem imminuere cogitabat; vtque ſera poſteritas, auorum facinus deteſtetur, & ſi eorum malitiam æmulari fortaſſe audeat, à ſcelere turpi mendicitate prohibeatur. Quid quod Miphiboſeth Dauidẽ bonorum ſuorum donatorem agnoſcebat. [c] Fecerat enim in illum iam ante annos quatuordecim, [d] inſignem plane miſericordiam, propter Ionatham patrem eius, atque omnes agros Saulis reſti-

c 2. Reg. 9.
d an Dau. 16. n. 15. 16. &c.

tuerat: & regia inſuper menſa illum dignabatur,[a] propter ingratitudinem autem
inſignem, qualis vtique hæc fuiſſet, donationes irritæ fiunt: [b] nam qui manu-
miſſus eſt propter ingratitudinem reuocatur in ſeruitutem, ergo & Miphibo-
ſeth ad priorem egeſtatem ac miſeriam redigi potuiſſet.

Qvoniam vero falſa fuit, atque impudens accuſatio Sibæ, nec à Dauide ſa- XLIII.
tis examinata ac diſcuſſa, priuſquam ſententia in innocentem inauditum ferre-
retur, quæ in notorie reum ferenda non fuiſſet, priuſquam ei poteſtas fieret de-
fendendi ſui, propterea illum omnes interpretes accuſant temerarii atque in-
conſulti iudicii, Nec eum Theodoretus [c] ſatis excuſat, ſicut nec Ioſephus,
aut Procopius, vel etiam Pineda libro primo de Salomone. [d] Ac ne nos ipſi
quidem credidimus, ſatis eum, per ea quæ paulo ante in eius gratiam retulimus, [e]
ab omni culpa in hoc Sibæ negotio purgatum iri. Qui audita Dauidis in ſui gra-
tiam ſententia, *Oro*, inquit, *vt inueniam gratiam coram te Domine mi rex.* Quaſi di-
cat, non hæc dixi, aut huc veni accuſandi cauſa, aut vt in bona Miphiboſethi
immiterer, ſed vt animum erga te meum patefacerem, muneribuſque teſtarer
& gratiam tuam promereri poſſem, quæ mihi inſtar erit bonorum omnium.
Hunc porro Dauidis noſtri lapſum, vide quam admirabilis, ac prope prodi-
gioſa virtus ſit ſubſecuta, vt vmbram nonnullam inter clariſſima lumina agno-
ſcamus.

Dauidis culpa non ſatis excuſata.

Venit *ergo rex Dauid vſque Bahurim*, oppidum & caſtrum in monte ſitum in XLIV.
tribu Beniamin, [f] vnius fere horæ itinere vltra Bethaniam Iordanem verſus,
quo vſque Micholem Phalti comitatus eſt plorans; *Et ecce egrediebatur inde vir de*
cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera. Fuit hic Semei de tribu Beniamin,
idque prædictis verbis duobus argumentis Scriptura confirmat, quod in Bahu-
rim 6. habitaret, oppido Beniamin: vnde egrediebatur ad maledicendum Da-
uidi, & ei propria domus acuebat audaciam, ideoque inferius dicitur de Bahu-
rim, [g] oriundus videlicet, aut eius oppidi ciuis. Alterum eſt quod eſſet de co-
gnatione Saulis, cuius tota familia ad tribum Beniamin pertinebat. Adde quod
filii Iemini, & filii Beniamin pro eodem paſſim in Scriptura ſumuntur, eandem-
que habent originem, Semei autem in filiis Iemini non ſemel numeratur. Deni-
que in occurſum venit reduci Dauidi cum mille viris de Beniamin, qui vtique
non acceperant de aliena tribu ducem. Neque obſtat quod ipſe ſe de tribu E-
phraim, aut Manaſſe ſignificare videtur fuiſſe, cum ait [h] ſe primum de omni domo
Ioſeph veniſſe obuiam Dauidi. Ibi enim domus Iuda, & domus Ioſephi oppo-
nuntur, quaſi duæ principes regni partes, ſicut eodem in capite Iuda & Iſrael. Di-
cit ergo Semei, tribum quidem Iuda in hoc officio præueniſſe, ſe autem reliquas
omnes tribus anteuertiſſe diligentia.[i]

Semei è tribu Beniamin.

Itaqve Semei, *procedebat egrediens & maledicebat*, inambulans Dauidem ver-
ſus illi conuitiabatur, *mittebatque lapides contra Dauid, & contra vniuerſos ſeruos regis* XLV.
Dauid: omnis autem populus, & vniuerſi bellatores à dextro & à ſiniſtro latere regis incedebant.
Ita autem loquebatur Semei, cum malediceret regi. Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir
Belial; reddidit tibi Dominus *vniuerſum ſanguinem domus Saul; quoniam inuaſiſti regnum*
pro eo. Et dedit Dominus regnum in manu Abſalom filii tui: & ecce premunt te mala tua, quo-
niam vir ſanguinum es. Ante quam mirabilem Dauidis virtutem intueamur, pro-
digioſam hanc ſceleſti hominis improbitatem attendamus: in qua non ſine pro-
digio aliquid iuſtitiæ fortaſſe reperiemus,

Maledicit Dauidi.

Primvm igitur quam impius & ſceleſtus eſt hic Semei, qui principem popu-
li, nihil eum, nihil diuinam legem reueritus [k] tam atrocibus maledictis inuadat. LVI.
Qui regem ſuum in facie, atque oculis omnium, virum ſanguinum, id eſt homi-
cidam aut ſicarium; virum Belial, id eſt prophanum, & diuinæ legis contempto-
rem; tyrannum denique, atque inuaſorem regni contumelioſiſſime appellare
non dubitet. Quam temerarius, imo & inſanus, qui irritet contra ſe crabrones
& armatam militum manum, inermis ipſe verbis factiſque in ſuam perniciem
prouocet, atque accerſat vltro. Quam impudens atque inhumanus, qui prin-
cipi ſuo omium mortaliũ nitiſſimo ac ſubdito rerum ſuorum amantiſſimo, gra-
uiſſima, atque indigniſſima calamitate afflicto, ac pene proſtrato inſultet, & fiat
vnguis in vlcere ſordicãdo ac lacerãdo calũniis, & exprobrationib. ſuis. Eo enim

Impie.
Imprudenter.
Impudẽter.

[a] Abul q. 5 in c. 16
[b] extra de donat. c. propter ingrat.
[c] q 32.
[d] c. 3. n 23
[e] n 39. 40. 41.
[f] Adric. in trib. Beniamin n. 28.
6. 67.
[g] 2. Reg. c. 19 16. & 3 Reg 2. 8.
Ibid.
[h] 2. Reg. 19. 20.
[i] Abul q 7. in c. 16.
[k] Exod 22. 28.

pertinet illud, *egredere, egredere*, & *premunt te mala tua*, quaſi dicat.

Pone animos, & pulſus abi [a] a Aen. 11.

— Et, *pateris telis vulnera facta tuis.*

Inhumaniter. Quomodo denique non facinoroſus, & ſupra modum maieſtatis indigniſſimè violatæ reus, qui regem ipſum plorantem cum ſuis, nudis pedibus, & operto capite incedentem confuſione & luctu plenum; deniq; ex beato miſerum, qua re nihil eſt miſerabilius, lapidibus impetat, & abigat à ſe quaſi furioſum canem, terram etiam, aut cœnum, vt ait Theodoret. [b] in eum pro floribus lutulentus conijciat. b q. 32.

XLVII. Dei in eo negotio iuſtitia. Divinvm quoq. ſi placet, religioſe lector, hic animaduerte iudiciū. Solet Deus amicorū ſuorū errata, non eſt enim homo qui non peccet, quamprimum iuſta animaduerſione caſtigare: ſed ita vt ipſa caſtigatio æquo animo accepta, non in ſatisfactionē duntaxat, ſed in meritorū etiā amplificationē cedat. Vide quā atroces calumnias patiatur Dauid à Semei, mox vbi calumniatori Sibæ præpropera credulitate conſenſit. Et qui credidit Miphiboſethum regnū ſibi affectare, inuaſi tyrannicè regni accuſatur: & qui adulatori aures præbuit nimium attentas, conuitiatorem maledictione peſſima ſibi maledicentem cogitur audire; & qui immerentem ſpoliauit bonis ſuis, immeritis calumniis ſpoliatur honore ſuo: & qui ſeruo Saulis iniuſte gratificatus eſt, iniuſtius à cognato Saulis iniuriis vexatur. Deniq. qui ſeruum contra Dominum ſuū perfide inſurgentē non repulit, ſubditum ſuum cōtra ſeipſum inſaniētem experitur. Nimirū iuſtus eſt Dominus, & rectum iudiciū eius; vt ipſemet & dixit, & expertus eſt Dauid. *Detectus*, inquit Saluianus, [c] *vſq. in ſeruorū ſuorum vel quod graue eſt contumeliam, vel quod grauius, miſericordiam, vt vel ſibi compateretur, vel male dicere publice non timeret? Ita Dei iudicio à ſe aliter effectus, vt ei quē timuerat totus orbis, vnus in faciē inſultaret inimicus.* c l. 2. de prou. fi.

XLVIII. Dauidis patientia. Zelus Abiſai. Sed iam ſingularem & ſeculis omnibus prædicandā Dauidis patientiam conſideremus, quam ſcriptura ipſa ſuggerit nobis.

Dixit *autem Abiſai filius Saruiæ regi*, id eſt, Dauidis ex ſorore nepos, & frater Ioabi principis militiæ Dauid. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadā & amputabo caput eius.* Contumeliā contumelia repellit Abiſai; canemq. mortuū, vocat, vel cōtemptim, quo modo ſe canem mortuū, Miphiboſeth iamdudū apud Dauidē vocauerat, [d] vel ex iuſta iracundia, & zelo honoris principis ſui: oſtendens morte dignū, & morte plectendū. Morte certe dignū iudicauit ipſemet Dauid, neq. ſententiā poſt decē ipſos mutauit annos, imo filio moriturus ipſe mandauit, vt canos eius cū ſanguine ad inferos deduceret. [e] Nō tamen cenſuit hoc tēpore morte plectendum id facinus, ſed patienter tolerandam iniuriam, quaſi diuinitus imperatam, ad placandum eundem Deum. Ergo, *quid mihi*, inquit, *& vobis eſt filij Saruiæ? dimittite eum vt maledicat. Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid; & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit?* d 2. Reg 9. 8. e 3. Reg. 2. 9.

XLIX. Quae Dauidis patientiam amplificet. Qvis igitur eſt Dauid qui atrociſſimas haſce verborum contumelias æquanimiter patitur, quæ nobilem ac generoſum animū magis cruentant, & perfodiunt, quam vulnera ipſa mortifera. Qui lapidibus ſe peti, qui cœno aſpergi, ſumma animi moderatione & æquitate tolerat; qui hæc omnia non timide, non coacte, non clanculum; ſed in faciem, & in omnium ſuorum conſpectu petulantiſſime fieri ſinat? Nempe rex potentiſſimus, atque fortiſſimus, ſemel, iterum, tertio electus, creatus, & iunctus in regem. Princeps erga Deum religioſiſſimus, erga homines manſuetiſſimus, atque humaniſſimus, erga omnes beneficentiſſimus. Et patitur conſtanter, atq. longanimiter, dum ille per iugum montis ex latere contra illum gradiebatur, & euntem maledicendo comitabatur, & clamoſis conuitiis auribus perſtrepebat, & mittebat lapides aduerſus eum, terramque ſpargebat. Et patitur tacitus nullo effuſo impatientiæ verbo: etſi Ioſephus illi affingit ea verba. *Nihil moror hunc rabidum canem*, quæ rectius eius nepoti tribuiſſet.

L. Ex parte Semei. Patitvr autem à ſubdito ſuo capite impuriſsimo, ſubdito quem neque verbo, neque facto violaſſet, aut ad vindictam prouocaſſet. Et patitur cum in promptu habeat iuſtiſſimam vindictam. Imo fit eius protector & patronus, & in eius defenſionem ſuos verbis caſtigat, atque exaſperat; cum diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum agnoſcit, eius culpam eleuat, dum eam cum maiori culpa filij ſui in contentionem adducit. *Ecce filius meus*, inquit, *qui egreſſus eſt de vtero meo quærit animam meam, quanto magis nunc filius Iemini?* vir nempe neque domo, neque familia,

neque cognatione, neque tribu meus. Hæc certe qui faciat, non eum cum ſummis viris comparo; ſed ſimillimum Deo, ac Domino noſtro Ieſu Chriſto iudico, *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. O vere hominem ſecundum cor Dei*, ait Bernardus, [a] *qui ſe vlciſcenti potius, quam exprobranti ſuccenſendum putauit, vnde & ſecuta conſcientia loquebatur. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Innuens fortaſſe hunc pſalmum ad hoc Semei negotium pertinere, quod ſentit Arnobius, & Brugenſis.[b]

a ſer. 34. in cant.

Pſal. 7

b in Pſal. 7.

Et reuera negari non poteſt, quin pleraque præſenti hiſtoriæ accurate conueniant. Nam Cuſai nomen quod in eius pſalmi titulo legitur, appellatiue multi omnino interpretes de Saule ſumunt, quaſi ethiope, non gente, ſed moribus, quod Dauid pro ſua in Saulem reuerentia, de Semei potius quam de Saule dixerit, quamuis vtrique conueniat eſſe filium Iemini, quod in eodem habetur titulo. *Pſalmus Dauid quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filii Iemini.* Verba vero Semei quæ retulimus, ad patientiæ materiam ſunt inſignia. Præſenti vero Dauidis fugæ ipſum pſalmi initium valde quadrat. *Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac, ex omnibus perſequentibus me, & libera me.* Nunc enim totus populus contra eum inſurrexerat, & arma ſumpſerat, improbo Abſalone duce; ad quem pertinet illud quod ſequitur. *Ne quando rapiat vt leo animam meam*; Is enim nunc Hieroſolymis leonis inſtar victor exultabat, cum ei ceſſiſſet Dauid, cuius etiam vitæ inhiabat, ad ſtabilitatem regni ſui, vt ſupra diximus,[c] idque illa Dauidis verba confirmant, *Ecce filius meus quærit animam meam*, quod videbatur Dominus iratus Dauidi, permiſſurus, idque ſignificant illa verba. *Dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.*

LI. Pſalmus 7. huic hiſtoriæ accommodatur.

c n. 10.

Svbito autem æſtu animi abreptus, & reputans illa verba Semei, *Reddidit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul, quoniam inuaſiſti regnum pro eo*, ad Deum innocentiæ ſuæ teſtem exclamans ait *Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala*, puta Sauli, qui me inimiciſſime perſequebatur ad mortem, & cui in mea poteſtate poſito, non reddidi vicem, ſed amice, ac clementer illi peperci, qui hoſtiliter furebat in me; *decidam merito ab inimicis meis inanis*, ſpe omni mea, & fructu patientiæ caream: imo *Perſequatur* vt cœpit *inimicus* Abſalom *animam meam, & comprehendat* ſecutus conſilium Achitophelis. *Et conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam*, tot victoriis diuiniſque beneficiis partam, *in puluerem deducat.* Itaque conſcius innocentiæ ſuæ in cauſa Saulis, quã ei exprobrabat Semei, & cuius vltorem dicebat diuinitus excitatum Abſalonem, Dei iram, mendacii ac calumniarum vindicem inuocat. *Exurge*, inquit, *Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum* & mox. *Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.*

LII. Purgat calumniam occupati regni.

Id Iudicium dum expectat, & *iuſtum adiutorium à Domino, qui ſaluos facit rectos corde*, denunciat inimicis ſuis, qui ſub ſignis Abſalonis contra ſe militabant, graues à Deo pœnas, niſi conuertantur. *Niſi conuerſi fueritis gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit eum, & in eo parauit vaſa mortis, & ſagittas ſuas ardentibus* flammis inſtruxit, mortem Abſalonis obſcure denuncians, qui tribus lanceis, ſeu ſagittis confoſſus interiit. Cumque magno conatu, atque artificio ſibi regnum, patri pararet interitum, *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit; & conuerſus eſt dolor eius*, ab eo ſcilicet alteri paratus, *in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendit.* Quæ licet Deo inſpirante à Dauide dicta ſint, fortaſſe tamen non cogitauit ad Abſalonem peculiariter pertinere, qui non tanquam propheta, ſed quaſi pater poſtmodum dicebat ſuis, ad bellum procedentibus, *ſeruate mihi puerum Abſalom.* Sunt qui putent etiam Pſalmum trigeſimum octauũ huc pertinere. Illa certe verba facile Semei accommodantur. *Poſui ori meo cuſtodiam cum conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis*, id eſt, defenſione mea. Et rurſum illa *Opprobrium inſipienti dediſti me, Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*; iuxta illud, *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid.* Merito autem huius patientiæ, *amoue à me plagas tuas.*

LIII. Et pœnas inimicis ſuis denunciat.

Accommodatur item Pſal. 38.

Patientia Dauidis.

Nam hic quoque Deum agnoſcit authorem confuſionis ſuæ, dum ipſum vlciſci volenti ait. *Dimitte eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini, ſi forte reſpiciat*

in ſatisfactionem & meritū.

Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Vbi vides intimam Dauidici cordis humilitatem, qui tam heroicam patientiam ſuam, fere nihili pendat, dubitans quodammodo an Deus eam dignetur reſpicere, gratam habere ac præmio aliquo remetiri. Licet nullo modo dubitet ſe cum benigniſſimo ac liberaliſſimo Domino agere, qui iniuriam hanc æquo animo latam, in ſatisfactionem accipiebat, in meritum autem alicuius boni, eo quod eam fortiter, & ob amorem Dei libenter tolerabat; ideoque licet potuiſſet, tanquam ſupremus iudex Semei in publico crimine morte afficere; noluit tamen, in gratiam diuinæ maieſtatis, cui hic maledicus quoquo modo ſeruiebat. Nec ignorabat illud, quod tanto poſt ab Apoſtolo ſcriptum eſt. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri,* & dilectionis, & patientiæ ſeruorum ſuorum. Quæ tamen ipſi nullo numero habent, qui ſe ſuaque omnia tot nominibus Deo debita ſentiunt, ac profitentur. Hebr. 6. 10. vide Caiet. 2 reg. 16.

LV. *An, & quatenus Deus præceperit Semei.*

Cæterum cum conſtet Semei grauiter peccaſſe maledicendo regi ſuo, idque ipſemet poſtea faſſus ſit, [a] & propterea iuſte deinde, poſt annos ferme ſedecim, [b] à Salomone capitali ſupplicio affectus ſit: dicendum eſt non proprie à Dauide vſurpari præcepti vocem cum ait, *dimitte eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini,* [c] aut, *Dominus præcepit ei, vt malediceret* Dauid; non enim vult Deus, nedum præcipit, vt peccata perpetrentur, ſed ea deteſtatur, ac ſeueriſſime punit. Reſpondet Bellarminus, [d] dici Deum præcepiſſe Semei, vt malediceret Dauid, quia corruptam Semei voluntatem inclinauit ad maledicendum Dauidi. *Inclinauit autem,* inquit, *vt diximus ex Hugone,* [e] *non compellendo, ſed aperiendo illi viam ad hoc malum, & claudendo ad alia. Id eſt permittendo vt hoc ſolum malum vellet, & perageret, ex multis ad quæ parata erat,* Sic ipſe. Hugo autem quem laudat, ait hoc ſentiendum, & credendum eſſe, *Deum malis voluntatibus non dare corruptionem, ſed ordinem, cum eas inuiſibili operatione ad ſuum arbitrium temperat, & inclinat.* Ita Hugo: cui conſentiens Abulenſis, [f] *Aliter,* inquit, *intelligi poteſt, quod* Dauid *putaret, quod* Deus *præcipiebat, id eſt inclinabat iſtum ad maledicendum; & iſte modus erat frequentatus in Scriptura. Nam ſic dictum erat de Abſalon* [g] *quod* Deus *ſuſcitaret malum de domo* Dauid, *& tolleret vxores eius, Sciebat tamen* Dauid *quod Deus non iubebat Abſalom hoc facere, ſed inclinabat eum, vel permittebat inclinari, & offerebat facultatem ad hoc faciendum;* & mox, *Deus mouebat Semei ad maledicendum* Dauid, *non quidem directe, quatenus hic erat actus malus & deordinatus, ſed quatenus erat in pœnam David.* Hæc Toſtatus.

a 2. Reg. c. 19. 20.
b an. Salo. 6. nu. 2. & ſeqq.
c c 16. 10. 11.
d l. 2 de amiſſ. gratię c. 13.
e l. 1 de Sacram. p. 5. c. 29.
f q. 23. in c. 16. 2. reg.
g c. 12. v. 11.

LVI. *Quomodo is à Deo motus.*

Videtvr autem Dauid. vt idem poſt Lyranum notauit, diuinum aliquid in hac petulantiſſimi hominis nequitia agnouiſſe. Videns enim Semei ſolum & inermen, tam audacter atque intrepide ipſum proſcindere maledictis, coram audaciſſimis militibus, & ad vindicandam regis iniuriam promptiſſimis, perſuaſit ſibi hoc totum negotium non à ſolo Semei ſed partim etiam ab ipſo Deo proficiſci; non ad eius voluntatis malitiam, ſed ad ſubſtantiam actus, vt aiunt, peculiariter concurrente, & voluntatem malam ita ad Dauidem puniendum ordinante *Sciendum eſt autem,* ait Theodoretus [h] in hunc locum, *quod non diuinæ ſit operationis, neque Amnonis nefarius concubitus, neque Abſalonis fraterna cædes, nec furor in patrem. Sed domus nudata diuina prouidentia,* eius alias contra res aduerſas protectrice, *fuit inſtar ſcaphæ carentis gubernatore, & vehementes fluctus inſanorum dæmonum excepit.* Sic Theodoretus. h q. 32. &c.

LVII. *Dauid cum ſuis reſedit in Bahurim.*

Sed maledicū iſtum tantiſper miſſum faciamus, quē apparet abiiſſe aliquanto longius; nec ſtatim ad oppidum reuertiſſe: patientiſſimum autem Dauidem aſſectemur, qui ex pedeſtri itinere fatigatus, cū populo ſuo reſedit, *& refocillati ſunt ibi.* In oppido ſcilicet Bahurim, quo eum veniſſe paulo ante dictum fuerat, [i] confecto iam aliquot milliariorum itinere, & fortaſſe ieiuni domo exiuerant, matutinum enim id tempus fuiſſe poſtmodum intelligetur: & in via Sibæ liberalitate vſi fuerant, propter aliquorum, mulierum præſertim, in ea turba infirmitatem. Quam quietem mirum eſt à Ioſepho ad Iordanem differri. Ait enim Dauidem contempto Semei continuaſſe iter, delatumque ad Iordanem, ſuos ex itinere fatigatos ibi recollegiſſe, ac refeciſſe. Videlicet vigintiquinque milliaria, aut eo amplius talis tantuſque populus vno quaſi curſu confecit. Adde quod i c. 16. v. 5.

nuncij Abiatharis,& Sadoci eum non ad Iordanem, ſed in campeſtribus deſerti inuenerunt, quo ſe iturum atque abſconſumiri eos præmonuerat, expectantem quid nuncij ad ſe ex vrbe deferretur. [a]

a c.15. v.28.

IN hac autem nonnulla quiete, refectis modice viribus Dauid, orans & gemẽs apud Deum, ad campeſtria deſerti, vti condictum fuerat, progrediebatur, eaque meditabatur, quæ mox in Pſalmum 142. retulit; cui titulus eſt *Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum filius ſuus Abſalon*, etſi abeſt is titulus ab Hebræo. *Domine exaudi orationem meam*, inquit, *auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iuſtitia.* quam ſcilicet nunc exerces aduerſum me. Meminerat enim ſemper prophetæ Nathan, & hanc eſſe peccatorum ſuorum animaduerſionem agnoſcebat; ideoque pergens orat, ne ſe quaſi aduerſarium, in diuino iudicio conſtituat. Illa autem quæ ſequuntur. *Quia perſequutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam, collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi.* Ex verbis Chuſai [b] amici Dauid lucem accipiunt, cum ad Abſalonem dicebat, *forſitan nunc latitat in foueis, aut in vno quo voluerit loco.* Cum autem ait anxiatum fuiſſe ſpiritum ſuum, & turbatum cor ſuum, & memorem fuiſſe dierum antiquorum, alludit ſine dubio ad antiquas ſuas illas latebras, quas Saule perſequente frequentabat: Illa vero, *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui. Notam fac mihi viam in qua ambulem;* Omnino referuntur ad expectationem nunciorum Ionathę & Achimaas, iuxta quorum monita iter facturus erat, vel in deſerto reſtiturus. Expectabat autem nuncia in omnes horas, & ſaltem poſtridie mane; quæ tamen eadem ipſa die ſub noctem accepit, vt infra dicetur, [c] cætera Pſalmi eiuſdem, eidem ſententiæ conſentanea ſunt, vt conſideranti patet.

LVIII. *Ea meditatur Pſalm. 142.*

b Cu.17. v. 19.

c ca.17.16.

Hæc dum aguntur ad Bahurim, Chuſai ad Abſalonem venit, & gratulabundus, *Salue rex*, inquit, *ſalue rex. Ad quem Abſalom. Hæc eſt inquit gratia tua ad amicum tuum? quare non iuiſti cum amico tuo?* Quaſi dicat, hæccine eſt conſtantia amicitiæ tuæ? ita gratus es erga eum, qui te diligit, qui bene de te meritus eſt? Qualem ego te ſperem futurum erga me, quem video tam leuiter à priore amico reflante vento auolaſſe? Neque patrem appellat; ne illud nomen eum, quantumuis ſit impudens, pudore confundat, & dum reprehendit ingratum amicum, accuſet ingratiſſimum filium. Neque regem nominat, ne ſeipſum manifeſtę tyrannidis condemnet. Videtur autem nonnullam ironiam habere hæc oratio; non enim ſerio reprehendebat deſertorem patris, qui ab omnibus deſertum voluiſſet, ſed quodammodo inſultat Dauidi, qui etiam ab intimis, maximeque neceſſariis deſeratur, cum vice verſa vltro ad ſe omnes confluant. Quam expoſitionem reſponſio Chuſai facile confirmat.

LIX. *Adit Abſalonẽ Chuſai, ab eoq; arguitur defectioni.*

ETENIM is adulatorum aulicorum perſonam egregie ſuſtinens, [d] *Nequaquam*, inquit, perſiſtam in Dauidis amicitia, vel famulatu; *quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & vniuerſus Iſrael, & cum eo manebo.* Vide vt ſtatim beneuolentiæ colligendæ cauſa, ei ſcrupulum eximit deteſtandæ tyrannidis, & coniurationis contra patrem ſuum, cum eam nomine diuinæ electionis colorat: Addit & populi totius, quaſi cum Deo conſpirantis, conſenſum, cui propterea nefas ſit ipſum Chuſai non acquieſcere. Sed dum Deus voluit Dauidem eſſe regem, eum pro rege agnouiſſe, ipſique ſeruiſſe: nunc eo diuinitus repudiato, & Abſalone electo, ſe quoque Abſalonem pro rege habiturum, eique obtemperaturum, vt qui non tam regis perſonam, quam Deum in rege veneretur. Rectè iſta quidem, niſi ruinoſo fundamento niterentur, quod Abſalom à Deo electus eſſet in regem. Addit alteram rationem Chuſai, cur ſeruire debeat Abſaloni: quoniam aulici principum ſerui, non ipſis tantum famulantur, ſed ipſorum etiam filiis in regnum ſuccedentibus. *Cui*, inquit, *ego ſeruiturus ſum? nonne filio regis? ſicut parui patri tuo, ita parebo & tibi?* Sicque in iuſtam fraudem inductus iniuſtiſſimus Abſalon, proditorem pro amico adeptus eſt. In quo tamen neque peccauit qui iuſtam Dauidis cauſam fouebat; neque mentitus eſt, cum ironicè loqueretur.

LX. *Quam ex cuſat Chuſai.*

d c. 16.18.

DIXIT *autem Abſalom ad Achitophel: Inite conſilium quid agere debeamus.* Alloquitur etiam Chuſai: quem apparet in hoc conſilio diſſimulaſſe, ne ſi ſtatim reſiſte-

LXI. *Conſilium Achito-*

pheli de cõcubinis Dauidis.

ret, ſuſpectum ſe redderet Abſaloni, ſibique aditum præcluderet ad iuuandum maiori in re Dauidem. [a] *Et ait Achitophel ad Abſalon, Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum, vt cum audierit omnis Iſrael*, nunciantibus qui præſentes aderunt *quod fœdaueris patrem tuum*, & infamia probroſa in re vxoria maculaueris, *roborentur tecum manus eorum.* Eo conſilio dato probatoque, *tetenderunt Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque ſit ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.* Fœdiſſimum omnino, planeque nefarium facinus, quo impletum eſt Nathani vaticinium; [b] quo perditus hic, ac deploratus iuuenis, tam multiplici ſe, patremque ſuum inceſto, atque adulterio erat enim Abſalon coniugatus, turpiſſime fœdauit, & grauiſſimo cum ſcandalo, talium criminum impunitatem factis ipſis exhibuit.

[a] Abu q. 22

[b] 2. Reg 12.

LXII. *Quonam fine ſuſceptũ.*

Sed enim cuius rei gratia tantum piaculum ſuſceptum atque perfectum eſt? Scriptura id obſcurius indicauit, interpretes [c] communiter ita explicant. Achitophelem animaduertiſſe pleroſque, qui relicto Dauide ſeſe addixerant Abſaloni, timide ipſi adhærere, & animi incertos fluctuare, timentes ne ſi pater filio reconſiliaretur & patri quem reliquerant, & filio quem in coniuratione fouerant odioſi fierent; aut certè veniam, quam ſibi ægrè obtineret, ipſis impetrare non poſſet. Itaque author fuit filio tantæ contumeliæ, atque iniuriæ in patrem perpetrandæ, coram vniuerſo populo, vt is merito reconciliationem deſperaret. Hanc explicationem vidit olim Theodoret. [d] *Timens*, inquit, *Achitophel ne natura eos rurſus coniungeret, deinde ſi fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam ſuggerebat iniquitatem, vt reconciliationi nullus pateret aditus.* Vidit Ioſephus, [e] qui id de toto populo, non de ſolo Achitophele dicit. *Sic enim*, ait, *populum conſtantius in partibus perſeueraturum ſublata reconciliationis ſpe: & prompte contra patrẽ militaturum. Nam hactenus non libenter eos inimicos ſe illi profiteri, veritos ne pax inter patrem & filium coeat.* Ita in diſſimili cauſa Aſdrubal, in tertio bello punico [f] Romanos captiuos Carthagine crudeliſſime interfecit, ne ſpes vlla pacis Carthaginenſibus ſupereſſet. 7

[c] Caietan. Lyran. Abul q. 10 & 11. in c 16 Vatablus.

[d] q 33.

[e] l 7 c. 8.

[f] Appian. in pun.

7 ℞.

LXIII *Modis omnibus ſceleſtum fuiſſe.*

Diabolicvm plane Achitophelis conſilium, quo vna eademque opera, plurima, grauiſſimaque damna omnibus afferret. Regi, cui probroſiſſima contumelia inferebatur. Abſaloni, quem magis magiſque alienabat à patre, eumque illi maledictioni reddebat obnoxiũ. *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* [g] Deo, qui in omni ſcelere offenditur, & cui Abſalonem tanto odioſiorem reddebat, quanto crimnoſiorem. Mulieribus, quæ omnes infames, probroſæ, inceſtæ, atque adulteræ factæ ſunt, neque vna ſaltem legitur, quæ tam pudendo, ac publico facinori reſtiterit, aut quæ mortem tantæ infamiæ præoptarit. Populo, quem in defectione contra legitimum principem confirmauit, eique ad omnem immunditiam atque impudentiam, viam patefecit. Achitopheli denique ipſi, quem lætum reddidit de vindicato in decuplum adulterio neptis ſuæ. Sed neſciebant iſti Dauidis incomparabilem manſuetudinem, clementiam, & amorem in populum ſuum, quo facile ad veniam, & obliuionem criminum in ſe perpetratorum adduci potuiſſet. Qui etiã poſt hæc infanda facinora, & bellum inſuper ſubſecutum, Abſalonem tam impenſe ſeruari præcepit; illi vtique veniam, qua erat indigniſſimus, amantiſſimè largiturus.

[g] Gen. 49 4

LXIV *Qualis Achitophelis prudentia.*

Improbissimvm ergo, & quod cacodæmonem proderet architectum, conſilium hoc fuit, vſque adeo peccatorum fœcundum fuit. Neque vero id à Scriptura laudatur, dicente *conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum. ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalom.* Ei enim prudentiam non veram, ſed quæ carnis dicitur attribuit, aut ſi placet naturalem quandam circunſpectionem, quæ apta media ad finem aliquem, ſiue bonum ſiue malum excogitat; & opportune applicat, eam ſolertiam potius naturalem quam prudentiam vocari par eſt; confertur autem cum diuina propter certitudinem euentorum, aut etiam vtilitatem, ſed cum quadam exaggeratione, quantum parua licet componere magnis, terrena cœleſtibus, humana diuinis.

LXV. *Alterum*

Primvm Achitophelis conſilium eo ſpectabat, vt labantes animi, qui vel op-

eius conſilium de ſtatim perſequendo Dauide.

tabant, vel timebant reconciliationem, ea penitus deſperata, totos ſeſe Abſaloni darent, eumque victorem ac regem eſſe vellent; hoc primum ac primarium ſtabiliendi Abſalonis imperij fundamentum fuit. Alterum fuit Dauidem ſummum ac præcipuum aduerſarium, quanta fieri potuit celeritate opprimere, antequam ſe ille colligeret, vel fugeret, vel fortior ad reſiſtendum fieri poſſet. Dixit ergo Achitophel ad Abſalon. [a] *Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgẽs perſequar Dauid hac nocte, & irruens ſuper eum, quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus, percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam regem deſolatum. Et reducam vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet: vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Hactenus Achitophel; *placuitque ſermo eius Abſalom, & cunctis maioribus natu Iſrael.* Et merito quidem: vide enim quam acute ac ſolerter prouidet, ac diſponit omnia.

[a] ca. 17. l. 2 reg.

LXVI. *Quam id vtile foret*

Primvm quoniam in quauis expeditione bellica in ducis fidelitate & prudentia maximum momentum poſitum eſt, ipſe ſe, quem conſtabat vtraque laude eminere, ad huius conſilij executionem offert. Secundo neceſſarij ſunt viri fortes & animoſi, qui contra fortes & ad vltimum rerum deſperationem adductos ſtare audeant. Cenſet igitur eligendos eſſe ex omni multitudine fortiſſimos, vt ſoli electi, & eximij ad hoc prælium admittantur. Tertio, quoniam abundante militum copia, licebat aduerſariis multitudine præualere, contra Dauidis copiolas, mille fortaſſe aut duûm millium virorum fortium, armari vult duodecim millia bellatorum. Quarto quoniam tota res erat in celeritate poſita, vult ſine mora expeditionem decerni, parari, emitti. Vnde hebraice, & græcè habetur, *eligam mihi nunc*, quod reddit Latinus interpres cum addit *hac nocte*, quæ eſt alia circunſtantia temporis rei gerendæ idonei: vt aduerſarij incauti & imparati prius opprimantur, quam venientem ruinam ſuſpicentur. Accedit poſtremo circunſtantia aduerſariorum, ex diurno itinere defatigatorũ, vt qui pedites, & ſine vllo belli aut victus apparatu abierant, aut potius aufugerant. Ex quibus omnibus recte ſperabat Achitophel fore vt militum manus, quæ cum Dauide erat repentino incurſu turbata, magis de fuga, quam de pugna cogitans, Dauidem deſereret, & deſolatus multitudine facile obrueretur; ſicque excitati ciuilis belli flamma, in illo vno capite extingueretur; & deinceps Abſalom ſuper vniuerſum Iſraëlem in pace, ſine vllo æmulo regnaret. Quæ quidem licet omnibus probata eſſent, Deus tamen iniecit mentem Abſaloni, vt conſuleret Chuſai

LXVII. *Repudiatur à Chuſai.*

Ait autẽ Abſalom, Vocate Chuſai Arachitẽ, & audiamus quid etiã ipſe dicat; cumq; veniſſet Chuſai, audiſſetque ab Abſalone Achitophelis conſilium, *Non eſt*, inquit, *bonum conſilium quod dedit Achitophel hac vice. Et rurſus intulit Chuſai; Tu noſti patrem tuũ, & viros qui cum eo ſunt eſſe fortiſſimos, & amaro animo, velut ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat. Sed & pater tuus vir bellator eſt, nec morabitur cum populo. Forſitan nunc latitat in foueis, aut in vno quo voluerit loco: & cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet; Facta eſt plaga in populo, qui ſequebatur Abſalom. Et fortiſſimus quiſq; cuius cor eſt quaſi leonis pauore ſoluetur: ſcit enim omnis populus Iſrael fortem eſſe patrem tuũ, & robuſtos omnes qui cum eo ſunt.* Hæc eſt confutatio conſilii Achitophelis, qua diuina prouidentia humanæ prudentiæ prudenter illuditur.

LXVIII. *Et ſigillatim refellitur.*

Etenim in primis Chuſai, ne vel ſe ipſe prodat, vel aduerſarium alienet à ſe, ita eius ſententiam improbat, vt ſimul hominem tacitè commendet, quaſi ſolitũ prudenter conſilium dare. Secundo quod ille ſumpſerat vt certum, Dauidem laſſum, & ſolutis manibus facile vinci poſſe: hic contra contendit tam illum, quam eius ſocios eſſe longe fortiſſimos; & præterea vim ſuſcitante ira, ob acceptam iniuriam, fore violentiſſimos, inſtar vrſæ cui rapti ſint catuli; vt illi vni plures venatores pares eſſe non poſſint. Tertio ſumebat ille Dauidem necopinantem nocte opprimi poſſe. Iſte contra prudentiam viri bellatoris, & in armis exercitatiſſimi opponit, qui excubias militari more opportunis locis adhibiturus ſit, & ſtationes obiturus, aliaque boni imperatoris munera, in tanto rerum diſcrimine impleturus. Quarto ponebat Achitophel Dauidem in medio populi ſui eſſe, ibique à ſuis perturbatis deſtitutum iri, hoſtium telis & gladiis expoſitum. Chuſai contra opponit Dauidis conſuetudinem, nocte ſecedentis à turba, ne à ſuiſmet, coniuratione aliqua comprehenſus, hoſtibus dedi poſſit: ſicque fore vt quamuis Da-

uidis copiæ delerentur, ipſe incolumis, alias facile comparare poſſet. Deniq. ponebat ille Dauidicos milites turbatũ iri, & facilem hoſti victoriam daturos. Iſte contra idem potius de Abſalonicis contendit, propter anticipatã opinionẽ virtutis Dauidis & ſociorũ, qua futurum ſit, vt leue aliquod at mnum, timore malum temere exaggerante, exercitum exanimet. Hactenus refutatio.

LXIX. Conſilium Chuſai. AVDIAMVS vice verſa quid ipſe ſentiat. *Congregetur*, inquit, *ad te vniuerſus Iſrael, à Dan vſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. Et irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram, & non relinquemus de viris, qui cum eo fuerint, ne vnum quidem. Quod ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circundabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt nõ reperiatur nec calculus quidem ex ea.* Placuit hæc ſententia Abſaloni & ſuis, tum quia

Cur probatum 1. glorioſior ſibi victoria futura erat, quæ ſibi in medio exercitus poſito, non Achi-
2. topheli tribueretur; tum quia tutior erat, certiorque victoria, quæ per potentiſſi-
3. mum exercitum, numeroſiſſimumque quæreretur. Tum deniq; quia *Domini voluntas fuit, vt conſilium vtile Achitophelis diſſiparetur, vt induceret Dominus ſuper Abſalom malum*, vt ait Scriptura, innuens futurum fuiſſe, ſi Achitopheli acqu[ie]uiſſent, vt de Dauide actum eſſet: Quod quia nolebat Dominus, ſed impium potius parricidã puniri, eam illi, ac ſuis mentem indidit, vt Chuſai potius, quam Achitophelis conſilium approbarent. 2. Reg. 17. 14

LXX. An in eo mentitus fuerit, aut peccarit. NON dubitat Abul. [a] fateri Chuſai in hoc conſilio dando Abſaloni eſſe mentitum: quod cum hic peteret conſilium accommodatum ad ſuperandum Dauidem, ille non ſolum dederit conſilium vtile Dauidi, cui tempus dabat elabendi, & trans Iordanem migrãdi, & copias congregandi, vt iuſto exercitu poſſet inuadenti reſiſtere; ſed dixerit etiam hoc conſilium ſibi rectum videri, quod tamen ſciebat in damnum Abſalonis, à quo conſulebatur, redundare. Nolim tamen eũ

Nõ videri. arguere mendacij, aut peccati alicuius in hoc negotio. Vere enim dixit ſibi rectũ videri quod ſuadebat, & reuera rectum fuit æquũ enim erat ac rectum Dauidem vincere, Abſalonẽ ſuperari; ille enim rex erat, iſte tyrannus. Nec tenebatur Chuſai ad Abſalonis mentem loqui, quem legitimum iudicem non agnoſcebat; ſatis erat vt loqueretur ad ſuam. Denique in hoc toto negotio, iuſtoque boni parentis aduerſus filium perduellem bello, iuſto ſtratagemate vſus eſt Chuſai, ad inducendum tyrannũ in fraudem, quod nullus opinor merito reprehenderit. Accuſet potius temeritatẽ ſuam Abſalom, qui tã facile intimo hoſtis ſui amico fidẽ habuerit.

[a] q. 10. in c. 17.

LXXI. Monet Abiatharem & Sadochũ de Dauide monendo. PORRO ex conſequentibus intelligitur Dauidem cum ſuis non pernoctaſſe in Bahurim, ſed permodica ibi quiete, & cibo ſumpto, ad campeſtria deſerti, Iordanem verſus, vt ſupra dicebamus, [b] perrexiſſe. Chuſai autem memor officij ſui, & curæ a Dauide impoſitæ, adit quam primum Abiatharem pontificem, & Sadochum ſacerdotem, quibus vtrumque conſilium datum exponit. Et quoniam incertum erat an Achitophel Abſalonem, abſente Chuſai, ad priorem ſententiam reduceret, quod humanitus loquendo, minime arduum erat, præſertim inſigni prudentiæ viro, communi ſententia decretum eſt, ſtatim monendum eſſe Dauidem, vt ſibi & ſuis tranſito Iordane conſuleret. *Nunc ergo*, inquit, *mittite cito, & nunciate Dauid dicentes; ne moreris nocte hac in campeſtribus deſerti*, eo ſe iturum præmonuerat, vt à nuncijs amicorum inueniri, ac moneri poſſet [c] *ſed abſque dilatione tranſgredere*, ſiue vt alij vertunt, traijce, nimirum Iordanem, *ne forte abſorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo eſt*, irruente ſcilicet in eum Achitophele, cum duodecim electorum virorum millibus.

[b] nu. 58.

[c] c. 15. 28. 2. Reg.

LXXII. Nuncij ad fontem Rogel. *Ionathas autem, & Achimaas* ab ipſo Dauide deſtinati, vt munere nunciorũ fungerentur, *ſtabant iuxta fontem Rogel*, vel ghen-rogel, id eſt fontem fullonis, quod ſcilicet ad eius aquas fullones operarentur. Erat autem commodus hic locus, ſiue quia erat in ipſa via, quæ ducebat Bahurim, & ad campeſtria deſerti, in quibus ſubſtiterat Dauid; ſiue quia tectior erat locus, nec facile obiectus oculis ingredientium in vrbem, aut egredientium. 8 fuit hic fons in ſuburbanis Hieroſolymorum, ad orientem, in valle Hennon, cuius aquæ in torrentem Cedron exonerabantur. Hunc fontem hortis regijs includit Adrichomius, nec tamen vult opinor, fullones ordinarie in hortis regijs operam dediſſe, lauandis pannis ſuis, ſed vſos aqua quæ inde dimanabat. Villalpandus [d] tamen eundem fontem e re- 8. ex.

[d] tom. 3. l. 1. vrbis c. 17.

gis hortis excludit. Duo ergo nuncij extra vrbem morabantur, ne non poſſent exire quacunque hora res expoſceret, aut facile obſeruari poſſent abeuntes; quod ne ſic quidem ſatis vitare potuerunt.

Cvm enim ancilla miſſu pontificis, aut Sadoci, ſpecie lauandi in fonte pannos, vt ait Hieron. in trad. & ex eo Comeſtor, Lyra. Abul. & alii, ad eos veniſſet, eiſq; mandata patrum expoſuiſſet, illi confeſtim profecti ſunt, vt quam citiſſime fieri poſſet nuncium ad regem referrent. Verum vidit eos quidam puer, illius ancillæ filius, vt aiunt iidem, qui rem ſuſpectam habens, ratus ſe magnam apud regem gratiam initurum, rem ad eum detulit; iſque ſtatim miſit è ſuis domeſticis, qui eos comprehenderent. Id cum nuncij ſenſiſſent; noctu enim vel ex lõginquo ſpatio aduentus equitum percipi poteſt, præſertim à timentibus, & omnem auram, ſonumq; auide captantibus. Et iam deproperato itinere peruenerãt ad oppidum Bahurim, cum latebris in tãto diſcrimine impetratis perſequentium ſtudium, ac diligentiam eluſerunt. Rem Scriptura ſic narrat. LXXIII. *Dauidem adeunt.*

Vidit *eos quidem puer, & indicauit Abſalom: illi vero concito gradu ingreſſi ſunt domũ cuiuſdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum. Tulit autem mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas*, ſiue grana frumenti, hordeiue madefacta, & contuſa: *& ſic latuit res*, cum ne puteus quidem ipſe ſub illo integumento appareret, vt ait Toſtat. *Cumque veniſſent ſerui Abſalom in domum ad mulierem dixerunt, vbi eſt Achimaas & Ionathas. Et reſpondit eis mulier; Tranſierunt feſtinanter, guſtata paululum aqua.* 9 Callide mulier, ſi enim negaret ſimpliciter a ſe viſos, non feciſſet fidem, ſed abſconſos putaſſent, & inquiſiuiſſent ſtudioſius, vel perſecuti eos fuiſſent, & vel in reditu occurriſſent eis. Audita vero feſtinatione tranſeuntium, exiſtimarunt eos vel iam ad ſuos perueniſſe: vel omnino peruenturos antequam comprehendi poſſent. Itaque deſperata re *reuerſi ſunt in Hieruſalem.* Et mulier officioſo mendacio Dauidem periculo, nuncios morti eripuit. LXXIV. *Quos ſerui Abſalonis perſequuntur.* 9. x.

Cvmqve *abyſſent, aſcenderunt illi de puteo*, quo modo paulo ante deſcenderãt, vel per ſcalas, vel demiſſum lapſi per funem, *& pergentes nunciauerunt regi Dauid, & dixerunt: ſurgite, & tranſite cito fluuium, quoniam huiuſcemodi dedit conſilium contra vos Achitophel*, & periculum eſt ne conſilium Chuſai deſeratur. *Surrexit ergo Dauid* de cãpeſtribus illis deſerti *& omnis populus qui cum eo erat.* & intempeſta nocte iter facientes, tanta diligentia vſi ſunt, vt antequam illuceſceret, vel vt alii explicant, albeſcente cœlo tranſitus ſociorum Dauidis terminaretur: aliis per vada, aliis per nauiculas Iordanem traiicientibus. Quo autem in loco Iordanem tranſierint nõ ſatis cõſtat; credibile eſt Dauidẽ deſerta Ierichũtis tranſiſſe, inde veniſſe in Galgala, & Iordanem, vbi quondam Ioſue, traieciſſe. Iter autem mox verſus Caſtra direxerunt, ciuitatem ſcilicet ita dictam, aut hebraicè Manahim. Ad quam ab eo quem dixi, Iordanis tranſitu fere tridui iter fuit. Sed antequam vltra progrediamur, dum aliquid quietis Dauid accipiet, dabitq; ſuis, caſtris trans fluuium poſitis, paucis nobis hoc loco Ioſephus conueniendus eſt, aut de eo potius lector admonendus. LXXV. *Dauidẽ de Iordane trã mittendo monent.* *Traiicit, & adit Manahim.*

Primvm ipſum in opinione de gemino hoc tempore pontifice perſeuerare, quem iam non ſemel refutauimus. Secundo decem millia electorum militum ab Achitophele poſtulata dicit; & ne numeri culpam in librarios, vel amanuenſes coniiciamus, græce habetur μυρίους ἐπιλέκτους, id eſt decem millia electa, quo modo nunc Gelenius, & olim Rufinus legit, & vertit; cum Scriptura habeat duodecim millia, Hebraico, græco, chaldæo, latino, mire conſentientibus. Tertio conſilia Achitophelis, & Chuſai non fideliſſime reddit; quod minus in ipſo ferendum, qui ſæpe probabilitatis eſt quam Scripturæ obſeruantior, cuius rei examen prudenti lectori breuitatis cauſa relinquo: Illud tantum moneo, fruſtra ab eo reformidatum videri vſum illius figuræ. *Circundabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea.* Hyperbolem irriſum iri putauit. Maluit ergo Scripturam mutando, dicere: *Quod ſi pater intra mœnia cuiuſdam oppidi ſe concluſerit, machinis, ac cuniculis id expugnabimus.* LXXVI. *Aliquot errata Ioſeph.* 1. 2. 3.

Qvarto refert Scriptura viſos nuncios à puero, & ab eodem Abſaloni delatos. Ioſephus à quibuſdam equitibus conſpectos ait, quod pridem improbauerat Abul. [a] & quidem cum duobus iam ſtadiis iter promouiſſent. At veriſimilius eſt LXXVII. *Quartum,*

[a] q. 11 in c. 7.

a puero ad fontem cum ancilla viſos. Nam equites, qui rem ad Abſalonem detuliſſe dicuntur, nuncios ſtatim comprehendiſſent, aut perſecuti fuiſſent. *Et quintũ.* Quinto ſcriptura teſtatur nuncios in Bahurim veniſſe, & ibi in puteum deſcendiſſe; diſtabat autem oppidum Bahurim ab vrbe ſex fere milliaribus. [a] At Ioſephus [b] vbi de Semei maledictis agit, pro Bahurim ſubſtituit Choramum. χώραμον enim conſtanter in Græco legitur, licet Bachoram ſcripſerit Gelenius. Et hoc loco idem oppidum, ſi tamen idem eſſe voluit, ? χώραν appellauit, & ſitum ait non longe à Hieroſolymis. Quomodo equites iſti, qui nuncios conſpexerant iam duo ſtadia progreſſos, & tanta, vt ipſe ait, celeritate properantes ad Dauidem, vt nihil ſibi ad ſummam celeritatem reliquum facerent, potuerunt & in vrbem venire, & adire Abſalonem, & iuſſu eius redire ad nuncios, & illos prope Hieroſolymam adhuc occupare? *Poſtremũ.* Sexto, exiguum id quidem eſt, ſed tamen falſum, quod ait obtectum os putei pellibus, ſiue velleribus, nulla ptiſanarum mentione facta, vt quæ in vellere incommodè ſiccarentur, & quomodo velleribus ſatis tegi potuit os putei, in quem duo homines deſcenderent?

LXXVIII. *Achitophel laqueo ſibi vitam eripit.* PORRO Achitophel non diu tulit impune tam flagitioſa conſilia, ſiue regis ſui innocentis perdendi, ſiue tot inceſtis adulterijs violandi. *Videns* enim, ait Scriptura, *quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque, & abiit in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam, & diſpoſita domo ſua*, datis ſcilicet familiæ mandatis, quid ſe mortuo fieri vellet, *ſuſpendio interijt, & ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui. Statim autem* ait Theodoretus [c] *dedit pœnas illius impiæ, & nefariæ ſuaſionis; Et quoniam in patrem armauit filium, ipſe rurſus in ſe armauit manus, & ijs laqueum collo inijciens, miſerrimum ſuſtinuit finem.* Paulo plenius Ioſephus. [d] *Porro Achitophel*, inquit, *vbi ſuum alterius conſilio poſt habitum vidit, conſcenſo iumento Gelmonem patriam petijt*, dicendum eſt Gilonem, vnde & Gilonites dictus eſt. [e] *Ibi conuocatis omnibus domeſticis, expoſuit eis quæ Abſaloni conſuluerat, addens quoniam non perſuaſiſſet, certo ſe breui periturum. Dauidem enim hoc bello ſuperiorem omnino fore, & amiſſum regnum recuperaturum eſſe.*

LXXIX. *Et quibus de cauſis.* VIDETVR quidem hic timor à Dauide mox in regnum reſtituẽdo cauſa primaria, quæ miſerum hominem in deſperationem coniecit; ſed ad eam magnum etiam momentum attulit indignatio, quod conſilio ſuo, longe vtiliſſimo, ac plane neceſſario, aliud, quod è re hoſtis eſſet, antelatum videret; ſimulque ſentiret patefactum aditum ad contemptum ſui, qui hactenus inſtar diuini oraculi habitus eſſet. Itaque ratus vitam ſibi deinceps inter ciues ſuos, atque adeo in regio conſilio ignominioſam, atque acerbam fore, finem illi cenſuit imponendum; præſertim cum ſibi à Dauide victore vehementer timeret. *Præſtat igitur*, inquit, ille apud eundem Ioſephum, *magno animo, vt virum ingenuum decet, e vita exire, quam Dauidi, ob filio contra eum nauatam operam, excarnificandum ſe præbere. His dictis, in penitiſſimas ædes digreſſus ſeipſe ſuſpendit.* Demens qui Dauidis manſuetudinem, & placabilitatem ſatis ſpectatam, omnibuſque cognitam, maluit non ſperare, quam experiri.

LXXX. *Quem ſimilis Iudæ.* EXPERTVS eſt infelix illius prouerbij veritatem, *malum conſilium conſultori peſſimum.* Et qui conſilio ſuo regem ſuum ad grauiſſima crimina induxit: ipſe ſe iuſto Dei iudicio, longe grauiori ſcelere caſtigauit, & ſceleratum tyrannum, ſceleratior conſiliarius ad inferos anteceſſit. [f] Sui enim ipſius cædes, tanto cæteras omnes cædes malitia ſuperat, quanto maior cuique debet eſſe amor, & cura ſalutis propriæ, quam alienæ. Vir dignus qui per quam expreſſa eſſet figura Iudæ proditoris, ſicut dominus eius Dauid fuit nobiliſſima figura Domini Saluatoris. Vterque domeſticus, atque in intimis & familiariſſimis Domini ſui fuit: vterque ad capitales illius hoſtes, deteſtabili proditione transfugit; vtriuſque proditio domino ſuo nota, & lamentata fuit: vterque ſe eius inimicis ad illius mortem ducem, atque anteſignanum præbuit: vtrumque puduit deinceps in conſpectum Domini ſui, & ſociorum ſuorum venire: vterque agnito ſuo crimine de venia iuſtiſſime deſperauit; vterque videns quod præter mentem & conſilium ſuum res cecidiſſet: vterque ante mortem, quaſi per otium, diſpoſuit de rebus ſuis; vterque infami ſuſpendio vltro ſibi accerſito interijt; vterque ad inferos deturbatus eſt; proditoribus, ſi ſapiant, documento ac terrori futurus. Hæc de Achitophele, de quo plura ſuggeret Abulenſis. [g]

XXCI. *Abſalom* INTEREA nihil cunctatus eſt David prouidere ſuis rebus, *venitque in Caſtra*, quæ

[a] in tab. Adrich.
[b] l. 7. c. 8.
[c] q. 33.
[d] l. 7. ant. c. 9.
[e] 2. Reg. 15. 12.
[f] vide Angelom. l. 2. Reg. c. 17.
[g] q. 19 & ſeqq. in ca 17. 2. Reg.

MORS ACHITOPHELIS.

Abſalom tranſit Iordanem.

vrbs hebraicè Mahanaim dicitur, de qua ſupra, cũ de Iſboſetho filio Saulis, qui ibi ſeptennium regnauit, ageremus. [a] Ioſeph. oppidum vocat pulcherrimum, ac munitiſſimum illius tractus. Abſalom quoque nihil dubitans in celeritate victoriæ ſpem magna ex parte poſitam eſſe; intelligens Dauidem cum ſuis Iordanem tranſgreſſum eſſe, *tranſiuit* & *ipſe Iordanem, & omnes viri Iſrael cum eo. Amaſam vero conſtituit Abſalom pro Ioab ſuper exercitum,* & ſuſpicari cum Abul.[f] in hunc locum non temere licet Amaſam ab Abſalone ad partes ſuas, præmio ampliſſimæ dignitatis fuiſſe tradactum. *Amaſa vero fuit filius viri, qui vocabatur Ietra de Ieſraeli, qui ingreſſus eſt ad Abigail, filiam Naas, ſororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab.* Erant itaque filii duarum ſororum. Iſte autem qui hic dicitur Naas, fuit vtique Iſai, pater Dauidis, vt in ſchemate familiæ Iſai deſcripſimus. [b] Idque affirmat Ioſeph. [c] & Hieron. in trad. in hunc locum. Pleraq. item græca exemplaria pro Naas habent Ieſſe. 10

Amaſam creat militiæ principem.

[a] an. Saul. vlt. n. 107.

[b] Ann. Saul 8 n 35.
[c] 1 ſ c. 9.
10. χ.
Al. lina.
n. g. 2.
Bahi.
Vechel.
[d] 1 Par 2. 17
[e] 1. Par. 12. 18.
[f] 2 Reg. 17. 25.

XXCII. *Quis eius pater.*

DE Amaſa vero, & ipſius patre ita ſcribit ibidem ſanctus Hieronymus. *Amaſa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iezraele. In Hebræo legitur Iethra Iſmaelites, vnde & in Paral. ita legitur,* [d] *Abigail autem genuit Amaſa, cuius pater fuit Iether Iſmaelites. Iſmaelites enim idẽ Iether vocatur, quia filius eius Amaſa opera Iſmaelis imitatus, Dauid fugientem nequaquam eſt comitatus; cui dixerat,* [e] *Tui ſumus ô Dauid, & tecum fili Iſai. In libro vero Samuelis* [f] *idcirco Iethra Iezraelites vocatur, quia peccatum Amaſæ filii eius, quod in Dauid perpetrauerat, Ioab eum, id eſt Amaſam, percutiente deletum eſt.* Hæc ibi, quæ Hebræos plane ſapiunt, eorum quippe traditiones ſunt, & facilius eſt intelligere hæc cognomina, vt alia pleraque, partim ab ortu, partim ab habitatione ſumpta eſſe. Dicitur autem paſſim Iezraëlita, quod ortus eſſet ex Iezraël ciuitate Iuda, ſicut & Achinoam vxor Dauidis, & mater Amnon. [g] Etſi enim alia fuit Iezraël ad montem Gelboë ſita, terminus tribus Manaſſe & Iſſachar, quam Hieron. [h] decem tribuum metropolim vocat; de altera tamen hunc Ietherem oriundum potius dicendum videtur, quoniam coniugia iiſdem fere tribubus continebantur.

An Iſmaëlita.

[g] Vatab. Sa, Abul. q. 26.

[h] In loc. hebr.

XXCIII. *Amici Dauidis ei dãt munera.*

ET *caſtrametatus eſt Iſrael cum Abſalom in terra Galaad. Cumque veniſſet Dauid in Caſtra Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Amichel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei ſtratoria, & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butyrum, oues & pingues vitulos, dederuntque Dauid, & populo qui cum eo erat, ad veſcendum: ſuſpicati enim ſunt populum fame & ſiti fatigari in deſerto.* At non erant vltra in deſerto, ſed illud reliquerant tranſeundo Iordanem; An dicendum eſt oppidum Manahim, in quo erat Dauid cum ſuis, in regione ſatis inculta ac ſterili ſitũ fuiſſe? Ibi certe in propinquo erat ſaltus Ephraim, & hoc modo hunc locum interpretatur Abulenſis.

XXCIV. *Qui illi fuerint.*

PRIMVS porro eorum, qui lautia Dauidi miſiſſe legitur; ſic enim Romani vocabant munera, quæ regibus, amicis, & claris viris ad ſe venientibus mittebantur in ſignum beneuolentiæ: Primus, inquam, fuit Sobi, frater Hanonis Ammonitæ, qui contumelioſe acceptis Dauidis legatis, ante annos 13. [i] mox ſeueriſſima animaduerſione mulctatus eſt, & Sobi fratris loco in afflictiſſima regione Ammonitarum, in gratiam Naas patris eorum, bene de Dauide meriti, conſtitutus eſt anno Dauidis 20. idque affirmat Hier. in trad. & ex eo cæteri omnes. Eum Ioſephus corrupto vocabulo Siphar vocauit. Machir autem ille idem eſt, qui Miphiboſeth Ionathæ filium nutriebat, antequam ad Dauidis conuictores aggregaretur; [k] quem Ioſephus principem Galaaditidis regionis vocat: erat enim de Gaddi tribu, ſicut & Lodabar vrbs habitationis eius. Contribulis ei erat tertius, qui Berzellai dicitur, vir in ſua quoque ciuitate primarius, de quo infra pluribus agetur. [l] Hi ergo ſiue ex cõdicto, ſiue ſponte quiſque ſua, cum intima Dauidem beneuolentia proſequerentur, ſcirentque ipſum cum ſuis, ab omnibus rebus imparatum, domo profugum euaſiſſe, ea ad ipſum munera attulerunt, quæ forent ad vſum vitæ neceſſaria.

[i] Reg Dau. 17. n 7.

[k] 2. Reg 9. 4.

[l] cap. 18.

LXXXV. *Paratur prælium.*

DEINCEPS præparantur ad certamen exercitus Dauidis & Abſalonis, deplorabili bellorum ciuilium conditione perſonarum conflati, vbi non ſolum *pares aquilæ, & pila minantia pilis*, aut contra generum ſocer armatus eſt, ſed contra filium pater. Imo contra patrem filius; hic enim parentem perdere cupiebat, &

cui regnum eripuerat, vitam eripere feſtinabat. Ille autem pro filii ſalute, diuos hominesque conteſtabatur. Armatus igitur erat in patrem filius, in auunculum Dauidem Amaſa nepos, minore vtique ſcelere, ſed cum ſcelere tamen; cognati & patrueles; fratres & amici, & multiplici neceſſitudine colligati, eos infeſtis armis petebant, ad quos protegendos omnia naturæ iura eos compellebant. Sed pro Dauide æquitas, humilitas, miſericordia, & ipſemet exercituum Deus: pro Abſalone impietas, ambitio, tyrannis depugnabat, vt non mirum ſit haſce furias, ab illis heroinis eſſe ſuperatas.

LXXXVI. *Dauid copias ſua diuidit tripertito.*

DAVID autem [a] egregius imperator, *conſiderato*, rerum ſuarum ſtatu, *& populo ſuo*, non duxit operæ pretium muris ſe ſuoſque continere, & obſidionem aduerſariorum expectare, ſiue quia male inſtructi erant ab iis omnibus rebus, quæ ad tolerandam obſidionem neceſſariæ erant; ſiue quia magnum habebat momentum ad victoriam illa animi præſentia, quæ in milite cernitur vltro prouocante, atque inuadente aduerſarios ſuos; tueri enim ſe infirmioris eſt, inuadere fortioris. Diuiſit autem trifariam copias ſuas, *Et dedit populi tertiam partem ſub manu Ioab, & tertiam partem ſub manu Abiſai filij Saluiæ, & tertiam partem ſub manu Ethai, qui erat de Geth.* Voluit vtique Dauid honorare fidelitatem & amicitiam Gethæi huius principis, qui conſtantiſſime ipſi adhæſit, nec afflictum deſeruit [b] qui florentem ſecutus fuerat. Diuiſis autem tripertito copiis deni milites decanis, & hi centurionibus, centuriones chiliarchis, ſiue tribunis, ad commodiorem belli adminiſtrationem, ſubiecti ſunt.

[a] 2. reg 18. 1.
[b] 2 re. 15. 19

LXXXVII. *Quibus præeſt Ioab.*

ABSENTE autem rege ab exercitu: nam duces illum ad pugnam egredi non ſunt paſſi, vt mox dicetur, omnibus copiis cum ſumma poteſtate præfuit Ioab, præter illam tertiam partem cui immediate præerat. Ipſe enim erat princeps militiæ, ipſe primo loco nominatur inter duces, ipſe mortuo Abſalone finem pugnæ impoſuit, & de belli euentu nuncium ad regem miſit; nec paſſus eſſet Ioab ſibi alium præferri: nec fuiſſet prudentiæ Dauidis illum hoc rerum ſtatu exacerbare, quem ſciebat ſtomacho facile, atque iracundia efferueſcere, vt res ipſa poſtmodum docuit. [c] Ipſe ergo medio in exercitu poſitus, priores, poſterioreſque dirigebat, vt res exigere videbatur. Videtur autem & priores partes Abiſai fratri honoris cauſa aſſignaſſe, cuius aliis iam in bellis contra Syros & Idumæos virtus prudentiaque ſpectata fuerat, ac probata: poſteriores autem Ethai, homini amico & forti, ſed nouo apud Hebræos, & externo. *Heri veniſti*, aiebat Dauid, *& hodie compelleris nobiſcum egredi.* [d]

[c] c. 19. v. 5. 6. 7.
[d] 2. reg 15. 20.

XXCVIII. *Quis copiarum numerus,*

DE numero copiarum ſilente Scriptura nihil certo dici poteſt, Ioſephus ait [e] exercitum Dauidis fuiſſe, περὶ τετρακισχιλίους, circiter 4 millium, Comeſtor fere 7 milliũ, [f] vidi qui etiam maiores contraxiſſe copias arbitrentur, ſed nihil probant; & tẽporis anguſtiæ vix magnam fieri conuocationem patiuntur. Cum autẽ tempus appeteret, vt egrederentur ad prælium; Rex tametſi ſexagenarius, priſtinæ tamen virtutis conſcius & particeps, (neque enim falſo dicebat Chuſai, *Tu noſti patrem tuum, & viros qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos:*) *egrediar*, inquit, *& ego vobiſcum. & reſpondit populus, non exibis. Siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit e nobis, non ſatis curabunt, quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio.* Gemina ratio affertur à ducibus ad retinendum in vrbe Dauidem; prior quod ipſe vnus quæratur ad mortẽ, *vnum enim virum tu quæris*, aiebat Achitophel, & recte, cum in eius vnius interitu, totius rei cardo verſaretur; & eo perdito perdita eſſent omnia; non vice verſa, cum poſſit exercitus facile reparari. Poſterior, quia non maiore ſolum periculo verſaretur in prælio, dum vnus omnium aduerſariorum telis pateretur, ſed maiore etiam vtilitate remanſurus eſſet in oppido, vt præſidio & receptui foret è prælio redeuntibus. Addit Ioſephus [g] hoſtem Dauide abſente ſuſpicaturum alium exercitum circa regem eſſe. Scribit etiam Theodoretus [h] anxium fuiſſe exercitum, ne ſi viciſſet miſereretur tyranni, cui opinioni fidem conciliat ſequens Dauidis oratio.

Dauid non permittitur exire ad prælium.

[e] l. 7 c. 9.
[f] l. 2. c. 17.
[g] l. 7. c. 9.
[h] q. 34.

XXCIX. *Quibus acquieſcit.*

BONVS autem rex, qui probe noſſet neminem ſatis bonum eſſe iudicem in propria cauſa, & qui, pro ſua demiſſione animi, facile aliorum

etiam inferiorum & ſubditorum acquieſceret voluntati, quod etiam admirabilius eſt, ſi Dauid nunc exploratam habebat victoriam, vt Toſtatus exiſtimat. [a] *Quod vobis*, inquit, *videtur rectum*, *hoc faciam*: quibus verbis eos magis magiſque conciliabat ſibi. *Stetit ergo rex iuxta portam* ciuitatis: *Egrediebaturque populus per turmas ſuas, centeni & milleni. Et præcepit rex* Ioab, *& Abiſai, & Ethai dicens, Seruate mihi puerum Abſalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom*, vt & ipſi, ſuis quique militibus, idem commendarent. Et plane videtur ſubaudienda illa conditio, ſi viceritis, & ille in manus veſtras inciderit, vt poſſitis ſeruare & perdere. Putat tamen Abulenſ. vt dixi certum fuiſſe Dauidem de victoria; ſiue quod nullam adhibet Scriptura conditionem; ſiue quia placatum erga ſe agnoſcebat Deum, propter humilem fugam, & lacrymas, & patientiam admirabilem aduerſus Semei: ſiue quia iam ſe voti compotem à Deo factum ſentiebat, in Achitophelis concilio irritando, prout ei nuper renunciatum fuerat à filiis ſacerdotum. Iubet ſeruari ſibi Abſalonē.

a q. 7. in c. 18.

IOSEPHVS vt iſti Dauidis præcepto de ſeruando Abſalone pondus afferret, auctarium addidit, quo grauiſſime in ſanctiſſimum regem peccauit, cum ait eum mandaſſe ducibus ſuis, quos emittebat ex vrbe in prælium, vt poſt victoriam filio parcerent, μὴ κακὸν αὐτὸν ἐργάσηταί τι τελευτήσαντος αὐτοῦ. *ne occiſo illo*, inquit, *aliquid mali in ſcipſum, ſtatueret*. 11 Vult enim Dauidem comminatum eſſe, ſe ſibimet illaturum manus, ſi Abſalonem illi interficerent. Nec eſt aliena à Ioſephi mente iſta ſententia, aut Romanorum certe principum, quibus maximè placere cupiebat, ad quorum ſe captum, ſenſumque fingebat: qui hanc Stoicorum inſaniam in magna fortitudinis laude ponebant, vt ex Senecæ ſcriptis apertiſſimum eſt. Hinc illa Lucretiæ laus, & Catonis Vticenſis, & generi eius Iunii Bruti, & filiæ Porciæ, & Antonii triumuiri, & Cleopatræ vxoris eius. Pæti item & Ariæ coniugum, & Craſſorum duorum, quorum alter L. Craſſi oratoris frater, alter filius; & aliorum innumerabilium, quorum plena ſunt Romanorum, Græcorumque monimenta.

XC. *Et quali in terminatione ex Ioſepho.*

11. ex.

IMPROBE nihilominus, ne quid grauius dicam, grauiſſimi criminis accuſat innocentem Dauidem, qui non minus ab ea voluntate, quam ab ipſo facinore abhorruit, niſi eum velimus, non ſecundum cor Dei, ſed iuxta furioſam barbarorum, & infidelium opinionem vixiſſe. Præſertim cum hæc tanta calumnia, ne minimo quidem Scripturæ apice nitatur: & toto cœlo eius incredibili patientiæ, & conſtantiſſimæ fortitudini repugnet. Cum me occido, ait Auguſtinus, [b] non innocentem vtique occido, quia ipſa voluntate, qua me occidere ſtatuo, reus efficior animo, priuſquam corpus occidero. Non nego quidem Ioſephum [c] exiſtimaſſe, ſcriptumque reliquiſſe, grauiſſimum ſcelus admitti ab iis, qui propria manu perirent, idque ſociis quadraginta ad Iotapatam in ſpecu deliteſcentibus perſuadere voluiſſe. Ibidem tamen reperies tantam fuiſſe gentis eo tempore, ipſiuſque Ioſephi cæcitatem, vt id crimen vitari arbitrarentur, ſi ſe alteri vltro interficiendos præberent: *Quoniam mori decretum eſt*, inquit ipſe Ioſephus, *agite cædes mutuas ſortiamur: & cui obtigerit, manu ſequentis occumbat; atque omnium fortuna perambulet, neque ſua ſe quis dextera feriat; iniuſtum eſt enim cæteris interemptis, ex aliis quemquam, ſi pœnituerit, ſaluum eſſe.*

XCI. *Qui & reprehēditur, vt Dauidis calumniator.*

b l. 1. contra Gaudent. c. 13 tom. 7.

c l. 3. de bello cap. 14.

VISVS *eſt vera dicere, & quod perſuaſit agitur, vt ſors cuique obtigit, paratam ei qui ſequeretur necem ſuam præbebat*, &c. atque ita egregio conſilio ſuo, quaſi diuinæ prouidentiæ afflatu, factus eſt triginta octo, vel triginta nouem cædium reus. Vtique viſus eſt vera dicere; dixit autem re vera longe abſurdiſſima, quamuis ſe in eodem ipſo capite numeret in prophetis, & coniectoribus ſomniorum; librorum item propheticorum peritum ſe iactet, vt ſacerdotem, & parentibus ſacerdotibus procreatum. Turpe autem eſt talem virum non intellexiſſe, quod Paulus Apoſtolus [d] lumine naturæ notum eſſe contendit, *quoniam qui talia agunt digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*. Nec ignorare debuit Moyſen [e] primum ac maximum prophetarum, non ſolum reum declarare hominem, qui dederit de ſemine ſuo Moloch, ſed populum etiam, qui vltionem de huiuſmodi viro non expe-

XCII. *Sceleſtum eius conſilium.*

d Rom. 1. 32

e Leuit. 20. 5.

Propria cædis etiã voluntas peſſima.

tient, nec eum morte affecerit, conſentiendo in huiuſmodi facinus; promittitque Dominus pari ſe vtroſque pœna puniturum: vtroſque de medio populi ſuccitum; atque exterminatum iri. Neque apud prophetas vſquam legit, licere cuiquam ſcelus aliena manu perpetrare; & pro vno geminum ſicarium in eandem cædem admittere, vnum qui voluntatem præbeat, alterum qui addat etiam manum. Denique cum Dauid non ignoraret etiam internam ſceleris voluntatem lege illa; *Non concupiſces*, prohiberi,[a] neque ſuæ cædis vllam voluntatem habuiſſe fatendum eſt; neque vt eam haberet, illam cum publico ſcandalo patefacere voluiſſe. Sed miſſa tantiſper Ioſephi cenſura, ad hiſtoriam reuertamur.

XCIII. *Pugnæ locus ſaltu. Ephraim.*

ITAQVE *egreſſus*[b] *eſt populus* Dauidicus *in campum contra Iſrael, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraim*. Certum eſt ſaltum hunc non fuiſſe in tribu Ephraim, quippe quæ erat cis Iordanem, vterque autem exercitus Iordanem tranſmiſerat, & erat in terra Galaad. Lyranus ait ita dictum, quia erat è regione tribus Ephraim, ſolo fluuio interiecto. Sed id de tribu Iſſachar potius dicendum eſſet, iuxta topographiam Adrichomii. Caietanus ſumit nomen Ephraim quaſi appellatiuum, quod ſignificet augmentum. Vatablus ait fuiſſe ſaltum in quem Ephraimitæ tranſmiſſo Iordane pecora deducebant ad paſtum, ſed docendum eſſet id iuris non fuiſſe cæteris tribubus, præſertim in circuitu poſitis, & nominatim Gad, vel Galaad, cum in ea regione ac tribu ſaltus ille ſitus eſſet. Exiſtimo cum Abulenſi,[c] & Torniello,[d] Ephraimitas prioribus temporibus memorabile aliquod facinus ibi edidiſſe, indeque, vt erant ſatis amantes gloriæ, vt alibi non ſemel demonſtratum eſt loco nomen indidiſſe. Et omnino ſuſpicor Oreb & Zeb ibi ab Ehraimitis, tempore Gedeonis interfectos, vt ibi ſignificauimus.[e]

XCIV. *Ibi cæduntur Iſraelitæ.*

FACTVM *eſt*, igitur *prælium in ſaltu Ephraim, & cæſus eſt ibi populus Iſrael ab exercitu Dauid, factaq; eſt plaga magna in die illa viginti millium. Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ*. Nimirum cum Iſraëlitæ Dauidicorum impetum ferre non potuiſſent, in fugam auerſi, quo quemque impetus, & ſpes euadendi ferebant, eo proripiebant ſe. Ergo & in ſaltum auium conciti ferebantur, & in terrę voragines, imminente à terge hoſte, abiiciebant ſe, ne gladio confoderentur, & ex caſu dirumpebantur, & mox alii ab aliis oppreſſi ſuffocabantur, ſicque factum eſt, vt multo plures fuerint, quos ſaltus conſumpſit, quam ij, quos vorauit gladius. Has autem terræ voragines Abſalonis ſepultura confirmat; dicitur enim proiectus in ſaltu in foueam grandem, in quam comportatus ſit ingens aceruus lapidum. Aliæ quoque foueæ, alios ruentes exceperunt, & ſemiuiuis ſepulchrorum loco fuerunt.

& conſumuntur in ſaltu.

XCV. *An à feris.*

SANCTVS Hieronymus in traditionibus hebraicis ait Hebræos, in quibus & Chaldæus paraphraſtes, autumare, eos qui dicuntur in ſaltu conſumpti, à beſtiis ferociſſimis, quæ in ſaltu erant fuiſſe laceratos, atque conſumptos, idem habet Angelomus in hunc locum. Verum cum de cæde multorum millium in vna die agatur: oportuit omnino ingentem ibi ferarum numerum latuiſſe, à quibus toti regioni vaſtitas fuiſſet illata: & potuiſſent nunc à tanta, fugientium non inermium multitudine, vel interfici, vel fugari; quin & perſequentibus infeſtæ fuiſſent. Hoc Hebræorum miraculum non videtur adhuc cognitum, vel excogitatum fuiſſe tempore Ioſephi, qui id minime prætermiſſurus erat. Non eſt tamen abſurdum Deum etiam feras in Dauidis inimicos armare voluiſſe. Et conſtat aliunde diuerſis in Iudææ locis deſertis, vrſos & leones inueniri, nam vrſi duo egreſſi de ſaltu[f] pueros quadraginta duo lacerauerunt, & leo prophetam interfecit;[g] & Dauid contra leones vrſoſque decertans[h] victor euaſit: & noui Samariæ incolæ à leonibus occidebantur.[i] Denique priorem illam expoſitionem iſti merito antetulit Abul. Sed iam ad miſerabilem infeliciſſimi Abſalonis interitum tranſeamus.

XCVI. *Abſalom adhæreſcit quercui.*

ACCEDIT *autem vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid ſedens mulo; cumque ingreſſus fuiſſet mulus, ſubter condenſam quercum & magnam adhæſit caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, mulus cui inſederat pertranſiuit*. Nam eſt vlla capillorum in hebræo, græco, latino textu mentio, etſi plerique omnes vulgo capillis in

[a] Exod. 17. 17. & Deut. 5. 21 & Rom. 7. 7. & cap. 13 v. 9.
[b] 2. Reg 18. v. 6.
[c] q. 10 in c. 18.
[d] an. 462. 4. ſtat. nu. 6
[e] an. Gedeõ 5. nu. 50.
[f] 4 Reg. 2. 24.
[g] 3. Reg. 20. 36.
[h] 1. Reg. 17. 34.
[i] 4 Reg. 17. 25. 26.

a l.7. ant. c. 9
condenſa quercu colligatum, putent, quibus præiuit Ioſephus. [a] *Plurimi*, inquit, *in Abſalonem ferebantur. Is veritus ne viuus caperetur, conſcenſa mula regia effuſo curſu fugiebat. Cumque per agitationem ventilaretur capillitium, aſpere arboris prominenti ramo inopinatè implicitum iuuenem ſuſpendit.* Idem ſenſit Rab. Salom. & Abulenſis hoc loco, [b] Lyranus quoque qui eius rei cauſam ait quod galeam ad celeriorem fugam depoſuiſſet. Eum ſequitur Hugo Carenſis, & Vatablus: [c] & ante eos Angelomus, & Drogo Hoſtienſis Epiſcopus. [d] Chronichon quoque Alexandrinum, ἐποχούμενος ait ὑπὸ φυτὰ δένδρου μεγάλου, περιπλακεὶς ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τῷ δένδρῳ, καὶ ἐκρεμάσθη.

b q.11 & 12 in c.18.
c l. 2. Reg c. 18.
d ſer. depaſ to 2. B. bl. patr.

XCVII. *Capillis, ne alligatus, aut ramis.*

CÆTERI autem tam antiqui quam recentiores ſcriptores, cum viderent, Scripturam in narranda morte Abſalonis nullam facere capillorum mentionem, eam quoque prætermiſerunt; ſignificantes infelicem Abſalonem caput ita inſeruiſſe inter arboris ramos, vt iis collum eius conſtringeretur, vnde mente confuſa ſeſe expedire non poſſet, donec ſuperuenireut hoſtes, à quibus confoſſus interiret; & certe vt abſurdum eſt ſolam cæſariem temere implicitam ramis armati viri contra nitentis corpus ferre potuiſſe; ita probabile eſt quod Ioſephus adiecit, ventilatam comam aſpere arbori ſeſe implicuiſſe, atque intricaſſe, vt lignis & capillis, quaſi cippo & fune teneretur, ſicque videntur explicandi authores prioris ſententiæ, *De illo ſcelerato*, ait Theodoretus [e] *Dominus iuſtas ſumpſit pœnas. Effecit enim vt in querceto equitans veniret ſub arborem, quæ ramos haberet inclinatos, vt qui oblique germinarant, non multum inter ſe diſtantes. Illic cum veniſſet mulus, inter ramos quidem infixum fuit eius caput, pependit autem totus; perculit mulum foliorum ſtrepitus. Ille autem manſit ſuſpenſus iucundiſſimum ſpectaculum viris piis, & omnia adminiſtrantis prouidentiæ iuſtam oſtendens ſententiam.* Sic Theodoretus.

e q.34. in 2. Reg.
aut vtriſq;

XCVIII *Dimitum in eum iudicium, & mentis confuſio.*

f tom. 1.
NEC magis capillorum meminit Chryſoſtomus, ſi tamen Chriſoſtomus in homilia de Abſalonis interitu. [f] *Paratam*, inquit, *propere feſtinat, ad arborem cui eſt traditus, & ictu violento immiſſus, animali ſubducto, & ſubter in campos elapſo, inſeritur ramis obligatur lignis, transfixo gutture colligatus;* obligatum ait lignis non capillis, in quibus tamen exultare poterat copioſa facundia. Et iterum. *te fugientem arbor excipiet, rami interiment, ligna ſuſpendent. Adeſt arbor in campo ramorum telis armata, quæ te fugientem excipiat, properantem rapiat, patris iniuriam in parricidam vleiſcatur.* Diuinum porro iudicium aduerſus moriturum Abſalonem, eiuſdemque vel ſtuporem, vel mentis confuſionem notat Abulenſis, [g] qui neque muli curſum habenis inhibuerit, ne depreſſis ramis ac frondibus arborem periculoſe ſubiret; neque poſtquam ſe implicatum ſenſit, mulum valide retinuerit, dum ſe inde expediret, & fugeret; ſed manibus potius ad caput expediendum ſublatis, immemor iumenti, habenas dimiſerit: neque iam pendens ramos vtraque manu valide diffregerit, aut laxauerit, capillos diſciderit, aut diſruperit, præſertim cũ ibi ſat multo tempore pendens, cum infelici arbore luctatus fuerit, dum miles Ioabum adiit, eum allocutus eſt, & cum ipſo ad arborem rediit. Sed nullam ille potuit inuenire viam expediendæ ſalutis, eo quod Deus exoſum haberet Abſalonem, vt ait idem doctor, velletque eum tradere in manus hoſtium; & *inducere ſuper eum malum*. Itaque qui illi mentem eripuerat, ne crederet Achitopheli, [h] eandem nunc pauore confudit, ne aliquid poſſet in tanto capitis ſui diſcrimine, vel exequi, vel moliri.

ibid.
g q.12 in c. 18.
h c.17. v.14

XCIX. *Monetur de eo Ioab.*

i 2. Reg. 18. 10.
VIDE *autem hoc quiſpiam* [i] *& nunciauit Ioab, dicens, vidi Abſalom pendere de quercu.* Non auſus eſt gregarius hic miles filium regis Dauidis, principem hoſtilis exercitus, depoſitum ex arbore comprehendere, reddendum patri, vt ille iuſſerat, aut veritus ne ille elaberetur, aut opima hæc ſpolia militiæ principi reſeruare volens. Cui Ioab. *Quare non confodiſti eum cum terra*, vt lancea valide perfoſus, ita in terram corrueret, vt etiam terræ mortuus adhæreſceret. Neque indonatus abiſſes. *& ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos*, ii tredecim frãcis gallicis cum tribus quadrantibus æſtimantur, ſunt enim quinque argenti vnciæ, iuxta æſtimationem ſæpius traditã, & vſurpatã, *& vnum baltheum*, militare cingulũ in mercedẽ ac monimentum egregij facinoris, quo terminatum eſſet ciuile bellum, & regno

Qui interfectũ cupit.

Achitophel de cōcubinis Dauidis.

ret, ſuſpectum ſe redderet Abſaloni, vbique aditum præcluderet ad iuuandum maiori in re Dauidem. [a] *Et ait Achitophel ad Abſalon, Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum, vt cum audierit omnis Iſrael*, nunciantibus qui præſentes aderunt *quod fœdaueris patrem tuum*, & infamia probroſa in re vxoria maculaueris, *roborentur tecum manus eorum*. Eo concilio dato probatoque, *tetenderunt Abſalom tabernaculum in ſolario, ingreſſuſque ſit ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſrael.* Fœdiſſimum omnino, planeque nefarium facinus, quo impletum eſt Nathani vaticinium; [b] quo perditus hic, ac deploratus iuuenis, tam multipliciſe, patremque ſuum inceſto, atque adulterio erat enim Abſalon coniugatus, turpiſſime fœdauit, & grauiſſimo cum ſcandalo, talium criminum impunitatem factis ipſis exhibuit.

a Abu q. 22

b 2. Reg 12.

LXII. *Quanam ſi ne ſuſceptũ.*

SED ENIM cuius rei gratia tantum piaculum ſuſceptum atque perfectum eſt? Scriptura id obſcurius indicauit, interpretes [c] communiter ita explicant. Achitophelem animaduertiſſe pleroſque, qui relicto Dauide ſeſe addixerant Abſaloni, timide ipſi adhærere, & animi incertos fluctuare, timentes ne ſi pater filio reconſiliaretur & patri quem reliquerant, & filio quem in coniuratione fouerant odioſi fierent; aut certè veniam, quam ſibi ægrè obtineret, ipſis impetrare non poſſet. Itaque author fuit filio tantæ contumeliæ, atque iniuriæ in patrem perpetrandæ, coram vniuerſo populo, vt is merito reconciliationem deſperaret. Hanc explicationem vidit olim Theodoret. [d] *Timens*, inquit, *Achitophel ne natura eos rurſus coniungeret, deinde ſi fieret reconciliatio, pœnas daret proditionis, extremam illam ſuggerebat iniquitatem, vt reconciliationi nullus pateret aditus.* Vidit Ioſephus, [e] qui id de toto populo, non de ſolo Achitophele dicit. *Sic enim*, ait, *populum conſtantius in partibus perſeueraturum ſublata reconciliationis ſpe: & prompte contra patrẽ militaturum. Nam hactenus non libenter eos inimicos ſe illi profiteri, veritos ne pax inter patrem & filium coeat.* Ita in diſſimili cauſa Aſdrubal, in tertio bello punico [f] Romanos captiuos Carthagine crudeliſſime interfecit, ne ſpes vlla pacis Carthaginenſibus ſupereſſet. 7

c Caietan. Lyran. Abul q. 20 & 21 in c 16 Vatablus.

d q 53.

e l 7 c. 8.

f Appian. in pun.

7 χ.

LXIII. *Modis omnibus ſceleſtum fuiſſe.*

DIABOLICVM plane Achitophelis conſilium, quo vna eademque opera, plurima, grauiſſimaque damna omnibus afferret. Regi, cui probroſiſſima contumelia inferebatur. Abſaloni, quem magis magiſque alienabat à patre, eumque illi maledictioni reddebat obnoxiũ. *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* [g] Deo, qui in omni ſcelere offenditur, & cui Abſalonem tanto odioſiorem reddebat, quanto criminoſiorem. Mulieribus, quæ omnes infames, probroſæ, inceſtæ, atque adulteræ factæ ſunt, neque vna ſaltem legitur, quæ tam pudendo, ac publico facinori reſtiterit, aut quæ mortem tantæ infamiæ præoptarit. Populo, quem in defectione contra legitimum principem confirmauit, eique ad omnem immunditiam atque impudentiam, viam patefecit. Achitopheli denique ipſi, quem lætum reddidit de vindicato in decuplum adulterio neptis ſuæ. Sed neſciebant iſti Dauidis incomparabilem manſuetudinem, clementiam, & amorem in populum ſuum, quo facile ad veniam, & obliuionem criminum in ſe perpetratorum adduci potuiſſet. Qui etiã poſt hæc infanda facinora, & bellum inſuper ſubſecutum, Abſalonem tam impenſe ſeruari præcepit; illi vtique veniam, qua erat indigniſſimus, amantiſſimè largiturus.

g Gen. 49 4

LXIV. *Qualis Achitophelis prudentia.*

IMPROBISSIMVM ergo, & quod cacodæmonem proderet architectum, conſilium hoc fuit, vſque adeo peccatorum fœcundum fuit. Neque vero id à Scriptura laudatur, dicente *conſilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum. ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſalom.* Ei enim prudentiam non veram, ſed quæ carnis dicitur attribuit, aut ſi placet naturalem quandam circunſpectionem, quæ apta media ad finem aliquem, ſiue bonum ſiue malum excogitat; & opportune applicat, eam ſolertiam potius naturalem, quam prudentiam vocari par eſt; confertur autem cum diuina propter certitudinem euentorum, aut etiam vtilitatem, ſed cum quadam exaggeratione, quantum parua licet componere magnis, terrena cœleſtibus, humana diuinis.

LXV. *Alterum*

PRIMVM Achitophelis conſilium eo ſpectabat, vt labantes animi, qui vel op-

tabant, vel timebant reconciliationem, ea penitus deſperata, totos ſeſe Abſaloni darent, eumque victorem ac regem eſſe vellent; hoc primum ac primarium ſtabiliendi Abſalonis imperij fundamentum fuit. Alterum fuit Dauidem ſummum ac præcipuum aduerſarium, quanta fieri potuit celeritate opprimere, antequam ſe ille colligeret, vel fugeret, vel fortior ad reſiſtendum fieri poſſet. Dixit ergo Achitophel ad Abſalon. [a] *Eligam mihi duodecim millia virorum, & conſurgẽs perſequar Dauid hac nocte, & irruens ſuper eum, quippe qui laſſus eſt, & ſolutis manibus, percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo eſt, percutiam regem deſolatum. Et reducam vniuerſum populum, quomodo vnus homo reuerti ſolet; vnum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Hactenus Achitophel; *placuitque ſermo eius Abſalom, & cunctis maioribus natu* Iſrael. Et merito quidem: vide enim quam acute ac ſolerter prouidet, ac diſponit omnia.

eius conſilium de ſtatim perſequendo Dauide.

a ca. 17. l. 2 reg.

PRIMVM quoniam in quauis expeditione bellica in ducis fidelitate & prudentia maximum momentum poſitum eſt, ipſe ſe, quem conſtabat vtraque laude eminere, ad huius conſilij executionem offert. Secundo neceſſarij ſunt viri fortes & animoſi, qui contra fortes & ad vltimum rerum deſperationem adductos ſtare audeant. Cenſet igitur eligendos eſſe ex omni multitudine fortiſſimos, vt ſoli electi, & eximij ad hoc prælium admittantur. Tertio, quoniam abundante militum copia, licebat aduerſariis multitudine præualere, contra Dauidis copiolas, mille fortaſſe aut duûm millium virorum fortium, armari vult duodecim millia bellatorum. Quarto quoniam tota res erat in celeritate poſita, vult ſine mora expeditionem decerni, parari, emitti. Vnde hebraice, & græcè habetur, *eligam mihi nunc*, quod reddit Latinus interpres cum addit *hac nocte*, quæ eſt alia circunſtantia temporis rei gerendæ idonei: vt aduerſarij incauti & imparati prius opprimantur, quam venientem ruinam ſuſpicentur. Accedit poſtremo circunſtantia aduerſariorum, ex diurno itinere defatigatorũ, vt qui pedites, & ſine vllo belli aut victus apparatu abierant, aut potius aufugerant. Ex quibus omnibus recte ſperabat Achitophel fore vt militum manus, quæ cum Dauide erat repentino incurſu turbata, magis de fuga, quam de pugna cogitans, Dauidem deſereret, & deſolatus multitudine facile obrueretur, ſicque excitati ciuilis belli flamma, in illo vno capite extingueretur; & deinceps Abſalom ſuper vniuerſum Iſraëlem in pace, ſine vllo æmulo regnaret. Quæ quidem licet omnibus probata eſſent, Deus tamen iniecit mentem Abſaloni, vt conſuleret Chuſai

LXVI. *Quam id vtile foret*

AIT autẽ Abſalom, Vocate Chuſai Arachitẽ, & audiamus quid etiã ipſe dicat; cumq; veniſſet Chuſai, audiſſetque ab Abſalone Achitophelis conſilium, *Non eſt*, inquit, *bonum conſilium quod dedit Achitophel hac vice. Et rurſus intulit Chuſai; Tu noſti patrem tuũ, & viros qui cum eo ſunt eſſe fortiſſimos, & amaro animo, velut ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat. Sed & pater tuus vir bellator eſt, nec morabitur cum populo. Forſitan nunc latitat in foueis, aut in vno quo voluerit loco: & cum ceciderit vnus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet; Facta eſt plaga in populo, qui ſequebatur Abſalom. Et fortiſſimus quiſq; cuius cor eſt quaſi leonis pauore ſoluetur: ſcit enim omnis populus* Iſrael *fortem eſſe patrem tuũ, & robuſtos omnes qui cum eo ſunt.* Hæc eſt confutatio conſilij Achitophelis, qua diuina prouidentia humanæ prudentiæ prudenter illuditur.

LXVII. *Repudiatur a Chuſai.*

ETENIM in primis Chuſai, ne vel ſe ipſe prodat, vel aduerſarium alienet à ſe, ita eius ſententiam improbat, vt ſimul hominem tacitè commendet, quaſi ſolitũ prudenter conſilium dare. Secundo quod ille ſumpſerat vt certum, Dauidem laſſum, & ſolutis manibus facile vinci poſſe: hic contra contendit tam illum, quam eius ſocios eſſe longe fortiſſimos; & præterea vim ſuſcitante ira, ob acceptam iniuriam, fore violentiſſimos, inſtar vrſæ cui rapti ſint catuli; vt illi vni plures venatores pares eſſe non poſſint. Tertio ſumebat ille Dauidem necopinantem nocte opprimi poſſe. Iſte contra prudentiam viri bellatoris, & in armis exercitatiſſimi opponit, qui excubias militari more opportunis locis adhibiturus ſit, & ſtationes obiturus, aliaque boni imperatoris munera, in tanto rerum diſcrimine impleturus. Quarto ponebat Achitophel Dauidem in medio populi ſui eſſe, ibique à ſuis perturbatis deſtitutum iri, hoſtium telis & gladiis expoſitum. Chuſai contra opponit Dauidis conſuetudinem, nocte ſecedentis à turba, ne à ſuiſmet, coniuratione aliqua comprehenſus, hoſtibus dedi poſſit: ſicque fore vt quamuis Da-

LXVIII. *Et ſigillatim refellitur.*

uidis copiæ delerentur, ipſe incolumis, alias facile comparare poſſet. Deniq. ponebat ille Dauidicos milites turbatũ iri, & facilem hoſti victoriam daturos. Iſte contra idem potius de Abſalonicis contendit, propter anticipatã opinionẽ virtutis Dauidis & ſociorũ, qua futurum ſit, vt leue aliquod at mnum, timore malum temere exaggerante, exercitum exanimet. Hactenus refutatio.

LXIX. *Conſilium Chuſai.* AVDIAMVS vice verſa quid ipſe ſentiat. *Congregetur*, inquit, *ad te vniuerſus Iſrael, à Dan vſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. Et irruemus ſuper eum in quocumque loco inuentus fuerit, & operiemus eum, ſicut cadere ſolet ros ſuper terram, & non relinquemus de viris, qui cum eo fuerint, ne vnum quidem. Quod ſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circundabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt nõ reperiatur ne calculus quidem ex ea.* Placuit hæc ſententia Abſaloni & ſuis, tum quia *Cur probatum 1.* glorioſior ſibi victoria futura erat, quæ ſibi in medio exercitus poſito, non Achi-2. topheli tribueretur; tum quia tutior erat, certiorque victoria, quæ per potentiſſi-3. mum exercitum, numeroſiſſimumque quæreretur. Tum deniq; quia *Domini voluntas fuit, vt conſilium vtile Achitophelis diſſiparetur, vt induceret Dominus ſuper Abſalom malum*, vt ait Scriptura, innuens futurum fuiſſe, ſi Achitopheli acquieuiſſent, vt de Dauide actum eſſet: Quod quia nolebat Dominus, ſed impium potius parricidã puniri, eam illi, ac ſuis mentem indidit, vt Chuſai potius, quam Achitophelis conſilium approbarent. 2. Reg. 17. 14

LXX. *An in eo mentitus fuerit, aut peccarit.* NON dubitat Abul.[a] fateri Chuſai in hoc conſilio dando Abſaloni eſſe mentitum: quod cum hic peteret conſilium accommodatum ad ſuperandum Dauidem, ille non ſolum dederit conſilium vtile Dauidi, cui tempus dabat elabendi, & trans Iordanem migrãdi, & copias congregandi, vt iuſto exercitu poſſet inuadenti reſiſtere; ſed dixerit etiam hoc conſilium ſibi rectum videri, quod tamen ſciebat in damnum Abſalonis, à quo conſulebatur, redundare. Nolim tamen eũ *Nõ videri.* arguere mendacij, aut peccati alicuius in hoc negotio. Vere enim dixit ſibi rectũ videri quod ſuadebat, & reuera rectum fuit æquũ enim erat ac rectum Dauidem vincere, Abſalonẽ ſuperari; ille enim rex erat, iſte tyrannus. Nec tenebatur Chuſai ad Abſalonis mentem loqui, quem legitimum iudicem non agnoſcebat; ſatis erat vt loqueretur ad ſuam. Denique in hoc toto negotio, iuſtoque boni parentis aduerſus filium perduellem bello, iuſto ſtratagemate vſus eſt Chuſai, ad inducendum tyrannũ in fraudem, quod nullus opinor merito reprehenderit. Accuſet potius temeritatẽ ſuam Abſalom, qui tã facile intimo hoſtis ſui amico fidẽ habuerit. a q. 10. in c. 17.

LXXI. *Monet Abiatharem & Sadochũ de Dauide monendo.* PORRO ex conſequentibus intelligitur Dauidem cum ſuis non pernoctaſſe in Bahurim, ſed permodica ibi quiete, & cibo ſumpto, ad campeſtria deſerti, Iordanem verſus, vt ſupra dicebamus,[b] perrexiſſe. Chuſai autem memor officij ſui, & curæ a Dauide impoſitæ, adit quam primum Abiatharem pontificem, & Sadochum ſacerdotem, quibus vtrumque conſilium datum exponit. Et quoniam incertum erat an Achitophel Abſalonem, abſente Chuſai, ad priorem ſententiam reduceret, quod humanitus loquendo, minime arduum erat, præſertim inſigni prudentiæ viro, communi ſententia decretum eſt, ſtatim monendum eſſe Dauidem, vt ſibi & ſuis tranſito Iordane conſuleret. *Nunc ergo*, inquit, *mittite cito, & nunciate Dauid dicentes; ne moreris nocte hac in campeſtribus deſerti*, eo ſe iturum præmonuerat, vt à nuncijs amicorum inueniri, ac moneri poſſet[c] *ſed abſque dilatione tranſgredere*, ſiue vt alij vertunt, traijce, nimirum Iordanem, *ne forte abſorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo eſt*, irruente ſcilicet in eum Achitophele, cum duodecim electorum virorum millibus. b nu. 58. c c. 15. 28. 2. Reg.

LXXII. *Nuncij ad fontem Rogel.* *Ionathas autem, & Achimaas* ab ipſo Dauide deſtinati, vt munere nunciorũ fungerentur, *ſtabant iuxta fontem Rogel*, vel ghen-rogel, id eſt fontem fullonis, quod ſcilicet ad eius aquas fullones operarentur. Erat autem commodus hic locus, ſiue quia erat in ipſa via, quæ ducebat Bahurim, & ad campeſtria deſerti, in quibus ſubſtiterat Dauid; ſiue quia tectior erat locus, nec facile obiectus oculis ingredientium in vrbem, aut egredientium. 8 Fuit hic fons in ſuburbanis Hieroſolymorum, ad orientem, in valle Hennon, cuius aquæ in torrentem Cedron exonerabantur. Hunc fontem hortis regijs includit Adrichomius, nec tamen vult opinor, fullones ordinarie in hortis regiis operam dediſſe, lauandis pannis ſuis, ſed vſos aqua quæ inde dimanabat. Villalpandus[d] tamen eundem fontem e re- 8. ex. d tom. 3 l. 1. vrbis c. 17.

gus hortis excludit. Duo ergo nuncij extra vrbem morabantur, ne non poſſent exire quacunque hora res expoſceret, aut facile obſeruari poſſent abeuntes; quod ne ſic quidem ſatis vitare potuerunt.

LXXIII. *Dauidem adeunt.*

CVM enim ancilla miſſu pontificis, aut Sadoci, ſpecie lauandi in fonte pannos, vt ait Hieron. in trad. & ex eo Comeſtor, Lyra. Abul. & alii, ad eos veniſſet, eiſq; mandata patrum expoſuiſſet, illi confeſtim profecti ſunt, vt quam citiſſime fieri poſſet nuncium ad regem referrent. Verum vidit eos quidam puer, illius ancillæ filius, vt aiunt iidem, qui rem ſuſpectam habens, ratus ſe magnam apud regem gratiam initurum, rem ad eum detulit; iſque ſtatim miſit è ſuis domeſticis, qui eos comprehenderent. Id cum nuncij ſenſiſſent; noctu enim vel ex lõginquo ſpatio aduentus equitum percipi poteſt, præſertim à timentibus, & omnem auram, ſonumq; auide captantibus. Et iam deproperato itinere peruenerãt ad oppidum Bahurim, cum latebris in tãto diſcrimine impetratis perſequentium ſtudium, ac diligentiam eluſerunt. Rem Scriptura ſic narrat.

LXXIV. *Quos ſerui Abſalonis perſequuntur.*

VIDIT *eos quidem puer, & indicauit Abſalom: illi vero concito gradu ingreſſi ſunt domũ cuiuſdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in veſtibulo ſuo, & deſcenderunt in eum. Tulit autem mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas,* ſiue grana frumenti, hordeiue madefacta, & contuſa: *& ſic latuit res,* cum ne puteus quidem ipſe ſub illo integumento appareret, vt ait Toſtat. *Cumque veniſſent ſerui Abſalom in domum ad mulierem dixerunt, vbi eſt Achimaas & Ionathas. Et reſpondit eis mulier; Tranſierunt feſtinanter, guſtata paululum aqua.* 9 Callide mulier, ſi enim negaret ſimpliciter à ſe

9. x.

viſos, non feciſſet fidem, ſed abſconſos putaſſent, & inquiſiuiſſent ſtudioſius, vel perſecuti eos fuiſſent, & vel in reditu occurriſſent eis. Audita vero feſtinatione tranſeuntium, exiſtimarunt eos vel iam ad ſuos perueniſſe: vel omnino perucnturos antequam comprehendi poſſent. Itaque deſperata re *reuerſi ſunt in Hieruſalem.* Et mulier officioſo mendacio Dauidem periculo, nuncios morti eripuit.

LXXV. *Dauidẽ de Iordane trãſmittendo monent.*

CVMQVE *abiiſſent, aſcenderunt illi de puteo,* quo modo paulo ante deſcenderãt, vel per ſcalas, vel demiſſum lapſi per funem, *& pergentes nunciauerunt regi David, & dixerunt: ſurgite, & tranſite cito fluuium, quoniam huiuſcemodi dedit conſilium contra vos Achitophel,* & periculum eſt ne conſilium Chuſai deſeratur. *Surrexit ergo David* de cãpeſtribus illis deſerti *& omnis populus qui cum eo erat.* & intempeſta nocte iter facientes, tanta diligentia vſi ſunt, vt antequam illuceſceret, vel vt alii explicant, albeſcente cœlo tranſitus ſociorum Dauidis terminaretur: aliis per vada, aliis per nauiculas Iordanem traiicientibus. Quo autem in loco Iordanem tranſierint nõ ſatis cõſtat; credibile eſt Dauidẽ deſerta Ierichũtis tranſiſſe, inde veniſſe in Galgala, & Iordanem, vbi quondam Ioſue, traieciſſe. Iter autem mox verſus Caſtra direxerunt, ciuitatem ſcilicet ita dictam, aut hebraicè Manahim. Ad quam ab eo quem dixi, Iordanis tranſitu fere tridui iter fuit. Sed antequam vltra progrediamur, dum aliquid quietis Dauid accipiet, dabitq; ſuis, caſtris trans fluuium poſitis, paucis nobis hoc loco Ioſephus conueniendus eſt, aut de eo potius lector admonendus.

Traiicit, & adit Manahim.

LXXVI. *Aliquot errata Ioſeph.*

PRIMVM ipſum in opinione de gemino hoc tempore pontifice perſeuerare, quem iam non ſemel refutauimus. Secundo decem millia electorum militum ab Achitophele poſtulata dicit; & ne numeri culpam in librarios, vel amanuenſes coniiciamus, græce habetur μυρίους ἐπιλέκτους, id eſt decem millia electa, quo modo nunc Gelenius, & olim Rufinus legit, & vertit; cum Scriptura habeat duodecim millia, Hebraico, græco, chaldæo, latino, mire conſentientibus. Tertio conſilia Achitophelis, & Chuſai non fideliſſime reddit; quod minus in ipſo ferendum, qui ſæpe probabilitatis eſt quam Scripturæ obſeruantior, cuius rei examen prudenti lectori breuitatis cauſa relinquo: Illud tantum moneo, fruſtra ab eo reformidatum videri vſum illius figuræ. *Circundabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea.* Hyperbolem irriſum iri putauit. Maluit ergo Scripturam mutando, dicere: *Quod ſi pater intra mœnia cuiuſdam oppidi ſe concluſerit, machinis, ac cuniculis id expugnabimus.*

1. 2. 3.

LXXVII. *Quartum,*

QVARTO refert Scriptura viſos nuncios à puero, & ab eodem Abſaloni delatos Ioſephus à quibuſdam equitibus conſpectos ait, quod pridem improbauerat Abul. [a] & quidem cum duobus iam ſtadiis iter promouiſſent. At veriſimilius eſt

[a] q. 11. inc. 7.

a puero ad fontem cum ancilla viſos. Nam equites, qui rem ad Abſalonem detuliſſe dicuntur, nuncios ſtatim comprehendiſſent, aut perſecuti fuiſſent. *Et quintū.* Quinto ſcriptura teſtatur nuncios in Bahurim veniſſe, & ibi in puteum deſcendiſſe; diſtabat autem oppidum Bahurim ab vrbe ſex fere milliaribus. [a] At Ioſephus [b] vbi de Semei maledictis agit, pro Bahurim ſubſtituit Choramum. Χώραμον enim conſtanter in Græco legitur, licet Bachoram ſcripſerit Gelenius. Et hoc loco idem oppidum, ſi tamen idem eſſe voluit, Ἀκχώρην appellauit, & ſitum ait non longe à Hieroſolymis. Quomodo equites iſti, qui nuncios conſpexerant iam duo ſtadia progreſſos, & tanta, vt ipſe ait, celeritate properantes ad Dauidem, vt nihil ſibi ad ſummam celeritatem reliquum facerent, potuerunt & in vrbem venire, & adire Abſalonem, & iuſſu eius redire ad nuncios, & illos prope Hieroſolymam adhuc occupare? *Poſtremū.* Sexto, exiguum id quidem eſt, ſed tamen falſum, quod ait obtectum os putei pellibus, ſiue velleribus, nulla ptiſanarum mentione facta, vt quæ in vellere incommodè ſiccarentur, & quomodo velleribus ſatis tegi potuit os putei, in quem duo homines deſcenderent?

[a] in tab. Adrich. [b] l.7.c.8.

LXXVIII. *Achitophel laqueo ſibi vitam eripit.* Porro Achitophel non diu tulit impune tam flagitioſa conſilia, ſiue regis ſui innocentis perdendi, ſiue tot inceſtis adulterijs violandi. *Videns* enim, ait Scriptura, *quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque, & abiit in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam, & diſpoſita domo ſua*, datis ſcilicet familiæ mandatis, quid ſe mortuo fieri vellet, *ſuſpendio interijt, & ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui. Statim autem* ait Theodoretus [c] *dedit pœnas illius impiæ, & nefariæ ſuaſionis; Et quoniam in patrem armauit filium, ipſe rurſus in ſe armauit manus, & ijs laqueum collo iniciens, miſerrimum ſuſtinuit finem.* Paulo plenius Ioſephus. [d] *Porro Achitophel*, inquit, *vbi ſuum alterius conſilio poſthabitum vidit, conſcenſo iumento Gelmonem patriam petijt*, dicendum eſt Gilonem, vnde & Gilonites dictus eſt. [e] *Ibi conuocatis omnibus domeſticis, expoſuit eis quæ Abſaloni conſuluerat, addens quoniam non perſuaſiſſet, certo ſe breui periturum. Dauidem enim hoc bello ſuperiorem omnino fore, & amiſſum regnum recuperaturum eſſe.*

[c] q 33. [d] l.7.ant. c. 9. [e] 2. Reg.15. 12.

LXXIX. *Et quibus de cauſis.* Videtvr quidem hic timor à Dauide mox in regnum reſtituēdo cauſa primaria, quæ miſerum hominem in deſperationem coniecit; ſed ad eam magnum etiam momentum attulit indignatio, quod conſilio ſuo, longe vtiliſſimo, ac plane neceſſario, aliud, quod è re hoſtis eſſet, antelatum videret; ſimulque ſentiret patefactum aditum ad contemptum ſui, qui hactenus inſtar diuini oraculi habitus eſſet. Itaque ratus vitam ſibi deinceps inter ciues ſuos, atque adeo in regio conſilio ignominioſam, atque acerbam fore, finem illi cenſuit imponendum; præſertim cum ſibi à Dauide victore vehementer timeret. *Præſtat igitur*, inquit, ille apud eundem Ioſephum, *magno animo, vt virum ingenuum decet, e vita exire, quam Dauidi, ob filio contra eum nauatam operam, excarnificandum ſe præbere. His dictis, in penitiſſimas ædes digreſſus ſeipſe ſuſpendit.* Demens qui Dauidis manſuetudinem, & placabilitatem ſatis ſpectatam, omnibuſque cognitam, maluit non ſperare, quam experiri.

LXXX. *Quam ſimilis Iudæ.* Expertvs eſt infelix illius prouerbij veritatem, *malum conſilium conſultori peſſimum.* Et qui conſilio ſuo regem ſuum ad grauiſſima crimina induxit: ipſe ſe iuſto Dei iudicio, longe grauiori ſcelere caſtigauit, & ſceleratum tyrannum, ſceleratior conſiliarius ad inferos anteceſſit. [f] Sui enim ipſius cædes, tanto cæteras omnes cædes malitia ſuperat, quanto maior cuique debet eſſe amor, & cura ſalutis propriæ, quam alienæ. Vir dignus qui per quam expreſſa eſſet figura Iudæ proditoris, ſicut dominus eius Dauid fuit nobiliſſima figura Domini Saluatoris. Vterque domeſticus, atque in intimis & familiariſſimis Domini ſui fuit: vterque ad capitales illius hoſtes, deteſtabili proditione transfugit; vtriuſque proditio domino ſuo nota, & lamentata fuit: vterque ſe eius inimicis ad illius mortem ducem, atque anteſignanum præbuit: vtrumque puduit deinceps in conſpectum Domini ſui, & ſociorum ſuorum venire: vterque agnito ſuo crimine de venia iuſtiſſime deſperauit; vterque videns quod præter mentem & conſilium ſuum res cecidiſſet: vterque ante mortem, quaſi per otium, diſpoſuit de rebus ſuis; vterque infami ſuſpendio vltro ſibi accerſito interijt; vterque ad inferos deturbatus eſt; proditoribus, ſi ſapiant, documento ac terrori futurus. Hæc de Achitophele, de quo plura ſuggeret Abulenſis. [g]

[f] vide Angelom. l. 2. Reg.c.17. [g] q 19 & ſeqq in ca 17.2.Reg.

XXCI. *Abſalom* Interea nihil cunctatus eſt David prouidere ſuis rebus, *venitque in Caſtra*, quæ

Mors Achitophelis.

vrbs hebraicè Mahanaim dicitur, de qua ſupra, cũ de Iſboſetho filio Saulis, qui ibi ſeptennium regnauit, ageremus. [a] Ioſeph. oppidum vocat pulcherrimum, ac munitiſſimum illius tractus. Abſalom quoque nihil dubitans in celeritate victoriæ ſpem magna ex parte poſitam eſſe; intelligens Dauidem cum ſuis Iordanem tranſgreſſum eſſe, *tranſiuit* & ipſe *Iordanem, & omnes viri Iſrael cum eo. Amaſam vero conſtituit Abſalom pro Ioab ſuper exercitum*, & ſuſpicari cum Abul.[i] in hunc locum non temere licet Amaſam ab Abſalone ad partes ſuas, præmio ampliſſimæ dignitatis fuiſſe tradactum. *Amaſa vero fuit filius viri, qui vocabatur Ietra de Ieſraeli, qui ingreſſus eſt ad Abigail, filiam Naas, ſororem Saruiæ, quæ fuit mater Ioab.* Erant itaque filii duarum ſororum. Iſte autem qui hic dicitur Naas, fuit vtique Iſai, pater Dauidis, vt in ſchemate familiæ Iſai deſcripſimus. [b] Idque affirmat Ioſeph. [c] & Hieron. in trad. in hunc locum. Pleraq. item græca exemplaria pro Naas habent Ieſſe. 10

Abſalom tranſit Iordanem. Amaſam creat militiæ principem.

a an. Saul. vlt. n. 107.

XXCII. Quis eius pater.

De Amaſa vero, & ipſius patre ita ſcribit ibidem ſanctus Hieronymus. *Amaſa autem erat filius viri, qui vocabatur Ietra de Iezraele. In Hebræo legitur Iethra Iſmaelites, vnde & in Paral. ita legitur*, [d] *Abigail autem genuit Amaſa, cuius pater fuit Iether Iſmaelites. Iſmaelites enim idẽ Iether vocatur, quia filius eius Amaſa opera Iſmaelis imitatus, Dauid fugientem nequaquam eſt comitatus; cui dixerat*, [e] *Tui ſumus ô Dauid, & tecum fili Iſai. In libro vero Samuelis* [f] *idcirco Iethra Iezraelites vocatur, quia peccatum Amaſæ filii eius, quod in Dauid perpetrauerat, Ioab eum, id eſt Amaſam, percutiente deletum eſt.* Hæc ibi, quæ Hebræos plane ſapiunt, eorum quippe traditiones ſunt, & facilius eſt intelligere hæc cognomina, vt alia pleraque, partim ab ortu, partim ab habitatione ſumpta eſſe. Dicitur autem paſſim Iezraëlita, quod ortus eſſet ex Iezraël ciuitate Iuda, ſicut & Achinoam vxor Dauidis, & mater Amnon. [g] Etſi enim alia fuit Iezraël ad montem Gelboë ſita, terminus tribus Manaſſe & Iſſachar, quam Hieron. [h] decem tribuum metropolim vocat; de altera tamen hunc Ietherem oriundum potius dicendum videtur, quoniam coniugia iiſdem fere tribubus continebantur.

b Ann. Saul 8 n. 35. *c* l. 7 c. 9. 10. 𝔛. Al. hua. Reg. 2. Bah. Vachel. *d* 1 Par. 2. 17 *e* 1. Par. 12. 18. *f* 2 reg. 17. 25.

An Iſmaëlita.

g Vatab. Sa. Abul. q. 26. *h* In loc. hebr.

Et *caſtrametatus eſt Iſrael cum Abſalom in terra Galaad. Cumque veniſſet Dauid in Caſtra Sobi filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Amichel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim, obtulerunt ei ſtratoria, & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butyrum, oues & pingues vitulos, dederuntque Dauid, & populo qui cum eo erat, ad veſcendum: ſuſpicati enim ſunt populum fame & ſiti fatigari in deſerto.* At non erant vltra in deſerto, ſed illud reliquerant tranſeundo Iordanem; An dicendum eſt oppidum Manahim, in quo erat Dauid cum ſuis, in regione ſatis inculta ac ſterili ſitũ fuiſſe? Ibi certe in propinquo erat ſaltus Ephraim, & hoc modo hunc locum interpretatur Abulenſis.

XXCIII. Amici Dauidis ei dãt munera.

Primvs porro eorum, qui lautia Dauidi miſiſſe legitur; ſic enim Romani vocabant munera, quæ regibus, amicis, & claris viris ad ſe venientibus mittebantur in ſignum beneuolentiæ: Primus, inquam, fuit Sobi, frater Hanonis Ammonitæ, qui contumelioſe acceptis Dauidis legatis, ante annos 13. [i] mox ſeueriſſima animaduerſione mulctatus eſt, & Sobi fratris loco in afflictiſſima regione Ammonitarum, in gratiam Naas patris eorum, bene de Dauide meriti, conſtitutus eſt anno Dauidis 20. idque affirmat Hier. in trad. & ex eo cæteri omnes. Eum Ioſephus corrupto vocabulo Siphar vocauit. Machir autem ille idem eſt, qui Miphiboſeth Ionathæ filium nutriebat, antequam ad Dauidis conuictores aggregaretur; [k] quem Ioſephus principem Galaaditidis regionis vocat: erat enim de Gaddi tribu, ſicut & Lodabar vrbs habitationis eius. Contribulis ei erat tertius, qui Berzellai dicitur, vir in ſua quoque ciuitate primarius, de quo infra pluribus agetur. [l] Hi ergo ſiue ex cõdicto, ſiue ſponte quiſque ſua, cum intima Dauidem beneuolentia proſequerentur, ſcirentque ipſum cum ſuis, ab omnibus rebus imparatum, domo profugum euaſiſſe, ea ad ipſum munera attulerunt, quæ forent ad vſum vitæ neceſſaria.

XXCIV. Qui illi fuerint.

i Reg Dau. 17. n 7.

k 2. Reg. 9. 4.

l cap. 18.

Deinceps præparantur ad certamen exercitus Dauidis & Abſalonis, deplorabili bellorum ciuilium conditione perſonarum conflati, vbi non ſolum *pares aquilæ, & pila minantia pilis*, aut contra generum ſocer armatus eſt, ſed contra filium pater. Imo contra patrem filius; hic enim parentem perdere cupiebat, &

LXXXV. Paratur prælium.

cui regnum eripuerat, vitam eripere feſtinabat. Ille autem pro filii ſalute, diuos hominesque conteſtabatur. Armatus igitur erat in patrem filius, in auunculum Dauidem Amaſa nepos, minore vtique ſcelere, ſed cum ſcelere tamen; cognati & patrueles; fratres & amici, & multiplici neceſſitudine colligati, eos infeſtis armis petebant, ad quos protegendos omnia naturæ iura eos compellebant. Sed pro Dauide æquitas, humilitas, miſericordia, & ipſemet exercituum Deus: pro Abſalone impietas, ambitio, tyrannis depugnabat, vt non mirum ſit haſce furias, ab illis heroinis eſſe ſuperatas.

LXXXVI. *Dauid copias ſuas diuidit tripertito.*

David autem [a] egregius imperator, *conſiderato*, rerum ſuarum ſtatu, *& populo ſuo*, non duxit operæ pretium muris ſe ſuoſque continere, & obſidionem aduerſariorum expectare, ſiue quia male inſtructi erant ab iis omnibus rebus, quæ ad tolerandam obſidionem neceſſariæ erant; ſiue quia magnum habebat momentum ad victoriam illa animi præſentia, quæ in milite cernitur vltro prouocante, atque inuadente aduerſarios ſuos; tueri enim ſe infirmioris eſt, inuadere fortioris. Diuiſit autem trifariam copias ſuas, *Et dedit populi tertiam partem ſub manu Ioab, & tertiam partem ſub manu Abiſai filij Saluiæ, & tertiam partem ſub manu Ethai, qui erat de Geth.* Voluit vtique Dauid honorare fidelitatem & amicitiam Gethæi huius principis, qui conſtantiſſime ipſi adhæſit, nec afflictum deſeruit [b] qui florentem ſecutus fuerat. Dimiſſis autem tripertito copiis deni milites decanis, & hi centurionibus, centuriones chiliarchis, ſiue tribunis, ad commodiorem belli adminiſtrationem, ſubiecti ſunt.

[a] 2. Reg 18. 1.
[b] 2 Re. 15. 19

LXXXVII. *Quibus præeſt Ioab.*

Absente autem rege ab exercitu: nam duces illum ad pugnam egredi non ſunt paſſi, vt mox dicetur, omnibus copiis cum ſumma poteſtate præfuit Ioab, præter illam tertiam partem cui immediate præerat. Ipſe enim erat princeps militiæ, ipſe primo loco nominatur inter duces, ipſe mortuo Abſalone finem pugnæ impoſuit, & de belli euentu nuncium ad regem miſit; nec paſſus eſſet Ioab ſibi alium præferri: nec fuiſſet prudentiæ Dauidis illum hoc rerum ſtatu exacerbare, quem ſciebat ſtomacho facile, atque iracundia efferueſcere, vt res ipſa poſtmodum docuit. [c] Ipſe ergo medio in exercitu poſitus, priores, poſterioreſque dirigebat, vt res exigere videbatur. Videtur autem & priores partes Abiſai fratri honoris cauſa aſſignaſſe, cuius aliis iam in bellis contra Syros & Idumæos virtus prudentiaque ſpectata fuerat, ac probata: poſteriores autem Ethai, homini amico & forti, ſed nouo apud Hebræos, & externo. *Heri veniſti*, aiebat Dauid, *& hodie compelleris nobiſcum egredi.* [d]

[c] c. 19. v. 5. 6. 7.
[d] 2. Reg 15. 20.

XXCVIII. *Qui copiarum numerus.*

De numero copiarum ſilente Scriptura nihil certo dici poteſt, Ioſephus ait [e] exercitum Dauidis fuiſſe, εἰς τετρακισχιλίους, circiter 4 millium, Comeſtor fere 7 millĩũ, [f] vidi qui etiam maiores contraxiſſe copias arbitrentur, ſed nihil probant; & tẽporis anguſtiæ vix magnam fieri conuocationem patiuntur. Cum autẽ tempus appeteret, vt egrederentur ad prælium; Rex tametſi ſexagenarius, priſtinæ tamen virtutis conſcius & particeps, (neque enim falſo dicebat Chuſai, *Tu noſti patrem tuum, & viros qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos:*) *egrediar*, inquit, *& ego vobiſcum. & reſpondit populus, non exibis. Siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit e nobis, non ſatis curabunt, quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio.* Gemina ratio affertur à ducibus ad retinendum in vrbe Dauidem; prior quod ipſe vnus quæratur ad mortẽ, *vnum enim virum tu quæris*, aiebat Achitophel, & recte, cum in eius vnius interitu, totius rei cardo verſaretur; & eo perdito perdita eſſent omnia; non vice verſa, cum poſſit exercitus facile reparari. Poſterior, quia non maiore ſolum periculo verſaretur in prælio, dum vnus omnium aduerſariorum telis pateretur, ſed maiore etiam vtilitate remanſurus eſſet in oppido, vt præſidio & receptui foret è prælio redeuntibus. Addit Ioſephus [g] hoſtem Dauide abſente ſuſpicaturum alium exercitum circa regem eſſe. Scribit etiam Theodoretus [h] anxium fuiſſe exercitum, ne ſi viciſſet miſereretur tyranni, cui opinioni fidem conciliat ſequens Dauidis oratio.

Dauid non permittitur exire ad prælium.

[e] l. 7 c. 9.
[f] l. 2. c. 17.
[g] l. 7. c. 9.
[h] q. 34.

XXCIX. *Quibus acquieſcit.*

Bonvs autem rex, qui probe noſſet neminem ſatis bonum eſſe iudicem in propria cauſa, & qui, pro ſua demiſſione animi, facile aliorum

etiam inferiorum & ſubditorum acquieſceret voluntati, quod etiam admirabilius eſt, ſi Dauid nunc exploratam habebat victoriam, vt Toſtatus exiſtimat. [a] *Quod vobis*, inquit, *videtur rectum*, *hoc faciam*: quibus verbis eos magis magiſque conciliabat ſibi. *Stetit ergo rex iuxta portam* ciuitatis: *Egrediebaturque populus per turmas ſuas, centeni & milleni. Et præcepit rex Ioab, & Abiſai, & Ethai dicens, Seruate mihi puerum Abſalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom*, vt & ipſi, ſuis quique militibus, idem commendarent. Et plane videtur ſubaudienda illa conditio, ſi viceritis, & ille in manus veſtras inciderit, vt poſſitis ſeruare & perdere. Putat tamen Abulenſ. vt dixi certum fuiſſe Dauidem de victoria; ſiue quod nullam adhibet Scriptura conditionem; ſiue quia placatum erga ſe agnoſcebat Deum, propter humilem fugam, & lacrymas, & patientiam admirabilem aduerſus Semei: ſiue quia iam ſe voti compotem à Deo factum ſentiebat, in Achitophelis concilio irritando, prout ei nuper renunciatum fuerat à filiis ſacerdotum.

a q. 7. in c. 18.

Iubet ſeruari ſibi Abſalonẽ.

XC. *Et quali in terminatione ex Ioſepho.*

Iosephvs vt iſti Dauidis præcepto de ſeruando Abſalone pondus afferret, auctarium addidit, quo grauiſſime in ſanctiſſimum regem peccauit, cum ait eum mandaſſe ducibus ſuis, quos emittebat ex vrbe in prælium, vt poſt victoriam filio parcerent, μὴ κακὸν αὐτὸν ἐργάσηται τι τελευτήσαντος αὐτοῦ. *ne occiſo illo*, inquit, *aliquid mali in ſeipſum, ſtatueret.* 11 Vult enim Dauidem comminatum eſſe, ſe ſibimet illaturum manus, ſi Abſalonem illi interficerent. Nec eſt aliena à Ioſephi mente iſta ſententia, aut Romanorum certe principum, quibus maximè placere cupiebat, ad quorum ſe captum, ſenſumque fingebat: qui hanc Stoicorum inſaniam in magna fortitudinis laude ponebant, vt ex Senecæ ſcriptis apertiſſimum eſt. Hinc illa Lucretiæ laus, & Catonis Vticenſis, & generi eius Iunii Bruti, & filiæ Porciæ, & Antonii triumuiri, & Cleopatræ vxoris eius. Pæti item & Ariæ coniugum, & Craſſorum duorum, quorum alter L. Craſſi oratoris frater, alter filius; & aliorum innumerabilium, quorum plena ſunt Romanorum, Græcorumque monimenta.

11. c. χ.

XCI. *Qui & reprehẽditur, vt Dauidis calũniator.*

Improbe nihilominus, ne quid grauius dicam, grauiſſimi criminis accuſat innocentem Dauidem, qui non minus ab ea voluntate, quam ab ipſo facinore abhorruit, niſi eum velimus, non ſecundum cor Dei, ſed iuxta furioſam barbarorum, & infidelium opinionem vixiſſe. Præſertim cum hæc tanta calumnia, ne minimo quidem Scripturæ apice nitatur: & toto cœlo eius incredibili patientiæ, & conſtantiſſimæ fortitudini repugnet. Cum me occido, ait Auguſtinus, [b] non innocentem vtique occido, quia ipſa voluntate, qua me occidere ſtatuo, reus efficior animo, priuſquam corpus occidero. Non nego quidem Ioſephum [c] exiſtimaſſe, ſcriptumque reliquiſſe, grauiſſimum ſcelus admitti ab iis, qui propria manu perirent, idque ſociis quadraginta ad Iotapatam in ſpecu delitescentibus perſuadere voluiſſe. Ibidem tamen reperies tantam fuiſſe gentis eo tempore, ipſiuſque Ioſephi cæcitatem, vt id crimen vitari arbitrarentur, ſi ſe alteri vltro interficiendos præberent: *Quoniam mori decretum eſt*, inquit ipſe Ioſephus, *agite cædes mutuas ſortiamur: & cui obtigerit, manu ſequentis occumbat; atque omnium fortuna perambulet, neque ſua ſe quis dextera feriat; iniuſtum eſt enim cæteris interemptis, ex aliis quemquam, ſi pœnituerit, ſaluum eſſe.*

b l. 1. contra Gaudent. c. 13 tom. 7.
c l. 3. de bello cap. 14.

XCII. *Sceleſtum eius conſilium.*

Visvs *eſt vera dicere, & quod perſuaſit agitur, vt ſors cuique obtigit, paratam ei qui ſequeretur necem ſuam præbebat*, &c. atque ita egregio conſilio ſuo, quaſi diuinæ prouidentiæ afflatu, factus eſt triginta octo, vel triginta nouem cædium reus. Vtique viſus eſt vera dicere; dixit autem re vera longe abſurdiſſima, quamuis ſe in eodem ipſo capite numeret in prophetis, & coniectoribus ſomniorum; librorum item propheticorum peritum ſe iactet, vt ſacerdotem, & parentibus ſacerdotibus procreatum. Turpe autem eſt talem virum non intellexiſſe, quod Paulus Apoſtolus [d] lumine naturæ notum eſſe contendit, *quoniam qui talia agunt digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus*. Nec ignorare debuit Moyſen [e] primum ac maximum prophetarum, non ſolum reum declarare hominem, qui dederit de ſemine ſuo Moloch, ſed populum etiam, qui vltionem de huiuſmodi viro non expe-

d Rom. 1. 32
e Leuit. 20. 5.

a l.7 ant. c 9 condenſa quercu colligatum, putent, quibus præiuit Ioſephus. [a] *Plurimi*, inquit, *in Abſalonem ferebantur. Is veritus ne viuus caperetur, conſcenſa mula regia effuſo curſu fugiebat. Cumque per agitationem ventilaretur capillitium, aſpere arboris prominenti ramo inopinate implicitam iuuenem ſuſpendit.* Idem ſenſit Rab. Salom. & Abulenſis hoc

b q.11 & 12 in c.18. loco, [b] Lyranus quoque qui eius rei cauſam ait quod galeam ad celeriorem fugam depoſuiſſet. Eum ſequitur Hugo Carenſis, & Vatablus: [c] & ante eos Angelomus, & Drogo Hoſtienſis Epiſcopus. [d] Chronichon quoque Alexandrinum, διοχούμενος ait ὑπὸ φυτοῦ δένδρου μεγάλου, περιπλακείσης τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ τῷ δένδρῳ, καὶ ἐκρεμάσθη.

c l. 2. reg c. 18.
d ſer. de paſſ to 2. B. bl. patr.

XCVII. *Capillis, ne alligatus, aut ramis.*

Cæteri autem tam antiqui quam recentiores ſcriptores, cum viderent, Scripturam in narranda morte Abſalonis nullam facere capillorum mentionem, eam quoque prætermiſerunt; ſignificantes infelicem Abſalonem caput ita inſeruiſſe inter arboris ramos, vt iis collum eius conſtringeretur, vnde mente confuſa ſeſe expedire non poſſet, donec ſuperueniret hoſtes, à quibus confoſſus interiret; & certe vt abſurdum eſt ſolam cæſariem temere implicitam ramis armati viri contra nitentis corpus ferre potuiſſe; ita probabile eſt quod Ioſephus adiecit, ventilatam comam aſpere arbori ſeſe implicuiſſe, atque intricaſſe, vt lignis & capillis, quaſi cippo & fune teneretur, ſicque videntur explicandi authores prioris ſententiæ, *De illo ſcelerato*, ait Theodoretus [e] *Dominus iuſtas ſumpſit pœnas. Effecit enim vt in querceto equitans veniret ſub arborem, quæ ramos haberet inclinatos, vt qui oblique germinarant, non multum inter ſe diſtantes. Illic cum veniſſet mulus, inter ramos quidem infixum fuit eius caput, pependit autem totus; perculit mulum foliorum ſtrepitus. Ille autem manſit ſuſpenſus iucundiſſimum ſpectaculum viris piis, & omnia adminiſtrantis prouidentiæ iuſtam oſtendens ſententiam.* Sic Theodoretus.

e q.34. in 2. reg. — *aut vtriſq;*

XCVIII *Diuinum in eum iudicium, & mentis confuſio.*

f tom. 1. Nec magis capillorum meminit Chryſoſtomus, ſi tamen Chriſoſtomus in homilia de Abſalonis interitu. [f] *Paratam*, inquit, *propere feſtinat, ad arborem cui eſt traditus, & ictu violento immiſſus, animali ſubducto, & ſubter in campos elapſo, inſeritur ramis obligatur lignis, transfixo gutture colligatus;* obligatum ait lignis non capillis, in

ibid. quibus tamen exultare poterat copioſa facundia. Et iterum. *te fugientem arbor excipiet, rami interiment, ligna ſuſpendent. Adeſt arbor in campo ramorum telis armata, quæ te fugientem excipiat, properantem rapiat, patris iniuriam in parricidam vlciſcatur.* Di-

g q.11 in c. 18. uinum porro iudicium aduerſus moriturum Abſalonem, eiuſdemque vel ſtuporem, vel mentis confuſionem notat Abulenſis, [g] qui neque muli curſum habenis inhibuerit, ne depreſſis ramis ac frondibus arborem periculoſe ſubiret; neque poſtquam ſe implicatum ſenſit, mulum valide retinuerit, dum ſe inde expediret, & fugeret, ſed manibus potius ad caput expediendum ſublatis, immemor iumenti, habenas dimiſerit: neque iam pendens ramos vtraque manu valide diffregerit, aut laxauerit, capillos diſciderit, aut diſruperit, præſertim cũ ibi ſat multo tempore pendens, cum infelici arbore luctatus fuerit, dum miles Ioabum adiit, eum allocutus eſt, & cum ipſo ad arborem rediit. Sed nullam ille potuit inuenire viam expediendæ ſalutis, eo quod Deus exoſum haberet Ab-

h c.17. v.14 ſalonem, vt ait idem doctor, velletque eum tradere in manus hoſtium; & *inducere ſuper eum malum*. Itaque qui illi mentem eripuerat, ne crederet Achitopheli, [h] eandem nunc pauore confudit, ne aliquid poſſet in tanto capitis ſui diſcrimine, vel exequi, vel moliri.

XCIX. *Monetur de eo Ioab.*

i 2. reg. 18 10. Vide *autem hoc quiſpiam* [i] *& nunciauit Ioab, dicens, vidi Abſalom pendere de quercu.* Non auſus eſt gregarius hic miles filium regis Dauidis, principem hoſtilis exercitus, depoſitum ex arbore comprehendere, reddendum patri, vt ille iuſſerat, aut veritus ne ille elaberetur, aut opima hæc ſpolia militiæ principi reſeruare volens. Cui Ioab. *Quare non confodiſti eum cum terra*, vt lancea valide per foſſus, ita in terram corrueret, vt etiam terræ mortuus adhæreſceret. Neque indonatus abiſſes. *Et ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos*, ii tredecim frãcis gallicis cum tribus quadrantibus æſtimantur, ſunt enim quinque argenti vnciæ, iuxta æſtimationem ſæpius traditã, & vſurpatã, *& vnum baltheum*, militare cingulũ in mercedẽ ac monimentum egregij facinoris, quo terminatum eſſet ciuile bellum, & regno

Qui interfectũ cupit.

reſtituta pax. At miles, *ſi appenderes in manibus meis mille argenteos*, id eſt mille trecentos ſeptuaginta quinque francos, ſummam pecuniæ centuplo maiorem, *Nequaquam mitterem manum meam in filium regis.* Valet hoc verbum ad augendam grauitatem facinoris. Non enim vltra vocat eum Abſalonem, aut tyrannum regis inimicum, aut parricidam, ſed filium regis, cuius vita nullo pretio æſtimari poſſit, cuius cædes nulla pœna ſatis expiari; prælertim cum ea præcepti regii contemptum ſecum trahat; Nam ſequitur.

C. *Quare David parci voluerit Abſaloni.* Avdientibvs *enim nobis præcepit Rex tibi, & Abiſai, & Ethai dicens, Cuſtodite mihi puerum Abſalom.* Cuius præcepti cauſam fuiſſe putat Abulenſis, [a] naturalem patris erga eum affectum, quo impellente quamquam iraſcebatur ei, quia peccauerat, tamen compatiebatur ei, quia filius erat. Quam cauſam vt minime reijciendam puto, in Dauide parente, & in filiorũ ſuorum amorem effuſo, atq; indulgente: ita alteram, quæ eſt S. Auguſtini, [b] & pio ac religioſo Dauidi conuenit, anteferendam cenſeo. *Rex autem Dauid*, inquit, *cum hoc ab impio, atque immani filio paſſus eſſet, non ſolum ferocientem tolerauit, ſed etiam planxit extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo iniuræ ſuæ, ſed peccata filij commouebant. Nam ideo ſi vinceretur, eum occidi prohibuerat, vt edomito ſeruaretur pœnitendi locus. Et quia non potuit, non orbitatem doluit in eius interitu, ſed quia nouerat in quas pœnas, tam impie adultera, & parricidialis anima raperetur.* ſic Auguſt. quem ſequutus eſt Lyranus, Dionyſius, & alii. Pergit miles.

CI. *A Ioabo tribus lanceis confoditur.* Sed *& ſi feciſſem contra animam meam audacter*, & reluctanti conſcientiæ vim intuliſſem, *nequaquam hoc regem latere potuiſſet, & tu ſtares ex aduerſo?* Fieres ne patronus meus? num eriperes me de manu irati regis? imo qui adhortator es modo facinoris, eſſes coram rege accuſator, & vindex. *Et ait Ioab, non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te.* Diſſimulat ſe regis præceptum parui pendere, & vere ſe, atque ex animo locutum ait, cum diceret debuiſſe Abſalonem ab eo interfici, idque reipſa iam probaturũ. *Tulit ergo tres lanceas*, ſiue tria ſpicula, vt eſt in Hebræo, *& infixit ea in corde Abſalom*, perfoſſo videlicet pectore. *Cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum:* motus ac ſenſus expertem penitus reddiderunt, bis enim interfici non potuit. *præter ius faſque.* Quo facto Ioab quamuis nocentiſſimum iuuenem interfecit, & in bello iuſto; graui tamen ſcelere obſtrinxit ſeſe, quod regis filium contra regis ſui mandatum, ac proinde iniuſtè occidere non dubitarit. Cuius criminis argumẽtum eſt, quod eum Dauid dignitate ſua deiicere voluit, & moriturus, eius cædem Salomoni mandauit. Illa enim verba. *Tu noſti quæ fecerit mihi Ioab*, de hac cæde Abul. [c] & alij interpretantur.

CII. *Eius ſepultura.* Cecinit *autem Ioab buccina, & retinuit populum ne perſequerentur fugientem Iſrael, volens parcere multitudini.* Mortuo enim Abſalone non vltra hoſtes erant, ſed ſubditi, quos iam ſatis viginti millium cædes caſtigauerat. *Et tulerunt* Abſalom Ioabi milites, *& proiecerunt eum in ſaltu, in foueam grandem, & comportauerunt ſuper eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Iſrael fugit in tabernacula ſua.* Noluit Ioab deferri Abſalonem Hieroſolymam, ibique honorifice tumulari, in pœnam improbiſſimæ coniurationis in parentem ſuum, ſed in compendium ſepulchri, in foueam quaſi in cloacam, temere ac contemptim proiici, & totidem telis ab vniuerſo populo peti, quot lapidibus obrueretur. Sicque locum habuit in Abſalonis pœna illa lex, [d] quæ filium proteruum & contumacem, lapidibus obrui ab vniuerſo populo iubebat, quod in traditionibus hebraicis, à & Lyrano notatum eſt. Noluit quoque Ioab cadauer ad Dauidem deferri, ne oculi augerent dolorem parentis, quem certo ſciebat acerbiſſimum fore.

CIII. *Abſalonis epitaphiũ.* Hic finis miſeri Abſalonis, hic illum exitus ſorte tulit, prolapſas videntem repentino caſu ſpes omnes ac fortunas ſuas, imo & corpus, & vitam, & animum in interitum ruentem ſempiternum. Ita interiit paucorum dierum, vel ad ſummum menſium rex, aut potius tyrannus iniuſtiſſimus, regno per ſummum ſcelus acquiſito, per ſummam nequitiam confirmato, per ſummam celeritatem amiſſo. Expertus eſt infelix manifeſtum iudicium Dei, dum prolapſa ex confuſo curſu galea, aut ad expeditiorem fugam depoſita; ſe & ramis,

[a] q. 8. in c. 18.

[b] l. 3. de doctrin. Chri. c. 21.

[c] q 14. in c. 3 2 Reg & q 9. in c. 2 tertii.

[d] Deut. 21. 18.

& coma diuinitus conſtrictum ſenſit, factis capillis eius, nuper vanitatis & ſuperbiæ, nunc informis lethi, ac maledicti interitus inſtrumentis; *maledictus enim à Deo eſt qui pendet in ligno.* [a] Et qui dudum temulento Amnoni fratri, animæ ſimul & corporis exitium frater intulit, nunc à conſobrino geminata quoque morte trucidatur. Et cuius cor ambitione, luxuria, crudelitate æſtuauerat, idem merito tribus lanceis, aut ſpiculis confixum fuit. Qui decem patris concubinas inceſte fœdauerat, à decem iuuenibus vulneribus deformatus eſt: & qui totum populum ciuili bello conturbauerat, à toto populo lapidibus obrutus eſt. Denique permiſit vindex Deus, vt qui indulgentiſſimi patris obedientiam tam nefarie violauerat, eiuſdem miſericordiam non conſequeretur; ſed illius obedientia à Ioabo, in ſummam ipſius perniciem violaretur.

Et Dei in eum iudicium.

a Deut. 21. 23.

CIV. *Eiuſdem damnatio ex Saluiano.*

Sempiternvm autem quem dixi Abſalonis interitum, etiam Hebræi agnoſcunt, ſed veritatem ineptis fabulis inquinant, [b] quā melioribus authoribus cōfirmare licet. Audi Saluianum libro ſecundo de prouidentia. *In Amone*, inquit, *etiam Abſalonis perditio lugetur, & quidem neſcias, quem de filiis duobus tam bonus pater potiſſimum amiſerit, illum qui manu fratris occiſus eſt in hoc ſeculo, an illum qui ſua periit in futuro.* Audi & Auguſtinum contra Fauſtum Manichæum. [c] *Idem Dauid iuuenem filium parricidali furore præcipitem, qui & paternum cubile ſtupris nefariis maculauerat, & contra patrem ſceleſtum bellum gerebat, & vellet conſeruatum, & fleret occiſum: animæ ſcilicet tantis criminibus inuolutæ ſempiternas præuidens pœnas, quibus euadendis, eum per pœnitentiam corrigendum viuere cupiebat humiliatum.* Hæc ibi quibus ſimilia paulo ante retulimus. [d] Rurſus idem contra Gaudentium Donatiſtam. [e] *Plus impius Abſalom patrem ſanctum Dauidem extinctus, quam rebellis afflixit. Viuum namque eum comprehendi cupiebat, vt qui malitia graſſabatur, pœnitentia ſanaretur. Erat ergo ille perſecutor patris, non ſolum populum* Dei *diuidendo, non ſolum contra Dei legem, & contra legitimum patris regnum arma portando atque bellando, ſed multo amplius perſecutus eſt cor paternum in illa impietate moriendo. Denique illum pater optimus peſſimum filium, quem non deſperando, non defleuerat viuum, ſpe finita fleuit occiſum.* Hactenus Auguſtinus. Addo & Bernardum. [f] *Planxit merito* Dauid *ſuper parricida filio, cui perpetuo ſciret obſtructum exitum de ventre mortis mole criminis*, eidemque mox adiungit Saulem, additque. *Et quidem reſurgent, ſed non ad vitam. Imo ad vitam, vt viui in morte infeliciùs moriantur.* Sic Bernardus.

b apud Abul q. 26. in c. 18. 2. Reg.

c l. 22. c. 66

Auguſtino.

d n. 100.

e to. 7. l. 1. c. 22.

f Serm. 26. in Cant. ſub fi-e

Bernardo.

CV. *Ineptia Hebræorū circa titulū Abſalonis.*

g in trad. Hebr.

Tradvnt *Hebræi*, inquit Hieronymus, [g] *quod depoſitus de quercu petierit ſibi inducias antequam perimeretur, vt faceret ſibi titulum ob memoriam ſui, eo quod non haberet filium talem, qui regno dignus eſſet. Putabat enim filios ſuos non ſolum regno indignos, verum etiam ob peccatum ſuum, quod in patrem geſſerat, præſentis vita indignos. In quo titulo manum dicitur defixiſſe, & figuram manus ſuæ expreſſiſſe; & ob hoc titulum hoc modo vocari.* Hæc ibi. Apage ineptas fabulas, quis credat depoſitum de quercu, perfoſſo tribus lanceis pectore, atque adeo corde ipſo, vel viuere potuiſſe, vel vt maxime viueret, de erigendo titulo cogitaſſe? aut Dauidi dum fieret titulus, rem non fuiſſe delatam; cum is in propinqua ciuitate eſſet, eumque morti non erepturum fuiſſe, quam mox vſque adeo deplorauit?

CVI. *Refelluntur.*

Neqve vero res ipſa tantum, ſed verba textus Hebræos iſtos mendacii arguunt, quæ D. Hieron. hoc ipſo loco inculcat. *Porro Abſalom*, inquit Scriptura, *erexerat ſibi cum adhuc viueret titulum, qui eſt in Valle regis, dixerat enim. Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.* Quid eſt illud, *erexerat, dixerat*, vel vt in Hebræo eſt, *tulerat, ſtatuerat*, nonne tempus ſignificant multo ante præteritum? Tum autem cum illud erexit, *vocauit titulum nomine ſuo, & appellatur manus Abſalom vſque ad hanc diem*, dum præſentem narrat mortem, erectionem huius monimenti, quaſi iam pridem præteritam memorat. quid quod titulus hic, non iuxta ſaltum Ephraim trans Iordanem, vbi occiſus eſt Abſalom, ſed iuxta Hieroſolymam, *in Valle regis* erectum eſt, duobus ſcilicet ab ea ſtadiis, vt Ioſephus hoc loco affirmat. Et cum Scriptura diſerte dicat Abſalonem non habuiſſe filios, cum hunc titulum erexit, iſti indecore filios à patre contemptos, ac repudiatos comminiſcuntur. Num filii hanc ignominiam laturi erant, & non quamprimum id dedecoris ſui monimentum euerſuri? Sed mittamus tandem has ineptias, ne & nos quoque inepti ſimus.

CVII. *Cur eius meminerit Scriptura.*

Qvidnam autem cauſæ dixerimus eſſe, cur Scriptura monimenti huius dudum erecti hoc loco meminerit, vbi mors eius memoratur? Videtur vtique hominis vanitatem arguere voluiſſe, qui in memoriam ſui hoc quaſi trophæum erigere, ac ſtatuere voluerit: cui Dominus quodammodo inſultando, loco ſepulchratis monimenti, permiſerit aceruum lapidum congeri ſuper cadauer eius; Itaque ſcriptor ſacer memorato illo aceruo lapidum, ſtatim ſubdit hanc Abſalonis manum, cui manus aceruus ille diuinitus aut oppoſitus fuerit, aut ſuffectus, Quin etiam in Valle regia in illo ipſo Abſalonis monimento, ad quod eius cadauer regis iuſſu exiſtimat Abulenſis [a] fuiſſe tranſlatum, aiunt plerique [b] etiamnunc columnam, ſiue turrim extare, ob quam etiam aceruus lapidum accumuletur in dies; eo quod peregrini hieroſolymitani illac tranſeuntes, in more habeant in eum aceruum lapidem quiſque ſuum mittere, dicentes, *Maledictus ſit parricida Abſalom, & quicunque iniuſte parentes ſuos perſequentur maledicti ſint in æternum.*

CVIII. *Quis huius monimenti locus.*

Qvod ad locum huius monimenti attinet Scriptura eum hoc loco nominat *Vallem regis*, quam Ioſephus [c] ait duobus ſtadiis Hieroſolymis diſſitam. Adrichomius hoc monimentum collocat in angulo ciuitatis Dauid, qui eſt inter meridiem, & orientem, prope ſepulchrum Iſaiæ, non longe ab hortis regiis. Quemadmodum & Villalpandus, niſi quod hic propius ad orientem id ſtatuit, prope fontem Rogel, cuius ſupra meminimus, & verſus portam aquarum, quæ proxima erat regiæ Salomonis. At Beniaminus Iudæus in ſuo itinerario. *A porta Ioſaphat prodeuntibus*, inquit, *in deſertum populorum dictum itur, in quo monumentum manus Abſalonis eſt, & ſepulchrum Vriæ regis, & fons magnus aquarum Siloach in torrentem Cedron defluentium, & iuxta fontem magnum ædificium, à maiorum noſtrorum diebus.* Sic ille, Porta Ioſaphat nulla fuit Hieroſolymis, ſed portam aquarum, qua ibatur in Vallem Ioſaphat, ſiue Vallem Cedron, vocat portam Ioſaphat. Videtur autem ſumpſiſſe ſepulchrum Oziæ regis, pro ſepulchro Iſaiæ prophetæ. Nam Ozias ſepultus perhibetur in agro regalium ſepulchrorum, [d] ad ſeptentrionem vrbis iuxta ſtagnum ſerpentum, iuxta topographiam Villalpandi.

CIX. *Vallis regis quæ.*

Porro vallis regis, in quo Scriptura titulum Abſalonis collocat, non alia fuit à valle Cedron, & valle Ioſaphat, quæ inter Ieruſalem & Olиueti montem iacebat, dicta autem videri poteſt ab hortis regiis, qui ibi erant, ad quos animi gratia reges Iuda conferebant ſeſe, quæ eſt Toſtati opinio. Verum ſi Villalpando credimus, [e] longe antiquior eſt huius vallis denominatio. Nam Moſes [f] vocat eam vallem regis, quæ prius dicta erat vallis Saue. Regis nimirum Melchiſedechi. Septuag. enim Regiæ, & Cõplut. editionis, vocant vallẽ, ſiue cãpũ regis Melchiſedech. τὸ πεδίον βασιλέως μελχισέδεκ, qua tamen voce cæteræ editiones carent. Ioſephus quoque vallem, ſiue campum in quo rex Sodomorum occurrit Abrahamo eundem eſſe putat, cum ea valle, in qua Melchiſedech occurrit eidẽ Abrahamo. Sic enim habet. [g] *Abraham vero captiuis incolumibus reductis, parta pace victor ad ſuos redit: redeunti rex Sodomitarum, vſque in locum, quem campum regium vocant, gratulabundus occurrit, vbi à Solymæ vrbis rege Melchiſedecho eſt exceptus.* Sic ipſe.

CX. *Geminam fuiſſe.*

Nihilominvs exiſtimamus geminam vallem regiam admittendam eſſe, alterã circa pentapolitas, in qua rex Sodomorum Bara occurrit Abrahamo, quã memorat eo loco Moſes; alteram iuxta Hieroſolymam, in qua Melchiſedech eidem patriarchæ Hebronem reuertenti, & pene ad ianuas Solymæ tranſeunti occurrit; & in hac monimentum ſuum erexit Abſalom. Quæ valles, & ſitu diſtant plurimum, octo ſcilicet aut 9. horarum itinere, iuxta tabulas Adrichomii; & amplitudine longe etiam magis differunt. Nam quæ ad vrbem Hieroſolymitanam iacet, non fore longius quam vrbs ipſa protenditur. Altera vero, vt idem ait, [h] *incipit à mari Galilææ à Bethſan, & extenditur per totum deſcenſum Iordanis, vſque ad mare mortuum;* quæ conſentanea ſunt iis, quæ Hieronymus ſcribit de Aulone in locis Hebraicis. Itaque duo reges diuerſis in locis, iuxta ſuam quiſque vrbem Abrahamo victori occurrerunt. [i] Nec Scriptura habet eodem in loco vtrique occurriſſe Patriarchæ. Sed Ioſephus adiecit ἰδίᾳ de ſuo, & Villalpandum fefellit. Nec obſtat, quod Scriptura poſt narratam rem geſtam inter Abrahamum & Melchiſedechum, redit ad regem Sodomorum. Nam narratio de Melchiſedecho, quaſi per parentheſim legenda eſt, cum inſerta ſit ob ſimilitu-

quæ Ioſephus confudit.

a q. 18. in c. 18
b Adrich. Ieruſ. num. 227. Villalpand. t. 3 p. 1. l. 1. c. 14.
c l. 7. c. 9.
d 2. Para. 26. 23.
e t. 3. l. 1. c. 14.
f Gen. 14. 17.
g l. 1. ant. c. 10.
ἰδίᾳ.
h Manaſſ. 1. num. 24.
i vide t. 1. an. Ab. 50. n. 30.

ocurſus; cum enim ageret de occurſu Baræ, continenter adiecit etiam occurſum Melchiſedechi.

CXI. *Quæ forma huius monumenti.*

Svperest vt de forma tituli huius dicamus aliquid. Hebræi quos paulo ante retulimus, [a] Titulum ab Abſalone erectum aiunt, id eſt cippum aliquem, ſiue columnam, cum inſcriptione aliqua, propter quam etiam Titulus diceretur. Illi autem columnæ ſimilitudinem manus ſuæ defixiſſe. Sed iſti nimium adhæſerunt primariæ ſignificationi manus, cum opus potius manufactum ſignificet, idoneum ad conſeruandam memoriam Abſalonis, quod manui parum conuenit, qua quis ab alio parum differt. Ioſephus [b] ſolam columnam marmoream ab Abſalone excitatam ſcribit, quamuis Gelenius inſcriptionem in ſua verſione poſuerit. Ἔστησε δ' Ἀβεσάλωμος ἐν τῷ βασιλικῷ στήλην λίθου μαρμαρίνην, δύο σταδίους ἀπέχουσαν Ἱεροσολύμων, ἣν προσηγόρευσεν ἰδίαν χεῖρα. *Erexit Abſalom in Valle regia columnam lapideam marmoream duobus ſtadiis diſtantem Hieroſolymis, quam vocauit manum propriam; ſiue manum Abſalonis.* Rufinus tamen in ſua Ioſephi verſione pro columna ſtatuam vertit, idque deinceps Comeſtor, Lyranus, Abulenſis, [c] Dionyſius, & Hugo ex Ioſepho retulerunt, quaſi non στήλην, ſed ἀνδριάντα poſuerit.

An columna.

CXII. *Aut statua,*

Minime tamen probabile eſt, aut rationi conſentaneum, ſtatuam, quæ Abſalonem perquam accurate repræſentaret erectam ab ipſo, vt prædicti ſcriptores opinantur. Primum quidem quia Ioſephi authoritate deſtituuntur, vt oſtendimus, nec à Scriptura iuuantur. quæ è contrario eiuſmodi titulos non alia de cauſa prohibet, niſi quia in eis ſtatuæ erigebantur, quæ mox quaſi numina quædam adorabantur ab Ethnicis, & eos imitantibus Iudæis. Itaque in lege ſic ſcriptum eſt. [d] *Ego Dominus Deus veſter. Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum*, ne ſcilicet contingat vt adoretis eum; eius pulchritudine capti, propter inſignem veſtrum in idola pruritum. Et rurſum. [e] *Quando tranſieritis Iordanem, intrantes terram Chanaam, diſperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos & ſtatuas comminuite, atque omnia excelſa vaſtate*; ne videlicet ſint vobis occaſio idololatriæ, quod concedit Abulenſis, [f] de ſtatua, quam putat erectam ab Abſalone. Non eſt ergo exiſtimandum Dauidem permiſſurum fuiſſe excitari huiuſmodi ſtatuam cum periculo idololatriæ, cuius periculi cauſa, Hebræi Deum timentes, ab huiuſmodi ſtatuis vehementer abhorrebant, nec ſine graui ſcandalo excitari poterant. Itaque titulum nunc quidam pyramidem interpretantur, aut etiam arcum triumphalem, vt Vatablus, qualem erexit Saul. [g] Nam vbi in vulgata habemus fornicem triumphalem, in Hebræo habetur iad יד manus nimirum Saulis: alii turrim, aut ædificium exponunt, in quo eſſet Abſalonis ſepulchrum. Nos ſola Ioſephi columna contenti ſimus, quam Theodoretus quoque probat, q. 35. in qua dodrantalibus literis inſcriptum eſſet יד אבשלם IAD ABSALOM, MANVS ABSALONIS, ex qua inſcriptione diceretur Titulus; columnæ vero capitellum impoſitum eſſet, vtrumque materia atque opere perelegantiſ.

Pyramis. Arcus.

Videri columnā.

CXIII. *Nuncius mortis Abſalonis.*

Svperest vt luctuoſam regi victoriam de inimicis ſuis denunciemus. Achimaas filius Sadoci ſacerdotis, iam ante functus munere nuncii ad Dauidem, petit ſibi fieri à Ioabo poteſtatem, victoriam hanc regi denunciandi. *Curram*, inquit, *& nunciabo regi, quia iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius. Ad quē Ioab dixit, non eris nuncius in hac die, ſed nunciabis in alia. Hodie nolo te nunciare, filius enim regis mortuus eſt.* Non differt nuncium Ioab in ſequentem diem, vt qui ſtatim miſerit Chuſi, ad nunciandum quæ viderat; ſed noluit Achimaam triſte nunciū afferre Dauidi, itaque *hac die* idem eſt, quod hac vice, vt notant Lyranus & Abulenſis, quia enim Ioab diligebat Achimaam, vt indicant illa verba, *Quid vis currere fili mi?* nolebat eum miſeram filii mortem, patri, cui futura erat triſtiſſima, nunciare, ſed ait illum alias in re lætiori nuncium fore; Itaque plebeium, aliquem obuium, nomine Chuſi, 12. hoc munere fungi voluit. Negat enim Lyranus hunc eſſe eundem Chuſi, cum illo regis amico, qui ad Abſalonem tranſierat, ad diſſipandum conſilium Achitophelis. Quod non probauit Toſtato, qui putat Chuſi deſeruiſſe Abſalonem, cum ille Iordanem ad pugnandum tranſiuit. Sed potuit etiam tunc Chuſi operam nauare Dauidi apud Abſalonem, & Lyra-

Chuſi.

[a] n. 105.
[b] l. 7. c. 9. fi.
[c] q. 17. in c. 18.
[d] Leuit. 26. 1.
[e] Num. 33. 51. 52.
[f] q. 20. in c. 18.
[g] 1. Reg. 15. 12.
12. χ.

no fauent Hebræi, Græcique codices, vt paulo poſt intelligetur. ª

CXIV. *Et Achimaas.*

Dimisit ergo Ioab Chuſi ad regem, vt victoriæ, ſimulq. mortem Abſalonis ei nunciaret; Achimaas autem cogitauit poſſe ſe alterã nuncii partem, quæ læta erat nunciare, & gratiam apud regẽ promereri: alteram autẽ diſſimulare, ſicut & prudẽter fecit; itaque cœpit vrgere Ioabum, vt ſibi excurrendi ad Dauidem poteſtatem faceret; quam denique veniam extorſit. *Currens ergo Achimaas per viam compendii* 13. *tranſiuit Chuſi*, prætergreſſus eſt eum, vt qui velocior eſſet, & commodiore via iter faceret. *Dauid autem ſedebat inter duas portas*, ᵇ vrbis ſcilicet, & propugnaculi eius; vbi plerique milites ad vrbis cuſtodiam: *ſpeculator vero, qui erat in faſtigio portæ* turris videlicet, quæ portæ vrbis, vt aſſolet incumbebat, & *ſuper murum*, eminebat, *eleuans oculos vidit hominem currentem ſolum. Et exclamans indicauit regi* ſe videre currentem vrbem verſus, quem tamen propter diſtantiam nõdum poſſet agnoſcere. *Et dixit rex. Si ſolus eſt, bonus eſt nuncius in ore eius.* Nam victi turmatim currunt fugientes, victores autem aut in perſequendis inimicis, aut in præda occupantur, dum imperator mittit de victoria nuncium.

[a n. 116. ß. & Ioſeph. l. 7. c. 10.]

[13. ex. hc. 18. v. 24.]

CXV *Ambo ad regem properant.*

Properante *autem illo, & accedente propius, vidit ſpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine*, in Hebræo dicitur clamaſſe ad ianitorem, quem ſcilicet videbat, cum regem non videret, à quo tamen audiebatur, clamauit ergo ſpeculator. *Apparet mihi alter homo currens ſolus. Dixitque rex*, ſermone ad circũſtantes conuerſo, *& iſte bonus eſt nuncius. Speculator autem, contemplor ait, curſum prioris, quaſi curſum Achimaas filii Sadoc, & ait rex. Vir bonus eſt, & nuncium portans bonum venit.* Quis hic non dixerit Dauidi.

An qui amant ſibi omnia fingunt?

Et quidem vere de victoria ominabatur, niſi forte de ea iam diuinitus certus erat, vt ante dicebamus: ᶜ erat tamen cor eius pauens pro filio ſuo. Etſi enim ſibi erat conſcius ſe diligentiſſime cauiſſe ne occideretur, verebatur tamen ne vel ignotus per imprudentiam, vel notus per iracundiam occiſus eſſet, aut ſibi ipſe, vt pridem Saul, in vltimo rerum diſcrimine, violentas manus attuliſſet.

[c nu. 89.]

CXVI. *Achimaas nunciat victoriam.*

Interea intrat Achimaas, & ſimul hilari voce, vultuque, *Salue rex*, inquit, *Et adorans regem coram eo pronus in terram ait. Benedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit* puniuit ſcilicet, ac perdidit *homines, qui leuauerunt manum ſuam contra Dominum meum regem.* Caute lætam victoriam nunciat, triſtem mortem diſſimulat, & Chuſi nunciandam ſeruat. Cum enim hic ſtatim intuliſſet Dauid, *Estne pax puero Abſalom*, ſaluus ne eſt & inuolumis? non enim ſatis erat Dauidi obtinuiſſe victoriam, ſi iſte miſere cecidiſſet: ambiguo hic reſponſo rem inuoluit, ſignificans ſe veniſſe parta quidem, ſed non perfecta victoria. *Vidi*, inquit, *tumultum magnum, cum mitteret Ioab ſeruus tuus, o rex me ſeruum tuum: neſcio aliud*; non enim per tempus licuit rem certo cognoſcere, vrgente imperatore diſceſſum meum. In quo elegit mentiri ne contriſtaret regem, vtique non ſine culpa. Non enim ſolum tacuit veritatem, ſed falſum affirmauit, cum dixit ſe neſcire aliud. In Hebræo, Græco & Chaldæo, paulo aliter eſt elata ſententia. Facit enim Achimaas mentionem vtriuſque nuncii. *Vidi*, inquit, *tumultum magnum dum mitteret ſeruum regium* Ioab, illum ſcilicet Chuſi, qui mox apparebit, *& me ſeruum tuum; & non noui aliquid.* aliud. Notarunt Vatablus, & Samuel Sa: & hinc confirmatur ſuperior Lyrani expoſitio.

Diſſimulat Abſalonis mortem.

CXVII. *Chuſi nũciat mortem Abſalonis.*

Ad *quem rex, Tranſi ait, & ſta hic.* Iubet eum dare locum alteri nuncio, quem à ſpeculatore didicerat pene in foribus eſſe. Abire ergo eum vult poſt ſe, aut ad latera; nec tamen abire longius, vt componi inter ſe poſſent ad veritatis confirmationem. *Cumque ille tranſiſſet, & ſtaret, apparuit Chuſi, & veniens ait. Bonum apporto nuncium, domine mi rex. Iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui ſurrexerunt contra te*, victoriam enim tibi tribuendo, tanquam verus iudex oſtendit iuſtam eſſe cauſam tuam, & iniquam eorum qui aduerſum te inſurrexerunt. Cumque ille vniuerſe dixiſſet de manu omnium; intulit rex. *Eſtne pax puero Abſalom? Cui reſpondens Chuſi, fiant*, inquit, *ſicut puer inimici domini mei regis, & vniuerſi qui conſurgunt aduerſus eum in malum.* Id erat ei mortem Abſalonis fateri, alioqui bene precaretur inimicis domini ſui regis. Ita iamdudum Abigail dicebat Dauidi, *fiant ſicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum*, ſtolidi ſcilicet

& contemptu digni.

Mirvm eſt autem cur non vlterius inquiſiuerit Dauid, modum mortis eius, ſicut pridem feceratin morte Saulis. An forte id fecit, & ſcriptum non eſt? An non fecit; quia ſatis intellexit, id factum eſſe ab amicis, & ſeruis ſuis; ſiue ex zelo in regem ſuum, ſiue ex Dei voluntate, de quibus pro ſua manſuetudine nollet, aut etiam pro nimia ipſorum potentia, non poſſet ſupplicium ſumere? Non eſt tamen dubium Dauidem poſtmodum ſciuiſſe hanc cædem conſcio, imo authore Ioabo perpetratam eſſe, vt ſupra ſignificauimus, [a] nec impune eum vel poſt mortem ſuam, hac etiam de cauſa abire voluiſſe. *Contriſtatus itaque rex aſcendit cænaculum portæ*, ſuperius videlicet tabulatum, quod imminebat portæ, ad quam ſederat Dauid expectans nuncium, ibique fleuit: neque enim decebat regiam maieſtatem, coram populo lachrymis ſeſe, lamentiſque dedere, & muliebrem potius animum præ ſe ferre, quam virilem & regium, & omnibus aduerſis caſibus ſuperiorem. Itaque illum Abulenſis [b] accuſat violatæ modeſtiæ, quod præ doloris vehemẽtia voces magnas emitteret, quæ exaudirentur foris: vt ex ſequenti capite [c] ſatis liquet.

CXVIII. *Quam luget Dauid.*

a n. 101.

b in exp. text. c. 18.

c c. 19. v. 4.

Sic *autem loquebatur vadens: fili mi Abſalom, Abſalom fili mi; quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* voluiſſet eius vitam ſua morte redemiſſe; quia intelligebat præſentem ſibi tantum vitam fuiſſe perituram, illi autem etiam æternam periiſſe, vt ſupra ex ſanctis Auguſtino, Bernardo, Saluiano docuimus: quæ videtur etiam Theodoreti ſententia. [d] Cum enim quæreret, Quamobrem Dauid diu luxit, filium ſceleratiſſimum, Ita reſpondet. *Et filios amabat; & erat benignus & clemens. Huius autem rei eſt indicium eius quoque de Saule luctus*: & mox: *Ad hæc accedit, quod tanquam pius luxit eum, qui non poterat amplius curari per pœnitentiã. Nam poſt mortem plaga peccati eſt immedicabilis.* Sic ipſe, quæ partim à Ioſepho mutuatus eſt. Fuit ergo hic luctus non ſatagentis eum eripere ex inferis, quod fieri nequit, ob immutabile decretum Dei, ſed compatientis affectu naturali erga eum, quem dilexeris, [e] qui immenſum & inſanabile malum incurrerit. Additur etiam mox [f] ad indicium luctus, quod operuit caput ſuum, ſicut & nuper cum aſcenderet cliuum oliuarum. [g]

CXIX. *Et quare maxime.*

d q. 36. in l. 2. Reg.

e Abul. q. 17 in c. 18.

f c. 19. v. 4.

g c. 15. v. 30.

Lvctvm porro Dauidis nimium videtur amplificaſſe Ioſephus. *Conſcenſa*, inquit, *editiſſima vrbis parte*, ἀναβὰς ἐπὶ τὸ ὑψηλότατον τῆς πόλεως. Id primum præter Scripturam eſt, quæ cubiculum tantum aliquod ſupra portam, à rege aditum ſignificat, ſed pergit, *deflebat filium, plangens pectus*, lege tundens, nam in græco eſt τυπτόμενος τὰ στέρνα, *& capellitium lacerans, & modis omnibus ſe affligtans ac vociferans.* Quæ cum aliena videantur à patientia, & moderatione animi Dauidis, nec in Scriptura, aut Hebræorum conſuetudine ſatis fundamenti habeant, maiori probabilitate negari poſſunt, quam affirmari. Nec enim facile inuenias ſanctos viros in quantouis luctu vltra lacerationem veſtium, cilicium, & inſperſionem pulueris in caput fuiſſe progreſſos. 14.

CXX. Ex Ioſepho.

14. ✠.

Nvnciatvm *eſt autem Ioab quod rex fleret & lugeret filium ſuum*; [h] cumque idem nuncius ſparſus eſſet in populo; illi quoq; victoria verſa eſt in luctum. Non enim par erat lugente principe, populum triumphare gaudio: præterquam quod iſtiuſmodi è bello ciuili victoriæ, fere ſolent ipſiſmet victoribus eſſe luctuoſæ; aliis fratres, aliis cognatos, aliis amicos ac neceſſarios lugentibus. Ideoque milites ex proxima pugna victores, furtim ſe quodammodo in vrbem inferebant, perinde ac ſi victi, atque in fugam verſi fuiſſent: veriti ne qui in prælio fuiſſent, rei cædis Abſalonis apud Dauidem fierent. Hæc eſt enim ſententia eorum verborum. *Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus, & fugiẽs de prælio.* Vnde Chaldæus paraph. *& furati ſunt ſeſe populus*, id eſt clam & furtim ingreſſi ſunt, *in die illa vt intrarent in vrbem*, ſiue ingrediendo in vrbem, vt eſt in Hebræo, *ſicut ſeſe furantur populus, qui pudefacti ſunt in conuerſione ſua in prælio*, qui taciti ad ſua recipiunt ſeſe. Declinabat nimirum populus aſpectus hominum, vt qui propter ignominioſũ aliquod & exprobrabile facinus confundũtur: & erant ſibi pleriq; omnes conſcii ſi non occiſi Abſalonis, quẽ rex tanto luctu perſequebatur, certe miſſi in eum lapidis, tanquam in aceruum Mercurii. Hanc multorum expoſitionem iuuat Ioſephus, *Exercitum autem*, inquit, *& Ioabum audito quod rex filiũ*

CXXI. *Luget & populus.*

h 2. Reg. c. 19.

Caiet. Vatabl. Sa.

ita lugeret, puduit triumphabundos in oppidum ingredi, ſed demiſſo capite lacrymantes, non aliter quam clade accepta veniebant, ſic ingrediebantur in vrbem.

CXXII. *Nec audet ingredi ad Dauidem.*

Contrariam tamen expoſitionem magis videtur admittere vulgata editio. Declinare enim ingredi, eſt vitare ingreſſum, aut declinare ab vrbis ingreſſu: ſicut declinare à malo, à via, à lege, à iudicio, eſt recedere ab eis. Et illud Septuag. interpretum, διεκλέπτετο ὁ λαὸς τοῦ εἰσελθεῖν εἰς τὴν πόλιν. vertit Flaminius, ſuffuratus eſt ſe populus ab intrando in ciuitatem. Abulenſis Hebræum vertit, *Populus furabatur ſe ne veniret in ciuitatem.* Latinum autem ſic explicat, *Noluit ingredi populus, quia nolebat introire ad planctum, cum potius expectaret gaudium, & hilaritatem regis pro victoria: & non introierunt illa die, quia putabant quod forte rex mutaret propoſitum, & ceſſans à fletu, reciperet eos ſequenti die cum gaudio.* Nocte ſcilicet dante conſilium, & quiete ſua minuente dolorem. Itaque cum infra dicitur veniſſe vniuerſam multitudinem coram rege, ipſe explicat veniſſe coram rege introeundo in vrbem, cum prius declinaſſent ab ea. Quam expoſitionem cenſeo præferendam, nec ei textum hebræum, aut Ioſephum repugnare.

CXXIII. *Ioab Dauidem obiurgat.*

Interea Ioab qui huius luctus vnica erat cauſa, veritus ne populus hanc ſiue verecundiam, ſiue timorem ſuum, in audaciam, & defectionem verteret, ſibique, deſerto Dauide, conſuleret; ſicque qui vndecim amiſerat tribus, etiam duodecimam perderet, niſi is luctu depoſito, præ ſe ferret ſe approbare, quæ facta fuerant, & omnem ex animo dolorem, & offenſionem abſtergere, ad eum ſeorſim adiit, & mira orationis libertate, eum hominum conſuetudinem deuitantem, à luctu, ingenti periculo propoſito, abduxit. *Confudiſti hodie*, inquit, *vultus omnium ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam*; in quam coniurauerat Abſalom cum ſuis, [a] pro qua gratia confuſione reples faciem eorum. *Et animam filiorum tuorum*, quos ille interfecturus erat, vt ſibi regnum, vi & fraude acquiſitum, conſtabiliret, vt tyranni ſolent, vt olim Abimelech [b] fratres ſuos Gedeonis filios, numero 70. & Ioram filius Ioſaphat [c] omnes fratres ſuos gladio ſuſtulit. Liberatas quoque dicit animas filiarum, & vxorum, & concubinarum eius, quarum vel pudor, vel dignitas in periculo verſabatur.

a c.17.v.3.

b Iud 9 5.

c 2. Paral. 21. 4.

CXXIV. *Et timore iniecto reuocat à luctu.*

Pergit Ioab. *Diligis odientes te.* Abſalonem videlicet, qui te volebat perditum. *Et odio habes diligentes te.* Ita te geris quaſi eos odiſſes, qui auerſeris eorum conſpectum tanquam inimicorum; & eorum facta quaſi hoſtilia improbes, ac lacrymis proſequare. *Et oſtendiſti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de ſeruis tuis*, vt qui eos è prælio pro te ſuſcepto redeũtes, vt amicos, ac bene de te meritos beneuole nõ accepiſti. *Et vere cognoui modo, quia ſi Abſalõ viueret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi.* Hoc vtiq. falſum erat, ſuos enim cupiebat incolumes, ſed & Abſalonem quoque. Et hæc ille quidem audacter; ſed audi etiam audaciora & plane imperioſa. *Nunc igitur ſurge* à luctu in quo iaces, *& procede* in publicum, *& alloquens ſatisfac ſeruis tuis*; Hebræus, *loquere ad cor ſeruorum tuorum*, alloquere eos non tetrice, vt iratus; ſed placide ac beneuole. *Iuro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris* ad eos, præ te ferens grata tibi eſſe, quæ ab ipſis facta ſunt, *ne vnus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac*, ſed omnes, te deſerto, ſibi concilium capturos. *Et peius erit hoc tibi, quam omnia mala, quæ venerunt ſuper te ab adoleſcentia tua vſque in præſens.* Neminem quippe, vt hactenus, habebis adiutorem. Nam omnes qui ſecuti ſunt Abſalonem deſeruerunt te, reliquos autem, qui tibi ſalutem, & victoriam pepererunt, tu a te, iſta auſteritate, & importuno ploratu, abiges.

CXXV. *Licenter admodum.*

Licenter hæc quidem Ioab, aduerſus regem ac Dominum ſuum, ſed licentius etiam apud Ioſephum, [d] vbi inter alia. *Te vero non pudet hæc facere, propter hominem inimiciſſimum, qui cum eſſet filius tuus, tantopere in te fuit impius? Deſine igitur ab iniuſto luctu, & da te in conſpectum tuorum militum, & gratias illis age, quod ſua virtute hanc victoriam nobis pepererunt. Alioqui ſi qua cœpiſti pergas, hodie regnum, atque exercitum alteri tradam, efficiamque vt iam grauius, ac verius quam antea lugeas.* Sic Ioſephus. cum Ioab tantum iurauerit, ne vnum quidem remanſurum ea nocte cum rege, quod potuit contingere id non agente Ioabo, ſed præmonente tantum quod præuidebat futurum. Talibus autem verbis Ioabus non mœſtitiam excuſſit regi, vt idem ait, ſed vehementer auxit; qui ne liberum quidem ſibi fletum à ſub-

d l.7.c 10.

dito

dito, à quo tam grauiter eſſet offenſus, permitti videret. Tantam vero dicendi licentiam Ioabo præbebant, primùm innata ſuperbia, atque audacia; tum recens victoria ipſius auſpiciis obtenta; & antiqua multa in Dauidem merita: deinde ſpectata diu in eius famulatu conſtantia, & fides: diuturna quoque rerum in ætate ſenili experientia; rerumque gerendarum prudentia, qua ſe Dauidis rebus, multum omnino prodeſſe, aut obſeſſe poſſe intelligebat; tum denique regius ſanguis, quo Dauidem proxime attingebat.

CXXVI. *Dauidis manſuetudo.*

Vide autem verſa obſerua regis optimi manſuetudinē eximiā, qua vſus temerariā Ioabi loquendi libertatem aduerſus regem ſuum, ne minimo quidem verbo reprehendit: neque in eum, vt iuſſionis ſuæ, etiam atque etiam commendatæ, ſuperbum violatorem inuectus eſt, non ignorans eſſe tempus tacendi, & tēpus loquendi. Quin potius, quaſi non à ſubdito, ſed à Domino reprehenderetur; non à nepote, ſed à parente; non à reo cædis Abſalonis, ſed ab eo qui grauem à Dauide iniuriam accepiſſet, ei morem gerens, tacitus, *ſurrexit rex*, e loco in quo ſedebat lugens, *& ſedit in porta*, id eſt in aula quapiam ad vrbis portam, vbi iudicia exerceri ſolebant, ibique princeps venientibus exhibuit ſe, & adeuntibus fecit copiam ſui. [a] *Et omni populo*, qui cunctabatur ingredi ciuitatem, *nunciatum eſt, quod rex ſederet in porta, venitque vniuerſa multitudo coram rege.* Addit Ioſephus depoſuiſſe eam veſtimenta luctus, & alia induiſſe, quo gratior eſſet militi conſpectus ipſius: ipſeque amictus victoriam illis gratulari, & fortitudinem laudare videretur. Qui autem ſecuti fuerant Abſalonem, ad ſua quiſque metu & confuſione pleni, dilapſi ſunt, dum aliqua reconciliationis occaſio naſceretur.

a Abul poſt q. 9. in c. 19.

Sui copiam facit.

CXXVII. *Apparatus ad Dauidis reſtitutionē*

Parta porro de inimicis victoria, & tyranno ipſo de medio ſublato, conſequens erat vt legitimus rex Dauid in regnum reſtitueretur, quod ſequenti anno factū eſſe perſuaſum habeo. Idq. res ipſa videtur exigere, & ipſa Scripturæ narratio ſatis cōfirmare. Aliquot enim mēſibus, qui hoc anno reliqui eſſe potuerūt, tam Hieroſolymis, quam in reliquo regno præparatā eſſe iſtam reſtitutionē, ſic intelligi poteſt. Poterat quidem Dauid ſtatim à parta victoria victricia ſigna, legioneſque aduerſus Hieroſolymam, ac deinceps in reliquam regionem populabundus inferre, & turbatos aduerſarios, qui à legitimo rege defecerant, in poteſtatem redactos male mulctare, ſed clementiſſimi principis prudentia, aliā viā in regno ſibi reconciliando, ſequendam eſſe perſuaſit.

CXXVIII. *Quam viā ſecutus ſit.*

Cvm enim vniuerſus Iſrael toto corde ſecutus eſſet Abſalō, & impia cōtra Dauidē regē ſuum arma ſumpſiſſet, quin etiā tribus ipſa Iuda principiū cōiurationis fuiſſet. Nam Hieroſolymis artibus Abſalonis, & Achitophelis concepta coaluerat, Hebrone effuſa erat in lucem; non poterāt qui tanti criminis erant conſcii, non ſibi vehemēter timere, & par aliquod formidare ſuppliciū illi, quod Ammonitæ, violatis Dauidis minore ſcelere legatis, ante annos aliquot pertuliſſēt. Itaq. in bello fortiter cadere, quam in poteſtatem violati Dauidis venire maluiſſent. Dauid autem, vir alioqui bellator, & plurimi iamdudum ſanguinis effuſor, cū ſanguinem populi ſui, ac Dei pretioſiſſimum haberet, ab eoque fundendo ſemper ſtudioſiſſime temperaſſet, totam hanc reconciliationem, pro ſua lenitate ac manſuetudine ſuauiter tranſigendam putauit. Itaque quemadmodum cum tribu Iuda, vt ex Scriptura conſtat, ſic & cum reliquis tribubus, per certos homines, vt ſentit quoque Caietanus, amicos fideles ſategit, vt illæ de reconciliatione ſua cum rege agerent, & ad quandam culpę agnitionem, & ſatisfactionem, rege in vrbem regiam honorifice deducendo, venirent.

Populum per amicos ſollicitat.

CXXIX. *Et quibus rationibus.*

Horvm itaque amicorū opera factum eſt, vt populus apud ſe reputaret quid legitimo principi ſuo deberet, quantam illi iniuriam intuliſſet, eum ad probroſam compellendo fugam, vtque nunc principe deſtituti omnium inimicorum prædæ paterēt; & nominatim Dauidis ipſius, qui nuper cū exigua ſuorūdomeſticorum manu, omnes tribus turpiter cæſas auertiſſet in fugam, factū inquā eſt, vt omnis populus in cūctis tribubus Iſrael *certaret*, vt ait Scrip.[b] id eſt certatim cōtēderet, pro reſtituēdo rege, diceretq. tum priuatim in circulis, tū publice in ciuicis cōuentibus. *Rex liberauit nos de manib. inimicorū noſtrorū: ipſe ſaluauit nos de manu Philiſthinorum;* qua beneficiorum commemoratione flectebantur animi ad renouādam erga regē ſuū beneuolentiam, & eius calamitati cōdolēdū: ſubdūt

b 2. Reg. 19. 9.

enim *Et nũc fugit*, id eſt fugere coactus eſt *de terra*, tribu ſcilicet ſua, Septuag. addũt, *& de regno ſuo*, id eſt ciuitate ac domo ſua. Nam adhuc intra fines regni ſui erat: fugit autem propter improbiſſimam filii coniurationem contra parentem ſuum.

CXXX. *Reconciliationis cum Dauide neceſsitas.*

Addvnt etiam huius reconciliationis neceſſitatem, quæ ex Abſalonis morte, cui ſe perfide dediderant, & legitimo rege abdicato in regem vnxerant, manifeſta eſt; [a] *Abſalom*, inquiunt, *quem vnximus ſuper nos mortuus eſt in bello*, nec eſt qui nos contra Dauidem tueri poſſit, præter vnam ipſius placabilitatem, atque clementiam. Ex quibus recte infertur illa à magiſtratu, aut maioribus natu querela & obiurgatio: [b] *Vſquequo ſiletis, & non reducitis regem?* quare non initis hac de re conſiliũ, & deliberationem? ceſſatis, & cunctamini regem Dauidem, in ſignum legitimæ ſummiſſionis, in regiam ſuam honorifice reducere, & electionis culpã aliquo modo emendare? Ex qua repræhenſione tarditatis, & ceſſationis recte colligimus, non ſtatim à morte Abſalonis, & populi fuga hæc contigiſſe, ſed interim dum rex in ciuitate Manahim in hybernis ſubſiſteret cum ſuis, hæc in ſingulis tribubus Iſraelis, opera amicorum Dauidis fuiſſe actitata, & quidem opera minime inani, vel irrita.

a ſup. n. 9.

CXXXI. *Mittunt legatos Iſraelitæ.*

Obtinvervnt enim vt communi conſenſu legatos mitterent ad Dauidem, per quos ſe illi offerrent in ſubditos ſicut prius, & veniam de præterita culpa poſtularent. Ignoſceret multitudini, cui Deus ipſe pepercıſſet, qui eos, qui maxime in culpa fuerant, & populum in fraudem induxerant, aut gladio, aut laqueo, aut præcipiti ruina male perdidiſſet; & omnino viginti milliũ ſanguine totius populi reatum expiaſſet: ſeruandos eſſe populos, quibus imperare velit; nihil habere fortunam eius maius, quam vt poſſit, neque naturam melius, quam vt velit ſeruare quam plurimos. Hæc legatio aperte ſignificatur illis verbis. *Et conſilium totius Iſrael venit ad regem.* Quæ nunc ex editione vulgata ſublata ſunt, quia in Hebræo non habentur. Habentur tamen in omnibus codicibus græcis, etiam Romanis emendatis & regiis: & omnibus aliis latinis editionibus vulgatis, & paſſim ab interpretibus Lyrano, Abulenſi, [b] Hugone, Dionyſio agnoſcuntur. Eadem vtique legerat, Ioſephus, cum ait hac de re crebros ad regem nuncios veniſſe. Idem accurate confirmat Hieron. in trad. [c] vbi ait in iurgio aliarum tribuum cum tribu Iuda, eas pro ſe attuliſſe, quod ſermo earum, nimirum legatio, prior fuiſſet ad regem de eo reducendo. *Sicut*, ait Hieronymus, *in eo loco demonſtratur, vbi dicitur, Sermo autem omnis Iſrael peruenit ad regem in domo eius.* Quæ verba paulo poſt in oratione Dauidis habentur, [d] & priora iſta ſupponunt; & non parum ad rem faciunt, & vbi abſunt, omnino ſubintelligenda, illud, *peruenerat*, quod eſt in editione vulgata, aperte demonſtrat.

Idq; oſtenditur.

b in c. 19. q. 8.
c in fi. c. 19. l. 2.
d v. 11 fi.

CXXXII. *Dauid ſollicitat Iudeã tribũ.*

Ægre autem ferebat Dauid Iudam & Hieruſalem eodem officio non fungi, & qui priores in culpa fuerant: non etiam cæteros in ſatisfactione anteuertere: vt qui intelligeret id vel maxime neceſſarium eſſe, vt res tota ſine bello confici poſſet. Poterant enim Iudæi Amaſam eligere loco Abſalonis, qui militiæ principem illum creauerat, & bellum aduerſus Dauidem inſtaurare; quod à Dauide cogitatum, ac prouiſum ſequens narratio declarabit. [e] Ergo acceptis ab aliis tribubus nunciis, priuatas literas Hieroſolymam ad Abiathar pontificem, & Sadoc ſacerdotem primarium miſit, quibus monebat vt loquerentur ad maiores natu Iuda, eoſque de tarditate ſua, in reducendo rege caſtigarent, vt qui nouiſſimi functuri erant officio, quod omnium primi occupare debuiſſent; vt qui regem propius ſanguine attingerent. Ideoque ait, *fratres mei vos, os meum, & caro mea vos.* Nimirum Dauid erat ex tribu Iuda, tota eius familia in tribu Iuda cenſebatur, & plurima turba cognatorum, quos variis ſibi affinitatibus deuinxerat, Hieroſolymis habitabant. Erant autem idonei ad hoc munus, tum quia erant viri principes, magna autoritate pollentes, & rerum ſacrarum præpoſiti, tum quia Dauidis amici, & cum Hieroſolymis hoc tempore remanſiſſent, neutri parti ſtuduiſſe videbantur, ideoque magis ad vtramque reconciliandam idonei.

e vide Abul q. 14. in c. 19. 2. Reg.

CXXXIII *Et nominatim Amaſam.*

Qvoniam vero Amaſa, Dauidis ex Abigaile ſorore nepos, [f] & ab Abſalone electus militiæ princeps, veritus periculum ſuum, qui in acie contra Dauidem ſtetiſſet, & infeſtis in eũ legionibus, ſigniſque concurriſſet; multum impedire poterat ne Ieruſalem, & omnis tribus Iuda, ſe Dauidi reſtitueret. Et vice verſa

f 1. Par. 2. 16. 17.

authoritate ſua eos in hanc voluntatem inflectere: eum ſibi demerendum putauit. Itaque duplici eum telo oppugnauit, ac vicit; altero decori & honeſtatis *Nonne os meum, & caro mea es?* gallice diceremus, *n'eſtes vous pas mon proche parent?* altero ſpei & vtilitatis. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, ſi non magiſter fueris militiæ coram me omni tempore pro Ioab.* Illud valuit ad leniendum hominem, qui ſe præ ceteris Dauidi odioſum putabat, vt qui præ cæteris deliquiſſet. Hoc valuit ad beneuolentiam, & fiduciam erga eum oſtendendam, quem tali ac tanta dignitate ornare ſtatuiſſet, *pro Ioab*, id eſt vt interpretatur Lyranus, ſub Ioab. Sed id recte refellunt Abulenſis [a] & Dionyſius & ſequens hiſtoria de Amaſæ nece, à Ioabo per inuidiam perpetrata confirmat. Quod Ioſephus, & Theodoretus affirmant, vt mox dicetur. Et ratio ipſa probat. Neque enim conueniebat Amaſam, regii ſanguinis principem, & pari cum Ioabo gradu à Dauide diſtantem, vicariam ſub alio, quam ſub rege ipſo, agere præfecturam: neque id grauiter tuliſſet Ioab, quod in eius honorem cedebat.

Promiſſa Ioabi præfectura.

a q. 11. in c. 19.

Qvamobrem autem vellet Dauid Ioabum abdicare magiſtratu, & ſi eum ille quondam [b] in præmium fortitudinis obtinuerat, non eſt difficile intelligere. Primum quod Abſalonem filium ſuum, quamuis hoſtem, atque in acie pugnantẽ interfeciſſet, contra regium, diſertis expreſſum verbis, interdictum. Neq. enim dubium eſt quin id reſciuerit Dauid, quod in oculis totius pene exercitus factum fuerat. Eo autem facto non ſolum magiſtratu, ſed vita quoque iure priuari poterat: iuxta illud quod Ioſue [c] dicebant Iſraelitæ, *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur.* Et illud Pauli [d] ex diuino iure petitum. *Si malum feceris time, non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.* Talis autem inobedientia aduerſus regis imperiũ, in maximis criminibus cenſetur, & inſtar defectionis à principe. Secundum quod Abnerem militiæ principem, per inſidias ac proditionem, in magnum publicæ rei detrimentum peremiſſet: quo facto & magiſtratu, & vita, lege talionis priuari merebatur.

CXXIIV. *Cur Dauid Ioabũ abdicaret.* 1. *Ob cædem Abſalonis.* 2. *Et Abneris.*

b 1. Par. 11. 19. c Ioſ 1. 18. d Rom. 13. 4.

Accedebat tertio, quod morum eius pertæſus eſſet; qui etiam erga ſe nuper tam inuerecunde, atque imperioſe egiſſet. *Ioabi audaciam*, ait Theodoretus, [e] *perpetuo odio habuit: tolerabat autem propter eius ingenium ac prudentiam, & ſuſpectum eum habens, ne quid noui in eum moliretur. Cum autem vidiſſet Abiſai, erat is quoque fratris filius*, labitur memoria Theodoretus. Nam Abiſai pro Amaſa ponit, ſed nec Abiſai, nec Amaſa erant filii fratris Dauidis, ſed ambo ex ſororibus nepotes, Amaſa ex Abigaile, Abiſai autem ex Saruia, ſicut & Ioab frater eius; pergit Theodoretus: *cum vidiſſet*, inquit, *à Tyranno creatum ducem totius exercitus, ſignificauit vt ad ipſum veniret, pollicitus ſe ei daturum imperium exercitus, quod habebat Ioab.* Hæc ibi. Et voluiſſet quidem Dauid de eo iampridem debitas pœnas exigere; ſed ſibi ab eo timens, vt ſignificat Theodoretus, rem diſtulit: ac ne nunc quidem Domino ita diſponente, voti compos effici potuit.

CXXV. 3. *Pertæſus morum eius.*

e q. 37. in 2.

Minime tamen irrita fuit Dauidis ad Amaſam adhortatio. Is enim *inclinauit cor omnium virorum Iuda quaſi viri vnius*, in vnam ſcilicet, eandemque ſententiam *miſeruntque ad regem, dicentes, Reuertere tu, & omnes ſerui tui.* Vno verbo ſignificatur paratam eſſe tribum Iuda, ad eum cum omnibus ſuis, honorifice, vt regem decebat, excipiendum: nec officio procedendi obuiam defuturos, vt ex ſequentibus patebit. Ioſephus hanc voluntatum inclinationem non Amaſæ, ſed ſacerdotibus tribuit. *Pari modo*, inquit, *Amaſam imperatorem eos alloqui iuſſit, qui fieret quod cum eſſet ipſius ex ſorore nepos, exercitui non perſuaderet, vt Dauidi regnum in manus reddat. Sperandam autem illi non ſolum veniam, quæ iam contigiſſet, verum etiam vniuerſarum copiarum præfecturam, quam Abſalomus ei conceſſerat. Pontifices vero, tum principes dictæ tribus ſunt allocuti; tum Amaſam, oſtenſa regis pollicitatione in partes ipſius traduxerunt.* Sic ipſe, nec ſignificat operam ab Amaſa nauatam ad inclinandos Iudæorum animos, ſed potius cæterorum Iſraelitarum: quorum vtrumque Scripturæ parũ conſentaneũ eſt. Verum Amaſa, neq; hac dignitate, neque vita ipſa diu potitus eſt, Deo eius perfidiam, in auunculum ſuum Dauidem, vindicante; quod proximo anno Ioabi ſcelere contigit.

CXXVI. *Amaſa Iudam Dauidi conciliat.*

Cum pontifice.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 3009.

I.N.VI.

DAVIDIS ANNI.	SAMVELIS ET SAVLIS ANNI.
1. Dauidis ortus.	11. Samuelis iudicis.
2. Et educatio.	12.
10.	20. Arca in Cariathiarim.
11.	21. Victoria in Maſphath.
12. Degit in paſcuis.	22. Filii Samuelis iudices.
13. 23.	1. Petitur rex. creatur Saul.
14.	2. Bellum contra Ammonitas.
15. De eo Samuelis primum vaticinium.	3. Saulis militare præſidiũ, Philiſthæum Ionathas delet.
16.	4. Varia bella Saulis.
19. Alterum de regno Dauidis vaticinium.	7. Bellum contra Amalecitas, ob quod repudiatur Saul.
20. Prima eius inunctio, poſt quam redit ad paſcua, & pugnat cum vrſis & leonibus, & pſallit.	8. Saul cœpit vexari à Dæmone, nec cito agnoſcitur id malum à domeſticis.
21. Denunciatur Sauli.	9. Euocatur à rege ad tempus.
22. Dauid ſternit Goliathum.	10. Initium inuidiæ Saulis.
23. Fit tribunus, & regis gener.	11. Occultæ eius inſidiæ in Dauid.
24. Dauidis fuga ad Samuelem in Naioth. Opera Ionathæ regi recõciliatur. Adit pontificem, & fugit ad Gethæos, inde ad ſpecum Odollam & Moabitas.	12. Erumpũt foras. Saul in Naioth prophetat cum ſuis, moxque breuis reconciliatio ſecuta.
DAVIDIS ANNI.	**SAVLIS ET ISBOSETHI.**
25. Dauid liberat Ceilanos: & ab iis fugit in deſertũ Maon, vbi periclitatur.	13. Saul occidit Sacerdotes, & Nobem euertit, & Dauidem perſequitur.
26. Moratur in deſerto Engaddi.	14. Saul in ſpelunca periclitatur.
27.	15.
28. Adit Nabalem, & ducit Abigail.	16. Moritur Samuel.
29. Dauid accipit haſtam & ſcyphum Saulis.	17. Periclitatur Saul in Hachila, dum dormit cum ſuis.
30. Adit Gethæos, & cum eis manet ad 4. menſes, vlciſcitur cladem Siceleg, vbi diſcit mortem Saulis.	18. Saul cum ſuis interficitur in Gelboë, poſt conſultam Pythoniſſam, ſuſpenditur, &c.
31. Dauid aſcendit in Hebron, ibique inungitur ſecundo à tribu Iuda: eſtq; idem 1. regni eius.	1. Iſboſeth fit rex, Abneris opera in reliquas tribus, iam quadragenarius.
2. Roboratur regnum Dauidis affinitatibus, & liberis.	2. Hic quoque annus eſt Iſboſetho pacificus. 2. Reg. 2. 10.
3. Excitatur ab Abnere ciuile bellum, vincit Ioab pro Dauide.	3. Infeliciter pugnat in Gabaon, Azael occiditur ab Abnere.
4. Diu certatur inter Dauidicos, & Iſboſethicos.	4. Dauid augeſcit, minuitur Iſboſeth.
6. Dauid recipit Abnerem, & Micholem, ſed ille à Ioabo occiditur.	6. Abner iratus Iſboſetho, parat regnum Dauidi tradere.
7. Dauid Iſboſethi mortem vlciſcitur, & ab omnibus tribubus in regem inungitur.	7. Iſboſethus impie interficitur, & cum Abnere ſepelitur.

8. Arx Sionis expugnatur, Hieruſalẽ fit regni ſedes.
9. Philiſtæi in Dauidem inſurgunt, abeoque vincuntur ſemel, & iterum eodem anno, quando ei aqua allata è Bethlehem. Mox ædificat, & ægrotat.
10. Transfert arcam ex Cariath-iarim in domum Obededom.
11. Et mox in arcem Sion, prope regis palatium, non ſine Micholis, & Dauidis iurgio. Concipit de templo deſiderium, cuius conſtructionem Dominus transfert in naſciturum Salomonem.
12. Bellum gerit Dauid cum Philiſthæis.
13. Pugnat contra Ammonitas.
14. Bellum gerit idem rex aduerſus Syros, non vna pugna.
15. Res geſta in bello contra Idumæos, præſertim à Ioabo, poſt eorum defectionem.
16. Curat domeſtica negotia, & Miphiboſethum Ionathæ filium.
17. Hanon violat Dauidis legatos, & eum acquirit inimicum, & domitorem.
18. Reſtauratur bellum maiore vtrimq; apparatu, & vincuntur Syri cum ſociis.
19. Ioab contra Rabbath metropolim Ammonitarum pugnat, Dauid Hieroſolymis committit

adulterium, & Vriam curat occidi ab Ammonitis.

20. Suſcipit Dauid filium à Bethſabæa, quę mox amittit. Arguitur à Nathā propheta, & culpam agnoſcit. Conſolatur Bethſabæam promiſſo regno filio, quem ex ea ſuſcepiſſet. Rabbah expugnatur: Ammonitæ malæmulctantur.

21. Naſcitur Salomon. Amnon nefarium perpetrat cum Thamare inceſtum. Inde eius & Dauidis luctus, & odium Abſalonis.

22. Idem luctus & odium perſeuerant.

23. Habet hic annus Amnonis cædem, Abſalonis fugam, Dauidis luctum, Salomonis ablactationem.

24. Toto hoc anno, duobuſque fere ſequentibus Dauid in luctu, Abſalō in exilio fuit.

25. Integer hic annus ad Abſalonis exilium pertinet; quādo & Cumæ in Italiæ cōditæ.

26. Reuocatur ab exilio Abſalom opera Ioabi; a regis tamen conſpectu arcetur ad biennium.

27. Salomon inſtituitur, & quo præceptore.

28. Eſt hic annus integræ, & perfectæ reconciliationis Abſalonis cum parente. Eius pulchritudo, & liberi.

29. Apparatus belli ciuilis; Abſalonis ambitio, & artes, adiutore Architophele. An culpabilis Dauidis interea diſſimulatio.

30. Bellum ciuile conflatum anno quadrageſimo elapſo, à prima Dauidis inunctione: quod Hebrone inchoatum, Dauidem compellit ad fugam. Cum eius copiis congreſſus Abſalom vincitur, & interficitur, & Dauid Hieroſolymam, reconciliato ſibi regno reuocatur, & ſequenti anno reducitur.

2. N.V. Pro *ſacrificabo*, Septuag. habent λατρεύσω, quia ſacrificium eſt latriæ cultus Deo debitus: Hebraice, & Chaldaice *ſeruiam*, ea ſcilicet ſeruitute, de qua Chriſtus tentanti Sathanæ, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerues.* Etſi Caietan. hanc ſeruitutem nimium ſeruiliter ad Rabinorum mentem intelligere videatur. Septuag. vocem *Ghauad*, עבד quæ non pro ſeruitute & diuino cultu duntaxat ponitur, verbo λατρεύειν reſtringere voluerunt.

3. N.IX. קשר *Haccesher* aliqui coniurationem, alii colligationem, quomodo gallice vocamus, *vne ligue, & gens liguez;* alii conſpirationem verterunt. Septuag. Aldi, Vechel. & Baſil. habent σύστημα quod eſt *globus*, agmen militare. Sixti σύστρεμμα, quod Flaminius *coitionem* vertit, quaſi dixeris frequentiam, qua terantur viæ. Regia, Complu. Gene. ἐπιβούλιον id eſt *malum* conſiliū hominum ſcilicet in malum cōuenientium, & conſpirantium.

Quidam codices habent, *contra viam oliuæ*,
4. N.xxii. quo modo legit Abulenſis. Adiecta eſt vox declarationis cauſa, ex eo quod infra verſ. 30. dicitur Dauid aſcendiſſe cliuum oliuarum. Abeſt autē vox *oliuæ* a libris Hebraicis, Græciſque.

Itaque Septuag. qui hanc interpretationem ſuggerunt, pro vidente habent ἰδών. Et 5. N. xxvi.
rurſum loco illius, *Ecce ego abſcondar* habent ἰδὼν ἐγὼ εἰμὶ στρατεύομαι, *videte ego caſtra pono*, ſiue caſtra metabor ἐν ἀραβὼθ τῆς ἐρήμου, *in araboth deſerti.* Rom. alii habent ῥαβαὼθ, vtrumque ex Hebræo tractum eſt, in quo eſt *Begamroth* בעברות quod Montanus vertit *in tranſitibus.* Pagninus Hieronymi verſionem retinuit, *in campeſtribus.*

Vatablus ait Bahurim idem eſſe cum Almah in lib. Paral. nimirum 1. Paral. 6. v. 60. 6. N. xliv.
Nec probat. Adrichomius in tribu Beniamin eas diſtinguit, nu. 9. & 28. Abulenſis in eum locum ait Almah idem eſſe, cum Almon Ioſue 21. nec tamen numerari inter vrbes Beniamin, Ioſue 18. fine, niſi fortaſſe ſub alio nomine. Ac ne Bahurim quidem ibi reperies. vide Maſium.

Simile habes conſilium in bello mercenario, quod vocatum eſt Lybicum apud Carthaginenſes, & deſcribitur à Polybio lib. 1. 7. N. xxii.
vbi principes defectionis Matho, Spendius, Autoritus, veriti ne ſui allecti humanitate ducis Amilcaris, ad illum, partibus ſuis relictis, transfugerent, & oſtenſam ſibi impunitatem cupide amplecterentur, habito conſilio deliberant, aliquo inſigni ad impietatem facinore, multitudinem aduerſus Carthaginenſes efferare: & ſuis omnem ſpem veniæ præcludere. Rem apud Polybium copioſe reperies. Illud tantum referam. Geſconem ducem bene de ſe meritum elegerant controuerſiarum arbitrum, eumque mox furenter inuaſerant, atque in vincula, cum comitibus eius, coniecerant, pecuniam publicam diripuerant. Nouum ergo crimen aggrediuntur. Geſconē per calumniā in inuidiā totius exercitus rapiūt, ſupplicio cū cruciatibus afficere parant. Cumq. multi miſericordia moti cruciatus deprecaturi ſe obtuliſſent, propter egregia Geſconis erga ipſos merita, lapidibus omnes obruerunt. Tum Geſconem cum ſeptingentis captiuis manibus præciſis miſeros deartuant, mutilatis crura ſuffringunt, & ſpirantes adhuc in foſſas coniiciunt: poſtulata cadauera ad ſepulturam negant. Quin & minantur ſi ad ſe vel legatum, vel caduceatorem deinceps mitterent, eos ſe eodem quo Geſconē ſupplicio mactaturos. Sic iſtæ furiæ omnē ſibi aditū ad miſericordiā, & reconciliationem præcludere voluerunt. Eius nimitum impulſu, qui ægerrime fert, atque indignatione diſrumpitur apud miſericordiſſimū Dominum, cuiuis peccatori pœnitentiam agenti, aditum ad veniam patere: quam ille fremit, ſibi in omnem æternitatem eſſe præcluſam. Eodemq. modo Dauid diuinæ imitator placabilitatis, etiam Abſaloni, poſt omnia ſcelera, ſi eum conſeruaſſet Ioab, vtique pepercisſet.

8. n. lxxii. Quod additur, *non enim poterant videri, aut introire ciuitatem*, non legitur cum diſiunctione in græco, vel in Hebræo, ſed eam ſubintellectam ſuppleuit Sanctus Hieronymus. dixerit aliquis fortaſſe dari rationem cur opus fuerit ancilla nunciante, quia neque videri poterant ex vrbe, vt ſigno aliquo eis ſignificaretur, vt irent ad Dauidem. Neque ipſi poterant ingredi ciuitatem, quia ingreſſis non fuiſſet permiſſus exitus: quod ſuſpecti eſſent Abſaloni, tanquam fautores Dauidis. Verum hoc non ſatisfacit. Nam licet ex vrbe videri potuiſſent, ſignum periculoſe datum eſſet, plurimis obſeruantibus, & cauſam odioſe percontantibus; & quamuis eo ſignificari potuiſſet, vt abirent, non tamen declarari quid nunciandum eſſet. Itaque placet expoſitio Vatabli, *non poterant*, id eſt non audebant ingredi vrbem ne viderentur, quæ eſt etiam noſtri Emanuelis expoſitio, & eam habet verſio Tigurina, vide Abul. q. 11. in c. 17. fi.

9. n. lxxix. In Hebræo habitur, *Tranſierunt vadum aquæ*, ſiue *riuum aquarum* aliquem ſcilicet interiectum inter Bahurim, & Iordanem, etſi Chaldæus eum riuum Iordanem interpretetur, repugnantibus Septuag. Legitur enim in græco, παρῆλθον μικρὸν τοῦ ὕδατος ſuppleuit Hieronymus vocem *guſtata* Cõplute eum ſecuti addiderũt, γευσάμενοι, quam vocem retinuit Arias Montanus in regiis bibliis. vide Abul. q. 14. in c. 17.

10. n. xci. Pater Dauidis dictus eſt Iſai, & Ieſſe & Naas, tertii autem huius nominis rationem Hebræi, à nominis notatione traxerunt. Itaque apud Hieronymum in trad. *Naas*, inquiunt, *interpretatur coluber. Idcirco coluber, quia nullum admiſiſſe mortiferum perhibetur peccatum, niſi id quod originaliter de ſerpente antiquo contraxit.* Cui rationi, ſi quod pondus ineſſet idem probaret de Naas rege Ammonitarum, homine cultui idolorum addicto. Vide Abul. q. 27. in c. 17.

Et hæc eſt certiſſima græci textus ſententia, licet Rufinus habeat, *Ne aliquid in ſe mali committerent*, eſt enim ἐγκλήματι in ſingulari. 11. N. XC.

Nomen Chuſi plerique poſt Hieron. in trad. hebraicis, non proprium, ſed apppellatiuum eſſe volunt, vt nuncius hic appellatus ſit Aethiops, propter nigredinem, aut originẽ quo modo ſerui olim vocebantur Syri, Getæ &c. in his Caiet. Vatab. Sa. quod quidam alii non negant, vt Dionyſ. Paul Burg. communiter tamen interpretes proprium id nomen agnoſcunt; nec vſus Scripturæ fert huiſtiuſmodi nomina ſic accipere. 12. N. CXIII.

In Hebræo eſt, *per viam planiciei*, Septuag. hebræam vocem κίχαρ retinuerunt, innuentes id eſſe proprium viri nomen. At Ioſephus; καὶ τὴν ἐπιτομωτέραν ἐμβαλὼν τῶν ὁδῶν, καὶ ταύτην μόνος αὐτὸς ἐγνωκώς, τὸν Χουσὶ φθάνει. *Is viam compendioſam ſibi ſoli notam ingreſſus, Chuſi anteuertit.* Compendium illud, inquit Abulenſis, erat per aliquam vallem, & loca abrupta; via autem publica, qua tranſiuit Chuſi, erat per planum. Imo e cõtrario in Hebræo habetur Achimaas tranſiſſe per planiciem. Et ferè via facillima breuiſſima eſt. 13. N. CXIV.

Vt patet in Mathatia 1. Machab. 2. 14. In Iobo, & amicis eius, Iob. 1. v. 20. & cap. 2. 12. In Iuditha, c. 9. 1. In Ioſue, c. 7. 6. In Iephte, Iudi. 11. 35. In Ioſue, & Caleb, Num. 14. 6. In Iacob. Geneſ. 37. v. 34. In Ezechia, Iſæ 37. 1. atque adeo in ipſo Dauide, Saulem & Ionathan intime dilectum lugente, 2. Reg. 1. 11. 12. 14. CXX.

ANNVS MVNDI 3010. DILVVII 1354. 5[a]. ÆTATIS. 71. EXITVS AB ÆGYPTO 467. ARCÆ IN SIONE 21. REGNI DAVIDIS 31. ABIATHARIS PONTIF. 36. TROIÆ EXCISÆ 139. EVPALIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 1079.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1043.

I. *Res anni huius, & ratio temporis.*

PRIMVS eſt hic annus quartæ decadis regni Dauidis, qui ei in regnum ſuum reduci vtique lætus illuxit; lætus & populo tenuiori, cum eſſet ſabbaticus, ordine ſexageſimus primus. Nec tamen ſolide lætus: plus enim abſinthii videtur habuiſſe quam mellis. Etſi enim ita lætatus eſt, vt tanquam in die ſolennis lætitiæ, nefas eſſe duceret ſontem meritiſſimo afficere ſupplicio, diceretque, *An ignoro hodie me factum regem ſuper Iſrael?* Cædes tamen Amaſæ noui principis militiæ, per proditionem à Ioabo perpetrata; & tribuum rixa, atq; contentio, quæ in apertam denique defectionem euaſit, hanc lætitiam temperauit. Sed læta prius, vt ratio temporis exigit, videamus. Exiſtimamus autem, iuxta ea quæ ſuperiore anno diſputata ſunt, cum primum ſe annus aperuit regem traieciſſe Iordanem, indeque cum magna populi parte Hieroſolymam veniſſe, cum iam menſibus hybernis per tribus varie hæc reductio agitata fuiſſet, adeo vt ſe mutuo tarditatis arguerent. [a]

a 2 Reg. 19. 10.

II. *Summa reuerſionis à Manahim.*

VT autem reuerſionem hanc totam vnum in conſpectum ſtudioſo lectori demus, hunc in modum tranſactam, ex ipſa Scriptura colligimus. Mortuo Abſalone, fuſoque eius exercitu, tribus omnes quibus ille conflatus erat, ad ſua ſeſe oppida fuga receperunt: Dauid cum ſuis victoribus in vrbe Manahim ſeſe continuit, in curam intentus reconciliandi ſibi populi ſui, & vrbem regiam, domumque ſuam, ac ciuitatem Dauid repetendi. Ergo per amicos cæteras tribus ſollicitat, quæ perſuaſæ, paratæque mandata facere, legatos etiam ad regem mittunt; qui paterna excepti beneuolentia, ad ſuos remiſſi ſunt cum mandatis, vt regi Iordanem tranſituro adeſſent, & Hieroſolymam petentem comitarentur, cum primum eis regis profectio innotuiſſet. Scribit interim Hieroſolymam ad Abiatharem pontificem, & Sadoc ſacerdotem, eorumque opera tribum Iuda, & nominatim Amaſam ſibi conciliat, qui ad regem miſerunt, poſſe ipſum cum ſuis omnibus reuerti Hieroſolymam, minime ſe officio prodeundi obuiam, comitandique defecturos.

III. *Hieroſolymam vſq;.*

ERGO cum tempus perfectionis appeteret, tribus Iuda cupida demonſtrandi ſuam erga Dauidem ſuum beneuolentiam, ipſa eius adeundi celeritate, deſtinatum reuerſioni tempus anteuerterunt, maturiuſque ſeſe in viam dederunt, veneruntque in Galgala, indeque Iordane tranſmiſſo, regem adierunt. Dauid autem, qui æmulabatur gloriam tribus ſuæ, audito eius aduentu, maturius etiam ipſe cæteris tribubus omiſſis, Caſtris egreſſus, Iordanem verſus, & locum traiectioni deſtinatum, iter intendit. Quæ dum fiunt late ſpargitur rumor regiæ profectionis, eamque ſentiunt tam qui cis, quam qui vltra Iordanem habitabant. Iudam enim proficiſcentem vicinæ tribus Simeonis, Beniamin, in qua erat Semei, Dan, & Ephraim facile ſenſerunt. Abeuntem autem regem ex Manaim circumpoſitæ tribus trans Iordanem agnouerunt, celeriterque ad regem profecti ſunt, atque ita factum eſt, vt rege Iordanem tranſeunte, tota illi Iudæ tribus adeſſet, & media tantum pars de populo Iſrael. Cumque iretur Hieroſolymam exortum eſt in itinere, Iſraëlem inter & Iudam, ex æmulatione iurgium; quæ occaſio fuit, vt nondum ſatis coagmentata cicatrix, Seba claſſicum inſonante, facile diuelleretur.

a q. 32 in c. 19. 2. Reg.

IV. *Quid in ea Dauid peccarit.*

Qvibvs in rebus ſi quis quærat an peccarit Dauid, reſpondebit haud improbabiliter Abulenſis. [a] Principium huius contentionis tribuum inter ſe fuiſſe Dauidem. Cum enim Iſraëlitæ priores Dauidem per legatos adiiſſent, eiuſque gratiam promereri, ipſum domum reducere affectarent, ipſe Iudæos ad id munus euocarit, cæteros omiſerit, quos potius vocatos oportuiſſet, ſiue quia digniores erant, ſiue quia priores eam prouinciam ambierant. Peccaſſe quoque, quia licet veniſſent Iudæi, ad reducendum regem, eius tamen erat differre tranſitum, dum Iſraelitæ aduenirent. Itaque querela iſtorum contra Iudam, directius regem petit, quam eius tribum, quod regem accuſare non auderent, ſed ab eo tanquam iudice cuperent Iudæorum importunitatem caſtigari. Peccaſſe denique quia cum tribus Iuda peccaſſet, & Iſraëlitæ iuſtè conquererentur, par fuiſſet regem aut intercedere authoritate ſua, & verborum prælia voce dirimere, aut tribuum principibus in iudicium euocatis, ius cuique ſuum polliceri, ſicque eos ira tumentes placare, & ſeditionem vitare: ſed nihil horum fecit, inquit Toſtatus; ideoque hac in re non eſt omnino immunis à culpa.

V. *Idoneus reuerſionis modus.*

Idonevs certe rei gerendæ ordo futurus videbatur, vt quoniam Dauid à principio tanquam communis totius populi pater, omnium reconciliationem ſtudioſe vtiliterque quæſierat, eam in omnibus fouere, ac perficere conſtanter laboraret, nec vnos ita curare videretur, vt alii quampiam offenſionis cauſam arripere poſſent. Primum igitur diem reuerſionis certum omnibus æque indiceret, & quidem aliquanto laxiorem, propter tam multiplicem, & tam latè diſperſum populum. Deinde certus videbatur aſſignandus locus, ad quem omnibus ad ſtatum diem conueniendum eſſet, aut etiam plures, tam vltra, quam citra Iordanem; ſicut Iudæi in Galgalis conuenerunt. Ordo etiam tanquam in publica ſupplicatione conſtituendus, aut ſicut in exercitu, aut vt olim in eremo in reditu ex Ægypto, qui in tranſitu Iordanis, in progreſſu viæ, in ingreſſu Hieroſolymorum ſeruaretur. Veniret poſtremo rex ad paratum, ac belle ordinatum exercitum; ſicque vitata eſſet omnis querela, nec aditus ſeditioni, aut nouo ciuili bello patefactus foret. Sed hæc vniuerſe de re tota, iam ſingula cum Scriptura perſequamur.

VI. *Tribus Iuda venit ad Galgala, & Iordanem.*

Cvm ergo viſum eſſet regi idoneum adueniſſe tempus profectionis, traiiciendique Iordanis, de decreto ſuo monet tribum Iuda, vt ea ad cohoneſtandum reditum ſui regis, quam pulcherrimo apparatu veniret obuiam; vt hic quaſi triumphus Dauidis, & regni noua inſtauratio, non tam multitudine populi pene infinita, quam ſelecta copia ſpectabilis, ac magnificus videretur: ratus nihilominus ſat magnam reliquarum tribuum partem re cognita celeriter affuturam, ſicuti factum eſt. *Reuerſus eſt* ergo *Rex, & venit vſque ad Iordanem*, cum ſolis ſeruis ſuis, qui pro ipſo pugnauerant. Idque illa verba ſignificant, *& omnis Iuda venit vſque in Galgalam, vt occurreret regi*, qui ſcilicet Iordani appropinquabat, *& traduceret eum Iordanem.* Diſtabat Galgala Iordane ſtadiis quinquaginta, vt Ioſepho placet, [b] Adrichomio [c] iter eſſe vult vnius horæ cum dimidio. Eo variis ex locis tribus ſuæ conuenerunt Iudæi, vt inde decenter, atque ordine regem adirent: quem & tranſmiſſo Iordano non longe ab eo offenderunt.

Abul. in tex. b l. 5. de bel. c. 1. c in tab. trib. Benia. n. 71.

VII. *Semei cum ea.*

Qvoniam autem tribus Iuda in Galgala, & Iordanem venire non potuit, quin per mediam tribum Beniamin inter faceret, facile fuit Semei, qui in ea morabatur, tota de re quamprimum fieri certiorem; præſertim cum rebus in contrarium verſis veniam de ſcelere ſuo, ſingularibus aduerſus regem obſequiis ſatageret obtinere. Re itaque cognita *feſtinauit*, ait Scriptura, [d] *Semei filius Gera, fily Iemini de Bahurim, & deſcendit cum viris Iuda in occurſum regis Dauid cum mille viris de Beniamin.* Non deſperauit Semei de venia à Dauide obtinenda, ſiue fretus eius clementia & lenitate, quam nuper ipſemet expertus erat ſingularē: ſiue ſperās in multitudine reorum (ignoſcebat enim toti populo, qui aduerſus ipſum arma ſumpſerat) culpam quoque ſuam obliteratum iri. Quoniam tamen cæteris grauius peccarat Semei, ideo ad regem ſibi demerendum, præ cæteris erga eum officioſus eſſe voluit, cum & primus omnium Iſraëlitarum ad ipſum venit, & cum egregio mille virorum de tribu ſua comitatu.

d 2. Reg. 19. 16.

Non explicatur an iſti eſſent tantum de familiaribus Semei, amicis, aut ſubditis; erat enim vir potens de cognatione domus Saul: An potius in ea multitudine, plerique alii erant, nihil ad eum pertinentes, ſequentes tamen quaſi honoratum virum, & primarium. Et forte tribunus fuit in tribu Beniamin, præpoſitus mille viris, quos & adduxit ſecum. In eo numero videtur fuiſſe Siba cum ſuis quindecim filiis, & viginti ſeruis; affuit certe in cœtu Scriptura teſte; affuit fortaſſis & Miphiboſeth, omnes enim ad eundem tribum pertinebant: & is paulo poſt aderit nobis cum Dauide colloquens. Et apparet veniſſe partim regis honorandi cauſa, à quo tot annos quotidiano menſæ ſuæ honore affectus fuerat, partim purgandi ſe apud eundem, ſuper calumniam, quam nuper Siba contra eum fabricatus fuerat. Siba vero gratum ſe, ac memorem regiæ erga ſe beneficentiæ exhibere cupiebat: & Miphiboſethi accuſationem contra ſe coram, quantum poſſet repellere, & gratiam nuper muneribus acquiſitum tueri; vt verecundaretur Dauid faciem illius confundere à quo promptè, & beneuolè eius neceſſitatibus occurſum eſſet.

(Sup. c. 9. 10.) (IIX. *Et mille viris, & Siba cum ſuis*)

Qvid autem nunc officij omnes iſti Dauidi præſtiterunt? *Irrumpentes Iordanem ante regem tranſierunt vada, vt traducerent domum regis, & facerent iuxta iuſſionem eius.* Nimirum plurimi eorum in equis inſidentes animoſe ingreſſi ſunt in aquas, vada commodiſſima explorantes, ne quod periculum tranſeunti regi, aut eius familiæ crearetur, & ipſi præſto eſſent, ad exequenda quæcumque rex imperaſſet. Intelligit autē Toſtat. viros Iuda, cum eſſent multi & fortes, in flumine ipſo ordine ſubſtitiſſe, ita vt impetus aquæ in eis frangeretur; & infra eos eſſet facilis tranſitus familiæ regiæ. At nunc in hebræo legitur, *& proſpere traiecerunt Iordanem ante regem*, vt ſcilicet irent ad eum ſalutandi cauſa, cum ille in vlteriore ripa ſubſtitiſſet, ſimulque explorarent vada per quæ rex, aut ſerui eius tutum tranſitum inuenturi eſſent, nihilque periculi, aut damni in explorando ſubierunt: Additur, *& tranſiuit ſcapha ad traducendam domum regis.* Neque enim imbellis, atque infirma familia aquis committi debuit, ac ne rex quidem ipſe, & par fuit ac facile paratas curare naues in huuc diem. Sed Ioſephus [a] naues conuertit in pontem; Ait enim Beniamitas, cum Iudæis ponte ripas fluminis iunxiſſe, vt rex cum ſuis abſque negotio tranſire poſſet. Forte pontem è nauibus conpinxerunt.

(IX. *Per vada Iordanis ad regem tranſeunt.*) (*qui mox cū familia naue, vel ponte trāſmittit flumen*) (a l. 7. c. 10.)

Semei *autem filius Gera, proſtratus coram rege, cum iam tranſiſſet Iordanem, dixit ad eum.* Dubium eſt ad quem referatur illud, *cum tranſiſſet Iordanem*, ad Dauidem ne, an ad Semei. Et Hebræi quidem, quos ſequitur Abul. ad Dauidem referunt. Aiūt enim Semei proſtraſſe ſe coram rege, cum tranſiret Iordanem, idque Septuag. confirmant. Quæ cauſa fuit Ioſepho ſcribendi, Semei in pontem progreſſum accidiſſe ad regis pedes. Verum rei conuenientius eſt, & toti ſequenti narrationi accommodatius, vt referamus ea verba ad Semei cum tranſiſſet cum ſuis per vada Iordanis, rege adhuc in vlteriore ripa conſtituto, ſe ad eius pedes abieciſſe. Inepta enim eſſet, & tarda hæc petitio veniæ, ſi ad primum regis conſpectum, non proſtrauiſſet ſe coram eo: ſed re tota, coram tot conſciis diſſimulata, expectaſſet dum rex cum ſuis tranſiſſet flumen. Adde quod ſequens narratio ſignificat Semei, & Berzellai egiſſe cum Dauide ante tranſitum. Poſt illa enim omnia ſubditur, *mecum tranſeat Chamaam*, [b] ſtatimque additur regem tranſiſſe cum ſuis. Nec hebræus textus huic expoſitioni repugnat; legitur enim ad verbum, *in tranſeundo ipſum in Iarden*, id eſt ſub ipſum tempus, quo Iordanem tranſiturus erat rex: quo etiam Septuaginta non inuitos trahas.

(X. *Semei corā rege proſtratus, & tibi.*) (*qui mox cū familia tranſmittit*) (b verſ. 38)

Itaqve cum Semei tranſiſſet Iordanem, & proximum eſſet vt rex nauim conſcenderet, Semei & geſtu, & vultu, & voce humilis, *Ne reputes*, inquit, *mihi Domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriam ſerui tui.* Non vult regem non meminiſſe, qui ſi earum eſſet oblitus, eas illi reuocabat in mentem; vtique non dubitabat memorem, ſed orabat ne memor eſſet, ad exigendam pœnam. Quando autem illatæ ſunt iſtæ iniuriæ? *in die qua egreſſus es, domine mi rex, de Hieruſalem; neque ponas rex in corde tuo*, ſed contemne quaſi rem nihili. Magni enim animi, ac cordis eſt, aduerſa omnia, ipſaſque iniurias flocci facere, atque infra ſe ducere. *Agnoſco enim ſeruus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Ioſeph, deſcenditque in occurſum domini mei regis.* Non erat Semei de tribu Ephraim, vel Manaſſe, qui erant

(XI. *Veniam petit.*)

filii Ioſeph. ſed nomine Ioſeph intelliguntur omnes tribus præter Iudam, quia in Iudam & Ioſeph [a] diuiſa ſunt iura primogenituræ, quibus priuatus eſt Ruben. Sæpius autem nomine Ephraim, & ſæpiſſime nomine Iſraëlis eædem tribus intelliguntur.

[a] 1. Par. 5. 1. vide Abul. q. 21 in c. 19

XII. *Non imprudenter.*

Nihil afferre potuit homo improbus, ad excuſationem, aut diminutionem ſceleris ſui, niſi agnitionem culpæ ſuæ, atque humiles preces: nec ſane imprudenter. Lumine ſiquidem naturæ intelligebat, nihil eſſe animi demiſſione, & confeſſione culpæ, ad veniam impetrandam potentius. Idque intelligebat ipſemet Dauid, atque vſurpabat, dum veniam à Domino petens diceret. *Quoniam iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Intelligebat & ſanctus Iob. [b] *Si abſcondi,* inquit, *quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam.* Vbi lege Gregorium egregie philoſophantem. Semei autem adiecit etiam, ad nonnullam ſatisfactionem, promptiſſimum obſequium deducendi, & honorandi regis. *Rogabat,* inquit Ioſephus, *veniam commiſſorum, vtque infenſus ſibi eſſe deſineret, neue recepta poteſtate in ſe primum animaduerteret; reputaret id quoque, quod pœnitentia ductus primus ipſe reuertenti occurriſſet.* De tribubus ſcilicet Ioſephi, vel Iſraëlis.

[b] c. 31. 33.

XIII. *Repellitur ab Abiſai.*

Videbatvr inflecti ad lenitatem Dauid, cum Abiſai promptæ vir iracundiæ, & non recte zelans pro honore regis ſui: [c] *Nunquid pro his verbis,* inquit, *non occidetur Semei, quia maledixit chriſto Domini?* quaſi dicat, non obſtante humilitate hac, & petitione veniæ occidendus eſt. Hic eſt ille idem Abiſai, frater Ioabi, & Dauidis ex Saruia ſorore nepos: qui dudum dixerat. [d] *Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam & amputabo caput eius.* Sed quemadmodum tunc, ita & modo à manſuetiſſimo Dauide, cum eadem obiurgatione repulſus eſt. *Quid mihi, & vobis filij Saruiæ?* Quid veſtra intereſt, ſi ego miſericors eſſe voluero? Quid zelamini pro me, & *efficimini mihi hodie in Sathan,* id eſt aduerſariũ. Erat enim reipſa huiuſmodi conſilium inimici; mors quippe Semei omnes tribus à Dauide alienas reddidiſſet, dum de venia deſperarent, parque ſupplicium ſibi formidarent. *Ergone hodie interficietur vir in Iſrael? An ignoro me factum regem ſuper Iſrael,* qui nuper à populo, & Abſalone fueram exautoratus? Significat in die lætitiæ non eſſe ſumendum de quoquam ſupplicium, cum ea dies veniæ ſit non vindictæ, beneficentiæ non animaduerſionis. Ideoque *ait rex ad Semei: Non morieris. Iurauitque ei.* Eaque fuit olim mens Saulis. [e]

improbante Dauide.

[c] Abul. q. 24 in c. 19. 2. Reg.

[d] 2. Reg. 16. 9

[e] 1. Reg. 11. 13.

XIV. *Qui & veniam ſindulget.* *etiam cum iuramento.*

Hanc veniam ad præſens tempus, meruit officioſus ille occurſus quem diximus, cuius rei teſtis eſt ipſemet Dauid [f] in eo ſermone quem moriturus habuit ad filium Salomonem. *Quia deſcendit,* inquit, *mihi in occurſum cum tranſirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum dicens, non te interficiam gladio:* Vbi vides hoc iuſiurandum plenius explicatum. Meruit & veniam humilitas implorandæ veniæ, ſic vt Dauid omnem aduerſus Semei animi auerſionem abſtergeret, non tamen vt pœnam crimini debitam, & animaduerſionem remitteret: illic enim partem agebat, hic iudicem, cuius eſt pœna ſontes afficere, pœnis eripere innocentes. Quod non ſatis animaduertit Ioſephus, qui hanc Dauidi tribuit orationem. *Quamobrem iuro, inquit, me omnibus omnem pœnam remittere, qui quocunque modo in maieſtatem meam peccauerunt, neque in quemquam ea de cauſa animaduerſurum eſſe; tu quoque Semei bono animo eſto, nihil de ſupplicio ſollicitus.* Sic ipſe. Quem poſſumus interpretari de pœna ſeditione debita, quæ erat Semei communis cum toto populo, eamque Dauidem penitus remittere. At ſupplicium debitum maledictis, quæ erat culpa ipſius Semei propria, non remittere. I Quæ videtur etiam mens Lyrani.

[f] 3. Reg. 2. v. 8.

ὡς [illegible]

Lyr.

XV. *An illud violauerit.*

Verum aliud videtur ſenſiſſe Dauid, aliud quoque Semei poſtulaſſe, neque enim veniam petiit, eo quod particeps fuiſſet coniurationis, ſed quod Dauidem maledictis affeciſſet, idque vocat peccatum ſuum; & clarius, *ne memineris,* inquit, *iniuriarum ſerui tui.* Itaque & Dauid, ſi veniam dedit, eam vtique dedit quam rogabatur, quam ſi dedit, pœnamque remiſit, & indulgentiam iureiurando firmauit, vtique peieraſſe videbitur, cum eum à Salomone iuſſit interfici. [g] Quidam iuſiurandum violaſſe negant, quia permiſerit tantum fore, vt ea die non occideretur Semei; propterea que ſemel atque iterum

[g] 3. Reg. 2. 9

repeti vocem *hodie*. Itaque poſtridie à iuramento Dauidem ab eo liberum fuiſſe; ſed hoc fuiſſet hominem fallere, etiam adhibito teſte Deo. Eademque eſt ratio illarum interpretationum, non occiſum iri à ſe, aut iuſſu ſuo; ſed rem alteri iudici commiſſum iri. Aut fore vt plane non occideretur, propter hanc vnam culpam; ideoque mortis ſupplicium ita fuiſſe temperatum, vt reo ciuitas pro carcere aſſignaretur; & quidem pœna mortis propoſita; itaque non propter iniurias Dauidi irrogatas, ſed propter violatam ſibi impoſitam legem morte affectus fuerit. An dicendum eſt Dauidem obligatum non fuiſſe, ad mentem Semei veniam promittere, vel iurare? Ita ſentit Abul. [a] qua de re anno Salomonis ſecundo diligentius dicendum erit. [b]

hominem non feſellerit.

a q. 26. in c. 19. 2. Reg.
b num. 46.

XVI. *Occurſus Miphiboſethi.*

Narratvr deinceps occurſus Miphiboſethi, & res cum eo à Dauide geſta; ſed dubium eſt an ſuo loco, & ordine temporis. Caiet. anteuerti narrationis tempus exiſtimat; & contigiſſe occurſum Miphiboſethi, quando ciuitas Hieroſolymorum venit obuiam regi. Paulo enim poſt ita legitur. [c] *Cumque Ieruſalem occurriſſet regi, dixit ei*, puta Miphiboſetho *rex*, *Quare non veniſti*, &c. At non videtur effuſa ciuitas in occurſum regis, niſi eo propinquo; licet plurima ciuium multitudo ei ad Iordanem occurriſſet. Ita autem legitur in hebræo, & in emendatis latinis. Et confirmatur, quia infra verſ. 30. in hac ipſa narratione ait idem Miphiboſeth dominum ſuum regem pacifice reuertiſſe in domum ſuam, quod, ante aditam ipſam vrbem, minus commodè dici poteſt. Tranſlatam autem dicet videri in alienum locum hiſtoriam, & occaſione Sibæ, qui venit cum Semei, actum eſſe de Miphiboſetho; itaque hanc narrationem pertinere ad vigeſimum caput libri huius, vbi de rebus in Ieruſalem geſtis agitur.

c. verſ. 25.

XVII. *Et ratio temporis.*

Qvam opinionem ſi recipimus, vno vel altero die tardius contigerit hiſtoria Miphiboſethi, quam Semei, vel Berzellai; quæ mox narrabitur; at non eſt ea res tanti, vt propterea ſeruatum à Scriptura narrandi ordinem mutare debeamus; quem nullus alius interpres mutatum agnoſcit. Nam ille occurſus ciuitatis Ieruſalem, non eſt admodum exploratus, ſiue quia vox Ieruſalem à plerique exemplaribus Latinis abeſt, neque à Lyrano, aut Abulenſi agnoſcitur: ſiue quia apud Septuag. ea vox eſt quarti caſus, habetque præpoſitionem adiectam. *Et factum eſt cum ingreſſus eſt in Ieruſalem in occurſum regis*, quo modo etiam habet Chaldæus paraphraſtes, vt ſit ſenſus, Miphiboſeth veniſſe Hieroſolymam, eo ipſo tempore, quo in eam ingreſſus eſt Dauid, eique occurriſſe. Aut potius non prius Dauidem compellaſſe Miphiboſethum, licet apud Iordanem forte animaduerſum, quam ingrederetur ciuitatem. Nam ad Iordanem veniſſe illud oſtendit, quod dicitur deſcendiſſe in occurſum regis, diceretur autem aſcendiſſe, ſi is occurſus factus eſſet Hieroſolymis. Denique, reuerſio regis in domum nihil aliud eſt quam recuperatio regni, in quod communi tribuum conſenſu reſtitutus erat.

XVIII. *Luctus eiuſdem.*

ἐπὶ ἀνυχίσασ.
Sixti.
Adil.
Baſil.

Descendit *igitur Miphiboſeth filius Saul*, id eſt nepos ex Ionatha *in occurſum regis illotis pedibus, & intonſa barba*, addunt etiam Septuaginta, neque reſectis vnguibus, *veſteſque ſuas non lauerat, à die qua egreſſus fuerat rex, vſque ad diem reuerſionis eius in pace*. Totum videlicet exilij Dauidici tempus in luctu poſuit, quem in corporis, & veſtium neglectu præ ſe tulit. Intelligebat enim quantam in rege humaniſſimo, ſuique amantiſſimo, regno ſuo pulſo, iacturam feciſſet. Et tamen infelix hominem ſceleratum, & quidem ſeruum ſuum inuenit, qui atroci calumnia eum apud regem ambitionis accuſaret; neque regia tantum beneuolentia, ſed omnibus etiam fortunis indigniſſime priuaret. De eodem luctu Ioſephus. *Poſt hæc*, inquit, *Miphiboſethus Saulis nepos ei venit obuiam ſordidatus, & promiſſo ac neglecto capillitio. Ex quo enim rex profugerat, neque comam totondit, neque veſtem purgauit, calamitatem eius, non ſecus quam propriam ferens*. Merito: regis enim calamitas erat pernicies Miphiboſethi. Vides autem Ioſephum laxius interpretatum hunc luctum; nam neque pedum cum Hebræis meminit, neque vnguium cum græcis.

XIX. *Quomodo intelligendus.*

Hebræi apud Hieron. in tradit. in hunc locum aiunt legi in Hebræo non illotis pedibus, ſed infectis; *fecerat namque*, inquiunt, *ſibi Miphiboſeth ligneos pedes, quibus vti quaſi naturalibus ſolebat, ſicut ſolent facere claudi, quemadmodum & ille erat*. Hæc ibi, ex rabbinis perquam ineptis, qui non viderunt iſtos ligneos pedes nihil ad luctum facere, imo neque commodam vllam ſententiam reddere; ne-

que meminerunt claudos, quamuis vtantur ligneis ſub alas fulcimentis, naturalibus tamen pedibus, quamuis luxatis, inæqualibus, aut diſtortis non carere, qui ornari & negligi poſſint; neque animaduerterunt eodem modo in hebræo dici non feciſſe pedes ſuos, quo mox dicitur non feciſſe barbam, quo modo vulgo dicimus *faire ſes cheueux*, *& faire ſa barbe*. Chaldæus habet, *non abluerat pedes*. Septuag. *curauerat*, aut *coluerat*. Rectiſſimè igitur vulgatus interpres, ſuum cuique rei verbum, pro conuenientia, & vſu linguæ aptauit, volens intelligi cultum proprium & ſuum, neque pedibus, neque capiti, neque manibus adhibitum fuiſſe; quod fieri ſolet abluendis pedibus, reſecandis vnguibus, tondendo capillo, mundanda facie, purgando veſtimento, cæteraque mundicie non negligenda. 1 Sic edunt.

XX. *Occurſus Ieruſalē, & pompa eius.* QVOD autem, iuxta aliquorum interpretationem, obiter interitur de Hieroſolymitana vrbe in occurſum Dauidis prodeunte, etſi à Ioſepho, aliiſque omiſſum eſt, rationi tamen maxime conſentaneum eſt, primum vt regia ciuitas proprio nomine & ſuo legatos miſerit cum tribu ſua, qui à rege publico nomine veniam peterent, vrbis claues cum muneribus offerrent. Deinde etiam vt pontifex, & ſacerdotes, & reliqua turba leuitarum: laici quoque magiſtratus cum pompa & gratulabundo populo regi occurrerent, cum hymnis & canticis, cum palmarum & oliuarum ramis, dicentes, *Benedictus qui venit in nomine* Domini. Sed & vrbem ipſam feſta velatam fronde, & portas, & regiam magnifice ornatam in hoc Dauidis triumpho, & regis recuperatione dubitandum non eſt, vt præcedens iniuria, præſenti celebritate, atque honore obliteraretur. Quin & pontificem arcam etiam obuiam detuliſſe arbitror, vt qui eam nuper quaſi exulatum abduxerat cum Dauide, eandem nunc cum eodem triumphantem deferret: & rex, Deo, hominibuſque gratulantibus, regia vrbe exciperetur. Et impleretur illud quod dixerat Dauid abeundo. *Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & oſtendet mihi eam, & tabernaculum ſuum.* Minore etiam ex cauſa circumlatam legimus, donec ſtabilis ei manſio Hieroſolymis in templo conſtitueretur.

XXI. *Dauid cum Miphiboſetho agit.* VERVM vt ad Miphiboſethum redeamus, cum regi factus eſſet obuius: *Quare*, ait, *non veniſti mecum Miphiboſeth?* Non egebat Dauid eius opera, qui futurus erat illi oneri, non minus quam Chuſi, homo nimirum debilis, ac delumbatus oportebat tamen ipſum ad hoc officium ſe paratum offerre. Sed Dauid in eius reſponſione quærebat occaſionem ipſum obiurgandi, quod fuiſſet iam occupatus calumnia, neque adhuc eſſet eo errore liberatus. *Et reſpondens ait*, *Domine mi rex ſeruus meus contempſit me*, 2 per contemptum ſcilicet neglexit mandatum meum. 2.19.

Qui cauſam ſuam agit. *Dixique ei, ego famulus tuus, vt ſterneret mihi aſinum, & aſcendens abirem cum rege.* Neque potui hoc opus per me ipſe exequi, *claudus enim ſum ſeruus tuus.* Et ſi id minus appareat in aſino, equóue inſidenti. Nec eo facinore contentus adiecit etiam horribilem calumniam, herum ſuum accuſans apud te maieſtatis: quaſi in ſpem regni te abdicato eſſem erectus.

XXII. *Et regem excuſat.* NON dubitauit Miphiboſeth, quin rex pro ſua ſapientia, ſi vel minimum attenderet, Sibæ improbitatem facile deprehenſurus eſſet, vnde aiebat. *Tu autem domine mi rex, ſicut angelus Dei es, fac quod placitum eſt tibi.* Et reuera calumnia facile agnoſci, & contemni potuiſſet, conſiderata conditione perſonæ Miphiboſethi, niſi in materiam longe ſuſpicioſiſſimam, & credulitatati facile obnoxiam incidiſſet. Nunc autem aperte digito tangebatur, cum videret Miphiboſethum perpetuo luctu regis exilium proſecutum eſſe, & iuſtam abſentiæ cauſam reddere. Credulitatem autem illam innuunt quæ ſequuntur. *Neque enim fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia domino meo regi.* Quaſi dicat, ſi placet me reum credere, & non ſolum poſſeſſionibus, ſed etiam vita priuare, id facile potes; præſertim cum tota Saulis familia, ob iniurias ab eo in te illatas, morte affici à te potuerit, *Tu autem poſuiſti me ſeruum tuum inter conuiuas menſæ tuæ*: quod beneficium cum mihi mortem formidanti, præter omne meritum, & præter expectationem contigerit, *quid habeo iuſtæ querelæ? aut quid poſſum vltra vociferari ad regem?*

XXIII. *Magis humiliter quā vere.* VIDES Miphiboſethum excuſantem Dauidem, quem de ſuperioris iudicij iniuſtitia erubeſcentem videbat, nec velle pudore impeditum priorem ſententiam pe

tiam penitus antiquare; neque Sibam vehementius contriſtare, quem in ſua neceſſitate benefactorem ſenſiſſet: & promptũ in præſenti occurſu, ad bene merendum de ipſo. Verum excuſatio colorẽ quendam habet, veritatem ſolidã non habet. Quamuis enim daretur totam Saulis familiam morti obnoxiam, peculiari tamen fœdere, ac iureiurando tenebatur Dauid facere miſericordiam filiis Ionathæ, nec ſine nouo quopiam crimine eos morte afficere poterat. Ac ne bona quidem Miphiboſetho auferre fas erat, quamuis alioqui omnia fiſco fuiſſent pridem obnoxia, quia nouo donationis iure ea à Dauide acquiſiuerat, qui illi omnia patris ſui bona reſtituerat, vt ex ſuperioribus certum eſt. [a] Non potuit autem illis ſine nouo peccato ſpoliari, & nominatim propter ingratitudinem, quæ in Miphiboſetho non apparebat, imo è contrario luctus oſtendebat, quo in numero haberet Dauidem, vt fuſius diſputat Abul. [b]

a 2. reg. 9. 7
b q 18. & 19 in c. 19. 2. reg.

XXIV. *Quid hic peccarit Dauid.*

Debvit profecto Dauid in male promiſſis fidem reſcindere, nec erubeſcere in turpi iudicio mutare decretum; & non peccatum vetus nouo cumulare; neque fas fuit adulatoriis muneribus deuictum, agnitam iniuſtitiam non emendare, & criminoſum hominem non diligentius excutere, ac punire. Ait autem rex Miphiboſetho, *Quid vltra loqueris?* vel quid pluribus verbis opus eſt? quæ oratio ſignificat longiorem interceſſiſſe ſermocinationem, regem inter & Ionathæ filium. Siba etiam fortaſſis interfuit, probabilitatem afferens calumniæ ſuæ, falſos teſtes, fictas circunſtantias, ne, qua facilitate aliena bona fuerat adeptus, eadem non ſolum illa perderet, ſed amitteret etiam ſua; & inſuper morte iuſtiſſima lueret calumniam in hominem innocentem; imo dominum ſuum, eumque afflictum, & conditione miſerabilem Quod ſi à Dauide præſtitum fuiſſet, multorum hoc loco reprehenſionem vitaſſet.

XXV. *Eius ſententia.*

Dixit autem quaſi hanc totam litem, ac controuerſiã definiens, *fixum eſt quod locutus ſum: Tu & Siba diuidite poſſeſſiones.* Nondum id dixerat; num hanc ſententiam bis pronunciaſſe dicendus eſt? an vult latam dudum pro Siba ſententiam ratam eſſe, ſed modificatam diuiſione, quæ nunc adiicitur? an potius vox illa *dixi*, quam habet textus hebræus, vim habet præſentis, vt dicat rex, ſic ſtatuo, ſtat hæc ſententia immutabilis, vt quiſque veſtrum altera parte agrorum contentus ſit, vt neque vnus omnia amittat, neque alter omnia acquirat. *Reſponditque Miphiboſeth regi. Etiam cuncta accipiat, poſtquam reuerſus eſt Dominus meus rex pacifice in domum ſuam.* Quaſi dicat, Tu mihi es, ô rex, inſtar bonorum omnium: te enim incolumi & florente, domoque tua, & bonis fruente, regno denique iſto tuo potiente, nihil mihi deeſſe poteſt. Qua oratione non ſolum præſentem ei videtur iniuriam remittere, ſed etiam renunciare futuræ ſatisfactioni, ac reſtitutioni, ad quam tenebatur Dauid. Iudex enim iniquus facit litem ſuam [c], & obligatur parti læſæ ſatisfacere; niſi qui accepit iniuriam ei ſponte condonarit.

Æquitas animi Miphiboſethi.

c de ſent. & re iud. ca. cũ æterni in 6

XXVI. *Qua Dauidis in hac cauſa culpa ex Pineda, Ioſepho, Caietan. Dionyſ. Abulenſ.*

Reprehensiones autem quas dixi hæ ſunt. Pineda libro primo de Salomone [d] ait iudicij temeritatem, & pauperum oppreſſionem ex hoc facto Dauidi crimini dari; quod ſcilicet videatur libenter ſuſcepiſſe ſuſurrationes, delationes, & verba mendacii, & innocentum ſpoliis, quod tyrannicum ingenium eſt, adulatores ſuos locupletaſſe. Ioſephus ait non libuiſſe Dauidi punire Memphiboſthum, neque an Siba calumniator fuiſſet cognoſcere: at oportebat cognoſcere, & cognoſcebat reuera, & illum innocentem media ſuorum bonorum parte mulctabat; quod erat non leuiter punire. Audi Caietanum hoc loco. [e] Prius Dauid fuerat præceps, dando totum Sibæ inaudita parte, modo audita parte, ſed indiſcuſſa veritate, manifeſte iniuſtus inuenitur, & ingratiſſimus Ionathæ patri Miphiboſeth; & paulo ante ait iniquè accuſatum à ſeruo ſuo, & iniquè à Dauide damnatum. Dionyſ. [f] ait Dauidem in hac re multipliciter, grauiterque peccaſſe, & eſſe inexcuſabilem. Nimirum, vt explicat Toſtat. [g] Miphiboſethum, nihil mali commeritum, indicta cauſa primum omnibus fortunis euertit. Deinde audita parte, cognitaque veritate, non reſtituit ei bona ſua, ſed partem eorum duntaxat. Tertio improbiſſimum heri ſui calumniatorem non puniuit, ſed paſſus eſt calumniam illi eſſe inſtar mercaturæ quæſtuoſam, ad improborum audaciam nutriendum, cui dirum debebatur cum morte ſupplicium.

d c. 5. n. 23.
e in c. 19. & 16.
f in ca. 16.
g qu. 29. in c. 19.

1.
2.
3.

Quarto ſententiam tulit, non ex patrum ſtatutis, ac legibus, aut recta ratione, ſed ex mera voluntate ſua, quamuis ei de veritate conſtaret. Eo quippe illud pertinet. *quid vltra loqueris? fixum eſt quod locutus ſum.* Fruſtra probas iuſtitiam cauſæ tuæ, ſtat enim non mutare ſententiam.

XXVII. *Ex Hebræis, qui & refelluntur.*

Hebræi apud Hieron. in tradit. [a] vocant hoc crudele Dauidis Iudicium. *Pro eo quod*, inquiunt, *in hoc loco Dauid immemor fuit amicitiæ, & fœderis, imo iuramenti quod habuit cum Ionatha, & tam crudele dedit Iudicium dicens: Tu & Siba diuidite agrum, idcirco Roboam & Ieroboam diuiſerunt eius regnum.* [b] Addunt etiam, cum Dauid eam ſententiam protulit, auditum fuiſſe de cœlo, *Roboam & Ieroboam regnum diuident.* Sed hanc eſſe Rabinorum fabulam ex ipſa Scriptura conſtat, quæ diuiſionem regni Salomonis, eius peccatis attribuit, non Dauidis. [c] Imo ibidem Dauidis meritis attribuitur, quod totum regnum poſteris Salomonis, non fuerit ſublatum. Sed errant quoque quod iuramenti violatorem fuiſſe aiunt. Nam, vt rectè docet Toſtatus, iurauerat ſe miſericordem fore erga Ionathæ poſteros, quod cumulatè præſtitit in cauſa Gabaonitarum, [d] cum eos morti eripuit; & Miphiboſethum hominem contemptum, perpetuum adhibuit menſæ ſuæ conuiuam. Nam quod ei bona ſuſtulit, id non contra miſericordiam quam iurauerat, [e] ſed contra iuſtitiam, quam debebat ſubditis ſuis, fuit.

An periurus Dauid.

a In c. 19. 2 Reg.

b Gloſ. ord & Abul. q. 31. & Pined l. c.

c 3. Reg. 11 11. 12 & ca. 15. 4. 5. 10. cit.

d 2. Reg 21

e 1. Reg 20. 14 15.

XXVIII. *Calumnia rabinorum in Miphiboſeth.*

Antequam autem à Miphiboſetho diſcedamus, non videtur inſignis rabinorum in ipſum calumnia diſſimulanda, quæ habetur apud D. Hieronym. [f] *In Paralipomenon libro*, inquiunt, *idem Miphiboſeth Meribaal legitur, & interpretur litigans cum altiſſimo. Litigaſſe enim cum altiſſimo, id eſt cum Deo dicitur, eo quod Dauid reduxiſſet cum pace. Et quod ait idem Miphiboſeth regi, etiam cuncta accipiat, poſtquam reuerſus eſt dominus meus rex in domum ſuam pacifice: non hoc dixiſſe ſuſpicantur gratulanti animo, ſed inſultanti, & quaſi contra Deum murmuranti, eo quod Dauidem Dominus in pace reduxiſſet.* Hæc ibi, quæ retulit etiam Angelomus, nec improbauit. Ex quibus apparet maxima iſtorum rabinorum calumniandi temeritas, atque impudentia, vtpote quæ frigidiſſima nominis notatione nitatur, & in qua oporteat vocem Baal, quæ paſſim idolum ſignificat, pro vero Deo contra vſum Scripturæ accipi. Cui etiam vim afferunt; cum illa ne leuiſſimam quidem, male de Miphiboſetho ſuſpicandi, ſuggerat coniecturam; ſed lenitatis potius, manſuetudinis, & demiſſionis animi præbeat argumenta, quæ ſunt virtutes à crimine obtrectandi Deo longe alieniſſimæ.

f In tradit. c. 19 2. Reg.

Quam inſulſa.

XXIX. *Atque improba.*

Contradicvnt etiam omnibus interpretibus, qui eius contra Dauidem tuentur innocentiam; cui ne Ioſephus quidem repugnat, & aperte fauent calumniatori Sibæ. Nimirum muli inuicem ſcabunt, & iſti toti ex calumnijs, in Chriſtum Dominum, & omne Chriſtianorum genus conflati ſunt. Quis denique non videat datos eſſe iſtos in reprobum ſenſum, qui Scripturæ verba in tam reprobandum ſenſum detorſerunt, vt hominem innocentem, non ſolum ingratum contra regem ſuum, verum etiam blaſphemum contra Deum, & obtrectatorem efficiant. Sed & vehementer fatuum eſſe oportuiſſet, ſi quo modo aſpiraſſent ad regnum; qui non intelligeret Adoniam, qui iam vehementer florebat, vel alios regis filios, ſibi turpiter vtroque pede claudicanti, & ab amicis, & à fortunis, & à conſanguineis valde imperato, antelatum iri. Vt nihil de promiſſione diuina dicamus, qua regnum tam Dauidi, quam poſteris eius promiſſum fuerat in omnes annos conſequentes. [g]

g 2. Reg. 7. 16.

XXX. *Berzellai à Dauide dimittitur.*

Vt autem redeamus ad comites Dauidis Iordanem tranſeuntis. *Berzellai quoque Galaatides, deſcendens de Rogelim traduxit regem Iordanem, paratus etiam vltra fluuium proſequi eum. Erat autem Berzellai Galaadites ſenex valde, id eſt octogenarius, & ipſe præbuit alimenta regi cum moraretur in Caſtris*, [h] in vrbe ſcilicet Manahim, *fuit quippe vir diues nimis. Dixit itaque rex ad Berzellai, veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum in Ieruſalem.* In hebræo eſt *alam te apudme in Ieruſalem*, in græco, *& nutriam ſenectutem tuam* διαθρέψω τὸ γῆράς σου μετ᾽ ἐμοῦ. Nimirum cupiebat gratam illi vicem rependere, pro acceptis ab eo alimentis. *& ait Berzellai ad regem. Quot ſunt dies annorum vitæ meæ, vt aſcendam cum rege in Ieruſalem?* quid opus eſt ad tantulum temporis, quod mihi reliquum eſt ad viuendum, mutare locum habi-

h 2. Reg 17. 27.

tationis meæ? præſertim cum non ſim vltra idoneus, ad fruendas aulæ delicias. *Octogenarius ſum hodie, ſ numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue aut amarum, aut delectare poteſt ſeruum tuum cibus & potus. Vel audire poſſum vltra vocem cantorum, atque cantatricum.* Significat hebetiores ſibi redditos ſenſus, quam vt poſſit eorum obiectis admodum delectari, itaque irritum ſibi fore laborem, & inanem mutationem ſedis.

ſ ex.

Qvin etiam oneroſum, ſed regi fore dicit, cui nulla in re fere vſui eſſe poſſit. Itaque concludens, *Paululum*, inquit, *procedam famulus tuus à Iordane tecum, non indigeo hac viciſſitudine*, vt vicem mihi reddas acceptorum à me alimentorũ. *Sed obſecro vt reuertar ſeruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſepulchrum patris mei, & matris meæ.* Vide autem ſenilem patris curam, ac prudentiam, qui pro ſe filium ſubſtituat. *Eſt autem ſeruus tuus Chamaam, ipſe vadat tecum Domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.* Ioſephus ait petitum à Dauide Chamaam, cum vice verſa, vt vides, oblatum à patre Scriptura teſtetur. Idque videtur rationi congruentius, vt quoniam Berzellai, quem inuitabat ad ſe rex, domi malebat propter ſenectutem, quam in aula viuere, in locum ſuum filium ætate florentem ſubſtitueret, ſicque voluntas regis maiore vtrimque vel delectatione, vel emolumento adimpleretur. Nam ſenex debilis, & moroſus fortaſſe, futurus erat oneri Dauidi, Iuuenis fortis & alacer vtilitati: Seni inſipidæ futuræ erant aulæ deliciæ, inueni gratiſſimæ. XXXI. *Et filius eius retinetur.*

Senis igitur deſiderio rex acquieſcens ait *meum tranſeat Chamaam*, nondum enim tranſierat Iordanem; *& ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me impetrabis.* Te, inquit apud Ioſephum Dauid, [a] *dimitto: hunc vero Achimanum filium*, ſic enim vocat Chamaam, licet Septuag. nomen Hebræum retineant) *mecum abire ſinito. Omnium enim bonorum meorum particeps erit.* Egregio ſane grati animi exemplo: & ſuſpicari merito poſſumus, ne in Machir quidem de Lodabar, qui & ipſe in Dauidem liberalis fuerat, [b] anguſtam fuiſſe liberalitatẽ. Cum autem moriturus Dauid commendat Salomoni filios Berzellai, cum hic vnius tantum ſit mentio, apparet alios deinceps à patre miſſos, quos non ſolum menſa ſua dignatus eſt, ſed voluit etiam Salomonem eos perpetuos habere conuiuas. [c] XXXII. *Dauidis gratus animus.*

a l. 7. ant. c. 10.

b 2. reg. 17. 27.

c 3. reg. 2. 7

Cumque *tranſiſſet vniuerſus populus, & rex Iordanem, oſculatus eſt rex Berzellai, & benedixit ei*, bene ſcilicet precatus eſt; *& ipſe reuerſus eſt* in Rogelim ciuitatem ſuam. Hic ergo denique habetur tranſitus regis, & quæ hactenus dicta ſunt, trans Iordanem contigerunt: idque clarius etiam habetur in Hebræo. *Et tranſiuit omnis populus Iordanem, & rex tranſiuit.*

Transmisso flumine rex profectus eſt *in Galgalam, & Chamaam cum eo;* atque adeo Semei, & Siba, & Miphiboſeth, & omnis populus Iuda, qui affuerat regi tranſeunti, vna cum dimidia parte cæterarum tribuum, quæ turmatim ad regem concurrebant, ægre ferentes, ſibi non ſignificatum regis diſceſſum, neq; expectatum pauliſper aduentum ſuum. Cum autem iam omnes conueniſſent, & Dauid non longe abeſſet ab vrbe regia, vt putat Abulenſis, [d] regem ſubirati adierunt. *Et quare* inquiunt, *te furati ſunt fratres noſtri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem.* Dolebant Iſraëlitæ contemptos ſe à Iudæis, qui ſoli voluiſſent gloriari, Dauidem regem à tribu ſua ſola regno reſtitutum, eaque de cauſa regem furtim, non monitis aliis abduxerant. Verebanturque ne hanc tarditatem, quæ aliena fraude contigerat, rex acciperet quaſi exiguæ beneuolentiæ argumentum. Quem propterea nec accuſare audent, & ſi eius fuiſſet omnes tribus conuocare ad certum diem, & ante eum non diſcedere. Sed forte crediderunt Iudæos regem vrſiſſe vehementius, & perſuaſiſſe aut omnes iam, aut pene omnes tribus adeſſe, vel ſtatim affore. XXXIII. *Querela Iſraelitarum.*

d qu. 33. in c. 19.

Hic tribus Iuda cum ſe coram rege animoſius accuſari cernerent, non expectarunt dum rex ipſe reſponderet; neque factam à ſe iniuriam ſermonis lenitate mitigarunt, ſed auxerunt potius, cum dicerent *quia mihi propior eſt rex.* de noſtra ſcilicet tribu, non de veſtra oriundus: vt omittamus perpetuam apud nos, ex quo in regnũ euectus eſt, cõmorationem. Quæ ratio valebat vt propiores eſſent XXXIV. *Reſponſio Iudæorum.*

regi cæteris, non autem vt ſoli, quantum in ipſis eſſet. Pergunt, *cur iraſceris ſuper hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data ſunt?* Querebantur illi ſe contemptos, quod iſti non diluunt, vt oportuit, ſed negant vtilitatis cauſa, id à ſe factum. At Iſraelitæ munera non arguunt, non morantur cibos, ſed id aiūt ambitionis, & ſuperbiæ cauſa factum à vobis, quin reſpondetis quod ad rem faciat? quod ſatisfaciat? quod naſcentem ſeditionem extinguat? cum improuide potius, atque inſipienter prodatis vos fratres veſtros ſuperbe contempſiſſe, regia, quam etiam nunc iactatis, propinguitate inflatos. qua in re multum à vero aberratis. Itaque pergunt Iſraelitæ;

Parum idonea.

XXXV. *Vrgent Iſraelitæ.*

DECEM *partibus maior ego ſum apud regem, magiſque ad me pertinet Dauid, quam ad te.* Nam de duodecim tribubus vna aliqua reſpondet tuæ, ſuperſunt decem, quæ te iure apud regem ſuperent. Si quando enim comitia celebranda ſunt regni totius, ſi creandus rex, ſi de regni negotiis agendum, & ſuffragiis definienda res eſt, tu vnico polles ſuffragio, nos vndecim in vrnam mittimus. Nec te multitudo perſonarum iuuat, nec aliis nocet infrequentia. Acute etiam reſpondebunt Iudæis, [a] Dauidem conſiderari poſſe vt virum aliquem priuatum, vt cæteros de tribu Iuda, ſicque illis eum eſſe propiorem. Aut vt regem, & totius populi principem, ſicque magis pertinere ad Iſraelitas, qui vndecim partes eiuſdem corporis conficiebant, qui tanto pluribus ſuffragiis regem creare, vel exautorare, ſi res ita ferret, & regni negotia definire poterant. Quæ ratio hoc erat potentior: quo minus adhuc reges apud Hebræos imperium hæreditate poſſidebant.

quomodo eis propior eſſet Dauid.

a Abul. q. 36.

Cum ergo rex ad omnes tribus potius, quam ad vnam pertineat; ad totum corpus politicum, quam ad vnicum membrum eius, perſpicuum eſt reſtitutionem eius in regnum, ad Iſraelem potius, quam ad Iudam pertinuiſſe; nec ſanguinis propinquitatem, qua contingit Iudam Dauidi propiorem eſſe, quidquā ad rem facere: nedum cæterarum omnium tribuum iuribus præponderare. Præſertim cū priores de reducendo rege, & inter ſe, & cū eo verba feciſſent, ideoque priores debuerint ad eum reducendū euocari, & non inſtar alienigenarū haberi.

XXXVI. *Altera reſponſi durior, ex qua orta ſeditio*

INCALVIT hic ſpiritus regiæ tribus, cernensque ſibi non concedi, regem propiorem eſſe tribui Iudæ, quam cæteris, quod tamen extra omnem controuerſiam eſſe videbatur, *Durius etiam reſpondit*, auxitque contentionis acerbitatem; ius enim, atque adeo iniuria litigando creſcit. Quibus autem verbis vſa fuerit proditum non eſt. Valde aſſentior Abulenſi [b] dicenti probabile admodum eſſe dixiſſe Iudam, non ſolum Iſraelem non eſſe regi propiorem, ſed nihil ad eum pertinere. Quod non obſcure colligitur ex verbis Sebæ Beniamitæ, qui mox inclamauit apud cæteras tribus, *Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai.* Quæ ille videtur ex Iudæorum verbis vſurpaſſe. Itaque valeat illa Hebræorum expoſitio in traditionibus ipſorum, [c] vbi de duriore hac reſponſione agentes. *Et hic defectus eſt*, inquiunt, *dicuntur enim reſpondiſſe viri Iuda ad viros Iſrael, quod mentirentur, & non facerent hoc ob amorem regis, ſicut aſſerebant.* Hæc illi ſane frigidius, & parum cum ſequentibus cohærenter.

b q. 36. in c. 19 & q. 3 in c. 20.

c Apud Hier. in hunc locum.

XXXVII. *An hic Dauid in culpa.*

AGITABATVR hæc controuerſia inter principes tribuum, & maiores natu populi vniuerſi, in ipſo itinere Hieroſolymitano, & quidem coram ipſo rege; vt illa verba oſtendunt, *Quare te furati ſunt fratres noſtri?* Itaque valde mirum eſt regem non compeſcuiſſe haſce turbas, nec vtriſque ſilentium autoritate ſua impoſuiſſe: præſertim cum de ipſo, & propter ipſum honorandum eſſet orta contētio. An in tanta tumultuantiū multitudine non exaudita eſt eius oratio? an ſuſpecta habita eſt, quaſi fauens Iudæ? an contempta eſt, quia mitis & beneuola, qualem res, tempuſque poſtulabant? An libet hic cum Abulenſi [d] Dauidis deſiderare prudentiam, & humani aliquid aduerſus tribum ſuam paſſum fateri? qui ęque omnium pater eſſet, ac princeps. Quod ſi fatemur, licet illico agnoſcere caſtigantem Deum; & Dauidem ſuum, ex tam infauſto euentu, tenebroſa triſtitiæ nube perfundentem, triumphum reddentem luctuoſum, & nondum plane abſterſas pro Abſalone lacrymas renouantem. Audi Ioannem Chryſoſtomum; [e] *Ne tum quidem* inquit, poſt mortem videlicet Abſalonis, *clades finem acceperunt; ſed primo quidem aduerſum ſe verſi in ſeditionem milites, diuiſiq; ſunt. Poſtea vero quā vix, & per*

d q. 39. in c. 19. vide ſupra n. 4.

Dei iudicium.

e l. 3 de prouid.

ſummas blanditias ceſſarunt, reſilientes rurſum adiecti ſunt Sabee, bellũque aliud conflari cœpit, cum adhuc prioris reliquiæ remanerent. Vſque adeo gratum eſt Deo rebus aduerſis ſeruorum ſuorum vel exercere virtutẽ, vel punire peccata, vel merita cumulare!

XXXVIII. *Seba defectionis anteſignanus*

CVM ergo principes tribuum grauiter ferrent duriorem Iudæorum reſponſionem, & Dauidem ſibi iniquiorem putarent, ab eo corpore ſimul animoque auertuntur. Infeliciter autem tum contigit, *vt ibi eſſet vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Iemineus* vtique de principibus tribus Beniamin, neque enim alioqui populum ad ſe tam facile traxiſſet. Eum Lyran. Abulenſ. Dionyſius ſuſpicantur fuiſſe de cognatione Saulis, quemadmodum & Semei, ideoque parum in Dauidem propenſum, qui hac occaſione arrepta factus eſt vnguis in vlcere, vt regnum à Dauide in Saulis aut familiam, aut tribum reduceret. Is recte vir Belial dicitur, ideſt Ioſepho interprete, improbus ac ſeditioſus, idoneus qui ſigniter eſſet defectionis huius. Vir Belial obedientiæ iugum detrectans, nouumque ambiens dominatum; ad eumq; buccinæ clangore populum euocans, cæteris tribuum proceribus in præſenti ira facile obſecundantibus, & ſuos ſingulis ſecum exemplo ſuo, atque autoritate trahentibus. *Ideo cecinit buccina* ait Hieron. *vt eius ſonitu attoniti tacerent, Quibus tacentibus dixit, Non eſt nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio Iſai, reuertere in tabernacula tua Iſraël.* quaſi dicat age tibi res tuas, prouide tibi de alio principe, quoniam nihil tibi eſt cum Dauide.

XXXIX. *Populus bipertito diſtrahitur.*

EFFICAX fuit feralis illa buccina, idoneam ac diſpoſitam nacta ad defectionem materiam: *ſeparatus eſt* enim *omnis Iſrael à Dauid, ſecutuſque eſt Seba filium Bochri. Viri autem Iuda adhæſerunt regi ſuo à Iordane vſque Ieruſalem*, quaſi dicat; à cæteris autem media in via deſertus eſt. Diuina porro prouidentia factum eſt, vt res non vltra verba procederet, neque ad arma veniretur ingens alioqui clades vtrimque contigiſſet, hinc multitudine iracundia efferata, inde regio fauore animos faciẽte: illos iuſtitia cauſæ protectura videbatur, hos diuinus in Dauidem fauor: qui ęgerrime tuliſſet ob rem tam modicam, & controuerſiam ob ipſius amorem, & zelum exortam, cognatas acies concurrere, iterumque tantulo interuallo fraternum fundi ſanguinem, cum neceſſario, vtramuis in partem victoria cederet, ipſe vinceretur, ipſe ſubditorum ſuorum iacturam faceret, ipſe regni ſui vires debilitaret, ac frangeret. Exiſtimauit autem dandum locum iræ; ſperans eos ad ſe quamprimum, moxque ad Dauidem ſine ſanguine redituros; neque facile contra ipſum, & legitimum regum, & tota Iudæorum tribu munitum arma ſumpturos, à quo cum ſolis pene domeſticis, turpiter ſuperati eſſent.

XL. *Rex Hieroſolymã venit.*

INTEREA venit rex Hieroſolymam, vbi magnifice eum, cum ciuitas ipſa, vt par eſt credere, tũ tota Iudæ tribus excepit: fortaſſe non multo lætiorem, quam cum ex ea ſuperiore anno profugiſſet; intelligens ſibi bellum ciuile imminere, cuius ancipitem exitum offenſo ſibi numine formidabat. Itaque totam illam pōpam, tanquam in luctu muſicam, Scriptura miſſam fecit. *Venit & in domum ſuam Rex* vbi veſtigia pręcedentis cōiurationis inuenit. Decẽ nimirum mulieres concubinas, quas fœdauerat Abſalom; quas dereliquerat Dauid ad cuſtodiendam domum; *& tradidit eas in cuſtodiam* non quidem in vincula, ſupponens eas inuitas peccaſſe cum tyranno, ſed in liberam cuſtodiam, ne à Dauide deſertæ furtim cum aliis, cum regis dedecore, fornicarẽtur. Alimenta quoque eis præbuit. ſiue mercedem præcedentis famulatus, ſiue quia clauſis non licebat alios accipere viros, à quibus ſuſtentarentur. *Et non eſt ingreſſus ad eas*, quia factæ erant quaſi nurus ipſius, [a] per coniunctionem cum filio eius Abſalone, quamuis affectu non maritali. [b] Non enim contractus ſolus matrimonialis, ſed etiam ſine eo copula procreat affinitatem. Propter eaque id crimen nominatim reprehendit Dominus, apud Amos prophetam [c] *filius* inquit, *ac pater eius ierunt ad puellam. vt violarent nomen ſanctum meum.* Theodoretus quoque [d] ait Dauidem exiſtimaſſe impium habere cum eis conſuetudinem, poſt execrandum filij ſui coitum.

Cõcubinas ſegregat à ſe.

a Leuit. 18. 15.
b Abul. q. 8. in c. 20.
c cap. 2. 7.
d q. 39. in l. 2.

XLI. *Concluditur.*

ERANTQVE *clauſæ vſque in diem mortis ſuæ in viduitate viuentes*, id eſt in cęlibatu. neque enim erant proprie viduę, cum viueret adhuc, qui eis maritus erat, aut inſtar mariti: ſed in omni deinceps continentia, & corporis animique puritate perſeuerabant. Et poteſt in hiſce mulieribus ſpecies quædam agnoſci monialium, quę ab communi hominum conſuetudine ſegregatæ, Deo vacant & ſibi, mundi mala, &

EXITVS AB ÆGYPTO. ANN. 467 — *inſtar monialium.* — MITTVNTVR IN SEBAM COPIÆ.

peccata plangētes, atq; deuitantes Segregauit quoque has mulieres Dauid à ſua, & aliorum cōſuetudine, ne dum in oculos hominū incurrerent, renouaretur memoria flagitij impuriſſimi Abſalonis, quod in Dauidis contumeliam redūdabat: & eum tentatio humana apprehenderet, & laberetur, non ſine ſcandalo; in peccatum. Addit Theodoretus noluiſſe Dauidem eas in matrimonium alteri collocare, ne hoc quoque eſſet occaſio, & prætextus tyrannidis; reſpicit autem ad petitionem Adoniæ, de qua libro 3. Reg. dicetur. [a] Ibidem. — a c. 2. 17 a . Salom 3 u. 13.

XLI. *Amaſa cogit exercitū.* Hoc negotio celeriter expedito, rex proſpiciens bellum ciuile ſuccreſſens, vocato ad ſe Amaſa, quem militiæ principem pro Ioabo deſignarat, vt anno precedenti dictum eſt, [b] *conuoca*, inquit, *mihi omnes viros Iuda in diē tertium, & tu adeſto præſens.* Voluit fortaſſe militi nouum Imperatorem, & Imperatori militem commēdare. At quid eſt conuocet eos, qui iam conuocati erant? tota quippe tribus Iuda regi Iordanem tranſeunti affuerat, deduxeratque eum Hieroſolymam vſque. Verum eſt; ſed inde quam primum ad ſua ſe quiſque receperat, Dauide qui bellum non præſumebat permittente. Sed vbi vidit populum ad ſaniorem mentē nō redire, & Sebam moliri tyrannidem; ne malum longiore dilatione creſceret, iuſſit intra diem tertium adeſſe Imperatorem. Is dum operam dat, vt quam numeroſiſſimo inſtructus milite contra decem tribus, & earum ducem Sebam maiore fiducia pugnaret, & certiorem victoriam reportaret, *moratus eſt extra placitum quod ei conſtituerat rex.* — b nu. 133. & 134.

XLII. *Solitudo Dauidis.* QVI interea vehementer angebatur. Nam ex vna parte ſentiebat aduerſarios viribus creſcere, & inde victoriam difficiliorem, ac luctuoſiorem fore. Altera ex parte Ioabi opera vti nolebat; ne id eſſet Amaſam repudiare, & de gradu deiicere honoris, ad quē nuperrime ipſum extuliſſet. Itaque Abiſai fratri Ioabi mādat, vt cum copiis, quæ erant ad manum, perſequeretur Seba; ratus fore vt Amaſa cū exercitu ſe illi ad eādem expeditionem aggregaret, quod etiam credibile eſt illi, per certos ad eum nuncios, præcepiſſe. Alio interim miſſum Ioabum Lyranus putat, quem merito Dionyſius, ac Toſtatus refellunt; & mox planum erit eum cum
Præmittitur ad bellum Abiſai fratre Abiſai profectum in bellum. Origo autem erroris eſt illa opinio; quod Amaſa præpoſitus eſſet tribui Iudæ tantum, ſub Ioab, & non in eius locum; quod ſupra refutauimus. Fallitur etiam in Abiſai, quem non vidit ad tempus ſuffici Amaſæ, ob eius diuturniorem in redeundo moram. Neque enim repudiato Ioabo Dauid eligeret Abiſai in principem militiæ, cum ambo vehementer moribus inter ſe vitiiſque congruerent: & alterutro eorum principe, alter indirecte gereret principatum, & fieret Dauidi inimicus gratis.

XLIII *Cum domeſticis copiis.* AIT ergo *Dauid ad Abiſai, Nunc magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri, quam Abſalom.* Hæc auxeſis eſt. Nam Abſalom habebat etiam ſecum conſentientem, ac conſpirantem magna ex parte Iudam. *Tolle ergo ſeruos Domini tui, & perſequere eum, ne forte inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos.* Iſtum dominum Caiet. & Dionyſius & alij apud Toſt. intelligunt Ioabum, quia ætate & dignitate prior erat, & quia mox ſequitur, egreſſos cum Abiſai viros Ioab. Rectius Abulenſis vult Dauidem de ſe in tertia perſona loqui, quem omnes ſubditi Dominum vocabant, & nominatim illę quaſi domeſticæ copiæ militares, Cerethi & Phelethi, quæ etiam fugientem Dauidem ſecutæ ſunt, quibus nominatim præerat Banaias. [c] Viri autem Ioabi peculiariter, erat fortaſſe manipulus aliquis domeſticorum militum; qui & ipſi Abiſæum ſecuti ſunt, vnaque *Cerethi & Phelethi, & omnes robuſti exierunt de Ieruſalem, ad perſequendum Seba, filium Bochri.* Iſti autem robuſti, erant ſexcēti illi Gethęi, qui Dauidē comitati nuper fuerāt, [d] quod Ioſephus quoque & Toſtatus ſēſerūt. — c 2. Re. 8. 18. & ca. 20. 23. — d 2. reg. 15 18

XLIV. *Non Ioab, vt ait Joſephus,* CÆTERVM Ioſephus [e] aperte fallitur, aut fallit potius, qui mandatam hanc Ioabo curam dicat, cum de induſtria Dauid eius fratrem vocarit, Ioabum prætermiſerit. veritus ne inuidia extimulante contigeret, quod poſtea doluit contigiſſe. *Non eſt*, inquit apud Ioſeph. Dauid, *vlterius expectādum, ſed cū his quæ nunc ad manum ſunt copiis, & ſexcentorum cohorte, cum Abiſæo fratre hoſtem perſequere: & vbicūq; illum adeptus fueris, da operā vt prælio decernatur: & caue ne occupatis munitis vrbibus, multorū nobis certaminum, & laborum materiam præbeat.*
nec iubetur Abiſai inire certamē. Non dedit in mandatis Dauid vt pręlio decerneretur; imo qui ſanguinē ſubditorum fundi nolebat, principem coniurationis ſolum in poteſtatē venire cupiebat, vt parceretur multitudini. Quod iam — e l. 7. ant. c. 10.

ſemel iterumque à Ioabo factum fuerat, dum contra Abnerem, & Abſalonem pugnaret. [a] Et in hac ipſa expeditione, dixit Ioab, *tradite eum ſolum, & recedemus à ciuitate*; quod & factum eſt. Non dubitabat autem Dauid Sibam inuenturum ciuitates munitas, iam ex quo digreſſus erat à rege, ſed verebatur ne eas præſidiis occuparet, & in ſuam coniurationem pertractas, à Dauide diſtraheret.

a 2. reg. 2. 27 & c. 18. 16.

XLV. *Occurſus Ioabi, & Amaſæ.*

Cvm ergo ſerui Dauidis cum domeſticis copiis, duce Abiſai, comite Ioabo ſeptentrionem verſus, quo ſe contulerat Seba, progrederentur; *eſſentque iuxta lapidem grandem, qui eſt in Gabaon, Amaſa veniens occurrit eis*, id eſt conſecutus eſt eos: veniebat enim à meridie, vbi eſt tribus Iuda, ratione habita tribus Beniamin, in qua erat Gabaon, & lapis ille, qui hoc loco memoratur, quadraginta ſtadiis Hieroſolymis diſtans, vt ait Ioſephus: [b] circa quem iam ante annos viginti octo Ioab contra Abnerem pugnauerat, initio ducto à gladiatorio certamine. *Porro Ioab veſtitus erat tunica ſtricta, ad menſuram habitus ſui, & deſuper accinctus gladio dependente vſque ad ilia in vagina, qui fabricatus, leui motu egredi poterat, & percutere*, id eſt qui ſic fabricatus erat in laxiore vagina, vt non applicita manu, leui corporis motu egredi poſſet: nihil obſtantibus tunicæ rugis, & ad infligendum ictum celeriter corripi.

b l. 7. c. 10.

XLVI. *Amaſa per dolum occiditur.*

Aliqvanto clarior eſt res in Hebræo. Habetur enim Ioabum accinctum fuiſſe tunica veſtimenti ſui, qua ſcilicet vti ſoleat in expeditione militari, & ſuper eam habuiſſe cingulum gladii, coniuncti lumbis eius in vagina ſua, vti pugiones ferri ſolent, qui inde egreſſus, incuruante ſe Ioabo ad ſalutandum, vt fit, decidit in terram, quem leuauit manu ſiniſtra Ioab, dextera enim tenebat *mentum Amaſæ, quaſi ad oſculandum eum*, [c] & eadem ſiniſtra infixit pugionem in latus eius, & effudit inteſtina eius in terram. Quod autem dicitur Amaſam non obſeruaſſe Ioabi gladium, facile intelligi poteſt ex Ioabi geſtu. Cum enim dextera manu attolleret mentum eius, quaſi ad oſculandum eum, non potuit videre labentem ſicam, neque dum eam Ioab ſiniſtra humo tolleret, & in ventrem eius immergeret. Hanc ſententiam recte Ioſephus expreſſit. *Ibi Ioabus*, inquit, *thorace munitus, accinctusque gladio, accedente ad complectendum Amaſa, de induſtria gladium ſibi è vagina elabi paſſus eſt, eoque mox è terra ſublato, & altera manu barba Amaſæ ceu deoſculandi præhenſa, improuiſo ictu ventrem ei perfodit, hominemque confecit.* Eademque vis eſt græci contextus.

c vide abul. q 16. in c. 20. 2. reg.

XLVII. *non plane innocens.*

Facinvs *ſane impium*, ait Ioſephus, *quod bonum & cognatum iuuenem immerentem, propter æmulationem ſummæ præfecturæ, & regiæ gratiæ ſuſtulit; hac enim de cauſa iam ante Abneri quoque cædem perpetrauerat:* Innocentem quidem Amaſam Ioſephus putat; νεανίαν μηδὲν ἀδικήσαντα, ſed ſi quis deſertum ab eo regem, & auunculum ſuum, ad tyranno & parricidæ adhærendum recordetur, non difficulter Deum vindicem agnoſcet. Nam ad eum puniendum, qui factus fuerat princeps ſacrilegæ & proditoriæ militiæ, Ioabi inuidia, & mala voluntate vſus eſt; & per conſobrinum occidit, qui pro conſobrino ſuo contra patrem eius, & auunculum ſuũ arma ceperat. Ac ne iuuenem quidem eum appellare fas eſt, qui erat quinquagenario maior, vt militiæ principem decebat. Nam ſi ei vel annos viginti dederimus, cum ad Dauidem ad præſidium Moabiticum venit, [d] princeps iam tum inter triginta, nunc annum agebat facile quinquageſimum ſextum.

Neque iuuenis.

d 1. Par. 12. 16. 17. 18. a. m 2974. num. 8.

XLVIII. *Graui Ioabi ſcelere, & qua cauſa.*

Sceleratvs nihilominus Ioab, proditorque veteratorius, qui prætexta cum conſobrino amicitia, eum vt olim Abnerem, improuiſo ferro, indicta cauſa, ignorante, atque inuitiſſimo principe, nihil ab eo violatus, inuidia ſtimulante peremerit. Dolebant quippe ipſi oculi, imo inſtar mortis ei erat, poſt trigeſimũ denique annum, de ſublimi, ac ſupremo ſecundũ regem dignitatis gradu, ignominioſe deturbari: ipſo autem occiſo, perſuaſum habebat neminem fore toto regno, in quem Dauid poſſet militiæ transferre principatum; aut qui eum poſſet vel auderet admittere. illius metu, qui duos iam regii ſanguinis principes, illius dignitatis ſibi conſeruandæ cauſa, per inſidias trucidaſſet. Quis ab eo ſibi non timeret, qui Saulis patruelem, qui Dauidis nepotem, atque adeo filium nuper, contempto regis imperio, impune ſuſtuliſſet? Impune autem hoc ſe crimen admiſſurum, haud temere credidit; quod videret apud ſe ac fratrem ſuum eſſe robur exercitus Dauidis, Amaſæ autem recens collectas copias quaſi capite trũ-

Qui recuperet militiæ principatũ.

catas, facile ad conſuetum Ioabi & Abiſai imperium redituras. Itaque fore vt Dauid, qui recenti ſeditione vndecim tribus amiſerat, nunc etiam Iuda in Ioabi poteſtate poſita, plane inermis ne mutire quidem auderet, vt reuera contigit.

XLIX. *Dauidis luctus.* NON luit ergo ille nunc quidem pœnas tanti criminis, imo ne obiurgatus quidem propterea fuit à rege: non tulit tamen impune, vt initia libri tertii docebunt.[a] Interim Chryſoſtomum Dauidis commiſerantem mala licet audire.[b] *Quibus rebus perturbatus Dauid*, motibus ſcilicet tribuum, Seba ductore ſe cedentium, *coactis copiis eas ſub ducibus miſit. Ioab autem, & ex hoc bello peracta victoria*, imo & ante victoriam, *non permiſit victoriæ voluptatem ſine mærore contingere. Namq. ducem vna ſecum*, vel potius ſuo loco, *conſtitutum Amaſam, qui omnem populum* Iudæ & Ieruſalem *Dauidi ſubiecerat, innocentem, & qui in nullo ipſum læſerat, inuidiæ ſtimulis agitatus occidit. Quæ res ita grauis ac moleſta fuit regi, tantoque illum mærore confudit, vt filio moriens mendarit eius viri ſanguinem vlciſci, orauerit que ne tanti ſceleris authorem ſicca morte mori pateretur. Et quod longe grauius eſt, ita affectus neque mæroris ſui cauſam dicere audebat, eo quod aduerſus innumera incommoda iam obluctatus eſſet.* Hæc ſanctus Chryſoſtomus: aut potius non audebat, ne ille totam rempublicam perturbaret.

[a] 3. Reg. 2. 5. 29 30 31. [b] 3. de prouid.

L. *Et diſſimulatio, eiuſque fundamentum.* DISSIMVLAVIT ergo Dauid mœrorem cordis ſui, nec tamen debitam facinori grauiſſimo pœnam ignouit, ſed in tempus idoneum diſtulit; à Ioabo interea quandam quaſi tyrannidem patiens, quam nec ferre liberet, nec auferre poſſet. Idoneam tamen patiendi ac diſſimulandi materiam Ioabus ipſe ſuppeditauit. Cum enim excitatam à Seba ſeditionem, à qua Dauid, non minus quam à coniuratione Abſalonis, ſibi timere videbatur, feliciter compreſſiſſet, videri potuit vulgo in gratiam egregii facinoris, improbum illud ignouiſſe, & in gratiam receptum Ioabum donaſſe iterum militiæ principatu: quamuis ipſe ſe potius nunc principem feciſſet, quam à Dauide factus eſſet. Videtur enim licere principi compenſatione quadam vti, & crimen viri alicuius, ſubſecutis eius officiis obruere poſſe; præſertim ſi qui læſus fuit ceſſerit iuri ſuo. Reuera tamen neque Dauid condonauit ſibi, ac reipublicæ factam iniuriam, neque eam quæ facta erat Amaſæ vxori, liberis, cognatis potuit condonare; neque Ioab, in præmium huius officii, veniam illam exigere. Tollendo enim Sebam fungebatur officio ſuo, nec aliquo facto, ad quod alioqui non obligaretur, Dauidem ſibi debitorem reddebat. Et vniuerſe quicumque aduerſus principes, & dominos ſuos deliquerunt, quamuis deinceps eis valde fideliter ſeruiant, non propterea pœnæ remiſſionem promerentur, quia obligabantur ſemper fideliter ſeruire, quãuis nihil omnino deliquiſſent, vt diſputat Abulenſis.[c]

[c] q. 21. in c. 20.

LI. *Inſultatur Amaſæ.* REVISAMVS nunc Amaſam miſere cõtrucidatum, in ſanguine ſuo tabeſcentẽ, & omnes ad ſui ſpectaculum trahentem, dum Ioab, & Abiſai frater eius, Seba filium Bochri perſequuntur; & habent de ſociis ſuis, qui etiam inſultent interfecto. Nam *interea quidem viri*, vt ait Scriptura, de ſociis Ioab, *cum ſteti ſſent, iuxta cadauer Amaſæ dixerunt, Ecce qui eſſe voluit pro Ioab comes Dauid*, vel vt fuſius hebraice legitur, *Qualis eſt qui voluit eſſe pro Ioab, & qualis eſt, qui voluit eſſe Dauidi poſt Ioab.* Hoc deerat calamitati infelicis principis, vt ei etiam à gregariis militibus inſultaretur. Hebraice quidem, & græce, & chaldaice, & apud Ioſephum, vnus tantum legitur Amaſæ, ſic opprobraſſe. ſed recte vidit vulgatus interpres, ibi ſingularem numerum collectiue ſumi, & numero multitudinis æquipollere; vt cum dicitur, *reuertatur vir in domum ſuam*, id eſt, vnuſquiſque totus populus, ſiue exercitus repetat proprios lares.

LII. *Copiæ ad Ioabum transferuntur.* AVGET etiam Ioabi facinus Ioſephus. *Cæſo*, inquit, *Imperatore pergebat ad Sabæum*, ſiue Sebam *debellandum, vno relicto apud cadauer. Hunc iuſſit proclamare ad exercitũ, Amaſam iure cæſum meritas pœnas dediſſe, qui vero partes regis fouerent, Ioabum & fratrem eius Abiſæum duces ſequi debere.* Quæ ſatis conſentanea ſunt ei interpretationi, quam hodie aliqui Hebræo tribuunt. *Quis eſt qui amat Ioab, & qui eſt qui velit eſſe pro Dauide? ſequatur Ioab.* Quæ fuit euocatio omnium copiarum, quæ ſequebantur Amaſam, vt ne quid ſibi noui conſilii caperent, aut ſibi ad Dauidem nouæ miſſionis gratia, redeundum putarent, ſed intelligerent ſe, quamuis Imperatore mutato, eidem tamen Dauidi regi famulari, & contra eundum hoſtem militare,

quandoquidem Abiſai, quocum erat Ioab, à Dauide cum domeſticis copiis, contra Sebam miſſus eſſet.

NEGLEXIT porro Ioab curam gerere cadaueris Amaſæ, quod conſperſum ſanguine iacebat in media via. Itaque vt quiſque tranſibat, ſubſiſtebat paululum ad contemplandum eum; quod cum quidam animaduertiſſet, forte aliquis famulorum eius, *amouit Amaſam de via in agrum, operuitque eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum.* Et apparet non modico tempore illic manſiſſe, Ioabi fortaſſe metu, ne ſi qui funus curaturi remanerent, à Ioabo deſertæ militiæ nomine punirentur. Transgreſſo autem exercitu, vel à vicinis oppidanis, impoſitum eſt cadauer in currum, & delatum Hieroſolymam ad Dauidem: quadraginta enim tantum ſtadiis inde diſtabat, vt ait Ioſephus, qui etiam tradit cuſtodem ad cadauer à Ioabo relictum, à quo tranſlatum fuerit in villam quandam, πρός τι ἀπωτέρω τῆς ὁδοῦ à via remotiſſimam: ibique depoſitum veſte contexiſſe. Sed cuſtos hic in ſcriptura non apparet: & probabilius eſt militum aliquem ſecus viam cadauer ſeduxiſſe, ibique illud veſtimento ipſius occiſi contexiſſe. LIII. *Quid cadaueris factũ.*

QVALE autem fuerit hoc ſpectaculum Dauidi, quinam eius, totiuſque familiæ luctus, ac lacrymæ, facile eſt intelligere: ipſius præſertim regis, ſeipſum fortaſſe accuſantis beneficii in ipſum imprudenter collati. Qui non reputaſſet apud ſe antiquum Ioabi in eadem cauſa aduerſus Abnerem facinus, damnaret importunam lenitatem ſuam, qui nuper Ioabũ præfectura in Amaſam tranſlata, & ſatellitio ſpoliatum, non in vincula conieciſſet: non pœnas ab eo de Abneris & Abſalonis cæde repetiiſſet: ſed eum iterum, exercitus parte fratri collata roboraſſet, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam; adeo vt ne hominis quidem obiurgandi poſt reditum ſibi poteſtatem reſeruaſſet, ne ille is fieret aduerſum ſe, qui fuiſſet aduerſus Iſboſethum obiurgatus Abner, & Dauide in ordinem redacto, ipſe ſe conſtitueret regem. Sed nec clam, ac per inſidias eum volebat de medio tollere, ne is inopina morte ſublatus, cum corpore etiam animam miſer amitteret. Ergo multa gemens, multumque infelicis nepotis caſum miſeratus, eum multo cum honore exequiarum, tradidit ſepulturæ. (Erat enim nepos, & bene de rege ſuo meritus, & mortuus fuerat cum regia negotia ſumma cum authoritate maxime gereret) & interfectori iuſtum, quamuis ſerum ſupplicium præparauit. LIV. *Dauidis mœror in funere.*

a 2. Reg. 10. 14. PORRO *Seba* [a] *tranſierat per omnes tribus Iſrael in Abelam, & Bethmaacha, omneſq. viri electi congregati fuerant ad eum.* Tranſiuiſſe dicitur per omnes tribus, quia peruenerat ad tribum Nephtalim, quæ vltima eſt ſeptentrionem verſus. Nimirum à tribu Iuda digreſſus, adierat tribum Beniamin, Ephraim, Manaſſe, quæ cis Iordanem, Iſſachar, Zabulon, Aſer, & ad Nephthalim denique peruenerat, in qua erant Abela, & Bethmaacha. Duas enim vrbes conſtituit textus noſter, imo Hebræus quoq;, & Græcus, & Chaldæa paraphraſis. Quamquam Hebræus poſteriore loco vnicam facere videatur: quod vult Adrichomius in tribu Nephthalim, [b] & Ioſephus, hoc loco, [c] eamque vocat Abelmachæa. D. Hieron. in locis hebraicis, aliam putat Abelam à Bethmaacha, imo & triplicem Abelam facit. In Hebræo etiam additur iſtum Sebam tranſiſſe per omnia loca Berim, quo nomine prouinciam aliqui intelligunt, in qua eſſet Abela & Bethmaacha, quæ pertinet ad Galilæam ſuperiorem, quæ dicta eſt gentium. [d] 6. LV. *Seba percurrit tribus.*

b nu. 2. c l. 7. c. 10.

d Eſa 9. 1. 6. %.

IOAB igitur cum ſuis Sebam veſtigiis conſequebatur, & ibi quamprimum ponebat pedem, vbi ille poſtremum inſtitiſſet, vt vel euntem comprehenderet, vel aliquo loco ſubſiſtentem obſideret. [e] Cumque didiciſſet eum cum ſuis, partim in Abela, partim in Bethmaacha reſediſſe, Abelam in qua ille erat obſedit, & munitionibus circundedit; *& obſeſſa eſt vrbs. Omnis autem turba quæ erat cum Ioab, moliebatur deſtruere muros.* Quo cognito ciues de ſalute ſua, & vrbis incolumitate ſolliciti, ſtatuunt periculo eximere ſeſe, iſtius aduenæ deditione. Id vt Ioabo nunciaretur, mittitur ſuper muros mulier: ibi enim tutius poterat mulier, quam vir aliquis ſubſiſtere. Sed & ſapientiæ illius id datum eſt. Cum enim ad naturales mulieris illecebras, accerſerit eximia quædam ſapientia, facilius à viris impetrant quod cupiunt, & propter inſolentiam rei, ſunt admirationi. LVI. *Obſidetur. in Abela.*

e Abul. in exp. tex.

LVII. *Ibi mulier ſapiens Ioabum alloquitur.*

Exclamavit ergo *mulier ſapiens de ciuitate. Audite, audite, dicite Ioab. Appropin-
qua huc, & loquar tecum. Qui cum acceſſiſſet ad eam, ait illi, Tu es Ioab? Et ille reſpondit,
Ego. Ad quem ſic locuta eſt. Audi ſermones ancillæ tuæ, qui reſpondit, audio; rurſumque il-
la. Sermo inquit, dicebatur in veteri Prouerbio.* 7. *Qui interrogant, interrogent in Abela, &
ſic perficiebant.* Commendat mulier ciuitatem ſuam, quaſi ab antiquo abundan 7. ꝟ.
tem viris, qui ſapientia, & conſilio valerent: ita vt vulgo diceretur, eos qui con-
ſilio egerent, Abelam abire debere, ibique interrogare, quid opus eſſet facto,
ſicque conſilio capto perficere negotia ſua. Hoc via proœmio, pergit mulier
in perſona ciuitatis. *Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem in Iſrael,* & dubitan-
tes conſilii compotes efficio, & quaſi mater erudio filios meos, *& tu quæris ſub-
uertere ciuitatem, & euertere matrem in Iſrael.* quam matrem, [a] aliqui non male me- a Pagn. Vatab.
tropolim, & primariam ciuitatem interpretantur. Iudæi autem ſtultiſſime,[b] cũ b apud Hieron. in trad.
dicunt hanc mulierem fuiſſe Zaram filiam Aſer filii Iacob, quæ ideo ſe ma-
trem dicat, quia multorum annorum erat; quin & deſcendiſſe cum Iacobo in
Ægyptum, aliaque id genus delyria, [c] deſpui digna potius quam refutari. 8. c apud Lyr. & Abul.
Quin ne Ioſephus quidem, aut eum ſecutus Theodoretus, ſatis conſentanea 8. ꝟ.
textui videntur afferre, vt ſeorſim dicemus.

LVIII. *Qui dedit ſibi vult Sebam.*

Addit mulier, *Quare præcipitas hæreditatem Domini?* R*eſpondenſque Ioab ait, Abſit,
Abſit hoc à me non præcipito, neque demolior, non ſic ſe habet res. Sed homo de monte Ephraim
Seba, filius Bochri cognomine, leuauit manum ſuam contra regem Dauid, Tradite illum ſolum,
& recedemus à ciuitate.* Prudenter vtique vniuerſam ciuitatem reddit inimicam
Sebæ, cum aut hunc, aut illam perire neceſſe ſit. *Et ait mulier ad Ioab, Ecce caput
eius mittetur ad te per murum.* Dicitur de monte Ephraim Seba, qui tamen paulo
ſuperius [d] de tribu Beniamin dictus eſt, vel quia ibi habitauit, aut natus eſt, vt d c. 20 v. 1.
putant Caiet. Dionyſ. Toſtatus, vel quia cum montes Ephraim tribui Beniamin
vicini eſſent, iſte & iuxta eos montes, & tamen intra limites tribus ſuæ ha-
bitaret. Non promiſiſſet porro hæc mulier tam facile caput Sebæ, niſi
iam cum primoribus ciuitatis egiſſet: alioqui imprudenter ſe deridendum præ-
buiſſet.

LIX. *Cuius illi caput è muro deiicitur.*

Accepta igitur reſponſione Ioabi, *ingreſſa eſt ad omnem populum,* in ciuica do-
mo congregatum, & de vrbis ſalute diſceptantem, *& locuta eſt eis ſapienter,* demõ-
ſtrata iniquitate cauſæ quam fouebant, & viribus Dauidis, & indubitata totius
calamitate ciuitatis: facileque impetrauit, vt vnius morte omnium redimeretur
ſalus, 9. facile enim deſertus eſt à ſuis, cum viderunt ſe id impune facturos, & 9 ꝟ
Dauidis felicitatem in bello exploratam haberent. Maluit fortaſſe etiam Seba
capite truncari ab Abelæis, quam Ioabo ad Hieroſolymitanam carnificinam
dedi. Ergo *abſciſſum caput Sebæ proiecerunt ad Ioab* de muro, non auſi militi popula-
tori aperire ciuitatem. Quo accepto Ioab, *cecinit tuba, & receſſerunt ab vrbe vnuſ-
quiſque in tabernacula ſua;* illi ſcilicet qui ab Amaſa congregati fuerant. Duxit au-
tem ſecum eos, qui ex vrbe cum Abiſai fratre ſuo egreſſi fuerant ad bellum, &
cum iis, *reuerſus eſt Ieruſalem ad regem.* Quem mœrorem animi ex Amaſæ cæde
diſſimulantem, de ciuili bello feliciter oppreſſo recreauit. Et forte caput Sebæ
ad eum detulit, alicubi in exemplum, & terrorem improborum defigendum.

LX. *Ioab retinet dignitatem.*

Fvit *ergo Ioab ſuper omnem exercitum Iſrael;* quoniam ſcilicet orientem tyranni-
dem, & ſchiſma celeriter ac prudenter extinxerat, & qui in eius locum erat ſuf-
ficiendus, mortuus erat, nec alius ſine magnis motibus, ac periculis ſubſtitui po-
terat, cum Dauid in officio ſuo ac dignitate perſeuerare paſſus eſt, donec res &
tempus ferret, vt regi meritas daret pœnas. Cæteri autem in ſuis ſinguli mune-

Ira cuiuſmodi ſacerdos.

ribus perſtiterunt, quibus ſupra ante annos 15. fungebantur. [e] Niſi quod hic e c. 8 fi. an. Dauid 16 n. 1. & ſeq
Siua pro Saraia ſcriba ponitur, in eius videlicet locum ſubrogatus. De hoc au-
tem Ira Iairite ſacerdote, id eſt principe, vel vt interpretatur Hieronymus ma-
giſtro apud Dauidem, ſupra cum de pædagogo Salomonis ageretur, aliquid at-
tigimus. Theodoretus ait iſtum vere fuiſſe ſacerdotem, & dici ſacerdotem Da-
uidi, quia degebat intra regiam, arcæ diuinæ ſemper aſſiſtens, & regia Deo ſa-
crificia offerens. A qua ſententia Dionyſius alienus non eſt, eamque amplecti-
tur Abulenſis, [f] inſtarque ait fuiſſe ſacerdotum, qui ſunt Eleemoſynarii prin- f q. 31. in 2. Reg.
cipum: propterea que non ſimpliciter ſacerdotem dici, ſed ſacerdotem Dauidis,

.7.c.01. ei peculiariter addictum,& fortaſſis, ob virtutem familiarem,ac dilectum,quem tamen Ioſephus, vt ignotum hominem, præteriit.

SCHOLIA IN ANNVM 3010. DAVIDIS REGNI 31.

.N.XIV. Pined. l. 7. de Salom. c. 20. ait Dauidem ad primas Semei preces, & confeſſionē licet ſimulatam, iniuriam, & offenſam grauiſſimam regali vere animo remiſiſſe. Recte iniuriam, & offenſam, non tamen pœnam, vt vult Ioſephus, niſi præſentem, & violentam, quam etiam ſine noua culpa nō incurrit; quæ Lyrani quoque, & Dionyſii ſententia eſt. Quare autem confeſſio Semei ſimulata dicatur, non ſatis intelligo, coactam malim dicere, aut violentam.

.N.XXI. Aut *decepit me*, vt habent Hebræi & Septuag. Chaldæus quoque *doloſe egit contra me*; quia nimirum iumenta, & viaticum non parauit domino ſuo; meq. eum fruſtra expectantem reliquit, contemptum ſimul, & illuſum. Munera etiam fortaſſe Miphiboſethi erāt, quæ ſeruus nequā ſuo nomine obtulit.

.N.XXVII. Pineda varias Dauidis excuſationes colligit. Puto duo dici poſſe, alterum eſt Sibam tanta arte, & verſutia calumniam texuiſſe, ac deinceps protexiſſe, vt Dauidi non minorē fidem faceret quam Miphiboſeth: ideoque quaſi in re dubia, ita diuiſiſſe ſententiam, vt accuſatorem, & reum beneficio afficeret, nec illum acquiſitis, nec iſtū poſſeſſis bonis planè priuaret: idque eò iuſtius facere potuit, quod ea bona iamdudum fiſco addicta fuiſſe creduntur. Alterum eſt Dauidem has omnes culpas pœnitētia diluiſſe: quo idē Pineda l. 1. c. 5. n. 24. ſentit ad plenā Dauidis, vel excuſationem, vel defenſionē confugiendum eſſe.

.N.XXIX. Vitium claudicationis obiectum filio Codri nē rex agnoſceretur, ſcribit Pauſanias, initio Achaicorum, quod ad hoc ipſum tempus pertinere anno ſequenti dicemus. *Cum Medon*, inquit, *& Nileus Codri filii de regno diſſiderent, negaretque Nileus regnum ſe Medontis ferre poſſe, qui pede altero claudicaret, rei cognitione delphico oraculo permiſſa, reſpondit vates, deberi Medonti Athenienſium regnum.* Sic ipſe, eaque aut cauſa, aut origo fuit Ionicæ emigrationis, Nileo duce, de qua paulo poſt agetur.

. N.XXX. Si octogenarius fuit hodie, id eſt abſoluerat hoc tempore annum vitæ octogeſimū propterea q; hebraice, & græce dicitur filius 80. annorum, primus eius annus fuit Eli trigeſimus ſecundus, ita vt vixerit cum Eli annis nouem, cum Samuele & Saule 40. cum Dauide vnum & triginta, qui ſunt omnino octoginta.

. LV. Caietanus poſt Lyranum vult Bethmaacha fuiſſe prouinciam, merito improbante Toſtat. in expoſ. textus; quis enim ferat dicentem eo Pariſios, & in Franciam: iuit Salmanticam, & in Hiſpaniam? Inſulſe quoq. diceretur oppugnari Seba in Abela, & in Beth Maacha. Rectius itaque alii partim duas ciuitates ſibi vicinas conſtituunt, quæ iuxta Hebræum pertineant ad prouinciam Berim. Nam ſubditur c. 20. 14. *& omnia Berim*, nimirum loca, quæ nomine illo generali cōtinebantur. At Hieronymus vertit electos deduxit enim à Bara ברא quod in Kal eſt creare, in Pihel eligere.

Ad verbum in Hebræo eſt, *loquendo loquebantur in principio dicendo &c.* quæ recte vertit Hieronymus, *ſermo dicebatur in veteri prouerbio.* Idem tamen, ſi tamen idem, in Trad. ex quo Angelomus, Comeſtor, Lyranus, Dionyſius, Vatablus, & alii, cum vtraque gloſſa. *In Hebræo*, inquit, *non habetur prouerbio. Ille ſermo legis eſt, in qua videtur à Domino per Moyſem preceptum*, (Deuteronomi capite vigeſimo, decimo) *vt quando ingreſſuri terram Chanaan eſſent, & gentes deleturi, primum pacem offerrent, & ſi pax ab eis reciperetur, pacem recipientes tributarii eorum efficerentur; & ſi pacem non reciperent, tunc à filiis Iſrael delerentur. Idcirco exclamaſſe mulier ſapiens de ciuitate fertur. Nonne ego ſum, quæ reſpondeo veritatem &c. Ac ſi diceret. Cur vis deſtruere ciuitatem hanc, antequam pacem interrogando offeras, ſicut in lege iubetur? Cur etiam non eandem legem in nobis Iſraelitis ſeruas, quæ in alienigenis olim ſeruata eſt.* Hæc ibi. Eadem eſt expoſitio Theodoreti, q. 40. 2. Reg. *Cum dux exercitus*, inquit, *adduxiſſet exercitum, ad obſidendam Abelam, ſapientiſſima mulier diuinarum legum illum admonuit. Iuſſit enim lex diuina vt primum mitteretur legatio, deinde inſtrueretur acies aduerſus contradicentes, & dixit ei, Si defecerunt quæ diſpoſuerunt fideles Iſraelis. Hoc eſt non ſunt tranſgrediendâ, quæ ſunt ſtatuta legibus.* Hactenus Theodoretus, & ſic in pleriſque exemplaribus græcis legitur, eique aliquantulum fauet Chaldæus Paraphraſtes. Ioſeph. autem alia omnia loquitur hoc loco. *Deus* inquit, *reges & imperatores creat, vt deletis Hebræorum hoſtibus in pace Iſraelitas cōtineāt: Tu verò nulla in re læſus primariā Iſraelitarū vrbem expugnatū veniſti.* Theodoreti autem expoſitio, quæ in Hebræorum traditionibus habetur, parum textui aptari poteſt. Ei tamen fauet, quod in Hebræo habetur. *Ego ſum inter pacificas & fideles Iſrael*, pro eo quod nos habemus, *Nonne ego ſum quæ reſpondeo veritatem in Iſrael*, Sed hæc verba priorem ſentētiam non mutant. nam, vt ait Caiet. poſt commēdatam ciuitatem à ſapientia, affert rationem à pace & fide cum Iſraele, vt hinc oſtendat iniuſte vexari ciuitatem pacificam & fidelem: quæ vt ait Vatablus, perſtitit in fide, nec defecit à rege.

Quis enim credat aut ferat veternoſam anū ſeptingentorum, & amplius annorum? & ſeculo quo Dauid dicebat Pſal. 89. 10. *dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum la-* 8.N.LVII.

bor & dolor. Verum ſententia quam expreſſimus planiſſima eſt, & textui accommodatiſſima, quam ſequitur Caiet. & tangit Hugo. & probat Abulenſis, & Angelomus, niſi enim mulier in perſona ciuitatis loqueretur, non recte probaret ciuitatem non eſſe ſubuertendam, ſed ei reſponderetur ciuitatem, quæ rea eſſet, delendam mulierem vero alio abducendam. Idemque confirmat prouerbium vetus, quod ſcilicet de ciuitate vſurpabatur, antequam hæc mulier nata eſſet.

Sapiens hæc mulier apud Ioſephum, ſic loquitur. *Vultis mali male perire cum liberis ac coniugibus propter hominem malum & ignotum, eumque pro Dauide, cuius tanta in vos extant beneficia regnare? & vnam hanc urbem tam valido exercitui reſiſtere.* 9. N. 11x.

ANNVS MVNDI 3011. DILVVII 1355. 5ª. ÆTATIS. 72. EXITVS AB ÆGYPTO 468. ARCÆ IN SIONE 22. REGNI DAVIDIS 32. ABIATHARIS PONTIF. 37. TROIÆ EXCISÆ 140. EVPALIS 21. IMPERII ASSYRIORVM 1080.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1042.

I. *Ionica emigratio quãdo facta.*

Centesimvs & quadrageſimus exciſæ Troiæ annus, Ionica emigratione celebratur ab antiquis. Nam Clemens Alexand. lib. 1. Strom. ſic ſcribit ex Eratoſthene. [a] *Eratoſthenes autem tempora ſic deſcribit. A capta quidem Troia ad Heraclidarũ reditum anni 80. Hinc autem ad conditam Ioniam anni ſexaginta,* Ioniam conditã vocat regionem in Aſia maritimam coloniis hoc tempore frequentatam. Nam ille idem Clemens paulo ante. [b] *Ariſtarchus autem in commentariis Archilochiis dicit Homerum fuiſſe tempore deductionis coloniæ Ionicæ, quæ fuit centum & quadraginta annis poſt Troiana tempora.* Hæc ibi. Euſebius quoque in chronico, in præſentem annum coniicit Ionicam emigrationem, qui eſt apud eundem ab Ilii clade centeſimus quadrageſimus: cui chronologiæ omnes poſteriores aſſentiũtur. Plutarchus denique in Homeri vita ait Ionicam emigrationem factam 60. annis poſt reditum Heraclidarum, qui incidit in annum octogeſimum à Troiana clade.

a græc. lat p. 246.

b l. 1. p. 239.

II. *Quæ eius cauſa.*

De cauſa deductæ coloniæ, & deducendæ duce nonnihil diſtat à cæteris Velleius Paterculus. [c] *Subſequente*, inquit, *tempore magna vis Græcæ iuuentutis abundantia virium ſedes quæritans, in Aſiam ſe effudit, nam & Iones duce Ione profecti Athenis, nobiliſſimam partem regionis maritimæ occupauerunt, quæ hodieque appellatur Ionia, vrbeſque conſtituerunt Epheſum, Miletum, Colophona, Prienem &c.* quæ cauſa laxior eſt, & communis cæteris populorum propagationibus. At Pauſanias [d] cauſam refert in exortam inter filios Codri regis Athenienſium, de regno diſſenſionem; *cum Nileus Medontis imperium detrectaret, quod is pede altero claudicaret*; regnabat ergo tunc Medon, quem tamen ante annos quatuor vita ac regno functum tradit Euſebii chronicon, cui ſufficit Acaſtum: forte vltra quadriennium Nileus peregrinatus eſt. Aelianus [e] certe in varia hiſtoria, ait eum Naxum tempeſtate delatum, ibique contrariis ventis retentum fuiſſe donec expiato tandem exercitu inde ſolueret, ſed quadriennium nihilominus longius eſt: vide Pontacum in hunc Euſebii locum. Cum ergo ambitio fraternam aleret cõtentionem, rei cognitio oraculo Delphico permiſſa eſt, à quo cum cauſa Medonti adiudicata eſſet, Nileus Athenis, regni ſpe deiectus, abſceſſit.

c l. 1. c. 4.

d l. 7. init.

e l. 8. c. 5.

III. *Num Ione duce.*

De coloniæ duce lapſum apparet memoria Velleium, cum Ion, qui nomen Ionibus dedit, & Athenienſibus contra Eleuſinios pugnantibus dux fuit, Athenis diem ſuum obierit teſte Pauſania. [f] Contigit autem hoc bellum ſub annum mundi 2683. vt ſuo loco diximus, [g] ex quo ad præſentem annum 328. anni abierunt: præterquam quod nunquam ille in Aſiam emigraſſe traditur. Audiamus

f l. 7. init.

g to. 2. n. 1. illius an.

ergo

ergo potius Pauſaniam, *Dimiſsi*, inquit, *in coloniam Nileus, aliique Codri filii, tum ex Athenienſibus, quicũque nomina dediſſent, tum multo maximam Ionum manum abduxerunt. Tertia fuit hæc colonia, quæ extero duce, & extera multitudine deducta eſt è Græcia.* Eundem Nileum Codri filium regno excidiſſe ait Ælianus, ideoque Athenis in Aſiam emigraſſe, multiſque ſociis ad Naxum relictis, Mileti primum conſediſſe. Quod Strabo quoque tradit, [a] at ducem coloniæ nominat Androclum, eiuſdem Codri filium, à quo Epheſus condita fuerit, quam tamen ante 7. annos conditam tradidit Euſebius, rectius huc transferendam, vt ſupra notauimus. Meminit & alterius filii Codri illegitimi, cui nomen Cydrelus, qui Myuntem condidit. Addit & Nauclum & Cænopum item Codri filios nothos. Tertullianus quoque libro de pallio ſcribit Iones Nilei comites, Aſiam nouis vrbibus inſtruxiſſe, quarum catalogum habes apud Strabonem, & Aelianum. Denique Ammianus [b] *Erat*, inquit, *Athenienſium colonia Miletus, deducta inter Ionas alios per Nileum filium Codri, qui fertur pro patria bello ſe Dorico deuouiſſe.* ſic ipſe.

Aut Nileo potius, cum reliquis Codri filiis.

a l. 14 init.

b l. 11 & 18.

IV. *A quibus Miletus.*

Apud Scal. nam Pont. Gedeon. 11. an. ab Abrahamo 743.

MILETVS quidem multo ante condita fuit; refertur enim ab Euſebio eius conditus vltra tempora Gedeonis, anno ab ortu Abrahæ 730. Mundi iuxta noſtra chronologiam 2758. ex quo 253. anni fluxere, cum Nileus eam obtinuit, *Nileus*, inquit Pauſanias *cum ſua manu Miletum tenuit*, & paulo poſt. *Occupata vero ab Ionibus Mileto, mares omnes interfecti, præter eos qui capta vrbe, fuga ſibi ſalutem quæſiere. Illorum coniuges & filias victores vxores duxerunt. Nilei ſepulchrum non longe à portis eſt &c.* reſtauratam apparet à Nileo, vt propterea etiam condita ab eodem dicatur.

V. *Epheſus,*

IDEMQVE de Androclo Epheſi dicendum. De quo idem Pauſanias poſt explicatam antiquam Epheſum. *Androclus*, inquit, *Codri filius dux Ionum, qui Epheſum venerant Lelegas & Lydos in ſuperiore vrbis parte habitantes eiecit. Sacræ vero areæ*, vbi videlicet conditum erat Dianæ templum, *inquilini, fœdere cum Ionibus icto, omni belli metu caruerunt. Samijs etiam Samon Androclus ademit: eamque inſulam ad quoddam tempus poſſederunt Epheſii, cum reliqua etiam contiguarum inſularum vicinia. At enim cum ſedes priſtinas Samii recepiſſent, Prienenſibus contra Caras auxilium tulit Androclus; cumque Græci è prælio victores diſceſſiſſent, ipſe in pugna cecidit. Eius cadauer ſublatum Epheſij ſepulturæ intra fines ſuos mandarunt.* hæc Pauſanias. Apud quem leges aliarum quoque nobilium ciuitatum origines, ab hac Ionum colonia, quemadmodum & apud Strabonem. nos ad ſacram redimus hiſtoriam, quæ deinceps triẽnii famem exponit.

& aliæ vrbes.

c cap. 21.

d l. 7. c. 10.

VI. *Primus annus famis ſub Dauide.*

AMBIGVAM porro facit Scriptura [c] horum trium annorum famis collocationem, cum ſimpliciter dicat, *facta eſt quoque fames in diebus Dauid tribus annis iugiter*; quomodo etiam habetur Hebraice, Græce, Chaldaice. Ioſephus [d] ſecutus ſeriem narrationis Scripturæ, poſt prædictum ciuile bellum tradit exortam: nec apparet vlla ratio cur alio referenda ſit, proptereaque qui eius meminerunt, hoc ei tempus attribuunt, nominatimque Torniellus; licet hunc annum Dauidis vigeſimum ſeptimum vocet, [e] qui nobis eſt trigeſimus ſecundus. De cuius cauſa dicetur anno tertio, quo diuinitus reuelata perhibetur. Si enim prius cauſam famis, & remedium didiciſſet Dauid, prius vtique illam, adhibito remedio, depuliſſet. Ait autem Abulenſis, Lyranum ſecutus, [f] hanc famem in diebus Dauidis contigiſſe, quod is in culpa eſſet, eo quod manifeſtam iniuſtitiam, quæ commiſſa fuerat aduerſus Gabaonitas, ipſe factus populi iudex non puniuiſſet. Quod mihi non ſatis probãt. Aberat enim Dauid ab aula, & latitabat in ſyluis, & cauernis, cum Gabaonitæ à Saule vexarentur: & ſi forte id poſtea reſciuit, potuit credere hanc culpam morte Saulis, & filiorum eius fuiſſe expiatam.

e an. 4. ætat. 463.

f q. 6. & 7. in c. 21.

ANNVS MVNDI 3013. DILVVII 1357. QVINTÆ ÆTATIS 74. EXITVS AB ÆGYPTO 470. ARCÆ IN SIONE 24. REGNI DAVIDIS 34. ABIATHARIS PONTIF. 39. TROIÆ EXCISÆ 142. EVPALIS 23. IMPERII ASSYRIORVM. 1082.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1040.

I. *Reliqui anni famis.*

EXISTIMAT Rabi Salomon, apud Lyranum & Abulenſem, Dauidem primo anno famis non conſuluiſſe Dominum; eo quod credidit ſterilitatem terræ contigiſſe ex curſu naturali temporis, id eſt ſterilitatem mere eſſe naturalem, ſiue vt Toſtatus interpretatur caſu, & ſine vlla peculiari cauſa, aut diuinç prouidentiæ cōcurſu accidiſſe. Quod rationi conſentaneum non eſt. Huiuſmodi enim publicæ calamitates pœnæ peccatorum ſunt, quæ à Deo ſcelerum vindice retrahēte beneficam manum ſuam, diuerſis temporibus immittuntur; ſicut bella & peſtis, quæ propterea Dei flagella & ſagittæ nominantur, & paſſim apud prophetas, Dominus ſe ea in populum ſuum immiſſurum minatur. Et certum eſt caſum & fortunam reſpectu Dei non habere locum. Itaque Gualterus

Ierem & Ezechiel Alexand.

- - - - - - - nemo temeraria credat,
Fortuitóue geri mundana negotia caſu.
Omnia lege meant, quam rerum conditor illis
Sanxit ab æterno.

II. *Idolum Michæ.*

SECVNDO anno, inquit, credidit famem, propter idolum Michæ, quod erat adhuc in tribu Dan contigiſſe, propter quod idolum illud deſtruxit. Verum id iam à Samuele confractum conflatumue, nec Dauidis tempore perduraſſe, alio loco docuimus [a] Perſeuerante nihilominus fame, anno tertio ait DOMINUM à DAUIDE conſultum mali cauſam aperuiſſe. Verum hæc ille Salomon non habet in commentariis in hunc locum. Exiſtimat ABULENSIS, [b] fortaſſe DOMINŪ biennio conſultum reſpondere noluiſſe, peccato aliquo offenſum, vt non ſemel contigit Sauli. Aut reuera non fuiſſe conſultum, DEO mentem hanc regi non dante, neque aulicis, aut conſiliariis eius, eo quod vellet DOMINUS peccata populi triennii ſterilitate caſtigare. Tardius certe principes, huiuſmodi populi vexationē quæ vix attingit optimates, aut norunt, aut ſentiūt, & conſequenter tardius quoque ei malo remedia inquirunt, ea cura in magiſtratus immediatos depoſita.

a an Othoniel ſ 12. n. 17.
b q. 3. in c. 21

III. *Dauid conſulit Dominum de fame.*

TERTIO itaque anno *conſuluit Dauid oraculum Domini*, per Abiatharem videlicet ſummum ſacerdotem, apud arcam fœderis, & propitiatorium, hic enim erat cōmunior, & expeditior conſulendi modus, qui etiam in Hebræo ſignificatur, vbi dicitur Dauid requiſiſſe faciem DOMINI. Et videlicet rogauit, vt quando tertiū iam annum ſterilitas ac fames populum ſuum continentur diuexaret, cauſam eius patefacere dignaretur, ſimulque quid piaculi requireret, ad offenſionem tam diuturnam penitus abſtergendam. *Dixitque Dominus* contigiſſe famem, *propter Saul, & domum eius ſanguinum*, quæ multum iniuſte ſanguinem effuderit, nominatim occidendis Gabaonitis. Ab ipſis autem, quid piaculi repetant, exquirendū eſſe. Hoc enim in arbitrio Gabaonitarum à Deo poſitum fuiſſe, Dauidis interrogatio ſignificat dicentis. *Quid faciam vobis, & cæt.* obiter autem Scriptura ſignificat qui eſſent Gabaonitæ, dicens non fuiſſe de filiis Iſrael, ſed reliquias Amorrhæorum, quibus filii Iſrael iurauerant ſe eos conſeruaturos.

IV. *Zelus Sauli contra Gabaonitas.*

NIHILOMINVS Saul eos zelo *pro filiis Iſrael & Iuda* interfecerit, & vltimo Saulis [c] anno declarauimus. Nimirum exiſtimauit indignum Iſraelitarum nobilitate, & ſuo erga DEUM ipſiuſq. legem zelo reliquias Amorræorum in medio tribus ſuæ relinquere, quod etiam atque etiam à Deo per Moyſem prohibitum fuerat, vſque adeo vt diceret; [d] *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanſerint erunt vobis quaſi claui in oculis, & lāceæ in lateribus, & aduerſabuntur in terra habitationis veſtræ, & quidquid illis cogitaueram facere, vobis faciam.* Verum exceptio in his facta fuerat, eorum-

c n. 23. 24. & ſeqq.
d Num 33. 56.

que ſalus ſub conditione oneris hactenus inuiolata, in rem iudicatam tranſierat, ac iureiurando firmatam. Quanquam non tam zelus legis, qua ſoluti erant Gabaonitæ, quam auaritia ac ſuperbia eum cenſentur permouiſſe: qui eorum bonis inhiaret, & probroſum genus contemneret.

Atenim cum multa Saulis peccata fuiſſent, vtique grauiora; nominatimque ſcelus occiſi ſummi Sacerdotis, cum 85. ſacerdotibus, & vrbe ſacerdotali funditus deleta, quare Dominus hoc peccatum etiam huius vitæ pœnis puniẽdum cenſuit? Et quare pœna, quæ in vniuerſum populum redundaret, cum videatur id vnius Saulis fuiſſe peccatum [a] Et priori quidem interrogationi ſatisfieri poteſt, ſi dixerimus id ex diuino iudicio, arbitrioque pendere, qui ſicut Amalecitanam inobedientiam [b] regni ac vitæ priuatione coërcuit, ita crudelitatem in Gabaonitas fame primum, deinde cæde filiorum Saulis voluit caſtigatam. Cætera autem ipſius crimina alterius vitæ iudicio, ſupliciiſque reſeruaſſe. Gabaonitis porro datam vltionem, ſiue quia illam continenter à Deo peterent; ſiue quia Dominus oſtendere voluit iuſtitiam ſuam, quæ etiam populum ſuum, in gratiam alienigenarum puniret, ſiue denique quod præſenti animaduerſione firmare voluit legem ſuam, de diligendis aduenis ad fidem conuerſis. *aduenam*, [c] inquit, *non contriſtabis, neque affliges eum*; erant iſti quidem indigenæ, recens tamẽ ad populum Dei aggregati fuerant. Eodemque pertinet illud. [d] *Dominus facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atq; veſtitum. Et vos ergo amate peregrinos*, eos ſcilicet maxime, qui propter animæ ſuæ ſalutem, peregrini fiunt.

V. Cur punitus, prætermiſsis eius peccatis.

[a] Abul. q. 13. in c. 21.
[b] 1. Reg. 28 18. & c. 15 13. 24.
[c] Exod. 22. 21. & c. 23 9.
[d] Deu. 10 18 vide Leuit. 19. 33 34.

Redvndavit autem culpa Saulis in populum vniuerſum, ſicut paulo poſt, pro Dauidis culpa, triduo peſtis in populo ingenti cum ſtrage deſæuiit; quoniam princeps & populus quoddam corpus ciuile conſtituunt, nec mirum eſt quando caput languet cætera membra dolere. Quamquam in hac culpa non parum participaſſe populum ſatis liquet, eos vexando, & Saulis improbæ voluntati obtemperando, cui tamen reſiſtere debuiſſet agnita iniuſtitia, ſicut eidem reſtitit occidere volenti Ionatham. [e] Peccauerat quoque propria cupiditate, eorum hæreditatem ambiendo, & ſibi vſurpando, quæ eſt Hebræorum in traditionibus ſententia, de qua diximus alio in loco. [f] Addit etiam Toſtatus [g] forte populum alia quapiam in re deliquiſſe, quam Dominus fame caſtigarit, vt occaſione eius manifeſtum fieret peccatum, contra Gabaonitas admiſſum, ac reipſa vindicaretur, quod alioqui neglectum fuiſſet, vt fere ſolent cauſæ tenuiorum contemni, præſertim ſi potentes aduerſarios ipſos habere contigerit. Poteſt autem vna pœna duobus peccatis reſpondere, quorum alterum tantum patefiat: ſicut profectio Samuelis ad Iſai, [h] ob geminum finem, inunctionis & ſacrificii fuit, & tamen primario fine tacito, alter euulgatus eſt.

VI. Culpa, & pœna in populum redundauit.

[e] 1 Reg. 14. 45. vt docet Abul. q. 8. c. 21. 2. Reg.
[f] a. m. 2979. n. 25.
[g] q. 8. & 10 & 22. ſi.
[h] 1. Reg. 16. 1.

David ergo intellecta mali cauſa, ne vlteriore dilatione expiationis, negligentiæ reus fieret, vocatis Gabaonitis dixit ad eos. *Quid faciam vobis, & quod erit veſtri piaculum*? quid ſatisfactionis nomine deſideratis accipere, *vt benedicatis hæreditati Domini?* Putabantur enim quotidie mala Iſraelitis imprecari, Deumque eorum gemitibus exoratum Iſraelitas affligere. Nam de huiuſmodi miſerabilibus perſonis habetur in lege Domini, [i] *Si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia miſericors ſum*. Et alibi. [k] *Ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum*. Et Sapiẽs eleganter. [l] *Non accipiet Dominus perſonam in pauperem*, etiam regiam Saulis, & filiorum eius vt eorum culpas in miſeros Gabaonitas diſſimulet, ſed *deprecationem læſi exaudiet. Non deſpiciet preces pupilli; nec viduam ſi effundat loquelam gemitus*; & alia pleraque in eandem ſentẽtiam. Exiſtimant autem Hebræi [m] valde probabiliter Dauidem iſtis Gabaonitis vt pauperibus, & vili Iſraelitarum ſeruituti addictis, aliquam pecuniæ ſummam in ſatisfactionem & expiationem peccati obtuliſſe, eamq; ab eis repudiatam, dicentibus; *non eſt nobis ſuper argento, & auro quæſtio*.

VII. Dauid agit cum Gabaonitis de piaculo famis.

[i] Exod. 22. 27.
[k] Deu. 15. 9.
[l] Eccl. 35. 16
[m] apud Abul. q. 17. in c. 21. 2. Reg.

Qvi prius vſque adeo abiecti erant, vt ne liberos quidem gemitus aduerſus Iſraelitas à quibus opprimebantur habere viderentur, ſed taciti Deum vltionũ in auxiliũ appellarent, nunc animaduerſo diuino in populũ flagello, in gratiã ſui, animos erigunt, fidenterq. etiam in domum regiam inſurgunt, & regiũ ſanguinẽ in expiationem efflagitant. Non quærimus, aiunt, vt iniuriæ, & clades quas perpeſſi ſumus, multa aliqua pecuniaria expientur, aut cuiuſquam ex toto Iſraele

VIII. Petunt totã Saulis familiam exſcindi.

SAVLITÆ SVSPENSI A GABAO-NITÆ.

interitu, etſi vniuerſe à toto populo, regi conſentiente violati ſumus, quemque vindex oppreſſorum pauperum tertium iam annum terræ ſterilitate caſtigat, ſatis eſt nobis Saulis familiam piaculum fieri ac puniri. *Quid ergo vultis*, ait Dauid, *vt faciam vobis? Qui dixerunt regi, Virum qui attriuit nos, & oppreſsit inique, ita delere debemus, vt ne vnus quidem reſiduus ſit de ſtirpe eius in cunctis finibus Iſrael.* Pœnam quodammodo talionis exigunt, vt familia eius à quo afflicti ſunt, ea quæ eum repræſentat, affligatur; & à quo exterminati ſunt de Iſrael, exterminetur, à quo interfecti ſunt, interficiatur.

IX. *...unctatur ...auid.*

HIC Dauid virorum mitiſſimus magnitudinem vltionis huius deprecari, vt quæ pro vnium perſonarum afflictione totam familiam regiam velit exſcindere. Addit etiam fortaſſe ſe iurando prohiberi, quo minus id permittat. Nam in 1. Reg. [a] iurauit Dauid Sauli ſe non deleturum ſemen eius poſt eum, neque ablaturum nomen eius de domo patris ſui. Iurauerat quoque Ionathæ & fœdus cum eo ſæpius inierat, de conſeruanda poſteritate eius. [b] Itaque moderationem quãdam à Gabaonitis, circa hanc eorum poſtulationem petiit: neque enim veriſimile eſt eos qui petebant, vt ne vnus quidem de Saulis familia relinqueretur in viuis, ſponte ſua ſeptem duntaxat petituros fuiſſe. Audita ergo regis exceptione, qui religione prohibebatur eorum voluntati plane acquieſcere: *Dentur* inquiunt *nobis ſeptem viri de filiis eius, vt crucifigamus eos Domino*, ad eum ſcilicet placandum, vel coram DOMINO & publice, vnde mox ver. 9. dicuntur eos crucifixiſſe in monte coram Domino, *in Gabaa Saul quondam electi Domini.* Nunc autem reprobati, ſubſtituto in eius locum Dauide, ipſiuſque familia.

a c. 24. 22.

b 1. Reg. 20. 42 & c. 23. 18.

X. *...ptem po...ſlant, & ...petrant.*

SEPTEM poſtularunt, cum enim viderent nouem omnino filios, de Saulis poſteritate reperiri (nulla enim habetur ratio fœminei ſexus) & Dauidem ſcirẽt peculiari affectu Ionathæ filios proſequi, qui duo erãt Miphiboſeth & Micha filius eius, ſeptem reliquos poſtularunt, rati ſatis in duobus illis fidem tam Sauli, quã Ionathæ datam ſeruari, cum in huius liberis illius poſteritas conſeruaretur. Nam quod legem Domini videntur violaſſe, [c] qui pro paterno peccato filios morti addici volunt, id de humano iudicio intelligendum eſt; in diuino enim ad quod præſens iudicium pertinet, omnes æque morti obnoxii ſunt, vt filii iræ: & Deus æque Dominus eſt nocentum atque innocentum, vt eorum animas pro arbitrio tollat, ſine cuiuſquam iniuria; Nam quod apud Ezechielem prophetam negat Dominus filium portaturum iniquitatem patris, id communis doctorum calculus, de pœnis alterius vitæ interpretatur. Quamquam iſti Saulis filii, etſi culpa vacarunt aduerſus Gabaonitas, neq; enim id per ætatẽ potuerunt, alia tamẽ peccarant, ob quæ Dominus eos ſupplicio affici, ſimulque famis piaculum eſſe voluit. Etſi autem Saulitarum pœna nihil videbatur remedii prꝺteritis eorum malis afferre, proderat tamen ad præcauendum futura: præterquam quod affligentium pœna, non leuis eſt afflictorum conſolatio.

c Deut. 24 16.

XI. *...n ſine ...lpa Da...dis.*

QVID Dauid? an ſine culpa Saulitas ſe morti traditurum promittit? Vtique ſine culpa, qui ſciebat Dei eſſe voluntatem publico & infami talium perſonarum ſupplicio, oſtendere quantum ſibi diſpliceat, oppreſſio pauperum, & iuriſiurandi etiam poſt aliquot ſecula violatio, & ſimul patefacere, quam alte diuinæ menti odium in Saulem inſediſſet, cuius familiam, etiam cum publico dedecore, cuperet exterminatam. Vt hic iterum dicere poſſet Miphiboſeth. *Neque enim fuit Domus patris mei, niſi morti obnoxia Domino Deo.* Et quamuis graue videbatur Dauidi inſontes ſupplicio probroſo dedere; acquieſcebat, tamen cum ex altera parte commune totius populi damnum præponderaret, & illi hoc in negotio pareret, qui cum vitæ, mortiſque ſit Dominus, totum ciuile corpus, hac quaſi ſanguinis miſſione, curare cupiebat. Prouidebat quoque Dominus publicæ tranquillitati, ne inter Saulis & DAVIDIS poſteros, pro regno ciuilia bella ſuccreſcerent; cui prouidentiæ DAVID haud inuite ſeruiebat; Neque enim illius prouidentiæ, quæ humana conſilia non ſuperat, ignarus erat is, qui dicebat DOMINO, *incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Simpliciter tamen eos occidi noluiſſet, eoque ipſum natiua lenitas atque humanitas inclinabat, cuius haud obſcurum argumentum eſt, quod pecunias Gabaonitis obtulit, vt iis ſine ſanguine fieret ſatis.

...ei proui...ntia in ...rum ſup...icio.

d Pſal. 50. 8.

a vid. Abul. q. 17. & 18. in c. 21. 1. Reg.

XI. An violare iuſiurandū factū Saul. ...

Iam quod ad iuramentum Sauli præſtitum à Dauide, [a] dici poteſt ipſum ea lege diuinitus, atque humanitus fuiſſe ſolutum; nam Deus hos volebat occidi; & Saul, qui poſt datam Dauidi fidem, mutuumque iuſiurandum, rurſum hoſtiliter ſeſe contra eum geſſerat, irritam reddiderat fidem, atque iuſiurandum. Accedebat quod iuſiurandum eo ſpectabat, vt ne ſæuiret Dauid in poſteros Saulis, in vindictam vexationis ab eorum parente toleratæ; non autem vt nulla omnino de cauſa, ac ne peccantes quidem punire poſſet, fieret enim iuſiurandum peccandi irritamentum, & non firmamentum religionis. Iuramento autem Ionathæ præſtito, humanitus quidem non ſoluebatur, nihil enim a Ionatha perpetratum fuerat in Dauidem, quo facto illa obligatio ſolueretur: itaque tenebatur filios Ionathæ quantum in ſe eſſet, morti eripere, quod & fecit. Ideoque mox ſubditur pepercisſe regem Miphiboſetho filio Ionathæ, propter iuſiurandum Domini, quod fuerat inter Dauid, & inter Ionathan filium Saul. Diuinitus autem, æque liber factus eſt, atque immunis à iuramento Ionathæ præſtito, ac Sauli.

Et Jonath ...

XIII. Qui addicti ſupplicio de filiis Saulis.

b 2. Reg. 3. 7

c 2. Reg. 21. 8

d an Daui. 31 n. 10. 2. Reg. 19. 31.

Spopondit ergo Dauid Gabaonitiis ſe ipſis daturum ſeptem liberos de ſtirpe Saulis. *Tulit itaque rex duos filios Reſpha, filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni & Miphiboſeth*, Hæc eſt illa Reſpha concubina Saulis, quæ illo mortuo ſeſe Abneri permiſit, [b] pro qua obiurgatus Abner ab Iſboſetho, defecit ad Dauidem. Hos ergo duos primum morti addixit Dauid, vt qui proxime attingebant Saulem 4. legitimis pridem interfectis. Adiecit, *& quinque filios Michol*, ait Scriptura, [c] *filii Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi.* Patria ponitur ad differentiam alterius Berzellai, de quo paulo ſuperius actum eſt [d] cum de reditu Dauidis ageretur, qui erat Galaadites de tribu Gad. [e] Hic autem ex tribu Simeonis oriundus erat: in ea enim tribu ponit Molathi Adrichom. Hieronymo non repugnante: quamuis Toſtatus malit referre ad tribum Beniamin.

f an. Saul. 11 n. 10.

g ca. 18. v. 19

h l. 1. de Sal c 8. n 3. in ſimili locu.

i c. 63. p. 965.

k Contr. 1. c. 9.

XIV. Filii Michol, aut potius Merob.

Vervm antiqua dubitatio eſt, quam alio quoque loco attigimus, [f] quomodo Michol hic dicatur genuiſſe Hadrieli quinque filios, cum ei ipſa non nupſerit, ſed eius ſoror Merob, vt habetur in 1. Reg. [g] Reſpondet D. Hieron. in tradit. Merob genuiſſe eos naturaliter, Micholem autem cum careret liberis, eos propriorum filiorum loco nutriuiſſe, & ſibi in filios adoptaſſe. Quam reſponſionem paſſim amplectuntur interpretes; imo & Chaldæus paraphraſtes, qui vocat filios Merob, quos educauerat Michol. At Scriptura non dicit educaſſe, ſed genuiſſe Hadrieli; quæ phraſis veram matrem ſonat, & non nutricem, vt hic notat Caietan. & Pineda. [h] Itaque ille putat textum Hebraicum fuiſſe corruptum, & cuiuſpiam amanuenſis oſcitantia ſcriptum fuiſſe Michol, pro Merob. præſertim cum non tantum dicantur filii eius, quod ſufficiebat adoptioni, ſed addatur ab ea genitos Hadrieli, ad veram matrem deſignandam; forte Merob inquit Sa, etiam Michol dicebatur. Non puto ſane Caietani ſententiam temerariam, aut valde abſurdam. Et huiuſmodi alia menda ex Rabinorum confeſſione, notat Leo Caſtrius in Eſaiam, [i] Et P. Gordonius in ſuis controuerſiis. [k]

XV. 7. Filii Saulis aguntur in crucem. quomodo, vbi,

quando.

l v. 6. & 11.

Dedit ergo Dauid hos ſeptem partim filios, partim nepotes Saulis *in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino.* Reſpondet id verſioni Aquilæ, habet enim ἀνέπηξαν, *confixerunt*, & infra dicitur *oſſa eorum qui affixi fuerant.* alii libri paſſim habent ἐξηλίασαν, quaſi dicas, *ſoli expoſuerunt*, ſiue fune pendentes, ſiue funibus aut clauis alligatos cruci, ac confixos. Hebræam vocem Pagninus vertit ſuſpenderunt, Montanus ſtrangulauerunt; alii, egerunt in crucem. Id factum in monte, ſiue colle Gabaa, oppido Saulis, vbi fortaſſe iſti iuuenes habitabant; niſi potius de induſtria electus eſt ſupplicio locus; vt magis omnes intelligerent puniri peccatum Saulis; qui illic habitarat, ibidemque magnam Gabaonitarum partem interfecerat; quod ex eo probabile fit, quod ſacerdotes eo ex Nobe euocati trucidati fuerant, vt ex 1. Reg. c. 22. notum eſt. ſicque idem fuerit ſupplicii, & delicti locus. [l] Additur etiam tempus, quo iſti ſupplicio affecti ſunt: in primis videlicet diebus meſſis, incipiente meſſione hordei, id, eſt ſub initium veris, & feſtum azymorum.

XVI. *Reſpha humanitas in cadauera.* Seqvitvr eximium humanitatis exemplum. *Tollens enim Reſpha filia Aia cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram.* Hebraice habetur extendiſſe ſaccum, ſiue rudiorem aliquam telam, paleis vt apparet refertam, vt ibi aliquid quietis acciperet, dum excubias ageret, pro corporibus filiorum ſuorum, quas viciſſim cum alio quopiam ageret, [a] ne obrepente ſomno irritus fieret ei multorum dierum labor, & cuſtodia inanis. Probabile etiam eſt mulierē, quæ fuiſſet regis concubina, & huiuſmodi quæ à principe militiæ poſt eius mortē amaretur, non caruiſſe aliquo tabernaculo, vt ibi aliquo modo à radiis ſolis, & nocturno aëre tegeretur; præclaro maternæ charitatis exēplo. Præſertim cū hæc cuſtodia nō paucorū dierū fuerit, *Quandiu ſuſpenſa.* ſed ſex circiter menſiū, vt aiunt Hebræi, à Martio ſcilicet ad Septembrē; ab initio meſſis hordeaceæ, *donec ſtillaret aqua de cælo ſuper eos.* Cum autem patibulis adſtaret vt volucres, ferasque abigeret, quod è remotiore loco efficere nequiuiſſet, intolerabili cadauerum tabo fluentium fœtore in ſolis ardore perfundi neceſſe erat; vt ſpectaculum etiam oculis ingratiſſimum, & animo alioqui execrandum ſileatur.

a Abul.q 30 in c.21.ū

XVII. *An contra legem.* Svspensionis porro diuturnitatem miram facit ipſa lex, [b] *Cum adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Et primum dubium non eſt, Dauide non ſolum conſcio, ſed etiam iubente id factum fuiſſe. Adiiſſet alioqui regem mulier, & ſepulturam impetraſſet, vt ſe ſuoſque grauiſſimo labore, ærumna, luctu, dedecore, liberaret. Ac ne populus quidem legem violari paſſus eſſet, & terram ſuam execrato onere contaminari, [c] niſi ea rex inde tolli vetuiſſet; iuſſiſſetque ea cadauera manere in patibulis, vſque ad ſuperuenientem pluuiam; quoniam illa erat indicium diuinæ clementiæ exoratæ, ad quam propitiandam illi ſuſpenſi erant, & ſuo illam modo implorabant. Sicut autem diuina voluntate ille morti traditi ſunt, præter culpam propriam, ita præter ordinationem legis, ad longum tempus pependerunt. Quo toto tempore triſtis mater *non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem*, donec ſepulturæ, propitiato numine, honorifice traderentur.

b Deu.21.23

c Abul.q 31. ibid.

XVIII. Hanc hiſtoriam Ioſephus dum contrahere cupit, fœde truncauit, ac deformauit. Nam totam hanc egregiæ mulieris humanitatem ac fortitudinem, ingrato ſilento miſſam fecit, genus ſupplicii, pudore opinor regii ſanguinis, diſſimulauit; locum, etſi is non parum ad rem faciebat, plane præteriit; tempus etiam vitiauit, cum confeſtim à ſumpto ſupplicio pluuias à Domino datas finxit. Ait enim. [d] *Cum Gabaonitæ ſeptem è Saulis progenie depoſcerent ad ſupplicium, rex perquiſitos eis tradidit: Memphiboſto tamen Ionathæ filio parcens. His acceptis Gabaonitæ, vt libitum eſt in eos animaduerterunt: confeſtimque pluente Deo, terra poſito ſqualore ad priſtinam felicitatem rediit:* ἀνέζησε δ᾽ ὑπὸ πραγμάτων ἡ γῆ. Nec contentus ea mulieris iniuria, ipſam etiam Dauidis humanitatem in Saulis, male de ſe meriti, & filiorum, ac nepotum eius lipſana, quæ honorificæ ſepulturæ mandauit, ipſe memoriæ mandare neglexit: quæ nos ex Scriptura ipſa diſcemus.

d l 7.ant.c. 10.

XIX. *Mandantur ſepulchro patrio, cum Saule &c.* Nvnciata enim ſunt Dauidi, quæ fecerat Reſpha, videnſque cor Domini verſum eſſe ad populum ſuum; voluit non ſolum hos tradere ſepulturæ, ſed eadem opera oſſa Saulis & filiorum eius paterno ſepulchro, more maiorum inferre: ex quo more, ac ritu Berzellai nuper aulicam vitam recuſauit, vt reliqua vita domi tranſacta, ſepeliretur in ſepulchro patris ſui, & matris ſuæ. Et Achitophel noluit Hieroſolymis perire ſuſpendio, ſed crucem ſibi elegit in patria, vt ibi eodem cum patribus ſuis ſepulchro conderetur: accepto à ſanctis ipſis patriarchis exemplo. *Abiit* ergo *Dauid*, & plurima videlicet cum eo populi multitudo, ad inimicum quondam ſuum, eiuſque filios ſupremo honore afficiendos, *& tulit oſſa Saul, & oſſa* Ionathæ *filii eius*, ſimulque Abinadabi & Melchiſuæ, *à viris* Iabes Galaad, *qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderant eos Philiſthiim, cum interfeciſſent Saul in Gelboe, & aſportauit inde oſſa eorum, & colligentes oſſa eorum qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, &* Ionathæ *filii eius, in terra Beniamin, in latere, in ſepulchro Cis patris eius.*

2.Reg.19. 37.c.17.23.

XX. *Regis in eos pietas.* Significatvr Saulem vulgari ſepulchro, & non regio ſepultum fuiſſe, quia regnum familiæ eius in eo cœpit, & deſiiit. Exiſtimat tamen Abulenſis, hoc

ſepulchrum egregio quopiam opere exornatum, propter ſtatum regium, & ſcilicet propter Ionatham amicum ſuum; propter quem, & multo maxime propter Deum, dilexit atque honorauit inimicum. Plana porro eſt tota hæc hiſtoria ex iis quæ vltimo Saulis anno, ex primi regum extremo dicta ſunt, præter illud quod hic in latere ſepulti dicuntur, ſicut Septuag. ἐν τῇ πλευρᾷ: nimirum montis alicuius, extra oppidum Gabaa, iuxta morem Hebræorum, ſuos extra oppida tumulantium. Rectius alij, id vocabulum vice nominis proprii Selach poſitum putant. Quam vocẽ retinuit Pagninus, Montanus, Emanuel, Vatabl. aliique. Quod autem illic in muro, hic in platea ſuſpenſi dicuntur, quid abſurdi eſt, ſi murus erat in platea, aut platea potius adiaceret muro? *Fecerunt* ergo famuli Dauidis circa hoc funebre officiũ, *omnia quæ præceperat rex, & repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc*, fine impoſito ſterilitati. Et hæc de triennij fame, eiuſque remedio dicta ſint.

צלע

Locus ſepulchri.

ANNVS MVNDI 3014. DILVVII 1358. 5a. ÆTATIS 75. EXITVS AB ÆGYPTO 471. ARCÆ IN SIONE 25. DAVIDIS REGNI 35. ABIATHARIS PONTIF. 40. TROIÆ EXCISÆ 143. EVPALIS 24. IMPERII ASSYRIORVM 1083.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1039.

I. *Quatuor prælia contra Philiſthæos.*

QVatvor bella, aut prælia potius deinceps, reliquo vigeſimo primo capite ſecundi Regum recenſentur, [a] quæ Dauidi, & ſeruis eius feliciter contra Philiſthæos ceſſerunt. De quibus etſi non conſtat quo quidq; anno contigerit; ſub hoc tamen tempus, poſt depulſam famem aut omnia, aut minimum tria eorum contigiſſe, communis eſt tam interpretum, quam chronologorum ſententia.

a 2. Reg. 21.

Primum quia ordo narrationis Scripturæ id exigit, à qua, niſi euidens ratio cogat, diſcedendum non eſt. Deinde quia huic diſpoſitioni Scripturæ verba fauent, quæ habet *rurſum factum eſſe prælium Philiſthinorum aduerſum Iſrael*, quo modo etiam habent tam græci, quam hebræi codices, rurſum, ſiue præterea, nimirum poſt eorum bella hactenus recenſita; nam *rurſum*, ſiue iterum, dicit ordinem ad præcedentia. Cumque eadem dicat Dauide iam deficiente viribus primum horum præliorum contigiſſe, recte id cum Dauidis ætate congruit, qui nunc ſexageſimum quintum agebat annum. Ioſephus horum bellorum narrationem inſtituens ϛρατεύεται δ᾽ αὐτ᾽ οὐ πολλῷ χρόνον ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τοὺς παλαιϛίνους. *Non multo poſt tempore rex in Paleſthinos expeditionem ſuſcepit.* Eadem ſentiunt Seuerus Sulpitius, cum Carolo Sigonio, Comeſtor, Lyranus & Abulenſis, Caietanus & Serarius, Vatablus & Sa, Dionyſius & Adrichomius, omneſque ſectarij. De tertio tamen bello eſt aliqua difficultas, de qua ſuo loco dicemus.

Ratio temporis.

l. 7. c. 10.

PRIMVM BELLVM.

II. *Primum, eiuſq; cauſa.*

FActvm *eſt*, itaque, *rurſum prælium Philiſthinorum aduerſum Iſrael*, quibus verbis Scriptura ſatis apertè docet, factum fuiſſe initium belli à Philiſthæis, quod Toſtatus quoque ſentit, licet in hebræis, græciſque codicibus ambiguum ſit, ab vtris bellum hoc fuerit inchoatum. Ioſephus autem [b] contrarium videtur ſenſiſſe, cum ait Dauidem aliquanto poſt terminatam terræ ſterilitatem, bello adortum eſſe Philiſthæos, vel in eos expeditionem ſuſcepiſſe; neque tamen liquet an prouocatus id fecerit, quod Hieronymis vulgata interpretatio ſignificat, quam ſequendo belli huius cauſam ex inueterato Palæſthinorum in Hebræos odio, variis occaſionibus recrudeſcente, atque exacerbato petamus licet. Quibus etiam ſuſcitabant animos noui gigantes, antiquo illi Goliatho

b l. 7. c. 10.

ſuppares, qui agminibus Dei viuentis exprobrabat ignauiam, ac timiditatem. Deus autem hoc bellum, & ſubſequentia permiſit, tum ne diutius virtus Dauidis exercitatione careret; tum vt iſtis, qui erant omnium hoſtium populi Dei ferociſſimi, recens à Dauide compreſſis, regnum tranquillum, & pacatum Salomoni pacifico traderetur.

Cur à Deo permiſſum.

III. *Dauidis periculum, & virtus Abiſai.*

DESCENDIT *Dauid,* [a] *& ſerui eius cum eo, & pugnabant contra Philiſthiim.* Quantus fuerit vtrimque belli apparatus, quæ virorum fortium præclara geſta, ſilentio ſcriptor ſacer inuoluit, præter vnum Abiſai, qui periclitanti Dauidi opportune præſidio fuit. *Deficiente Dauid* Ieſbi benob, 1 *qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum haſtæ trecentas vncias* 2 *appendebat, & accinctus erat enſe nouo, niſus eſt percutere Dauid, præſidioque ei fuit Abiſai filius Saruiæ, & percuſſum Philiſthæum interfecit.* Niſus eſt percutere Dauid, Septuaginta habent *cogitauit*, Hebræi, *dixit*. Significatur hunc gigantem cogitaſſe apud ſe, imo & iactabundum dixiſſe, ſe nouo enſe ſuo ipſummet Dauidem regem interfecturum; idque reuera conatum eſſe perficere, opimorum ſpoliorum auidum. Rem ſic explicat Ioſephus. *Rex prælio cum eis congreſſus, dum victos auidius perſequitur vltra cæteros, ſolus eſt longius prouectus. Hunc iã viribus ſolutum ac defectum conſpicit Acmon filius Araphi, vnus è gigantum ſobole, indutus loricam circulis conſertam, & lanceam gerens trecentos ſiclos pendentem, accinctuſque gladio: & conuerſus haud dubie confeciſſet regem, ni Abiſæus Ioabi frater repente ſuperueniens, cum protexiſſet iam proſtratum, & hoſtem trucidaſſet.* Sic ille, quæ ferme habet Theodoretus; ſed illud [illegible], quod non probauit, 3 omiſit.

[a] 1.2 Re.21 15.
1. χ.
2. [illegible]
ex Ioſepho.
[illegible]
[illegible]
3 χ.

IV. *Gigantis genus.*

CÆDEM gigantis aperte Scriptura tribuit Abiſæo non Dauidi; ſicut & Ioſephus, & Theodoretus, [b] & alii omnes. Solus Caietanus vult ab ipſomet Dauide occiſum adiuuante Abiſæo; Nec tamen hic caret culpa Ioſephus, qui nomen gigantis Iſbibenob, deformauit in Acmonem, ſed matrem etiam eius, vt quibuſdem placet, mutauit in virum. Rabini enim quidam apud Hieronymus in traditionibus, [c] putant Arapha eſſe Orpham cognatam Ruthæ. Nec cogitant illam Moabitidem fuiſſe, hanc autem Philiſthæam; illã hebraice dici [illegible] Gharpah. hanc autem [illegible] Harapha. Illam ante ducentos annos [d] nupſiſſe Chelioni, filio Elimelech, cum hæc non poſſit eſſe ſexagenaria maior, præſertim ſi filius eius erat iuuenis; ideoque dicatur accinctus enſe nouo, vt putat Abulenſis. Cæterum Arapha viri gigantis nomen eſſe, ex quo oriundus eſſet iſte Iſbibenob, partim vulgata explicat, quæ dicit *de genere Arapha*, partim Septuaginta Romanæ edit. qui habent ὃς ἦν ἐν τοῖς ἐκγόνοις τοῦ Ῥαφά, *qui erat de poſteris Rapha*, Aldi. Vvechel. & Baſil. ἐν ῥαφαείν Reg. τῶν γιγάντων, & hos ſecutus eſt Ioſephus.

[b] q.45 in l. 2. Reg.
[c] in c.20. 1 Par & apud Lyr & Abu. q. 18. in c.21 & q 17. in 1. Par. c.20.
[d] a m.2881. Vatabl.

V. *Dauidem ne prælia premant.*

Tunc iurauerunt viri Dauid dicentes. Iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael, ne ſcilicet gloria, & ſplendor Iſraëlis, te moriente extinguatur. Tantus enim rex ſummæ gloriæ erat Iſraëlitis, quæ obtenebranda videbatur, ſi is ab hoſte in bello caderet, & ipſius præclara facinora, perpetuæque victoriæ hoc triſti exitu obſcurarentur. Chaldæus habet, & non extinguas, vel pereat tecum regnum Iſraël. cui conſentanea eſt Ioſephi expoſitio. *Ne ſi propter fortitudinem, atque audaciam humanum aliquid ei contingeret, populus ea felicitate, quam ex ipſius adminiſtratione percipiebat, orbaretur.* Hanc prohibitionem cum iuramento elatam Theodoretus ſoli duci exercitus Ioabo tribuit, & addit. *Eſt enim* inquit *æquum. & expedit vt cedas ſenectuti, & intus ſedens ordines aciem.* Hæc de primo bello.

SECVNDVM BELLVM.

VI. *Alterum prælium vbi geſtum.*

QVÆ bella temporibus diſtinguere non poſſumus, titulis diſtinguamus. *Secundũ ergo bellum fuit in Gob contra Philiſthæos.* Vatab. habet in Nob, cum tamen in Hebræo ſit Gob, Græci habent tum Geth, tum etiã Gob. Adrichom. [e] in Benjamin ait Nob & Nobe & Gob eſſe eandem vrbem, quæ à Saule deleta eſt. At hoc bellum in Nobe, aut circa ruinas eius geſtum non eſt, ſed in Gazer, quæ erat in tribu Ephraim [f] vt mox dicetur. Pergit Scriptura. *Tunc percuſſit Sobochai de Huſathi, Saph de ſtirpe Arapha, de genere gigantum.* In 1. Paralip. [g] vbi huius quoque belli fit mentio, dicitur initum in Gazer aduerſum Philiſthæos, & reportata victoria humiliatos Philiſthæos. Forte quæ Gazer dicebatur ab Hebræis, Gob à

[e] nu.93.
[f] Iud. 1. 29.
[g] 1. Par. 20 4.

à Philiſthæis appellabatur. Eam enim vrbem Philiſthæi, in tribu Ephraim poſitam, poſſidebant, [a] vt dictum eſt anno Dauidis nono. [b] Nam Gazer & Gazera, & Gezer idem ſunt. Gazara etiam à Ioſepho dicitur, vbi hoc bellum in hęc verba deſcribit. [c]

a Ex 1.Par. 14.16. & 2. reg 5 25.
b num 23.
c l.7.c.10.

VII. *Eius epitome ex Ioſepho.*

Cvmqve *poſt hanc pugnam Palæſthini ad Gazaram vrbem conueniſſent, rex quamprimum hoc cognouit exercitum contra eos confeſtim ire iuſsit. In hac expeditione egregiam laudem, ob præclara facinora edita meruit Sobachis Chetthæus, vnus e fortiſsimis Dauidis militibus. Complures enim qui ſe de gigantum genere iactabant, & viribus eximiis inſoleſcebant, orco tradidit, præcipuus author victoriæ, quam tum Hebræus de hoſte reportauit.* Sic Ioſephus: Numeratur hic Sobochai inter fortes Dauidis, in 1.Paralip. [d] & videtur dici Mobonnai in 2.Regum. [e] Certe is eſt qui numeratur inter turmarum principes, quæ 24. millibus ſingulæ conſtabant, [f] & octauo quoque menſe miniſtrabat regi, qua de re ſuo loco ſupra diſputatum eſt. [g] Cur autem dicatur Huſathites: & quæ ſit Huſathi non inuenio; vtique non à terra Hus id nomen accepit, Huſites enim diceretur. Chettæum Ioſephus vocat, quo nomine Septuaginta appellant Hethæos, qui erant vna de ſeptem Chananæorum gentibus. [h] Pro Huſite autem ἀσατωῒ.

χετταῖος.
d c.11. 29
e c.23.27.
f 1.Par. 27. 11.
g Dauid a. 1 n.2.& ſeq.
h Deut.7.1.

TERTIVM BELLVM.

VIII. *Quod fuerit & quando geſtum.*

Seqvitvr tertium bellum, de quo tota eſt concertatio; de eo ſic Scriptura. *Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philiſthæos; in quo percuſsit Adeodatus, filius ſaltus, Polymitarius, Bethlehemites, Goliath Gethæum, cuius haſtile haſtæ erat, quaſi liciatorium texentium.* Quæ fere totidem verbis repetuntur in 1. Paralip. [i] excepto quod non dicitur percuſſus Goliath Gethæus, ſed frater eius, & omittitur prælii locus. Hoc bellum fuiſſe id, quod viuo Saule geſtum eſt, [k] in quo Goliath à Dauide occiſus eſt, plerique crediderunt, ſecuti Hebræos apud Hieron. in traditionibus. Gob, inquit, *interpretatur lacus; idcirco lacus, quia ſicut in lacum leonum quis mittitur, ita ſemetipſum contra Goliath David miſit. Adeodatus, ipſe eſt David.* Idcirco *dicitur Adeodatus, quia a Deo eſt electus in regnum; filius ſaltus, quia de ſaltu, vbi oues paſcebat, eſt eductus; Polymitarius, quia de genere Beſeleel mater eius fuit. Bethlehemites, Noemi & Ruth tempore vbertatis reuerſæ ſunt in Bethlehem, & quia panis cauſa Ruth à Booz nota eſt, propterea idem locus domus panis vocatus eſt. Quod vero Adeodatus ipſe ſit David, ſequentia declarant vbi ait, Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu David & ſeruorum eius.* Hactenus ibi Hebræi. Quæ fere totidem verbis habet Rupertus, [l] Angelomus, Comeſtor, Rabanus, Gloſſa, Lyranus, Abulenſis in 2. Regum: nam in 1.Paralip. mutauit ſententiam, in eadem ſunt Dion. & Hugo Carenſis. Nec eis quidquam fauet, niſi nomen Goliath Gethæi.

i cap. 20. 5.
k 1.Re.c.17
l l.2. in l. Reg c.36.

XI. *An à Dauide geſtũ.*

Frigidvm ſane argumentum. Potuit enim idem nomen ſortiri eius aut filius, aut nepos: ſicut in hoc ipſo capite [m] duo leguntur Miphiboſethi, alius Saulis filius, alius nepos: Duo item Ionathæ alius filius Simmaa fratris Dauid, alius filius Saulis. Gemina item reperitur Abigail, alia vxor, alia ſoror Dauidis. Quid quod in 1. Paral.c.20. is contra quem Dauid pugnaſſe dicitur, non Goliath, ſed frater eius appellatur? id eſt alter Goliathus, eique ſuppar, & quod rem magis conficit in hebræo textu, græcoque Lachmi appellatur. Quid quod hæc bella memorantur geſta à Dauide & ſeruis eius? Nimirum ſub regno eius, quando & ſeruos habebat: qui, cum pugnauit contra illum Goliathum, puer erat paſtoritius. Idque confirmatur ex eo quod hoc bellum, ſicut & præcedens, traditur in 1. Paralip. geſtum poſt bellum geſtum aduerſus Ammonitas. Et in 2. Reg. 21. appellatur tertium, quod oportuiſſet dici primum. Denique importuna eſſet iſta narratio, cum in toto libro ſecundo Regum ea ſola contineantur, quæ à Dauide rege contigerunt.

m 2.Reg.c. 21.

Illa porro nominum, quæ Dauidi parodicè tribuuntur, expoſitio myſtica eſt, non hiſtorica: & cum tam nouum, atque inopinatum ſit tribui Dauidi, oporteret alicubi extra hanc hiſtoriam illi tribui, dicique Adeodatum, ſiue Elcha. nam aut filius ſaltus, &c.

X. *An Elcha-*

Dicendvm itaque hoc bellum Dauide rege, & ſene contigiſſe, geſtumque

ab Elchana, qui vertitur Adeodatus, qui inter fortiſſimos Dauidis, 1. Paral. 11. [a] poſt Aſaëlem numeratur, qui & Bethlehemites ibidem dicitur; Nam & viri fortitudo congruit egregio facinori, quod hoc loco memoratur, conuenit & nomen & patria additur & cognatio, filius patrui Aſaëlis; quorum pleraque Dauidi conuenire non poſſunt. Hic ergo Elchanan, qui mendoſe fortaſſe à græcis dicitur, ἐλεανάν, patria Bethlehemites, filius Iahare, vt eſt in verſione Pagnini, idemque polymitarius, ſiue oregim, id eſt texentium, quem Chaldæus paraphraſtes ait fuiſſe filium textoris veli ſanctuarii, hic inquam Elchanan miles fortiſſimus, alterum Goliathum Gethæum in hoc bello interfecit, eoque illuſtri facinore primam laudem eſt conſecutus. Indicium autem fortitudinis, magnitudinis, ac roboris huius gigantis eſt, quod haſtile ipſius haſtæ erat, quaſi liciatoriũ texentium: cui ſcilicet & ferrum proportione reſpondebat, & gladius, & galea, & lorica, & ocreæ, & arma reliqua. Eum putat Abulenſis [b] fuiſſe reuera fratrem prioris Goliathi; qui ante annos 43. occiſus fuerat à Dauide, [c] & nunc ad bellum proceſſerit in vltionem ſanguinis fratris ſui, Sed dum quærit vlciſci alienum ſanguinem, irritus effudit ſuum.

[a] v. 26.
[b] q. 21. in c. 20 1. Par.
[c] Saulis 20. mundi 1971.

XI. *Hoc bellum Ioſephus permutat.*

TERTIVM hoc prælium Ioſephus prætermiſit, anceps fortaſſe animi, quid de vtroque Goliatho ſtatueret, ratuſque id prælium nihil ad hoc tempus pertinere; id peccatum omiſſionis diſſimulari poteſt; hoc vero non poteſt, quod pro eo aliud ipſe ſuppoſititium ingerit ab eo plane diſparatum. *Redintegrantibus*, inquit, *bellum Palæſthinis, & nouo exercitu in eos à rege miſſo, optime ſe geſſit Nephanus cognatus ipſius. Singulari enim certamine cum fortiſſimo Palæſtinorum congreſſus, occiſo illo effecit, vt reliqui terga verterent; multique hoſtium in eo pugna ſunt deſiderati.* Ita Gelenius fideliter græca vertit quæ extant. Rufinus autem alia nactus exemplaria, hunc vocat Ephan, Deinde non contra vnum ſingulari certamine congreſſum ait, ſed contra ſingulos Palæſtinorum fortiſſimos ſolum pugnaſſe, eoſq. peremiſſe. Comeſtor diuerſo etiam exemplari vſus, & poſt eum Dionyſ. hunc vocant Ephron, Abul. Ephran aiuntque ſuis, id eſt Iſraelitis in fugam verſis, ſolum plurimos hoſtium peremiſſe; & alios in fugam conuertiſſe. De quibus nihil habeo quod ſtatuam; præſertim cum Rufinus & Comeſtor mendis ſcateant & Nephanus hic nuſquam in tota Scriptura reperiatur, nedum in ea Dauidis cognatus habeatur.

QVARTVM BELLVM.

XII. *Vbi geſtum & qua de cauſa.*

RELIQVVM eſt quartum bellum, quod in Geth confectum eſt. *In quo vir fuit excelſus*, ait Scriptura, *qui ſenos in manibus pedibuſque habebat digitos*; *id eſt* 24. *& erat de origine Arapha, Et blaſphemauit*, ſeu probris affecit Iſrael. *Percuſſit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid.* Ex eo quod hoc bellum ad vrbem Geth confectum eſt, quam Dauid occupauerat, vt conſtat ex c. 18. primi Paral. & diximus ſupra anno Dauidis duodecimo, [d] colligere poſſumus cum Toſtato, [e] bellum hoc eius vrbis recuperandæ gratia ſuſceptum fuiſſe, ſed irrito conatu, & damno inſuper accepto; amiſſo nimirum inter alios viro excelſo, qui alibi à ſcriptura *longiſſimus* dicitur; in Hebræo, *viri ſtaturæ*, nimirum admodum proceræ, atque gigantææ, quam Ioſephus ſex cubitis, id eſt nouem pedibus definit, qui & digitorum prodigioſa multitudine terrori eſſe poterat. Imitabatur hic antiquum illum Goliathum, & cum imbelles & ignauos vocare non poſſet, vt ille olim, apellas credo vocabat, & circumciſos; eam enim ceremoniam illi execrabantur, vt alibi dictum eſt.[f]

[d] n. 2. 7. 8.
[e] in c. 21. 2. Reg.
[f] Saulis an. 11. n. 19.

XIII. *Ex Ioſepho.*

BELLVM hoc Ioſephus narrat in hunc modum. *Nec ita multo poſt rurſum caſtra metati ſunt ad quoddam oppidum, non procul Hebræorum finibus*, mirum eſt eum non nominare Getham, vrbem regiam; & celeberrimam, quæ nunc erat reuera in finibus Hebræorum, cum viculis, ſiue filiabus ſuis, vt à Scriptura nominantur; [g] pergit, *fuitque in eo exercitu vir ſtatura cubitorum ſex; cui ſeni digiti erant in manibus ac pedibus. Huic ex regis exercitu Ionathas Samæ filius ſolus ſe oppoſuit*, ſiue ſingulare contra eũ certamen accepit, *ſtratoque aduerſario maximum ad victoriam momentum attulit, & ipſe fortiſſimi viri laudem retulit. Nam & hic barbarus oriundum ſe à gigantibus iactabat. Hoc prælium cum gente fuit vltimum, non auſa poſtea ſe contra Iſraelitas mouere*: Ita Ioſe-

[g] 1. Par. 18. 1.
τῶν μονομάχων.

phus. Quod ſi admittimus, vt initium capitis ſequentis videtur poſtulare, bella quæ cap 23. referuntur, dicenda ſunt ad priora tempora pertinere, quæ fere ad ſuos annos retulimus.

SCHOLIA IN ANNVM 3014. *DAVIDIS REGNI* 35.

1. N. III. APPARET Iſbi-benob, eſſe compoſitã vocem; eam enim Hebræi diuidunt. Septuaginta vero etiam diuiſam vſurpant, *Ieſbi* ſcilicet, ſic enim legunt pro Iſbi omiſſa voce *benob*, quæ vox fortaſſe filium Ob ſignificet. Arapha enim non erat eius pater, ſed vnus de maioribus, puta auus, aut proauus, ad quem communiter alii quoque tres gigantes pertinebant. Hic idem Iſbi in hebræo dicitur *accinctus nouo*, cum ellipſi ſubſtantiui, quod Hieronymus in vulgata ſuppleuit addens *enſe*: alii ſubintelligunt particulam *de*, vt ſignificetur hic Iſbi nouus bellator, ſiue Neoptolemus, qui ſingulari facinore nomen quæreret.

2. N. III. Vnciæ nomen in hebræo nõ habetur, neq; ſicli, licet id Pagninus, declarandi cauſa, adiecerit: ſic enim habet: *& pondus ferri haſtæ eius erat trecentorum ſiclorum ponderis æris.* Et recte ille quidem: Duces enim habuit Septuaginta viros, quorum hæc ſunt verba, Καὶ ὁ σταθμὸς τοῦ δόρατος αὐτοῦ, τριακοσίων σίκλων ὁλκῆ χαλκοῦ. trecentos ſiclos Ioſephus habet; Eorum pondus cum ſemiunciæ fuerit, mirum eſt hic ſiclos in vncias verti. Abulenſis quidem hoc loco ait non conſtare an ſiclus & vncia ſint eiuſdem ponderis: ſed id tamen pro conſtãti accipiendum eſſe alibi ſatis oſtenſum eſt to. 1. an. 2138. n. 101. & ſeqq. & à Villalp. t. 3. p. 2. l. 2. c. 28. & alibi ſæpe. Vnciæ nihilominus nomẽ retinendum videtur: ſiue quia pondus trecentorum ſiclorum non eſt admodum memorabile. Trecenti enim ſicli, ſiue vnciæ 150. duodecim tantum librarum & ſemis põdus habent, quod modicum quod giganti videatur, præſertim cum l. 1. Reg. c. 17. conſtet ferrum haſtæ Goliathi ſexcentis ſiclis pependiſſe. Non eſt credibile hunc gigantem non vertiſſe ſibi dedecori ferre haſtam dimidio haſta fratris, aut cognati ſui leuiorẽ. An ſicut Septuaginta didrachmum pro tetradrachmo accipiunt: ita hic vncia pro ſemiuncia? an vncia pro indefinito pondere ſumitur?

Theodoretus ſic habet in manuſcripto regis Chriſtianiſſimi. Titulus quæſtionis 43. hic eſt. Πόθεν ὁ Δαβὶδ παραταττόμενος ἐξελύθη; & reſpondet: 3. Ibid.

Πρεσβύτης ἦν, ἐνίκα δὲ τῇ προθυμίᾳ τὸ σῶμα. πολλὼ δὲ πόνον ὑπομείνας ἐν τῇ συμπλοκῇ, πρόμαχος γὰρ τῆς φάλαγγος ἦν, διελύθη τὸν πόνον οὐκ ἐνεγκών: ἀναιρεθῆναι δὲ κινδυνεύσας ὑπὸ τοῦ προμάχου τῶν ἀλλοφύλων, παρὰ δόξαν ἐσώθη τοῦ Ἀβέσσα προασπίσαντος, καὶ τὸν μέγιστον ἐκεῖνον πολέμιον κτείναντος.

Quî factum ſit, vt Dauid deficeret in acie?

Senex erat, vincebat autem animi alacritate corpus. Cum autem in conflictu multum ſuſtinuiſſet laborem, erat enim primus in acie pugnans, defeſſus eſt, ac defecit non ferens laborem. Cum autem in periculum veniſſet ne occideretur ab eo, qui primus pugnabat inter alienigenas, præter opinionem ſeruatus eſt cum eum protexiſſet Abiſai, & maximum illum hoſtem interemiſſet. Sic Theodoretus.

De hoc Ionathan notat iterum D. Hieronymus in traditionibus in cap. 20. 1. Paralip. eundem eſſe cum Nathan propheta. *Ionathan*, inquit, *ipſe eſt Nathan propheta, qui habuit duos fratres Ioel & Ionadab. Idcirco ei hic nomen patris ponitur, quia inter præliatores deſcribitur. Vbi vero de prophetia eius ſcribitur, non ei annotatur pater, eo quod pater eius propheta nõ fuerit.* Ita Hebræi apud Hiero. Vnde videbatur ſumpta ea regula, qua Ribera & alii in prophetarum expoſitione vtuntur, vt cum propheta patrem nominat, is quoque propheta fuiſſe intelligatur. Cæterum iam ſupra probatum eſt alium eſſe Ionathan à Propheta Nathan, an. Saulis regis 8. n. 34. Interim autem Salomon decimum ſextum ætatis annum agens, ſub cura prophete Nathan ad omnem virtutem, & ſapientiam, cum eximia adoleſcentis docilitate, informabatur. 4. N. XII.

ANNUS MUNDI 3016. DILUVII 1360. 5ᵉ. ÆTATIS. 77. EXITUS AB ÆGYPTO 473. ARCÆ IN SIONE 27. REGNI DAVIDIS 37. ABIATHARIS PONTIF. 42. TROIÆ EXCISÆ 145. EUPALIS 26. IMPERII ASSYRIORUM 1085.

ANNUS ANTE CHRISTUM 1037.

I. *Dauid gratias agit Deo*

INGRAVESCENTEM Dauidis ætatem, nam ſeptimũ & ſexageſimum agebat annum, Deus illi immunem à bellis eſſe voluit. Imo & reliquam eius vitam; quam idcirco religioſiſſimus princeps in gratiarum actione, in Dei laudibus, in templi apparatu, in Salomone inſtruendo, & in regni ſucceſſorem informando, magna cum animi voluptate conſumpſit.

Hoc porro anno primùm ſe offert illa gratiarum actio, quæ cap. 22. & 23. continetur. Vbi tamen ex occaſione additur commendatio virorum fortium Dauidis cum aliqua eorum, quæ ab ipſis fortiter geſta fuerant commemoratione. Idonea enim eſt, principi materia Deo gratias agendi, quod ei fortes atque egregios viros, ad regni ſui adminiſtrationem, & propugnationem conceſſerit. Verum hæc agnitio diuinorum beneficiorum, quæ eſt humanæ conditionis infirmitas, tentationi vanitatis, ac ſuperbiæ obnoxia eſt, dum de ipſis non ſolide in Domino, ſed vane in nobis gloriamur. Quod ipſi quoque Dauidi, humanum aliquid paſſo creditur contigiſſe, cum vniuerſum populum ſuum numerari iuſſit. *Enumeratio populi.* Quæ enumeratio ad hunc annum magna ex parte referenda eſt; finis autem eius, & ſubſecuta caſtigatio, & expiatio pertinet ad ſequentem, vt ex ipſo textu clare colligitur.

II. *Ad hunc annum pertinet.*

POSITI quippe ſunt à Ioabo in enumerando populo nouem menſes, ac viginti dies; [a] peſtis autem quæ vnius diei fuit, incidit in tempus, quo Areuna cum filiis terebat in arca triticum [b] quod ad tertium, quartumue menſem pertinet, id eſt finem Maij, vel initium Iunij, vt ait Abul. [c] Primitiæ enim meſſis triticeæ de qua Scriptura hic loquitur, offerebantur in feſto Pentecoſtes, [d] quam ſolemnitatem aliquot diebus, vel hebdomadibus tam meſſis, quam tritura ſequebantur. Tritura autem ipſa facile ad quartum, quintumue menſem protendebatur: iuxta illam Domini promiſſionem. [e] *Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem.* Si ergo tertium menſem anni trigeſimi octaui Dauidis anteuertamus decem menſibus, incidet enumerationis initium in quintum circiter menſem anni trigeſimi ſeptimi, in quo verſamur. Quæ eſt fere chronologia Tornielli, [f] niſi quod ea tribuit meſſi triticeæ, quæ ſunt hordaceæ. Eamdemque rationem temporis etiam ſectarij probarunt.

a l. 2. Reg. c 24. 8.
b 1. Paral. 21. 20.
c q. 78. in c. 21. 1. Paral.
d Exod. 34. 22.
e leuit. 26. 5.
f an. Dauid 37. & 38. Codom. Caluiſ. Heluic.

III. *Quibus malis liberatus ſit Dauid.*

LOCVTVS *eſt* ergo *Dauid Domino verba carminis*, quod mox ſubiicitur, *in die*, ſiue tempore, quo ſe diuinitus liberatum agnouit de manu omnium inimicorum ſuorum, nominatimque de manu Saulis, à quo nimirum diutiſſimè omnium, duriſſiméque vexatus eſt, ab anno regni eius decimo, vſque ad mortem ipſius in montibus Gelboe. Cui ſucceſſit filius eius Iſboſethus, quo cum longa fuit ei de regno concertatio, cuius ille partes vndecim, Abneris fretus præſidio, poſſidebat. Sed ijs de medio, ſine vlla Dauidis culpa ſublatis, & vniuerſis tribubus eius imperio, ſumma voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum conſenſione ſubiectis, dedit ei Dominus optatiſſimam de Iebuſæis victoriam. Dedit antiquam Philiſthæorum tyrannidem, non ſolum excutere, ſed grauiſſimis etiam, creberrimiſque cladibus afflictos ſubiicere ſeruituti: Dedit plurimas Syrorum nationes, ad Orientem & Septentrionem late fuſas, dedit Ammonitas & Moabitas, & Idumæos grauiſſimiſque prælijs, ſecundiſſimiſque [illegible] mitos, maximiſque di-

diuitiis exutos, ſeruos reddere Iſraelitis, atque vectigales. Ciuilibus etiam bellis, & ſeditionibus domeſticis Abſalonis, & Sebæ, reddidit eum Dominus fortiorem. Poſtremo Philiſthæam, quaſi hydram nouis capitibus ſubinde pullulantẽ, quaternis victoriis ita fregit, vt de vita potius, quam de victoria cogitaret.

IV. *Cantica condit, & pſalmos.*

LIBERATVS ergo Dauid *de manu omnium inimicorum ſuorum*, & præclare conſtituto regno ſuo placidiſſima pace fruebatur, cum canticũ illud compoſuit, quod idem eſt cum pſalmo 17. cui initium eſt, *Diligam te Domine fortitudo mea*; Non vnum autem hunc pſalmum à Dauide ſcriptum hoc tempore Ioſephus [a] tradit, *Dauid*, inquit, *perfunctus iam bellis ac periculis, & in altiſſima pace degens, vario genere carminum odas, & hymnos in honorem* Dei *compoſuit, partim trimetro verſu, partim pentametro; inſtrumentiſque muſicis comparatis docuit Leuitas ad pulſum eorum laudes* Dei *decantare, tam ſabbatis diebus, quam in cæteris feſtiuitatibus. Species autem inſtrumentorum hæ fuere Cinnyra decem chordis intenditur, & plectro pulſatur, Nabla duodecim ſonos continet, ſed digitis carpitur, cumque his aderant & cymbala ærea, bene magna atque lata: quod ſane de prædictorum inſtrumentorum natura, ne prorſus ignorentur, dixiſſe ſufficiat.* Hæc ibi. Verum de toto genere carminum Dauidicorum & muſicorum inſtrumentorum, ad quorũ modos illi canebantur, & ad populi Hebræi aures magna cum varietate, ac iucunditate accidebant, conſulendi ſunt pſalmorum interpretes, qui extant longe plurimi, ne longius è re noſtra digrediamur. De Hebræis verſibus conſule Maſium in Ioſue.

a l. 7. ant. 10.

V. *Quæ eius verba nouiſſima.*

SEQVITVR deinceps [b] aliud quoddam Dauidis canticum, quod nomine nouiſſimorum Dauidis verborum prænotatur. *Quia*, inquit Hieronymus, [c] *poſt pſalterium, & cætera metra hoc compoſuiſſe metrum dicitur*. Itaque cum multa alia dicta poſt hæc à Dauide, factaque reperiantur; hæc nouiſſima dici intelligenda ſunt, eorum quæ ab eo ſpiritu prophetico ſunt pronunciata; quamquam non male Chaldæus, verba nouiſſima interpretatur de Meſſia, qui nouiſſimis temporibus venturus erat, iuxta illud Apoſtoli, [d] *nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, Et Ioannis, *filioli nouiſſima hora eſt*. Eſt enim hoc canticum non ſolum gratiarum actio pro beneficio electionis Dauidicæ familiæ ad regiam dignitatem, ſed ad venturi quoque Meſſiæ procreationem. Itaque domum ſuam confert auroræ, quæ nullis impedita nubibus aduerſarum rerum, fulget, ac rutilat, creſcitque ſicut ſolet herba è terra germinare infuſa pluuia. Recte autem ſimilibus hiſce venturus Dei filius adumbratur, qui ſe ipſum lucem mundi prædicat, & quem ſancti prophetæ ſub pluuiæ nomine prædixerunt. Notiſſimum eſt enim illud Iſaiæ. [e] *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.*

b ca. 23.
c in tradit.
d Hebr. 1. 1 Ioan. 2. 18.
e c. 45. 8.

VI. *Catalogus fortium Dauidis.*

SEQVITVR catalogus virorum fortium Dauidis, [f] qui habetur etiam in primo Paralipomenon, [g] non ſine aliqua diuerſitate, in numero, in ordine, in nominibus ſingulorum. Et quod ad numerum quidem attinet, non vno in loco triginta fortes Dauidis appellantur: [h] Qui tamen ſecundi Regum vigeſimo tertio extremo ponuntur triginta ſeptem, & primi Paralipomenon vndecimo longe plures. [i] Ex quo dicendum videtur, à principio ſiue cum Dauid eſſet in Geth, ſiue cum regnaret in Hebron, ſelegiſſe ex omnibus militibus ſuis florem ipſum numero triginta, in tres decurias diſtributum; quarum ſingulæ ſuum haberent principem, qui reliquos virtutis ac fortitudinis laude, meritiſque anteiret. Auctus eſt deinde fortium numerus, prout ſe quiſque ipſorum æmulatione nobili quopiam facinore extuliſſet, atque eximiſſet à plebe militum gregariorum; remanente nihilominus denominatione triginta fortium. Sic numerus Apoſtolorum ſemper duodenarius dictus, habituſque eſt, [k] quamuis ſuperueniente Paulo & Barnaba, & aliis, quos Paulus ipſe vocat Apoſtolos, [l] Epaphroditum, Iuniam, Andronicum.

Quis eorũ numerus.

f vide an. Dau 7. n. 19.
g c. 11. 10.
h 2. Reg 23. 13. 23. 24.
i 1. Par. 11 11. 15. 25.
k Math 10. 2. & Apo. 21. 14.
l Rom. 16. 7. Phil. 2. 25.

VII. *Quis ordo.*

QVOD attinet ad ordinem, perſpicuum eſt Scripturam geminam triadem eximiorum virorum, à reliqua fortium multitudine ſeponere. Nam Abiſai frater Ioab in primo Paralipomenon [m] dicitur *inter tres nominatiſſimus, & inter tres ſecundos inclytus, & princeps eorum, veruntamen vſque ad tres primos non perueneral*, quod ipſum de Banaia in 2. Regum ſcriptum eſt. [n] Primum ergo tres fortiſſimos ponit; deinde tres alios fortitudine ſecundos, prioribus ſuppares, non

Trias prior.

m c 11. 20. 21
n c 23. v. 23. & 1. Par. 11. 24. 25.

tamen plane pares: tum reliquos fortes circiter triginta: quibus maxime tribui poteſt illud, quod de Gadditis Scriptura [a] tradit. *Sed & de Gaddi transfugerunt*, inquit, *ad Dauid, cum lateret in deſerto, viri robuſtiſsimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & haſtam; facies eorum quaſi facies leonis, & veloces quaſi capreæ in montibus*. Suſpicari autem poſſumus priorem illam triadem fuiſſe tres decuriones trium decadum, poſteriorem autem quaſi prodecurionum, qui eos repræſentarent, ac ſupplerent vices. De omnibus vniuerſe Ioſephus ait tales fuiſſe, qui poſſent vel regiones ſubigere, vel multas gentes debellare. In iis autem non tam laudatur robur corporis, quod homini præter eius meritum, induſtriamue contingit, eſt tamen bonum, atque optabile quippiam; vt ſit fortitudinis inſtrumentum, [b] quam ipſa animoſitas, qua maximis periculis fortiter ſeſe, conſtanterque opponebant. De eorum porro habitatione, aut gymnaſio ſupra [c] diximus aliquid.

& poſterior.

a 1. Par. 12. 8.
b 1. Ethi. fin.
c an Dauid 19. nu. 6.

VIII. *In iis neq. Dauid, neque Ioab numerati.*

Singvlos iam quantum licebit inſpiciamus, ſigillatimque dicamus aliquid. Poſito primum Dauidem, imo & Ioabum militiæ principem extra omnem ordinem poni, propter ſummam ipſorum dignitatem, licet ambo animi corporiſq; fortitudine eſſent longe clariſſimi. Nam ſatis intelligitur quantus fuerit Dauid vir factus, & præliis quamplurimis exercitatus, qui adoleſcens vrſos & leones interfecerit, & gigantæam frontem, ferrea munitam galea, vnius lapidis ictu perfoderit. Et Ioab, qui eximiæ foritudinis præmium obtinuit, totius Hebraicæ militiæ principatum. [d] Coniicit Hugo illum à virorum fortium albo excluſum eſſe à ſcriptore ſacro, propter duos militiæ principes, per nefariam proditionem, iniuſtiſſime trucidatos. Idem pridem ſcripſerat Rupertus. [e]

d 1. Par. 11. 6
e l. 2. reg. c 37.

IX. *Quis ſedens in cathedra*

Et videtur quidem primus omnium numerari Dauid in ſecundo Regum. [e] *Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra ſapientiſsimus princeps*, nimirum Dauid; quæ vox etiam in pleriſque codicibus repetita inuenitur. Et ſanctus Hieronymus in traditionibus in hunc locum affirmat Dauidem primum hic poni, & à ſapientia, humilitate, & fortitudine commendari; & in primo Paralipomenon, [f] eundem Dauidem vocari Ieſbaam; cui plerique aſſentiuntur: in quibus Beda, [g] Rupertus, [h] Eucherius, Rabanus in Gloſſa. Lyranus, & alij plurimi, vt fatetur Abulenſis. [i] Quorum aliqui deſcribi quidem Dauidem illis verbis putant; non tamen eum inter iſtos fortes numerari, vt Hugo Cardinalis, Dionyſius, & alij. Nam Tigurina, *Hæc ſunt*, inquit, *nomina heroum, quos habuit Dauid, cum ſederet in ſolio ſapientiæ*. Tollit interpunctionem, quæ ſeſſorem cathedræ à Dauide ſeparat, quam libri quique emendatiſſimi retinent.

e cap. 23. 8.
f cap. 11. 11.
g 10. 4. l 30. qq 4. 9.
h l. 2. reg. c. 37.
i in c. 23. 2. Reg. q. 8.

X. *Num Dauid.*

Commvnior tamen nunc, veriorque ſententia eſt, hic neque Dauidem inter fortes numerari, neque illis verbis deſcribi. Prius illud ex eo aperte probatur, quod ſi numeretur Dauid, erunt in hoc numero triginta octo, non triginta ſeptem, vt in fine capitis habetur. Neque aptius quis Dauidem ſuis fortibus, quam ſuis militibus, aut ſubditis annumerarit. Poſterius etiam certo conſtat ex Hebraicis, Græciſque omnibus, & Latinis emendatis codicibus; in quibus nec geminatur Dauidis nomen; & deſcriptio ſedentis in cathedra, voce Dauidis interpunctione ſeparatur. Nata porro eſt hallucinatio, vt Abulenſis, & Serarius notarunt, ex eo quod proprium viri vocabulum, quaſi appellatiue ſumptum, in eius ſignificationem verſum eſt. Et hanc interpretationem ſequitur Ioſephus, [k] & quicumque hebraicum textum accuratius inueſtigant, Pagninus, Vatablus, Benedict. Caietanus, Arias; quibus adde Angelom. Dionyſ. Serar. Abul. [l] Pined, [m] cum Gloſſa intel. idque ex ſequentibus magis confirmabitur.

k l. 7. c. 10.
l q. 8. in c. 23.

XI. *Primus in priore triade Ieſbaam.*

Primvs ergo in priore heroum triade his verbis deſcribitur. [n] *Sedens in cathedra ſapientiſsimus princeps inter tres*; quibus verbis, tam Latinis quam Hebræis appellatiuis, reſpondent illa, quæ breuius habentur in primo Paralip. *Ieſbaam filius Hachamoni princeps inter triginta*. Rurſum illa, *Ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus*, hebraice leguntur per vocabula propria, *Ipſe Ghadino* Heſmita, Septuaginta Αδινὼν ὁ ἀσωναῖος. Verum hic Adino, vocatur Ieſbaam filius Hachamoni, in primo Paralipomenon, [o] & numeratur vtroque in loco immediate ante Eleazarum, qui eſt ſecundus in hac triade. Binominis ergo

Adino.

m l. 3. de Salomon. c 27 nu. 10.
n 2. Reg. 23. v. 8. Ioſeb, baſchebeth thachcemoni.
o c. 11. 11.

1.℞. videtur fuiſſe; quod putat etiam Caiet. 1. Quin & pater eius binomius fuit, ſi Lyrano credimus: vocatur enim Zabdiel primo Paralipomenon cap. vigeſimo ſeptimo, *Primæ turmæ*, inquit, *in primo menſe Ieſboam præerat filius Zabdiel, & ſub eo viginti quatuor millia. De filiis Phares princeps cunctorum principum in exercitu menſe primo.* Et ſic honorari oportuit, qui palmam fortitudinis duodecies centenis bellatorum millibus præripuit. Diuerſum tamen putat Toſtatus, quem anno primo Dauidis ſecuti ſumus.[a]

a num. 5.

XII. *Illuſtre eius facinus.*

Itaqve Ieſboam illuſtri facinore celebratur, quod *octingentos interfecerit impetu vno*, ſiue vna vice, ſiue vno prælio; intelligo cum Vatablo & Abulenſi, manu ſua, etſi aliter viſum Lyrano. Nam cum ſociis ſuis tot aduerſarios ſuos, etiam vno prælio occidiſſe, nulla gloria eſt. Nec obſtat quod 1. Paralipom. 11. dicitur. *Iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.* Octingentos enim omnino interfecit, ex quibus trecentos lancea ſuſtulit, vt vult Caietanus. Melius Toſtatus, Lyranus, Serarius ad diuerſum bellum referunt, diuerſaſque victorias. Et fortaſſe prouocauit eodem die trecentos ad ſingulare certamen, quos lancea deiecit, vulnerauit, occidit. Diuerſa quoque prælia Ioſephus agnoſcit. *Primus*, inquit, *Iſſemus filius Achemæi*, ſic enim nominat, *qui non ſemel in aciem hoſtium irruens, non prius à cæde abſtitit quam nongentos occideret.* Dicendum fuit *octingentos* cum Scriptura. Quem nihilominus Theodoretus errantem ſecutus eſt,[b] Dionyſ. putat hanc octingentorum cædem in Amalecitano bello contigiſſe, in quo à veſpera ad veſperam ſequentis diei pugnatum eſt. Hieronymus[c] qui cum Hebræis ſeſſorem cathedræ interpretatus eſt Dauidem, ait id præſtitiſſe in bello contra Philiſthæos, in quo ſcilicet præ laſſitudine deficiens, vitæ diſcrimen adiit.[d]

πολλάκις. ἐπαναστάς.
b q. 46. in 2. reg.
c in tradit.
d ſupr. ann. Dauid 35. n. 3.

XIII. *Secundus Eleazar.*

Secvndvs in priore triade eſt Eleazar, magno omnium textuum, linguarum, & locorum conſenſu; qui dicitur filius patrui eius Ahohites, id eſt, vt plerique interpretantur filius Dodi, poſita rurſum interpretatione vocabuli pro ipſo vocabulo proprio, Dodi enim vertitur patrui eius; Dod quippe patruum ſignificat. Græci autem codices magna ex parte habent, & vocabulum Dodi & interpretationem eius: dicitur enim υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ, υἱὸς Δωδί. interpretatione nominis, ex margine opinor, in textum illapſa. Ioſephus Dodeiæ filium appellauit, Ahohitem tacuit, ſicut & græci omnes codices; at Hebræi conſtanter addunt filium, id eſt nepotem Ahohi; etſi Adrichomius putet Ahohi ciuitatem eſſe in tribu Iuda.

Rom.

XIV. *Quid inſigne ab eo geſtum.*

De eius præclare geſtis hoc memoratur in ſecundo Regum,[e] fuiſſe eum inter tres fortes, qui erant cum Dauid, quando exprobrauerunt Philiſthiim, & congregati ſunt illuc in prælium. Illuc ſcilicet in Pheſdomin, vt eſt in primo Paralipomenon,[f] eſtque idem quod Dommin, in tribu Iuda, vt vult Adrichomius.[g] Dubium autem eſt vtri exprobrauerint. Vatablus, Pagninus & Arias habent quando probris affecerunt Philiſthæos, Abulenſis contra quando Philiſthæi exprobrauerunt Dauidi, & viris eius timiditatem: quam expoſitionem probabiliorem facit Iſraëlitarum fuga, quæ ſubditur. *Cumque aſcendiſſent viri Iſrael*, ad propria ſcilicet fugiendo, *Ipſe ſtetit, & percuſſit Philiſthæos, donec deficeret manus eius: & obrigeſceret cum gladio: fecitque Dominus ſalutem magnam in die illa, & populus qui fugerat reuerſus eſt ad cæſorum ſpolia detrahenda.* In libro Paralip. additur agrum regionis illius fuiſſe plenum hordeo, & alios quoque duos potentes cum eo ſtetiſſe: Si tamen eadem eſt hiſtoria.

e c. 23. 9.
f c. 11. 13.
g in ea. nu. 99.

XV. *Rigor manus eius.*

Illvm manus pugnatricis rigorem ſic explicat Vatablus, vt præ nimio labore, manus, quæ gladium tenebat; ſpaſmum contraxerit, ita vt finito conflictu, vix potuerit gladius educi ex eius manu. Eſt enim ſpaſmus tendonum contractio, quæ aliquando fit inanitione, cum præ nimio ſudore tendones ſicceſcunt, & contrahuntur. At Ioſephus aliter. *Hic in quodam prælio*, inquit, *Iſraelitis multitudine hoſtium territis, & in fugam verſis, ſolus locum ſuum non deſeruit, & congreſſus cum hoſtibus multos interfecit, adeo vt cruore gladius eius ad dexteram agglutinaretur. Quo viſo reuerſi in prælium Iſraelitæ, cedentem iam hoſtem vrgendo, admirandam, ac celebratam victoriam retulere, Eleazare ſternente, vulgo autem militum proſtratos ſpoliando.* Ex hac autem Iſraëlitarum fuga, recte colligit Toſtatus Dauidem

XVI. *Reſpha humanitas in cadauera.*

Seqvitvr eximium humanitatis exemplum. *Tollens enim Reſpha filia Aia cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram.* Hebraice habetur extendiſſe ſaccum, ſiue rudiorem aliquam telam, paleis vt apparet refertam, vt ibi aliquid quietis acciperet, dum excubias ageret, pro corporibus filiorum ſuorum, quas viciſſim cum alio quopiam ageret, [a] ne obrepente ſomno irritus fieret ei multorum dierum labor, & cuſtodia inanis. Probabile etiam eſt mulierē, quæ fuiſſet regis concubina, & huiuſmodi quæ à principe militiæ poſt eius mortē amaretur, non caruiſſe aliquo tabernaculo, vt ibi aliquo modo à radiis ſolis, & nocturno aëre tegeretur; præclaro maternæ charitatis exēplo. Præſertim cū hæc cuſtodia nō paucorū dierū fuerit, ſed ſex circiter menſiū, vt aiunt Hebræi, à Martio ſcilicet ad Septembrē; ab initio meſſis hordeaceæ, *donec ſtillaret aqua de cælo ſuper eos.* Cum autem patibulis adſtaret vt volucres, feraſque abigeret, quod è remotiore loco efficere nequiuiſſet, intolerabili cadauerum tabo fluentium fœtore in ſolis ardore perfundi neceſſe erat; vt ſpectaculum etiam oculis ingratiſſimum, & animo alioqui execrandum ſileatur. — *Quandiu ſuſpenſa.* — a Abul. q. 30 in c. 21. 2.

XVII. *An contra legem.*

Svspensionis porro diuturnitatem miram facit ipſa lex, [b] *Cum adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur.* Et primum dubium non eſt, Dauide non ſolum conſcio, ſed etiam iubente id factum fuiſſe. Adiſſet alioqui regem mulier, & ſepulturam impetraſſet, vt ſe ſuoſque grauiſſimo labore, ærumna, luctu, dedecore, liberaret. Ac ne populus quidem legem violari paſſus eſſet, & terram ſuam execrato onere contaminari, [c] niſi ea rex inde tolli vetuiſſet; iuſſiſſetque ea cadauera manere in patibulis, vſque ad ſuperuenientem pluuiam; quoniam illa erat indicium diuinæ clementiæ exoratæ, ad quam propitiandam illi ſuſpenſi erant, & ſuo illam modo implorabant. Sicut autem diuina voluntate ille morti traditi ſunt, præter culpam propriam, ita præter ordinationem legis, ad longum tempus pependerunt. Quo toto tempore triſtis mater *non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem*, donec ſepulturæ, propitiato numine, honorifice traderentur. — b Deu. 21. 23 — c Abul. q. 31. ibid.

XVIII.

Hanc hiſtoriam Ioſephus dum contrahere cupit, fœde truncauit, ac deformauit. Nam totam hanc egregiæ mulieris humanitatem ac fortitudinem, ingrato ſilento miſſam fecit, genus ſupplicii, pudore opinor regii ſanguinis, diſſimulauit; locum, etſi is non parum ad rem faciebat, plane præteriit; tempus etiam vitiauit, cum confeſtim à ſumpto ſupplicio pluuias à Domino datas finxit. Ait enim. [d] *Cum Gabaonitæ ſeptem è Saulis progenie depoſcerent ad ſupplicium, rex perquiſitos eis tradidit: Memphiboſtho tamen Ionathæ filio parcens. His acceptis Gabaonitæ, vt libitum eſt in eos animaduerterunt: confeſtimque pluente Deo, terra poſito ſqualore ad priſtinam felicitatem rediit:* ἐκλανδ᾽ ὕειν ... ὁ θεός. Nec contentus ea mulieris iniuria, ipſam etiam Dauidis humanitatem in Saulis, male de ſe meriti, & filiorum, ac nepotum eius lipſana, quæ honorificæ ſepulturæ mandauit, ipſe memoriæ mandare neglexit: quæ nos ex Scriptura ipſa diſcemus. — d l. 7. ant. c. 10.

XIX. *Mandanr ſepulturo patrio, ...m Saulis ...c.*

Nvnciata enim ſunt Dauidi, quæ fecerat Reſpha, videnſque cor Domini verſum eſſe ad populum ſuum; voluit non ſolum hos tradere ſepulturæ, ſed eadem opera oſſa Saulis & filiorum eius paterno ſepulchro, more maiorum inferre: ex quo more, ac ritu Berzellai nuper aulicam vitam recuſauit, vt reliqua vita domi tranſacta, ſepeliretur in ſepulchro patris ſui, & matris ſuæ. Et Achitophel noluit Hieroſolymis perire ſuſpendio, ſed crucem ſibi elegit in patria, vt ibi eodem cum patribus ſuis ſepulchro conderetur: accepto à ſanctis ipſis patriarchis exemplo. *Abiit* ergo *Dauid*, & plurima videlicet cum eo populi multitudo, ad inimicum quondam ſuum, eiuſque filios ſupremo honore afficiendos, *& tulit oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filii eius*, ſimulque Abinadabi & Melchiſuæ, *à viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderant eos Philiſthiim, cum interfeciſſent Saul in Gelboe, & aſportauit inde oſſa eorum, & colligentes oſſa eorum qui affixi fuerant, ſepelierunt ea cum oſſibus Saul, & Ionathæ filii eius, in terra Beniamin, in latere, in ſepulchro Cis patris eius.* — 2. Reg. 19. 37. c. 17. 23.

XX. *...ris in eos ...tas.*

Significatvr Saulem vulgari ſepulchro, & non regio ſepultum fuiſſe, quia regnum familiæ eius in eo cœpit, & deſiit. Exiſtimat tamen Abulenſis, hoc

ſepulchrum egregio quopiam opere exornatum, propter ſtatum regium, & ſcilicet propter Ionatham amicum ſuum; propter quem, & multo maxime propter Deum, dilexit atque honorauit inimicum. Plana porro eſt tota hæc hiſtoria ex iis quæ vltimo Saulis anno, ex primi regum extremo dicta ſunt, præter illud quod hic in latere ſepulti dicuntur, ſicut Septuag. ἐν τῇ πλευρᾷ: nimirum montis alicuius, extra oppidum Gabaa, iuxta morem Hebræorum, ſuos extra oppida
צלע tumulantium. Rectius alij, id vocabulum vice nominis proprii Selach poſitum putant. Quam vocẽ retinuit Pagninus, Montanus, Emanuel, Vatabl. aliique. Quod autem illic in muro, hic in platea ſuſpenſi dicuntur, quid abſurdi eſt, ſi murus erat in platea, aut platea potius adiaceret muro? *Fecerunt* ergo famuli Dauidis circa hoc funebre officiũ, *omnia quæ præceperat rex*, *& repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc*, fine impoſito ſterilitati. Et hæc de triennij fame, eiuſque remedio dicta ſint. *Locus ſepulchri.*

ANNVS MVNDI 3014. DILVVII 1358. 5ª. ÆTATIS 75. EXITVS AB ÆGYPTO 471. ARCÆ IN SIONE 25. DAVIDIS REGNI 35. ABIATHARIS PONTIF. 40. TROIÆ EXCISÆ 143. EVPALIS 24. IMPERII ASSYRIORVM 1083.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1039.

QVATVOR bella, aut prælia potius deinceps, reliquo vigeſimo primo capite ſecundi Regum recenſentur, [a] quæ Dauidi, & ſeruis eius feliciter contra Philiſthæos ceſſerunt. De quibus etſi non conſtat quo quidq; anno contigerit; ſub hoc tamen tempus, poſt depulſam famem aut omnia, aut minimum tria eorum contigiſſe, communis eſt tam interpretum, quam chronologorum ſententia. I. *Quatuor prælia contra Philiſthæos.*

a 2. reg. 21.

Primum quia ordo narrationis Scripturæ id exigit, à qua, niſi euidens ratio cogat, diſcedendum non eſt. Deinde quia huic diſpoſitioni Scripturæ verba fauent, quæ habet *rurſum factum eſſe prælium Philiſthinorum aduerſum Iſrael*, quo modo etiam habent tam græci, quam hebræi codices, rurſum, ſiue præterea, nimirum poſt eorum bella hactenus recenſita; nam *rurſum*, ſiue iterum, dicit ordinem ad præcedentia. Cumque eadem dicat Dauide iam deficiente viribus primum horum præliorum contigiſſe, recte id cum Dauidis ætate congruit, qui nunc ſexageſimum quintum agebat annum. Ioſephus horum bellorum narrationem inſtituens στρατεύεται δ᾽ μετ᾽ οὐ πολὺν χρόνον ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τοὺς Παλαιστινούς. *Non multo poſt tempore rex in Palæſthinos expeditionem ſuſcepit.* Eadem ſentiunt Seuerus Sulpitius, cum Carolo Sigonio, Comeſtor, Lyranus & Abulenſis, Caietanus & Serarius, Vatablus & Sa, Dionyſius & Adrichomius, omneſque ſectarij. De tertio tamen bello eſt aliqua difficultas, de qua ſuo loco dicemus. *Ratio temporis.*

l. 7. c. 10.

PRIMVM BELLVM.

FACTVM *eſt*, itaque, *rurſum prælium Philiſthinorum aduerſum Iſrael*, quibus verbis Scriptura ſatis apertè docet, factum fuiſſe initium belli à Philiſthæis, quod Toſtatus quoque ſentit, licet in hebræis, græciſque codicibus ambiguum ſit, ab vtris bellum hoc fuerit inchoatum. Ioſephus autem [b] contrarium videtur ſenſiſſe, cum ait Dauidem aliquanto poſt terminatam terræ ſterilitatem, bello adortum eſſe Philiſthæos, vel in eos expeditionem ſuſcepiſſe; neque tamen liquet an prouocatus id fecerit, quod Hieronymis vulgata interpretatio ſignificat, quam ſequendo belli huius cauſam ex inueterato Palæſthinorum in Hebræos odio, variis occaſionibus recrudeſcente, atque exacerbato petamus licet. Quibus etiam ſuſcitabant animos noui gigantes, antiquo illi Goliatho II. *Primum, eiuſq; cauſa.*

b l. 7. c. 10.

ſuppares, qui agminibus Dei viuentis exprobrabat ignauiam, ac timiditatem. Deus autem hoc bellum, & ſubſequentia permiſit, tum ne diutius virtus Dauidis exercitatione careret; tum vt iſtis, qui erant omnium hoſtium populi Dei ferociſſimi, recens à Dauide compreſſis, regnum tranquillum, & pacatum Salomoni pacifico traderetur.

cur à Deo permiſſum.

III. *Dauidis periculū, & virtus Abiſai.* DESCENDIT *Dauid*, [a] *& ſerui eius cum eo, & pugnabant contra Philiſthiim.* Quantus fuerit vtrimque belli apparatus, quæ virorum fortium præclara geſta, ſilentio ſcriptor ſacer inuoluit, præter vnum Abiſai, qui periclitanti Dauidi opportune præſidio fuit. *Deficiente Dauid Ieſbibenob,* 1 *qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum haſtæ trecentas vncias* 2 *appendebat, & accinctus erat enſe nouo, niſus eſt percutere Dauid, præſidioque ei fuit Abiſai filius Saruiæ, & percuſſum Philiſthæum interfecit.* Niſus eſt percutere Dauid, Septuaginta habent *cogitauit*, Hebræi, *dixit*. Significatur hunc gigantem cogitaſſe apud ſe, imo & iactabundum dixiſſe, ſe nouo enſe ſuo ipſummet Dauidem regem interfecturum. idque reuera conatum eſſe perficere, opimorum ſpoliorum auidum. Rem ſic explicat Ioſephus. *Rex prælio cum eis congreſſus, dum victos auidius perſequitur vltra cæteros, ſolus eſt longius prouectus. Hunc iā viribus ſolutum ac defectum conſpicit Acmon filius Araphi, vnus è gigantum ſobole, indutus loricam circulis conſertam, & lanceam gerens trecentos ſiclos pendentem, accinctuſque gladio: & conuerſus haud dubie confeciſſet regem, ni Abiſæus Ioabi frater repente ſuperueniens, eum protexiſſet iam proſtratum, & hoſtem trucidaſſet.* Sic ille, quæ ferme habet Theodoretus; ſed illud ἐκλυθέντα, quod non probauit, 3 omiſit.

a 1. 2. Re. 21 15.

1. χ. 2. ο χ.

ex Ioſepho.

ἐκλυθέντα.

καμόντα.

IV. *Gigantū genus.* CÆDEM gigantis aperte Scriptura tribuit Abiſæo non Dauidi; ſicut & Ioſephus, & Theodoretus, [b] & alii omnes. Solus Caietanus vult ab ipſomet Dauide occiſum adiuuante Abiſæo; Nec tamen hic caret culpa Ioſephus, qui nomen gigantis Iſbibenob, deformauit in Acmonem, ſed matrem etiam eius, vt quibuſdem placet, mutauit in virum. Rabini enim quidam apud Hieronymus in traditionibus, [c] putant Arapha eſſe Orpham cognatam Ruthæ. Nec cogitant illam Moabitidem fuiſſe, hanc autem Philiſthæam; illā hebraice dici ערפה Gharpah. hanc autem הרפא Harapha. Illam ante ducentos annos [d] nupſiſſe Chelioni, filio Elimelech, cum hæc non poſſit eſſe ſexagenaria maior, præſertim ſi filius eius erat iuuenis; ideoque dicatur accinctus enſe nouo, vt putat Abulenſis. Cæterum Arapha viri gigantis nomen eſſe, ex quo oriundus eſſet iſte Iſbibenob, partim vulgata explicat, quæ dicit *de genere Arapha*, partim Septuaginta Romanæ edit. qui habent ὃς ἦν ἐν τοῖς ἐκγόνοις τοῦ ῥαφὰ, *qui erat de poſteris Rapha*, Aldi. Vvechel. & Baſil. τοῦ ῥαφὰ Reg. τῶν γιγάντων, & hos ſecutus eſt Ioſephus.

3 χ.

b q. 45 in 2. Reg.

c in c. 20. 1 Par & apud Lyr & Abul. c. 38. in c 21 & q 17. in 1. Par. c. 20.

d a m. 1881. Vatabl.

V. *Dauidem ne prælio priuant.* *Tunc iurauerunt viri Dauid dicentes. Iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſrael*, ne ſcilicet gloria, & ſplendor Iſraëlis, te moriente extinguatur. Tantus enim rex ſummæ gloriæ erat Iſraëlitis, quæ obtenebranda videbatur, ſi is ab hoſte in bello caderet, & ipſius præclara facinora. perpetuæque victoriæ hoc triſti exitu obſcurarentur. Chaldæus habet, & non extinguas, vel pereat tecum regnum Iſraël. cui conſentanea eſt Ioſephi expoſitio. *Ne ſi propter fortitudinem, atque audaciam humanum aliquid ei contingeret, populus ea felicitate, quam ex ipſius adminiſtratione percipiebat, orbaretur.* Hanc prohibitionem cum iuramento elatam Theodoretus ſoli duci exercitus Ioabo tribuit, & addit. *Eſt enim* inquit *æquum. & expedit vt cedas ſenectuti, & intus ſedens ordines aciem.* Hæc de primo bello.

SECVNDVM BELLVM.

VI. *Alterum prælium vbi geſtum.* QVÆ bella temporibus diſtinguere non poſſumus, titulis diſtinguamus. *Secundū ergo bellum fuit in Gob contra Philiſthæos.* Vatab. habet in Nob, cum tamen in Hebræo ſit Gob, Græci habent tum Geth, tum etiā Gob. Adrichom. [e] in Benjamin ait Nob & Nobe & Gob eſſe eandem vrbem, quæ à Saule deleta eſt. At hoc bellum in Nobe, aut circa ruinas eius geſtum non eſt, ſed in Gazer, quæ erat in tribu Ephraim [f] vt mox dicetur. Pergit Scriptura. *Tunc percuſſit Sobochai de Huſathi, Saph de ſtirpe Arapha, de genere gigantum.* In 1. Paralip. [g] vbi huius quoque belli fit mentio, dicitur initum in Gazer aduerſum Philiſthæos, & reportata victoria humiliatos Philiſthæos. Forte quæ Gazer dicebatur ab Hebræis, Gob à

e nu. 93.

f Iud. 1. 29

g 1. Par. 20 4.

à Philiſthæis appellabatur. Eam enim vrbem Philiſthæi, in tribu Ephraim poſitam, poſſidebant, [a] vt dictum eſt anno Dauidis nono. [b] Nam Gazer & Gazera, & Gezer idem ſunt. Gazara etiam à Ioſepho dicitur, vbi hoc bellum in hęc verba deſcribit. [c]

a Ex 1.Par. 14.16. & 2. Reg 5 25.
b num 25.
c l.7.c.10.

VII. *Eius epitome ex Joſepho.*

CVMQVE *poſt hanc pugnam Palæſthini ad Gazaram vrbem conueniſſent, rex quamprimum hoc cognouit exercitum contra eos confeſtim ire iuſſit. In hac expeditione egregiam laudem, ob præclara facinora edita meruit Sobachis Chetthæus, vnus è fortiſsimis Dauidis militibus. Complures enim qui ſe de gigantum genere iactabant, & viribus eximiis inſoleſcebant, orco tradidit, præcipuus author victoriæ, quam tum Hebræus de hoſte reportauit.* Sic Ioſephus: Numeratur hic Sobochai inter fortes Dauidis, in 1. Paralip. [d] & videtur dici Mobonnai in 2. Regum. [e] Certe is eſt qui numeratur inter turmarum principes, quæ 24. millibus ſingulæ conſtabant, [f] & octauo quoque menſe miniſtrabat regi, qua de re ſuo loco ſupra diſputatum eſt. [g] Cur autem dicatur Huſathites: & quæ ſit Huſathi non inuenio; vtique non à terra Hus id nomen accepit, Huſites enim diceretur. Chettæum Ioſephus vocat, quo nomine Septuaginta appellant Hethæos, qui erant vna de ſeptem Chananæorum gentibus. [h] Pro Huſite autem ἀρχιτοῦ.

χετταῖος.
d c. 11. 29
e c.23.27.
f 1.Par. 27. 11.
g Dauid a. 1 n.2.&ſeq.
h Deut.7.1.

TERTIVM BELLVM.

VIII. *Quod fuerit & quando geſtum.*

SEQVITVR tertium bellum, de quo tota eſt concertatio; de eo ſic Scriptura. *Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philiſthæos; in quo percuſsit Adeodatus, filius ſaltus, Polymitarius, Bethlehemites, Goliath Gethæum, cuius haſtile haſtæ erat, quaſi liciatorium texentium.* Quæ fere totidem verbis repetuntur in 1. Paralip. [i] excepto quod non dicitur percuſſus Goliath Gethæus, ſed frater eius, & omittitur prælii locus. Hoc bellum fuiſſe id, quod viuo Saule geſtum eſt, [k] in quo Goliath à Dauide occiſus eſt, plerique crediderunt, ſecuti Hebræos apud Hieron. in traditionibus. Gob, inquit, *interpretatur lacus; idcirco lacus, quia ſicut in lacum leonum quis mittitur, ita ſemetipſum contra Goliath DAVID miſit. Adeodatus, ipſe eſt DAVID. Idcirco dicitur Adeodatus, quia a Deo eſt electus in regnum; filius ſaltus, quia de ſaltu, vbi oues paſcebat, eſt eductus; Polymitarius, quia de genere Beſeleel mater eius fuit. Bethlehemites, Noemi & Ruth tempore vbertatis reuerſæ ſunt in Bethlehem, & quia panis cauſa Ruth à Booz nota eſt, propterea idem locus domus panis vocatus eſt. Quod vero Adeodatus ipſe ſit DAVID, ſequentia declarant vbi ait, Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu DAVID & ſeruorum eius.* Hactenus ibi Hebræi. Quæ fere totidem verbis habet Rupertus, [l] Angelomus, Comeſtor, Rabanus, Gloſſa, Lyranus, Abulenſis in 2. Regum: nam in 1. Paralip. mutauit ſententiam, in eadem ſunt Dion. & Hugo Carenſis. Nec eis quidquam fauet, niſi nomen Goliath Gethæi.

i cap. 20. 5.
k 1.Re.c.17
l l.2.in l. Reg c.36.

XI. *An à Dauide geſtũ.*

FRIGIDVM ſane argumentum. Potuit enim idem nomen ſortiri eius aut filius, aut nepos: ſicut in hoc ipſo capite [m] duo leguntur Miphiboſethi, alius Saulis filius, alius nepos: Duo item Ionathæ alius filius Simmaa fratris Dauid, alius filius Saulis. Gemina item reperitur Abigail, alia vxor, alia ſoror Dauidis. Quid quod in 1. Paral. c. 20. is contra quem Dauid pugnaſſe dicitur, non Goliath, ſed frater eius appellatur? id eſt alter Goliathus, eique ſuppar, & quod rem magis conficit in hebræo textu, græcoque Lachmi appellatur. Quid quod hæc bella memorantur geſta à Dauide & ſeruis eius? Nimirum ſub regno eius, quando & ſeruos habebat: qui, cum pugnauit contra illum Goliathum, puer erat paſtoritius. Idque confirmatur ex eo quod hoc bellum, ſicut & præcedens, traditur in 1. Paralip. geſtum poſt bellum geſtum aduerſus Ammonitas. Et in 2. Reg. 21. appellatur tertium, quod oportuiſſet dici primum. Denique importuna eſſet iſta narratio, cum in toto libro ſecundo Regum ea ſola contineantur, quæ à Dauide rege contigerunt.

m 2. Reg. c. 21.

Illa porro nominum, quæ Dauidi parodicè tribuuntur, expoſitio myſtica eſt, non hiſtorica: & cum tam nouum, atque inopinatum ſit tribui Dauidi, oporteret alicubi extra hanc hiſtoriam illi tribui, dicique Adeodatum, ſiue Elchanam aut filius ſaltus, &c.

X. *Aut Elchanam.*

DICENDVM itaque hoc bellum Dauide rege, & ſene contigiſſe, geſtumque

ab Elchana, qui vertitur Adeodatus, qui inter fortiſſimos Dauidis, 1. Paral. 11. [a] poſt Aſaëlem numeratur, qui & Bethlehemites ibidem dicitur; Nam & viri fortitudo congruit egregio facinori, quod hoc loco memoratur, conuenit & nomen & patria additur & cognatio, filius patrui Aſaëlis; quorum pleraque Dauidi conuenire non poſſunt. Hic ergo Elchanan, qui mendoſe fortaſſe à græcis dicitur, ἐλεανά, patria Bethlehemites, filius Iahare, vt eſt in verſione Pagnini, idemque polymitarius, ſiue oregim, id eſt texentium, quem Chaldæus paraphraſtes ait fuiſſe filium textoris veli ſanctuarii, hic inquam Elchanan miles fortiſſimus, alterum Goliathum Gethæum in hoc bello interfecit, eoque illuſtri facinore primam laudem eſt conſecutus. Indicium autem fortitudinis, magnitudinis, ac roboris huius gigantis eſt, quod haſtile ipſius haſtæ erat, quaſi liciatoriũ texentium: cui ſcilicet & ferrum proportione reſpondebat, & gladius, & galea, & lorica, & ocreæ, & arma reliqua. Eum putat Abulenſis [b] fuiſſe reuera fratrem prioris Goliathi; qui ante annos 43. occiſus fuerat à Dauide, [c] & nunc ad bellum proceſſerit in vltionem ſanguinis fratris ſui, Sed dum quærit vlciſci alienum ſanguinem, irritus effudit ſuum.

a v. 26.

b q. 21. in c. 20 1. Par.
c Saulis 10. mundi 2971.

XI. *Hoc bellum Ioſephus permutat.*

Tertivm hoc prælium Ioſephus prætermiſit, anceps fortaſſe animi, quid de vtroque Goliatho ſtatueret, ratuſque id prælium nihil ad hoc tempus pertinere; id peccatum omiſſionis diſſimulari poteſt; hoc vero non poteſt, quod pro eo aliud ipſe ſuppoſititium ingerit ab eo plane diſparatum. *Redintegrantibus*, inquit, *bellum Palæſthinis, & nouo exercitu in eos à rege miſſo, optime ſe geſſit Nephanus cognatus ipſius. Singulari enim certamine cum fortiſſimo Palæſtinorum congreſſus, occiſo illo effecit, vt reliqui terga verterent; multique hoſtium in eo pugna ſunt deſiderati.* Ita Gelenius fideliter græca vertit quæ extant. Rufinus autem alia nactus exemplaria, hunc vocat Ephan, Deinde non contra vnum ſingulari certamine congreſſum ait, ſed contra ſingulos Palæſtinorum fortiſſimos ſolum pugnaſſe, eoſq. peremiſſe. Comeſtor diuerſo etiam exemplari vſus, & poſt eum Dionyſ. hunc vocant Ephron, Abul. Ephran aiuntque ſuis, id eſt Iſraelitis in fugam verſis, ſolum plurimos hoſtium peremiſſe; & alios in fugam conuertiſſe. De quibus nihil habeo quod ſtatuam; præſertim cum Rufinus & Comeſtor mendis ſcateant & Nephanus hic nuſquam in tota Scriptura reperiatur, nedum in ea Dauidis cognatus habeatur.

QVARTVM BELLVM.

XXII. *Vbi geſtum & qua de cauſa.*

Reliqvvm eſt quartum bellum, quod in Geth confectum eſt. *In quo vir fuit excelſus*, ait Scriptura, *qui ſenos in manibus pedibuſque habebat digitos, id eſt* 24. *& erat de origine Arapha, Et blaſphemauit*, ſeu probris affecit Iſrael. *Percuſſit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid.* Ex eo quod hoc bellum ad vrbem Geth confectum eſt, quam Dauid occupauerat, vt conſtat ex c. 18. primi Paral. & diximus ſupra anno Dauidis duodecimo, [d] colligere poſſumus cum Toſtato, [e] bellum hoc eius vrbis recuperandæ gratia ſuſceptum fuiſſe, ſed irrito conatu, & damno inſuper accepto; amiſſo nimirum inter alios viro excelſo, qui alibi à ſcriptura *longiſſimus* dicitur; in Hebræo, *viri ſtaturæ*, nimirum admodum proceræ, atque gigantææ, quam Ioſephus ſex cubitis, id eſt nouem pedibus definit, qui & digitorum prodigioſa multitudine terrori eſſe poterat. Imitabatur hic antiquum illum Goliathum, & cum imbelles & ignauos vocare non poſſet, vt ille olim, apellas credo vocabat, & circumciſos; eam enim ceremoniam illi execrabantur, vt alibi dictum eſt.[f]

d n. 2. 7. 8.
e in c. 21. 2. Reg.

f Saulis an. 11. n. 19.

XIII. *ex Ioſepho.*

Bellvm hoc Ioſephus narrat in hunc modum. *Nec ita multo poſt rurſum caſtra metati ſunt ad quoddam oppidum, non procul Hebræorum finibus*, mirum eſt eum non nominare Getham, vrbem regiam; & celeberrimam, quæ nunc erat reuera in finibus Hebræorum, cum viculis, ſiue filiabus ſuis, vt à Scriptura nominantur; [g] pergit, *fuitque in eo exercitu vir ſtatura cubitorum ſex; cui ſeni digiti erant in manibus ac pedibus. Huic ex regis exercitu Ionathas Samæ filius ſolus ſe oppoſuit*, ſiue ſingulare contra eũ certamen accepit, *ſtratoque aduerſario maximum ad victoriam momentum attulit, & ipſe fortiſſimi viri laudem retulit. Nam & hic barbarus oriundum ſe à gigantibus iactabat. Hoc prælium cum gente fuit vltimum, non auſa poſtea ſe contra Iſraelitas mouere*: Ita Ioſe-

g 1. Par. 18. 1.

τῦτῳ μονομαχῆ.

phus. Quod ſi admittimus, vt initium capitis ſequentis videtur poſtulare, bella quæ cap 23. referuntur, dicenda ſunt ad priora tempora pertinere, quæ fere ad ſuos annos retulimus.

SCHOLIA IN ANNVM 3014. DAVIDIS REGNI 35.

1. N. III. Apparet Iſbi-benob, eſſe compoſitã vocem; eam enim Hebræi diuidunt. Septuaginta vero etiam diuiſam vſurpant, *Ieſbi* ſcilicet, ſic enim legunt pro Iſbi omiſſa voce *benob*, quæ vox fortaſſe filium Ob ſignificet. Arapha enim non erat eius pater, ſed vnus de maioribus, puta auus, aut proauus, ad quem communiter alii quoque tres gigantes pertinebant. Hic idem Iſbi in hebræo dicitur *accinctus nouo*, cum ellipſi ſubſtantiui, quod Hieronymus in vulgata ſuppleuit addens *enſe*: alii ſubintelligunt particulam *de*, vt ſignificetur hic Iſbi nouus bellator, ſiue Neoptolemus, qui ſingulari facinore nomen quæreret.

2. N. III. Vnciæ nomen in hebræo nõ habetur, neq; ſicli, licet id Pagninus, declarandi cauſa, adiecerit: ſic enim habet: *& pondus ferri haſtæ eius erat trecentorum ſiclorum ponderis æris.* Et recte ille quidem: Duces enim habuit Septuaginta viros, quorum hæc ſunt verba, Καὶ ὁ σταθμὸς τοῦ δόρατος αὐτοῦ, τριακοσίων σίκλων ὁλκῆς χαλκοῦ. trecentos ſiclos Ioſephus habet; Eorum pondus cum ſemiunciæ fuerit, mirum eſt hic ſiclos in vncias verti. Abulenſis quidem hoc loco ait non conſtare an ſiclus & vncia ſint eiuſdem ponderis: ſed id tamen pro conſtanti accipiendum eſſe alibi ſatis oſtenſum eſt to. 1. an. 2138. n. 101. & ſeqq. & a Villalp. t. 3. p. 2. l. 2. c. 28. & alibi ſæpe. Vnciæ nihilominus nomẽ retinendum videtur; ſiue quia pondus trecentorum ſiclorum non eſt admodum memorabile. Trecenti enim ſicli, ſiue vnciæ 150. duodecim tantum librarum & ſemis põdus habent, quod modicum quod giganti videatur, præſertim cum l. 1. Reg. c. 17. conſtet ferrum haſtæ Goliathi ſexcentis ſiclis pependiſſe. Non eſt credibile hunc gigantem non vertiſſe ſibi dedecori ferre haſtam dimidio haſta fratris, aut cognati ſui leuiorẽ. An ſicut Septuaginta didrachmum pro tetradrachmo accipiunt: ita hic vncia pro ſemiuncia? an vncia pro indefinito pondere ſumitur?

Theodoretus ſic habet in manuſcripto regis Chriſtianiſſimi. Titulus quæſtionis 43. hic eſt. Πόθεν ὁ Δαβὶδ παραταττόμενος ἐξελύθη; & reſpondet: 3. Ibid.

Πρεσβύτης ὤν, ἐνίκα δὲ τῇ προθυμίᾳ τὸ σῶμα. πολὺν δὲ πόνον ὑπομείνας ἐν τῇ συμπλοκῇ, πρόμαχος γὰρ τῆς φάλαγγος ἦν, διελύθη τὸν πόνον οὐκ ἐνεγκών· ἀναιρεθῆναι δὲ κινδυνεύσας ὑπὸ τοῦ προμάχου τῶν ἀλλοφύλων, παραδόξως ἐσώθη τοῦ Ἀβίσαι παραστάντος, καὶ τὸν μέγιστον ἐκεῖνον πολέμιον κτείναντος.

Qui factum ſit, vt Dauid deficeret in acie?

Senex erat, vincebat autem animi alacritate corpus. Cum autem in conflictu multum ſuſtinuiſſet laborem, erat enim primus in acie pugnans, defeſſus eſt, ac defecit non ferens laborem. Cum autem in periculum veniſſet ne occideretur ab eo, qui primus pugnabat inter alienigenas, præter opinionem ſeruatus eſt cum eum protexiſſet Abiſai, & maximum illum hoſtem interemiſſet. Sic Theodoretus.

De hoc Ionathan notat iterum D. Hieronymus in traditionibus in cap. 20. 1. Paralip. eundem eſſe cum Nathan propheta. *Ionathan,* inquit, *ipſe eſt Nathan propheta, qui habuit duos fratres Ioel & Ionadab. Idcirco ei hic nomen patris ponitur, quia inter præliatores deſcribitur. Vbi vero de prophetia eius ſcribitur, non ei annotatur pater, eo quod pater eius propheta nõ fuerit.* Ita Hebræi apud Hiero. Vnde videbatur ſumpta ea regula, qua Ribera & alii in prophetarum expoſitione vtuntur, vt cum propheta patrem nominat, is quoque propheta fuiſſe intelligatur. Cæterum iam ſupra probatum eſt alium eſſe Ionathan à Propheta Nathan, an. Saulis regis 8. n. 34. Interim autem Salomon decimum ſextum ætatis annum agens, ſub cura prophete Nathan ad omnem virtutem, & ſapientiam, cum eximia adoleſcentis docilitate, informabatur. 4. N. XII.

ANNVS MVNDI 3016. DILVVII 1360. 5ª. ÆTATIS. 77. EXITVS AB ÆGYPTO 473. ARCÆ IN SIONE 27. REGNI DAVIDIS 37. ABIATHARIS PONTIF. 42. TROIÆ EXCISÆ 145. EVPALIS 26. IMPERII ASSYRIORVM 1085.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1037.

I. *Dauid gratias agit Deo*

INGRAVESCENTEM Dauidis ætatem, nam ſeptimũ & ſexageſimum agebat annum, Deus illi immunem à bellis eſſe voluit. Imo & reliquam eius vitam; quam idcirco religioſiſſimus princeps in gratiarum actione, in Dei laudibus, in templi apparatu, in Salomone inſtruendo, & in regni ſucceſſorem informando, magna cum animi voluptate conſumpſit.

Hoc porro anno primùm ſe offert illa gratiarum actio, quæ cap. 22. & 23. continetur. Vbi tamen ex occaſione additur commendatio virorum fortium Dauidis cum aliqua eorum, quæ ab ipſis fortiter geſta fuerant commemoratione. Idonea enim eſt, principi materia Deo gratias agendi, quod ei fortes atque egregios viros, ad regni ſui adminiſtrationem, & propugnationem conceſſerit. Verum hæc agnitio diuinorum beneficiorum, quæ eſt humanæ conditionis infirmitas, tentationi vanitatis, ac ſuperbiæ obnoxia eſt, dum de ipſis non ſolide in Domino, ſed vane in nobis gloriamur. Quod ipſi quoque Dauidi, humanum aliquid paſſo creditur contigiſſe, cum vniuerſum populum ſuum numerari iuſſit. Quæ enumeratio ad hunc annum magna ex parte referenda eſt; finis autem eius, & ſubſecuta caſtigatio, & expiatio pertinet ad ſequentem, vt ex ipſo textu clare colligitur.

Enumeratio populi.

II. *Ad hunc annum pertinet.*

POSITI quippe ſunt à Ioabo in enumerando populo nouem menſes, ac viginti dies; [a] peſtis autem quæ vnius diei fuit, incidit in tempus, quo Areuna cum filiis terebat in arca triticum [b] quod ad tertium, quartumue menſem pertinet, id eſt finem Maij, vel initium Iunij, vt ait Abul. [c] Primitiæ enim meſſis triticeæ de qua Scriptura hic loquitur, offerebantur in feſto Pentecoſtes, [d] quam ſolemnitatem aliquot diebus, vel hebdomadibus tam meſſis, quam tritura ſequebantur. Tritura autem ipſa facile ad quartum, quintumue menſem protendebatur: iuxta illam Domini promiſſionem. [e] *Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem.* Si ergo tertium menſem anni trigeſimi octaui Dauidis anteuertamus decem menſibus, incidet enumerationis initium in quintum circiter menſem anni trigeſimi ſeptimi, in quo verſamur. Quæ eſt fere chronologia Tornielli, [f] niſi quod ea tribuit meſſi triticeæ, quæ ſunt hordaceæ. Eamdemque rationem temporis etiam ſectarij probarunt.

a l. 2. Reg. c. 24. 8.
b 1. Paral. 21 20.
c q. 78. in c. 21. 1. Paral.
d Exod. 34. 22.
e leuit. 26. 5.
f an. Dauid 37. & 38. Codom. Caluiſ. Heluic.

III. *Quibus malis liberatus ſit Dauid.*

LOCVTVS *eſt* ergo *Dauid Domino verba carminis*, quod mox ſubiicitur, *in die*, ſiue tempore, quo ſe diuinitus liberatum agnouit de manu omnium inimicorum ſuorum, nominatimque de manu Saulis, à quo nimirum diutiſſimè omnium, duriſſiméque vexatus eſt, ab anno regni eius decimo, vſque ad mortem ipſius in montibus Gelboe. Cui ſucceſſit filius eius Iſboſethus, quo cum longa fuit ei de regno concertatio, cuius ille partes vndecim, Abneris fretus præſidio, poſſidebat. Sed ijs de medio, ſine vlla Dauidis culpa ſublatis, & vniuerſis tribubus eius imperio, ſumma voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum conſenſione ſubiectis, dedit ei Dominus optatiſſimam de Iebuſæis victoriam. Dedit antiquam Philiſthæorum tyrannidem, non ſolum excutere, ſed grauiſſimis etiam, creberrimiſque cladibus afflictos ſubiicere ſeruituti: Dedit plurimas Syrorum nationes, ad Orientem & Septentrionem late fuſas, dedit Ammonitas & Moabitas, & Idumæos grauiſſimiſque prælijs, ſecundiſſimiſque perdomitos, maximiſque di-

diuitiis exutos, ſeruos reddere Iſraelitis, atque vectigales. Ciuilibus etiam bellis, & ſeditionibus domeſticis Abſalonis, & Sebæ, reddidit eum Dominus fortiorem. Poſtremo Philiſthæam, quaſi hydram nouis capitibus ſubinde pullulantẽ, quaternis victoriis ita fregit, vt de vita potius, quam de victoria cogitaret.

IV. *Cantica condit, & pſalmos.*

LIBERATVS ergo Dauid *de manu omnium inimicorum ſuorum*, & præclare conſtituto regno ſuo placidiſſima pace fruebatur, cum canticũ illud compoſuit, quod idem eſt cum pſalmo 17. cui initium eſt, *Diligam te Domine fortitudo mea*; Non vnum autem hunc pſalmum à Dauide ſcriptum hoc tempore Ioſephus [a] tradit, *Dauid*, inquit, *perfunctus tam bellis ac periculis, & in altiſſima pace degens, vario genere carminum odas, & hymnos in honorem Dei compoſuit, partim trimetro verſu, partim pentametro; inſtrumentiſque muſicis comparatis docuit Leuitas ad pulſum eorum laudes Dei decantare, tam ſabbatis diebus, quam in cæteris feſtiuitatibus. Species autem inſtrumentorum hæ fuere Cinnyra decem chordis intenditur, & plectro pulſatur, Nabla duodecim ſonos continet, ſed digitis carpitur, cumque his aderant & cymbala ærea, bene magna atque lata: quod ſane de prædictorum inſtrumentorum natura, ne prorſus ignorentur, dixiſſe ſufficiat.* Hæc ibi. Verum de toto genere carminum Dauidicorum & muſicorum inſtrumentorum, ad quorũ modos illi canebantur, & ad populi Hebræi aures magna cum varietate, ac iucunditate accidebant, conſulendi ſunt pſalmorum interpretes, qui extant longe plurimi, ne longius è re noſtra digrediamur. De Hebræis verſibus conſule Maſium in Ioſue.

[a] l. 7. ant. 10.

V. *Quæ eius verba nouiſſima.*

SEQVITVR deinceps [b] aliud quoddam Dauidis canticum, quod nomine nouiſſimorum Dauidis verborum prænotatur. *Quia*, inquit Hieronymus, [c] *poſt pſalterium, & cætera metra hoc compoſuiſſe metrum dicitur*. Itaque cum multa alia dicta poſt hæc à Dauide, factaque reperiantur; hæc nouiſſima dici intelligenda ſunt, eorum quæ ab eo ſpiritu prophetico ſunt pronunciata; quamquam non male Chaldæus, verba nouiſſima interpretatur de Meſſia, qui nouiſſimis temporibus venturus erat, iuxta illud Apoſtoli, [d] *nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio*, Et Ioannis, *filioli nouiſſima hora eſt*. Eſt enim hoc canticum non ſolum gratiarum actio pro beneficio electionis Dauidicæ familiæ ad regiam dignitatem, ſed ad venturi quoque Meſſiæ procreationem. Itaque domum ſuam confert auroræ, quæ nullis impedita nubibus aduerſarum rerum, fulget, ac rutilat, creſcitque ſicut ſolet herba è terra germinare infuſa pluuia. Recte autem ſimilibus hiſce venturus Dei filius adumbratur, qui ſe ipſum lucem mundi prædicat, & quem ſancti prophetæ ſub pluuiæ nomine prædixerunt. Notiſſimum eſt enim illud Iſaiæ, [e] *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.*

[b] ca. 23. [c] in tradit. [d] Hebr. 1. 1 Ioan. 2. 18. [e] c. 45. 8.

VI. *Catalogus vi- rum Dauidis.*

SEQVITVR catalogus virorũm fortium Dauidis, [f] qui habetur etiam in primo Paralipomenon, [g] non ſine aliqua diuerſitate, in numero, in ordine, in nominibus ſingulorum. Et quod ad numerum quidem attinet, non vno in loco triginta fortes Dauidis appellantur: [h] Qui tamen ſecundi Regum vigeſimo tertio extremo ponuntur triginta ſeptem, & primi Paralipomenon vndecimo longe plures. [i] Ex quo dicendum videtur, à principio ſiue cum Dauid eſſet in Geth, ſiue cum regnaret in Hebron, ſelegiſſe ex omnibus militibus ſuis florem ipſum numero triginta, in tres decurias diſtributum; quarum ſingulæ ſuum haberent principem, qui reliquos virtutis ac fortitudinis laude, meritiſque anteiret. Auctus eſt deinde fortium numerus, prout ſe quiſque ipſorum æmulatione nobili quopiam facinore extuliſſet, atque eximiſſet à plebe militum gregariorum; remanente nihilominus denominatione triginta fortium. Sic numerus Apoſtolorum ſemper duodenarius dictus, habituſque eſt, [k] quamuis ſuperueniente Paulo & Barnaba, & aliis, quos Paulus ipſe vocat Apoſtolos, [l] Epaphroditum, Iuniam, Andronicum.

Quis eorũ numerus.

[f] vide an. Dau. 7. n. 29. [g] c. 11. 10. [h] 2. Reg. 23. 13. 21. 24. [i] 1. Par. 11. 11. 15. 25. [k] Math. 10. 2. & Apo. 21. 14. [l] Rom. 16. 7. Phil. 2. 25.

VII. *Quis ordo.* *Trias prior.*

QVOD attinet ad ordinem, perſpicuum eſt Scripturam geminam triadem eximiorum virorum, à reliqua fortium multitudine ſeponere. Nam Abiſai frater Ioab in primo Paralipomenon [m] dicitur *inter tres nominatiſſimus, & inter tres ſecundos inclytus, & princeps eorum, veruntamen vſque ad tres primos non peruenerat*, quod ipſum de Banaia in 2. Regum ſcriptum eſt. [n] Primum ergo tres fortiſſimos ponit; deinde tres alios fortitudine ſecundos, prioribus ſuppares, non

[m] c. 11. 20. 21 [n] c. 23. v. 23. & 1. Par. 11. 24. 25.

1.%. videtur fuiſſe; quod putat etiam Caiet. 1. Quin & pater eius binomius fuit, ſi Lyrano credimus: vocatur enim Zabdiel primo Paralipomenon cap. vigeſimo ſeptimo, *Primæ turmæ*, inquit, *in primo menſe Ieſboam præerat filius Zabdiel, & ſub eo viginti quatuor millia. De filiis Phares princeps cunctorum principum in exercitu menſe primo.* Et ſic honorari oportuit, qui palmam fortitudinis duodecies centenis bellatorum millibus præripuit. Diuerſum tamen putat Toſtatus, quem anno primo Dauidis ſecuti ſumus.[a]

a num. 5.

XII. *Illuſtrecius facinus.*

Itaqve Ieſboam illuſtri facinore celebratur, quod *octingentos interfecerit impetu vno*, ſiue vna vice, ſiue vno prælio; intelligo cum Vatablo & Abulenſi, manu ſua, etſi aliter viſum Lyrano. Nam cum ſociis ſuis tot aduerſarios ſuos, etiam vno prælio occidiſſe, nulla gloria eſt. Nec obſtat quod 1. Paralipom. 11. dicitur. *Iſte leuauit haſtam ſuam ſuper trecentos vulneratos vna vice.* Octingentos enim omnino interfecit, ex quibus trecentos lancea ſuſtulit, vt vult Caietanus. Melius Toſtatus, Lyranus, Serarius ad diuerſum bellum referunt, diuerſaſque victorias. Et fortaſſe prouocauit eodem die trecentos ad ſingulare certamen, quos lancea deiecit, vulnerauit, occidit. Diuerſa quoque prælia Ioſephus agnoſcit. *Primus*, inquit, *Iſſemus filius Achemæi*, ſic enim nominat, *qui non ſemel in aciem hoſtium irruens, non prius à cæde abſtitit quam nongentos occideret.* Dicendum fuit *octingentos* cum Scriptura. Quem nihilominus Theodoretus errantem ſecutus eſt,[b] Dionyſ. putat hanc octingentorum cædem in Amalecitano bello contigiſſe, in quo à veſpera ad veſperam ſequentis diei pugnatum eſt. Hieronymus[c] qui cum Hebræis ſeſſorem cathedræ interpretatus eſt Dauidem, ait id præſtitiſſe in bello contra Philiſthæos, in quo ſcilicet præ laſſitudine deficiens, vitæ diſcrimen adiit.[d]

πολλάκις. ἐπανασάς.

b q. 46. in 2. reg.

c in tradit.

d ſupr. ann. Dauid 35. n. 3.

XIII. *Secundus Eleazar.*

Secvndvs in priore triade eſt Eleazar, magno omnium textuum, linguarum, & locorum conſenſu; qui dicitur filius patrui eius Ahohites, id eſt, vt plerique interpretantur filius Dodi, poſita rurſum interpretatione vocabuli pro ipſo vocabulo proprio, Dodi enim vertitur patrui eius; Dod quippe patruum ſignificat. Græci autem codices magna ex parte habent, & vocabulum Dodi & interpretationem eius: dicitur enim υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ, υἱὸς Δωδί. interpretatione nominis, ex margine opinor, in textum illapſa. Ioſephus Dodeiæ filium appellauit, Ahohitem tacuit, ſicut & græci omnes codices; at Hebræi conſtanter addunt filium, id eſt nepotem Ahohi; etſi Adrichomius putet Ahohi ciuitatem eſſe in tribu Iuda.

Rom.

XIV. *Quid inſigne ab eo geſtum.*

De eius præclare geſtis hoc memoratur in ſecundo Regum,[e] fuiſſe eum inter tres fortes, qui erant cum Dauid, quando exprobrauerunt Philiſthiim, & congregati ſunt illuc in prælium. Illuc ſcilicet in Pheſdomin, vt eſt in primo Paralipomenon,[f] eſtque idem quod Dommin, in tribu Iuda, vt vult Adrichomius.[g] Dubium autem eſt vtri exprobrauerint. Vatablus, Pagninus & Arias habent quando probris affecerunt Philiſthæos, Abulenſis contra quando Philiſthæi exprobrauerunt Dauidi, & viris eius timiditatem: quam expoſitionem probabiliorem facit Iſraëlitarum fuga, quæ ſubditur. *Cumque aſcendiſſent viri Iſrael*, ad propria ſcilicet fugiendo, *Ipſe ſtetit, & percuſſit Philiſthæos, donec deficeret manus eius: & obrigeſceret cum gladio: fecitque Dominus ſalutem magnam in die illa, & populus qui fugerat reuerſus eſt ad cæſorum ſpolia detrahenda.* In libro Paralip. additur agrum regionis illius fuiſſe plenum hordeo, & alios quoque duos potentes cum eo ſtetiſſe: Si tamen eadem eſt hiſtoria.

e c. 23. 9.

f c. 11. 13.

g in ea. nu. 99.

XV. *Rigor manus eius.*

Illvm manus pugnatricis rigorem ſic explicat Vatablus, vt præ nimio labore, manus, quæ gladium tenebat; ſpaſmum contraxerit, ita vt finito conflictu, vix potuerit gladius educi ex eius manu. Eſt enim ſpaſmus tendonum contractio, quæ aliquando fit inanitione, cum præ nimio ſudore tendones ſicceſcunt, & contrahuntur. At Ioſephus aliter. *Hic in quodam prælio*, inquit, *Iſraelitis multitudine hoſtium territis, & in fugam verſis, ſolus locum ſuum non deſeruit, & congreſſus cum hoſtibus multos interfecit, adeo vt cruore gladius eius ad dexteram agglutinaretur. Quo viſo reuerſi in prælium Iſraelitæ, cedentem iam hoſtem vrgendo, admirandam, ac celebratam victoriam retulere, Eleazare ſternente, vulgo autem militum proſtratos ſpoliando.* Ex hac autem Iſraëlitarum fuga, recte colligit Toſtatus Dauidem

prælio abſuiſſe, non enim fugiſſet cum cæteris Eleazaro deſerto; quamquam ne is quidem ſolus deſertus eſt, quod Ioſephus dixit, Scriptura non dixit. Quin potius in 1. Paral. habetur. *Hi ſteterunt in medio agri, & defenderunt eum, cumque percuſsiſſet Philiſthæos, &c.* quo modo etiam habetur in Hebræo, coniuncta, vt quibuſdam placet, victoria Eleazari, cum victoria Semma, de qua mox fit mentio. Alij, in quibus Toſtat. [a] putant plane omiſſam hiſtoriam Semma in lib. Paralip. quibus fauet verſio Septuag. [b] quæ ſingulari vtitur, ſtetit, defendit, quomodo etiam habet Abulenſis in eodem loco. Alij hiſtoriam Eleazari & Semma coniunctas putarunt.

[a] q. 12. c. 23. 2. Reg. & q. 11. in fine. [b] Rom. & Vechel.

XVI. *Tertius Semma, & quid ab eo geſtum.*

Tertius in hac eadem triade eſt Semma, filius Age, de Arari, [2] qui præclare ſe geſſit aduerſus Philiſthæos in tutãdo agro. *Congregati ſunt Philiſthijm in ſtatione*, hebræus textus in villa; cui bellè conuenit quod ſequitur. *Erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugiſſet populus à facie Philiſthijm, ſtetit ille in medio agri, & tuitus eſt eum, & percuſſit Philiſthæos, & fecit dominus ſalutem magnam.* De hoc ita Ioſephus. *Tertius erat Ili filius nomine Sebas; hic quoq; cum bello Palæſtino in loco qui maxilla dicitur, acies ex aduerſo conſtitiſſent, Hebræique rurſum territi loco cederent, ſolus in aciei vicem hoſti ſe oppoſuit, & non paucis letho datis, reliquos impreſſionem eius non ſuſtinentes, & in fugam effuſos inſectatus eſt.* Locum maxillæ, videlicet σιαγόνα, etiam Septuag. regia habent, aliæ editiones habẽt ἐς θηρία. Alluſum videtur ad locum, in quo Samſon Philiſthæos armatus aſini maxillæ, millenos peremit Philiſthæos. Significantque prælium hoc in eodem loco fuiſſe confectum. Vides autem apud Ioſephum nomen iſtius herois, patriſque eius eſſe corruptum; & pugnæ locum ex Septuag non ex Hebræo petitum eſſe?

[2] 2. ſχ. Lachaia. — Rom. Aldi. Vechel Baſil.

XVII. *Altera trias quibus conſtaret.*

Trias altera minus perſpicua eſt, quod cum de Abiſai, & Banaia ſatis conſtet ipſos ad eam pertinere; tertius non facile reperiatur. Quæ cauſa fuit Ioſepho, vt pro gemina triade, quinarium horum eximiorum bellatorum poneret. D. Hieron. in tradit. [c] agens de ijs, qui petierunt aquam ex ciſterna Bethlehem, per mediam hoſtium aciem; *Tres*, inquit, *iſti fuerũt abiſai filius Saruiæ, & Sabochai Vſathites, & Ionatham filius Semmaa fratris Dauid. Hi tres irruperunt caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem.* Hæc ibi. Eoſdem in hac triade nominant Lyra. Dionyſ. nec repugnat Abulenſis, qui ait omnes communiter ita ſentire, rationi tamen magis conſentaneum putat, vt Banaias ſit in hoc ternario, excluſo Sobochai, vel Ionatha. Et quidem Sobochai potiùs, vt qui in turba 30. fortium numeratus reperiatur. [d] Et quod ad illos quidem, qui petierũt aquam è ciſterna Bethlehem, iam ſupra nono Dauidis anno [e] diximus, eos ad primam triadem pertinere; quorum cum ſigillatim geſta Scriptura recenſuiſſet, mox facinus memorat antiquius, quod ad totam triadem pertineret, *Necnon & ante deſcenderant tres*, hactenus ſcilicet recenſiti, *qui erant principes inter triginta*, [3] id eſt inter omnes fortes eminentiſſimi, vt triginta hoc loco non tam numerum certum, quam gradum & dignitatem dicat.

[c] 2. Reg. 23 [d] 1. Par. 11 29. [e] n. 35. & ſchol. 4. [3] 3. ſχ.

XVIII. *Primus in ea Abiſai.*

Primus in hac triade omnium conſenſu eſt Abiſai, frater Ioabi, & Aſaëlis, Dauidis ex ſorore nepos, de quo iam ſæpe actum eſt; eum Scriptura his verbis commemorat. [f] *Abiſai quoque frater Ioab, filius Saruiæ, princeps erat de tribus*, id eſt primus in altera triade. *Iſte eſt qui leuauit haſtam ſuam contra trecentos quos interfecit; nominatus in tribus*, in ſecundo videlicet ordine. *& inter tres nobilior, eratque eorum princeps, ſed vſque ad tres primos non peruenerat.* Quæ totidem fere verbis in 1. Paral. [g] repetuntur: & vtrobique tam græcè quam hebraice trecenti vulnerati ſiue occiſi dicuntur. Quod fortaſſe ad id tempus pertinet, quo Dauidem deficientem periculo eripuit, [h] cum ira & feruor animi tum vehementius incaluiſſet. Ioſephus hoſtium interemptorum numerum duplicauit, & ex eo Theodoretus. [i] Dicendum itaque Abiſæum vno prælio manu propria vſque ad trecentos partim vulneraſſe, partim interfeciſſe: ſic enim conciliabimus duos locos, quorum alter trecentos vulneratos dicit, alter interfectos. Niſi malis omnes vulneratos ab eo, ſed eos partim ſtatim in veſtigio mortuos, partim poſtea ex vulnere occubuiſſe.

[f] 2. Reg. 23. 18. [g] c. 11. 20. 21. [h] 2. Reg. 21. 16. [i] q. 46. in 2. Reg.

XIX. *Alter Banaias.*

Sequitur Banaias, filius Ioiadæ viri fortiſſimi, qui ante annos fere triginta, cum eſſet princeps in ſtirpe Aaronis, venit ad Dauidem cum tribus mil-

libus & ſeptingentis, [a] ad conſtituendum ipſum regem ſuper vniuerſum Iſraëlem. Ideo & ſacerdos dicitur, ſicut & omnes Aaronitæ. [b] Et Ioſephus ait Banaiam fuiſſe genere ſacerdotem. Itaque fallitur Theodoretus, qui eum vocat filium fratris regis. [c] Nam frater regis, ſicut & rex ipſe, erant de tribu Iuda, nec obſtat quod patria eius Cabſeel eſſet in tribu Iuda, erant enim Leuitæ ſparſi per omnes tribus. Porrò Banaias ipſe fortiſſimus fuit, & eo nomine paſſim à Scriptura celebratur; cuius rei non exiguum eſt indicium, quod præpoſitus fuit Cerethæis & Pheletæis, id eſt dux regij ſatellitij à Dauide creatus eſt, ſub tempus bene geſtæ rei contra Moabitas; [d] & quidem in præmium, vt arbitror præſtantis in eodem bello fortitudinis. Et mox à Salomone in principem militiæ, exautorato Ioabo, electus eſt. Ergo & *vir magnorum operum* dicitur, quorum mox tria egregia recitantur. Hunc eundem Banaiam fide præterea, prudentiaque plurimum præſtitiſſe argumento eſt quod Hieronym. in tradit. [e] ait eum fuiſſe vnum de ſeptuaginta ſenioribus Iſraël, quod minime mirum eſt, cum ex ipſa ſcriptura conſtet eum à ſecretis conſiliis fuiſſe Dauidi regi. [f]

XIX. *Alter Banaias, eius genus.* — *Fortitud.* — *prudentia.*

PRIMVM fortitudinis eius memoratur exemplum quod interfecerit duos leones Moab, id eſt fratres duos leonum inſtar fortiſſimos. *Hic prouocatus*, ait Ioſephus, *à duobus fratribus, virtute inter Moabitas illuſtribus, vtrumque confecit*: quæ Hieronymi quoque expoſitio eſt, Chaldæi paraphraſt. Comeſtoris, Lyrani, Hugonis, Dionyſij, Caietani, Emanuelis Sa. Mauult tamen Toſtatus eos fuiſſe reuera leones. Verum hac de re iam ſupra nonnihil diximus. [g]

XX. *Geſta præclara.*

ALTERVM opus eſt, quod ipſe deſcenderit, & percuſſerit leonem *in media ciſterna, in diebus niuis.* [h] Ciſternam plerique interpretantur foueam ſiue lacum, quales ſæpenumero à venatoribus talibus feris parantur. Notatur autem tempus niuis, quia eo tempore dicuntur ferociſſimi. Caietanus ait fortitudinis fuiſſe congredi in tam arcto loco. Certum tamen eſt beſtias in talibus anguſtiis deprehenſas valde mites reddi: vt in lupis frequens docet experientia. Nam quod leonem Hebræi apud Hieronymum Ioabum interpretantur, à vero atque hiſtorico ſenſu multum aberrant, præſertim cum Ioab nundum eſſet interfectus, viuo Dauide, cuius fortibus cum aggregetur, oportet eum feciſſe tempore Dauidis talia opera, ob quæ in eorum numero tenuerit principatum. Cædes autem Ioabi & ſenis, & inermis, & ſupplicis ad altaris cornua, non eſt opus fortitudinis. *Cum ningeret*, inquit Ioſephus, *leo in quendam puteum illapſus eſt; cuius os, quod anguſtum erat, videbatur breui fore, vt niuibus oppleretur; atque ita deſperato exitu, & ſalute rugire occepit. Banaias autem forte fortuna iter faciens, accurrit ad rugitum beſtiæ, & cum deſcendiſſet in puteum, repugnantem ictu baculi, quem gerebat exanimauit.*

XXI. *Eius pugna cum Leone.*

EXISTIMAT Abulenſis [i] neque immerito, hoc opus non commendari à Scriptura, tanquam cum recta ratione coniunctum, ſed tanquam opus eximij roboris, quod audaciæ potius ac temeritatis, quam fortitudinis ſit, talibus ſe vltro periculis ac certaminibus obiicere; quamuis ſi quis hominem caſus ad hanc neceſſitatem compuliſſet, vt pugnandum cum fera, aut moriendum eſſet, aut graue damnum ſubeundum, recta ratio doceret arripiendam eſſe huiuſmodi viam expediendæ ſalutis, vt Samſoni contigit, ac Dauidi, cum eximia laude fortitudinis. At Banaias ſponte deſcendit in ciſternam, neque veritus eſt ne deſcendentem leo diſcerperet, vt Danielis accuſatores, priuſquam ad pauimentum perueniret: Itaque beſtiarios, & id genus gladiatores, imperatoriæ leges infamiæ notant, qui non defendendi ſui cauſa, aut publicæ alicuius vtilitatis, ſed oſtentandi roboris, atque induſtriæ id periculum adirent, à quo, niſi diuinitus, eripi non poſſent.

XXII. *An ſimpliciter laudabilis.*

TERTIVM Banaiæ facinus fuit, quod interfecerit virum Ægyptium habentem in manu haſtam, ad quem cum deſcendiſſet inermis cum virga, in eum turbidus inuolarit, haſtam inuaſerit, de manu extorſerit, & ſua ipſum haſta interfecerit. Et quidem virum robuſtiſſimum, ac viſendæ magnitudinis, ſeu ſpectaculo dignum. Nam in primo Paralipomenon, dici-

XXIII. *Tertium eius facinus.*

a 1. Par. 12. 27.
b 1. Par. 27. 5 in hebræo.
c q. 46. ἀδιαφόδις.
d 1. 2. Reg. 8 18.
e In 1. Par. 11.
f 2. Reg. 23. 23 & 1. Par 11 25.
g An Dauid 13. n. 8.
h 2. Reg. 23. 20 & 1. Par. 11. 22. Abul. Vata. Sa.
4. Χ.
i q. 27. in c. 23.
λάκκον, vt & 70.

tur fuiſſe ſtatura quinque cubitorum, id eſt 7 pedum & ſemis, virum qui lanceam geſtare, eaque certare poſſet, quæ eſſet inſtar liciatorii textorum. Hunc Ægyptium Hebræi, apud Hieronymum Semei inepte ac putide interpretantur: quam expoſitionem plerique omnes cum nauſea referunt, ac repudiant, adeo ut Lyra. dicat in nullo concordare textui, & eadem facilitate contemni, qua probari: ideoque pleroſque negare eas notas eſſe Hieronymi. Verum, vt notat Abulenſis, ac Dionyſius, eam expoſitionem, vt pleraſque alias non minus inſulſas, recitat Hieronymus duntaxat, non examinat, aut probat. Atque vtinam eas illi examinare, atque excutere libuiſſet. c.11. 23.

XXIV. *Tertius poſterioris triados Ionathan.* TERTIVS huius ſecundæ triados à Scriptura præteritur, vt diximus. Is tamen videtur fuiſſe Ionathan filius Samma fratris Dauidis, vt paulo ante dicebamus, cui ſuam fortitudinis laudem à Scriptura tributam habes ſupra [a] in quarto bello gigantæo, quod anno trigeſimo quinto Dauidis explicatum eſt. [b] Ad reliquos ergo tranſeamus, de quibus Ioſephus ait, non fuiſſe reliquis virtute deteriores, quod niſi excuſaret hyperbole, facile Scriptura refelleret. a 2. Reg. 21. fin. b n. 12. & 13

XXV. *Primus 30. fortium Aſael.* PRIMVS ergo inter triginta, tam in libro ſecundo Regum, quàm primo Paralipom. ponitur Aſaël frater Ioabi, quem Abner ante annos quatuor & triginta interfecerat. [c] Ex quo intelligitur antiquum fuiſſe catalogum iſtum. Quod ſi vt quibuſdam placet ordine præſtantiæ & fortitudinis hi milites recenſentur, egregius plane fuerit Aſaël, & iam commemoratis proximus, nec longo proximus interuallo. Id tamen non admodum probabile eſt: Nam admodum iuuenis occiſus eſt, & celeritate curſus, magis quam fortitudine commendatus. Accedit quod mox referantur Elchanan & Sobochai, qui vt gigantum interſectores [d] commendati ſunt à Scriptura. Generi ergo potius datum videtur, vt primo loco in tricenario numero cenſeretur. Erat enim Regis nepos, & frater principis militiæ. c an. 3. Dauid n. 12. 13. d 2. Reg. 21.

XXVI. *Secundus Elchanam.* SECVNDVS in vtriuſque libri catalogo ponitur Elchanam [e] ſiue Elchanam filius Dodi Bethlehemites, qui Adeodati nomine intelligitur, vt anno Dauidis trigeſimo quinto probatum eſt. [f] Dicitur filius patrui eius, nimirum Aſaëlis ſumpto vocabulo Dodi appellatiuè, non proprie; ſicque vſurpat, & explicat Abulenſis, [g] cui fauet idem natiuitatis oppidum: atque Elchanan, & Aſaëlem natos ex duobus fratribus; itaque erat aliquanto à Dauide remotior. At alibi [h] putat hunc fuiſſe filium alicuius de fratribus Dauidis. Sed hæc valde incerta ſunt, cum nitantur reipſa interpretatione vocabuli. e 2. Reg. 23. 24. & apud Septuag. f nu. 8. & ſeqq. g in 2. Reg h in 1. Par.

3. *Semma.* Tertius in libro Regum dicitur Semma de Harodi, ad indicandam patriam, ſimulque ad differentiam alterius Semma, qui eſt in priore triade poſtremus. In libro Paralip. dicitur Sammoth Arorites, ſiue Harodites mutato ד in ר vtrobique tamen in hebræo eſt daleth ד. Ad quam autem tribum pertineret hoc oppidum non reperio, ex eodem tamen oriundus eſt ordine

4. *Elica.* Quartus nomine Elica, qui in lib. Paral. non reperitur, ſaltem ſub hoc nomine. notauit Abulenſis.

XXVII. *5. Heles.* QVINTVS eſt Heles de Phalti, in Paralip. Phalonites dicitur, quæ differentia etiam in Hebræo textu reperitur. Quam ſic explicat Hieronymus. [i] *Heles filius Phalti de Laiſo, quod in Regum libro ſcribitur*, puto legendum de Lais; fuit enim filius Lais, vt conſtat ex tertio capite ſecundi Regum, [k] pergit, *in Paralip. Heles Pelonites ſcribitur. Hic progeniem matris deſignat, Peloni enim fuit proximus Booz, de quo dicitur in Ruth; eſt quidem propinquior.* Phalti ergo non eſt nomen oppidi, vt putauit Toſtatus, & alius non nemo, ſed eius viri, qui Micholem vxorem Dauidis diu apud ſe habuit, quæ Abneris opera illi reddita eſt. Fuit hic Dux ſeptimæ turmæ Dauidicæ viginti quatuor millium, tribus Ephraimita, vt conſtat ex primo Paralipomenon vigeſimo ſeptimo, ex quo dubium redditur genus eius. Nam patria Phaltielis, qui dicitur pater eius fuit Gallim, vt eſt in primo Regum, Gallim autem non videtur fuiſſe in tribu Ephraim cis Iordanem, ſed trans ipſum in finibus Moab, vt Adrichomius colligit ex decimo quinto Eſaiæ. [l] At ex eodem colligere potuit illam ad tribum Ephraim pertinere, vt pote vicinam Gabaa, & Laiſa, & Anathoth. i in trad. in 1. Paral. 11. k verſ. 15. l Eſa. 15. 8.

Itaque prior illa Gallim [a] Moabitarum oppidum fuit; ſicut & Puteus Elim, Hieronymo teſte: [b] poſterior autem patria fuit Heles, & Phalti patris eius.

a Eſa. 10. 19
b in illu loc.

SEXTVS fuit Hira, filius Acces, de Thecua ſiue Thecuites, vt eſt in 1. Paral. Oppidum fuit in ſorte Iuda, [c] ex quo originem traxit mulier illa ſapiens, quæ Dauidi reditum Abſalonis perſuaſit. Eam illuſtrauit etiam Amos Propheta: & in primis hic Hira, qui non ſolum in numero fortium fuit, ſed in numero etiam duodecim principum, qui duodenis turmis militaribus præfuerunt, quorum hic memoratur ordine ſextus. [d] de quibus anno primo Dauidis diſſeruimus. [e]

XXVIII. 6. Hira.

c Adrich n. 136.
d 1 Par. 17. 9
e n 5. & ſeq.

Eadem vtraque laude ornatus fuit ſeptimus, qui ſequitur Abiezer de Anathoth, in tribu Beniamin: fuit enim nonæ turmæ princeps [f] cuius functio in nonum menſem cadebat. Eandemque vrbem Ieremias Propheta natalibus ſuis illuſtrauit.

7. Abiezer

f 1. Par. 27. 12.

OCTAVVS numeratur Mobonni de Huſathi. In Paral. Sobbochai Huſathites: vbi Hieronymus eundem eſſe dicit, aliter tamen ſcribit, quam nunc in hebraicis libris legatur, eundem quoque fatetur Abulenſis; cui ſententiæ fauet tam patria eadem, quam ordo fortium; vtrobique enim octauo loco cenſetur. Apparet ergo Samech in Mem, & Caph in Nun fuiſſe mutata. De hoc Sobochai iam ſupra anno Dauidis trigeſimo quinto [g] diſputatum eſt. Hic eſt enim qui percuſſit Saph de ſtirpe Arapha. [h] Hic idem eſt quem S. Hieronymus ad ſecundam triadem pertinere exiſtimauit, vt paulo ante dicebamus. [i] Et quem Dauid conſtituit principem octauæ turmæ, [k] cuius ſtatio incidebat in menſem Marcheſuan, qua de re primo anno Dauidis actum eſt. [l]

XXIX. 8. Sobbochai.

ס in מ
כ in נ
g n 6 & ſeq.
h 2 Reg. 21. 18.
i nu. 17.
k 1. Par. 27. 11.
l nu. 9.

NONVS eſt Selmon Ahohites, qui in 1. Paral. dicitur Ilai, quod agnoſcit Abulenſis, & ante ipſum Hieron. qui addit Ahohitem dici, quod filius eſſet Ahohi fratris Iſai. Adrichomius tamen Ahohi oppidi nomen, putat in tribu Iuda; [m] vtique non minore probabilitate, cum cætera ſimilia vocabula patriam fere ſignificent, non genus. vt ſequentia quoque oſtendunt.

XXX. 9. Selmon Ahohites.

m n. 14.

Decimus eſt Maharai Netophatites, vtroque in libro. ex Netophati oppido tribus Iuda, Adrichomio ibidem. [n]

10. Maharai.

n n. 198.

Vndecimus Heled filius Baana, & ipſe Netophatites, vtrobique. D. Hieronymus ait legi in Paral. Heleb, per Beth, ב in fine: nunc vtrobique legitur per Daleth ד. Non eſt autem hic Baana qui interfecit Iſboſethum. [o] Hic enim Berothites dicitur in 2. Reg.

11. Heled.

o 2. Reg. c. 4. v. 5.

Duodecimus eſt Ithai, filius Ribai, de Gabaath filiorum Beniamin, quæ fuit patria Saulis; dicitur Ethai in altero catalogo; in hebræo tamen vtrobique eſt Ithai; quod ipſum nomen eſt illius Gethæi, qui Dauidem fugientem comitatus, dux fuit tertiæ partis exercitus ipſius contra Abſalonem pugnantis. Quin & eandem eſſe perſonam veriſimile putat Abulenſis; vtique diſſentiente me, cum patria toto cœlo diuerſa ſit, & vnus origine Philiſthæus, alter Beniamita ſit; vnus proſelytus, alter Iſraelita; vnus recens Dauidi familiaris, alter ex antiquo in fortibus eius numeratus fuerit. Antiquum enim fuiſſe catalogum iſtum Aſael oſtendit, qui ante annos 34. vt dicebam occiſus fuit. [p]

12. Ithai.

p n 25.

DECIMVS tertius Banaia, ſiue Banaias Pharatonites; habetur in vtroque libro ſine vlla diuerſitate. Nomine conuenit cum Banaia, qui eſt ſecundus in ſecunda triade; ſed patria pugnat; Erat enim Cabſeel in tribu Iuda, Pharaton autem ciuitas in monte Amalec, vnde ortus eſt Abdon iudex populi Iſraelitici, eſtque is mons in tribu Ephraim. vide Adrichom. n. 76.

XXXI. 13. Banaias Pharatonites.

Decimus quartus eſt Heddai de torrente Gaas; in Par. dicitur Hurai, notauit etiam Hieronymus. Fatigauit hoc nomẽ Toſtatum, cum pro Hurai legiſſet viri. Apparet in hoc quoque nomine Daleth mutatum in Reſch. motionibus etiam mutatis. Videtur dictus torrens Gaas, à monte Gaas, quem præterfluit, ex quo oritur iuxta topographiam Adrichmii [q] in cuius ſeptentrionali plaga ſepultus eſt Ioſue, in tribu Ephraim. [r]

14. Heddai

ד in ר
q nu 44.
r Ioſ. 24 30.

Decimus quintus Abialbon Arbathites, in Par. Abiel. notauit Hier. in Hebræo, Græcoque textu legitur, Abi-Albon quaſi dictio eſſet compoſita, quæ eſſet eius patria non reperio, neque enim alibi à Scriptura memoratur.

15. Abialbon.

XXXII. 16. Azmoth Bauramites. Decimvs ſextus Aſmaueth de Beromi, qui in Paral. dicitur Azmoth Bauramites, ex oppido Beromi, ſiue Baurami, in tribu Beniamin. [a] In primo Paral. c. 27. legitur Azmoth præpoſitus theſauris regis, filius Adiel, ſed patria eius tacetur, quemadmodum hic eius parens, ideo nihil affirmari poteſt ſitne vnus atque idem Azmoth, licet iiſdem omnino literis Hebraicè, Græcè, Latine ſcribatur. a Adrich. n. 31.

17. Eliaba. Decimus ſeptimus eſt Eliaba de Salaboni, ſiue Salobonites, vtrobique non magis nota patria, quàm ciuis eius.

18. Bene-aſe. Decimus octauus etiam obſcurior eſt; nam ne nomen quidem eius facile eſt reperire. Legitur enim in 2. Reg. [b] *Filij Iaſſen*, *Ionathan*, *Semma de Orori*, pro quibus verbis in 1. Paral. [c] habetur, *Fily Aſem Gezonites*, *Ionathan filius Sage Ararites*. Locus eſt perobſcurus, quem vidit, nec explicauit Hieronymus in traditio. Cæteri non ſatis ſe hinc expediunt. Vatablus & Serarius interpretantur *fily*, ex filiis, id eſt filius. Malim cum Emanuele Sa dicere, filii Iaſſen, ſiue filii Aſſem videri nomen proprium. In hebræo enim ponitur Bene-Aſem, ſiue Bene Iaſen, quaſi compoſitum nomen; ſicut Abi-Albon. Itaque decimus octauus virorum iſtorum erit Bene-aſem, qui in 1. Paral. dicitur Gezonites, ab oppido alioqui ignoto. b ca. 23. 32. c ca. 11. 33.

XXXIII. 19. Ionathan Sage filius. Decimvs nonus Ionathan nude ponitur in lib. Regnum. ſed in Paral. vocatur *Sage filius*, & patria Ararites vt diſtinguatur à nepote Dauidis, qui eſt tertius poſterioris triados, vt paulo ante dictum eſt. [d] d nu. 24.

20. Semma. Vigeſimus eſt Semma de Orori, qui omittitur in 1. Paralip. Et ſane fateor non leuem mihi eſſe ſuſpicionem, hunc eundem eſſe cum illo, qui tertio loco in fortibus numeratus eſt, nomen enim & patria fere conſentiunt.

21. Ahiam. Vigeſimus primus Aiam filius Sarar Arorites. In Paralip. Ahiam filius Sachar Ararites, nonnulla eſt etiam in hebræo differentia. Notauit etiam Hieron. & Abulenſis.

22. Eliphelet. Vigeſimus ſecundus Eliphelet filius Aaſbai, ſiue Achaſbai, filii Machati. In Paral. Eliphal filius Vr. notauit Hieron. vbi deceptus eſt Abulenſ. qui mendoſo codice vſus, nomen ſequentis militis cum patria ſua, huic agglutinauit; ait enim Eliphal eſſe filium Vraphel Meruchatitem. At in emendatis Latinis Hebræiſque legitur, Hepher Mecheratites, qui abeſt à libro regum.

XXXIV. 23. Eliam filius Achitophelis. Vigesimvs tertius eſt Eliam filius Achitophelis Gelonites, de quo dictum eſt non ſemel. Dicerem omiſſum in lib. Paral. niſi S. Hieron. diceret hunc eundem eſſe cum Hepher Mecheratite; nec video quid ei in hac aſſertione faueat, niſi ordo numerandi. Sed alius quoque inſeritur in libro Paral. Ahia Phelonites, qui omittitur in 2. Reg. cum tamen Toſtatus putat eſſe Eliam, in eoque conſequenter etiam hallucinatur.

24. Heſrai. Vigeſimus quartus dicitur Heſrai; in 1. Paral. Heſro Carmelites Mons Carmeli celeberrimus eſt. Sed dubium eſt an hic intelligatur Carmelus Iudæ, cuius incolæ erant Nabal & Abigail. An Carmelus maris in tribu Iſſachar.

25. Pharai. Vigeſimus quintus eſt Pharai de Arbi, ſiue Phaharai Arbites in hebræo. In Paral. habetur Naharai, mutato Pe in Nun, quomodo legit etiam S. Hieronym. in tradit. Ibidemque dicitur filius Aſbai, ſiue Ezbai. B in 3

XXXV. 26. Igaal filius Nathan. Vigesimvs ſextus Igaal, filius Nathan, de Seba. Pro quo in Paral. habetur *Ioel frater Nathan*. Agnoſcit diuerſitatem Hieronym. & vult eundem eſſe Igal, ſiue Igaal cum Ioel, & dici filium Nathan propter educationem ab eo acceptam, fratrem autem natura. Vult Abulenſis hunc Natham eſſe Prophetam, illum Dauidi familiarem, cuius frater ſiue filius ab eo, vt notiſſimo illuſtratur. Soba autem non reperio in Scriptura, præterquam in Syria trans Iordanem, vbi tum vrbs tum prouincia eſt, cuius Rex fuit Aderezer. [e] At Epiphanius Nathanem Prophetam vult eſſe oriundum ex Gabath, Saulis videlicet, in Beniamin. cui interpres non bene addit Galilæam. At Hieron. in tradit. [f] ait Iohel, & Ionathan, & Nathan Prophetam fuiſſe filios Sammaa fratris Dauid; fuiſſet ergo ex tribu Iuda. e 2. Reg 8. 3. f in 1. Par. 11

27. Bonni. Vigeſimus ſeptimus eſt Bõni de Gadi, id eſt de tribu Gad, interprete Chaldę o

ac S. Hieronymo. Huic Bonni reſpondet in 1. Paral. 11. Mibahar filius Agarai,
quem eundem putat Abulenſis, & vt videtur Hieron. Crediderim potius fuiſſe
diuerſos; & hunc Mibaharem illi defuncto fuiſſe ſuffectum. fuit autem in tribu
Gad etiam vrbs illi cognominis. vide Adrichom. n. 21.

Vigesimvs octauus eſt Selec de Ammoni, id eſt Ammonites in Paral. ita di- XXXVI.
ctus, quod in Ammon miniſterio fungeretur, ait Hieron. Id falſum eſſe ait A- 28.
a n. 15. bulenſis, ſed dictum potius ab oppido dicto Ammoni, quod Adrichomius [a] *Selec Ammonites.*
conſtituit in tribu Beniamin.

Vigeſimus nonus eſt Naharai Berothites armiger Ioab filii Saruiæ. eodem- 29.
que modo habetur in 1. Paral. Eiuſdem vrbis ciues fuerunt duo illi fratres ſica- *Naharai.*
rii, qui Iſboſethum regem Iſraelis interfecerunt. fuiſſe eam in tribu Beniamin
b Ioſ. 18. 25 ex Ioſue [b] liquet.

Trigeſimus eſt Ira Iethrites, ſiue Iethræus, vt eſt in Paralip. vbi Hieron. ait *Ira.* 30.
eum fuiſſe filium Iether patris Amaſæ. At rectius id nomen ex oppido ductum
eſt, ſicut & ſequens. Additur autem Iethrites ad differentiam alterius Hiræ
Thecuitis, qui ſextus eſt in hoc catalogo.

Trigeſimus primus eſt Gareb, & ipſe Iethrites, ſiue Iethræus in Paral. Dicen- *Gareb.* 31.
dus etiam eſſet hic filius Iether ex Hieron. Sed rectius dicetur Iethrites à Iether
c Ioſ. 21. 14. ciuitate leuitica in tribu Iuda. [c] *Iether* ait idem Hieron. in locis hebr. *in tribu Iu-*
da ciuitas ſacerdotalis. Et nunc eſt villa prægrandis Iethira *nomine, in viceſimo milliario E-*
leutheropoleos, habitatores quoque eius omnes Chriſtiani ſunt. Hæc ibi. vide & Adrich.
d n. 166. in eadem tribu. [d]

Trigesimvs ſecundus, & vltimus fortium in lib. 2. Reg. ponitur Vrias He- XXXVII
thæus, maritus pridem Bethſabææ ex Scriptura notiſſimus, cui nomen Hethæi 32.
e a Dauid. 19. n. 8. ab oppido Heth inditum fuiſſe Hieronymus in tradit. teſtatur: qua de re alibi [e] à *Vrias Hethæus.*
nobis diſputatum eſt. Ad hoſce autem triginta duos, ſi quinque, qui extra ordi-
nem numerati ſunt, addantur, numerus triginta ſeptem, qui hic colligitur, exa-
cte reperietur: quamuis triginta octo à Ioſepho tradantur; in quibus neque Da-
uid, neque Ioab numerati ſunt. Hi porro 37 fuerunt cum Dauid iam vltra toti-
dem annos: nimirum ab eo tempore quo fugiebat ante faciem Saulis, vt ait Hier.
f in c. 11. 1. Paral. in tradit. [f] Qui Vriam vltimum poni ait vt vltio mortis eius in populo demon-
g in c. vlt. 2. Reg. ſtretur, quæ ſcilicet vltio mox cap. 24. explicatur. Idem ait Rupertus, [g] Ange-
h q 7. in c. 24. lomus, Toſtatus, [h] Hugo Carenſis. Verum hæc traditio parum probabilis eſt; ſi-
ue quia populus, huius culpæ Dauidis non fuit particeps: eam enim occultiſſi-
me factam ne ſuſpicatus quidem eſt: ſiue quia ea iam in morte pueri adulterini,
Amnonis, & Abſalonis expiata erat: ſiue quia alia longe conuenientior cauſa
huius popularis cladis afferetur.

Appendicem virorum fortium addit liber Paralipomenon extra 37. ante XXXIIX
memoratos, vel etiam 40. ſi ad triginta duos, duæ triades, & cum iis Dauid, & *Appendix fortium.*
i q 31. in c. 33 Ioab numerentur. Et putat quidem Abul. [i] conſtantem fuiſſe hunc fortium nu-
merum, ad eumque non pertinere qui adiiciuntur; ſed eos eſſe ſocios Dauidis,
qui venerunt ad Dauidem, cum eum perſequeretur Saul. Verum multo plures
adiiciendi fuiſſent, & qui venerunt ad Dauidem ſeorſim cap. 12. primi Paral. re-
cenſentur: iſti autem eadem ſerie, in eodemque catalogo adſcribuntur. Credide-
rim potius iſtos, qui deinceps recenſentur, partim ſuffectos præcedentibus, cum
aliquem eorum mori contigiſſet, partim extra illum numerum, virtutis ergo, ex
alicuius egregii facinoris experimento, adiunctos fuiſſe; illo nihilominus no-
mine 30. fortium remanente. Sicut enim 30. fortes dicebantur, licet eſſent 32.
ita poſtea iſti collegio quamuis ampliato, manſit idem nomen. Prædictis ergo
fortibus adiiciuntur, qui ſequuntur.

Primvs Zabad filius Oholi, in Hebræo habetur Achlai. XXXIX.

Secundus Adina filius Siza Rubenites, princeps Rubenitarum, & cum eo 30. *Zabad.* 1.
dux videlicet erat 30. virorum de ſua tribu, qui tamen ad hunc ordinem non *Adina.* 2.
pertinent, ſed tantum ipſorum præfectus.

Tertius eſt Hanan filius Maacha. Fateor ignorare me quid ſibi velint Rabini *Hanan.* 3.
apud Hieronymum in tradit. in hunc locum, cum aiunt Maacha *nomen eſſe offi-*
cij fæminarum de cauſis muliebribus; Conuenit id nomen multis mulieribus in Scri-

ptura [a] ſic enim dicta eſt mater Abſalonis, & Thamaris, & Achis Gethæorum regis, & Abiæ filii Roboami, & A:æ &c. [a 3.Reg.2.39. & 2.Par.11. & c.15.16]

Ioſaphat 4 Quartus eſt Ioſaphat Mathanites. Mathana ſolitudo eſt, per quam tranſierunt Iſraelitæ. [b] Eſt & ciuitas eiuſdem nominis, ſita in Arnone, vt ait Hier, in tribu Ruben de qua Adrichom. num. 46. [b Num. 21.]

Ozia 5. Quintus Ozia Aſtarotites, ex ciuitate Aſtarot, trans Iordanem, in tribu Manaſſe; olim [c] fuit regia ſedes Og regis Baſan, deinde ciuitas leuitica, de qua pluribus Adrichomius in eadem tribun. 19. [c Ioſ.12.13.]

6.7. XL. *Samma & Iehiel.* SEXTVS, & ſeptimus fuerunt Samma, & Iehiel filii Hotham Arotitæ, in Hebræo eſt Aroerithæ. Eſt autem Aroer ciuitas extructa à filiis Gad trans Iordanem, ſuper ripam torrentis Arnon, & paruit olim regi Sehon.[d] [d Nu.32.21. & Deu.2.36]

8.9. Octauus, & nonus Iedihel filius Samri, & Ioha frater eius Thoſaites, in hebræo eſt Thiſites.

Eliel. 10. Decimus Eliel Mahumites, hebraice Mahauites, ex oppido videlicet Mahauim, Abulenſis legit Mahanites, ab vrbe Manahim in qua regnauit Iſboſeth, mutata litera Vau in Nun. Nec vſquam alibi ominoſum hoc vocabulum in Scriptura reperitur. נ

11.12. Vndecimus, & duodecimus Ieribai, & Ioſaia filii Elnaem. Siue Elnagham in hebræo.

Iethma. 13. Decimus tertius eſt Iethma Moabites, *eo quod in Moab miniſterio fungeretur*; ait Hieron. quo autem miniſterio non tradit; Suſpicatur Abulenſis fuiſſe hunc oriundum ex Moabitis, factumque apud Hebræos proſelytum; quod probabilius eſt.

14.15.16. Reliqui tres Eliel, Obed, & Iaſiel erant eiuſdem oppidi ciues, Moſabiam vocauit Hieronymus in vulgata, in hebræo eſt Meſobaiah. Locus eſt alibi non nominatus, niſi forte ſub alio vocabulo. Et hactenus catalogus fortium, cum ſua appendice ex 1 Paral. c. 11. nunc ad peſtilentiæ plagam, primumque ad eius cauſam tranſeamus.

XLI. *Occaſio numerati populi.* CVM altiſſima pace frueretur Dauid, & inter gratias agendas Deo heroës ſuos, quos ipſi diuina liberalitas dederat, viros eximia fortitudine præſtantes, recenſuiſſet; ſubiit etiam eius animum cogitatio ac voluntas vniuerſum numerum bellatorum, aut qui armis tractandis per ætatem idonei eſſent, qui toto Iſraelitarum imperio cenſeri poſſent, in faſtos ſuos redigendi. Ei voluntati cum

Cur punitus in eo cenſu populus. Ex Theodoreto. ſuperbia & vanitas adiunctæ eſſent, Deus in eam culpam permiſit Dauidem labi, vt id peccatum, in populo alioqui culpabili, iuſta animaduerſione caſtigaret. Audi enim Theodoretum. [e] *Populus,* inquit, *luit pœnas ſuæ iniquitatis; Relicto enim rege pio, militauit ſub impio tyranno & parricida filio, qui pio patri, & Propheta moliebatur cædem, & qui à Domino vniuerſorum acceperat regni curationem. Auget autem eorum crimen, quod Saulem condemnatum, & diuina priuatum gratia, non reliquerit donec perueniſſet ad finem vitæ,* ac ne tum quidem, adhæſit enim Iſboſetho annis ſeptem, regnante iam tum Dauide; pergit. *Eum autem à quo tot bona acceperat non ſolum reliquerit, ſed etiam aduerſus eum in acie ſteterit, & crudeli ac ſcelerato filio auxilium tulerit,* ſic ipſe. [e q. vlt. in hunc lib.] Χρονικῶν.

XLII. *Alia cauſa, defectio cum Seba.* ADDIT non minus probabilem popularis cladis cauſam Lyranus; Ait enim peſte punitam fuiſſe populi defectionem, qua Sebæ filio Bochri, contra Dauidem legitimum ſuum principem adhæſerat. [f] Solus enim Seba perficiæ ſuæ luerat pœnas. At pro ſcelere populi cum Abſalone conſpirantis, facta fuit plaga in populo in die illa viginti millium. [g] Itaque poſterior cum Seba coniuratio morte ſeptuaginta millium virorum punita eſt. [h] Cui ſententiæ non repugnat Abulenſis, [i] etſi malit propter alia quæpiam populi peccata, peſtem in ipſum immiſſam; eo quod iſta defectio cum Seba, populari fame punita videatur, cum peccati Saulis in Gabaonitas ſæuientis, non videatur fuiſſe particeps. Neque obſtat quod Dauid in ſua ad Deum oratione populum innocentem dicere videatur: id enim de culpa in numeratione intelligendum eſt, cuius populus particeps non fuit. Voluit ergo Dominus hunc Dauidis lapſum permittere, & ſimul eum, populum caſtigando humiliare, reputantem ſe huius tantæ cladis cauſam fuiſſe. [f 2.Reg 20 21.] [g 2.reg.c. 18 7.] [h 2.Reg 24. 15.] [i q.7.in c. 24.]

POPVLI ENVMERATIO

XLIII. *Alia ex Ioſepho.*

CAVSAM aliam Ioſephus affert, [a] *Dauid*, inquit, *volens cognoſcere quantus militum numerus recenſeri poſſet in populo, oblitus præceptorum Moſis, qui prædixerat quoties cenſeretur populus, in ſingula eius capita pendendum Deo ſemiſiclum, iuſsit* Ioabum *imperatorem ire ad cenſum peragendum*. Lex cuius meminit Ioſephus habetur in Exodo.[b] *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabũt ſinguli pretium pro animabus ſuis* Domino, *& non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti.* [c] *Hoc autem dabit omnis qui tranſit ad nomen, dimidium ſicli iuxta menſuram templi*. Ex quo corrigendus eſt Rufinus qui ſiclum habeat pro dimidio ſiclo; eſt enim in Ioſepho ἡμίσικλον. Verum vt hæc cauſa huius plagæ fuerit, vt quidem etiam interpretes putant, [d] ſatis conſtat non eſſe adæquatam, & eam Serarius aduentitiam vocat, quæ eſt Toſtati ſententia. [e] Alioqui enim non oportebat Dauidem à Ioabo diſſuaderi ne numeraret populum, ſed ſemiſicli penſitationem ſuggerere. Agnouit ergo elationem, quam præuidebat non impune ceſſuram. Denique quomodo peccatum obliuionis, quod ex genere ſuo ſolet eſſe leuiſſimum, tot millium cæde punitum eſt? quid populus in ea obliuione deliquerat, vt tanta ſtrage afficeretur?

Improbatur.

XLIV. *Quæ hic actio Dei & dæmonis.*

ALIAM ſuggerit etiam cauſam Sripturam Sathana, [f] quem ait conſurrexiſſe contra Iſrael, & concitaſſe Dauidem vt numeraret Iſrael. Qui Sathan in ſecundo Regum, [g] vocatur furor Domini, quia Deus iratus contra peccatores, eius mala voluntate, & viribus vtitur ad eos caſtigandos. Et cum dicat furorem, & non iram ſimpliciter, innuit magnam imminere punitionem, qualis apud homines ex magna ira proficiſci ſolet. Suggeſtio ergo non Domini, ſed dæmonis fuit, dicentis, *Vade numera Iſrael, &* Iudam. Subtractio autem gratiæ animi faſtum, atque elationem impeditura, Domini fuit, quemadmodum & numeratio, quatenus pœna populi futura erat. Eam elationem eleganter exhibet S. Auguſt. [h] *Ibi in gregem ſibi commiſſum tanta dilectio paſtoralis, vt pro eis ipſe vellet mori, quando populo numerato peccatum elationis eius, ſic punire placuit Deo, vt eundem numerum minueret morte multorum, cuius multitudine cor regis fuerat ſuperbia pertentatum. In quo occulto iudicio Deus apud quem non eſt iniquitas, & quos nouerat indignos hac vita, ſubſtraxit huic vitæ: & in illo qui de hominum copia ſe extulerat, tumorem animi humani eiuſdem copiæ diminutione ſanauit.* Hæc S. Auguſt. Vide & Eucherium Lugdunenſem. [i]

Dauidis elatio punita.

XLV. *Mandat Ioabo cenſũ populi.*

DIXIT *rex ad Ioab principem exercitus ſui: Perambula omnes tribus Iſrael à Dan vſque Bethſabee, & numerato populum, vt ſciam numerum eius.* Nam principibus quoque demandata eſt iſta prouincia, [k] *Ite & numerate* Iſrael *à Bethſabee*, termino meridiano, *vſque Dan*, boreali termino ad fontes Iordanis: *& afferte mihi numerum vt ſciam*, qui finis ſolitarius, in hiſce practicis rebus, curioſam inanitatem ſpirat. Noluit autem Dauid eos numerari infra 20. annos, vt habetur inferius, [l] *quia dixerat Dominus vt multiplicaret* Iſrael *quaſi ſtellas cæli*. Exiſtimauit videlicet innumerabilem eſſe multitudinem eorum, qui vigeſimum annum non attigiſſent, toto etiam fœmineo ſexu prætermiſſo, qui nunquam cenſebatur, qui facile alterum numero exæquare, aut etiam ſuperare ſolet. Putat tamen Abulenſis, etiam ſenes cuiuſcumque ætatis cenſos fuiſſe, quod nulla ætas vltra 20. annos excludatur. Videntur tamen excluſi qui bello inhabiles eſſent, cum Ioab mox dicatur tuliſſe numerum bellatorum, & educentium gladium.[m]

XLVI. *Qui diſſuadet regi.*

DIXITQVE I*oab regi. Adaugeat Dominus Deus tuus, ad populum tuum quantus nunc eſt*, id eſt duplicet, & quaſi hoc parum ſit, addit, *iterumque centuplicet in conſpectu* Do*mini mei regis*, vt ſcilicet ipſe viuus ac vigens ea conſolatione frui poſſit. Nam *in multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* [n] Pergit autem Ioab. *Sed quid ſibi* Domin*us meus rex vult in re huiuſcemodi? nonne Domine mi rex omnes ſerui tui ſunt,? quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Iſraeli?* id eſt in pœnam, vt docuit euentus. Non diſceſſit tamen à ſententia ſua rex. Præualuit enim regis imperium conſilio Ioabi, & principum eius. Neque Ioab reluctatus eſt diutius, quia cum res non eſſet natura ſua mala, & poſſet populus recta intentione recte cenſeri, in re dubia potuit ac debuit imperio regis acquieſcere. [o]

Sed fruſtra

XLVII. *Egreditur cum principibus ad luſtrationẽ.*

EGRESSVSQVE *eſt Ioab, & principes militum à facie regis, vt numerarent populum Iſrael.* Hos principes militum non male fortaſſe dixerimus principes duodecim turmarum militarium, & principes tribuum: cuius rei coniectura ex eo ducitur, quod illis omnibus principibus enumeratis capite 27. primi Paral. iterum fit mẽ-

tio enumerationis huius, quæ alioqui extra propoſitum facta videri queat.[a] Nimirum qui numerandi erant ſub horum principum aliquo inſcripti, aut inſcribendi erant; qui non referebant in tabulas quenquam, qui annum vigeſimum non ſuperaret. Inchoata eſt autem enumeratio, ab iis, qui remotiores erant, ad orientem ſcilicet trans Iordanem, indeque ſeptentrionem verſus progreſſi ſunt, *quo ordine locorum.* & inde rurſus ad meridiem deſcenderunt. Tranſmiſſo ergo Iordane *venerunt in Aroer*, quæ erat in finibus tribuum Gad, & Ruben; vnde videntur tribum Ruben primum percenſuiſſe, hoc enim erat initium poſſeſſionis Iſraelitarum trans Iordanem, & niſi ea tribus tum cenſa fuiſſet, importune poſtea iterum Iordanis traiiciendus fuiſſet.

[a] Toſt. q. 23 in c. 27. 1. Paral.

XLVIII. *Primum trans Iordanem. Trachonitis*

Deinde *per Iaſer trãſierunt in Galaad*, Eſt enim Iaſer ſicut & Aroër, ad torrentem Arnon in via ad perluſtrandam totam regionem Galaaditidem, quæ montibus Galaad ab oriente clauditur, & pertinet ad tribum Gad. Inde autem recenſita tota regione dimidiæ tribus Manaſſe, venerunt per *terram inferiorem Hodſi*, id eſt terram nouæ habitationis, id eſt recens cultæ, ac populis frequentatæ, vt ex Hebræo exponit Lyranus, venerunt ad ſilueſtria Dan, quæ eſt vrbs ad fontes Iordanis, prope Libanum montem. Itaque terra illa inferior Hodſi videtur eſſe regio, quæ Trachonitis dicta eſt iuxta aquas Meron, vt ex generali Adrichomii topographia colligi poteſt. Ex ante dictis autem [b] ſatis conſtat hanc *Nõ abſolutus hoc anno cenſus.* perluſtrationem totam eodem anno non fuiſſe perfectam, ſed ad tempus vſque meſſis triticeæ ſubſequentis anni fuiſſe productam, quando & clades peſtifera contigit.

[b] hoc anno nu. 2.

SCHOLIA IN ANNVM 3016. DAVIDIS REGNI 37.

1. N. XI. OMnia tamen græca exemplaria hôc loco 2. Reg. 23. ante Adino numerant Ieſbaã, non quaſi diuerſa nomina, ſed quaſi diuerſas perſonas. nã græca regia habent. *Hæc nomina potentium Dauid Iesbaab filius Thecemani, hic primus triũ. Adino vero Aſonaus, &c.* Græca vero Sixt. & Aldi, Vech. & Baſil. eundem vocant Ieboſthem Chananæũ principem tertii, τῆς τριάδος, id eſt triadis. Longius etiam de more receſſit Ioſephus, qui eum vocat *Iſſamum filium Achemai;* pro quo etiam deprauatius apud Rufinum, & qui eius verſione vſi ſunt, in quibus Abulenſis, legitur Euſebius, filius Achamæ. Verum ſicut cognomina hæc Achame, & Achemæus & Chananæus, & Thecemani, ex eodem Hachamoni orta, & deformata ſunt; ita ex eodem Ieſbaam oriuntur Ieſbaab, Ieſboſthe, Iſſæmus, ſiue Ieſſemus, & Euſebius.

2. N. XVI. Si hic Semma fuit filius Age de Arari, non fuit vtique frater Dauid, filius Iſai de Bethlehem, cuius facta eſt mentio ſupra c. 21. li. ſecundi, vt non nemo exiſtimauit. Rectius diceretur frater Ionathan, qui 1. Paral. 11. 33. dicitur filius Sage Aarites, verum in patris nomine vnius literæ ש differentia eſt, ſicut & in latino.

3. N. XVII. At inquies, iſti tres dicuntur principes inter 30 2. Reg. 23. 13. non ergo ſunt extra, aut ſupra 30 fortes. Primo autem Paral. 11. 15. dicuntur tres de 30. principibus: & verſ. 25. Banaias dicitur inter 30. primus. Reſpondeo neceſſario dicendum figuratam eſſe locutionem. Nam ſi tres iſti in 30. numerentur, numerus non conſtabit, ſiue in libro Regum, ſiue in Paral. & clarum eſt mentem ſcripturæ eſſe ternarium vnum, atque alterum è reliqua turba ſeponere, vt n. 7. dixi, Ideoque in græco aliquoties legitur, ſupra 30. Itaque inter 30, vel de 30. idem eſt, quod in cœtu, vel ex cœtu illo fortiũ qui a triceſario numero nomẽ habẽt. Sic Gen. 3. 14. ſerpẽs dicitur *maledictus inter omnia animantia*, id eſt præ omnibus animantibus: ſic Deuter. 7. 14. *benedictus eris inter omnes populos*, id eſt ſupra, vel præ omnibus populis. Sic beatiſſima virgo ſalutatur quotidie *benedicta in mulieribus*, ſiue *inter mulieres*, id eſt præ omnibus mulieribus. Demique Banaias hic in 1. Par. 27. 6. dicitur *fortiſſimus inter triginta, & ſuper triginta*, etiam in hebræo, & græco textu.

In traditionibus hebraicis apud Hieron. ita legitur (Nam ex eo cæteri deſcripſere). *Leo iſte Ioab fuit, in media ciſterna, id eſt in domo Domini, vbi cornu altaris tenebat. Ciſterna ideo dicitur quia ſicut aqua ciſternæ munditiem affert, ita etiam hæc ciſterna, id eſt ſanctuarium Domini peccata expiabat. In diebus niuis, quia per mortem expiauit peccatum: iuxta illud pſalmiſtæ, lauabis me, quod impletum eſt in media ciſterna, & ſuper niuem dealbabor, quod impletum eſt in eo quod ait in diebus niuis.* Hæc ibi, quæ frigidiora vtique ſunt diebus niuis. Nec in literali ſenſu, ſed accommodatio duntaxat valere poſſunt. Vide Abul. q. 18. ſuper c. 23. 2. Reg. 4. N. XXI.

Huic enumerationi populi, & deſiderio regis cupiẽtis ſcire numerũ populi ſui, habes aliquid ſimile apud Herodotum in Melpomene, qui eſt 4. liber, vbi ait inter Boryſthenem & Hypanim flumina locum eſſe nomine Exampæum, in quo iacẽt ahenum ſexcentarum amphorarum facile capax craſſitudine digitorum ſex. *Id aiunt*, inquit, *ex aculeis ſagittarum eſſe fa-* 5. Nu. XI.

ctum. Regem enim ſuum nomine Arinatem cum numerum Scytharum ſcire vellet iuſſiſſe ſingulos Scythas cõferre ſingulos ſagittarũ aculeos, propoſita morte ei qui non ferret. Ita magnam vim collatam eſſe aculeorum: & ex his confectum ahenum illud placuiſſe ei pro monimento relinquere, & in hoc Exampæo dedicare. Hactenus Herodotus. Vides adumbratum mare illud æneum Hebræorum 3. Reg. 7. 23. & ſeq. vel labrum æneum factũ de ſpeculis mulierum in deſerto, Exod. 38. 8. Quantum autem ſit in illa fabula probabilitatis non diſputo: quis enim non facilius ac celerius dediſſet nomen ſuum, quam ſagittæ cuſpidem abrupiſſet?

ANNVS MVNDI 3017. DILVVII 1361. 5ᵉ. ÆTATIS. 78. EXITVS AB ÆGYPTO 474. ARCÆ IN SIONE 28. REGNI DAVIDIS 38. ABIATHARIS PONTIF. 43. TROIÆ EXCISÆ 146. EVPALIS 27. IMPERII ASSYRIORVM 1086.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1036.

Sabbat. 6 2. — SExagesimo ſecundo annorum ſeptenario ab ingreſſu Iſraelitarum in Chananitidem, inchoata populi enumeratio abſoluitur, & punitur. Dauid Deum angelico gladio in populo, & nominatim Hieroſolymis ſæuientem ſacrificio placat, & templi extruendi negotia diſponit. Interim inſoleſcit Adonias, Salomon in officio ſe continet. quomodo autem hæc geſta ſint videamus ſigillatim. I. *Annus ſabbaticus 62. & res anni huius.*

a nu. 47. — Ioab cum principibus militum, quos exiſtimare licet fuiſſe duodecim illos turmarum præfectos, qui vicenis quaternis millibus præerant, vt paulo ante dicebamus, [a] progreſſi ex ſylueſtribus Dan, circumeundo latus meridianum montis Libani, deſcenderunt occidentem verſus ad Sidonem. Inde autem flexo meridiem verſus itinere, tribus Aſer, ad quam Phœnicia pertinet, & Nephtalim, in qua eſt Galilæa ſuperior, perluſtrarunt, & *tranſierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Heuæi, & Chananæi.* Terram in qua Tyrus & Sidon vrbes antiquiſſimæ conditæ fuerant, quæ Phœnicia fere dicitur, poſt mille ab hinc annos ſpeciale nomen Chananitidis retinuit. Propterea enim mulier, quæ egreſſa erat ex finibus Tyri & Sidonis, in Euangelio non Phœnicia, ſed Chananæa dicitur. Porro Ioab cum ſuis verſus Iudam iter habentes, luſtrarunt tribus Zabulon, quæ ſubeſt mari Galilææ, & Iſſachar, ad quam etiam pertinet inferior Galilæa, & dimidiam tribum Manaſſe. Eam excipit tribus Ephraim, & Beniamin, quæ, ſicut & tribus Leui, cenſa non fuit, [b] Vnde ventum eſt ad Iudam, & eius occiduam oram, in qua tribus Dan, & poſtremo Simeonis ad meridiem reperitur, in qua ſita eſt ciuitas Berſabæa, quæ eſt alter terminus longitudinis terræ ſanctæ. II. *Luſtrantur reliqua Chananitidis.*

b vt eſt in 1. Paral. 21. 6.

c 2. Reg. 24. 8. & d 1. Par. 21. 6 e c. 27. v. 24. — Lvstrata itaque *vniuerſa terra, affuerunt poſt nouem menſes, & viginti dies in Ieruſalem.* ſic in 2. Reg. ſcriptum eſt [c] quibus contraria videntur, quæ habentur in prim. Paralipom. [d] *Nam Leui & Beniamin non numerauit, eo quod Ioab inuitus exequeretur regis imperium.* Et rurſum in eodem lib. [e] *Ioab filius Saruiæ cœperat numerare, nec compleuit: quia ſuper hoc ira irruerat in Iſrael, & idcirco numerus eorum qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos regis* Dauid. Dicendum videtur hunc fuiſſe rei geſtæ ordinem. Poſt nouem menſes dum numeratio in curſu eſt, Dauid ex inſpiratione diuina religione tactus doluit quod iuſſiſſet numerari populum, & veniam a Deo ſupplex poſtulauit. Mox autem venit Gad Propheta, qui regi optionem pœnæ diuinitus ſubeundæ obtulit. Interea Dauid, qui quod factum erat infectum eſſe vellet, mittit ad Ioabum, qui cunctanter regis imperium exequebatur vt deſiſtat à cœptis: quod dum ille facit, & Ieroſolymam regreditur peſtilentia ſæuit in populo, Ioab autem numerum cenſus retulit ad regem. Nec Scriptura repugnat ſibi. Non enim ait in III. *An tota regio luſtrata fuerit.*

vno loco omnes fuiſſe numeratos, in alio vero aliquos fuiſſe præteritos; neque eſt idem vniuerſam regionem luſtratam fuiſſe, id eſt aditam à cenſoribus: & omnes incolas cenſos, ſiue numeratos fuiſſe.

IV. *Numerus cenſus qui fuerit.*

MAIOR longe eſt de numero difficultas. Nam in 2. Reg. ſic legitur. [a] *Dedit ergo Ioab numerum deſcriptionis populi regi. Et inuenta ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium; & de Iuda quingenta millia pugnatorum.* In primo autem Paral. hoc modo. [b] *Deditque Dauidi numerum eorum quos circuierat, & inuentus eſt omnis numerus Iſrael mille millia, & centum millia,* id eſt vndecies centena millia *virorum educentium gladium. De Iuda autem quadringenta ſeptuaginta millia bellatorum.* In poſteriore libro numerus Iſraelitarum maior eſt trecentis millibus, quam in priore. Iudæorum autem minor triginta millibus. Reſpondet D. Hieronymus in tradit. [c] quem pleri que ſequuntur, ſummam maiorem reuera inuentam fuiſſe, ſed minorem Dauidi declaratam à Ioabo, ad vitandam elationem At ſic multo magis diminutam oportuit tribum Iuda, quæ magis elationem fouebat, non amplificatam. In 1. autem Paral. dicunt Hebræi apud eundem in maiori numero poni, tam eos qui remanſerunt, quam eos qui interfecti ſunt; in minore autem tantum viuos numerari. Quod ſi eis obiiciatur longe minorem numerum occiſorum à Scriptura referri, aiunt referri tantum capita ſeniorum, præcipuos ſcilicet de populo; reliquos autem, qui non numerantur, è plebe fuiſſe. At Ioab dedit numerum eorum quos deſcripſit, non deſcripſit mortuos, ſed viuos.

[a] c. 24. 9.
[b] c. 21. 5.
[c] in l. 2. reg.

V. *Variæ rationes conciliandi diuerſos numeros.*

IOSEPHVS in his numeris [d] cum vtroque Scripturæ loco pugnat, ait enim, abſque tribu Beniamitica, & Leuitica. inuentum eſſe reliquorum Iſraelitarum numerum ἐννενήκοντα μυριάδας nongenta millia, eorum qui ad militiam erant idonei. In Iudæ vero tribu τεσσαράκοντα μυριάδας quadringenta millia cenſa fuiſſe. Putat Caiet. forte bis relationem numeri factam eſſe, & à diuerſis, vno maiorem, altero minorem referente; quoniam Ioab, in negotio ſibi parum grato aliorum opera vtebatur. Aiunt aliqui in libro Paralipom. maiorem eſſe numerum, quia eo comprehenduntur tribus Beniamin & Leui; quod merito reiiciunt Lyranus & Abulenſis. Id enim contra Scripturam eſt, quæ in illo ipſo loco, in quo maiorem numerum poſuit, ſtatim ſubdit tribum Leui & Beniamin non fuiſſe numeratas. Itaque præter has duas tribus, præterque tribum Iuda inuenta ſunt vndecies centena millia Hebræorum, qui vigeſimum annum ſuperarent.

[d] l. 7. ant. c. 10.

VI. *Quæ magis probetur.*

DICENDVM videtur cum Toſtato, [e] quem ſequitur Serarius, non vnum Ioabum numeraſſe Iſraelitas, etſi ipſe toti cenſui conficiendo præeſſet, ſed plures militum præfectos, vt ante dixi; [f] qui cum per ſingulas vrbes, oppidaque ſparſi eſſent, ſinguli in priuatos libellos nomina, numerumque eorum, quos cenſuiſſent referebant: apud Ioabum autem erat maior liber, qui tradendus erat regi, qui & Annalium, ſiue Faſtorum regiorum nomen accepit, vnaquaque ergo tribu recenſita, ſingulorum præfectorum libelli, ad maiorem illum librum transferebatur. Cum itaque tam Ioab, quam cæteri principes, totum Iſraelem, exceptis tribubus Leui & Beniamin, recenſuiſſent: auditum eſt plagam peſtilentiæ diuinitus, ob hunc cenſum, in populo ſæuire; quæ cauſa Ioabo fuit, qui alioqui inuitus huic muneri ſeruiebat, vt tum illas duos tribus miſſas faceret, tum etiam trecenta milla de aliis tribubus, quæ è priuatis libellis nondum exſcripta fuerant, non referret in librum; quod id pertineret ad confectionem cenſus, quam plane volebat omittere. Quæ belle conſentiunt cum illis Scripturæ verbis [g], *Ioab* inquit, *cœperat numerare, nec compleuit, quia ſuper hoc ira irruerat in Iſrael, & idcirco numerus eorum qui fuerant recenſiti, non eſt relatus in faſtos Regis Dauid.* Scriptor autem libri Paralipomen. illa trecenta millia poſtea ex priuatis libellis ſuppleuit.

[e] q. 14. in c. 24. 2. Reg.
[f] an Dauid. 37. n. 47.
[g] 1. Par. 27. 24.

VII. *Quid de tribu Iuda dicendum.*

QVÆ ratio non videtur locum habere poſſe in tribu Iuda, quæ in hoc poſteriore libro diminuta eſt triginta hominum millibus, & non 130. vt mendoſe legitur apud Toſtatum. [h] Qui exiſtimat in ſecundo Regum deſcriptos eſſe vniuerſos Iudæos: in lib autem Par. præcipuos, reiectis omnibus, qui bello parũ

[h] q. 15. in c. 24. & in tradit. hebr. 1. Par. 21.

idonei erant. At Dauid multitudinem populi ſcire voluit, non bellatorum duntaxat. An dicendum in illo numero quingentorum millium comprehendi eos omnes, qui quoquo modo ad tribum Iuda pertinebant, vt proſelytos qui ſe Dauidi dediderant; quorum numerus ad 30. millia potuit aſcendere. An forte hæc tribus ſecundum antiquos ſuos terminos æſtimatur, [a] intra quos tribus Dan & Simeon, quaſi in ſinum Iudæ receptæ ſunt; idque confirmatur ex eo, quod Ioab cum ſuis dicitur veniſſe ad meridiem Iuda; in Berſabee: cum tamen conſtet id oppidum fuiſſe in tribu Simeonis, non Iudæ. [b] Sed de numerica quæſtione non parum impedita ſatis; ad agnitionem culpæ veniamus.

VIII. *David agnoſcit culpam ſuam.*

Percvssit [c] *autem cor Dauid eum, poſtquam numeratus eſt populus.* magna ſcilicet ex parte, nam duæ adhuc numero carebant. *Et dixit* Dauid *ad* Dominum, *peccaui valde in hoc facto; ſed precor Domine vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egi nimis.* Repræhendit Dauidem propria conſcientia, ſicut & cum oram chlamydis Saulis abſcidiſſet, [d] Deo ſcilicet ipſum ad agnitionem culpæ excitante, pro qua veniam petit, quam *tranſlationem* ſiue *ablationem* iniquitatis appellat, neque enim optauit alium pro ſe puniri. Quin potius cum videret populum peſte interire, orabat angelum percuſſorem, vt manum in ſe, paternamque domum ſuam conuerteret. Exaggerat ipſe culpam ſuam, vocat enim ſtultitiam nimiam, & peccatum valde magnum; quam alii principes, etiam timentes Deum, vix in venialibus culpis numerarent. Recte tamen ſapit Dauid, dum in vanitate, & ſuperbia ſtultitiam agnoſcit. Neque enim maior ſtultitia fingi poteſt, quam de bonis alienis, quaſi de propriis gloriari. Recte & peccatum magnum æſtimat, gloriam vni debitam Deo, ſibi ipſi iniuſtiſſime ſuffurari. Nam ſi crimen imminutæ maieſtatis eſt, principis bona interuertere, & ad ſe transferre; num exigua culpa eſt principi rerum Deo gloriam, quam vnam ille retinuit ſibi, omni nobis beneficiorum ſuorum emolumēto permiſſo, audacter, atq. improbe vendicare?

IX. *Mittitur ad eũ Propheta diuinitus.*

Svrrexit *itaque Dauid mane*, ſtimulo conſcientiæ, & ſpiritu pœnitentiæ excitatore vſus, *& ſermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam, & videntem Dauidis* ipſius; quo ſcilicet Deus peculiariter vtebatur, ad ſuam Dauidi voluntatem enunciandam, nec vllum alium adhibuit monitorem. Itaque ſemel hic atque iterum peccat Ioſephus, qui & agnitionem culpæ Dauidicæ, non reprehendenti conſcientiæ tribuit, ſed Prophetis. Et inſuper non vnum Prophetam, ſed plures Dauidis repræhenſores inducit. Sic enim habet. *Prophetis autem referentibus ad Dauidem quod Deum offendiſſet, ſupplex orare cæpit, vt propitius redditus facti huius veniam daret. Qui exoratus Gadum Prophetam ad eum miſit, tres optiones offerentem.* Exoratum ait Dominum, cum tamen paratus eſſet graui in populum caſtigatione animaduertere, nimirum culpa per agnitionem, dolorem, & confeſſionem peccati ſublata, reliqua erat pœna peccati. Sic & ſuperius veniam adulterii, & homicidii, multiplex pœna mortuum, atque bellorum ſecuta eſt.

X. *Cur detur optio Dauidi.*

Dixit ergo Dominus Prophetæ, *vade & loquere ad Dauid, Hæc dicit Dominus, trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi.* Vides humano plane modo res hic agi. Quid enim opus erat per internuncios agere, cum Deus ipſe Dauide Propheta familiariter vteretur? Nimirum patres in filios irati, cum iis per internuncios agunt, vt culpam illi ſuam magis apprehendant, cum vident ſolito ſe patrum alloquio priuatos. Ad eundem humanum modum pertinet illud, *vide quem reſpondeam, ei qui me miſit, ſermonem.* In gratiam nihilominus ipſius offert electionem eius pœnæ, quam ipſe ſibi duxerit eſſe tolerabiliorem, cum inferre potuiſſet omnium acerbiſſimam. *Eligere pœnam mandat*, ait Ambroſius. [e] *vt in ipſa pœna electionis quadam prærogatiua ſeruetur, & reo ſuo blandiatur hoc verbo.* Deinde cum pœna eo vehementius affligat, quo eſt odioſior voluntati, ea ad quam ſe reus propria voluntate determinat, eo minus affligit, quo minus habet inuoluntarii. Ex quo ſequitur, eum qui impatienter calamitatem aliquam tolerat, propter pugnam contra nitentis voluntatis, grauius multo vexari, quam qui inflexa ad patiendum voluntate pœnam ſubit; quæ etiam cauſa eſt cur paribus in cruciatibus, qui ſunt in inferis acerbius crucientur, quam qui purgatorias pendunt pœnas.

a Ioſ. 15. 1. c. 19. v. 1. 2. 40
b vid. Adrichom. in catribu n. 18.
c 2. Reg. 24. 10.
d 1. Reg. 24. 6.
e in pſal. 37. v. 1.

XI. *Septemne anni famis, an tres propoſiti.*

Cvmqve *veniſſet Gad ad Dauid nunciauit ei dicens, aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra. Nunc ergo delibera, & vide quem reſpondeam, ei qui me miſit, ſermonem.* Res hæc in lib. 1. Paral.[a] cum aliqua diuerſitate narratur. Non enim ſeptem anni famis, ſed tres tantum proponuntur. *Elige quod volueris*, ait Propheta, *aut tribus annis famem: aut tribus diebus gladium Domini, & peſtilentiam verſari in terra, & angelum Domini interficere in vniuerſis finibus Iſrael.* Quid ergo, an ſeptem annos pro multis Propheta hebræa phraſi vſurpauit?[b] An ſeptem à principio propoſuit, deinde ad tres deſcendit? vt Angelus cum Abrahamo differens, in cauſa Sodomorum.[c] An in hebræum numerum mendum illapſum eſt? At ſeptem annos legit etiam Ioſephus; diſcedens à Septuag. qui etiam in libro Regum tres tantum annos famis habent, quos antiqui patres magno conſenſu ſecuti ſunt, nominatim Origenes homil. 16. in numeros, Theodoretus,[d] & Ambroſius in priore apologia Dauidis.[e]

a 1. Par. 21. 12.
b Sa.
c Serar. & Abul. q. 20. in c. 24. 2. Reg.
d q. vlt. in l. 2. Reg.
e c. 7 & vlt. & in pſal. 37 v. 1.

XII. *Conſentit Dauid in pœnam.*

Dixit *autem Dauid ad Gad, coarctor nimis* cum hæc damna duratione diuerſa, re tamen ipſa paria ſint, *Sed melius eſt vt incidam in manus Domini, multæ enim miſericordiæ eius ſunt, quam in manus hominum.* 1. At videtur idem eſſe; cum conſtet homines nihil in nos poſſe, niſi quod Deus permiſerit; ſicque non videtur eſſe electioni locus; neque enim cadit paſſer in laqueum, ſine patre noſtro, nec capillus nobis eripi poteſt, ſine eius conſenſu. Et cum improbi etiam dæmones ſint inſtrumenta Dei in puniendo, nihil poteſt agere inſtrumentum, ſine præcipuo agente. An dicendum eſt Dauidem iuxta popularem loquendi, & ſentiendi morem ſe gerere? Deum enim quaſi patrem agnoſcit. Parentes autem longe mitius caſtigant filios ſuos, quam miniſtri iuſtitiæ, quamuis vtrique ſine iracundia puniant: facile enim paterna viſcera ad miſericordiam commouentur; ideoque Dauid ait multas eius eſſe miſericordias. Vult ergo Dauid à Deo non tanquam iudice vtente hominum opera puniri, ſed tanquam à patre, per ſeipſum filium caſtigante, qui miſericordiam ſolet miſcere iuſtitiæ. Ex quo etiam intelligitur eſſe locum electioni. Quid quod improbitas hominum nobis inſultantium, ac nocere volentium, non eſt modicum pœnæ incrementum? Quid quod hæc humilis permiſſio ſui in manu Domini, & fiducia in eius bonitate, ad quandam ſatisfactionis partem pertinere poteſt?

1. ℞.

XIII. *Peſtis ne, an famis.*

Et apparet quidem Dauidem nolle bello diuinitus caſtigari: immitti videlicet contra ſe Philiſthæos, aut Syros, aut Ammonitas, vt olim Iudicum temporibus, qui Deo permittente victores fiant, & victoria vſi rapiant, ferantque, & cædibus atque incendiis ſæuiant, cum plurima animarum iactura; non tamen ſatis apparet ex verbis eius, peſtemne elegerit, an famem, cum neutra clades hominum ſæuientium interuentu contingat; & videri poſſit Dauid electionem de duabus Domino reliquiſſe, Deum autem flagellum peſtilentiæ ad cædendum populum elegiſſe. Fieri tamen poteſt vt Gad Dauidem vrſerit, ad alteram cladem de duabus eligendam, iſque peſtem, quæ ex ſupernaturali tantum actione pendeat, citiuſq. finiatur, præoptaſſe,[f] & reuera Sept. addunt Dauidē mortē, ſic enim vocant peſtilentiā, elegiſſe: Dominuſq. ipſe dixerat, *Elige vnū quod volueris ex his*. Sed audiamus Ioſephū circa hanc deliberationē ratiocinantē.

f vide Toſt q. 27. in c. 24. 2. Reg.

XIV. *Ex Ioſepho;*

Illo *vero hærēte, ac turbato, propter difficilem inter hæc mala electionem, & Propheta vrgente ad celerem reſponſionem, vt Deo renunciare poſſet. Rex cogitans quod ſi famem peteret, ſui magis, quā aliorum rationem habuiſſe videri poſſet, quandoquidem ipſi nihil periculi eſſet multum frumenti in horreis habenti, illis non item. Quod ſi per tres menſes ab hoſte vinci elegiſſet, ſic quoque ſibi conſuluiſſe, qui arces & fortiſſimam circa ſe cohortē haberet; optauit malum regnantibus æque ac regnatis commune, in quo omnibus par metus immineret, præfatus melius eſſe incidere in manus Dei, quam in manus hominum.* hæc ibi, quibus ſimilia Caietanus habet, Theodoretus,[g] & Abulenſis.[h] Cum autem certum ſit electionem Dauidi offerri à Deo, & à Dauide accipi, ad maiora damna vitanda, & *minima de malis*, vt aiunt eligenda, Ioſephus tamen ita Dauidem deliberantem facit, non vt minima pœna afficiatur, ſed vt ipſemet ea puniatur. Cū tamen Domini voluntas eſſet, non tā Dauidē, quam populū præteritæ perfidiæ reum, vt diximus,[i] caſtigare, quibus adde illud ex authore mirabiliū ſacræ Scripturæ, apud

Qui impro[ba]atur.

g q. vlt. in 2. Reg.
h q. 29. in c. 24.
i an. Dauid. 37. n. 41.

[a] 10. ſ. l. 2. c. 13.

Auguſt. [a] *Cũ populus Iſrael peccaſſet*, inquit, *cõmonuit Dominus David, vt numeraret populũ, per quod accidit vt plebs peccans, per paruam regis culpam, pœnam ſuſtineret præcedentium delictorum*. Agnouit quidem Dauid ſe peccaſſe, & punientem Dei manum in ſe & domum ſuam conuerti, & populo parci poſtulauit, verum id non in electione, ſed in executione ſupplicii contigit, & quidem cum putaret populum innocentem, propter ſuam vnius culpam, membra ſcilicet pro capite, gregem pro paſtore caſtigari: quod ad maiorem Dauidis pœnam cedebat, & meritum.

XV. *Immittitur peſtis.*

[b] Abul. q. 28. in c. 24

IMMISITQVE *Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane vſque ad tempus conſtitutum.* Tria hic tanguntur, primum author plagæ Dominus, alterum in quos illa deſæuierit, tertium quam diu. Significatur enim peſtilentem hanc luem, [b] neque mere naturalem fuiſſe, qualis eſſe ſolet, quæ ex corrupto aëre, aut male affectis corporibus enaſcitur, aut contactu vulgatur: neque partim naturalem, partim ſupernaturalem fuiſſe, qualis eſſet ſi Deus in aërem corruptionẽ immitteret, aliaue cauſa naturali intermedia vteretur, ſicut in fame, dum aut pluuias, aut congruentem prohibet cœlorum influxum; ſed mere fuiſſe ſupernaturalem, nulla præuia in aëre, vel corporibus diſpoſitione, ſed angelica percuſſione illatam. Deſæuiit autem non in ſolam tribum Iuda, ſed in totum Iſraëlem: nam mox ſubditur mortuos eſſe ex populo, à Dan vſque Bethſabee, qui ſunt termini totius regionis Hebræorum, non ſolius Iudææ. Sed maior eſt de tempore ac duratione mali difficultas.

Mere ſupernaturalis.

XVI. *Quandiu durauerit.*

[c] apud Hier. in trad.

[d] q. 30. in c. 24.

[e] l. 7. c. 10.

PLERIQVE enim putant vno tantum diem peſtem fuiſſe graſſatam; idque Dei commendare miſericordiam, qui pro tribus diebus, vnum tantum diem peſtem in reos immiſerit. Hæc eſt Hebræorum ſententia, [c] qui aiunt miſſam peſtilentiam, à mane vſque ad tempus conſtitutum, quod interpretantur tempus ſacrificii veſpertini; quod probant Vatablus, & Sa: & ante eos Rupertus, Comeſtor, Lyranus. Imo Abul. [d] communem ait omnium eſſe ſententiam, quod non exceſſerit peſtis diem illum, in quo cæpit. Quem etiam alii duce Ioſepho, [e] aut potius ipſis Sept. interpret. diminuunt, nec vltra tempus prandii producunt. In his Origenes homil. 16. in numeros, & Theod. q. vlt. in 2. Reg. *Trium dierum*, inquit, *mortem Deus minabatur, ſex autem horis ſolum mortem intulit. Si dies numerentur cum noctibus, inuenitur pars ſolum duodecima minarum illata eſſe populo. Ita Deus benignus & clemens maioribus quidem vſus eſt minis peccatores terrens, minis autem longe minora infert ſupplicia.* Sic ipſe. Ambroſ. quoq; in pſal. 37. *Qui propoſuerat*, inquit, *mortem triduo exercere in terra: ne vnum quidem diem paſſus eſt præterire, ſed ad horam prandii libenter indulſit, & vt verbo Scripturæ vtar, habuit pœnitentiam ſuper malitiam.* Et aliquanto poſt, *vide*, inquit, *Domini gratiam, quod & ipſe à propoſita conditione deflexit. Nunquid aliquod miſerationis eſt crimen, quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione præmiorum ſua promiſſa cuſtodit, in exactione pœnarum præſcriptum remordet*: ſed has ipſas horas inepti quidã Hebræi in vnã ridicule cõtrahunt. De quibus conſule Toſt. nã me rabinicarũ nugarũ piget.

lo. cit.

XVII. *Videri triduum.*

[f] Num 28. 3. 4.

[g] q. 30. in c. 24. & q. 40. in c. 21. 1. Par.

DICENDVM videtur peſtem hoc tempore 3. diebus in Chananitide ſæuiiſſe. Nã Gad propheta authore Deo peſtem triduo perſeueraturam dixit, Scriptura vero mox affirmat, immiſſam à Deo vſque ad tempus conſtitutum, triduo ergo perſeuerauit. Quod enim Lyranus refert tempus conſtitutum ad tempus veſpertini ſacrificii, quod ex lege veſperi offerebatur, [f] rectius quidem factum videtur, quam temporis definitionem ad tempus prandii referre, ad quod nullum tẽpus ſtatutum erat; non tamen recte. Nam, vt recte argumentatur Abulenſis, [g] ſi nulla prius facta fuiſſet mentio temporis, quo deberet durare peſtilentia, eſſet diuinationi locus, & nominato mane, quo cæpit peſtis, poſſet intelligi duraſſe ad tempus veſpertini ſacrificii, à lege definiti; præſertim cum eo tempore Dauid ſacrificaſſe videatur. At cum paulo ante dictum fuerit triduo duraturam, moxque dicatur duraſſe ad tempus conſtitutum, vis vtique affertur ſcripturæ, ſi tempus conſtitutum, aliò quam ad prædictum triduum referatur.

XVIII. *Confirmatur.*

IDEM ferme peccatur ab iis, qui hæc verba Scripturæ, *venit Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei, Aſcende, & cætera*, referunt ad diem quo propheta cladem Dauidi denunciauit; cum referri oporteat ad tempus, de quo proxime actum fuerat, ſcilicet tempus conſtitutum, non ad remotum, niſi neceſſitas poſtulet, quæ nulla apparet hoc loco. Ex qua etiam neceſſitatis lege refellitur illa Theod. inter-

pretatio tridui, quaſi id comminatorie dictum fuerit, non ex firma & immutabili Dei ſententia. verba enim in primaria & natiua ſignificatione accipienda ſunt, niſi quid aliud cogat ad huiuſmodi interpretationem confugere; puta ſi quo alio in loco Scripturæ peſtis vnum diem duraſſe diceretur; nihil autem prohibet quominus liceat triduum proprie de tribus diebus accipere. Recte itaque Caiet. ait hoc tempus conſtitutum eſſe tempus tridui, quantum ſcilicet Deus per Gad prophetam conſtituerat. Dionyſius quoque ait multorum eſſe ſententiam per duos integros dies, & per tertiæ diei partem duraſſe peſtem; quando Dei iuſſu Gad iterum venit ad Dauid, quæ planiſſima videtur, maximeque literalis expoſitio loci huius.

XIX. *Numerus occiſorum ex Hebræis.*

Seqvitvr in Scriptura numerus occiſorum, etſi is per occupationem poſitus fuerit, ante expoſitum occiſionis modum. Circa eum numerum Hebræi dubitationem ingerunt, quam ſuperius attigimus. [a] Nam Comeſtor in cap. vlt. 2. Reg. & Hugo ibidem aiunt in Paral. legi fere trecenta millia; *Sed dicunt Hebræi, & bene*, inquit, *ibi poſitum numerum plebis, hic numerum nobilium*; quæ ſunt etiam verba Comeſtoris. At nuſquam ille maior nnmerus occiſorum in Scriptura legitur, vt notauit quoque Dionyſius. 2. Rabanus,[b] illa verba ſeptuaginta millia virorum, interpretatur capita plebis, & ſeniores eo numero comprehendi. *Cæterum*, inquit, *de omni populo tot millia interfecta Hebræi affirmant, quot millibus numerus in Paralip. ſcriptus numerum qui in regum eſt excedit. Aiunt enim quod in Paral. & qui remanſerant, & qui interfecti ſunt, numerati ſunt, in* Regum *vero, tantummodo viui.* ſic illi, quæ habentur etiam in tradit. eorum. Ex hoc autem inferunt peſtem fere trecenta millia ſuſtuliſſe. nam in lib. Reg. numerãtur de Iſrael octies centena millia: in libro Paralip. vndecies; de Iuda illic quingenta millia, hic quadringenta & ſeptuaginta millia. Itaque ſi recte ſupputemus, numerus libri Paral. ſuperat alterum ducentis & ſeptuaginta millibus; qui erit numerus occiſorum.

a nu. 4. an. huius.
2. ex. b in Gloſ. 1. Par 21.
Reg. 800000. 500000 — 1300000.
Paral. 1100000. 470000 — 1570000. 1300000 — 270000.

XX. *Improbatur.*

Verum licet ſomniare rabinis, nobis Scripturam deprauare non licet, nec tam immenſam cladem diuinæ clementiæ affingere, quæ cladem illam memoratiſſimam Aſſyriorum ab Angelo Domini interfectorum pœne duplicaret. Non videtur etiam probandum, quod iidem Hebræi apud Hieronymum tradunt, etſi ea Lyranus in 1. Paralipomen.[c] probauerit, *De tribu*, inquiunt, *Leui & Beniamin, quia non ſunt numerati, non ſunt interfecti; Beniamin ideo euaſit, quia recenti tempore fraterno gladio pene vſq. ad internecionem corruerat. Leui vero non numerabatur, quia ſacerdotii dignitate præcellebat.* Hæc ibi. Verum cum Scriptura dicat, à Dan vſque Bethſabee fuiſſe interfectos, vtique illi hoc in ſpatio continentur. Deinde numeratio non reddebat morti obnoxios, ſed defectio potius à rege ſuo legitimo, vt ſupra cum Theodoreto dicebamus.[d] Itaque quamuis Dauid non numeraſſet populum ſuum, eum nihilominus Deus alia quapiam occaſione puniuiſſet de perfidia ſua. Neque alia cauſa inquirenda eſt non numeratorum Leuitarum & Beniamitarum, quam cunctatio Ioabi in numerando, quæ ex inuita functione naſcebatur, vt Scriptura teſtatur.[e]

c c. 21. 6.
d an. Dau. 37. n. 41. & 42.
e 1. Par. 21. 6

XXI. *Quare tribus Leui & Beniamin non numeratæ.*

Nam quomodo recens pene deleta fuerat tribus Beniamin, cum ea clades ad Othonielis tempora pertineat,[f] vt eius anno vigeſimo ſecundo declaratum eſt: ex quo iam trecenteſimus nonageſimus quintus numeratur annus, quod tempus ſatis fuit ad eam tribum pene in immenſum multiplicandam. Etenim ſeptuaginta viri de familia Iacob, intra ducentos & quindecim annos, etiam in acerbiſſima nonaginta annorum ſeruitute, ad ſexcenta armatorum millia produxerunt, præter imbellem multitudinem multis partibus ampliorem; quomodo ſexcenti viri de Beniamin, tempore tanto diuturniore, non potuerint, etiam tribum Iuda numero ſuperare? vt propterea peculiaris Dei prouidentia in eis cõſeruandis non requireretur. Quod etiam dicunt tribum Leui non numeratam propter ſacerdotii dignitatem, nihil dicunt Nam eam in Scriptura Dei iuſſu numeratam conſtat[g] inuentaque viginti duo millia Leuitarum. Neque Deus parcitũ volebat ſacerdotibus, ſi in culpa erãt, & nominatim familiæ Heli: Neq. Dauid, qui ex animi elatione mouebatur ad hũc cenſũ volebat vllos præteriri, vt tãto iuſtius in ſubditorũ multitudine lætaretur. Mulieres autẽ & paruulos à peſte

f an. mund. 2613 n. 1. & Othon. 1. n. 10.
Qui immunes à peſte.
g Nu. 3. 39.

immunes fuiſſe exiſtimat Toſtatus & Caiet. quibus fauet Scriptura cum ait cecidiſſe 70. millia *virorum*, non autem ſimpliciter *de populo*.

XXII An Ieruſalem? Vtrvm vero Ieruſalem à peſtifera clade plane immunis fuerit, diſpiciendum eſt. Videtur enim Ioſephus ita ſenſiſſe, qui dicat exoratum Dominum à Dauide, cum angelus à Deo miſſus Hieroſolymam peteret, & peſtem in illam infeſtus inferret. Idque videtur conſentaneum Scripturæ in primo Paralipomenon, capite 21. [a] Verum contrarium ex ipſa Scriptura liquido conſtat. *Cumque extendiſſet*, inquit, *manum ſuam Angelus Domini ſuper Ieruſalem vt diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit, nunc contine manum tuam*, & mox, *Dixitque Dauid ad Dominum, cum videret Angelum cædentem populum; Ego ſum qui peccaui, ego inique egi, iſti qui oues ſunt quid fecerunt?* Ex quibus perſpicuum eſt Hieroſolymam partem cladis pertuliſſe, & multos ibi quoque peſte fuiſſe ſublatos. (non videri.) Nam Dauid Hieroſolymis erat, quando clamaſſe dicitur ad Dominum, cum vidit Angelum, non parantem cædere, ſed reipſa *cædentem populum*. [b] Et paulo ante cum Dominus dixit Angelo, *Sufficit*, non extenderat ille manum ad affligendam Ieruſalem, ſed ad diſperdendam eam. Et in 1. Paral. dicitur quidem, *Miſit quoque Angelum in Ieruſalem vt percuteret eam*; ſed illico ſubditur, *cumque percuteretur, vidit Dominus, & miſertus eſt ſuper magnitudine mali &c.* in quam ſententiam Ioſephus quoque adduci poteſt, qui non negat bonam mali partem in Ieruſalem redundaſſe. Merito ſane, neque enim minore in culpa fuerunt Hieroſolymitæ, quam cæteri, ſi non in defectione Sebæ, certe in coniuratione Abſalonis.

XXIII. Modus cladis ex Ioſepho. Seqvitvr vt de modo cladis huius, ac fine nonnulla dicamus. Illum ſic explicat Ioſephus, [c] *Peſtilentia in Hebræos ingruit, ita vt variis modis abſumerentur, nec facile eſſet morbum cognoſcere. Mors enim vna erat, ſed plurimis & incompertis cauſis homines rapiebat. Alius enim poſt alium efferebatur, & clanculum obrepens malum celeriter exitium afferebat. Quidam enim repente cum vehementi dolore, & amaro cruciatu animam exhalabant; alij paulo lentiore vexati malo, ne curationem quidem ferre poterant, ſed inter officia medicorum expirabant: alii ſubito tenebris ob oculos obortis, ceu præfocati exanimabantur. Nonnulli interim dum aliquem domeſticorum funerant, ſepultura nondum abſoluta, commoriebantur*, &c. Videri poteſt Angelum Domini, (ſic enim perpetuo vocatur, ne quis dæmonem aliquem ſuſpicetur, puta illum Satanam, quem legimus [d] concitaſſe Dauidem, vt numeraret Iſraël) Angelum inquam Domini gladio percuſſiſſe morituros; nam & viſus eſt cum gladio à Dauide, [e] & Gad gladium Domini triduo in populo ſæuiturum dixerat, & finita clade, dicitur angelus gladium ſuum in vaginam conuertiſſe.

XXIV. Ordo rei geſtæ ex Abulenſi. Vervm cum iſta mors peſtis vbique vocetur, nec dicantur gladio cæſi, ſed peſtilentia, vtique gladius Domini metaphoricè ſumendus eſt. Quin etiam exiſtimat Abul. [f] angelum non niſi finita plaga gladium, ad terrorem Dauidis, & aliorum oſtentaſſe; ait enim hunc fuiſſe rei geſtæ ordinem, vt angelus Domini percuteret morituros, in omnibus locis, à Dan vſque Berſabee; & eo numero quem Deus deſignaſſet, ſpatio duorum dierum; die autem tertio veniſſe Hieroſolymam, cum finiebatur tempus conſtitutum, & percuſſiſſe ibi eos, quos volebat Dominus percuti: quæ dum fieret latuiſſe angelum, nec in humana quapiam forma ſe videndum exhibuiſſe. Ad extremum autem finita plaga, cum Dauid oraret Dominum ne vltra plaga protenderetur, voluiſſe Dominum illi angelum percutientem oſtendere, eumque humana ſpecie apparuiſſe, cum ingenti gladio cruento, & vibrante contra Ieroſolymam: aſpectu autem truci, atque terribili; eoque ſpectaculo territum Dauidem, & verentem ne ſæuire pergeret, in terram ſe cum ſuis ſupplicem abieciſſe, & populo veniam poſtulaſſe, atque impetraſſe. (Apparitio angeli) Idque ex eo confirmatur, quod legimus Deum prius dixiſſe angelo, *Sufficit*, quam Dauid oraret pro ceſſatione mali.

XXV. Et mortis modus. Ex quibus conſequens eſt homines qui peſtem contrahebant, eam ſine terrore horrifici aſpectus angeli contraxiſſe, nec dolorem quaſi gladij percutientis, & mortiferum quodpiam vulnus infligentis ſenſiſſe; mitius agente Domino in eos, quos morti addixiſſet. Sed mortis modus is fuit, qui ſolet in peſte contingere; vt corruptum aërem, homines attrahant quo interiora corrumpantur, &

[a] Vide Abul. q. 52. in ca. 21. 1. Par.
[b] Abul. qu. 54. in c. 24.
[c] cap. 21. 15.
[c] l. 7. ant. c. 10.
[d] 1. Par. 21. 1
[e] Ibid. v. 12. 16. 17.
[f] q. 54. in c. 24. 2. Reg.

pereant. *Ita credendum eſt*, ait Abulenſis, [a] *angelum Domini applicuiſſe aliquid corporeum nimis peſtiferum, quod ſubito corrumperet viſcera, idque ſine ſenſu, ſicut non ſentitur aer infectus cum attrahitur*: & alibi, [b] ait angelum ſubintraſſe in corpora, apponendo aliquid peſtiferum cordi. Pergit: *Et quia illud quod Angelus applicabat, erat magis corruptum quam aer, qui in tempore peſtilentiæ attrahitur, velocius & inſenſibilius homines cadebant, tanquam nullum habuiſſent languorem.* Sic ille admodum probabiliter; nam ſuperior Ioſephi narratio declamatio quædam cenſeri poteſt.

a q. 57. in c. 24. 2 Reg.
b qu. 56. & 59 in c. 21. 1. Par.

XXVI. *Finis cladis*

FINIS mali ab eo inductus eſt, à quo eius principium fuit. Cum enim extendiſſet manum ſuam angelus Domini ſuper Ieruſalem, vt diſperderet eam; miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait angelo percutienti populum: *Sufficit; nunc contine manum tuam.* Ex quo intelligi poteſt neſciſſe angelum à principio numerum interficiendorum, niſi placet hæc hunc in modum, ad captum & intelligentiam noſtram accommodate, fuiſſe narrata, angelum autem ab initio accepiſſe diuinitus, quinam & quot in quolibet loco, etiam Hieroſolymis interficiendi eſſent. Quibus letho datis, iuſſit Dominus vt in loco in quo erat, erat autem iuxta aream Areunæ Iebuſæi, appareret humana forma viſibilis, qualem paulo ante depinximus. Neque pugnant inter ſe, fuiſſe angelum iuxta aream Areunæ, & nihilominus viſum a Dauide *ſtantem inter cœlum & terram*; Significatur enim fuiſſe illum quidem iuxta prædictam aream, ſed eleuatiorem aliquanto, nec terram attingentem, vt facilius à pluribus, etiam aliquanto remotioribus, aſpici poſſet: & angelus ſub humana ſpecie agnoſceretur, & in loco, in quo Dominus ſacrificio placandus erat.

XXVII. *Angelus à quibus viſus.*

ET primum quidem, vt fit, viſus eſt à propioribus. Nam Ornam, qui & Areuna, Dominus areæ, cum eo tempore tereret triticum in area cum quatuor filiis, inſolito fulgore ictus ſuſpexit, viditque angelum minaci vultu terribilem, & vltionis indicem gladium vibrantem, ſtatimque omnes trepidi relicta area latebras petiere, *& abſconderunt ſe* domi. Vidit & Dauid, qui in proximo colle Sionis habitabat; viderunt & alij maiores natu, ſiue cum Dauide habitarent in arce, ſiue ex inferiore vrbe, eo viſo regem conſilij, vel auxilij cauſa adierunt; qui & Dauidis exemplo permoti, *veſtiti cilicus proni in terram ceciderunt*, vt caſtigatione corporis ſponte ſuſcepta, iram Dei aduerſus populi peccata ſuccenſam extinguerent. Habetur id perſpicuis verbis in 1. Paralip. [c] in hebræis, æque, ac græcis, latiniſque codicibus; de ſolo tamen Dauide id habet Ioſephus; *Tum rex*, inquit, *ſaccum indutus & humi proſtratus, ſupplex orabat Deum, vt peſtem ſedaret: & iam mortuis contentus, de cætero quieſceret.*

c c. 21. v. 16.

XXVIII. *[illegible] orat Dauid.*

NON ſolus ergo Dauid Deo percutienti ſubditos ſuos, ſeſe ſupplicabundus obiecit, & inſigni charitate, quam ille iuſtitiam putabat, populi incolumitatem ſuæ, & propinquorum ſuorum ſaluti antetulit, ſed alios etiam ciuitatis optimates ad idem officium facile exemplo, atque authoritate adduxit; quod armorum genus non nunc primum vſurpaſſe eius pſalmi teſtatur. 8 [d] Eius autem oratio, quam Theodoretus admiratur hæc fuit. [e] *Nonne ego ſum qui iuſsi, vt numeraretur populus? Ego qui peccaui, ego qui malum feci, iſte grex quid commeruit? Domine Deus meus vertatur obſecro manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.* Ignorans cauſam, ait idem Theodoretus, [f] *ſuum peccatum vocauit quod factum fuerat, & vt in ſe, atque in ſuum genus iuſta ferretur ſententia ſupplicauit, vtens verbis boni paſtoris, & imitans filium ſuum & Dominum, qui animam ſuam poſuit pro ouibus.* Sic ipſe. Putauit rex totam huius cladis cauſam eſſe numerationem, & conſequenter in ſe vno reſidere: itaque ſuam quaſi nocentis vitam morti pro innocentibus obtulit, & tam eximio actu iuſtitiæ placauit Dominum. Quod autem addit de domo patris ſui, videtur per hyperbolem explicari recte poſſe, vt illud: *Tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* [g] alioqui non magis licebat optare mortem ſuorum, quam populi, imo minus. Nam cæteris paribus plus debebat amoris cognatis, quam cæteris.

quã recte.

8. *σχ.*
d Pſ. 29. 12. & Pſ. 34. 11. & Pſ. 68. 12.
e 1. Pa. 21. 17.
f q. vlt. in 2. Reg.
g vide ann. m 2938 n. 3. & 2 Saulis 12. n. 56.

XXIX. *Qui cum eo orauerint.*

PORRO in iſtis maioribus natu Deum placare cum Dauide conantibus, etiam ſacerdotes intelligi poſſunt, nec diſplicet quod habent Hebræi in traditionibus ſuis. *Aiunt Hebræi*, inquit Hieronymus, [h] *Sadoch ſacerdotem infulatum Dominum deprecatum fuiſſe, & imitatum fuiſſe patrem ſuum Aaron. Et illius preces & deuotionem*

h in c. 21. 1. Par.

Dominum vidiſſe, & miſertum fuiſſe. Sic illi, quibus de re quidem valde eſſentior, de perſona non item. Cur enim hoc officium Sadocho potius ſacerdoti, quam Abiatharis pontifici tribuant, cauſa nulla eſt. Præſertim cum Sadoch non Hieroſolymis, ſed in excelſo Gabaonis rerum ſacrarum curam gereret [a] necdum vnctus eſſet in pontificem, quod illi contigit in ſecunda vnctione Salomonis in principem. [b] qua de re ſuo loco dicetur. [c]

a 1. Para. 16. 39.
b 1. par. 29. 22.
c an. Salo. 2 n. 29.

XXX. *Peſtis Dei iuſſu ceſſat.*

HIS ergo precibus, hac demiſſione animi, hac charitate, & commiſeratione miſerorum, pro alieno peccato pereuntium, his corporis afflictationibus, hac denique ſolenni pontificis & ſacerdotum ſupplicatione placatus Dominus, dixit angelo percutienti: *Sufficit, iam ceſſet manus tua*, quod per occupationem paulo ante poſitum eſt. Eidem quoque diuinitus dictum videtur, vt interuentu Gad prophetæ, Dauidem de ſacrificio expiationis, ac reconciliationis admoneret. *Angelus* ergo *Domini præcepit Gad, vt diceret* DAVIDI *vt aſcenderet, extrueretque altare Domino* DEO *in area Ornan Iebuſæi*. [d] Nec cunctatus Gad in communi ſalute procuranda, *Venit ad* DAVID *in die illa*, illa ipſa videlicet, qua iuſſionem accepit; quæ non prima, ſed poſtrema peſtilentiæ fuit; vt ſupra explicatum eſt; [e] *Et dixit ei aſcende, & conſtitue altare* DOMINO DEO *in area Areunæ Iebuſæi*. Erat quidem Dauid in arce Sionis, editione monte Moria, in quo erat area Iebuſæi, ſed interiecta erat vallis, ſiue vorago dicta Mello, inter vtrumque collem, ideoque prius deſcendendum Dauidi fuit, vt rurſum ad dictam aream aſcenderet.

d 1. par. 21 18.
e nu 18.

XXXI. *Excitatur ara in area Ornani.*

QVARE autem in area Iebuſæi altare conſtruendum præcepit? Nimirum locum illum iampridem elegerat Deus, in quo templum magnificum excitaretur, ibique ab Hebræis, atque adeo ab omnibus gentibus honoraretur. [f] Eundem iam ante annos 854. admirabili Abrahami ſacrificio conſecrarat. 3 Eundem nunc præſentia angeli ſui, qui Deum ipſum repræſentabat, in omnium conſpectu honorauerat, ibidemque ſacrificio placari volebat, vt eum locum populus venerabilem duceret, & templum Domini ibi excitandum tanto impenſius veneraretur. An etiam obſcure voluit Dominus ſignificare, in area Iebuſæi, hoc eſt in regione Gentilium, non templum, ſed Eccleſiam Catholicam verorum Iſraëlitarum, & filiorum Abrahæ ſecundum ſpiritum, aliquando viuis ex lapidibus ædificandam eſſe? Quo etiam pertinet quod ſoli proſelyti, id eſt viri ab idolis ad verum Deum conuerſi, electi ſunt à Dauide ad ædificandum templum Domini, eiuſque lapides cædendos, atque poliendos. [g]

f a. m. 2163. 3. ✻.
g 1. Par. 22. 2. vide & Iſa. c. 54. 11.

XXXII. *An fuerit Ethnicus.*

NEQVE tamen propterea Ornanum hunc, ſiue Areunam in Ethnicis numeramus. Erat enim Iebuſæus origine & gente, non religione; nam ad cultum veri Dei factus proſelytus ſe aggregarat, vt ſuperius quoque diximus, [h] & Dionyſius, aliique affirmant. Nec credibile mihi eſt Dauidis amicum, vt ait Ioſephus, ipſos triginta annos in medio Ieruſalem, infidelem atque idolorum cultorem perſeueraſſe: nec amicitiam ab huiuſmodi mancipio Sathanæ diſtraxiſſe, Chananæo præſertim, quos execrari & diſperdere diuina lege iubebantur. Rabinos vero contra ſentientes minime moror. *Ornam*, inquiunt, [i] *Iebuſæum fuiſſe ibi pateſcit, quia noluit Dauid abſque pecunia aliquid eius offerre Domino*. In eademque ſententia videtur Abulenſis [k] qui tamen alibi, [l] magis propendet vt proſelytus fuerit. Vatablus ait fuiſſe regem Iebuſæorum antequam Ieruſalem caperetur, factumque tributarium. Et reuera rex appellatur in hebræo textu, [m] idque agnoſcunt Emanuel Sa & Serarius. Verum vt id detur, nihilominus potuit eſſe proſelytus, & familiam habere obnoxiam tributo, vt cæteri Iſraëlitæ, apud quos priuilegium fuit, cuiuſpiam domum immunem fieri tributorum. [n] Nec efficacius eſt argumentum de gratuito ſacrificio, in vnam quam in alteram partem. Voluit enim Dauid de ſuo, non de populi bonis offerre ſacrificium: præſertim cum locum ipſum in perpetuum vellet acquirere, & diuino cultui conſeruare.

h an. Dauid 8. n. 14.
i apud. Hieron. in trad.
k q. 73 79. & 80. in c. 21. par.
l q. 80. in c 21. 1 Paral
m 2. Reg. 24 23.
n 1. Reg. 17. 25.

XXXIII. *Ad eum adit rex.*

PROMPTISSIMVS fuit Dauid in exequendo mandato DOMINI, vt quam citiſſime ceſſaret interfectio, quæ in populo graſſabatur. Nam adhuc Ornan cum 4 filiis erant in loco, in quo ſe abſconderant, præ timore horrificæ viſionis, cum Dauid, ſuperato fere colle Moria, ab Ornano conſpectus eſt, ſtatimq; animaduertit Regem, & ſeruos eius tranſire ad ſe. [o] *Et egreſſus*, de loco ſcilicet in quo

o 2. Reg. 24 21.

SACRIFICIO PLACATVR DEVS.

latuerat, proceſſit ei obuiam, & *adorauit regem prono vultu in terram, & ait, Quid cauſæ eſt vt veniat dominus meus rex ad ſeruum ſuum? Dixitque ei* DAVID, [a] *Da mihi locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare* DOMINO, *ita vt quantum vales argenti accipias, & ceſſet plaga à populo.* Vel vt eſt in lib. Reg. *& ceſſet interfectio, quæ graſſatur in populo*: Ex quo dici poſſe videtur adhuc cladem perſeueraſſe. Nimirum neſciebat adhuc Dauid, dictum iam à Deo angelo percuſſori, *Sufficit, ceſſet manus tua*, &c. An forte nemo vltra percutiebatur ab angelo, nemo vltra incidebat in morbum, qui tamen eum hactenus contraxerant moriebantur, donec ſacrificium peractum eſſet?

a 1. Pa. 21. 22

XXXIV. *Ornani liberalitas, vnde orta.*

ET *ait Areuna ad* DAVID, *accipiat & offerat* DOMINVS *meus rex ſicut placet ei: habes boues, in holocauſtum, & plauſtrum, & iuga boum in vſum lignorum.* In 1. Paralipomenon 21. additur, *& tribulas in ligna*, quæ ſunt inſtrumenta lignea dentata, quæ per agrũ trahuntur ad conterendas glebas: additur etiam triticum ex quo fieret ſimila, in ſacrificium pacificum, [b] ſcilicet ad veniam, & pacem à DEO obtinendam. Liberaliter agit cum Dauide Areuna, & officio cum rege certare cupit, à quo multum honoratus erat [c] quod ipſe per ſe eum adiiſſet, quodque locum peteret ad ſacrificandum, quem vel ab inuito accipere poterat, pro communi populi ſalute, Deo præſertim iubente illic ſibi ſacrificari; Dandum nihilhominus erat pretium tam pro ſacrificio, quam pro loco ipſo, qui ſemel ſacrificatus, non poterat iterum ad vſus prophanos conuerti. Voluit denique in honorem DEI, ad quem ab idolorum vanitate conuerſus contulerat ſeſe, & in vtilitatem & gratiam populi, ad quem fuerat aggregatus, liberaliter agere: & agrum, cum iis quæ in eo erant, vltro dare, aream pro altari, boues in victimam, farinam in libamentum ligna, in vſum ignium; addidit & fauſtam comprecationem, DOMINVS *Deus tuus, ſuſcipiat votum tuum.*

b Num. 15. 4. 6.

c Abul. qu 74. & 75. in 21. 1. Par.

XXXV. *Dauid non vult offerre ſacrificium gratuitum.*

CVI *reſpondens rex ait, Nequaquam vt vis, ſed emam pretio à te, & non offeram Deo meo holocauſta gratuita.* Hinc didicit Salomon, ait Theodoretus, [d] quod poſtea ſcripſit, [e] *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Cui addi etiam illud poteſt. [f] *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis*, pauper vtique erat Areuna ad regem Dauid, *quaſi qui victimat filium ſuum in conſpectu patris ſui.* Adde quod ſi hęc ex Areunæ dono offerrentur Deo, Areuna ipſe nõ Dauid, & pro Areuna, non pro Dauide offerri viderentur. Accedit quod cum peccatum Dauidis in numeratione commiſſum expiaretur, & nihil ipſe in tot populi mortibus in corpore ſuo pertuliſſet, [g] oportuit eum in pœnam aliquam & ſatisfactionem, pecunia mulctari, quæ cederet in ſacrificium. Ex quo etiam refellitur Kimius Hebræus, qui exiſtimat à 12 tribubus pretium perſolutum, à ſingulis quinquagenos ſiclos, quæ ſummo ponitur in 2. Reg. ab vniuerſis ſexcentos: qui ſumma eſt in 1. Paralipomen. quantulum enim precium caderet in Dauidem? vtique ſacrificaret gratis.

d q vlt in 2. Reg.

e Prouerb. 3. 7.

f Eccl 34. 24.

g Toſt. qu. 8c. in c. 21. 1. Paral.

XXXVI *Quanti empti boues, & area.*

EMIT *ergo Dauid aream, & boues, argenti ſiclis quinquaginta.* Ita in 2. Reg. [h] ſcriptum eſt. At longe aliter in 1. Paralip. [i] *Dedit ergo* DAVID *Ornan pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.* Difficilis eſt hic locus, ob tantam pretij diuerſitatem; quæ propterea interpretes in varias ſententias, interpretationeſque diſtraxit, de quibus ſeorſim dicemus. 4 Communem hic duntaxat proferimus, quæ ita vtrumque conciliat locum, vt in libro Regum precium areæ ſileatur, & ponatur tantum precium boum; in Paralip. autem ipſius dumtaxat precium loci; vt verba ipſa textus exigunt, quæ habent datos eſſe *pro loco* auri ſiclos ſexcentos. Hæc eſt expoſitio Hieronymi in tradit. Et Abulenſis, [k] qui ait hanc eſſe omnium interpretum expoſitionem, Comeſtoris item, Gloſſ. Lyrani, Dionyſij, Caietani, Hugonis Cardinalis, Emanuelis Sa, & Serarii. Hanc expoſitionem vt ſimpliciſſimam, ita & veriſſimam putamus, vt ſcilicet primo empti ſint boues, cum plauſtro, & reliquis ad ſacrificium neceſſariis, excitatumque altare opere tumultuario; hoc enim maxime vrgebat, idq; precio 50 ſiclorum argenti, ſiue argenteorum ſiclorum, qui conficiunt 25 vncias argenti, ſiue 68 francos, & 15 ſol Secundo vero cognita mox Dei voluntate de tẽplo ibi excitando, Dauidem totum illum collẽ, qui mons MORIA dicitur, & adiacet Sioni, 600 auri ſiclis iuſtiſſimi ponderis emiſſe; id eſt 300 vnciis auri, quarũ ſingulæ 26. francis gallici æris æſtiman-

h ca. 24. 24.

i ca. 21. 25.

4. %.

k q. 45 inc. 24. 2. Reg.

tur; vt tota ſumma perueniat ad ſeptem millia francorum ſupra quingentos, ſiue bis mille & quingentos aureos. Concludamus itaque hunc locum illis Hieron. verbis, [a] *intelligendum namque eſt*, inquit, *boues argenti ſiclis* 50. *aream vero ſexcentis aureis emiſſe.*

XXXVII. Sacrificio placatur Deus.

DAVID igitur emptis rebus ad ſacrificium neceſſariis, ædificauit in area, quæ ſibi à propheta, & Angelo demonſtrata fuerat, altare Domino; *& obtulit holocauſta & pacifica*, vt Deus honoraretur, & pax ab eo impetraretur, & pro impetrata venia gratiæ agerentur, *& propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.* Hæc propitiatio declaratur in 1. Paral. [b] *Et inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in igne de cælo ſuper altare holocauſti.* In ſignum videlicet placati ac propitiati numinis, depluit ignis de cœlo, quo conſumptum eſt holocauſtum. *Protinus ergo Dauid videns quod exaudiſſet eum Dominus, in area Ornan Iebuſæi, immolauit ibi victimas:* non ſolum ex neceſſitate, vt ante, ſed ex deuotione. Duplex autem fuit illa neceſſitas, prior quia locus ille diuinitus oſtenſus fuerat, in quo Deus vellet oblato ſibi ſacrificio placari; & neceſſarium erat obedire diuinæ iuſſioni; poſterior quia tunc vigente neceſſitate afferendi quam citiſſime remedium peſtilentiæ, non licebat adire altare holocauſtorum, quod erat cum tabernaculo Moyſi in excelſo Gabaon, vbi Sadoch rei diuinæ præerat, vt ſæpius dictum eſt, ne interim angelus totam diſperderet ciuitatem. Adde poſtremo Dauidis infirmitatem ex terrore viſionis angelicæ, qua impeditus non potuiſſet, ſine graui periculo, Gabaonem, quamuis non ita longe poſitam, proficiſci.

Mittit cæli tus ignem.

XXXVIII. *Ibi mox Dauid ſæpius ſacrificat.*

ITAQVE hac calamitate ac neceſſitate perfunctus Dauid, videns Deum manifeſto prodigio ignis de cœlo miſſi oſtendiſſe, grata ſibi eſſe ſacrificia, quæ in eo loco fuiſſent oblata, ſæpius ibi ex deuotione victimas immolauit; [c] (nam quæ legitima erant, & in lege præcepta, ad Gabaonem facienda erant) ratus in poſterum quoque ibi oblata tam à ſe, quam à populo ſacrificia Deo accepta fore. Id vt ſine cuiuſquam incommodo liceret, locum illum totum emendum exiſtimauit, emitque, vt diximus, ſexcentis auri ſiclis. Præſertim cum recordaretur reuelationis ſibi à ſeptem & viginti annis factæ, de templo in eo loco excitando, vt ibi explicatum eſt. [d] Ergo publice proteſtatus eſt, populoque denunciauit eum locum electum à Deo, vt ibi domus Dei, & altare conſtrueretur. Nam conſequenter in eodem loco ſubditur [e] *Dixitque Dauid. Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael.* Quæ verba ſic explicat Ioſephus, [f] *Dauid autem cum animaduertiſſet ſe exauditum, & gratum fuiſſe ſacrificium, decreuit totum illum locum altare vniuerſi populi appellare, & Deo templum ibi exædificari. Quam eius vocem Deus in futurum ratam eſſe voluit. Mox enim propheta ad eum miſſo, illic templum extruendum prædixit à filio, quem regni ſucceſſorem eſſet relicturus.*

Et electum locum à Deo populo ſignificat.

XXXIX. *Quem ante multo nouerat.*

VERVM, vt recte notauit Pineda libro 5. de Salomone [g] hic locus nihil cogit, vt intelligamus, tum primum factam eſſe Dauidi demonſtrationem templi in illa area excitandi. Sed quem ante per reuelationem agnouerat, nunc populo annunciauit, quod iuſſus eſſet à Gad propheta publicum eius rei argumentum præbere, extructo ibi altari, vt iam tum populus vniuerſus cognoſceret locum eſſe ſanctificatum, & ædificando templo deſtinatum. Duplex ergo admittenda eſt reuelatio Dauidi facta circa templum, altera vndecimo anno regni eius, quando concepit votum eius exſtruendi; altera hoc tempore, quando ſacrificauit ad peſtem ſedendam. Illam propheta Nathan Dauidi retulit, hanc vt Ioſephus ait, idem propheta. Illo tempore locum cognouit, hoc prodidit; illo deſtinauit, hoc emptione acquiſiuit; illo templi deſignationem didicit, hoc materiam præparauit. Subdit enim ſacer hiſtoricus. [h] *Et præcepit, vt congregarentur omnes proſelyti de terra Iſrael, & conſtituit ex eis latomos, ad cædendos lapides, & poliendos, vt ædificaretur domus Dei.*

parat artifices.

XL. *Qui proſelyti.*

PROSELYTOS hoſce Ioſephus μετοίκους vocat, id eſt colonos, vt vertit Rufinus, aut inquilinos vt Gelenius, ſicut Hieron. Exod. 12. 49. proſelytos vocat colonos. Aduenas autem & peregrinos, vt ſonat nomen proſelyti rectius, dicere poſſumus, Quanquam vſus Hebræorum erat, vt proſelyti non tam ex noua habitatione in populo Dei, quam ex noua fidei profeſſione relicta idololatria dicerentur. Cōtēnebanturq; ab Hebræis, quod non eſſet ex ſemine Abrahæ, vel Iacobi, quæ cauſa

Left margin notes: EXITVS AB ÆGYPTO ANN. 474. — [a] in trad. in 2. Reg. — [b] c. 21. 26. — [c] Abul. q. 32. in c. 21. 2. Reg. — [d] Ian. Dau. 11. n. 74. & 75. — [e] 1. Par. 22. 1 — [f] l. 7. c. 10. — [g] c. 5. n. 3. — [h] 1. Par. 22. 2

Right margin: MORIA ELECTVS AD TEMPLVM.

legiſlatori fuit, vt eos paſſim, nomine aduenarum & peregrinorum, Iſraëlitis commendaret. Verum ad hanc rem in primis facit illud tertii Regum, [a] vbi iſtos proſelytos aperte deſcribit, *vniuerſum populum qui remanſerat de Amorrhæis, & Hethæis & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſæis, qui non ſunt de filiis Iſrael, horum filios qui remanſerant in terra, quos ſcilicet non potuerant filij Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios vſque in diem hanc. De filiis autem Iſrael non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius.* Nimirum minoris erant apud Iudæos dignitatis, propter vitium originis, vt qui nunc ex Hebræorum fece conuertuntur ad Chriſtum, & Marrani vulgo audiunt. Figurabant iſti proſelyti pauperes & contempti, Eccleſiam ex gẽtibus conuerſam, quam alloquitur & conſolatur Eſaias. [b]

[a] c.9. v. 20.

[b] Eſa. c.54. 11.

XLI. *Magno numero coacti*

Hvivsmodi ergo proſelytos congregauit Dauid, & quidem maximo numero. Numerum Scriptura præterit, Ioſephus. *Inuenta fuerunt*, inquit, *eorum centum octoginta millia; ex his conſtituit lapicidarum octoginta millia, reliquos ad conuehendos lapides deputauit: ex quibus tria millia & quingentos operariis præfecit.* Quem numerum videtur excogitaſſe ad ſimilitudinem eius, quem de operariis Salomonis legimus in 2. Paral. [c] vbi & huius loci mentio eſt. *Numerauit*, inquit, *Salomon omnes proſelytos, qui erant in terra Iſrael, poſt dinumerationem quam dinumerauit pater eius, & inuenti ſunt 150 millia, & tria millia ſexcenti, fecitque ex eis ſeptuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent, tria autem millia & ſexcentos præpoſitos operum populi.* Vbi vides numerum operariorum, & munerum quibus addicti erant, non parum fuiſſe a Ioſepho commutatum. Nimirum Dauid indefinito numero conſtituit latomos, quos poſt annos ſex recenſuit, auxitque ad eum quem retulimus numerum. [d]

[c] c.2. 17.

[d] vide Abul. q. 5. in c. 22 1. Paral.

XLII. *Materia tẽpli parata.*

Verum vt redeamus ad præparatam à Dauide templi materiam, ea quintuplex libro primo Paralipomenon, capite vigeſimo ſecundo memoratur 1. lapides, pro quibus cædendis & poliendis magnum numerum opificum congregauit 2. ingentem ferri vim, de quo verſu tertio, *ferrum quoque plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras, atque iuncturas*, ferreis enim laminis interdum lapides intrinſecus colligantur. 3. *æris pondus innumerabile;* ex eo enim plurima, maximaque vaſa conficienda erant. 4. *ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonij & Tyrij deportauerant ad Dauid.* Hæc autem omnia partim hoc anno inchoata in aliquot deinceps propagata ſunt; partim etiam iampridem ad hoc templum deſtinata fuerunt, & parari cœpta, vt ex octauo ſecundi Regum perſpicuum eſt. [e] Nam illa arma aurea ſeruorum Adarezer, & æs multum nimis ex eiuſdem ciuitatibus collectum, vaſa item aurea, & argentea, & ærea Thou regis Emathæi, in hunc finem ſanctificauerat Dauid, ſicut & quæ collegerat *de vniuerſis gentibus quas ſubegerat.* [f]

[e] l. 2. Reg. c 8. v. 7. 8. 10. 11. 12.

LXIII. *Aurũ præterim, & argentum.*

Paravit ergo Dauid quinto loco maximos auri atque argenti aceruos, tam ad ipſa opera aurea atque argentea, quam ad impenſas: cui rei ſtudioſiſſime inuigilaſſe, pro ſuo in Dei gloriam zelo maximo, vel ex proxime laudato loco patet, vel maximè ex iis quæ paulo poſt in hoc ipſo loco primi Paralipomenon [g] ipſe recitat, quæ tamen verba dicta fuerunt cum iam Salomon rex declaratus eſſet, vt ſuo loco dicemus, & fatetur Abulenſis. [h] *Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris vero & ferri non eſt pondus, vincitur enim numerus magnitudine.* Addit etiam cap. 29. tria millia talenta auri, & ſeptem millia talentorum argenti. Quæ ſumma omnino maxima eſt, vt ſeorſim dicemus; 5 adeo vt ſi totam auri & argenti ſummam ſubducere, & ad æris gallici valorem reuocare voluerimus, inueniamus à Dauide congeſtos, bis mille ſexcentos ſeptuaginta duos milliones, centum & viginti quinque millia nummorum aureorũ. Quibus ſi addideris ſeptuaginta duos milliones, nongenta & viginti ſex millia, ſexcentos & ſexaginta ſex aureos, qui à populo liberaliter dati reperiuntur, in eodem loco, [i] duæ ſummæ aſcendent ad bis mille ſeptingentos quadraginta quinque milliones, quinquaginta & vnum millia, ſexcentos & ſexaginta ſex aureos. Sed de hiſce ſumptibus ſermo iterum Salomonis ſecundo recurret. [k] quæ hoc loco, vbi de præparata templo materia Scriptura loquitur, obiter fuerunt commemoranda.

qua eorum ſumma, & valor in ære gallico.

[f] vide & c. 16. 16. 27. l. 1. Paral. & ibi Abul. q. 35. & ſeqq.

[g] 1. Par. 22. 14.

[h] q. 11. in c. 22. 1. Par.

5. 5χ.

2672125000.0 / 72926666 / 2745051666.

[i] 1. Par. 29 4.

[k] n 17 & ſequent.

Ioſephvs autem hac tanta pecuniæ ſumma perterritus, veritus ne fidem non inueniret apud eos quibus ſcribebat, & placere cupiebat, ſcripturam diuinam parum reueritus, eam vehementer deprauauit, grauiſſimoque ſacrilegio, de decem partibus ſuſtulit nouem, de centum millibus nonaginta millia, de mille millibus, nongenta millia. Sic enim Salomoni filio patrem loquentem indu- XLIV. Mutilatur à Joſepho.
a 17.c.11. cit. ᵃ *Scito ſane auri quidem collecta decem millia, argenti vero talentorum centum millia, æris item ac ferri tantum congeſsi, quantum vix numero comprehendi poßit.* Sic Gelenius, & Rufinus, & textus græcus ſine vllis notarum compendiis deſcriptus. Et vice verſa numerus, quem paulo ante retulimus, in vulgatis omnibus habetur, & conſtantiſſime in omnibus hebræis, græciſque codicibus, atque interpretibus retinetur. Eundem errorem conſtanter retinuit idem Ioſephus, in ſecunda Salomonis inauguratione; niſi quod auri numerum diſſimulans, multum ſe auri in vſum templi comparaſſe dixit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3017. DAVIDIS 38.

1.N XII. HÆc erat mens Iudæ Machabæi, & eorum qui cum eo erant, cum rogabant Dominum proſtrati in terram, ne amplius in talia mala inciderent; ſed & ſi quando peccaſſent, vt ab ipſo mitius corriperentur; & non barbaris, ac blaſphemis hominibus traderentur. Sic Iſraëlitæ Iephthe temporibus, cum crudeliter ab Ammonitis affligerentur, dixerunt ad Dominum Iud. 10.15. *Peccauimus, redde tu nobis quidquid tibi placet, tantum nunc libera nos*, quaſi dicant; melius eſt nobis incidere in manus tuas, quam in manus hominum. Nam quod Suſanna mauult incidere in manus hominū, quam in manus Dei, reſpexit pœnæ diuerſitatem in hac, & futura vita. Nam homines damnatam adulterij temporali tantum morte punire poſſunt, Deus autem æterna. Quo pertinet illud ex Euang. *nolite timere eos qui occidunt corpus &c.* Matthæi c. 10.28. vide Abul. q. 26. in cap. 24. 2. Reg.

2.N.XIX. Traditio tantum hebræorum eſt, quam retulit Hieron. in 1. Paral. cap. 21. vbi ita legitur, non ſine mendo. *Quod vero ſcribitur ſeptuaginta millia interfecta fuiſſe, hic tantum capita ſeniorum numerantur. Cæterum de plebe tot millia interfecta ſunt, quot millenarium trecenta numerum excedunt.* Ita conſtanter legitur in omnibus editionibus Eraſmi, victorij, Pariſien. Ex quibus verbis non ſane video quis ſenſus elici queat. Num enim trecenta excedunt millenarium numerum? Id videns Comeſtor eam ſententiam eliciendam putauit, vt fere trecenta millia occiſa dicerentur. Forte dicere voluit Hieron. aut ſcripſit, quot ſeptuagies millenarium numerum trecenta millia excedunt.

3.N.XXXI Euſebianus numerus, ſiue annus ab ortu Abrahæ, numeratur nunc apud eum 978. à quibus ſi auferas annos 124. tot enim vixerat Abraham in noſtra chronologia, quando voluit ſacrificare vnigenitum ſuum, reperies ab
2163. eo tempore exactos 854. vt in textu dixi: cum
854. autem oblatio Iſaaci contigerit in noſtra
3017. chronologia an. 2163. ſi iſti numero illum adieceris, inuenies annos expanſos mundi recte nobis procedere.

Memento lector pugnæ Goliathi cum Dauide, cum præmium ſingularis certaminis à Saule propoſitum eſt, fore vt qui Goliathum contumelioſa ſuperbia Iſraelitas prouocantem ſuperaſſet, ditaretur magnis diuitiis, regis gener fieret, eiuſque domus immunis eſſet à tributo. Obnoxiam ergo prius fuiſſe dicendum eſt, vt alibi declaratum eſt: cumque vulgo contemnerentur proſelyti à Iudæis, atq. adeo male tractarentur, (vnde orta eſt illa Gabaonitarum vexatio tyrannica, quam Dominus trium annorum fame vltus eſt, & inſuper probroſiſſima morte filiorum Saulis) non dubium eſt eos ſæpe ab iniuſtis principibus, exactionibus fuiſſe exinanitos. 4.N.xxxvi

Alij in quibus Barad. tom. 2. l. 3. cap. 11. Arias Montanus in ſuo Apparatu in Tubalcaim. Salmeron in proleg. 42. in locum Reg. & ibid. Iſidorus Clarius, interpunctionem non admittunt; ſed volunt emptam aream extuē do altari neceſſariam, ſimulque boues argenti ſiclis 50. totum autem locum templo neceſſarium poſtea emptum ſexcentis auri ſiclis. Verum hanc geminam loci emptionem improbat Villalpand. to. 3. l. 2. de ponder. cap. 34. & Scripturæ repugnare contendit. Certe cum Dauid ibi locum templi fore, & ſacrificiorum iamdudum cognoſceret, vt dicimus num. 39. nō eſt credibile eum locum altaris, & locum templi geminata emptione coëmiſſe. Abulenſis confugit ad diuerſum ſiclorum valorem, vſque adeo vt 50. ſicli 2. Reg. æquiualeat ſexcentis lib. Paral. quod ſine vllo fundamento dicitur ab eo q. 81. in ca. 21. Paral. at in q. 45. in cap. 24. 2. Reg. communem quam in textu poſui, ſequitur ſententiam. 5.N.xxxii.

Tertia expoſitio eſt Dauidis Kimhij quæ à Toſtato refertur, dicta q. 45. & à Villap. & Vatablo: ſcilicet 50. ſiclos in lib. Reg. poni, quod nimirum ſinguli tribus pro area ſoluerunt; in Paral. autem ſexcentos, quot ſcilicet vniuerſæ

ANNVS MVNDI 3018. DILVVII 1362. QVINTÆ ÆTATIS 79. EXITVS AB ÆGYPTO 475. ARCÆ IN SIONE 29. REGNI DAVIDIS 39. ABIATH. PONTIF. 44. TROIÆ EXCISÆ 147. EVPALIS 28. IMPERII ASSYRIORVM. 1087.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1035.

I. Salomon ducit uxorem.

a 3.Reg.14.21.
b 2.Par.12.13.

PENVLTIMO regni Dauidis anno, Salomon cum annum ætatis ageret decimum nonum, vt qui vigeſimo primo regni Dauidis natus eſt, duxit vxorẽ Naamam nomine, patria Ammanitidem; vt ex 3. Regum [a] & 2. Paral. [b] conſtat, ex qua ſub initia ſequentis anni ſuſcepit filium Roboamum regni ſucceſſorem. Id ex iis locis aperte probatur, in quibus habetur Roboamum quadraginta & vnius anni fuiſſe, cum Salomoni, qui 40. annos regnauit, ſucceſſit in regnum. Et duxit quidem illam fortaſſe maturius, neque enim Scriptura haſce nuptias, nedum tempus earum prodidit, non tamen citius ex ea filium ſuſcepit, quã vlt. Dauidis anno. Nec dubium eſt Dauide conſcio cũciliatas fuiſſe has nuptias, atque authore perfectas. Modeſtior enim erat nunc Salomõ, ac parentibus obſequentior, quam vt ipſis inuitis de coniugio cogitaret. Sed vnde hæc nobis mulier Ammonitis, aut vnde conciliatæ iſtæ nuptiæ? Circumſpicienti ſane occurrit ille Sobi qui & Ana dicitur in quibuſdam libris græcis, etiam Romanis, & Aldinis, in c.12. tertij Reg. vt alibi quoq; dicetur. Hic ergo ſiue Ana, ſiue Sobi, filius Naas, de Rahab filiorum Ammon occurrit, quem diximus à Dauide ſubſtitutum in regnum paternum loco fratris ſui Hanon: qui nuper Dauidi Abſalonem fugienti lautia miſit in Caſtra. Apparet ergo hunc Dauidis affinitatem expetiiſſe, & impetraſſe, data filio eius Salomoni aut filia, aut ſorore ſua. Nec Dauidem recuſaſſe, qui amicitia omnes comprehendere, ſibique deuincire ſtudebat, vt quam maxime tranquillum, & pacificum regnum ſucceſſori ſuo relinqueret.

Ammonitidem.

II. An recte, ac feliciter.

c I.8.c.4.

DVRIVS nihilominus hoc coniugium cum alienigenis videbitur, niſi cum Pineda dicamus [c] ductam quidem vxorem Ammanitidem, ſed prius profeſſam veri Dei fidem ac religionem. Apparet tamen huiuſmodi nuptias parum Deo probatas; exitu certe, atque euentis ipſis parum felices extitiſſe. Duxit ſane Dauid Maacham filiam Tholmai regis Geſſur, ſed ex ea ſuſcepit facinoroſiſſimum filium Abſalonem, qui miſerrimo interitu extinctus eſt; ſuſcepit & Thamarem, probroſo inceſto infamem. Nec Salomon ipſe in nuptiis iſtis, vt de aliis taceamus, fortunatus fuit; inde enim orto filio regnante decem regni partes ei perditæ ſunt, vnico regno infelici diſſectione geminato: & amiſſo veri Dei cultu, templum magnificentiſſimis ornamentis primum ſpoliatum fuit, & quod caput eſt, inuecta eſt in vtrumque regnum idololatria. Nec deſunt [d] qui putent Roboannum à vero Dei cultu ad idola à matre traductum, religionem matris imitantem; nimirum illa aut ficte religionem Iſraëlitarum ſuſcepit, aut in ea non perſeuerauit. Sed animum tantiſper à luctuoſis hiſce rebus, ſtylumque reuocatum ad lætiora conuertamus.

d Vatab. & Sa in 3.Reg 14.

III. Parat materiam tẽplo Dauid.

VACABAT Dauid hoc tempore præparandæ templo materiæ, vrgendiſque operis ad eam diligenter inquirendam, aptandam, conuehendamque; idque eo ſtudioſius atque feruidius, quæ clarius animaduertebat ſe ſeptuagenario proximum, corporis vigore, viribuſque deſtitui. Neque eſt quod quis exiſtimet Dauidem, ex calore animi quo æſtuabat circa templum, etiam lapſum imprudentia, qui lapides & ligna cædi iuberet, ad eam fortaſſe magnitudinem, longitudinem,

an imprudenter.

molem, atque menſuram, quæ mox Salomonis, qui templum excitaturus erat, inuentioni atque conceptui parum quadraret; eoque prouectam πολυπραγμοσύνην, vt etiam clauos ianuarum ad commiſſuras atque iuncturas præpararet. [a] Verum facile eſt Dauidem ab hac culpa purgare. Neque enim alienum negotium curabat, ſed ſuum, vt qui non ædificaret, quod Salomonis erat, ſed neceſſariam materiam pararet, quod erat Dauidis; nec poterat in lapidum mole, aut lignorum craſſitudine; aut longitudine falli, cum totam ædificii diſpoſitionem diuinitus accepiſſet, vt habetur inferius, [b] quam Salomoni, aut Dauidi mutare, integrum non eſſet.

a 1. Par. 22. 3.
b 1. Par. 28.

IV. *Diuerſa præparationis tempora.*

Ad hoc ergo maxime tempus pertinent illa, quæ dicebat Dauid ac reputabat intra ſe; & poſtea in comitiis totius regni, quibus confirmatum eſt Salomoni regnum, publica in concione repetebat, [c] *Salomon filius meus puer paruulus eſt, & delicatus; domus autem, quem ædificari volo Domino, talis eſſe debet, vt in cunctis regionibus nominetur; præparabo ergo ei neceſſaria: & ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas.* Abulenſis [d] tria huius præparationis tempora diſtinguit, primum antequam vellet ædificare templum; alterum poſtquam, cum id ſtatuiſſet, diuinitus prohibitus eſt, quod tempus ad eam diem prorogatur, quo in Ornani area ſacrificauit. Tertium ab eo tempore vſque ad mortem, & primis duobus temporibus ait præparaſſe aurum, argentum, & æs; & ſi quam aliam materiam, quæ temporis longinquitate nihil vitij caperet: tertio autem tempore ea paraſſe, quæ temporis diuturnitati cederent, vitiumque contraherent, vt ligna & lapides. At primum illud tempus excludendum eſt. Et mirum ſane fuerit Dauidem paraſſe materiam templo, antequam de eo cogitaret, aut quemquam media præparare ad ignotum finem. Neque legimus aurum quod accepit ab Amalecitis Domino conſecratum, [e] quod Toſtatus in probationem ſumit. Neque ea præda Domini dicta eſt, ſed Dauidis.

c 1. Par. 22. 5 & 29. 1.
d q. 9. in c. 22. 1. Par.
e 1. Reg. 30.

V. *Qui puer paruulus dicatur Salomon.*

Mirvm eſt autem hic Salomonem, quem nos hoc tempore nouemdecim annorum eſſe volumus, dici à parente puerum paruulum, & delicatum. Verum ea verba ad ætatem proprie non pertinent, cum etiam poſt quatuor fere annos, puer tenellus ab eodem vocatus fuerit, quando ſecundo in regem inunctus eſt. Et rurſus ipſemet Salomon ſe puerum paruulum appellauit, [f] cum in Gabaone ſapientiam à Deo poſtulauit, quod contigit anno regni eius tertio, vt ſuo loco probabitur. Significant ergo ea verba, non tam ætatem valde teneram, quam valde teneram & delicatam educationem, molliſſimam item temperamenti naturam, & rerum inexpertam ætatem, vt notauit Pineda [g] additque vocem naghar, id eſt pueri, cui hæc teneritudo coniungitur, frequenter dici de iuuenibus, aut adoleſcentibus. [h] Refert etiam eam appellationem Toſtatus ad magnitudinem operis, quod virum ſapientiſſimum ac præmaturæ ætatis requirat; ſicut infans dicitur homo dicendi non imperitus, cum Cicerone aliquo, aut Demoſthene, Platonéue comparatus; ſed hac de re iterum inferius nonnihil dicemus, anno Salomonis ſecundo. [i]

f 3. Reg. 3. 7
g l. 3. de Salom. c. 2. n. 1
h Prou. 1. 4 Iob. 19. 8. Ruth. 2. 21
i an. 2. Salo. n. 16.

VI. *Colloquium Dauidis cum Salomone, hoc tempore.*

Maior quædam nobis exoritur difficultas in ratione temporis, non enim apparet ad quod tempus pertineant illa verba: [k] *Vocauitque Salomonem filium ſuum*, &c. quæ ſubiiciuntur proximæ narrationi de præparatis impenſis. Et primum certum eſt non pertinere ad tempus, quo Dauid ſacrificauit in area Ornani, dixitque, *Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael;* quæ in hoc ipſo capite habentur, quia tunc nihil erat vulgo notum de futuro regno Salomonis; cum autem hæc dicta ſunt, tam Salomon ipſe, quam principes, quos poſtmodum in hoc ipſo capite rex alloquitur, de regno Salomonis certi erant. Itaque exiſtimat Abulenſis dicta fuiſſe, poſtquam Salomon, viuente Dauide, vnctus eſt in regem. Fruſtra enim hortaretur principes Dauid, vt adiuuarent filium ſuum, in ædificando templo, niſi id iam notum ipſis fuiſſet. Et conſentaneè huic expoſitioni, exiſtimo hæc quæ dicuntur de vocato Salomone, reliquoque cum eo, & principibus ſermone habito; à Scriptore ſacro dicta eſſe per quandam epitomen, & occupationem eorum, quæ deinceps reliquo primo lib. Paral. continentur: quæ deinceps quaſi nouo ſumpto exordio cap. 23. recenſentur.

k 1. Paral. 22 6.

VII. *An potius in comitiis regni.*

Qvæ vera eſſe intelliget, qui contulerit breuem hunc Dauidis ad Salomonem, principeſque ſermonem, cum iis quæ vberius capite vigeſimo octauo & vigeſimo nono recitantur: & pertinent ad tempus quo Salomoni regnum, publico populi totius conſenſu, confirmatum eſt, quod ſecundo eius anno factum poſtea oſtendemus. Reſumpſit autem ſcriptor ſacer eam narrationem latius diducendam, quoniam in priore illa epitome, nec populi conuocati mentio facta fuerat, neque diſpoſitionis Leuitarum, & Sacerdotum, quæ illo conuocato facta eſt. Scio [a] eſſe qui hanc Leuitarum diſtributionem longo interuallo ante mortem Dauidis factam patent, quod probare non poſſunt, cum in ea ipſa anni quadrageſimi Dauidis fiat mentio; [b] & vna eademque ſit populi conuocatio, quæ initio capitis vigeſimi tertij, & vigeſimi octaui habetur, vt ibidem docet Abulenſis, [c]]& innuit Scriptura ipſa. Cum enim priore loco dixiſſet, *Conuocauit Dauid omnes principes Iſrael*, in poſteriore, quaſi protractam longius narrationem reſumens ait, *Conuocauit igitur Dauid omnes principes Iſrael.* Maxime cum interiecta quædam fuiſſent, quaſi per parentheſin, [d] quæ ad initia regni Dauidis pertinebant.

a Tremel. & Iun in c. 23 1 Par.
b c. 26 31.
c q. 2. & 3. in c. 28.
d cap. 27.

VIII. *Non fuiſſe gemina comitia.*

Favet aſſertioni huic ipſa ratio: Nam ſi gemina fuiſſet conuocatio populi, geminaque comitia; priora ad diſtributiones, vices, functioneſque Sacerdotum ac Leuitarum; poſteriora ad firmandum Salomoni imperium, & corroganda auxilia templi extruendi, cum priora inciderint; in quadrageſimum, ſiue poſtremum Dauidis annum, vt ex capite vigeſimo ſexto [e] conſtat: Quomodo Dauid, qui ſe morti vicinum, toto corpore frigeſcente, ſentiebat, diſtuliſſet in aliud tempus ſucceſſorem ſuum à Deo electum, & ſibi dilectiſſimum confirmare totius populi ſuffragiis, qui eum iam collectum habebat, ac præſentem? Non fuit profecto, non fuit Dauidicæ prudentiæ, principes populi conuocatos inutiliter dimittere, ſtatimque laborioſe ac periculoſe reuocare. Itaque ſtatuamus vnicam fuiſſe conuocationem populi, & vnis eiſdemque comitiis tam ſacra quam popularia negotia fuiſſe tranſacta, Dauide omnia moderante; præſente, ac probante, & quaſi regiam authoritatem præſtante Salomone, qui iam publice inunctus erat in regem, & regem agere cæperat, vt ex primo Salomonis anno perſpicue intelligetur.

e 1. Par. 26. 31.

IX. *Eaque ad ſecundum Salomonis annum pertinere.*

Sentio me tacita eruditi chronologi cogitatione pulſari, quod male comitia hæc ad ſecundum Salomonis annum referre velim, cum ea in quadrageſimum Dauidis annum incurriſſe, Scriptura ipſa, ſemel iterumque à nobis laudata teſtetur. Ego vero fateor hunc mihi ſcrupulum non modicam aliquandiu moleſtiam attuliſſe; ſuaui tamen ac commoda interpretatione tolli poſſe, ac debere cenſeo, potius quam cætera omnia, quæ pulchrè cohærent, perturbentur. [f] Dicimus ergo quadrageſimum annum Dauidis pro vltimo eiuſdem poni. Cum enim conſtet eum non vltra quadrageſimum annum regnaſſe, quamuis aliquanto amplius vixerit, vt ſuo loco dicetur, factum eſt, vt qui vltimus vitæ fuit, vltimus regni dicatur: quia quod ſuperuixit non ipſi Dauidi, ſed Salomoni, quem pater ſe viuo regnare voluerat, attribuitur. Eoque fortaſſe Scriptura reſpexit, [g] cum vocat Dauidis præcepta nouiſſima, quæ tunc ab eo de Leuitis conſtituta ſunt, nulla annorum regni eius mentione facta.

f Vid. ann. Salom. 2. 47.
g 1. Par. 23. 27.

ANNVS MVNDI 3019. DILVVII 1363. QVINTÆ ÆTATIS 80. EXITVS AB ÆGYPTO 476. ARCÆ IN SIONE 30. REGNI DAVIDIS 40. & VLT. ABIATH. PONTIF. 45. TROIÆ EXCISÆ 148. EVPALIS 29. IMPERII ASSYRIORVM. 1088.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1034.

I. *Res anni huius.*

HABET vltimus hic Dauidis non vitæ, ſed regni annus Roboami natiuitatem, infirmitatẽ Dauidis, & inſolentem Adoniæ faſtũ. Et de Roboamo quidem nihil eſt quod hoc loco dicamus, præter ea quæ proximo anno retulimus. Satis enim intelligi poteſt non mediocri lætitia affectum Dauidem, qui in eo alterum iam regni ſui heredem agnoſceret; affectum & Salomonem in primogenito ſuo, primaria ſpe poſteritatis ſuæ, cuius cum principes omnes, tum Hebræi maxime perpetuo fuerunt appetentiſſimi. Affectam denique Bethſabæam infantis auiam, & Naamam Ammonitidem eiuſdem parentem, quam Ioſephus Noman ſi caret mendo locus appellauit [a] vt cæteros affines ac conſanguineos miſſos faciamus, cum eius natiuitatem, circunciſionem, impoſitionem nominis, totumque ætatem vſque ad annum quadrageſimum primum, Scriptura, eius ſtultitiam atque improbitatem auerſata, literis mandare neglexerit. *Ortus Roboami.* a l. 8. c. 3.

II. *Frigus, & infirmitas Dauidis vnde orta.*

IAM quod ad Dauidis attinet infirmitatem, ea ſine certi temporis determinatione initio tertii Regum [b] à ſacro ſcriptore traditur, nimirum huiuſmodi virium defectus paulatim contrahuntur, & ſenectuti, in qua ſe apertius produnt, tribuuntur. Id Scriptura haud obſcure ſignificat: *Et rex Dauid*, inquit, *ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* Septuageſimum videlicet agebat annum 1 quod tempus aliquibus initium ſenectutis eſt, aliis medium, multis extremum: plurimi etiam citra eum terminum curriculi ſui metam reperiũt. Illud certe quotidianum eſt, vt cito ſeneſcere videamus, qui à iuuentute corpore, animoque multa patiuntur. Dauid autem de ſe, *Pauper*, inquit, [c] *ſum ego, & in laboribus a iuuentute mea*; nam præter labores vitæ paſtoritiæ, quos graues, atque acerbos eſſe teſtabatur, is qui dicebat, [d] *die noctuque æſtu vrebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*: certe totis octo annis, Saule illum infeſtiſſimis armis, animiſque perſequente, illud veriſſime vſurpare potuit [e] *Anima mea in manibus meis ſemper.* Et [f] *ſuper me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*: Et, *niſi quia Deus adiuuit me, paulo minus in inferno habitaſſet anima mea*, vt interim tota illa Amnonis, & Abſalonis tragœdia ſileatur. b l. 3. Reg. 1. 1. χ. c Pſal 87. d Geneſ. 31. 40. e Pſal. 118. f Pſal. 87.

III. *Ex multo mærore aduerſis in rebus.*

QVID illa? [g] *Circundederunt me dolores mortis, torrentes iniquitatis conturbauerunt me: Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.* Sed & tota vita ærumnis plurimis, & animi mœrore cumulatiſſima fuit, vt fuſe docet ſanctus Chryſoſtomus, [h] eamque malorum eius enumerationem ita concludit. *Denique ipſius aduerſos omnes caſus, mærorisque cauſas diligentius enumerare poſſibile non eſt: neque enim omnes conſcriptæ ſunt. Verum ex ipſius lamentis & gemitibus poſſumus conijcere calamitatum quoque omiſſarum magnitudinem; vtque iuſtus ille nunquam plangere, ac dolere deſierit.* Sic ille aurei oris antiſtes. Nihil ergo mirum ſi is citius, quam pro egregia corporis conſtitutione, ſenuerit, aut ſi iuges ac perpetes animi ægritudines effœtum corpus tradiderint ſenectuti; vt interno graſſante frigore, ne congeſtis quidem ſuper eum veſtibus calefieri poſſet; viuidum enim illum calorem, & vigorem fortiſſimi quondam bellatoris, animi angores quibus conficiebatur, aggeſtis ieiuniis, vigiliis, ciliciis, cæteraque afflictatione corporis, depaſcebantur. g Pſal. 17. 5. h l. 1. de prouid.

IV. *Alia cauſæ parum probabiles.*

NAM quod aliqui ad parentes, à quibus ſenibus genitus eſt, recurrunt, non veram eos reperiſſe cauſam ex eo liquet, quod alioqui fuiſſet tota vita debilior; quem tamen fuiſſe aliquando fortiſſimum robore, vrſi ac leones, & Goliathus ipſe teſtantur. Quod alii frigus ad plurimum ſanguinem fuſum referunt, quo vacuata corpora frigeſcunt, inepte profecto faciunt; non enim ſanguinem ſuũ vllo vnquam vulnere accepto fudiſſe legimus, ſed alienum. Ineptius etiam rabini aiunt veſtibus opertum non incaluiſſe, quod oram veſtimenti Saulis abſcidiſſet, quod ad eius contumeliam vergebat, quem oportuerat reuereri. Verum id ſine culpa factum fuiſſe ſuo loco docuimus, vt propterea nulla illi facto pœna deberetur; non enim tum abſciſſionem illam, ſed præuiam cædis voluntatem conſcientia Dauidis accuſauit. Probabilius diſputant, qui cauſam ad viſionem Angeli, ſtricto gladio ſæuientis referunt, qua timore concuſſus in terram corruerit. Sed ortum ex eo timore frigus, præter conſuetudinem fuiſſe perpetuum, probare non poſſunt: cum paulo poſt eum & ex Sione deſcendiſſe conſtet, & in montem Moria aſcendiſſe.

V. *An ex morbo frigidus.*

a q. 2. in c. 1. 3. Reg.

ADVENTITIAM quandam ægritudinem Dauidi hoc tempore contigiſſe putat Abulenſis, [a] qualis contingit paralyticis; quæ enim membra paralyſis attigerit, frigore quodam ita rigeſcunt, vt ad motum parum valida ſint; nec huiuſmodi morbum repudiat Serarius, neque ego reiiciendum puto, modo ne illum tanquam paralyſi lecto alligatum putet, aut ſuis ægritudinem caruiſſe interuallis; id enim exigunt comitia regni vniuerſi, & quæ in ipſis ille dixit, ac fecit, poſt vnum alterumque annum. Frigebat ergo Dauid, etiam in lecto tepefacto, neque enim id defuiſſe credendum eſt, neque internum frigus, externa ſtragularum veſtium ſarcina facile ſuperabat; perinde ac ſi noua metamorphoſi in eã ſtatuam eſſet commutatus, quam Michol eius loco, [b] in lecto pridem collocauerat, & pellibus operuerat atque veſtimentis. An autem etiam animo nonnihil refrixerit, poſtmodum in Adoniæ cauſa intelligetur.

b 1. Reg. 19. 13.

VI. *Medicorũ remedium.*

c Galen l. 1. methodi d l. 7. ant. c. 11. Ἀρχαιολ.

DIXERVNT *ergo ei ſerui ſui*, medici videlicet [c] curam ſanitatis eius gerentes, & publico bono ſeruientes, quod in eius incolumitate vertebatur; & facile apparet id conſilium à medicis profectum, quod Ioſephus quoque affirmat; [d] *Prægrauante*, inquit, *iam ſenio, & corpore per ætatem frigeſcente, alſioſus factus eſt, vt ne iniectis quidem multis ſtragulis caleſieret. Cumque ex communi medicorum conſilio decretum eſſet, vt lectiſſima è formoſis totius regionis virginibus cum rege cubaret, hoc enim fore contra frigus remedium fouente cum puella, Virginem quæſierunt.* Nimirum aliam regi offerre non conueniebat, vt ait Caietan. non ſatis probabiliter. Nam ſi Dauid in ætatis flore indecorum non duxit Abigailem primum, deinde Bethſabęam viduas accipere coniuges, multo id minus fuiſſet indecorum ſeni, imo coniugia perſonarum ætate tam diſpari vulgo derideri ſolent. Quod idem ait Dauidem poſt Abſalonis inceſtos concubitus vxores à ſe proprias remouiſſe, id quidem de concubinis verum eſt, non item de reliquis vxoribus, ſed eæ iam anus erant, ac frigidæ.

VII. *Cur ei quæſita virgo.*

e q. 4. & 5. in c. 1. 3. Reg.

PHYSICI tradunt ait Dionyſius, puellas virgines calidiores eſſe corruptis, quæ pepererunt, pulchras quoque plus mouere appetitum, & adducenda hilaritate calorem naturalem exſuſcitare; etiam citra venereum congreſſum, qua de re plura leges apud Abulenſem. [e] *Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, & inuenerunt Abiſag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & miniſtrabat ei*, vt delectabilius comederet de manu eius, vt pridem Amnon de manu Thamaris. *Rex vero non cognouit eam.* Acquieuit bonus ſenex ſeruorum ſuorum voluntati, ſed ita tamen vt periculum peccandi euitaret; itaque eam in omnem euentum duxit vxorem, [f] vt ex ſequentibus intelligetur: quamuis Toſtatus aliter ſentire videatur, contra communem interpretum ſententiam; ſicque factum, vt eſſet ei in earum vxorum genere, quæ dicuntur vſu quæſitæ, ſiue conſuetudinariæ, vt ait Pined. l. 5. de Salomone [g] propter vſum, & conſuetudinem ei miniſtrandi, & diu noctuque aſſiſtendi. conſentiunt Lyranus, Dionyſius, Serarius, Pineda: & ex antiquis vxorem vocant Hieron. Procop. Theodoretus.

Quæ & vxor fuit.

f Lyra hoc loco & Abul q. 25. in c. 1. 3. Reg.
g l. 5. de Sal. c. 2. n. 4.

VIII. *Cur notatũ nõ cognitã Dauidi.*

PORRO non ſine cauſa notatum eſt eam à Dauide non fuiſſe cognitam. Perti-

Frvstra ergo inſoleſcebat Adonias, & regnum paternum affectabat, quod Salomon multo meliore iure, pluribuſque titulis ſibi poterat vendicare. *Quod ſi Adonias*, ait Pineda, [a] *iure primogeny ad regnum aſpirare potuiſſet, inſolentiæ tamen, & more impatientis ingenij elatione, & culpa meruit amittere, quod Salomon animi moderatione, & modeſtia meruit obtinere: ad ſe tranſlata primogenituræ dignitate & honore.* Quod eleganter indicauit Ambroſius in priore Dauidis apologia. [b] *Eo,* inquit, *vſque præcauit Dauid, vt cum Adoniam filium regnum ſibi vſurpare comperiſſet, & gerere conuentus, non eum qui prαripere geſtiebat, ſed eum qui expectaret eligeret.* Quippe cum bene Salomoni de Dei voluntate conſtaret, de patris iuramento, de matris amore, & ſollicitudine, de Nathani ad regnum monitis & inſtitutione; nihil tamen egiſſe aut dixiſſe legitur, quod ab animo elatiore, aut regnandi cupidiore proficiſceretur; nihil quod fraternam inuidiam, & ambitionem criminaretur, ſed Dei prouidentiæ, & parentis ſe totum permitteret voluntati. Vt quidem in Adoniam & Salomonem quadrare poſſit, quod in Eſau & Iacob dictum eſt à Chryſoſtomo. [c] *Ecce nunc hic inuerſus eſt ordo, & primogenituræ dignitas tranſit ad eum, qui virtute animi præfulgebat.* XII. *Ambitio priuat Adoniā iure primogeniti.*

a l. 1. de Sal. c. 1. n. 5.
b cap. 6.
c Hom 50. in Gen.

Video ſtudioſe lector, te id quoque hoc loco requirere, culpane vacarit Dauid, nimiæ in filium inſolentem indulgentiæ, ac diſſimulationis, qui probe memineris eam culpam tam ſeuere in Heli pontifice caſtigatam. Scriptura certe videtur Dauidem eo nomine reprehendere. Cum enim curruum, & equitum, & quinquaginta virorum meminiſſet, ſubdit. *Nec corripuit eum pater ſuus aliquando dicēs quare hoc feciſti?* Quin & illud quod ſequitur, *Erat autem & ipſe pulcher valde, ſecundus natu poſt Abſalom,* ſignificat ex amore peculiari Dauidis in Adoniam natam indulgentiam, qui amor ipſius tum pulchritudine, tum primogenitura paſcebatur. *Diligebat Dauid Adoniam valde*, ait Abulenſis, *& nolebat contriſtare eum; nam erat primogenitus eius, & pulcher valde, propter quæ afficiebatur Dauid ad eum.* Neque ſane quēquam reperio, qui Dauidem hac in re à culpa plane immunem putet, cum eam ſupponat deſiderata correptio, quam filiis, cæteriſque domeſticis, ex iuſtitiæ obligatione parentes debent, qua prætermiſſa, ſunt in culpa. XIII. *An deſiderata in Dauide filii correctio.*

Facile itaque aſſentior Abulenſi, [d] peccaſſe Dauidem ex quadam negligentia, & nimia erga Adoniam indulgentia, & quæ illi impune non ceſſit. Seditio enim Adoniæ, & repentinus in ciuitate tumultus virga fuit, qua ille vel ætatis, vel animi languor caſtigatus eſt. Rem tamen vniuerſam metu maioris mali ait tolerari potuiſſe, ne quod diſſidium inter filios oriretur, ſi filio natu maximo ſpem regni, tempore adhuc immaturo ademiſſet: cum præſertim ſatis certus eſſet ſe inſcio, aut nolente illum regnum non inuaſurum. Verum hac de re iterum anno ſequenti aliquid dicemus. Quod autem nonnulli Dauidem ignoraſſe putant, quæ gerebat Adonias, vt pote lecto affixum: vix credibile eſt rem tantam ad eum non fuiſſe delatam: eamque ignorantiam ſine dubitatione Scriptura refellit, quæ notat correptionis defectum, qui ſine cognitione eſſe non poteſt. Nec aliter ſenſit Ioſephus dum ait paraſſe ſibi Adoniam currus multos, & equos, & 50. viros ſtipatores. Patrem autem id videntem nec obiurgaſſe eum nec compeſcuiſſe; ac ne ſcitatum quidem eſſe, quid ſibi vellet talis apparatus. Nam quod Nathan [e] ipſi Dauidi dixit ignorare eum quid ageret Adonias, id de vltimo conatu inuadendi regni, non de antegreſſis diſpoſitionibus accipiendum eſt, in quibus conniuebat pater, ſed in re leuiore multo quam Heli, quem propterea longe acerbius Scriptura reprehendit, ac punitum tradit. XIV. *Ita videri.*

d q. 11. & 13. in 3. Rec. c. 1.
nu. 19.
e 3. Reg. 1. 11
1. Reg. 2.

SCHOLIA IN ANNVM 3019. REGNI DAVIDIS VLTIMVM.

1.Nu.11. ERrore vtique ſcribæ amanuenſis, aut quadam autoris inconſiderantia, in notis Vatabli ſcriptum eſt fuiſſe Dauidem ſexagenarium cum iaceret in lecto frigidus, neque caleſieret veſtium operimentis. Cum enim hæc illi infirmitas acciderit ſub tempus, quo Salomon illi ſucceſſit in regnum; oportet eum fuiſſe hoc tempore ſeptuagenarium; vtrumque enim ex Scriptura conſtat, & Dauidem 30. annorum fuiſſe cum regnare cœpit, & annis 40. regnaſſe. 2. Reg. 5.4. Hæc eius verba ſunt, in illud ſcripturæ, *Habebatque ætatis plurimos dies. Hebraice*, inquit, *veniſſetque in dies, id eſt confectus eſſet ſenio. Tum erat ſexagenarius David qui tam cito ſenuerat propter labores, quos tulerat perſequente Saule, & alia bella. Anno 477. ab exitu de Aegypto hæc geſta ſunt.* Hactenus ille initio notarum in lib. 3. Reg. Tres ergo tantum anni ſupererant, vſque ad templi fundamenta: itaque neceſſario vel moribundus erat Dauid, vel vltimum ſaltem regni annum agebat, ergo ſeptuagenarius erat non ſexagenarius, cui ætati non recte conuenit illud *confectus ſenio*. Et cauſæ quidem infirmitatis facile aſſentior, illi autem eius anno ab Ægypto non item; annus enim 477. ab exitu ab Ægypto non cadit in vltimũ Dauidis annum, ſed primum Salomonis, & ſeptuageſimus octauus in ſecundum, & 79. in tertium, & 480. in quartum, quo anno iacta ſunt templi fundamenta, vt ex 3. Reg. 6. certo conſtat.

Cheleabum quoque, qui & Daniel dictus eſt, & erat tertius filiorum Dauidis, ex Abigaile, Nabalis vidua 2. Reg. 3.3. nunc defunctum fuiſſe ſatis conſtare videtur. Imo, vt arbitror, ante Abſalonicos tumultus, cum enim is Abſalonem ætate antecederet, æmulus fuiſſet ambitionis eius, nec populus toto corde ſecutus fuiſſet Abſalonẽ, ſi ſuperfuiſſet in viuis, qui ipſum, ob ætatis prærogatiuá, in iure ſucceſſionis antecederet. Quod autem Adonias dicitur *ſecundus natu poſt Abſalon*, idem eſt ac ſi diceret, mortuo Abſalone ei iura primogenituræ debebantur; alioqui enim fruſtra id diceretur, & extra propoſitũ, vt notat Abul. q. 15. in c. 1. 3. Reg. *Et eſt ſenſus*, inquit, *antea primogenitus erat Abſalom, eo mortuo ſucceſſit Adonias in primogenitura.* Quod ex eo quoque confirmatur; quod dicitur Adonias vocaſſe omnes filios regis ad conuiuium, præter Salomonem; ſuum videlicet æmulum. Non minus fuiſſet æmulus eius Cheleab ſi vixiſſet, nec magis eum inuitaſſet Adonias quam Salomonem, nec ille inuitatus adiuiſſet conuiuium, ne iuri ſuo præiudicaret, & in Adoniam illud transferre videretur. Mortuus ergo erat, & de filiis Dauidis, qui quartus naſcendi ordine fuerat, nunc factus erat primus. Et Dauid tres minimum filios adhuc extulerat, quos non ita multo poſt ſecutus eſt quartus. 2.Num.x.

ANNVS MVNDI 3020. DILVVII 1364. 5ᵃ. ÆTATIS. 81. EXITVS AB ÆGYPTO 477. ARCÆ IN SIONE 31. SALOMONIS I. ABIATHARIS PONTIF. 46. TROIÆ EXCISÆ 149. EVPALIS 30. IMPERII ASSYRIORVM 1089.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1033.

AGgredimur ad pacifici, deóque amabilis Salomonis imperium, diuturnitate, felicitate, & populi multitudine in primis commendabile. Imperium principis ſui gloria, ſapientia, potentia, opibus, & pietate admirabile: principis qui parentis ſingulare gaudium, apex humanæ felicitatis, idea fortunatorum principum, delitiæ orbis terræ merito dici poſſet; ſi in ea, qua cœperat veritate, ſtetiſſet. Sed cum is poſtea tanto maiori ruina ceciderit, quanto eum diuina bonitas, & munificentia extulerat altius; & eius vnius culpis florentiſſimum imperium patris pietate, & virtute partum, ſchiſmate luctuoſiſſimo diſtractũ fuerit, in omnes annos conſequentes; Vtiq. imperiũ miſerabile, fortunæ ludibrium, & humanæ infirmitati formidabile iure dicendũ eſt: & principis contumelia, fatuitate, ignauia, impietate horribile. Principis, alieniſſimo, atque importuniſſimo tempore deſipientis: Principis, quem ſanctiſſimi parentis

I. *Proluſio in ſalomonem florentem.*

Labentem.

dedecus, infamiam populi Dei, exemplum proiectiſſimæ nequitiæ, terrorem bonorum principum, non iniuria appellemus.

II. *Reſurgente*

VERVM cum deinde, ſingulari, ac prope incredibili Dei miſericordia, ille reſipuerit; & qui publicum ad peccatum ſcandalum fuerat, in omnium oculis, in cinere & cilicio pœnitentiam egerit, & dedecus illud vitæ inquinatiſſimæ abſterſerit, proptereáque ſpem magnam, & non male fundatam opinionem ſuæ ſalutis æternæ mundo reliquerit: vtique Salomonem, *vas admirabile opus excelſi* dicemus: in quo Deus theſauros inopinatos ſapientiæ, potentiæ, & miſericordiæ ſuæ mundo vniuerſo patefecit; & ſe non minus in vno Salomone admirabilem demonſtrauit, quam in omnibus regibus, qui eum vel anteceſſerunt, vel poſtea longo ordine ſunt conſecuti. Sed tantum præfati ad rem ipſam, eodem bene propitio aggrediamur: in quo labore & induſtria noſtri Pinedæ, viri ingenio politiſſimo, ſtudio exquiſitiſſimo, & eruditione ſingulari in ſuis de Salomone libris, non parum ſubleuabimur.

III. *Sũma præſentis anni.*

PRIMVM porro hunc Salomonis annum ſtatuimus, quo primum, annitente Nathan Propheta, rogante Bethſabæa, proclamatus, & declaratus eſt Rex Salomon: dum ex altera parte Adonias cum ſuis, Dauide ignorante, regnum inuaderet. Hæc quomodo geſta ſint, diſtinctius explicandum eſt: ſed prius promiſſam priorem rationem temporis hic iterum reddamus. Et primum ponimus Dauidem regnante Salomone vixiſſe. Id ex toto c. 1. l. 3. Regum perſpicuum eſt. Ibi enim iuſſu eius imponitur ſuper mulum regiam, proclamatur Rex, inungitur, ab vniuerſo populo agnoſcitur, & in regem illis verbis acceptatur, *viuat* Rex *Salomon.* & mox in præſentia Dauidis ipſius ingreſſi ſerui regis benedixerunt domino noſtro regi Dauid, dicentes, *amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum, & magnificet thronum eius ſuper thronum tuum.* Imo Dauid ipſe ſeſe abdicans ſummo hoc magiſtratu, eumque in filium transferens, *adorauit in lectulo ſuo, & locutus eſt: Benedictus* Dominus *Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.* neque hac de re à quoquam dubitari poteſt. Id potius dubium eſt, quod

Et ratio temporis. Regnat Salomon viuo Dauide.

IV. *Et regnum adminiſtrat; probatur ex ſcriptura.*

ASSERIMVS ſecundo, Salomonem, viuo, ac ſuperſtite Dauide, eóque volente, pro rege ſe geſſiſſe, & regnum adminiſtraſſe. Id copioſe docet Pineda, [a] ex illis ipſis verbis, quæ paulo ante à Dauide dicta protulimus. Eximia enim hæc Dauidis lætitia, & gratiarum actio Deo facta, viſo Salomone ſedente in ſolio regio, clare oſtendit non iure tantum ſucceſſionis donatum nunc Salomonem, ſine regni adminiſtrandi facultate, ſed reuera iniuiſſe regnum: *Alioqui*, inquit Pineda, *quæ magna inſolentis lætitiæ cauſa, vidiſſe tunc ſuis oculis regni ſucceſſorem, quem ab ipſo illius ortu diuina reuelatione, & promiſſione, heredem nouerat, & ſucceſſorem?* D. Ambroſius [b] ex eo ipſo loco probat Salomonem, viuente Dauide, regnare cœpiſſe. D. Auguſt. [c] idem probat ex 2. Regum 7. *Nec ob aliud*, inquit, *viuente adhuc patre ſuo Dauid regnare Salomon cœpit, quod nulli illorum regum contigit, niſi vt hinc quoque ſatis eluceat, non eſſe ipſum, quem prophetia iſta præſignat, quæ ad eius patrem loquitur, dicens. Et erit cum impleti fuerint dies tui, & dormies cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de ventre tuo, & præparabo regnum illius.* D. Hieronymus epiſt. 132 quæ eſt ad Vitalem, ſcribit vixiſſe Dauidem, regnante iam filio, aliquot annos. Affertur & Ioſephus, [d] qui ait *deducto deinde in regiam Salomone, & in ſolio paterno collocato, ex ea die in poſterum obedientes ei fuerunt*, ſed ibi non de prima Regis vnctione, & inſtitutione, de qua agimus, ſed de altera, quæ in fine Paral. refertur Ioſephus agit. Rupertus, [e] *viuente adhuc patre* Rex *Salomon conſtituitur; quia profecto Deus pater, qui Chriſtum conſtituit regem, hæredem vniuerſorum, nunquam mortuus, nunquam eſt moriturus.* Sulp Seuerus l. 1. ſacr. hiſt. *Salomon regali vnguento per Sadoc ſacerdotem vnctus, patre adhuc incolumi, Rex appellatus eſt.* Niſi autem reuera Rex eſſet, quomodo id fieret ſine patris iniuria?

[a] l. 2. de Sal. c. 10.
[b] l. 3 in Luc.
[c] l. 17. de ciuit. c. 8.
[d] l. 7. c. 10 fi.
[e] l. 3. reg. c. 4.
Sulpitio.

V. *Probatur & ratione ex ipſis eius geſtis.*

SED id ratio quoque docet. Nam pro rege ſe geſſit erga Adoniam fratrem ſuum, quem criminis capitalis reum, abſoluit pro poteſtate. Et hic vice verſa, ſupplici adoratione erga eum vtens, pro rege quantũuis inuitus, & iuniori fratri regiam inuidens dignitatem, agnoſcit, & huiuſmodi erga ſe præditum iuriſdictione fatetur, cum ait, *iuret mihi* Rex *Salomon hodie, quod non interficiat ſeruum ſuum*

gladio. Niſi eum pro rege agnouiſſet, non ab eo, ſed à Dauide patre, quem admodum erga ſe indulgentem agnoſcebat, culpæ veniam poſtulaſſet. Nec Salomon inuidioſum hoc, contra fratrem natu maiorem iudicium vſurpaſſet: ſed reieciſſet ad cognitionem patris, & tamen ſententiam de eo pronunciat, veniam dat pro culpa præterita, mortem pro futura interminatur. [a] Denique illa verba [b] *ſicut iurauì tibi*, ait Dauid Berſabee, *per Dominum Deum Iſrael, dicens; Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me, ſic faciam hodie.* Hæc, inquam, verba, oſtendunt eo ipſo die præſtitam, & liberatam priſtinæ promiſſionis fidem, & regnum promiſſum filio eius, reipſa collatum. Pineda quidē monſtroſum imperium, duos nimirum ſimul reges, patrem & filium videtur admittere: quoniam Dauid non abdicarat à ſe adhuc regiam poteſtatem: & Salomon reipſa rex erat. Exiſtimat etiam Abulenſis [c] Salomonem inunctum in regē, vt rex eſſet ſine vlla controuerſia patre defuncto; interim autē ſolū Dauidē fuiſſe regē, nimirū ſicut Dauid ipſe, viuente Saule. Verū Dauid non vltra rex erat, vt qui regnum in filium, ſciens prudenſque ſolemni ritu, palam tranſtuliſſet, vt poterat reuera trāsferre; etſi filius eū quaſi regē venerabatur, & ex eius cōſilio, & arbitrio, pro ſua modeſtia, ingenitaq; ſapiētia regnū adminiſtrare incipiebat. vnde

a vid. Abul. in c. 1. q. 44. & 45.
b 3. Re. 1. 30
c q. 40. in c. 1. 3. Reg.

VI. *Reliquum Dauidis tempus Salomoni tribui.*

Tertio aſſerimus annos, quibus Dauid ſuperuixit, regnante Salomone, non Dauidi tribui, ſed Salomoni, id eſt eos annos in regni Dauidis annis non computari. Nam ſatius eſt integros quadraginta regni annos, vtrique ſeorſim tribuere, quam diminuere annos Dauidis, vel augere Salomonis, aut vice verſa. Cum enim ex Scriptura conſtet tam patrem quam filium 40. annis regnaſſe, ſi duos annos verbi gratia regnauit Salomon, qui tribuantur Dauidi, oportebit reuera Salomonem 42. annis regnaſſe, Dauidem autem 38. vel Dauidem 42. Salomonem 38. vel duos ſimul reges eo tempore regnaſſe quæ omnia videntur abſurda, quamuis eam chronologiam ſequatur Pineda, [d] ſecutus diuum Hieronymum epiſt. 132. ad Vitalem, vbi ſic ſcribit. *Ad ſummam illud dici poteſt. quod in regno Dauid Salomon cum duodecim eſſet annorum, ſolium patris obtinuerit, & poſtea, quia Scriptura reliquit incertum vixerit Dauid, regnante iam filio, aliquot annos, qui ſibi, & non Salomoni imputentur; mortuo autem patre, poſt filius regnarit annis quadraginta, &c.* Verum Diuus Hieronymus id inquirendo ait, non definiendo ac diiudicando controuerſiam, vt ſeſe ab illa moleſta quæſtione expediat, qui Salomon dicatur filium Roboamum anno vndecimo ætatis genuiſſe. Nec eſt abſurdum, id quod ex ſententia noſtra ſequitur, Dauidem ſeptuageſimum annum viuendo ſuperaſſe. Nuſquam enim Scriptura tradit Dauidem 70. duntaxat annis vixiſſe, ſed tantum trigeſimo anno regnare cœpiſſe, & 40. regnaſſe. Quod vtrumque verum eſt, licet dicamus eum regnante Salomone biennium verbi gratia regni adminiſtratione, & curis ſolutum, propter corporis infirmitatem, vixiſſe. Ioſephus autem in fine l. 7. ant. duas illas tantum colligit ſummas, quas Scriptura tradidit. Porro Rabbinorum dictum in ſua Chronologia [e] Dauidem non vidiſſe Roboamum, niſi annum vnū, non multum nos grauare poteſt, leuis quippe eſt eorum authoritas.

An Dauid vltra 70. annos vixerit.

d l. 8. c. 4.
e ca. 16.

VII. *Salomon regnat anno ætatis 21. non 12.*

Asserimvs 4. Salomonem non 12. ætatis anno, ſed 21. ineunte regni gubernacula ſuſcepiſſe. Ita ſentit Pined. [f] in ſua chronologia, etſi paulo aliter l. 3 c. 1. & 2. Lyra quoq; [g] ait Salomonē habuiſſe 20. vel plures annos in principio regni ſui. Idem ſentit Bara. [h] Gordon. in ſua chronologia; Quin etiam Torn. eum 24. ætatis anno regnare cœpiſſe putat, vt omittam ſectarios: prēter perpetuā narrationis ſeriem deductam per annos ſingulos Dauidis, quæ natiuitatem Salomonis ad 21. regni eius annum referre compellit, vt ibidem declarauimus. Probatur primo, ex ipſa Scriptura in qua Dauid alloquēs Salomonem, *vir*, [i] inquit, *ſapiens es, vt ſcias quæ facies ei. &c.* quis puerum duodecim annorum virum ſapientem vocet, niſi eum irridendo? quantauis huiuſmodi puer morum maturitate polleat. Quo argumento vtitur Abulenſis, [k] qui ait Salomonem, cum hæc diceret Dauid, fuiſſe 17. vel 18. anno. Secundo [l] *Cum iam eſſet ſenex deprauatū eſt cor eius per mulieres.* At ſi 12. anno factus eſt Rex, vix erat 45. annorum, quando dicitur fuiſſe ſenex. quanuis autem id fateantur aduerſarii, non propterea abſurdum non eſt.

f l. 8 c. 4.
g in c. 11 3. Reg.
h 10. l. 5. c. 10. Heluic 19 Caluiſ. 22. Capel 27. Funct. 17. Codo. 20.
i 3. Reg. 2. 9.
k 2. Par. c. 29. 9. 3
l 3 Re. 11 c.

VIII. *Quam abſurda ſententia poſterior.*

Tertio ſequitur, quod eſt longe abſurdius; etſi id quoque illi fateantur, Salomonem anno decimo, & 3. menſe genuiſſe filium: ad quod incommodum vitā-

dum

omnia potius tentanda eſſent; ſic enim coguntur facere impuriſſimum, & libidinoſiſſimum puerum, quem à primis annis diuina ſapientia conſtat imbutũ. Coguntur Dauidem ſanctiſſimum intolerantiſſimæ ſocordiæ accuſare, qui decennis filii nuptias permiſerit; propter quas puerum eiuſque parentem ſeuere puniri oportuiſſet, vt pote improbe, & inuerecunde ſuſceptas, atque permiſſas cõtra ius omne naturæ, & publicam honeſtatem: coguntur Nathan Prophetã, qui eam Salomonis regebat ætatem, virum Dauidici generis, vt putant, propinquitate, & Prophetiæ gratia, & Dauidis amicitia inſignem, iſtiuſmodi nuptiarum conciliatorem, vel certe approbatorem concedere. Coguntur Bethſabæam matronã honeſtiſſimam fateri tam indecoras nuptias, tam pernicioſas illi ętati, delicioſiſſimo filio permiſiſſe.

DENIQVE quæramus ab aduerſariis vnde habeant anno duodecimo Salomonem cœpiſſe regnare? an ex ſcripturæ aliquo loco? nullus eſt qui magis faueat, quam quod à Dauide dicatur *puer, & tenellus.* [a] At iam id non ſemel explicatum eſt, de tenera & delicata educatione, & rerum gerendarum inſcitia, quæ etiam in vigeſimum annum cadit. Deinde ſcriptura dicit Salomonem electum à DEO, adhuc puerum & tenellum, ad regnandum, & ædificandum ſibi opus grande, non autem regnaſſe, vel ædificaſſe adhuc puerum, & tenellum. Ex Ioſepho quoque nihil de duodecim annorum regno, nihil de generatione vndecimi anni habetur: nec in eam rem vlla ratio alicuius momenti affertur. Quamquam Ioſephũ. [b] in vita, aut regni Salomonis annis, toto cœlo aberrare, certiſſimum ſit, vt anno 40. regni Salomonis dicemus.

IX *Irrita eius fundamenta.*

a 1. Par. 29

b l. 8. ant c. init.

QVID ergo D. Hieronym. faciemus, qui in ea ad Vitalem epiſt. *Perſpicuum eſt,* inquit, *vndecim annorum fuiſſe Salomonem, ſiue decem, quia decem menſes à conceptu vſq. ad partum ſibi mater vendicat, cum filium Roboamum legitur procreaſſe.* Reſpondeo S. Hieron. id inferre ex eo quod dicatur Salomon duodecimo anno ſuper Iſrael imperium accepiſſe, quam ille Hebræorum ſalaciſſimorum, æque ac mendaciſſimorum traditionem ſuppoſuit, non examinauit, nec tamen diſſimulat rem hanc in fabulis eorum numerandam eſſe, cum in fine epiſtolæ ad Vitalem ſic ait. *Cæterum Apoſtolus interminabiles genealogias, & Iudaicas fabulas prohibens, de iſtiuſmodi mihi videtur interdicere quæſtionibus. Quid enim prodeſt hærere in littera, & vel ſcriptoris errorem, vel annorum ſeriem calumniari, cum manifeſtiſſimè legatur, litera occidit, ſpiritus autem viuificat,* & alibi. [c] *Rixæ quoque legales penitus reſpuendæ ſunt, & Iudæorum ſtultitiæ relinquendæ. Sunt enim inutiles, & vanæ, quæ tantum ſpeciem ſcientiæ habent, cæterum nec dicentibus, nec audientibus proſunt.* Quid enim mihi prodeſt ſcire quot annos vixerit Mathuſalem: quoto ætatis ſuæ anno Salomon ſortitus ſit coniugem, ne forſitan Roboam vndecimo ætatis illius anno natus eſſe credatur. Sic ipſe.

X. *Sententia S. Hieronymi explicatur.*

132.

1. Tim. 1. 4.

c in c. 3. ep. ad Tit.

VERVM 12. regni annum pleri que viri grauiſſimi tradiderunt, Hiero. [d] *Salomon,* inquit; *duodecim erat annorũ quando ſuſcepit imperium, & quia habebat ſapientiam propterea non eſt appellatus iuuenis.* Euſeb. [e] ex Eupol. ſcribit regnaſſe Dauid an. 40 & ab eo regnũ Salomoni filio duodecim annos agenti traditũ fuiſſe. & rursũ paulo inferius ex eodem ait vixiſſe Salomonem 52. annos, & regnaſſe quadraginta. quod affirmat etiam Iſidor [f] D. Ignat. [g] *Porro Salomon,* inquit, *& Ioſias, ille quidem 12. ætat. ann. Hic vero octo natus annos regni gubernaculis admotus eſt.* quod vtrumq. exemplũ pene totidẽ verbis legitur, apud Clem. Rõ. [h] Et multis poſtea ſeculis Cedre. & Zonar. Reſpondeo eos traditionem Hebræorum obiter, & ſine examine ſecutos, nõ autem ex propria ſententia id affirmaſſe ſicut & Hierõ. qui eam ſub conditione refert. *Si enim,* inquit, *duodecimo anno Salomon ſuper Iſrael accepit imperium &c.* Id autẽ tradiderunt Rab. Salomon, & alii Hebræi apud Lyranũ. [i] Inuerecundius etiam delirauit R. Kimchi, [k] cum etiam decennem regnum ſuſcepiſſe, & filium genuiſſe dicat. Sed credibile eſt eum decennium illud ad generationem Roboami, de qua ex Hier. dicebamus, retuliſſe. Sed iã ad res ipſas hoc anno geſtas orationem conuertamus, quæ neq; paucæ ſunt, neque obſcuræ. Hoc enim anno Adoniæ ambitio compreſſa eſt: rex Salomon dictus, & conſecratus eſt, atque adeo regni habenas moderari cœpit: ſapientiam etiam quæſiuit quam poſtmodum impetrauit copioſiſſimam, & magni fluminis inſtar, abundantem; & ſi qua ſunt alia.

XI. *Satisfit patribus.* Hieron. Euſeb. Iſidor. Ignat. Clement. Rom. Cedr. Zonar.

res hoc anno geſta.

d in c. 3. Eſaiæ.

e l. 9. de præp. c 4.

f de vit. & mort. ſanc. c. 34.

g Epiſt. ad Magneſ.

h in conſt Apoſt. l. 2 c 1.

Epiſt. 132.

i l. 3. R c 11. apud Pinc.

k l. 3. c 2.

XII.
Adonias regnũ ambit, & quæ ambitionis præſidia. Dauidis infirmitas. Populi fauor. Perſonæ cõditio.

Cvm igitur dubius non eſſet Dauidis erga Salomonem fauor, vtpote quem dudum ſui regni ſucceſſorem fore dixerat, atq; adeo iurauerat: & Dauid magna ex parte lecto afflixus eſſet, infirmitate degrauante, concepta Adoniæ ambitio hoc anno erupit foras; ſat enim multis ſe præſidijs vallatũ eſſe duxit, ad eam rẽ quã parabat. Maturè enim Ioabũ militiæ principem, & ſummũ ſacerdotẽ Abiatharẽ occuparat. Populus nihil turbaturus videbatur, qui eũ dudum prope regia pompa incedentẽ viderat, cũ curru & equitibus, & 50. viris, qui præcederẽt eum; ſicut fecerat ante ipſum Abſalõ, cuius veſtigiis inſiſtebat. Regis etiã primogenitũ non ignorabat: & ſpecies ipſa fauorem populi illi conciliabat. Quod ſcriptura nõ tacuit ait enim. *Erat autem & ipſe pulcher valde ſecundus natu poſt Abſalon*; quod pertinet ad ius primogenituræ, de coniuratione autem eius, ita ſubdit. *Et ſerui eius cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.*[a]

a 3. Reg. 1. & Abul. 3. R. 1 q. 17 & 18.

XIII.
Ioab, & quæ eum mouerent. Abiathar. & quæ ſpe.

Ioabvm adhoc poſtremum facinus ſua ſcelera, Deo permittente, compulerũt, vt de omnibus ſimul, ſeras illas quidẽ, ſed meritas tamen pœnas daret. Abiatharem etiam diuina ſententia in domum Heli fulminata perſequebatur, & ſinebat in eam labi culpam, ob quã merito ſummo ſacerdotio priuaretur. Sperabat Ioab, ſi ſua opera Rex factus eſſet Adonias, illum ſibi perpetuo obſtrictum futurum, eadẽq; opera patratas cædes inultas, militiæ principatum ſibi ſuiſq; perpetuũ fore. Sperabat Abiathar ſacra vnctione nouo regi inaugurando tradita, & regẽ in ære ſuo ſemper fore, & ſummum pontificatum ſibi confirmatum iri, & æmulum ſuum Sadocum, quem iam ſibi exæquari, imo penè præferri, non ſine animi dolore cernebat, in ordinem redactum iri, excelſo Gabaonico, poſt templi ædificationem ſublato. Addũt Hebræi, apud Lyranum hoc loco,[b] ex quo fugit Dauid de Ieruſalem propter Abſalon, Dominum non dediſſe reſponſum per Abiathar; ſicque illum ſibi gratum non eſſe, regi populoque pateſeciſſe; vnde ſequebatur fore, vt quamprimum Pontificatu deiiceretur; niſi maturè regẽ occuparet.

b & 1. 2. c 15.

XIV.
Qui præterea fautores Adoniæ.

Neqve hos modo vel adiutores, vel fautores habuit Adonias, ſed omnes etiã *fratres ſuos filios regis*, excepto videlicet æmulo Salomone. Intelligitur autẽ Cheleabum, ſiue Danielem, quem Dauid ex Abigaile, Nabali quondam vxore, ſuſceperat, & ſecundus fuerat in filiis Dauidis, iam fuiſſe defunctum. *& omnes viros Iuda, ſeruos regis*, quos Abulenſis interpretatur domeſticos, & familiares Dauidis. qui mox[c] vocantur principes exercitus, qui militiæ principi Ioab ſuberãt. Forte illos intelligit duodecim, qui 24. millibus militum ſinguli præerant; conſtat tamen ducẽ tertiæ turmæ Banaiã filiũ Ioiadæ, in eo numero non fuiſſe. Sed & illud quoq. credibile eſt, plæroſq. ſpecie cõuiuii cõuocatos ſimplici animo, nihil mali ſuſpicantes, ſeſe illi adiunxiſſe; vt ſupra plærique Abſaloni adhæſerant,[d] *rẽ penitus ignorãtes*. Hos ergo ſibi fautores adſciuerat Adonias vt æmulũ ſuũ Salomonẽ, cui diuina electio, & patris promiſſio iureiurãdo firmata fauebant, ſuperaret.

c v. 25.
d 2. Reg. 15. 11.

XV.
Fautores Salomonis. Sadoc. Banaias, Nathan, Semei. Rehi.

Ex altera parte Salomoni fauebant regis voluntati obſequentes. Abiatharis æmulus Sadoc, & Banaias ſummæ militũ præfecturæ candidatus. Et Nathan Propheta, qui Salomoni erat educatione, & eruditione, & beneuolẽtia pater, genere cognatus, beneuolentiæ conciliator. & Semei, quem Hieronym. in tradit.[e] ait fuiſſe Nabath patrẽ Ieroboã, *qui fuit*, inquit, *magiſter Salomonis*, quo nomine nõ pædagogum intelligi, ſed aliquod aliud officiũ, alio quoq. loco diximus.[f] quale forte fuit Romæ magiſter equitum, aut magiſter morũ. Rehi autem. idẽ Hiero. tradit fuiſſe Irã Iairitem qui dicitur[g] Sacerdos, id eſt magiſter Dauid: fuit autẽ oriundus ex ciuitate Iale, quæ in Baſanitide regione trans Iordanẽ, in tribu Manaſſe ſita erat, cuius mentio eſt in Ioſue[h] apud Adrichom.[i] Cæterũ hic Rehi, ſiue Reſi, vt in Græco Sixti, & Aldi legitur; in aliquibus codicibus græcis, latiniſque, nominatim etiam in regiis, non inuenitur, & à Ioſepho præteritur. Sed habetur in Hebræo, Chaldæo, & Latinis emendatis, & apud D. Hieron. habebatur. Sic deinceps Cerethi & Phelethi, quæ nunc in emendatis non leguntur, & merito; abſunt enim ea verba ab Hebræis, Græcis, & pleriſque Latinis, nec ea D. Hieron. aut Ioſephus agnoſcunt. Voluit ſine dubio aliquis ea verba quæ ſtatim ſubiiciuntur, *& robur exercitus Dauid*, non appellatiuis, ſed propriis vocabulis appellare, & adiecit in margine Cerethi & Pheleti; quæ deinde in textum irrepſerunt. Niſi potius dicamus natum mendum ex eo, quod Rhei vox non ſatis nota, pro

e in 3. Reg.
f an. Dauidis 27. n. 6.
g 2. Reg. 16
h c. 13. 30.
i n. 62.

Cerethi mendoſè ſcripta putaretur, poſito autẽ Cerethi, non dubiũ quin Pherethi de more ſequi deberet. Cæterũ robur exercitus hic Hebræi, & Græci appellant, fortes Dauid. qui ſupra memorati ſunt, vt ait Hieronymus.

XVI. *Adonias ſuos ad ſe conuocat.* [a] 3 Reg. 1. 9. REDIT porro ad Adoniã ſcriptura. [a] *Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & vniuerſis pinguibus, iuxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocauit vniuerſos fratres ſuos filios regis, & omnes viros Iuda ſeruos regis. Nathan autẽ Prophetã, & Banaiã, & robuſtos quoſq; & Salomonẽ fratrem ſuum non vocauit, illiſq.* & infra, *veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus, viuat Rex Adonias.* Hæc de Adonia ſcriptura narrat, vſq; ad eius peripetiã, & fortunæ cõmutationẽ. Ex quibus tria de Adonia colligim⁹. Primo factũ eſſe ſolemne ſacrificium in eius inauguratione, quod perpetuũ fuiſſe in huiuſmodi regum inſtitutione habetur de Salomone.[b] Saule, [c] & Dauide. [d] Hoc ſacrificium dicitur factum non ante Arcã Domini, vel ſuper altare, nuper à Dauide excitatũ in area Ornam Iebuſæi, aut in altari holocauſtorũ, vel pacificorum in Gabaon; ſed iuxta lapidem Zoeleth, qui erat lapis magnus extra ciuitatem, inquit Lyranus, in cuius motione, & tractione viri fortes experiebantur vires ſuas. [e] Porro lapis hic, ſicut & fons Rogel, erant ad orientalem partem vrbis, in valle Ioſaphat, iuxta torrentem Cedron, qua de re ſupra dictum eſt. [f] Non eſt autem exiſtimandum eum per ſeipſum ſacrificia obtuliſſe, licet Nathan dicat [g] *quia deſcendit hodie, & immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos,* ſed per Abiatharem Pontificem, alioſque ſacerdotes qui aderant; at locus electus videtur ad commoditatem conuiuij, in hortis regijs celebrandi.

Fit ſacrificiũ in eius inauguratione. *eiuſq. locus*

vet. 25. | b 1 Par. 29. 21. | c 1 Reg. 11. 15 | d 2 Re. 16 5. | e vid. Abu. q. 22. in c. 1 3 Reg. | f an. Daui. 30. n. 72. & 106. | g c. 1. v. 25.

XVII. *Fit & cõuiuium.* SECVNDO habetur factum eſſe ſolenne conuiuium. Hoc enim ſemper ſequebatur huiuſmodi ſacrificia pacifica, vt ex prædictis locis, aliiſque perſpicuum eſt, vt ſicut ſacrificio gratiæ agebantur Deo, de accepto beneficio, ita hominibus nouum regem in regiam dignitatem prouehentibus, & regio honore proſequentibus, magnificis epulis, regioque conuiuio, beneuolentia, & gratus animus ſignificaretur.[h] Ioſephus conuiuij meminit Adoniæ, parati in ſuburbano ad fontem, qui erat in hortis regiis, ſacrificij autem oblitus eſt, quod tamen agnoſcit Abul. [i]

h l. 7 c. 11. | i q. 22.

Tertio multiplicem factam acclamationem inter epulas, *viuat rex Adonias*, in honorem noui regis, & atteſtationem agnitionis, & admiſſionis in verum, ac legitimũ regem, ſed huiuſcemodi acclamatio, ex abundantiore facta eſt beneuolentia, incaleſcentibus vino animis. Anteceſſerat vtique illa, quæ fieri ſolebat ad regis conſecrationẽ, & inunctionẽ, vt mox in Salomonis inauguratione patebit.[k] *...rum acclamationes.*

k verſ. 39.

XVIII. *... Adoniæ.* QVARTO igitur ſupplenda eſt Adoniæ inunctio, & conſecratio, per manus Abiatharis ſummi ſacerdotis, penes quem erat ſanctum conſecrationis oleum eamque inunctionem Adoniæ agnoſcit Pineda. [l] idemque negat diademate coronatum, quod regia corona penes Dauidem eſſet, non in Adoniæ, aut Abiatharis poteſtate. [m] Conſecrationi adiunctæ ſunt multæ fauſtæ acclamationes, & comprecationes, quæ circa Salomonem mox clarius obſeruabuntur. Non fuit autem mens Adoniæ, vt olim Abſalonis, Dauidem patrem regno ſpoliare; neque enim ad id facinus tot taleſque viros adiutores habuiſſet, ſed id ſpectabat, vt defuncto Dauide, Rex ſine contentione vlla, vel dubitatione cenſeretur; quod Salomon conſecutus eſt, [n] ſed parentis authoritate atque conſenſu, quo carebat Adonias; ideoque tam in parentem, quam in Salomonem peccabat, quod ipſemet agnoſcens, mox ab eo veniam petiit.

l l. 2. c. 6. n. 1 | m l. 2. c. 7. ſ. | n vid. Abu. q. 24. & 25

XIX. *Nathã res Adoniæ diſturbare parat.* TANTÆ huius rei, tamque inopinatæ nuncius ſine mora totam ciuitatem peruolauit, & Nathan prophetam in eius cognoſcendæ, & exturbandæ ſolicitudine excubentem, quamprimum perculit. Viderat ille quidem hoc maxime agi ab Adonia; & ſine dubio DAVIDẽ animo & corpore paulo languidiorem, & in Adoniam aliquanto indulgentiorem, non ſemel fruſtra monuerat; vt quem non corripuerat ambitioſius ſe gerentem; ne eo ſpe ſucceſſionis deiecto, turbas domi ſuæ inter fratres maturius excitaret, vt ſupra dicebamus. Et alia ex parte crederet Adoniam exemplo Abſalonis factum eſſe ſapientem. Expectauit igitur Nathan dum res perfecta eſſet, nulla vt tergiuerſatione celari poſſet. Nec tamen diu expectauit; nam ſub finem conuiuii Adoniæ auditum eſt, *viuat Rex Salomon.* Ne roboratum malum, & inualeſcens remedium omne reſpueret.

XX. *Interuentu Bethſabeæ.* ADIT ergo recentiſſima in re Bethſabeam matrem Salomonis, cuius negotiũ in primis agebatur, dixitque ad eam. *Num audiſti, quod regnauerit Adonias filius Hag-*

gith. 1 regem ſe creari, inungi, & proclamari curauerit? ſed ne rem deſperatam illa exiſtimet, addit, *& Dominus noſter Dauid hoc ignorat?* nedum eo iubēte inunctus eſt. ideóque res adhuc diſturbari poteſt opera tua, induſtria noſtra, atq; diligentia; qui diuinæ voluntatis conſcii, eius apud regem interpretes fuimus in gratiā Salomonis. Nimium porro abiectè ſapiunt, qui exiſtimant, & in iis poteſt cenſeri Abul.[a] ægre tuliſſe Nathan, quod non fuiſſet inuitatus ad conſilium, & conuiuiū Adoniæ. ideóq; ſuggeſſiſſe Bethſabææ, vt indicaret regi, quæ facta fuerant. *Nam*, vt ait Theodor.[b] *Propheta Dei norat ſententiam*, vt pote qui eam Dei iuſſu Dauidi regi denunciaſſet; quam cum ab Adonia violatam cerneret, ſua maxime credidit intereſſe, rem totam regi patefacere. Ex quo etia m liquido conſtat Nathā Prophetam, ne vocatum quidem, aut conſilio, aut conuiuio affuturum. Accedebat & peculiaris præceptoris in diſcipulum bene moratum beneuolentia.

quæ Nathanem erga Salomonem mouerent.

a q. 26. in c. 1. 3. Reg.

b q. 1. in hūc lib.

XXI. *Dat conſilium Bethſabææ.*

SED pergit Nathan. *Nunc ergo veni, accipe conſilium à me, & ſalua animam tuam, filiique tui Salomonis.* Quaſi dicat actum eſt de filio tuo, vt regni eius æmulo; actum eſt de te, ne eum protegere, ac morti eripere poſſis. Non potuit Propheta acriori ſtimulo mulierem percellere, & ad ſibi obtemperandū adducere pro magnitudine enim amoris in filium, & ſpei diuinarum promiſſionum, fuit magnitudo ſolicitudinis, ac timoris. Nam *res eſt ſolliciti plena timoris amor*. Quod autem aliqui putant Adoniam crimen antiquum adulterii in Bethſabæam renouaturum, parum perſuadent; ſic enim Dauidi grauis infamia inurebatur, cuius occidebatur vxor, & qui eadem ſententia adulterii damnabatur; vt contra Nicolaum diſputat Abul.[c] Illi potius abiectio, & contemptus imminebat, vt ipſi ſignificauit,[d] cū diceret, *erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Denique anima, & ſalus non in ſolo vitæ diſcrimine, ſed honoris etiam vſurpatur. Timuit etiam ſibi fortaſſe Nathan, tanquam maximo Salomonis fautori & protectori.

c in 3. Reg. q. 27. in c 1

d verſ. 21.

XXII. *Ac verba ſuggerit ad regem.*

IPSVM autem Nathani conſilium ſic habet. *Vade, & ingredere ad regem Dauid, & dices. Nonne tu domine mi rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens. Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo. Quare ergo regnat Adonias?* hoc iuſiurandum refert Hieron. in trad. in hunc librum, id tempus illud, quo Dauid lugentem Bethſabæam de filii morte conſolatus eſt. Et poſt eum Pineda,[e] & Abulenſis.[f] Idem nos eo loco attigimus,[g] nec alius eſt locus ad quem referamus iuſiurandum, quod ex hoc loco factum fuiſſe conſtat. *& adhuc ibi te loquente cum rege*, inquit, Nathā, *ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos*, ſupplens, atque inculcans, quæ tu omiſeris, minúſve dixeris. Fieri enim poterat vt mulier, licet natura ſalutiore lingua, ob præſens periculum, & regis venerationem, turbaretur. Præmiſit autem matrem ad petendum pro filio, ait Lyranus, vt cor Dauidis inclinaretur, & ſic inueniret regem diſpoſitum ad perficiendum negotium.

e l. 3 c. 4 n 8

f q. 30. in 3. Reg

g an. Daui. 10. n. 23. & 24.

XXIII. *Querela Bethſabææ apud Dauidem.*

INGRESSA eſt itaque Bethſabæa ad regem in cubiculum, & humili corporis inclinatione *adorauit eum. Ad quam Rex, Quid tibi, inquit, vis?* non enim ſine certo negotio vxores adibant Dauidem, ex quo eum fouebat Sunamitis, quæ etiam præſens hoc loco memoratur. *Quæ reſpondens ait, domine mi, tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo. Et ecce nunc Adonias regnat, te domine mi rex, ignorante.* Vtique non ſine contemptu tuo, quem tanti negotii non ſolum conſcium, ſed auctorem etiam fieri oportebat. Ne autē res tantæ audaciæ videatur incredibilis, eam factis ipſis apertiſſime cōfirmat. *Mactauit boues, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocauit omnes filios regis, Abiathar quoq; ſacerdotem, & Ioab principem militiæ. Salomonem autem ſeruum tuum non vocauit.* Periculi etiā magnitudinē oſtendit, dū factioſorū potentiā, & multitudinē ſuggerit.

XXIV. *Quæ iis einec.*

QVID eſt quod hoc loco iterum, & paulo poſt tertio notatur, Salomonē & Nathā nō fuiſſe vocatos ad conuiuiū Adoniæ? An quia hoc erat conſpirationis argumētū excluſos eſſe à cōmuni illo cœtu eos, qui Dauidi chariſſimi erāt, atq. fideliſſimi. An ad indicandū magnum aliquod eis malum parari, in primiſq. Salomoni, ac ſibi. Valet etiā hoc ad irā Dauidis acuendam: quiſq. enim in ſuorū contemptu contēni ſe putat. ſed illud efficacius eſt ad cōmouendum regē, quod regnū eius per ambitionē occupari queritur, ipſo ignorāte, nedū imperante. *In regnis hoc auſa tuis.* inquiebat illa Et Lucian. ille Timon, Iouis contemptū, apud illū ipſum, querulus exaggerat. Illa quoq. opipari conuiuii amplificatio, ambitioſi hominis ſuperbiam odioſam facit. Addit etiā Bethſabæa modum ſubueniēdi præſentibus,

futuriſq. malis,& quidem regi facilem, & expeditum. *Verùmtamen Domine mi rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te.* Pineda, [a] rectè colligit ex eo loco, regni ſucceſſorem, ſecundum electionem diuinam, quæ iura omnia anteuertit, ex parẽtis arbitrio, & voluntate pẽdere, & inter plurimos legitimos liberos, eum regẽ Hebræorum ſolitum fieri, non qui primogenitus, aut populo præ cæteris acceptus eſſet, ſed qui patri, tanquam regno vtilior maximè probaretur. Idque fuſè diſputat etiam Abulenſis. [b]

a l. 3 de Salom. c. 3.

b in c. 1. 3. Reg q. 9. & 34.

XXV. *Periculum Salomonis, & Bethſabææ. Peccator.*

Postremo commouet regem Bethſabæa, ab imminenti ſibi, filioque ſuo periculo. *Eritque cum dormierit Dominus meus rex cum patribus ſuis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores:* id eſt inuenietur prætextus aliquis, vt tanquam peccati alicuius, aut criminis rei, morti tradamur, vt nobis de medio ſublatis, ſine vllo timore regnet Adonias, quam expoſitionem tangit Vatabl. & Lyran. imò & Ioſephus, [c] *rogans*, inquit, *vt cogitet, quod ſe defuncto mori neceſſe eſſet tam ipſam, quam Salomonem filium.* Non diſſimile eſt illud Geneſ. [d] *introducti ſumus, vt deuoluat in nos calumniam, & violenter ſubiiciat ſeruituti:* vulgo dicitur, *on nous ſuſcitera vne querele d'Alemand pour auoir priſe ſur nous, & nous faire mourir:* Magis tamen probatur cum Abul. hoc loco eſſe peccatorem, nihil eſſe aliud, quam vilem & contemptum eſſe, nullo loco, ac numero. Aliæ expoſitiones frigidiores videntur, etiam quam affert Pineda, [e] de antiquæ, atque obliteratæ culpæ memoria, quam ſupra infirmauimus. [f]

c l 7. c. 11. vel 15.

d 43. 18.

e l. 1. c. 3. n 24. ſi.

f n. 21.

XXVI. *Prophetæ ad regem oratio.*

Ad hvc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit, nunciatumque eſt regi adeſſe prophetam, eiuſque iuſſu ingreſſus, adorauit pronus in terram, tum rogauit regem, num iuſſu ipſius regnaturus eſſet Adonias, eique defuncto ſucceſſurus in thronum regium; quia perinde ac ſi ita eſſet à rege imperatum, *deſcendit hodie*, ex arce & palatio regio, ad fontem Rogel, *& immolauit boues*, & altilia, *& arietes plurimos, & vocauit vniuerſos filios regis, & principes exercitus; Abiathar quoque ſacerdotem: illiſque veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus viuat rex Adonias. Me ſeruum tuum, & Sadoc ſacerdotem, & Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum non vocauit.* Eadem ferè inculcat cum Bethſabæa, vt ſimilitudo nuncii fidem faciat veritati. Aliis tamen progrediuntur viis, ne putet Dauid prophetam cum Bethſabæa conueniſſe: eodem tamen res tendit, vt iidem motus animorum firmẽtur. Sed addit aliqua, quaſi re paulo exploratius cognita, quæ ipſa valent ad irã hominis, quãuis manſuetiſſimi exaggerandam, quod ſcilicet per ſummam licentiam, quaſi deturbato de ſolio ſuo Dauide, in mediis epulis Adonias rex proclametur à ſeditioſis, & violatæ maieſtatis reis.

XXVII. *Inquirit num mutata ſit de Salomone ſententia.*

Conclvdit Nathan. *Nunquid à Domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſeruo tuo, quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum Domini mei regis poſt eum*, quaſi dicat, num inſcio me mutaſti ſententiam, à Deo tibi per me denunciatam, & à te Bethſabææ iureiurando firmatam, de conſtituendo poſt te rege Salomone. Quæ oratio nõ exiguam prophetæ apud Dauidem, authoritatem, familiaritatem, atque fiduciã innuit: vt alio quoque loco ſignificatum eſt à nobis. [g] Neque tamen putat mutabile fuiſſe hoc Domini decretum, & de eorum numero, quæ ex perſonarũ mutatione dependent: puta ex eorum culpa, in quorum gratiam decreta edita fuerant. Nam ne ea quidem ex cauſa abdicatum iri Salomonem, antea ſpoponderat, & à contrario Saulis exemplo confirmarat. *Si inique*, inquit, *aliquid egerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul*, [h] *quem amoui à facie mea.*

g Dauid 11. 50.

h 2. Reg. 7. 14. 15.

XXVIII. *Renouat Dauid promiſſionem cum iureiurando.*

His auditis, Dauid quam præſentiſſimum remedium vrgenti malo adhibiturus. Primo Bethſabæam renouato iureiurando, & promiſſione de inſtituendo ea ipſa die rege Salomone conſolatur. Verba ſcripturæ ſic habent. *Et reſpondit Rex Dauid dicens*, cubiculariis ſcilicet famulis, *vocate ad me Bethſabee*, quæ cubiculo regio exierat, Nathan prophetæ cedens, & nunc vice verſa Nathan dedit locum reuertenti Bethſabææ, vt mox patebit. *Quæ cum fuiſſet ingreſſa coram rege, & ſtetiſſet ante eum, iurauit rex, & ait, viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia, quia ſicut iuraui tibi per Dominum Deum Iſrael, dicens, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me, ſic faciam hodie: ſummiſſoque Bethſabee in terram vultu*, in ſignũ grati animi, ob exauditam petitionẽ ſuã, *adorauit regem, dicens, viuat dominus meus Dauid in æternũ.* Hęc eſt nõ ęternæ, ſed diuturnioris vitæ precatio. Sic enim hæc verba interpretatur Ioſephus; *cum mulier adorato rege longã ei vitam eſſet precata*,

Nam de æterna alterius vitæ felicitate nihil tunc fortaſſe Bethſabæa cogitauit. Sicut cum Daniel dicebat Ethnicis principibus, *Rex in æternum viue* ad eorum ſenſum, captumque loquebatur. [a]

a Dan. 3. 9.

XXIX. *Euocat qui Salomonē inauguratori erant.*

Deinceps mandata daturus de conſecrando in regem Salomone, & ritu in ea ſeruando, iuſſit Dauid vocari ad ſe Sadoc ſacerdotem, & Nathan Prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, qui præterquam quod erant viri principes, & Dauidi fideliſſimi, eo ſtudioſius regium mandatum de nouo rege conſtituendo executuri erant, quo minus erant accepti Adoniæ. Quin & Sadoc, qui erat inſtar Pontificis, neceſſarius erat ad vngendum regem, & Nathan ad conteſtandam corā populo, Dei & regis in hac inauguratione voluntatem. Banaias vero, qui erat princeps ſuper Pherethi, [a] & Celethi ad vim aduerſariorum, ſi qua exiſteret, prohibendam. Itaque diuino conſilio factum eſt, vt cæteris principibus ad Adoniā declinantibus, iſti à Dauidis nutu penderent: Et diuinam de regno Salomonis electionem exequerentur. Hi ergo euocati ſiſtunt ſe regi; quibus Dauid, *Tollite*, inquit, *ſeruos Domini veſtri* puta Cerethæos, & Phelethæos, qui erant robur exercitus Dauid, ſub manu Banaiæ, *& imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meā*, Solus videlicet rex eam ſolebat inſcendere; itaque id erat regii honoris indiciū. *Et ducite eum in Gihon*, ad fontem videlicet, qui erat ab occaſu Hieroſolymorum; è regione oppoſitus fonti Rogel, ad quem inūctus fuerat Adonias, & regiis hortis, in quibus illi conuiuabantur, vt nihil interturbarent, ſed res confecta eſſet, priuſquam id illi ſentirent, vt reuera contigit.

a 2. Reg. 8. 18.

XXX. *Mandatq; illum inūgi, ac regem fieri.*

Pergit autem Dauid de Salomone præcipere. *Et vngat eum ibi Sadoc ſacerdos, & Nathan Propheta in regem ſuper Iſrael; & canetis buccina, atque dicetis, viuat rex Salomon. Et aſcendetis poſt eum, & veniet* huc in arcem, *& ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me* non dicit poſt me; nimirum viuo Dauide Rex erat futurus, Dauide ſponte regno cedente: vt ſupra declaratum eſt, *illiq; præcipiam vt ſit dux ſuper Iſrael, & ſuper Iudam.* [b] Nondum quidem facta erat iſta diuiſio Iſraelis, & Iudæ; ea tamen loquendi formula, vtique ominoſa, erat in vſu, vt iam aliquoties patuit, ſed iam diuiſionis illius vmbra anteceſſerat in ſeditione Sebæ, & in regno Iſboſethi, ex quo videri poteſt hæc loquendi formula originem traxiſſe: quæ tamen initio regni Saulis [c] vſurpata reperitur. Verum hi omnes inaugurandi Salomonis ritus, quos præcipit Dauid, mox in eorum executione declarabuntur.

b num. 5.

c 1. Reg. 11. 8

XXXI. *Banaias regi gratulatur, ac gratias agit.*

Et *reſpondit Banaias filius Ioiadæ regi, dicens. Amen. Sic loquatur Dominus Deus domini mei regis.* id eſt confirmet Dominus verbis ſuis orationem tuam, eademq; tecum dicat, & ſentiat, vt voluntas tua, & præceptum irrita ne fiant, ſiniſtro aliquo caſu. Eorum ſcilicet opera, qui partes Adoniæ ſequebantur, & huic regis conſecrationi obſtituri videbantur. Sed pergit bene precari Banaias. *Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium eius à ſolio domini mei regis Dauid.* Non eſt veritus Banaias Dauidem hac ſua precatione offendere. Nam vt ait Theodor. qui hanc non vni Banaiæ orationem tribuit, ſed pluribus, quia is aliorum eadem ſentientium nomine loquebatur; *ſciebant*, inquit, *quod nemo qui paternam habet dilectionem, æmulatione proſequitur filios, & quod eſt proprium patrum velle videre filios ſe clariores. Arius enim & eius filij ſoli, hac laborant amentia. &c.* & ratio eſt, quia pater, præſertim moriturus, ſe quaſi ſuperſtitem apprehendit in filio, & gloriam illius, non alienam æſtimat, ſed ſuam. Simile eſt votum illud apud Claudianum in 4. conſul. honorij

Aſpice, completur votum, iam natus adæquat
Te meritis, & quod magis eſt optabile, vincit.

Et illud Sidonij [d] Apollinaris ſcribentis ad Audacem præfectum. *Quod ſupereſt Deum poſco, vt te filii conſequantur: aut quod plus decet velle, tranſcendant.* 1.

d ep. 7. lib. 8. 1 x.

XXXII. *Ceremonia conſecrationis Salomonis & primùm omnium ordinū frequētia.*

Adhibetvr ergo primùm ſolennis comitatus Salomonis ad regni inaugurationem, quæ in textu verbis iſtis exprimitur. *Deſcendit ergo Sadoc ſacerdos, & Nathan Propheta & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi & Phelethi.* & inferius v. 40. *Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.* videntur omnes ordines Reipublicæ ad regis initiationem, & renuntiationem conuocari. Quippe ſacerdos, Propheta, dux, milites, præco, populus, qui etiam omnes ordines excepto Propheta, procurati fue-

rant ab Adonia; ſed illegitimè, & importunè, vt qui furtim, & Dauide inſcio regnum occupare moliretur.

XXXIII. *Sadoc ſacerdos, an & Pontifex.*

a l. 1. c. 4. n. 1 — Sadoc ſacerdos neceſſarius fuit; quippe oleũ ſanctum, inquit Pineda,[a] *quo inungendus erat rex, non poterat ab alio contrectari. Fuit vero is ſummus ſacerdos, ſicut & Abiathar, qui ſecutus fuerat partes Adoniæ. Videtur enim ſacerdotis nomẽ libere ſumptũ, non niſi ad ſummũ pertinuiſſe, vt obſeruat Abul. Sacerdotes autẽ ſummos duos ſimul tunc tẽporis extitiſſe conſtat.*[a] Sic ipſe: quæ ſine dubio facile infirmari poſſunt, & diligentius refutata ſunt primo anno Abiatharis pontificis. Neque vero neceſſarius erat pontifex ad inungendum regem. Nam Samuel non erat ſacerdos, vt apertiſſime probatum eſt ſupra, qui tamen & Saulem, & Dauidem oleo ſancto inunxit. Iuxta illud[b] *Inueni Dauid ſeruum meum, oleo meo vnxi eum.* Et Dominus [c] præcipit Heliæ prophetæ, vt vngat Hazaëlem regem Syriæ, & Iehu regem Iſraëlis, & Elizæum prophetam. Nec eſt quod propheticam vnctionem priuatam dicamus, pontificiam autem publicam, vt vult Pineda.[d] Audi enim Ioſephum explicantem illud 1. Reg.[e] *& perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino. Conuentus*, inquit, *fit apud oppidum in Galgala, ibi rurſum inſpectante tota multitudine, propheta vnxit Saulem ſacro oleo, atque iterum regem conſalutari fecit.* Hæc ibi. Et ne longius abeamus, hoc ipſo in loco curam vngendi Salomonis, non Sadoco ſacerdoti duntaxat, ſed Nathan etiam prophetæ demandat.

Nõ videri.

a 1. Reg. 3. & 1. Par. 24.
b Pſal. 88. 21.
c 3. Reg. 19. 15.
d l. 1. c. 6. n. 3.
e c. 15. v. 15

XXXIV. *Nathan quoque vngit Salomonem.*

Vngat *eum ibi*, inquit, *Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta in regem*: quod mox factum refertur à Ionathan, *vnxeruntque eum*, inquit, *Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon.* Nec dici poteſt eum tantum affuiſſe, & authoritatem duntaxat actioni regis nomine præſtitiſſe, ſic enim & Banaias dici poſſet vnxiſſe regem. Sed nec tantum Sadoco miniſtraſſe, quis dixerit; id enim eius dignitati, & ætati, vt & regio quibuſdam placet, ſanguini videtur indecorũ: præſertim cum id officium eſſet ſacerdotum & leuitarum. Verum quoniam verſ 39. in vnctione, ſolius Sadoci ſacerdotis fit mentio, qui tulerat de tabernaculo cornu olei, nec neceſſe erat ab vtroque ſimul inſtillari, dici poteſt vtrumque ita iſti miniſterio cooperatum eſſe, vt alter, ſcilicet ſacerdos oleum in verticem infunderet, alter, ſcilicet propheta, verticem & frontem, & totum in orbem caput, in modum coronæ liniret, idque eximio Nathani in Salomonem ſuum amori, merito tribui poſſet.

XXXV *Confirmatur vnitas Pontificis.*

f c. 16. 30. — Sadochvm autem fuiſſe ſummum ſacerdotem, ante hæc tempora dici non poteſt; ſæpiuſque declaratum eſt, quod eſſet Sadoci munus, ex primo Paral.[f] nec quidquam in contrarium, ex primi Reg. 8. ant. 1. Paral. 24. concludi poteſt. Nec duos ſummos ſacerdotes, ne deploratiſſimis quidem Reipub. Hebraicæ temporibus quis oſtenderit. Maldonatus certe in c. 3. Luc. *Nullum*, ait, *Reipub. Iudæorum tempus tam perturbatum fuiſſe legimus, vt duo ſimul ſummi eſſent ſacerdotes, nec id, ſi vnquam accidiſſet, Ioſephus earũ rerũ diligentiſſimus ſcriptor tacuiſſet.* Idem docet in eundẽ locum Toletus, & alii, quanquam nimium de Ioſepho pollicetur Maldonatus. Nam ſupra eum duos ſimul ἀρχιερεῖς, de quibus agimus, conſtitutos refutauimus; quanto ergo minus ſub ſanctiſſimo principe Dauide geminum pontificatum cõtigiſſe putandum eſt.

ca. 11. 2.

g 1. Reg. 23. & 1. Par. 11. v. 25. 1. Reg. 8. 18.

Eam porro Abulenſis circa nomen ſacerdotii obſeruationem, duo capita 17. & 18. lib. Iudicum vndecies aut duodecies refutabunt.[g] Illud potius dici poſſet, quod quidam ſcripſerunt Sadochum, ante quam regem inungeret, fuiſſe in ſummũ pontificem conſecratũ. Sed ſacerdotis ſummi cõſecratio, vt ex Aaronica intelligitur, maioris erat operis, quam vt tantulo temporis ſpatio confici poſſet, præterquam quod id non erat neceſſarium, vt diximus, & vrgebat regis conſecratio. Pontificiam vero factam fuiſſe in proximi anni comitiis, ſuo loco oſtendemus.

XXXVI *Cur adeſt conſecrationi Banaias.*

Banaias in ſolemni comitatu Salomonis cum ſuis affuit, vel tanquam Dauidi à ſecretis conſiliis, vel tanquam regiæ cuſtodiæ præpoſitus ad vim omnem, ſi qua ingrueret, arcẽdam, vt dixi, vel ad noui regis inaugurationem cohoneſtandã. Et hos Cerethæos & Phelethæos intelligebat Dauid cũ paulo ante diceret.[h] *Tollite vobiſcum ſeruos Domini veſtri. Aſſumpta cohorte regia*, ait Ioſephus: quãuis eos Hierõ. in tradit. 70. ſenes iudices interpretetur. Hi ergo Salomonis in regem conſecrãdi, tam honorarii, quam præſidiarii comites aderant, præter vulgus innumerabile

h 3. Reg. 1. 33.

quod ad ſpectaculi nouitatem paulatim confluxiſſe ratio poſtulat.

XXXVII. *Aſcendit in regiam mulam Salomon.*

Ipse autem Salomon in ſignum tranſlatæ in ſe, aut quamprimum transferẽdæ regiæ dignitatis, impoſitus eſt ſuper mulam regis, quam vni regi ſeruatam fuiſſe dicendum eſt, cum ea fuerit adhibita ad indicandam in Salomone ſucceſſore, eſſe regiam dignitatem. Eſtque id paſſim in more poſitum, vt viri principes ſuum ſibi vni equum ſeruari velint: quod ipſis etiam animalibus interdum non ſolum notum, quod facile eſt, ſed etiam obſeruatum, ille decantatus Alexandri Bucephalus demonſtrabat. Vide Pinedam [a] & Gellium. [b]

Ducitur in Gihon.

Cum hoc apparatu adductus eſt Solomon in Gihon, fontem vocat Ioſephus alij montem malunt fonti cognominem, ad occidentem Hieroſolymorum, è regione arcis Sion, ex quo duo fontes emanabant, alter qui dictus eſt fons Gihon ſuperior, è medio fere montis erumpens, prope regis torcularia, eiuſdemque aquæ ductum (iuxta Villalp. deſcriptionem) quem poſtea Ezechias obturauit, vt habetur in 2. Paral. [c] alter qui dictus eſt fons Gihon inferior, ex radice eiuſdem montis, iuxta radices montis Sion exortus efficit torrentem Gihon, & influit in piſcinam Siloë, iuxta eiuſdem & Adrichomii typographiam. Videtur autem Ezechias ita ſuperiorem obturaſſe fontem, vt is per occultos, & ſubterraneos meatus ad inferiorem vſque ſerperet, indeque effflueret ad piſcinam, ſiue natatoriam Siloë, ex quo fit, vt idem fons Gihon, & Siloë reputetur; & Salomonem quidam in Gihon, quidam in Siloë inunctum dicant, vt Chald paraphraſt. & Theodoret. [d] Abulenſis, & Vatablus in hunc locum: qui ait Siloë, & Gihon eandem eſſe ſignificatio nem, ſed priorem vocem eſſe Chaldæam. Iuſſit autem Dauid, inquit ille, Salomonem vngi in regem iuxta fontem Gihon, cuius aqua erat perennis, vt votum ſuum, vel hac ratione aperiret. Optabat enim, vt regnum Salomonis eſſet perpetuum, & perenne ſicut fons ille. Inaugurationem porro Salomonis ad fontem Gihon ſuperiorem celebratam volunt Adrichom. & Pineda.

a l. 2. c. 5. n. 1 & 2.
b l. 5. c. 2.
c ca. 32. 30
d 3. reg. q. 2. q. 36.

XXXVIII. *Ibique inungitur.*

Vbi ventum eſt in Gihon, procubuit vtiq; Salomon in genua, Deũ ſuppliciter oraturus, vt hæc tantæ dignitatis acquiſitio ad eius gloriam cederet, & totius populi Dei vtilitatem: Simul etiam ſe ei in famulum & clientẽ oblaturus. Cum hinc atq; inde Sadoc & Nathan præmiſſa quoque, vt par eſt, oratione, ad conſecrationem peragendam conſurgunt, cohorte regia, & populo late circumfuſo, & Sadoc quidem ſumptum oleum de tabernaculo, quod erat in arce Sion, infudiſſe in verticem capitis, indeque orantem per frontem ab aure ad aurem à propheta circumductum fuiſſe, vt ex Rabino Salomone, Lyrano, Abulenſi, [e] Pineda, & ipſa rei natura probabiliter colligitur. Non dubito etiam ſtatim ab inunctione, nouum regem à ſacerdote, & propheta oſculo ſuauiſſimo ſalutatum eſſe. Non enim minor fuit aut ſacerdotis aut Prophetæ in Salomonem amor, quam Samuelis in Saulem, aut minus illi amabilem, quam iſte, dilexerunt, de quo legimus primo Regum decimo, *effudit ſuper caput eius lenticulam olei, & deoſculatus eſt eum.*

& quo id modo.

oſculo accipitur.

e q. 37. in c. 1.

XXXIX. *Additur et fauſta cõprecatio.*

Qvidni etiam adiecta ſit fauſta precatio tẽpori, & perſonæ accõmodata? Dixit pridem Samuel Propheta ad Saulem. *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in Principem, & liberabis populum ſuum de manu inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt.* Dixerit Nathan Propheta ad Salomonem. *Ecce vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, Vt regas populum ſuum Iſraël, & ædifices domum nomini eius. Cæterum cum ibi Lyranus ſcribat, & conſentiant Abulenſis, & Pineda. Lenticulam, in qua repoſitum erat Sacrum oleum, quo conſecratus eſt [f] Saul, fuiſſe vaſculum aureum, vel argenteum, vt ex maiore vaſe, in quo aſſeruabatur ſacrum vnguentum, aliquid ad pontificis, aut regis vnctionem, acciperetur: Non dubium eſt hoc cornu olei, quod hoc loco memoratur, vas aliquod eiuſdem metalli fuiſſe, quod cornu, propter aliquam ſimilitudinem diceretur, & ſymbolum eſſet diuturni principatus.

Lenticula & cornu olei qualia.

f l. 2. c. 6. n. 1.

XL. *Vnctionis ſignificatio.* I.

Accedebat myſtica & ſancta illius vnctionis eruditio. Ea enim docetur princeps, ita cæteros virtutibus anteire, ſicut oleum omnibus humoribus ſupernatat; oleo inungi, vt pugilem ad certandum pro vniuerſo populo Dei; lenitatem & manſuetudinem erga ſubditos exercere, ab eo tanquam vulnerum cura-

tore, oleum potius, quam vinum imponendum eſſe, pauperibus oleo miſericordiæ ſubueniendum eſſe, & alia id genus.

Addamus hic ex Abulenſ. quæſtio. 37. in hunc locum, quod idem ex R. Salomone refert, ſacerdotem duxiſſe inctinctum digitum per frontem ad aurem eius, qui inungebatur. Sacerdotes autem vnctos in vertice figura crucis decuſſata, vt ſcirent reges, quamuis eodem oleo cum ſacerdotibus vngerentur, aliam tamen, & ad alios vſus eſſe ſuam, & ſacerdotum conſecrationem.

Vncto Salomone cecinerunt buccina, quinam? Sacerdotes opinor miniſtri Sadoc. Hoc enim munus paſſim ab eis exercitum, non ſolum temporibus Ioſue c. 6. ſed deinceps [a] quoque. Ad quid? in ſignum propriæ lætitiæ, & gratulationis; populo autem in ſignum plaudendi & acclamandi, & aliis inſtrumentis muſicis perſonandi, vnctione peracta. Vnde ſtatim ſequitur, *Et dixit omnis populus. Viuat rex Salomon.* [b] Eodem modo, dederat hoc ſignum Abſalon, per exploratores in vniuerſis tribubus Iſrael, vt ſtatim atque audirent clangorem buccinæ, dicerent, *Regnauit Abſalon in Hebron.* Erat autem ſolennis & vſitata acclamatio, *viuat rex*, vel tacito, vel expreſſo nomine proprio, quod hic exprimendum fuit, ad differentiam Adoniæ. Cui etiam acclamatum fuerat, *viuat Rex Adonias*, & id totidem verbis iniunxerat Dauid. [c] Additum etiam in Abſalone, quia regnabat Dauid, cui abrogabatur imperium. Cum creatus eſt Iehu, regnante Ioram, & Ochoſia, ſocij eius cecinerunt tuba, atque dixerunt, *regnauit Iehu*. At cum creatus eſt rex Saul, quoniam nulla erat de rege controuerſia, clamauit omnis populus, *viuat Rex*, [d] Pro Ioas quoque cum plauſu poſt vnctionem acclamatum eſt, *Viuat Rex*, non enim erat alius regni æmulus, ſed im pia tantum regina Athalia. [e]

Marginal: XLI. Canitur buccina, à quibus, & quare.

Notes: a 1. Paral. ca. 15. 24. ca. 16. 6. 42. & 2. Paral. 5. 12. 13. — b 2. Reg. 15. — c v. 34. — d 1. Reg. 10. 24. hic 4. Reg. 11. 12. — e Vide etiã 2. paral. 23. 11.

Præter illum autem buccinæ primæ clangorem quo renunciabatur Rex, & plaudendi, atque acclamandi ſignum dabatur, adhibitus eſt præterea tubarum plurimarum, & diuerſi generis inſtrumentorum muſicorum concentus, vnde ſequitur, *& aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum*, in montem Sion videlicet, & ciuitatem Dauid; *& populus canentium tibiis & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.* Hoc quippe erat *oleum lætitiæ*, id eſt, ſacræ vnctionis lætitia, quæ in populum vniuerſum redundabat: fuiſſe autem magnum hunc clamorem. Patet ex eo, quod cum Adonias cum ſuis eſſet ex altera parte ciuitatis in valle Ioſaphat, & hortis regiis, peruenit ad eos clamor, & confuſæ populi voces, & tubarum ſoni. *Oleoque vnctum*, inquit Ioſephus, [f] *rurſum in vrbem cum fauſtis acclamationibus introducunt, vt multos annos, in hoc principatu fœliciter exigat: moxque adductum in regiam in ſolio paterno collocant.* Sic enim iuſſerat Dauid, *Et aſcendetis poſt eum, & veniet, & ſedebit ſuper ſolium meum, & ipſe regnabit pro me.* Et ſic factum fuiſſe mox ad Adoniam retulit Ionathas.

Marginal: XLII. Læti clamores populi.

Notes: v. 40. — f l. 7. ant. c. 11. — v. 35.

Erat autem hic ritus ſedendi ſuper ſolium quaſi acceptio poſſeſſionis regni, & ſupremæ iudiciariæ poteſtatis: In eo enim Rex iure dicendo ſedere ſolebat, vnde ſcriptum eſt de Ioas. [g] *Vidit* impia ſcilicet Athalia, *regem ſtantem ſuper tribunal iuxta morem, & cantores & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis.* Iuxta morem igitur ſedit Ioas in throno regio, ſedit & Salomon in throno Dauidico, quem mox in alium magnificentiſſimum commutauit. Porro hunc ritum magni momenti fuiſſe in hac regis initiatione ex alio loco [h] intelligi poteſt. Cum enim Dei iuſſu Iehu à Propheta in regem Iſraël eſſet inunctus, ſocii eius feſtinauerunt, & vnuſquiſque tollens pallium ſuum, poſuerunt ſub pedibus eius, in ſimilitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba atque dixerunt, *Regnauit Iehu*, qua de re plura Pined. [i] Illud non omittam ex c. 1. Heſter, vbi dicitur Aſſuerus ſediſſe in ſolio regni ſui, quando *Suſan ciuitas, regni eius exordium fuit.* Id eſt tunc primum cœpit poſſeſſionem Suſanitici regni, cum in Suſan ſedit in throno regni: quem tamen locum alii aliter explicant, vt ſuo loco dicetur.

Marginal: XLIII. Seſſio in throno regii.

Notes: g 4. Reg 11. 14. — h c. l. 4. Reg. c. 9. — i l. 2. c. 7. n. 2.

Diadema quoque, vel potius coronam regiam, quam ſibi Dauid ex manubiis Melchon, de qua ſupra diximus [k] fabricatus erat, capiti Salomonis impoſitam, ex ſimili Ioas coronatione ſatis colligitur. [l] Nam Ioiada pontifex *produxit filium regis, & poſuit ſuper eum diadema.* Nihil enim omiſſum videtur ad perfectam regis inaugurationem, hoc maxime tempore, quo vt ita dicam, altare con-

Marginal: LXIV. Diadema & corona.

Notes: k 2. Reg. 12. 30. & 1. Paral. 20. 2. — l Reg 11. 12.

tra altare, aut thronus contra thronum erigebatur. Vt autem ſoliū, & thronus regiū eſt inſigne, ita etiā diadema, & corona. Sed & ſceptrum in manu eius collocatum dicere poſſumus. Non enim noua fuit ſceptri inſtitutio. Iacob olim moriturus ait, *non auferetur ſceptrum de Iuda.* Eiuſque ſæpe meminit Dauid, ſub nomine virgæ & bacculi, etiam vbi de Salomone vt Chriſti figura, agit: vt Pſal. 44. [a] throno regio ſceptrum adiungit, *Sedes tua Deus, in ſeculum ſeculi, virga directionis, virga regni tui*, addit & gladium, *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.* Sed hæc minus perſpicua.

Sceptrum. *Gladius.* a verſ. 7.

XLV. *Fœdus à rege initum cum Deo.*

Illvd autem minime dubium, conſecratum, & coronatum Salomonem, ſolenne cum Deo, & populo iniſſe fœdus. Cum Deo quidem eius ſe legem obſeruaturum promittendo, aut etiam ſibi deſcribendo Deuteronomium [b] legis Moyſis, in cuius rei ſignum Ioas adhuc paruulus, datam ſibi in manu legem tenebat, cum conſecratus eſt Rex [c] ne quamuis ſuis ipſius legibus ſolutus ſit princeps, diuinis ſe teneri non recordetur. Quod præſtitum, quoque à Sadoc Sacerdote, & obſeruatum à Salomone, nemo iure dubitabit, qui vel Dauidis pietatem, & prouidentiam, vel Sadoci Sacerdotis ſui muneris ſcientiam, vel Nathanis prophetæ præſentiam cogitauerit.

b Deut 17. 18. c 2. Par. 23. 11. d Pined l. 2 c. 8.

XLVI. *Et cum populo.*

Cvm populo autem, quem magiſtratus; & optimates, & tribuum principes, qui tum forte Hieroſolymis adfuerunt, repreſentabant, æque affirmari poteſt Salomonem iniſſe etiam de more fœdus, ne quid in tota inauguratione deſideraretur, quod ab æmulis in crimen vocari poſſet, & arripi in ſeditionis materiam & argumentum. Rex eo fœdere, ſe populum cum omni iuſtitia, & moderatione gubernaturum ſpondebat; populus autem fidem ei, & obedientiam pollicebatur. Et hæc eſt lex regni, de qua recens rege creato Saule populum monuit Samuel, de qua magnus Gregorius ibidem. *Sciat rex quid à populo exquirat, ſciat populus quid exhibere regibus ſuis debeat.* Vtrumque hoc fœdus diſtincte memoratur in 4. Reg. [d] *Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dominum, & inter regem: & inter populum, vt eſſet populus Domini, & inter regem & populum*, ſed hoc vtrumque fœdus in ſecunda Salomonis vnctione apertius animaduertetur.

Lex Regni e ca. 11. v. 7.

XLVII. *Dauid benedicit, & ſalutat nouum regem.*

De prima vero hoc additur referente Ionatha. [e] *Et ingreſſi ſerui regis benedixerunt domino noſtro regi Dauid*, id nunc vocabulum addendum fuit, in hoc trium regum concurſu, *dicentes, Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum, & magnificet thronum eius ſuper thronum tuum.* Hæc fere dixerat Banaias apud Dauidem bene precando Salomoni. Pergit, *& adorauit rex in lectulo ſuo, & locutus eſt. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.* Magni beneficij loco ducebat, quod regnum in ſuis poſteris conſeruatum iri, non ſolum ſperabat, optabatque, vt cæteri reges, ſed ipſis etiam oculis ſuis cernebat regnantem illum, quem Deus elegerat, & ipſe animo deſtinarat. Cæterum hinc intelligitur thronum Salomonis eo loco excitatum fuiſſe, vt ex lectulo ſuo eum videret Dauid, & ſalutare poſſet.

f 3. Reg. 1. 47. & 48.

XLVIII. *Res geſta defertur ad Adoniam & ad ſocios.*

Cvm interim *totus populus* vt ait Ioſephus, *ad conuiuia, feſtiuitatemque animum aduertiſſet, choris & tibus ſeſe oblectans, vt præ concentu inſtrumentorum, terra ſimul & aër reſonnaret. Audiuit Adonias* inquit Scriptura, *& omnes qui inuitati fuerant ab eo. Iamque conuiuium finitum erat.* Errat ergo Ioſephus, qui conuiuium adhuc celebratum fingit. Ait enim *cumque nemo frueretur appoſitis, ſed omnes cogitabundi accumberent. Sed & Ioab* pergit Scriptura *audita voce tubæ ait, quid ſibi vult clamor ciuitatis tumultuantis?* malè ſibi conſcium pectus meritò mali aliquid ominabatur. Seditionem nimirum aliquam, aut reuera id quod erat: *negans ſibi placere, vel ſonitum illum, vel tubam*, vt ait Ioſephus. *Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar ſacerdotis venit, cui dixit Adonias, ingredere, quia vir fortis es:* melior eſſet ſacerdotis laus pietatis, quam fortitudinis: nec tamen ſignificat hunc Ionatham eſſe de fortibus Dauidis. Sed ea vox eſt blandientis ei, ſicut & quæ ſequitur blandientis ſibi, *& bona nuncians*: nimirum vti ſoles. *Nam qui amant ſibi ſomnia fingunt.* Reſponditque Ionathas Adoniæ, Nequaquam. Dominus enim noſter rex Dauid, *regem conſtituit Salomonem*, cæteraque pertexuit, quæ ſuo iam loco commemorata ſunt.

verſ 42.

LXIX. *Conturba*

Qvibvs auditis *territi ſunt, & ſurrexerunt omnes, qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnuſquiſque in viam ſuam.* Ioſephus ait in domum ſuam: abdituri ſe videlicet, &

verſ. 49.

quantum fieri poſſet, diſſimulaturi ſe iſtius coniurationis participes fuiſſe, aut affines. Eorum tamen præcipui, iam nominatim regi Salomoni, & Dauidi fuerant denunciati. Merito autem territi ſunt, vt qui manifeſto crimine tyrannidis affectatæ, & imminutæ maieſtatis rei tenerentur. Adonias autem, qui omnium maxime in culpa erat, videns ſe deſertum ab omnibus, *timens Salomonem* vt qui alioqui præ cæteris ſuſpectus erat, ne in Salomonem aliquid mali moliretur, vt aliquo artificio regnum occupare poſſet. *Surrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris.* Abiit vtique longius a periculo, & à monte Sion, in quo erat arca, in tabernaculo, quod ei tetenderat Dauid. Abiit ergo ad excelſum Gabaon, in quo erat tabernaculum Moyſis, & altare holocauſtorum, vt habetur, initio ſecundi Paral. [a] *& tenuit cornu altaris.* Immunitatis enim priuilegium altari maximè tribuebatur. Nec mirum eſt ſuſceptum hoc iter in tanto periculo ſuo, præſertim cum iter vix eſſet quatuor milliariorum, cum dimidio; iuxta Topographiam Adrich. [b] Si quis tamen in tabernaculum Dauidis confugiſſe dixerit, non admodum repugnabo: ita enim ſentit Abulenſ. [c] Vatabl. Torniel. & Sa. & fortaſſe eo non fugit, quo minime putabatur abiturus, vt prius eſſet in tuto, quam iuberetur comprehendi.

Quo iuerit.

a 2 Paral. 1. 3.

b in tri. Dã. n. 17.

c q. 41. in expol. textus.

L. *Quo veniã vtinet à Salomone.*

d 3. Reg. 1. 51.

ET *nunciauerunt* [d] aliqui, ab Adonia miſſi, *Salomoni dicentes. Ecce Adonias timens regem Salomonem tenuit cornu altaris dicens. Iuret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat ſeruum ſuum gladio.* Humilis oratio, & idonea veniæ inpetrandæ. Nam non appellat fratrem; ſed regem agnoſcit, ac profitetur æmulum ſuum; & ſe ipſe omni iure abdicat: & qui proximè audierat, *viuat rex Adonias*, nunc ſeruum ſe nominat, & culpa agnita veniam petit. Nec ſe difficilem Salomon præbet, ſtatim enim, *ſi fuerit vir bonus inquit, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram; ſin autem* in poſterũ videlicet, *malum inuentum fuerit in eo, morietur.* Nõ ait examinatum iri cauſam eius, & prout iuſtus, vel iniuſtus inuentus fuerit, ita innoxium, vel obnoxium pœnæ fore. Sed præteritorum obliuionem pollicetur, & ſimul ab ambitione, ſub mortis interminatione deterret. Ex quo perſpicuè oſtendit, ſe regia iam authoritate pollere. *Miſit ergo Rex Salomon, & eduxit eum ab altari. Et ingreſſus adorauit regem Salomonem.* Dixitque ei Salomon, *vade in domum tuam*, qua voce non ablegat eum ab aula. Sic enim non plane ignoſceret culpam priorem, ſed ei ſecuritatem in domo ſua pollicetur. Quæ indulgentia cæteros confirmauit, ne in tabernaculum ſibi confugendum putarent.

LI. *Salomon ſtudioſus ſapientiæ.*

DISSIPATA hac nube, quæ orientem nouum ſolem obtenebrare conabatur, Salomon, qui vna cum ſacra vnctione, & ſacerdotis, ac Prophetæ oſculo, diuinæ ſapientiæ amorem vehementiorem hauſerat, eius deſiderio accendi cœpit, & implere illud, Sap. 7. *optaui, & datus eſt mihi ſenſus. & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & prepoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi, in comparatione illius, &c.* Et rurſus in eius perſona, idem ſapiens [e] *Circuibam quærens, vt mihi illam aſſumerem*, vbi videtur alludere ad procorum curas, & ſolicitudines, pro adamatæ virginis nuptijs, qui dies noctes que fores illius obſident, parentes, amicos, cognatos illius ingenti ſtudio adeunt, ſuos quoque ſibi authores, & patronos fieri nuptiarum elaborant; riuales antelucana diligentia, muneribus, precibus, promiſſis, honore, demonſtratione eximiæ cuiuſdam beneuolentiæ anteuertere, & ſupplantare ſtudent; quia amatores facti ſunt formæ illius; Quæ omnia in ſtudio ſapientiæ à Salomone facta, idem Sapiens apertè demonſtrat; ea ſtudioſus ſapientiæ lector ſine multa circuitione quæret, & inuenta ad proprium vſum aſſumet ſibi, vide Pinedam, [f] qui plurima habet in hanc ſententiam.

e Sap. 8. 18.

f l. 3. c. 3.

LII. *Quando eam obtinuerit.*

ETSI autem hoc ipſo anno videri poſſit Salomon, non ſolum poſtulaſſe, & ambiuiſſe, ſed etiam obtinuiſſe ſapientiam, viuente ſcilicet adhuc Dauide; quippe qui ei moribundus dicat. [g] *vir ſapiens es, vt ſcias, quæ facies ei*, & paulo ante, *facies ergo iuxta ſapientiam tuam &c.* Series tamen narrationis ſcripturæ, ab hac aſſertione vehementer abhorret: & communis eſt interpretum ſententia, ſapientiam Salomonis, paulo poſt mortem parentis, in illa viſione collatam: cum immolauit in Gabaon ſolenne ſacrificium: quod peractũ poſt mortem patris, ſatis illa innuũt, quæ à ſcriptura ante narrantur, quale eſt illud. [h] *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid patris ſui*, vtique iam mortui: eius enim mortem iam ſu-

g 3. Reg. 2. 9.

h 3. Reg. 3. 3.

periore capite expoſuerat. Sic etiam 1. Paral. extremo Dauidis mors in ſenectute bona memoratur. Deinde autem lib. ſeq. confirmato regno Salomonis, recitatur ſacrificium illud, & donum diuinæ ſapientiæ, quem narrandi ordinem Ioſephus [a] quoque ſecutus eſt. Illa vero ſapientia, quam in filio tum agnouit, ac prædicauit parens, ſapientia naturalis erat, & acquiſita, tam ſua, quam Nathanis præceptoris accuratiſſima diligentia, qua factum erat, vt ſupra ætatem rerum gerendarum prudentia valeret. a 18. c. 2.

At Diuus Hieronymus initio epiſtolæ 131 ad Rufinum, [b] ait iudicium de duabus mulierculis à puero annorum duodecim celebratum fuiſſe, quod etiam tributur ſancto Ignatio ad Magneſ. qui tamen huius iudicii non meminit, ſed innuit tantum ſapientiam illi anno duodecimo contigiſſe; quod de naturali, & acquiſita recte intelligi poteſt. Erat enim eximie fictus à Deo ad ſapientiam *puer ingenioſus*, vt ait Scriptura, [c] *ſortitus animam bonam*: ab eo, qui ſæpe naturalia dona attemperat proportione ſupernaturalium, quæ ſuo tempore ſtatuit elargiri, vt de diuo Auguſtino, Bernardo, aliiſque ſanctis legimus, & in Scriptura de Daniele, & ſociis eius, de Samuele, de Ieremia, & Ioſia rege, quæ fere exempla eodem loco retulit S. Ign. Quibus addi poſſunt Onias & Eleazar qui à Scritura, celebrantur, [d] quaſi à prima pueritia pleni ſapientia, & virtute. Addatur & Ioas Ochoſiæ filius, qui ſeptennis admotus eſt regni gubernaculis, & à Ioiada Pontifice inſtitutus, ſapientiam præmaturam oſtendit: quod de Ioſepho etiam Patriarcha, à patre dilecto præ cæteris in pueritia ſua, facile æſtimari poteſt. Cæterum Diuus Hieronymus id ex vulgi, aut Rabinorum opinione hauſtum protulit, nec examinare voluit, interpretatione myſtica iudicii illius contentus, quam tota illa epiſtola perſequitur. Eademque eſt ratio initi eo anno regni, vel filii geniti præcedenti, qua de re ſatis multa ſuperius. [e]

LIII. *Quando eã obtinuerit.* — b t. 3. — Sap 8. 19. — d 2 Mach. 6 15. & 15 11. — e No. 7. & ſeqq.

Hoc anno indicta ſunt à Dauide comitia vniuerſi regni, ad plane ſtabiliendum regnum Salomonis. Etſi enim populi ſuffragiis non egeret Hebræorum rex, ad legitime imperandum: Expediebat tamen à regni optimatibus approbari, eique debitam adorationem, & iuſiurandum obſequii, & fidelitatis, in publico conuentu offerri, vt tanto in fide ſtabiliores eſſent, & obſequium eorum liberalius, & promptius. At quid cauſæ eſt, inquies, cur non conuocentur comitia à nouo rege Salomone, ſed à Dauide? [f] id enim fuiſſet, vel maxime declarare eũ regem factum eſſe, & Rempub. adminiſtrare. Verum ſuauius ad beneuolentiam, & tutius ad ſchiſma quodpiam vitandum fuit, vt Salomon in ſua cauſa comitia non indiceret, & id populo ſemel tribui videretur, vt is, antequam publice regem ageret, à populo vniuerſo pro rege agnoſceretur, eique legitimum obſequium deferretur.

LIV. *Comitia indicta ad ſtabiliendum regem.* — f 1. Par. 23 1. 28. & 28

Regem porro Hebraici populi ab eius ſuffragiis minime pendere, fuſius docet Pineda, [g] ſed id mihi ſatis ex eo probari videtur quod Salomon iam hoc anno, ante vllum populi conuentum, vllumue ſuffragium; ſola Dei, & Dauidis voluntate Rex conſtitutus, & conſecratus, regem, ac ſupremum iudicem egerit, in grauiſſima cauſa fratris ſui Adoniæ; patris ſui, in re tanta, ſentẽtia minime requiſita, vel expectata. Etſi minime dubitandum videatur, quin priuatim conſilium eius expetierit. Illa enim prioris culpæ liberalis condonatio, Dauidicam manſuetudinem, & in ſuos indulgentiſſimam beneuolentiam ſapit: qui cum Adoniam non corripuerit aliquando, licet non exiguæ vanitatis, ac temeritatis reum, multo eum minus morte affici paſſus ſit; qui ne Abſalonem quidem, poſt multa grauiora facinora, voluerit interfici, & ob eius cædem grauiſſima ſe iniuria à Ioabo affectum ſenſerit.

LV. *Etſi rex ab yſnon pẽderet.* — g l. 2. c. 2.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. I.

1. N.XXXI NOtauit Pined. l.2. de Salo. c.10. n.4. à quo tota hæc Salomonis inauguratio fuſiſſime toto libro explicatur: ex quo etiam nonnulla libabimus, ſicut ipſe noſque de more a Toſtato.

2. N.xxxix. Hoc porro oleum, vt ibidem ſcribit Pined. l.2. c.6. n. 2. fuit vnguentū illud de quo legimus Exod. 30.23. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ, & electæ quingentos ſiclos*, id eſt quadraginta & vnam libram cum $\frac{1}{3}$ aſſignatis 12 vnciis, ſiue 24 ſiclis cuilibet libræ, *& cinnamomi ducentos quinquaginta ſiclos*, id eſt 20 libras & $\frac{5}{6}$ *Caſiæ autem quingentos ſiclos, olei de oliuetis menſuram hin*, id eſt, 12 ſextarios, vt explicat Villal. t.3. l.3. c.14. *Facieſque vnctionis oleum ſanctum, vnguētum compoſitum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum teſtimonij, & arcam teſtamenti.* & infra, *Aaron & filios eius vnges, ſanctificabiſq; eos, vt ſacerdotio fungantur mihi.* Ex quo intelligitur in magna copia fuiſſe iſtud vnguentum. Omnis enim tunc ſupellex tabernaculi conſecranda erat. Deinceps autem ad nouos pontifices, & ſacerdotes, & nouam templi ſupellectilē conſecrandam idem vnguentum renouabatur. Ne quis cum Rabbinis putet illud fuiſſe inconſumptibile. Vide Pinedam l.2. c. 6. n.4. Secundo oleum dici, quia eo tanquam baſi, & fundamento, & parte primaria, reliqua aromata innitebantur, & immiſcebantur. Tertiò eo tam res, quam perſonas ſacras inungi, & ſanctificari. Quarto, prohiberi ne ad vſus prophanos tale vnguentum, aut fieret, aut vſurparetur. Subditur enim, *homo quicūque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno*, id eſt, non ſacerdoti, ſiue perſonæ non ſacræ, *exterminabitur de populo ſuo;* Cum autem Regum conſecratio ſacra in primis cenſeri debeat, & ij vt Dei vicarij in temporalibus, ſanctificentur, nequaquam contra Dei legem iſtiuſmodi vnctio potuit æſtimari, prꝗſertim cum accederet Dei mandatum ſuper regum inunctione. Saulis 1.Reg. cap. 9. 16. cap. 10. 1. ca. 15.1. Dauidis l.1 Regum, cap.16.1.3.12. & l. 2. Reg. 12.7. vbi propterea ipſe ſibi Dominus Dauidis vnctionem tribuit, *Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael.* Hazaëlis regis Syriæ 3. Reg. ca. 19.15. & ibidem Iehu regis Iſraelis, & Elizæi Prophetæ.

Conuiuium porro regiæ conſecrationis licet nullum in textu memoretur, ſi quis tamen de eo dubitare velit, verendum eſt ei, ne meritò audiat, *adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Id enim tam regum aliorum conſecratio l. 1. Reg. 11. & 16. & ipſius Adoniæ obſeruatio, quam ratio ipſa docet. Vide pluribus Pined. l.2. c.9. 3. N.LXVIII

ANNVS MVNDI 3021. DILVVII 1365. QVINTÆ ÆTATIS 82. EXITVS AB ÆGYPTO 478. ARCÆ IN SIONE 32. SALOMONIS 2. ABIATH. PONT. VLT. SADOCI 1. TROIÆ EXCISÆ 150. EVPALIS 31. IMPERII ASSYRIORVM. 1090.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1032.

DVABVS rebus maxime inſignis eſt hic annus, generalib. totius regni comitiis, & teſtamento, morte, ac funere Dauidis. Sed comitia ex 1. Par. c.23. & ſeqq. repetenda ſunt, cætera ex c.2.3 Reg. Nam hæc comitia poſteriora eſſe prima inauguratione Salomonis, ex eo loco perſpicuum eſt, vbi primum conuocata narrantur. Sic enim ibi legimus. [a] *Igitur Dauid ſenex & plenus dierū regem conſtituit Salomonē filium ſuum ſuper Iſrael. Et congregauit omnes principes Iſrael & Sacerdotes atque Leuitas*, ad eum nimirum communi ſuffragio confirmandū, [b] ſi quid forte deinceps Adonias turbare pergeret. Facta vero ac celebrata fuiſſe hęc comitia hoc anno 2. Salomonis ex eo perſpicuū eſt, quod tempus ſatis amplum, ac laxum dandum fuit, intra quod cōmode conuenire poſſent, vt ait Scriptura, [c] *Omnes principes Iſrael, duces tribuum, & præpoſiti turmarum, qui miniſtrabant regi. Tribuni quoque & Centuriones, & qui præerant ſubſtantiæ & poſſeſſionibus regis; filii quoque eius cum Eunuchis, & potentibus, & robuſtiſſimis quibuſque in exercitu Ieruſalem*, nominatimque Sacerdotes & Leuitæ

I. Res anni huius.

Comitia regni.

a 1. Par. 23.1

b ſupr. ann. Salom. 1. n. 54. 55.

c 1. Par. 28.1

COGENDORVM porro comitiorū tot erant cauſæ, quot in iis negotia confecta cernimus. Primum ergo maximūq; negotium fuit regnum conſtabilire Salomoni, quod illi Adonias præcipere tentarat. Alterum regi coram vniuerſo principū cœtu, tam Leuiticæ tribus, quā cæterorum, templi conſtructionem mandare, vel vt is mandatū vehementius apprehēderet, vel vt ſi Dauide mortuo ille hoc opus negligeret, poſſet à principibus, qui iuſſioni interfuerāt, admoneri officij ſui. Tertiū fuit hortari omnes hoſce viros primarios, ac maiores natu qui cōueniſſent, ad tēpli fabricam liberaliter promouendā, propoſito exēplo ſuo. quartū conſtituere

II. Quibus de cauſis coacta.

ordines ac vices Leuitarũ & Sacerdotum, vt ſine confuſione ſuis quiq; munerib. præficerentur, ſuis item locis, ac temporibus in templo deſeruirent; interim autẽ eius conſtructionem omni ope atque opera promouerent. Ideoque dicebat Salomoni Dauid. [a] *Ecce diuiſiones Sacerdotum & Leuitarum in omne miniſterium domus Domini aſsiſtunt tibi, & parati ſunt, & nouerunt tam principes quam populus facere omnia mandata tua.* Quintum totam ſuam recẽſere militiam duodecim turmarum præfectis ſubiectam, ſi quid addendum, mutandumque videretur. Voluit deniq; Dauid regiæ domus adminiſtros tũ amplificare, tum etiã accurratius ordinare; ac ſupplere ſi quid deeſſet, vt & ſe viuo in palatio ſuo, ac tabernaculo, & ſe mortuo in regia Salomonis, & in templo Domini inſeruire poſſent. — a 1. Par. 28. 21.

III. *Quando & vbi.* Omnia porro hæc ad hunc annum pertinere, eoque fuiſſe Dauidis in primis ac Salomonis autoritate confecta, ex iis perſpicue intelligi poteſt quæ trigeſimo nono Dauidis anno diſſeruimus. [b] Regiæ itaque literæ Dauidis, is enim hæc comitia indixit, vt paulo ante dicebamus, [c] & negotiorum ipſorum magnitudo, atque nouitas, tribus omnes ad condictam diem Hieroſolymam frequentes acciuit; Hieroſolymam inquam. [d] Nam neque alterius cuiuſpiam loci fit mentio, neque vllus erat accommodatior vrbe regia, quæ omnibus vrbibus amplitudine, diuitiis, pulchritudine, amœnitate, omniumque rerum commoditate præſtabat. Neque Dauid qui erat Hieroſolymis profectus quoquam ad conuentum iſtum dicitur: neque vero per valetudinem ſatis idoneus erat ad profectionem, qui vix lectulo conſurgeret, etiam ad nouum regem ſalutandum. [e] Non enim ſurrexit, ſed *adorauit in lectulo ſuo* Deũ & regem. Quanquã rationi conſentaneum eſt, & poſtmodum vires Dauidi paulo firmiores diuinitus ſuffectas, ad hanc vltimam regni ſui clauſulam fœliciter exequendã. præterquã quod magnitudo animi in ipſis rerum difficultatibus non ſolum creſcit, vt ait Bernardus, ſed in corpus etiam redundat. *Vim ſuſcitat ira*, inquit poëta, quidni & neceſſitas? — b nu. 6. 7. & 8. an Salo. c n 54. d 1 Paral. 28. 1. — e 3. Reg. 1. 48.

IV. *Qui in eis fuerint.* Vt autem paulo diſtinctius, qui ad hæc comitia conuocati fuerint diſpiciamus. Primo loco vniuersè numerantur [f] Sacerdotes, ac Leuitæ; de quibus cum pluribus agendum eſſet, in eo catalogo recenſendo Scriptura quodammodo ſubſtitit, donec decurſis quæ ad eos pertinent, eundem catalogum cap. 28. iterauit, atque pertexuit, vti primi ponuntur duces tribuum, qui capite 27. numerantur, [g] & recens vel inſtituti, vel potius confirmati fuerant à Dauide. Quorum Eliezer præerat Rubenitis, Saphatias Simeonitis, & ita de cæteris. Iſti enim erant primarii gubernatores prouinciarum, in quos regia poteſtas immediate deſcendebat, & ordine natiuitatis recenſentur. Interquos peculiari honore videtur affecta Leuitarũ tribus, vt quæ duobus ducibus fulgeret, Sadoco, qui præerat Aaronitis, qui ſoli ſacerdotes erant, & Haſabia, qui cæteris leuitis dux erat: tribus tamen Manaſſe quæ locis diuiſa erat, duos quoque duces habuit. Iudaicæ vero tribus dux erat Eliu, qui alibi vocatur Eliab Dauidis frater primogenitus. [h] Ex quo colligit Abul. [i] in conſtituendis hiſce ducibus tribuũ habitã rationẽ primogenituræ, idq; etiam in Aaronitis perſpicuũ eſt cũ Sadoc, qui ex Eleazaro deſcẽdebat, prælatus fuerit Abiath. pontifici, qui ex Ithamare erat oriũdus. — *I. Duces tribuum.* — f 1. Par. 23. 2. — g 1. Paral. 27. 16. — h 1 reg. 16. 6 & c 17. 13. i q 11. in c 27. 1 Paral.

V. *2. Præpoſiti turmarum.* Secundo conuocati ſunt præpoſiti turmarum; illi videlicet duodecim præpoſiti, quorum ſinguli 24. millibus militum præerant, qui ſuo quiſque menſe recenſentur ſinguli ab initio capitis 27. Quorum primus & princeps cunctorum principum fuit Ieſbaam, Secundus Dudia, cui vt apparet, defuncto, videtur ſuffectus Macelloth, idque ſignificat illud *poſt* in hoc & in Azaele tantum, & Achitophele vſurpatum, tertius Banaias qui priori conſecrationi Salomonis operam nauarat, cuius loco vicariam præfecturam gerebat filius eius Amizadab. Quartus Azahel, cui ſine dubio iampridem defuncto, ſuffectus erat Zabadias filius eius, & cæteri deinceps, de quibus nihil neceſſe eſt pluribus agere. De ſingulis enim turmis diſſeruimus diligentius primo anno regni Dauidis. Eas Septuag. *διαιρέσεις*, ſiue diuiſiones vocant, ſicut & Hebræi; diuiſione ſumpta pro parte diuiſi populi, ſeu potius exercitus, cui parti potius turmę nomẽ, quod eſt militare vocabulum, quam diuiſionis cõuenit. Hi autẽ turmarũ præpoſiti nõ primogenitura, vt duces tribuum, ſed ex regis arbitrio, viros egregios honorantis pendebãt. — k n. 3 ad 12

VI. *3. Tribuni.* Tertio cõuenerunt Tribuni, qui millenis militibus præerant, vt olim Dauid

a 1. Re. 18. 13

Dauid cum [a] *amouit eum Saul à ſe, & fecit eum tribunum ſuper mille viros*; ſicque viginti quatuor in quauis turma cenſebatur. Quarto Centuriones, qui vt deni tribunis ſuberant, ita binis quinquagenariis, & decem Decanis præpoſiti erant, qui iam olim in Hebræorũ Repu. à Moyſe, [b] ex conſilio Iethro ſoceri eius fuerãt inſtituti. De quibus vide quæ diximus anno primo exitus ab Ægypto, [c] qui tamen ad iudicia potius, quam ad militiam pertinebant. Quinto euocati ſunt qui præerant ſubſtantiæ & poſſeſſionibus regis, quos diceremus, *les threſoriers du domaine du Roy*. Quorum alii præerant immobilibus bonis, quæ poſſeſſionum nomine continentur, puta vineis, ficetis, oliuetis, &c. Alij autem mobilibus, vt gregibus, & armentis, & pecuniis, &c. qui ſigillatim cap. 27. numerantur, numero tredecim. Eorum primus fuit Azmoth filius Adiel, [d] qui præfuit vrbanis theſauris regis, qui erant Hieroſolymis. *Alijs autem theſauris, qui erant in aliis vrbibus, & in vicis, & in turribus præſidebat* Ionathan *filius Oziæ*. Alij præerant operi ruſtico, de quibus diximus aliquid anno 1. Dauidis. [e]

4. Centuriones, &c.

b Exod. 18.

c n. 739. 740 & ſeqq.

5. Quæſtores.

d 1. Par. 27. 25.

e n. 12. & ſe. vide Abul. q. 18 in ca. 27. 1 Par.

VII. 6. Filii regis.

Sexto affuerunt filii regis. Neque enim fas erat tractari grauia regni negotia, & ab eorum cognitione, & cura excludi eos, qui ſecundum regem principes erãt in regno. Nec minus ad hos Dauidis adhortationes, quam ad reliquos principes pertinebant, vt Dei cultum in populo, ac miniſtris eius tutarentur, ac promouerent, Salomonẽ adiuuarent in ædificando tẽplo, pacificeque regnando; & omnino in noua Salomonis inauguratione conſenſum ſuum, ac ſuffragium præſtarent, quoniam ipſi præ cæteris ius habebant ad regnum. In iis fuiſſe Adoniam non immerito putat Pineda; [f] id enim valuit ad fidem faciendam de ſuo erga regem Salomonem ſtudio, & obſequendi voluntate, & ad eius ambitum iuſtius poſtea coarguendum, ſi regi moliretur inſidias, quem ipſe quoque in throno regio collocaſſet. Eum autem vt primogenitum, facile reliqui filij regis, qui eum in ſeditione ſecuti fuerant, in debito etiam legitimi regis obſequio ſunt ſecuti. Præſertim cum ſecundum Adoniam Salomon primogenitus haberetur; licet non primus inter filios Bethſabææ numeretur, qua de re alio loco [g] diſſeruimus, Cheliabum autem iam defunctum putamus, vt non ſemel diximus. [h] Alioqui enim nullam omnino cauſam prætexere potuiſſet Adonias ambiendi regni; non diuinam electionem, non ius primogenituræ, non voluntatem patris. Itaque nullum facile inueniſſet ſtudentem ſibi, & regnandi cupiditati obſecundantem, qui tamen plurimos inuenit.

& nominatim Adonias.

f l. 2. c. 11. n. 2.

g an. Dau. 40 ſcho. 2. & Salom. 1 n. 14

h Vid. Abu q. 15. in c. 1 3 Reg.

VIII. 7. Eunuchi.

Septimo numerantur Eunuchi. Sed quinam iſti qui filiis Dauidis adiunguntur, natu iam præſertim grandioribus? *Quæri poteſt*, ait Hieron. in trad. in hunc locum, *cur hi eunuchi ad tam grande conſilium vocati eſſe dicantur, cum Iſraelitas abſcindi lex prohiberet*, [i] ac ne in brutis quidem id permitteret, *& alienigenæ non facile poſſent admitti ad tam grande conſilium. Tradunt Hebræi hoc loco eos vocari Eunuchos, qui ab omnibus actibus ſeculi alieni, orationi tantum & lectioni vacabant*; quomodo ergo comitiis interfuerunt, in quibus ſeculi maxima negotia tractabantur? pergunt. *Et vxores non cauſa libidinis, ſed ſuſcipiendæ prolis gratia habebant; quos* Ioſephus, *ſecundum eorum hæreſim Eſſenos vocat*. Hæc ibi. Mirum ſane eſſet niſi Hebræi ſemper aliquid nugarentur. Num cæteri omnes libidinis cauſa vxores habebant, vt ea re iſti eunuchi ab eis diſtinguerentur? Nihil tamen finxit D. Hieron. nam Ioſephus [k] eadem memoriæ tradidit, vt ſeorſim dicemus. I

i Deut. 23. 1 & Leuit. 22 24.

Eſſeni.

k l. 2. de bel c. 7. 2. ος.

IX. Quinam illi eſſent.

Crediderim autem hoc loco non alios intelligi, vocarique eunuchos, quã cubicularios; viros nobiles, ſpectata fide, ac probitate, principũ cubiculis præpoſitos, qui & cubicularij aliquando vocantur, [l] qualis fuit apud Pharaonem Putiphar magiſter militiæ, [m] & ille piſtorum præpoſitus, ac pincerna regis; qualis apud Achabum Eunuchus [n] qui Michæam prophetam iuſſus eſt euocare, & ille alter apud Ioramum eius filium, qui curauit reſtitui bona viduæ, [o] & filio eius quem ſuſcitauerat Eliſæus, & qui Iezabelem iuſſu Iehu è feneſtra præcipitarunt in vicum, & alibi paſſim. Cui expoſitioni etiam notatio nominis fauet; communicatum eſt autem apud antiquos omnibus cubiculariis id nomen, quòd primum illuſtrium matronarum cubicularii eſſent euirati. Nam filii Dauidis ea iam ætate erant, vt pædagogos vltra non requirerent.

l Iudith. 12. 6. & 14. 11.

m Gen 37. 36. & c 39. 1. c. 40. 1.

n 3. Re. 22. 9.

o 4. Reg. 8. 6. & 9. 32.

X. 8. *fortes Dauidis.*

Vocati denique dicuntur potentes, & robuſtiſſimi quique in exercitu. Nomine potentium intelligere poſſumus cum Toſtato, fortes Dauidis, quos ſupra memorauimus, [a] anno eius trigeſimo octauo, eodem enim nomine vtrobique in hebræo nominantur. Per robuſtiſſimos autem in exercitu Ieruſalem, quidam intelligi volunt Cerethæos & Phelethæos, qui perpetuo erãt Hieroſolymis, vtpote cuſtodes ordinarii regii corporis: ſiue Romana nomenclatura, milites prætoriani; cum alii vno tantum menſe in ciuitate regia verſarentur. Itaque locum videntur Septuaginta intellexiſſe, qui habent τοὺς μαχητὰς τῆς στρατιᾶς ἐν ἱερουσαλήμ. *&* *bellatores militiæ in Hieruſalem*, ſiue militiæ Hieroſolymitanæ. At rectius eſt, & hebræo congruentius, vt illud *in Ieruſalem* ſit quartus caſus, & referatur ad verbum *conuocauit*. vt explicetur locus, in quo habita ſunt comitia, quæ eſt expoſitio Vatabli, Emanuelis Sa, & ante vtrumque Abulenſ. [b] Sicque videntur exponendi textus græcus & latinus. Cum his etiam infinita multitudo plebis, & ſine nomine vulgus affuit, vt ex capite 28. & 29. liquet.

a an 38 n. 6 & ſeqq.

b in expoſ. text. vide ſupra n. 3.

XI. *Dauidis oratio in comitiis.*

Congregatis omnibus conſurrexit Dauid, docuitque accuratius quod per literas ſtrictius ſignificarat, quibus de cauſis hæc comitia conuocaſſet, iuxta ea quæ paulo ante dicebamus; [c] flagraſſe quidem ſe, ante annos ferme triginta, cum arcam Domini ex colle Cariatharim in Sionis arcem, multa cum celebritate transtuliſſet, flagraſſe inquam ſe incenſa quadam cupiditate excitandi Domino tẽplum, [d] quod pro humanarum virium infirmitate, ſupremo illi numini, atq; infinitæ maieſtati, quoque modo magnificentia reſponderet: quod Hebræo primùm populo, deinde vniuerſis late nationibus viſendum, atque admirabile videretur. Hoc deſiderium, inquit, cum ad Nathanen prophetam familiariter retuliſſem, exiſtimauit ille quidem iniectam mihi diuinitus eam mentem, vt exiſtimarem minime decere habitare me in domo cedrina, cum interim arca Dei poſita eſſet in medio pellium. Itaque mihi vehementer author fuit, diuino vt putabat numine conſentiente; vt operi deſtinato, quod in maximam Dei gloriam redundaret, primo quoque tempore admouerem manum.

c Num 2.

d 1 Par. 28. 2. &c.

XII. *De ædificando templo.*

Ecce autem proxima nocte [e] factum eſt verbum Domini ad eundem ipſum Prophetam Nathan, quod iuſſus eſt ad me referre, per ſibi quidem gratum fuiſſe perque iucundum, [f] quod de ſua gloria cultuque ſollicitus, hanc cogitationem ſuſcepiſſem, & eam quidem ſe ſempiterna mercede regiæ ſobolis muneraturum: id tamen negotium ſe filio, quem adhuc geniturus eſſem, reſeruare; qui in multa pace rem publicam adminiſtrans, quam ego perpetuis bellorum motibus, domi foriſque impeditam habuiſſem, totum ſe operi præclariſſimo, pro data ſibi diuinitus ſapientia, dedere, ac dicare poſſet. Dixit itaque mihi: [g] *Salomon filius tuus* (eum enim ex omni numero filiorum meorum elegit, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſraël) *ædificabit domum meam, & atria mea*, iuxta deſcriptionem omnem quam dedi tibi: *ipſum enim elegi mihi filium, & ego ei ero in patrem*, ſingularibus eum cumulando beneficiis, & eximia beneuolentia, vt chariſſimum filium, complectendo. *Et firmabo regno eius vſque in æternum, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea, & iudicia, ſicut & hodie.* 2

e 2. Reg. 7. 4.

f 3. Reg. 8. 18

Peræ̃lectum diuinitus. Salomonem

g 1. Par. 28. 5. 6.

2. ℞.

XIII. *De diſtribuendis ſacerdotibus & Leuitis*

His ita præmiſſis, priuſquam de templo, filioque ſuo ad illud conſtruendum electo, vlterius ageret: ait ſibi de perſonis, quæ in eo diuino cultui vacaturæ eſſent, & ædificationem omnem, cum tota ipſius ſuppellectile promoturæ, agendum videri, ſacerdotibus videlicet ac Leuitis. Quorum miniſteria duobus hactenus diſtincta locis (alii enim ad arcam in Sione, alii in tabernaculo Gabaone miniſtrabant) cum non ſatis diſtincta fuiſſent; nunc accuratius ordinanda videbantur, & accommodate ad eum vnum locum, ad quem omnes erant applicandi; diſtribuenda. Sed & temporum diſtinctio facienda videbatur, quibus quiq; templi functionibus inſeruirent; ne re vniuſcuiuſque deuotioni permiſſa, modo nimium multi, modo pauciores quam par eſſet diuinis vacarent officiis, & in terminiſtrandũ alii alios turbarent, ſeſeque mutuo non tam decore iuuarent, quam odioſe colliderent. Ergo officiis diſtinguendos eſſe, certaſque in claſſes coniiciendos, vt per vices inſeruiant, tempore conſtituto, & eo expleto ſuccedant alii, donec in orbem vniuerſi, ſine vlla confuſione ac perturbatione, ſed cum populi ædificatione Deo famulentur.

XIV. *Leuitæ numerantur.*

Reqvirebant autem hæ claſſes, atque officia, quo plures illis, pauciores'ue addicerentur, certo vt numero comprehenderentur omnes. Itaq́, numerati ſunt [a] omnes Leuitę ſepoſitis interim Aaronitis ſacerdotibus [b] ab eo qui natus erat 30. annos & ſupra, iuxta antiquam rationem cenſendi Leuitas, quæ habetur in 4. Nu. [c] *& inuenta ſunt 38 millia virorum. Ex his electi ſunt & diſtributi in miniſterium domus Domini vigintiquatuor millia:* ea miniſteria erant multiplicia, propterea que generali nomine continentur, & non peculiari, vt ianitorum, cantorum, &c. Exiſtimauit Ioſephus conſentaneè græco & hebræo textui [d] hæc 24 millia curando tẽplo fuiſſe deſtinata. *Ex quibus*, inquit, *deſignauit curatores ædificii templi, ter mille ſupra 20 millia*, lege 4 *mille*. In græco enim leges πετραμοχλῶν, num Dauid Leuitas conſtituerit tanto numero ad vrgendum annis aliquot ædificium, & non potius perpetuum eorũ officium deſtinarit, non circa latomos, ſed circa ſacerdotes, *in cultum domus Domini*, non in conſtructionem: ſicq; accipiendum videtur in græco & hebræo *opus domus Domini*. Accedit quod longe alius reperitur numerus præpoſitorum iſtorum, ſiue vrgentium opus templi. Nam in 3. Reg. [e] poſt recenſita 70 millia eorum, qui onera portabant, & 8 millia latomorũ in monte additur, *Abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus numero trium millium, & trecentorum præcipientium populo, & his qui faciebant opus.* Sed hæc conciliari facile poſſunt, ſi dixerimus, Leuitas iſtos, dum templum extrueretur, curam accepiſſe vrgendi operis, eo autem abſoluto, circa templi cultum fuiſſe occupatos. Et in illis præpoſitorum tribus millibus & trecentis, multos viciſſim Leuitas contineri.

quadripertito diuiduntur.

a 1. Par. 23. 3.
b Abul. q. 11 in c. 23.
c v. 3. & 23.
d l. 7. c. 11.
e c. 5. v. 15.

XV. *Quod eſſet miniſteriũ Leuitarum in templo.*

Lyranvs, Dion. Caiet. hæc miniſteria, quæ à Leuitis impendebantur ſacerdotibus conſtituũt in excoriandis, & lauandis hoſtiis, cæteriſque id genus functionibus: non tamen recte. Nam vt docet Abulenſis, [f] hæc miniſteria ſacerdotum erant, nec ea Leuitis, niſi ex neceſſitate, & cum priuilegio committebantur, vt tempore Ezechiæ, de quo legitur, [g] *Sacerdotes vero pauci erant; nec poterant ſufficere, vt pelles holocauſtorum detraherent: vnde & Leuitæ fratres eorum adiuuerunt eos, donec impleretur opus.* Non ergo ex officio ordinario, de quo agimus, iſti operi vacabant, ſed extra ordinem, & ex accidente. Ergo cum omnium Leuitarum erat obedire ſacerdotibus, & vt paulo poſt habetur, eſſe *ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini*, tum iſtorum maxime erat adeſſe multipliciter ſacerdotibus, circa ſacrificia. Hoſtias enim ipſi admittebant, lauabant, deducebant ad ſacerdotes: ipſi libamenta ſacrificiorum farinam, oleum, vinum, ſal, & thus præparabant; prouidebant vt ne ligna ad altaris holocauſtorum vſum, ne aquæ ad crebras ablutiones deeſſent, cui labori addicti erant poſteri Gabaonitarum, [h] Et iſtis Leuitis reſpondent, nunc Diaconi, Subdiaconi, & Acolyti, vt placet Magiſtro ſent. [i] & Abulenſi.

f q. 12. in c. 23. 1. Par.
g l. 2. Par. c. 29. v. 34.
h Ioſ. 9. 23.
i Vid. diſt. 21. cap. Cleros & diſt. 25 cap. Perlectus.

XVI. *Qui iudices Leuitæ.*

Fvervnt ſecundo loco in Leuitis, præpoſitorum, & iudicum ſex millia, Ioſephus κριταὶ vocat & γραμματεῖς, ſicut & Septuaginta. Vnum & idem officiũ duobus nominibus ſignificatur altero dignitatis, altero officij iudicandi. [k] De quibus cum cæteris fere interpretibus ſentio, fuiſſe eos ſacerdotũ ſocios in minoribus cauſis diiudicandis in vniuerſo regno. Et à principio quidem cum lata eſt lex, Moyſes omnes cauſas laborioſiſſime diiudicabat, [l] donec additi ſunt ei adiutores ſeptuaginta; & ſicut in eo officio Moyſi ſucceſſerat pontifex, ita eius adiutoribus ſucceſſerant ſeptuaginta viri, ex quibus magnum quod dicebatur concilium conflatum erat; cuius erat ſumma poteſtas, ſedes autem Hieroſolymis. In reliquis vrbibus erant minores iudices, ad leuiores cauſas expediendas, à quibus ad magnum concilium erat prouocatio. [m] Et iſtis duo Leuitæ quaſi aſſeſſores adiungebantur vt vult Ioſepus, [n] ponitque quaſi à Moyſe in lege conſtitutum, vt ſingulis magiſtratibus attribuantur duo miniſtri de tribu Leuitica, qui cum in lege periti eſſent, prouidebant, vt ex eius præſcripto iudicia tractarentur. Et huc videtur reſpexiſſe Paulus Apoſtolus, [o] cum Corinthios monet, vt ſi habuerint ſecularia iudicia, qui ſunt in Eccleſia contemptibiles, illos conſtituant ad iudicandum.

k Lyran & Abul. q. 13. cum Caiet.
l Exod. 18. & Num. 11.
m Deut. 17. 8.
n Ioſeph. l. 4. Ant. 8.
o 1. Cor. 6 4

XVII. *Sparſos fuiſſe per totũ regnum.*

Existimat Caietanus fuiſſe hos Leuitas ordinarios templi iudices, qui ad magnum Synedrium non pertinebant; qui per vices ſuas ius populo

Hieroſolymitano dicerent; ſed id tantus numerus parum probabile reddit. Rectius itaque dixerimus cum Lyrano, & Abul. hæc ſex iudicum millia per omnes tribus, ſicut & Leuitas, ſparſa fuiſſe, & eo numero particulares tam aliarum ciuitatum, quam Ieroſolymæ iudices contineri. Idque certum videtur ex primo Paralip. [a] *Iſaaritis*, inquit, *praerat Chonenias, & filius eius ad opera forinſecus ſuper Iſrael*, id eſt extra templum, & vrbem, vt explicat Sa. *ad docendum, & iudicandum*; vbi Lyranus aliqui de Leuitis, inquit, ſcientes legem fuerunt ordinati ad docendum populum, in locis diſtantibus à Ieruſalem, & ad determinandum dubia, in quibus ſimplices dubitabant. Sic ipſe, cui conſentit Abulenſis. [b]

[a] c. 26. 19.

[b] Vide Abul. q. 46. in ca. 26. 1. Par.

XVIII. *Ianitores, & quæſtores.*

Vltra hæc ſex iudicium millia cōſtituti ſunt de Leuitis iiſdem quatuor millia ianitorum. Qui numerus immenſus videtur in vno templo, quamuis multa eſſent eius atria, & ſingula ſuas portas haberent. Verum hi ſicut & Sacerdotes & cantores per vices miniſtrabant, tranſacto autem tempore vicis ſuæ, ad ſuas ciuitates recipiebant ſe. Horum etiam plurimi erat theſaurorum cuſtodes, in quibus ſacræ veſtes, vaſaque erant repoſita, de quibus poſtmodum dicetur cum Scriptura. Poſtremo cantorum quatuor millia electa ſunt, vt organis muſicis diuinas laudes canerent. Idque non ſolum in templo, ſed in ſynagogis etiam, per ciuitates, in quibus commorabantur. Inde autem enumeratis illuſtrioribus Leuitarum familiis, ab ipſo eorum omnium capite, ac principe Leui, & tribus eius filiis, ait numeratos à viginti annis, & deinceps, idque ex inſtitutione Dauidis, quem, præter diuinam inſpirationem, ea ratio inuitauit, quod in poſterum Leuitæ non eſſent laturi tabernaculum, excitato templo, neque vaſa eius circumlaturi, vt propterea plurimum neceſſariæ eſſent vires robuſtæ, & ætas confirmatior, in qua illæ contingunt: ſed minore labore in templo miniſtraturi.

Cantores.

XIX. *An gemina Leuitarum enumeratio.*

Cæterum cum hoc loco dicatur ex Dauidis inſtitutione, præceptiſque nouiſſimis numeratos eſſe Leuitas, [c] à viginti annis & ſupra; ſupra autem dictum ſit à triginta annis fuiſſe numeratos, eaque differentia conſtanter in hebræis, græcis, latiniſque codicibus emendatis reperiatur: (Nam non emendati, quales ſecutus eſt Lyran. & Abul. vbique habent a viginti annis) merito ambigatur ex vtra numeratione 38 millia Leuitarum naſcantur: clarum enim eſt eundem numerum ex vtrauis naſci non poſſe; ſed multo maiorem eſſe numerum eorum qui vigeſimum annum ſuperent, quam qui excedant trigeſimum. Et ſane quamuis ſumma 38 millium proxime ſubiiciatur cenſui, qui fiebat à 30 annis; quia tamen hic fit noua Leuitarū à Dauide inſtitutio, & diſpoſitio per vices & officia; & antiqua ratio numerandi quodammodo antiquatur, & noua in eius locum inſtituitur, exiſtimo hunc numerum 38 milliū, ab iis qui 20 annos exceſſerant, fuiſſe collectum. Neque bis à Dauide hoc tempore numeratos eſſe Leuitas, ſemel à triginta annis, & iterum à viginti: cui enim vſui hic labor? Sed initio capitis dici numeratos leuitas à triginta annis, ſubintellecta particula *olim*, vel *hactenus*.

[c] 1 Par. 23. 24. 27.

XX. *An miniſteria ſacerdotum leuiticis inſerantur.*

Neqve miror oritur difficultas in illis verbis, in quibus vniuerſe miniſteria Leuitarum deſcribuntur, quod in iis etiam ſacerdotum miniſteria inſeri alieno loco videantur. [d] Nam de Leuitis vniuerſe dictum eſt, *& erunt ſub manu filiorum Aaron*, ſacerdotali ſcilicet directione, atque obedientia; in eum enim finem Aaroni, & filiis eius dono dati fuerant, [e] *in cultum domus Domini*, ad quem omnia eorum miniſteria referuntur, ſicut & ſacerdotum, *in veſtibulis* iuxta portas, *& in* portarum *exedris* & gazophilaciis, quod erat ianitorum munus, & eorum qui theſauris præerant, in quibus etiam cantores, cæterique manebant tempore vicis ſuæ; *& in loco purificationis*, atrio videlicet Leuitarum, in quo erat mare æneum, & luteres, ad frequentes ablutiones contractarum ſordium, vel legalium immunditiarum, *& in ſanctuario* vel, vt hebræum Septuaginta interpretātur, ἐπὶ τὸν καθαρισμὸν τοῦ παντὸς ἁγίου *ad emundationem cuiuſuis rei ſacræ*, quod de vaſis ſacris Vatablus interpretatur; *& in vniuerſis operibus miniſterij templi Domini.* Cum hæc ergo vniuerſe de Leuitis dicta eſſent, ſubditur, *Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis.* Quorum verborum priora duo, neque in hebræis libris habentur, neque in Græcis, & mox duæ quoque adduntur voces, *Leuitæ vero.*

[d] verſ. 28 & 29.

[e] Num. 4. 9. c. 8. 15. 19.

XXI Non videri.

Emanvel Sa addita putat ab interprete. Serarius ait hebraice & græce omiſſos ſacerdotes, quorum in latino fit mentio, quod ea ſint primaria ſacerdotum munia, quæ eſt Abulenſis quoque expoſitio. Alii exiſtimant ex iſtiuſmodi opinione factum, vt ab aliquo adſcriberetur ad marginem *ſacerdotes autem & leuitæ vero*, quæ mox in textum irrepſerint. Certe fuiſſe hæc non ſacerdotum, ſed Leuitarum munera exiſtimat Mariana, & facile intelligi poteſt, & diſtingui, quid in eis actionibus ad ſacerdotes, quidue ad Leuitas pertineret. Nam Leuitæ erant ſuper panes propoſitionis, non offerendos in conſpectu Domini, & inde ſtatis temporibus auferendos, id enim erat ſacerdotum, ſicut & adolere incenſum, iuxta illud [a] *Sacerdotes Dei incenſum, & panes offerent Domino, & ideo ſancti erunt* Deo ſuo, *& non polluent nomen eius.* At Leuitarum erat eos parare, & nominatim Caathitarum, dicente Scriptura. [b] *Porro de filiis Caath fratribus eorum ſuper panes erant propoſitionis, vt ſemper nouos per ſingula ſabbata præpararent.* Nimirum farinam expurgarent, aqua dilutam pinſerent, coquerant, & ſacerdotibus offerrent: quod alibi quoque notauimus. [c] Etſi aliter viſum Toſtato. [d]

Qui coniuncta ſint in panibus propoſitionis.

a leuit 21. 6.

b 1. Par. 9.32.

c an. Moſ. 31. n. 444.
d q. 29. in 23. & in exp text.

XXII. Et libamentis ſacrificiorum.

Eodem modo ſacerdotum erat offerre Domino in ſanctuario ſimilæ ſacrificiũ vna cum victima: at farinam conficere, furfures ſecernere, ſimilam menſurare, & præbere ſacerdoti, Leuitarum erat. Erant quippe *ſuper omne pondus, atque menſuram*, vt mox ſubiicitur: idemque de laganis azymis, & aliis quæ in culinis coquenda, frigenda, vel torrenda erant dicendum eſt; præparatio enim Leuitarum erat, à quibus ea ſacerdotes accipiebant, & debito ritu offerebant Deo. Id perſpicue confirmatur ex 1. Paral. cap. 9. [e] *De ipſis*, inquit, nimirum Leuitis, *& qui credita habebant vtenſilia ſanctuarii, præerant ſimilæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus*; quorũ ſcilicet habebant apothecas. Et mox: *Et Mathatias Leuites præfectus erat eorum, quæ in ſartagine frigebantur:* & ſcilicet alius aliquis Leuita curam habebat eorum quæ torrebantur, elixabantur &c. nec quidquam huiuſmodi apparatuum reperitur exceptum, præter confectionem vnguenti. Nam ibidem legimus, [f] *filii autem ſacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant*: quo nomine oleum vnctionis, & thymiama continentur, quorum illud ex liquidis, hoc ex aridis conſtabat.

e c. 9. 29.

f v. 30.

XXIII. Officium cantorum & canendi tempora.

Deniqve Leuitarum, nimirũ cantorum erat ſtare *mane ad confitendũ, & canendum Domino, ſimiliterq. ad veſperam*; tempore ſcilicet matutini ac veſpertini ſacrificii, diuerſa cantica & pſalmos ad Dei honorem cantabant, vt deuotio populi religioſo cantu excitaretur; ne profanam lanienam, aut coquorum culinas cogitarent. Canebant ergo *tam in oblatione holocauſtorum Domini*, quod erat ordinarium, & iuge ſacrificium, & quotidianum, *quam in ſabbatis & calendis*, id eſt ſacrificiis, quæ ex lege ſingulis hebdomadis, & menſibus, primo vtrorumq. die offerebantur, *& ſolennitatibus reliquis*, puta Paſchatis, Pentecoſtes, Tabernaculorum, Encæniorum, Sortium &c. *iuxta numerum & cæremonias vniuſcuiuſque rei.* Et vniuerſe quæcumque pertinent ad cultum diuinum in ſanctuario, iuxta ſacerdotum mandata & directionem, eorum erit exequi religioſe ac diligenter, ſicque pro ſuo gradu ac conditione in domo Domini miniſtrare. Et hæc de Leuitis, eorumque muneribus dicta ſunt vniuerſe.

XXIV. Sacerdotum prima diuiſio.

g 1. Par. 24

Qvod ad ſacerdotum, quæ dicuntur, vices attinet, eas Scriptura [g] ab ipſo capite Aarone, & duobus filiis eius Eleazaro & Ithamare acceſſit. Ab iſtis enim duobus omnes Leuitici ſacerdotes propagati fuerant, qui tempore Dauidis erant in viuis; ſicut à tribus Leuitis, Geſon, Caath, Merari omnes Leuitæ, de quibus actum eſt. Illa autem duo capita familiarum ſacerdotalium, duos habebant hoc tempore principes, Eleazarus Sadocum, qui poſtea factus eſt pontifex, & Ithamar Achimelechum filium Abiatharis pontificis, qui hoc ipſo anno de pontificatu deiectus, in ordinem redactus eſt. Hæc eſt ergo primaria diuiſio ſacerdotum in Eleazaræos, & Ithamaritas. Altera diuiſio fuit Eleazaritarum in familias ſedecim, & Ithamaræorum in octo familias; *multo enim plures*, ait Scriptura, *inuenti ſunt filii* E*leazar in principibus viris, quam filii* I*thamar.* Nimirum numerati ſunt ſeorſim omnes Eleazaritæ, & item Ithamaritæ ſeorſim, & in illis inuētæ ſint ſedecim particulares familiæ, quæ ſuum haberent ſingulæ principem; In iſtis autem octo duntaxat; ſicque factæ ſunt 24. omnino familiæ, quæ viciſſim in templo miniſtrare poſſent, quæ dictæ ſunt vices.

XXV. *Quæ conſtituunt 24. claſſes.*

CVM autem Scriptura aperte doceat haſce vices ſiue ſortes, & claſſes ſacerdotum, à familiarum particularium numero petitas fuiſſe, non eſt exiſtimandum eas omnes numero pares; [a] vix enim continget duas, tresue familias numero pares eſſe inter ſe; nedum 24. & vt fierent pares diſtrahendæ eſſent familiæ in diuerſas claſſes; contra mentem Dauidis, qui eas accurate diſcreuit, ſuo cuique claſſi, ſiue familiæ principe attributo. 3 Ac ne deinceps quidem fieri potuit, vt ſortes æquales eſſent, cum familiæ aliæ augeantur, aliæ minuantur, aliæ etiam intereant; itaque neceſſarium fuit vt retentis 24 claſſibus, quæ numero abundarent alias quæ diminutæ fuerant ſupplerent, puta patre vno cum filijs ad cognatam vicem tranſeunte: ita tamen vt Eleazaritæ non tranſirent ad Ithamaræos, & nomina vicium à nominibus principum, qui nunc viuebant, petita, deinceps conſeruarentur, idque docet Zacharias de vice Abia, quod nomen ex euangelio conſtat ſaltem ad mille & triginta duos annos conſeruatum.

[a] vide Abu. q. 24. in ca. 24.

3 ꭓ.

XXVI. *Singulis hebdomadis in orbem miniſtrant.*

CLASSIBVS hiſce viginti quatuor conſtitutis, dandum fuit vnicuique tempus ad miniſtrandum. Viſum eſt regi & principibus tam clericis quam laicis, coram quibus hæc diſceptabantur, [b] vt non vltra vnam hebdomadam quælibet familia miniſtraret, ita vt minimum bis quotãnis, in orbem eadem familia ſacerdotali functione in templo fungeretur. Ne quis autem horum principum, ex vanitate primum locum in miniſtrando ambiret, ſorti committi placuit, quæ ſors prima, vel poſtrema eſſet, vel diceretur. Nã temporis cõmoditatem, vel incõmoditatẽ, ſectari, aut vitare nihil intererat; omnes enim familiæ paulatim totũ annum dimetiebantur: & ſortis tempus ita perambulabat, vt quæ primo anno in prima eius hebdomada miniſtrabat, rurſum vigeſima quinta, & iterum 49. eiuſdem anni rediret ad miniſterium; & ſic 4 primæ familiæ ter primo anno miniſtrabant. Anno autem ſequenti prima ſors in hebdomadam vigeſſimam primam & 45. incidebat, anno tertio in decimam ſeptimam, & quadrageſimam primam. Quarto anno in decimam tertiam, & trigeſimam ſeptimam. Quinto in nonam & trigeſimam tertiam. Sexto in quintam & vigeſimam nonam. Septimo autem redibat ad eundem locum, quem primo anno occuparat. Deinceps vero mutatio contingeret, eo quod hebdomadæ 52 non adæquent annum ſolarem, ſed ſuperſit dies vnus cum quadrante, quod intra 28. annos conficit quinque ſeptimanas; ſed hæc accuratius perſcrutari alterius negotij eſt.

[b] 1. Pa. 24.

XXVII. *Quomodo facta ſortitio.*

SORTITIO porro cum diuerſimode fieri potuit, tum maximè duobus hiſce modis, Prior eſt vt 24 ſchedulæ pares omnino, ac ſimiles inter ſe, coniiceretur in vrnam: quarum ſingulæ haberent nomen ordinis, nimirum prima, ſecunda, tertia, ad vigeſimam quartum vſque quibus diligenter permixtis atque confuſis: euocabatur vnus aliquis ex qualibet familia, qui ſchedulam ex vrna extraheret, & ſi illi occurreret ſchedula, in qua ſcriptum eſſet prima, aut ſexta, aut vigeſima, ita illa familia fiebat prima, ſexta, aut vigeſima, ſiue ad Eleazarum, ſiue ad Ithamarum pertineret. Poſterior modus eſt vt in 24. ſchedulis, nomina ſingula 24. principum familiarum inſcriberentur, & complicata conijcerentur in vrnam, qua aliquoties verſata, puer aliquis innocens in omnium oculis vnam aliquam educeret, ſic vt quæ prima educta eſſet, prima cẽſeretur ac diceretur; quæ ſecundo loco ſecunda, quæ poſtremo loco vigeſima quarta. Exiuit autem ſors prima Ioiarib. ſecunda Iedei, tertia Harim, octaua Abia, quæ in Euangelio Lucæ memoratur, & ita de cæteris. Illam probat Abulenſis, [c] iſtam ego prætulerim.

XXVIII. *Et quæ cauſa ſortiendi.*

QVONIAM vero ad ſingulas ſacerdotum claſſes, quas S. Lucas vocauit ἐφημερίας, plures ſacerdotes pertinebant, ſors inter eos mittebatur, qui ipſorum miniſtraturus eſſet. [d] Id euangeliſta teſtatur, ait enim cum Zacharia ſacerdotio fungeretur, in ordine vicis ſuæ, ſorte illi obueniſſe vt incenſum poneret. Alteri obuenerit afferre panes, & auferre, alteri lucernarum curam habere, alteri, aut pluribus offerre ſacrificia. Sortiendi autem cauſa ad honorem referri poteſt, vtilitatem, & onus: miniſtrare enim in diuino cultu, honorificentius eſt, quam aſſiſtere miniſtranti. Ne qua ergo exiſteret inter ſacerdotes contentio, dum quis illum ſibi honorem mallet quam alteri, ſors dirimebat litem. Cum autem miniſteriorum alia aliis eſſent fructuoſiora, ſors querelæ aditum præcludebat. Quid ſi ſors inquies, aliquam perpetuo præteriret, num illi fame moriendum eſſet? Reſpon-

[c] q. 27. in c. 24. 1. Paral.

[d] Abul. q. 25. 26. 28. in c. 24. 1. Par.

det Abulenſis videri inter Leuitas eandem fructuum Eccleſiaſticorum initam rationem,quæ nunc in Eccleſijs collegiatis eſt in vſu, vt omnes quidem, qui ad eandem Eccleſiam pertinent, ſtatos fructus maiores percipiant, diſtributiones autem quotidianas,ij ſoli qui diuino officio interſunt. Quod ſi æquè fructibus participarent qui miniſtrant,ac reliqui omnes,tunc onus eſſet ijs fungi miniſterijs,& ſorte definiendum foret quis eſſet miniſtraturus. Priores tamen ſortiendi cauſæ,plus habent probabilitatis,atque honeſtatis.

XXIX. *Quando inchoaretur miniſterium.*

IMMINENTE porro tempore functionis cuiuſque familiæ, veniebant ſingulæ Hieroſolymam,& feria ſexta ad veſperam,tempore ſacrificij veſpertini inchoabant miniſterium ſuum;nam dies feſti Hebræorum, vt de alijs taceamus, à veſpera ducebant initium. In lege enim perſpicue ſcriptum eſt. [a] *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra.* Die ſabbati,ait Abul. incipiebat miniſtrare, *ſcilicet in die veneris ad noctem, quia tunc incipiebat ſabbatum.* ſic ipſe. Cui vtique maior debetur fides,ſi Scriptura taceret, quam Scaligero, [b] qui ait ſingulas Ephemerias ſeptem diebus operatas,*nempe*, inquit, *à matutino ſacrificio ſabbati,ad matutinum ſacrificium ſequentis ſabbati.* Et quid cauſæ erat,cur ſabbatum media parte truncaretur? Nec Scriptura aliud intellexit, [c] cum ait has familias introire ſabbato, & exire ſabbato,quam eo ineunte, non autem dimidiato miniſterium ſuum inchoaſſe ac terminaſſe. Nec aliud vult ille liber liturgiarum quem refert; proindeque repudiandum illud quod ſubdit, *Ergo die ſabbati exibant ex miniſterio, nempe ante matutinum ſuffitum in inſtauratione panum propoſitionis.*

[a] Leuit. 23 24.

[b] de emend. temp in notis in fragm p. L

[c] 4 Reg 11 6.7.9.

XXX. *Vbi habitarent tempore miniſterij.*

TOTO miniſterij tempore habitabant ſacerdotes in templi exedris. Non enim id minus eis licuit quam Leuitis,de quibus legimus, *Per* [d] *gyrum quoque templi Domini morabantur in cuſtodijs ſuis,vt cum tempus fuiſſet ipſi mane aperirent fores*; in exedris ſcilicet & cubiculis,quæ erant circa ſanctuarium,circa quod,toto in monte Moria,nulla erat prophana domus. Et paulo poſt, *Hi ſunt principes cantorum per familias Leuitarum, qui in exedris morabantur, vt die ac nocte iugiter ſuo miniſterio deſeruirent.* Eadem erat ratio ſacerdotum. Nocte enim aderant altari, cum ſacrificium veſpertinum paulatim conſumeretur. *Hæc eſt lex holocauſti*, ait Dominus, [e] *cremabitur in altari tota nocte vſque mane.* Aderant & matutino quoque, quod ad veſperam perdurabat. Vnde mox ſubditur, *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper, adolebit adipes pacificorum.*

[d] 1. Par. 9. 17.33.

[e] Leui. 6 9.

XXXI. *Nimirum in templo, & quare.*

IBIDEM etiam toto ſeptiduo commorabantur, ne egreſſi immundiciam aliquam legalem contraherent, maxime cum mulierib. ideoque non permittebantur vxores ſacerdotum,ea adire loca ſanctuarij,in quibus habitabant ſacerdotes, tempore vicis ſuæ,vt notauit Abulenſis [f] ne cupiditate victi,earum conſuetudine inhabiles redderentur ad miniſtrandum. Decurſo autem orbe dierum ſeptenario,ad curam rerum ſuarum, domeſticamque familiam reuertebantur. Itaque Zacharias [g] cum accepiſſet ab Angelo nuncium de excellentiſſimo filio,ſibi ex Elizabetha vxore naſcituro,eam tamen non adijt, neque adiri ſe ab ea paſſus eſt. niſi poſt expletum tempus miniſterij ſui. *Et factum eſt*, ait Euangeliſta, *vt impleti ſunt dies officij eius,abiit in domum ſuam. Poſt hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat ſe menſibus quinque.* Hæc Lucas, Cæterum qui ex hac functione Zachariæ diem natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, atque adeo Chriſti Domini loco ſuo mouere moliuntur,infinito ſeſe, atque inutili labore conficiunt; cum certo docere non poſſint quo præciſe tempore Ioiarib miniſtrare cœperit, & quod caput eſt,nullam miniſteriorum interruptionem tempore Achaz, & Manaſſis,& Ammonis,& aliorum improbiſſimorum regum factum fuiſſe;& rurſum tempore Nabuchodonoſoris,& Antiochi Epiphanis,quæ interruptio omnem iſtorum ratiocinationem reddit inanem. Nam Ioſepho interruptionem neganti, ne iurato quidem ſatis tuto credi poteſt.

[f] q. 15. in c. 24. 1. Par.

[g] Luc. 1. 23. 24.

λειτουργίας αὐτοῦ.

XXXI. *Cantorum officium.*

SEQVITVR diſtributio Leuitarum, & primum cantorum; quoniam eorum miniſterio & canticis, multum accedebat dignitatis ſacerdotalibus functionibus; melodia enim valde in hominum animos influit, & pro qualitate & conditione cantus,varios efficit animorum motus;ergo pijs ac religioſis carminibus, canticis,ac pſalmis,cum accederent conuenientes modi,populares animi valde

ad deuotionem, & pium erga Deum affectum impellebantur; Iis quippe nūc diuini numinis potentia, Bonitas, Sapientia, Iuſtitia, Prouidentia, miſericordia, immenſitas, æternitas, pulchritudo celebrabatur; nunc eiuſdem beneficia, tam ipſis quam patribus eorum indulta recolebantur; aut præſentium malorum depulſiones petebantur; aliquando diuina legis excellentia, vanitas Ethnicarum ſuperſtitionum, mox virtutis præmia, vitiorum pœnæ ac deformitas decantabatur: ſicque implebatur illud, *Immola Deo ſacrificium laudis*, &, *ſacrificium laudis honorificabit me*, &, *populus hic labiys me honorat.* Denique par erat hominem, qui omnia a Deo acceperit, non animo duntaxat, ſed corpore quoque, & omnibus eius membris ac facultatibus, illi famulari.

XXXIII. *Eorum principes.* Erant porro inter Leuitas tres viri admodum illuſtres, ſapientiæ ac pſalmodiæ laude commendati, Aſaph, Heman, & Idithum: Adeo vt digni habiti ſint, qui in contentione ſapientiæ, cum ipſo Salomone componerentur; [a] Eorum primus ad familiam Gerſon, alter ad domū Caathi; tertius Idithun, qui & Ethan dictus eſt, [b] ad familiam Merari pertinebant: qui erant tres filij Leui, vt ex capite ſexto 1. Paral. liquet. Cantorum tamen diuiſio non eſt facta per Aſaph, Heman, & Idithum, ita vt ſinguli ſuam ſortem conficerent. Cum enim quatuor eſſent cantorum millia, nimis magna turba cantorum ſimul cogeretur, quæ confuſionem & tumultum pareret; & præterea nimium ſæpe ad iterandum officium Hieroſolymam reuocarentur; adeo vt vix modico tempore domi verſari poſſent, toto reliquo, vel in templo eſſent, vel in itinere: denique conueniebat vt cantorum ſortes, ſacerdotum vicibus reſponderent, & primi cantores cum primis ſacerdotibus ſemper eſſent in miniſterio, & ſecundi cum ſecundis, & ita de cæteris; permutatio autem facilius confuſionem attuliſſet.

[a] 3. Reg. 4. 31. Abul. q. 6. & 8. in c. 15. 1. Paral. [b] Lyran. Abul. q. 6. & 9. & alij.

XXXIV. *Vices cantorum. 24.* Itaqve ad vitanda hæc incommoda viſum eſt Dauidi, & principibus multitudinis, cantores in 24 ſortes eſſe diuidendos, quæ totidem ſacerdotalibus reſponderent; quarum ſingulis ſinguli pręeſſent de filijs Aſaph, Heman, & Idithum; quandoquidem commodum factum eſſet, vt filios haberent numero 24. Habuit enim Aſaph filios 4. Iditum ſex, Heman 14. Quatuor ergo muſicorum millia diuiſa ſunt in partes viginti quatuor, quarum ſedecim haberent ſingulæ 167. cantores; octo 166. etiam ſingulæ. Niſi forte, vt probabile eſt, non erat exactus numerus quatuor millium, ſed pauci aliqui deſiderabantur, vel abundabant; ſæpe enim Scriptura integros numeros ponit, neglectis minutijs. *ſuberant principibus* Quamuis autem ſingulæ ſortes ſuum haberent præpoſitum, earum tamen 4. quæ parebant filijs Aſaph, erant etiam ſub manu ipſius Aſaph, ſicut & filij eius; idemque de 14. filijs Heman, & 14. ſortibus: idem denique de filijs Idithum dicendum eſt, quandoquidem ſcriptura dicit vniuerſos ſub manu patris ſui fuiſſe. [c] Significans tres illos primarios cantores Hieroſolymis apud regem fere habitaſſe, propterea que dicuntur prophetaſſe, ſiue ceciniſſe iuxta regem; & præfuiſſe alium 4. alium 6. alium 14. ſortibus, prout vnaquæque ſuo tempore miniſtrabat, vt ab ijs, qui erant omnium peritiſſimi, cæteri edoceri, ac regi poſſent.

[c] Abul. in exp. text. & q. 21. ſi.

XXXV. *Eorum Doctores. 288.* Singvlæ porro ſortes ita diſtributæ ſunt, vt quælibet haberet duodecim viros egregios, non ſolum muſices bene peritos, ſed qui ſcienter pſalmos, & cantica de diuinis rebus conficere poſſent, & alios docere. Itaque in 24. vicibus doctores ducenti & 88. reperiebantur; hunc enim numerum redduut 24. duodecies multiplicata: in numero autem duodenario comprehenditur is qui princeps erat ſortis. Alioqui is numerus conſtare non poſſet. Itaque Ioſeph, cuius ſors prima exiit, erat vnus de doctoribus, reliqui vndecim, erant partim filij eius, partim cognati, qui dicuntur fratres: eademque fuit ratio reliquorum. Cæteri autem de quauis ſorte mixti erant, nulla ratione habita magnitudinis, diuitiarum, nobilitatis, ætatis, modo vigeſimum annum vel ſuperaſſent, vel attigiſſent. *& ſortitio reſpondens ſacerdotali.* Id illa verba ſignificant, *miſeruntque ſortes per vices ſuas ex æquo, tam maior quam minor, doctus pariter & indoctus*; ſiue vt eſt in Hæbræo, *magiſter & diſcipulus.* Dedit Heman ſchedulas quatuordecim. Idithum ſex, Aſaph quatuor; & coniectæ in vrnam, aliquo prædictorum modorum eductæ ſunt ſingulæ. Prima fuit Ioſephi filij Aſaph, qui deinceps cantare debuit cum ſorte ſua, dum Ioiaribi ſors ſacerdotali officio fungeretur. Exiit ſecunda Godoliæ filij Idithum, qui cantaturus erat

in poſterum Iedei ſacerdotis vice miniſtrante; & ita de cæteris.

XXXVI
Et miniſteria, cur dicantur prophetare.

CANTABANT autẽ, ſiue vt ſcriptura loquitur, *prophetabant*, non ſolum voce laudantes Deum, ſed plerique addebant etiã muſica inſtrumenta, citharas, pſalteria, & cymbala, tubas quoque, & omnia muſicorum organa, [a] prout maiores aut minores celebritates occurrerent, vt nunc quoque videmus in Chriſtianorum Eccleſiis obſeruari, additis etiam pretioſioribus veſtium ſacrarum ornamentis, vt notat Abulenſis. [b] Dicebantur prophetare, ſiue quia in ipſis aliqui inueniebantur qui futura prædicerent, ſicut in pſalmis Dauidis multæ ſunt futurorum prædictiones; ſiue quia hæc cantica pertinebant ad laudem DEI ſicut prophetia, ideoque nec profani cantores dicerentur prophetæ, aut prophetare; ſiue denique quia pleraque cantabant, non ſatis nota rudi populo, & quæ doctiorum interpretationem requirerent, ſicut vaticinia prophetarum; Quæ cauſa fuit vt etiam Saul, in medio domus ſuæ, prophetare diceretur; quoniam immundi ſpiritus impulſu ignota vulgo loquebatur. Exiſtimat Toſtatus non ceciniſſe hos cantores ex obligatione, niſi in ſtatis legitimiſque ſacrificiis, ad quæ illa Scripturæ verba referuntur *Leuitæ vero vt ſtent mane ad confitendum & canendum domino, ſimiliterque ad veſperam tam in oblatione holocauſtorum* Domini, *quam in ſabbatis, & Calendis, & ſolemnitatibus reliquis, &c.* in ſacrificiis autem, quæ ex deuotione offerebantur, non ceciniſſe. Nec mirum. Nam iuge ſacrificium totum diei, noctiſque tempus occupabat. Itaque neceſſe fuit ſingulas ſortes in plures partes diſtribui, vt nunquam deeſſent qui in templo canerent, dum alij cibo vacarent aut ſomno, cæteriſque occupationibus neceſſariis.

1. 2. 3.

a 1. Par. 16. 42.

b q. 3. in c. 25. 1. Par.

ibid.

Quando cantarent.

XXXVII.
Ianitorum familiæ duæ.

TRANSEAMVS cum Scriptura ad ianitores, quæſtores, atque iudices. Id enim ordo dignitatis requirere videbatur, vt explicatis functionibus ſacerdotum, quæ ſunt omnium ſanctiſſimæ, veniretur ad cantores, quorum officium eſt reliquis ſanctius, occupatum in diuinis laudibus, ad ſacrificiorum celebritatem, & populi pietatem promouendam. Sequuntur cuſtodes portarum, rerumque ſacrarum, tum iudices, quorum officium extra ſanctuarium occupatum, propius accedit ad laicos, quibus aſſiſtebant iudicantibus, quos Ioſephus vocat ὑπηρέτας. Eſt porro aliquanto impeditior diſtributio ianitorum, quam præcedentium Leuitarum. Fuit autem fere huiuſmodi, iuxta Abulenſem, qui hæc diligentius eſt perſecutus. Primum conſtituit Scriptura duas primarias familias Ianitorum, alterã filiorum Core, nepotis Caath, qui olim in ſeditione contra Moyſem, & Aaronem male periit, [c] filiis eius inſigni miraculo ſuperſtitibus, à quibus familia propagata eſt. Alteram filiorum Merari. Prior familia duo habuit capita, Meſelemiam, & Obededonem; habuit Meſelemias filios ſeptem, fratres vndecim, [d] qui omnes fuerunt Ianitorum principes, numero decem & octo. Obededon autem de filiis, fratribus, ac nepotibus habuit ianitorum principes ſexaginta duos. Poſterior familia, duce Hoſa, filios habuit tredecim; omnes ergo fuerunt 93. quibus cæteri omnes ianitores parebant. Tribus his ducibus, adiectus eſt quartus Zacharias, primogenitus Meſelemiæ, vt inter eos portæ atriorum ſortito diſtribuerentur. Et hi propter generalem curam, vt cæteros dirigerent, vix ab vrbe recedebant.

& earum principes.

c Nu. 26. 10.

d 1. Pa. 26. 9.

XXXVIII.
Quinque loca cuſtodia. & quot in ſingulis cuſtodes.

FVERVNT nihilominus quinque loca generalia, quibus addicti erant ianitores, quatuor portæ, ad quatuor mundi plagas obuerſæ. & exedræ non paucæ. Et primum animaduerſum eſt quot neceſſarij erant ſingulis portis: & iudicatum requiri ſex Leuitas qui continenter portam orientalem cuſtodirent, ad quam ſcilicet maxima populi pars confluebat, cæteris quatuor ſufficere; exedris autem ſiue cellulis binos. Nimirum tres matutinis horis aperiebant portam orientalem, ad eamque ſubſiſtebant admittentes, & excludentes quos admitti oportebat & excludi: tres autem pomeridianis, noctu enim clauſis ianuis nihil erat opus ianitoribus: cum tamen cantoribus & ſacerdotibus opus eſſet. Eodemque modo quaterni in cæteris portis aderant, & officio fungebantur, bini autem in exedris, vt promerent, & inferrent, quæ ex apothecis promenda erant, & inferenda. Niſi forte placet, abundante ianitorum multitudine, ſenos & quaternos mane, totidemque diuerſos à prandio conſtituere; ſed ita diuiſos, vt quoniam geminæ erant portæ in atriis, iuxta formam Villalpandi, binæ ad orientem, totidemque

ad ſeptentrionem & meridiem; quarum prior ab atrio gentium aditum daret ad atria Iſraëlis, poſterior ad atrium Leuiticum admitteret, in ſingulis terni eſſent; vel bini ante meridiem, totidemque à meridie, eademque proportione exedræ cuſtodirentur. Nec repugnat ſcriptura cum ait 4. aut 6. per diem adſtitiſſe ianuis, nunquam enim erant plures, ſed non iidem toto die.

XXXIX. *Sors circa portas.* His ita conſtitutis iacta eſt ſors inter quatuor illos principes, quæ cuique portarum committenda eſſet, & obuenit Selemiæ, qui & Meſelemias porta orientalis, ſicque aggregata eſt illi pars ianitorum, illi portæ deſtinata. Septentrionalis autem Zachariæ filio eius, *viro prudentiſſimo, & erudito.* [a] hoc enim elogio eum Scriptura commendat. Obededom & filius eius meridianam portam ſortito accepit, *in qua parte domus, erat ſeniorum concilium*, magnum videlicet ſynedrium Septuaginta iudicum, de quo alibi dictum eſt non ſemel. Occidua vero obtigit Hoſæ, cui ſicut & reliquis, ſua ianitorum pars attributa eſt. Nec definit Scriptura fueritne vnus aliquis, qui omnibus exedris præeſſet; fortaſſe quod Selemias præeſſet omnibus exedris lateris orientalis, Zacharias ſeptentrionalis, & ita de cæteris, quod confirmari poteſt ex 1. Par. 9. 26. vbi dicitur. *His 4. Leuitis creditus erat omnis numerus ianitorum, & erant ſuper exedras, & theſauros domus Domini.* Nimirum iuxta Dauidis inſtitutionem. Hac ſorte conſtituta ſunt ianitorum miniſteria; & cuique innotuit, quo in loco, officio ſuo eum fungi oporteret; nec aliam ſortitionem ipſorum Scriptura memorat.

a 1. Par. 26. 14.

XL. *Et tempus miniſterii, per 24. vices.* RATIONI tamen valde conſentaneum eſt, vt altera ſortitio fieret, qua definito tempore miniſtrationis, ſciret vnuſquiſque quando eum oporteret ad templum miniſtrandi cauſa proficiſci; Cum enim non oporteret omnes adeſſe perpetuo, & multitudine obſtrepere, atque obturbare ſe mutuo, nec ſemper abeſſe domo, vxorum, ac liberorum curam deponere, neceſſarium erat certum aſſignare tēpus, quo quique in officio eſſent. Itaque exiſtimat Abulenſis, [b] cui conſentit Serar. ſingularum portarum, atque exedrarum ianitores, per 24. vices fuiſſe diſtributos, ſicut cantores ac ſacerdotes, & cum iiſdem in orbem miniſtraſſe: ita ut Ioaribi vice adueniente, prima etiam ſors cantorum, quæ Ioſephi erat, contingeret, eodemque modo ianitorum in ſingulis portis & exedris; ſicque omnes pariter ſuo officio fungerentur, ac perfungerentur. Id Scriptura confirmat, [c] quæ ait ianitores a Dauide conſtitutos, *in oſtiis domus Domini, & in tabernaculo, vicibus ſuis*, & per 4. ventos fuiſſe oſtiarios, quorū fratres in viculis ſuis morabantur, *& veniebant in ſabbatis ſuis, de tempore vſque ad tempus.* Ergo quolibet ſabbato veniebant noui cuſtodes, abibātque, & videlicet confecto in orbem curriculo reuertebantur. Denique hanc viciū diſtributionem æqualem, tam ſacerdotum quam Leuitarum, & niminatim ianitorum confirmat Ioiada ſummus ſacerdos, qui eos alloquens dicebat [d] *Tertia pars veſtrum, qui veniunt ad ſabbatum, ſacerdotum, & Leuitarum, & ianitorum, erit in portis, &c.* ergo apparet omnes pariter ſingulis ſabbatis officium ſuum inchoaſſe, & abſoluiſſe.

b q. 7. & 1 q. 22. & 23 in c. 26.

c 1 Par. 9 18. 25.

d 2. Par. 23. 5.

XLI. *Præpoſiti theſaurorū.* QVONIAM vero in exedris continebantur theſauri templi, qui ianitores cuſtodiebant exedras, iidem fere erant præpoſiti theſaurorum; & conſequenter eædē erant ſortitiones, & vices vtrorumque. Et quatenus ianitores, curam habebant obſerandi portas & aperiendi: vt theſaurarij vero, rerum repoſitarum curam gerebant. Et cum hactenus numerati ianitores ad familias Core & Merari duntaxat pertinuerint, aliqui horum quæſtorum, ſiue æditurorum à Gerſone filio Leui oriundi erant, alij vero à Moyſe legiſlatore, filio Amram, & nepote Caath. cum autem Moyſes duos habuerit filios, Gerſonem & Eliezerem: ex illo ortus eſt Subaël, ex hoc Selemith, vterque in primariis theſaurorum præfectis: & valuit Moſis gratia etiam in poſteris. *Præcipuus honos*, ait Ioſephus, [e] *Moyſis poſteris eſt habitus. Conſtituit enim eos Dauid cuſtodes theſaurorum Dei, & donariorum, quæ reges ſolent dedicare.* Alludit ad illud Scripturæ, [f] *Ipſe Selemith, & fratres eius, ſuper theſauros ſanctorum, quæ ſanctificauit Dauid rex, & principes familiarum, & tribuni, & centuriones, & duces exercitus, de bellis & manubiis præliorum, quæ conſecrauerant ad inſtaurationem, & ſupellectilem templi Domini.*

Moſis nepotes.

e l. 7. ant c. 11.

f 1 Par. 26. 26

4. x.

XLII. *Duo genera theſaurorum.* NIMIRVM duo erant genera theſaurorum in templo: quidam ad præſentes templi vſus alii ad futuros. Ad præſentem vſum pertinebant vaſa omnia, & ſupellex vniuerſa templi, partim in vaſis aureis, & argenteis, & cuiuſcumque

metalli, partim in ſacris veſtibus, & ornamentis perſonarum ſacrarum Domino miniſtrantium; quæ tum à Moyſe & Aarone, [a] tum à ſequentibus pontificibus certis ceremoniis initiata, diuino miniſterio addicta, & applicata ſunt. Ad futurum vſum erant aurum, argentum, æs, aliudue metallum, ſiue infectum & rude, ſiue factum, ſignatumue: gemmæ item, lapideſque pretioſi, & id genus alia magni pretii, quæ iam à multis annis viri principes bello acquiſita deſtinauerant Deo eique obtulerant, & hoc ipſo in eius poſſeſſionem tranſierant, & ipſi, abſq; alia ceremonia, conſecrata dicebantur, ſicut quæ donantur inter homines. In principibus qui hæc donaria Deo obtulerant, primus ponitur Samuel, tum Saul, Abner, Ioab, & maxime Dauid, qui paulo ante nominatus, vnus omnes liberalitate facile vicit. Et hoſce theſauros Dauid commiſit Selemith, & fratribus, cognatiſue eius, nepotibus Moſis. Aliis vero theſauris, quæ in quotidiano vſu erant, reliqui præpoſiti fuerunt. Habebant autem omnes theſaurorum præpoſiti Achiam principem de Gerſonitarum familia, vt placet Abulenſi. [b]

a Exod. 30.

rorum in templo. donaria templi.

b in exp. text. & q. 35. in c. 26.

XLIII. *Præpoſiti & iudices,*

Reliqvi ſunt de Leuitis præpoſiti, & iudices, qui extra templum & Hieruſalem, muneribus ſuis fungebantur, & ad duas familias pertinebant Hebronitarum, & Iſaaritarum, quæ ambæ à Caath filio Leui proſeminatæ erant. Hebronitarum princeps erat Ieria, & ſecundum eum Haſabias; Iſaaritarum Chonenias. Sicut autem ianitores, & theſaurarii, eodem numero quatuor millium comprehendebantur, ita & iudices, & præpoſiti numero ſex millium continentur. Erat tamen inter eos non modica differentia, quod qui iudices dicebantur curam habebant docendi populum, & iudicandi; præpoſiti vero aliis negotiis præerant, quæ ad cultum Dei, & Leuitici ordinis vtilitatem pertinebant, & iſtorum numerus partim cis Iordanem, partim vltra, erat quatuor millium & quadringentorum; reliqui erant mille ſexcenti: ſic enim numerus ſex millium integratur. [c]

an, & quomodo differrent.

c Abul q. 45 in c. 26.

1700.
2700.
4400.
1600.
6000.

XLIV. *Eorum opera an ruſtica,*

Existimant Hebræi, & qui nimirum addicti ſunt eis, opera quæ forinſecus exercebantur ab iſtis iudicibus, & præpoſitis, fuiſſe opera ruſtica, [d] circa agriculturam & vineas, quæ ad domum Dei pertinebant, aut certe circa latomos ac lapidicinas, fabroſque lignarios, vt eos videlicet docerent apte parare templi materiam. Neque animaduertunt ſe Leuitas mutare in latomos, cuius tamen artificii ignaros, aut certe parum peritos Iſraëlitas fatetur Salomon, [e] Nam ſcribens ad Tyrium regem: *Scis*, inquit, *quomodo non eſt in populo meo vir, qui nouerit ligna cædere, ſicut Sidonij*: neque recordantur hoc ſe miniſterium aliis Leuitis, circa miniſteria templi occupatis attribuiſſe. Ac ne circa agriculturam quidem, aut vineas erant occupati Leuitæ, quos Dominus noluit habere agros, aut vineas, ſed prata duntaxat ſuburbana, ad alenda pecora, [f] ne his miniſteriis impliciti, diuinis vacare non poſſent. Denique vt docet Abulenſis, [g] & ſatis colligitur ex vltimo Leuitici, Templum Domini non poterat habere aliquam poſſeſſionem immobilem, quam vouiſſent, aut obtuliſſent Iſraëlitæ; ſed eam redimere poterat, qui vouerat, aut alteri vendebatur.

d vid. Nehē. 11. 16.

e 3. Reg. 5 6.

Templum caruiſſe poſſeſsionibus.

f Num. 35. & Ioſ. 21.

g q. 47. in c. 26.

XLV. *Leuitæ doctores, & ſcribæ.*

Retineamvs ergo interpretationem Hieronymi vulgatam, cui præiuerunt Septuaginta interpretes, & Ioſephus, vt ſupra diximus. [h] Dicamuſque hæc opera externa fuiſſe vere Leuitica, ſed quæ extra templum, ac ciuitatem regiam ab iis exercerentur, & nominatim *ad docendum & iudicandum Iſrael*. Septuaginta. ἐπὶ τὴν ἰσραὴλ τοῦ γραμματεύειν, καὶ διακρίνειν, quod obſcurius dictum erat in hebræo, *in præfectos & iudices*. Aderant videlicet iudicibus, atque aſſidebant, vt ſecundum præſcripta legis Moſaicæ ſententiam ferrent. Recte etiam cum Toſtat. [i] diximus, fuiſſe in his Leuitis plurimos, qui oppida & pagos Iſraëlitarum obirent concionum cauſa. In quibus rudiores edocebantur, quæ ad legem Moſaicam rite obſeruandam, & omnino ad recte, & ex virtute viuendum, & peccata declinanda valerent: quod eo magis erat neceſſarium, quo & populus ille, ad res ſpirituales rudior, & ad idololatriam pronior erat, & à templo Domini, quod vnicum erat in toto regno, remotior. Habebantur autem hę conciones in ſynagogis ad plebem diebus ſabbathi, vt ex Apoſtolorum Actis intelligitur, [k] quod & deinceps vſus Hebræorum retinuit, & Chriſtiana religio ſapientiſſimè propa-

h n. 16. & 17

i qu. 46. in c. 26. 1. Par.

k Act. 13. 15. 42.

LEVITÆ DOCTORES ET IVDICES.

gauit. Verum hæc functio etiam ſacerdotum fuit, & quidem primario nomine, iuxta illud. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam &c.* Malach. 2.

XLVI. *Præfecti Leuitæ per tribus ſparſi.*

ERANT & alia miniſteria Leuitarum extra templum; & Hieroſolymam, puta colligere ex ſingulis Iſraelitis, qui tranſibant ad numerum viginti annorum dimidium ſicli, quæ pecunia aſſignata erat in vſus tabernaculi teſtimonii, vt in Exodo ſcriptum eſt. [a] & in templo Salomonis obſeruatum, nam Ioas congregatis ſacerdotibus, & Leuitis dixit eis. [b] *Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerſo Iſrael pecuniam, ad ſartatecta templi Dei veſtri per ſingulos annos;* quam pecuniam mox à Moyſe ſeruo Domini conſtitutam ait. Alias quoque vrgente templi neceſſitate, pecunia corrogabatur à populo, quam iſti toto regno quæritabant vt temporibus Ioſiæ contigit. [c] Et hoc munus fuiſſe præpoſitorum Toſtatus affirmat, [d] qui nunc quæſtorum eſſe ſolet, vel procuratorum. Alii miniſterium regis interpretantur, quod eis à rege imperatum fuiſſet Diuiſi autem erant bipertito, pars enim vltra Iordanem, pars citra illum huic miniſterio ſeruiebat Cui additur etiã miniſterium regis, quod idem interpretatur collectionem redditũ, aut munerum, quæ rex templo largiebatur, & ab iſtis variis ex locis colligebantur, in quibus rex reditus accipiebat.

a c. 30. 13. 14
b 2. Par. 24. 5.
c 2. Par. 34. 9.
d q. 47. in c. 26.

XLVII. *Ratio tẽporis huius inſtitutionis.*

QVOD poſtremo hæc conſtituta dicuntur quadrageſimo anno Dauidis, de vltimo anno vitæ eius accipienda eſſe ſupra monuimus, [e] quanquam textus ipſe non requirit vt ad quadrageſimum annum comitia, & quæcunque in eis geſta ſunt referamus, cum agat duntaxat de quæſitis, ſiue recenſitis Leuit. fortiſſimis, qui erant in Galaaditide, quod fieri potuit ante coacta comitia, Dauide de eorũ diſpoſitione mature cogitante. Quæ autem deinceps cap. 27. de turmarum præfectis traduntur, ad prima quidem Dauidis tempora pertinent; ideoq. à nobis ad primũ Dauidis annum ſunt relata, [f] quo is militiam ſuã redegit in ordinem; hoc tamen tempore recenſiti fuerunt, vt intelligeretur, quæ nunc ſub mortem Dauidis in his præfectis facta eſſet mutatio, ex quo primum fuerant inſtituti. Nam Azael mortuus erat, eiq. ſuffectus fuerat Zabadias filius eius; [g] mortuus item Achitophel, cui ſucceſſerat Ioiada filius Banaiæ. Idem de Dudia præfecto ſecundæ turmæ ſignificare voluit Hieron. cum ait *poſt eum* fuiſſe Macelloth. Nã quia Banaias viuebat, & Ieſbaã, cum filii eorum vicariã ſub ipſis gererent præfecturã, ideo in his alia loquendi forma Scriptura vtitur, nec ait hos filios poſt eos præfuiſſe turmis ipſorum. Denique eiuſdem mutationis diſpiciendæ cauſa, duces tribuum, & præfecti domeſtici Dauidis fuerunt recenſiti. De quibus aliquid ſupra diximus, [h] dum eos percenſeremus, qui his comitiis interfuerunt.

Turmarũ præfecti 12

e an. Dauid 39. n. 6. 7 8
f a. 2. & ſe
g 1 Par. 27. 7. 33. 34.
h n. 4. & ſe.

XLVIII. *Rex adeſt comitiis, imo præſidet.*

HIS ergo congruo loco, & tempore congregatis, ſurrexit rex, an de lecto ſuo? Imo de ſolio: in illo enim hoc tempore eum ſediſſe apparet, & non Salomonem, qui hiſce comitiis regno inaugurandus erat, & in regio throno pro patre collocandus. Itaque poſtquam inunctus eſt, ſediſſe dicitur ſuper ſolium Domini, in regem pro Dauid patre ſuo. Idque rationi conſentaneum fuit; ne comitia actũ agere viderentur. & ita Ioſephus eum locum interpretatur Surrexit inquam de ſolio neque enim tam fractum viribus, tam aſſioſum, & moribundum, tam effœctum ſenectute fuiſſe exiſtimandum eſt, vt ad horam ſurgere nequiuerit, vt in tanto cœtu maiore cum dignitate, atq; authoritate loqueretur, præſertim cum Ioſephus dicat, eum è celſiore ſuggeſtu fuiſſe locutum; & Septuag. in medio Eccleſiæ, ſiue concionis ſtetiſſe, & Hebræi codices habeant *ſurrexiſſe ſuper pedes ſuos*, & editio vulgata *ſtetiſſe* dicat: quod de ſeſſione in lecto interpretari duriſſimum videtur, licet id aliqui non improbent.[i]

c. 29. 23.
l. 7. c. 11. fi.
i Dion. & Pine l. 2 c 11. n. 4.

XLIX. *Eius ad populum oratio.*

QVID ergo ait bonus rex, & ſenex. *Audite me*, inquit, *fratres mei, & populus meus*, ſic ſeniores primò, & in dignitate conſtitutos, fratris nomine compellans honorat & beneuolos ſibi reddit, populi nomine cæteros intelligit. *Cogitaui*, inquit, *vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri*, [k] eadem arca ſcabelli ſuppedanei nomine intelligitur. Nam Dominus ſedere intelligebatur ſuper propitiatorium, quod Cherubini ferebant, vnde dicebatur ſuper Cherubim [l] ſedere, vel inter Cherubim, & eminebat ſuper arcam, ideoque & pedes Dei niti arca fœderis, quaſi ſcabello cenſebantur. Incipit autem concionem à re diuina, & Dei gloria, & honore

k vid. quæ diximus an Moſ 81. n 414 & Abul. hoc loc. q 10
l Ex. 25 17. & c 37. 6. 7.

amplificando quoniam is erat finis, ad quem Dauidis intentio ferebatur, quæ in templi excitatione agebatur.

eiuſdemque geminus finis.

L. *Electio diuina Salomonis, & Dauidis.*

Neqve vero potuit rex, quod ſecundo loco intendebat, vehementius toti populo Salomonem filium ſuum commendare; vel efficere vt æquioribus animis ab vniuerſo populo in regem agnoſceretur: quam docendo electionem, & inſtitutionem eius eſſe diuinam, quod tum demum ſe intellexiſſe ait, cum voluit Deo templum ædificare. Eique Deus dixit, *non ædificabis domum nomini meo, eo quod ſis vir bellator, & ſanguinem fuderis.* Quæ cauſa ſuperius à nobis diligentius explicata eſt.[a] Vt autem diuinam Salomonis electionem ad hoc ſacroſanctum munus oſtendat, rem paulo altiusque repetit, & ſuam ipſius ante exponit gradatione non inuenuſta.[b] *Sed elegit* Dominus Deus *Iſrael me, de vniuerſa domo patris mei, vt eſſem rex ſuper Iſrael in ſempiternum.* De *Iuda enim elegit principes; porro de domo Iuda, domum patris mei, & de filiis patris mei, placuit ei, vt me eligeret regem ſuper cunctum Iſrael. Sed & de filiis meis, filios enim mihi multos dedit* Dominus, *elegit Salomonem filium meum, vt ſederet in throno regni* Domini *ſuper Iſrael, dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificauit domum meam, & atria mea. Ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero illi in patrem. Et firmabo regnum eius vſque in æternum, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea, & iudicia mea, ſicut & hodie.*

a Dauidis ann. 11. n. 54 & 55.
b 1. Par. c. 28 v. 4.

LI. *Regnum Iſraelitarum diuina electionis.*

Hæc iamdudum meditatus erat Dauid, & cecinerat coram Domino in pſalmis ſuis, nominatimque in Pſalm. 77. quem in hæc fere verba concludit, *& repulit tabernaculum Ioſeph*, etſi is fuerat ſanctiſſimus, ac glorioſiſſimus omnium patriarcharum, filiorum Iacob, ac parenti longè dilectiſſimus. *Et tribum Ephraim non elegit*, quæ ſingularem ab eodem Patriarcha benedictionem, cancellatis manibus fuerat conſecuta. *Sed elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit: Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum; paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam.* Hæc eſt epitome eorum, quæ 2. Reg. 7. hac de re habentur, vbi primùm vides Iſraëliticorum regum electionem non popularem eſſe, ſed diuinam; iuxta illud Deut.[c] *Eum conſtitues regem, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Vt fuſius primo anno Saulis à nobis diſputatum eſt:[d] quod agnouit etiam Adonias,[e] *Tu*, inquit, *noſti quia meum erat regnum, & me propoſuerat omnis Iſrael ſibi in regem; ſed tranſlatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei. A* Domino *enim conſtitutum eſt ei.* Illud etiã non ſegniter animaduertendum, quod alio loco diligentius obſeruauimus, regnum Iſraëliticum dici thronum regni Dei, vt intelligatur Deum peculiari modo hunc ſibi populum, & regnum aſſumpſiſſe, in quo reges non iure hæreditario, aut primogenituræ, ſed ipſius Dei electione, ad imperii gubernacula vocarentur. Inde eſt quod Iudices, à Ioſue ad Samſonem, arbitrio ſuo, modo ex hac, modo ex illa tribu elegit; & modo ex primis, modo ex poſteris earum familiis. Reges quoque ſic elegit, vt primus eorum fateretur ſe ortum de minima tribu Iſraël, & nouiſſima cognatione inter omnes familias de tribu Beniamin; ſecundus minimus natu inter fratres ſuos de medio gregium euocaretur ad regnum. tertius quoque, etiam ante ortum ſuum, præteritis aliis, qui ætate, rerum gerendarum peritia, aliſque titulis antecedebant, regno per prophetam deſtinaretur. Huc pertinet quod Dauid infra confitetur,[f] *Peregrini*, inquit, *ſumus coram te, & aduenæ ſicut omnes patres noſtri.* Vbi notat Caietanus Deum ſibi reſeruaſſe proprietatem terræ promiſſionis; filiis autem Iſraël eam ad vſum tantum dediſſe.[g] *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea eſt, & vos aduenæ, & coloni mei eſtis.*

c c. 17. v. 15.
d num. 11 & ſeqq. & n. 27. & ſeqq.
e 3. Reg. 2. 15.
f c. 29. 15.
g Leuit. 25. 23.

LII. *Dei in Salomonem dilectio.*

Illvd etiam vehementiſſimè conciliat animos Salomoni, quod eum Deo dilectum, & charum inſtar filij fore, rex ipſius Dei ore pronunciat: quo diuino promiſſo omnia optimi, ac munificentiſſimi parentis in filium officia, continentur. Ex quo etiam eximia Dei ſub tali rege priuilegia, & munera in populum ſequi neceſſe eſt. Illud denique valet ad frangendam ſpem omnem Adoniæ, & inimicorum quorumuis Salomonis animos, quod regno eius perpetuam à Deo promiſſam firmitatem refert, ſed ita tamen eorum animos comprimit, vt Salomoni etiam timorem conіiciat, cum intelligat ſibi imperium ſub conditione datum eſſe: quod etiam efficacius paulo poſt inculcat.

LIII. *Dauid populum commonefacit.*

Deinceps vero renouat Dauid fœdus populi cum Deo, cum conditione toties olim à Moyſe iterata. [a] *Nunc ergo*, inquit, *coram vniuerſo cœtu Iſrael, audiente Deo noſtro, cuſtodite & perquirite cuncta mandata* Domini Dei *noſtri, vt poſſideatis terram bonam, & relinquatis eam filiis veſtris poſt vos, vſque in ſempiternum.* Suſpicari poſſimus hæc comitia habita fuiſſe ad tabernaculum, & arcam Dei in monte Sionis, eò quod ait, *audiente Deo noſtro*, quæ ipſa verba, ad quandam ſolennitatem, & ritum fœderis pertinent, vt notat Pineda, [b] quod præter morem fieri videtur, *coram populo, & audiente* Deo, & non vice verſa, coram Deo, & audiente populo; ſed res eodem videtur redire. Totus enim populus commonefit vniuerſe, audiente Domino quaſi teſte, & ſinguli admonentur coram vniuerſo populo, eodem ipſo Deo audiente, & comprobante.

a 1. Par. 28. 8

b l. 2. c. 11. n. 7.

LIV. *Et nominatim Salomonem.*

Inde autem conuertit orationem ad filium paterna ſollicitudine, ac pietate admonendum. *Tu Salomon fili mi, ſcito* Deum *patris tui*, qui ſcilicet elegit me, & ſe ſe beneficentiſſimum erga me præbuit, & ſinceram erga ipſum pietatem & zelum honoris eius inſcripſit cordi meo; tu quoque *ſeruito ei corde perfecto, & animo voluntario*, non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ. Nihil ſit in corde tuo fictum, nihil ſimulatum, aut duplex. Vt enim quis homines fallere poſſit, Deum certe non poteſt: *omnia enim corda ſcrutatur* Dominus, *& vniuerſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, inuenies*; ſi colueris eum ex animo, ipſum experiere propitium: *ſi autem dereliqueris eum, proiciet te in æternum.* Quæ verba poſſet quis trahere in argumentum aſſerendæ æternæ condemnationis Salomonis: præſertim cum de poſteritate eius non ſit ſermo, non enim proiecta eſt, vt non regnaret, quamuis peccante, & Dominum derelinquente Salomone. Regnum enim in eius familia perſeuerauit annis circiter quadringentis.

LV. *Non agit Dauid de reprobatione Salomonis.*

Nihilominvs non videtur mens Dauidis hoc loco agere de beatitudine, aut morte æterna Salomonis. Nam id iudicium in Dei corde ſecretiſſimum eſt: nec apparet, ſi res ita haberet, Dauidi reuelatum iri diuinitus, ne perpetuo mœrore contabeſceret: Quin nec eius rei vllam humanitus poterat habere coniecturam, in tam ſancta inſtitutione pueriſi Salomonis, & tam bene morata eius adoleſcentia. Agit ergo de ſucceſſione regia, & opponit è contrario hæc verba, illis quæ paulo ante vſurpauerat, [c] *& firmabo regnum eius in æternum, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea.* Neque obſtat quod regnum in familia Dauidis, aut Salomonis, non dependebat à conditione vitæ religioſæ poſterorum Dauidis: cum ſimpliciter id promiſſum fuiſſe ipſi, multorum regum ſeries, ad quadringentos annos propagata, apertè demonſtret. Nam certo quodam modo pendebat regni Dauidici continuatio, à probitate, vel improbitate poſterorum eius. Quamuis enim improbi eſſent, non tamen defecturum erat regnum ſtatim, vt contigit familiæ Saulis: (nam hanc duarum familiarum regiarum antitheſim Dominus ipſe non ſemel vſurpat) ſed & quadringentos nihilominus annos in gratiam Dauidis perſeueraturum erat. Sin autem Salomon reliquique nepotes Dauidis, ſancte conſtanterque Deum coluiſſent, perſeueraturum erat regnum in familia Dauidica, vſque ad conſummationem ſeculi, vt exiſtimat Abul. [d]

c verſ. 7.

d q. 12. in c. 28. 1. Par. vide eundē 3. Reg. 2. q. 6

LVI. *Deſcriptio templi data diuinitus.*

Cvm hæc in genere dixiſſet Dauid in particulari de templo ſuſcipiendo ita monet. *Nunc ergo quoniam elegit te* Dominus *vt ædificares domum ſanctuarii, confortare, & perfice:* deinceps autem intexitur longa parentheſis, de particulari templi deſcriptione, plurimiſque rebus ad illud pertinentibus, quorum nonnulla iam alio loco expoſita ſunt, alia deinceps ſuo quæque loco exponentur. *Dedit*, inquit, [e] David *Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi*, &c. Quam deſcriptionem impreſſam diuinitus intellectui Dauidis putat Caietanus; a Dauide autem depictam, filio Salomoni datam, ita vt quod dicitur, *omnia venerunt ſcripta manu* Domini *ad me*, non de ſcriptura corporali, ſed ſpirituali intelligenda ſint. Verum ſatius eſt propriam, & natiuam verborum ſignificationem retinere, & de vera, & materiali deſcriptione accipere, ne fortè etiam deſcriptionem decalogi, non in lapidibus, ſed in mente Moyſis, ſpiritualiter quoque factam dicamus. [f] Eo pertinet autem hæc monitio, vt Salomon nihil in hac fabrica mutare, aut peruertere ſibi

e 1. Par. 28. 11.

f vid. Abul. cont Caiet. in 1. Par. 28 vbi de templo q. 1.

licitum putet. Porro hæc vltima verba, eximiam quandam huius templi laudem continent, quod ipſum Deum habuerit architectum.

REDITVR deinceps ad exhortationem, quæ Salomoni fieri cæpta erat, antequam ei idea, & exemplar totius diuini operis oſtenderetur: quod cum eſſet opus prope infinitum, & huiuſmodi, vt hominem maximo ingenio, ac viribus; & ſingulari rerum gerendarũ peritia præditum deterrere poſſet; multomagis adoleſcentem tenerum, & delicatum mole ſua oppreſſurum videbatur. *Dixit ergo Dauid Salomoni filio ſuo, viriliter age, & cõfortare, & fac, ne timeas, & ne paueas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, neq; derelinquet, donec perficias omne opus miniſterij domus Domini.* Hoc primum, maximúmq; Salomonis auxilium, ſequitur alterum: [a] *Ecce diuiſiones ſacerdotum*, illæ ſcilicet claſſes, ſiue vices 24. de quibus ſupradiximus. *& Leuitarum*, diuiſorum in præpoſitos, & iudices, miniſtros, cantores, quæſtores, ianitores, &c. De quibus eodem cap. & ſeqq. nimirum perfecta hæc iam fuerant initio comitiorum iſtorum, pergit. *In omne miniſterium domus Domini, aſsiſtũt tibi, & parati ſunt, & nouerunttam principes quam populus, facere omnia præcepta tua.* Et hæc quidem eo die facta exiſtimantur, ne nimium Dauid grauaretur, diutius concione protracta. Abiit autem, vt videtur, per manus principum antè nominatorum, deſcriptio, atque ideo templi: quæ à Dauide Salomoni primum tradita eſt, vt animi eorum cum ad laudandum Deum incaleſcerent, tum ad bene de Salomone ſperandum: denique vt ad auxilium tantæ fabricæ præbendum animarentur; De quo auxilio conuenientius poſtea, atque fructuoſius agi potuit. Sicque primus iſte conuentus ſolutus eſt.

ALTERO ergo vel die, [b] vel conuentu, renouat Dauid memoriam electionis diuinæ filii ſui in regnum; nominatim autem ad maximum, & magnificentiſſimum opus templi Domini. *Locutus eſt*, inquit, *Dauid Rex ad omnem Eccleſiam: Salomonem filium meum vnum*, in tota ſcilicet filiorum multitudine: nam paulo antè multos ſibi à Deo datos fuiſſe dixerat. *Vnum* ergo *elegit Deus adhuc puerum, & tenellum. Opus namque grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Vides Deo gratum, & à Deo electum monarchicum principatum, in vnius electione Salomonis? Vides eandem merè liberam, & diuini arbitrii, non natu maiorem, non primogenitum, non prudentiorem eligentis, ſed puerum, & tenellum, non ſimpliciter, & abſolutè ratione ætatis, vt ſæpe dictum eſt; nam vigeſimum ſecundum iam agebat annum, aut etiam comparatione ſui, qui ſeptuageſimum iam ſuperabat, quando grandæui iuniores omnes, pueros etiam blandiendo appellitant. Sed ad magnitudinem ſuſcepti operis, quod requireret hominem, omnibus naturæ, artis, doctrinæ, prudentiæ, experientiæ, præſidiis cumulatè inſtructum, atque paratum. *Quandoquidem non homini præparatur habitatio ſed Deo.* Ad id autem, cum duo ſumma requirantur, ſcientia, & facultates, ſcientiam non defore iam ex antè dictis conſtat, cum tota deſcriptio tantæ molis ab ipſo Deo tradita ſit: idemque ipſe tantus architectus, affuturus ſit electo ſuo regi, ad rectè exequendum, quæ rectiſſime digeſta, atque ordinata ſunt. Dicebat enim Dauid paulo antè Salomoni, *Dominus Deus meus tecum erit, & non dimittet te, neque derelinquet, donec perficias omne opus miniſterii domus Domini*, nempe quaſi primaria cauſa, cum ea concurrens, atque collaborans.

QVOD ergo attinet ad facultates, volens Dauid populum ad liberalem largitionem excitare, proponit exemplum ſuum, non ignarus exempla in omnem partem plus prodeſſe quam verba, ideo ſubdit, *Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei; aurum ad vaſa aurea, & argentum in argentea; æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum*: Videtur porphyreticos lapides intelligere, diuerſis coloribus variegatos, vt vnguis humani, aut ſtibii ſiue fuci, aut alteruis cuiuſpiam, ex quibus pretioſę columnæ, earumque baſes aut capitella, aliaue nobiliora artis opera fiunt. Sed pergit, *omnem lapidem pretioſum, & marmor Parium abundantiſsime*. Non explicat hebræus textus quodpiam genus marmoris, ſed explicandi cauſa, Septuaginta nobiliſſimum addiderunt marmor, Parium ſcilicet, quod in Paro inſula exciditur, calore candidiſſimum, bonitate primarium.

Marginal notes:

a 1.Par. 28. 21.

b 1.Par. 29. 1.

LVII. *Dauid filiũ animat ad ſuſcipiendũ opus templi*

eius adiutores.

Deſcriptio oſtenſa principibus.

LVIII. *Electio Salomonis ad templi fabricam.*

qui vnus dicatur.

& tenellus

LIX. *Apparatus Dauidis ad templum.*

LX. *Noua Dauidis in templum liberalitas.*

ET *ſuper hæc, quæ obtuli in domum Dei mei.* Hebraicè ad verbum habetur. *Et adhuc propter voluntatem meam in domum Dei mei*: id eſt, præterea, quæ mea eſt propenſio erga templum Domini *de peculio meo*, ſiue de peculiari meo theſauro, quem mihi ſepoſui, vti reges ſolent ad priuata oblectamenta, atque delitias: vulgò dicimus, *pour les menus plaiſirs du Roy*. *Aurum & argentum do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparaui in ædem ſanctam*, illis ſcilicet centum millibus, & mille millibus talentorum auri & argenti, de quibus ſupra anno Dauidis 38 ex primo Paral. 22. quæ nos diceremus *du Threſor de l'eſpargne*. *Tria millia talenta auri, de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi, ad deaurandos parietes templi*: id eſt, laminis obtegendos aureis vel argenteis, vt ſuo loco dicetur. Aurum autem Ophir intelligimus fuiſſe longè pretioſiſſimum, ex certa regione aduectum, ſiue ea in Indiis Occidentalibus, ſiue Orientalibus ſita ſit, qua de re fuſe Pineda, [a] vide & Abulenſem. [b] Eupolemus apud Euſebium lib. 9. cap. vlt. ait Dauidem cum inſtituiſſet præparare materiam templo conſtruendo, nauem compegiſſe Achanis vrbe Arabiæ, & in inſulam Vrphen in mari rubro ſitam, aureas venas habentem effoſſores miſiſſe; qui aurum inde in Iudæam deportarent. Vox Vrphe ex Ophir facta videtur Ortelio, in theſauro geographico, & Pinedæ [c] Ne quis autem putaret, hoc aurum vel argentum, ad parietum tantum ornatum deſtinatum, addit, [d] *Et vbicumque opus eſt aurum, de auro; & vbicumque opus eſt argentum, de argento opera fiant per manus artificum.*

eius peculium.

a l. 4. c. 17. b q 6. c. 29 1. Paral.
c l 4. c. 16 § 8.
d 1. Par. 29 5.

LXI. *Optimatū eius liberalitas.*

INDE vero principes, & populum hortatur ad liberalem contributionem, quæ ſit inſtar ſacrificii Deo oblati, propria enim phraſi vtitur, quæ ad ſacrificia pertineat, vt notauit Abulenſis in cap. 29. & Pineda. [e] *Etſi quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie, & offerat quod voluerit Domino.* In ſacrificio enim dicebatur impleri manus ſacerdotis ab eo qui dabat victimam, quæ offerretur Domino. [f] Sed & illa impletio liberalem largitionem notat. *Polliciti ſunt itaque principes familiarum & proceres tribuum Iſrael, tribuni quoque, & centuriones, & principes poſſeſſionum regis*, & quidem cum lætitia, vt poſtmodum dicetur, quæ offerre ſtatuerant. Videntur omnes ordine interrogati, quid in animo haberent offere Deo ad hanc fabricam; idque relatum in tabulas, quod poſtea à quæſtoribus exactum eſt.

e l. 5. c. 5. n. 44.
f Iudic. 17 5. 12. 3. Re 13. 33. & 2 Par. 29. 31.

LXII. *Quæ auri ſumma ab iis data.*

DEDERVNTQVE *in opera domus Dei, auri talenta quinque millia*, id'eſt, ſexaginta duos milliones, vti vulgò loquuntur quæſtores, & quingenta millia aureorum; iuxta ſupputationem, quam ſupra ſecuti ſumus; *& ſolidos decem millia*, qui ſunt ferè totidem nummi aurei, [g] accipiendo ſolidum pro drachma, vt hic habent 70. regia. Sixti autem, & Aldi χρυσοῦς μυρίους, id eſt, decem millia aureorum, ſcilicet nummorum. Ioſephus pro ſolidis habet ſtateres, 70. vero drachmas, quæ quaternæ ſiclo, ſiue ſtatere continentur: Itaque quadruplo maiorem ſummam facit, ſcilicet pro decem millibus, 40 millia; quod & notauit Villalpand l. c. drachmæ porro 96. conficiunt libram, centum vero minam Atticam. Differre tamen putat Couar. quem ſequitur Villalp. l. c. quod drachma ſit octaua pars vnciæ. Solidus autem ſexta.

62500000.
10000.
62510000.
g Vide Villalp 13. Apparat. l. 2. c. 15.

LXIII. *Quæ argenti, æris & ferri.*

ARGENTI porro talenta decem millia, æſtimando argentum in duodecupla proportione auri, vt vult Villalp. efficient decem milliones, quadringenta, & ſedecim millia, ſexcentos & ſexaginta ſex aureos, quæ tres ſummæ efficiunt 72 milliones, nongenta viginti ſex millia, 666 aureos nummos. Quæ auri, argentique vis, etſi immenſa videtur: addidit nihilominus populus æris talenta decē & octo millia ferri quoque centum millia talentorum. Itaque tantum collegerat auri Dauid, quantum ferri contulit populus. *Et apud quemcumque inuenti ſunt lapides* nimirum pretioſi, vt vult Abulenſis, *dederunt in theſauros domus Domini, per manum Iahiel Gerſonitis.* Hic enim cum duobus filiis ſuis Zathan, & Iohel, præpoſitus erat theſauris domus Domini. [h] Hunc Ioſephus vocat Ialum, non Iahielem, ſed in eo errat turpius, quod dicat eum fuiſſe de poſteris Moyſi, cum Scriptura dicat eum fuiſſe Gerſonitem: Moyſes autem non de Gerſon, ſed de Caath eius fratre deſcendit.

10416666.
72916666.
h ſupr c. 26 22. & c. 23. 8

LXIV. *Liberalitas cum lætitia*

PIA liberalitas coniuncta fuit cum lætitia, quia *hilarem datorem diligit Deus*: [i] nec ſolum diligit, ſed etiam facit: opera enim bona, cordis quædam hilaritas

i 2 Cor. 9 7 & Ecc. 35 11.

a Gen. 4. 6. b Luc. 24. 17

comitatur, ſicut vice verſa, peccatum triſtitia, iuxta illud Dei ad Caim, [a] *cur concidit facies tua?* &c, [b] *qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem, ambulantes, & eſtis triſtes? Lætatus* porro *eſt* hic *populus cum vota ſponte promitterent*, cum tamen homines dare ſoleant, non ſine quodam ſenſu triſtitiæ, quaſi eam iacturam faciant; at Deus lætitiam infuderat *quia toto corde offerebant ea Domino*? Sed anteceſſerat gratia eiuſdem vt eadem toto corde offerrent.

LXV. *Quare Dauid populi auxilia corrogarit.*

c vt Pin l 5. c 5 § 7. & l. 2. c 11. n. 9.

QVARE autem voluerit Dauid ipſum populum contribuere, in templi Dei conſtructionem, omnemque magnificentiam, quærunt aliqui, [c] & inter alias politicam quondam reſponſionem afferunt, haud ſcio an ſatis vel Dauide, vel Salomone dignam. Dauidem ſcilicet magnam diuitiarum populi partem, & res omnes pretioſiſſimas, quæ apud priuatos erant, ad Dei, & regis obſequium tranſtuliſſe, vt & Salomon in regno potentior eſſet, & ſi qui erant in populo regis, ac regni hoſtes, fierent infirmiores, & populus ipſe ad rebellandum debilior. Verum iſti aut liberales non fuiſſent, aut certe cum lætitia non dediſſent; idque merito videatur eſſe, [d] *quæſtum facere pietatem*, eiuſque ſpecie innoxium populum ſpoliare bonis ſuis. Itaque reſponſio magis placet, quæ ſimplicitatem Dauidis magis ſapiat, quam Dauid ipſe candide profitetur, dicens, [e] *Scio Deus meus quod probes corda, & ſimplicitatem diligas, vnde & ego, in ſimplicitate cordis mei, lætus obtuli vniuerſa hæc.* Smplicitatem hæbreus vocat rectitudinem, quæ ſcilicet non ſe ad proprium commodum inflectit, ſed in Deum vnum rectà tendit. Dicamus ergo voluiſſe Dauidem quam maximam auri, argenti, cæterarumque pretioſarum rerum vim coaceruare, vt tanto magnificentiorem facere poſſet ædem, quo plures theſauri ad materiæ, & formæ præſtantiam, & artificum ſumptus ſuppeterent. Et populo hoc ipſo charius eſſet templum, quo maioribus ſuis ſumptibus excitatum eſſet.

d 1. Tim. 6. 5.

e v 17.

LXVI. *Dauidis lætitia, & gratiarum actio.*

DAVID porro, cuius & publica, & priuata liberalitas, totius populi largitionem tanto interuallo ſuperabat, & cui inſuper liberalitas populi lætitiæ cauſa erat, vnde ait [f] *populum tuum, qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria*, num lætitiæ publicæ expers fuit? audi ſcripturam. [g] *Sed & DAVID Rex lætatus eſt gaudio magno, & benedixit domino coram vniuerſa multitudine, & ait, Benedictus es Domine Deus Iſrael patris noſtri ab æterno in æternum. Tua eſt domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria*, à te ſcilicet profecta fuit omnis victoria, per quam tot ſpoliis ditati, tot tributis aucti ſumus. *Et tibi laus; cuncta enim, quæ in cælo ſunt, & in terra, tua ſunt. Tuum Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris omnium in manu tua virtus, & potentia, in manu tua magnitudo, & imperium omnium.* Eadem diuerſis iterata phraſibus, affectum animi ſancti regis produnt. *Nunc igitur Deus noſter, confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.*

f v. 17.

g 1. Par. 29. 9.

LXVII. *Quam iuſta, etiam poſt oblationes noſtras.*

NIMIRVM noſtra omnis in Deum liberalitas eius præuiam in nos beneficentiam, & largitionem requirit, quia ille dedit noſtra, & nos ipſos nobis, vt eſſet nobis quod dare poſſemus. Eius autem liberalitas pura, integra, atque perfecta eſt, à nullo enim accipit vnde dare poſſit, *quis enim prior dedit ei?* Merito ergo Dauid, poſt talem, ac tantam Deo factam oblationem, ſuo, populique nomine gratias agit Deo, tum quia hæc ipſa quæ offert, ab eo ſe accepiſſe profitetur, cui offert, vt ſit potius quædam quaſi reſtitutio, quam largitio: tum quia hanc ipſam, ſanctam voluntatem & propoſitum offerendi, quod tanti erat apud Deum meriti, vt ſine eo cætera omnia plane iaceant, ac nihili ſint, Dominus eis dederat gratis. Et de hac ipſa voluntate videtur gratias agere Deo cum ſubdit. *Quis ego, & quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et rurſum, [h] *Domine Deus noſter omnis hæc copia quam parauimus, vt ædificaretur domus nomini ſancto tuo, de manu tua eſt, & tua ſunt omnia.*

h verſ. 16.

LXVIII. *Petit populo conſtantiam.*

NVNC autem vice verſa petit à Deo conſtantiam in ſancto propoſito, non ignarus inconſtantiæ, & infirmitatis humanæ, vt qui diuina gratia præuenti ſunt eadem concomitante, & conſummante perfruantur [i] *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael patrum noſtrorum, cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in veneratione tui mens iſta permaneat.* Verendum enim erat ne quod, feruore quodam animi incitante, ſpoponderant, mox frigeſcente deuotione ſoluere, propter

i v. 18.

promiſſi magnitudinem cunctarentur. Ex qua etiam intelligi poteſt quantis tum diuitiis Iſraëlitæ circumfluerent. Totam denique gratiarum actionem concludit ſupplici ad Deum pro filio ſuo oratione. *Salomon* [a] *quoque filio meo, Da cor perfectum vt cuſtodiat mandata tua, teſtimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat vniuerſa; & ædificet ædem cuius impenſas paraui. Præcepit autem* David *vniuerſæ eccleſiæ. Benedicite domino* Deo *noſtro. Et benedixit omnis eccleſia domino* Deo *patrum ſuorum*, non voce, ſed externo ſigno, vnde ſequitur, *& inclinauerunt ſe, & adorauerunt Deum, & deinde regem.* Approbantes, quæ Rex nomine ipſorum, & ſuo, coram Deo ſupplicabundus dixerat. Vnde Ioſephus [b] *Illi vero proſtrati humi* Deum *adorauerunt. Verſi deinde ad Dauidem, pro omnibus ei bonis, quæ ipſo regnante perceperant, gratias egerunt.*

& filio ſanctitatem. [a] v. 19.

& populus Deo benedicit. [b] l. 7. c. 5.

LXIX. *Summa rei deinceps geſtæ.*

TERTIVS deinceps ſecutus eſt dies, in quo ſacrificia in gratiarum actionem, & publica conuiuia vniuerſo populo celebrata ſunt, & Salomon ſecũdo vnctus eſt, & conſecratus in regem, & Sadoc in pontificem, & populus vniuerſus nouo Regi ſeſe ritu ſolemni addixit. Sed quid horum primum, quidue ſecundum, aut poſtremum geſtum ſit, non ſatis liquet: Certe ſi ſacræ narrationis ſeriẽ inſpiciamus, mane primum celebrata ſunt ſacrificia: tum ſecutæ epulæ, à prandio deinde, epulas excepit Regis, & Pontificis conſecratio, poſtrema fuit fœderis, inter regem & populum renouatio. Conuenientius tamen videtur, vt peractis primum ſacrificiis, dum inſtruitur epulum, gemina illa conſecratio perfecta ſit, & obſequium à populo regi delatum. Reliquum deinde tempus conuiuio, & lætitiæ datum, & populus domum dimiſſus.

eiuſque ordo.

LXX. *Sacrificia pacifica, & holocauſta.*

DE ſacrificio hæc habet ſcriptura [c] *Immolaueruntque victimas domino; & obtulerunt holocauſta die ſequenti tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus ſuis, & vniuerſo ritu abundantiſſ. in omnem Iſraël*: vt ſcilicet inde haberent vnde liberaliter à Dauide, cuius ſumptibus fiebant ſacrificia, accepti, hilariter epularentur, ita ſtatim fit mentio epularum, *& comederunt, & biberunt coram domino, &c.* Vtique non coram arca, quod enim atrium tanto populo epulanti par eſſe poſſet? ſed *coram* Domino id eſt Hieroſolymis, loco quẽ ſibi Dominus elegerat, ad epulas ſacrificiorum pacificorum. [d] Nam bona pars pacificorum ſacrificiorum cedebat in populi offerentis conuiuium, vt non ſemel ſignificauimus, ex quo etiam conſtat aperte, non omnia hæc in holocauſtum Deo fuiſſe oblata, ſed magnam partem in pacificas victimas ceſſiſſe. Sed quid huic, quidue illi ſacrificio deſtinatum fuerit, ex ſcriptura colligi non poteſt. Si Ioſepho [e] credimus, ter millenæ illæ hoſtiæ ſacro igne abſumptæ ſũt; deinde aliæ victimæ oblatæ, quæ de more ſacerdotibus, & populo diſtributæ ſunt: ſic enim ait. *Sequẽti vero die ſacrificia ſunt inſtaurata, mille vitulis, mille arietibus, mille agnis in holocauſtomata oblatis. Ad pacifica quoque ſacrificia, multis millibus victimarum mactatis.* Verum non puto in ſcriptura reperiri vſquam tria hoſtiarum millia vnico holocauſto abſumpta fuiſſe. Certe maximè ſolẽne celebratur holocauſtũ Ezechiæ regis, pro vniuerſi populi & tẽpli expiatione: tunc tamen, (vt habetur) numerus holocauſtorum fuit; tauri 70. arietes 100, agni ducenti: Salomon in excelſo Gabaon mille hoſtias legitur in holocauſtum obtuliſſe, quod fuit ſacrificium ad obtinendam ſapientiam initio regni longe celeberrimum. At hoc holocauſtum triplo maius foret.

[c] v. 21 c. 29. [d] Deut 12. 12. 18. *ex Ioſepho.* [e] l. 7. ant c 11. *qui & improbatur.* c. 29. 32.

LXXI. *Conſecratio noui Pontificis.*

DEINCEPS ſecuta eſt inunctio, & conſecratio, Regiſne prius an Pontificis? Pontificis videtur prior, vt tanto auguſtior eſſet regis initiatio, quo maior eſſet, qui initiaret. Vnctus ergo Sadoc in Pontificem, & quidem nunc primum, licet aliter putet Pineda. [f] Nam ne id putaremus ſcriptura apertè ſeparat geminatam vnctionem regis, ne ea ad pontificem quoque pertinere crederetur, ait enim. *Et vnxerunt ſecundo Salomonem filium David. Vnxerunt autem eum domino in principem, & Sadoc in Pontificem*, At ſi Sadocum bis vnctum dicere, vel ſignificare voluiſſet, ita etiam breuius dicere potuiſſet. Et vnxerunt ſecundò Salomonem in principem, & Sadoc in Pontificem, quanquam ne tunc quidem, illud *ſecundo* ad vtrumque facile referretur.

[f] l. 2. c. 11 n. 1.

LXXII. *Quibus facta ceremoniis.*

QVÆ porro fuerint ceremoniæ huius pontificiæ conſecrationis, ex Aaronica, quæ octauo Leuitici habetur, colligendum eſt. Vbi inter alia dicitur oblatus Aaron à Moyſe in conſpectu domini, & totius populi, ablutus, veſtitus ſubucula linea, accinctus baltheo, indutus tunica hiacinthina, humerali deſuper im-

poſito. Quod aſtringens cingulo aptauit rationali, in quo erat doctrina & veritas. Cidari quoque texit caput; & ſuper eam contra frontem, poſuit laminam auream, conſecratam in ſanctificatione. Tulit & vnctionis oleum, quod fundens ſuper caput Aaron vnxit eum, & conſecrauit. Oblatus eſt deinde vitulus pro peccato ſuper cuius caput impoſuit pontifex manum antequam immolaretur. Iterumque oblatus eſt vnus atque alter aries in holocauſtum, cum eadem ceremonia impoſitionis manus; ſed ſumpſit præterea Moyſes de ſanguine arietis immolati, & tetigit extremum auriculæ dextræ pontificis, & pollicem manus eius dextræ, ſimiliter & pedis. Denique aſſumens vnguentum & ſanguinem, qui erat in altari aſperſit ſuper Aaron, & veſtimenta eius. *An Aaronici.*

Vtrvm autem hæc omnia facta fuerint, & per ſeptem dies iterata, & interim manſerit Sadoc in tabernaculo, obſeruās cuſtodias Domini, ſicut olim Aaron, & filii eius, affirmare non poſſum. Forte enim id tantum factum fuit, quod legimus in transferendo pontificatu Aaronis in Eleazarum filium ſuum. Nam ducto in montem Hor vtroque, Moyſes, ſicuti à Domino iuſſus fuerat, nudauit Aaronem pontificiis veſtibus, & iis induit Eleazarum Sic & hoc loco ablatæ fuerint, Dauidis, & Salomonis iuſſu, ab Abiathare veſtes pontificiæ, & eis coram comitiali conuentu Iſraëlitarum, Sadoc indutus fuerit, qui iampridem in ſacerdotem conſecratus erat, vt pote ortus ex Eleazare pontifice. Inde ſecuta eſt inunctio, quæ hoc loco memoratur vt præcipua ceremonia; & in qua vis ipſa, & natura conſecrationis poſita cenſetur. A quo autem vel indutus, vel conſecratus fuerit, non facile dixerim; forte ab ipſomet Abiathare, aut aliquo alio ex antiquioribus ſacerdotibus; aut potius à S. propheta Nathan, Moyſis, & Samuelis vice fungente; ſicque Abiathar de gradu & dignitate ſua deiectus eſt. LXXIII. *Ans Eleazaris.*

a Nu. 20. 25.

Nec te moueat, erudite lector, quod hic maturius Abiatharem, viuo adhuc Dauide, in ordinem redigamus, cum id factum videatur duntaxat poſt mortem Dauidis, & cædem Adoniæ. [b] Nam cum viuo Dauide, Sadoc inunctus, ac conſecratus fuerit in pontificem; [c] & quidem in ſumma comitiorum totius populi celebritate, in qua & rex ipſe Salomon in regem inauguratus eſt; nemo rectè dubitarit conſecrationem vtramque, cum omni ceremoniarum apparatu fuiſſe perfectam. Oportuit ergo Sadocum pontificalibus indui veſtimentis, & nominatim Ephod pontificio, & rationali, quod vtique vnicum erat in tota ſupellectile pontificia. Ergo neceſſe fuit ab eo accipi, qui hactenus pontificem egerat. Dauide minime repugnante, qui dudum à Bethſabæa, & Nathane propheta didiciſſet, eum participem fuiſſe coniurationis Adoniæ cum Ioabo, aduerſus Salomonem, à ſe deſtinatum regem. Itaque cum Salomoni grauis eſſet Abiathar, & æmulum haberet gratioſiſſimum Sadocum, qui iam primò Salomonem inunxerat, facile intelligi poteſt, eum iuſſum promere ornamenta pontificia, & quamtumuis ægrè ac repugnanter, obtemperaſſe. Præfractius enim neganti, cum alioqui reus eſſet imminutæ maieſtatis, ſine dubio mors imminebat. Idque ſatis docent illa ad ipſum verba Salomonis, [d] *Equidem vir mortis es, ſed hodie non interficiam te, quia portaſti arcam domini.* Cum autem gradu deiectus Hieroſolymis adhuc verſaretur viuo Dauide, eodem mortuo, Salomon inde illum eiecit, & in pagum ſuum amandauit, ne quid rerum nouarum in vrbe regia moliretur. Quod autem tunc quoque Sadoc iteratò in pontificem inunctus fuerit, Abulenſi [e] affirmanti aſſentiri non poſſum. LXXIV. *Abiathar gradu deiicitur.* *Spoliatur veſtibus pontificiis.*

b 3. Reg. 2. 26.
c 1. Par. 29. 22.
d 3. Reg. 2. 26.
e par. 29. q. 24.

Vnctvs Pontifex, Salomonem, eodem Nathan adiuuante; quanta maxima fieri potuit ſolemnitate, atque apparatu vniuerſis comitiis ſpectantibus inunxit, cum totius populi exultatione, tubarum, omniumque inſtrumentorum muſicorum harmonico concentu. Addit Diuus Hieronymus in tradit. in vnctione dixiſſe populum. *Quicumque regnet tu Deus noſter, tu ſemper ſis Deus noſter.* Inunxit inquam, & *conſecrauit Domino in principem*, id eſt vt Pineda [f] interpretatur, ad Dei honorem, Deo ſic volente, ſic eligente, & omnium animos, ad eam rem perficiendam, mirificè deuinciente. Aut certe dicitur *conſecratus Domino*, ſicut & Pontifex, vt ſicut hic in ſpiritualibus, ita ille in temporalibus Dei vice fungeretur, in populo Dei gubernando; nominatim autem ad templum Domino LXXV. *Salomon ſecundo conſecratus.*

f l. 2. c. 22. n. 1.

& quamobrem. excitandum. Sapienter porro Dauid Salomonem in principem populi ſecundo conſecrari voluit, non vt eum ſacerdotalis dignitatis participem faceret; [a] ſed vt qui in ſchiſmate prius conſecratus, multos habuerat ſibi repugnantes, qui Adoniæ ſtuduerant, nunc communibus omnium ordinum votis conſecratus, communiter ab omnibus admitteretur in principem; idque non obſcurè ſignificatur in textu, cum dicitur, non ſolum ſediſſe ſuper ſolium DOMINI, in regem, pro Dauid patre ſuo, Dauide illi loco cedente; & in humiliorem aliquam cathedram libentiſſime conſidente, quod erat regni poſſeſſionem tradere, vt ſupra dibamus, ſed etiam cunctis placuiſſe, & omnem Iſraëlem illi paruiſſe. *Deducto* ait Ioſephus *in regiam Salomone & in ſolio paterno collocato*, Nimirum, vt ſupra dicebamus, Dauid in comitiis in regio throno conſederat, *ex ea die in poſterum obedientes ei fuerunt.*

a vide Abu. 1. Par. 29 q. 10.

LXXVI. *Altera cauſa ſecundæ vnctionis. Pignus fidei.* EADEM ipſa verba alteram tangunt rationem ſecundæ vnctionis; vt nimirum renouaretur fœdus nouum inter regem & populum, quo illi rex paternam beneuolentiam protectionem, & curam pollicebatur; populus autem fidelitatem, & & obedientiam; ſed idipſum apertius declaratur cum ſubditur. *Sed & vniuerſi principes, & potentes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni regi.* Hebraicè habetur, *dederunt manum ſub Salomone rege.* Vulgata exponendo addidit, *ſubiecti fuerunt*, vt illa porrectio manus fuerit in ſignum ſubiectionis, quomodo etiam Septuag. dationem manus verterunt in ſubiectionem, quæ eſt etiam Ioſephi expoſitio, Vatabli & Hugonis. Aliquid addit Lyranus. *Cuncti filij regis*, inquit, *dederunt manum*, id eſt per fidem promiſerunt, ſeu iurauerunt, quod fideliter ſubeſſent Salomoni. Id enim ſpecialiter ab eis exegiſſe Dauidem, Comeſtor, Abulenſ. & Carthuſianus tradiderunt. *& amicitiæ.* Sed cum oblatio dexteræ ſit etiam pignus amicitiæ, integra loci ſententia erit, tam principes, quam regis filios porrecta Salomoni, ſummiſſaque dextera, beneuolentiam & fidem, & ſubmiſſionem iureiurando firmatam promiſiſſe. Vt Pineda quoque notat, qui addit, voluiſſe Dauidem, occaſione nouæ huius inaugurationis, omnium animos ad rem diuinam procurandam, templi ſcilicet ædificationem, inter ſe coniungere.

LXXVII. *Quid hic Ioſephus.* OPERÆ pretium autem eſt, antequam ad alia progrediamur, hic Ioſephum audire, qui inter alia, Dauidem in comitio ita loquentem inducit. *Nunc igitur quandoquidem ſcitis quod etiam maiores noſtri Iacobi filij, cum duodecim eſſent*, Committit Leui cultui diuino deſtinatum, *Iudas tamen conſenſu omnium principatum obtinuit*; imo vero patriarchæ ſolius à Deo inſpirati voluntate. Neque enim vſquam apud Patriarchas ad vota, vel ſuffragia pro principatu ventum eſt; neque adeo inter ipſas tribus, ideoque iudices modo ex hac, modo ex illa tribu a Deo ſuſcitati ſunt: & Iudas diuino fauore, non libera aliarum tribuum ceſſione, aut conceſſione dignitatis, præ cæteris eminebat; nec Dauid dixit Iudam, omnium fratrum conſenſu, obtinuiſſe principatum, ſed Deum de Iuda elegiſſe principes. Sed pergit Ioſephus. *Et mihi cum ſex* aut ſeptem potius *fratres eſſent, poſt habitis illis, Deum ad me regnum detuliſſe, nec eorumquemquam id factum iniquè tuliſſe.* Diuus tamen Chryſoſtomus in iis non leuem inuidiam agnouit; nec male in textu ſacro fundatam, vt ſuo loco diximus, pergit, *Ita ego quoque poſtulo, vt Salomone imperium conſecuto, cæteri mei filij nec contra illum, nec inter ſe ſeditiones agitent, ſed ſcientes hunc diuinitus electum, libenter eius dominio ſint ſubiecti.*

LXXVIII. *Epulatur populus & vbi.* HAC tota ceremonia peracta ad regium denique prandium omnes profecti ſunt. *Comederunt*, ait Scriptura, [b] *& biberunt coram* DOMINO, *in die illo cum grandi lætitia*, nimirum epulati ſunt, vt ait Abulenſ. [c] coram arca Domini. Nam quæ partes ſacrificiorum pacificorum proueniebant offerentibus, ab ipſis, & cæteris, quos inuitarent; in ſanctuario comedebantur. Verum vt ſupra dicebamus, [d] id neque fieri poterat, in tanta populi multitudine, neque oportebat ex lege, quæ requirebat duntaxat, vt comederentur in vrbe, in qua ſacrificabantur, nec alia vis eſt illarum vocum *coram Domino*, vt ex Deuter. [e] conſtat. Porro *Dominus magnificauit Salomonem ſuper omnem Iſrael, & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum Rex Iſrael:* Sicque impletum eſt votum illud Banaiæ & principum Iſraël, quod in prima vnctione ſemel iterumque emiſſum, in hac quoque etiam magni-

b c. 29. v. 22.
c q. 17 in c. 29.
d n. 28.
e Deut. c. 12. c. 16. 11.

ficentius iteratum eſt. *Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen tuum, & magnificet thronum eius ſuper thronum tuum.* Sed qualis hæc fuerit amplificatio, & magnificentia in ſequentibus dicendum erit.

LXXIX. *Lætitia præſens Dauidis, & pſalmus in ea.*

HIS ita tranſactis Dauid plenus dierum, & bonorum operum, & vero etiam lætitia plenus, cum Patriarcha Iacob dicebat, *iam lætus moriar*, quia vidi faciem Chriſti mei, & relinquo ſuperſtitem Salomonem in throno meo. Aut illius alterius ſanctiſſimi ſenis anteuertebat orationem, *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, &c.* Hoc enim tempore ceciniſſe dicitur pſalmum illum [a] 71. qui in Salomonem inſcribitur; *Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis*, quo, filio ſuo in regio throno collocato, ſpiritum iudicij, atque iuſtitiæ precatur, vt ſanctè officium ſuum obeat, in totius populi, nominatimque pauperum vtilitatem. Fuiſſe autem hunc vltimum Dauidis pſalmum, licet non vltimo loco ſit collocatus plęrique, in quibus Ianſenius, & Pineda; non male colligunt ex vltima illa clauſula, quæ habetur in eius fine; *Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe*, pro quo Chald. & Hieronym. *Completæ ſunt orationes Dauidis.* Et quidem cum ſanctus rex, non ſolum in verum, ſed in figuratum etiam Salomonem, cygnæis iſtis vocibus reſpexerit, ita eas attemperauit, vt & Salomoni conuenirent, & ei in primis, qui dixit, *ecce pluſquam Salomon hic.* vt accuratè docet Pineda lib. de Salomon. cap. 20. licet plerique ſoli Chriſto, pleraque in eo pſalmo competere arbitrentur. Hoc ergo pſalmo exhilaratus Dauid, decantata vtriuſque Salomonis, mirificè congruente inter ſe, & conſpirante fœlicitate, & regno ſpirituali cum temporali, petiiſſe videtur animæ ſuæ vt moreretur & dixiſſe [b] cum Elia, *ſufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quam patris mei.*

[a] pſal. 71.

[b] 3. Reg. 19. 4.

LXXX. *Eiuſdem teſtamentū.*

PRÆDICTO pſalmo, quaſi teſtamento ſpirituali condito, alterum, quod temporale vocemus licet, propediem moriturus inſtituit. Itaque *appropinquarunt dies Dauid vt moreretur*, cum iam ſeptuageſimum ſecundum annum ageret, iuxta ea quæ à nobis primo Salomonis anno conſtituta ſunt. *Præcepitque Salomoni filio ſuo dicens, Ego ingredior viam vniuerſæ terræ* terram ſe agnoſcit Rex maximus, atque humillimus, cæteris omnibus ſimilem, quibus in perſona parentis eorum dictum eſt, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo: donec reuertaris in terram de qua ſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, [c] *confortare, & eſto vir.* Quaſi dicat, præſente, & viuo patre, adoleſcentem agere licuit, tenellum, atque delicatum; nunc ſublato patre, opus tibi erit agere fortem, & conſtantem virum, ſapientia & rerum gerendarum peritia præditum, quæ tibi in dies magis, Deo bene propitio, contingent. Itaque filio pietatem, ac Dei cultum in primis commendat, idque vult eſſe primum in præceptis ſuis. [d] *Obſerua*, inquit, *cuſtodias Domini Dei tui*, vel, vt alij legunt, *obſerua vt cuſtodias mandata* Domini *Dei tui.* eodem ſenſu. cuſtodias enim vocat, vt etiam in Hebræo, ea quæ vult Dominus cuſtodiri, & ſeruari, id eſt mandata ſua. Ea vero triplicia erant, ceremonialia, iudicialia, & moralia, quæ deinceps diuerſis verbis commendantur.

3. Reg. 2. 1

[c] 3. Reg. 2. 3.

Gen. 3. 19. 3. Reg. 2. 3.

LXXXI. *Eiuſque docet vtilitatem.*

HVIVS autem obſeruationis geminam profert vtilitatem præſentem alteram, *vt intelligas vniuerſa quæ facis*, quia *lex domini ſapientiam præſtat paruulis, lucerna pedibus hominum, verbum Dei; & lumen ſemitis eorum.* Et iterum *declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Hebraicè habetur, *vt prudenter agas* Chaldæus, *vt proſperè tibi omnia ſuccedant*; alteram futuram, *vt confirmet* Dominus *ſermones ſuos, quos locutus eſt de me, dicens, ſi cuſtodierint filij tui vias ſuas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſraël* Habetur hæc promiſſio *2. Reg.* 7. 16.

LXXXII. *Mandata Dauidis de Ioabis cæde.*

DEINCEPS vero dat filio in mandatis, noxiorum aliquorum pœnam, quam ipſe commodè exercere non potuit: mandat vero, vt minus inuidioſa ſit animaduerſio, quæ à filio fiat, ex parentis mãdato. *Tu quoque noſti*, inquit, *quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ:* refert Lyranus ex R. Salomone. Ioab oſtendiſſe aliis literas, quas ſibi Dauid ſecretò miſerat, de occidendo Vria, quo facto blaſphemare fecit nomen Domini. Verùm id ſi verum eſſet, oportuiſſet Ioabum oſtendiſſe literas inimicis Domini, aut infidelibus Ammonitis, quod caret omni probabilitate, in eo peccauit potius, quod Regi parens hominem innocentem curauit interfici. Rectius intelligeretur mors Abſalonis, propter quam in magna culpa fuit cõtra Dauidem

ipſum, eius patientem, in qua nobiſcum ſententia eſt Abulenſis: [a] quia quantumuis ille mortem commeritus eſſet non licuit tamen Ioabo, contra præceptum regis, eum interficere. [b] & quidem, vt videtur, ſi quis hiſtoriæ verba conſideret, [c] in regij mandati quod tunc ei inculcatum eſt, contemptum. Adde poſtea hominis inſolentiam in regem Dauidem, quem, de ea cæde afflictiſſimum, cum conſolari debuiſſet, vehementer exacerbauit, minatus etiam ſeditionem, [d] & defectionem vniuerſi regni, contra ipſum. Accedebat poſtremo, quod particeps, & adiutor factus eſſet inchoatæ ab Adonia tyrannidis, ob quam vnam culpam Salomon Abiatharem ſacerdotum virum mortis eſſe pronunciauit. Sed hæc manſuetiſſimus Dauid diſſimulat, [e] ſiue quia contra ſeipſum facta fuerant, ſiue quia obliuione quadam deleta videbantur, & multis eius laboribus, pro Dauide ſuſceptis, condonata.

a 3. Reg. 2. 9.7. & 9
b an Dau. 30. n. 101.
c 2 Reg 18 14.
d Ibi 2. Reg. c. 19. 7.
e Abul. 3 Re. 2. 9.

XXXIII. *Nominatim ob duorum principum cædem. Abneris & Amaſæ.*

VERVM duorum principum cædes iniuſtiſſimè perpetratæ diſſimulari non potuerunt: ideóque mandat eum morte mulctari; verba mandati hic habent. *Tu quoque noſti quæ fecerit Ioab filius Saruiæ*, id eſt, meus ex ſorore nepos, *quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael Abner filio Ner*, [f] quem ante 35. annos, ipſo ſexto regni Dauidis anno, per proditionem interfecerat. [g] *Et Amaſæ filio Iether*, meo item ex Abigail ſorore, nepote, qui 31. Dauidis anno, ante annos decem interfectus fuerat, quem Dauid in principem militiæ, loco Ioabi elegerat, & qui etiam ab Abſalone princeps militiæ dictus fuerat, *quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace*, quaſi ſcilicet cum hoſte in bello pugnaret, cum illi pacificè, & mecum, & cum eo agerent, *& poſuit cruorem prælij in balteo ſuo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus eius.* Alludit vtique, vt animaduertit etiam Lyranus, ad modum perpetratæ cædis vtriuſque principis, præſertim Amaſæ, quem dum occidit Ioab, habuit cingulum gladij ad lumbos ſuos, in vagina ſua, qui inde egreſſus eſt, Ioabo ſeſe incuruante ad proditoriam ſalutationem, quem leuatum ſiniſtra ſua, immerſit in latus eius; vnde ſanguis exiliens baltheum & calceamenta eius cruentauit, quippe qui eum complexum tenebat.

f an. Dauid. 6. 25.
g 2. R 3. 27.

XXXIV. *Et periculum in futurum.*

Altera etiam erat cauſa cur Dauid Ioabum interfectum vellet, quam tangit Theodoret. [h] quia timuit ne is ſolita vſus malitia deſpiceret iuuentutem Salomonis, & vel eum ſub ſpem beneuolentiæ interficeret, ſicut prædictos occiderat, vel apertam inſtrueret aciem, & diuideret Iſraëlem, intrudendo regem Adoniam, cui fauebat, qui regni ſpem non plane abiecerat, vt ſequentia declarabunt. Hæc ergo cum Dauid pro ſua ſapientia ſatis agnoſceret eius mortem filio mandat. [i] *facies ergo iuxta ſapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Erat vtique Ioab, licet nepos Dauidis, ei tamen ſuppar ætate, vt qui ab initio Regni eius fuerat princeps militiæ eius, quæ dignitas non conuenit adoleſcenti: vult ergo eum Dauid, propter prædicta crimina, quamuis canum, & multis pro regno laboribus perfunctum, & regio ſanguine progenitum, à cognato rege interfici, & quidem ſub initio regni ſui, vt iuſtitiæ zelum in Dauide agnoſcas, omnibus aliis titulis præponderantem; quem tamen nunc ipſe ſe viuo, ex quadam animi teneritudine, nonnullaque gratitudine, nolebat interfici. At Salomonis eadem cauſa non erat.

h in. 3. Reg. 1. 4.
i Supra an Daui 30. n.

XXXV. *Cur punitio tandiu dilata.*

QVAM tamē ipſe punitionem diu diſtulit inuitus: inquietum enim regnum Dauidis, ſimul potentia Ioabi, & fratris eius, cauſa fuerunt cur Dauid tamdiu meritum ſupplicium differret, vt ait Caietanus & Ioſephus lib. 7. Ant. cap. vlt. *In eum*, inquit, *tuo arbitrio animaduertes, quandoquidem hactenus pœnam euaſit, quod meipſo eſſet potentior.* Idque haud obſcurè ſignificauit Dauid, poſt Abnerem à Ioabo interfectum, cum diceret, *viri iſti filij Saruiæ duri mihi ſunt*, nec potuit aliam de iis expetere vltionem, niſi quam ſolent perſonæ infirmæ ætate, vel ſexu, aut quoquo modo imbecillę, vt verbo vltionem optent, quam reipſa inferre non poſſunt, *ſanguis*, inquit, *Abner veniat ſuper caput Ioab &c.* poſt mortem autem Amaſæ, ne verbo quidem impotentem hunc virum auſus eſt attingere. [k] vt ſuo loco diligentius explicatum eſt. [l] Nunc autem pax erat vndique, & Ioab ſenex, ac ferè à militia deſertus: alioquin enim non confugiſſet ad tabernaculum, ſed eius præſidio ſe communiſſet. Adde quod Banaias, qui priori vnctioni Salomonis cum armatu manu interfuerat, cum legionibus

k 2. Re 10. 22.
l an. Dau 31. n. 48. & ſeqq.

Cerethi,

Cerethi, & Phelethi, quas habebat in manu, reipſa princeps militiæ videbatur, licet ea dignitas nondum illi eſſet verbo collata.

Tertivm Dauidis mandatum eſt, circa gratitudinem erga Berzellai amicum regis. Non enim minus regium eſt bonis præmia, quam improbis referre ſupplicia. *Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua; occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſalon fratris ſui.* Plurium hic fit filiorum mentio, cum tamen vnius Chamaam Scriptura meminerit. [a] Verum ex hoc loco intelligitur, Brezellai cum filiis ſuis veniſſe ad Dauidem, eique ſuppeditaſſe neceſſaria, deinde etiam alios ad Chamaam eorum fratrem, Rege id agente, ſummiſſos. Nulla tamen hic fit mentio Machir, qui ſibi etiam tunc regem ſua liberalitate deuinxerat; gratiam relatam fuiſſe par eſt credere, licet id non fuerit ſcripto mandatum; idemque dici poteſt de Miphiboſeth; licet Caietanus Dauidem hic audacter accuſet, quaſi immemorem gratitudinis erga Ionathan, eo quod nihil hic diſpoſuerit ad emendandam præcipitem ſententiam, quam contra Miphiboſeth dederat. Sed pro Dauide ſupra reſpondimus. [b] Tertius autem ille Sobi filius Naas, Dauidis benefactor, non paruam mercedem accepit regiæ affinitatis: cum eius vel filia, vel ſoror, data fuerit Salomoni in vxorem; vt ſupra diximus. [c]

LXXXV. *Gratus animus in Berzellai, & alios.*

Machir.

Miphiboſeth. Sobi.

a 2. reg. 19. 37.

b an. Dauid. 31 n. 16. & ſeqq.

c an Dau. 39

Reliqvvm eſt quartum mandatum de Semei puniendo; de quo ita ſtatuit Dauid, *habes quoque apud te Semei filium Gera, filii Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione peſſima, quando ibam ad Caſtra*, hæc eſt ciuitas dicta Mahanaim, in qua regnauit Iſboſeth, de qua non ſemel in ſuperioribus. Porro circa hanc maledictionem peſſimam, non valde ſapienter philoſophati ſunt Rabbini apud D. Hieronymum in tradit. in hunc locum; vt ſeorſim dicam. 5 Certe conſtat maledicta quibus inſectatus eſt homo petulantiſſimus innocentem, atque afflictum Dauidem longè alia fuiſſe ab illis, quæ iſti cōminiſcuntur; illa ſcilicet. *Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial*, &c. quæ 2. Reg. 16. accuratè deſcripta leguntur. Vbi ad verborum licētiam contumelioſiſſimam, etiam lapidationem regis addidit: ſed pergit Dauid de Semei decernere. *Sed quia deſcendit mihi occurſum, cum tranſirem Iordanem, & iuraui ei per Dominum dicens: non te interficiam gladio; tu noli pati eum eſſe innoxium.* Id eſt ſupplicio carere, quaſi eſſet innoxius. *Vir autem ſapiens es, vt ſcias quæ facies ei, deduceſque canos eius cum ſanguine ad inferos.* Quod ait Dauid, *non interficiam te gladio*. Hebræi apud D. Hieronymum interpretantur ſupplendo, *ſed lingua*. Sed ea fraus, & captioſum iuſiurandum, non conuenit candori, & ſimplicitati Dauidis: verum ea de re iam dictum eſt ſupra: [d] conſule hoc loco Abul. [e]

XXCVI. *Mandatur cædes Semei*

5. ℞.

Illvd tamen non videtur omittendum, quod Dauid videri poteſt iuſte periurii accuſari. Iuſſit enim Semei occidi, cum tamen iuraſſet ſe eum non occiſurum. Quod enim quis per alium agit, per ſeipſum agere videtur, & aliena peccata in ſeipſum transferre. Reſpondendum eſt primùm Salomonem potuiſſe, non obſtante iureiurando patris, occidere Semei. Neque enim ipſe iurauerat, nec ad patris iuſiurandum ſeruandum tenebatur. Et Semei occiſurus erat, non tanquā accepto à Dauide mandato, ſed quaſi legitimus iudex, qui peccata, quantumuis à priuata perſona condonata, iuſto nihilominus afficit ſupplicio. Dauid autem periurus nō fuit, cum iuſſit interfici eum, quem iurauerat ſe non occiſurum. Quoniam, vt ſubtiliter phiſophatur Toſtat. [f] quando aliqui æquo iure inter ſe conueniunt, ſuper aliquo negotio, ad cuius confirmationem iuſiurandum interuenit; tota conuentio, ac ſtipulatio accipienda, atque interpretanda eſt, ſecundum communem verborum vſum. Cum autem quis, non ex mutua conuentione, ſed ex propria liberalitate, ſine vlla obligatione, cuipiā aliquid cum iureiurando promittit, tā promiſſio quam iuſiurandū ex eius intentione, & nō ex cōmuni iuris vſu pēdent; ſicut enim liberè illi promittit quantū vult, atq; intendit, ſic etiam iurat pro intentione, ac volūtate ſua. Cum ergo promitteret Dauid Semei, ex mera liberalitate ſua, ſe eum non occiſurum, cum tamen ipſum iure poſſet occidere; promiſſio, eiuſque confirmatio per iuſiurandum, ex eius intentione, & non ex communi vſu accipienda eſt. Itaque licet ex communi vſu, & interpretatione iuris, qui dicit, ego non te interficiā, non poſſit neque per ſe, neque per alium ipſum interficere. Qui tamen ex liberalitate, & ex gratia id promittit, ſi in-

XXCVII. *An cum periurio.*

Non fuiſſe in Salomone,

neque in Dauide.

d an. Dau. 31 n. 13. & 14.

e l. 3. reg. c. 2. q. 16 & ſeqq.

f in c. 2. 3. Reg. q. 16. & ſeqq.

animo habeat tantum promittere, ſe non interfecturum per ſeipſum, ad id tantum tenetur, & poteſt per alium interficere, quod fecit Dauid per Salomonem.

XCVIII [lors Dauidis eiuſq; ...mperij.] CÆTERVM nihil deinceps de Dauide legimus, præter eius mortem, & ſepulturam, quæ cum extremo anno contigerit, 29. ſcilicet Decembris, vt habet Martyrol. Rom. & Bedæ, & alia. certe executio teſtamenti ad ſequentem annum cũ acquiſitione ſapientiæ pertinebunt. Nunc concludenda eſt tota Dauidis ducta per ſingulos annos hiſtoria; eius morte & ſepultura. Ea de re Scriptura [...egni tem...] paucis. [a] *Dormiuit igitur Dauid cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ciuitate Dauid, dies autem quibus regnauit Dauid ſuper Iſrael, quadraginta anni ſunt: in Hebron regnauit annis ſeptẽ,* (quando ſcilicet ſolius tribus Iuda rex erat: in ſecũdo tamen Reg. [b] ſeptem his annis, ſex adduntur menſes, qui in tota 40 annorum ſumma negliguntur, vt integer quadraginta annorum numerus retineatur) *in Ieruſalem autem triginta tribus.* a 3.Reg. 2. 10. b c.5.v.5.

XCIX. [...t commen...tio, ex ore ...omini] EADEM pene totidem verbis iterantur in 1. Par. [c] additur vero elogium breue in funebrem laudationẽ. *Et mortuus eſt in ſenectute bona, plenus dierũ, & diuitiis, & gloria*, quæ paulo pluribus Ioſeph. li. 7 extremo explicauit. Sed frigidæ ſunt vel ipſius, vel cuiuſcumque alterius laudationes præ Dauidis meritis, atque præſtantia: præſertim cum Deus ipſe, cum quadam lætitia, eum prædicare videatur, [d] *Inueni Dauid*, inquit, *filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum*, virum mihi longe chariſſimum, mihi, cuius amor ſpiritualibus diuitiis hominum corda locupletat, virum, cuius cor, ſicut & meum, ſapientia, bonitate, manſuetudine, & omnibus abundat bonis, virum *qui faciet omnes voluntates meas*. Quas ſcilicet neglexit Saul, qui iuſſis meis propriam antetulit cupiditatem. At eam franget Dauid, atque conculcabit, etiam in maximis, duriſſimiſque rebus; etiam in cæde Saulis oblata, ex qua finis ærumnarum eius, & initium felicitatis dependebit, vt meę obſequatur voluntati. c c.29 17. d Act.13.22

XC. [Dauid omnium regũ clariſſimus] IMMENSVS propemodum eſt Dauidicarum laudum campus, in quo ſcriptorum omnium excurrere poſſit induſtria, in quo Pineda noſter, [e] non exiguam laudem eſt conſecutus. Id certè breuiter dicere poſſimus, quoniam ad alia feſtinat oratio, fuiſſe Dauidem in regibus omnibus, qui vnquam fuerunt longe clariſſimum; nec quemquam vſpiam pluribus titulis illuſtriorem extitiſſe. Alii gloria, diuitiis, potentia, rebus geſtis excelluere; alii imperii diuturnitate, amplitudine, poſteritate; alii patiẽtia, fortitudine, clemẽtia, magnitudine animi, pietate; alii deniq; diuina amicitia, ſpiritu prophetiæ, omnique ſanctitate floruerunt. Aliqui in ſingulis æquales, aut forte ſuperiores Dauide fuerunt. nemo certè omnium in omnibus illi par fuit; vt is quaſi regum omnium idea, atque exemplar poſitus videatur, in quod illi intuentes, quid ſibi deſit æſtimare poſſint. Certè hæc fuiſſe videtur mens ſpiritus ſancti, qui crebro in regibus Iuda, vel reprehendendis, vel commendandis, [...& eorum exemplar.] Dauide quaſi regula vtitur; vt is quaſi rectus, iuſtuſque prædicetur, qui ei ſimilis fuerit; ille contra vt improbus, atque prophanus accuſetur, qui non ambulauerit ſicut Dauid pater eius. Ex quibus etiã ſimilibuſq; locis oſtenditur, quicquid Deus aut Salomoni, aut poſterioribus regibus contulit, id totum fuiſſe Dei beneficium, Dauidis meritis, & ſanctitati, quaſi pręmium attributum. Quin & prioribus omnibus Patriarchis, qui in tota naturæ lege, quaſi ſtellæ in firmamento emicuere, ne Abrahamo quidem excepto, plærique grauiſſimi ſcriptores anteferunt, vt videre eſt apud Pinedam. [f] e l.1.cap.de reb. Salom.

XCI. [...ma... hominibus, angelis ...ppar.] SED quid mirum hominibus Dauidem præſtitiſſe, quem ſancti Patres, in primiſque diuus Chryſoſtomus, angelis ſupparem prædicet? Homil. de Dauid, & Saule: *Quid tandem hoc animo, inquit, poſſit eſſe mitius? An hunc poſthac dicemus hominem, qui in natura humana vitam præſtitit angelicam*: & rurſum. *Non contigit illi guſtare talem hoſtiam; neque particeps fuerat ſanguinis Dominici, ſed legibus imperfectioribus educatus, tamen ad Euangelicæ philoſophiæ faſtigium animi moderatione peruenit, qui ex inſidiis Saulis, tripla, quadruplaque martyrii corona redimitus eſt, & tum hoſte ſuo factus eſt illuſtrior, honorabiliorque, tum cæteris omnibus amabilior; idque non hominibus tantum, ſed ipſi etiam Deo.* Ita Chryſoſtomus alludens, vt videtur, ad illud, *virum ſecundum cor meum*, quo vno elogio, mirabiles virtutum theſauri, atque abſolutiſſimæ perfectionis apex continetur. f l.7 c.2 n.9

XCII. *Chriſto ſimillimus, eiuſque natura.*

DENIQVE Deo ipſi Chriſto Ieſu, vt filio pater, quàm ſimillimus factus eſt, vt paſſim in ſcriptura Dauidis nomine Chriſtus, Chriſti nomine Dauid intelligatur, vt diuus Chryſoſtomus nominatim homil. 2. in pſalm. 40. teſtatur. [a] Sic Samuel Propheta quærens Dauidem. *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* [b] longum eſſet percenſere omnia, in quibus Dauid Chriſti Domini figuram expreſſit; vix enim vlla eſt eius vitæ particula, vix vlla ipſius laudabilis actio, qua non eum aliquo modo repræſentet; pauca de multis, vt adhuc in viris illuſtrioribus fecimus, lectori exhibeamus.

a Ier. 30. 9. Ezech. 34. 23. 24. c. 37. 24. 25. Oſee 3. 5.
b 1. Reg. 16. 6. & 2. Reg. 19. 21. & in Pſa. paſſim.

origine.

Vterque ex regia tribu Iuda oriundus, vterque in Bethleem ciuitate natus; Dauid nouiſſimus patris ſui, & in nouiſſimis eius diebus Chriſtus primus, ac nouiſſimus ſuæ matris, quando *nouiſſimis diebus pater locutus eſt nobis in filio.*

XCIII. *Externa ſpecie, & pulchritudine. Chriſti ſpecies.*

ERAT Dauid rufus, & pulcher aſpectu, decoráque facie, rutilantibus oculis. [c] De Chriſto legimus apud Hieronymum. [d] *Igneum quiddam atque ſydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie eius.* & rurſum. [e] *Certe fulgor ipſe, & maieſtas diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Nicephorus ei tribuit oculos χαροπούς, id eſt fuluos & ſplendeſcentes, quales tribuit Ariſtoteles leoni; colorem triticeum, intellige triticum matureſcens, quod modica fuſcedine albeſcit, egregium, viuidumque vultum; Denique *ſpecioſus* fuit *forma præ filiis hominum.* vnde Bern. [f] *Prædicantem Dominum de ciuitatibus, & caſtellis populi ſequebantur, quorum ſaluabat animas, ſanabat corpora; & adhærebant ei, affatu pariter, & aſpectu eius delectati: cuius nimirum vox ſuauis, & facies decora, ſicut ſcriptum eſt, ſpecioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis eius. Talis eſt, quem nos ſequimur, cui adhæremus, totus deſiderabilis, in quem non ſolum populi, ſed ipſi quoque Angeli, ſancti deſiderant conſpicere.*

c 1. Reg. 16. 12.
d in Math. 21.
e in c. 9. Matth.
f ſer. 1. de omnibus ſanct.

XCIV. *In miraculis. Et primæ ætatis humilitate.*

DAVID vrſos, & leones interficiebat, dæmonem effugabat, Saulem infirmum voce ſua, & cantu curabat: Chriſtus pertranſiit benefaciendo, & ſanans omnem languorem, & verbo eiiciens dæmones. & leoni illi tartareo, qui *circuit quærens quem deuoret,* vim omnem eripuit, vt niſi volentibus nocere non poſſit. Dauid plurimis annis vitam humilem cum paſtoribus, & pecoribus egit abſconditus, [g] cum Deus ipſe illum Samueli Prophetæ manifeſtauit. Chriſtus plurimis annis vitam humilem, cum fabris, in fabrilibus operibus egit, abſconditus, & ignotus mundo. Donec Deus ipſe eum in baptiſmo Ioanni prodidit præcurſori, & Prophetæ, dicens, [h] *hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

g 1. Reg. 16 12.
h Mat. 3. 17

XCV. *In pugna & victoria contra Goliathum.*

MITTITVR Dauid à patre vt viſat fratres ſuos, cibos afferat, debita diſſoluat. In ea viſitatione pugnauit contra gigantem Goliathum, principem Philiſtinorum, hominem ſuperbum, potentem, atque blaſphemum; non armis aureis Saulis indutus, ſed paſtoritio, & famulari habitu; baculo, funda, & lapidibus armatus, lapide in fronte percuſſum deiicit, & proprio ipſius gladio obtruncat. Mittitur ab æterno patre Chriſtus, vt inuiſat homines, fratres ſuos, factus homo, vt pro iis ſatisfaciat, & pignora captiuarum animarum recipiat, eoſdemque fratres ſuos cibo immortalitatis enutriat. In ea viſitatione pugnauit contra Diabolum, principem huius mundi, ea potentia. Præditum, vt non eſſet in terris poteſtas, quæ ipſi conferri poſſet; ea ſuperbia, vt ſe etiam exæquaret Deo, & blaſphemaret viuentem in ſecula ſeculorum, pugnauit autem non armis, & potentia diuinitatis ſuæ, ſed humili humanitatis habitu, cum baculo crucis ſuæ; & quinque vulneribus in ea acceptis, ſuperbiam Sathanæ proſtrauit in terram, eiuſque poteſtatem ridiculam, & pueris deſpicabilem reddidit. cum *mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.*

XCVI. *In fratrum inuidia.*

DAVIDIS fratres inuidebant ei, eum obiurgabant, remittebant ad paſcua, & Zelum eius pro Dei gloria ſuperbiam interpretabantur. Chriſti fratres, ſuperbia & inuidia moti *non credebant in eum,* ſed dicebant, *tranſi hinc, & vade in Iudæam* [i] *&c.* Dauid infenſiſſimum habuit Saulem aduerſarium, ſine vlla culpa ſua; Imo maximum illi beneficium, & toti populo conferendo, quod ab omnibus celebrabatur, ad eo vt Saul ex animi liuore diceret. *Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum?* nec tamen ceſſabat de eo bene mereri. Chriſtus habuit ſynagogam, & principes Iudæorum ſibi quam maximè

& Saulis regis.

i Ioa. 7. 3. 6.

xitvs Ægy-o. ann. 78.

David typvs Christi.

aduerſarios, propter opera mirabilia eius, expulſos dæmones, mortuos ſuſcitatos, præſertim Lazarum; vnde inuidia tabeſcentes dicebant: *quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit, ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum*; &, *Videtis quia nihil proficimus? totus mundus poſt eum abiit.* Nec tamen deſtitit illis ipſis benefacere: & verbo & exemplo, quantum licuit prodeſſe.

XCVII. *defrauda[ta] vxore*

SAVL, quantum in ſe fuit, Dauidem tradidit Philiſthæis occidendum; Iudæi Chriſtum gentibus. Dauid emit à Saule iam ſibi debitam eius filiam Merobem natu maiorem, ducentis præputiis Philiſthæorum, ſed data eſt ei Michol natu minor cui, alioqui ſterili, dati ſunt filii ſororis ſuæ. Quæ eſt illa Merob, repugnatrix, atque obiurgatrix, niſi Synagoga? Quæ omnia continens, quæ perfecta Michol, niſi eccleſia gentium vniuerſarum? Chriſtus illam multo labore, & ſanguine emit, tametſi debitam ſibi, vt Meſſiæ vero Iſraëlis regi, doctori, principi; nec tamen data eſt ei, ſed neſcio cui Hadrieli, Sathanæ ſcilicet qui Deo priuatus eſt. Sed data eſt ei Michol, quam præ cæteris dilexit, & quæ ei fuit inſtar omnium, vt dicere poſſet, [a] *vna eſt columba mea, perfecta mea*, &c. Ei filii Synagogæ dati ſunt, quia deſerta circumciſione, & Moſaïcis ritibus, ad communem cum gentibus Chriſti fidem, ac religionem tranſierunt. a Cant. 6. 8.

XCVIII. *triplici [u]nctione re[x]*

DAVID ter vnctus eſt in regem: ſemel priuatim à Samuele propheta, in paterna domo, qua ius acquiſiuit in regnum Domini: iterum à tribu Iuda, cum reipſa regnare cœpit in parte populi ſui: 3 cum totius populi conſenſu rex factus eſt, & omnes tribus ſeruierunt ei, & multæ circumquaque poſitæ nationes. Chriſtus Dominus trina ſpirituali vnctione inunctus eſt. Primò gratia vnionis perſonalis, propter quam ius adeptus eſt in omnes Dei electos, vt eorum princeps & caput, ſecundo gratia redemptionis in morte: propter quam *Deus exaltauit illum, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; & reipſa regnare cœpit ſuper patres, quos è ſubterraneis locis eduxit, & paucos Apoſtolos, atque diſcipulos. Tertio gratia ſupremi triumphi, cum *data ei omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, & ſpiritu ſancto miſſo de cœlo, omnes gentes ſeruierunt ei: & impletur illud in dies, [b] *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam, terminos terræ.* Quin & rex triplici iure fuit, vt Deus, *Rex regum, & Dominus dominantium*; vt homo filius & ſucceſſor Dauidis regis: vnde Nathanael, [c] *Rabbi tu es Rex Iſrael*: & turbæ venturæ erant [d] *vt raperent eum, & facerent eum regem*, quæ diuinitatem eius non norant: eædemque ingredienti Ieroſolymam ſucclamabant, [e] *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.* vt homo Deus, ex quo dicebat, *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* [f] b Pſalm. 2. c Io. 1. 49. d Io. 6. 15. e Io. 12. 13. f Math. 28.

XCIX. *[e]t regnādi [te]mpore, ac [m]odo.*

DAVID trigeſimo anno expleto, Rex publicè declaratus eſt. Chriſtus incipiens quaſi annorum triginta, vt ait Lucas in baptiſmo Rex Meſſias denunciatus eſt. Ille ab adoleſcentia domi vnctus eſt à Samuele propheta; & regio ſpiritu, ac principali donatus, qui omnes virtutes regias comprehendit, qui à Saule recedens, in Dauide conſtanter requieuit. Hic vnctus eſt à Spiritu ſancto, Domino prophetarum, ab ipſa incarnatione ſua, & omnibus gratiis cumulatiſſimè locupletatus, quæ in ipſo conſtanter requieuerunt. *Et requieſcet*, inquit Eſaias, [g] *ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Et Euangeliſta, [h] *Spiritus Domini ſuper me propter quod vnxit me*, idque angelo priuatim annunciante in materna domo. Neque Dauid inunctus deſiit redire ad ouium greges: neque Chriſtus in ſancta humanitate ſua, obſequioſiſſimum famulatum domi parentibus ſuis exhibere. g cap. 11. 2 h Luc. 4. 18

C. *[i]n Chriſtū [D]auidem [e]t inſur[gu]nt.*

INSVRGVNT contra Dauidem regem Iſboſeth filius Saul, duce Abnere principe militiæ; & mox filius eius Abſalon, & Siba ſeruus, & rurſum Adonias filius. Chriſti corpus Eccleſiā, principes ſacerdotum, & Saulus filius Synagogæ de tribu Beniamin, dirè vexarunt; quin etiam Chriſti domoſtici, & filii, Iudas Apoſtolus, Nicolaus Diaconus, Simon Magus. Dauidem comprehenſuri miniſtri Saulis prophetant, [i] & mox ipſemet Saul eodem ſpiritu prophetico arreptus, prophetat, ac regiis ſeſe veſtibus ſpoliat; nec regnum ſuum, niſi mor- i 1. Reg. 19. 20.

tuo Dauide, ſtare poſſe arbitratur. [a] Miſerunt Pontifices, & Phariſæi miniſtros, vt comprehenderent Ieſum, ſed illi prophetare cœperunt dicentes, [b] *nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Ipſe autem pontifex, qui eos miſerat, prophetauit etiam ipſe, dicens. [c] *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: qui & mox pontificias veſtes dilacerauit. [d] Dauid conqueritur apud Saulem, [e] cum omni reuerentia; & Chriſtus apud Patrem, [f] *Deus, Deus meus quare me dereliquiſti*: &, *Eli, Eli lammáſabathani.*

a 1 Reg 20. b Ioan. 7. 46. c Io. 11. 50. d Math. 26 65. e 1 Re. 24. & 26. f Pſalm. 21. & Math. 27 46.

Savl perſequebatur amicos, & cognatos Dauidis; Iudæi extra Synagogam eiiciebant, qui Chriſtum confitebantur Aggregati ſunt ad Dauidem omnes, *qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.* [g] Conuenerunt ad Ieſum Publicani & peccatores, & facti ſunt amici eius, & conuiuæ; omnes ſtimulis conſcientiæ afflictati, & Deo propter multa peccata, obærati, à Chriſto videlicet conuocati ſuauiſſima illa voce, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* [h] Propter Dauidem multi innocentes ſacedotes; & in vrbe Nobe innumeri cuiuſque ætatis, conditionis, & ſexus, propter eundem crudeli morte à furente Saule interfecti ſunt. Multi toto terrarum orbe mortales propter Chriſtum attrociſſimis ſuppliciis, primum ab Herode furente, & inde à regibus impiis martyrio affecti ſunt.

g 1. Reg. 22. h 1. Reg. 22. 18. & 19.

CI. *Vterque fit princeps afflictorum.*

David Ceilanos à Philiſthæis oppreſſos magna virtute liberauit, à quibus tamen tradendus erat inimico ſuo Sauli. Chriſtus multos Iudæos à morbis, à fame, à dæmonibus liberauit: qui tamen eum Pilato tradiderunt, nec dubitarunt, cum funeſta illa exclamare voce; *tolle, tolle, crucifige eum*: & Nazarethani apud quos nutritus fuerat, *eiecerunt illum extra ciuitatem*; imo & de ſupercilio montis eum præcipitare voluerunt. *Ipſe autem tranſiens, per medium illorum ibat*: ſicut & Dauid Ceilanos deſeruit incolumis. Dauid coram Achis rege ſtultus apparuit, vnde dicebat Achis [i] *vidiſtis hominem inſanum? an deſunt nobis furioſi? & collabebatur, & ferebatur manibus ſuis.* Et Chriſtus coram rege Herode, imo & coram Scribis, & Phariſæis audiebat inſanus; vnde & dicebant, [k] *inſanit, quid eum auditis.* Et apud Marcum: [l] *Exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem conuerſus eſt.* Ferebatur autem manibus ſuis, vt obſeruauit D. Auguſtinus, quando panem in corpus ſuum conuertit, & propriis ſe manibus dedit diſcipulis ſuis: & mox in ſatellitum eum trahentium, & omnem in modum diuexantium manibus collabebatur.

CII. *Beneficus in ingratos.*

i 1. Reg. 21. fin. k Io. 10. 20. l c. 3. 21.

& ſtultus reputatur.

David grauiſſima lamentatione plangit Saulem, Abnerem, Abſalonem, & alios inimicos ſuos, qui eum fuerant crudeliſſimè perſecuti. Chriſtus cum clamore valido, & lachrymis peccantium inimicorum animas deplorauit, & pro perſecutoribus exorauit, dicens *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

CIII. *Vterque in hoſtes miſericors.*

Dauid aſcendit montem oliuarum, fugiens Abſalonem [m] *ſcandens & flens, nudis pedibus incedens,* ſicut *& omnis populus, qui erat cum eo, operto capite aſcendebat plorans.* Hæc erat imago Chriſti Domini, eundem ipſum montem aſcendentis, non vt hoſtem fugeret, ſed vt ab hoſte facilius inueniretur Via gemitibus reſonat, & ipſius Chriſti Domini dicentis, *triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Et diſcipulorum, qui erant cum eo. Ibi mirabilis illa vtriuſque obedientia. [n] *Preſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe*; &, *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Poſtmodum audit Dauid à Semei blaſphema illa maledicta, *Egredere, egredere, vir ſanguinum, & vir Belial,* &c. Poſtmodum audit infinitas execrationes, Chriſtus, & omnibus contumeliarum generibus diuexatur.

m 2. Reg. 15. 18. 23. 30. n 2. Reg. 15. 26.

Et vtriuſq; luctus ad Oliuetum.

David grauiſſimam contumeliam patitur in legatis ſuis, ſed eam deinde per Ioabum, & per ſeipſum ſeueriſſimè vlciſcitur. Chriſtus in Apoſtolis, & diſcipulis ſuis ignominioſe tractatur: In carcerem enim coniiciuntur, cæduntur, male mulctantur; imo lapidibus obruuntur, capite truncantur; ſed illi aliquantò poſt per Titum & Veſpaſianum, Dei flagella, vltima quæque paſſi, exterminantur. Dauid triginta [o] & amplius viros habuit inſigni fortitudine nobilitatos. Chriſtus trecentas & amplius myriades fortiſſimorum martyrum: quorum ſinguli totis & tyrannorum, & dæmonum exercitibus pares, imo & ſuperiores eſſe potuerunt.

CIV. *Et de inimicis vltio. Fortes Chriſti & Dauidis.*

o 2 Reg. 23.

David ſub mortem [p] vices Sacerdotum & Leuitarum ordinauit; & in iis

p 1. Par. 23. & ſeq.

CV. *Et vtriuſq*

diſpoſitio perſonarum ſacrarum. *& theſaurorum.*

præpoſitos, iudices, cantores, quæſtores, ianitores, & eorum principem Sadocum. Chriſtus ſub mortem Apoſtolos ſacerdotes ordinauit, Eccleſiæ præpoſuit, iudices animarum conſtituit, cœli aperiendi, & claudendi eis poteſtatem dedit, theſauros meritorum ſuorum diſpenſandos credidit; & eorum principem Petrum nominauit. Dauid ampliſſimas regum prophanorum ſubiugatorum diuitias, Dei templo conſecrat: Id eſt ad centum millia talentorum auri, & ſuper mille millia talentorum argenti, & inſuper ex peculio ſuo, & principum ſuorum, aliquot millia talentorum. Chriſtus electiſſimos quoſque ex gentibus ad Eccleſiam vocauit, maxima & nobiliſſima, ſecundum Apoſtolos, illius ornamenta; quorum primitiæ Reges Magi deinde inumerabiles principes, reges, doctores, martyres, confeſſores: omnes vaſa auri ſolidi, ornata omni lapide precioſo, ad quos comparati Hebræi, ne apparent quidem: ſicut nec pecunia Hebræi populi ad Dauidicam.

CVI. *Et ſimilitudo in apparatu templi*

SALOMON extruxit admirabilem templi fabricam, ſed Dauid omnes eius præparauit impenſas: [a] Deus autem omnem eius deſcriptionem, & Ideam architectatus eſt. Chriſti filii, & diſcipuli conſtruxerunt Eccleſiam Dei, ex viuis & electis lapidibus; ſed Chriſtus ſua merita præparauit, vt conſurgeret ædificiũ admirabile electorum Dei in monte ſancto eius. Id autem totum factum eſt ſecundum ordinationem, & deſcriptionem Patris, cui dicit filius, [b] *Tui erant, & mihi eos dediſti.* Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia: primo quidem Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, [c] &c. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult.* [d]

[a] 1. Par. 29. 19. [b] Ioan. 17. [c] 1. Cor. 12. 28. [d] Eph. 4. 11. 1. Cor 12. 11

CVII. *Et virtutibus.*

NON faciam vt Dauidis & Chriſti manſuetudinem, animi demiſſionem, patientiam, pietatem, diuinæ gloriæ zelum, charitatem, aliaſque virtutes, quæ plurimis actibus tota vtriuſque vita ſeſe prodiderunt, inter ſe conferam: nam & infinitum eſt iter ad omnia; & conſtat eum modis omnibus eſſe ſuperiorem, quem perſonæ infinita dignitas reddit incomparabilem: nec finit ei quemquam vel hominum, vel angelorum, niſi longiſſimo interuallo, propinquare.

De quo Dauid ipſe, quantumuis filio, prædicabat, [e] DIXIT DOMINUS DOMINO *meo ſede ad dextris meis.* Cuius ſumma gloria eſt eum habere filium, qui ſacratiſſimæ Virginis proles, qui vnigenitus filius Dei, qui Dauidi parenti ſuo, qui omnibus retro ſanctis viris, qui omnibus filiis ac redemptis ſuis, origo gloriæ, & beatæ æternitatis acquiſitor; qui omnium electorum caput, qui *author futuri ſæculi, cuius regni non erit finis.*

[e] Pſal. 109

CVIII. *Sepulchrũ Dauidis cur Hieroſolymis.*

SVPEREST vt aliquid de Dauidis ſepulchro dicamus. Sepultum ait Scriptura [f] in ciuitate Dauid, non in Bethlehem, vt putauit Iſidorus, ſed in arce Sion; conueniebat enim vt relicto parentum ſuorum priuatorum hominum Bethlehemitico ſepulchro, ipſe magnificẽtius ſibi, poſteriſque ſuis regibus Mauſolæũ, per ſe filiumq; ſuum Salomonẽ in regia ciuitate conſtrueret, & ſede imperii Hebræorũ; quo etiam illata ſunt, magna ex parte, cadauera Regum Iuda, poſterorũ Dauid. Magna, inquam ex parte; nam Ioram, Ioas, Ozias, Ioakim, & ſi qui alii hoc honore caruerunt. Ibi excitatum nobile Mauſolæum à Salomone fuſius diſputat Pineda. [g] *Sepeliuit eum*, inquit Ioſephus, [h] *filius Salomon Hieroſolymis magnifice, præter ſolemnia illa in Regum funeribus.* Nimirum ſpectantia ad curandum cadauer, & vel abluendum, vel precioſis aromatibus vngendum, vel regali veſte amiciendum; deductione item, comploratione, iuxta illud, [i] *Hæc dicit Dominus ad Ioakim*, filium Ioſiæ regem Iuda, *non plangent eum, væ frater, & væ ſoror; non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte. Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ieruſalem:* Id autem à viduis fieri ſolitum quidam colligunt ex Pſalm. [k] *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur*, id eſt lamentabantur; vt ibi Ienſenius, & Genebrardus.

[f] 1. 3. Reg. c. 2. 10. [g] l. 8 c. 3. & l. 6. c. 11. [h] l. 7. c. vlt. fi. [i] Ier. 22. 18. [k] Pſ. 77. 64.

CIX. *An theſauri illuc illati, ex Ioſepho.*

ADDIT Ioſephus, illatas in ſepulchrum regis maximas diuitias, *quarum magnitudinem*, inquit, *facile ſit conicere ex hoc quod dicemus. nam poſt annos mille trecentos*, ſic habent Gelenius & Rufinus, & græca emendatiſſima. *Hircanus pontifex oppugnatus ab Antiocho, cognomento Pio*, [l] *Demetrii filio*, vulgo Sidetes appellatur, *volens pecuniam ei dare, vt abducto exercitu obſidionem ſolueret, nec valens aliunde ſumere, aperta cella monumenti Dauidis, & prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte*

[l] Vide inf. anno regn. Græc. 179.

a l. 16. c. 11. 163. Græco Latino.

Antiocho numerata, oppugnationis periculo ſe exemit, ſicut & alibi iudicauimus: [a] *Ac rurſum poſt multos annos elapſos herodes rex alia cella aperta, magnam pecuniam ſuſtulit ad loculos tamen, qui regum cineres continent neuter eorum peruenit, Singulari enim arte erant ſub terram conditi, vt ab ingredientibus monumentum inueniri nequiret.* Hactenus Ioſephus. [b] Quæ priuſquam diſcutiamus, libet hic referre, quæ Beniamin Iudæus, in ſuo itinerario ſcripſit, & prodigij inſtar habent, ſi vera ſunt, & Ioſephi aſſertioni conſentanea ſunt. Vixit hic Iudæus ſub annum Chriſti. 1173. Libellum vertit ex Hebræo Arias Montanus in hæc verba.

b l. 13. ante c. 16. Græ. La. p. 450.

p. 44. — CX. Q[u]id Be[n]iamin [de] ſepulchro Dauidis.

SVNT vero in Sion monte Dauidicæ familiæ ſepulchra, & regum eorum, qui poſt Dauidem ſurrexerunt, ſed locus ipſe ignotus vulgò eſt. Accidit enim ante annos quindecim, vt murus vnus templi, quod in Sion monte eſſe dixi, corruerit, quem patriarchæ iuſſu, templi ſacerdos cum inſtaurare conſtituiſſet, lapides ex antiquis montis Sion murorum fundamentis, ad templi inſtaurationem eruendos, operis numero circiter viginti locauit. In hiſque erant duo homines fœderis compotes, amici, ex quibus alter alterum die quadam manè in conuiuium priuatum, domum ſecum duxit; atque poſt ientaculum vnà ſumptum, dum ad opus veniſſent, rogati à præpoſito operis, cur tam ſerò accederent, reſponderunt ſe horam illam compenſaturos continuato labore.

CXI. Ex eade[m] narratio[ne].

INTEREA dum alij omnes pranſum abirent; idque dum prǽſtarent quod polliciti fuerant, lapide quodam ſublato antri oſtium inuenientes dixerunt ad inuicem: ſubeamus conſpecturi an theſaurus hic lateat aliquis. Igitur ingreſſi tamdiu proceſſere, quoad accederent ad quoddam palatium marmoreis columnis innixum, auro & argento obductum, ante quod menſa erat, in eaque ſceptrum, & corona aurea: Atque hoc erat ſepulchrum Dauid Regis Iſraël; ad cuius ſiniſtram, Salomonis erat ſimili ornatu ſepulchrum, & alia multa aliorum ex Dauidis familia Regum Iuda, qui ibidem conditi fuerant: erantque illic arcæ concluſæ; quid verò continerent, adhuc hominibus ignotum eſt. Cum vero homines illi in palatium penetrare conſtituiſſent, turbinis ſpiritu percuſſi, ex antri oſtio in terram examinati deciderunt.

CXII. Reliq[ua] Beniami[n] narratio.

IACVERVNT autem eodem loco vſque ad veſperam: cum ſpiritu alio rurſus excitati, humanæ voci ſimilem audierunt: ſurgite, exite ex hoc loco. Illi vero impulſi, atque pauore correpti maximo, trementes exierunt, remque omnem ad Patriarcham retulere, quam ille Abrahamo cognomento Pio dicto, Phariſæo Conſtantinopolitano, Hieroſolymis degenti, ad ſe vocato, per eoſdem duos homines exponendam curauit; qui rogatus quid ſentiret, dixit locum illum eſſe ſepulchorum domus Dauid, deſtinatorum regibus Iuda. Poſtera autem die vterque ex illis hominibus in lecto cubans, & graui præ metu infirmitate laborans domi repertus eſt, qui nullis conditionibus illuc amplius ſe ingreſſuros eſſe dixerunt, afirmantes nefas eſſe vlli homini, eò quò Deus vetaret, ire velle. Quamobrem patriarcha iubente, locus occluſus eſt, & opere ab oculis hominum celatus, ad hodiernum vſque diem. Rem autem hanc omnem ipſe Abraham pius, quem dixi, mihi narrauit.

CXIII. Qualis [...] deatur.

HACTENVS Beniamin; quæ ad ludibria magica non male quis fortaſſe retulerit: habet enim hic ſcriptor alias narrationes, atque opera, quæ magorum fuiſſe ipſemet non diffitetur. Cæterum aſſertionis Ioſephi veritatem cuius facile ſit coniicere, qui totis quadringentis annis in Hyrcani chronologia hallucinetur? Cum enim eam auri largitionem dicat: 162 Olympiade contigiſſe, cum ex Euſebio conſtet Chriſtum 194 Olympiade, & eius anno 3. natum, oportet eam antecedere 130 annis Chriſti natiuitatem; quibus adde 1300 annos, qui à Ioſepho dicuntur intercedere, inter Dauidis mortem, & Hyrcani principatum; oporteret inter Dauidis mortem, & Chriſti ortum 1430 annos intercurrere, cum tantum 1032 numerentur, vt ſeries Chronologiæ docet.

Improb[atur] Ioſeph. ch[ro]nologia.

CXIV. Et pecun[ia] in ſep[ul]chrum foſſa.

SED & ipſa magnitudo ſepultæ pecuniæ rem parum credibilem facit. Tria enim talentorum millia, quæ in vna tantum cella, vt alias omittamus, fuiſſe dicuntur, ſi aurea fuerunt, cum efficiant 37. milliones, & inſuper quingenta millia aureorum; quis credat Salomonem inutiliter, tantam pecuniam abiicere at-

que obruere voluiſſe, præſertim cum poſtremis annis, populum ſuum tributis vexaſſe, & à rege Tyrio 120 talenta auri mutuò accepiſſe dicatur, ideſt millionem vnum, & quingenta millia aureorum. Quin etiam valde capaces huiuſmodi cellas eſſe oportet, quæ tantum aureæ pecuniæ vim capere potuerunt: imo argenteæ: argenti quippe talenta vocat, [a] quæ Antiocho illi data ſunt, Sed hæc tria millia talentum quaſi particulam abditi theſauri facit, vaſorum aureorum, & mundi pretioſi, quorum vim magnam inde Herodes dicitur abſtuliſſe. Verum hac de re iterum anno ſexto eiuſdem Antiochi dicemus. Nunc qui Dauidis ſepulchrum, auro geminiſque ornare non poſſumus, verbis ſaltem ſcribendo Epitaphio, pro modulo noſtro cohoneſtemus.

a l. 13. ant. c. 16 & item l. 16. c.

EPITAPHIVM DAVIDIS.

Vides hoc Mavsolævm, viator, opvs est magnificentissimi, ac sapientissimi Salomonis, æternæ parentis memoriæ positvm, ac consecratvm: qvod ille non thesavris congestis refertiit, sed lipsanis, omni avro, gemmisqve potioribvs, maximi, ac gloriosissimi principis Davidis; qvi secvndvm Savlem, Israelitici fvndator imperii, principvm veteris testamenti miracvlvm fvit, et regvm omnivm secvlorvm exemplar et decvs. Hic est ille invictvs heros, qvem neqve pvbescentem vrsi et leones, neqve adolescentem onvsti ferro gigantes, neqve ivvenem toti Philisthæorvm exercitvs terrvervnt: qvi circvmqvaqve positas gentes, avt sapienter amicitia comprehendit, avt fortiter vi armisqve compescvit, fregit, servire coegit; ab ortv Moabitas, et Ammonitas: ab occasv Phoenices, et philisthæos: Amalecitas, Arabes, Idvmæos a meridie: a septentrione syros, Damascenos, Sobathæos, Mesopotamios: qvos omnes, ab Ægypto ad Evphratem vsqve, ingenti svi nominis terrore complevit.

Hic est qvi capitalem hostem, qvo nvllvm infavstiorem innocenti genero, optimeqve de se merito ivveni, sol vidit in terris, semel itervmqve in sva positvm potestate: et hostem, in cvivs morte, gravissimarvm ærvmnarvm finis, læta secvritas, Imperivm, felicitasqve vertebatvr, potvit, etiam amicis pervrgentibvs, non morti dare.

Hic est ille David cvivs heroicam fortitvdinem, invictamqve patientiam et Savl foris, et domi Absalon, et Ioab vtrobiqve vehementer exercvit: qvem Devs ipse, pestilentia, fame, bellisqve continentibvs castigavit, excolvit, et sicvt avrvm in fornace, reddidit eximio fvlgore radiantem: qvem mediis in ærvmnis, amicitia Ionathæ, et Gethæi regis præsidio svstentavit, et in medio rervm secvndarvm cvrsv lapsvm, erexit ipse per sese, atqve restitvit.

Deniqve hic est ille rex, ille propheta, ille Christi Domini typvs, et parens, de qvo dicere liceat, mvlti servi do-

MINI CONGREGAVERVNT DIVITIAS, TV SVPERGRESSVS ES VNIVERSOS, QVI IPSARVM TIBI REDDIDISTI DEBITOREM DEVM, QVI TE VICE VERSA SENECTVTE BONA, PLACIDA MATVRAQVE MORTE, SAPIENTISSIMO SVCCESSORE, ET ÆTERNA FELICITATE REDDIDIT FORTVNATVM. VIXIT ANNOS FERME 72. QVORVM SVPRA 40. REGNAVIT, VIVERE DESIIT ANNO AB ORBE COND. M, M. M. XXI. ANTE CHRISTI ORTVM MXXXII.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 2.

1.N.VIII. l.2.de bel. c.7.

IOSEPHVS cum multa de Eſſenis philoſophatus eſſet de quadam eorum ſecta ita ſcribit. *Eſt autem aliud Eſſenorum collegium, cibos quidem, & mores legeſque ſimiles cum prioribus habens, diſtans vero opinione de coniugio. Maximam ſiquidem vitæ hominum partem, ſucceßionem ſcilicet, amputare eos, qui abſtineant nuptiis arbitrãtur; quippe ſi in eandem velint omnes ire ſententiam, defecturum confeſtim genus humanum. Nihilominus autem cum tanta ipſi moderatione conueniunt, vt per triennium explorent valetudinem fœminarum. & ſi conſtanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia aßiſcunt. Nemo tamen eorum cum prægnante concumbit; vt oſtendant, quod non voluptatis, ſed liberorum cauſa inierint.* Hæc ipſe, de hac Eſſenorum ſecta, vniuerſè autem initio ca. de Eſſenis agens ita loquitur. *Tertium vero genus Eſſeni colunt, gente quidem Iudæi, verum inter ſe mutuo amore coniunctißimi: & qui præter cæteros voluptates quidem quaſi maleficia vitarent; continentiam vero ſeruare neque cupiditati ſuccumbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem faſtidiunt, alienos vero filios, dum adhuc molles ſunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, ſuis moribus diligenter inſtituunt: non quia coniugia, vel humani generis ſucceßionem cenſeant perimẽdam: ſed quia cauendam putant intemperantiam fœminarum, nullam earum vni viro fidem ſeruare credentes.* Egregiam ſcilicet abſtinentiæ cauſam in temerario, falſoque alienæ incontinentiæ iudicio fundatam. Quid his diceret Auguſtinus, to. 6. l. de ſ. virg. c. 24. qui eos, qui propter moleſtias temporales euitandas, & vt ſine grauioribus moleſtiis tempus tranſigãt perpetuam continentiam diligunt, ait miſerabiliores eſſe omnibus hominibu[illegible]ectius autem idem Ioſephus l. 18. antic[illegible]. *Hoc inſtituto viuunt,* inquit, *virorum ſupra [illegible] millia, nec vxores habentium, nec ſeruos, quod [illegible]rum ad iniuriam communis naturæ pertinere cenſeant; alterum tranquillitati vitæ parum commodum, quare per ſe ipſi viuentes, inuicem ſibi miniſtrant.* Hæc ipſe, eadem Philo diſputat fuſius in lib. quod omnis probus liber ſit, vbi inter alia. *In his quidam nominantur Eſſæi circiter 4. millia à ſanctitate dicti, quia ſumma religione Deo ſeruiunt, non mactando victimas, ſed ſuaſmet ipſorum mentes componendo ad ſanctitatem.* Et infra, *pietatis erga Deum argumenta præ ſe ferunt plurima, caſtitatem in tota vita perpetuam, à iureiurando, mendacioque abſtinentiam* Hæc, & plura Philo, quæ Euſeb. & D. Hiero. de Chriſtianis dicta eſſe confirmant. Cæterum ex Ioſephi ſecundo loco apparet, eos qui hoc loco dicuntur Eunuchi, & filiis Regis aggregantur, fuiſſe eorum inſtitutores pueritiæ, & adoleſcentiæ moderatores, ac morum magiſtros, qui eis quoque honoris cauſa adeſſent domi, foriſque: nec in publicis conuentibus deſererent: cæterum vitam religioſam, & continentem ducerent. Ita ſentit etiam Lyra. qui Eunuchos hic interpretatur nutritores, & doctores filiorum Regis, qui dicuntur Eunuchi, eo quod eſſent caſti, & honeſti, cui conſentit Dionyſ. de quibus Dominus, *& ſunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Vbi videtur Dominus non de re tantum futura, ſed iam tum vſitata loqui. Nam octingentis, & amplius ante annis dixerat Eſaias ca. 56. 3. *Et non dicat Eunuchus ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Vbi Auguſt. *Ita ne tanta dementia quiſquam eſt contrarius veritati, vt in carne factos Eunuchos, meliorem quam coniugatos locum in domo Dei habere credat, & pio propoſito continentes, corpus vſque ad contemptas nuptias caſtigantes, ſeipſos non in corpore, ſed in ipſa concupiſcentiæ radice caſtrantes, cœleſtem, & angelicam vitam in terrena mortalitate meditantes, coniugatorum meritis pares eſſe contendat;* Sic Auguſt.

1.N XII.

Ex his quæ vides Scripturæ plane conſentanea, intelligi poteſt quæ fides Ioſepho debeatur, dum maiores ſuos negligẽtiæ in templo extruendo reprehendit, *Poſt quam autem abſolutum fuerit templum,* ait Ioſephus, *inßit nẽpe David arcam in eo reponi, cæteramque ſacram ſupellectilem, cuius receptaculo iampridem templum debuerat extrui, niſi patres mandatum Dei neglexiſſent; qui præceperat vt quamprimum hoſtilem terram occupaſſent, templum illi exædificarent.* Hoc præceptum Ioſephus, ex ſcriptura proferre non poteſt. Nec voluntatis Dei fuit vt ante hoc tempus ædificaretur: vnde dicebat Dauidi 2. Reg. 7. 5. *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* & mox *Nunquid loquens locutus ſum ad vnum de tribubus Iſraël, cui præcepi vt paſceret populum meum Iſrael, dicens, qua-*

re non ædificaſtis mihi domum cedrinam? Et rurſum 3. Reg. 8. 16. *A die qua eduxi populum meum Iſrael de Ægypto, non elegi ciuitatem de vniuerſis tribubus Iſrael, vt ædificaretur domus, & eſſet nomen meum ibi.* Ita Dominus, quæ plane pugnant cum illis, *Præceperat vt quam primum hoſtilem terram occupaſſent, templum illi exædificarent.*

3. N. XXV. Scio Abulenſem q. 24. in ca. 24. 1. Paral. contra ſentire; nitique verbis illis, quæ extremo capite habentur, vbi dicitur Leuitas miſiſſe ſortes contra fratres ſuos filios Aaron, & ſortem tam maiores quam minores æqualiter diuiſiſſe. Verum is parum firmo nititur fundamento. Voluit enim Interpres tantum dicere omnes tam qui maiori dignitate præditi erant puta ſacerdotes, quam qui minore nimirum Leuitas, æque ſorte diuiſos fuiſſe, neminem exceptum fuiſſe: quod non impeditne partes fuerint inæquales. Sic Sapiens, Sap. 6. 8. puſillum inquit, & magnum ipſe fecit, & æqualiter ille eſt cura de omnibus. Adde quod poſtrema illa verba quæ explicationis maioris cauſa adiecta ſunt, neque in Hebræis habentur libris, neque in Græcis.

Vide quam impolito & rudi bonarum literarum ſeculo ſcripſerint viri ingenio doctrinaque præſtantiſſimi. Erant inquit Abulenſ. in c. 26. 1. Par. in expoſ. textus, de manubiis id eſt ſpoliis. Manubium enim dicitur quod manu includitur vel capitur. Et dicitur de manus, & bios, quod eſt menſura, quaſi menſura manus, & inde dicitur manubium capulum gladii, id eſt pars illa per quam capitur & tenetur. Sic ipſe. At profecto manubiarum vox compoſita non eſt, non magis quam manualis; nec manubium dicitur capulus, ſed manubrium, vt arbitror. Nimirum non omnia poſſumus, aut nouimus omnes, & ſeculi vt dixi hoc vitium fuit, non viri. 4. N. XLI.

Vbi aiunt hanc maledictionem peſſimam fuiſſe Nimrezed; quod quinque literis enunciatur, num, men, res, thade, thau. In num noeph, ideſt adulter; men ideſt, Moabita, res raha, ideſt impius, thade zara, ideſt leproſus, thau thoaba, id eſt abominatus. Verum de anili hac Rabinorum fabula vide plura apud Pined. lib. 6. de Salom. ca. 14. n. 8. & 9. & Sixt. Senenſ. l. 3. 5. N. XCV. ת.צ.ר.ק.נ.

ANNVS MVNDI 3022. DILVVII 1366. QVINTÆ ÆTATIS 83. EXITVS AB ÆGYPTO 479. ARCÆ IN SIONE 33. SALOMONIS 3. SADOCI. PONTIFIC. 2. TROIÆ EXCISÆ 151. EVPALIS 32. IMPERII ASSYRIORVM. 1091.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1031.

I. *Summa, & ordo rerum hoc anno geſtarum.* NVLLVM videtur eſſe dubium, quin executio teſtamenti Dauidis, acquiſitio diuinæ ſapientiæ à Salomone, & mirabile iudicium in contentione duarum muliercularum, eiuſdemque Regis cum filia Pharaonis nuptiæ, apparatus etiam templi, vſque ad eius fundationem, & quæ cum his coniuncta ſunt, non ſolum ad hæc Salomonis initia, ſed etiam adhunc ipſum eius annum tertium pertineant; ſi recte hactenus tam Dauidis, quàm Salomonis res geſtas per ſua tempora digeſſimus. Verum non ita perſpicuum eſt, quænam ex his ipſis, quæ iam attigimus, prius, quænam poſterius contigerint. Mihi tamen conſtitutum eſt ſcripturæ ſeriem in narrando de more ſequi, ſi nihil ad commutandum aliqua in re illius ordinem cogat. Videturquidem incenſum adipiſcendæ ſapientiæ ſtudium, quod feruebat in pectore Salomonis, cum exarſiſſe vehementius, vt primo quoque tempore eam, & precibus à Deo, & ſolemnibus ſacrificiis impetraret, Quin & eam iam adeptam ſapit iudicium Adoniæ, & Semei plenum exquiſita ſapientia. Sed è contrario cum id ſacrificium, & adeptio ſapientiæ confirmato plane Salomonis regno contigerit, vt aperte ex ſcriptura [a] conſtat: Adonia vero viuente cum Ioabo, regnum Salomonis adhuc fluctuare videretur, Scripturæ ſeriem ſecuti, Adoniæ conſilia, & mortem præmittemus. a 3. Reg. 3. init. & 2. Par. 1. init.

II. *Adoniæ coniuratio, & eius cauſa.* EXISTIMAMVS autem factam nouam coniurationem contra Salomonem inter Adoniam, Ioabum, & Abiatharem recens exauthoratos, hi enim omnes ægro erant animo, vnus ereptum ſibi regnum; alter ſummam militiæ præfecturam tantumnon perditam, tertius amiſſum ſummum pontificatum gemebant; &

æmulos ſuos coram ſe in altum euectos, ſe in ordinem redactos, inimicorum ſuorum irriſioni patere, indigniſſimè ferebant: nec vllum excogitari poterat præſentius huic morbo remedium, quàm Salomonis ipſius exauctoratio, & Adoniæ reſtitutio: quæ nunc defuncto parente, à quo priora illa conſilia ipſorum diſiecta fuerant, facilior videbatur. Addebat animos infirma noui Regis ætas, & ad fraudem, vt videbatur, opportuna, ob rerum gerendarum inſolentiam, & imperium nondum alta radice firmatum.

III. *Confirmatur ex Ioabi facto.*

HVIVS nouæ conſpirationis horum trium virorum argumentum eſt, quod mox dicitur Ioabum fugiſſe ad tabernaculum Domini, & apprehendiſſe cornu altaris: *eo quod declinaſſet post Adoniam*; At facinus id iam vetus erat, & condonatum tam ipſi Adoniæ, [a] quam amicis eius; alioqui abiiſſet vtique aliquò Ioab, & apud Philiſthæos periculo ſe exemiſſet, vt Dauid; vel apud Syros, vt Abſalom; vel apud Ægyptios, vt Adad Idumæus, [b] & alicubi res nouas molitus eſſet. Nouum ergo conſilium fuit, quod ſimul deprehenſum, & oppreſſum fuit, duobus occiſis; altero ob reuerentiam ſummi ſacerdotij, non occiſo illo quidem, ſed planè exauthorato, & eiecto; quæ eſt Abulenſis, [c] Hugonis, Dionyſij, Pinedæ [d] ſententia. Porro neceſſe eſt conſilium hoc de petendis nuptiis Abiſagæ callidiſſimè excogitatum fuiſſe, & ad propoſitum illum finem, occultam admodum habuiſſe vim, quam ne mater quidem Bethſabæa odorata fuerit, quod a Scriptura tacitum, à Salomone agnitum, à nobis vix intelligi poteſt.

a 3. Reg. 2. 33.

b 3. Reg. 11. 17.

c 3. Reg. c. 2. q. 20. & 35.

d l. 6. c. 14. n. 4.

IV. *Cur ambita nuptiæ.*

EXISTIMANT plerique, in quibus Torniel. [e] Abiſagæ coniugium non leue momentum allaturum fuiſſe Adoniæ ad occupandum regnum; ſiue quia, ob dotis magnitudinem, acceptasque a Dauide cui fideliter ſeruierat magnas diuitias, potens erat; ſiue quia ob eximiam eius apud regni principes gratiam, quam excellens pulchritudo meritaq; conciliabant, plurimum poterat. Addunt alij, quod vxor Dauidis fuiſſet.

e an. 3020. n. 13.

Verum nouum hoc cum Abiſaga matrimonium nullum maius Adoniæ ius ad regnandum acquirebat, quam cuiuſuis alterius, quæ Dauidis vxor non extitiſſet; Nam Reginę vltra non erant, nec ius aliquod ad regnandum habebant, nedum alteri conferre poterant: neque credibiles ſunt ingentes illæ diuitiæ, quas Dauid ſanctæ fabricæ deſtinarat. Gratia autem mulieris viduæ apud principes populi, frigida omnino ad rem tantam videbatur, hoc præſertim tempore, quo recens cum nouo rege fœdus inierant. Verba nihilòminus Salomonis apertè ſignificant hiſcæ nuptiis, aliquid Adoniæ vel iuris, vel poteſtatis ad regnum acquiſitum iri, & viam ſternendam ad maiora molienda.

V. *Adit Bethsabaam.*

SED iam ipſam ſcripturæ narrationem audiamus. *Salomon autem ſedit ſuper thronum Dauid patris ſui, & firmatum eſt regnum eius nimis.* Proximis ſcilicet comitiis, quibus omnium tribuum, atque ordinum approbatione, ſecundò inunctus & declaratus eſt Rex; eique ab omnibus fidelitatis iuſiurandum ſolemni ritu exhibitum: id ſtudioſè agente Dauide. Cum ergo Ioabo, Abiathari, cæteriſque coniuratis viſum eſſet tentari oportere nuptias; vix elapſo luctus tempore, quod minimum menſis vnius fuiſſe creditur, Adonias eam adit mulierem, quæ & matris grauiſſimo nomine, & optimè de nouo rege meritæ titulo, facile poterat, quod peteret, impetrare. *Ergo ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabeam matrem Salomonis. Quæ dixit ei Pacificus ne eſt ingreſſus tuus.* Merito dubitare potuit Bethſabæa an hoſtili animo ad ſe veniret Adonias, quæ eum ab occupato pene iam regno, pro ſua parte deiecerat, & æmulo eius Salomoni, quam maximè, vt pote mater, fauebat. Qui reſpondit: *Pacificus, Addiditque, ſermo mihi eſt ad te; cui ait, loquere, Et ille, Tu, inquit, noſti, quia meum erat regnum,* titulo primogenituræ, & electionis. Nam *præpoſuerat me omnis Iſrael* aut potius magna pars eius *ſibi in Regem: ſed tranſlatum eſt regnum, & factum fratris mei. A Domino enim conſtitutum eſt ei. Nunc ergo petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum, loquere, & ille ait, precor vt dicas Salomoni regi, neque enim negare tibi quidquam poteſt, vt det mihi Abiſag Sunamitidem vxorem.*

VI. *Qualis eius petitio.*

MVNIT aditum Adonias petitioni ſuæ, mouendo affectum commiſerationis in ſe, nihil enim miſerabilius eſt, quam ex beato miſer; & beneuolentię, dum oſtēdit ſe acquieſcere diuinæ ordinationi, in gloriam, & vtilitatem fratris. Deinde magna cum moderatione animi pro re magna, qua priuatus eſt, paruulam petit,

& orat vt fiat voti compos, & ſpem facit, vt facile exaudiatur ipſa: ſciebat enim Adonias homines primarios nolle repulſam pati; & ideo, ne id eis contingat, pertentare, atque explorare quantum ſit ſpei ad rem obtinendam, & ſic apud ſe definire vel petere, vel non petere.

Et reſponſio Bethſabææ.

Et ait Bethſabee *bene habet, ego loquar pro te Regi*. Non ſolum ſpondet ſe petitionem renunciaturam Regi ſed etiam rem ſuſcipit perficiendam, ac propemodum in ſe recipit; rata valituram eam gratiam ad priſtinas offenſiones inter fratres abſtergendas. Recipit inquam, prout ea verba interpretatur Ioſephus [a] *Bethſabee*, inquit *promiſit operam ſuam in hoc negotio, & de hoc coniugio bene eum ſperare voluit, tum quod Rex vltro fratri gratificari cuperet; tum quod eo preces matris eſſent acceſſuræ; atque ita plenum ſpe hominem dimiſit*. Idque ex conſequentibus confirmatur. a l. 8. c. 1.

VII. *Bethſabæa cauſam agit Adoniæ.*

Venit *ergo Betſabæa ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia*, cuius ſcilicet cauſam tanquam patrona ſuſceperat; ideo non ait de Adonia, ſed *pro Adonia. Et ſurrexit Rex in occurſum eius*, & conueniente corporis inclinatione vtens *adorauit eam, & ſedit ſuper thronum ſuum, poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius*, Sed humiliori throno, ne alioqui ſupra regem honorari videretur; quod indecorè concedit Abulenſis. *Dixit ei, petitionem vnam paruulam ego deprecor à te, ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex, pete mater mea; neque enim fas eſt vt auertam faciem tuam* propter verecundiam, & dolorem repulſæ, quam matrem à filio recipere indecorum eſt. Id enim vel inſipientiam matris poſtulantis arguit, quæ ea poſtulet, quæ concedi non poſſint à filio; qui matri amantiſſimæ, quam maximè gratificari velit: vel modicam filij erga parentem beneuolentiam, quæ iuſtam à filio, atque honeſtam petitionem impetrare non poſſit. Sed hęc ipſa poſtulatio paulò diligentius inſpicienda eſt. Habet enim reconditum aliquid, quod rectè intellectum, hominum inſtitutioni ſeruiat.

VIII. *Callidum petitionis genus.*

Petiit Bethſabæa aliquid in genere, & antequam rem in ſpecie proponeret, rogauit ne repulſam pateretur. Salomon autem matris ſuæ non ſolum beneuolentiæ, ſed etiam prudentiæ multum tribuens, promittit atque obligat fidem ſuam. Sed mox eum promiſſionis ſuæ pænituit, eamque irritare compulſus eſt. Periſimilis eſt hiſtoria [b] matris filiorum Zebedæi; quæ acceſſit ad Ieſum cum filiis ſuis, *adorans, & petens* in genere *aliquid ab eo. Qui dixit ei, quid vis?* Et ſi enim ſciebat quid eſſet in homine, nec opus erat vt quemquam interrogaret, voluit tamen interrogatione ſua docere, quo nos modo gerere oporteret: ne re poſt modum cognita, promiſſionē retexere, ac reuocare cogeremur. Quod ne Salomon quidem ſatis cauit: *Sed ecce pluſquam Salomon hic*. Huic affinis erat culpa Theodoſij iunioris Imperatoris, qui paſſim codicillis omnibus, libelliſque ſupplicibus ſubſcribebat nomen ſuum; neſciens quid à ſe in eis peteretur; At eum facetè ſoror Pulcheri emendauit, dum ei libellum obtulit, in quo ille ſe vendidiſſe vxorem ſuam Eudociam fatebatur. Hiſtoriam refert Nicephorus. [c] b Math. 20. 20. c l. 14. c. 23.

IX. *An licita Tentoradicta nuptiæ.*

Bethsabææ igitur, obſtrictum iam tenens promiſſione inconſulta Regem, ait, *Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor*. Non enim videbat quid mali in ea petitione lateret, nec ſatis apparebat, cum Abiſag à Dauide intacta fuiſſet, ideòque nec patris vxor dici poſſet: ideóque neque lex Leuitici [d] violaretur, quæ vetabat duci vxorem patris. Publicæ enim honeſtatis impedimentum, vt ait hic Caietanus, tum nullum erat, nec vlla in regem, aut commune bonum machinatio in ea poſtulatione apparebat. Nihilhominus videtur huiuſmodi matrimonium contra legem fuiſſe. Nam reuera fuerat patris vxor, neque enim copula matrimonium, ſed conſenſus facit; & eam non interueniſſe non conſtabat; vnde ius publicæ honeſtatis quod naturæ eſt, violabatur. [e] Natura enim tale matrimonium refugit, in eoque lex diuina fundata eſt. Machinationem autem rerum nouarū vidit Salomon; cum matri, non obſtante veneratione, ei paulo ante exhibita, cum amara expoſtulatione reſpondit. d c. 18. 8. e vide Abu. q. 25. in c. 2. 3. Reg.

X. *Reſponſio Salomonis.*

Qvare *poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? poſtula ei & regnum. Ipſe eſt enim frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotem, & Ioab filium Saruiæ*. Si enim vxorem haberet Reginam, cum ipſe filius regis eſſet, & quidem primogenitus, & inſuper ſibi penitus additos haberet tam ſacrorum, quam militię principes: & iam pro rege vnctus, rex agnitus à pleriſque, imo, vt ipſe aiebat, ab omni Iſraële ſalutatus

eſſet. Nihil aptius videbatur ad labefactandum regiũ Salomonis ſtatũ, quã huiuſmodi matrimonio aſſenſum præbere. Itaq; ſeuerior hæc obiurgatio videtur miti illi Chriſti Domini dicto reſpõdere. *Neſcitis quid petatis.* Excãduiſſe videtur ait Pined. [a] aduerſus matrẽ, Adoniæ partes per imprudentiã agentem: quod ex pietate fuit, & admonẽtis fœminã ſimplicem, atq. ſecurã de latente diſcrimine. Itaq; eã nũc dormitantẽ, acri illa interrogatione excitat. *Quare poſtulas Adoniæ Abiſag Sunamitidẽ? Poſtula ei & regnũ.* Vt vel hinc colligi poſſit, quod grauiter, ac vere Honor. & Theodoſ. Impp. dixerunt, [b] *Fœminarũ cõſiliũ aduerſus propria cõmoda laborare.* Sic ipſe.

a l. 6. c. 14. n. 2.

b l. Si pater. c. de Spont.

XI. *Addicit morti Ad... niam.*

PRÆDICTA porro promiſſio minimè obſtrictum tenuit. Ideoq. *iurauit rex Salomon per Deũ*, ne qua illum interceſſio cuiuſquã morti eriperet, dicens: *hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, id eſt ſumat de me Dominus grauiſſimas pœnas, vel alia atq. alia ſupplicia ingerat. Eſt n. imprecatio verius, quã iuſiurandũ, quod tamen mox ſubditur; *quia contra animã ſuã locutus eſt Adonias verbũ hoc*, id eſt in perniciẽ ſuã. Pergit autẽ. *Et nũc viuit Dominus qui firmauit me*: quẽ ſcilicet ille cupit euertere, *& collocauit me ſuper ſoliũ Dauid patris mei*, quod ille fraudulenter ambit, *& qui fecit mihi domũ ſicut locutus eſt*, familiã ſcilicet regiã, *quia hodie morietur Adonias. Miſitq; rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ, qui interfecit eum, & mortuus eſt.* Modus & locus tacẽtur, quia nihil in eis ſingulare contigit, vt in Ioabi morte.

XII. *An iniuſ...*

SED hoc ipſum iudiciũ capitale Salomonis in fratrem ſuum, ſcrupulum mouet Caiet. alioqui ſatis liberali: ait enim nõ carere quęſtione, an ex hoc vnico indicio, & quidẽ ſatis obſcuro, licuerit Salomoni, fratrẽ ſuum, quaſi reũ maieſtatis, interficere, ſine iudiciali diſcuſſione. *Excuſet*, inquit, *qui ſcit: non enim mihi occurrit legitima Salomonis excuſatio. Nã non ſolũ ſeuera, ſed iniuſta etiã apparet hæc ſententia mortis, ex hoc vnico indicio. Niſi forte tunc temporis mos fuiſſet in cauſa læſæ maieſtatis ſufficere vnicũ indicium. Quemadmodũ iuriſtæ in crimine læſæ maieſtatis indicia habent pro probationibus.* Sic ipſe. Adde quod non licet cuiquam, eum à quo ſibi timet, interficere, niſi cũ reipſa ab eo inuaditur, in defenſione ſui. At longe erat Adonias ab inuadendo Salomone.

c qu. 7. in hunc librũ.

d q. 27. in c. 2. 3. Reg.

XIII. *Ex Theod... reto excuſ... tur.*

THEODOR. & Procop. Gazæus eum planè culpa vacare non putant. Nam ille [c] *Non eſt*, inquit, *à Salomone exigenda prophetica, neque apoſtolica perfectio, ſed ea quæ conuenit Regibus: Sciebat autem ipſum Adoniam affectare tyrannidem; conatus enim erat regnum arripere*, &c. Vult nimirum, vt ſentit Abul. [d] & Pined. Salomonẽ cõmunis boni rationem in eo habuiſſe quod agebatur in homine tyrannidem iterũ ambiente: ideoq; iure, ac lege iuſſiſſe interfici. Verum cũ nuſquã in Script. hoc nomine accuſetur, fuit autẽ grauiſſimum peccatum, ſi peccatum fuit, in prõptu eſt ad diuinam inſpirationẽ recurrere, quæ vt ei inſidias patefecit, ita & voluntatẽ ſtatim puniẽdi ſuggeſſit. Neq; vero hoc vnicũ indicium Adoniam morti dedit, ſed ipſe priorem tyrannidẽ, licet condonatã, iterum culpabilem reddidit. Iuxta parabolam ſerui à quo Dominus repetiit vniuerſum debitũ condonatum, propter inhumanitatem in conſeruum ſuum. Deniq; non occidit Salomon Adoniam, eò quod ſibi ab eo timeret, alioqui enim iamdudum illum interfeciſſet: ſed quia eum reipſa deprehendit in opere, quod ad regni affectationem ſpectabat.

XIV. *Eiicitur Ie... roſolymis Abiatha...*

SVBLATO præcipuo fundamento turbarum, eius quoque firmamenta fuerunt deiicienda, Abiathar ſcilicet, & Ioab, quos diuina prouidentia in hanc iterũ culpam labi permiſit, ex qua Salomon occaſionẽ ſumeret, alterum ex Dei ordinatione pontificatu, alterũ ex Dauidis teſtamento vita priuandi. Itaq; *Abiathari ſacerdoti*, ad ſe vocato, *dixit* Rex, *vade in Anathoth ad agrum tuum. Equidẽ vir mortis es*, propter coniurationem ſcilicet cum Adonia, *ſed hodie te non interficiã;* Dionyſ. illud *hodie* interpretatur, hac vice, pro hac culpa, Abul. vacare putat. *Quia portaſti arcã Domini Dei coram Dauid patre meo, & ſuſtinuiſti laborẽ in omnibus, in quibus laborauit pater meus:* Ex eo ſcilicet tempore, quo patre eius interfecto à Saule, & ciuitate Nobe funditus ſubuerſa, Abiathar cũ ephod pontificio ad Dauidem confugit, eiq. in aduerſis & proſperis, ipſos ſex & 40 annos adhæſit. Hæc igitur diuturna, & laborioſa Abiathar. in Dauidem patrẽ officia, eũ à morte, ob culpã in Salomonẽ filium admiſſã, exemerunt; Acceſſit etiã reuerẽtia ſacerdotalis officii, quæ in illa geſtatione arcæ Domini ſignificatur. Et cum emiſſarii Saulis ſacerdotes Domini interficere noluerint, nõ inueniſſet fortaſſe Salomon, Banaiã ſibi in hoc mandato obſequentem.

e poſt q. 28. in c. 2. Reg.

XV. *An id iu... à Salom... ne factum...*

AT quod fuit ius in ſeculari Principe, aduerſus ſummũ Sacerdotẽ, vt eũ gradu deiicere, & aliũ in eius locum ſufficere poſſet? Reſpondet Abul. [e] Salomonẽ po-

post q. 28. in c. 23. Rc.

fuiſſe interficere Abiatharem, quãuis ſummũ Sacerdotem; eo quod in vet. Teſt. poteſtas eccleſiaſtica non eſſet diſtincta à ſeculari, ſed ſubiecti eſſent directè ſacerdotes Regi, ſicut laici. Nec eſſet pœnarũ diſtinctio, ſed æque omnes in graui crimine morti ſubiacerẽt. Verum hæc ille, neq; ex lib. Num. neq; ex lib Ioſue ſatis probat, vt ibi declaratum eſt. Itaq. reſpondetur diuinã in ea re ordinationem interueniſſe, cuius executor Salomon fuit, vt Theod. q. 9. & Procop. & Pin.[a] affirmant. Vnde ſequitur, *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet ſacerdos Domini, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.* Ex qua ſcilicet ortus erat Abiathar, cuius Heli abauus fuit. Quam Dei diſpoſitionẽ Salomon ignorare non potuit, qui Nathane propheta magiſtro vteretur, & à quo Sadoc in pontificẽ eſſet inunctus. Admodum quoq; rationi conſentaneũ eſt etiam Sadoci pontificis ſententiam, conſenſumue interueniſſe; à Leuitis enim, & ſacerdotibus maximam iudiciorũ partẽ fuiſſe tractatã, ex plurimis locis Script. cõſtat. Nã in 1. Par.[b] 6 mil. iudicũ de Leuitis electa ſunt, & per vniuerſum regnũ diſtributa, vt pluribus proximo anno declaratũ eſt. Hi autẽ ad ſacerdotes, & Leuitas, qui erãt Hieroſolymis, magnũq; Synedriũ recurrebãt, vt patet ex l. 2. Par.[c] iuxta id quod in lege ſtatutũ fuerat:[d] & ratio vtroq; loco manifeſta redditur. Nam cõtrouerſiæ ipſorum maxima ex parte erant in lege Moyſis definitæ: eius autem cognitio à ſacerdotibus, & Leuitis qui Scribæ erant, legiſq; doctores petenda erat. Iuxta illud,[e] *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legẽ requirent de ore eius.* Ipſis autem prȩſidebat ſummus ſacerdos, vt ibidẽ præſcribitur: vbi nihilominus nominatur Zabadias de tribu Iuda, qui præeſſet in iis, qui ad regem pertinebant. Ex quo intelligitur non ſolũ Leuitas in cauſis eccleſiaſticis, ſiue legalibus ſed totum etiam populum, Leuitarum iudiciis, & inde pontifici fuiſſe ſubiectos. Id apertiſſimum eſt ex vtroq; loc. citato.

Sacerdotũ iuriſdictio.

a 1. 6. c. 15. n. 7. Heli. Phinees. Achitob. Achias, qui & Achimelech. Abiathar.

b c. 23. 4.

c c. 19 10.

d Deut. 17

e Malach. 2 7.

XVI. *Cui ius in Sacerdotes.*

NON fuiſſe autem ius cuiq; in ſacerdotẽ, etiã in cauſa capitis, præterquã ſacerdoti, colligimus ex Iere. c. 20. vbi cum Ieremias prophetaſſet acerbiſſimas clades tribui Iudæ imminentes, & magno crimine putaretur obſtrictus, nemo miſit in eum manus, præter Phaſſur principem ſacerdotum, à quo percuſſus eſt, & miſſus in neruũ, ſiue carcerẽ. Et iterum cum mortis reus putaretur eo quod dixiſſet, tẽplũ fore ſicut Silo, apprehenderunt eũ ſacerdotes, & prophetȩ; & omnis populus eorũ authoritatẽ ſecutus eſt. Nam quod ibi adducitur ad principes Iuda, quaſi ad Iudices, vt ab eis condẽnetur, fortaſſe præter ius faſque erat; & ab eis abſoluitur:[f]

f Ierem. 26 v. 16. & v. 18.

XVII. *Clementia Salomonis in hoc iudicio.*

INTEREA vero in dãmnatione Abiatharis, clementia, pietas, & animi gratitudo regis Salomonis enituit, qui nõ eſt paſſus plurima antiqua merita recenti vno facinore penitus obrui, atque obliterari. Sed hominẽ reum capitis morte mulctare noluit, vt Ioabum eodem crimine implicatum: ſed exautoratũ ciuitate priuauit, ne ſacerdotis dignitati, & eius erga patrem ſuũ meritis, nihil tribuiſſe videretur. Porro Ioſeph. hoc loco ait, dum pontificatus in domo Heli fuit, priuatam vitam egiſſe in familia Ioſephi pontificis filiũ, nomine Bocciã: (at illũ Script. nõ agnoſcit pontificẽ.) Ioathã. Maræothũ, Arophæũ, Achitobũ. Sadocũ, qui fuit primus in tẽplo Salomonis Pont. Script. iſtos omnes priuatos prȩtermiſit, quos neſcio vnde hauſit Ioſeph. Penes authorẽ ſit fides. Nos ad mortem Ioabi tranſeamus.

XVIII. *Fama ad Ioabum.*

EAM ſic narrare incipit Scriptura.[g] *Venit nuncius ad Ioab, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniã, & poſt Salomonem non declinaſſet.* Id eſt vt habet Hierony. in tradit. Venit ad Ioabum fama, quod in domo Salomonis diceretur, illũ non ſecutum Salomonẽ, ſed declinaſſe poſt Adoniã; ſed ſi nihil noui nunciauit hæc fama valde tarda fuit. Itaq iuxta ea quæ ſup. cõſtituimus,[h] de ſecunda coniuratione Ioabi,* dicendũ eſt Ioabum, nouæ cum Adonia coniurationis architectũ fuiſſe, eãq; rẽ nũc mortuo Adonia iactatam fuiſſe. Et huius loci hãc eſſe ſententiam rumorẽ veniſſe ad Ioabum, de occiſo nunc Adonia, & exautorato Abiathare, vtique propter alteram hanc ipſorum conſpirationem, cuius ipſe particeps fuerat: ex quo etiam ſupplicium ſibi imminere non dubitabat; ideoque fugit in tabernaculum. Hanc ſententiam, excepta mentione poſterioris coniurationis, expreſſit Ioſephus.

g 3. Reg. c. 2. v. 28.

h n. 2. & 3.

* quam cõfirmat Pin. 16 c. 14. n. 8 & Fr. Lucas in Not. in hunc locũ. prȩter Diõ & Hug. antecitatos.

XIX. *An dicatur non declinaſſe poſt Abſalonẽ.*

PORRO *Ioabus imperator*, inquit, *audita nece Adoniæ, valde extimuit eius enim amicitiam, magis quam Regis coluerat, & ideò non immerito male ſuſpicans, ad altare confugit, impunitatem ſe inde quæſiturum exiſtimans, propter notam Regis erga Deum pietatem.* Quod autẽ hic fiat mentio Abſalonis, pro Salomone in Hebræo & Chald. aliam ſententiam colligunt Caiet. Vat. & alii Rabinorũ diſcipuli: Lyra quoq; & Abul. nimirũ

Ioabum, qui in ſeditione Abſalonica fideliter pro Dauide ſtetiſſet, nũc coniurante Adonia, ſe filio eius nõ præbuiſſet fidelem, ſed coniuratorũ partibus adhæſiſſet. Verum prior expoſitio facilior eſt, & certior, licet textu hebræo non conſentiente. Quod autem tabernaculum hic intelligitur? Nam in ciuitate Dauid erat tabernaculum, quod Dauid erexerat; erat etiam in excelſo Gabaon, vt ſępe dictũ eſt, ſed de hoc potius intelligendũ videatur; quia ſi in arcẽ veniſſet ad tabernaculum, facile in via intercipi, & occidi potuiſſet, ſicut ſupra de Adonia dicebamus.[a] Et ita ſentit Caiet. Rectius tamẽ videtur cum Abul. Dauidicũ tabernaculũ fugæ locum interpretari, ſicut ſupra de Adonia diximus; [b] illuc itaq; clam cõfugerit.

a an. Salo. 2

b n. 49.

NVNCIATVMQ. *eſt regi Salomoni quod fugiſſet Ioab in tabernaculũ* DOMINI, *& eſſet iuxta altare*, hic addunt Septuag. Sixti & Aldi, *& miſit Salomon rex ad Ioab, dicens: Quid tibi contigit, quod fugiſti ad altare? Et dixit Ioab, quoniã timui à facie tua, & fugi ad* DOMINUM. Requirit rex à Ioabo ſceleris confeſſionem, cuius ille ſuſpicionem præbebat, cõfugiendo ad altare. Verum hæc verba in græcis regiis & Complut. non leguntur, quoniam ad text. hebræum cõformata fuerunt. Ea tamen legiſſe videtur Ioſeph. dum ait Regem, poſtquã de Ioabo renunciatum eſt, miſiſſe Banaiam, qui citaret eum ad ſuũ tribunal cauſam dicturum. Ioabum autem negaſſe ſe fanum relicturum. Quãuis Banaias regis nomine iuberet, vt egrederetur è loco ſancto. *Qui ait, non egrediar, ſed hic moriar.* Quod cum rex ex Banaia didiciſſet. *Fac*, inquit, *ſicut locutus eſt, & interfice eum, & ſepeli.* Hoc enim hominis dignitati, ac generi dari par eſt: *& amouebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me, & à domo patris mei.* Statimque Dauidi patri ſuo mortuo pacẽ precatur, quod ſcilicet pœnas in purgatorio non ſit luiturus, ob Ioabi peccata non punita; quod notauit etiã Abul. [c] Viden' vt agnoſcit religioſus hic princeps ſe, domũq; ſuam ream fore criminũ à Ioabo perpetratorũ, niſi de eo ſupliciũ ſumat? vt diſcãt reges ſe nõ impunè laturos, ſi ad crimina cõniueant, & temerè veniam largiẽdo peccandi prębeant impunitatem.

XX. Iubetur interfici.

c 3. Reg. 2. q. 41.

SED nec exiſtimauit rex ſe ſanctitatem loci violare, in eo interficiendo hominẽ, reum cædis proditoriæ duorum principum; cum lex diuina id nõ ſolum permitteret, ſed etiam iuberet. [d] *Si quis*, ait, *per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur.* Et ita ſentit Theodor. [e] Nec iuſtè fuſo ſanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuo ſolebat ſanguine cruentari: tota loci violatio cõſiſtebat in vi, quæ directè loci priuilegiũ irritabat; inde enim Aſyla dici certum eſt, quod ab eorum quaſi ſinu reos abſtrahere non liceret. Qui autem religioni ducebant reos ab altari extrahere, non autem eos ibi vel fame, vel circumfuſo igne viuos comburere, de quibus exempla profert Pined. [f] Valde fallebantur, ſi nihilominus loci immunitatem ſe conſeruare arbitrabantur. Id enim erat priuilegio illudere, non illud ſeruare. Ideòque rectè credidit Salomon, perinde eſſe Ioabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi iugulare: vtrouis enim modo locus violabatur, niſi legis diſpenſatio interueniſſet.

XXI. Qui nõ violetur cæde loci ſanctitas.

d Exod. 21. 14.

e qu. 8.

f l. 6. c. 14 n. 6. ex Turne. & Delrio.

SECVTA eſt mox ſententiæ executio. *Aſcendit Banaias filius* Ioiadæ (tabernaculum enim, & altare, ad quod confugerat Ioab, in excelſo loco erant) *& aggreſſus eum interfecit.* Ioſephus caput ei amputatum ex regis mandato aſſerit, *ſepultuſque eſt in domo ſua in deſerto;* vbi ait Lyra poſt Rabinum Salomonem, fecerat ſibi hoſpitale ad recipiendos pauperes, & peregrinos tranſeuntes. Quæ cauſa fuit Hebræis, exiſtimãdi eum ſalutem conſecutũ, inflicta ei morte in peccatorum expiationẽ: ſed id, vt ſine fundamento dicitur, ita ſine detrimento contẽnitur, vt Pin. quoq; ſentit; ſatius eſt dicere Ioabũ, qui erat de tribu Iuda, domũ habuiſſe in deſerto aliquo illius tribus, Bethlehẽ fortaſſe, vel Tecuæ: vel in montanis Hebron; hæc enim omnia erãt in ſorte Iuda. DE ſalute autẽ Ioabi, ſicut eorũ, qui legitimo iudicio ſupplicio affecti moriuntur, non eſt niſi in re clara deſperandum. *Et conſtituit rex Benaiam filium* Ioiadæ *pro eo ſuper exercitum, & Sadoc ſacerdotem poſuit pro Abiathar.*

XXII. Ioabi cædes.

NVNCIVS de morte DAVIDIS, & Ioabi in Ægyptum perlatus, inde Adad Idumæum trigeſimum fere agentem annum, iuxta ea quæ 15 Dauidis anno diximus; [g] non ſegniter exciuit, ſperantem duobus illis, à quibus vexatus, & pulſus fuerat, mortuis, regnum paternum ſe recuperare poſſe; de ſemine enim regio fuiſſe legitur. [h] Sed cum inueniſſet in regno Salomonis omnia pacatiſſima, [i] & eum ſapientia, opibuſque florentiſſimum, nihil moliri auſus eſt; pręſertim cum hoc ipſo tempore nuptiæ filiæ Pharaonis cum Salomone agitarentur: vt propterea

XXIII. Reditus Adad Idumæi.

g nu. 17. vid. etiam ã. 5 Salom. 38 n. 13.

h 3. Reg. 11. 14.

i 3. Reg. 4. & c. 4. 24. 25.

ipſi auxiliares ex Ægypto copiæ ſperandæ non eſſent. Itaque conſilium ſuum in tempus idoneum differendum putauit: aut certe regnum ſuum, interuentu Pharaonis à Salomone obtinuit, vt alibi rurſum [a] dicendum erit. Scio Ioſephũ [b] ſcripſiſſe Pharaonẽ nõ permiſiſſe Adado vt rediret in patriam, nec ſcriptura rẽ clare dicit, malui tamen communẽ opinionem ſequi, præſertim cũ in 3. Reg. [c] poſt illa verba, *ſed obſecro te vt dimittas me*, legamus in 70. Sixti & Aldi, *& reuerſus eſt Adad in terram ſuam*. Nec videtur probabile extremis dũtaxat Salomonis annis eum in Idumæam veniſſe ad turbandũ Iſrael; tunc enim erat admodum ſenex iſte Adad.

a an Sal. 38 n 13.
b l. 8. c. 2. ſub fin.
c c. 11. 22.

XXIV. *Cauſa Semei.*

RELIQVVM erat vt de contumelioſa pertinacia Semei conueniens ſuppliciũ ſumeretur, iuxta ſupremam Dauidis voluntatem. Cum ergo Dauid ei iureiurãdo confirmaſſet, ſe eum morte violenta non interfecturum, ob inſanam illam linguæ petulantiam, morte tamen dignum agnoſceret, ita promiſſionem iureiurando firmatam temperauit, vt neq; eum interficeret, neque alteri, niſi noua interueniẽte culpa, interficiendum daret. Diuina vero prouidentia ita nouũ Regem gubernauit, vt Semei pœnam imponeret, quæ eſſet è publica re. Hominem enim ſeditioſum noluit à ſe dimittere, ne nouas res apud ſuos contra Salomonem moliretur, ſed tuto coram Rege Hieroſolymis, quaſi in laxiore carcere habitare, voluit ſimulque prouidit, vt impoſita pœna illi eſſet occaſio culpam admittendi, ob quam merita iam pridem morte, afficeretur.

Mitis ac prudens.

XXV. *Sententia Salomonis in ipſum.*

MISIT *quoque* Rex, inquit Scriptura, *& vocauit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi; & non egredieris inde huc atque illuc. Quacumque autẽ die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum; ſanguis tuus erit ſuper caput tuum.* Ideſt tu tibi eris cauſa mortis. Quod autem meminit Rex torrentis Cedron, non præciſè de eo torrente accipiendum eſt. Nam reuera eum torrentem non tranſiuit, quando poſtea in Geth, quæ erat ad Occidentem Hieroſolymorum, profectus eſt: Ille autem torrens erat ad Orientem, inter vrbem & montem oliuarum; ſed indefinite ſumitur pro loco vicino, in hanc ſententiam. Si vel tantulo ſpatio ab vrbe exceſſeris, quantum eſt vſque ad torrentem Cedrõ qui vrbem propemodum alluit, ſcito te eam culpam capite luiturum. Neque tamen torrens Cedron exempli cauſa nominatus eſt, ſine aliqua peculiari cauſa. Is enim tranſeundus erat vt iretur in Bahurim, vbi erant agri & villæ, & reliquæ poſſeſſiones Semei, vt ex ſuperiore conſtat hiſtoria, Dauidis Abſalonẽ fugiẽtis.[d] d 2. Reg 16. 5

XXVI. *Eiuſdem conſenſus.*

DIXITQVE *Semei Regi, bonus ſermo*, recta atque honeſta oratio eſt; *ſicut locutus eſt dominus meus Rex, ſic faciet ſeruus tuus*. Hunc Semei conſenſum, etiam iureiurando firmatum fuiſſe, indicant verba mox ſequentia.[e] *Quare ergo non cuſtodiſti iureiurandum Domini?* Idque deſerte affirmat Ioſephus. *Nec contentus*, inquit, *interminatione, iureiurando hominem ad id mandatum ſeruandum adegit. Semei vero profeſſus ſibi gratiſſimum hoc regium mandatum, & iuratus facturum ſe imperata, patria relicta, Hieroſolymis domicilium habuit.* Poteſt & iuſiurandum ad Salomonem referri, vt is aſſumpſerit teſtem Deum, fore vt trangreſſo Cedrone interficeretur Semei; vt ſi mandatum violari contingeret, ſententia irreuocabiliter lata cenſeretur. Cætera vero licet hic conſequenter tradantur, nolente ſcriptura reliquam Semei hiſtoriam in alterum locum, tempuſue differre, quoniam tamen poſt triennium contigerunt, ad ſuum tempus differenda ſunt.

e 3. Reg. 2. 43

XXVII. *Acquiſitio ſapientiæ anteceſſit nuptias cum Ægyptia.*

SVBLATIS ergo inimicis, aut quaſi vinculis conſtrictis, ne ſe vſquam cum publico damno commouere poſſent, conſequenter confirmatum eſt regnum in manu Salomonis, vt 3. Reg. 3. dicitur,[f] & confortatus eſt *Salomon in regno ſuo. & Dominus Deus eius erat cum eo, & magnificauit eum in excelſum*, admirabilem ſcilicet ei ſapientiam, opes, & potentiã largiendo, itaq; de acquiſita ſapientia conſequẽter inſtituitur narratio,[g] De opum vero, & potentiæ amplificatione, per affinitatem cum Rege Pharaone contractam, aliiſque mediis, poſtea texenda erit hiſtoria. Etſi enim de affinitate cum Pharaone prius, quam de acquiſita ſapientia 3. Re. 3. agatur, quem ordinem ſeruauit etiam Ioſephus.[h] non propterea tamen nuptias regias prius cum Ægyptia muliere, quam diuinas cum æterna ſapientia contrahere voluit; Neque enim id patiebatur incenſus Salomonis in Sapientiam amor. Idque confirmari poteſt ex verbis lib. ſapientiæ,[i] vbi ſapiens in perſona Salomonis ſic loquitur.

f 2. Paral. 1.
g 2. Par. 1.
h l. 8. c. 1. & 2.
i cap. 7. 7.

XXVIII. *Incenſus Salomonis*

OPTAVIT, *& datus eſt mihi ſenſus. & inuocaui, & venit in me ſpiritus Sapientiæ, &*

præpoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: & mox, *Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius, venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa*. Et capite ſequent. verſ. nono, *Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum*, & v.16. *intrans in domum meam conquieſcam cum illa; non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius. Sed lætitiam, & gaudium. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, circuibam quærens vt mihi illam aſſumerem*. Sapiens quoque alius in eius perſona. [a] *Cum adhuc iunior eſſem, priuſquam aberrarem, quæſiui ſapientiam*; inter oberrationes autem, & peccata forte etiam numerari poteſt, ducta filia Pharaonis in vxorem, [b] qua de re poſtea. Multa quoque alia his perſimilia toto c.8. & 9. Sap. & Eccli. 51. continentur. Ex quibus merito Ægyptias nuptias his poſteriores affirmare poſſumus, cum Pineda. [c] Vbi etiam ait, ne annum quidem interceſſiſſe, inter Dauidis mortem, & ſolennem hanc ſapientiæ poſtulationem.

Et certè ſi vnquam ſapientia principi neceſſaria eſt, profecto in iuuentute, & in ipſis regni initiis optanda eſt, cum ſtabilienda, tranquillanda & confirmanda ſunt omnia. Et hæc ex illis verbis Salomonis ſapietiam poſtulantis indicantur. [d] *Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum*, id eſt inſtar pueri: ſubintelligitur enim aduerbium ſimilitudinis. *Sicut*, ita 1. Reg. 3. *filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet*. Abul. [e] cenſet datam Salomoni ſapientiam in fine anni tertii regni ſui. Pineda [f] poſt multam de tempore acquiſitæ ſapientiæ diſputationem, eam ſummam colligit, vt Salomon cum ſapientiam in regni ipſius primordio accepit. fuerit minor viceſimo anno, maior decimoquarto: ſed ipſe idem in ea opinione non perſtitit. Nam vbi annos digerit Salomonis, [g] eam acquiſitionem anno illius viceſimo primo attribuit, quod noſtræ chronologiæ bellè congruit, qui duos primos Salomonis annos, cum duobus vltimis Dauidis confundere noluimus. Ideoque hunc 23. ætatis, & 3. regni Salomonis ſtatuimus, & de tempore quidem hactenus.

XXIX

Vbinam vero facta eſt iſtà ſolennior petitio ſapientiæ? In excelſo Gabaon Sic enim legimus. [h] *Abiit itaque Salomon in Gabaon, vt immolaret ibi, illud quippe erat excelſum maximum*. Maius ſcilicet quam excelſum Cariathiarim [i] quam Ramathæum, quam quod in Bethel, in Maſpha, in Galgala, [k] quam in Gabaa Beniamim, [l] & Silo, & Hebron, & omnibus religioſis locis, in quibus hactenus ſacrificatum fuerat Deo. Sed hunc locum licet illuſtrem, maximeque aſpectabilem, vtpote excelſum maximum, quidam tamen non parum obſcurant. Nam Ioſephus [m] Gabaonem Beniamin in Hebronem Iuda commutauit. *Viſum eſt autem ei*, puta Salomoni, *Hebronem petere, & ſuper altare æreum à Moyſe fabricatum ſacrificare.* Sed hanc opinionem, vt apertè Scripturæ contrariam, nemo ſequitur, nec potuit Ioſephus oſtendere altare æreum vnquam in Hebron fuiſſe tranſlatum. Voluit Ioſephus Hebronem, locum alioqui religioſum, celebrare, ſed Deus mendaciis noſtris non eget. Putat Pineda, Hebron pro Gabaon errore librariorum ſcribi potuiſſe: Sed ita legitur in omnibus græcis, & latinis codicibus; & ita legit Comeſtor ante aliquot ſæcula, & Rufinus ante annos mille ducentos. Hac ergo opinione omiſſa, vt omnium deterrima,

XXX

Comestor [n] ait Gabaon non eſſe proprium nomen loci, ſed appellatiuum, & interpretari collem excelſum; eum ſequuntur Gloſſa interlinearis, & Hugo. Sed hæc opinio dum vitat difficultatem, nihil iuuat veritatem: quærimus enim quis fuerit iſte collis excelſus, & vbi ſitus. 3. opin. Gabaon fuiſſe quendam locũ in Ieruſalem, vbi à Dauide tabernaculum fœderis, & arca teſtamenti Domini collocata ſunt, vt D. Hieronymus refert in lib. tradit. [o] quem ibi Gloſſa & Dionyſ. referunt. Adrichomius in ſua Ieruſalem n.24. Putat Gabaon fuiſſe in monte Sion. Sed præter quam quod, vt ait Pineda, ſi Gabaon eſſet in monte Sion incõmodè diceretur Salomon, qui habitabat in arce Sion, loco totius ciuitatis, & Sionis editiſſimo; aſcẽdiſſe in Gabaon, ſed potius deſcendiſſe; certe ipſe loquendi modus oſtẽdit Gabaon fuiſſe extra Ieruſalem. Significatur enim indictã fuiſſe profectionẽ vniuerſo Iſraëli, Principibus, & Tribunis, & cæteris; tum dicitur rex abiiſſe, cũ vniuerſa multitudine in excelsũ Gabaon. Nec D. Hiero. in ea fuit ſent.

XXXI

a Eccl. 51.18
b vt patet ex 3. Re. 11.
c l.3.c.1.n.3
d 3. Reg. 3.4
e q.31. in c. 1.1. Par.
f l.3.c.2.n.6
g l.8.c.4.
h 3 Reg. 3.4.
i 1. Reg. 7.1
k 1 Re. 7.16. 17.
l 1. Reg. 10 5.
m l.8. cap.2 init.
n in ſup. 3. Reg. c 5.
o 1. Par. 16.

ACQVISITIO SAPIENTIÆ.

NAM, quæ eſt veriſſima opinio, in locis hebraïcis, vbi ex propria ſententia loquitur ſic ait: *Gabaon*, inquit, *vnde Gabaonitæ ſupplices venerunt ad Ieſum, erat olim metropolis ciuitas, & regalis Heuæorum, ceciditque in ſortem tribus Beniamin, vbi Salomon hoſtiis immolatis, diuinum meruit oraculum.* Idem ſentit Adricho. in topographia Beniamin, & valde inclinauit Pineda, quia deſtructa ciuitate Nobe, in qua erat tabernaculum, videtur ab eodem Saule tranſlatum tabernaculum [a] in Gabaon ciuitatem Beniamin tribus ſuæ; ibique fuiſſe vſque ad Salomonem. Idem ſentit Abul. vt ſuperius dictum eſt pluribus, cum de arce tranſlatione ageremus. [b] Cum ergo Salomon indixiſſet profectionem, *vniuerſo Iſraeli, Tribunis, & Centurionibus, & Ducibus, & Iudicibus omnis Iſrael, & principibus familiarum; abiit* etiam ipſe *cum vniuerſa multitudine in excelſum Gabaon, vbi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyſes famulus Dei in ſolitudine. Altare quoque æneum, quod fabricatus fuerat Beſeleel, requiſiuit Salomon, & omnis Eccleſia: Aſcenditque Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hoſtias.* [c]

Nu. 68.

a 1. Reg. 21. 7.

b 1. Par. 16 v. 31.

c 2. Par. 1. & 3. Reg. 3.

HVIC loco præfuerat multis annis Sadoc, cum adhuc Pontificatum gereret Abiathar. Ad eum locum, ipſo Moyſis tabernaculo, & altari antiquitate venerabili celebrem, credibile eſt à Sadoco pontifice inuitatum Salomonem; vt ſicut tabernaculum Dauidicum, & arca Domini, & altare, nuper in ſecunda Salomonis inauguratione, ſolennibus ſacrificiis celebratum fuerat, ita & alterum illud Moſaicum ad obtinendam, quam tantopere ambiebat, ſapientiam ſolenni quapiam, & publica ceremonia totius populi celebraretur. Præſertim cum excitato poſtmodum templo, excelſum Gabaon futurum eſſet deſertum ab omni religioſo cultu, ſicut Silo, & Bethel, & Galgala, & Nobe, & Cariathiarim, in quibus tabernaculum vel arca Domini aliquando ſubſtiterant.

TOTO propemodum die duraſſe hoc mille hoſtiarum holocauſtum neceſſe eſt, quoniam altare non erat magnum, ſed tantum quinque cubitorum per quadrum, vt habetur in Exod. [d] Pineda [e] putat millenas victimas oblatas, & concrematas fuiſſe: multum enim alioqui de ſacrificii magnificentia, & Salomonis deuotione detractum iri. Sed cum id per altaris anguſtias fieri non poſſet, veriſimilius eſt ſucceſſiuè hoſtias igni impoſitas, ſiue centenas, ſiue quinquagenas, quamquam non omnes in holocauſtum ceſſiſſe, ſed maiorem partem tantum, vnde fiat denominatio totius, putat Abul. [f] Interea vero magnam temporis partem à Salomone in oratione & petitione Sapientiæ poſitam ſatis conſtat. Certe Ieſus Sirach [g] in eius perſona aliquot nobis circumſtantias eius orationis aperit. Elegiſſe idoneum orationi locum; ait enim eum ante templum, pro obtinenda ſapientia poſtulaſſe. Sic enim legitur in emendatis bibliis, quemadmodum in græco eſt ἔναντι ναοῦ, id eſt, in conſpectu templi, ſiue coram tabernaculo, & altari Dei. Nam id quoque templum Domini vocabatur, antequam Hieroſolymis templum à Salomone fuiſſet excitatum. Itaque Helcana [h] cum vxoribus ſuis per ſingulos annos aſcendebat in templum. Et Samuel [i] dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei, nimirum in Silo, & alibi ſæpius.

d 17. 1. c. 38. 1.

e l. 3. c. 7. n. 3

f 3 Reg. c. 3. q 3 & 2. Pa. 1. q. 16.

g Eccl. vlt.

h 1. Reg. 1. 7

i c. 2. 19. & c. 3 3.

SECVNDO adhibuiſſe geſtus, qui eum excitare poſſent, & deuotionem fouere. *Manus meas extendi,* [k] ſiue expandi, *in altum;* imitatus videlicet Dauidem patrem ſuum, & obſecutus exhortationi eius. *Exaudi vocem* [l] *deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.* Et [m] *Clamaui ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.* Et, [n] *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* 3. Magna animi contentione, & cum lacrymis ſapientiam efflagitaſſe. Verſu enim 25. fatetur ſe inſipientiā animæ ſuæ luxiſſe, vt nunc legitur in emendatis bibliis, ſicut in græco eſt ἐπένθησα deploraui, pro quo legerat vetus interpres ἐπόνησα [o] quo pertinet illud Sapien. [p] *Adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: Deus patrum meorum*, &c. 4. publicè, & palam coram omnibus, ad omnium exemplum, in oratione ſua ſapientiam petiiſſe. *Quæſiui*, inquit, *ſapientiam palam in oratione mea.* [q]

k 8. 26.

l Pſal. 27. 2.

m Pſ. 87. 10.

n 133. 2.

o Vide hic Fr. Lucā, & Ianſen.

p c. 8. fi.

q Eccl. 51. 18

HABETVR eadem oratio, ſacris literis commendata à Iehu Sirach [r] non totidē fortaſſe perſcripta verbis, ſed eodem afflante ſpiritu poſterius edita ac repreſentata. Nā illa ea continentur, quæ Salomoni cōueniunt, præterea nemini; & maxime conſentiunt cū iis, quæ in ſomnis eum oraſſe legimus, [ſ] vt ex ſequentibus planū

r c. 9. l. Sap.

ſ 3. Reg. 3. & 2. Par. 1.

fiet. Et ſi autem totus deinceps liber Sapiẽtiæ à c. 9. ad finẽ eiuſdem, videatur orationis cõtinuatio plena ſapiẽtiæ laudibus, & effectis; præcipua tamẽ vis orationis c. 9. continetur, eamque, vt ad pleniorem hiſtoriæ veritatem non parum pertinentem, non duxi omittendam. Quis id in Hiſtoria ſacra reprehendat, qui meminerit Græcorũ & Latinorum hiſtoricorum conciones, ad ingenii oſtentatio-
verſ. 1. nem, magis quam ad geſtæ rei veritatem elaboratas? Sic ergo habet: *Deus patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo, & Sapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ, quæ à te facta eſt, vt diſponat orbem terrarum in æquitate, & iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet.*

Elegans plane, artificioſum, ac mirè conſentiens reliquæ orationi exordium, vbi primum à perſona ſua diuinam ſibi maieſtatem conciliat, dum ei ſe, vt filium Deo dilectorum parentum offert, in quorum gratiam populo ſuo liberaliſſimus ſemper extiterit, quorum merita, cauſæ, & petitioni ſuæ patrocinari deſiderat. In iis autem non ſolum Abraham, Iſaac, & Iacob, ſed Dauid quoque, & Bethſabæa continentur. Nam & Bethſabæam, ex quo Dauidi legitimo fuit iuncta con- (XXXVII Exordium petitionis Sapientiæ. Elegans, &c.)
a l. 1. c. 4. iugio, ſanctè vixiſſe ſatis conſtat, quod fuſius docet Pined. [a] & Dauidis nomina-
b 3. Reg. 3 tim fit mentio in oratione illa nocturna, quæ in 3. Reg. [b] habetur. Deum quo-
2. Paral. 1. que ſibi noſter ſapientiæ candidatus conciliat ab innata bonitate, potentia, & ſapientia, tribus primariis trium diuinarum perſonarum attributis. Vnde artificioſe delabitur ad oſtendendum, quam conſentanea ſit diuinæ prouidentiæ poſtulatio ſapientiæ; quippe quæ orbem terrarum à ſe conditum ita ordinauit, vt homo cæteris creatis rebus dominaretur, & eas ſapienter & iuſtè gubernaret; quod ſine præſidio diuinæ ſapientiæ facere nequit: ex quo alioqui ſequeretur irritum fieri conſilium diuinæ prouidentiæ. Sequitur ipſa petitio.

Da mihi domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ; homo infirmus, & exequi temporis, & minor ad intellectum iudicij, & legum. Nam & ſiquis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur. Hæc ſapientiæ petitio, quæ adeſſe regi debeat, ſicut Regina à dextris eius, & ſicut perpetuo Deo aſſidere intelligitur, in totius mundi gubernatione, hæc inquam petitio, cum multiplici impetranti ratione coniuncta eſt. Primum quia is qui petit in famulis eius, & domeſticis iamdudum cenſeatur, imo quaſi verna in eius ſeruitute natus ſit. Intereſt autem honoris, & vtilitatis dominorum, vt ſerui ipſorum ſapiant, & ſibi commiſſa negotia ſapienter adminiſtrent. Secunda, quoniam demiſſio animi potentiſſima eſt apud Deum, ad impetrandum omnia, ſe infirmum hominem, & exequi tempo-
c ca 14. 1. ris vocat, alludens ad illud Iobi [c] *Homo natus de muliere, breui viuens tempore,* &c. qui ſcilicet & defectu virium, & temporis, & ingenij ad ſcriptam in diuinis legibus ſapientiam comprehendendam, parum poſſit ſapientiam proprio labore, vel experientia, vel aliena doctrina, & inſtitutione adipiſci. Ex quo neceſſe ſit eam gratis à diuina liberalitate poſtulare. Tertia impetrandi ratio à neſſitate petitur, quia futurum eſt alioqui vt contemnatur is quem publici boni intereſt honorari, & magnificari, vt Dei in populorum gubernatione vicarium: de huiuſmodi autem viris agi ex ſequentibus patet. (XXXVIII. Ipſa petitio ſapientiæ. — Prima impetrandi ratio. — Altera. — Tertia.)

Pergit autem Salomon; *Tu elegiſti me Regem populo tuo: & iudicem filiorum tuorum, & filiarum, & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo & in ciuitate habitationis tuæ altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio. Et tecum ſapientia tua, quæ nouit opera tua, & quæ affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid eſſet placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.* Deſcendit in particulari ad perſonam ſuam, & quartam impetrandi rationem in eo conſtituit, quod diuinæ bonitati, & ſapientiæ conueniat, non ſolum dare dignitatem, & nomẽ, ſed vires etiam animi corporiſque tribuere, quæ illi ferendo ſint pares. Cum ergo duo grauiſſima onera illi impoſuerit, regiam dignitatem, & templi conſtructionem, quod vtrumque exquiſitiſſimam ſapientiam requirat, pertinet ad Deum tribuere ſapientiam iſtis diuinis muneribus congruentem. Ex quo ingenioſe nouum elicit argumentum, vt quoniam ex eius præſcripto imitari debeat ſimilitudinem diuini operis, ſiue quod in deſerto Moyſi oſtendit, ſiue quod in exordio mundi condidit, cooperatricem habeat eandem ſapien- (XXXIX. Quarta impetrandi ratio.)

tiam, quæ id opus architectata eſt.

XL. *Noua peti[ti]o, cum im[p]etrandi [r]atione.* MITTE *illam de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptũ ſit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potentia. Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè, & ero dignus ſedium patris mei.* Eandem petitionem iterat, & ſextam adiungit impetrandi rationem, tam à ſua, quam populi ſui vtilitate petitam. Tum quia habere hanc ſapientiam eſt habere ſcientiſſimum viæ ducem, & omnium totius vitæ operum rectorem, & defenſorem; tum quia præſentia aſſiſtentis ſapientiæ in totius populi vtilitatem redundabit, qui Dauidis, maximi, ac ſapientiſſimi principis, neque degenerem, neque inſipientem habebit ſucceſſorem. Sed reliqua videamus. Sap. 9. 10.

XLI. *Neceſſitas [ſa]pientiæ.* QVIS enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? *Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Solẽt periti dicendi artifices, graue aliquod argumentũ vehementer premere & identidem variis locis inculcare, quod hic facile notare licet. Reſumit enim, & renouat efficax illud argumentum, à neceſſitate petitum, quod ſcilicet tam in adminiſtrando regno, quam in ædificando templo ideam, & archetypum in diuina mente latens adumbrare, & repræſentare oporteat; id autem fieri nullo modo poſſit, quamuis deſcriptione data ipſius fabricæ, niſi Deo in mentem humanam diuinam ſapientiam infundente; tum quia diuina conſilia occultiſſima ſunt: tum quia mentis humanæ acies timida eſt, fluctuans, & incerta ipſa per ſeſe; tum quia quodcumque eius acumen degrauante corpore hebeſcit, & quamtum ſe, multa conando, & cogitando, erexerit, tantum terreno pondere deprimitur. c. 9. 13.

XLII. *Eiuſdemque [d]ifficultas.* Idem etiam argumento a maiori ducto, ipſáque experientia confirmat. *Et difficile æſtimamus*, inquit, *quæ in terra ſunt & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ autem in cœlis ſunt quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum tuum de altiſſimis, & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines.* Huic argumento affine eſt illud [a] Chriſti domini. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero cæleſtia credetis?* Quod argumentum premendum atque vrgendum eſt, in iſtos ſapientes in oculis ſuis, & ſecundum carnem & ſanguinem; qui fidei noſtræ myſteria intelligentiæ ſuæ tenuitate metientes, ea eſſe non poſſe credunt, quæ ipſi capere non poſſunt; quaſi diuina ſapientia humanum captum infinitis gradibus non tranſcendat; & ſuper humi repentis intellectus imbecillitatem, in immenſum non exaltetur. Hæc mihi videtur veriſſima, fideliſſimaque orationis Philoſophi noſtri ſententia, qua ita ſe amatorem ſapientiæ prodit, vt eam tamen iam magna ex parte videatur conſecutus. Iis non diſſimilis, qui amorem Dei à Deo ardentiſſimis votis efflagitant, ipſo iam diuino amore, qui in ipſis inhabitat, illos ad eam poſtulationem extimulante. a Ioan 3. 12.

[F]idei my[ſt]eria ſupra [ca]ptum hu[m]anum.

XLIII. *App[ar]i[tio] [D]omini[ad Sa]lomonem.* HISCE igitur deſideriis cum incenſum pectus haberet Salomon, & ad ſapientiæ conquiſitionem curæ eius omnes euigilarent, nihil aliud animo interdiu, nihil noctu verſaret, peracto ſacrificio, quod in eam vnam rem deſtinatum erat; in ipſa nocte [b] apparuit ei Deus, nolens vltra differre, quod tot tãtiſque precibus, votis, ſacrificiis petebatur. Immiſſo ergo diuinitus per angeli miniſterium ſomnio: conſentaneum enim eſt diuinæ prouidentiæ hominum negotia Angelorum miniſterio diſpenſare: Angelus Salomonis immutans phantaſiam, ei Deum ſub ſpecie ſenſili repræſentat, hominis videlicet, qui audire, & loqui poſſet, ſed maieſtate longè ſuper humanam, atque angelicam, vt Deus æſtimari poſſet is, qui Dei perſonam gerebat. [c] Et forte, inquit Pineda apparuit illi Deus, quaſi loquens de tabernaculo, aut iuxta altare æneum, aut ſuſcipiens ſacrificium, vt ſomnium diuinis actionibus reſponderet, denique ea forma apparuit, quæ decebat ſupremum ſapientiæ largitorem; atque doctorem Deum, ſapientiſſimum patrem luminum, nimirum cherubinis, qui habent à Sapientia nomen ſtipatus. Et quidem vel ſub ſpecie Dei patris, qui eſt omnis ſapientiæ principium, & ipſius æternæ ſapientiæ genitor: vel ſub ſpecie filij, qui eſt patris

b 3. Reg. 3. 5.

[Qu]a forma.

c Ita ſentit Abu. q. 4. in c. 3. 3. Reg. & Pineda l. 3. c. 8. n. 4.

ſapientia, & quam, ex frequenti patrum interpretatione, poſtulabat Salomon ſibi adeſſe, ac mitti de ſede maieſtatis Dei, Idq; quam maxime conſentaneum eſt plurimorum patrum ſententiæ, qui Dei filium in propria perſona apparuiſſe, in veteri teſtamento antiquis patribus aſſeruerunt.

XLIV. *Nocturnum Salomonis cum Deo colloquium.*

APPARVIT igitur angelus Salomoni filium Dei repræſentans, & dicens, *Poſtula quod vis vt dem tibi.* Sciebat vtique quid ille vellet, ſed voluit ea interrogatione attentionem renouari, & affectum ad rem præſentem applicari. Cui Salomon nihil cunctatus, rem enim iam ſatis ſuperque deliberatam habebat, reſpondit; *Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam*, id eſt magnum illi beneficium contuliſti, ad regiam videlicet dignitatem eum euehendo, qua etiam minimè ſe indignum reddidit, vt qui ambularit in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & recto corde tecum, *cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem*, vt ex ea non decideret, vt Saul, eiuſque familia, ſed ea conſeruata in eius poſteritatem propagaretur, *dediſti* quippe *ei filium ſedentem ſuper thronum eius*, vt hodierna docet experientia. Hæc agnitio & gratiarum actio pro acceptis beneficiis mirificè prouocat Dei liberalitatem, imo & cuiuſcumque hominis, ad maiorem erga hominem gratum beneficentiam, ideoque Salomon ſapienter hanc inſiſtit viam.

XLV. *Ratio obtinendæ ſapientiæ.*

SIMVLQVE illud argumentum iterat, quod in diurna ſua oratione poſuerat, æquum ſcilicet eſſe, vt Deus, qui ei maximi populi, ſibique chariſſimi gubernationem commiſerit, licet adhuc iuueni, & rerum inexperto, ei ſapientiam, ad huiuſmodi prouinciam bene regēdam, ſuppeditet: qui enim dat formam, dat etiam conſequentia formam. Verba eius ſic habent. [a] *Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum pro Dauid patre meo. Ego autem ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum: & ſeruus tuus in medio eſt populi infiniti, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari, & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt populum iudicare poſſit.* Cor docile explicat Pineda [b] audiens & obediens, Deo ſcilicet doctori principum, quorum corda in manu eius ſunt ad docendum eos, quæ neceſſaria ſunt populorum ſaluti, quibus vt Dauidi, arcana, & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtat. Ex antecedenti autem intelligitur conſequens, nam cui vult Deus ſapientiam infundere, prius præparat animam eius, quæ præparatio, nomine docilitatis intelligitur. Itaque recte hunc locum ipſa eadem ſcriptura interpretatur, [c] *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* Ideſt vt ſapienter me geram in omnibus actionibus meis; per ingreſſum enim & egreſſum omnes actiones humanæ intelliguntur, [d]

a 3. Reg. c. 3. 7.

b l. 3. c. 5. n. 6

c 2. Pa. 1. 10.

XLVI. *Multitudo Iſraëlitici populi.*

QVOD autem vocat populum Iſraëliticum *infinitum*, & qui *præ multitudine numerari, & ſupputari non poteſt.* [e] Et, qui *tam innumerabilis eſt, quam puluis terræ*, certe hyperbole eſt: ſed quæ non longe abſit à veritate. Si quis enim meminerit illa centum millia, ſupra mille millia virorum educentium gladium de Iſraël, & de Iuda quadringenta & ſeptuaginta millia bellatorum. Eique adiungat 38. millia Leuitarum, nec pauciores Beniamitas, adiungat deinde omnes maſculos infra 20. annum, qui numerus triplo aut quadruplo maior eſt, [f] tum ſeniores ſexageſimum annum prætergreſſos, denique fœminas omnis ætatis, quæ virilem ſexum multis partibus ſuperare ſolent, vere fatebitur hyperbolem hanc non vltra modum fuiſſe prouectam. Hæc autem populi multitudo valde facit ad Salomonis inſtitutum. Quo enim maior eſt populi multitudo, hoc maior occurrit copia grauium negotiorum, quæ ad Regis notitiam, iudiciumque pertineant; maiorque neceſſitas ſapientiæ naſcitur.

d Num. 27. 21. Deu. 28. 6. 19. c. 31 2. 1. Reg. 18. 16. 2. Reg. 5 10. &c.

e 2. Par. 1. 9.

f 1. Para. 27 23.

XLVII. *Dei in Salomonem liberalitas.*

DEVS autem qui ſe ad humanum captum attemperabat, & ſi iandudum gratam habebat Salomonis voluntatem, hac eius poſtulatione audita gratam ſibi eſſe, benigna quadam, & ſuaui vultus compoſitione oſtendit, ſubdit enim Scriptura, *placuit ergo ſermo coram Domino, quod Salomon poſtulaſſet huiuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni:* [g] *quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum*, quæ ſolent hominibus eſſe antiquiſſima, *ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium: ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Hæc dubitatione non carent, & mox explicabuntur vberius: pergit autem, *ſed & hac, quæ non poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in Regi-*

g 3. Re. 3. 11.

bus, cunctis retro diebus. Si autem ambulaueris in vijs meis, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Hactenus cum Salomone Dominus.

XLVIII. *Explicatur quæ non petiit à Deo Salomon. Vitam.*

Ex hac Dei oratione ſatis conſtat, quæ non petierit Salomon, Primum vitæ diuturnitatem, quæ tamen potentibus, & principibus viris optatiſſima eſt, iuxta illud. [a] *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis?* Nam quam naturale eſt homini deſiderare bonum, tam ſecundum naturam eſt, eo quam diutiſſime frui velle, neque vnquam eo ſi fieri poſſet ſpoliari. Vnde æterna poſſeſſio felicitatis cęleſtis, vſque adeo eam beatitudinem exaggerat, vt ſine ea imperfectiſſima futura ſit, aut nulla potius dicenda videatur; eo magis mœrente homine, ſe beatitudine priuatum iri, quo maiorem eam experiretur, cum tali autem ac tanto mœrore, quæ poſſit eſſe felicitas? Vitæ tamen diuturnitatē Deus Salomoni ſub conditione pollicetur: quæ cum ſeruata non fuerit, non mirum ipſum patris ſui dies non attigiſſe. Vere enim ipſemet dixit. [b] *Timor domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur.* [c] Secundo conſtat non petiiſſe diuitias quas tamen principes, præ inferioris ſortis hominibus expetunt, vt principe dignas virtutes aliquas exercere poſſint, verbi gratia liberalitatem, & magnificentiam in rebus omnibus, & ea vel conſequi, vel conſeruare, quæ diuitiarum opem omnino requirunt præſertim cum pecuniæ obediant omnia. [d]

Et diuitias.

a Eccl 41 1.
b Prouer. 10 27.
c Vide etiā Prouer. 3. 2. c. 9 11 Eccl. 8. 13 Eccli. 23 38.
d Eccl. 10 19.

XLIX. *Neque gloriam & honorem.*

Tertio etiam conſtat Salomonem non petiiſſe gloriam, laudem, & honorem: vt nimirum, in ſignum propriæ excellentiæ, coleretur, reuerentia, ac veneratione afficeretur, & verbis domi foriſque celebraretur, in teſtimonium exiſtimationis de ipſo conceptæ. Nam laus, eſt honor alicui per verba collatus, & gloria, eſt honorifica laus, & vtraque addit bonam exiſtimationem de re laudata. Vnde Auguſt. [e] ait gloriam eſſe *claram cum laude notitiam*, & glorificare, eſt ita laudare aliquem, vt apud alios bona de eo exiſtimatio oriatur, quæ exiſtimatio dicitur fama, & quia laus fere eſt apud multitudinem, ideo eam ἀπὸ τοῦ λαοῦ dictam volunt. Hæc porro principibus & nobilibus ita ſunt in precio, vt ea non ſolum diuitiis, quas pro gloria libenter dilapidant, ſed etiam vitæ anteponant: quam ſine ea acerbam atque odioſam putant, & quam libenter pro ea acquirenda profundunt. Quin etiam præpoſtero gloriæ amore eo prouehuntur, vt ſalutem animæ ſuæ, ac Deum ipſum inaniſſimæ gloriæ anteferant; vmbram & imaginem gloriæ pro vera ſolidaque gloria, magno errore deluſi complectentes.

Et quam dilecta principibus.

e q. 31. libri 83.

L. *Neque vltione de inimicis.*

Qvartò conſtat non petiiſſe animas inimicorum ſuorum, quò tamen primarij viri maximè feruntur; quibus vindicta de inimicis tanto ſuauior, & appetitus illius tantò æſtuoſior, quò illi maiore cupiditate in gloriam, potentiam, diuitias, vitamque ſuam, vel ſuorum rapiuntur, quas illi violant qui eorum inimici fiunt, aut ipſos ab iis conſequendis impediunt; Accedit quod vindictam ſumere actus ſit ſuperioris poteſtatis. Vnde ſummus ille omnium princeps voce Moyſis famuli ſui. [f] *Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore.* Eam ergo principes maximè ambiunt, ea nullum mel, nullum ſaccarum, nullam ambroſiam, mellitiorem, aut dulciorem putant: & quam erga ſubditos ſuos exercere ſolent, vindictam, erga alienos vehementiſſimè appetunt, quippe qui, vt propriæ excellentiæ, & voluntatis amatores, ſibi reſiſti intolerantiſſimè ferunt; & pro magna etiam iniuria, & contemptu ducunt.

f Deut. 32 35.

LI. *Hæc Salomon neglexit. ... ræ ſapientia & ... tentia. ... nnatum ... tendi deſiderium, ... t ſe pro... at.*

Omnia ergo hæc apertè conſtat a Salomone non fuiſſe petita: nam eius rei Deus ipſi teſtimonium perhibuit; horum quippe naturalium deſideriorum, quæ in principum animis infinita pullulant; ſpirituale quoddam ſacrificium vna cum mille animalium holocauſto, Deo videtur obtuliſſe; pro longe ſibi chariore ſapientia obtinenda. Et quidem etiam naturali, maximéque rationali appetitu. Cognitio quippe, & quidem rerum maximarum; & nobiliſſimarum, homini, qua homo eſt, maxime conuenit, & in omnibus propemodum eius, nec opinantis, actionibus prodit ſeſe. Cur enim nemo eſt tam hebes, quin animo, atque auribus aſſurgat, ad egregiam aliquam narrationem? Quare principes ipſi de quibus agimus, doctos homines ſub menſam, aut quietem aliquam libenter audiunt? Cur ab amicis & vicinis quotidie quid noui nuncietur exquirimus: et quamuis iniucunda fore præmoneant, ea nihilominus ſcire deſideramus? Legi-

1. 2. 3. 4.

mus hiſtorias, & earum ſpecie fabulas: imo & fabulas meras, & pro fabulis notas: & hiſtorias vltra produci deſideramus, & quid deinceps ſit conſecutum exquirimus, futura proſpicere glorioſum, & diuinum putamus; idque ambimus tanto ſtudio, vt etiam præter ius faſque ſæpe ad inconceſſa cupiditate rapiamur. Quare libellos iſtos prognoſticos emimus, licet nobis indubitatum ſit, eos magna ex parte fallaces?

Age vero cuius rei argumentum eſt, quod ſæpe non modo in vicinas, ſed in longinquas etiam regiones, magnis ſumptibus, atque laboribus excurrimus, & vltra maria omnia, montes, & deſerta loca, ſummis, quotidianiſque, imo continentibus periculis penetramus? Cur tot linguas, atque idiomata, ex hominum libris, ac linguis addiſcimus: Cur antiqua numiſmata colligimus? corrogamus? contemplamur? fugitiuas, atque euanidas pyramidum, columnarum, ſepulchrorum, arcuum, cæterorumque monimentorum notas, magno labore conamur eruere? Cur tot annos in vniuerſitatibus, bonam vitæ partem in ſtudiis collocamus? Cur doctorum hominum ſocietate delectamur, ſeniores conſulimus, à longe venientes aſſectamur, libros congerimus, legimus, notamus; & in his ad mortem vſque perſeueramus? Infinitus ſim ſi coniecturas omnes perſequi velim, quæ nobis clara voce pronunciant, magnam partem deſideriorum, cogitationumque noſtrarum ad ſcientiæ, cognitionem & ſapientiam ferri. Et quemadmodum fieri nequit vt tam multa addiſcamus, quin multo plura nobis ſuperſint addiſcenda, ſic nunquam tãtum cognitionis acquirimus, quin ſemper nobis abyſſus deſiderii, ac cupiditatis ad plura cognoſcenda ſuperſit. Ita animus noſter immenſum quiddam ſemper, infinitumque deſiderat.

[Margin: LII. 6. Alia eiuſdem deſiderii argumenta. 7. 8. 9. 10. — Idem deſiderium infinitum in homine.]

Salomon ergo, qui omnibus naturæ, domeſticæque inſtitutionis præſidiis ad maximam rerum cognitionem paratus erat, & inſuper de fidei myſteriis, quãtum ea tempora ferre poterant, egregiè à parente, & Nathane propheta, doctore domeſtico eruditus erat, quidni adamaret, omnibuſque votis expeteret ſapiẽtiam, & in eam propenderet totus, præſertim cum ad geminum hoc pondus, alterum diuinæ inſpirationis accederet: quæ efficit, vt id vehementer appetatur, ac flagitetur, quod ipſe deſiderat elargiri. Nam hoc ipſum deſiderium *datum optimum, & donum perfectum eſt, deſcendens à patre luminum.*

[Margin: LIII. Quam recium in Salomone.]

Sed vide etiam exquiſitam iam Salomonis ſapientiam in eligenda præ rebus omnibus ſapientia: cum ea vna ſibi comparata, reliquorum omnium bonorum ſimul particeps fieret; Audi enim eum ipſum [a] *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia, melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri; primi & puriſſimi fructus eius: pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius, diuitiæ, & gloria. Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ, lignum vitæ eſt ys, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus.*

[Margin: a Prou 3.13. — quamque ſapiens.]

Verum enimuero illud præterea in Salomonis poſtulatione diſquirendum eſt, quod non ſatis inter doctores conſtare video; Poſtularitne videlicet eam ſapientiam, quæ ampliſſimo ambitu, rerum omnium diuinarum atque humanarũ cognitionem amplectitur: an vero ſcientiam duntaxat certi alicuius, definitiq; generis. Et Pineda quidem [b] plurimis coniecturis conatur euincere, Salomonem priorem illam ſapientiam poſtulaſſe, tum quia inter ea quæ non poſtulauit, diuitiæ tantum, & gloria referuntur. Tum quia illam ſibi ſapientiam proponebat petendam, & expetendam, quæ diuinorum operum doctrix eſſet: & pleraque alia, quæ Sap. 8. recenſentur: Adde quod nullum non ſapientiæ gradum cenſebat in abſolutiſſimo Principe requiri: Denique optabat rempublicam ſuam eſſe quam beatiſſimam; at hæc eo fortunatior, quo ille ſapientior. Atque his alia ſimilia fusè, docteque proſequitur.

[Margin: LIV. Qualem ſapientiam poſtularit Salomon vniuerſamne. 1. 2. 3. 4. — b l. 3. c. 9.]

Veriorem tamen, magiſque conſentaneam ſcripturæ ſententiam exiſtimo, Salomonem eam ſapientiam poſtulaſſe duntaxat, quæ prudentia ciuili, & bene gubernandi peritia continetur: Deum autem inter alia ab ipſo non poſtulata, quæ accepit, etiam infinitam illam propemodum ſapientiam addidiſſe, quam rationes Pinedæ probant accepiſſe potius, quam poſtulaſſe; Et certe Scriptura iſta admodum in hanc ſententiam perſpicua eſt. Ait enim: *dabis ergo cor docile, vt*

[Margin: LV. An potius peculiarem bene regendi.]

Salomon impetrat ſapientiam.

populum tuum iudicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum, & quia hoc latius patere videbatur, ſubdit, *quis enim poterit iudicare populum iſtum, populum tuum hunc multum?* & alibi.[a] *Da mihi ſapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo: quis enim poteſt hunc populum tuum dignè, qui tam grandis eſt, iudicare?* Et Sap. 9. Sapientiam petit, ſed relatam ad opus, & gubernationem populi. *Mitte illam*, inquit, *de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te*; & mox. *Et erunt accepta opera mea, & diſponam populum tuum iuſtè, & ero dignus ſedium patris mei.*

Idque ex ſcriptura probatur.

[a] 2. Paral. 1.10.

LVI. *Et ratione at exemplo.* Ratio etiam valde fauet huic ſententiæ; videtur enim ea tam ampla poſtulatio plus habere curioſitatis, ac ſuperbiæ, quam deuotionis, vel zeli diuinæ gloriæ, & communis boni in rectè ſibi diuinitus impoſito munere fungendo præſertim cum conſtet immenſam illam ſapientiam gubernationi non neceſſariam; cum ſciamus ſine tali, tantáque ſcientia, principes ſanctiſſimos rectè populos ſibi commiſſos gubernaſſe, Dauidem, Ezechiam, Ioſiam, Moyſem, Ioſue, Samuelem; & fulgore euangelij coruſcante, innumeros in omnibus gentibus, tam in Eccleſiaſtica, quam politica adminiſtratione; quibus Salomonē præferre in laudatiſſima gubernatione vix auderemus. Præterea in ſapientia, quam Deus Salomoni, iuxta eius petitionem dedit, nemo ei ſimilis fuit, nec poſt eum ſurrexit, vt habetur v. 12. atqui in ampliſſima iſta ſapientia, plerique ſi non ſuperiores, certe pares ei fuerunt, vt Adamus, vt Moyſes, vt beata Virgo, vt ſancti Apoſtoli: nec dicendū eſt Deum de regibus tantum loqui; nam Regibus eum præfert, non in ſapientia, ſed in diuitiis, & gloria. Vt habetur v. 13. Denique verendum eſt nobis ne ſi tam latè patentem ſapientiam à Salomone petitam dicamus: eum repulſam paſſum eſſe fateri cogamur; nedum plura quam petierit obtinuiſſe. Nam illa diuina ſapientia etiam myſteria fidei, quæ tantum in ænigmate à patribus veteris teſtamenti nota fuerunt, continentur. Et Diuus Paulus[b] Ait ſe loqui *Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt*, inquit, *quam nemo principum huius ſeculi*[c] *cognouit*: imo & diuina viſio, qualis in Chriſto viatore fuit *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.*[d] Vt omittamus immuneras ignobiliores artes, quas Salomoni nemo tribuat. Accedit communis multorum ſententia, Abulenſis.[e] Perer.[f] Caietani, *De ſapientia*, inquit, *& intellectu ad iudicandum cauſas populi, intellige ſingularem hanc gratiam Salomonis, & non abſolutè inter homines, ſed inter rectores populi, &c.* fuſius. Dionyſius in eundem locum[g] ait Salomonem poſtulaſſe prudentiam Ethicam, qua homo ſeipſum regit, & œconomicam, qua familiam; & politicam, qua regit communitatem.

[b] 1. Corinth. 2.7.
[c] Coloſſ. 2. 3.
[d] Vide & Coloſſ. 1 26.1. Epheſ. 34.
[e] In 3. Reg. 3. q. 10.
[f] l. 5. in gen q. 4.
[g] In c. 3. l. 3. reg.

LVII. *Non petiſſe vniuerſam.* Qvod ad Pinedæ coniecturas attinet, certum eſt ex dictis, Salomonem alia etiam, præter diuitias & gloriam, non poſtulaſſe, ſcilicet vitæ longitudinem, animas inimicorum, & iis ſimilia. Ad reliqua vero huius opinionis firmamenta dicimus non poſſe melius intelligi quid petierit Salomon, quam ex ipſis poſtulationis verbis, quæ apertiſſima ſunt: iſtæ autem coniecturæ ad ſummum oſtendunt, quid abſolutiſſimo principi expetendum ſit, aut quid ei Dominus ex liberalitate, ſupra eius poſtulata contulerit. Sicut enim diuitias, & gloriam non poſtulatam tribuit, ſic etiam ſapientiam, petitione & expectatione maiorem; Ipſe enim eſt qui abundantia liberalitatis ſuæ, merita ſupplicum excedit, & vota. Quanta vero ea fuerit, quam multiplex, quam latè patens fuſiſſimè, atque accuratiſſimè Pined. toto fere libro 3. de Salomone proſecutus eſt, & Abulenſis[h] multis in locis ex quibus pauca quædam, more, iudicioque noſtro libabimus. Id enim ad hanc Annalium ſcriptionem videtur in primis pertinere.

[h] In c. 3. tertij Reg. q. 6. & ſeqq. & 2. Par. 1. q. 17. & ſeqq.

LVIII. *Quando data hæc ſapientia.* Neqve verò ea explicatio in aliud tempus differenda eſt; quia hæc ſapientia in eo ſomni tempore data eſt, quo Deus Salomonem eſt allocutus, licet aliter ſentire videatur Diuus Tho.[i] Vnde non loquitur in futuro, ſed ait *ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens*: non fuerat data ante ſomnium, & durante eo dicitur, *dedi tibi cor ſapiens, &c.* conſequens ergo eſt, vt in eo Salomoni data ſit, non quidem actu, ſed habitu. *Qualis ſapientia Salomonis.* Præſertim cum ſapientiæ infuſio non requirat eam liberi arbitrij diſpoſitionem, quam requirit diuina gratia iuſtificans, vt notat Pineda,[k] & Abulenſis.[l] Quod autem dicitur etiam de diuitiis *dedi tibi diuitias, & gloriam*, locutio pro materiæ conditione accipienda eſt. Nam ſapientia in inſtanti infundi potuit: diuitias autem aliter ordinauerat do-

[i] 1. 2. q. 113 a. 3 ad 2.
[k] Lib. 3. c. 8. n 9.
[l] In c. 3. l. 3. Reg. q. 11.

Dominus acquirendas, vt ſuo loco dicetur. Quid ergo nomine ſapientiæ, à Deo Salomoni conceſſum eſſe intelligendum eſt? Id facile cognoſci poterit, ſi qualis, & quanta fuerit ea ſcientia explicatum fuerit.

LIX. *Qualis fuerit Salomonis ſapientia.*

Dicimvs itaque acquiſitionem ſapientiæ Salomonis, fuiſſe receptionem multorum habituum diuinitus infuſorum, quibus fiebat habilis ad contemplationem obiectorum, quæ ſunt diuerſarum ſcientiarum propria. Quomodo diſpoſiti ſunt, qui eos habitus propria induſtria acquiſiuerunt. Sed melior fuit Salomonis conditio, ſiue quia eos habitus non paulatim, & cum labore, ſed puncto temporis, & ſine vlla difficultate conſecutus eſt: ſiue quia nemo tot habitus acquiſiuit, quot ille accepit infuſos; nemo tam claros atque illuſtres vt Salomon; nemo tam firmos, atque conſtantes; quæ ſunt tres habituum perfectiones, quibus ita Salomon excelluit, vt verè dictum fuerit, nullum ante ipſum ſimilem ei fuiſſe, aut aliquando futurum. Cum autem comparatio inter res eiuſdem generis fiat, aut ſpeciei, non poteſt ſcientia Salomonis cum prophetica comparari; quæ illuſtratio quædam eſt intellectus obiter tranſiens, non habitualiter perſeuerans. Et cum prophetica ſcientia ſit de rebus, ad quas humana induſtria non poteſt aſſurgere, ſcientia Salomonis propria induſtria acquiri poteſt, quæ verè, & propriè ſapientem facit; ſicut illa videntem, ſiue prophetam: quæ fuit fere cognitio Apoſtolorum, vt propterea non ſit accurata comparatio ſapientiæ Salomonis cum prophetica, & Apoſtolica, vt fuſius docet Abulenſis [a].

Habituum perfectiones

Prophetica ſciẽtia quæ.

[a] q. 7. & 8. in cap. 3. l. 3. Reg.

LX. *Minor quã Angelorum.*

Ac ne Angelicam quidem ſapientiam, cum Salomonica quis rectè contulerit: cum de humana dumtaxat contentio ſit inſtituta; vt illa verba ſignificant, *vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus fuerit*, pertinent enim ad homines motui, mutationi, ac ſucceſſioni obnoxios; quod in Angelos non cadit. Adde quod angelica ſcientia Salomonicam ſuperat in cognitione rerum geſtarum, & indiuiduorum proprietatibus, ad quæ humana ſcientia non pertingit. Temerarium item fuerit Salomonem cum eo conferre, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi* [b]; qui veriſſimè, ac ſine vlla exceptione, dixit, *Ecce pluſquam Salomon hic.* Et de cuius plenitudine omnes accepiſſe maximus Euangeliſtarum [c] profitetur.

Aut Christi Domini.

[b] Coloſſ. 2. 3.

[c] Ioan. 1. 16

LXI. *An & beatiſſima Virgine,*

De beatiſſima Virgine nihil putat abſurdi Toſtatus fateri maiore rerum naturalium cognitione præditum fuiſſe Salomonem beata Virgine; eam tamen ſapientiorem fuiſſe Salomone in cognitione Deitatis, & ſecretorum theologicorum. A quò non multum diſtat Suares noſter [d], qui ſine vlla comparatione docet veriſſimile eſſe beatam Virginem habuiſſe eam cognitionem omnem, ex accidente infuſam, rerum naturalium, vel moralium, quæ ad perfectam ſcripturarum intelligentiam, & ad perfectionem theologicæ doctrinæ; item ad penetranda, explicanda, ac ſuadenda fidei myſteria, denique conſummatam prudentiam, & cognitionem rerum agendarum, illi fuit neceſſaria, vel expediens. *Nam huiuſmodi ſcientia naturalis ex ſe*, inquit, *non eſt admodum neceſſaria virgini, neque ita accommodata ſtatui, & conditioni eius, vt propter ſe eſſet expetenda, aut inquirenda.* Itaque videtur dici poſſe harum rerum in Salomone ſcientiam latius fuſam fuiſſe, & ad plura obiecta expanſam; in beatiſſima verò Virgine excellentiorem, & ad ſuperiora obiecta, nobilioráque relatam.

[d] 3. p. t. 2. diſp. 19. ſect. 5.

LXII. *Et Adamo ſapientior.*

Cvr autem Adamo Salomonem prætulerit Abulenſis, non ſatis intelligo. Cum enim fateatur Adamum creatum in omni perfectione naturæ, negat tamen neceſſe eſſe illi dari maximum gradum in perfectione cognitionis naturalis. Sed quæ neceſſitas eſt, vt ea potius Salomoni tribuatur, quam primo, & maximo omnium mortalium doctori? Qui non quadraginta annis prouinciam vnam gubernare debuit, ſed nongentis regiones omnes, quas eius omnes poſteri inhabitarunt, doctrina, præceptis, atque exemplis imbuere. Qui tanquam opus à Deo ipſo perfectum, debuit exemplar eſſe perfectionis humanæ, etiam in rerum naturalium perfectione. Denique id ſtatus ipſe innocentiæ longè abſolutiſſimus, in quo eſt conditus Adamus, requirit potius, quam ſtatus iſte nequitiæ: in quo omnia per peccatum turbata, deprauatáque plangimus, ac ſentimus. Nec illa verba, quæ nullum fuiſſe, aut fore Salomoni ſimilem dicunt, huic noſtræ ſententiæ

officiunt; ſæpe enim vniuerſæ propoſitiones in Scriptura cum aliqua exceptione accipiendæ ſunt; & hæc ipſa ſine controuerſia, Chriſti Domini exceptionem admittit. Excipiatur & Adamus orbis terrarum magiſter, opus Dei ſingulare, exemplar perfectionum, ad quas homo in hac vita euehi poſſet. Quin & ipſe Salomon hanc ſapientiam vehementer adſtringit, cum ait: *Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi ſapientia omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem.* Vide quæ tom. 1. hac de re attigimus. [a] Nunc in ſpecie quam latè patuerit hæc Salomonis ſapientia conſideremus. Eccleſ. 1. 16. a die 6. n. 58 59. 60.

LXIII. *Arabica Salomonis lingua, & characteres.*

PRIMVM quod ad grammaticam attinet, præter ea quæ à Nathan propheta didicerat, inſtitutione puerili; didicit à Deo Salomon linguam Arabicam, & nouum eius alphabetum, cuius ipſe inuentor fuiſſe dicitur; qua de re ita Pineda. [b] *Inuenit, namque alphabetum, & linguam quam vocant Arabicam Orientalem, id eſt antiquiſſimam illam & cuius tantum vſus in Arabia Iudææ vicina. Sic ſanè in libris plumbeis Granatenſibus, miraculo hoc noſtro ſeculo inuentis, & ab Apoſtolo Iacobo, illiusve ſanctiſſimis diſcipulis Hiſpaniarum doctoribus exaratis in plumbi laminis, aſſeritur ſcriptos eſſe characteribus Salomonis, cum tamen ſint Arabici. Et quidem non videntur potuiſſe appellari characteres Salomonis ratione alia, quam quod ab illo primum inuenti, ac delineati fuerint. Quia autem characteribus & ſcripturæ peculiari, reſpondet ſua peculiaris lingua, ideo pari coniectura, & veriſimilitudine, exiſtimari oportet eundem Salomonem authorem fuiſſe Arabicæ linguæ antiquioris.* hactenus Pineda. b l. 3 c. 11.

LXIV. *Eiuſdem eloquentia.*

ACCEPIT ſecundò Salomon ſapientiam, non aridam illam [c] & ieiunam, ſolis doctorum cœtibus idoneam; ſed copioſè loquentem & popularem. Id ſatis probatur ex Sap. ſeptimo, [c] vbi in perſona eius ita loquitur Sapiens, *Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur*, vel vt habet verſio Vatabl. *Deus mihi dedit ſententioſe loqui, dignéque datis cogitare.* Quibus verbis perfecta eloquentia continetur. Ea enim duabus ſummis rebus nititur, cognitione rerum, & copia orationis. Magnus enim ille dicendi magiſter aperte profitetur, ſcientiam comprehendendam eſſe rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda ſit. Vtramque comprehendit Salomon; ait enim ſibi diuinitus datum, vt de propoſita quæſtione cogitare poſſet: & inuenire, quæ conuenirent, & digna eſſent tali materia, deinde vero cogitata eleganter, copioſeque in vulgus efferre. c verſ. 15.

LXV. *Flumini comparata.*

HINC eſt quod [d] dicitur Salomon impletus quaſi flumen, ſapientia, nec riuis aut fontibus modicè fluentibus comparatur, ſed flumini, quomodo flumen orationis, ingenij, verborum, à Marco Tullio dicitur: quia ſicut flumen abundat aquis, quas omnibus copioſè communicat, quo ſe cumque terrarum diffuderit, ita Salomon copioſa, & abundanti oratione, domeſticos, externoſque populos ſapientia repleuerit. Quin etiam ſapientia filii Dauidis Chriſti Domini, ſiue in eius typo Salomonis, quinque maximis orbis fluminibus [e] comparatur; quorum ſicut erigo ex Paradiſo erat: Ita & Chriſti, & Salomonis diuina eloquentia è cœlo profuſa fuerat. Hæc nimirum erat ſapientia, quæ per orationis vbertatem ad hominum ſe captum attemperabat, eoſque licet longiſſimè diſſitos, trahebat ad [f] ſe. Veniebant enim de cunctis populis, ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab vniuerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiam eius, ad quos ſcilicet fama ſapientiæ eius perueniebat. d Eccl. 47. 16. e Eccl. 24. 34. f 3 Reg. 4. fi.

LXVI. *Eiuſdem ad mirabilitas*

VBERIVS explicantur hæc à Sapiente in perſona Salomonis, vt affirmat Abulen. [g] *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero; & facies principum mirabuntur me; tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinante me plura, manus ori ſuo imponent.* [h] Hanc ſignificat eloquentiam, quam Romanus orator ait clamores, & adminiſtrationes in bonis oratoribus efficere. Denique in ſapientis noſtri perſona ſapiens alius. *Dedit mihi Dominus*, inquit, *linguam mercedem meam, & in ipſa laudabo eum.* Etſi enim mercedis loco tantum videatur ſtudioſo ſapientię data lingua, & facultas diuina bene loquendi, vt notauit Ianſen. natura tamen ſua, g q. 9. in c. 3 Reg. h Sap. 8. 10. 1. de Orat. Eccl. 51. 30.

eloquentia nulli certæ, definitæque materiæ alligata eſt: nec diuina laus quaſi finis adæquatus eloquentiæ ponitur, ſed quaſi vltimus: quamquam neque vt finis, ſed vt vna quæpiam materia, cui eloquentia applicetur, ſed omnium nobiliſſima atque pulcherrima materia, omnium gratioſiſſima, atque vberrima; nemo vt tam infans eſſe poſſit, cui in celebrandis diuinis laudibus deeſſe poſſit oratio.

LXVII. *Salomonis poeſis.*

ACCEPIT tertiò poëticam cognitionem, Rhetoricę cognatam. Nam in tertio Reg. [a] habetur; *& fuerunt carmina eius quinque millia*, quomodo legit Iſidorus [b] & Abulenſ. [c] & Anaſtaſ. Nicænus, [d] & ibid. Hippolytus in Cantica. Nunc autem in emendatis biblijs legitur, quinque & mille, ſicut in Hebr. vt agnoſcit Lyr. habet & Chald. paraphr. quod explicans Vatabl. *Liber*, inquit, *odarum Salomonis, quem ediderat complectebatur mille & quinque odas. Compoſuit etiam*, ait Ioſephus, *libros odarum, & carminum quinque ſupra mille*, quo modo legit olim etiam Rufinus, & nunc græcè legitur Sed ſuo more rem videtur amplificaſſe, & carmina ſiue odas, in libros vertiſſe. Comeſtor [e] contra ait Salomonem ſcripſiſſe librū de Canticis, & modulationibus, in numero verſuum quinque millium; Septuag. tamen Sixti, & Aldi, & regia legunt, & fuerunt odæ eius πεντακισχίλιαι, *quinque millia*, quo modo habet etiam Pagn. Pineda, [f] carmina interpretatur, cantica, ſiue cantilenas laudatiſſimas, tum ob varietatem, & materiam, tum ob copiam; *nam edidit*, inquit, *quinque mille*. Sed quocumq; tandem modo legatur, ſatis magnum eſt argumentū poëticæ peritum fuiſſe Salomonem. Accedit quod inter authores Pſalmorum numeratur, ab iis, qui Dauidem omnium pſalmorum authorem negant, qua de re ſuo loco diſputatum eſt. [g]

a 3. Reg. 4. 32
b in 3. Reg. c. 3
c 1 3. Reg. c. 4. q. 7. in fi & q. 9. in c. 3
d qu. 39. in Scripturā. tom 1. Bibl. patr.
e l. 3. c. 7.
f l. 3. c. 13.
g an. Saul. 8 n 61. & ſeq

LXVIII. *Tragœdiarum & comediarum peritia.*

TRAGŒDIARVM etiam, comędiarum, & ſatyrarum peritum fuiſſe Salomonem affirmat Abulenſis; [h] & meritò. Naturæ enim imitatio, ſiue in ſerijs, ſiue in ludicris rebus, & expreſſa carmine, plurimum habet elegantiæ, ac dignitatis; imo & vtilitatis ad humanæ vitæ inſtitutionem, vt loquitur res ipſa per ſeſe. Iis enim poëticis operibus vita mortalium in vtramque partem ita repręſentatur, vt in hominum animos metrica modulatione influat, & ſi accedat actio, depingatur, vt alieno malo, vel bono ſapiant. Didicit ergo diuinitus Salomon, quæ poſtea Ariſtoteles, tam antiquorum lectione poëtarum, quam ipſa naturæ obſeruatione cognouit, tradiditque monimentis; quod eſſet quaſi ſolum ac fundamentum iſtorum poëmatum, quique eorum modus; quæ iis perſonæ idoneæ, qui proprii eorum motus; quid error & agnitio, quid peripetia, aut commutatio fortunæ, quis idoneus exitus, ac ſolutio fabularum; aliaque id genus, ex intimo artis ſinu petita.

h q. 9. in c. 3.

LXIX. *Satyrarum item totamque hanc ſcientiam Salomonē decuiſſe.*

SATYRÆ quoque non parum videntur habere vtilitatis, quia dum hilariter publica vitia carpunt, ſigillatim ſingulos à peccatis auertunt; quo fit vt probare non poſſim Pinedam, hanc totam ſcientiam poëticam, Salomoni fere negantem: *Quod res hæc*, inquit, *neque valde vitæ neceſſaria, aut vtilis, neque tam antiqua, vt quid rei eſſet, quidue vtilitatis, aut iucunditatis ſapienti afferre poſſet, Salomonem diuinitus percallere neceſſarium videretur*. Cum tamen ei alphabetarium quoddam poëmatis genus tribuat, quod plerique omnes eruditi: ſi res ipſas ſecluſeris, perquam puerile arbitrantur; & meritò à laudatiſſimis poëtis repudiatum, & cōtemptum iacet. Quin etiam Ariſtoteles, & Horatius tragœdiam rem perantiquam, & paulatim temporis longinquitate perfectam demonſtrant. Minimè certè dubium eſt Poëtas, qui ferè erāt antiquorum Theologi, plurimis annis, ne dicam ſeculis, ante Salomonem apud Græcos floruiſſe, vide quæ de Orphæo, Muſæo, Eumolpo, Lino, Amphione, aliiſque tom. 2. [i] diximus. Poſtremo tanta eſt comœdiæ, vel tragœdiæ accuratè elaboratæ excellentia, tanta in natura imitanda ſuauitas, tanta vis ad omnes animorum motus, vt in rebus vtiliſſimis, ac iucundiſſimis meritò numerari poſſit: nec parum ea Salomoni detracta, de vniuerſa eius ſapientia deceſſiſſe videatur.

i a. m 2786 & 2789.

LXX *Accepit hiſtoriam.*

ACCEPIT quarto hiſtoriam, quam vt egregiam ſapientiæ partem, in eius laude ponit Sapiens, [k] *Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis ſcit præterita, & de futuris æſtimat*; Septuaginta πολυπειρίαν, id eſt, multam experientiam, quæ & ad præteritorum ſeculorum euentus, vt ait Pineda, [l] & ad futurorum temporum

k Sap. 8. 8.
l l. 3. c. 17.

coniecturam ſe extendit. Ex præteritis enim nouit de futuris coniectare. itaque videtur ad ſacras hiſtorias reſpicere, quæ à mundo condito humanos euentus, atque diuinam etiam erga homines prouidentiam, ab oculos nobis repræſentant; minimè autem dubium eſt Salomonis tempore, etiam viuente Dauide, non ſolum publicos fuiſſe regios hiſtoriographos, ſed præterea eoſdem ipſos ſacros vates, res externas monimentis conſignaſſe. Id habetur lib. 1. Paralipomenon extremo, *Geſta autem David regis priora, & nouiſsima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis, vniuerſique regni eius, & fortitudinis, & temporum quæ tranſierunt ſub eo, ſiue in Iſrael, ſiue in cunctis regnis terrarum.* Hæc ibi.

LXXI. *Quam illi quidam nõ recte ereptã volunt.*

HANC tamen præteritorum ſcientiam, hanc teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, nunciam vetuſtatis, fatetur Abulenſis à Deo Salomoni infundi potuiſſe: nec mirum, infuſam quippe Moſi negari non [a] poteſt: Negat tamen infuſam Salomoni; [b] eo quod Salomon vocetur Sapiens; cognitio autem præteritorum, ac futurorum, ad ſapientiam non pertineat: quæ certam naturalium cognitionem, ac probationum neceſſitatem requirat. Quæ ratio, ſi quam vim habeat, eloquentiam quoque, ac poëticam, Salomoni auferat: quam tamen ipſemet illi concedit. Latius ergo ſapientiæ nomẽ accipiendum eſt, vt accepit Sapiens: [c] & hiſtoria, quæ maxime decet principes, Salomoni concedenda. Eam vero non ex libris didicit paulatim, ſed momento diuina reuelatione hauſit. Et cum reliquorum hominum memoriæ, quaſi manu ſcripti libri, per ſingula verba, ſyllabas, atque elementa laborioſe perſcribantur, Salomonis mens, vt pura charta æneis characteribus innumeris, eodem temporis puncto exarata fuit. Neque tamen vniuerſa rerum, ſeculis omnibus, & toto terrarum orbe geſtarum memoria, illi videtur infuſa: id enim erat propemodum infinitum, & minime neceſſarium, ſed quæ ad principis abſolutiſſimi vſum, & experientiam iuuandum conferrent, & populorum ſibi creditorum gubernationem.

[a] Abul. q. 3 in c. 3
[b] qu 6. & 9. in c. 3 I 3. Reg.
[c] Sap. 8. 8

LXXII. *Salomon peritus muſices.*

ACCEPIT quintò, vt ad mathematicas diſciplinas tranſeamus, poëſi affinem muſicam. Nam dicitur Salomon [d] fuiſſe *ſapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda filiis Mahol.* Cum autem Ethan inter cantores, & muſicos numeretur, [e] videntur quoque alii cantores & muſici fuiſſe, vt Abulenſi, & Pinedæ viſum eſt. Lyranus etiam ibi eos cantores, & Leuitas fuiſſe ait. Heman inter principes cantorum à Scriptura numeratur, [f] vt anno ſecundo Salomonis, num. 33. dictum eſt. Non eſt autem dubium cantorum principes fuiſſe vniuerſæ peritiſſimos muſicæ. Ibidem Heman dicitur, *videns Regis in ſermonibus Dei*; fuit autẽ etiam hic Ezrahita, vt patet ex titul. Pſal. [g] Reliquorum autem nuſquã alibi Scriptura meminit: Cum ergo his comparetur Salomon, nec ſit apta, niſi inter res eiuſdem generis, comparatio, in hoc etiam genere excellentem fuiſſe Salomonem fateri oportet. Cuius rei etiam coniectura ex Eccleſiaſte [h] peti poteſt, vbi ſe ait feciſſe ſibi cantores, & cantatrices, & quis dubitet filium Dauidis, vel Dauidis exemplo, egregiè pſalterii, & citharæ periti, nobilem & iucundam animi oblectationem non deſideraſſe aut à Deo non conceſſam fuiſſe? Denique Eccleſiaſticus [i] laudaturus viros glorioſos, & parentes ſuos in generatione ſua, in quibus deinde Moyſem, Samuelem, Dauidem, Salomonem, alios numerat; ait eos in peritia, ſiue pueritia ſua requiſiuiſſe modos muſicos, & narraſſe carmina ſcripturarum.

[d] 3. Reg. 4. 31.
[e] 1. Par. 15 19.
[f] 1. Par. 25. 14.
[g] Pſa. 87. & 88.
[h] cap. 2. 8.
[i] cap. 44.

LXXIII. *Et arithmetica.*

ACCEPIT ſextò arithmeticam. Imperfectam enim muſicam eſſe, ſine numerorum ſcientia, exploratum eſt, imo omnes mathematicas diſciplinas claudicare. Si ergo vel vnicam mathematicarum à Deo accepiſſe fateamur, quod mox de aſtrologia clarum faciemus, etiam arithmeticę illi ſcientiam tribuamus neceſſe eſt. Præſertim cum Dei perfecta ſint opera. Arithmeticam quoque fuiſſe Salomoni cognitam nominatim fatetur Abulenſis, ſicut & geometriam. Erant enim apud Ægyptios claræ atque honoratæ; Salomonis autem ſapientia Ægyptiæ præfertur vt mox dicetur. [k]

LXXIV. *Aſtronomia.*

ACCEPIT ſeptimò Aſtrologiam. Audi enim eum apud Sapientem, [l] *Dedit mihi Deus, vt ſciam initium, conſummationem, & medietatem temporis, viciſsitudi-*

[k] num. 76.
[l] cap. 7. 17.

num, permutationes, & commutationes temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones. Ait ergo datam ſibi diuinitus aſtrorum, & eorum, quæ ex iis pendent cognitionem: quatuor ſ. anni partium, quæ ſibi per vices ſuccedunt, veris, æſtatis, autumni, hyemis, & eorum initia, media & extrema ſibi innotuiſſe: neque id quo modo plebeis quibuſque, ſed per accuratas curſus aſtrorum, & periodorum ipſorum notationes; ſolſtitiorum, æquinoxiorum, eclipſium, nouilunio- rum, emboliſmorum, & id genus aliorum, ad anni tam ſacri, quam prophani; & omnium partium eius rectam rationem; ad dierum feſtorum, & profeſtorum, & negotiorum humanorum legitimam diſpoſitionem. Iſtas quoque commutationes temporum vocat Sapiens, [a] *Euentus temporum, & ſæculorum ſigna, & monſtra antequam fiant;* quo pertinet prouiſio ſterilitatis & vbertatis, pluuiarum & ſiccitatis, ventorum ac tempeſtatum, intempeſtiuorum frigorum & calorum, morborum & mortium popularium; variorum denique motuum animorum, qui paſſim corporum diſpoſitionibus ſeſe accommodant: quæ prouideri à Salomone, & prædici potuerunt, quatenus ex variis aſtrorum affe ctionibus pendent; idque magna cum certitudine, propter aliarum etiam cauſarum, concurrentium ad promouendum, & impediendum effectum, eximiam cognitionem.

a c. 8. 8.

LXXV. *Et diſpoſitionis ſtellarum errantium.*

Qvamvis autem nomine diſpoſitionis ſtellarum, varias inter Solem & Lunam habitudines intelligere poſſimus, & reliquorum planetarum theoriam vniuerſam, quæ in diebus & menſibus, annis, & ſeculis, eorumque cyclis & periodis locum habent, quorum ſcientiſſimus Salomon fuit: poſſumus nihilominus etiam de ſtellis fixis eum locum interpretari: vt nimirum ſciret quis inter eas ordo, & diſpoſitio, & proportio, ſiue iis per varias figuras, & conſtellationes diſtributis, vt ab aſtronomis humana induſtria factum eſt; ſiue aliter coordinatis: Sciretque quæ luminum, & magnitudinum varietas, quæ vis & influxus in hæc inferiora. Adde ſi placet & numerum, & nomina; non enim difficile fuit ei, *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, [b] eam cognitionem dare, nec parum id conueniebat, vt hæc diuina liberalitas perfecta eſſet, ſicut & reliqua opera eius. Id tamen non probat Abulenſis, quod indiuiduorum cognitio ſub humanam ſcientiam non cadat. [c]

b Pſa. 146. 4.

c 3. Reg. 3. q. 6

LXXVI. *In ea ſcientia Salomon præceſſit Orientales.*

Hæc porro ſcientia aſtronomica in Salomone confirmatur, ex eo, quod [d] dicitur præceſſiſſe ſapientiam Salomonis, ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, quorum ſapientia in aſtrorum cognitione in primis verſabatur. Nam in iſtis Orientalibus Chaldæi cenſentur, licet apud Ieremiam capite primo, ad Septentrionem ponantur: vtrumque enim verum eſt. Nam & maiorem poli eleuationem habent, quam Iudæi, & ſimul Orienti ſoli viciniores ſunt: de his autem ita Diodorus Siculus. [e] *Chaldæi*, inquit, *Babyloniorum antiquiſſimi, eum locum in ſua Repub. quem in Aegypto ſacerdotes obtinuere. Ad cultum enim Deorum deputati, per omnem vitam philoſophantur: peritiſſimi aſtrologiæ habiti. Multi diuinatione quadam futura prædicebant, ac tũ auguriis, tum ſacris, tum aliis quibuſdam incantationibus, & mala auertere ab hominibus, & bona afferre; auguria inſuper, ſomniaque, & prodigia interpretari conſueuere:* & paulo poſt, *Aſtrorum longa obſeruatione, curſum naturamque diligentiſſime ſcrutati, multa futura hominibus prædicunt. Maximam vero vim, ac motum quinque aſtrorum, qui planetæ appellantur, interpretes illi, & eius præſertim qui à Græcis Saturnus dicitur eſſe affirmant.*

d 3. Reg. 4. 31.

e l. 3. antiq. c. 8.

in quibus Chaldæi.

Ex Diodor. Siculo.

LXXVII. *Et Aſſyrii, ex M. Tullio.*

In his populis Orientalibus numerantur Aſſyrij, de quibus ita Cicero. [f] *Principio Aſſyrÿ, vt ab vltimis autoritatem repetam, propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur; traiectiones, motuſque ſtellarum obſeruauerunt, quibus notatis, quid cuique ſignificaretur memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi, non ex artis, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſeruatione ſyderum, ſcientiam putantur effeciſſe, vt prædici poſſet quid cuique euenturum, & quo quiſque fato natus eſſet.* Nec mirum ſanè Chaldæis principia tribui Aſtrologiæ; inde enim ortus eſt Abraham, ad quam transfuſæ ſunt, ex Noë, & aliis patriarchis cœleſtium obſeruationes, quas ipſe, partim præcedentium ab Adamo vſque traditiones diſcere,

f init. 1. de diuin.

partim illis, propter vitæ diuturnitatem, multa addere ipſe potuit.

LXXVIII. *Et Ægyptij.* EAM autem ſcientiam Ægyptiis Abrahamum communicaſſe, quando ad eos primum profectus eſt, vt ex Geneſ. 12. 10 conſtat[a] teſtis eſt Ioſephus.[a] *Ob has diſſertationes in precio habitus*, inquit, *vt qui magnam tam intelligendi, quam eloquendi, docendique facultatem præ ſe ferret, numerorum ſcientiam, & ſyderum benigne illis communicauit. Nam ante Abrahami ad ſe aduentum, Ægyptij rudes erant huiuſmodi diſciplinarum, quæ à Chaldæis ad Ægyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem peruenerunt.* Sic Ioſeph. Cuius ſententiam nobis parum probabilem videri, eamq; inſtitutionem Ioſepho potius patriarchæ tribuendum, alibi diximus.[b] Verum quia de ſyderali Ægyptiorum ſapientia, ex Clemente Alexandrino, Ioſepho, & aliis, anno ſeptimo Moyſis ſatis dictum eſt, eo lectorem remittimus, vt ad Salomonem reuertamur. Qui cum ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum præceſſiſſe dicatur, eum neceſſe eſt fateri Aſtrologiæ ſcientia maximè inſignem fuiſſe; omnemque horologiorum, & radiorum, aſtrolabiorum, ſphærarum, phænomenωn ſcientiam, illis affinem percaluiſſe.

a l. 1. Ant. c. 8 vel 10.

b a.m. 2115 n. 9.

LXXXI. *Accepit & geometriæ cognitionẽ.* OCTAVÒ geometriæ cognitionem accepiſſe, vel ipſum munus templi ædificandi, ad quod erat à Deo electus, cogit confiteri. Nam & ipſum templum vniuerſum, & ſingularum partium fabrica, & ampliſſima illa, nobiliſſimáque illius ſupellex exquiſitiſſimam geometriam requirit. Et pertinebat ad ſuauitatem diuinæ prouidentiæ, vt quæ diuinitus fuerat data deſcriptio templi, à Salomone accuratè, intelligenter; & cum præceptis artis adamuſſim congruere noſceretur, vt ipſemet architectos, ſi quid peccarent, corrigere poſſet, & tota res maiore lumine, atque alacritate perficeretur. Cumque in Orientalium, & Ægyptiorum ſapientia, geometria numeraretur, vt anno 7. cit. diximus, & omnes fateãtur geometriam apud Ægyptios, aut inuentã, aut maximè cultam, fuiſſe, propter Nili inundationes, quæ terram obrutam, oppletamq; ita tenent, vt agrorum diſtinctiones ac terminos confundere dicantur. etiam geometriæ peritiſſimum fuiſſe Salomonem, nemo negare poteſt: Sciuit vtique illa omnia, quæ Græci poſtea partim à maioribus accepta, partim à ſeipſis inuenta, ac locupletata certiſſimis demonſtrationibus comprehenſa poſteris tradiderunt: Euclides, Archimedes, Ptolemæus, qui Ægyptius Alexandrinus fuit, aliique multi.

LXXX. *Geometria, & hydrographia.* GEOMETRIÆ cognata & contermina eſt geographia, quæ hydrographiam etiam ſuo ambitu continet; non enim alterius eſt terras, alterius maria dimetiri; neque hac iucundiſſima, vtiliſſimaque ſcientia carere oportebat eum, qui liberaliſſimum ampliſſimæ ſapientiæ donum, à munificentiſſimo Deo accipiebat, cuique eam cognitionem ad maximas diuitias congregandas, quas ei Dominus promittebat, traducturus erat. Hinc celeberrimæ illæ, longiſſimæq; nauigationes, de quibus alio loco dicendum erit. Hanc Salomonis ſcientiam elicit Pineda[c] ex illis verbis Sap.[d] *Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum*, &c. Quæ verba licet de conſtitutione mundi ex cœlo & elementis, ex quibus primò componitur, accipienda videantur. Sequitur enim *& virtutes elementorum*, & ita Lyranus acceperit, rectè tamen poſſunt accipi de poſitione cuiuſque regionis, & prouinciæ in terra: & inſularum in mari, de eorum proprietatibus, & differentiis, longitudine, latitudine, diſtantiis, ſine quibus generalis illa cognitio non ſolum ieiuna, atque arida, ſed planè cæca exiſtimanda eſt. Quod ſi de omni re propoſita potuit Salomon copioſè, eleganterque diſſerere, & reuera ſcienter ſapienterque diſſeruit de differentiis virgultorum, & virtutibus radicum, de naturis animalium, & beſtiarum, quæ diuerſis in prouinciis diuerſiſſimæ ſunt, quomodo ei geographiæ & coſmographiæ exquiſitiſſima cognitio negari poteſt?

c l. 5. c. 10.

d c. 7. 17.

LXXXI. *Architectura, & Aurificina.* ACCEPIT decimò architecturã, & aurificum ſcientiam, quod ad earum theoriam attinet; hæc enim nomine ſapientiæ, & ſcientiæ paſſim in ſcriptura ipſa decorantur, vt ne regis dignitatem eas minimè decuiſſe quiſquam cauſetur.[e] Itaque[f] Hiram quem Rex Tyri patrem vocat, dicitur *plenus ſapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære*, &c. Quin etiam Deus impleuerat Beſeleel, & Ooliab ſpiritu ſuo, *ſapientia & intelligentia, & ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, ſculpendiſque lapidibus, & opere carpenta-*

e Exod. 35. 10 c. 36. 1.

f 3. reg. 7. 24.

a Exo 35 31

rio, quicquid fabre ad inueniri poteſt dedit in corde eorum. [a] Nec minus etiam ipſi Moyſi, qui eos dirigere debebat, iuxta exemplar, quod ei in monte propoſitum fuerat. Dici non poteſt hanc ſcientiam, & ſapientiam Salomoni negatam, qui à tot annis electus fuerat, etiam ante quam natus, non ad ligneum tabernaculum ad tempus aliquod conſtruendum; ſed ad perpetuum, idemq; longè magnificentiſſimũ templum excitandum, & omnem eius ſupellectilẽ precioſiſſimam, elegantiſſimo artificio fabricandã. Præſertim cum à Dauide parente, à quo diuinã tẽpli deſcriptionem acceperat, cœpiſſet inſtitui, meliore poſt modum doctore perpoliẽdus.

Vndecimo diuinitus quoque didicit Salomon illam diſſerendi ſubtilitatem, copioſæ ſapientiæ ſupparem, eique ex altera parte reſpondentem. Nam ea ſapientia, quam ſe acquiſiuiſſe teſtatur, & adamaſſe, *Scit verſutias ſermonum* id eſt ſcire facit, & docet ſuos, non vt fallant, ſed ne à fallacibus, & gloriolæ captatoribus inducantur in fraudem; *ſcit & diſſolutiones argumentorum*, quod eſt dialecticæ officium non vltimum; in quo Ariſtoteles, in priorum & elenchorum libris ingenioſiſſimè verſatus eſt, vt merito captioſis & tergiuerſantibus ſophiſtis, crucem fixiſſe dicatur; hanc etiam ſapientiæ partem docebantur ephebi honorarij Nabuchodonoſoris. Introducebantur enim pueri nobiles, non ſolum in quibus nulla eſſet macula, & decori forma; ſed etiam *eruditi omni ſapientia, cauti ſcientia, & docti diſciplina*, vbi cautam illam ſcientiam, Pineda interpretatur dialecticam, quæ cautos reddit, & prouidos, ne captioſis argutiis circumuenti teneantur quomodo & nos diſciplinæ nomine mathematicas, quæ paſſim hoc titulo vocantur, interpretari poſſumus.

In ea docti Ephebi honorarii Babylon. Sicut in Mathematicis.

c. 11. de præ c. 3.

Ad hanc diſſerendi ſubtilitatem, quam Euſebius rationalem Philoſophiam appellat, refert idem peritiam contexendorum, & interpretandorum ænigmatum, cuius verba non pigebit ex noua, ſed fideli, atq; eleganti interpretatione deſcribere, *Iam vero*, inquit, *partem illam philoſophiæ, quæ in diſſerendi ratione verſatur, non contortis ſophiſmatis, ac fallacibus concluſiunculis vt Græci ſolent excolendam Hæbræi, tractandamque putauerunt, ſed percipiendæ ſtudio veritatis. Ad quæ ij ſane, qui diuinam apud illos ſapientiam profitebantur, intelligentia diuiniori luce colluſtrata, feliciter aſpirarunt. Iidem vti eorum etiam animos, quos literis ſuis informandos ſuſceperant ad eam capeſſendam acuerent, ſacraſiis ſententias, plenaſque grauitatis & honeſtatis; cum modulatis quibuſdã carminibus certa numerorum lege comprehẽſis problemata inſuper, atque ænigmata, nonnullaſque eruditas, & allegoriis inuolutas quæſtiones, cum verborum elegantia, & ſuaui, pro linguæ ratione, dictionis atque enarrationis lepore, coniunctas, à teneris vnguiculis ingerebant. Itaque primariarum diſciplinarum deuterotas quoſdam habuere* (ſic enim literarum ſuarum interpretes appellabant) *qui res ænigmatis adumbratas, non vulgo quidem omnibus, ſed iis tamen, qui ad illarum intelligentiam idonei cenſerentur, illuſtriori explicatione reſeruent. Hoc plane ſequutus ſapientiſſimus ille apud eos Salomon, inde quoque ſui prouerbiorum operis fecit initium; hac fere de cauſa ad hoc ſcribendi genus adductum ſe eſſe declarans, cum disertis, conceptiſque verbis oportere ait quemlibet hominem ſcire ſapientiam, & diſciplinam.* Hæc Euſebius.

LXXXIII *Ænigmatum.*

b l. 3. Reg. c. 10.

In explicandis igitur obſcurarum quæſtionum, & ænigmatum inuolucris, perſpicaciſſimus fuit Salomon, vt Scriptura teſtatur, [b] quæ ait reginam Saba veniſſe tentare eum in ænigmatibus, *& locuta eſt*, inquit, *ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo. Et docuit eam* Salomon *omnia verba quæ propoſuerat; non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere, & non reſponderet ei.* Nec ea primum hoc certamen ingreſſa eſt. Scribit enim Ioſephus regem Tyri quæſtiones ænigmaticas ad Salomonem tranſmiſiſſe, rogantem vt eas explicaret, & dubitationem ſibi omnem eximeret. *At ille*, inquit, *callens huiuſmodi rerum, ac natura prudentiſſimus*, rectè addidiſſet, & diuinitus ſapientia illuſtratus; *nihil inexplicatum relinquebat, ſed omnia ratione peruincens, & perſcrutatus eorum intellectum, apertiſſimè declarabat.* Addit deinde ex Tyriorum Annalibus, Salomonem vice verſa ad Hiran Tyri Regem ænigmata miſiſſe, atque per Abdemonem quendam Tyrium explicata fuiſſe, Salomonem etiam aliqua explicare non potuiſſe; ideóque grandi pecunia fuiſſe mulctatum. Sed ſcriptor ille Dius nomine in Phœnicum gratiam iſta ſcripturæ minime conſentanea finxit, quæ Ioſephus non refutauit: lege rem plenius [c] apud eundem.

LXXXIV *Data Salomoni diuinum.*

c l. 8 cap 2. vel 5.

d 21. 27.

His affines ſunt parabolæ, adeo vt pro iis aliquando vſurpentur, vnde in lib. Numerorum, [d] vbi nos legimus, *idcirco dicitur in prouerbio*, Septuaginta Sixti habent

LXXXV. *Et parabolæ.*

ἐρ ὄυσι οἱ αἰνιγματικοί, vnde in Euang. parabola, pro obſcura, & ænigmatica oratione ſæpe ſumitur. Matth. [a] *locutus eſt multa in parabolis*, erant autem obſcura; mox enim ſubdit, *qui habet aures audiendi audiat.* Cumque diſcipuli à Domino peterent, cur eis in parabolis, id eſt obſcuris comparationibus loqueretur, reſponſum accepe rũt, *quia vobis datum eſt* [b] *noſſe myſteria regni cælorũ, illis autem non eſt datum.* Parabolas quoque obſcuras prædictiones Balaam, in libro Numerorum crebro appellatas legimus. Eas porro Hebræi vocant Miſle, quæ ex ipſa vocis proprietate [c] ſignificant ſententias quaſdam plenas ſapientiæ, difficultatis, acuminis, autoritatis, & quaſi poteſtatis, Maſal n. ſignificat dominari, & præeſſe. Sed ſignificat etiam comparari, & aſſimilari; ex qua ſignificatione petita eſt parabolæ ratio. Sicut & Græcum nomen παραβολή; Erat hic docendi mos apud Hebræos rabbinos, quorum ſe conſuetudini Chriſtus Dominus accommodabat. Hanc autem facultatem Deus Salomoni ſapientiam infundendo, cumulatiſſimè præbuit, vt libri ab eo ſcripti qui extant, quique non extant aperte docent, vt in ea re non ſit neceſſe pluribus immorari. Hoc tantum dicam eum tantum in condendis parabolis excelluiſſe, quantum eloquẽtia, poëtica facultate, rerum arcanarum ſcientia, acumine, & ſubtilitate dicendi, quæ ſumma in eo fuerunt, omnibus præſtitit.

a 13.

b vide Ioan c 16 Num. 23.& 24.

c Pineda l 3 c.19.

LXXXVI. *Et Phyſiologiam in primis.*

Accepit 12. Phyſiologiæ ſcientiam abſolutiſſimam, ad quam diſſerendi ſubtilitas aditum munit, artem enim inueniendi, & diiudicandi veritatem in nobiliſſima naturæ contemplatione applicari conuenit ſed id laborioſiſſime ſine doctore contingit, & cum multo errandi periculo. At Salomon noſter doctorem habuit ipſum vniuerſæ naturæ authorem Deum; a quo puncto temporis omnia naturæ myſteria facillimè, certiſſimè, clariſſimèque cognouit. [d] Pineda fatetur Salomonem non ſolum neceſſaria Phyſicæ principia, locoſque præcipuos didiciſſe diuinitus, ſed eos etiam, qui, etſi minus neceſſarij ſunt, ſcitu tamen digni ſunt, atque intra perfectæ ſcientiæ ambitum continentur. *Nihil ergo*, inquit, *tam minutum, tam tenue, quod Salomonis ſapientiam ſubterfugeret*, quæ videlicet ſcientia humana comprehendi poſſunt; nam Abulenſis Salomonem negat indiuiduorum, vel numerum, vel proprietates notas habuiſſe. [e]

d l.3 c.21.n. 2.

LXXXVII *Quam ſcripto tradiderit.*

Addidit Pineda non ſolum mente & cogitatione comprehendiſſe minutiſſima quæque naturæ arcana, ſed forte etiam ſcripto mandaſſe, inter tria illa parabolarum millia. Quamuis diuina poſtea prouidentia factum ſit, vt minus neceſſariæ interciderint, vtiliores conſeruarentur, vt ſcripſit Hippolytus in Cant. apud Anaſtaſium Nicen. [f] Ait autem Hippolytus, in diebus Ezechiæ regis Iuda, alios quidem libros fuiſſe electos, alios vero neglectos: idque probat ex c.25. Prouerbiorum, vbi viri Ezechiæ dicuntur tranſtuliſſe quaſdam Salomonis parabolas; ipſe autem ait diſcretas deſcripſiſſe *vnde autem*, inquit, *ſelegerunt, niſi ex libris, qui inerant in ter mille odis, ſeu canticis canticorum? Ex ipſis ſapientes amici Ezechiæ elegerunt ea, quæ pertinebant ad ædificationem eccleſiæ.* Sic ipſe qui legit in Septuag. αὗται αἱ παιδεῖαι Σαλωμῶντος αἱ διάκριτοι, non vt nunc legitur in editione romana ἀδιάκριτοι habet enim, *hæc ſunt prouerbia Salomonis diſcreta, quæ ſcripſerunt amici Ezechiæ Regis.* Refert idem Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus in eandem ſententiam Euſebium Pamphili in antiquitatis hiſtoria, in hæc verba. *Libros autem Salomonis prouerbiorum, & carminum nomine, in quibus de natura plantarum, omniſque* generis animalium, quæ in terra & aëre verſantur; de ipſis etiam aduerſus omnes morbos remediis diſſeruerat, ea de cauſa ſuſtulit Ezechias, quòd morborum ſanationem ad ea referret populus, & nihili faceret a Deo petere curationes. Abulenſis quoque [g] Hippolyto conſentiens. *De parabolis*, inquit, *& carminibus Salomonis forte ſic res habebat, vt magis eſſent curioſa, & oſtentantia magnitudinem ingenij, quam vtilia: & maxime carmina, ideo non fuerũt in ſcripturæ canonem tranſlata. Idem dicendum eſt de diſputationibus Salomonis de arboribus, de volucribus, de piſcibus & iumentis, quæ non fuerunt tranſcripta in canonem, quod purè pertinerent ad Philoſophiam naturalem, quæ directè ad mores non prodeſt; vnde non conuenit ei quod dicit Apoſtolus.* [h] *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, & corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, &c.* Hæc Abulenſis.

e l 3. reg. c 4 q.6.

f q. 39. in ſcript. & habetur to. 1. Bibl. pat.

g l. 3 Reg. 4.q.8.

h 2. Tim. 3

LXXXVIII *Probatur ex ſcriptura.*

Hæc porro Salomonis Phyſiologia colligi poteſt ex c. 7. Sap. vbi ſapiens, ſiue Salomon, ſiue alius in perſona eius, ſic ait. *Ipſe enim*, Deus, *dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum.* Nomine co-

rum quę ſunt, naturalia imprimis, quæ ſenſibus patent, ab hominibus intelliguntur, qui minus intelligibilia, & ſpiritualia capiunt, quorum maximus eſt numerus; quorum ſe captui ſapiens accommodat; eorum ſe minime fallacem, aut aberrantem ſcientiam conſecutum ait, vt qui eam ex primis principiis, cauſiſque quibus res conſtitutæ ſunt, cognouerit. Id enim vox σύστασις ſatis ſignificat; & eam Pineda [a] ad compoſitionem ex materia & forma refert. Poſſumus etiam diſpoſitionem orbis terrarum, ad ſitum primariarum eius partium referre tam ratione mobilium, quam agentium qualitatum, quibus vim ſuam in agendo, & locum ſuum petendo elementa demonſtrant.

ἀψευδῆ

σύστασις.

a l. 3 c. 21.

LXXXIX. *Anastaſio, & Ambroſio.*

ET Anaſtaſius quidem Nicenus, qui Salomonem in herbis, & plantis, calidorum, ac frigidorum ſcientiſſimum fuiſſe tradidit, [b] tanto id magis vniuerſe de elementorum actiuis & paſſiuis qualitatibus fateretur. D. tamen Ambroſius de motricibus tantum qualitatibus hunc locum videtur intellexiſſe. Nam [c] agens de quatuor illis rebus, quas Salomon ſibi fatebatur ignotas, mirum eſſe ait, *quod tam locuples poſſeſſor ſapientiæ Salomon, cum omnia cognouiſſet, quæ in arcanis abditarum diſpoſitionum tenebantur abſconſa, hæc ſibi impoßibilia eſſe prætendit; quippe qui à Deo eſſet ſapientiam conſecutus, qui nouerat mundanæ diſpoſitionis introitum, qualiter eſſet hoc cælum omne quod cernimus, ardua ſublimitate ſuſpenſum; quemadmodum fieret aeris iſtius circumiectus, & fuſus æquo moderamine, libratus in medio; quibus modis pigro ad imum dilapſa pondere terra ſubſiſteret; qua ratione intra certas littorum metas, liquidi elementi impatiens fluctus lapſus exeſtuet, &c.* Paraphraſi exponens locum ſapientiæ de quo agimus: alludens, vt apparet, ad illud Poëtæ 1. Metam.

b q. 39. in Script.

c l. de Salomo. 2. c. 1.

Ignea conuexi vis, & ſine pondere cæli,
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aër illi leuitate, locóque,
Denſior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et preſſa eſt grauitate ſui: circumfluctus humor,
Vltima poſſedit, ſolidumque coërcuit orbem.

XC. *Et in ſpecie naturas animalium cicurum & ferarum.*

VERVM ne ſuſpicemur in genere tantum Phyſiologiam Salomoni cognitam fuiſſe; fatetur ipſe [d] ſe didiciſſe *naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque ſunt abſconſa, & improuiſa.* Accepit videlicet ampliſſimam illam cognitionem, hiſtoria animalium comprehenſam, tam domeſticorum, & cicurum, quibus Scriptura generis nomen attribuit, quam ferarum, quæ irę ac cupiditatis indomito impetu feruntur: vnde & ferarum nomen habent. Sed ne aliorum animalium, quę non ſatis hic comprehenſa videri poſſunt, Salomonem ignarum fuiſſe putemus, [e] alibi dicitur diſſeruiſſe de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Vtique ſapienter & erudite, & ſupra cęterorum hominum captum, & cognitionem. Et ſcilicet naturas, & differentias quæ vocantur eſſentiales, proprietates, ingenia, natiuas propenſiones, opportunitates ad hominum vſus, aliaque id genus explicando; quæ partim ignota ſunt, partim multo labore, ſumptu, atque induſtria, à poſterioribus Philoſophis obſeruata, & tradita fuerunt.

d Sap. 7. 20.

e 3. Reg. 4. 33.

XCI *Vim ventorum & meteorologica.*

EODEM præceptore Deo didicit Salomon vim ventorum; & quos ſolet educere de theſauris ſuis, eorum cognitionem de theſauris ſapientiæ ſuæ erutam illi aperuit: vnde eorum ortus, motus, violentia, frigus, calor, humor, ſiccitas, ſalubritas, vel noxia qualitas illi patuerunt; in quibus cum ſe Philoſophi diu torſerint, probabilia ſe duntaxat proferre poſſe teſtantur. Sic intelligenda ſunt omnia Meteorologica, quæ in aëre ventorum campo viſuntur, & quæcumque in diuerſis eius regionibus, vel iuxta, vel præter conſuetum ordinem apparent. Cogitationes hominum, quæ ſecreta cordium dicuntur, nequaquam Salomoni nota fuerunt; quippe quę etiam beatis angelis ignotæ ſunt; eique ſoli reſeruãtur, qui ſcrutator eſt cordiũ. Sed propenſiones naturales, quæ ex ſignis externis ſeſe produnt, vt Lyran quoque ſentit, & ad Phyſiognomiam pertinent, eo nomine videntur intelligi. Septuag. habent διαλογισμούς, id eſt ratiocinationes, quarum cognitio aliquibus citius faciliuſque, quam aliis patet; quos ſolertes, & ἀγχίνους Ariſtoteles vocat, qui mentem in promptu habent, ad facile coniectandum

de iis, quæ homines animo verſant.

XCII. *Medicinam.* DIFFERENTIAS virgultorum, ſiue plantorum, & virtutes radicum, dum Salomoni cognitas ex dicto ſapientiæ loco [a] agnoſcimus, eum quoque medicinæ ſcientiam ampliſſimam, exquiſitiſſimamque decimo tertio accepiſſe fatemur, quæ Phyſiologiæ ſubalternatur. Idem affirmat Ioſephus. [b] *Cuilibet*, inquit, *Speciei plantarum ſuam adhibuit parabolam ab hyſſopo, vſque ad cedrum. Idem fecit de pecoribus, & cæteris terreſtribus animantibus, natatilibusque, & quæ per aerem feruntur, nullius enim horum naturam ignorauit, aut inſcrutatam reliquit; ſed circa omnes Philoſophatus eſt, & ſcientiam proprietatum earum ſummam præ ſe tulit, quin & eam artem diuinitus conſecutus eſt ad vtilitatem, & medelam hominum, quæ aduerſus dæmones eſt efficax.* Pergit ibi de radice quadam dæmonum expultrice agere. Huic conſentanea habet Anaſtaſius *Ex Anaſtaſio.* Niſſenus Epiſcopus, qui q. 3°. ſic ſcribit in eum locum [c] *Et diſputauit ſuper lignis, à cedro quæ eſt in libano, vſque ad hyſopum.* Herbarum, & arborum naturas, ac virtutes, atque adeo omnia quoque animantia naturali Philoſophia tractaſſe eis, & diſſeruiſſe dixit. Hinc eſt vero ſimillimum eos qui libros conſcripſerunt medicinæ, plurima decerpſiſſe, calidorumque & frigidorum, ſiccorum & humidorum ordinem compoſuiſſe; & hæc herba, illa herba quanam menſura ſit frigidior, aut calidior, & huius animalis hæc particula cui morbo afferat remedium, vt pote fel hyenæ, aut adeps leonis, aut ſanguis tauri, aut carnes viperæ. De his enim ſcripſerunt docti medici, accepta occaſione ab iis, quæ primo ſcripſit *Et Euſebio.* Salomon. Huc quoque pertinent quæ ſupra [d] ex Euſebio Pamphili, de priſca hiſtoria recitauimus.

φυτῶν — a Sap 7.20. — b l 8. c. 2. — c 3. R. 4. 33. — d nu. 87.

XCIII. *Magiam naturalem.* Ex quibus, aliiſque rectè ſtatuit Pineda [e] Salomonem magiæ naturalis periтiſſimum fuiſſe: id eſt exactiſſimè rerum naturas, vires, proprietates, ſympathias, antipathias calluiſſe; prætereáque diuinare, atque efficere potuiſſe mirifica quædam, quę rerum cauſas ignorantibus, aut prę́ſtigioſa, aut miraculo proxima viderentur: quæ eſt ipſa magiæ naturalis propria ratio; & quæ nomine abſconditorum, & improuiſorum, rectè poſſumus interpretari, in eo loco Sap. de quibus *radix an dæmonum expultrix.* etiam conſuli poteſt Euſeb. [f] Illa autem Ioſephi radix dæmonum expultrix, magiam ſuperſtitioſam, ac diabolicam ſapit, quamuis eam Ioſephi narrationem tacitus retulerit Abulenſis [g]. Imo peritum dixerit circa dæmonum inuocationes, & omnem necromantiam. Quæ ſi qua fuit à Salomone tradita, vel accepta, ad id tempus referenda eſt, quo penitus Idololatriæ, libidini, ac nequitiæ ſeruiebat; Nulla enim radicibus, aut in vlla omnino re corporea vis mere naturalis in dæmones: ſed iis ſponte illi cedunt, ex inito cum magis pacto tacito, vel expreſſo: quamuis illo ſuo exemplo colligat Ioſephus, quam carus fuerit Deo Salomon, & in *Exorciſmi.* omni virtutum genere excellentiſſimus. Sed hac de re legendus Delrio [h], & Serarius in cap. 8. Tob. pluribus qq. præſertim 4. & 5. Non tamen abſurdum eſt, quod ait Toſtatus loco citato, ab Salomone ſcriptos exorciſmos, quibus Iudæi vtentes, diuina virtute dæmones eiicerent, vt in Euangelio quoque legimus. [i]

e l 3. c. 23. n. 5. — c. 7. 10. — f l. 4. de præp. pat. c 1 init. — g l 3. reg c. 3. q 9. in fin. & ſub mod. — h l 6 ca. 2. q. 3. Sect. 1. — i Math. 12. 27. & Luc. 11 19.

XCIV. *Ethicam, ſiue moralem.* ACCEPIT ethicam, politicam, atque œconomicam ſapientiam, quas libris Prouerbiorum, & Eccleſiaſtæ ad popularem captum accommodate tradidit, earumque ſeſe ſcientiſſimum, in omni virtutum, ac ſtatuum genere, apertiſſimè dociut. Cum enim Ethica philoſophia maxima ex parte circa virtutes illas quatuor latè patentes verſetur, Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam; in laude ſapientiæ, quam ſe fatetur didiciſſe, ita loquitur. *Si Iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes. Sobrietatem enim & prudentiam docet, & Iuſtitiam, & virtutem.* Septuag. fortitudinem, *quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus*, & de ſingulis præcepta ſaluberrima, totis Salomonis libris ſparſa continentur; quæ quiſque obſeruare facile poteſt.

Sap. 8. 7. — *ἀνδρείαν*

XCV. *Politicam qua alios ſuperauit.* DE politica nemo dubitare poteſt, cum eam vel vnicam, vel maximè omnium à Deo Salomon poſtulauerit, vt ſupra dicebamus, & notauit Abulenſ. [k] & ea maximè omnium in Principe, omnique ſummo magiſtratu requiratur. Itaque quæcumque in eam rem præcepta, vel in lege Moſaica haurire, vel Dauidis, & Nathani domeſtica diſciplina diſcere potuit, ea cumulatius omnia & ex ſummæ atque æternæ legis, iuriſque naturæ principiis petita, cum illis ipſis principiis diuinitus didicit; vt in omnium gentium iuriſconſultis, aut publica-

k l. 3. ca. 3. q. 9.

carum rerum, regnorumque adminiſtratoribus, nemo ei vnquam par eſſe potuerit, adeo vt non defuerint, qui eum Adamo, & Moyſi prætulerint: qua de re Abulens. Perer. Pineda [a] fuſius diſputarunt; quorum hic rem in medio relinquit, illi pro Salomone pronunciant. Præſertim cum Moyſes in prophetis, non in ſapientibus numeretur; & eius in rebus politicis inſcientiam tum Iethro ſocer coarguat; cuius eſt illa oratio, *Stulto labore conſumeris, & tu & populus iſte, qui tecum eſt, vltra vires tuas eſt negotium, &c.* Tum anceps ille animus eius ad quæſtiones propoſitas, minime ſane arduas, de quibus tamen, niſi conſulto Domino reſpondere non eſt auſus, [b] vt obſeruauit Toſtatus. [c]

Salomonis ethica, politica, oeconomica. Et nominatim Moſem.

a l. 3. c. 24.

b Num. 27. & 36.

c l. 3. c. 3. q. 7.

d nu. 62.

XCVI. *Non tamen Adamum.*

Nihilominus ego ſane pro Adamo ſtare malim. Ei enim fauet ſtatus innocentiæ, in quo conditus fuit, & ſcientiam accepit, vt ſupra dicebamus; [d] fauet omnium mortalium, non vnius populi gubernatio, nec ad quadraginta, ſed ad nongentos ipſos annos. Nec obſtat quod Adami tempore vt ait Pineda, nulla erant conſtituta regna, nullæ inſtitutæ Reſp. in quarum conſeruatione, & moderatione, ciuilis prudentia verſaretur. Cum enim conſtet Cain ædificaſſe ciuitatem, quam vocauit nomine filij ſui Henoch, certe ciuitas, publica quædam res eſt, & cætus hominum iure ſociatus. At diſtractus ille penitus erat à patre: eſto. Num mille, & quingentis, & amplius annis ante diluuium, nemo poſterum Sethi aliam ciuitatem condiderit, cui Adamus fuerit legiſlator? Nec ſane admodum ad rem facit, quod multa in hoc genere vſus ipſe docuit, & experientia, quæ primis parentibus incomperta, & inexplorata fuerunt; nam de cognitione diuinitus accepta, non variis parta experimentis agitur.

XCVII. *Oeconomicam.*

e cap. 10.

Qvod ad Oeconomicam ſcientiam attinet, vt innumeros omittam locos, quibus domeſticæ adminiſtrationis vtiliſſima præcepta in Prouerb. & Eccle. traduntur, quibus pater, & mater familias, parentes & liberi, Domini ac ſerui inſtituuntur; vnus certe 3. [e] Regnum locus Salomonem hac ſapientia inſtructiſſimum fuiſſe, locupletiſſimè teſtatur. In quo legimus Reginam latè imperantem in illius contemplatione, ſtupore defixam ſtetiſſe. Sic enim habet. *Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſtiſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum,* id eſt præ admiratione rapiebatur in exſtaſim, vt Septuaginta interpretantur. At, inquies, hæc admiratio non ad ſolam Oeconomicam videtur referenda; ſed ad omnem regis ſapientiam. Reſpondeo referri ad eam ſapientiam, cuius hæc Regina potuit aliquod accipere experimentum, nam ſequitur. *Non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni; & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit.* Potuit autem probare maximè œconomicam ſapientiam mulier, & politicam Regina. Ænigmata vero illa quibus tentare voluit Salomonem, potuit à Sapientibus populi ſui accepiſſe. Et confirmatur iſta ſententia, ex eo quod tota illa enumeratio œconomica eſt.

Quam mirata eſt regina Saba.

XCVIII. *Primam Philoſophiam.*

Transeamvs ad primam philoſophiam, quam Regina hæc ſuſpicari in Salomone fortaſſe non potuit; Euſebius ex primo capite Eccl. aperte collegit. Nam libro 11. de præpara. capite ſexto, vbi de intellectuali differit Hebræorum Phyſiologia, ſic enim vocat, quam vulgus Metaphyſicam, doctiores primam Philoſophiam, & naturalem Theologiam vocant; docet ab Hebræis poni geminum ens, alterum intellectile, & incorporeum, ſtabileque natura, in quo numero eſt Deus ipſe, qui de ſeipſo Moyſi dixit. *Ego ſum qui ſum*; alterum corporeum, motui & mutationi perpetuo obnoxium, de quo Salomon ait, futurum eſſe quod fuit, & faciendum quod factum eſt, nec nouum aliquid eſſe ſub ſole Eam vero Entis partitionem, propè totidem verbis Platonem ſecutum contendit. Sed ne ens corporeum tantum Salomoni notum putemus; ei ſubſtantias ſeparatas notas fuiſſe dubitari non debet; cum ad earum cognitionem philoſophi ſolo naturali lumine adiuti, ex motu præſertim cœlorum peruenerint. Hanc certe cognitionem ei tribuere videtur Sapiens in eius perſona, [e] cum ſe ait a ſapientia didiciſſe, quæcunque ſunt abſconſa, & improuiſa. *Eſt enim,* inquit, *in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, vnicus, multiplex;* & paulo poſt, *om-*

Atq; adeo intelligentias.

nem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundos, ſubtiles, vt habent ſeptuag. vel vt habet Diuus Ambroſ. [a] *qui omnia poteſt, omnia ſpectat, & per omnia penetrans ſpirituum intelligibilium.* Vbi Pineda & Cantacuzenus exiſtimant indicari omnes angelicas hierarchias, atque ordines.

XCIX. *Myſteria fidei Salomoni reuelata.*

Svperest diuina ſapientia, ad quam humana induſtria, atque inquiſitio peruenire non poteſt ipſa per ſeſe; ſed diuina reuelatione conſtat, quæ fidelium propria eſt; quę iā inde ab initio Adamo, aliiſque deinceps patriarchis, nūc obſcurius, & parcius, nunc apertius, & abundantius cōmunicata eſt. Qua in re Deū erga Salomonē admodum liberalem fuiſſe ſatis conſtat. Nam vt ait Pined. [b] Multa de diuina Sapientia increata, id eſt de vnigenito Dei filio, de illius æterna generatione, & diuinitate, de Spiritu Sancto, qui & ipſe eſt Spiritus ſapientiæ, de Spiritus ſancti donis: itemque de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, de Chriſto & Eccleſia, imo & de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, inueniri in Salomonis libris, frequens patrum interpretatio docet, vt etiam Propheta à pleriſque eorum appelletur. Quanta autem fuerit diuinorum myſteriorum reuelatio Salomoni facta, vel per ſe, vel comparatione cum Adamo, Abrahamo, Moyſe, Dauide, difficile eſt definire. Illud certe a pleriſque video probabile æſtimari, ſingulos illos clariores veteris legis viros, quapiam fere in reuelatione cæteris excelluiſſe. Salomonem vero in Chriſti ſapientia & agnoſcenda, & repræſentanda, & eiuſdem cum ſancta Eccleſia vnione, valde præſtitiſſe.

C. *Sapientia Salomonis indelebilis.*

Addamvs epimetron ex Abulenſi, [c] quo diuina in Salomonem liberalitas vehementer exaggeratur; quod ſcilicet data illi ſapientia amitti non poſſet, iis modis, quibus ſapientiam induſtria humana conquiſitam perdimus; puta ex deſuetudine frequentandi actus, eius ſcientiæ quam callemus; ex vitio phantaſiæ, quo in obliuionem cognitorum venimus; ex actibus contrariis; ſed ex diuina tantum actione, ſi eam delere voluiſſet. Cum enim per iteratos actus acquiſita non fuiſſet; neque per ceſſationem eorum interitura erat, ſed tantum per ablationem eius, qui eam infuderat. Nam habitus a Deo infuſi natura ſua ſunt indebiles. Cumque Salomon non accepiſſet ſpecies à rebus, quæ in phantaſia collocantur, ſed à Deo haberet infuſas in intellectu, vitiata phantaſia, ſapientia in eius intellectu remanſiſſet, ſed ſicut gladius in vagina reconditus. Denique neque per actus contrarios, huius theſauri iacturam feciſſet: quia iactura ſcientiæ per actus contrarios, & deceptionem contingit iis, qui perfectum habitum artis non habent; quod Salomoni non conueniebat, cuius ſapientia erat excellentiſſima, & multitudine habituum, & claritate eorum, & firmitate, ſicut ſupra ſignificatum eſt. [d]

CI. *Euigilat Salomon.*

Sed iamdudum dormit Salomon, & innumerabilis ſapientiæ fluenta potat; tempus eſt vt ſuſcitemus eum. *Igitur euigilauit Salomon*, inquit, [e] ſcriptura, *& intellexit quod eſſet ſomnium.* Intellexit videlicet ſomnium eſſe diuinum, cum ſibi iam conſcius eſſet, ſe in eo conſecutum quod nemo poteſt, niſi à diuina liberalitate adipiſci: Ex quo colligit Abulenſis [f] Salomonem reuera non petiiſſe ſapientiam, vt pote qui dormiebat dum ei infuſa eſt ſapientia; ſed ſpecies in eius phantaſia ita diuinitus fuiſſe temperatas, vt ſibi ſapientiam poſtulare videretur, & eandem putaret à Deo concedi. Vera enim petitio, & colloquium, cum intentione ſignificandi, quale Scriptura repræſentat, vigilantis opus eſt, non dormientis. Nec diceretur intellexiſſe Salomonem quod eſſet ſomnium, ſi non eſſet ſomnium, ſed res reuera geſta, ſciretque ipſe ſe locutum fuiſſe, non ſomniaſſe. Itaque nec Deo placuit, neque diſplicuit iſta petitio, vt idem ait. Sed cum ei in ſomnis apparuiſſet vir venerabilis, viſus eſt ſibi audire illum inuitantem ad petendum quod liberet, ſeque ipſum petere ſapientiam, illumque vultus hilaritate præ ſe tuliſſe gratam ſibi eſſe petitionem, reliquamque orationem pertexuiſſe, ſimulque multiplicem illam quam diximus ſapientiam illi infudiſſe.

An vere petierit.

CII. *Cui vſui hoc ſomnium.*

Nec inutile propterea ſomnium fuit; valuit enim vt Salomon intelligeret ſe non naturæ viribus, ſed diuina liberalitate factum eſſe locupletem. Niſi enim tale illi ſomnium contigiſſet, aut aliquis ei angelus vigilanti appareret, qui eum donati theſauri commone faceret, non ſentiret vnde factus eſſet ſapientior,

ſicut

[a] in ſi. l. de incarn.
[b] l. 3. c. 26. n. 6.
[c] l. 3. Reg. c. 3. q. 11.
[d] n. 59.
[e] 3 Reg. 3. 15
[f] q. 12. & 13. in c. 3. 3. Re

ſicut non ſentiunt qui accipiunt Dei gratiam, nec gratias ageret largitori; valuit quoque vt intelligeremus Deo gratum eſſe deſiderium, ac petitionem ſapientiæ; illumque huiuſmodi votum cæterarum rerum, quæ vulgo maximi fiũt, deſideriis anteferre. Valuit denique vt agnoſceremus Dei liberalitatem ac bonitatem, qui iuſta deſideria non ſolum rebus exæquat, ſed etiam ſuperat, & vera bona poſtulantibus, etiam cætera commoda vltro largitur. Iuxta illud Domini mandatum. *Quærite primum regnum Dei*, &c. Exiſtimandum nihilominus eſt Salomonem in vigilia & deſideraſſe & poſtulaſſe ſapientiam, Deumque ſomnium ad internam eius diſpoſitionem accommodaſſe.

CIII. *Gratus Salomonis animus.*

QVANTIS porro tum lætitiis inceſſerit Salomon, non eſt difficile æſtimare. Nam conſtat optatæ rei fruitionem tanto afficere gaudio, quanta fuit deſiderij magnitudo. Sed cum grati animi ſignificatio non numeretur in vltimis ſapientiæ præceptis; hæc enim honeſtiſſima ratio eſt tum in hominibus, tum maximè in Deo ipſo recludendi omnes liberalitatis, & beneficentiæ fontes, nequaquam Salomon in hoc genere inſipienter egit, ſed cum primum Hieroſolymam rediit, Deo in ſignum grati animi ſacrificia inſtaurauit, & hominibus, quos ſibi congratulari voluit, de inuento precioſo theſauro, quod quæſiuerat, ſolenne conuiuium apparari iuſſit. Sic enim Scriptura loquitur, *cumque veniſſet Ieruſalem, ſtetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocauſta, & fecit victimas pacificas, & grande conuiuium vniuerſis famulis ſuis.*

CIV. *Salomonis iudiciũ de mulieribus quando cõtigerit.*

ECCE autem ſumptum quamprimũ experimentum impetratæ ſapientiæ. Voluit enim Dominus, vt donum collatæ ſapientiæ omni populo panderetur; vt dixit Proſper. [a] *Tunc* enim *venerunt* [b] *duæ mulieres meretrices ad regem*; Ioſephus, illud *tunc* interpretatur, *per eoſdem dies*, acceptæ ſcilicet ſapientiæ; quam chronologiam ſequitur etiam Torniell. & nobiſcum ad tertium Salomonis annum hoc iudicium refert. Ab eo tamen diſſidemus, quod ipſe hunc Salomonis annum velit eſſe 27. qui nobis eſt duntaxat vigeſimus tertius, quod eius natiuitatem quadriennio citius, quam nos occuparit, qua de re ſuo loco ſatis diſputatum eſt. Sed quod ad tẽpus hiſtoriæ huius attinet, Ioſephus eodem loco, puerilem Salomonis ſententiam à populo primum iudicatum dicit, id eſt pueritiæ eius conſentaneam. Pineda vero vocat hanc Salomonis adhuc pueri ſententiam, minime puerilem. Sed ipſemet in chronologia hanc mioſim ex veritatis regula temperauit. D. quidem Hieron. [c] eam 12. Salomonis anno contigiſſe ait *Interpretatio*, inquit, *iudicii Salomonis, quantum ad ſimplicem hiſtoriam pertinet perſpicua eſt, quod puer annorum duodecim, contra ætatis ſuæ menſuram, de intimo humanæ naturæ iudicarit affectu.* Verum Diuus Hieronymus conſentaneè loquitur opinioni de ſuſcepto a Salomone regno anno vitæ duodecimo, & genito Roboamo anno vndecimo, qua de re fuſius ſuperius diſputauimus; vbi cum ſtatuerimus Salomonem vigeſimo primo anno ætatis, regni gubernacula ſuſcepiſſe, conſentanee etiam aſſerimus iudicium hoc, non duodecimo, ſed vigeſimo tertio ætatis eius anno contigiſſe.

CV. *Quales hæ mulieres.*

ETSI autem, vt notauit Hieronymus, [d] hiſtoria tota perſpicua eſt, & peruulgata, mouet tamen dubium Vatablus de his mulieribus, vt potius cauponariæ, quam meretrices cenſeri debeant, ſiue quia hebræa vox vtramque ſignificationem recipit, ſiue quia meretrices, vel non concipiunt, vel conceptum fœtum necant: eique fauet Paraphraſt. Chaldæus, qui habet mulieres tabernarias. Communiorem tamen ſignificationem amplecti magis placet, de muliere profligatæ pudicitiæ, quia vox latina id exigit, & græca, hebræa vero nihil repugnat; & meretrices aliquando concipiunt, eæ ſaltem quæ non ſe omnibus dedunt, neque omnes tam inhumanæ ſunt, quamuis lupæ ſint, vt prolem extinguant, cum Iephte legamus filium mulieris meretricis. Pineda [e] putat fuiſſe meretrices, quod nulla fiat maritorum mentio. *Nam*, inquit, *& bonæ fœminæ pariunt, & ſine maritis dormiunt, & litem quod virorum potiſſimum erat, ipſæ per ſe conteſtantur*; quod non mirum eſt, ipſas per ſe auſas fuiſſe. Nam de impudentia Iſraëlitarum ait Dominus per Ierem. [f] *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Ioſephus [g] quoq; quæſtus meretricii mulieres vocat.

[a] part. 2. de præd. c. 17
[b] 3. Reg. 3. 16.
[c] tom. 3 ep. 131.
[d] Epiſt. 131. quæ eſt ad Rufinum.
[e] l. 6. c. 13. n. 6.
[f] cap. 3. 3.
[g] l. 8. c. 2.

CVI. *Querela veræ matris.*

Ivvat autem hiſtoriam, perſpicuam licet, ac peruulgatam, ex ſacro textu attexere: habet enim non leuem ex ipſa narrationis ſimplicitate, ſuauitatem, quæ lectorem oblectare queat. Prior autem agere cœpit ea, cuius filius adhuc viuebat: naturalis enim affectus, & dolor acceptæ iniuriæ eam perurgebant. *Obſecro*, inquit, [a] *mi Domine*, attende ad expoſtulationem meam, vt opem feras calamitati meæ, & iuſto iudicio repellas iniuriam illatam mihi. *Ego & mulier hæc habitabamus in vna* eademque *domo*, atque adeo in eodem cubiculo, nam *peperi apud eam in cubiculo*, imo in eodem lecto, vt placet Abulenſi; at in hebræo, neque lecti mentio eſt, neque cubiculi; *Tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus ſimul, nulluſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duobus.* Vides vt ad augendam iudicii difficultatem, omnes conjecturæ tolluntur; circumſtantia temporis nullam ſuggerit: nam cum alter infantium, altero biduo tantum, aut triduo grandior eſſet, non poterat ætas conjecturam præbere, quis ad quam pertineret; nullam loci, cum eſſet idem cubiculum, nullam perſonæ, quæ ex viſu infantium, aut auditu matrum, aliquid teſtimonij afferrent, cum domi, præter mulieres, nemo affuiſſet.

[a] 3 Reg 3.17

CVII. *Et accuſatio*

Mortvvs *eſt autem filius mulieris huius nocte; dormiens quippe oppreſſit eum. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio*: Nox enim idonea furtis, atque maleficiis: *& omnis,* [b] *qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Tulit filium meum de latere meo, ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo, ſuum autem filium, qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo.* Ad quod furtum non tam amore prolis incitabatur, quam odio, atque inuidia aduerſus ſociam mulierem. Si enim amor erga infantulum, & propriæ oblectationis deſiderium, eam ad hanc fraudem impuliſſet, non conſenſiſſet mox in eius necem; nemo enim conſentit in malum eius quem diligit. At cum inuideret mulieri, doluit eam bono frui, quo ipſa ſe miſerè priuarat, ideoque filium ei ſuum ſuſtulit, & alienum ſubſtituit, vt illa falſo luctu ſe afflictaret, & ipſa gaudio non vero oblectaretur. Itaque rege diuiſionem infantis imperante, facile paſſa eſt priuari ſe non vero gaudio, vt ſocia vero luctu conficeretur. [c] Pergit autem accuſatrix. *Cumque ſurrexiſſem mane, vt darem lac filio meo*, quem ſcilicet putabam meum, *apparuit mortuus*; & ſcilicet ingemui ſuper eius morte, cum tamen mihi non eſſem conſcia, quod incubuiſſem in eum, ac ſuffocaſſem, ne falſo me luctu vexarem; *diligentius eum intuens clara luce, deprehenſi non eſſe meum, quem genueram.*

[b] Ioan. 3.10

[c] vide Abu. q. 15 in c. 3 l. 3. Reg.

CVIII. *Æmulæ reſponſio.*

Non paſſa eſt mulier æmula, vlterius prouehi oratione veram viuentis pueri matrem; ne illa ad narrationis ſimplicitatem, ac probabilitatem, adhibitis veris ac maternis affectibus, veriſſimáque comploratione, atque eiulatu, facilè fucatum ſuum dolorem, lacrymaſque vinceret. Itaque abſciſſa omni eius concluſione, petitione, obteſtationeque iudicis; reſpondit. *Non eſt ita vt dicis, ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem viuit.* Tu es quæ oppreſſiſti filium tuum &c. His enim, ſimilibuſque calumniis celabat facinus ſuum, & in innocentem impudenter transferebat. *E contrario*, vera mater, *dicebat mentiris, filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt.* Hæc verba deſiderantur apud Septuaginta, præterquam in Complutenſibus bibliis & regiis: habentur autem in hebræo, vnde ea tranſtulit Hieronymus. Pro contumelioſa vero illa voce, qua paſſim vtuntur iſtæ mulierculæ, in hebræo eſt ſola negatio.

CIX. *Rex ſapienter veritatē elicit.*

Atqve *in hunc modum* clamoribus, conuitiiſque *contendebant coram rege.* Cum rex quaſi pertæſus eſſet iurgiorum, quæ probationibus carerent, & ambas pari iure inter ſe litigare iudicaret: *Afferte*, inquit, *mihi gladium. Cumque attuliſſent gladium coram rege: Diuidite*, inquit, *infantem viuum in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri.* Erat hæc ſententia non iudicis dirimentis litem, ſed veritatem per præſumptionem aliquam indagantis; quam etiam ab affectu materno elicuit; illa autem deficiente, cum mulieres pares eſſent probationibus, quod neutra quidquam probaret, cauſa erat adiudicanda poſſidenti: & vera mater condemnanda, ac filio ſuo definitiua ſententia priuanda. Sed illa audita regis ſententia, commotis illico maternis ſuper filio ſuo viſceribus, dixit ad regem; *Obſecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum.* Malebat enim priuari poſſeſſione filii ſui, quam illum vita, cru-

deli morte deſtitui. Altera vero diuiſioni conſenſit volens modica ſua triſtitia, ingentem æmulæ ſuæ dolorem mercari; iuxta ea quæ paulo ante diximus. [a]

[a] ou. 105.

CX. *Et pro vera matre pronunciat.*

Hic rex agnita vera matre, ex præſumptione violenta materni affectus. *Date, huic,* inquit, *infantem viuum, & non occidatur; hæc eſt enim mater eius.* Quamuis enim illa præiudicium ſibi feciſſe videretur, & iuri ſuo renunciaſſe dicendo, *Date illi infantem viuum*; illa tamen renunciatio ſub conditione fuerat, quæ illis verbis includebatur, *& nolite interficere eum*, id eſt potiuſ-quam interficiatur; ſed & altera petendo diuiſionem pueri non minus iuri ſuo renunciarat. Illud potius mirum, Salomonem, agnita vera matre, falſam non adiudicaſſe morti, quæ filium ſuum temerè oppreſſerat, & alienum furto abſtulerat. Rectè tamen lenior fuit Salomon aduerſus hanc mulierem; quod ſola præſumptione victa eſſet, non probationibus, vel propria confeſſione conuicta: tunc enim merito geminam noxam capite luiſſet. [b]

[b] vide 2. q. 5. c *conſuluiſt.* & Innoc. extra de præſumpt. ſuper ea. *quia ver ſimile.*

CXI. *Populi admiratio ſuper Salomonis ſapientiam.*

Qvoniam vero hoc primum fuit acceptæ diuinitus ſapientiæ teſtimonium, non deſunt, qui non valde putent admirandum. Verum & genere ſuo admirandum fuit, & populo apud quem Deus voluit ſapientiæ opinionem conciliare Salomoni, admodum accommodatum; vnde ſequitur, *Audiuit itaque omnis Iſrael iudicium, quod iudicaſſet rex, & timuerunt regem*; hic enim timor admirationis eſt, vt [c] *Quis non timebit te domine, & magnificabit nomen tuum?* &, [d] *accepit omnes timor, & magnificabat Deum.* Et re vera negari non poteſt rem ordinariæ prudentiæ! perobſcuram fuiſſe, quia ſine luce, ſine teſtibus geſta erat, & quia à perſonarum conditione nihil lucis emicabat, quia neutra plus fidei, quam alterutra merebatur. Neutra rationes pro ſe, imo ne coniecturas quidem probabiles afferebat: & quia in ſexus eiuſdem ſimilitudine, & in tam tenella infantum ætate nulla differentia matrem prodere poterat.

[c] Apoc. 15. 4
[d] Luc 16. 7. c. 5. 26.

CXII. *Probatur ex Theodoreto Hieronym. Ambroſio.*

Certe Theodoretus [e] ait à ſacro Scriptore recenſitam hiſtoriam, ad regis ſapientiam oſtendendam. *Eſt enim*, inquit, *ſapientiſſimæ rerum intelligentiæ, ea quæ latent oſtendere, & quæ ſunt occulta aperire, & de natura habere quæſtionem*, &c. Diuus Hieronymus, loc. cit. [f] *Contra ætatis ſuæ menſuram*, inquit, *de intimo humanæ naturæ iudicauit affectu. Vnde & pertimuit eum omnis Iſrael; quod ſcilicet eum manifeſta non fugerent, qui tam prudenter abſcondita deprehendiſſet.* Diuus etiam Ambroſius, [g] cum dixiſſet iudices ipſos non poſſe niſi per ſpiritum iudicare, ſubdit, *Denique nobile illud Salomonis iudicium, quod inter dubia certantium, cum vna oppreſſo paruulo, quod ipſa ſuſceperat, vendicare ſibi vellet alienum, altera proprium filium defenſaret, & fraudem in ipſis cogitationibus occultis, at pietatem in maternis viſceribus deprehendit; vtique per Spiritus ſancti munus emicuit. Neque enim latentem conſcientiam fœminarum alia aliqua potuit, niſi Spiritus ſancti machæra detegere, quia non ferro, ſed ſpiritu mens interna penetratur.* Quibus non diſſimilia alibi, idem Sanctus perſcribit. [h] Vocat enim hoc iudicium nobile, plenum ſapientiæ, atque iuſtitiæ.

[e] in 3. Reg. q. 14.
[f] Epiſt. 131.
[g] l. 1 Off c. 8.

CXIII. *Ex Ioſepho.*

Nec diſſentit Ioſephus, [i] *Per eoſdem dies*, inquit, *iudicium ad eum delatum eſt arduum, cuius exitum inuenire difficile fuit. Rem autem controuerſam, de qua lis erat, neceſſarium duxi indicare, vt qui hæc legent difficultatem decernendi intelligant.* Ego quoque neceſſarium duxi, hanc Ioſephi narrationem inſerere, vt omnes, qui hæc noſtra legent, intelligant, qua fide perſeueret ſcribere Ioſephus, & quam conſtanter Scripturæ repugnare. *Duæ mulieres*, inquit, *quæſtus meretricii venerunt ad eum, quarum altera, quæ iniuriam pati videbatur, ſic eſt exorſa: Ego, Rex, & mulier hæc habitamus in eodem cubiculo. Accidit autem vt ambæ eadem die, eademque hora infantes maſculos pareremus: poſt triduum iſta iuxta cubantem ſuum infantem per ſomnum oppreſsit, & ſublato è meo gremio infante meo, mortuum illum dormienti mihi in ſinum impoſuit: illuceſcente die mammam præbere volens infanti: meum non inueni, ſed iſtius mortuum vidi, iuxta me iacentem; id quod certiſsimis iudiciis deprehendi: & quia repetens meum filium nihil profeci, ad tuum auxilium domine confugi: nam quia propter ſolitudinem nemo eſt qui coarguat, pertinaciter quod meum eſt abnegat.*

[h] l. 8. antiq. c. 2.

CXV. *Pergit Ioſephus.*

Tvm *Rex interrogat alteram, ecquid habeat quod accuſationi huius opponat. Illa negante ſe hoc feciſſe, & aſſeuerante ſuum eſſe ſuperſtitem infantem, alterius vero mortuum: nemineque inueniente quid decerni poſſet, ſed omnibus vt in re obſcuriſſima, caecutientibus, ſolus Rex tale quiddam excogitauit. Iuſſis afferri infantibus, tam viuo, quam mortuo, vocat quendam è ſatellitibus, imperatque vt ſtricto gladio puerum vtrumque ſecet in duas partes, quo vtraque d midium accipiat, tam viui, quam mortui. Hanc ſententiam totus populus facile damnabat vt puerilem: ſed interim cum vera mater exclamaſſet, non ita faciendum, ſed potius alteri addicendum infantem: ſibi enim ſat eſſe, ſi viuum videat, etiam ſi alienus exiſtimetur: altera vero parata eſſet ex alieno dolore crudelem voluptatem capere; animaduertens rex has poſtremas voces non fingi; ei quæ exclamauerat infantem adiudicauit, quod hæc reuera mater eſſet, alterius vero malitiam damnauit, quod & ſuum perdidiſſet, & amicæ infantem perdere conaretur. Iſtum hoc populo inſigne argumentum regiæ prudentiæ, ſimul & ſapientiæ, & ex illa die, non ſecus quam diuina mente prædito, obtemperabant.*

CXV. *Examinatur.*

Hic ſane vides adiectã ex ipſius rei natura probabiliter admodum matrum inter ſe rixam, & contentionem, antequam veniretur ad regem, illa tamen duo, vt alia diſſimulem, ferri non poſſunt. Quod ſcilicet ambas eadem die, eademq; hora peperiſſe dicat, cum in Scriptura legamus, *tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc*: Quo modo habetur in græcis, hebræiſque codicibus, ſed ipſe triduum tranſtulit ad oppreſſionem filij, quod Scriptura retulit ad partum. Alterum eſt quod tam viuum quam mortuum infantem ad ſe afferri iuſſiſſe regem ſcribit, & vtrumque in duas partes ſecari, cum textus ſacer, neque allatos iuſſu regis pueros dicat, quæ enim poſſidebat viuum, eum nequaquam ab ſe dimittebat, ſed ſecum habebat ſemper; neque vtrumque, ſed viuum tantum ſecari iuſſum: & quid opus erat ſecari mortuum, cum neutra matrum de illo contenderet, imo cum vtraque repudiaret, ſicut vtraque ſibi vindicabat viuum.

CXVI. *Nuptiæ cũ filia Pharaonis quãdo initæ.*

Seqvitvr iam vt de Salomonis cum filia Pharaonis nuptiis agamus, iuxta ea quæ ſuperius num. 27. diximus. Et ſi enim Torniellus eas nuptias in annum Salomonis 2. referat, imo & Pineda in Chronologia. Attamen rectius alibi [a] affirmare videtur, Salomonem non prius de ducenda vxore filia Pharaonis cogitaſſe, quam de comparanda ſapientia, cuius nuptias ambiebat; cum itaque hactenus de prioribus illis, ſanctioribuſque nuptiis actum ſit, ad poſteriores tranſeundum eſt. — a l. 3. c. 1. fin.

& cui fini.

De iis perpaucis agit Scriptura; [b] *confirmatum eſt*, inquit, *regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti*; idque pertinuit ad magis magiſque ſtabiliendum Salomonis imperium. Cum enim conſtitutum eſſet regnum eius in ſchiſmate ab Adonia excitato, confirmatum eſt regnum eius in vniuerſi populi comitiis, quando & ſecundo in regem inunctus eſt. Confirmatum eſt iterum ſublatis iis, qui nouis rebus ſtudentes, regnum labefactare poterant. Tertio confirmatum eſt Salomonis regnum, cum aduerſus externorum populorum molitiones, contracta cum potente Ægyptiorum principe affinitate, & ipſe potentior factus eſt, & ab externis auxiliis, ſi res ita ferret, paratior. Accepit itaque filiam eius, *& adduxit in ciuitatem David*, &c. quæ eadem habet Ioſephus, [c] circa eas autem fuſiſſime Pineda [d] de rebus Salomonis, philoſophatus eſt. Ego rem in pauca conferam, Eupolemus apud Euſebium, [e] literas profert Salomonis ad Vaphrem regem Ægypti, quem vocat amicum patrium, vnde etiam à Dauide conſiliatas haſce nuptias, non male Pineda ſuſpicatur. [f] Neque enim vllum cum Pharaone videtur interceſſiſſe Dauidi bellum; ipſis videlicet amicitia, ac fœdere ſtabilitis. Neque dubium quin parens, cætera quaſi teſtamento Salomoni facienda præſcribens, de nuptiis primo quoque tempore comparandis, & ineundis filium commonefecerit, vel illius pædagogum Nathanum, alioſque proceres. Dionyſius arbitratur Salomonem hanc duxiſſe vxorem propter commune totius populi bonum, quod tunc Ægypti rex potentiſſimus eſſet, atque adeo ex eius cognatione, & amicitia tum Hebræorũ pax. tum res omnes mirificũ incrementum capturæ viderentur.

b 3. Reg. 3. 3

c l. 8. c. 1. fin. d l. 5. c. 2. & ſeqq. & alib e l. 9. de præparat. c. vlt. f l. 5. c. 2. n. 3 ib. etiam 7. c. 4. n. 2.

CXVII. *Quis ille*

Qvod ad nomina tam ſoceri, quam ſponſæ attinet, ea Scriptura non prodi-

rex Ægypti.

dit. Suſpicio eſt ſocerum Ægypti regem Vaphrem appellatum fuiſſe, vt ex Eupolemo colligitur: Et ſi huius Vaphris Ægypti regis nulla eſt in Euſebij chronico mentio tempore Salomonis, ſed Dynaſtiæ Diopolitanorum, quæ à Samſone vſque ad Roboamum fere protenditur. Memoratur tamen quidam rex Ægypti Vaphres, qui idem videtur eſſe cum Aprye rege. apud Herodotum, & Diodorum Siculum: cui ſucceſſit Amaſis; vt in regno Cambyſis dicemus; ad quem Vaphrem, captis à Nabuchodonoſore Hieroſolymis, Iudæi aliquot ſeculis poſt transfugerunt. Nihilominus nihil videtur cauſæ, cur fidem Eupolemo derogemus, cuius autoritate ſuam ipſe tuetur Euſebius. In iſtis enim Diopolitanis dynaſtiæ vigeſimæ vltimus, aut penultimus vocatus fuerit Vaphres.

CXIIX. *An hæc affinitas illegitima.*

Fvisse porro minimè profanas haſce nuptias, tum ex eo intelligi poteſt, quod à Dauide conciliatæ ſunt, tum ex eo quod hoc ipſo loco, in quo de his nuptiis agitur [a] ſubditur: *Dilexit autem Dominum Salomon, ambulans in præceptis Dauid patris ſui*; tum maximè quod illis anguſtiſſimæ illæ filii Dei cum Eccleſia nuptiæ figurabantur. Quamuis autem nuptiæ cum mulieribus alienigenis prohibitæ paſſim in Scriptura legantur, id tamen Abulenſis, [b] & Pineda, [c] cum aliis, putant intelligendum de alienigenis, in ſua ſuperſtitione perſeuerantibus. Nam ad veri Dei cultum, & religionem conuerſas in matrimonium accipere licuiſſe plurima exempla docent. Nam Patriarcha Ioſeph filiam Putipharis Ægyptiam duxit vxorem. [d] Et Moyſes filiam Iethro Æthiopiſſam. [e] Et poſt legem latam Salmon accepit Raab Hiericuntinam, [f] Samſon Philiſthæam. [g] Booz quoque accepit Ruth Moabitidem, & Dauid filiam Tholmai regis Geſſur, & Salomon eo viuente Naama Ammonitidem. Vide Bellarmin. lib. primo de matrimonio, cap. 23.

a 3. Reg. 3. 3.
b l. 3. c. 3. qu. 14.
c l. 7. c. 4. n. 7.
d Gen. 41. 45
e Exod. 2. 21
f Matth. 1. 5
g Iud. 14. tom. 2.

CXIX. *Dos filiæ Salomonis.*

Dotis Reginæ fit mentio infra; [h] *Pharao*, inquit, *aſcendit & cepit Gazer*, [i] *ſuccenditque eam igni, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.* Ea ciuitas Leuitica fuit, in tribu Ephraim, vt habet Adrich. nu. 46. Quo autem tempore facta fuerit à Pharaone hæc expeditio nondum reperi. Cæterum hebraïcè, chald. [k] græcè ſignificatur eam ciuitatem dono datam filiæ Pharaonis: Dici poteſt dotem in vulgata dici, quia fuit in incrementum dotis. Abulenſis [l] autem exiſtimat Gazer non datam proprie in dotem ab Ægyptio filiæ ſuæ, ſed cum Salomon ſocero ſuo permiſiſſet eam capere, id ea lege permiſiſſe, vt dominium eius, non ad eius filiam deuolueretur, ſed in Salomonis, & poſterorum poteſtate remaneret; labor autem & ſumptus Ægyptii in eam expeditionem, Salomoni concederetur, in gratiam vxoris eius. Pineda quoque, [m] ait nomen dotis non eſſe accipiendum de vera dote, ſed de munere aliquo, & dono paterno, quod olim indotatæ potius acciperentur vxores, & viri ſponſas emerent præſtita parentibus dote. [n]

h 3. Reg. 9. 16.
i vide infra an Salom. 15 n. 16.
k vide Pin
l 5. c. 12. n. 4. vbi de Gazer.
l 3. Reg. c. 9. q 10.
m l. 5. c. 12. n. 5.
n vt patet ex Gen. 31. 15. Vide etiam Rib. Oſee 3.

CXX. *Tempus, ritusque nuptiarum.*

Has nuptias verno tempore fuiſſe celebratas putat Pineda; [o] colligitque ex 2. Cant. Ibi enim Salomon ſponſam ſuam alloquitur. *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra*, &c. quibus vernum tempus deſcribitur.

o ca. 4. n. 7. & ſeqq.

Nuptiale tempus nocturnum erat, hinc illud, *media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit.* Inde Cant. 3. legitur ſponſa egreſſa per noctem in occurſum ſponſi. Neque in tam læta nocte deſiderabantur faces & lumina, [p] cum neque deſiderarentur virgines ſponſæ comites, iuxta Pſal. 44. 15. *Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione.* Lumina porro adhibebantur, tum ad noctis tenebras illuminandas, tædis illis nuptialibus, tum ad coniugum mutuam charitatem ſignificandam. Quo pertinet illud, *lampades eius lampades igni, atque flammarum; aquæ multæ, non potuerunt extinguere charitatem.*

p Pined. l. 4 c 3. n. 3.

CXXI. *Occurſus ſponſi, & ſponſæ.*

Procedebat autem in curribus, & equis iuxta illud, [q] *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Vide etiam occurſum magnificum ſponſi, & ſponſæ in 1. Mach. [r] In ipſa porro nuptiarum nocte, & nuptiali die, ſertum nuptiale geſtauit Salomon: quod affirmat ſponſa ipſa. [ſ] *Egredimini*, inquit, *& videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis*

q Cant. 1. 8.
r c. 9. 37.
ſ Cant 3. 11.

illius, & in die lætitiæ cordis eius; vbi tres ſolemnes ritus notat Pined. Primo, coronæ; ſecundo, eius quæ coronam imponebat; tertio virguncularum concelebrantium lætitiam, & laudes ſponſi corona redimiti. Quæ fuſius perſequitur, ſicut & pallium, ſiue velamen nuptiale ſponſæ, cum omni mundo muliebri, muneribus, conuiuio;

Velamen, &c.

CXXII. *Epithalamium, quod eſt Pſal. 44.*

EPITHALAMIO, quod eſt Pſalm. 44. quem regius vates, vtriuſque Salomonis nuptias, figurantis ſcilicet & figurati præuidens, inſtigante ſpiritu ſancto elegantiſſimè cecinit. Eius initium eſt, *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi* [a]: cuius explanationem diligentiſſimam apud Pinedam leges. Certe Salomoni ſcriptum eſſe hoc canticum, ſiue hymnum, ipſe titulus eius docet. Inſcribitur enim *Canticum pro dilecto*, id eſt Salomone, qui altero nomine *dilectus Domini* dictus eſt. Vnde diuus Hieronymus in Eccleſiaſtem explicans tria nomina Salomonis inter alia ſic ſcribit. *Porro pacificus, & dilectus Domini, ab eo quod in regno eius pax fuerit, & eum Dominus dilexerit appellatus eſt. Nam & Pſalmi 44. & 71. dilecti & pacifici titulo prænotabantur; qui tametſi ad prophetiam Chriſti, & Eccleſiæ pertinentes felicitatem, & vires Salomonis excedunt, tamen ſecundum hiſtoriam ſuper Salomone conſcripti ſunt.* Cui conſentiens Ianſenius ait hunc pſal. ex communi Chriſtianorum, atque Hebræorum cõſenſu agere de Meſſia, etiamſi quibuſdam videatur exponendus de Salomone tanquam Chriſti typo, qui Iehedia, hoc eſt dilectus eſt appellatus. *Verum quoniam pleraque huius pſalmi*, inquit, *Salomoni congruere non poſſunt, vt quod is de quo fit mentio, Deus dicitur, & filij eius conſtituendi principes ſuper vniuerſam terram, de Meſſia exponendus eſt, & ſponſa eius Eccleſia, non quidem abſolutè, nec ſine vlla relatione; ſed prout Chriſtus per Salomonem, Eccleſia verò ex gentibus collecta, per filiam Pharaonis, inter multas Salomonis vxores præcipuam, & vnicè dilectam, præfigurata eſt, ſub qua figura etiam liber qui Cantica Canticorũ inſcribitur deſcriptus eſt* hæc ibi. Denique locus in quo celebratæ ſunt nuptię, & in quē regina introducta eſt, fuit regia domus, quam Dauid in arce, & Ciuitate ſua ædificarat, dum magnificentior ab ipſo Salomone, poſt ædificatum templum, excitaretur, vt ſignificatur in 3. Reg. 3. 1.

[a] l. 5. c. 4.

Locus nuptiarum.

CXXIII. *Diſtributio officiorum regiæ domus.*

Hoc ipſo primo à morte Dauidis anno, qui eſt Salomonis tertius, primaria domus regiæ officia, idoneis viris rex diſtribuit, iuxta, ea quæ 3. Reg. 4. traduntur. Id ſeries narrationis ſcripturæ exigit, quæ hanc officiorum diſtributionem, ſubiungit narrationi acquiſitæ ſapientiæ, cui Ioſephus conſentit, [b] & Abulenſis [c], & Pineda [d]. Ait enim ſtatim atque regnauit ſuper vniuerſum Iſraëlem, domus regiæ munera dignis viris attribuiſſe, & inter principes diſtribuiſſe. Verum id viuo Dauide factum non eſt, quia acquiſitio ſapientiæ Dauidis mortem ſecuta eſt.

[b] l. 8. c. 2
[c] q. 4 in c. 4. 3. Reg.
[d] l. 5. c. 15. num. 2.

Cur facta.

POSTEA vero nonnullis, ex ipſius Dauidis mandato, loco motis, nonnullis forte demortuis, aut etiam, pro acquiſita eximia ſapientia, non ſatis idoneis animaduerſis, magna in aliquibus præfecturis mutatio à Salomone facta eſt, vt patet ex collatione cap. 27. 1. Paral. cum c. 4. libri 3. Regum. Vbi ſic habet. *Erat autem rex Salomon regnans ſuper omnem Iſraël*, (a principio ſcilicet regni, non ſicut Dauid poſt annum ſeptimum) *& hi Principes quos habebat* (viri ſcilicet primarij, ſupremis honoribus in regia præditi, quos habebat rex, in regni adminiſtratione, in conſiliis, in comitatu, qui & regem inutili labore leuarent, & ipſi honore toti reipublicæ vtili afficerentur, *ſalus enim vbi multa conſilia*, vt ait ipſemet Salomon [e].

[e] Prou. 11. 14.

CXXIIII. *Azaria filii Sadoci quod eſſet officium.*

PRIMVS autem numeratur Azarias filius Sadoci ſacerdotis, Salomoni, propter ipſius patrem dilecti. Quo hic officio functus fuerit non ſatis apparet. Primum Dionyſius putat fuiſſe ſpecialē ſacerdotē, & quaſi capellanũ ipſius regis adorãdũ & ſacrificandũ pro eo: ideoq; legit *Sacerdos*, non Sacerdotis & Franc. Lucas ait in 8. Manuſcriptis legi *Sacerdos*, quomodo legunt etiã regia, & Aldina. & Lyran. ex hebræo hebræa tamen legunt, ſacerdotis, ſicut & Chaldæa paraphi, & vulgata editio latina, quomodo etiam legunt Pagninus, Vatabl. Caietanus. Secundo Abulenſis, & Caiet. putant Azariam duobus ſequentibus aggregari in officio regij Scribæ, cui ſententiæ ſatis fauet hebræus textus, & latinus: & ratio, ne cum cæteris omnibus ſuum tribuatur officium, hic primus ſine officio ponatur. Cumque iunior adhuc eſſet, (quippe filius hic pro nepote ſumitur, vt pa-

tet, ex 1. Paral. [a] & notauit Vatablus, Sa. & Pineda) conſentaneum eſt eum minori officio à principio occupatum fuiſſe, quod tamen ſacerdote minimè indignum eſſet. Cum ſcribarum munere, ſcientia recte legendi, & ſcribendi ſcripturas, cum literis tantum conſonantibus olim ſcriberentur, & per notas, & myſtica compendia literarum; tum etiam eaſdem ſcripturas intelligendi; & interpretandi contineretur. [b] Fauent etiam Septuag. Sixti emendata, quæ Azariam tantum nominant, neque ſacerdotem, neque ſacerdotis filium vocant. Vtraque ſententia probabilis eſt, poſterior tamen magis placet.

a 1. Par. 6. 8.
b Pined. l. 5. c. 13. n. 5. 6. & ſeqq.

CXXV. *Alia officia.*

Secvndo loco numerautur Elioreph, & Ahia, filij Siſa ſcribæ, de quorum officio iam dixi. Tertio Ioſaphat filius Ahilud à commentariis: Manſit hic idem Dauidi quoque à commentariis, [c] de quo officio diximus anno Dauidis 16. Manſit & Banaias in nuper ſuſcepta Principis militiæ dignitate, loco Ioabi, ab eodem regis iuſſu interfecti. Manſit & Sadoch in pōtificatu non tamē Abiathar, licet cum eo de more iungatur, quia etſi functione, & miniſterio ſacerdotij non fungeretur; quippe eiectus erat à Salomone, ne eſſet ſacerdos; nomen tamen, & dignitatem retinebat, ſicut ſolent Epiſcopi, qui epiſcopatu ceſſerunt, & Præſides, qui officium alteri tradiderunt, quæ eſt etiam Pinedæ ſententia. [d] De gemino autem ſummo ſacerdote Dauidis tempore, quod ex diſpenſatione Dei factum Abulenſis & Pineda exiſtimant, iam non ſemel dictum eſt, & improbatum. Caiet. & alij putant eum depoſitum à Pontificatu, ex gratia obtinuiſſe miniſterium ſimplicis ſacerdotis, iuxta prophetiam denunciatam Heli. [e]

c 2. Reg. 8. 16.
d l. 5. c. 13. n. 16. fi.
e 1. R. 2. 36

CXXVI. *Quod Azaria filij Nathan.*

Seqvitvr Azarias filius Nathan, quem Biblia Græca Sixti vocant Ὀρνίας, Cætera vero Græca, Hebr. Chald. Lat. vocant Azariam, qui dicitur præfuiſſe iis, *qui aſſiſtebant regi*, id eſt miniſtris regiis, non qui diſperſi erant, per varias, in toto regno præfecturas, vt quidam exiſtimant: nam aſſiſtere, præſentiam aliquam videtur exigere; ſed qui ei aderant à conſiliis, de quibus, ſermo videtur eſſe 3. Reg. 12. *Cum abiiſſet populus, iniit conſilium Rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret.* Quales erant & illi ſapientes qui ex more regio ſemper regi aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio ſcientes leges, ac iura maiorum.

1. Eſther. 13.

CXXVII. *Et quis hic Nathan.*

Qvis autem fuerit iſte Nathan, an ille idem qui ſtatim vocatur Pater Zabud, an alius; & ſi idem, an propheta ille nobiliſſimus, an vero frater Salomonis, qui tertio loco inter filios Bethſabee numeratur; tradunt Abulenſis, & Caiet. Azariam fuiſſe filium prophetæ Nathan, & vna cum Salomone ab eo inſtitutum: vnde contracta fuerit ſingularis amicitia. Prophetæ filium Dionyſ. & Lyran. affirmant. Et certe alterius Nathan filij iuniores viderentur: niſi dicamus etiam tunc principum filiis licet pueris, conferri ſolitas dignitates, quæ eorum nomine, ab aliis idoneis viris adminiſtrarentur. Quod ad Zabud attinet, qui amicus regis dicitur, Græcæ ἑταῖρος aſſentior Vatablo, qui putat non certum eo nomine officium intelligi, vt aliqui volunt; ſed notari peculiarem regis in eum beneuolentiam; & ſane greci ἑταῖρος τοῦ βασιλέως vocant, quos vulgò dicimus *mignons des Roys*, vt alibi quoque diximus. Hanc autem ſingularem amicitiam, propter proximum regiæ ſtirpis vinculum, & puerilem, quam diximus, inſtitutionem, morum vel ſuauitas, vel ſimilitudo conſiliare potuit. Nec ſacerdos dicitur quod ad Aaronis familiam, aut tribum leuiticam pertineret, ſed quo modo filij Dauidis dicuntur ſacerdotes [f] id eſt primarij in aula regis. Quomodo etiam Sà explicat.

Zabud.

f 2. Re. 8. fi

CXXVIII. *Ahiſar.*

Dicitvr deinceps Ahizar præpoſitus domus, Gallicè ait Vatabl. *Le preuoſt de l'Hoſtel*, & quidem ad verbum, vel potius, *le grand maiſtre:* qui ſcilicet regis familiam regis nomine moderatur: quem Septuaginta œconomum vocant. Interpres autem Vatabli vertit, præfectum prætorio. Non recte, cum præfectus prætorio fuerit præpoſitus cuſtodiæ regiæ militari, quod erat munus Banaiæ Dauidis tempore. Præfuit potius iſte præpoſitus duodecim illis præfectis, de quibus mox dicetur, vt placet Pinedæ. [g] Quod autem dicitur Adoniram præfectus tributis exigendis; minus late patet ea præfectura, quam officium eius, quem vulgo dicimus, *General des Finances*. Nam regij reditus non à ſolis tribu

g l. 5. c. 13. n. 21.

tis proueniunt. Huic porro Adoniram inferius alia quædam præfectura aſſignatur.[a]

CXXIX. *Annona quotidiana Salomonis. Chorus. Ephi. Satum.*

Præter hos habuit etiam Salomon duodecim præfectos, qui præbebant annonam Regi, & domui eius, ſinguli menſibus ſingulis: quæ annona diſtinctè infra ponitur. *Erat*, inquit, *cibus Salomonis, per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium*, hæc ibi. Cum autem corus 10. ephi,[b] ſiue 30. ſata, quæ & modij dicuntur,[c] contineat, vt ſcribit Villalp.[d] ex communi Hebræorum ſententia, & ſingula ſata ſingulis hominibus abundè ſufficiant, vt colligitur ex Geneſ. 18.[e] vbi iubet Abraham commiſceri tria ſata ſimilæ, & fieri panes, quos hoſpitibus tribus apponeret; ſequitur panem, qui quotidie dabatur ad annonam Salomonis, duobus hominũ millibus & ſeptingentis ſuffeciſſe, non ſeptuaginta hominum millibus, vt putat Sethus Caluiſius ſectarius.[f]

Panis quot hominibus ſufficeret.

a c. 5. 14. v. 22. b Ezech. 45. 11. c Ruth 2. 17 d t. 3. p. 2. l. 3 c. 10. e ver. 6. f a. m. 2932

CXXX. *Refellitur Caluiſius.*

Nam & abſurdum eſt Salomonem tot hominum millia quotidie pacis tempore nutriuiſſe. Caro etiam pani proportione reſpondens, facile id commentum refellit: Nam ne quingenti quidem boues, nedum triginta, neque mille arietes, nedum centum, neque deni quotidie cerui, capreæ, bubali, ſeptuaginta hominum millibus ſufficerent. Adde quod falſo nititur fundamento cum coro tribuit octingentas libras, ſine vlla probatione: cum ex Scriptura docuerimus non continere fere niſi triginta, ſiquidem libra panis cum reliquo obſonio, quotidiano victui vnius hominis ſufficiat. Errat denique cum ex proprio iudicio ſimilam conuertit in triticum, & farinam in ſiliginem; neque enim ei vllus Scripturæ textus fauet, & Ioſephus Scripturæ hoc loco plane conſentit; neque enim ſimila ſolum triticea eſt, ſed etiam farina quam Septuag. & Ioſephus vocãt ἄλευρον, quæ propriè farina eſt triticea vt ἄλφιτον hordeacea.

CXXXI. *Et Ioſephus*

Præfecti porro 12. quos diximus recenſentur v. 8. & deinceps cum præfecturis ſuis; in quibus duo generi Salomonis numerantur per occupationem. Neq; enim ſi iam habuit filias, nubiles adhuc eſſe potuerunt, ex qua deſcriptione corrigendus Ioſeph. qui nouem tantum præfectos poſuit, & eis regiones pro arbitratu ſuo aſſignauit, longe aliter quam Scriptura: quos etiam diuerſis admodum nominibus appellauit. Corrigendus quoque, quod cum his quos diximus annonæ præfectis Scriptura dicat curam ciborum Salomonis impoſitam, ipſe neſcio quibus Syris, aliiſque Barbaris Euphratem inter & Ægyptum habitãtibus, id oneris imponat: deceptus fortaſſe ex eo quod Scriptura, enumerata quotidiana Salomonis annona, dicat. *Ipſe enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, à Thaphſa vſque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum, & habebat pacem ex omni parte in circuitu.* Quibus tamen verbis ſolum ſignificatur, in illis omnibus regionibus venationem colligi ſolitam, & armenta, gregeſque nutriri, quod ſignificat etiam Pined.[g] Et flumen non Euphratem ſignificat, ſed Iordanem, nihil enim poſſedit Salomon trans Euphratem. g l. 5. c. 8. n. 5.

CXXXII *Termini regni Salomonis.*

Qvod autem ait Scriptura, à Thaphſa vſque ad Gazam, videtur latitudinem regni Salomonis ab oriente ad occidentem dimetiri. Quod ſatis monet D. Hierony. de locis heb. cum vocat Thaphſa terminum regni Salomonis, ad hunc vtique locum alludens. Clariſſimum enim eſt Gazam ad oram maris occidui ſitam fuiſſe; ex quo de Thaphſa conicimus, eã trans fluuium ad orientem collocatam quamuis Abulenſis Thaphſam ad Septentrionem, Gazam ad meridiem regionis Iudæorum ponat; cum tamen conſtet Gazam, ſicut & reliquas Philiſtæorum ſatrapias, in ora fuiſſe occidui maris. Id ſi verum eſt, aliam hanc fuiſſe Thaphſam neceſſe eſt, ab ea, quæ à Manahem[h] capta eſt; quæ non longe à Therſa, & Samaria cis Iordanem, in tribu Ephraim ſita erat. h 4. R. 15. 16.

CXXXIII. *Templi materia paratur.*

Interea templi materies magna animi cõtentione parabatur, vt primo quoque tempore fundamenta iacerentur, quod proximo anno contigit: quæ tantæ molis, tamque operoſa fuerunt, vt ſuo loco docebimus, vt immerito à quibuſdam, excuſationes tarditatis quæri videantur. Itaque cum hoc primo à morte Dauidis anno vicini reges legatos, honoris & amicitiæ cauſa, ad Salomonem miſiſſent, feræ enim gratulationes frigidiores ſunt: ad eos ipſe viciſſim ſcripſit vt

auxilia tam operariorum, quam materiarum ab eis in templi ædificationem acciperet. Non dubium tamen quin proſelyti, & Iſraëlitæ, interim, tam hoc quam ſuperioribus annis in parandis lignis, lapidibuſque laborarint, etiam viuo, & iubente Dauide; hac enim de re neque Dauidis in Deum pietas, nec Salomonis in parentem obſeruantia dubitare permittit. Id ex Sulpitio Seuero ſatis conſtat qui narrato Salomonis iudicio circa duarum mulierum infantem, ſubdit, *Ita in admirationem ingenij, prudentiaque eius reges vicinarum gentium, amicitiam ab eo fœduſque petiere, parati imperata facere.*

a 3. Reg. 5. De Hiramo rege Tyri id ſcriptura [a] teſtatur. *Miſit quoque*, inquit, *Hiram rex Tyri ſeruos ſuos ad Salomonem: audiuit enim quod ipſum regem vnxiſſent pro patre eius, quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore.* Hoſce autem Tyrios legatos ad Salomonem miſſos, mortuo iam Dauide, tum hæc ipſa verba aperte docent: non enim de viuo diceratur, *amicus fuerat*, ſed diligebat, tum ex Eupolemo apud Euſeb. [b] colligimus, vbi ait, mortuo Dauide, & regnante Salomone ſcriptas ab eo epiſtolas ad Vaphrem regem Aegypti, quæ eiuſdem ſunt argumenti, cum iis quas ad Hiramum hoc loco [c] legimus. Idemque ex epiſtola Salomonis, quam mox ſubiiciemus, intelligi poteſt. CXXXIIII Hirami cũ Salomone amicitia, & legatio gratulatoria.

b l. 9 c. vlt.

c c. 5. l 3. reg

Hac Tyriorum legatorum occaſione, ſcripſit Salomon ad Hiram per eoſdem nuncios, vt ait Ioſephus in hæc verba. *Tu ſcis voluntatem Dauid patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui, propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum, & non eſt Sathan, neque occurſus malus*, id eſt nullum habeo aduerſarium, neque qui mihi hoſtiliter occurrat. *Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, ſicut loquutus eſt Dominus Dauid patri meo, dicens, filius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo.* Ponit hic primo Salomon cauſam non ædificati à Dauide templi; cauſam item eiuſdem ædificij à ſe ſuſcepti. de quibus ſupra ſatis diſputatum eſt. CXXXV. Salomonis ad eum epiſtola.

Deinceps autem quam ſibi operam ab eo nauari velit, exponit in hunc modum, *Præcipe igitur, vt præcidant mihi ſerui tui cedros de Libano, & ſerui mei ſint cum ſeruis tuis mercedem autem ſeruorum tuorum dabo tibi, quamcumque petieris, ſcis enim quomodo non eſt in populo meo vir, qui nouerit ligna cadere, ſicut Sidonij.* Non negat Salomõ ſimpliciter ſe habere in populo ſuo, qui norint ligna cædere: ſed in ea re peritiam maiorem Tyriis attribuit. Vnde 2. Par. 28. *Sed & ligna*, inquit, *cedrina mitte mihi, & arceuthina*, id eſt, iuniperina, ſiue ex iunipero, *& pinea de Libano. Scio enim quod ſerui tui nouerint cædere ligna de Libano, & erunt ſerui mei cum ſeruis tuis, vt parentur mihi ligna plurima.* Sciebat autem illorum peritiam non tantum ex fama, & experientia aliorum, ſed etiam propria. Vnde in initio epiſtolæ dicebat, *ſicut egiſti cum Dauid patre meo, & miſiſti ei ligna cedrina, vt ædificaret ſibi domum, in qua & habitauit, ſic fac mecum*, &c. iis conſentit Ioſephus [d]. *Quamobrem rogo*, inquit, *vt aliquos vna cum meis mittas in montem Libanum ad materiam cædendam; quandoquidem hanc artem Sidonij melius callent, quam noſtrates.* Quid eſt autem quod Salomon ligna plurima etiam nunc requirat ad ædificandum templum, cum Dauid profeſſus eſſet Salomoni, ſe ligna, & lapides præparaſſe ad vniuerſa impendia [e]? Et paulo ante, *ligna quoque cedrina non poterant æſtimari; quæ Sidonij, & Tyrij deportauerant ad Dauid.* An Salomon putauit ea ligna non ſufficere? An vero eadem opera domui ſuæ materiam præparare voluit, licet ſolius domus Domini meminerit? ita non immerito viſum Abul. [f] & clare habetur [g] in 2. Paral. CXXXVI. Quid ab Hiramo requirat.

d l. 8 c. 2.

e 1 Paral. 22 14.

f 3. Reg. c. 5 q. 5.

g c. 2. 1. 11.

Accepta Hiram Salomonis epiſtola, *lætatus eſt valde*, inquit Scriptura, *& ait Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.* Hoc vſus exordio ſubdit, *Audiui quæcunque mandaſti mihi: Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis, ſerui mei deponẽt ea de Libano ad mare, & ego componam ea in ratibus, in mari*, ſiue in rates, ipſa enim colligata per ſe fluctuare poterant, & à nautis dirigi, & ſi aliter viſum Abul. pergit. *Vſque ad locum quem ſignificaueris mihi, & applicabo ea ibi, & tu tolles ea, præbebiſque neceſſaria mihi, vt detur cibus domui meæ.* Locus deſtinatus fuit portus Ioppe. [h] Inde autem ad Ieruſalem, aliqui 9. alij duodecim, in quibus Adrichom. horarum iter conſtituunt. CXXXVII Reſponſio Hirami.

h 2. Paral. 2. 16.

CXXXVII. *Literæ Salomonis ad Vaphrem.*

Literæ vero quas diximus, Salomonis, ad Ægypti regem Vaphrem, ex noua & fideli interpretatione ſic habent.

Salomon Rex Vaphræ Ægypti Regi amico paterno ſalutem.

Noveris *me ſummi numinis beneficio regnum à Dauide patre accepiſſe, à quo templum Deo cæli, terrarumque molitori ædificare iuſſus fuerim, ſimulque abs te per literas petere, vt ad me ex regni tui hominibus, fabriſque mittas, qui ſuam mihi operam nauent, donec, vti par eſt, cuncta prout iuſſus, ego ſum, accurate perfecero.* His literis ſic reſpondit Vaphres.

Vaphres Rex Salomoni Regi magno ſalutem.

Reſponſio Vaphris.

Regis magni titulum diligenter expendit Pineda [a] noſter, indeque non leue magnificentiæ, & gloriæ Salomonis argumentum colligit. Eum titulum, breuitati videlicet conſulens Trapezuntius, vt alia pleraque prætermiſit. Epiſtola porro ipſa eſt huiuſmodi. *Literas tuas ſimulatque perlegi, cum ingentem animo cepi lætitiam, tum genialem cum vniuerſo exercitu, populoque meo diem egi, quod à viro optimo, tantoque numini probatiſſimo regnum acceperis. Quod autem a nobis homines, fabroſque poſtulas, eorum octoginta millia, ad te miſi, quorum etiam natale tibi ſolum indicare iuuat.* Inde numerantur præfecturæ cum priuatis numeris, qui collecti totam ſummam non adæquant. Itaque ſic legendum ſuppleta particula ἀνὰ, *ex Sethrithide præfectura decem millia; ex Mendeſia, & Sebennitide, vicena millia.* Ex *Buſiritide, Leontopolitide, & Bathritide dena millia numerantur. Supereſt vt iis quæcumque opus fuerint aliunde ſuppeditari cures, partim nequid inter eos turbarum excitetur, partim vt ædificatione perfecta, ſalui ad ſuos, incolumeſque reuertantur.* a l. 5. c. 1.

CXXXVIII. *Literæ Salomonis ex Eupolemo.*

Seqvvntvr ibidem apud Euſeb. mutuæ literæ Salomonis & Hirami, quas viſum eſt deſcribere. Habent enim aliqua diuerſa à Scriptura, tam in titulo, quam in ipſa epiſtola. Nam quem ſacer hiſtoricus vocat Hiram, ſiue Hiramum, Hebræi, modo Chiram, [b] modo Churam, [c] quod notat Hieronym. [d] Ioſephus Εἱρῶμον & Septuag. Χιράμ. Eupolemus Suronem vocat. Vehemens enim aſpiratio aliquando in Σ migrat, vt ὗς ſus, ἕξ ſex, ἑπτὰ ſeptem, ἕρπω ſerpo, ὕλη ſylua, ἡμι ſemi, ἅλς ſal, ἑ ſui, ἱ ſe, &c. & regem non Tyri ſolum, ſed Sidonis etiam, & Phœnicis appellat. Titulus enim ſic habet. b 3. Reg 5. c 2. Par. 2. d in c. 7. 3. R

Rex Salomon Suroni Regi Tyri & Sidonis, & Phœnicis amico patrio ſalutem.

Epistola vero priori ſimillima hoc modo. *Scito accepiſſe me regnum à patre Dauide Dei maximi beneficio, qui etiam præcepit vt templũ Deo, qui cælum & terram condidit, ædificarem; ſimul etiam vt ad te ſcriberem, quo de tuis populis ad me mitteres, qui mihi adſint, donec opus Dei perficiatur, vt mihi imperatum eſt.* Ex 2. Paral. [e] conſtat, vt ante ſignificaui, non ſolum Salomonem voluiſſe templum Deo ædificare, ſed etiam palatium ſibi, cuius nec in lib. Reg. nec apud Eupolemum mentio eſt. e c. 2. v. 1. & 12.

CXXXIX. *Reliqua Epiſtola.*

Addvntvr in Græco ſequentia. *Scripſi autem & in Galilæam, & Samaritidem, Moabitidem, & Ammonitidem.* Moabitæ ergo, & Ammonitæ Salomoni tributa pendebant, *& Galaaditidem, vt eis ex regione neceſſaria ſuppeditent in ſingulos menſes tritici choros decies mille; corus autem eſt artabarũ ſex, & vini coros decies mille (continet autẽ vini corus μέτρα, ſiue menſuras decem) Oleum vero, & alia, ipſis ex Iudæa ſuppeditentur. Victimæ autem in eſum carnium ex Arabia.* Hæc ibi. Verum Eupolemus ex ſcriptura vel interpretandus, vel corrigendus eſt: quæ adiecit hordeum, & tritici coros geminauit olei etiam numerum definiuit, ſed viciſſim carnes omiſit. Sic autem habet. *Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.* Sed hæc plenius habentur [f] in 2. Para. *præterea operariis, qui cæſuri ſunt ligna, ſeruis tuis, dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque ſata viginti millia.* f 2. Par. 2. 10

Reſponſio vero Hirami, ſiue Suronis apud eundem eſt huiuſmodi.

Suron Salomoni Regi magno ſalutem.

BENEDICTVS *Deus terræ ac cæli conditor, qui virum optimum, ac parentis optimi filium elegerit. Literas tuas ſimul atque perlegi ſummam animo voluptatem cepi, Deoque gratias egi, quod regnum capeſſiſſes. Quod autem à nobis homines, operaſque poſcis, Tyriorum, ac Phœnicum octoginta millia ad te miſi, atque inter cæteros Architectum patria quidem Tyrium, ſed matre Iudæa natum, eadem ex Dauidis tribu, qui tibi quæcumque ex eo quæſieris quæ cœli huius ambitu continentur, ſi modo ad Architecturam pertinebunt, ea cum ſcienter ediſceret omnia, tum etiam facile perficies. Quod superest partium tuarum erit ad locorum præfectos ſcribere vti huic tantæ hominum multitudini, quæcunque neceſſaria fuerint, diligenter abundéque prouideant.* Hæc ibi. CXL. *Reſponſio Hirami.*

a 3 R. 7.13. CÆTERVM hic architectus celebratur infra. [a] *Miſitque Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro: filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum ſapientia, & intelligentia, & doctrina, ad faciendũ omne opus ex ære.* Hæc plenius habẽtur in 2. Par. ſed cũ aliqua diuerſitate. [b] Nam hunc architectum vocat Rex patrẽ ſuum, ætate ſcilicet ac beneuolentia; aitque fuiſſe filium mulieris de filiabus Dan, quia ſcilicet ciuitas Dan erat in tribu Nephtali, ad Iordani fontes, vt videbis in tabula tribus Nephtalim apud Adrichom. [c] CXLI. *Hiram architectus inſignis,*

b 2. Paral. ca. 2. 13.

c & nu. 37.

d in trad. in 3. Reg. fine. SCIENDVM, ait Hieron. [d] *quod de tribu Nephtalim, pater eius fuerit, quo mortuo vxor eius, quæ hic mulier vidua ſcribitur, eundem Hiram in Tyrum miſiſſe docendi* forte diſcendi *gratia dicatur, & eo quod doctus in Tyro fuit, pater eius Tyrius vocatur. Idcirco patre Tyrio fuiſſe dicitur, cum vtique pater eius de tribu Nephtalim fuerit.* Vult ergo hæc Hebræorum traditio, Hirami patrem dici Tyrium, quia Hiram magiſtrum habuit Tyrium; reuera autem patrem eius fuiſſe Hebręum de tribu Nephtalim. Matrem autem de tribu Dan, de genere Salomith ſororis Ooliab. Abul. [e] Ait Hiram, qui à patre fuit Tyrius, ratione matris ad duas tribus potuiſſe pertinere: quod ipſa habuiſſet patrem de tribu Nephtalim, & matrem de tribu Dan. Lyranus & Caietanus, putant matrem eius fuiſſe de tribu Dan: patrem autem oriundum de tribu Nephtalim, ſed natum vel educatum Tyri. Quibus conſentit [f] Torniellus. Verum nobiſcum ſentit Emanuel Sa. Et confirmatur hæc ſententia, quod hæc vidua non dicatur de tribu Dan, ſed de filiabus Dan: quaſi oppidum indicare voluerit Scriptura, non tribuum. Quin nec oriundus erat ex tribu Iuda, vt ſcripſit Eupolemus; veritati etiam fauet loci vicinitatis; nam tribus Nephtali non multum à Tyro diſtat, a tribu autem Iuda longiſſime. CXLII. *Genus eius.*

e q. 7. in c. 7. 3. Reg.

f a m. 3010. n. 17.

g c. 2. 14. QVOD autem tertij regum ſeptimo æris tantum fit mentio, ita forte ſcriptum eſt, quia frequentius, aut à principio ærea tantum opera faciebat: in ſecundo autem Paral. [g] eius ſcientia latius multo extenditur, ſupplendo quæ ibi omiſſa fuerant. Dicitur enim nouiſſe *operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque & hyacintho, & byſſo, & coccino; & cælare omnem ſculpturam, & adinuenire prudenter quodcumque in opere neceſſarium eſt.* Vt alterum Bezeleelem dicere poſſis, qui repletus fuerat *ſpiritu Dei, ſapientia & intelligentia, & ſcientia in omni opere,* & quod ad excellentiam perfecti artificis pertinet, *ad excogitandum quid fabre fieri poteſt ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuerſitate lignorum.* CXLIII. *Et multiplex induſtria.*

h 2. Par. 2. 17. NVMERVS porro perſonarum, quæ tam lignis, quam lapidibus, aliaque materia præparanda occupatæ erant à ſcriptura in hæc verba deſcribitur. [h] *Numerauit igitur Salomon omnes viros proſelytos, qui erant in terra Iſraël, poſt dinumerationem, quam dinumerauit Dauid pater eius, & inuenti ſunt 150. millia, & tria millia ſexcenti; fecitque ex eis 70. millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent; tria autem millia ſexcentos, præpoſitos operum populi.* Verum in tertio Reg. [i] ponuntur tria millia præpoſitorum & trecenti, quia in Paral. adduntur, qui præfectis præerant; vt ex Hebræis aiunt Vatabl. Sa. in Paral. Caiet. & Dionyſius in 3. Reg. Cæterum nomine onera portantium, vel baiulorum, etiam vectores, & nautæ, & aurigæ, aliique id genus comprehenduntur, quemadmodum & nomine cæſorum, & latomorum, qui ligna quoque cędebant; ſed quia maxima pars operarum lapides cædebant, vel humeris onera portabant, ideo illi nominatim poſiti ſunt. CXLIV. *Numerus operariorũ.*

i 3. Re 5. 16.

xitvs b Ægypto ann. 79.

CXLV. ...oncil. ātur ...o ſcripturæ loca.

Operarii templi.

Alia etiam ex eodem loco exiſtit dubitatio. [a] Nam in dicto Regum libro ad prædictum numerum triginta millia adduntur. *Elegit*, inquit, *Rex Salomon operarios de omni Iſraël, & erat indictio triginta millia virorum: mittebatque eos in libanum, decem millia per menſes ſingulos viciſsim; ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis.* Additque mox ſeptuaginta millia baiulorum, & octoginta millia latomorum. Sicut in Paral. Ioſephus, [b] & Abulenſis ſeparant illa 30. millia, à 150. millibus; & illos quidem faciunt Iſraëlitas, hos autem inquilinos παροίκους. Septuag. cum vulgata vocant proſelytos; hebræi peregrinos. Idem ſentit etiam Lyran. idemque ſentiendum videtur; & aperte à ſcriptura officiis diſtinguntur. Nam illa triginta millia, tantum in Libano laborabant, reliqui etiam alibi, illi quater in anno erant in opere, iſti toto anno: illi ligna tantum cædebant, iſti portabant, & lapides cædebant. Denique illi electi ex Iſraël, & Iſraëlitæ erant, iſti aduenæ & proſelyti.

a 3. Re. 5. 13

b l. 8. c. 2.

CXLVI. An Ægyptij quoque templo nauarint operam.

Alia quoque occurrit dubitatio. Nam ſi ex Aegypto Vaphres miſit ad Salomonem octoginta millia, Suron autem ex Tyro & Phœnice totidem, non 150. ſed 160. millia inueniuntur & ſi recens miſſi ſunt ad Salomonē, vt ſignificat Eupolemus, quomodo dicũtur fuiſſe *in terra Iſrael poſt dinumerationē Dauidis*. Et ſi proſelyti erãt habitãtes in terra Iſraël quomodo dicũtur remittẽdi in prouincias ſuas. Ad primã dubitãdi rationē facilis eſt reſpõſio, dici enim poteſt miſſa à Dominis ſuis 160 millia, ſed ex eo numero ad 10. millia fuiſſe dilapſa, vt fere ſit. Propter ſecũdã autem, & tertiã rationē fateor mihi videri ſupectas circa hoc caput illas literas; cũ illius nulla fiat in ſcriptura, aut Ioſepho mẽtio. Nam abſurdum eſt hęc 160. millia operariorum, addere illis 183. millibus & ſexcentis, quos ſcriptura memorat; Abſurdum item videtur illa 80. millia Aegyptiorum, & totidem Tyriorum, ac Phœnicum fuiſſe proſelytos; & hoc ipſo quod ad Salomonem mitterentur ritus patrios repudiaſſe, & ad Hebræorum religionem tranſiſſe; cum tamen conſtet ex ſcriptura vulgata cui 70. regia, Sixti, & Aldi conſentiunt, fuiſſe proſelytos, atque adeo ab ipſo Dauide numeratos, illos qui operam ſuam in templo ædificando poſuerunt.

CXLVII. Quid de Phœnicibus.

Nec tamen negari poteſt non paucos Tyrios, atque Sidonios, & omnino Phœnices, Hyrami ſubditos, famuloſque dediſſe operam Salomōni ad præcidendos cedros de Libano. Id enim perſpicuè habetur in 3. Reg. [c] & cæmentarios ad dolandos lapides. At, inquies, niſi maximus fuit Tyriorum numerus, quid opus fuit tantum tritici, hordei, vini, olei numerum, eorum victui a Salomone aſſignari. Reſpondeo eam annonam non ſolis operariis deſtinatam fuiſſe, ſed toti regiæ domui; vnde dicebat Hiram, [d] *præbebiſque neceſſaria mihi, vt detur cibus domui meæ*: & iterum verſ. 11. *Salomon autem præbebat Hiram coros tritici 20 millia, in cibum domus eius*, non in breue aliquod tempus, ſed in annos plurimos, quæ ille, ſi luberet, diſtraheret, & pecuniam conficeret; quam Salomon in alios ſumptus reſeruabat.

c 3. Reg. 5. 6 9 v. 18.

d 3. Reg 5 9

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 3.

1.N.XXXVII. GRatioſa planè humilitas apud Deum, quæ apud homines nihil poteſt, ſed contempta iacet & conculcatur, potentiæ autem, diuitiis, nobilitati omnia tribuuntur; manifeſto humanæ infirmitatis, paupertatis, & vilitatis argumento; quippe qui requirant quibus niti poſſint, à quibus paria, aut potius maiora officia expectent, vt magni & potentes euadant. At Deus optimus maximus, qui nulla poteſt acceſſione vllam in partem creſcere, pauperibus, & humilibus dare delectatur, qui largitorem agnoſcant, & deprædicent: quod rarum eſt potentibus huius ſeculi, qui ab alio accepiſſe mortis inſtar putant; nec in quemquã mortalium magis ingrati ſunt, quam in ipſum Deum. Et quis erat ille philoſophus, qui mercedem traditæ demonſtrationis cuiuſdam, nolebat aliam à diſcipulo accipere, quam vt ille ingenue fateretur, à quo eam ipſe didiciſſet? Sed omiſſo hoc philoſopho ad philoſophum noſtrum verum ſapientiæ amatorem, Salomonem redeamus.

2.N LXXII. Vide Hieronymum in trad. 3. Reg. 4. vbi hos viros allegoricè à Iudæis explicatos reperies, refutationem autem apud Abul. ibid. eſt enim tota res frigida, atque inepta.

3.N. LXXVI. Pergit de ſingulis dicere mox autem, *Hos aiunt Planetas*, inquit, *plurimum in generatione conferre ad vel bona vel mala conſequenda, perque eorum naturam, atque aſpectum maxime cognoſci, quæ ſint hominibus euentura. Multa quoque prædixere tum aliis, tum etiam regibus, præſertim Alexandro, cum eſſet cum Dario pugnaturus: poſtmodum Antigono, Nicanori, Seleuco. Prædicunt etiã idiotis futura ita euidenter, vt mirum, & vltra hominum ingenia eſſe putetur.* Denique ita concludit, *hoc autem concedunt omnes, Chaldæos aſtrologia vltra cæteros, cum diutius in ea verſati ſint, eſſe peritos. Numerũ annorũ quibus ſe huiuſmodi aſtrorũ doctrinæ vacaſſe affirmant, haud facile quis crediderit. Nam quadraginta tria annorum millia annumerãt, vſque ad Alexandri aſcenſum, ex quo aſtrorum obſeruationes ab ſe cœptas dicunt.* Hæc Diodorus. Liberalius etiam de tot annorum millibus mentiuntur apud Cicer. 1. de diuin. *Contemnamus*, inquit, *Babylonios, & eos qui è Caucaſo cœli ſigna ſeruantes, numeris, & motibus ſtellarum curſus perſequuntur: condemnemus, inquam hos aut ſtultitiæ, aut vanitatis, aut impudentiæ, qui quadringenta & ſeptuaginta millia annorum, vt ipſi dicunt, monimentis comprehenſa continent, & mentiri iudicemus.*

4 N.LXXVII. Perſarum magos, fuiſſe chaldæos philoſophos trad. D. Hieron. in c. 11. Daniel, & ad artis eorum ſcientiam, reges & Principes eiuſdem gentis omnia facere. Ammianus Marcellinus lib. 23. ait ſcientiæ magiæ, ſeculis priſcis multa ex Chaldæorũ arcanis Bactrianũ Zoroaſtum addidiſſe; deinde Hyſtaſpem prudentiſſimum Darii patrem, *qui cum poſterioris Indiæ ſecreta*, inquit, *fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cuius tranquillis ſilentiis præcelſa Brachmanum ingenia potiuntur, eorumque monitu rationes mundani motus, & ſyderum, puroſque ſacrorum ritus, quantũ colligere potuit eruditus, ex iis quæ didicit aliqua ſenſibus magorum infudit.* vide que de Zoroaſt. tom. 1. an. 1694. 10. & 2044. diximus.

5.N. LXXXVII. Græca ſi quis ea requirat, ſic habent. τὰς δὲ βίβλους τὰς συνηγμένας, τὰς περὶ τῶν [illegible], καὶ ἰδίων ἐν αἷς περὶ φυτῶν, καὶ παντοίων ζώων, φυσιολογίας χρονίων [illegible]. καὶ ἰαμάτων πάθους παντὸς, [illegible] αὐτοὺς, ἀφανεῖς [illegible] ἐξ [illegible], διὰ τὸ τὰς [illegible] τῶν ἐν σώματι [illegible] κομίζεσθαι τοῖς λαοῖς, καὶ [illegible], καὶ παρὰ [illegible] ταῖς ἰάσεσι.

6.N. CXIII. Verum vt ab hac hiſtoria abeamus, illud cum Pineda noſtro annotare libet, neſcio quid ominis, in hoc primo meretricum iudicio, ineſſe videri; aut potius certi prognoſtici fore vt Salomonis ſapientia meretricio, & mulieroſitate tentaretur, atq. obſcuraretur. Tum præterea eiuſmodi carnis & turpis voluptatis tentationibus obnoxios fieri, qui de ſapientia inſoleſcunt. Id ne Apoſtolo Paulo contingeret, datus eſt illi ſtimulus carnis, qui eum collaphizaret.

6.N. CXXIII. Nec probabiliora attulit Pineda lib. 5. c. 13. n. 4. cum ait per anticipationem ſtatim ante alios principes, huius fieri mentionem, quod iam tunc ſtatuerit Salomon Sadoc parentis erga ſe merita in filio eius Azaria gratificari, atque ſummi ſacerdotij ſucceſſionem, per ipſum Azariam perpetuo ducere. Verum hæc gratificatio non fuit, ſed iuſtitia, primogenitis enim ab Eleazaro deſcendentibus Pontificatus debebatur. Quamquam dici poteſt hunc Azariam proprium filium fuiſſe Sadoci, & fratrem Achimaas, primogeniti ipſius Sadoc. cuius deinde filius dictus Azarias, ei in pontificatu ſucceſſit, Abia, & Aſa in Iuda regnantibus.

ANNVS MVNDI 3023. DILVVII 1367. QVINTÆ ÆTATIS 84. SALOMONIS ANNVS 4. SADOCI PONTIFIC. 3. EXITVS AB ÆGYPTO 480. FVNDATI TEMPLI ANN. 1. TROIÆ EXCISÆ 152. EVPALIS 33. IMPERII ASSYRIORVM. 1092.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1030.

I. *Ratio temporis.* HIc eſt annus, [a] inter eos qui in Scriptura notantur, in paucis clariſſimus atque celeberrimus, qui omnes annos ab ortu Hebraïcæ Reip. ad hunc diem, non ſolum terminat, ſed etiam regit: & ambiguas de Iudicum temporibus opiniones, in vnam ſententiam venire compellit. In hunc annũ quaſi certum quendam, & definitum terminum, anni omnes ſtantis regni Iſraelitici, atque Iudaici, vſque ad vtriuſque euerſionem ab Aſſyriis, Chaldæiſq; factam intuentur. Quo eſt æquius bene ſtabilitum eſſe tempus id, quod cæteris debeat eſſe firmamentum. Ponenda eſt igitur primo, ſtabiliendáque Scripturæ ſententia, tum diuerſæ ſententiæ infirmandæ erunt, antequam de ipſa templi, quæ in hunc annum cadit, fundatione dicamus. [a 3. Reg. 6. & 2. Par. 3.]

II. *Ex Scriptura.* TERTIO igitur Regum capite ſexto ita legimus. *Factum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Aegypti, in anno quarto menſe Zio; (ipſe eſt menſis ſecundus regni Salomonis, ſuper Iſrael) ædificari cœpit domus Domino;* quæ ex parte repetuntur in fine eiuſdem capitis & 2. Par. 3. Ita legunt omnes Hebræi codices, & omnes tam antiquæ, quam nouæ verſiones. Ita Septuag. Regia, Complutenſis; ita Chald. Paraphraſt. ita Euſeb. & Hieron. in Chronic. & Hebr. in Chronico maiore c. 15. & in minore in decuria 4. Euſebium & Hieronymum ſequuntur Beda lib. de 6. ætat. & Auguſtinus vt ſolet, cum Oroſio, & Iſidoro, vt notat Contius in Chron. Nicephori. Eam veritatem confirmat ſeries annorum ſingulorum ab egreſſione illa ad hunc annum continenter deductorum; & conſenſus omnium propemodum neotericorum, etiam ſectariorum, ne in iis enumerandis catalogos non neceſſarios contexamus; citius qui diſſentiant, pauculi enim ſunt, recenſeantur. Qui vt ſeruitutes Iſraelitarum ſeorſim à tempore Iudicum tueantur, compelluntur textum ſacrum loci huius falſitatis arguere, ac deprauationis.

III. *Qui ab ea in hac chronologia diſſentiant; Ioſephus.* HVIC ergo tam perſpicuæ veritati repugnat Ioſephus, qui ſic ſcribit [b] *Exorſus eſt Salomon fabricam hanc anno regni ſui quarto, ſecundo*, non Salomonici, ſed currentis anni *menſe, quem Macedones Artemiſium vocant, Iar vero Hebræi, annis quingentis nonaginta duobus poſtquam Iſraelitæ ex Aegypto exceſſerant.* Græcè [illegible]; eum numerum confirmat alibi, [c] vt recte notauit Ribera, [d] *incenſum eſt autem templum*, inquit Ioſephus, *annis, ex quo extructum fuerat, elapſis quadringentis ſeptuaginta, menſibus ſex, & diebus decem additis, exactis à tranſmigratione ex Aegypto mille ſexaginta duobus, menſibus ſex, & diebus decem.* Quod ſi ex hoc maiore numero ſubtrahas eum, quo templũ ſtetiſſe dicit Ioſephus, ſequitur ex eius ſententia id extructum fuiſſe anno ab egreſſu 592. [b l. 8. ant. c. 2.] [c l. 10. c. 11.] [d l. 1. de templo c. 1.]

1062	m. 6.	d. 10
470	m. 6.	d. 10
592.	0.	0.

IV. *Ioſephum aliqui male referunt, aut ſequuntur.* Ex quo corrigenda eſt Rufini verſio, quæ habet quingenteſimo ſecundo, quẽ errorem non cauit Sabellicus. [e] Corrigendus & Pineda, [f] & Abul. [g] qui referũt ex Ioſepho annum ſexcenteſimum duodecimum, numerum tamen 592 colligit Ioſeph. addendo ad annos Iudicum, centũ & vndecim interregnorũ, ſiue ſeruitutum annos, de quibus in lib. Iudic. & tribuendo Ioſue 18. annos, cum tamen in fine cap. 1. lib. 5. ei 25. annos tribuat. 1 Verum cum iſti ſupputationi diſerta, & euidens Scripturæ authoritas repugnet, cui infinitus nimbus teſtium conſentit, non eſt quod ei Ioſephum, ſibi male conſtantem præferamus: præ- [e Ennead. 1. 9] [f l. 5 ca 5. 2. 101.] [g l. 3 c 6. q. 4.] [1. εχ.]

præſertim cum illi anni ſeruitutis à Scriptura non ſemel in Iudicum annis includantur. Nam Iudic. 4. dicitur Debora iudicaſſe populum in illo tempore, quo Iabin Iſraëlitas vehementer opprimebat. Et cap. 15. dicitur Samſon iudicaſſe Iſraëlem in diebus Philiſthiim viginti annis, vnde & Iſraëlitæ ipſi dicebant Samſoni, *Neſcis quod Philiſthijm imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti?* [a] Cum ergo hæc Ioſephi ſupputatio repudianda ſit; ſi Scripturæ adhærere volumus, vt debemus, longe minus probabilis erit Clemens Alexandrinus, [b] qui ponit annos 567. & menſes ſeptem, ſi ipſius rectè chronologia ſupputetur. Minus etiam Nicephorus in chron. qui 634. nec probandus Seuer. Sulpitius, qui 588. & ſi qui alii, aliam ſupputandi rationem ſunt ſecuti. Etſi Seuerus Sulpitius ſcripſerit veritum ſe ne minus fortaſſis annorum, quam amplius annotarit; Addit etiam librariorum negligentia numerum fuiſſe [c] deprauatum.

vers. 4. | vers. 10. | vers. 11. | a vide etiã c. 14. v. 4. | b l. 1. Stro. c. 21. | c 3. reg. 6. | d l. 11. Locorum in Sol. 11. arg.

V. *Opinio Cani.*

QVOD video etiam Melchiori Cano, [d] quem ſecutus eſt Serarius noſter, non diſplicuiſſe; ait enim non exiſtimare ſe, aut fidei, aut religionis quæſtionem eſſe; num iſte 480. annorum numerus, qui in codicibus peruulgatis reperitur, librariorum vitio ſcriptus ſit; quemadmodum aliis in locis librorum ſacrorum numeros conſtat fuiſſe vitiatos. Addit deinde multas eſſe cauſas cur hic, de quo agimus numerus corruptè inductus eſſe videatur. Pro maiore etiam numero ſtatuendo Ioſephum affert, & Sabellicum, qui à vulgato illo numero diſceſſerint. Illud deinde ſentit, interregnorum annos vere inter annos Iudicum effluxiſſe; nec eſſe quod Hebræi falſo tradunt, in temporibus, vel priorum, vel poſteriorum Iudicum computandos. Quocirca Ioſephum, quoniam non ea ſolum tempora computare voluit; quibus Iudices præfuere, ſed illa etiam, quæ interregnis, ſine Iudice fluxerunt, verè ſummam quingentorum nonaginta annorum confeciſſe; authorem autem libri Regum interregnorum annis omiſſis, eos tantum in numerum redegiſſe, quos intellexit, dum Iudices adminiſtrarent interceſſiſſe. Deinde concludens, *anni ergo*, inquit, *plures ab eo quo Iſrael exceſſit de Aegypto, ad templi initia fluxere: ſed Ducum, Iudicum, & Regum non fluxere, niſi quadringenti octoginta.*

VI. *Refutatur, & retinetur communis ſententia.*

NIHILOMINVS retinenda eſt communiſſima hæc, veriſſimaque Scripturæ ſententia, & ad fidei religioniſque quæſtionem pertinere exiſtimanda, aut omnibus aliis Scripturæ ſupputationibus æque fides abroganda; præſertim cum, ipſo Cano confitente, in omnibus exemplaribus græcis, latinis, & hebraicis, idem omnino numerus annorum quadrigentorum, & octoginta reperiatur; imo etiam, eodem affirmante; ab vniuerſis authoribus Latinis, Græcis, Hebræis conſentientibus confirmetur. Quod de aliis locis, quos iudicat vitiatos, dici non poteſt; de quibus tamen ſuis locis vel iam dictum eſt, vel deinceps dicetur. Id ſi rem de fide non facit, neſcio quid efficere poſſit, vt res de fide eſſe cenſeatur. Nam omnium doctorum conſenſus, eodem Cano docente, facit rem de fide; cum ea ſit Eccleſiæ vox, quæ ore omnium doctorum eius audiatur. Deinde quæ eſt corrupti numeri probabilitas, vt 480. pro 592. aut 574. aut alio quopiam numero poſitum ſit, cum nulla ſit neque notarum, neque dictionum, quibus exprimuntur, ſimilitudo.

VII. *Ac confirmatur.*

SED nonne ipſemet Canus fatetur non eſſe vitiatos, cum ait authorem ſcripſiſſe tantum tempora Principum, prætermiſſis interregnis? Ille autem multæ cauſæ quas attulit, vel Ioſephi authoritate nituntur, quæ contra Scripturam nulla plane, ſi Chriſtiani ſumus, æſtimanda eſt: vel interiectione interregnorum; quos iam probauimus includi à Scriptura in annis Principum, vel Pauli authoritate, [e] quæ græco tantum textu fulcitur, cum latinus qui authenticus eſt, planiſſimè, atque apertiſſimè annos 450. terminet, non Samuelis annis; ſed diſtributione terræ; & quidẽ veriſſimè. Nam ab ortu Iſaaci, in quo ſemen Abrahæ electum erat, vſque ad ortum Moſis ſunt 325. anni, quibus ſi addas 120 eiuſdẽ prophetæ, & 7. qui pugnando conſumpti ſunt, vſque ad diſtributionem terræ, inuenies 452. annos. Aut ſi mauis à pulſo Iſmaële initiũ ducere, reperies annos 447. Quæ cauſa fuit vt D. Paulus diceret non ſimpliciter poſt 450. annos, ſed *quaſi poſt 460. annos*. Addamus ſi placet quod text. ille græcus numerũ Ioſephi non conficit; & quod illi anni ad antecedentia, vt dixi tempora, non ad ſequentia pertinẽt;

Num Paulus repugnet.

e Act. 13. 20 | 325. 120. 7. 452.

etiam Beda interprete, quem probat Lorinus in eum locum. Iephte autem teſtimonio, ad quod confugiunt, [a] nihil contra hanc veritatem confici ſuo loco diximus, imo eam plurimum iuuari, & eodem interregna conuelli. [b]

a Iud. 11.26
b An Iephte 1.n.32.

VIII. *Reſpondetur de terra quiete ex li. Iudic.*

QVOD ſi aliqua minus probabilia ab huius ſententiæ propugnatoribus afferuntur, vt Canus ipſe aſſerit, id veritati nocere non debet, ſicut nec illud, quod ait vim afferri Scripturæ, quæ dicat terram quadraginta annis, aut octoginta annis quieuiſſe; cum illorum plurimi bellis perturbatiſſimi fuerint, ſicque turbidos, & inquietos annos, cum tranquillis quietiſque confundi. Quod etiam perabſurdium Serario noſtro viſum eſt. [c] Sed huic dubitationi alibi ſatisfactum eſt à nobis, [d] Præter autem alias expoſitiones ſuis locis allatas, occurit illa, quam tradit P. Turcellinus in ſua Chron. [e] & Rib. lib.1. de templo [f] vt dicatur terra quieuiſſe 40. annis tempore Othonielis, id eſt vſq; ad finē 40 annorū Othonielis. Sic dicitur quieuiſſe tempore Aod 80. annis, id eſt vſq; ad finem 80. annorum Aodi; nam iis abſolutis, turbæ iterum excitatæ ſunt. Itaque contra quam Melchior Canus, aliique colligunt, ſtatuendum eſt annos tantum 480. ab exitu Iſraëlitarum, ad hunc annum interceſſiſſe; neque plures, neque pauciores, & in iis omnes interregnorum, ſiue ſeruitutum annos eſſe comprehenſos Sed hac de re hactenus: alia enim in hanc ſententiam primo [g] Othonielis anno diximus.

c In Othon q. vlt. n.5. in 3. Reg. ſub fin. c.7.
d to.2. a.m. 2640. n.6. & 7.
e c.4 q.6.
f c.1. n.12. & 13.
g n.1. & 2.

IX. *Quo menſe templum fundatum.*

QVOD ad menſem attinet Scriptura Zio vocat; antiquo, & Hebræo nomine, quem Ioſephus nouo & Chaldæo, orto ſcilicet poſt captiuitatem Babylonicam, Iar appellare maluit. Cum autem Ioſephus huic ſecundo menſi dicat reſpondere Artemiſium Macedonum, miror eum poni à Mercatore quaſi Februario reſpondentem. Verum Zio Chaldæus interpretatur [h] menſem ſplendoris, apertionis florum; quem propterea Aprilem Hieronymus hic, & plerique interpretantur; quem etiam ab aperiendo idonei autores nuncupatum ſcribunt: tunc enim terra redeuntis ad ſe ſolis vim ſentiens, aperit ſe, plantiſque pullulat.

h v. 1. & v. 37.

Aliqui tamen menſem hunc Maium fuiſſe malunt, vt Comeſtor, [i] & Beda, qui capite quinto lib. de templo Salomonis, ſic ait: *Menſem ſecundum Maium dicit, namque Aprilis, quo Paſcha celebratur principium menſium apud Hebræos, primus erat in menſibus anni. Ex quo manifeſtè claret, quia mox peracto Paſcha, cœpit ædificare domum Domino, & conſecratus myſtica ſolennitate populus, manus ad opus myſticum miſit.* Neque menſem tantum, ſed diem etiam aliqui exquiſierunt. Nam Scaliger libro 5. emend. temp. c. de conditu templi Salomonici, vult inchoatam fundationem templi vigeſimo nono Maii, & quarta feria, Capellus Maii octauo, feria quarta, Sethus autem Caluiſ. ſectarius quoque, qui illum maximè miratur, & probat: die tamen ſexta Maii, & feria ſecunda id factum aſſerit. Nec mirum hunc ab illo in hac re diſſentire, cum ipſe ſibi Scaliger non conſentiat. Nam lib. 8. hæc fundamenta ponit 30. die menſis ſecundi.

i 3 Reg. c.9

X. *Nimirum ſecundo anni ſacri currentis.*

CIRCA menſem etiam illud addendum, ſecundum intelligi habita ratione feſtorum, ſiue anni ſacri, vt paulo ante ex Beda ſignificatum eſt; non autem ſecundo anni prophani, qui Septembri fere inchoabatur. Deinde etiam ſecundum intelligi, non anni quarti Salomonis, vt ſcilicet Salomon regnauerit tribus annis, & vno menſe, ante quam iacerentur fundamenta; ſed menſe ſecundo anni illius, qui erat quartus Salomonis; quotus autem menſis quarti anni Salomonis, non dicitur. Id affirmat Sà, Ribera, Pineda. Torniellus anno primo quintæ ætatis num.1. Adrichomius in ſua Chronolog. eique ſententiæ omnino adhæret interpretatio Pagnini, & Vatabli, & innuit textus ipſe, qui ea verba (ipſe eſt menſis ſecundus) includit parentheſi, ne ad menſes Salomonis referatur; quod diſtinctius etiam habetur 2. Paral. 3.2. *cœpit autem ædificare menſe ſecundo, anno quarto regni ſui.* Nam non conſtat quo menſe regnare cœperit Salomon. Falluntur qui menſem ſecundum, non ad annum currentem referunt, vt oportet, ſed ad annum quartum Salomonis, in quibus Genebrard. in Chronologia maiore Hebraica, capite decimoquinto. Caietanus in cape ſexto tertii Regum: & ibid. Lyranus, & Dionyſius, & Abulenſis, & Mercator, qui propterea dicit Salomonem menſe Niſam regnare cœpiſſe. Ioſephus autem, & Beda non clare loquuntur, & in hanc ſententiam trahi poſſunt,

imo etiam Septuag. & Chald. Sed latina editio, cui perſpicuè hebræa reſpondet, longe præponderare debet.

XI. *Templi locus, mons Moria.*

a cap.3. v.1.

IAM quod ad templi locum attinet, ſuppletur is ex 2 Paral. [a] *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalē, in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius, in loco quem parauerat Dauid in area Ornam Iebuſæi.* Hiſtoria nota eſt, ex ſecundo Regum 24. extremo, & primo Paralipomenon vigeſimo primo; & ſuo loco explicata.

Eiuſque ſitus.

b l. 15. ant. c 14.

Fuit porro hic mons iuxta accuratiſſimam Villalpandi topographiam, Orientali ciuitatis muro prope adiacens; *Tumulus erat*, ait Ioſephus, [b] *petricoſus, arduus, à vertice ſenſim, verſus Orientale vrbis latus reſupinas.* Habet autem ad Meridiem montem Sion non quidem totum, ſed eam eius partem quæ reſpicit Orientem. Ad Septentrionem vero arcem Antoniam, & montem Bezetham, quæ & Cænopolis, ſiue noua ciuitas dicta eſt. Ad Occidentem denique proximè quidem curiam, & domum Pilati, paulo vero remotius montes Acra & Caluariæ. Sed ille intra vrbem erat, hic illa tunc excludebatur.

XII. *Vnde loco nomen.*

c Villalp. p 1. de vrb l.1 c 8.10 ; d Gen.22.2

DICTVS eſt hic mons *terra viſionis*: Nam cum Deus mitteret Abrahamum, ad ſacrificandum filium ſuum Iſaac, [c] *Vade*, inquit, *ad terram viſionis*, ſiue Moria; vt habetur hebraicè, *atque ibi offeres eum in holocauſtum, ſupra vnum montium, quem monſtrauero tibi.* [d] Quibus verbis intelligitur non ipſum montem, ſed regionem dictam fuiſſe Moria. Si enim mons dictus fuiſſet Moria, non dixiſſet Dominus, *ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi*: ſed cum eum iam nominaſſet, adderet, & ibi eum offeres. At ſacrificato ariete in filii locum, nomen regionis illi vni monti attribuit Abraham. *Appellauit enim loci illius nomen, Dominus videt, vnde vſque hodie, dicitur in monte Dominus videbit* Eum autem montem Scriptura hoc loco Paralipomenon [e] vocat Moria, quod fuerat regionis nomen.

e 2.Par.3.1.

2.ex.

XIII. *An ad tribum Beniamin pertinuerit.*

f 18. Ioſ.fi

g c. 49. 27 verſ.12.

AD quam autem tribum mons hic pertinuerit non conſtat apud omnes. Qui enim totam ciuitatem Ieruſalem tribui Beniamin tribuunt, [f] etiam montem, & templum eidem tribui aſſignant; in quibus Adrichom. in topographia Beniamin, Chaldæus Paraphraſt. [g] & plerique eius loci interpretes. Et idem Paraphr. in 33. Deuteron. vbi Moyſes benedicens Beniamin ait. *Beniamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo; Quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Vbi Chaldæus, *In terra eius habitabit maieſtas diuina*. Et Theodoretus quærens quare quarto loco benedictus eſſet Beniamin, cum eſſet ordine generationis natu minimus: Reſpondet, quia illius tribus erat metropolis, in qua ædificatum eſt templum. *Quapropter meritò*, inquit, *poſt ſacerdotalem tribum ſacrum ædem collocauit.* Idem affirmat q.18. in Ioſue, idem denique ſcripſerunt plerique recentiores.

XIV. *Aut tribũ Iuda.*

h c.4.37.

i c. ſeq. n. 54.& c.7.33.

k Pſ.77.68.

ALII vero hunc montem ad tribum Iuda cenſent pertinere, vt qui templum Domini in monte Sion poſitum legant, vt primo Machab. [h] *Et congregatus eſt omnis exercitus, & aſcenderunt in montem Sion, & viderunt ſanctificationem deſertam, & altare prophanatum, & portas exuſtas, & in atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu*, &c. Eodem modo locus templi ibidem, vocatur mons Sion, [i] vt notauerunt Villalpan. & Pined. lo. ci. Atqui montem Sion Dauid ipſe ad tribum Iuda pertinere dicit, [k] *Sed elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit; & ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium in terra, quem fundauit in ſecula.* Id eſt, vt Ianſen. interpretatur, elegit tribum Iuda, & in ea tribu montem Sion, quem ab initio peculiariter ſemper dilexit, & in ſuam peculiarem habitationē delegit, in hoc monte extruxit ſibi ædem ſanctam, ſimilem palatiis magnorum principum, quæ ſua altitudine, ac potentia vnicornibus aſſimilatur. Ex his facile colligitur templum Domini, ad tribum Iuda pertinuiſſe. Verum in his locis, vel Sion pro Ieruſalem vniuerſe ponitur, vel nomine Sionis notiore, mons Moria ei contiguus, minus eo nomine notus intelligitur.

XV. *Aut certe ad vtramque.*

ALII qui Ieruſalem ad vtramque tribum pertinuiſſe putant, fere etiam templum volunt ad vtramque tribum pertinuiſſe. Certè Lyranus in cap. 18. Ioſ. in fine, ait Ieruſalem pro parte cecidiſſe in tribum Beniamin; idque ſignificatur Ioſue 15. fin. Vbi dicitur filios Iuda in Ieruſalem habitaſſe cum Iebuſæis.

Et rurſum Iudic. 1. 2. dicuntur Iebuſæi habitaſſe in Ieruſalem cum filiis Beniamin: at Iſraëlitæ in ſua quiſque tribu, & ſorte habitabant. Vtrumque confirmatur ex ſecundo Eſdr. *Habitauit autem vnuſquiſque in poſſeſſione ſua, in vrbibus ſuis*, &c. *Et in Ieruſalem habitauerunt de filiis Iuda, & de filiis Beniamin*, &c. In illum locum ſcribēs Caiet. ait Ieruſalem in duarum tribuum ſortes cecidiſſe; videlicet Iudæ, & Beniamin, non quidem confuſe, ſed ſecundum diuerſas eius partes. Idque factum putat, ne ſi tota Ieruſalem ad alterutram tribum pertineret, nimia eſſet in diuiſione diſparitas; ideoque particulam quandam ad tribum Iuda; præcipuam autem ad tribum Beniamin pertinuiſſe. Propterea ſimpliciter, & abſolutè Ieruſalem tribui Beniamin attribui. Ioſ. 18 Idemque ibi plerique eruditi confirmant: Vatablus, & Maſius in 15. Ioſue. [a] Et Serar. in cap. 18. eiuſdē. [b] Et certe conſtat Hieroſolyma duplicem quondam vrbem extitiſſe, ſuperiorem & inferiorem; illam dictam Iebus, ſitam in monte Sion, ad tribum Iuda; hanc quæ Salem vocata eſt, & in monte Acra erat, ad tribum Beniamin pertinuiſſe.

Margin: c. 11. v. 3. — a n 63. — b q. 14 fi & in c 1. Iud p 2 & Villalp. t 3. p. 1 l. 1. c. 16.

XVI. *Poteſt tamen ad Beniamin.*

VERVM nondum dubitationi factum eſt ſatis: Nam mons Moria, in quo conſtat templum ædificatum fuiſſe, in medio adhuc permanet indiuiſus, de quo tamen tota eſt diſputatio. Et Maſius quidem ad tribum Beniamin pertinuiſſe tradit, ſicut & Pined. [c] Villalp. vult funiculum diuidentem, & ſeparantem tribum Beniamin à tribu Iuda per medium montem Moria tranſiuiſſe; ſicque alteram templi partem ad Iuda, alteram ad Beniamin pertinuiſſe. Quod fit veriſimile ex c. 18. Ioſue, vbi habetur, *Deſcenditque*, funiculus ſcilicet, *in partem montis, qui reſpicit vallem filiorum Ennon*; quem montem vult eſſe Moria, quod vt concedam tanquam valde probabile; non tamen dicitur tranſire per medium montem, ſed ſatis eſt vt tranſeundo per voraginem Mello, quæ media erat inter Sion & Moria, partem aliquam Moriæ abſciderit, & nihilominus totum templum tribui Beniamin reliquerit; quæ eſt communis ſententia. Nam quod ex quatuor Cherubinis, qui arcam circunſtabant, duo ad tribum Iuda, totidem ad Beniamin pertinuerint; Villalp. non perſuaſit Pinedæ, quem vide. [d]

Margin: c l 5 c 5. n. 58. — verſ. 16. — d l. 5. c 5. n 57.

XVII. *Præmunitio de futura tractatione.*

HIS breuiter explicatis, quæ magnificæ templi fabricæ, ipſiſque eius fundamētis præſtruenda videbantur illis ipſis fundamētis ponēdis, ſtabiliendiſq; operam dabimus, Deo bene propitio, inſignium virorum induſtria corrogata, Abulenſis, Riberæ, Pinedæ, nominatimque Villalp. qui ſingulari, atq; inexpugnabili diligentia, in toto hoc ſacroſancto ædificio periſcrutando, & depingendo vlus; omnibus qui eum anteceſſerunt palmam pulcherrimæ inuentionis præripuiſſe videtur. Et quoniam non deſunt qui epitomen aliquando eius tractationis deſiderarent, qui vel libros illos magnorum ſumptuum ſibi comparare non poſſunt, vel rei ipſius expoſitione clara, perſpicuaque contenti, alioque fortaſſe properantes, fuſiores diſputationes, & verborum enodationes omitti facile paterentur nos qui ſtudioſo lectori gratificari cupimus, quæ ab eo, cæteriſq eleganter dicta videbuntur, & ad inſtitutum noſtrum pertinere, mutuo ſumere, & lectori exhibere non grauabitur; ea tamen lege, vt more, modoque noſtro, ac iudicio mutuemur: Id enim intelligo etiam ab erudito lectore deſiderari.

XIIX. *Moria vndique decliuis,*

CÆTERVM vt ad templi fundamenta propius accedamus: ponendum eſt montem Moriam excelſum fuiſſe, vt ante diximus, & vndique vallibus cinctum, ſed aliis profundioribus, aliis minus profundis. Nam ex parte montis Sion meridiem verſus iacebat profundiſſima vallis, dicta Vorago Mello, de qua, ita Ioſephus. [e] *Cum vallis*, inquit, *in immenſum dehiſceret, ita vt caligarent deſpicientium oculi, deſuper extructa erat peralta porticus, cuius tecto conſcenſo, ſi quis vtramque altitudinem coniunctam contemplaretur, abſque vertigine, id non poterat viſu deficiente, ob nimiam profunditatem, priuſquam ad imum pertingeret.* Id autem intelligendum eſt, priuſquam æquaretur ſolo, & terra obrueretur; quod factum ex 3. Reg. cōſtat. [f] De Orientali autem valle. ibid. *Tumulus erat petroſus*, inquit, *arduus à vertice ſenſim verſus orientale vrbis latus reſupinus.* Et paulo infra de occidentali. *Occidentalis autem porticus 4. portas habebat, harum ab vna tranſitus erat in Regiam, per vallem in medio interiectam. Duæ ferebant in ſuburbia, poſtrema in vrbem gradibus multis, vſque ad imam vallem diſpoſitis.* Meminit denique idem in fine ca. aſſenſus ex parte ſeptentrionali, in qua erat arx

Margin: ad Meridiē Mello, — ad Orientē, — ad Occaſū, — ad Boreā. — e l 15. ant. c. 14. — f 3. Reg. 11. 27.

Antonia. Sed apertius lib. 14. cap. 8. Vbi de oppugnato à Pompeio templo agitur. *Pompeius vero*, inquit, *a ſeptentrionali templi latere, quod maximè erat oppugnationi obnoxium, admonuit milites. Erant autem hac quoq; parte turres altæ, & foſſa manu facta propter profundam vallem, quæ templum cingebat. Nam etiam verſus vrbem* (quæ ſcilicet templo erat ad ſeptentrionem) *abrupta erant omnia.* Sic ibi.

Hic ergo mons Moria, erat ille quidem vndique præruptus, ſed latitudo verticis minor, quam vt deſtinatæ templi magnitudini par eſſe poſſet; vnde eum Ioſephus non montem, ſed λόφον id eſt tumulum, vt rectè vertit Gelenius, appellauit. Idem apertius habet alibi [a] *fanum autem erat, vt dixi, ſuper duriſſimum collem, & initio quidem vix templo, atque aræ ſufficiebat iacens in ſummo planicies, quòd vndique præceps erat, atque decliuis.* Itaque ad laxandam templi in vertice extruendi aream, ſubſtructiones maximas, omni ex parte excitauit, quadrangulum ſcilicet murum, qui à radicibus ad verticem exurgens, circumiecta deinde terra æquabatur. *huius verticem*, (Moriæ ſcilicet) *primus Salomon Rex noſter*, ait Ioſephus. [b] *Inſtinctu Dei muro circumdedit*, hic peribolus dicitur, totum vndique templi ædificium cingens, de quo poſtea ſed pergit. [c] — XIX. Montis vertex dilatatur. Subſtructionibus excitandis. — a l. 6. bel. c. 6. — b l. 15. ant c. 14. — c l. ant. 15. c. 14.

Radices *quoque eius alio muro cinxit, cui verſus auſtrum ſubiecta eſt vallis profunda; hic murus conſtat ſaxis grandibus, plumbo inter ſe vinctis complectens interius ſpatium, & in profundum deſcendens, vt miranda ſit magnitudo & altitudo ſtructuræ, forma quadrangulari: ſaxorum enim magnitudo à fronte eſt conſpicua, interiora ferro vincta, iuncturas continet, contra omnium temporum iniurias, firmiſſimas. Hoc opus poſtquam æquatum eſt vertici, cauitas quæ erat murum inter & tumulum expleta eſt, vt complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus quatuor ſtadiorum circuitu; ſingulis lateribus inter duos angulos, per ſtadia ſingula patentibus;* [d] *Et rurſum vallibus*, inquit, *expletis tam profundis, & ad conſpectum oculi caligarent, & aggeſta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo templum extructum eſt, æquauit, atque hoc modo factum eſt vt area fani, cum ſolo templi æquaretur. Hanc, aream, cinxit duplicibus porticibus, quas columnæ è natiuo ſaxo ſuſtentabant.* Quibus ex locis animaduertendum eſt Ioſephum dicere valles oppletas circumquaque & 4. porticibus paris omnes longitudinis extructas: & rectè, alioqui templum pari vndique opere extrui non potuiſſet. — XX. Cuiuſmodi ea fuerit. — Ex Ioſepho. — d l. 8. c. 2.

Qvo fit vt à ſe ipſo corrigendus ſit, [e] cum alibi ait Salomonem muro eius partem ab oriente cinxiſſe, & vnam aggeri porticum impoſuiſſe; ex aliis autem partibus manſiſſe nudum, quoad ſeculis poſterioribus, ſemper aliquid aggeris accumulante populo coæquatus, collis latior effectus eſt. Atqui ex ſcriptura conſtat [f] Salomonem coæquauiſſe voraginem Mello, quæ templo erat à meridie. Non ergo ſolam vallem orientalem ſubſtructione oppleuit. Sed ſibi etiam valde repugnat, cum quod dicit [g] ſeptennio perfectum non ad opulentiæ modò, ſed ad celeritatis oſtentationem, [h] ait in colle circumdando triplici muro longa ſecula fuiſſe conſumpta. — XXI. Quæ ſecum ipſe pugnat. — e l 6. de bel. c 6. — f l. 3. reg c 11. 27. — g l. 8. ant. c 2. — h l. 6. de Bello c. 6.

Cvm ergo parum ſibi Ioſephus conſtet, & Salomoni modo vnam porticum orientalem, modo quadruplicem tribuat, infirmo ſane nititur fundamento Torniellus, [i] dum Villapandum arguit, confuſi templi Salomonis cum Herodiano; quod longe aliter habet, ſi quis attendat ad loca quæ retulimus; & præterea dicendum eſſet templum Salomonis vix ab eo bene vnquam inchoatum, nedum perfectum fuiſſe; quod tamen in Scriptura aſſeritur. [k] Nihil enim ei Villalpandus tribuit, quod non cum omnibus aliis partibus mirabili ſymmetria, & proportione reſpondeat, nihil vt ab eo tolli, nihil addi potuiſſe videatur, vt ex tabulis eius omnibus, & figuris, tum maximè ex 9. quæ habet Veſtigium primum templi hieroſolymitani, perſpici poteſt. Sed hæc ex ſequentibus apertiora erunt; nunc ad primam fundamentorum partem, quæ illo quadrangulo muro continetur, quem dixit Ioſephus ad radices montis Moriæ excitatum, transeundum eſt. — XXII. Torniellus non rectè reprehendit Villalpandum. — i anno 5. æt. 1. n. 9. — k 3. R. 6. v. 38

Hvnc ergo quadruplicem murum craſſitudine, & altitudine propè immenſum, Villalpandus ex Vitruuio ſubſtructionem vocat, eamque deſcribit, [l] & pulcherrimis figuris vndecima, & duodecima repræſentat. Illud autem primum dicendum, ſicut non omnes valles pari profunditate, ſic neque omnes ſubſtructiones pari altitudine fuiſſe. Nam Ioſephus [m] ait quibuſdam in locis tre- — XXIII. Quæ ſubſtructionum magnitudo. — l t. 2. p. 2 l. 2. c. 17. & 18. — m l. 6. de bel c. 6.

centis cubitis, in alijs autem pluribus templi ædificium iſtiuſmodi ſubſtructionibus munitum fuiſſe lib. autem 8. ant. cap. 2. ait aggeſtam ad quadringentos cubitos terram. Quod de parte meridionali intelligendum videtur: ibi enim erat vorago dicta Mello, & Villalp. loc. cit. cap. 16. ait prædictam ſubſtructionum celſitudinem, ab oriente quidem, & a meridie maximam fuiſſe; ab occidente minorem, ab Aquilone minimam. Cap. tamen 17. ait ſe orientalem ſubſtructionum faciem deſcripſiſſe, potius quam reliquas, quia hæc celſiſſima fuit, & præ reliquis ædificij maieſtatem repreſentabat.

XXIV. *Meridiana ſubſtructio terra obruta.*

Non negat tamen Villalp. vallem meridianam profundiorem fuiſſe: ideoque & ſubſtructionem maiorem; ſed eam totam terra obruptam fuiſſe quidam putant; idque à Scriptura ſignificari, [a] cum ait Mello à Salomone fuiſſe coæquatam, ſed eam coæquationem poſtea alio referemus. Cæterum hæc terræ aggeſtio geminam vtilitatem afferebat, nam & templi ſtructuram magis, magiſque ſolidabat, & murum ciuitatis Dauid templo vicinum fulciebat. Prætérquam quod tetro, & corrupto aëre tam templum, quam arcem liberabat. Ex ea enim voragine profundiſſima, ad quam multas vndique ſordes aggregari neceſſe erat, olentem exhalari mephitim oportebat, proximis locis noxiam, & peſtilentem. Et Ioſephus [b] ait valles profundas expletas, & alibi negat omnem altitudinem fundamentorum videri potuiſſe, multis vallibus obrutis, vt anguſtas vias oppidi coæquarent. Orientalis ergo ſubſtructio maxima fuit ſpectatorum oculis, quia vel tota, vel maxima ſui parte conſpicua fuit. Vnde etiam templo maximum præbebat ornamentum, & contemplantibus ex vicino oliuarum monte ſpectaculum longe gratiſſimum. [c] Quod diſcipuli aliquando mirabantur, & Chriſto Domino oſtentabant.

[a] l. 3. R. c. 11. 2. Sal. 11. n. 1. & 4.
[b] l. 8. ant. c. 2.
[c] vide Mat. 13. v. 1. 2. 3.

XXV. *Craßitudo earum ſubſtructionũ.*

Svbstrvctionvm murum arbitratur Villalp. fuiſſe craſſitudine cubitorum vndique quinquaginta, vt parem terræ congeſtionem facile cohibere poſſet, ne quando illa recepta hybernis imbribus aquæ multitudine, ſenſim ſubſidens, & pondere, & amplitudine diſrumperet ſcruetürarum ſeptiones, vt poſtea à Vitruuio [d] traditum eſt. Quoniam vero niſus, & impulſus tanti ponderis in ima præſertim defertur; etiam fulcimenta, quæ a Vitruuio ex Græcis anterides, & eriſmæ appellantur, ipſi ſubſtructionis muro, ex eiuſdem præceptis adiungenda fuerunt. Vulgo arcus obnitentes vocamus, quia ſæpe huiuſmodi fulcimenta fornicantur. ἐρείδειν eſt fulcire, inniti, ſuſtentare; ἀντερείδειν in contrarium niti, & obſiſtere.

Anterides.

[d] l. 6. c. 11.

XXVI. *Et earum procurſus in imo quãtus.*

Hvivsmodi anterides extra murum in imo excurrere facit Villalp. ad centum cubitos, vt proportio, quam naturæ author Deus in fulciendo humano corpore, ſeruauit, conſeruetur. Vt ergo pes, à ſummis articulis, vſque ad anteriorem tibiæ partem, duplo longior eſt, quam ſit ipſa craſſities tibiæ, ab anteriore eius parte, vſque ad talum; ita hæc eriſmata, præter craſſitiem muri, quæ tibiæ reſpondet, & eſt 50. cubitorum, habent imum procurſum centum cubitorum, reliquo pedi reſpondentem. Sed illi centeni cubiti paulatim aſcendendo conſumuntur, vt ſola muri craſſitudo quinquaginta cubitorum remaneat in ſũmo ædificij veſtigio. Quemadmodum autem pes totus connexus, & continuus eſt, ab extremo talo ad ſummum articulum, ita & murus cum anteride ſimul contexi, & ab imo ad ſummum coædificari debuit.

XXVII. *Et à ſe inuicem diſtantia.*

Qvanta autem diſtantia anterides inter ſe collocatæ fuerint diligentiſſimè conſiderauit Villalp. & merito; nam res erat ſummi momẽti ad bene, & ſolidè fundandum totum ædificium. Earum enim erat non ſolum ſubſtructionis murum, & terræ congeſtionem, ſed etiam ſolidam ædificij molem ſuſtentare. Itaque qua parte ędificium templi propter multas areas leuius futurum erat, ea parte anterides neceſſariæ non erant, ſed verſus eas tantum partes, in quibus porticus deſinebant, fuerunt adhibendæ. Itaque cum atria ſancta, quæ & templum, & atria Iſraëlis comprehendebant, centum a ſe fere cubitis ſingula diſtarent, etiam anterides: quæ illis reſpondebant, centenis à ſe inuicem cubitis ſeiunctæ erant. Et quia porticum Iſraëlis, quæ cingebat omnia eius atria, & porticum gentium, area erat, ſiue atrium gentium quinquaginta cubitorum, non fuit neceſſe ei anteritidem reſpondere, ſed immediatè poſt adhibenda fuit, ad porticum gentium ſuſtentandam; ſicque iſtæ anterides vltimæ verſus an-

Quære diſpar fuerit.

gulos totius ſubſtructionis, quinquaginta tantum cubitis à præcedentibus diſtabant. Quoniam vero anguli maximè muniendi ſunt, vltimæ duæ quas dixi anterides, videntur ad angulum vſque totius ſubſtructionis procurriſſe. Video hæc quantauis adhibita cura perſpicuitatis, ſubobſcura fore, ſed figura 9. 11. & 12. Villalp. ea ſatis, vt arbitror, illuſtrabunt. Et ſecunda noſtrarum, quam ex ipſis delineauimus, quam habes in fine anni huius.

Omnes porro iſtas operoſiſſimas ſubſtructiones ad fundamenta templi pertinere nemo dubitare poteſt: ſine his enim nihil vel ſolidè, vel aptè poterat ædificari, vt ſit non mirum ad præparandum ædificationi locum, egerendam, ingerendamque terram, aptandos lapides plures annos eſſe conſumptos, antequam primus templi lapis rite deiici poſſet. XXVIII. *Quam operoſa templi fundamēta.*

Sed tota templi fundatio in his ſubſtructionibus ad verticem vſque montis, quatuor ex partibus excitandis, poſita non fuit, multoque minus in terræ congeſtione facienda. Nam omnium porticuum, quibus atria cingebatur, & ipſius templi propriè dicti fundamenta iacienda erant. Id autem nuſquam difficile fuit, præterquam in maxima illa & quadripertita porticu, quæ atrium gentium vndique claudebat. Nam & templum, & porticus omnes atriorum ſanctorum, idoneum habebant in natiuo ſolo montis Moriæ fundamentum; erat enim *locus ſaxoſus, & tumulus petricoſus*, vt eum Ioſephus vocat. Itaque non altè ibi iacienda fuerunt fundamenta, licet in maximam altitudinem excitanda eſſet moles, modo deſtinatæ altitudini idonea craſſitudo tribueretur. *Præſertim porticus gentium.*

At porticus atrij gentium, quæ media erat inter atrium gentium, & ſubſtructionis murum; nullum habebat niſi congeſtionis, & propterea terræ mobilis fundamentum; vt recte Villalp. quoque [a] animaduertit. Et tamen ea porticus recte fundanda erat, nam & ſolidum murum, & tres columnarum ordines ſuſtentare debuit: quamuis vnico tantum tabulato in altum erigenda foret, omnium tamen longiſſima futura erat. Itaque ad eam ſolide fundandam, ad ſolidam vſque montis firmitatem deſcenſum fuiſſe putat Villalp. [b] alias enim, ait, nimis vitioſa eſſet ſtructura ſuper congeſtione fundata, & ruinæ maximè pateret. Id tamen ſi accipimus, terræ congeſtionem hactenus poſitam tollimus, aut inutiliter ponimus, propter quam tamen tota fere ſubſtructio cum ſuis eriſmatis excitata eſt. Et præterea murum excitabimus circumquaque, non quinquaginta, ſed centum cubitorum craſſitudinis, præter totam anteridum molem. XXIX. *Et quamob cauſam.* *Vt eam fundet Villalp.*

a cap 18.

b eod. c. 18

Itaqve id hoc loco factum dici poteſt, quod aliquando apud Vitruuium legimus, de fundationibus in mollibus, & cōgeſtiis locis, quæ tota exinaniri non poſſunt; vt ſcilicet per breuia interualla pilæ vſque ad ſolidum deiiciantur, eæque arcubus, pontis in morem coniungantur, ſuperquæ mox tuto liceat ædificare; modo extremæ pilæ validis molibus repellantur, ne qua inclinare poſſint; quod hic anteridum ad omnes angulos, beneficio contingere poterat; omne autem vacuum congeſtitia materia implendum fuit, & ea humectanda, infuſa aliquoties aqua, vt ſenſim terra ſubſideret, & facta ſolida, immobilis perſeueraret; ſicque tota ædificatio ſolido nitetur. Neque magis tum fatiſcent arcus aut pilæ inclinabuntur, quam fundamenta domorum, quæ hinc & inde congeſtitiam terram habent. Debuit autem tanta eſſe, aut potius aliquanto maior defoſſi huius pontis latitudo, quanta futura erat latitudo porticus gentium, id eſt, quinquaginta cubitorum, deſuper extruenda. Nec alienus ab hac mente videtur Ioſephus, cum [c] ait. *Iecit igitur Rex in altiſsimam terræ profunditatem fundamenta templi e ſaxis validiſsimis, quæ contra omnem temporum iniuriam reſiſtere poſſent; ita vt contigua terra coalita, ſolum, ac firmamentum imponendis ſuſtructionibus præberent, & propter inconcuſſam ſoliditatem facile molem ædificij, cum paratu ornamentorum ſumptuoſiſsimo perferrent.* XXX. *Quo modo, recte fundata.*

c l. 8. ant c. 2

Post fundatam hanc quadratam porticum, ſequebatur ſpatium vacuum circumquaque, deſtinatum atrio gentium 50. cubitis latum ſub dio futurū, ideo- XXXI. *Atrium gentium.*

que fundationem non requirens. Hoc atrio ambiebatur vndique quadratum magnum ædificium, ambiens omnia atria ſancta, ad quæ ſoli Iſraëlitæ mundi poterant admitti. Eius latera ſingula quingentorum erant cubitorum: latitudinis, autem quinquaginta per circuitum; erat enim totum porticibus cinctum. Iamuero ampliſſima hæc area intercepta, quadringentos vndique cubitos lata, duabus porticibus ab oriente, ad occidentem, totidemque aliis, a meridie, ad Septentrionem, priores ad rectos angulos ſecantibus, diuidebatur; excepto loco in quo ipſum templum proprie dictum collocatum erat, quod a parte orientali exigua tantum ſeparatione ab atrio Leuitarum ſeiungebatur, vt in vtraque figura noſtra videre licet.

Ædificium ambiens atria ſancta.

XXXII. *Octo eius areæ.*

Itaqve quadrata iſta porticus, cum quatuor aliis eius medium ſpatium rectis lineis, & perpendiculariter diuidentibus, quarum ſingulæ quinquaginta cubitos latitudinis habebant, octo areas æquales, ea tamen excepta, in qua templum erat, efficiebant; quadratas omnes, & centenorum cubitorum amplitudinis. Earum tres templo erant ad meridiem, totidem ad ſeptentrionem, duæ ad orientem. Templi porro iſtius area, centum, & quinquaginta cubitorum longitudinem, latitudinem autem centum cubitorum occupabat. Templum cum gemino vndique muro longitudinem habuit 100. cubitorum, latitudinem vero fere ſexaginta, ſecluſis autem parietibus, vacuum templi ſpatium fuit, quod habet Scriptura [a] vbi dicitur. *Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Sed de altitudine nihil ad rem modo, cum de veſtigio tantum fabricæ huius ad iacienda fundamenta differimus.

Area ipſius templi.

a 3. Reg 6.2

XX XIII. *Templi loca ſubterranea.*

Ad templi fundamenta pertinent in primis ſubterranea loca plurima, opere firmiſſimo conſtructa, & ſuperioribus operibus accuratè reſpondentia, vbi cryptoporticus, & culinæ, & gazophylacia, horrea, cellæ vinariæ, & oleariæ; exedræ, officinæ, & id genus alia loca; quæ adeo ampla fuerunt, atque capacia, vt in illa inferri poſſent, ac conſeruari omnes primitiæ, ac decimæ totius Iſraëlis, vt ſuis temporibus multis ſacerdotum, ac Leuitarum millibus diſtribui poſſent: ea de re vide figuram cryptoporticuum templi apud Villalp. quem etiam conſule. [b] Quæ ſi quis diligenter attenderit, non inueniet fortaſſe in Romanę vrbis cloacis, quod admodum miretur. Sed hæc perſcrutari diligentius, quæ tantum libanda ſuſcepimus, aut obliuioſi hominis fuerit, aut otioſi; cui præſertim infinita rerum ſyluá perluſtranda reliqua fuerit.

b l. 4. ca 71. 72. & aliquot ſeq.

XX XIV. *Concluſio fundamentorum tépli.*

Hæc ergo maximè ſunt, quæ templi fundamentis continentur, quæ ſi quis rectè æſtimauerit, facile intelliget in iis aut præparandis, aut perficiendis non ignauiter vnius, aut potius plurimum annorum ſpatium, à multis operarum millibus fuiſſe collocatum. Neque tamen affirmo fundamenta, quæ ante hunc annum, eiuſque ſecundum menſem inchoata non ſunt, vt ex Scriptura conſtat [c] hoc ipſo anno integrè fuiſſe perfecta, idque innuere videtur ſcriptura, cum dicit cœpiſſe Salomonem ædificare menſe ſecundo anni quarti. Nec tamen declarat intra quantum tempus eadem fundamenta perfecta fuerint. Itaque cum tam operoſa fuiſſe appareant, parum conuenientes, meo quidem iudicio, videntur accuſationes tarditatis contra Salomonem, vt ſupra quoque ſignificaui, quod non ante quartum regni ſui annum templi fundamenta iacere cœperit, aut parum neceſſariæ eiuſdem excuſationes. [d]

c 3. Reg 6.

d vi. Theo q. 20 in 3. Re. & Pin. l. 5 c 5. n. 49 & 50 & 106

XXXV. *Nihil vltra ea hoc anno ædificatum.*

Cætervm quantauis diligentia à Salomone fuerit adhibita in templi fabrica vrgenda, nihil tamen puto hoc anno vltra fundamenta attentatum: Quia ex communi Architectorum conſenſu, liquet, omnia vno tempore eiuſdem fabricæ fundamenta eſſe iacienda, tum eis aliquod tempus, dum exſiccantur, & quaſi concreſcunt, ad æquabiliter vbique ſubſidendum, concedendum eſſe. Et de templi fundamentis hactenus. Quæ ſubiectæ figuræ ex Villalpando noſtro mutuatæ oculis ſubiicient: altera totum ipſum templum extrinſecus repræſentat, altera veſtigium habet vniuerſi templi Hieroſolymitani, quarum priorem dilatauimus, poſteriorem contraximus, vtraque in re candido lectori, vt ſpero, gratificaturi, qui ex earum contemplatione facile poſtmo-

Figura templi.

dum templum Hieroſolymitanum, maximum vtique mundi miraculum memori mente circumferet.

XXXVI. *Nauigatio in Ophir, & Tharſis quando inſtituta.*

Hoc circiter etiam anno videtur inſtituta, aut deſtinata potius Salomonis in Ophir, & in Tharſis nauigatio, ex qua immenſas congregauit opes; qua de re priuſquam dicamus de tempore quo cœpta eſt aliquid præmittendum. Nam Torniel. anno 5. ætatis 21. putat eam nauigationem ſuſceptam a Salomone, poſt annum regni ipſius vigeſimum quartum, ſecutus Caiet. [a] qui in ea verba ſcripturę. [b] *Miſit quoque Hiram ad Regem Salomonem centum viginti talenta auri. Et hoc eſt ſignum*, inquit, *quod adhuc Salomon non miſerat claſſem in Ophir pro auro. Si enim ante vigeſimum quartum regni ſui annum nauigatione illa vſus fuiſſet, non eguiſſet auro Regis Tyri, nec dediſſet ciuitates illas*; nec multum ab hac ſententia diſtat Abulenſis, [c] qui ait poſt medium tēpus regni, cum regnaſſet forte plus viginti annis, Salomonem ad immenſas illas diuitias, quas Scriptura commemorat, perueniſſe. Adde etiam in huius ſententiæ confirmationem, quod nauigatio illa ſuſcepta narratur in Scriptura [d] poſt narrationē datæ Salomoni à rege Tyri pecuniæ. Sic etiā alibi [e] dicitur poſt expletos annos viginti ab inchoata ædificatione, tunc abiiſſe Salomonē in Aſiongaber &c. Nec Ioſephus ante illa tempora huius nauigationis meminit. [f] Eandem opinionem ſequitur Caluiſ. anno ante Chriſtum 993. Adrichom. an. mun. 2933.

a in c. 9. 3. Reg. v. 14.
b v. 14.
c q. 31. in 1. c. 2. Paral.
d 3. R. 9. 16.
e 2. Par. 8. 17
f l. 8. cap. 2. alias 6.

XXXVII. *Opinio Pinedæ.*

Altera ſententia eſt Pineda, [g] qui putat ſtatim poſt acceptam ſapientiam, dum res domeſticas, & regni componeret, de adornanda claſſe cogitaſſe; & forte hoc anno regni quarto, vel vno, aut altero anno poſt iacta templi fundamēta, id eſt, triennio poſt quam ſoluiſſet claſſis, primum rediiſſe, ac deinceps nunquam fuiſſe intermiſſam nauigationem. [h] Alibi quoque ait propter templi impenſas ſtatim egiſſe Salomonem de adornanda, & mittenda claſſe in Ophir, & Tharſis, & forte expectaſſe triennium ante inchoatam templi fundationem, vt abundantiſſimè ſuppeterent impenſæ. [i] Ait etiam ſecundo regni ſui anno Salomonem non ſolum claſſem inſtruxiſſe, ſed etiam abiiſſe in Aſiongaber, ad videndā inſtructam claſſem ſuam, Tyriique Regis; Quod ſi admittimus, cum eo ipſo anno eum filiam Pharaonis in vxorem duxiſſe velit, eadem opera, & claſſem viderit, & vxori obuiam venerit.

g l. 4. de Salom. c. 4. n. 2
h l. etiā 5. c. 5 50.
i l. etiā 8. c. 4 in chron.

XXXVIII. *Propria ſententia; claſſem non inſtructam ob templum.*

Hac de re ſic dicendum videtur. [k] Primo claſſem non propter impenſas templi inſtructam videri. Nam in ſecundo Par. [l] *omnes impenſas*, inquit, *præparatas habuit Salomon ex eo die, quo fundauit domum Domini, vſque in diem quo perfecit eam.*

k vide Pin. l. 4. c. 2. n. 3.
l 8. 16.

Et ſi enim in Hebræo legatur *omne opus Salomonis paratum erat*, opus tamen pro impenſis operis explicat ibi Vatabl. idque ſatis intelligitur ex immenſa illa auri, & argenti copia, quam Dauid ei reliquit, vt ſupra docuimus [m] vbi hoc ipſum aperte habetur. *Ecce ego*, inquit, *in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini; auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*; & paulo poſt, *ligna, & lapides paraui ad vniuerſa impendia*. Et paulo ante v. 5. *Et dixit Dauid, Salomon filius meus puer paruulus eſt, & delicatus: præbarabo ergo ei neceſſaria; & ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas*. Hæc ibi. imo & eodem li. c. 28. & 29. diſtinctè habentur ſingula, in quę aurum & argentum à Dauide deſtinatum, & Salomoni traditum fuit. [n]

m ex 1. Par. 22. 24.
n vide v. 2. & 19.

XXXIX. *Salomonem non abiiſſe Hieroſolymis hoc tempore.*

Secvndo non videri abiiſſe hoc tempore Salomonem ad mare rubrum, ſiue claſſis gratia, ſiue vxoris. Nam ſcriptura apertè profitetur [o] poſt expletos viginti annos in ædificando templo, & domo ſua, tunc Salomonem tam hoc quam alia quædam itinera, quæ eodem recenſentur loco ſuſcepiſſe. Nec eſt vlla cauſa, cur hic anticipatione vſam Scripturam dicamus. Nam neque erat aliquid quod eam profectionem vrgeret, & Regis ſapientiſſimi præſentia magis erat neceſſaria Hieroſolymis, quā vſquam alibi. Operoſiſſima quippe tēpli præparatio, & inchoatio cum tam ingenti operariorum exercitu, ſatis eū diſtinebat domi. Et forte adeſſe debuit, ad primum lapidem ritè in fundamenta iaciendam. Id enim priſcis quoque ſeculis vſui fuiſſe, innuitur apud Iobum. [p] *Vbi eras*, inquit Dominus, *quando ponebam fundamenta terræ?* Et rurſū. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt, aut quis demiſit lapidem angularem eius?* Significans id opus ſuum eſſe, tanquam Domini.

o 2. Par. 8.
p Iob 38 n. 6

XL. *Sed adieciſſe animum parandæ claſſi.*

Tertio videri hoc primum tempore, Salomonem adieciſſe animū extruendę claſſi. Nam viuo Dauide nulla fit in Scriptura nauigationis mentio, tametſi auri.

Ophir Dauid ipſe meminerit[a], quod Tyriis nauigatoribus tribuendum eſt, qui maritimi curſus erant ſcientiſſimi[b], & cum de nauigatione in Ophir agitur[c], dicuntur Tyrij nautæ maris gnari iſſe cum ſeruis Salomonis, ſcilicet quaſi curſus, & nauigationis duces. Vide tamen quæ ſupra diximus de nauigatione Dauidis ex Eupolemo anno Dauidis 38. Interceſſit annus vnus nuptiis, & apparatu templi, & componendis regiæ domus officiis ſatis occupatus. Diuina vero ſapientia quâ plenus erat Salomon, quæ diſponit omnia ſuauiter, ſuggeſſit vt lignis è Libano cædendis, vna, eademque opera ædificiis terreſtribus, & maritimis conſuleretur. Itaque cum primum templi fabrica in curſu eſſe cœpit, induſtrios viros in mare rubrum deſtinauit, qui in claſſem extruendam incumberent. Id autem maioris erat operæ, quam vt exiguo tempore perfici poſſet. Sub hæc ergo tempora res inchoata maioribus ſenſim incrementis prouecta; nam ingens templi cura omnem aliam curam reddebat lētiorem, tandem abſoluta, regio digna conſpectu iudicata eſt. Dum autem nondum Salomoni nauigaretur oceanus in neceſſitatem venit, mutuo ſumendæ à Tyrio Rege pecuniæ. Itaque quicunque tardiorem hanc nauigationem faciunt, de ea poſt profectionem Salomonis in Aſiongaber intelligendi ſunt, qui autem celeriorem, ita vt diximus videntur interpretandi.

[Margin: Tardius autem nauigaſſe.]

[a] 1 Paral. c. 29. 4.
[b] vt patet Ezech. 26. 27. 28. c. 27. 3 & ſeqq. 4. 5 9 15
[c] 2. Par. 8. 18

XLI. [Margin: Ophir quid, & vbi ſita. In India orientali.]

QVID autem Ophir eſſet, & Tharſis, quo hæ claſſes mittebantur, paucis hoc loco dicendum eſt. fuſiſſimam diſputationem habet ea de re Pined.[d] Dico ergo vt communiſſimam, ſic & veriſſimam videri ſententiam, Ophir prouinciam eſſe in India Orientali, vel potius inſulam, vt mox dicetur, ita dictam, vt ait Hieron. de loc. Hebr. *ab Ophir vno de poſteris Heber; ex cuius ſtirpe venientes à fluuio Cophene, vſque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Ieria, habitaſſe refert Ioſephus.* Verum in Ioſepho[e] ita lego. *In hac quoque claſſe munificentia Iromi Regis amici fuit viſa. Viros enim gubernatores, & nauticæ rei peritos ei miſit, quotquot voluit. Qui nauigantes cum regiis procuratoribus in regionem Indiæ, olim Sophiram, nunc auream terram nominatam, aurum illi adferunt.* Sic ipſe. Sophiram quoque vocant 70. Quidam Cherſoneſum auream terram interpretantur: ſed nec Ioſephus vocat eum locum Cherſoneſum, ſed χρυσῆν γῆν nec Cherſoneſus auream[f] terram ſignificat. Eſt enim χερσόνησος ſiue χερρόνησος terra in inſulæ modum mari cincta, excepta parte exigua, qua quaſi collo continenti adhæret, quem Iſthmum vocant. Cuiuſmodi & Peloponneſus in Græcia: atque adeo tota Africa, quæ exiguo Iſthmo Aſiæ connexa eſt, ſicut & tota meridionalis America, eidem Septentrionali. Dicitur autem Cherſoneſus aurea, ad differentiam aliarum peninſularum, quæ auro carent.

[Margin: Sophira. Cherſoneſus non eſt aurea.]

[d] l. 4. de reb. ſal. a c. 4. ad 7.
[e] l. 8. ant. c. 2
[f] vide Pine. l. 4. c. 16 §. 9 n. 4.

XLII. [Margin: Neque Taprobana, aut Sumatra, a qua terra Ophir.]

QVO fit vt neque Taprobana, quam Ceilan vocat Iarrius,[g] & adiacet promontorio Comorinenſi ad ortum, neque Sumatra, Cherſoneſus dici poſſit, cum vera ſit inſula, non peninſula, eaque ſub æquinoctiali ſita, cuius etiam ambitum Plinius[h] prodit. Celebrem ait hominibus corpore maioribus, vita diuturnioribus; aurum vero & argentũ etiã ibi eſſe in pretio. Malaca verò, quam quidã eandem cũ Taprobana, & Ophir faciunt, longe alia eſt, quippe in Indiæ continenti ſita, orientalior ſimul, & ſeptētrionalior, quã Sumatra: eſtque eadē prouincia Malacæ cōtermina Peguſiæ, ſeptentrionem verſus; quã etiã quidã Ophir eſſe putauerunt. Maneat nihilominus Taprobana, ſiue Sumatra eadem planè cum Ophir.

[g] l. 3. c. 7.
[h] l. 6. c. 2.

XLIII. [Margin: Nauigatio in Tharſis.]

MVLTVM tamen a Tharſis diuerſa; quippe Ophir in oriente, Tharſis in occidente, (eam enim contendit Pineda multis argumentis eſſe Tarteſſum, & Hiſpaniæ Boeticam, vbi Hiſpalis vulgo *Seuille*, quo ex Arabico ſinu claſſis Salomonis profecta, & omnia Africæ littora, Gades vſque circumuecta peruenerit; & tertio demum anno, adita etiã Taprobana, ſiue Sumatra in Aſiomgaber Idumeæ portum, vnde primum ſoluerat, reuerſa ſit. Sed de hac nauigatione alio forte loco commodius; id tantum in preſentia dico, durum videri vnica nauigatione ad tam non ſolum remota, ſed etiam diſparata, & oppoſita loca curſum inſtitutum fuiſſe. Siue enim egreſſis è ſinu Arabico placebat in orientem ad Sumatram vela facere, ſiue in meridiem ad circumnauigandam totam Africam, certe alterutro curſu confecto, ad idem quaſi punctũ, iuxta littora meridiani felicis Arabiæ redibatur, vt pars altera nauigationis perficeretur. Quid ergo opus erat redeuntibus, verbi gratia, ex Ophir aurum & merces inde aduectas diſcrimini longiſſimæ, pe-

[Margin: Qui fieret triennio.]

3. Re. 10. 22

riculo

riculoſiſſimæque nauigationis exponere, vſque in fretum Gaditanum & Hiſpaniã, rurſumque eadem tota nauigatione repetita, ad eadem Arabiæ redire littora. Idem plane dicendum, ſi prius in Tharſis, quam in Ophir vela fierent. Abſit autem à Salomonis ſapientia tam inutilis, tamque periculoſa nauigatio. Dicendum potius videtur claſſem quidem totam ex Aſiongaber ſoluere ſolitam, in extremo ſinu Arabico diuiſam fuiſſe, partemque vnam in orientem, alteram meridiem, & occidentem verſus curſum intendiſſe, aut certe alterutra parte nauigationis confecta depoſito in Aſiongaber onere, reliquam partem confeciſſe. Hac de re vide pluribus Pined ũ.[a] Sed de his ſatis. In quartum hunc Salomonis annum, refert Torniel. mortem Semei:[b] ſed non recte, vt videtur. Cum enim ea triennio contigerit poſt interdictam ei à Rege egreſſionem ex vrbe, id que interdictũ nõ niſi poſt obitum Dauidis contigerit, vt ipſemet fatetur, anno mundi 3022. Mortuus ſit autem Dauid, vt ex ſuperioribus ſatis conſtat, ſecundo regni Salomonis anno, conſequens eſt, vt eam prohibitionem in tertium eius annum conferamus, vt fecimus, eius autem interitum; in ſextum, vt faciemus.

a l. 4. c. 5. & 6.
b an. mund. 3026. fin.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3023. *SALOMONIS.* 4.

1. χ. IV.

NAm Moyſes gubernauit remp. per deſertum annis.	40.
Ioſue cum ſenioribus	18.
Seruitus Meſopotamiæ fuit annorum	8.
Othoniel iudicauit an.	40.
Seruitus Moabitarum an.	18.
Aod cum Sangar iudicarunt an.	80.
Seruitus Caanam durauit an.	20.
Barac, & Debbora gubernarunt Remp.	40.
Seruitus ſub Madianitis	7.
Gedeon gubernauit an.	40.
Abimelech annis	3.
Thola iudicauit annis	23.
Iair annis	22.
Seruitus Philiſt. & Amm.	18.
Iephte	6.
Abeſan	7.
Ahialon	10.
Abdon	8.
Seruitus ſub Philiſt.	40.
Samſon	20.
Heli Iudex, & Pont.	40.
Samuel, & Saul	40.
Dauid	40.
Salomon annis	4.
	592.

Huic Ioſephi chronologiæ fere conſentit ea, quam ſubdit de annis, à migratione Abrahæ ex Meſopotamia mille & viginti. Si enim ad 592. addas 80. Moſis, & 350. a promiſſione Abrahæ facta reperiuntur 1022. Re tamen vera ſunt 910. qui ex 350. 80. & 480. exiſtunt. Quod autem præſentem annum vult eſſe 1440. à diluuio, neque recte facit, ſunt enim iuxta Tornielli, noſtramque chronologiam 1367. adde enim prædictis 910. annos ante natum Abrahamum 382. & 75. ante factam illi promiſſionem, exiſtent omnino illi 1367. Neque conſtáter. Ná ſi ad illos 1022. addideris an. à diluuio ad hortũ Abrahæ, quos Ioſeph. vult fuiſſe 292. libro 1. c. 6. & 75. ante promiſſionem, ex eodem libro 1. c. 7. fient 1389. non 1440. Denique in anno mundi fallitur, diſtatque à vero numero annis 79. à ſua autem chronologia annis 6. Si enim annis 1440. addas 1656. qui diluuium præcedunt, fient 3096.

592. | 80. | 350. | 1022.
350. | 80. | 480. | 910.
910. | 382. | 75. | 1367.
1022. | 292 | 75. | 1389.
1440. | 1656. | 3096.

Ex quo fit probabilior hæc ſententia ea, quæ ait montem dictũ ab Abrahamo, *Dominus videbit*, id eſt prouidebit, ſiue proſpiciet, vt alii vertũt, eo quod Dominus prouidiſſet ipſi de holocauſto, ſubſtituendo arietem filio, ſicut prædixerat idẽ Abrahá interrogãte filio. Et reuera verbum ראה raah & videre, & prouidere ſignificat: priorem tamen expoſitionem confirmat verſio Symmachi apud Hieron. in qq. Hebr. in Gen. vocat enim γῆν τῆς ὀπτασίας, id eſt, viſionis, & Aquilæ, quæ habet τὴν καταφανῆ, id eſt lucidam, quoniam loca eminentia radiis ſolaribus, & citius, & diutius illuſtrãtur Sept. Sixti vocant τὴν γῆν τὴν ὑψηλήν, id eſt, excelſam, Erãt enim Hieroſolymę locus omnium totius Iudææ eminentiſſimus, mons autem Domini erat in vertice montium. Cald. paraph. terram illam viſionis exponens, vocat terram diuini cultus, quia ſcilicet templo ibi olim ædificando deſtinatum erat. Alii denique doctrinam Domini, quia ibi futurum erat Dabir, id eſt oraculum Dei, & lex, & Spiritus ſanctus, qui docet homines veritatem, & inſpirat prophetas, vt ait Hieronymus, l. c. Quæ expoſitiones fundamentum habent in variis notationibus vocis Moria, quas fuſius Villalp. l. c. perſequitur.

2. παρ. XII. Riber. li. de temp. c. 4.
Iſa. 2.

ANNVS MVNDI 3024. DILVVII 1368. QVINTÆ ÆTATIS 85. SALOMONIS 5. SADOCI PONTIFIC. 4. FVNDATI TEMPLI 2. ARCÆ IN SIONE 35. TROIÆ EXCISÆ 153. EVPALIS 34. IMPERII ASSYRIORVM. 1093.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1029.

I. *Annus Sabbaticus 63.*

SABBATICVS eſt Salomonis annus quintus, idemque ordine 63. quem ſtudioſiſſime obſeruatum ab vniuerſo populo, annitente ſapientiſſimo, ac religioſiſſimo principe Salomone plane religio ſit dubitare, in quo templi, vniuerſæque fabricæ fundamentis ſuperiore anno excitatis, nihil præferendum viſum eſt ipſimet templi ædificationi; ad quam reliquus totus apparatus referebatur, & quæ primum omnium à Scriptura, & à Ioſepho memoratur. [a] Si tamen ingentes illæ ſubſtructiones nondum perfici anno præcedente potuerunt, cum primum per aëris clementiam licuit, vtique perfectæ ſunt, eiſque peribolus impoſitus ad mature prohibendum lapſum hominum è ſumma area, & ſubſtructione in præceps.

3. Reg 6. 2. Paral. 3. loc. citat. *a l. 8. ant. c. 2.*

II. *Peribolus ſiue lorica totius ædificij*

EST autem peribolus, vt vocis quoque notatio prodit, ſeptum quoddam, ædificii extrema circumiens, altiora præſertim; vt in ſolario, verbi cauſa, deambulantes, indeue ad ima ſpectantes à ruina tuti ſint. Ad eum enim finem iuſſerat Dominus huiuſmodi muros priuatis ædibus cicũſtrui. [b] *Cum ædificaueris*, inquit, *domum nouã, facies murũ tecti per circuitum, ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente*. Erant enim Iſraëlitarum ædificia non faſtigiata, ſed plana, qualia templa multis in locis cernuntur, & modice decliuia ad aquam pluuiam, tecto depellendam: Huiuſmodi tecta Græcis δώματα dicuntur. *Δῶμα in Orientalibus prouinciis*, inquit Hieron. [c] *ipſum dicitur quod apud Latinos tectum. In Palæſtina enim, & Aegypto, vel vbi ſcripti ſunt diuini libri, vel interpretati ſunt, non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ vel ſolaria, vel mœniana vocant, id eſt plana tecta, quæ tranſuerſis trabibus ſuſtentantur. Denique & in Actis Apoſtolorum Petrus quando aſcendit in doma* (ſic habetur græce, in edit. vulg. in ſuperiora) *in tectum ædificij aſcendiſſe credendus eſt; & quando præcipitur nobis vt faciamus domati noſtro coronam* στεφάνην, habent ſeptuaginta, *hoc præcipitur, vt in tecto faciamus per circuitum quaſdam eminentias, ne facile in præceps lapſus ſit*. Hactenus Hieronymus.

b Deut. 22. 8. *Domata.* *c tom. 3. ep. 135.*

III. *Cui vſui foret.*

HÆC ergo corona, ſiue peribolus in extrema area toti fabricæ deſtinata ad eundem vſum in extremo ſubſtructionum, quas ſupra diximus excitata fuit. Id ſatis ex cap 40. Ezech. v. 5. intelligitur, vbi vocatur *murus forinſecus in circuitu domus vndique.* Et ne quis templum Ezechielis alia forma aut magnitudine à templo Salomonis fuiſſe dicat: Villalp. [d] vtrumque idem plane fuiſſe, ex pleriſque vtriuſque menſuris, & partium templi paritate apertè demonſtrat. Vnde primam templi ichnographiam ſic inſcripſit, *veſtigium primum templi Hieroſolymitani, & vniuerſarum illius porticuum à Salomone conſtructarum, ex ſacris hiſtoriis monumentis, Ezechieliſq; deſcriptione depromptum, atque emendatiſſime exactum, ad primarium exemplar, olim à Deo inuentore Dauidi traditum. & ab Angelo poſtea, Ezechiele proſpectante commenſuratum.* Quem ergo murum editio vulgata nominat, eundem περίβολον Septuaginta ibidem vocant, & paulo infra προτείχισμα, id eſt antemurale, pro quo latine habetur ædificium, quia ante omnes alios muros, tam porticus gentium, quam Iſraëlis ædificatum, totiuſque domus finis erat in circuitu. Ezechiel. capite 43. verſ. 12.

d t. 2. p. 2. l. 1. c. 9. *Id nos veſtigiũ contractum lectori exhibuimus anno praced.*

[G]ræci, peribolum. [H]ebræi, [...]iman. [L]atini, [...]rtiam. [...]ali, para[p]etto. [G]alli, garde-fous. [v]ocant.

IV. *[E]ius forma*

EIVS forma ſic à Villalp. [e] deſcribitur. *Sunt in peribolo ſtylobatæ ordine diſpoſiti, inter quos marmorei cancelli diſponuntur, feneſtris obliquis, hoc eſt rhombis, non qua-*

e l. 3. c. 20.

dratis foraminibus pertcrebrati. Sic ipſe. Erant autem ſtylobatæ quadratæ moles calami vnius latitudinis, longitudinis, & altitudinis, id eſt ſex cubitorum, & palmi, vt eſt apud Ezech. [a] Itaque Villalp. [b] ait vniuerſum hunc perībolũ quadratis aris conſtitiſſe, eaſdemq; aras, & ſtylobatas vocari etiam titulos, & à 70. *στήλας*, ex 1. Machab. [c] perſpicue probat, & lib. 2. cap. 20. ſuper ſtylobatis, inquit, ſphæras appoſuimus, quod quomodo deſuper ornarentur minimè habeamus cõpertum; neque aliud ſuadet ratio fabricæ, quo aptius poſſet ornari.

ex ſtylobatis, & cancellis. Cum ſphæris.

a c. 40. n. 5. & Septuag reg. & Complut. b l. 3. c. 13. c 14. 26. & 48.

Peribolvs autem totus alternatim cancellis ſtybolatiſque diſtinctus quantæ longitudinis eſſet, docet idem, [d] contenditque fuiſſe 125. calamorum per ſingula latera, vniuersè quingentorum. Cum autem ſingulis calamis ſex cubiti cum quadrãte tribuantur, totus circuitus periboli erit duùm millium, & quingentorũ cubitorum. Excitatum porro fuit non ad extremũ muri ſubſtructionis, ſed interius dimidio calamo: vnde ſequitur aream totam templi, ſiue fabricæ per ſingula latera ab extremo ſubſtructionis muro, vſque ad alterum extremum fuiſſe 129. calamorum.

d l. 4. c. 70.

V. *Eiuſdem longitudo.*

Qvod ad ipſum templum attinet proprie ſumptum, & vnica murorum connexione coniunctum, tres eius partes à Scriptura ponuntur, Veſtibulum, ſancta, & ſancta ſanctorum, quæ omnia nomine templi, domus Domini, & ſanctuarii paſſim comprehenduntur. Ingredientibus templum à parte Orientali, vbi erat porta primaria, Veſtibulum primum occurrit, quod in tertio Regũ [e] vocatur porticus, ſicut & ſecundo Paralipomen. [f] quoniam ſcilicet longitudo eius reſponderet latitudini reliquæ domus, vt iiſdem in locis ſcriptum eſt. Quandam tamen porticus formam præ ſe ferebat, quoniã peruius erat tranſitus in eo à Septentrione in Meridiem; vtrinque enim portam habebat diſtantem ab altera minimùm ſexaginta cubitos, & multis arcubus, ac fornicibus tegebatur; vocatur tamen veſtibulum 2. Par. 3. 17. & Ezech. 40. 49. Septuag. vocant τὸ αἰλάμ hebraica voce ſeruata, pro qua Græci πρόναον dicunt, imo & Vitruuius anteriorem templi porticum proanon vocat. Inuenias & baſilicam dici 2. Par. 49. vbi Septuag. habent aulam. Symmach. etiam vocat propyleum quaſi dicat quod ante portas Sancti, & Sancti ſanctorum poſitum eſt.

e ca. 6. 3. f 3. 4.

αἰλάμ πρό-ναον.

VI. *Templum ipſum fuit tripertitum Eius veſtibulum, ſiue porticus. Baſilica. Propylaũ.*

Id autem quod proprie veſtibuli nomine appellatur longum fuit cubitos viginti, quæ eſt totius templi latitudo, intra parietes: latum autem cubitos vndecim, vt dicitur Ezechiel. capite 40. 49. aut etiam duodecim, vt aliqui habent, propter excurrentes paraſtades extra muri totius templi perpendiculum, vt ibi exponit Villalp. & in eius primo Sanctuarii veſtigio clare perſpicitur.

VII. *Eiuſdem amplitudo.*

Erant in hoc veſtibulo portæ tres in ingreſſu; ab Oriente porta primaria lata erat cubitis quatuordecim, alta 20. vt habetur in Orientali facie Veſtibuli, in 4. figura; altera aperiebatur à Septentrione, lata tribus cubitis, alta autem ſex, cui alia omnino ſimilis à Meridie reſpondebat.

Qvoniam vero huic veſtibulo ingens fabrica ſuperſtruenda erat cum turri, ad altitudinem [g] cẽtum & viginti cubitorum: ideo muri eius ab imo ſolidiſſimi fuerunt, & ſolidiores quam reliqui templi, quod ad nonaginta cubitorum duntaxat altitudinem erigebatur. Sicut autem non vnicus templi murus fuit, ſed geminus vndique, ita & veſtibuli, quod templo adhærebat, & per omnia artificioſiſſime reſpondebat, quadruplex vtrinque moles erigebatur; quarum binæ vndique templi finiebant muros, totidemque aliæ faciem Orientalem veſtibuli vtrinque muniebant. Et ſic vt quatuor extremæ moles tam à Septẽtrione, quam Meridie vltra muros tẽpli proiiciebantur, ſic & 4. aliæ internæ intra templi latitudinem, iuxta templi, & Veſtibuli portas Orientales procurrebant: moxque retractiones vtrinque fiebant, vt longitudo Veſtibuli viginti cubitorum fieret, vt exigit ſcriptura.

g 2. Par. 3. 4.

VIII. *Craſſitudo parietũ & altitudo. Muruſque geminus.*

Orientalis veſtibuli facies, tum maxima in medio porta decorabatur, quã quatuordecim cubitos latam facit Villalp. vt diximus, tum geminis vtrinque paraſtatis. Ita vocant quadratas columnas dimidio fere palmo extra murum proiectas, vulgo *pilaſtres*, quæ vna cum baſibus, & capitellis ad quadrageſimum vſque cubitum in altum ſurrigebantur. Diſtabant autem à ſe inuicem octo cubitis per totum vniuerſi templi circuitum, quod ſpatium interiectum

IX. *Facies eiuſdem Orientalis.*

dinis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in domo forinſecus, vt non hærerent muris templi. Hæc ſacer hiſtoricus, quæ obſcurius; & breuius Ezech. [a] c.41. ſententia loci vtriuſque eſt.

a n.6. &c. & ibi Villalp fusè l.4.c. 10. &c.

XIV. *Eorum numerus, ordines, capacitas, diſtinctio.*

EXCITATA primum fuiſſe cubicula in imo templo per circuitum; num. 14. lata cubitos quinque, pro diſtantia intercepta inter vtrumque templi parietem, alta calamum vnum, id eſt ſex cubitos, & palmum, comprehenſa craſſitie tabulati; longa vero quanta erat diſtantia paraſtadum, ſiue columnarum quadratarum inter ſe, in quarum medio ſeparatio ſingulorum cubiculorum ponebatur, id eſt fere duodecim, diſtabant enim à ſe inuicem octo cubitis, & ſingulæ latæ erant quatuor cubitos. Iſta autem media ſeparatio, ianuam habebat per quam ad proximum cubiculum aditus patebat, & ita reliquæ conſequentes; nam etiam Ioſephus triginta cellas illas, quas circa templum conſtituit [illegible]; id eſt peruias facit. Horum cubiculorum infimi ordinis ſolum, erat altius ſolo templi duobus fere cubitis, quanta ſcilicet erat altitudo baſis dictarum columnarum extrinſecus.

XV. *Tabulata.*

TABVLATA porro ita confecta erant, vt ſaltem id quod infima cubicula tegebat trabibus minime indigere videretur, propter parietum vicinitatem; ſed tignis tantum æque diſtantibus, quorum capita primæ murorum retractioni incumberēt, ad dimidium vtrinque cubitum, longa cubitos ſex, quam latum ſcilicet futurum erat cubiculum ſecundæ contignationis, ipſa vero tigna tegebantur aſſeribus. Cæterum hæ murorum retractiones, quas vulgo vocamus, *retranchement*, eminentiæ ab Ezechiele [b] ab aliis contractiones, & imminutiones muri dicuntur; minuitur enim latitudo muri aſcendentis, ſecundum aliquam ſui partem. Cum ergo hæc tigna retractioni murorum inſiderent, recte dicuntur non hæſiſſe muris templi, vt ſolent trabes in aliis domibus in muros immitti, & cum parietibus inædificari. Quæ eſt expoſitio Rab. Kimhi apud Villalp. [c]

b c.41.v.6.

c in c.41. Ezech.c.10

XVI. *Secundus ordo cubiculorum.*

SECVNDVS ordo cubiculorum eodem modo diſpoſitus erat; niſi quod cubicula eius omnia latiora erant vno cubito, iis quæ in imo erant. Cum autem horum cubiculorum omnium latitudo, petatur à diſtantia, quæ intercipitur inter vtrumque parietem, exteriorem ſcilicet, & interiorem templi, non potuerunt ſuperiora cubicula latiora fieri inferioribus, niſi vel in altero, vel in vtroque pariete potius fierent retractiones, ſuper quas vel tigna, vel trabes proiicerentur. Nam ſi in ſolis coſtis, ſiue lateribus fierent, vt videtur ſentire Villalpand. [d] trabes quidem aſcendendo ad ſuperiora cubicula creſcerent, propter retractiones coſtarum, ſed latitudo cubiculorum, quæ pendet ex murorum diſtantia, non creſceret. [e] Dixi in vtroque pariete; nam ſi internum intactum velis ſiue religionis, ſiue firmitatis cauſa, & æquali craſſitie ab imo ad ſummum erigi, quod fieri non ſolet, neque neceſſe eſt; certe non eſt vbi initatur trabes, quæ ex ea parte tabulatum ferre debet; niſi in retractione quadratarum columnarum. Nec habet probabilitatem, quod putat probabilius Torniellus, vt trabes erigerentur rectæ, per iuſta interualla: id enim præter quam quod valde infirmum eſt ac deforme, etiam cubiculorum latitudinem tantundem minueret. Dicendum igitur videtur primum tabulatum non habuiſſe tigna ſua impoſita lateribus ſiue coſtis vtriuſque muri templi, ſed ipſiſmet primis muri imminutionibus. Secundum autem tabulatum impoſitum fuiſſe ſecundis retractionibus, ſemicubitalibus vtriuſque muri, ſicque ſecundus ordo cubiculorum cætera inferiori ſimillimus, cubicula ſex cubitis, iuxta Scripturam, lata habuit. Sed eius tigna, & coaſſatio ſeptem cubitorum latitudinem habuit, vt eſſet pauimentum par tertiæ contignationi.

d In c.41. Ezech.c.10

e Vide Villalp in c.41 Ezech.c.11

XVII *Tertius ordo cubiculorum.*

TERTIVS quoque cubiculorum ordo duabus, quas iam dixi, murorum retractionibus nixus, muros à ſe inuicem diſtantes ſeptem cubitis, ideoque & cubicula eiuſdem latitudinis habuit, numero quatuordecim, omnes numero 42. quorum altitudo erat viginti cubitorum, habuit autem hic ſupremus ordo, non ſolum tabulatum, ſed etiam tectum, vt vult Villalp. [f] Cuius tamen nullam ideo neceſſitatem: nam ſolidiſſimi parietes altiſſime adhuc erigebantur; nec erant vſquam rimæ, vnde aqua pluuia poſſet admitti. Sufficiebat ergo ornamenti gratia, hos tres cubiculorū ordines quadam muri prominentia, qualis eſt

f in ca.41. Ezech.c.12 ſ.11.

epiſtyliorum obtegi, ad vnum cubitum, inter vtramque columnam; quantum ſcilicet ipſa columna extat è muro; quod eleganter Vilalpan. in circuitu totius domus ſeruauit, inchoando ab ipſa veſtibuli porta.

XVIII. Cochleæ geminæ in veſtibulo, ad adeunda cubicula.

AD ſecundum, tertiumque cubiculorum ordinem, atque adeo ad ſuperiora omnia quæ dicemus, aſcendebatur per geminam cochleam, quæ incluſæ erant intra parietum veſtibuli ſoliditatem. Earum vna erat ad portam aquilonarem veſtibuli, altera ad portam eiuſdem auſtralem, ſic vt ingredientibus veſtibulum à parte aquilonari, ſtatim ad dexteram cochlea occurreret, ingredientibus autem à meridie, occurreret ad ſiniſtram. Etſi autem vulgaris editio cochleam tantum poſuerit numero ſingulari, ſicut & Ioſephus lib. 8. ant. cap. 2. Hebr. tamen habetur lubim, munero multitudinis, & Cald. aliique Rabini geminam in templo cochleam admittunt, idque exigit ratio commoditatis, & decori, in tanta, tamque eleganti fabrica, & ſibi in omnibus vndique artificioſiſſime reſpondente. Idque videtur ab Ezechiele affirmari.[a]

XIX. Vſus horũ cubiculorũ.

GEMINVS erat horum cubiculorum vſus, prior declaratur ab Ezech.[b] vbi dicuntur deſtinata fuiſſe ad orationem; vt ſcilicet ibi ſacerdotes, aliique orarent Deum, quibus temporibus templum ingredi fas non erat: ideoque ſingula cubicula geminas habebant feneſtras, alteram in muro externo templi, qua lumen acciperent, alteram in muro interno, qua intuerẽtur in templum. In templum, inquam, non autem in oraculum: quoniam, vt poſtea cum Abulenſi, & Villalp. dicetur, oraculum feneſtris carebat: vt mirum ſit ab eodem in prima ichnographia ſanctuarii, & in primo veſtigio templi feneſtrarum veſtigia in interiore muro, ſancti ſanctorum impreſſa fuiſſe, cuius rei reddit ipſe rationem in cap. 41. Ezech.[c]

2. Alter horum cubiculorum vſus colligitur ex 1. Paral.[d] vt ſcilicet ibi pretioſiſſima templi ſupellex aſſeruaretur. ideoq; iſtis cubiculis feneſtra in oraculum neceſſaria non erat: ſed ea ſufficiebat quæ ad lumen in exteriori pariete aperta erat: aperta, inquam, ad lumen. Nam obliquis vbique cancellis, omnes, & pulchrè ad venuſtatem, & firmiter ad vim arcendam clauſæ erant. Priori vſui iuxta Vilalpandi delineationes, & principia, dicendum eſt octodecim deſtinata fuiſſe, poſteriori autem 24.

XX. Feneſtra quibus templum illuminabatur.

QVONIAM vero hic cubiculorum triplex ordo, non vltra viginti cubitorum altitudinem erigebatur, vt conſtat ex dictis: reliquum erat ſpatium altitudinis templi interius decem cubitorum; vt conſtat ex tertio Regum[e] Illud ergo peramplis feneſtris altitudinis quinque cubitorum latitudinis trium, aut etiam vt mihi videtur, amplioribus inter columnas aperiebatur, quibus templum vndique lumen recipiebat, præter oraculum, quod vltra viginti cubitos non attollebatur. Feneſtræ igitur quæ reſpondebant oraculo conuexam eius partem illuminabant; ſed quoniam ibi non admodum neceſſarium erat lumen, quaſdã earum Villalp. occluſit, quaſdam etiam aperuit. Exterius autem hæc prima contignatio quinquaginta cubitis à templi limine aſſurgebat. Nam primum ad quadrageſimum cubitum, ſicut & paraſtades cum ſuis capitellis, erigebatur; & præterea decem cubitis trabeatio alta erat: quæ epiſtylia, zophorum, & coronidem compræhendit. Sed iam ad poſtremam templi partem tranſeamus.

XXI. Tertia tẽpli pars, eiuſq; nomina.

EA vocata eſt, vt ab eius nominibus ducamus initium interior domus, Oraculum, vel Oraculum templi, templum interius,[f] ſanctum ſanctorum,[g] Hebraicè debir, ſiue dabir, δαβὶρ habent Septuaginta & Theodoretus quæ vox, interprete diuo[h] Hieronymo, reſpondet Oraculo, quod locus eſſet in quo Deus loqui, & oracula fundere ſolebat,[i] Ioſephus vocat τὸν ἐνδότατον οἶκον, & ἄδυτον, id eſt, interiorem domum, & adytum, ſiue locum, quem adire fas non erat; penetrale vertit interpres: maxime autem proprie ſanctuarium dicitur, licet ea vox toti templo conueniat; ſicut & vox templi, vt diximus, ſecundæ parti maxime conuenit, licet reliquis quoque tribuatur. Habes autem vocem ſanctuarii proprie ſumptum[k] 3. Regum 8. Et apud Ezechielem 41. 21. vbi Propheta ait faciem ſanctuarii, & faciem aulæ ad eandem ſpectaſſe regionem, vt ibi Vilalpand.[l] eum explicat. Et ſæpius Leuit. 16. vbi & idem locus dicitur ſancta; ſicut & à D. Paulo.[m] Denique & domus propitiationis 1. Par. 28. 11. appellatur.

a Ez. 41. v. 11. Vid. ibid. para Vilal.
b c. 41. 11.
c l. 4. c. 34. in fine.
d c. 28. 11. 12
e c. 6. v. 2.
f 3. Re. 6. 17
g 3. Re. 6. 16.
h Eph. c. 2. fi
i nu. 7. fi.
k l. 8. c. 10
l l. 4. c. 46
m Hebr. v. 12. & 24.

a 3.Re.6 20 · b 2. Par. 3. v.8. Ezech. 45. 4. · c l.4. c. 7.8. 14.

AVGVSTISSIMI huius loci dimentionem tradit Scriptura [a] vbi ait oraculum habuiſſe viginti cubitos longitudinis, totidemq; latitudinis, & altitudinis; quod aliis quoque locis traditum eſt. [b] Separabatur hic locus ab aula, ſiue templo, muro latitudinis duorum cubitorum, & ſemis; qui & in longitudine aulæ, non autem oraculi comprehenditur: vt fuſe diſputat Villalp. [c] Vt area plane quadrata oraculo relinquatur, & arca fœderis in omnium parietum æquidiſtantia collocetur. In medio hoc pariete porta erat ſex cubitorum, vt dicitur Ezechiel c.41 3. alta vero 12. vt vult Villal. quod ea ſit portarũ ordinaria proportio: & ex vtraque parte eius paries ſeptem cubitorum longitudinis relinquebatur, ſicque tota latitudo templi complebatur: vt notauit ibi Theodoret. & apertum eſt in ſeptuaginta Sixti. Itaque in edit. vulg. vbi latitudo portæ dicibus fuiſſe ſeptem cubitorum latitudo pro lateribus accipienda eſt, vt Sà quoque, & Vatab. & Villal. accipiũt. Et Emanuel quidem duos cubitos portæ collectiue ſumit, vt ſcilicet quiſque poſtis vnius cubiti eſſet, vterque autem duorum. Non videtur tamen à ſimplici, & perſpicua ſcripturæ ſententia diſcedendum. Nam vel ad ſe ipſum duntaxat ſuſtentandum, videtur infirmior, præſertim cum ingens porta ei appenſa eſſe, & ſupernè magna fornix, & concameratio illi quoque inniteretur. XXII. *Oraculi menſura.* *Vt diuiſum a ſancto.*

PORRO altitudo eius erat viginti cubitorum, ſicut & reliquorum trium. Neque propterea hæc templi pars reliquis erat humilior. Nam de omnibus Scriptura vniuerſe loquens ait, domum habuiſſe ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti in latitudine, & triginta in altitudine. Nam [d] ſuper erectam illam murorum altitudinem viginti cubitorum fornix erigebatur cedrina, cœlum, vt poterat, imitata: cuius celſitudo decem cubitos attollebatur, quanta erat ſemidiametri longitudo. Concameratio cedrina concauum dumtaxat tegumentum fuit lapideæ concamerationis, quandoquidem vt reliqui parietes cedro, aliiſque deſuper ornamentis tegebatur, vt poſtea dicemus. Quo poſito merito iſti parieti duo cubiti, atque etiam dimidius, vt vult Villal. tribuentur: & lateribus præterea, quæ addit Villalp. in primo veſtigio ſanctuarij, extrinſecus verſus templum ad eandem viginti cubitorum altitudinem fulcientur. XXIII. *Eiuſdem altitudo.* *& fornix.*

d Villalp in c.41. Ezech. c.12.

IPSVM porro oraculum nullam vlla ex parte lucem, præterquam ex foribus apertis accipere poterat; qui ipſi velo tegebantur, ſicut olim quoque intimum Moſis tabernaculum. Id fuſe diſputat Villalp. in cap. 41. Ezechiel. [e] & Pine. cum eo li.5. de reb. Sa. [f] & Abu. in c.1. Leu. q.4. qui docent Sanctũ ſanctorum caruiſſe feneſtris, etſi aliter viſum Torniel. Prima ratio Villal. eſt, quoniam tabulata, quæ cingebant oraculum, cubitos 18 cum tribus quadrantibus, non relinquebant locum feneſtris; cum paries oraculi viginti tãtum eſſet cubitorum. At eadem tabulata, quæ ſancta quoque ambiebant, non impediebant quominus feneſtræ aperirentur, quibus in templum pateret aſpectus, illic orationi vacantibus. Secunda quoniam cum locus is nunquam niſi ſemel in anno ſumma cerimonia adiretur, ne ab ipſo quidem pontifice, vt conſtat ex legatione Philonis ad Caium, etiam propoſito capitis ſupplicio: neque lumine, neque feneſtris opus habuit. Tertia quoniam Dominus nolebat oraculi locum, & propitiatorij videri, etiam ab ipſo Pontifice; ideoque quando is ingrediebatur in eum locum, iubebatur accipere thuribulum, quod de prunis altaris impleſſet, & haurire manu compoſitum thymiama, quod mitteret in incenſum; vt iniectis in ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiret oraculum, ne viſo eo moreretur, vt habetur Exodi 17. [g] & confirmat Origenes homilia nona in Leuit. Multo ergo minus volebat Dominus a quoquam alio per feneſtras in oraculum oculos conijci: imo ne a porta quidem ipſa. Ideoque ne per occaſionem ingreſſus Pontificis, quiſquam in ſanctuarium introſpiceret, vetuit Dominus olim, [h] quemquam eſſe in tabernaculo quando Pontifex ſanctuarium ingrederetur. XXIV. *Luminibus caruit, & feneſtris, & quare.*

e l.4.c.34. · f c.5.n 142. · g v. 12. 13. · h Leuit. 16. 17.

ET hactenus de templo vſque ad primam contignationem: cuius altitudo intra templum, erat quidem 30. cubitorum, extra vero quinquaginta, vt Villalpando placet, & fuſe probat [i] probat etiam Azor. [k] Nam coſtæ illæ, ſiue paraſtades, quæ totum templum cingebant, cum baſibus & capitellis ſuis, vſque ad quadraginta cubitos erigebantur: iis autem vndique trabeatio decem alta cubitos imponebatur. Intra quam tabulatum, quod totam templi longitudi- XXV. *Altitudo templi.*

i t.2. l.5.ca. 14. · k t.1.l.6.ca. 52.q.5.in fi. ex Ezech.

nem, ac latitudinem operiret, excitatum eſt. Et certe cum ex 2. Paral. [a] conſtet templi porticum vſque ad altitudinem 120. cubitorum excitatam fuiſſe, quod Ioſephus confirmat, [b] nec ſolum de porticu, ſed de toto etiam templo aſſerit, quem Beda, & alii ſecuti ſunt, niſi prima contignatio ad quinquaginta cubitos erigatur, inſulſa erit earum proportio, qualem fingit Ioſephus. vt prima ſit 30. cubitorum, ſecunda totidem, tertia 60. Sed quid faciemus, inquies, iſtis viginti cubitis vacuis intra templum, & primam contignationem per totam templi lõgitudinem? An dicendum id ſpatium partim teſtitudine, quæ decem cubitis aſſurgeret, occupatum fuiſſe, partim relictam inanitatem vſque ad primam contignationem, quæ ad ſanctitatem oraculi declarandam pertineret, cuius tectum calcare non liceret; [c] fuiſſe autem teſtudinem lapideam; quæ lignea in concaua ſui parte veſtiretur; inde colligi poteſt quod niſi ſuſtentandæ fuiſſet lapideæ cõcamerationes, non videtur fuiſſe neceſſarium geminos templo muros, & vtrumque tam craſſum adiungere. Quæ tamen fornix miro deinde artificio, ſicut & parietes oraculi, conueſtiretur. Sed hac de re poſtea, cum de templi ornamentis agemus.

[a] c. 3. 4.

[b] l. 8. c. 2.

[c] Villalp. l. 5. c. 15.

XXVI. *Secunda tẽpli contignatio. Quid conueniat cum prima, vel ab ea differat.*

QVOD ad ſecundam templi contignationem attinet, ea fuit altitudinis quadraginta cubitorum, vt cum prima quinquaginta cubitorum coniuncta, nonaginta cubitos abſolueret. [d]

In hac porro contignatione ſuperiores columnæ, ſiue paraſtades (vt de exteriori prius ædificio, quam interiori dicamus) inferioribus eodem ordine reſpondebant, ſed ſuperiores triginta tantum cubitorum altitudinem habebant, inferiores vero quadraginta, & cum primi ordinis trabeatio eſſet decem cubitorum, ſecundi fuit ſeptem, cum dimidio, adde podium (id eſt quaſi perpetua quædam plinthus, cui ordinatæ columnæ inſiſtunt) vnius cubiti cum quadrante, fient 38. cubiti cum tribus quadrantibus, quæ pro 90. computantur. Sed quod hic deeſt, in tertio ordine ſuppletur. Denique minorem habent ſingulæ latitudinem atque eminentiam à muro; ſolent enim omnia in ædificiis prout altius attolluntur, imminui.

[d] Vt volt Villalp. l. 5. c. 16. ex cap. 41. Ezech. v. 12. & in Paraphr. & in figur. 4. 5. 6.

XXVII. *Aſſurgit ſupra interiorem tantũ templi murum.*

NVMERVS etiam columnarum diminuitur, quia exterior murus non progreditur vltra primam contignationem, præterquam in veſtibulo domus, in quo paraſtades eriguntur ad perpendiculum vſque ad ſummum ædificii totius; at cæteræ circa domum retrahuntur ad interiorem murum; ad eum fere modum, quo in ſubſtructionibus anterides ſenſim aſcendendo minuebantur. Quod facile fuit prægrandibus lapidibus exteriorem murum finiendo, cum interiore; qui altius erigendus erat, connectendo, ne ille exteriori parum venuſtè finiretur. Huic autem retractioni excogitandæ occaſionem dedit Scriptura, quæ interiorem templi murum tanquam altius euehendum craſſiorem externo fecit. Et cubiculorum inter muros in ſecunda contignatione mentionem nullam facit; quo fit vt ſuperfluus deinceps ille murus exterior futurus eſſet, præſertim cum tertia contignatio nulla eſſet futura.

XXVIII. *Generales templi retractiones.*

ADDE quod decentius eſt ad varietatem, in magnis iſtis ædificiis, fabricam in ſuperioribus paulatim contrahi, quam vniuſmodi ad ſumma faſtigia reſeruari. Sic prima contignatio habet cubitos longitudinis centum, latitudinis autem, extra veſtibulum, ad quinquaginta quinque; ſecunda vero longitudinis cubitos nonaginta, latitudinis 55. tertia turrim tantum veſtibulo nixam habet, longam 60. cubitis, latam 25. Intercolumnia porro geminis feneſtris ſingula, perpendiculariter diſpoſitis ornata fuerunt, quæ inferioribus ſitu, & ornamentis reſpõdebant, paulo tamen grandiores eas facit Villalp. nimirum latas cubitos tres, cum dupla altitudine; erant autem in hac contignatione intercolumnia duodecim, quinque à Septentrione, ab Auſtro totidem, ab Occidente duæ. His accedebat trabeatio ſeptem cubitorum cum dimidio, vt dixi, & inſuper corona quædam, ſiue peribolus circa tectum, ad prohibendum caſum. Quoniam tectum planum erat, non faſtigiatum, & ſuper illud aditus patebat per cocleam, qua ad ſecundam, & tertiam contignationem, ex imo veſtibulo aſcendebatur.

7. *Intercolũnia ſecundæ contignationis.* 12.

Trabeatio eiuſdem, & peribolus.

XXIX. *Cœnaculũ*

IAM quod ad interiora huius contignationis attinet, Villalp. murum illum diuidentem aulam ſacram ab oraculo latum cubitos duos, vſque ad tectum ſe-

cundæ contignationis erigit: vt eſſet eadem in ſecundo hoc cœnaculo ſeparatio, quæ erat in inferiore templo: porta etiam in medio inferiori portæ oraculi reſpondebat, ſi quando eſſet opus adire ſupra teſtudinem oraculi, cui autem vſui eſſet hoc cœnaculum geminum non ſatis conſtat; de priore quidem dixi non adiri ſolitum ob reuerentiam ſubiecti oraculi; de altero, legi qui putarent delatum ex Gabaone Tabernaculum Moyſis ibi collocatum; Potuit etiam illud quod Dauid in Sione erexerat ante annos 34. transferri. Ibidemque non tenſum, neque enim id loci anguſtiæ patiebantur, ſed decẽter complicatum, religioſe aſſeruari. Eupolemus certe apud Euſeb. lib. 9. de præpar. extremo, de Salomone agens. [a] *Inde*, inquit, *tabernaculum, altare, ac vaſa, quæ fecerat Moſes Hieroſolymam deportauit, atque in æde poſuit, & inibi arcam, & aram auream, & candelabrum, & menſam, & vaſa cætera collocauit, prout ei Propheta mandauerat.* Sic Eupolemus. Sed teſtem habemus ſcripturam ipſam. Verum hac de re commodiore loco dicemus; [b]

a 3. Reg. 8.

b Vide Torniellum an mundi. 3023 n. 4. & Villalp. l. 5. ca. 60.

XXX. *Tertia templi contignatio. Et eius altitudo.*

SVPEREST contignatio tertia, quæ turrim quadrilateram habuit, & ſupra templi reliqui tectum triginta cubitis attollebatur, vt tota altitudo eius à limine ad ſummum faſtigium eſſet 120. cubitorum, vt diſerte habetur. 2. Paral. 3. 4. vbi de latitudine, & altitudine porticus ita legimus. *Porticum vero*, ædificauit, *ante frontem*, (templi ſcilicet, & oraculi) *quæ tendebatur in longum iuxta menſuram latitudinis domus cubitorum viginti, porro altitudo centum viginti cubitorum erat.* Scio eſſe non paucos eruditos viros, tam ex recentioribus, quam antiquioribus, in quibus Beda, Rupert. Ribera, [c] Barad. [d] Torniel. [e] Abulenſ. [f] qui omnes vno Ioſepho nituntur, qui hanc altitudinem non ad ſolam turrim hanc, ſed ad totum templum referri velint. Is enim geminum in templo ædificium, ſiue cõtignationem ponit; & vnamquamque [g] earum ſexaginta cubitis altam fuiſſe aſſerit; *itaut tota altitudo templi*, inquit, *centum viginti cubitis conſtaret.* Sic ipſe, qui mox eandem altitudinem veſtibulo tribuit, cuius ſi ſententiam refutauerimus, eorum qui eum ſecuti ſunt opinionem corruere neceſſe erit.

c l. 1. de templ. c. 5.
d to. 2. l. 3. c. 25.
e in 5. ætat. an. 1. n. 2. & 4.
f in 2. Paral c. 3. q. 9.
g l. 8 c. 2.

XXXI. *Non ad totius templi.*

EVERTIT autem eam, ac refutat vel ipſe textus iam allatus qui perſpicue de ſola porticu, ſiue veſtibulo loquitur, de qua etiam illud conſequenter addit, *& deaurauit eam intrinſecus auro mundiſſimo*, nam non de toto templo id dictum fuiſſe patet ex eo, quod de aula ſancta ſtatim ſubdit, laminis aureis conueſtitam fuiſſe. Hebraïcus etiam textus, & Græcus altitudinem hanc ad ſolam porticum referunt, ſicut & latitudinem proxime in eadem periodo memoratam, vt æque de vtraque, aut potius de neutra dubitari debeat, nec Septuag. Romanæ, & Baſilienſ. edit. habent τὸ αἴλαμ, cui male reſponderet, κατεχρύσωσεν αὐτὸ, ſed αἴλαμ ſine articulo. Ita ſentiunt Villalp. [g] Azor. [h] Arias Montanus in libello de templi fabrica, cum rem ex profeſſo tractarent. Quibus ratio ipſa, & concinnitas ædificij vehementer fauet. Quod ad longitudinem, & latitudinem turris, ea quam dixi traditur à ſcriptura, ſed ſecluſis parietibus, quibus ſi adiungantur, longa erit in ſummo ſexaginta cubitis, lata vero viginti quinque, vt ſupra quoque dictum eſt.

h to. 2 l. 3. c. 46. & l. 5. c. 14.
i to. 1. l. 6 c. 52. q. 4.

XXXII. *Quæ forma veſtibuli, ſiue turris.*

HÆC ergo turris ſurgebat ab imo triplici ordine columnarum iuxta proportionem reliquarum partium templi. Eius facies orientalis quam depingit Villalp in 4. figura, ſicut in imo veſtibuli habebat portam maximam, quatuordecim cubitorum, ad quam octo gradibus aſcendebatur, & columnas vtrinque geminas, cum feneſtris, inter columnas, & ex vtroque latere item portam, cum ſingulis ad latera ſingula columnis; ita etiam in ſecundo ordine, par omnino numerus portarum, columnarum, & feneſtrarum fuit; omnibus tamen debita proportione diminutis, ſed portæ, non vſus, verum ornatus tantum gratia, & correſpondentis proportionis, cum inferiore domicilio, appoſitæ erant; idemque de tertio quoque dicendum eſt, in quo ab oriente intergeminas columnas ſingulæ feneſtræ aperiebantur, & ab Occidente totidem, ab alterutro latere nullæ, vt ex 4. 5. 6. idea Villalp. patet; quem eo libentius ſequor, quo diligentius eſt in toto hoc opere tot annis verſatus; & à quo, niſi grauatè admodum, non diſcedo: paſſim enim ſcripturam ſibi conſentientem, deinde etiam architecturæ rationem affert; à qua tum alij paſſim, tum Ioſephus ipſe ſæpiſſime diſcedit. Quod operæpretium eſt animaduertere, antequam ad templi ornamenta tranſeamus.

XXXIII. *Nonnulla*

PERPAVCA ille quidem de templi huius fabrica dixit lib. 8. ant. c. 2. nec tamen

Ioſephi circa templum errata.

pauca in iis, neque parui momenti errata commiſit.

Errat primo quod altitudinem ædificij inferioris, quo oraculum, & aula ſancta, ſiue templum ipſum proprie dictum continebatur, ſexaginta cubitorum fuiſſe dicit, quod de interiore ædificio falſum eſſe conſtat, cum tertio Reg. 6. habeatur altitudo triginta cubitorum, id eſt media ex parte minor. (V. 2.) Externum autem, de quo agit Ioſephus, ad quinquaginta duntaxat attollebatur, vt ſupra ex Villalp. monſtratum eſt, & infra ex dimentione atriorum patebit. Sed confudit Ioſephus altitudinem templi Zorobabelis, quod ſexaginta cubitos altum fuiſſe conſtat [a] cum altitudine Salomonici templi. (a I. 1. Eſdr. 6. 3.)

XXIV. *Superiora ædificij æquat inferioribus.*

ERRAT ſecundo, quod ſuper hoc ædificium aliud extructum dicit pari menſura, ita ut tota altitudo templi centum & viginti cubitis conſtaret. At eam altitudinem ſoli turri veſtibulo ſuperſtructæ tribuendam eſſe, ex ſcriptura probauimus. Et Villal. [b] ex hoc maxime loco probat Ioſephum ignarum architecturæ. (b to. 2 p. 2. l. 5. c. 14.) *Quis enim*, inquit, *ædificij tam magnifici altitudinem in duas, eaſque pares omnino partes diuidi patiatur, contra ſacræ ſcripturæ exempla, quæ affirmant ſuperioribus ædificij partibus, ſiue columnis detrahendum eſſe de altitudine inferiorum. Quod etiam ratio ipſa ædificij, & à natura petita exempla confirmant.* Sic ipſe, [c] alludit autem ad id quod eleganter docet etiam Vitruuius, cuius verba non pigebit adſcribere. [d] (c vide & l. 4. c. 67. d l. 5. c. 1.) *Columnæ ſuperiores quarta parte minores, quam inferiores ſunt conſtituendæ. Propterea quod oneri ferendo, quæ ſunt inferiora firmiora eſſe debent quam ſuperiora. Non minus quod etiam naſcentium oportet imitari naturam, vt in arboribus teretibus, abiete, cupreſſu, pinu, è quibus nulla non craſsior eſt à radicibus, deinde creſcendo progreditur in altitudinem naturali contractura peræquata naſcens ad cacumẽ. Ergo ſi natura naſcentium ita poſtulat, recte eſt conſtitutum & altitudinibus & craſsitudinibus ſuperiora inferiorum fieri contractiora.* Sic ipſe.

XXXV. *Cellas male numerat.*

ERRAT tertio quod in circuitu templi triginta cellas ſiue breues domos, vt ipſe Græcè habet conſtituit (Rufinus habet tantum viginti) ſuper quas totidem alias ponit, & rurſum tertio alias triginta, omnes numero 90. ſic enim legitur. *In circuitu deinde templi conſtruxit triginta cellas, quæ inter ſe conſtipatæ, externè parietes templi fulciebant.* Et paulo poſt, *ſuper has alia ſeries cellarum erat conſtructa; ſuper quam rurſus aliæ, omnes inter ſe numero, & amplitudine pares, ita ut coniunctæ inferius ædificium æquarent altitudine*, Villalpandus [e] putat Ioſephum velle denas tantum cellas in quouis ordine fuiſſe; at id textus Ioſephi non patitur, nam perſpicue numerat triginta cellas in circuitu, & ait ſuper has, non autem ſuper decem earum. (e l. 4. c. 24.) Idque Torniellus credidit, [f] & quoquo modo in figura expreſſit, crediderunt & alij ante eum, vt ex Villalp. l. c. patet; at is numerus abſurdiſſimus eſt, quod maxime ex earum dimentione ſtatim patebit. (f an 1. 5 ætatis, n. 8.)

XXXVI. *At male dimetitur earum longitudinem.*

ERRAT quarto quod ſingulas cellas patuiſſe ait in longum viginti quinque cubitos. Rufinus vel in diuerſa incidit exemplaria, vel emendauit ex ſcriptura Ioſephum, legit enim quinque cubitos longitudinis; quomodo etiam legi vult Villalp. l. c. at neutra lectio Ioſephum tueri poteſt. Nam triginta cellæ longæ ſingulæ viginti quinque cubitos cõficiunt 750. cubitos: at tota domus in extimo quatuor laterum circuitu, vix ambitum 310 cubitorum colligebat: & tamen in tribus tantum lateribus cellæ iſtæ eſſe potuerunt. At ſi quinque cubitos longitudinis ponas, decem cellæ in ſingulis ordinibus ne vnum quidem latus ſeptentrionale cingẽt: triginta vero, tria latera non æquabunt.

Latitudinem.

ERRAT quinto in dictarum cellarum latitudine, cui totidem, id eſt 25. cubitos attribuit. Rufinus hic quoque legit 5. cubitos; ſed prior lectio abſurdiſſima eſt, ſic enim hæ domus tollunt plateam viginti cubitorum, quam Ezechiel vndique circa templum conſtituit: imo & in porticum vicinam vndique irruunt confuſione mirabili. Poſterior etiam vera eſſe non poteſt, niſi de primo ordine; nam ſcriptura docet, ſecundum ordinem cubiculorum latitudinem habuiſſe ſex cubitorum, tertium vero ſeptem; non ergo omnes ordines erant numero, & amplitudine pares, vt ſcribit Ioſephus eodem loco.

XXXVII *Et altitudinem.*

ERRAT ſexto in earum altitudine, quas vult fuiſſe viginti cubitorum, & ita in Græco legitur, & in Rufini verſione, atque Gelenij, & ita omnino legendum eſt, quia ſic tres cellarum ordines ad ſexageſimum cubitum erigentur, vt ipſe vult, vt ſic inferius ædificium eiuſdem altitudinis operiant, ait enim *ita vt coniunctæ inferius*

ædificium æquarent altitudine, ei autem paulo ante ſexaginta cubitos attribuerat: vt fruſtra eum repugnantem ad verum ſenſum trahere conetur Villalp. l. c. Aſt quam abſurde ſentit Ioſephus; ſic enim nullus relinquitur feneſtris locus, quibus templum illuminetur, quod abſurdiſſimum eſt, & contra Scripturam, quæ [a] factas fuiſſe in templo ait feneſtras obliquas. Vt omittam nullam plane proportionem in iſtis eius cellis ſeruari, quæ, iuxta ſcripturam ſupra expoſitam, decentiſſima eſt.

a 3. Reg. 6. 4.

Errat ſeptimo in eiſdem cellis, cum negat earum tecta fuiſſe contigua, ſed ſingulas ſuum tectum habuiſſe ὄροφος δὲ ἑκάστῳ ἴδιος ἐπικείμενος, πρὸς τῆς πλησίον οὐ συνάπτων. At cum domus eſſent inter ſe conſtipatæ, ac præuiæ, vt ipſe fatetur, ideoque & communem vnum parietem ſingulæ haberent, quomodo non erant tecta connexa, & contigua. niſi partem aliquam ſingularum ſub dio iniuriis cæli obnoxiam dicat; cum dicendum potius fuerit, vnico omnes tecto opertas fuiſſe, vtpote omnes altitudine pares.

XXXVIII. *Errat & in earum tectis.*

Aberrat denique à ianuis, nequicquam monente Ariſtotele. Nam fores templi, ſiue aulæ ſanctæ latas viginti cubitis facit, proportione conuenientes altitudini parietis, θύρας ὥσπερ εἰ χώρας πηχῶν εἴκοσι. Atqui ea tota erat latitudo templi, & parietis eum claudentis; totus ergo ſuperior paries in aëre pendebat. Contradicit etiam aperte Ezechieli, [b] qui huius portæ latitudinem decem cubitorum fuiſſe dicit, & eius latera hinc inde quinorum cubitorum. Craſſitudinem autem ſenum. Ex quibus ſatis intelligitur quam bene de templo Salomonis meritus ſit Ioſephus, ſicut & de tota hiſtoria ſacra.

Et templi foribus. 8.

b c. 41. 2.

Verum his de templi ipſius fabrica pro inſtituta breuitate decurſis, ad eius ornamenta, quæ proxime ædificium attingunt, tranſeamus. Tum ad ſacram eius ſupellectilem veniemus.

XXXIX. *Materia templi precioſa.*

Et primum in ornamentis poni poſſunt lapidum & lignorum precioſa materia. Nam præter vulgares lapides, qui maximi & ſolidiſſimi eligebãtur; vt in templi fundamentis ex Ioſepho ſupra retulimus, Dauid [c] ſe marmor. Parium abundantiſſime præparaſſe in templum confitetur, ſiue tum Parium marmor in vſu, & precio erat; ſiue id marmor fuit marmori Pario ſimile, id eſt, candidum. Albis autem lapidibus excitatos ad lacunar vſque tẽpli parietes affirmat Ioſephus, [d] ad cuius ſimilitudinem cum de Herodiano templo agit. [e] *Conſtabat*, inquit, *ſtructura è lapidibus candidis firmiſſimis, magnitudine viginti quinque cubitorum in longum, octo in altum, latitudine vero cubitorum duodecim.* Sic ipſe. Sed huic hyperbolicæ magnitudini merito architecti non credent; quis enim tantos ſcopulos tractare, verſare, polire, ornare, circumferre poſſit? Certe ſcriptura dum agit de fundamentis domus Salomonis [f] lapides magnos vocat decem vel octo cubitorum tantum.

Marmor.

c 1. Paral. 29. 2.

d l. 8. c. 2.

e l. 15. c. 4.

Magnitudo lapidum ex Ioſepho incredibilis.

f 3. Reg. 7. 10.

Idem Salomon iam ante pro templo præceperat tolli lapides grandes, lapides precioſos in fundamentis templi, eoſdemque quadrari, & dolari, lapides præterea precioſos paratos à ſe dicit Dauid, id eſt, lapides, qui in honore & precio eſſent, propter bonitatem, pulchritudinem, raritatem. Addit & lapides diuerſorum colorum, ſiue variegatos coloribus diuerſis, quales ſunt porphyretici, & à ſerpentium maculis ophitici dicti; niſi malis id nomen ab ingenita contra ſerpentes virtute dictum. Qua de re conſule Plin. l. 36. c. 7. vbi multa de precioſorum lapidum, ac marmorum verſicolorium generibus. Fuerunt & onychini, id eſt, coloris vnguium, & ſtibini lapides, id eſt, nigricantes, & velut ferruginei coloris, qualem paſaltem vocat Plinius ibidem, ferrei coloris, atque duriciei, qualem eſſe ſtibij colorem docet Pined. [g]

XL. *Pulchritudo, ac precium.* *Lapides porphyretici. Ophitici.*

g de Salom. l. 5 c. 5. n. 88.

Ex quibus non ſolum columnarum capitella confecta, baſes, epiſtylia, zophori, coronides, portarum, feneſtrarum, altarium ornamenta; ſed pauimentum etiam ipſum conſtratum erat. Sic enim legimus. [h] *Strauit quoque pauimentum templi precioſiſſimo marmore, decore multo*, quo videtur alluſiſſe Iſa. [i] cum Eccleſiam Catholicam ſic alloquitur. *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione; ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos.* id eſt, interprete Chaldæo, ſternam in ſtibio lapides pauimenti tui, id eſt, lapides nigricantes, vt diximus, ſed pergit Propheta, *& fundabo te in ſaphiris, & ponam iaſpidem propugnacula, & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos* (τὸ περίβολόν σου) *in lapides deſiderabiles*, ſiue electos apud 70. De templi

XLI. *In precioſa opera. Atque adeo in pauimenta.*

h 2. Paral. 3. 6.

i c. 54. 11.

parietibus eadem iure dici poſſunt, quæ de parietibus domus Salomonis, de quibus ſic legitur. [a] *Omnia lapidibus precioſis, qui ad normam quandam atque menſuram, tam intrinſecus, quam extrinſecus ſerrati erant, à fundamento, vſque ad ſummitatem parietum, & extrinſecus vſque ad atrium maius.* a 3. Reg. 7. 9.

XLII. *Quanto artificio constructi templi parietes ex ſcriptura. Ioſepho. Theodoreto.*

Sed de ipſis templi parietibus, [b] ita ſcribit ſacer hiſtoricus. *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt; & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur.* Quæ ita per hyperbolem explicat Ioſephus. [c] *Tota vero ſtructura è lapidibus politiſſimis conſtabat ita ad vnguem inter ſe quadrantibus, & commiſſuris oculos fallentibus, vt intuentibus nullum vſquam mallei, aut cuiuslibet inſtrumenti veſtigium appareret; ſed connata potius omnia, quam arte congeſta viderentur.* Quam tamen expoſitionem ſine vlla hyperbole ſumit Theodoretus, & eam vt hiſtoricam refert, ait enim: [d] *Ipſum quidem templum ædificauit ex lapidibus minime cæſis ſecuribus, cum diuina voluiſſet prouidentia vt inuenirentur huiuſmodi ſua ſponte nati lapides, adeo vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, ſed abſque vlla arte ædificandi, inter ſe apte coniungerentur. Sectis autem lapidibus extructus fuit templi ambitus, & regiæ, & murus metropolis, & alia vrbes, quas effecit munitiores.* b 3. Reg. 6. 7. c l. 8. c. 2. d q. 21. Reg 3.

XLIII. *Rurſum ex eodem.*

Et rurſum quæſtione 22. *Dixi iam templum fuiſſe ædificatum ex ſua ſponte natis lapidibus; ſectos autem lapides, quibus extruxit ambitum templi iuſſiſſe in monte dolari, ac poliri, & inter ſe compingi, & concinnari, vt nulla de cætero egerent operatione.* Verum hoc Theodoreti miraculum, quod Procopius, & S. Ephrem non improbarunt, nullum habet in ſcriptura fundamentum; multo autem minus Hebræorum fabula de lapidibus vermis cuiuſdam ſanguine fiſſis, quem vocant Samir, qua de re vide Pined. lib. 5. de Salom. [e] Illa ergo communis expoſitio magis probatur, in monte ita concinnatos, ac politos lapides ad normam ſibi ab architectis datam, nihil vt poſtea opus fuerit inſtrumentis in templo ad eos reliquæ fabricæ coaptandos. Id autem ſi in nudis ipſis parietibus, ac molibus verum eſt, quanto hoc diligentius in baſibus, & capitellis, & toto trabeationum ornatu exiſtimendum eſt. e c. 5. n. 92. *Qui improbatur.*

XLIV. *Ornatus ex proportione.*

SED erat alius ædificii totius ornatus præcipuus, & omnium longe maximus, ex totius fabricæ proportione, ac diſpoſitione mirabili, quæ vt nullum haberetur ſcripturæ teſtimonium, facile architectum proderet ipſum Deum. Id habetur in primo Paral. 29. 11. Vbi poſt longam partium templi enumerationem; *Omnia*, inquit Dauid, *venerunt ad me ſcripta manu Domini, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.* Qua de re alibi quoque diximus. Sed id artificium, quia in atriorũ, & porticuum artificioſiſſima, atque elegantiſſima dimentione, atque diſtributione ipſi templo reſpondente cernitur, ea de re poſterius dicendum erit. Nunc de particuliaribus ornamentis.

XLV. *Ornatus oraculi. Ex laminis aureis,*

Facile intelligi poteſt quanta fuerit ornamentorum magnificentia, ex iis quæ de oraculo ſcriptura commemorat. Nam 3. Reg. 6. [f] vbi dixit oraculum habuiſſe viginti cubitos longitudinis, totidemque latitudinis, & altitudinis, ſubdit, *& operuit illud, atque veſtiuit auro puriſſimo*, & ne quis putaret inauraſſe tantum, addit veſtiuiſſe laminis aureis, caſq. aureis clauis affixiſſe. Ideq. habetur paulo explicatius 2. Paral. 3. 8. *Fecit quoque domum ſancti ſanctorum; & laminis aureis texit eam, quaſi talentis ſexcentis*, id eſt iuxta ſupputationem alibi traditam ex Epiphan. (attribuente 125. libras auri cuiuis talento; id eſt, duodecim millia, & quingentos aureos) ſeptem millionibus, & quingentis millibus aureorum. f v. 10.

XXVI. *Clauiſque aureis.*

Pergit autem ſcriptura. *Sed & clauos fecit aureos, ita vt ſinguli claui ſiclos quinquagenos appenderent.* Cum autem tria millia ſiclorum in talento numerentur, ſinguli claui valent 208. aureis cum triente. Magnum ſcilicet vnumquemque eſſe oportuit ad coniungendos quatuor laminarum aurearum angulos, & ſubiectis aſſeribus cedrinis infigendos. Et quoniam huiuſmodi claui ad ornatum potius, quàm ad neceſſitatem adhibebantur, eos eximia quadam arte confectos fuiſſe credibile eſt: forte etiam palas habuerunt ad precioſos lapillos includendos. Innuit Ioſephus [g] cum loquens de palatio Salomonis. *In ſumma*, inquit, *totum ædificium è marmore candido, & cedro, & auro, atque argento conſtabat, diſpoſitis per parietes, & laquearia variis lapillis auro incluſis, quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat.* Sic ipſe. g l. 8. an. c. 2.

Hos

XLVII. Quid de his Eupolemus.

Hos clauos argenteos fuiſſe ſcripſit Eupolemus apud Euſeb. libr. 9. præpar. extremo. & quidem talenti pondere. Sic enim habet. *Templum autem intrinſecus laterculis aureis quinque cubitorum opere fuſorio deaurauit, atque quaternis argenteis clauis confixit talenti pondere, in papillarum ſpeciem ordine diſpoſitis*; quod vtrumque contra ſcripturam eſt, quamuis quaternis, & non ſingulis, talentum tribuat. Addit parietes ipſos laterculis aureis quinque cubitorum magnitudine conueſtitos; Sed Villalp. [a] huiuſmodi laterculos nimis magnos fuiſſe putat, cum ſic quilibet paries laterculis ſedecim operiri poſſet. Itaque ipſe ea multo minora fecit, in figura proſpectus Sancti ſanctorum.

a l.5.c.42.

XLVIII. Quæ forma conueſtitorum parietum.

In quo videas ſingulos parietes, quaſi decuſſatim laterculis aureis rhombi formam referentibus, fuiſſe contectos, & huc referri poteſt quod dicitur in Scriptura, [b] omnia laminis aureis fuiſſe conueſtita, *opere quadro ad regulam*. Eſt autem rhombus figura quadrilatera duos angulos obtuſos, ſibi è regione oppoſitos habens, totidemque acutos eodem ſitu ſibi reſpondentes. Omnes laterculorum limbi vndique quadam quaſi faſcia decuſſata tegebantur, quæ aliquam latitudinis laterculi partem obtegebat; clauus autem adhibitus erat vbicumque decuſſatio contingebat, ſingula vero latercula fructibus, floribus, fruticibus, aut id genus agalmatis ex auro prominentibus decorabantur. Aptabantur enim laminæ aureæ, ſubiectis cælaturis ex cedro prominentibus. Id perſpicue habetur in 3. Reg. [c] *Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur, habens tornaturas, & iuncturas ſuas, fabrefactas, & cælaturas eminentes; omnia cedrinis tabulis veſtiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete.* Quæ ſic vertuntur apud Vatabl. porro aſſeres iſti cedrini, qui erant intus, in ædes extrudebant nodos prominulos, floreſque apertos, omnia ex cedro erant, vt lapis nullus appareret. Ipſe tamen Vatabl. ex Hebræo legit cælaturas cucurbitarum agreſtium, vel colocyntidarum, & cælaturas variorum florum.

b 3. Reg. 6. v. 35.

c ca. 6 8.

XLIX. Quæ in eis cælata.

Non ergo cælaturas valde eminentes ſine cauſa dixit: cucurbitæ enim, vel colocyntides magni fructus ſunt. Quibus adde quæ verſ. 29. ſubdit Scriptura: *Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit variis cælaturis, & torno, & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quaſi prominentes de pariete, & egredientes*, & hæc cum de templo ipſo, ſiue aula ſancta dicantur, tanto magis de oraculo intelligi debent.

Palmæ, & Cherubini oraculi.

Porro quod ad palmas attinet, & Cherubinos, eos hoc ordine in oraculo diſponit Villalp. vt ſingulæ in ſingulis oraculi angulis palmæ à pauimento ad ſummum parietem erectæ collocarentur, tum etiam ſingulæ in medio; excepto pariete Orientali, in quo porta aperiebatur; quo loco palmam longe minorem eſſe oportuit, erectam à ſuperiore limine portæ, vſque ad fornicem, inter duas autem palmas vnus Cherubinus collocatus eſſet. Præit huic diſpoſitioni Ezechiel; [d] *Et fabrefacta, inquit, Cherubim, & palmæ: & palma inter Cherub. & Cherub. facieſque duas habebat Cherub, faciem hominis, iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam, ex alia parte; expreſſa per omnem domum in circuitu. De terra vſque ad ſuperiora portæ, Cherubim, & palmæ cælatæ erant in pariete templi.*

d c. 41. v. 18.

Ex Ezechiele.

L. Quomodo diſpoſiti.

Qvæ paraphraſi ſic explicat Villalp. inſculpebantur imagines Cherubinorum, atque palmarum ita ordine diſpoſitorum, vt inter binos quoſque Cherubinos palma vna ſtatueretur; inter binas quaſque palmas vnus Cherub. Cherubini autem vniuſcuiuſque diſpoſitio ita erat, vt è quaternis, quibus conſtabat, animalium formis, humanam ad palmam conuerteret ex parte vna; leoninam ad palmam vnam ex parte altera.

Palmis, & Cherubinis alternantibus.

Nam alis, quæ tertia dicitur facies, vtramque palmam ex æquo tangebant; vitulinis pedibus, quæ quarta dicitur facies, neutram palmam, ſed ipſum pauimentum contingebant. Atque hac eadem diſpoſitione expreſſa erat domus circumquaque vniuerſa; ita vt in ſanctuario octoni computarentur Cherubini, in quaternis parietibus; & duodeni item in exteriore domo; vt omnes Cherubini templi quatuor & viginti fuiſſe credantur. Quantum autem erigebantur Orientalis portæ limen, vel oſtium, tantumdem à terra parietes templi, & oraculi, inſculptis Cherubinis, ac palmis exornabantur; hoc eſt in altitudine cubitos viginti: ſic ipſe.

LI. Cherubi-

Atenim hæc altitudo non de vtriſque, ſed de ſolis palmis intelligenda eſt.

norum magnitudo.

Nam Cherubini, qui parietibus additi erant, non erant altiores duobus illis, qui in medio oraculi poſiti erant; quos decem tantum cubitorum fuiſſe conſtat, [a] cõformatos de lignis oliuarum. Quæ tamen eſt plane gigantæa magnitudo. Quis enim de ſtirpe Enacim pedibus quindecim altus fuit? De ea tamen dubitare non licet: ſed hæc ipſa ad magnificentiam pertinebat, & ad ipſius Dei magnitudinem æſtimandam erigebat. Cum ergo tanta fuerit Cherubinorum, & palmarum altitudo, vtrorumque craſſities proportione magna fuit, verum erant tam palmæ quam Cherubini iſti non per ſe eminentes vt prædicti duo, quos opere ſtatuario factos legimus, & auro tectos, [b] ſed *quaſi eminentes* vt Scriptura loquitur. Erant ſcilicet efformati in tabulis cedrinis Cherubini, & palmæ alternatim, ſed humili toreumate, quod vulgo dicimus, *a demy relief*, id ſignificant illa verba, [c] *cælauit Cherubim in parietibus*, deinde bracteis aureis operiebantur. [d]

[a] 3.Reg.6. 23.
[b] 2.Paral.3. 10.
3.Reg.6 29.
[c] 2. Paral.3
[d] Vide Villalp.t.2.l. 4.c.35.fin.

LII. *Eorundem forma.*

SED antequam à Cherubinis diſcedamus, aliquid de eorũ forma dicẽdum eſt; nam ex dictis materia ex qua conſtarent ſatis agnoſcitur. Forma vero, quam diligentiſſimè peruestigauit Hieron. Pradus, qua nullam arbitror commodiorem, aut ſcripturæ verbis magis aptam, magiſue decoram, hæc fuit. Effigiem habebãt humanã totius corporis compoſitione erecta, non brutorum in morem, in terram prona, & abiecta. Vnde Ezech. de eis, *pedes eorũ pedes recti*: quod ſcilicet nõ haberẽt recuruos poplites quaſi quadrupedia, ſed rectas tibias, & crura hominum ſimilia.

in c.1.Ezech.

Quô facies quatuor eorum accipiendæ.

Erant autem facies, ſiue formæ vnicuique quatuor, non autem capita, vt plerique putauerũt, id enim eſſet monſtrum omni idolo horribilius, & loco ſacroſancto indigniſſimum, ſed vnuſquiſque vnico tantum capite, & vultu erat: ſed erat tamen quaternis formis, ſeu figuris animalium inſignitus: facies hominis videbatur in vultu, brachiis, manibus, cruribus, & corporis erecti habitu; facies leonis apparebat in ceruicibus, armis, & pectore iubatis: facies aquilæ in alis, facies vituli in bifidis pedum vngulis. Apparebat ergo Cherub iuuenis alatus, leonino exuuio, quaſi thorace veſtitus, & vngulis vituli calceatus. Quaternis porro alis ornabantur, duabus volabant, & duabus tegebant inferiora corporis ſui.

LIII. *Quæ actio ipſorum, & geſtus.*

FVISSE autem hos Cherubinos eiuſdem omnino formæ, cum iis quos vidit Ezechiel, fuſe docent Pradus, & Villalp. Sed actio corporis, & geſtus vtrorumque non plane idem. Nam ibi in quaternis lateribus diuini currus erant, & alis in altum erectis volabant, & quando alæ ad volandum explicabantur, alæ duorum vicinæ ſeſe decuſſatim tangebant; & antrorſum ſemper cum quadriga ſinguli pari interuallo progrediebantur. Hic autem non tantum qui parietibus adſculpti erant, ſed qui integri medio in oraculo erecti, ſtabant immobiles, venerabundi, vultibus ad Arcam conuerſis, ſupplicibus manibus. Et alæ quidem inferiores, media corporis humani circumtegebant, ſuperiores autem in latum explicatæ erant, ſic vt decem cubitorum ſpatium occuparent. Itaque cum totum oraculum latum eſſet cubitos viginti, fiebat vt duorum Cherubinorum alæ, partim ſe in medio oraculi contingerent, partim etiam vtrimque parietem, ſiue palmam ei adhæreſcentem. Erant autem collocati alter ad auſtrum, alter ad aquilonem; & in eorum medio erat arca Domini, cum propitiatorio, & Moſaicis Cherubinis.

LIV. *Arca an impoſita quadrigæ Cherubinorum.*

EXISTIMAT nihilominus Pradus [e] ſpeciem viſionis Ezechielis eandem omnino fuiſſe cum ſolio, quod fuerat à Salomone in oraculo conſtructum, & bigam Moſaicam, in quadrigã fuiſſe conuerſam, iuxta Dauidis deſcriptionem. [f] Cũ enim Iſraël peregrinaretur in deſerto, arca exigua à Moyſe Dei iuſſu, quaſi quædam lectica, quæ vectibus portaretur excitata eſt, ad quam vtrinque aurei Cherubini ſtantes, manibus propitiatorium ſuſtinebant, quod erat quaſi ſcabellum Dei, alis vero binis inuicem protenſis, & contextis, quaſi ſolium formabãt ſuper ipſum propitiatorium, in quo Deus, ſiue Angelus reſidens, reſponſa daret: vnde proprie ſedere ſuper Cherubim dicebatur. Cum autem regnum conſtitutum eſt Hebræorum, & templum ſtabile in eius metropoli excitatum, biga illa in quadrigam, vt diximus, mutata eſt. Et quoniam ne Moſis quidem tempore, arcam humi iacere ſolitam congruum eſt exiſtimare, (quæ ſcilicet gloria Domini dicebatur, & erat res omnium ſanctiſſima, ſummeque veneranda: cum candelabrum, & menſa, & altaria, & pleraque templi vtenſilia, vel baſibus, vel

[e] ſect.4 in c.1 Ezech.
[f] 1 Paral. 28.18.

pedibus niterentur) ſed menſæ cuidam ſuperpoſitam. Eius itaque menſæ loco, inquit Pradus, Salomon vehiculum feciſſe videtur ex auro, inſtructum vel pedibus, vel rotis, cui arcam imponeret cum dignitate. Atque hæc eſt Mercabah carruca ſcilicet, vel currus Cherubim, cuius meminit liber Paralip. Hæc ipſe pluribus eodem loco.

LV. *Quo differunt Cherubim Ezechielis, & Salomonis.*

NON negat tamen Pradus aliter Cherubinos in oraculo Salomonis, quam in viſione Ezechielis geſtum edidiſſe; nam diſpoſitionem Cherubinorum Moyſis certum videtur nõ mutaſſe Salomonem; geſtus autem aliorum duorum ſatis, expreſſus habetur in textu Regum. At in viſione Ezechielis quatuor Cherubini circa Dei currum volitant duo ante priores rotas, totidem ante poſteriores. Sed & multum erant Cherubini Moyſis, & Salomonis magnitudine diſpares; nam hi decem cubitos habebant ſtaturæ, Moſaïci vero vix erant altitudinis trium cubitorum, vt ſatis ex 25. Exod. & arcæ magnitudine colligitur. Denique in ſummo curru Ezechielis è regione throni altare cum igne ponitur, quod extra oraculum, & extra currum Salomonis fuit. Sed ne longius digrediamur à propoſito, hinc habemus quadrigæ, ſiue currui aureo, cum quatenus rotis, eiuſdem ſine dubio metalli, arcam cum Cherubinis ſuis, & propitiatorio impoſitam. Quomodo enim hic parcus eſſet Salomon, in re omnium diuiniſſima, & ob quam oraculum, & templum vniuerſum conſtruebatur, qui ipſum pauimentum, vt dicemus, laminis aureis conſtrauerit, & parietes & laquearia precioſis gemmis illuminarit? Quidni hic dicamus.

Ouid. 2. Meta.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſumma
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

a l. 8. ant. c. 2.

LVI. *Ioſephus de Cherubinis cum ſcriptura pugnat.*

Ex his ſatis intelligitur, quantum fallatur, aut fallat Ioſephus, [a] cum de Cherubinis iſtis ita loquitur. *Poſt hæc in adyto viginti cubitos quaquauerſum patente dedicauit duos Cherubinos ex auro ſolido, vtrimque quinque cubitorum altitudine, vterque duas alas habebat ad quinque cubitos protenſas*, & mox, *hæ Cherubicæ effigies quanam ſpecie fuerint nemo vel coniicere poteſt, vel eloqui.* Sic ipſe. At fallitur, & Scripturæ contradicit dum eos vocat ὁλοχρύσους, ſiue ex auro ſolido, cum ſcriptura [b] dicat factos fuiſſe de lignis oliuarum, & auro tectos, v. 28. Fallitur ſecundo, & ſcri-

b 3. Reg. 6. 23.

2. pturæ aduerſatur, cum eis quinque cubitos altitudinis tribuit, cum textus omnes Hebraïci, Græci, Latini, cum paraph. Chald. decem tribuant. Timuit ſcilicet Ioſephus ne parum probabiliter loqueretur, ſi cum dixiſſet Cherubinos ex auro ſolido conflatos, eos faceret decem cubitos altos. Nam ſeruata membrorum proportione, duo iſti Cherubini aurei incredibilis eſſent ponderis, & precij; veritus ergo ne audiret, *Quæcumque enarras mihi ſic, incredulus odi*, magnitudinem media parte diminuit, eadem fide, qua Cherubinorum interiora, ex oliuæ li-

3. gnis conſtantia, nouo alchimiæ artificio, in aurum conuerterat. Fallitur tertio cum alas quinque cubitorum facit, id eſt, pares totius Cherubini corpori, cum

4. ſcriptura faciat dimidia parte corpore minores. Fallitur quarto, cum ait neminem coniicere poſſe, vel eloqui, quæ ſpecies Cherubinorum fuerit. At eorum ſpeciem, & formam vidit, & elocutus eſt, & ſcripto tradidit Ezechiel, idemque nunc intelligitur, & explicatur congruentiſſime Scripturæ ſacræ; vt iam oſtendimus.

LVII. *Murus oraculi.*

c l. 8. c. 2.

SVPEREST nobis in oraculo teſtudo ipſa, & murus diuidens ſanctũ, à Sãcto Sanctorũ; qui dicitur à Ioſepho [c] fores habuiſſe cedrinas, eaſque cælatas & inauratas; & nihilominus velis picturatiſſimis prætextas, hyacintho, cocco, biſſoque ſplẽdidiſſimo, ac molliſſimo diſtinctis; idẽ mox ſubdit de ianua aulę ſanctę. Hũc murum tarqueſin dixerunt Hebræi, & Chaldæi Rabini, ex quo Tarqueia lapis precioſus, quem Septuag. & Hieron. achatem vocant; tarqueſin etiam, vt innuit ethimologia, eam gemmam notat, quam vulgo dicimus *Turquoiſe*. Quapropter, ait Villalp. [d] ſic dictum vel murum vel partem eius aliquam licet coniicere, quod eiuſmodi gemmis, quæ ſerenum referunt cœlum, quãplurimis auro incluſis ornatus fuerit.

d l. 4. c. 8.

LVIII. *Ornamenta teſtudinis, tam oraculi,*

e l. 8. c. 2.

ORNAMENTA teſtudinis tam oraculi, quam templi totius, eadem erant cum ornamentis parietum, de quibus diximus, exceptis palmis, & Cherubinis. *His trabibus*, ait Ioſephus, [e] *ſubnixa erant laquearia politiſſima, cœlaturis, & bracteis aureis ornata; parietes etiam cedrinis tabulis auro illitis erant incruſtati, ita vt omnia*

renidèrent auro, & intrantium oculos fulgor vndique occurrens perſtringeret. Id ſi de parietibus verum fuit, quanto id potiori iure de laquearibus dici potuit; quæ ad reliquum ædificium, cæli ad terras inſtar habent, quot illa gemmis, & lapillis in medio auro artificioſiſſime collocatis, refulſiſſe putandum eſt? Vt tanto probabilius cœli faciem ſerena nocte ſtellis innumeris intermicantem repræſentarent: & cœli nomine decorarentur.

LIX. *Quam aula ſancta.* CÆTERVM quod de oraculo diximus, de maiore quoque domo, ſiue aula ſancta dicendum eſſe ſatis agnoſcitur ex ipſo Scripturæ textu. [a] *Domum quoque*, inquit, *ante oraculum operuit auro puriſſimo, & affixit laminas clauis aureis; nihilque erat in templo quod non auro tegeretur*. Idemque ex alio loco, [b] aperte intelligitur, vbi dicitur Salomonem laminas auri obriſi, id eſt, optimi, atque puriſſimi, affixiſſe per totam maiorem domum, id eſt, Hecal, ſiue ſanctum, & ſulpſiſſe in ea palmas, & quaſi catenulas ſe inuicem cōplectentes; circumuoluebātur videlicet elatæ palmarū extremique earū rami, & tam ſeſe inuicem quam proximos ramos cōplectebantur. Sic autem etiam Cherubinos interiectos alternatim, ſatis intelligitur ex ſcriptura, [c] vbi Salomon dicitur omnes parietes templi (Hecal) per circuitum ſculpſiſſe variis cælaturis, & feciſſe in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, &c.

LX. *Ornamenta pauimenti.* SVPERSVNT ornamenta pauimenti, de quibus primum habemus ſolum ſtratum fuiſſe precioſiſſimo marmore. [d] *Strauit quoque pauimentum templi precioſiſſimo marmore, decore multo*; quod de templo ipſo ſiue domo maiore, vt paulo ante appellauit, dictum, tanto iuſtius de ipſo oraculo intelligi debet. Idem confirmat Ioſephus. [e] Pauimentum etiam templi τοῦ ναοῦ conſtrauit laminis aureis. At quid opus erat precioſiſſimo marmore ſterni pauimentū, mox ligno, & auro obtegēdū? Nimirum Dominus, auri, argentique venas obruit nulli vſui, aut ornamēto futuras. Vnde in Hebræo pro decore multo, legitur, ad gloriā, & magnificentiā. Quid ſi proſpexit etiam futuris temporibus, quibus ſublato auro, ſaltem marmore domus eius decoraretur? Secundo conſtat tectum fuiſſe pauimentum domus tabulis [f] abiegnis, cum tamen parietes domus tabulis cedrinis circumtecti fuiſſent: cedrus enim ſculpturis apta eſt non abies. Sculpturæ autem in pauimento, impedimento potius fuiſſent, quam ornamento. Eodem vero capite habetur [g] tam oraculi pauimentum, quam aulæ ſanctæ, aureis laminis ad abiegnas tabulas affixis, conueſtitutum fuiſſe; ſic enim intelligitur illud; *Sed & pauimentum domus texit auro intrinſecus, & extrinſecus*, id eſt in templo interiori & exteriori: adyto, & ſancto, vt Vatabl. quoque explicet & ratio exigit vt cœlaturæ, & eminentiæ in pauimento, ſaltem aulæ ſanctæ, nullæ eſſent, ne ſordes in ipſis colligerentur; ſed totum pauimentum puris mundiſque laminis ſterneretur.

LXI. *Ornamenta veſtibuli.* DE porticu porro ſiue veſtibulo maior eſt ambigendi ratio; quoniā locus is, etſi ad templum totum, ædificij eiuſdem continuatione pertineret minus tamen venerabilis erat, & ſanctus; ſicut & in ædibus principū, ad veſtibulū facilius multò, quam in aulam, vel cubicula interiora quilibet admittūtur; & præ reliqua domo ſatis neglectum videtur. Ioſephus etiam cum dixiſſet templum intus, & foris auro exornatum, & oppāſum aulæum huic ianuæ, ſicut & oraculi foribus ſubdit, *Ianuam porticus nihil tale habuiſſe*. Sic enim habetur in Græco, & apud Rufinū. Geminum velū ſiue aulæum etiā memoratur ad Hebr. 9.3. fit enim mentio ſecundi. Nihilominus tamen legimus templi veſtibulum intrinſecus auro decoratū. Sic enim habetur in Scriptura, [h] vbi de hac porticu agens; *Et decorauit eam*, inquit, *intrinſecus auro mundiſſimo*. Vix auſim dicere etiam laminis aureis circumtectam hanc porticum; eandem tamen loquendi phraſim in Hebræo, Græco, & Latino reperio, cum deauratam dicit, vel auro tectam hanc porticum, domum, & oraculum. Ex hac porticu aditus patebat ad cœnacula, ſiue cellas, quas ſupra diximus oratorias, cum Ezechiele, quas etiam auro tectas fuiſſe Scriptura teſtatur. [i] An autē pari cum templo artificio non liquet; forte eadem fuit earum, & porticus ratio.

LXII. *Oſtia domus qualia.* OSTIA vero domus laminis quoque aureis obducta fuiſſe, ſicut & quidquid trabium apparere poterat ex 2. Paral. [k] perſpicuum eſt; idemque confirmatur ex eo, quod in Scriptura legimus, [l] nihil in templo fuiſſe, quod non auro tegeretur. Ezechiel [m] autem ait *cælata fuiſſe in ipſis templi oſtiis Cherubim, & ſculpturas palmarum, ſicut in parietibus quoque expreſſa erant*. Sed plenius, 3. Reg. [n] *& fecit*

[a] 3 Reg. 6. 21. 22.
[b] ex ſecūdo Paral. 3. 5.
[c] 3. Reg. 6. 29.
[d] 2. Paral. 3. 6.
[e] l. 8. c. 2.
[f] 3. Reg. 6. 15.
[g] v. 30.
[h] 2 Paral. 3. 4.
[i] 2. Paral. 3. 9.
[k] 3. 7.
[l] 3. Reg. 6. 22.
[m] c. 41. 25.
[n] c. 6. 32.

duo oſtia de lignis oliuarum, & ſculpſit in eis picturas Cherubim, & palmarum ſpecies, & anaglypha valde prominentia, & texit ea auro, & operuit tam Cherubim, quam palmas, & cætera auro; nihil ergo cauſæ fuit cur Ioſephus ſcriberet omnes templi fores argenteas fuiſſe, ſiue ex argento fabricatas, [a] τὰς δὲ θύρας τοῦ ἱεροῦ τούτου πάσας ἐποίησεν ἐξ ἀργύρου. at quî poteſt id verum eſſe, cum ipſe fateatur fores ipſius oraculi fuiſſe cedrinas? Fortaſſe voluit argento conueſtitas, cum auro ex Scriptura dictum oportuerit.

[a] l 8 ant. c. 2.

LXIII. Eorum ſeræ, & peſſuli.

Qvinetiam oraculi ſeras, & peſſulos aureos legit Pagninus ex Hebræo, [b] alij etiam pro peſſulis, catenas interpretantur aureas, iiſque clauſum oraculum volunt. [c] Denique ipſi oſtiorum cardines ex auro erant. Audi Scripturam. [d] *Et cardines ipſorum domus interioris Sancti Sanctorum, & oſtiorum domus templi ex auro erant.* Vbi nomine cardinum intelligunt aliqui longas, craſſaſque laminas, aut vectes potius qui foribus infiguntur, & in orbem in capite incuruantur, ad maſculum, vt vocant, cardinem admittendum. Verum cum magnum eſſet ianuarum pondus laminis aureis obductarum, & quod caput eſt eędem multis cubitis latę eſſent, pluribus etiam altæ, & craſſitudine vtrique dimentioni debita præditæ, aurum autem natura ſua ſatis fragile ſit, nō male fortaſſe Villalp. nomine cardinum intelligit ornamenta quædam, quæ iuxta cardines foribus apponi ſolent, [e] vultque tantum conueſtitos auro cardines. [f]

[b] 3. Reg. 6. 21. [c] vide Villalp. l 5. c. 42. [d] 3. Reg. 7. 50. [e] vide Pined. l 5. c. 5. n 79. [f] l. 4. c. 63. fin.

An aurei?

LXIV. Vſus portarum.

Addamvs & hic de vſu portarum verbum vnum, vt mox inde egreſſi, aliquid de externis ornamentis dicamus: fuerunt ergo in portis maioribus valuæ geminæ, quarum limina quadrangula erant, & non fornicata, vt docet Villalp. [g] Ex Ezechiele, & Abulenſi, [h] ideoque [i] dicuntur earum poſtes *quadrangulati*, ſed valuarum ſingulæ geminis oſtiolis aperiebantur, vt habetur, in 3. Reg. [k] & Ezechiele [l] cap. 41. vt ſcilicet vaſtis illis foribus clauſis, per oſtiola, cum exigeret vſus, ſacerdotibus egredi, atque ingredi liceret in templum; de earum vero valuarum, & oſtiolorum materia poſtea cum Ioſepho diſſeremus.

[g] l. c. 46 [h] 3. Reg. c. 6. q. 26. [i] 3. Reg. 6. 33. [k] c 6. 32. [l] v. 23 & 24.

LXV. Duæ colūnæ primariæ. Earum ſitus.

Sed effugerāt pene ſtudium noſtrū, quæ merito numerēturin præcipuis ſacrę domus ornamentis colūnæ duæ, erant enim in veſtibulo, quod tēpli nomine cōprehenditur. Sic enim legitur; [m] *Et ſtatuit duas columnas in porticu templi*; & alio loco, [n] *ipſas quoque columnas poſuit in veſtibulo templi, vnam à dextris, & alteram à ſiniſtris.* Quod paulo obſcurius dixit Ezechiel. [o] *Et columnæ erant in frontibus, vna hinc, & altera inde.* Villalp. In primo veſtigio ſanctuarij, eas conſtituit ab vtroque latere portæ aulæ ſanctæ. A quo Torniellus, imo & ab ipſa ſcriptura ſine cauſa videtur receſſiſſe; cū eas nō in tēpli veſtibulo, ſed extra poſuit [p] loci anguſtiis excluſus; ſed eas ipſe ſibi anguſtias fabricatus eſt, dum contra cōmunem ſententiā ambitum duarū colūnarum vni attribuit. Neque pluribus oportet eū refutare dum Villal. in hac tota re laborioſiſſime, diligētiſſimeque verſantē vellicat, cum ipſe fateatur [q] in his colūnis præcepta artis eſſe violata. Nomina earum iiſdē locis traduntur. Eam, quæ à dextris erat, vocauit Iachin, & quæ ad læuam Booz. Inter innumeras colūnas, de quibus poſtea in porticibus dicēdum erit, hæ nomen proprium acceperunt, ſiue propter magnitudinem, ſiue propter artis, & materiæ præſtantiam; quam locus cui ornando adhibebatur, præ cæteris exigebat. Vtraque nomen habuit à fortitudine, vt notat Riber. [r] & Beda, & Azor infra citandi. Nam Iachin dicitur quod firmiter fundata eſſet, Booz autem eſt, *in ipſo fortitudo.*

[m] 3. Reg 7. 21. [n] 2. Paral. 3 17. [o] c. 40. fin. [p] anno 8. quintæ ætat. n. 9. [q] an. 8 5. quintæ ætat. n 13. [r] l. 2. de tēp. c. 14.

Et nomina.

LXVI. Magnitudo ſiue altitudo.

Iam quod ad magnitudinem harum columnarum; formamque attinet, non paucæ ex ſcriptura difficultates oriuntur, circa earum longitudinem, craſſitiem, & capitellum, ſiue trabeationem, quæ diuerſa diuerſis in locis referuntur; quæ tamen poſſunt ad veriſſimum conſenſum reduci. Primum itaque dicendum eſt, ſingulas columnas decem & octo cubitos altitudinis habuiſſe. Sic enim in 3. Reg. [ſ] cap. 7. legimus. *Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam*, id eſt, alterutram, in 4. quoque Reg. cap. 25. [t] *Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna.* Ieremias etiam in extrema prophetia [u] *De columnis etiam octodecim cubiti altitudinis erant in columna vna.* Et Latinæ editioni accurate conuenit Hebræa, Ioſephus lib. 8. cap. 2. Theodoret. q. 25. in 3. Regum.

[ſ] v. 15. [t] v. 17. [u] c. 52. v. 21.

LXVII. An triginta quinque cubitorum.

Explicandvs itaque eſt locus 2. Paral. 3. v. 15. vbi legimus ante fores tēpli duas colūnas poſitas, quæ triginta quinq; cubitos haberēt altitudinis, vt ſcilicet id nō de ſingulis, ſed de vtraque dicatur. Quam expoſitionem non videntur admittere

Septuaginta in dicto loco Ieremiæ, vbi ſingulis columnis diſerte attribuunt altitudinem triginta quinque cubitorum. Verum is locus in diuerſis editionibus diuerſimode legitur, vt quid illi ſcripſerint non ſatis certo affirmari poſſit. At miſſis Græcis dicendum fuiſſet, inquies, quæ triginta ſex cubitos habebant altitudinis. Quid enim cauſæ eſt cur vtrique cubitus vnus adimatur? Reſpondent Vatabl. & Ribera,[a] Emanuele Sa non repugnante, dimidium cubitum abſconditum fuiſſe in capitello. Vt ſcilicet ſuprema ſcapi pars capitellum ſubintraret, & quaſi indueret, ſicut de altari holocauſtorũ, eiuſque craticula anno Moſis 81. dictum eſt.[b] Idque valebat ad firmitatem, vt tanto immobilius trabeationem quinque cubitorum, quæ ſingulis ſeorſim columnis innitebatur, ſuſtentaret, vt ſine cauſa Torniellus hanc expoſitionem vanitatis arguat,[c] quod tanto magis in eius ſententia neceſſarium eſt, qui ſcapo octodecim cubitorum, imponit capitellum quatuor cubitorum, & trabeationem vndecim cubitorum, contra omnem artis rationem. Satius ei fuerat ſtylobatas ſex cubitorum ſub baſibus admittere.

a l. 2. de tẽp. c. 14.
b n. 472. & ſeqq.
c an. mund. 3030. n. 8.

LXVIII. *Expoſitio Villalpandi.*

PROBABILIOR itaque videtur Villalpandi ſentẽtia, quæ ait ſingulas columnas cum baſi ſua fuiſſe ſeptemdecim cubitorum cum dimidio,[d] ſecluſa plintho, quæ abſoluit decimum octauum. Secludendi autem plinthum optimã rationem affert, quam Torniellus in reijcienda Villalp. expoſitione non videtur conſideraſſe, quod reliqua columna cum baſi ſua caua eſſet, quam propterea congruum fuit ſuper ſolidã plinthum inniti: proptereaque ſeorſim fundi. Itaque liber Paral. vtriuſque columnę altitudinem dixit triginta quinque cubitorũ, ſecluſa vtraque plintho, & capitellis, quæ ſeorſim fuſa erant. Reliqui libri dant octodecim cubitos ſingulis columnis, ſolida illa plintho, quæ eſt ima pars baſis, comprehenſa. Confirmatur autem hæc expoſitio, ex eo quod Scriptura nullam facit baſis mentionem, quam tamen abfuiſſe nemo dicit, licet nemo ſilẽtij cauſam explicet. Eius ergo cauſa non improbabilis fuerit, quod baſis cum ſcapo vna, eademque fuſione conflata fuerit, & ideo cum ſcapo, qui multo maior erat, comprehenſa.

d l. 5. c. 5.

LXIX. *Craſſitudo columnarum.*

CRASSITVDINEM columnarum ſcriptura[e] ſic explicat, *linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtrãque*, id eſt, vtramlibet, vt ſcilicet ambitus cuiuſque eſſet ſex cubitorum, diameter autem duorum. Ita ſentit Villalp. itaque explicat Hebręam vocem Haſeni, השני quam Hieronymus vertit *vtramque*; Pagninus *ſecundam*. Et conſtat vocem ſeni verti *ſecundam, ambo, vtrumque*. 2. Ergo linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque, nimirum dimidia pars lineæ vnam, & altera dimidia ſecundam. At contra ſentire videtur Ieremias, qui cum dixiſſet,[f] *decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna*, ſubdit, *& funiculus duodecim cubitorum circuibat eam.* Verum Propheta vocem (eam) retulit ad *ſeni*; alludit enim ad eũ ſcripturæ locum, itaque particulam illam, eodem modo quo ſeni licet interpretari.

2. ℞.

e 3. Reg. 7. 15.
f c. 52.

LXX. *Confirmatur ex præceptis artis.*

CONFIRMATVR[g] dicta craſſitudo colũnæ ex communi Architectorum tam antiquorum, quã recentium doctrina, quę in ordine Hetruſco exigit ipſam colũnam ſexies altiorem eſſe, quã in imo ſcapo craſſa fuit; in Dorico ſepties; in Ionico octies, vel octies & ſemis; in Corinthio octies & ſemis, vel nouies: in cõpoſito, ſiue Italico decies. Si ergo ad Hetruſcũ, ſiue Tuſcanũ ordinẽ referri placet has colũnas, eiſq; quatuor cubitos diametri in imo ſcopo tribuere volumus, oportet eas nõ ad octodecim cubitos, ſed ad viginti quatuor aſſurgere: ſi ad Doricũ, ad viginti octo; ſi ad Ionicũ, ad triginta duo, vel triginta quatuor; ſi ad Corinthiũ, vt Ioſepho placet, ad triginta quatuor, vel triginta ſex. ſi ad compoſitum vſque ad quadraginta. At poſita diametro duorum cubitorum recte quadrabit altitudo operi Corinthio.

g Vitru l. 4 c. 1.

LXXI. *Capitellum, & trabeatio.*

RELIQVVM eſt in his colũnis capitellum, quod trium, & quatuor, & quinque cubitorũ altitudinis legitur in diuerſis ſcripturæ locis,[h] prout aut omnes, aut aliquæ trabeationis partes memorantur. Dicimus autem cum Villalp. vt cœpimus, columnam cum baſi ſua, octodecim fuiſſe cubitorum: illi impoſitum capitellum duorũ cubitorũ, vt exigit ratio proportionis. Huic autẽ viginti cubitorũ columnæ imponendã fuiſſe trabeationẽ quinque cubitorum. quę eſt quarta pars altitudinis columnæ. Hæc porro trabeatio quinque cubitorum, qua conſtat epiſtyliũ, zophorum, & coronidẽ contineri, ita abſumitur, vt epiſtyliũ habeat altitudinem vnius cubiti, zophorus duorum, coronis item duorum. Itaque, cum Scriptura dicit capitellum fuiſſe trium cubitorum, ſeiungit coronidem, quæ mirabili

h 4. Reg. 25. 17.
3 Reg. 19. & v. 16.
2. Paral 3. 15.
Ier 52. 22.
Villalp l. 5. c. 17.

artificio decorabatur, & ſeorſim explicatur; cum ei quatuor attribuit cubitos, omittit epiſtylium; quamquam locus is qui ei tribuere videtur quatuor cubitos, aliam habet ſententiam, vt ſeorſim dicemus.[a] 3. Denique cum quinque cubiti capitello aſſignantur, tota trabeatio accipienda eſt.

a 3. Rc. 7. 19.

LXXII. *Improbatur in iis Torniellus.*

TORNIELLVS autẽ[b] vt columnas haſce ad triginta quinque cubitos attollat, quod alii quoque faciunt, repudiat ille quidem baſim octo cubitorum altitudinis, nec immerito, eique tantum attribuit pedes duos, ipſi autem columnæ octodecim, non improbabiliter; ſed illud indecorè, quod capitellum vult fuiſſe quatuor cubitorum, deceptus loco 3. Reg.[c] cum ars requirat, vt capitellum non maiorem habeat altitudinem, quam longa eſt diameter imę columnæ. Indecore quoq; epiſtylio cubitos tres attribuit, zophoro totidem, coronidi quinque, cum iuxta architectonicæ regulas, trabeatio quartam partem altitudinis columnæ ſuperare non poſſit.[d]

b a.m. 3030. n. 4.
c c. 7. 19.
d vid. Vill. l. 5. c. 10. n. 13.

SED quoniam, vt antea dixi, Torniellus fatetur architecturæ regulas hic non admodum fuiſſe ſeruatas, quæ ab eo tempore multum perfecta ſit, ſuis ipſius verbis refutandus eſt; ait enim n. 9. Non eſſe veriſimile Hiramum peritiſſimum architectum, & in ſacro eloquio admodum commendatum, quidquam indecorum, in tam famoſo præſertim templo, facere voluiſſe: aut ipſum Salomonem, qui in diiudicandis rebus omnibus erat ſapientiſſimus, tale quid vnquam permiſſurum fuiſſe; ſic ipſe pro nobis, contra ſeipſum. Addamus & nos interfuiſſe diuinæ ſapientiæ, vt decore omnia, & ſecundum ordinem fierent: quandoquidem eius manu deſcripta omnia venerunt ad Dauidem, vſque ad fuſcinulas & phialas, & thuribula, & leunculos, & vniuerſa vaſa miniſterii;[e] quidni & vſque ad columnas maximas, & magnificentiſſimas? Quod ſi in reliquis vaſis, imo & in toto templo materiæ præſtantia à Dauide, Salomone, Deo ipſos regente, quæſita eſt ad operis pulchritudinem, & dignitatem dignã Deo,[f] quomodo negligi potuit illud decorum, & gratia in forma ipſa, & proportione partium, quæ eſt de natura, & eſſentia pulchritudinis?

e 1. Par. 28.
f 1. Par. 29. 1 & 2. Par. 2. 5.

LXXIII. *Æneæ columnæ cauæ, & auro tectæ.*

QVONIAM autem hæ columnæ æneæ ſolidæ non erant, earum quoque craſſitudo a Scriptura tradita eſt;[g] *Porro groſſitudo eius quatuor digitorum, & intrinſecus caua erat.* Quod Ioſephus quoque loco citato affirmauit. Id autem non tantum de ſcapo columnæ, ab imo vſque ad ſummum, ſed etiam de baſi dicendum videtur,[h] excepta plintho; quæ pars eſt baſis vltima, quam ſolidam fundere viſũ eſt architecto, vt totum opus columnæ firmius ſuſtentaret, & contineret. Quod ſi qua in columna omnes artis præceptiones accurate obſeruatæ ſunt, de his potiſſimum duabus, quæ ad ornamentum templi tantum excitatæ fuerunt, id merito dici poteſt; quo maxime pertinet illud Eupolemi apud Euſebium;[i] cum ait Salomonem has colomnas auro puro contexiſſe digiti craſſitudine.

g Ier. 52. 21.
h cũ Vill. l. 5. c. 5.
i l. 6. præp. c. 4.

LXXIV. *Earundem ſtylobata.*

ITAQVE non ſolum capitella iis ſuperpoſita fuiſſe cum epiſtyliis, zophoris, & coronide, de quibus Scriptura meminit, dicendum eſt, ſed ſingulis etiam baſes ſuas, & ſtylobatas, quos vulgo *piedeſtal* vocitant, adiectos minimè dubitandum videtur. Nam & ornatus id exigit, neque vllæ loci anguſtiæ, aut aliarum columnarum proportio id prohibent. Erant enim hæ duæ columnæ extra ordinem earum, quæ in atriis ſtabant, quarum podio, & ſtylobatis eadem altitudo data eſt, quæ peribolo, id eſt, calamus vnus. Quem etiam iſtarum columnarum baſibus ſubiicere merito poſſumus. Adde baſis, & ſcapi octodecim cubitos, & capitelli duos, tum epiſtylii zophori, & coronæ quinque, ſingulæ columnæ è pauimento ad 31. cubitum cum $\frac{1}{4}$. extabunt, id eſt aliquanto vltra parietem templi aſcendent · qui erat triginta cubitorum altitudinis verſus cõcamerationem laquearis, ſicque veriſſime dictum videbitur ab Eupolemo. loco citat. *eratque columnarum aurearum altitudo par templo*; etſi alio hæc verba Villalp. referat, quem vide circa harum columnarum ornamenta paulo fuſius diſputantem. Cum autem is dicat quinos; quoſque cubitos Hebraicos duodenis pedibus romanis reſpondiſſe, & propter minutias viginti cubitos reſpondiſſe 50. pedibus: Certe cum 31. cubitum $\frac{1}{4}$. ſingulis tribuamus, altitudo cuiuſque fuerit pedum 78. $\frac{1}{4}$.

& tota altitudo.

6. cub	$\frac{1}{4}$
18.	
2.	
5.	
31.	$\frac{1}{4}$

l 5. c. 8. ibid. vſque ad c. 25.

LXXV. *Ac pondus æris, & auri.*

DE pondere tantum dicam, quod licet cauæ eſſent, prope immenſum fuit.

Nam Villalp. [a] multo artificio inuenit cauitate ſubducta, pependiſſe ſingulas 4518. talenta, & libras 37. & vncias 4. quem numerum ſi duplices inuenies 9037. talenta, 21. lib. & 8. vncias; vel potius decem talentorum millia, vt ibid ait; ſed addendæ ſunt geminæ plinthi ſolidæ, addendæ ſtylobatæ ſex cubitorum cum quadrante, ſi tamen ænei fuerunt, vt merito totum pondus pene duplicari poſſit. Aurum autem quod craſſitudine digiti vnius totam columnam veſtiſſe, dixit Eupolemus, perueniſſe reperit ad 2879. talenta, libras decem, vncias 11. Atque adeo in vtraque columna auro tegenda expenſa fuiſſe auri talenta quinque millia 758 libras vnam ſupra 20. vncias decem; vel 95. milliones, 953. millia 124. nummos aureos Romanæ monetæ. *a l.5.c.37.*

LXXVI. *Externa ornamenta, & primum porta.*

EXTERNA ornamenta præcipua erant portarum, feneſtrarum, columnarum, trabeationum, & tecti. Externæ portæ huius ædificii erant tres, omnes in veſtibulo; prima omniumque maxima fuit Orientalis, ad quam octo pulcherrimis gradibus, marmoreis vtique, vel porphyreticis; quidni enim? cum pauimentum marmore conſtratum fuiſſe conſtet? aſcendebatur: quanta ſcilicet erat altitudo infimi podii, cui inferiores omnes columnæ, ſiue paraſtades per circuitum totius domus impoſiti erant, qui trium fere cubitorum erat. Hæc porta lata erat quatuordecim cubitos, vt colligit Villalp. [b] ex Ezechiele, & alta viginti, fere vſque ad ſuperliminare portæ, quod tantum extra portam extabat, atque educebatur, quantum inter paraſtades, tectum quo oratoria tegebantur, extra murum proiiciebatur: ſed quoniam hæc altitudo portæ ratione latitudinis maior eſſe debuit, additus eſt arcus, qui ad octo cubitos aſſurgeret, ſuper portæ antepagmentis; & paraſtadibus eiuſdem niteretur. Erat autem id totum ſpatium, ſicut & valuæ variis cælaturis vndique decoratum, vt ex 3. Reg. [c] colligitur. Aliæ duæ portæ in lateribus auſtrali, & aquilonari, vt magnitudine ſic & ornamentis longe minores fuiſſe videntur, vt recte quoque Villalp figurauit, in aſpectu lateris ſanctuarii. [d] *b c.40. v.48* *c c.6.34. 35.* *d Figura 5*

LXXVII *Feneſtrarũ elegantia, & proportio.*

TOTIVS proſpectus huius fabricæ multum decoris ex elegantiſſima feneſtrarum proportione, & ornamentorum egregie congruente ſimilitudine capiebat; ſed ex ſingularum etiam pulchritudine. Nam cum earum cancellos aureos legamus, haud dubium eſt feneſtrarum poſtes, & limina precioſiſſimo lapide ingenioſe elaborato fuiſſe conſtructa. Nam Ioſeph. ait militum [e] quendam à contubernali ſuo ſublatum in feneſtram auream raptum ignem inieciſſe. Certe in Salomonis templo nõ erant feneſtræ deteriores, quam in Herodiano, de quo id ille ſcripſit. D. Hieronymus in cap. 41. Ezechielis ait feneſtras lignis interraſilibus, & vermiculatis fuiſſe decoratas; vt ſcilicet iis varia precioſi ligni, vel lapillorum verſicolorum collocatione, variæ rerum effigies repræſentarentur. *Feneſtræ*, inquit, *erant factæ in modum retis inſtar cancellorum, vt non ſpeculari lapide, nec vitro, ſed lignis interraſilibus, & vermiculatis clauderentur.* Huiuſmodi cancellos decuſſatos, vocamus, *ialouſies*; & forte iſtorum cancellorum rhombi criſtallini erant, ad arcendam pluuiam, ventum & puluerem; & admittendam nihilominus lucem. *e l.7 bell. c.10.*

LXXIIX. *Ornatus à columnis.*

SED à columnis ſiue paraſtadibus, baſibus, capitellis, trabeatione maxima omnino, gloria, & magnificentia exiſtebat. Nam cum hæc nuda & ſolitaria ædificium aliquod magnificè decorare ſoleant, vt fatentur architecti, & eruditi oculi facile agnoſcunt, & iudicant, quid de iis exiſtimandum, in quibus & materia precioſiſſima, & forma elegantiſſima, & magnitudo ſingulorum, & omnium ſymetria, atque proportio digna fuit ipſo architecto Deo?

Paraſtadũ modus, & forma.

Extabãt à pariete columnæ, niſi potius ſemicolũnas quadratas appellare placet, & quæ proprie paraſtades, à noſtris *pillaſtres*, appellãtur cubitũ vnum; latitudinem habebant cubitorum quatuor, longitudinem triginta, ſecluſo podio, baſibus & capitellis, quæ numerum quadraginta cubitorum implebant. Erant autem ſtriatæ: hunc enim ornatum capiebat earum proceritas, magnificentia vero capitellorum, coronarum, baſium, & totius trabeationis etiam exigebat.

Stria & virgæ.

Sunt autem ſtriæ, ſulſi quidam, & canaliculi in columnæ ſcapo, ſiue corpore excauati, vnde *caneleure* vulgo dicitur; à canalibus, quam Ariſtoteles ῥάβδωσιν vocat, Vitruuius ſtriaturam, ad verbum virgatio, aut virgata cælatura reddi poteſt; & ſicut ſtriæ ſunt ipſe cauitates æquali interuallo diſtantes, ſic virgæ dicuntur

ipſæ eminentiæ inter ſtrias.

PODIVM & baſes quinque cubitorum erant, & podium quidem quod toto circuitu columnas ſuſtentabat, vt diximus, & proxime ſuper fundamenta conſtructum erat, ſpeciem quandam trabeationum gerebat, ſed ſine vllo ornamento; quomodo paſſim fabri lignarii imagines ligno includunt. Baſes ſingulæ cum plintho thoris, aſtragalis, & reliquis omnibus partibus viſebantur, quales perquam accurate, & magnifice in ære delineauit Villalp. [a] habes ibidem capitellorum formam palmarum foliis, fructibuſque exornatam, vtraque opere Corinthio, etſi Corinthij achanti folia non palmæ apponebant. Et hæc eſt pictura palmarum, quæ ſæpe in Ezech. memoratur. [b] Addit Villalp. etiam ſerta quædam è duobus capitellis dependentia vbique ſuper ſubiectas feneſtras, quibus folia, fluctuſque cum variis floribus figurabantur. LXXIX. *Podium, baſes.*

a t. 2. l. 5. c. 4

b c. 40. & 41

DISTABANT à ſe inuicem hæ paraſtades octo cubitis, quibus omnibus epiſtylium primo imponebatur, tum zophorus, poſtremo coronix, ſed zophorus maxime ſemper fuit ornamentorum capax. Appingit in eis Villalp. quatuor illas animalium facies, ab Ezechiele 1. cap. celebratas. Sed hæc diligentius perſequi non eſt noſtri inſtituti. Quæ autem de infirma contignatione dicta ſunt, eadem de altera in toto templo, & de tertia in veſtibulo intelligantur; ſed cum debitis imminutionibus, & retractionibus. Nam cum prima contignatio ad quinquaginta cubitos aſſurgeret, ſecunda ei ſuperpoſita altitudinis quadraginta duntaxat fuit: ſicque altitudo templi erat extrinſecus nonaginta cubitorum; reliqua erat turris ſuper veſtibulum, alta triginta cubitos, vt ſic altitudo porticus eſſet centum & viginti cubitorum, vt habetur in 2. Paral. [c] LXXX. *Trabeatio.*

c c. 3. v. 4.

ASCENDAMVS ergo ad tectum, quod non dubium eſt mihi corona quadam elegantiſſimo opere perfecta auro, argentoque, ad ſolis radios fulgurante, vndique cinctum fuiſſe; id enim vehementer magnificentiſſimę ædis ornatui ſeruiebat, vt corona regio capiti, flos caudici, pinnæ turribus, & muris & caput toti corpori, Iſtiuſmodi peribolum, ſiue coronam Villalpandus omiſit, [d] eius tamen ſe nō oblitū eſſe, ſed de induſtria prætermiſiſſe oſtendit; quod eum locū referat ne auibus quidem adire licitum, ne pollueretur. [e] Nihilominus in omnem euentum præceptum Domini, de quo ſupra meminimus, in domo Domini neglectū fuiſſe, credendum non eſt; præſertim cum ſupra illud per geminas cocleas aditus pateret. Id ex Eucherio confirmare poſſumus [f] qui in illa verba, *& ædificauit tabulatum ſuper omnem domum,* [g] cum retuliſſet legem Moſis de ædificando peribolo circa domum, addit. *Hoc tabulatum in ſupremo domus tecto per circuitum, in extremo murorum, vice cancellorum erat erectum, ne quis ad ſuperiora conſcendens, dum ad terminum tecti perueniret, incaute progrediendo dilaberetur ad ima.* Idem affirmat Angelomus, ibid. *Loriculas,* inquit, *ſignificat, quæ in ſupremo domus tecto per circuitum erant factæ, ne quis ad altiora perueniens, repente laberetur ad ima; quod in omni domo quam quiſque ædificaret, Moyſes fieri præcepit.* Sic ipſe. Quod ſenſit etiam Lyranus, & Richardus, & alij. Adde quod pinnaculum templi, ſuper quod Dæmon Chriſtum ſtatuit, optimi quique interpretes peribolum interpretantur, qui circa ſummum tectum erat ad prohibendum caſum, & præbendum commodum apricandi ambulandi, aut orandi locum. [h] Quod ſi in Herodis templo id obſeruatum eſt, quis credat in Salomonico fuiſſe neglectum? habuit ergo peribolum tam turris, quam ſecunda templi contignatio, qualem iam dicebamus, multo quidem minorem eo qui vniuerſas porticus, atriaque templi cingebat, ſed longe pulchriorem, ac magnificentiorem. LXXXI. *Tectum templi.* *Eiuſque peribolus.* *Maldon. in c 4. Matth. v. 5. Barrad t. 1. in eun. loc. Sà, & c πτερύγιον ibi Græcè dicitur, quod alij explicant ἀκρωτήριον ἀετώματος πτηνίματα.*

d in c. 41. Ezech. l. 4. c. 23.

e Ioſeph. l. 6. bel. c. 6.

f l. 3. reg. c. 10.

g 3. Reg. 6. v. 10.

h Act. 10. 9.

TECTVM autem ipſum tegulis æneis fuiſſe contectum autor eſt Eupolemus apud Euſebium, [i] qui ait tectum laquearibus factum, & intus aureis tegulis, æneis deforis contectum. In Græco habetur τὸ δὲ δῶμα, (id tectum planum eſt, non faſtigiatum, vt ſupra ex Hieronymo diximus; & omnes æque conſentiunt, Eucherius, Angelomus, Richardus, & recentiores ποιῆσαι χαλκοῦν ἀπὸ κεραμίδων χαλκῶν, χαλκὸν χωνεύσαντα, καὶ τοῦτο καταχέοντα. *Tectum,* inquit, *æneum fecit ex tegulis æneis, conflato prius ære, atque fuſo.* Quod non dixerit ex ære ductili, ſed fuſo conflatas; ſignificare voluit fuiſſe laminas craſſiores, Villalp. [k] pondus exquirit omnium tegularum, tam tēpli, quam omnium porticuum; eis dando craſſitudinem tertiæ partis digiti, ita vt LXXXII *Atque operimentum.*

i l. 9. de præp. c. 4

k l. 5. c. 4.

duodecim tegularum, craſſitudo palmum æquent, 72. cubitum: nec ſquamato collocentur opere, ſed planæ, ac ſi vna perpetua lamina ſingula tecta operta fuiſſent, & colligit omne pondus æris in tegulis 62517728. id eſt ſexaginta duorum millionum, quingentorum ſeptemdecim millium, ſeptingentarum viginti octo librarum; talentorum autem (quibus ſingulis 125. libræ tribuuntur) quingentorū millium, centum & quadraginta vnius, & inſuper centum & trium librarum. Idem tamen putat ſquamato opere tegulas tectis impoſitas; ad operis ſcilicet pulchritudinem. Verum cum tecta plana eſſent, facile per tegulas aqua pluuia vento imminente in ædes influeret.

LXXXIII *Quale illud æs.*

Aes porro quo templum totum tectum fuit, non vulgare, ſed precioſum fuiſſe contendit idem Villalp. l. c. & quod cum reliquis totius templi opibus, & ſingularum partium, vaſorumque magnificentia, & ornamentis congrueret. *Qui enim fieri potuit,* inquit, *vt tectum illud quod verubus aureis, iiſque pluribus, vt oſtendimus, fulciebatur, ac per gyrum ſingulari decore ornabatur, ære communi tegeretur, & non potius illo ære, quod ſi non erat aurum, colore ſaltem rubiginem penitus non admittente, auro eſſet aureiſque verubus, quæ tegulis infigebantur, quam ſimillimum?* De verubus aureis teſtis eſt Ioſephus.[a] *In ſummo,* de templo loquitur Herodiano, *aureis verubus horrebat acutiſsimis, ne ab inſidentibus auibus pollueretur.* Idemque in Salomonico fuiſſe contendit Villalp.[b]

Ioſephi verua aurea.

a l.6.bel.c.6. b l.5.c.4 & l.4 c.23.

LXXXIV *Improbatur.*

Qvod difficile creditu videtur. Primùm quia huiuſmodi verua in tecto plano, & peribolo, ſiue corona magna cincto nuſquam erant conſpicua, niſi ſi qua ſuper ipſum peribolum locata erant. Satis magnam autem fuiſſe, altitudo templi 90. cubitorum, cum quo proportionem habuit, ſatis docet. Deinde quia ænea, & ipſi tecto congenea, eidem officio ſatis eſſe poterant. Accedit quod ad arcendas aues infinitam huiuſmodi ſpiculorum multitudinem excitare oportuiſſet, vt ſeſe propemodum contingerent. Deniq; ſi eo deductus eſt à ſacerdotibus, ſcribis, & Phariſæis S. Iacobus minor, indeque proiectus in præceps, vt communis eſt ſententia apud Euſeb.[c] qui id ex Clemente, & Hegeſippo narrat: cui D. Hieron. in catal. aſſentitur, non eſt credibile eam viam tum primum ab ipſis fuiſſe tentatā: nec eo Iacobum iuſtum, ſi fas non foret, aſſenſurum fuiſſe: eo enim ſponte aſcendiſſe memoratur.

c l.2.hiſt. Eccl c.23.

LXXXV. *Quæ tecto impoſita ex Eupolemo.*

Evpolemvs apud Euſeb.[d] de hoc tecto longe aliud à verubus Ioſephi narrat. *Fecit,* inquit, *& catenulas duas hamatas, eaſque in machinamentis conſtituit, quæ in templi faſtigio viginti cubitis eminebant, ac ſuperne totum templum obtexit, ſingulíſque retibus quadraginta tintinabula ænea appendit magni ponderis. Cunctaque retia fecit eam ob cauſam, vt pulſatis tintinabulis, aues abigerent, ne in templo conſiderent, neue in valuarum porticuumque laquearibus nidificantes, templum excrementis inquinarent.* Hæc ex græco Euſebio; quæ qua ratione diſpoſita eſſent, ipſe non explicat vberius, & difficile intelliguntur.

d l.9. præp. c.4.

LXXXVI. *Quæ eſſent in arca.*

Reliqvvm eſt vt de ſupellectili templi dicamus, ducto à loco omnium religioſiſſimo initio. Et quidem cum in oraculo nihil eſſet præter arcam, & cherubinos, de quibus partim in ſecundo tomo, partim in hoc ipſo ſatis dictum videtur, ad aulam ſanctam tranſeundum foret; niſi liberet in ipſam Dei arcam inſpicere, & quid in ea incluſum eſſet certo ſcire. Id hactenus à nobis tentatum non eſt, verentibus formidoloſum Bethſamitarum exemplum. Itaque ſcriptorem huius libri potius, vel D. Paulum conſulemus. Certe in 3. Reg.[e] dicitur in arca nihil aliud fuiſſe niſi duas tabulas lapideas, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb: idemque totidem pene verbis in 2. Paral[f] & à Ioſepho.[g] D. tamen Paulus in epiſtola ad Hebr.[h] alia quædam in illa videtur includere. Sic enim loquitur. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro; in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuperque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.*

e c.8.v.9. f c.5.10. g l.8 ant.c.2 h c.9.v.4.

LXXXVII *Solutio difficultatis ex Ribera.*

Hanc difficultatem accurate expendit Ribera, in eum locum Pauli, & lib. 2. de templo, c. 2. vbi aliorum relatis, & refutatis ſententiis, hunc in modum huic diſputationi ſatisfacit. Ait enim, Paulum nequaquam libris Reg. aduerſari, nec dicere hæc fuiſſe in arca, ſed in tabernaculo. Atque hoc quidem in græco non

eſt obſcurum, nam tabernaculum fœminei generis eſt apud eos, id eſt, σκηνή. Itaque cum dicit, *in qua vrna aurea habẽs manna, & virga Aaron*, &c. *In qua* non refert arcam, ſed tabernaculum fœminei ſimiliter generis, quod paulo ante præceſſerat. Sic alibi Latinus interpres genus græcæ dictionis ſeruauit, vt Sap. 1.7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*, vbi *hoc*, refert πνεῦμα, non ſpiritum. Apoc. 10. *Accipe librum, & deuora illum* &c. *& erit dulce*; ſcilicet τὸ βιβλίον. Retinet etiam aliquando genus vocis hebraicæ, vt Geneſ.3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſe conteret*, ſubauditur ſcilicet Zeragh maſculinum, quomodo etiam Septuag. poſuerunt αὐτὸς, licet præcederet σπέρμα.

ET hæc quidem de locutione. Res autem ipſa ſatis confirmatur ex eo, quod nuſquam in Scriptura traditur vrnam, aut manna, aut virgam Aaronis fuiſſe in arca, ſed in tabernaculo. *Dixitque Moyſes ad Aaron:* [a] *Sume vas vnum, & mitte ibi, Man, quantum poteſt capere Gomor, & repone coram Domino, ad ſeruandum in generationes veſtras, ſicut præcepit Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſeruandum.* Non dixit in arca, ſed in tabernaculo reſeruandum. Virga quoque Aaron dicitur poſita non in arca, ſed in tabernaculo teſtimonii reſeruanda, vt habetur in lib. Num. [b] *Refer*, inquit Dominus ad Moyſen, *virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael.* Cum dicit Dominus, *refer virgam Aaron*, vtique reponi iubet, vbi erat prius; at prius non erat in arca, ſed cum reliquis in tabernaculo. Sic enim legitur ibid. *Poneſque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio, vbi loquar ad te*, id eſt, coram arca, in qua erat teſtimonium, ſiue lex. Et paulo poſt, *quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij*, &c. At nunquam inuenitur tabulas legis dici poſitas coram Domino. Nam coram Domino dicitur eſſe, quod eſt coram arca; & propiciatorio, vbi Dominus reſidere dicebatur, & vnde reſponſa reddebat. Hæc & plura Ribera, eruditè ſane, admodumque probabiliter. LXXXVIII *Confirmatur.*

NIHILOMINVS negari non poteſt, vt rectè aduertit Cornelius à Lapide in eundem Pauli locum, videri expoſitionem præter mentem Apoſtoli, qui ſicut paulo ante numerauerat quæ erant in Sancto, ſic nunc recenſere velit, non quæ in tabernaculo erant, ſed quæ in Sancto ſanctorum. Sed & præter verba; ſi enim illa verba, *in qua*, referunt non arcam, ſed σκηνῇ, id eſt tabernaculum; certe cum mox ſubdit, *ſuperque eam erant* Cherubim, referetur σκηνὴν, & non κιβωτὸν, quod abſurdum eſt. Reſpondet ergo particulam *in*, hoc loco ample ſumi, & complecti tam ea quæ proprie in arca erant; vti erant tabulæ legis, quam ea quæ iuxta arcã erant; quo modo quis habet galerum in capite, & calceos in pedibus, id eſt circa, & Chriſtus paſſus eſt in Ieruſalem, id eſt iuxta illam ciuitatem. LXXXIX. *Alia expoſitio melior.*

IN arca igitur erant duntaxat lapideæ tabellæ; in tabernaculo vero, aut tempore Salomonis in oraculo, reliqua repoſita ſunt, quæ ex D. Paulo retulimus, virga ſcilicet Aaronis florida, & vrna aurea habens manna, & quidem non humi, ſed ſuper currum illum Domini, ſiue quadrigam, de qua paulo ante diximus. Quibus etiam fas eſt addere librum legis Moſaicæ, quem in latere arcæ fœderis poni iuſſerat Moyſes, [c] qua de re diximus aliquid anno Moſis vltimo. Hæc fuit ſupellex oraculi, ſiue Sancti ſanctorum, ad quam thuribulum aureum non pertinuit, vt contendit Ribera, [d] & nos alibi diximus; [e] licet id dici videatur a Diuo Paulo [f] ad Hebræos. Niſi forte quia ſemel in anno eo inferebatur, vt ſeruiret ſuffitui, qui à Pontifice coram arca fiebat, vt putauit Sà in eum locum. Villalp. [g] quoque exiſtimat thuribulum huiuſmodi ibi relinqui ſolitum annum totum, cum phiala ſanguinis quo aſpergendum erat ſanctuarium, donec ſequenti anno aliud inferretur, quod ibi relinquebatur, vt per otium incenſum penitus conſumeretur. Prior tamen ſententia vt communior eſt, ita videtur probabilior, & certior; nec obſtat quod D. Paulus eodem orationis contextu dicat Sãctum ſanctorum aureum habuiſſe thuribulum, & arcam: ex quo videtur velle vtrumque in eo fuiſſe, & præſentiam de vtroque negandam, vel de vtroque concedendam.

XC. *Quæ eſſent in Oraculo. Arca, Virga Aaron. Vrna manna, Liber Moſis, An thuribulum.*

a Exod. 16. 33.
b c. 17.10.
c Deut.31. 26.
d l.2.c.8. n.12.
e t.2.an.m. 2544.n.46; & ſeqq.
f c.9.4.
g l.4.c.52.

Nam cum habere multis modis dicatur, diuerſi modi in vnum orationis contextum recte coniungi poſſunt; vt ſi dicamus templum multam habere pecuniam, multas poſſeſſiones, multos miniſtros, vt ait Rib. l. c. n. 15.

XCI. *Quæ in templo. Altare thymiamatis.*

EGRESSIS igitur ex Sancto ſanctorum occurrit ſtatim ante ianuam oraculi altare, quod propter vſum ſuffitus, quem exibebat oraculo, & propter vicinitatem altare oraculi dicitur, [a] & à D. Paulo thuribulum aureum, [b] quo modo & dicitur a Ioſepho: vtrobique enim legitur Græce θυμιατήριον, quam vocem Gelenius [c] vertit arulam ſuffumigatoriam. l. autem 6. bell. c. 6. *thuribulum.* Syriaca vero tranſlatio epiſtolæ D. Pauli vocat *domum aromatum.* Vſitatiore tamen vocabulo dicitur altare thymiamatis, ſiue incenſi, [d] ad differentiam altaris holocauſtorum, ad cuius etiam differentiam, hoc noſtrum aureum dicitur, [e] cum illud æneum eſſet. Non fuiſſe hoc altare intra oraculum, ſiue Sanctum ſanctorum, ex eo patet, quod Zacharias, qui non erat ſummus pontifex, ſed ſacerdos de vice Abia, in eo miniſtrabat. Non licuit autē illi ingredi in Sanctum ſanctorum. Et Exod. 40. ponitur coram arca teſtimonij, ſed demiſſo inter vtraque velo. Et infra v. 19. & ſeqq. ante velum oraculi ordine ponuntur & extra ipſum ad Septentrionem menſa panum propoſitionis, ad meridiem candelabrum, & in medio altare aureum. Ioſephus quoque de aula ſancta loquens. Et prima quidem pars ad quadraginta cubitos auulſa, hæc tria mirabilia, ac prædicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & menſam, & thuribulum. Eadem etiam ſcribit alibi, [f] *Vnum candelabrum in templo dedicauit, vt interdiu luceret iuxta legem, & menſam vnam impoſitos panes habentem ſitam ad ſeptentrionale templi latus ex aduerſo candelabri; medium autem inter vtrumque locum obtinebat altare illud aureum: hæc omnia continebat anterior illa templi pars, quadraginta cubitos longa, & velo diſparata ab adyto. Illo enim arca erat inferenda.* Hæc ibi. Itaque Leuit. 16. de cerimonia, qua Pontifex ingrediebatur in Sancta ſanctorum. [g] Sic legimus, *Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta.* Hæc de loco.

[a] 3. Reg. 6. 22. [b] ad Hebr. 9. 4. [c] l. 3. ant. c. 7. [d] Luc. 1. 11. Exod. 40. 5. verſ. 5. [e] l. 6. bel. c. 6. [f] l. 8. c. 2. [g] verſ. 12.

XCII. *Salomonicum an idē cum Moſaicum.*

DE authore etiam dubitatio eſt. Nam Ribera putat [h] altare thymiamatis, quod in templo fuit, idem fuiſſe cum eo, quod olim à Moyſe fabricatum fuerat, & à Salomone duntaxat magnificentius ornatum fuiſſe. Contra ſentit Abul. [i] & Villalp. [k] qui vult totam templi ſuppellectilem, præter vnam arcam, à Salomone factam, quæ videtur planiſſima Scripturæ ſententia, 3. Reg. 7. vbi poſt enumerata diuerſa opera, ita concludit. *Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini, altare aureum, & menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream, & candelabra aurea.* Cum ergo dubium non ſit, quin menſam fecerit, & candelabrum, de altari quoque idem fatendum eſt; ſed hæc verba ita pro ſua ſententia Ribera interpretatur, vt Salomon dicatur feciſſe altare aureum, quia refecit, id eſt cedro veſtiuit, ac maius fecit, & auro magnificentius, ac pulchrius ornauit.

[h] l. 2. de tēp. c. 8. n. 4. [i] q. 16. in c. 6. 1. Reg. [k] l. 4. c. 48.

XCIII. *Diuerſum videri.*

VERVM quæri poteſt à Ribera, an prius illud altare Moſaicum à Salomone diſſolutum fuerit, an non; ſi diſſolutum fuerit, & illius materia, ac forma mutata, certe non idem manſit altare, ideoque non vltra hoc altare Moſis fuit, ſed Salomonis; ſi non eſt diſſolutum, ſed incluſum in maiore, certe altare hoc maius quod apparebat, & vſui erat, & à Salomone factum erat, Salomonem authorem agnoſcere debet, non Moyſen. Quamquam abſurdum videtur hoc altare inutiliter includere in maiore, cum vel ſeorſim ſeruari poſſet in tot oratoriis, & gazophylaciis; vel antiqua materia operi nouo eidem vſui deſtinari. Quod de menſis & reliqua tabernaculi ſupellectili dicendum eſt. Quod autem dicitur Salomon altare aureum veſtiuiſſe cedro, [l] & auro texiſſe, idem eſt ac ſi diceret conſtruxiſſe altare cedro; interiora vero laminis aureis conſtitiſſe, ne ſcilicet ignis vel cineres calidi lignum paulatim conſumerent, quæ propterea cedro veſtita dicantur, ſicut vice verſa cedrus auro veſtita fuit, quoniam foris auro tectum fuit lignum omne, & in figuram altaris efformatum; vt vult Villalp. loc. cit. vbi etiam fuſe diſſerit.

[l] 3. Reg. 6. 20. 22.

XCIV. *Quæ eius forma.*

QVÆ eius forma fuerit. Quod colligendum ex prioris altaris forma, de qua diximus anno Moſis 81. [m] Sed hoc altare duplo fere maius deſcripſit Ezechiel. [n] *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum, & anguli*

[m] n. 464. [n] c. 41. v. 22.

eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei. Et locutus eſt ad me, hæc eſt menſa cora DOMINO: quæ de altari thymiamatis ibi Hieronymus explicat, & miratur quomo do ligna hæc ab igne non paterentur. *Quod altare*, inquit, *habebat cornua, & ta baſes, quam parietes eius, hoc eſt, latera erant lignea, in quo Scripturæ ſanctæ myſter humanus ſermo non poteſt explicare, quomodo altare, in quo ignis ſuccendendus erat, men videlicet thymiamatis, nihil ab igne patiatur, ſed vt ita dicam igne purius fiat. Sicut eni opera ſanctorum, de quibus ſcribit Apoſtolus, vnius cuiuſque opus quale ſit ignis proba non pereunt, ſed per ignem puriora monſtrantur: ita & altaris ligna, quæ de lignis parad ſunt, non cremantur igne vicino, ſed puriora redduntur. Nec mirum hoc de Sanctuario, c interioribus templi, & altari thymiamatis credere: cum etiam* ἀμίαντον *quod genus eſt l gni, vel lini habens ſimilitudinem, quanto plus arſerit, tanto mundius inueniatur.* Hæ

a l.6.c.156. ſanctus Hieronymus, Dioſcorid.[a] ἀμίαντον gemmam ait eſſe. Sed cauſa facile a aurum, quo totum altare circum vndique veſtitum erat, quodque ægerrimè a igne patitur, referri poteſt. Huius altaris fabricam perſpicuam facit Villalp. i ſua paraphraſi. *Altare vero*, inquit, quod ex erectis quaternis quadratis tigni aliiſque in ſupremo, & in imo connexis, quaſi ex oſſibus contexuit Salomon, a cedrinis tabulis vndique conueſtiuit, aureiſque demum laminis contexit, a tum erat cubitos tres, longum æquè ac latum cubitos duos. Ex dictis au tem quatuor angularibus tigillis cornua erigebantur lignea, lignei namque era altaris parietes, baſis, anguli; quæ omnia auro puriſſimo veſtiebantur, addit ſuper aurea craticula pro foco. Et dixit mihi qui me ducebat angelus. Hoc al tare quod in conſpectu Dei ſemper manet, menſa dicitur, quippe cui ſacer igni & ſuaue ſpirans ſuffitus imponitur; vt ſcilicet eo odore, quaſi cibo recreetu aut potius deuoti, & incenſi charitate animi oratione, *quæ dirigitur ſicut incenſu in conſpectu* DEI.

b t.2.l.4. c.48. FORMAM eius pulcherrimam repræſentat Villalp.[b] in qua videbis in im baſim quadratum toti areæ ſuppoſitam, altam palmos duos, intus aſſeribus co ſtratam, & laminis aureis contectam, in quam calidi cineres è ſuperiore crat cula caderent. Quæ baſis in altari holocauſtorum non erat, vt tradit Ioſ

c l.3. ant. c.7. phus,[c] tum in latere vno feneſtram ad exauriendos cineres; leonum vero, quilarum, & ſertorum ornamenta, ex parte ab altari holocauſtorum mutua ſunt. Annuli tamen, & vectes ad portandum fortaſſe non ſunt adhibiti, ſicut i Moſaïco, quod circũferri debebat. Niſi potius dicendũ eſt & annulos, & vecte tam altari, quam menſis adhibitos, etiam in templo Salomonis, vt maio cum reuerentia moueri loco poſſent, cum res exigeret: vel fortaſſe ſignifica do myſterio, tam altare, quam menſam à Iudæis ad Chriſtianos transferend Quod confirmatur: Nam & arca quæ maximè immobiliter in medio Oracul collocata erat, ſuos quoque annulos, & vectes retinebat illis inſertos. In ſun mo altari cornua procedunt, ſed non incurua, verum in modum cilindri, ro tundè in acumen tendentia, cum quadam baſi, & corona in ſingulis, vt ex Mo

d l.3.ant. c. 7 ſaïco altari thymiamatis, apud Ioſephum[d] colligitur, ſi græcum textum con ſulas. Sed craticula in modum retis perforata, & maioris lancis incurua loc tecti eſt, ea vero corona cingebat aurea, quæ ſimul ipſum altare coronaba In hoc altari, ſicut in Moſaïco cui ſuccedebat, pontifex mane & veſperi quot die ſuaue fragrans incenſum adolebat, eodem tempore quo & lucernas comp nebat, vt habetur Exod. 30. 7.

Ad ſeptentrionale altaris incenſi latus, erecta fuit propoſitionis menſa, ea dem forma ac materia, iſdemque menſuris, quas olim Moyſes obſeruara

e l.4.c 57. ex 2. Par.4.v.6 & 7. quæ habentur Exod. 25. 23. vt colligit Villalpandus,[e] verum magificentia ſuam oſtendit Salomon, cum pro vna decem conſtrui iuſſit. Sic enim habetur

f 2.Par.4 8 in Scriptura: *Nec non & menſas decem, & poſuit eas in templo, quinque à dextris, quinque à ſiniſtris, phialas quoque aureas centum.* Nullum inter eas diſcrimen ma

g l.8. c.2. gnitudinis poſuit Scriptura; ponit tamen Ioſephus,[g] ait enim, *menſas quoq multas dedicauit Rex, & in his vnam magnam auream, in qua proponebantur ſacri pane*

h l 2. de tẽp. c.10. in fin. *Reliquæ vero non multo deteriores diuerſo modo factæ ſuſtinebant phialas, & pateras*, &

i l.4.c 57. Ribera,[h] & Villalp.[i] putant errorem irrepſiſſe in numerum, & pro vna men ſa decem ponendas.

XCVII. *Fuerũt plures contra Ioſephum.*

At vereor ne ille de more ſcripturam ambitioſe mutare voluerit: præſertim cum pro aureis phialis centum, ipſe viginti millia cuderit; & inſuper quadraginta millia phialarum argentearum liberaliter addiderit, quibus ſuſtentandis menſas illas minores confici rex iuſſerit. Sed eum iterum Scriptura refellit. [a] *Fecitque Salomon omnia vaſa domus Dei, & altare aureum, & menſas, & ſuper eas panes propoſitionis*: quomodo legitur in Hebraïcis, Græcis, & Latinis omnibus. Super plures ergo menſas, id eſt decem, quas ante memorauerat, poſuit panes. Idque conſentaneum eſt tantæ ſacerdotum multitudini, qui per vices ſuas miniſtrabant, & iis veſcebantur. Villalp. etiam loco citato hunc centenarum phialarum aurearum numerorum decem menſis panum accommodat, vt in ſingulis denæ eſſent.

a 2. Par. 4. 19.

XCIIX. *Quæ panũ, & phialarum diſpoſitio.*

Nam *in ſingulis menſis*, ait, *bini diſponebantur ordines panum, & in vno quoque ordine quina vaſa aurea licet computare. Primo illud magnum cui imponebantur panes; ſecundum paruum, quo thuris tum panibus imponebatur; tertium huic ſimile, quo addebatur ſal; quartum quo hæc omnia operiebantur pariter, atque exornabantur; quintum denique, quo vinum libabatur, prædicto operculo, ad decorem, & dignitatem impoſitum: Ex quo fit vt ſingulis menſis dena vaſa deputarentur, denis centena.* Hæc ipſe; à quibus non multum abeſt Ioann. Benedict. in cap. 25. Exod. Niſi quod vinum & ſal, eorumque vaſa prætermiſit. Certe hæc centum vaſa ad menſas tantum propoſitionis pertinuiſſe valde probabile eſt, ex 25. Exod. [b] vbi in media expoſitione menſæ, & panum inſerit Moſes acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos aureos, & additur hebraïce in ſingulis vocibus affixum, quod reſpondet pronomini latino; vnde Pagninus ita vertit Exod. 25. 28 *Et facies ſcutellas eius, & coclearia eius, & cyathos eius*; &c. Vnde in peregrinatione deſerti hæc vaſa cum menſa inuoluebantur, & deferebantur ſimul. [c] Denique Exodi [d] 37. dicuntur hæc vaſa *ad diuerſos vſus menſæ.*

b v. 29.

c Num. 4. 7.
d v. 16.

IC. *Magnificẽtia Salomonis.*

Hinc iterum apparet magnificentia Salomonis, in decem iſtis menſis, aurearum laminarum, quibus vndique conueſtitæ erant fulgore ſplendeſcentibus, cum aureo lymbo, & coronis eas vndique quatuor digitorum altitudine circumeuntibus; centeniſque inſuper vaſis aureis. Has porro menſas non ad Septentrionale tantum latus altaris aurei ponit Villalp. in primo veſtigio ſanctuarij, ſicut nec candelabra ad auſtrale, ſed ea decenter intermiſcet, vt non ſolum quinque menſæ, & totidem candelabra à dextris fuerint, & rurſus quinque candelabra, & totidem menſæ à ſiniſtris collocata, vt exigit Scriptura. [e] Sed ita conſtituit vt proxime à lateribus altaris aurei, vtrinq; bina ponerentur candelabra, tum recedendo ab Oraculo verſus veſtibulum, ſingulæ vtrinque menſæ: inde ſingula candelabra tum ſemel, atque iterum ſingulæ vtrinque menſæ, rurſum candelabra, & menſæ, donec in vltimo ordine duæ menſæ inter duo candelabra ponerentur, potuerunt autem & aliter ordinari, ſed hic ordo admodum conueniens eſt.

Menſæ intermixta candelabris

e 2. Par. 4. 7. 8.

C. *Candelabra aurea.*

Qvod autem ad candelabra ſpectat, ex dictis facile de eorum magnitudine, & figura conſtare poteſt. Nam in 2. Paral. [f] dicuntur, facta à Salomone candelabra aurea decem, ſecundum ſpeciem qua iuſſa erant fieri; olim ſcilicet Moyſi, vt interpretatur Villalp. [g] & confirmat ex Eupolemo apud Euſeb. [h] vbi ex græco ſic habetur. *Fecit etiam decem aurea candelabra, talenti pondere ſingula, eius inſtar, quod à Moſe in tabernaculo teſtimonij poſitum fuerat; eademque ex vtraque parte templi, partim à dextris, partim à ſiniſtris collocauit.* Hæc ibi, quæ videtur paraphraſis huius loci 2. Paral Sed fallitur interpres Euſebii, cum vocem [illegible] non ad candelabra retulit, ſed ad talenta, quod clariſſimum eſt; primo ex c. 25. Exod. v. 39. vbi dicitur omne pondus candelabri, cum vniuerſis vaſis ſuis, habuiſſe talentum auri puriſſimi. Secundo ex eo quod ſequitur ibid. in Eupol. *fecit & lucernas aureas ſeptuaginta, vt ſeptenæ in ſingulis candelabris arderent.* Decem igitur erant candelabra; at Trapezuntius ibi legit ſexaginta ſeptem lucernas in vno quoque candelabro. Abſurde. Confirmatur etiam hæc Moſaïca Salomoniorum candelabrorum forma ex Ioſepho, [i] vbi dicitur Salomonem feciſſe decem millia candelabrorum, *iuxta præceptum Moſis*, quod non videtur poſſe aliò; quam ad formam ei diuinitus mandatam referri: Quod Ribera quoque notauit. [k] Quod autem ait vnum à

Eorum numerus, pondus & forma.

f c. 4. 7. 40
g l. 4. c. 17.
h l. 9. de præp. c. 4.
i l. 8 ant c. 2
k l. 2. de tẽp. c. 12. fi.

Salomone è decem millibus in templo dedicatum, de numero quidem decem millium, nihil diſputo: de vnico autem conſecrato certiſſimum eſt ex Scriptura eum vehementer errare, cum ex illa conſtet decem in templo fuiſſe dedicata; quæ decem auri talentis, id eſt centum & viginti quinque millibus aureorum valebant. Sed de his candelabris ſatis à nobis anno Moſis 81. diſputatum eſt.[a]

a a. 446. & ſeqq.

CI. *Vaſa templi aurea, & argentea, ex Ioſepho.*

Et hæc quidem de templi ipſius, ſeclusis omnibus atriis præcipua ſupellectile dicta ſint. Ad quæ atria priuſquam tranſeamus, libet quæ de vaſorum templi multitudine Ioſephus ſcripto reliquit referre. Nam præcipua eorum pars ad aulam ſanctam potius, quam ad atrium Leuitarum pertinuiſſe videtur.

Libro ergo 8. antiq. cap. 2. poſt enumeratas æneas colūnas duas, de quibus dictum eſt: & mare æneum cum bobus ſuis; luteres decem cum baſibus, rotis, omnique apparatu ſuo, & altare holocauſtorum, de quibus cum de atrio Leuitarum ſermo erit, dicetur, aurearum menſarum ponit, iuxta Gelenii verſionem, magnum quidem, ſed indefinitum numerum; & quæ aurea menſa panum non multo deteriores eſſent, quot ſcilicet requiruntur ad commode capienda ſexaginta millia phialarum, ſiue libatoriorum, & paterarum aurearum, & argentearum. Verum determinatus numerus decem millium menſarum, habemus in græco: quo etiam modo legit iampridem Rufinus. Candelabrorum decem millia aurea ne eſſent, vel argentea non dixit ipſe, ſed eorum tamen vnum, vel potius decem, vt diximus, aurea fuiſſe ex Scriptura conſtat. Villalp.[b] aurea omnia fuiſſe putat, & inſuper duplo plura argentea, quia deinceps in enumeratione vaſorum Ioſephus pro vno vaſe aureo, duo ponit argentea. Sed aliqua ſeorſim dicemus, 4 ne lectori in recenſendis Ioſephi, vt leuiter dicam amplificationibus graues ſimus.

candelabrorum. b l. 5. c. 42. 4. χ.

CII. *Alia vaſa ab eo prætermiſſa.*

Extra porro numerum vaſorum à Ioſepho numeratorum, ſunt vaſa omnia, quæ à Moyſe in deſerto fuerunt fabricata. Ait enim Ioſephus prædicta omnia fuiſſe à Salomone præparata. Illa porro in templum fuiſſe tranſlata conſtat ex Scriptura.[c] Quin etiam ex ære alia quamplurima fabricatus eſt, vt Scriptura teſtatur, de quibus in atrio Iſraëlitarum; ad cuius vſum in primis pertinebant, dicendum erit. Alia etiam vaſa aurea non pauca omiſſa eſſe videntur, vt emunctoria lucernarum, quæ pro ſingulis dena eſſe debuerunt, & videntur forcipes appellari in 3. Reg.[d] vbi adduntur hydriæ, niſi eas velis craterarum nomine à Ioſepho comprehendi; quæ à Septuag. ὑπορυτῆρες dicuntur. Adduntur & fuſcinulæ, & mortariola, omnia de auro puriſſimo; fuerunt & ſcutula aurea, & capita Cherubinorum, leonum, aquilarum, vitulorum, aurea omnia, ſed affixa in coronis, & zophoris trabeationum, ſuper epyſtilia paraſtadum, & columnarum.

c 3. Reg. 8. 4. 2. Par. 5. 5. d c. 7. 49.

CIII. *Ratio temporis.*

Cæterum non affirmamus hæc omnia hoc ſecundo anno templi confici potuiſſe, aut non plura his fortaſſe fuiſſe præparata, ſed quoniam hæc diſtinctius à Scriptura non ſunt tradita, coniecturam probabilem ſecuti, quæ ad templum proprie dictum pertinebant, & cuius maxime fuit habenda cura, & ante omnia credimus habitam, cum propter ipſum cætera eſſent omnia, ad hunc annum retulimus, nunc Deo duce cætera videamus.

SCHOLIA IN ANNVM 5. SALOMONIS.

1. N. XII. CAeterum, vt vltro fateor huiuſmodi columnas, vno tantum cubito prominentes, & altas quadraginta cubitis, plurimũ ad ornamentum ædificii valuiſſe, firmitati tamen in tanta altitudine propemodum nihil; niſi quatenus parietem reddebant craſſioré. Internas autem etiam fuiſſe impedimento; atque adeo Scripturæ videri repugnare, quæ interiora cubicula lata fuiſſe dicit quinque cubitos, cum interiora hæc latera, ſiue coſtæ latitudinem illam, quacumque ſe extendũt, duobus cubitis diminuant, vt ex ſequentibus magis intelligetur.

2. N. LXIX. Sicut cum de Abrahamo, & Abimelecho dicitur in Geneſi, quod vterq; iurauit, ad verbũ *ambo ipſi*, vel *ſecundus eorum* iurauit: Et mox 3. Reg. 7. 20. vbi habemus, *in circuitu capitelli ſecundi* Vatabl. vertit *per ambitum vtriuſque* epiſtylii.

3. N. XXI. Vt ſcilicet capitella æneararum columnarum eodem artificio florum exornata fuerint, quo capitella paraſtadum, quæ erant in facie porticus, quæ quatuor cubitorum erant, quanta eſt latitudo paraſtadum quarum altitudo eſt quatuor cubitorum. Quo reſpexerunt Septuag. qui illa verba *in porticu*, quæ in hebræo & latino habentur, vertunt κατ' τὸ αἰλαμ, *ſecundum ælam*, ſiue porticum, aut ſicut in porticu; quam expoſitionem amplectitur Villalp. & apud Vatabl, *opus habebant quale fuit in porticu*.

4. N. CI. Stemus ergo hic promiſſis. *Cantharorum*, inquit, *vinariorum* (οἰνοχόας vini fuſilia Rufinus) *octo myriades, phialarum vero aurearum decem*, nõ millia, vt vertit Gelenius, & Rufinus, ſed myriades, vt Villalp. Ea enim vox proxime præceſſerat, vterque forte veritus eſt Ioſepho in tanto numero habere fidem: præſertim cum tam multa iam millia phialarum aurearum & argentearum, ſuis illis menſis impoſuiſſet. Addit autem; *Argentearum vero* ſcilicet phialarum & cantharorum, *alterum tertium. Lancium item aurearum, ad offerendam in eis ſimilam manceratam ad altare octoginta millia, duplum vero argentearum. Craterarum quoq. in quibus ſimilam oleo ſubigebant, ſexaginta millia aurearum, & alterum tantum argentearum. Menſurarum vero, quales Moyſi hin vocantur, & aſſaron aurearum erant viginti millia, & duplicatus numerus, argentearum. Acerra quoque*, id eſt thuribula, *aurea quibus odoramenta in templum inferri ſolent, erant numero viginti millia, & alia quibus deferebatur ignis à magno altari in paruum, intra templũ ſitum quinquaginta millia.* Non dicit Ioſephus an hæc quoque thuribula aurea fuerint, vel argentea, in aureis numerat Villalp. malim ſane argentea cenſere. Audiamus vero reliqua. *Parata erant & ſacerdotales veſtes in vſum pontificum, annumeratis talaribus, & epomidibus, & rationali, & gemmis mille. Corona vero in qua Moyſes Dei nomen inſcripſit, vnica fuit, & vſque in hodiernum permanſit. Stolas autem ſacerdotales è byſſo fieri curauit, cum zonis purpureis decies mille. Et tubarum quales Moyſes praſcripſit ducenta millia. Item alias ſtolas byſſinas Leuitis hymnorum cantoribus, numero ducenta millia. Inſtrumentorum praterea muſicorum, quæ naula, & cynnira vocantur, in vſum hymnodiarum ex electro confecit quadraginta millia*, non quadringẽta, vt vertit Gelen. & eum ſecutus eſt Villalp. l. c. græce enim habetur τετρακισμυρίας non τετρακοσίας μυριάδας itaque Rufinus habet quadraginta millia. Denique concludit Ioſephus. *Quæ omnia Salomon ad honorem Dei magnifice parauit; nullis ſumptibus parcens, ſed omni liberalitate vſus, hæc in theſauris Dei condidit.* Hactenus Ioſephus. Quorum omnium numerum ſi recenſeamus, immenſam plane vim vaſorum tam aureorum, quam argenteorum, tum magnorum, tum paruorum reperiemus

Aurea vaſa.		*Argentea.*
Aureæ menſæ maiores.	10.	
Menſæ paulo minores	10000.	20000.
Candelabra maiora	10.	
Minora vero	10000.	20000.
Phialarum & libatoriorum	20000.	40000.
Cantharorum vinariorum	80000.	160000.
Phialarũ iterum aurearum	100000.	200000.
Lancium aurearum.	80000.	160000.
Craterarũ ad ſimilã ſubigẽ.	60000.	120000.
Menſurarum item aurear.	20000.	40000.
Thuribula aurea	20000.	50000.
Tubarũ quales Moyſes præſcripſit.		200000.
Inſtrumentorum ex electro, id eſt auro minoris pretii.		40000.
Summa	400010.	1050000.

Magnus omnino numerus, ſed valde incertus, vt qui ſola Ioſephi nitatur fide, quam valde lubricam paſſim experimur.

ANNVS MVNDI 3025. DILVVII 1369. QVINTÆ ÆTATIS 86. SALOMONIS 6. SADOCI PONTIFIC. 5. FVNDATI TEMPLI 3. ARCÆ IN SION 36. TROIÆ EXCISÆ 154. EVPALIS 35. IMPERII ASSYRIORVM. 1094.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1028.

HOc anno, & ſequentibus aliquot, quos exactius rebus ad templum pertinentibus diſtinguere non poſſumus, tota templi, & atriorum omnium ædificatio perfecta eſt. Conſtat enim ex 3. Reg. 6. fine; *Perfectam fuiſſe domum in omni opere ſuo, & in vniuerſis vtenſilibus ſuis annis ſeptem.* Quod confirmat Ioſeph. [a] *His tam magnis*, inquit, *ac pulchris operibus, & donariis ſeptennio perfectis, non ad opulentiæ modo, ſed & celeritatis oſtentationem. Quæ enim ætatem integram hominis poſcere videbatur tam breui, ſi ad magnitudinem conferantur, tempore erant abſoluta.* Veruntamen ex prædicto loco [b] habetur his 7. annis, ſex menſes addendos eſſe, qui ad octauum templi, & Salomonis vndecimum pertinebant. Sic enim legitur v. 37. *Anno quarto fundata eſt domus Domini, in menſe Zio, & in anno vndecimo menſe Bul, ipſe eſt menſis 8. perfecta eſt domus*, &c. Si anno quarto cui deſunt duo menſes, adiungas 8. menſes, vndecimi fient omnino ſeptem anni, cum ſex menſibus. Nec intelligo cur eos menſes dicat Vatablus ad duodecimum annum, non ad vndecimum pertinere. Verum quia annos non diuidimus, & templi dedicatio, ad octauum eius fundati, ſiue vndecimum Salomonis annum, non ad ſeptimum, ſiue decimum pertinet, extrema templi ædificati, cum dedicatione, differemus ad vndecimum Salomonis.

I. Ratio temporis abſoluti templi.

a l.8.ant.c.2

b 3.Reg.6,

SED priuſquam reliquam fabricam ſacram pertexamus, paucis de Semei nece dicendum eſt; quam ad hunc annum pertinere ſemel iam atque iterum ſignificauimus. Nam anno 3. regni Salomonis, quo cæſus eſt Ioab, & eiectus Abiathar, etiam datum eſt præceptum iſti viro, ne ab vrbe diſcederet; ea enim omnia teſtamento Dauidis continebantur, quod primo quoq; tempore executioni mandatum eſt. Huic autem annus eſt tertius ab interdicto ſibi ex vrbe digreſſu, quo fugerũt ſerui eius, quæ fuit occaſio mortis ipſius. Res perſpicue deſcribitur 3. Re. [c] *Habitauit*, inquit, *Semei in Ieruſalẽ diebus multis: Factum eſt autem poſt annos tres* (nõ dicitur anno tertio, quaſi vnus tantum interiectus fuerit à præcepto dato, ſed poſt annos tres) ſiue vt habetur Hebraïce *in fine*, vel *à fine trium annorum*, quo modo etiam habet Chald. Clarius etiam Septuag. *Manſit*, inquiunt, *in Ieruſalem tribus annis, & poſt tres annos*, &c. Ioſephus, [d] *triennio dein exacto*; quomodo etiam in græco habetur, & apud Rufinum.

II. Cauſam Semei huc pertinere.

c 2.38.

d l.8.ant.c.1

CONTIGIT *ergo poſt tres annos vt fugerent ſerui Semei*, duo ſcilicet, vt habetur in hebræo, græco & chaldæo, & apud Ioſeph. loco citato, *ad Achis filium Maacha regem Geth*; Hunc ipſum putat Abulenſ. [e] ad quem ante quatuor & quadraginta circiter annos fugerat Dauid; cum nihil ei tutum eſſet in regno Saulis. Quãuis hic dicatur filius Maacha, ibi filius Maoch: hic fortaſſe pater fuit, illa mater.

III. Fuga ſeruorum eius.

e in c.2.3. Reg.q.44.

Quæ cauſa fugiendi ſeruis iſtis, aut quæ potius ad hunc quam ad alium, ſane non liquet; forte Palæſtini genere, & Gethæi erant, & male ab impotenti homine accepti fuerant, vt qui non didicerat illud ſapientis. [f] *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* Nam talem eum Theodoretus [g] nobis exhibet: Quærens enim cur cum Dauid Semei dediſſet veniam, Salomoni mandaret vt eum puniret, *Virum nouerat*, inquit, *tyrannicum*, &

f Eccl.4.35

g l.3.q.5

Nam Villalp. [a] multo artificio inuenit cauitate ſubducta, pependiſſe ſingulas 4518. talenta, & libras 37. & vncias 4. quem numerum ſi duplices inuenies 9037. talenta, 21. lib. & 8. vncias; vel potius decem talentorum millia, vt ibid ait; ſed addendæ ſunt geminæ plinthi ſolidæ, addendæ ſtylobatæ ſex cubitorum cum quadrante, ſi tamen ænei fuerunt, vt merito totum pondus pene duplicari poſſit. Aurum autem quod craſſitudine digiti vnius totam columinam veſtiſſe, dixit Eupolemus, perueniſſe reperit ad 2879. talenta, libras decem, vncias 11. Atque adeo in vtraque columna auro tegenda expenſa fuiſſe auri talenta quinque millia 758 libras vnam ſupra 20. vncias decem; vel 95. milliones, 953. millia 124. nummos aureos Romanæ monetæ.

a l. 5. c. 37.

LXXVI. *Externa ornamenta, & primum porta.*

Externa ornamenta præcipua erant portarum, feneſtrarum, columnarum, trabeationum, & tecti. Externæ portæ huius ædificii erant tres, omnes in veſtibulo: prima omniumque maxima fuit Orientalis, ad quam octo pulcherrimis gradibus, marmoreis vtique, vel porphyreticis; quidni enim? cum pauimentum marmore conſtratum fuiſſe conſtet? aſcendebatur: quanta ſcilicet erat altitudo infimi podii, cui inferiores omnes columnæ, ſiue paraſtades per circuitum totius domus impoſiti erant, qui trium fere cubitorum erat. Hæc porta lata erat quatuordecim cubitos, vt colligit Villalp. [b] ex Ezechiele, & alta viginti, fere vſque ad ſuperliminare portæ, quod tantum extra portam extabat, atque educebatur, quantum inter paraſtades, tectum quo oratoria tegebantur, extra murum proiiciebatur: ſed quoniam hæc altitudo portæ ratione latitudinis maior eſſe debuit, additus eſt arcus, qui ad octo cubitos aſſurgeret, ſuper portæ antepagmentis; & paraſtadibus eiuſdem niteretur. Erat autem id totum ſpatium, ſicut & valuæ variis cælaturis vndique decoratum, vt ex 3. Reg. [c] colligitur. Aliæ duæ portæ in lateribus auſtrali, & aquilonari, vt magnitudine ſic & ornamentis longe minores fuiſſe videntur, vt recte quoque Villalp figurauit, in aſpectu lateris ſanctuarii. [d]

b c. 40. v. 48

c c. 6. 34. 35.

d Figura 5

LXXVII *Feneſtrarũ elegantia, & proportio.*

Totivs proſpectus huius fabricæ multum decoris ex elegantiſſima feneſtrarum proportione, & ornamentorum egregie congruente ſimilitudine capiebat; ſed ex ſingularum etiam pulchritudine. Nam cum earum cancellos aureos legamus, haud dubium eſt feneſtrarum poſtes, & limina precioſiſſimo lapide ingenioſe elaborato fuiſſe conſtructa. Nam Ioſeph. ait militum [e] quendam à contubernali ſuo ſublatum in feneſtram auream raptum ignem inieciſſe. Certe in Salomonis templo nõ erant feneſtræ deteriores, quam in Herodiano, de quo id ille ſcripſit. D. Hieronymus in cap. 41. Ezechielis ait feneſtras lignis interraſilibus, & vermiculatis fuiſſe decoratas; vt ſcilicet iis varia precioſi ligni, vel lapillorum verſicolorum collocatione, variæ rerum effigies repræſentarentur. *Feneſtræ*, inquit, *erant factæ in modum retis inſtar cancellorum, vt non ſpeculari lapide, nec vitro, ſed lignis interraſilibus, & vermiculatis clauderentur.* Huiuſmodi cancellos decuſſatos, vocamus, *ialouſies*; & forte iſtorum cancellorum rhombi criſtallini erant, ad arcendam pluuiam, ventum & puluerem; & admittendam nihilominus lucem.

e l. 7. bell. c. 10.

LXXIIX. *Ornatus à columnis.*

Sed à columnis ſiue paraſtadibus, baſibus, capitellis, trabeatione maxima omnino, gloria, & magnificentia exiſtebat. Nam cum hæc nuda & ſolitaria ædificium aliquod magnificè decorare ſoleant, vt fatentur architecti, & eruditi oculi facile agnoſcunt, & iudicant, quid de iis exiſtimandum, in quibus & materia precioſiſſima, & forma elegantiſſima, & magnitudo ſingulorum, & omnium ſymetria, atque proportio digna fuit ipſo architecto Deo?

Paraſtadũ modus, & forma.

Extabãt à pariete columnæ, niſi potius ſemicolũnas quadratas appellare placet, & quæ proprie paraſtades, à noſtris *pillaſtres*, appellãtur cubitũ vnum; latitudinem habebant cubitorum quatuor, longitudinem triginta, ſecluſo podio, baſibus & capitellis, quæ numerum quadraginta cubitorum implebant. Erant autem ſtriatæ: hunc enim ornatum capiebat earum proceritas, magnificentia vero capitellorum, coronarum, baſium, & totius trabeationis etiam exigebat.

Striæ & virgæ.

Sunt autem ſtriæ, ſulci quidam, & canaliculi in columnæ ſcapo, ſiue corpore excauati, vnde *canneleure* vulgo dicitur; à canalibus, quam Ariſtoteles ῥαβδώσιν vocat, Vitruuius ſtriaturam, ad verbum virgatio, aut virgata cælatura reddi poteſt; & ſicut ſtriæ ſunt ipſe cauitates æquali interuallo diſtantes, ſic virgæ dicuntur

ipſæ eminentiæ inter ſtrias.

LXXIX. *Podium, baſes.*

PODIVM & baſes quinque cubitorum erant, & podium quidem quod toto circuitu columnas ſuſtentabat, vt diximus, & proxime ſuper fundamenta conſtructum erat, ſpeciem quandam trabeationum gerebat, ſed ſine vllo ornamento; quomodo paſſim fabri lignarii imagines ligno includunt. Baſes ſingulæ cum plintho thoris, aſtragalis, & reliquis omnibus partibus viſebantur, quales perquam accurate, & magnifice in ære delineauit Villalp. [a] habes ibidem capitellorum formam palmarum foliis, fructibuſque exornatam, vtraque opere Corinthio, etſi Corinthij achanti folia non palmæ apponebant. Et hæc eſt pictura palmarum, quæ ſæpe in Ezech. memoratur. [b] Addit Villalp. etiam ſerta quædam è duobus capitellis dependentia vbique ſuper ſubiectas feneſtras, quibus folia, fluctuſque cum variis floribus figurabantur.

a t.2.l.5.c.4

b c.40& 41

LXXX. *Trabeatio.*

DISTABANT à ſe inuicem hæ paraſtades octo cubitis, quibus omnibus epiſtylium primo imponebatur, tum zophorus, poſtremo coronix, ſed zophorus maxime ſemper fuit ornamentorum capax. Appingit in eis Villalp. quatuor illas animalium facies, ab Ezechiele 1. cap. celebratas. Sed hæc diligentius perſequi non eſt noſtri inſtituti. Quæ autem de infirma contignatione dicta ſunt, eadem de altera in toto templo, & de tertia in veſtibulo intelligantur; ſed cum debitis imminutionibus, & retractionibus. Nam cum prima contignatio ad quinquaginta cubitos aſſurgeret, ſecunda ei ſuperpoſita altitudinis quadraginta duntaxat fuit: ſicque altitudo templi erat extrinſecus nonaginta cubitorum; reliqua erat turris ſuper veſtibulum, alta triginta cubitos, vt ſic altitudo porticus eſſet centum & viginti cubitorum, vt habetur in 2. Paral. [c]

c c.3.v.4.

LXXXI. *Tectum templi.*

ASCENDAMVS ergo ad tectum, quod non dubium eſt mihi corona quadam elegantiſſimo opere perfecta auro, argentoque, ad ſolis radios fulgurante, vndique cinctum fuiſſe; id enim vehementer magnificentiſſimę ædis ornatui ſeruiebat, vt corona regio capiti, flos caudici, pinnæ turribus, & muris '& caput toti corpori, Iſtiuſmodi peribolum, ſiue coronam Villalpandus omiſit, [d] eius tamen ſe nō oblitū eſſe, ſed de induſtria prætermiſiſſe oſtendit; quod eum locū referat ne auibus quidem adire licitum, ne pollueretur. [e] Nihilominus in omnem euentum præceptum Domini, de quo ſupra meminimus, in domo Domini neglectū fuiſſe, credendum non eſt; præſertim cum ſupra illud per geminas cocleas aditus pateret. Id ex Eucherio confirmare poſſumus [f] qui in illa verba, *& ædificauit tabulatum ſuper omnem domum,* [g] cum retuliſſet legem Moſis de ædificando peribolo circa domum, addit. *Hoc tabulatum in ſupremo domus tecto per circuitum, in extremo murorum, vice cancellorum erat erectum, ne quis ad ſuperiora conſcendens, dum ad terminum tecti perueniret, incaute progrediendo dilaberetur ad ima.* Idem affirmat Angelomus, ibid. *Loriculas,* inquit, *ſignificat, quæ in ſupremo domus tecto per circuitum erant factæ, ne quis ad altiora perueniens, repente laberetur ad ima; quod in omni domo quam quiſque ædificaret, Moyſes fieri præcepit.* Sic ipſe. Quod ſenſit etiam Lyranus, & Richardus, & alij. Adde quod pinnaculum templi, ſuper quod Dæmon Chriſtum ſtatuit, optimi quique interpretes peribolum interpretantur, qui circa ſummum tectum erat ad prohibendum caſum, & præbendum commodum apricandi ambulandi, aut orandi locum. [h] Quod ſi in Herodis templo id obſeruatum eſt, quis credat in Salomonico fuiſſe neglectum? habuit ergo peribolum tam turris, quam ſecunda templi contignatio, qualem iam dicebamus, multo quidem minorem eo qui vniuerſas porticus, atriaque templi cingebat, ſed longe pulchriorem, ac magnificentiorem.

d in c.41. Ezech. l.4. c.23.

e Ioſeph. l. 6. bel. c.6.

f l.3. Reg. c. 10.

g 3. Reg. 6. v.10.

h Act.10.9.

Eiuſque peribolus.

Maldon. in c. 4. Math. v.5. Barrad t.2. in eun. loc. Sà, & c. πτερύγιον ibi Græcè dicitur, quod alij explicant ἀκρωτήριον αἰτώματα τοιχώματα.

LXXXII *Atque operimentum.*

TECTVM autem ipſum tegulis æneis fuiſſe contectum autor eſt Eupolemus apud Euſebium, [i] qui ait tectum laquearibus factum, & intus aureis tegulis, æneis deforis contectum. In Græco habetur τὸ δῶμα, (id tectum planum eſt, non faſtigiatum, vt ſupra ex Hieronymo diximus; & omnes æque conſentiunt, Eucherius, Angelomus, Richardus, & recentiores ποιῆσαι χαλκοῦν ἀπὸ κεραμίδων χαλκῶν, χαλκὸν χωνεύσαντα, καὶ τοῦτο καταχέοντα. *Tectum,* inquit, *æneum fecit ex tegulis æneis, conflato prius ære, atque fuſo.* Quod non dixerit ex ære ductili, ſed fuſo conflatas; ſignificare voluit fuiſſe laminas craſſiores, Villalp. [k] pondus exquirit omnium tegularum, tam templi, quam omnium porticuum; eis dando craſſitudinem tertiæ partis digiti, ita vt

i l.9. de prę. c.4

k l.5.c.4.

duodecim tegularum, craſſitudo palmum æquent, 72. cubitum: nec ſquamato collocentur opere, ſed planæ, ac ſi vna perpetua lamina ſingula tecta operta fuiſſent, & colligit omne pondus æris in tegulis 62517728. id eſt ſexaginta duorum millionum, quingentorum ſeptemdecim millium, ſeptingentarum viginti octo librarum; talentorum autem (quibus ſingulis 125. libræ tribuuntur) quingentorũ millium, centum & quadraginta vnius, & inſuper centum & trium librarum. Idem tamen putat ſquamato opere tegulas tectis impoſitas; ad operis ſcilicet pulchritudinem. Verum cum tecta plana eſſent; facile per tegulas aqua pluuia vento imminente in ædes influeret.

LXXXIII *Quale illud æs.*

AES porro quo templum totum tectum fuit, non vulgare, ſed precioſum fuiſſe contendit idem Villalp. l. c. & quod cum reliquis totius templi opibus, & ſingularum partium, valorumque magnificentia, & ornamentis congrueret. *Qui enim fieri potuit,* inquit, *vt tectum illud quod verubus aureis, iiſque pluribus, vt oſtendimus, fulciebatur, ac per gyrum ſingulari decore ornabatur, ære communi tegeretur, & non potius illo ære, quod ſi non erat aurum, colore ſaltem rubiginem penitus non admittente, auro eſſet aureiſque verubus, quæ tegulis infigebantur, quam ſimillimum?* De verubus aureis teſtis eſt Ioſephus.[a] *In ſummo,* de templo loquitur Herodiano, *aureis verubus horrebat acutiſſimis, ne ab inſidentibus auibus pollueretur.* Idemque in Salomonico fuiſſe contendit Villalp.[b]

Ioſephi verua aurea.

[a] l. bel. 6. c. 6
[b] l. 5. c. 4. & l. 4. c. 23.

LXXXIV *Improbatur.*

QVOD difficile creditu videtur. Primùm quia huiuſmodi verua in tecto plano, & peribolo, ſiue corona magna cincto nuſquam erant conſpicua, niſi ſi qua ſuper ipſum peribolum locata erant. Satis magnam autem fuiſſe, altitudo templi 90. cubitorum, cum quo proportionem habuit, ſatis docet. Deinde quia æneæ, & ipſi tecto congenea, eidem officio ſatis eſſe poterant. Accedit quod ad arcendas aues infinitam huiuſmodi ſpiculorum multitudinem excitare oportuiſſet, vt ſeſe propemodum contingerent. Deniq; ſi eo deductus eſt à ſacerdotibus, ſcribis, & Phariſæis S. Iacobus minor, indeque proiectus in præceps, vt communis eſt ſententia apud Euſeb.[c] qui id ex Clemente, & Hegeſippo narrat: cui D. Hieron. in catal. aſſentitur, non eſt credibile eam viam tum primum ab ipſis fuiſſe tentatã: nec eo Iacobum iuſtum, ſi fas non foret, aſſenſurum fuiſſe: eo enim ſponte aſcendiſſe memoratur.

[c] l. 2. hiſt. Eccl. c. 23.

LXXXV. *Quæ tecto impoſita ex Eupolemo.*

EVPOLEMVS apud Euſeb.[d] de hoc tecto longe aliud à verubus Ioſephi narrat. *Fecit,* inquit, *& catenulas duas hamatas, eaſque in machinamentis conſtituit, quæ in templi faſtigio viginti cubitis eminebant, ac ſuperne totum templum obtexit, ſinguliſque retibus quadraginta tintinabula ænea appendit magni ponderis. Cunctaque retia fecit eam ob cauſam, vt pulſatis tintinabulis, aues abigerent, ne in templo conſiderent, neue in valuarum porticuumque laquearibus nidificantes, templum excrementis inquinarent.* Hæc ex græco Euſebio; quæ qua ratione diſpoſita eſſent, ipſe non explicat vberius, & difficile intelliguntur.

[d] l. 9. præp. c. 4.

LXXXVI. *Quæ eſſent in arca.*

RELIQVVM eſt vt de ſupellectili templi dicamus, ducto à loco omnium religioſiſſimo initio. Et quidem cum in oraculo nihil eſſet præter arcam, & cherubinos, de quibus partim in ſecundo tomo, partim in hoc ipſo ſatis dictum videtur, ad aulam ſanctam tranſeundum foret; niſi liberet in ipſam Dei arcam inſpicere, & quid in ea incluſum eſſet certo ſcire. Id hactenus à nobis tentatum non eſt, verentibus formidoloſum Bethſamitarum exemplum. Itaque ſcriptorem huius libri potius, vel D. Paulum conſulemus. Certe in 3. Reg.[e] dicitur in arca nihil aliud fuiſſe niſi duas tabulas lapideas, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb: idemque totidem pene verbis in 2. Paral[f] & à Ioſepho.[g] D. tamen Paulus in epiſtola ad Hebr.[h] alia quædam in illa videtur includere. Sic enim loquitur. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro; in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuperque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.*

[e] c. 8. v. 9.
[f] c. 5. 10.
[g] l. 8. ant. c. 2
[h] c. 9. v. 4.

LXXXVII *Solutio difficultatis ex Ribera.*

HANC difficultatem accurate expendit Ribera, in eum locum Pauli, & lib. 2. de templo, c. 2. vbi aliorum relatis, & refutatis ſententiis, hunc in modum huic diſputationi ſatisfacit. Ait enim, Paulum nequaquam libris Reg. aduerſari, nec dicere hæc fuiſſe in arca, ſed in tabernaculo. Atque hoc quidem in græco non

eſt obſcurum, nam tabernaculum fœminei generis eſt apud eos, id eſt, σκηνή. Itaque cum dicit, *in qua vrna aurea habēs manna, & virga Aaron*, &c. *In qua* non refert arcam, ſed tabernaculum fœminei ſimiliter generis, quod paulo ante præceſſerat. Sic alibi Latinus interpres genus græcæ dictionis ſeruauit, vt Sap. 1.7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*, vbi *hoc*, refert πνεῦμα, non ſpiritum. Apoc. 10. *Accipe librum, & deuora illum* &c. *& erit dulce*; ſcilicet τὸ βιβλίον. Retinet etiam aliquando genus vocis hebraicæ, vt Geneſ.3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſe conteret*, ſubauditur ſcilicet Zeragh maſculinum, quomodo etiam Septuag. poſuerunt αὐτὸς, licet præcederet σπέρμα.

Et hæc quidem de locutione. Res autem ipſa ſatis confirmatur ex eo, quod nuſquam in Scriptura traditur vrnam, aut manna, aut virgam Aaronis fuiſſe in arca, ſed in tabernaculo. *Dixitque Moyſes ad Aaron:* [a] *Sume vas vnum, & mitte ibi, Man, quantum poteſt capere Gomor, & repone coram Domino, ad ſeruandum in generationes veſtras, ſicut præcepit Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſeruandum.* Non dixit in arca, ſed in tabernaculo reſeruandum. Virga quoque Aaron dicitur poſita non in arca, ſed in tabernaculo teſtimonii reſeruanda, vt habetur in lib. Num. [b] *Refer*, inquit Dominus ad Moyſen, *virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael.* Cum dicit Dominus, *refer virgam Aaron*, vtique reponi iubet, vbi erat prius; at prius non erat in arca, ſed cum reliquis in tabernaculo. Sic enim legitur ibid. *Poneſque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio, vbi loquar ad te*, id eſt, coram arca, in qua erat teſtimonium, ſiue lex. Et paulo poſt, *quas cum poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij*, &c. At nunquam inuenitur tabulas legis dici poſitas coram Domino. Nam coram Domino dicitur eſſe, quod eſt coram arca; & propiciatorio, vbi Dominus reſidere dicebatur, & vnde reſponſa reddebat. Hæc & plura Ribera, eruditè ſane, admodumque probabiliter.

Nihilominus negari non poteſt, vt rectè aduertit Cornelius à Lapide in eundem Pauli locum, videri expoſitionem præter mentem Apoſtoli, qui ſicut paulo ante numerauerat quæ erant in Sancto, ſic nunc recenſere velit, non quæ in tabernaculo erant, ſed quæ in Sancto ſanctorum. Sed & præter verba; ſi enim illa verba, *in qua*, referunt non arcam, ſed σκηνῇ, id eſt tabernaculum; certe cum mox ſubdit, *ſuperque eam erant* Cherubim, referetur σκηνή, & non κιβωτός, quod abſurdum eſt. Reſpondet ergo particulam *in*, hoc loco ample ſumi, & complecti tam ea quæ proprie in arca erant; vt erant tabulæ legis, quam ea quæ iuxta arcã erant; quo modo quis habet galerum in capite, & calceos in pedibus, id eſt circa, & Chriſtus paſſus eſt in Ieruſalem, id eſt iuxta illam ciuitatem.

In arca igitur erant duntaxat lapideæ tabellæ; in tabernaculo vero, aut tempore Salomonis in oraculo, reliqua repoſita ſunt, quæ ex D. Paulo retulimus, virga ſcilicet Aaronis florida, & vrna aurea habens manna, & quidem non humi, ſed ſuper currum illum Domini, ſiue quadrigam, de qua paulo ante diximus. Quibus etiam fas eſt addere librum legis Moſaicæ, quem in latere arcæ fœderis poni iuſſerat Moyſes, [c] qua de re diximus aliquid anno Moſis vltimo. Hæc fuit ſupellex oraculi, ſiue Sancti ſanctorum, ad quam thuribulum aureum non pertinuit, vt contendit Ribera, [d] & nos alibi diximus; [e] licet id dici videatur a Diuo Paulo [f] ad Hebræos. Niſi forte quia ſemel in anno eo inferebatur, vt ſeruiret ſuffitui, qui à Pontifice coram arca fiebat, vt putauit Sà in eum locum. Villalp. [g] quoque exiſtimat thuribulum huiuſmodi ibi relinqui ſolitum annum totum, cum phiala ſanguinis quo aſpergendum erat ſanctuarium, donec ſequenti anno aliud inferretur, quod ibi relinquebatur, vt per otium incenſum penitus conſumeretur. Prior tamen ſententia vt communior eſt, ita videtur probabilior, & certior; nec obſtat quod D. Paulus eodem orationis contextu dicat Sãctum ſanctorum aureum habuiſſe thuribulum, & arcam: ex quo videtur velle vtrumque in eo fuiſſe, & præſentiam de vtroque negandam, vel de vtroque concedendam.

a Exod. 16. 33.
b c. 17.10.
c Deut. 31. 26.
d l.2.c.8. n.12.
e t.2.an.m. 2544.n.463 & ſeqq.
f c.9.4.
g l.4.c.52.

Nam cum habere multis modis dicatur, diuerſi modi in vnum orationis contextum recte coniungi poſſunt; vt ſi dicamus templum multam habere pecuniam, multas poſſeſſiones, multos miniſtros, vt ait Rib. l. c. n. 15.

XCI. *Quæ in templo. Altare thymiamatis.*

Egressis igitur ex Sancto ſanctorum occurrit ſtatim ante ianuam oraculi altare, quod propter vſum ſuffitus, quem exibebat oraculo, & propter vicinitatem altare oraculi dicitur, [a] & à D. Paulo thuribulum aureum, [b] quo modo & dicitur a Ioſepho: vtrobique enim legitur Græce θυμιατήριον, quam vocem Gelenius [c] vertit arulam ſuffumigatoriam. l. autem 6. bell. c. 6. *thuribulum.* Syriaca vero tranſlatio epiſtolæ D. Pauli vocat *domum aromatum.* Vſitatiore tamen vocabulo dicitur altare thymiamatis, ſiue incenſi, [d] ad differentiam altaris holocauſtorum, ad cuius etiam differentiam, hoc noſtrum aureum dicitur, [e] cum illud æneum eſſet. Non fuiſſe hoc altare intra oraculum, ſiue Sanctum ſanctorum, ex eo patet, quod Zacharias, qui non erat ſummus pontifex, ſed ſacerdos de vice Abia, in eo miniſtrabat. Non licuit autẽ illi ingredi in Sanctum ſanctorum. Et Exod. 40. ponitur coram arca teſtimonij, ſed demiſſo inter vtraque velo. Et infra v. 19. & ſeqq. ante velum oraculi ordine ponuntur & extra ipſum ad Septentrionem menſa panum propoſitionis, ad meridiem candelabrum, & in medio altare aureum. Ioſephus quoque de aula ſancta loquens. Et prima quidem pars ad quadraginta cubitos auulſa, hæc tria mirabilia, ac prædicanda opera cunctis hominibus habebat, candelabrum, & menſam, & thuribulum. Eadem etiam ſcribit alibi, [f] *Vnum candelabrum in templo dedicauit, vt interdiu luceret iuxta legem, & menſam vnam impoſitos panes habentem ſitam ad ſeptentrionale templi latus ex aduerſo candelabri; medium autem inter vtrumque locum obtinebat altare illud aureum: hæc omnia continebat anterior illa templi pars, quadraginta cubitos longa, & velo diſparata ab adyto. Illo enim arca erat inferenda.* Hæc ibi. Itaque Leuit. 16. de cerimonia, qua Pontifex ingrediebatur in Sancta ſanctorum. [g] Sic legimus, *Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum, vltra velum intrabit in Sancta.* Hæc de loco.

[a] 3. Reg 6. 22.
[b] ad Hebr. 9. 4.
[c] l. 3. ant. c. 7
[d] Luc. 1. 11 Exod. 40. 5. verſ. 15.
[e] l. 6. bel. c. 6
[f] l. 8. c. 2.
[g] verſ. 12.

XCII. *Salomonicum an idẽ cum Moſaicum.*

De authore etiam dubitatio eſt. Nam Ribera putat [h] altare thymiamatis, quod in templo fuit, idem fuiſſe cum eo, quod olim à Moyſe fabricatum fuerat, & à Salomone duntaxat magnificentius ornatum fuiſſe. Contra ſentit Abul. [i] & Villalp. [k] qui vult totam templi ſuppellectilem, præter vnam arcam, à Salomone factam, quæ videtur planiſſima Scripturæ ſententia, 3. Reg. 7. vbi poſt enumerata diuerſa opera, ita concludit. *Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini, altare aureum, & menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream, & candelabra aurea.* Cum ergo dubium non ſit, quin menſam fecerit, & candelabrum, de altari quoque idem fatendum eſt; ſed hæc verba ita pro ſua ſententia Ribera interpretatur, vt Salomon dicatur feciſſe altare aureum, quia refecit, id eſt cedro veſtiuit, ac maius fecit, & auro magnificentius, ac pulchrius ornauit.

[h] l. 2. de tẽp. c. 8 n 4.
[i] q. 16 in c. 6. 3. Reg.
[k] l. 4. c. 48.

XCIII. *Diuerſum videri.*

Verum quæri poteſt à Ribera, an prius illud altare Moſaicum à Salomone diſſolutum fuerit, an non; ſi diſſolutum fuerit, & illius materia, ac forma mutata, certe non idem manſit altare, ideoque non vltra hoc altare Moſis fuit, ſed Salomonis; ſi non eſt diſſolutum, ſed incluſum in maiore, certe altare hoc maius quod apparebat, & vſui erat, & à Salomone factum erat, Salomonem authorem agnoſcere debet, non Moyſen. Quamquam abſurdum videtur hoc altare inutiliter includere in maiore, cum vel ſeorſim ſeruari poſſet in tot oratoriis, & gazophylaciis; vel antiqua materia operi nouo eidem vſui deſtinari. Quod de menſis & reliqua tabernaculi ſupellectili dicendum eſt. Quod autem dicitur Salomon altare aureum veſtiuiſſe cedro, [l] & auro texiſſe, idem eſt ac ſi diceret conſtruxiſſe altare cedro; interiora vero laminis aureis conſtitiſſe, ne ſcilicet ignis vel cineres calidi lignum paulatim conſumerent, quæ propterea cedro veſtita dicantur, ſicut vice verſa cedrus auro veſtita fuit, quoniam toris auro tectum fuit lignum omne, & in figuram altaris efformatum; vt vult Villalp. loc. cit. vbi etiam fuſe diſſerit.

[l] 3 Reg. 6. 20. 22.

XCIV. *Quæ eius forma.*

Quæ eius forma fuerit. Quod colligendum ex prioris altaris forma, de qua diximus anno Moſis 81. [m] Sed hoc altare duplo fere maius deſcripſit Ezechiel. [n] *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum, & anguli*

[m] n. 464.
[n] c. 41. v. 22

eius, & longitudo eius, & parietes eius ligni. Et locutus eſt ad me, hæc eſt menſa coram Domino: quæ de altari thymiamatis ibi Hieronymus explicat, & miratur quomodo ligna hæc ab igne non paterentur. *Quod altare*, inquit, *habebat cornua, & tam baſes, quam parietes eius, hoc eſt, latera erant lignea, in quo Scripturæ ſanctæ myſteria humanus ſermo non poteſt explicare, quomodo altare, in quo ignis ſuccendendus erat, menſa videlicet thymiamatis, nihil ab igne patiatur, ſed vt ita dicam igne purius fiat. Sicut enim opera ſanctorum, de quibus ſcribit Apoſtolus, vnius cuiuſque opus quale ſit ignis probat, non pereunt, ſed per ignem puriora monſtrantur: ita & altaris ligna, quæ de lignis paradiſi ſunt, non cremantur igne vicino, ſed puriora redduntur. Nec mirum hoc de Sanctuario, & interioribus templi, & altari thymiamatis credere: cum etiam* ἀμίαντον *quod genus eſt ligni, vel lini habens ſimilitudinem, quanto plus arſerit, tanto mundius inueniatur.* Hæc

Cur ab igne non corrumperetur.

a l.6.c.156. ſanctus Hieronymus, Dioſcorid.[a] ἀμίαντον gemmam ait eſſe. Sed cauſa facile ad aurum, quo totum altare circum vndique veſtitum erat, quodque ægerrimè ab igne patitur, referri poteſt. Huius altaris fabricam perſpicuam facit Villalp. in ſua paraphraſi. *Altare vero*, inquit, quod ex erectis quaternis quadratis tignis, aliiſque in ſupremo, & in imo connexis, quaſi ex oſſibus contexuit Salomon, ac cedrinis tabulis vndique conueſtiuit, aureiſque demum laminis contexit, altum erat cubitos tres, longum æquè ac latum cubitos duos. Ex dictis autem quatuor angularibus tigillis cornua erigebantur lignea, lignei namque erãt altaris parietes, baſis, anguli; quæ omnia auro puriſſimo veſtiebantur, addita ſuper aurea craticula pro foco. Et dixit mihi qui me ducebat angelus. Hoc altare quod in conſpectu Dei ſemper manet, menſa dicitur, quippe cui ſacer ignis, & ſuaue ſpirans ſuffitus imponitur; vt ſcilicet eo odore, quaſi cibo recreetur, aut potius deuoti, & incenſi charitate animi oratione, *quæ dirigitur ſicut incenſum in conſpectu Dei.*

Vera cauſa

Qua eius fabrica.

b c.2.l.4. c.48. FORMAM eius pulcherrimam repræſentat Villalp.[b] in qua videbis in imo baſim quadratum toti areæ ſuppoſitam, altam palmos duos, intus aſſeribus conſtratam, & laminis aureis contectam, in quam calidi cineres è ſuperiore craticula caderent. Quæ baſis in altari holocauſtorum non erat, vt tradit Ioſephus,[c] tum in latere vno feneſtram ad exauriendos cineres; leonum vero, aquilarum, & ſertorum ornamenta, ex parte ab altari holocauſtorum mutuata ſunt. Annuli tamen, & vectes ad portandum fortaſſe non ſunt adhibiti, ſicut in Moſaïco, quod circũferri debebat. Niſi potius dicendũ eſt & annulos, & vectes, tam altari, quam menſis adhibitos, etiam in templo Salomonis, vt maiori cum reuerentia moueri loco poſſent, cum res exigeret: vel fortaſſe ſignificando myſterio, tam altare, quam menſam à Iudæis ad Chriſtianos transferenda. Quod confirmatur: Nam & arca quæ maximè immobiliter in medio Oraculo collocata erat, ſuos quoque annulos, & vectes retinebat illis inſertos. In ſummo altari cornua procedunt, ſed non incurua, verum in modum cilindri rotundè in acumen tendentia, cum quadam baſi, & corona in ſingulis, vt ex Moſaïco altari thymiamatis, apud Ioſephum[d] colligitur, ſi græcum textum conſulas. Sed craticula in modum retis perforata, & maioris lancis incurua loco tecti eſt, ea vero corona cingebat aurea, quæ ſimul ipſum altare coronabat. In hoc altari, ſicut in Moſaïco cui ſuccedebat, pontifex mane & veſperi quotidie ſuaue fragrans incenſum adolebat, eodem tempore quo & lucernas componebat, vt habetur Exod. 30. 7.

XCV. *Eius forma ex Villalp.*

c l.3. ant. c.7.

d l.3. ant. c. 7

Ad ſeptentrionale altaris incenſi latus, erecta fuit propoſitionis menſa, eadem forma ac materia, iſdemque menſuris, quas olim Moyſes obſeruarat, quæ habentur Exod. 25. 23. vt colligit Villalpandus,[e] verum magificentiam ſuam oſtendit Salomon, cum pro vna decem conſtrui iuſſit. Sic enim habetur[f] in Scriptura: *Nec non & menſas decem, & poſuit eas in templo, quinque à dextris, & quinque à ſiniſtris, phialas quoque aureas centum.* Nullum inter eas diſcrimen magnitudinis poſuit Scriptura; ponit tamen Ioſephus,[g] ait enim, *menſas quoque multas dedicauit Rex, & in his vnam magnam auream, in qua proponebantur ſacri panes. Reliquæ vero non multo deteriores diuerſo modo factæ ſuſtinebant phialas, & pateras*, &c. Ribera,[h] & Villalp.[i] putant errorem irrepſiſſe in numerum, & pro vna menſa decem ponendas.

XCVI. *Menſa propoſitionis.*

e l.4.c 57.ex 2.Par.4.v.6 & 7.

f 2.Par.4 8

g l.8. c.2.

h l 2.de tẽp. c.10. in fin.

i l.4.c 57.

XCVII. *Fuerũt plures contra Ioſephum.*

AT vereor ne ille de more ſcripturam ambitioſe mutare voluerit: præſertim cum pro aureis phialis centum, ipſe viginti millia cuderit; & inſuper quadraginta millia phialarum argentearum liberaliter addiderit, quibus ſuſtentandis menſas illas minores confici rex iuſſerit. Sed eum iterum Scriptura refellit.[a] *Feciique Salomon omnia vaſa domus Dei, & altare aureum, & menſas, & ſuper eas panes propoſitionis*: quomodo legitur in Hebraicis, Græcis, & Latinis omnibus. Super plures ergo menſas, id eſt decem, quas ante memorauerat, poſuit panes. Idque conſentaneum eſt tantæ ſacerdotum multitudini, qui per vices ſuas miniſtrabant, & iis veſcebantur. Villalp. etiam loco citato hunc centenarum phialarum aurearum numerorum decem menſis panum accommodat, vt in ſingulis denæ eſſent. (a 2. Par. 4. 19.)

XCIIX. *Qua panũ, & phialarum diſpoſitio.*

NAM *in ſingulis menſis*, ait, *bini diſponebantur ordines panum, & in vno quoque ordine quina vaſa aurea licet computare. Primo illud magnum cui imponebantur panes; ſecundum paruum, quo incenſum panibus imponebatur; tertium huic ſimile, quo addebatur ſal; quartum quo hæc omnia operiebantur pariter, atque exornabantur; quintum denique, quo vinum libabatur, prædicto operculo, ad decorem, & dignitatem impoſitum: Ex quo fit vt ſingulis menſis dena vaſa deputarentur, denis centena.* Hæc ipſe; à quibus non multum abeſt Ioann. Benedict. in cap. 25. Exod. Niſi quod vinum & ſal, eorumque vaſa prætermiſit. Certe hæc centum vaſa ad menſas tantum propoſitionis pertinuiſſe valde probabile eſt, ex 25. Exod.[b] vbi in media expoſitione menſæ, & panum inſerit Moſes acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos aureos, & additur hebraice in ſingulis vocibus affixum, quod reſpondet pronomini latino; vnde Pagninus ita vertit Exod. 25. 28 *Et facies ſcutellas eius, & coclearia eius, & cyathos eius*; &c. Vnde in peregrinatione deſerti hæc vaſa cum menſa inuoluebantur, & deferebantur ſimul.[c] Denique Exodi[d] 37. dicuntur hæc vaſa *ad diuerſos vſus menſæ.* (b v. 29.) (c Num. 4. 7. d v. 16.)

IC. *Magnificẽtia Salomonis.*

HINC iterum apparet magnificentia Salomonis, in decem iſtis menſis, aurearum laminarum, quibus vndique conueſtitæ erant fulgore ſplendeſcentibus, cum aureo lymbo, & coronis eas vndique quatuor digitorum altitudine circumeuntibus; centeniſque inſuper vaſis aureis. Has porro menſas non ad Septentrionale tantum latus altaris aurei ponit Villalp. in primo veſtigio ſanctuarij, ſicut nec candelabra ad auſtrale, ſed ea decenter intermiſcet, vt non ſolum quinque menſæ, & totidem candelabra à dextris fuerint, & rurſus quinque candelabra, & totidem menſæ à ſiniſtris collocata, vt exigit Scriptura.[e] Sed ita conſtituit vt proxime à lateribus altaris aurei, vtrinq; bina ponerentur candelabra, tum recedendo ab Oraculo verſus veſtibulum, ſingulæ vtrinque menſæ: inde ſingula candelabra tum ſemel, atque iterum ſingulæ vtrinque menſæ, rurſum candelabra, & menſæ, donec in vltimo ordine duæ menſæ inter duo candelabra ponerentur, potuerunt autem & aliter ordinari, ſed hic ordo admodum conueniens eſt. (*Menſæ intermixtæ candelabris*) (e 2. Par. 4. 7. 8.)

C. *Candelabra aurea.*

QVOD autem ad candelabra ſpectat, ex dictis facile de eorum magnitudine, & figura conſtare poteſt. Nam in 2. Paral.[f] dicuntur, facta à Salomone candelabra aurea decem, ſecundum ſpeciem qua iuſſa erant fieri; olim ſcilicet Moyſi, vt interpretatur Villalp.[g] & confirmat ex Eupolemo apud Euſeb.[h] vbi ex græco ſic habetur. *Fecit etiam decem aurea candelabra, talenti pondere ſingula, eius inſtar, quod à Moſe in tabernaculo teſtimonij poſitum fuerat; eademque ex vtraque parte templi, partim à dextris, partim à ſiniſtris collocauit.* Hæc ibi, quæ videtur paraphraſis huius loci 2. Paral. Sed fallitur interpres Euſebii, cum vocem *ἕκα* non ad candelabra retulit, ſed ad talenta, quod clariſſimum eſt; primo ex c. 25. Exod. v. 39. vbi dicitur omne pondus candelabri, cum vniuerſis vaſis ſuis, habuiſſe talentum auri puriſſimi. Secundo ex eo quod ſequitur ibid. in Eupol. *fecit & lucernas aureas ſeptuaginta, vt ſeptenæ in ſingulis candelabris arderent.* Decem igitur erant candelabra; at Trapezuntius ibi legit ſexaginta ſeptem lucernas in vno quoque candelabro. Abſurde. Confirmatur etiam hæc Moſaica Salomoniorum candelabrorum forma ex Ioſepho,[i] vbi dicitur Salomonem feciſſe decem millia candelabrorum, *iuxta præceptum Moſis*, quod non videtur poſſe aliò; quam ad formam ei diuinitus mandatam referri: Quod Ribera quoque notauit.[k] Quod autem ait vnum à (*Eorum numerus, pondus & forma.*) (f c. 4. 7. 40) (g l. 4. c. 17. h l. 9. de præcep. c. 4.) (i l. 8 ant c. 2) (k l. 2. de tẽp. c. 12. fi.)

Salomone è decem millibus in templo dedicatum, de numero quidem decem millium, nihil diſputo: de vnico autem conſecrato certiſſimum eſt ex Scriptura eum vehementer errare, cum ex illa conſtet decem in templo fuiſſe dedicata; quæ decem auri talentis, id eſt centum & viginti quinque millibus aureorum valebant. Sed de his candelabris ſatis à nobis anno Moſis 81. diſputatum eſt. [a]

a n. 446. & ſeqq.

CI

Vaſa templi aurea, & argentea, ex Ioſepho.

ET hæc quidem de templi ipſius, ſecluſis omnibus atriis præcipua ſupellectile dicta ſint. Ad quæ atria priuſquam tranſeamus, libet quæ de vaſorum templi multitudine Ioſephus ſcripto reliquit referre. Nam præcipua eorum pars ad aulam ſanctam potius, quam ad atrium Leuitarum pertinuiſſe videtur.

Libro ergo 8. antiq. cap. 2. poſt enumeratas æneas colũnas duas, de quibus dictum eſt: & mare æneum cum bobus ſuis; luteres decem cum baſibus, rotis, omnique apparatu ſuo, & altare holocauſtorum, de quibus cum de atrio Leuitarum ſermo erit, dicetur, aurearum menſarum ponit, iuxta Gelenii verſionem, magnum quidem, ſed indefinitum numerum; & quæ aurea menſa panum non multo deteriores eſſent, quot ſcilicet requiruntur ad commode capienda ſexaginta millia phialarum, ſiue libatoriorum, & paterarum aurearum, & argentearum. Verum determinatus numerus decem millium menſarum, habemus in græco: quo etiam modo legit iampridem Rufinus. Candelabrorum decem millia aurea ne eſſent, vel argentea non dixit ipſe, ſed eorum tamen vnum, vel potius decem, vt diximus, aurea fuiſſe ex Scriptura conſtat. Villalp. [b] aurea omnia fuiſſe putat, & inſuper duplo plura argentea, quia deinceps in enumeratione vaſorum Ioſephus pro vno vaſe aureo, duo ponit argentea Sed aliqua ſeorſim dicemus, 4 ne lectori in recenſendis Ioſephi, vt leuiter dicam amplificationibus graues ſimus.

commodiùs.

b l. 5. c. 42.

4. ꝯ.

CII.

Alia vaſa ab eo prætermiſſa.

EXTRA porro numerum vaſorum à Ioſepho numeratorum, ſunt vaſa omnia, quæ à Moyſe in deſerto fuerunt fabricata. Ait enim Ioſephus prædicta omnia fuiſſe à Salomone præparata. Illa porro in templum fuiſſe tranſlata conſtat ex Scriptura. [c] Quin etiam ex ære alia quampluríma fabricatus eſt, vt Scriptura teſtatur, de quibus in atrio Iſraëlitarum; ad cuius vſum in primis pertinebant, dicendum erit. Alia etiam vaſa aurea non pauca omiſſa eſſe videntur, vt emunctoria lucernarum, quæ pro ſingulis dena eſſe debuerunt, & videntur forcipes appellari in 3. Reg. [d] vbi adduntur hydrię, niſi eas velis craterarum nomine à Ioſepho comprehendi; quæ à Septuag ἐμπυριστῆρες dicuntur. Adduntur & fuſcinulæ, & mortariola, omnia de auro puriſſimo; fuerunt & ſcutula aurea, & capita Cherubinorum, leonum, aquilarum, vitulorum, aurea omnia, ſed affixa in coronis, & zophoris trabeationum, ſuper epyſtilia paraſtadum, & columnarum.

c 3. Reg. 8. 4. 2. Par. 5. 5

d c. 7. 49.

CIII.

Ratio temporis.

CÆTERVM non affirmamus hæc omnia hoc ſecundo anno templi confici potuiſſe, aut non plura his fortaſſe fuiſſe præparata, ſed quoniam hæc diſtinctius à Scriptura non ſunt tradita, coniecturam probabilem ſecuti, quæ ad templum proprie dictum pertinebant, & cuius maxime fuit habenda cura, & ante omnia credimus habitam, cum propter ipſum cætera eſſent omnia, ad hunc annum retulimus, nunc Deo duce cætera videamus.

ANNVS MVNDI 3025. DILVVII 1369. QVINTÆ ÆTATIS 86. SALOMONIS 6. SADOCI PONTIFIC. 5. FVNDATI TEMPLI 3. ARCÆ IN SION 36. TROIÆ EXCISÆ 154. EVPALIS 35. IMPERII ASSYRIORVM. 1094.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1028.

I. *Ratio temporis abſoluti templi.*

HOc anno, & ſequentibus aliquot, quos exactius rebus ad templum pertinentibus diſtinguere non poſſumus, tota templi, & atriorum omnium ædificatio perfecta eſt. Conſtat enim ex 3. Reg. 6. fine; *Perfectam fuiſſe domum in omni opere ſuo, & in vniuerſis vtenſilibus ſuis annis ſeptem.* Quod confirmat Ioſeph. [a] *His tam magnis*, inquit, *ac pulchris operibus, & donariis ſeptennio perfectis, non ad opulentiæ modo, ſed & celeritatis oſtentationem. Quæ enim ætatem integram hominis poſcere videbatur tam breui, ſi ad magnitudinem conferantur, tempore erant abſoluta.* Veruntamen ex prædicto loco [b] habetur his 7. annis, ſex menſes addendos eſſe, qui ad octauum templi, & Salomonis vndecimum pertinebant. Sic enim legitur v. 37. *Anno quarto fundata eſt domus* Domini, *in menſe Zio, & in anno vndecimo menſe Bul, ipſe eſt menſis 8. perfecta eſt domus*, &c. Si anno quarto cui deſunt duo menſes, adiungas 8. menſes, vndecimi fient omnino ſeptem anni, cum ſex menſibus. Nec intelligo cur eos menſes dicat Vatablus ad duodecimum annum, non ad vndecimum pertinere. Verum quia annos non diuidimus, & templi dedicatio, ad octauum eius fundati, ſiue vndecimum Salomonis annum, non ad ſeptimum, ſiue decimum pertinet, extrema templi ædificati, cum dedicatione, differemus ad vndecimum Salomonis.

a l.8.ant.c.2
b 3.Reg.6.

II. *Cauſam Semei huc pertinere.*

Sed priuſquam reliquam fabricam ſacram pertexamus, paucis de Semei nece dicendum eſt; quam ad hunc annum pertinere ſemel iam atque iterum ſignificauimus. Nam anno 3. regni Salomonis, quo cæſus eſt Ioab, & eiectus Abiathar, etiam datum eſt præceptum iſti viro, ne ab vrbe diſcederet; ea enim omnia teſtamento Dauidis continebantur, quod primo quoq; tempore executioni mandatum eſt. Huic autem annus eſt tertius ab interdicto ſibi ex vrbe digreſſu, quo fugerũt ſerui eius, quæ fuit occaſio mortis ipſius. Res perſpicue deſcribitur 3. Re. [c] *Habitauit*, inquit, *Semei in Ieruſalẽ diebus multis: Factum eſt autem poſt annos tres* (nõ dicitur anno tertio, quaſi vnus tantum interiectus fuerit à præcepto dato, ſed poſt annos tres) ſiue vt habetur Hebraïce *in fine*, vel *à fine trium annorum*, quo modo etiam habet Chald. Clarius etiam Septuag. *Manſit*. inquiunt, *in Ieruſalem tribus annis, & poſt tres annos*, &c. Ioſephus, [d] *triennio dein exacto*; quomodo etiam in græco habetur, & apud Rufinum.

c 2.38.
d l.8.ant.c.1

III. *Fuga ſeruorum eius.*

Contigit *ergo poſt tres annos vt fugerent ſerui Semei*, duo ſcilicet, vt habetur in hebræo, græco & chaldæo, & apud Ioſeph. loco citato, *ad Achis filium Maacha regem Geth*; Hunc ipſum putat Abulenſ. [e] ad quem ante quatuor & quadraginta circiter annos fugerat Dauid; cum nihil ei tutum eſſet in regno Saulis. Quãuis hic dicatur filius Maacha, ibi filius Maoch: hic fortaſſe pater fuit, illa mater.

e in c.2.3. Reg.q.44.

Quæ cauſa fugiendi ſeruis iſtis, aut quæ potius ad hunc quam ad alium, ſane non liquet; forte Palæſtini genere, & Gethæi erant, & male ab impotenti homine accepti fuerant, vt qui non didicerat illud ſapientis. [f] *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi.* Nam talem eum Theodoretus [g] nobis exhibet: Quærens enim cur cum Dauid Semei dediſſet veniam, Salomoni mandaret vt eum puniret, *Virum nouerat*, inquit, *tyrannicum*, &

f Eccl.4.35
g l.3.q.5

valde audacem, & filij ſui prouidens ſaluti, cum docuit quæ auſus ſit, vt viri caueret prauitatem, &c. *Nunciatumque eſt Semei, quod ſerui eius iſſent in Geth, & ſurrexit Semei, & ſtrauit aſinum ſuum, iuitque ad Achis in Geth.* Quieta nimirum erant omnia inter Hebræos, & Palæſtinos, qui illis etiam tributa penſitabant.

IV. *Quæ retrahit Semei.* EXISTIMAVIT Semei, ſi forte memor fuit impoſiti ſibi præcepti, Salomonem multitudine negotiorum obrutum, vel obliuioni dediſſe mandatum ſuũ, vel hanc ei culpam ignotam fore; qui cogitare potuit, vel ſeruos ipſos, vel alios ipſius inimicos daturos operam, vt res innoteſceret Regi, quod & factum eſt. Nuntiatum eſt enim Salomoni, *quod iſſet Geth de Ieruſalem, & rediiſſet*, ne qua eſſet in eo repetendo difficultas. Et mittens vocauit eum, dixitque illi; *Nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum, & prædixi tibi. Quacumque die egreſſus ieris huc, & illuc, ſcito te eſſe moriturum: Et reſpondiſti mihi, Bonus ſermo quem audiui. Quare ergo non cuſtodiſti iuſiurandum Domini*, præceptum nimirum tibi à me impoſitum, ſub inuocatione diuini nominis. Obmutuit ſcilicet infelix; nam ſi obieciſſet excuſationis nomine fugitiuos ſuos, erat in promptu reſponſio non debuiſſe propterea violari præceptum Regis iuſiurando confirmatum, & eius de eo obſeruando promiſſionem; & iacturam ſeruorum, proprij capitis certo diſcrimini anteferendum non fuiſſe.

V. *Eum obiurgatum mori iubet Salomon.* ET ne forte homo improbus leuitatem culpæ prætendat, reuocat illi in memoriam petulentiam, qua in patrem ſuum olim fuerat debacchatus, quam adhuc impune tulerat, & quam huius occaſione delicti luiturus erat. *Tu noſti*, inquit, *omne malum, cuius tibi conſcium eſt cor tuum, quod feciſti David patri meo. Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.* In illius videlicet peccati pœnam, in hoc alterum peccatum, vindex ſcelerum numen te corruere permiſit, vt vtrumque vna nunc, eademque vltione puniretur. Quo referri, & aptari illud poteſt à Sapiente dictum. [a] *Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas, & eorum quæ acciderant commemorationem*, id eſt, memoriam *amittebant, vt quæ deerant tormentis repleret punitio.* Sic & ipſe plene lueret admiſſum flagitium. | a Sap c.19. 4.
Nam quaſi dimidiata pœna fuit, quod extorris à patria Hieroſolymis detineretur, vbi nihil moliri mali, nihil turbare poſſet, homo alioqui turbulentus, &

Principum documentũ. potens; ſed hoc nouo facto repleta eſt punitio. *Et rex Salomon benedictus, & thronus David erit ſtabilis coram Domino; vſque in ſempiternum.* Occulte ſignificat imminere principibus, quos Deus loco ſuo conſtituit criminum vltores; ab ipſomet communi Rege, & iudice Deo pœnas neglectæ, aut violatæ iuſtitiæ longè grauiſſimas. Cum enim ſapientiſſimus princeps dicat hoc reo caſtigato, ſtabile futurum regnum ſuum, vtique ſignificauit illud labefactum iri, niſi in Semei animaduertiſſet. *Nam regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* [b] *Iuſſit itaque rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egreſſus*, è conſpectu ſcilicet Regis, qui noluit hominem coram ſe occidi, *percuſſit eum, & mortuus eſt.* | b Eccl.10.8

VI. *Dei ad Salomonem nuncius.* SVB hoc tempus cum maxime ferueret templi ædificatio, videtur factus ille ſermo Domini ad Salomonem, de quo mentio eſt [c] in Scriptura. *Et factus eſt ſermo Domini ad Salomonem dicens, domus hæc, quam ædificas ſi ambulaueris in præceptis meis, & iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea gradiens per ea.* ſubaudiendum videtur verbum aliquod, idque in omnibus linguis *ſtabit*, aut *mihi grata erit*, vt in ea à te deinceps ac populo tuo, religioſè colar; cæteriſque deinceps regibus filiis Dauidis. Nam ſequitur; *Firmabo ſermonem meum tibi, quem locutus ſum ad David patrem tuum. Et habitabo in medio filiorum Iſrael*, in hac ipſa videlicet domo, quam tu moliris in gratiam mei. *Et non derelinquam populum meum Iſrael.* | c 3.Reg.6.11

Subintelligitur autem altera quoque pars propoſitionis ſub conditione elatæ, quæ alibi crebrius expreſſa eſt; fore videlicet, vt ſi deſeruerit pietatem, & obſeruationem mandatorum Dei, deſeratur ipſe à Deo, & domus hæc, quantocumque ſplendore, ac magnificentia fulgeat, prophanorum hominum rapinis deformetur; & luctuoſiſſima denique deflagratione conſumatur.

VII. *Quæ eius ca..ſa, quod ..mpum, qui ..ates.* SED non fuit neceſſe tam triſti vaticinio conceptum ædificandi feruorem, quaſi frigida ſuperfuſa intepeſcere; cum ad eum potius accendendum hic

nuncius ad Salomonem diuinitus miſſus eſſet. Lyranus factum putat hunc ſermonem Regi, poſt conſummatam, & perfectam domum, vt colligitur ex verſu 9. Sed vox *ædificas* in medio ædificandi tempore factam innuit, vt vult Torniel. [a] At nos vtramque ſententiam conciliamus, dum hæc contigiſſe putamus poſt conſummatam domum, proprie ſumptam, de qua anno ſuperiore. Et durante nihilominus ædificatione, quæ deinceps ſecuta eſt. Subaudiendum etiam ait Vatablus hunc ſermonem per Ahiam prophetam ad Salomonem factum fuiſſe. Id vnde acceperit ipſe non refert. Legi tamen in Chron. maiore Hebr. [b] Ahiam Silonitem apud Salomonem vatis munere ter functum fuiſſe: nihil vetat exiſtimare in tribus illis vicibus præſentem annumerare.

a ann 5. quintæ ætat.

b c.20.

SED iam ad templi fabricam reuocamur. (Id enim vnum maxime agebatur, atque vrgebatur opus hoc tempore.) vt quæ ipſi domui ſanctæ circumpoſita ſunt conſideremus. Iis ergo quoquo modo explicatis, quæ ad ipſum templum, & tres eius partes pertinebant, de templi atriis aliquid, ex Villalp. præcipue di, cendum eſt, quoniam qui hæc accuratiore ſtudio, aut feliciore perſcrutatus ſit habemus neminem.

Superandi fuerunt permulti gradus ſubſtructionis, in quibus in ſolemniore pompa aſcendendis nonnulli cantica, quæ dicuntur graduum, à Leuitis decātari ſolita opinantur. Hos quadruplices ab Occidente fuiſſe colligimus, totidemque portas in peribolo, qui in eius faſtigio excitatus erat, omnibus apertas, ac peruias; colligimus inquam ex Ioſepho qui libro 15. antiquitatum [c] de templo Herodis diſſerens, quod is ad normam Salomonis quantum potuit excitauit, de Occidentali porticu, quæ primum occurrebat aſcendentibus, agens quatuor ei portas attribuit, meridiano autem vnam ab vtroque latere æque diſtantem.

c c.14.

SVPERATIS gradibus occurrebat ſtatim peribolus, quem ſupra cum Ezechiele cap. quadrageſimo deſcripſimus, latum, & altum calamum vnum: longum autem per ſingulas vniuerſi ædificij facies 125. calamos, id eſt per totum ambitum quingentos, vt ex eodem colligitur. [d] Et cum ſingulis calamis reſpondeant ſex cubiti, & palmus, ſiue quadrans, [e] totus ambitus, & longitudo periboli fuit trium millium centum & viginti quinque cubitorum; Romanorum autem pedum (ſi iuxta Villalpandi [f] ſupputationem viginti cubiti Hebraïci quinquaginta pedibus Romanis reſpondebant) ſeptem millium octingentorum duodecim pedum, cum dimidio; aut ſeſquipede cuique cubito attributo 4687. $\frac{1}{2}$. Quod ſpatium exiguæ vrbi par eſſe poſſit; ideoque hanc fabricam *quaſi ciuitatem dici* leges in Ezech. cap. 40. 2.

d c.42 fi.
e c.40.v.5.
f l.5.36.

Inter peribolum hunc, & murum ambientem atrium prophanum ſpatium erat circumquaque ſex calamorum, id eſt cubitorum 37. $\frac{1}{2}$: quæ erat latitudo viæ iſtius, longitudo autem 123. calamorum fuit, per partes ſingulas: ſed totam longitudinem expreſſit Scriptura numero quingentorum calamorum, etſi octo deſiderarentur, quod in angulis replicentur. Erat ergo via hæc per ſingulas ædificij facies longa ſeptingentis ſexaginta octo cubitis cum tribus palmis, id eſt vicies fere longior, quam latior.

Villalp. l. 5. c. 60.
Ezech. 42. fi.

PROGREDIENDO ad interiora templi, ducit hæc via ad porticum gētium, cum atrio ſuo, de quo non leuis eſt inter authores antiquos, recenteſque controuerſia. Sunt enim qui in templo Salomonis nullam porticum, aut atrium immundis, & gentibus deſtinatum putarint; ſed tantum in templo Herodis; in illo autem duorum tantum atriorum, & conſequenter porticuum, tam à Scriptura, quam à Ioſepho fieri mentionem, interioris ſcilicet, quod erat Sacerdotum, & Leuitarum & exterioris quod erat Iſraëlitarum. Hæc eſt ſententia Riberæ, [g] Barad. [h] Montani de templi fabrica, Torniel. [i] & nonnullorum aliorum, vt Genebr. in Chron. qui porticum, & atrium gentium ad poſteriora ſecula referunt, vel ad ipſum Salomonem longe poſt templum perfectum.

g l. 1. de templ c.16.
h t.2. concor. l.3 c. 29.
i in an m. 3021. 109. & 11.

EXISTIMO nihilominus porticum, & atrium gentium à Salomone extructum fuiſſe. Nam Ioſephus [k] vbi de templo, eiuſque partibus, & ſuppellectili diſſeruit, addit Salomonem circumdediſſe templum ſepto quodam trium cubitorum altitudine, excluſurum prophanam multitudinem, & ſolos ſacerdotes admiſſurum; & hoc eſt atrium Leuiticum proximum templo. Secundo addit extra hoc

k l.8. ant c. 2.

ſeptum fuiſſe fanum porticibus magnis, ac latis cinctum, in quod cuilibet è populo puro & caſto acceſſus patebat; & hoc fuit Iſraëlitarum atrium, ambiẽs tam atrium Leuitarum, quam templum ipſum. Tertio aliam ſtatuit aream ſuper aggeſtam terram ad quadringentos cubitos, & templi ſolo æquatam, quam cinxiſſe ait duplicibus porticibus, id eſt, duplici contignatione conſtantibus, quas columnæ è natiuo ſaxo ſuſtentabant; quod omnino fuit atrium gentium, & porticus Salomonis; ſubdit autem hæc omnia ſeptennio fuiſſe perfecta. Cum ageret etiam alibi [a] de magnis illis ſubſtructionibus Salomonis, & ingeſta terra ad laxandam templi aream; Sic ait. *Hoc opus poſtquam æquatum eſt vertice, cauitas quæ intererat murum inter & tumulum expleta eſt, vt complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus quatuor ſtadiorum circuitu, ſingulis lateribus inter duos angulos per ſtadia ſingula patentibus:* Sic ipſe. Qui deinde pergit agere de alio interiore ambitu, & porticu, quam dicimus Iſraëlitarum.

a l. 15. ant. c. 14.

XII. *Aliiſque ſcriptoribus.*

Et hæc eſt communis ſententia doctorum vt affirmat Viegas, [b] eamque ſequitur, & ait ab ea immerito Riberam receſſiſſe. Ita ſentit etiam Comeſt. [c] qui præter atrium Sacerdotum, & mundorum bipertitum, addit etiam immundorum, & gentilium, quem ſequitur Dionyſ. [d] & Abulenſis, [e] Beda, [f] libro de templo Salomonis cap. 6. præter atrium interius, & exterius cum ſuis porticibus, ponit extremum atrium in quod admittebantur Gentiles, & Iudæi, qui nuper venerant ex gentibus, vſque ad ſextum purificationis diem: quæ ipſe recitat ex Caſſiodoro in Pandectis. Agit autem non de templo Herodis, vel Zorobabelis, ſed Salomonis. [g] In eadem ſententia eſt Hugo Cardin. [h] & Villalp. paſſim toto opere ſuo præſertim lib. 3. cap. 27. Ioañ. Azor. [i] & Pined lib. 3. de rebus [k] Salom. quorum hæc eſt pro iſta ſententia ratiocinatio minime pœnitenda.

b in c. 11. Apoc. com. 5 ſec 3. c l 3. Reg. a c. 14 ad 18. d c 6. 3 Reg. fi. e q 11 & 4. Reg 12 q 9. f to. 8 g vide gloſſ ord. 3 Reg. 6. h 3. Reg c 6. i to. 1. Inſtit. l 6 c. 31. k c 5 n. 113. & ſeqq.

XIII. *Et ratione ipſa.*

QVOD nimirum credibile non ſit vlla in re maius, aut magnificentius fuiſſe templum Herodianum Salomonico. Et fuiſſet ſane ſi peculiari atrio, eoque maximo, ac magnificentiſſimo, quod non ſolum ad pulchritudinem, ſed ad templi ſanctitatem, & orandi opportunitatem valeret atque ſeparationem immundorum, & Gentilium, à Sanctis; & mundis potius ab alio Rege, quam à Salomone; ornatum, atque inſtructum fuiſſet: atque in alia quam in ipſa Dei deſcriptione, Dauidi, & Salomoni tradita, deſignatum; quaſi exemplar illud diuinum aliqua ex parte mancum fuiſſet & imperfectum; aut maioris cuiuſpiam Regis ſapientiam, vel opulentiam expectaſſet, à quo perfici, & emendari poſſet. Aut maior Gentilium, & aduenarum numerus, ad viſendum, & colendum Hieroſolymitanum templum, vllo vnquam tempore confluxiſſet, quo atrij gentium ſeparatio, & conſtructio magis neceſſaria; quam Salomonis tempore viſa fuiſſet.

XIV. *Et ſcriptura.*

IDQVE etiam merito ex ipſius oratione colligitur. [l] *Externum quoque*, inquit, *qui non eſt de populo tuo Iſrael, ſi venerit de terra longinqua, & adorauerit in loco iſto, tu exaudies de cælo firmiſſimo habitaculo tuo, & facies cuncta, pro quibus inuocauerit te ille peregrinus.* Eodemque modo alibi; [m] *Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, & orauerit in hoc loco, tu exaudies*, &c. Quomodo in eo loco orare poterat alienigena, ſi nullus ad orandum deſtinatus erat locus? num in templum, aut atrium Leuitarum admittebantur? At ibi ſoli Sacerdotes, & Leuitæ locum habebant; num in atrium Iſraëlitarum? at capitale fuit eo quemquam admittere gentilem, vnde & mortis reum agebant diuum Paulum Iudæi, [n] quod criminarentur eum, Gentiles induxiſſe in templum, & violaſſe locum ſanctum. Scribit enim Ioſephus [o] ſecundum ambitum, qui ſcilicet erat medius inter atrium Sacerdotum & extremum, ſiue commune, in lapideo ſepto habuiſſe inſcriptionem, quæ vetaret tranſgredi alienigenam, ſub interminatione pœnæ capitis, & hæc quidem ipſe de templo Herodis. Sed Hebræi, vt erant rerum ſuarum amatores, & Salomonici templi, ad diuinum exemplar conditi admiratores, nihil quod ad templum ſpectaret probaturi erãt, quod primo illi temlo non reſpõderet. Quare neque probaſſent nouum iſtud opus atrij gẽtium, ſi nihil huiuſmodi in Salomonico præceſſiſſet. Huc pertinet & illud Eſaiæ 56. 7. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Quod Chriſtus Dominus, de eo loco interpretatur vnde eiecerat ementes, & vendentes, quia ſcilicet ibi Gentiles orabant.

l 2. Paral. 6. 32. m 3. Reg. 8. 41. n Act 21. 28 o l. 15. ant. c 14.

MANEAT ergo conſtitutum, ab initio templi fuiſſe hanc porticum cum atrio ſuo excitatam, quæ mundis, immundiſque patebat; ideoque porticus ipſa, licet ianuis ad omnes cœli plagas aperiretur, quæ periboli aditus reſpicerent, ſicut & ianuis atriorum Iſraelis, nullis tamen inſtructæ fuerunt ianitorum cubiculis, ſicut porticus Iſraelitarum; nec opus erat, quando neminem excludi fas erat, vt mox dicetur. In hac porticu, atque atrio ſæpe ad confertam multitudinem Chriſtus Dominus verba faciebat; ibi ethnici Philippum adierunt, vt Chriſtum viderent, ibi Aethiops eunuchus Reginæ Candacis adorauit. [a] Eius pars Orientalis, quadripertita enim erat, dicta fuit Salomonis etiam Chriſti tempore, vt ex Euangel. & Actis conſtat, quod pars eius aliqua cladem Chaldæorum effugiſſet, poſteaque à Zorobabele, & Herode, vt putant, reſtaurata, primi authoris nomen retinuiſſet.

a Act. 8. 27.

HÆC ergo eſt porticus gentium, quæ atrium gentium ſibi adiacens ambiebat. Id enim omnibus atriis commune fuit, vt æſtus, & pluuiæ tempore haberet populus quo ſe reciperet, quam porticum Ioſephus: [b] vocat quadriporticum quatuor ſtadiorum circuitu, ſingulis lateribus inter duos angulos, per ſtadia ſingula patentibus, id eſt per ſexcentos viginti quinque pedes. At ex Villalp dicendum eſt etiam fuiſſe longiora latera ſingula, centum ſcilicet, & decem calamorum, id eſt 687. pedum cum dimidio. Eius autem latitudo paulo minor ab eodem ponitur latitudine Iſraeliticarum porticuum, ſi primum veſtigium vniuerſale dimetiamur: lib. tamen 5. cap. ſexageſimo, eam cæteris latitudine parem facit, id eſt 50. cubitorum, ſed ratiocinatione, & proportione colligenda eſt; quoniam atrium, & porticum gentium Angelus Ezechielis dimenſus non eſt, quia plenitudo gentium, quas Eccleſia comprehenſura quondam erat, nullis terminis, finibuſue circumſcribenda erat.

b l. 15. c. 14.

HÆC porticus murum verſus peribolum habuit, verſus autem templum columnas. Hic murus quatuor in locis ab Occidente iuxta Ioſephum, portas habuit, ſicut & peribolus, ſed ad eas nulli thalami erecti, nulla ianitorum cubicula, nulli gradus vt in porticibus Iſraelis, quod ab hac porticu nemo excludendus eſſet, præter mulieres menſtruo ſanguine inquinatas, vt ait Ioſephus. [c] Quod videtur refelli ex primo Paral. [d] vbi per quatuor ventos fuiſſe dicuntur oſtiarij, id eſt, ad orientem, & occidentem, ad aquilonem, & ad auſtrum; idque concedit Villalp. [e] Nec par erat naturalem infirmitatem alieniores à Deo reddere Iſraelitas, quam ethnicos infidelitatem. Ab oriente vero, ſeptentrione, & meridie ſingulis aperiebatur portis, quot ſcilicet erant aditus ad atria ſancta. Illud enim in primis in hoc maximo ædificio erat admirabile, vt ſolida ſolidis, vacua vacuis, rotundis rotunda, quadratis quadrata, ad vngem, ſurſum deorſum, ante, retro, ad dextram, ad ſiniſtram, quoquo verſum denique incredibili proportione dimenſa reſponderent, ſicut à Villalp. artificioſiſſime obſeruatum eſt, & facilius in veſtigiis vniuerſalibus totius fabricę videri, & laudari, quam narrando imaginatione depingi, & mente intelligi poteſt. Vide ſupra priorem tabulam, quam delineari curauimus.

c l. 2. contra App.
d 9. 24.
e t. 2. l. 5 c. 32.

CRASSVS erat murus calamum vnum. & totus vndique per interualla duorum calamorum, intus quidem ſemicolumnis, vno cubito à muro extantibus, foris autem paraſtadis, ſiue antis eiuſdem prominentiæ, ſiue proiecturæ ornabatur. Inter has ſemicolumnas & antas eodem plane interuallo feneſtræ vbique aperiebantur; niſi vbi ſolidior murus feneſtram excludebat, vt in quatuor angulis; & vbi latera interiorum porticuum Iſraelis, ſoliditatem in hoc muro, de quo agimus, ſibi reſpondentem exigebat. Tunc enim in feneſtræ locum ſemicolumna ſuccedebat, ita vt inter duas feneſtras, non ſingulæ ſemicolumnæ, & paraſtades, vt in reliquo ſpatio, ſed geminæ muro affigerentur.

HIC murus altus fuit cubitis viginti quinque, & quia ad hanc porticum gradibus non aſcendebatur ex via periboli, propterea ex longinquo ſpectantibus (præterquam ex loco altiore, vt ex arce Sion) peribolus parte aliquam illius muri obtegebat; ex propinquo autem, & ex via ipſa, totus à terræ ſuperficie apparebat.

Et ornatus. Eius ima pars podium erat altum calamum vnum, ſicut & peribolus cingens totum ædificium; niſi qua parte portis aperiebatur, & diſtinguebatur crebris ſtylobatis eiuſdem cum podio altitudinis, vt illis antæ, ſiue paraſtades decore admodum ſuſtentarentur. Hæ paraſtades cum baſibus ſuis, & capitellis, ad viginti cubitos attollebantur: tum accedebat trabeatio, id eſt, epiſtylium, zophorus, & coronix quinque cubitorum. Intercolumnia vero geminis ad perpendiculum feneſtris, decuſſato cancello diſtinguebantur, vti Villalpandi figurę eleganter oſtendunt.

XX. *Columnæ porticus gentium, earum ordines, diſtantia.* Hvic exteriori muro tres columnarum ordines deinceps appoſiti erant, qui ſemicolumnis muro ab intrinſeco affixis recta verſus templum reſpondebant. De hac porticu, & columnis eius maxime accipiendum eſt, quod ait Ioſephus, libro 15. fere extremo. *In eius porticibus* (erat enim quadripertita porticus gentium,) *ſtabant paribus interuallis quatuor columnarum ordines, quorum quartus verſus peribolum intertextum habebat lapideum parietem.* quod eleganter expreſſit Villalpand. Porro columnæ, ſumpta ab ipſarum centro menſura, & à muro, & à ſe inuicem duobus calamis diſtabant: exceptis locis, in quibus hic murus ſolido atrii Iſraelitici reſpondebat. Ibi enim columnæ à ſe inuicem, habita ratione latitudinis porticus vno calamo diſtabant. Singularum columnarum diameter erat duorum cubitorum, id eſt, ſex cubitorum ambitus, de quibus ſunt illa Ioſephi verba.

Craſſitudo. [a] καὶ πάχος ἦν ἑκάστου κίονος εἰς τρεῖς ἐπὶ συναπτόντων ἀλλήλοις τὰς ὀργυιὰς ἐμπεριλαβεῖν. *Craſſitudo autem cuiuſque columnæ, quantam poſſent tres homines conſertis inter ſe brachiis complecti.* Altitudo vero vltra ſtylobatas viginti cubitorum, vt affixis ſemicolumnis, & paraſtadis ad vnguem reſponderent. a l. 15 ant. c. 14.

XXI. *Numerus.* Colvmnarvm vero numerus, per totam hanc quadriporticum fuit non centum ſexaginta duarum, vt ait Ioſephus, qui potius de ſingulis eius lateribus interpretandus eſſet, niſi aperte de vniuerſis loqueretur. Ait enim; *numerus vniuerſarum* συμπάντων *fuit* 162. *capitellis ſculptis opere Corinthio, pulchris vſque ad miraculum.* Is tamen numerus ſtare non poteſt. Nam in tanta longitudine columnas nimium à ſe inuicem disiungi oportuiſſet. Exigit autem debita proportio numerum ſexcentarum ſexaginta columnarum; centum ſcilicet, & ſexaginta quinque in ſingulis eius lateribus. *Contignatio.* Super haſce columnas & murum iniectæ erant trabes, & tigilla, & aſſeres vt fieret contignatio, quæ ab inferiore parte magnificis laquearibus ornabatur, & ſculpturarum variarum figura: à ſuperiore æneis laminis conſtrata erat, ad pluuiam innoxiè accipiendam. Ioſeph.

XXII. *Cochleæ ad ſuperiorem porticum.* Ad hanc contignationem ſingulis cochleis ex quaternis angulis aſcendebatur. Huic enim tabulato impoſita erat alia porticus, alta cubitis octodecim, cum tribus quadrantibus. Sic vt tota porticus atrii gentium excluſo podio, quadraginta tribus cubitis cum dodrante in altum attollere; cum podio autem ad quinquaginta.

Eius forma. Hæc autem ſuperior porticus nudis vtrimque conſtabat columnis, quæ hinc inferioribus paraſtadibus, inde ſubiectis columnis recta, & ad perpendiculum innitebantur. Columnis iſtis ſuperioribus nullus interiectus erat paries, vt facilius à longe atrium Iſraelitarum cerni poſſet, licet atrium gentium eſſet interiectum: ſed peribolus quidam, qui & podij columnarum inſtar erat, externæ illi quidem forma non admodum diſſimilis, ſed quantitate omni ex parte minor. *Trabeatio, & contignatio.* Columnis trabeatio impoſita erat, & contignatio, vtraque ſubiectæ forma ſimilis, ſed mole minor.

XXIII. *Ornatus tecti, & pauimenti.* Accedebant denique ornatus gratia, ſicut & in reliquis tectis omnibus vaſa quædam elegantis formæ, & precioſæ materiæ, cum floribus acuminatis, ad arcendas auiculas, vt ait Ioſephus. Non eſt tamen omittendũ huius præcipue porticus gentium, & vt videtur etiam atrii, quod ea pari latitudine claudebatur, pauimentum celebrari: [b] ſicut & columnarum capitella, & laquearia valde commendat Ioſephus. In hac enim porticu excipiebantur viri principes exterarum gentium, quibus vltra penetrare, ad porticus Iſraelitarum, & Leuitarum, non licebat; ſed inde tamen per apertas portas templum, & altaria; mare, lutheres, columnas æneas, menſas, & candelabra intuebantur; Denique à longe venerabantur. b Villalp. l. 3. c. 27.

Erant autem etiam exedræ in hoc atrio, in quibus & diu noctuque quieſcere, vt arbitror, & cibum ſumere licebat. Etſi Dominus hinc negotiatores eiecerit; quoniam in prophano loco ad templum tamen pertinente prophana negotia, & minime neceſſaria agi nolebat. Nihilominus cum in locis ſanctis, vt dicitur cibum ſumere licuerit Iſraëlitis, quidni idem licuerit Gentilibus in prophanis? præſertim cum multæ culinæ variis in templi locis extructæ eſſent. *Exedræ ad excipiendos peregrinos ex gentibus.*

SVPERSVNT Iſraëlitarum atria ſancta, & nobiliſſimæ porticus, quibus vndique admirabili artificio, & diſpoſitione cingebantur, de quibus meritò accipiuntur illa verba Dauidis: *Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.* Etſi enim reuera vnum erat atrium Iſraëliticum, vt opponebatur atrio gentium, & atrio Leuitarum; quia tamen multas areas, ſiue minora atria continebat, ideo de eo Dauid modo in ſingulari, modo in plurali locutus eſt. Pſal. 28. 2. *Adorate Dominum in atrio ſancto eius;* populum enim vniuerſum alloquitur, primitias, & decimas Domino offerentem; cui toti ius erat ingredi in hoc atrium, modo nulla immunditia interueniſſet. Et Pſal. 95. 9. *Tollite hoſtias, & introite in atria eius, adorate Dominum in atrio ſancto eius.* Vbi atria Iſraëlitarum, ab atrio Leuitarum videtur diſtinguere voluiſſe;

Pſal. 133. — XXIV. *Atrium, ſiue atria Iſraëlitarum.*

RVRSVS Pſal. 64. 5. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atriis tuis.* Quæ verba recte de Salomone à Dauide dicta videri poſſunt, iuxta ea, quæ de ipſo à Domino dicta referebat Dauid. [a] *Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea; ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem,* quæ electio ad ædificandum, iterum verſu decimo repetitur, & cap. 29. 1. Itaque in eodem Pſ. 64. mox de templo ſubditur. *Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate.* Gratulatur ergo filio ſuo, qui templum Domini, & atria ædificaturus ſit, & in illis aſſidue verſaturus, quæ ipſe ædificare incenſis deſideriis optauerat. Quo videtur referenda illa Pſal. 83. 2. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* Et mox verſu 11. *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia,* id eſt quam mille diebus in profanis ædibus, vnde ſequitur; *elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

XXV. *A Dauide celebrata.* — a 1. Paral. 28. 5.

DE his atriis perſpicue agit Ioſephus, [b] qui poſtquam egit de atrio, quod ſolos Sacerdotes, ſiue Leuitas admittebat. *Extra hoc ſeptum,* inquit, *erat fanum porticibus magnis, ac latis cinctum, & portis altis patens, quarum ſingulæ ſingulos ventos ſpectabant, & foribus auratis claudebantur;* Rufinus magis ad verbum, & formam atrii huius exprimendo, *Extrinſecus,* inquit, *huius templi aliam excitauit aulam quadrandalo ſchemate factam, erigens maximas porticus, atque latas, & portas excelſas, & amplas per quatuor mundi partes,* &c. Quod Ioſephus ἱερὸν dixerat, Gelenius fanum vertit, Rufinus aulã, quomodo & Septuag. paulo autem poſt vertit Sacrarium. *In hoc ergo Sacrario,* inquit, *omnis populus quibus purgatio, & obſeruatio legitimorum inerat, introibant.* Quibus verbis aptiſſime hoc atrium Iſraelitarum, quod & exterius dicebatur, ad differentiam Leuitici, repræſentatur. Aliis etiam nominibus appellatur. Nam à vulgata dicitur Baſilica; [c] *fecit etiam,* inquit, *atrium Sacerdotum, & baſilicam grandem, & oſtia in baſilica.* Et infra, [d] vbi Septuag. τὴν αὐλὴν τὴν μεγάλην, & τὴν αὐλὴν τοῦ ἱεροῦ. Hebræi ghazarah vocarunt, quod eſt auxiliari, opem ferre, quoniam in hoc atrium auxilii à Deo petendi gratia Iſraelitæ conueniebant.

b l. 8. c. 2. 3. — XXVI. — c 2. Paral. 4. 9. — d c. 6. v. 13. — *Atrium Iſraelis, baſilica grandis.*

HVIVS atrii formam quadratam fuiſſe, verba Ioſephi paulo ante allata aperte demonſtrant; quibus parum conſentanea ſunt, quæ idem libr. 6. belli cap. 6. de vnica porticu Salomonis dicit; vbi eum aliqui excuſare conantur, verius dixerim cum Villalp. vt ſupra quoque meminimus, [e] eum ſibi parum conſtare. Nec ſane mirum illum, qui tam ſæpe à Scriptura diſſentiat, à ſe ipſo etiam nonnunquam diſſentire. Hæc ergo quadrangularis atrii forma clare habetur apud Ezech. [f] *Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrij, & ecce atriolum erat in angulo atrij, atriola ſingula per angulos atrij.* Et cap. 42. [g] cum ſingulis huius atrii lateribus quingentos cubitos tribuat, non ſolum quadrata eius forma, ſed ipſius etiam ambitus intelligitur duûm millium cubitorum. Abulenſis in cap. 7. 3. Reg. ait omnes interpretes ponere hoc atrium quadratum.

XXVII. *Eius forma quadrata.* — e an Salom. 4. n. 21. l. 2. c. 18. — f c. 46. 21. — g v. 20.

NEC obſtat huic formæ quod rotundum dicatur in Scriptura, [h] rotundum enim ibi nihil aliud eſt quam circumductum. Septuag. & Hebr. & Chald. habent

h 3. Reg. 7. 12. — XXVIII. *Non rotundum.*

circum, vel in circuitu, & per omnem partem; abſtrahendo à quadrato, & rotundo. Et hæc eſt communis omnium expoſitio vt notat Pined. [a] ex qua etiam colligitur hoc atrium totam ambiuiſſe domum Dei, atque eius atrium interius, vt fuſe docet idem Pined. l. c. & Villalp. multis in locis; [b] Beda in lib. de templo. c. 6. vbi in hanc ſententiam prædicta Ioſephi verba ex Rufino affert, & Caſſiodorum in Pandect. Idem docet Viegas in cap. 11. Apoc. [c] Vatabl. [d] Adrichom. in ſua Ieruſalem, Barad. [e] Comeſt. [f] vbi ait hoc atrium fuiſſe diffuſum per circuitum circa atrium interius; longe tamen maius eo. Lyranus, Caietanus, & Dionyſius propterea illud atrium rotundum domui ſaltus libani aſcribunt, quoniam atrium templi, inquiunt, quadratum erat. Denique Azor. [g] exiſtimat veriſimilius non ſolum hoc, ſed vniuerſa atria ex omni parte templi fuiſſe.

[a] l 5. c 5. n. 122. [b] vel. 3 c 25. [c] Sect 3. n. 2. & 3. [d] 3. Reg. 7. n. 22. [e] t. 2. l 3. c. 30. [f] l 3. Reg c. 17. [g] l 6. c. 52. q 2

XXIX. *Situs eiuſdem atrij, & ambitus, ac diſtinctio.* Hoc ergo atrium totum, quod iam diximus quaterno ambitu duo cubitorum millia collegiſſe, porticum quandam, ſeu potius quadriporticum habebat, per quatuor latera circumductam, quaſi limbum quendam latum quinquaginta cubitis, per ſingulos ventos, ſiue cœli regiones. Ex quo fiebat vt area circumcluſa ſublatis vndique quinquaginta cubitis, quos occupabat hæc porticus, remaneret quadringentorum vndique cubitorum. Verum hoc ſpatium diſtinguebatur. Primo duabus porticibus, ab ortu in occaſum recta tẽdentibus, & æquidiſtantibus, tam à ſemuicem quam à limbo iam dicto, quæ erant latæ ſingulæ quinquaginta cubitis, longæ quadringentis. Secundo diuidebatur duabus aliis porticibus à ſeptentrione, ad meridiem, eiuſdem omnino longitudinis, & latitudinis cum proxime dictis; excepta tamen ea, quæ proxima erat limbo occidẽtali, quæ in medio interrumpebatur; eo quod in templum ipſum incurriſſet, vt ſupra dictum eſt, cum de templi fundamentis ageremus. an. Sal. 4. n. 31. & 32.

XXX. *Quadriporticus cum 9. areis.* Hoc atrium magnum ita diſtinctum nouem areas circumquaque efficiebat centenorum cubitorum per gradum ſingulas, ea ſemper excepta, quæ templo occupabatur. Ternæ orientem ſpectabant, totidemque meridiem, & ſeptentrionem: occidentem duæ angulares. Nam media earum templo tenebatur. In medio autem ipſo magni huius atrii, erat atrium interius, quod & Leuitarum dicebatur, æque areis, & porticibus præterquam ab occidente circumcinctum, quia ab occidente erat Sanctuarium.

& tribus portis. Lymbus ille magnus quem dixi, ſiue quadriporticus, tribus magnis aperiebatur portis, ab oriente, ſeptentrione, & meridie; ab occidente autem nulla. Erantque ſingulæ portæ in ipſo medio laterum, ſiue porticuum aream ambientium. Et reſpiciebant omnes recta linea atrium Leuiticum; Sed orientalis porta etiam intra ipſum templum, trans atrium Sacerdotum poterat intueri.

XXXI. *An etiam quatuor.* IOSEPHVS tamen quem paulo ante retulimus in atrio Iſraëlitico portas excelſas, & amplas per quatuor mundi partes conſtituit; ſed cum de templo Zorobabelis, ſiue Herodis ipſemet dicat [h] occiduam partem nullam habuiſſe portam, ſatis intelligi poteſt id factum, imitatione primi templi Salomonis. In fine autem cap. 32. lib. 3. Villalp. duplici ratione coactum ſe dicit ad auferendam portam occidentalem à media porticu. Prior eſt quod rationi ædificii repugnaret vt aperiretur porta, quæ medio poſti occidentali Sancti ſanctorum aduerſa eſſet. Poſterior autem, quod nefas etiam videbatur ab atrio gẽtium recta introire in atrium interius Sacerdotum. *Murus atrij Iſraelitici.* Illa eadem quadriporticus muro claudebatur ab extrinſeco, qui non admodum erat diſſimilis muro atrii gentium. Vterque enim calamum vnum craſſus erat: vterque feneſtris, & ſemicolumnis diametri cubitalis alternabatur; ſic vt inter feneſtras duas calami duo, inter ſemicolumnas duas, totidem calami reperirentur: quo fiebat vt feneſtræ, & ſemicolumnæ vtriuſque muri, omnino ſibi è regione reſponderent. Vterq; ſemicolumnam intus, & foris recta ſibi oppoſitam habebat; niſi quod murus gẽtium foris habuit quadratas non rotundas ſemicolumnas: vterque denique ſolidioribus etiam locis quibuſdam diſtinguebatur.

[h] l 6. Bell. c. 6.

XXXII. *Duæ oræ eiuſdem atrij. Pilæ arcuum ...le.* NAM cum hic limbus de quo agimus quinquaginta cubitos latus eſſet, duas habebat oras ſolidiores quam intermedia. Ora exterior eſt ille murus de quo agere cœpimus, interior vero totus contexebatur quibuſdam arcuum pilis, longis in ſuo veſtigio calamum vnum, latis apud ideam Villalpan. cubitos quatuor,

& octo

a apud Ezech. c. 40. 7. cub. 5.

a & octo cubitis inter ſe diſtantibus ſiue talamo vno, ſecluſis proiecturis. Sed hæ ipſæ pilæ in omnibus arearum angulis maiores, & ſolidiores erāt, & merito. Nam minores reliquæ duo arcuum initia ſuſtentabant, hæ autem angulares pilæ, quatuor paria arcuum initia fulciebant. Deinde in iſtis locis fabrica in maiorem aliquanto altitudinem erat excitanda.

XXXIII. *Aliæ pilæ in portarum thalamis.*

Istis angularibus pilis ſuppares erant aliæ, quæ latera portarum, tam in ingreſſu poſitarum, quam in egreſſu templum verſus fulciebant. (Erat enim tranſitus longus quinquaginta cubitis, quam ſcilicet lata erat ſua porticus.) Vt ergo redeamus ad oram noſtram exteriorem. Iſtis ſolidioribus tam angulorum, quam portarum pilis, reſpondebat in hoc muro craſſities maior, & prǫterea in quatuor eius angulis. Hæc porro moles ſiue craſſities muri maior, ab externa muri parte ornabatur duabus ſemicolumnis, ab eo cubitum extantibus, & à ſe inuicem calamum vnum diſtantibus: ab interna vero muri parte efformabatur in pilas, arcuum initia ſuſtinentes. Illa autem ora interior, quæ conſtabat pilis, etiam ſemicolumnis ornabatur; alteris alterius oræ rectiſſima linea reſpondentibus. Quod autem de limbo hoc magno, ſiue quadriporticu dixi, idem prorſus de interiectis porticibus minores areas efficientibus dictum ſit.

Duo columnarum ordines in ſingulis porticibus.

Cæterum his omnibus porticibus atrii Iſraelis, illud quoque commune erat, vt ſingulæ duobus ordinibus columnarum in medio diſtinguerentur, ſicque in ſingulis porticibus inferioribus tria erant ambulacra longiſſima vbique peruia, niſi quando portæ occurrebant. Ibi enim ianitorum cubiculis ſiue thalamis, ambulatio impediebatur. De quibus iam dicendum eſt.

XXXIV. *Portarum thalami ſiue cubicula.*

Portæ in limbo illo magno tres erant, quas diximus, ad ortum, meridiem, & ſeptentrionem; ſed iis aliæ tres eis omnino reſpondentes; in circuitu atrii Leuitici locatæ erant, ab ortu, meridie, & ſeptentrione. Quibus omnibus cōmune fuit, vt ternis vtrinque thalamis ornarentur, in quibus ianitores in excubiis erant, ad immundos Iſraelitas, omneſque gentiles arcendos. Hi thalami ſiue cubicula, & conclauia, inter duas quas dixi pilas longitudinem habebant latitudini parem, b & tria quæ deinceps erant, tantum à ſe diſtabant, quanta erat pilarum craſſitudo. Et habebant ſingulæ fornicem ſuum, ſingulæ ante & retro cancellis claudebantur, inſertis in proiecturas cubiti vnius, marginem vocat Propheta, peribolum Villalp. in paraph. ſingulæ ſibi oppoſitum è regione oſtium habebant ad veſtibulum reſpiciens, ſiue ad viam interceptam inter thalamos iſtos, quæ lata erat octo cubitis, vel decem, ſecluſis ſemicolumnis, & earum ſtylobatis; alta calamos duos, id eſt duodecim cubitos, & ſemis, quos Ezechiel vocat tredecim: c longa vero quinquaginta; quanta eſt totius porticus latitudo.

b Ezech. 40. 7.

Et eorum forma.

c ca. 40. v. 11.

Et interiecta via.

Huius quam dixi viæ, ſiue vt Propheta vocat, veſtibuli longitudo duabus claudebatur portis, altera exteriori, ad quam ex atrio gentium ſeptem gradibus aſcendebatur, altera vero interiori, quæ areæ æqualis erat. Hoc totum ſpatium portæ cum thalamis ſuis, & interiecto veſtibulo fuit latitudinis viginti quinque cubitorum, d longitudinis autem quinquaginta, vt diximus. De thalamis iſtis pluribus conſule Villalp. e nos redimus ad porticus.

d Ezech. c. 40. 11. e l. 3 c. 17.

XXXV. *Interna externaque facies quadripertitæ porticus.*

Earvm externa facies, quæ reſpiciebat atrium gentium, & interna, quæ ad aliquam aream conuerſa erat, perſimiles erant tam ſtructura, quā ornamentis. Nam in vtriſque ab imo podium excurrebat vſque ad portarum apertiones, ſtylobatis varie, & per certa interualla diſtinctum, altitudine calami vnius, ſiue cubitorū ſex & palmi, quod podii inter ſtylobatas ſpatium, cancellatis feneſtris decorat Vill. In ſtylobatis erigebantur columnæ, aut ſemicolūnæ potius cum baſibus ſuis, & capitellis, altitudinis viginti cubitorum, vna cum baſibus columniſque opere Corinthio, vt Ioſepho placet. Pictura palmarum, quam in his frontibus Propheta f commendat, tam in capitellis, quam in variis muri locis cernebatur, ſed id opus non pictorum, niſi forte ad inaurādum, ſed ſculptorum opus erat. Omnia enim è parietibus eminebant, tam iuxta feneſtras, quam in locis, in quibus ſoliditas muri feneſtras excluſerat. Singulis etiam feneſtris iſtis impoſuit Villalp. minores feneſtras orbiculares, ſuis etiam ornamentis, ſertis, & corymbis inſignes, vt plus lucis ad internam porticum admitteretur.

Eiuſque ornamenta.

f ca. 40. v. 16.

Et trabeatio.

Accedebat trabeatio, cuius erat ſumma pulchritudo. Nā epiſtylium, zophorus,

& in primis coronix, maximè ſunt capaces ornamẽtorum; in quibus tanto minus operæ, & ſumptibus pepercit Salomon, quo magis intelligebat hanc faciem atrii huius, omnibus gentibus, quæ vltra progredi non poterant, ſpectaculo fore.

XVI. *...ria eiuſ- ...m tabu- ...ta 60. ...bit.*

INDE ſequebatur primum tabulatum, quo per cochleas, ſiue gradus varios, variis in locis diſpoſitos, arearum præſertim angulis, aſcendebatur; duodecim appoſuit Villalpand. Inde ſurgebat ſecundus ordo columnarum, cum eodem omni apparatu, cum nonnulla tamen diminutione quantitatis columnarum, & conſequenter reliquorum omnium. Ideoque Ezechiel ait [a] gazophylacia in ſuperioribus humiliora fuiſſe; quod exigit Vitruu. [b] quem vide hac de re. Erigebatur hic nihilominus ſecundus ordo vſque ad quadrageſimum cubitum, & tertius vſque ad ſexageſimum. Et hoc dicit Ezechiel. [c] cum ait. *Et fecit frontes per ſexaginta cubitos*; frontem enim vocat externam faciem ædificii. Et hi ſunt tres ordines atrii maioris circumquaque obeuntis domum ſanctam, & atrium interius. Tres inquam ordines lapidum ſectorum, & politorum, quibus hoc atrium Iſraeliticum totum, circa omnes areas excitatum fuit; vt legitur in Scriptura. 1 [d]

a c. 41. 5.
b l. 5. c. 1.
c c. 40. 14.

...ine o di- ...es, & con- ...gnatio- ...es.

1 ☧.
d 3. Reg. 6. 36 & clarius c. 7 v 12.

XXVII. *...auimen- ...um, & ...azophila- ...a.*

VERVM antequam faſtigium his porticibus imponamus, obiter ſaltem earum interiora videamus. Primum conſtat tam porticus omnes, quam etiam areas pauimentas pulcherrimis precioſiſſimiſque lapidibus variorum colorum, vel porphyriticis, vel rudioribus etiã ſmaragdis; [e] neque vero ad pauimentũ erant gazophilacia, nec id affirmat Ezechiel [f] cum ait; *& eduxit me ad atrium externum, & ecce gazophylacia, & pauimentum ſtratum lapide in atrio per circuitum triginta gazophylacia in circuitu pauimenti.* Non enim dicuntur fuiſſe immediate ſuper pauimentum, imo ſtatim v. ſeq. dicitur, pauimentum fuiſſe inferius, gazophylacia autem ſuperius, ſupra primum tabulatum cedrinum. Deambulationi quippe deſtinatæ erant porticus, non gazophylaciis, ſed nec numerus triginta gazophylaciorum à Propheta traditus infimæ porticui quadrare poſſet. Quadrat autem ſecundæ contignationi, in omnibus iis porticibus huius atrii, in quibus ſunt portarum ingreſſus; quæ vnum gazophylacium tollunt. 2

e Vill. l. 3. c. 17.
f c. 40. 17.
2 ☧.

XXVIII. *...t quis v... ...s, & am- ...itudo.*

ERANT autem hæc gazophylacia non theſauris tantum aſſeruandis idonea, ſed humanis etiam vſibus. Exedræ enim, & cubicula, his quoque vocibus in hac fabrica intelliguntur. Erant hæc cubicula lata calamos duos, longa totidem, & via ante cubicula vtrinque poſita protendebatur, eiuſdem cum cubiculis latitudinis; 3 longitudinis vero quingentorum cubitorum, exceptis duobus vltimis muris, quorum ſinguli craſſi erant calamum vnam. Nulla eſt autem ratio, cur eadem, ſiue gazophylacia, ſiue cubicula, eademque via, in tertio tabulato non conſtituãtur. Ex quo ſequitur in duobus iſtis tantum ordinibus, per totum hoc atrium magnum, fuiſſe cubicula valde multa. Nam ſepoſitis ſedecim atriolis quadratis, quę ſub caſtellis erant in concurſu porticuum, quæ lumini, & commoditati viarum ante cubicula ſeruiebant; non numeratis etiam ſcalis ſedecim, quæ totidem cubiculorum loca occupabant, & iuxta prædicta atriola collocata erant, numerus cubiculorum inuenietur in ſecundo tabulato 340. In tertio autem totidem, in vtroque 680. Villalp. [g] numerat 712. ſed triginta duo reliqua in caſtellis poſita fuiſſe videntur; de quibus aliquid dicendum eſt.

3 ☧.
g l. 5. c. 60.

XXIX. *...aſtella ...rticuum ...aelis.*

NAM ſuper hæc tria tabulata, in omnibus angulis atrii Iſraelis, & in omnibus locis vbicumque duæ porticus concurrebant, ſaltem ſingularum porticuum frontibus & ſuper omnes portas erigebatur quartus ordo ſuper reliquum tabulatum, prominens duodecim cubitis: qui ſedecim quaſi caſtella efficiebat ita diſpoſita, vt ſingulæ areæ, in ſingulis angulis ornarentur. Itaque vniuerſa altitudo à pauimento atrii gentium computata fuit cubitorum octo & ſeptuaginta. Quod ſi quintus prædictis ordinibus annumeretur caſtellorum ordo, quibus eadem 16. caſtella altius erigebantur, quæ Villalp. poſuit in tabulis ſuis, quæ & præſidio erant, & circumſpectioni, & vero etiam ornamento egregiè ſeruiebant vniuerſarum turrium celſitudo cubitorum fuerit nonaginta, vt ait Villalp. [h] de quibus idem. [i] Certe turrium, & caſtellorum in templo meminit Ioſephus. [k] Licet enim ibi de primo templo non loquatur, conſtat tamen poſteriores templi reſtauratores, primam eius fabricam religioſe repræſentare voluiſſe.

h l. 5. c. 60.
i l. 3. c. 6 & l. 4. c. 74.
k l. 14 c. 8. ant. l. 6. c. 6. Bell. & l. 5. c. 9.

XL. *Atrium ſiue locus mulierum.*

4 σχ. a l.4.c.69.

Hoc in atrio ſeparatum aliquem locum mulieribus deſtinatum fuiſſe plerique cenſuerunt. 4 Villalp. [a] ait atrium mulierum in antiquo templo nullum fuiſſe, lege tamen, vel laudabili conſuetudine in more fuiſſe poſitum, vt mulieres ad porticum illam Sacerdotum atrio proximam non accederent. Rem explicatius habet Pineda, cũ quo exiſtimo ex tot porticibus, & areis Iſraëliticis aliquot aſſignatas fuiſſe mulieribus, ſiue id à Salomone primum conſtitutum fuiſſet, ſiue ſponte viri eis loca illa ceſſiſſent, ſed hominum poſtea licentia inualeſcente, & vel legem, vel conſuetudinem negligente, neceſſarius fuit murus, qui mulieres à viris ſecerneret, 5 cuius muri acceſſu factum fuit, vt mulierum locus atrium nouum diceretur. [b] Ita Genebr. in Chron. [c] & Vieg. in c.11. Apoc. [d]

5 σχ. b 2. Paral. 20 5. c an.3150. d ſect.3.n 9.

XLI. *Atrium Leuiticum.*

His de atrio exteriori explicatis, peruenimus aliquando ad interius atrium Leuitarum, atque Sacerdotum, aut potius maiori ex parte illud iam vna, eademque opera expoſuimus. Nam tria eius latera ſiue porticus, illud ab oriente, meridie, & ſeptentrione cingentes, cum magnis earum portis, veſtibulis, ſeniſque thalamis in atrio Iſraelitarum declarata ſunt; illius enim ſunt membra quædam, adeo vt Adrichom. in ſua Ieruſalem atrium Leuitarum, cum atrio Iſraelitarum confuderit; imo & ipſius templi veſtibulum interius. [e] Quæ tamen, omnes antiqui recentioreſque diſtingunt, & pro duobus atriis numerant. Et vt Ioſephum, quem ſupra retulimus, omittamus; certe in 3. Reg. [f] atrium interius ponitur, ex quo recte omnes inferunt aliud exterius. Et rurſum in eodem libro [g] tam atrii maioris, quam interioris fit aperta mentio. Sicut & 2. Paral. [h] ſub nominibus atrii Sacerdotum, & grandis baſilicæ. Et apud Ezech. [i] identidem ſub vulgatis nominibus atrii interioris, & exterioris.

e vide n.87. f c 6.v.36. g c 7.v.12. h c.4.v.9. i c.40.& 42.

Diſtinctu ab Iſraelitico.

XLII. *Eius forma.*

k c.40.v.7.

Eivs forma quæ fuerit ſatis declaratur ab eodem Propheta: [k] *Et menſus eſt atrium*, Sacerdotum ſcilicet filiorum Sadoc, de quibus ibi loquitur, *longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum*; erat quippe omnino par, & æquale ſingulis aliis octo areis atrii maioris, excepta templi area, quæ reliquis longior erat quinquaginta cubitis. Sed eandem etiam aream magis deſignat Propheta, cum ſubdit in illa fuiſſe *altare ante faciem templi* quod in atrio Leuitico fuiſſe nemo ambigere poteſt. Sed quid faciemus pleriſque ſcriptoribus, qui atrium hoc, totum templum ambiiſſe cenſuerunt, quod de quadrata hac area dici non poteſt. Reſpondeo atrium interius dupliciter ſumi, primo quidem preſſius, & viſitatius, & tum centenis tantum cubitis, vt Propheta dixit, quemadmodum reliquæ areæ Iſraeliticæ, circumſcribitur.

An ſanctuarium ambiret.

XLIII. *Et qua ratione.*

Secvndo latius vt comprehendat etiam totum ſpatium in quo templum ipſum conſtructum erat; nam viginti vndique cubiti templum inſuper ambiebant, vt affirmat Ezech. [l] Quod ſpatium recte atrio Leuitico attribui poteſt, ſiue quia illuc Sacerdotibus tantum, & Leuitis penetrare licebat, ſiue quia perexigua diſtinctione, eaque peruia duobus in locis, alterum ſpatium, ab altero ſeparabatur. Accedebat quod hoc geminum ſpatium, vno eodemque ſepto à vulgi loco, ſiue Iſraelitico atrio ſeiunctum erat. De quo ſic Ioſephus. [m] *Circumdedit deinde templo ſeptum quoddam trium cubitorum altitudine, quod noſtra lingua giſon vocamus, excluſurum prophanam multitudinem, & ſolos Sacerdotes admiſſurum.* Hoc ſeptum intelligi nequit de peribolo diuidente atrium interius, à templi loco, de quo Ezechiel, [n] quia peribolus hic non excludebat populum: quippe qui ad illum vſque non tranſibat. Itaque nomine templi Ioſephus totum locum ſanctum Leuitis ſolis permiſſum comprehendit. Libro etiam 15. ant. [o] *Tertium*, inquit, *ſpatium intimum ſolis Sacerdotibus acceſſibile. In eo templum erat, & ante illud altare in quo hoſtias immolare Deo ſoliti.* Ergo eodem ſepto tam templum quam atrium interius, in quo erat altare, continebatur. 6

l c.41.v.10. m l.8.c.2. n c.42.10. o c.14.ſub fin.

Septum giſon vbi poſitum.

6 σχ.

XLIV. *Eius longitudo, & altitudo ex Ioſepho.*

Eivs longitudo fuit 250. cubitorum, quanta ſcilicet eſt longitudo duarum arearum, & latitudo vnius porticus, ſiue quod eodem redit, quanta eſt atrii Leuitarum, & areæ in qua ſanctuarium eſt longitudo, per quatuor vero latera ſeptingentorum; altitudo vero trium cubitorum, vt ex Ioſepho [p] conſtat; qui tamen alibi [q] vnius tantum cubiti hoc ſeptum conſtituit. *Templum autem*, inquit, *areamque cingebat ex pulcherrimo ſaxo lorica gratiſſima vſque ad cubitum ſurgens* quæ

p l 8. ant.c.2. q l.6.Bell.c.6. τειχίον ὑψος.

populum à Sacerdotibus ſegregabat. Paulo etiam ante eodem capite, ſeptum aliud ponit ante atrium Iſraëlitarum. *Qua vero*, inquit, *ad ſecundum templum ibatur, cancellis ſeptum ſaxeis ad tres cubitos altis, nimiumque grato opere factis*, &c. Dubiam ergo reliquit nobis Ioſephus huius ſepti altitudinem, niſi dicamus in templo Salomonico, eam trium cubitorum fuiſſe, in Herodiano vero vnius. Quod tamen ne Iudæorum quidem nobiliſſimis transgredi licebat, vt ait idem 2. lib. contra Apionem.

XLV. *Refectoria.*

PORTICVS omnes quibus adhærebat hoc ſeptum, & proximè templum, & atrium Leuitarum cingebant, variis Sacerdotum, & Leuitarum vſibus dicatæ erant. Nam vt habet Villalp. in ſecundo veſtigio generali, ad latus ſeptentrionale, & auſtrale templi ſancta erant refectoria, in quibus ſanctificatis cibis ex lege veſci permittebatur. *Cantorum habitatio.* Ad orientem vero erat Cantorum habitatio, vnde recta in templũ intueri, & ibi facilius audiri poſſent; idque confirmatur ex 2. Paral.[a] vbi Cantores ad orientalem plagam in templi dedicatione collocantur. His cantoribus de ſeptem exedris, ſiue cubiculis, quina media deſtinata erant: duo autem extrema Sacerdotibus: & quidem extremum verſus meridiem, cuſtodiæ templi, alterum autem verſus aquilonem, cuſtodiæ altaris.[b] In his enim exedris erant ſemper Sacerdotes aliqui per vices, qui templum cuſtodirent, & qui altaris holocauſtorum, in quo ignis perpetuo conſeruabatur, curam gererent. Id perſpicuum eſt ex Leuitico:[c] *Ignis, inquit, in altari ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubyciens ligna mane per ſingulos dies, & impoſito holocauſto deſuper, adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficit in altari.* Quem ritum Dæmon æmulatus voluit perpetuum à Veſtalibus ignem ſeruari.

XLVI. *Conſilium ſeniorum.* *Cubicula virginum.*

PONIT etiam Villalp. circa atrium Leuiticum, ad meridiem cõſilium ſeniorum iuxta ea quæ habentur, 1. Paralomenon,[d] *Obededom, inquit, & filius eius ad auſtrum,* in qua parte domus erat ſeniorum concilium, ad ſeptentrionalem autem porticum cubicula ſanctarum virginum. Sed de iis nihil ipſe dixit, res tamen per quam credibilis fit ex eo, quod etiã olim mulieres ad oſtiũ tabernaculi excubuiſſe conſtat,[e] de quarũ ſpeculis fecit Moyſes labrũ æneum, cum baſi ſua. Perſeuerabatque ea conſuetudo temporibus Heli;[f] imo & Chriſti Domini, quando de ipſius matre ſanctiſſima, grauium ſcriptorũ teſtimonio conſtat, ipſam triennio præſentatã ibi vſque ad deſpõſationem cũ B. Ioſepho, perſeueraſſe: qua de re vide apparatũ Baronij, & Mariale Caniſij, noſq; ipſi aliquid ſuo loco dicturi ſumus. Hic autẽ deinceps de iis, quæ in hoc Leuitarũ atrio ad Dei cultũ collocata erant, dicendum eſt. In quibus ſunt altare holocauſtorum, luteres, mare æneum, & ſi quæ ſunt alia.

XLVII. *Altare holocauſtorum.* *[Eius] ſitu,*

PRIMVM porro locum ſibi vendicat altare, in ipſo medio atrio Leuitico poſitũ, ſicut olim altare æneum extra tentorium tabernaculi fuit.[g] Et ratio plane exigebat, vt ſub dio hoc altare poneretur, & non intra templũ: Nam perpetuus fumus, & laquearia templi aurea, & parietes ipſos deformaſſet: ſed & in maximis ſacrificiis non leue periculum incendij attuliſſet: propter eaque in media area centenorum cubitorum, collocari oportuit hoc altare, vt omnes circumquaque porticus periculo vacarent. Ita porro collocatum fuit, vt ſex omnino portis rectà reſponderet, binis ab oriente, totidemque tam ab auſtro, quam ab aquilone. *[&] nomina. Ariel.* Dictum eſt altare holocauſtorum, à nobiliori ſacrificiorum genere: quæ ibi offerebantur Deo, licet etiam reliquæ victimæ ibi ſacrificarentur. Sæpe vocatur Ariel, quæ vox tum mons Dei, propter altaris altitudinem, tum leo Dei, quod victimarum quaſi prædarum ſanguine perpetuo maderet, verti ſolet; vel certe à leonum figuris quas circumſculptas per ſingulos angulos putat Villalp.[h]

XLVIII. *Quæ eius materia.*

QVALE porro id fuerit, quæ ſcilicet eius materia, quæue forma breuiter dicendum eſt. Nam quæ de altari holocauſtorum Moſaïco alibi diximus, pleraque huc referri poſſunt.[i] Et primum æneum fuiſſe Scriptura teſtatur, ſicut & Moſaicum;[k] eoque etiam nomine ab aureo thimiamatis altari diſtinguebatur. Quod æs cum de ciuitatibus Adarezeris bello à Dauide ſubacti deuectum legamus, & ab eodem Domino ſanctificatum in tẽpli vſus,[l] precioſum admodum, ac nobile fuiſſe creditur. Eo certe ære à Salomone factũ legimus, mare æneum, & columnas, & vaſa ęnea,[m] in quorum vaſorum numero altare æneum, & luteres[n] fuiſſe nemo dubitat. Is autem hoc æs auro precioſius habitum fuiſſe

a c.5.v.12.
b Villalp. l.3.c.40.41.42.
c ca.6.v.12.
d 26.15.
e Exod.38.8.
f 1.Reg.2.22.
g Exod.40.v.5.26 27. Ioſep.l.3. ant.c.7.
h l.4 c.76.
i an Moſ. 81 n.472.& ſeqq.
k 2. Paral. 4.1. 3.Reg.8.64.
l 2.Reg.8.11.
m 1 Paral. 18 8.
n Ioſephus id ait lib 7. ant.cap 6.

ſcribit, [a] ab iis ſcilicet hominibus, qui affectu præpoſtero magis quam ratione ducuntur; neque enim ſuum in eo iudicium Ioſephus protulit, ſed retulit alienum, vt ex Græco etiam patet. Qua de re pluribus egit Pineda, [b] negatque fuiſſe æs Corinthium ex plurium confuſione metallorum conflatum, ſed naturale, quod aurichalcum Scriptura vocat. [c] Eius porro tantam in hoc altari vim fuiſſe colligit Villalp. [d] vt pluſquam viginti talentorum millia pependiſſe putet; id eſt libras 2500000. duos milliones, & quingenta millia.

a lib. 7. c. 6. ant.
b l. 5. c. 5. n. 66.
c 3. Reg. 7. 45.
d l. 4. c. 83.

XLIX. *Quæ forma.*

QVOD ad formam attinet id primum ſatis conſtat, æneum illud quidem totum fuiſſe, ſine vlla admiſtione ligni, vel lapidum, nec alterius metalli, niſi ſicubi forte inauratum fuit; non tamen propterea ſolidum fuiſſe, ſed inane, & vacuum intrinſecus, quale iuſſus fuerat excitare Moyſes. [e] Arbitraturque Villalp. [f] totum altare ex æneis tabulis minimum quatuor digitos craſſitudine fuiſſe compactum. Totum vero altaris, & crepidinum corpus, quatuor angularibus quadratis columnis æneis duorum palmorum craſſitudine contineri; quibus æneæ tabulæ pariter affigerentur ſurſum, deorſumque: haud aliter quam de lignis in aureo altari dictum eſt; vt ea eſſent altaris ipſius, quaſi oſſa, & firmamenta. 8

e Exod. 27. 8.
f l. 4. c. 83.

8. ✠.

L. *Baſis eius qua, & crepido nouiſſima. Crepido maior.*

IMA pars huius altaris fuit baſis quædam duorum cubitorum altitudinis, quæ crepido nouiſſima dicitur, [g] vltra procurrens quam moles imponenda; & inſtar eſt plinthi in ima columnarum baſi, aut ſtylobatæ; quanquam plinthi minores ſunt, ſtylobatæ autem maiores. Hoc altaris fulcrum introrſum retrahebatur in ſumma ſui parte, & faciebat gradum latum cubito vno. Huic crepidini, ſiue baſi altaris, impoſita erat alia latitudine minor, ſed altitudine duplo maior: quatuor enim cubitis ſuper illam erigebatur, & retrahebatur, ſicut & prior introrſum vno relicto gradu vnius cubiti latitudinis per omnia latera; quæ prominentia coronidis loco erat, tam vtrique crepidini, quam altari. Vtriuſque crepidinis ſpatium medium, quaſi zophorum variis inſculpſit Villalpandus Cherubinorum formis, multum eminētibus; ſertis etiam, & corymbis ornauit, quomodo reliqua templi ſupellex ſolebat ornari, vt de luteribus conſtat.

g Ezech. 43. 14.

LI. *Ipſum altare.*

VTRIQVE huic crepidini ipſum altare, ſiue Ariel impoſitum erat, altitudinis quatuor cubitorum; ex quo ſurſum attollebantur per quatuor angulos cornua quatuor, altitudinis vnius cubiti ſingula, vt habent Septuag. [h] nec videntur fuiſſe diſſimilia cornibus altaris aurei, ſed proportione maiora. Ipſum porro altare quadratum erat duodecim vndequaque cubitorum, vnde conſequenter crepido maior quatuordecim, minor ſedecim in latum tendebatur. Cæterum tam crepido vtraque, quam altare dimidio cubito extra lineam perpendicularem procurrebat, vt coronis in trabeationibus; vnde & corona dicitur ab Ezechiele. [i]

h in Ezech. 43. 15.
v 18.
i c. 43. v. 17.

LII. *Foſſa ad imum eius.*

AD imam crepidinem altaris foſſa fuit ſiue ſinus, vt ab eodem Propheta appellatur, in marmoreo pauimento circumquaque exciſus, in formam ſemicylindri: ne ſi quadratus eſſet, ſanguis hæreret in angulis. In hanc enim foſſam cubito vno altam, & altero latam victimarum ſanguis à Sacerdotibus rite fundabatur, qui per ſubterraneos cuniculos deriuabatur in torrentem Cedron. Notauit Viegas in cap. 11. Apoc. & Villalp. [k]

k l. 4. c. 35.

Ex Comeſtore.

Hanc tamen foueam aliter fabricatur author hiſtoriæ ſchol. [l] *Et erat*, inquit, *ſub altari fouea grandis, in quam per foramen in medio altaris poſitum cineres deſluebant, & ſanguis qui ad crepidinem altaris fundebatur, influebat in eam. Quandoque vero mundabatur fouea, per feneſtram, quæ erat ad orientem.* Hæc ibi. Sed de loco cinerum ſub altari alibi dictum fuit, pertinet enim ad loca ſubterranea; vide de hac feneſtra Villalp. [m]

l 3. Reg. c. 18.
m l. 4. c. 81.

LIII. *Sinus, & tubi ad defluxum aquæ, & ſanguinis.*

HVC pertinent quæ tradit Ariſtæas apud Euſeb. [n] *De Hieroſolymitanis inquit aquis Ariſtæus in libro de interpretatione legis Iudaicæ hac ſcribit. Templum ad orientem reſpicit, poſteriora eius ad occaſum, omne pauimentum lapide ſtratum, & idoneis in locis habet ſinus, ſiue foſſas,* (ſic enim [illegible] hic recte vertas) *ad defluxum aquarum, quibus ſanguis ſacrificiorum. detergatur. Multæ enim pecudum myriades diebus ſolemnibus adducuntur ad ſacrificium. Aquæ enim indeficiens adeſt collectio, quaſi ex copioſo fonte intrinſecus naturaliter defluēte.* (Agit Ariſtęas de mari ęneo, quod ęquiparat fonti, non autem inducit in templum fontem naturalē, ſed pergit) *Adeſt & copia admirabilium, & inexplicabiliū receptaculorum ſub terra, quinque vt apparebat ſtadiorū ambitu ad tēpli fundamēta, & ex his innumerabiles habet omni ex parte tubos, ſiue fiſtulas fluxui accipiendo aptas, ad pauimentum, & muros plūbo coagmentatas.*

n l. 9. præp. c. 4.

LIV. *Vſus piſcinæ probaticæ, ſiue Betheſdæ.*

PVTAT autem Tolet.[a] has omnes aquas, in probaticam piſcinam ad radices montis Moria poſitam, defluxiſſe. Et D. Hieronym. de lo. Hebr. in Betheſda, ait ſuo tempore eo loco oſtendi duos lacus, quorum vnus hibernis pluuijs adimpleri ſoleret, alter mirum in modum rubens, quaſi cruentis aquis antiqui in ſe operis ſigna teſtari. *Nam hoſtias in eo lauari à Sacerdotibus ſolitas ferunt, vnde & nomen accepit.* Hæc ibi. Alij tamen non improbabiliter putant, hoſtias prius à populo, antequam in templum aſcenderent, in ea piſcina fuiſſe ablutas, rurſus autem in templo à Sacerdotibus, tam antequam iugularentur, quam poſtea, vnde aqua cruentabatur. Sed de his ſatis. Vide Adrichom. in ſua Ieruſalem. n. 62.

[a] 1. li. c. 5. Ioan. 5. an. 3.

LV. *Peribolus foſſæ altaris.*

HIC ſinus corona, ſiue ſepto, cuius erat longitudo viginti cubitorum per latera ſingula, cingebatur. Cum enim crepido nouiſſima ſedecim cubitos occuparet; foſſa vero vtrinque ſingulos, fiebāt 18. adde oram foſſæ geminam, vtrinque palmi vnius, fient 19. vigeſimum autē ipſa corona explebat. Erat enim alta ſemicubitum ſiue palmū maiorem, qui eſt duodecim digitorū, quem Septuag. σπιθαμὴν vocarūt, & extentionē habet palmæ, à ſummo pollice vſq; ad extremū auricularem; cum παλαιστὴ minorem palmū quatuor digitorum ſignet: & ſicut reliqui templi periboli, ſtylobatis, ſiue arulis diſtinguebatur, paris latitudinis, lōgitudinis, & altitudinis, quas inter cācelli decuſſati tendebātur. Æneę huius coronę, ęnea enim erat, ſicut altare totū, geminus erat vſus, tū ne incauti ad altare accedētes in foſſam collaberentur, tum ne foſſa victimarū ſanguine ſacra, ambulantium pedib. pollueretur.

palmus duplex. — σπιθαμὴ, παλαιστή.

area coronæ.

LVI. *Foramina in foſſa.*

SVNT *& apud aræ baſim,* inquit Ariſteas in libro de Septuaginta interpretib. *frequentes aperturæ, omnibus quidem, niſi iis qui miniſtrant, incognitæ.* In ima ſcilicet foſſa, quæ à remotis videri non poterat, quippe quæ prædicta corona obumbrabatur, illæ autem aperturæ innuunt hanc foſſam æneis laminis circumueſtitam fuiſſe, idque exiſtimat Villalp. *Quarum influxu, & impetu,* ait Ariſteas, *omnis ex hoſtiarum multitudine purgetur cruor.* Ex deſcripti vero altaris huius ab Ezechiele magnitudine, facile intelligitur quam ſimile, aut potius idem templum Salomonis, à Propheta repræſentetur; cum de hoc altari legamus.[b] *Fecit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.* Quibus ſimillima habet Ioſephus.[c]

Salomonis, & Ezechielis idem altare.

[b] 2. Paral. 4. 1. [c] l. 8. ant. c. 2.

LVII. *Craticula huius altaris.*

SED nondum altaris ipſius partes expleuimus, ſupereſt enim craticula, quam in Moſaïco holocauſtorum altari, Dei iuſſu fabrefactam, nequaquam Salomon neglexit. Eam ſatis accurate explicauimus anno Moſis 81.[d] à qua nullomodo nobis nunc diſcedendum putamus. Itaque omiſſa Villalpandi craticula, quam minime contemnimus, exiſtimamus maiorem crepidinem craticula ænea tectam fuiſſe, vt ſuper eam, & ligna, & hoſtiæ imponerentur. Ipſi autem craticulæ ipſum ariel, ſiue altare imponebatur, eique inſidebat, eratque vacuum inſtar fornacis, niſi quatenus lignis, ac victimis replebatur ad ſacrificia. De annulis ad Moſaïcam craticulam additis, non affirmo eos Salomonico altari adiectos; ſiue quia alio transferendum non erat, ſiue quia immenſum eius pondus, ipſum non permittebat transferri; niſi forte myſterij cauſa, ad innuendum altaria & ſacrificia Iudæorum, ad alios transferenda, vt ſupra ſignificauimus.

[d] n. 472. & ſeqq.

...n habuerit ...nnulos.

LVIII. *Et gradus propter altitudinem.*

SVPERSVNT ipſius altaris gradus, quos ad orientem verſos ait Ezechiel.[e] Decem cubitorum altitudini neceſſarios fuiſſe gradus facile res ipſa docet, ſiue ad ligna ſubijcienda hoſtiæ, ſiue ad hoſtiam lignis iniiciendum. Id enim paucorum opinor fuit quod narrat Ariſteas, de quibuſdam Sacerdotibus altari miniſtrantibus, roboris excellentiam, dexteritatemque oſtentantibus. *Sumptis enim,* inquit, *duorum vitulorum cruribus, quæ pondo ſupra duo talenta ſunt,* non ſunt hæc talenta Hebraïca, ſed attica fortaſſe, *mira in altum dexteritate ſic decenter proyciunt, vt nunquam à loco aberrent, ſimiliter ouium, caprarumque pondera iaciunt.* Sic ipſe. At reliqui libenter gradibus vtebantur. Quod ſi cuiuis gradui ſex digitos demus, aut octo, ita vel triginta, vel quadraginta gradus huic altari dabimus, ſi eos ad ſummum vſque altaris conſtruamus, quod neceſſe non fuit.

[e] c. 43. v. 17.

LIX. *...n id con...a legem ...ſet.*

AT illud dubitandū videtur, quomodo non repugnet hic diuinę legi Salomon, in qua aperte ſcriptum eſt. *Non aſcendes per gradus in altare meum, ne reueletur turpitudo tua. Non prohibentur,* ait Caiet ibid; *gradus pauci alieni ab huiuſmodi periculo.* At hic etiam multi erant, nec videtur huiuſmodi periculū habuiſſe locū, ſiue in multis gradib.

ſiue in paucis; cum ſacerdotibus abſque feminalibus ſacrificare fas non eſſet, vt patet Exod.28.42. vbi ſub mortis interminatione iubentur vti feminalibus ſacerdotes, cum appropinquabunt ad altare, & quidem lege filiis Aaronis, in perpetuum ſancita. Qua de re fuſius Hieronymus ad Fabiolam; vult ergo, vt notauit Lyranus ibid. Abul. & Villalp. [a] & ante eos D.Thom. [b] non reuelari turpitudinem ſuper altare, more perditiſſimorum Priapi ſacerdotum, qui ſeſe in ipſo altari denudantes impuriſſimæ nequitiæ ſuæ teſtes, & imitatores aucupabantur. Quæ expoſitio non parum confirmatur, ex eo quod in hebræo habetur, vt non detegatur turpitudo tua ſuper illud, ſic Pagninus: quomodo etiam habent Chald. & Septuag.

a l.4.c.79. b 1.2.q 102. a.4 ad 6.

LX. *Ratio altitudinis.*

GRADIBVS etiam vſos fuiſſe Iudæos in altari Moyſis plerique opinantur, licet non eſſet niſi tribus cubitis altum, maioribus ſcilicet & ſacris, vt vult Villalpan. qui facile hominis ſtaturam æquabant; etſi probabilius Abulenſis, aliique gradus non admittunt, ſed terram vndique velint æquabiliter in tumulum, in quo erat arca aſſurrexiſſe. At ſi prior opinio admittitur, quanto magis huic altari neceſſarii fuerunt gradus, quod triplo altius fuit, vt eo etiam magnificentius quo eminentius foret; & ex magna diſtantia facilius cerni poſſet. Diſtabat autem populus, qui pecudes ad ſacrificia offerebat, centum cubitis; tota ſcilicet latitudine porticus, & media latitudine areæ. Et quamuis demus eos veniſſe vſque ad ſeptum atrii interioris, quinquaginta tamen cubitis à media area, in qua erat altare diſtabant.

LXI. *Falsitur Ioſeph. in loco altaris.*

c l. 20. ant. c vlt. d l.8.c.2.

VERVM in hoc altari corrigendus nonnihil videtur Ioſephus; quod tamen verecundius ſuſcipio aduerſus Moſaicum ſacerdotem legis ſcientiſſimum, vt ipſe de ſe fatetur. [c] Nam poſt enumeratum mare æneum, [d] decem luteres cum baſibus ſuis altare æneum cum vaſis eius, menſam propoſitionis, & altare aureum cum candelabro; ſubdit, *Hac omnia continebat anterior illa templi pars, quadraginta cubitos longa, & velo diſparata ab adyto.* ταῦτα πάντα εἶχεν τεσσαράκοντα πήχεων οἶκος πρὸ τοῦ καταπετάσματος τοῦ ἀδύτου. Verum hoc altare, vt de cæteris taceam, in medio atrii interioris, & ſub dio fuiſſe omnes conſentiunt. 9 Atenim dicat aliquis cum Pineda. [e] Ioſephus ipſe aliquanto poſt in eodem cap. 2. altare æneum pro foribus templi poſitum fuiſſe dicit, vt apertis illis in conſpectu eſſet ſacrificiorum magnificentia. Verum ea verba eundem eius errorem aperiunt: Nam ſi ita pro foribus templi erat hoc altare, vt extra illud eſſet, & non intra, quid opus erat illis apertis, vt in conſpectu eſſet ſacrificiorum magnificentia?

9. ex. e l.5.c 5.1. 136.

LXII. *Explicatur*

NIMIRVM Ioſephus cum plurimam templi ſupellectilem confertim, ac confuſè congeſſiſſet, prædicta verba imprudenter inſeruit, quæ toti præcedenti enumerationi conuenire non poterant. Et mox fores templi dixit, quæ erant fores atrii Iſraelitarum. Rectius ac verius idem alibi aram hanc à templo ſeparat, & pro templo ponit. Addit quoque in prima templi parte, quadraginta cubitos auulſa hæc tria mirabilia opera fuiſſe, candelabrum menſam, & thuribulum, ſiue altare aureum. Sed mirum eſt quod ſubdit in intima templi parte, quæ viginti cubitorum erat, nihil prorſus fuiſſe poſitum, inacceſſam, & inuiolatam, & inuiſibilem omnibus habitam; in qua tamen arca erat cum Cherubinis, & propitiatorio, denique lib.15.ant.cap.14.cum de templo Herodiano loquitur ait in tertio ſpatio intimo, quod à ſolis ſacerdotibus adiri poterat, templum fuiſſe, & ante illud altare, in quo hoſtias immolare Deo ſoliti.

l.6.de bel. c.6. κερατοειδεῖς,

LXIII. *Cornua altaris.*

CORRIGENDVS ſecundo ſi cornua altaris pro angulis eiuſdem altaris ſumit, cum ait quadratam aream veluti cornutis angulis eminuiſſe, κερατοειδεῖς προανίσχων γωνίας; certe anguli non eminebant, ſed in angulis attollebantur ex imo quidam quaſi obeliſci; vt clarius ex altari aureo intelligitur. Et cum his altaris cornibus cubitum vnum altitudinis tribuant Septuaginta, anguli altaris tam eminentes, ſine inſigni deformitate, non potuiſſent efformari: Accedit quod Ezechiel de hoc ipſo altari mox agens [f] aperte cornua ab angulis diſcernit.

in Ezech c 43 15. f verſ 20. g l.6.bel c 6

LXIV. *Ioſephi amplificationes. De altaris magnitudine.*

CORRIGENDVS tertio quod [g] dicit hanc aram quindecim cubitis altam fuiſſe, longam vero, & latam cubitis quadragenis; ὕψος ἦν. αὐτος ἐκ πεντεκαίδεκα πήχεων μῆκος τεσσαράκοντα πήχεις· cum autem quadrata eſſet, vt ipſe fatetur ibid. latera ſingula erant quinquaginta cubitorum, quæ fuerunt viginti duntaxat; & totus aræ ambitus non

octoginta cubitis vt oportuit, ſed ducentis cubitis tendebatur. Nam credibile non eſt vel Eſdram, vel Zorobabelem, aut etiam Herodem, tantum ſibi in altari ſumpſiſſe, vt omnem eius dimenſionem ita peruerteret, ſed quoniam ibi cœperat in immenſum augere omnia, vt cum lapides templi quadraginta quinque cubitorum facit, portas quinquaginta, & 55. atque adeo 70. cubitis altas, viginti quinque latas, & racemos ſtatura hominis, ex aureis pampinis dependentes, noluit in altari à ſuſcepta fingendi libertate diſcedere. Sed iamdudum tempus eſt, vt ab altari ad mare æneum tranſeamus.

LXV. *Mare aneũ, vſque forma.* DE hoc mari ita Scriptura. [a] *Fecit quoque*, Hiram ille Tyrius Salomonis iuſſu, *mare fuſile decem cubitorum à labio vſque ad labium*, hæc erat diameter ſiue linea per tranſuerſum dimetiens, *rotundum in circuitu, quinque cubitorum altitudo eius, & reſticula*, id eſt funiculus [b] *triginta cubitorum cingebat illud per circuitum*, intelligendum eſt, fere; quia diameter ad circumferentiam ſe habet, vt 7. ad 22. non ad 21. ſcriptura minutias negligit. Abulenſ. in hunc locum 3. Reg. ait 31. cum dimidio. Sed pergit: *Et ſculptura ſubter labium cingebat illud, decem cubitis ambiens mare.* Quomodo decem cubitis ambiebat mare, quod triginta cubitos in circuitu colligebat? Expoſitionem ſuggerit li. 2. Paral. [c] *Decem cubitis*, inquit, *quædam extrinſecus cœlaturæ, quaſi duobus verſibus alũum maris circuibant.* Significat, ex quo loco iſtius vaſis ambitus, quod ſemper auguſtabatur verſus fundum, colligebat decem cubitos, ex eodem cœlaturas ornamenti cauſa adhibitas.

a 3. Reg. 7. 23. b vt 2. Par. 4. 2. c 4. 3.

LXVI. *Et cælaturæ, ſtriæ.* CÆLATVRÆ dicũtur ſculpturæ ſtriatæ, in 3. Reg. & duo verſus explicantur, totidem ordines. Vt ergo in ſtriatis columnis tertia pars altitudinis quæ proxima eſt baſi, ſtrias habet, ſed non ex cauatas, reliquum autem longitudinis veras habet ſtrias, ſiue canaliculos; ita hæc ima pars maris; vnde tertia pars ambitus eius incipiebat bipertito diuiſa, quaſi duos ordines ſtriarum habuit, quales Villalp. expreſſit.

c. 7. 31. 42.

Qui etiam iuxta hebræum colocyntas addidit ſub labio maris, nullo certo numero; etſi Ioannes Benedictus ſecutus Vatablum trecenta tubercula, dena in ſingulis cubitis addi voluerit. Cæterum prædictam expoſitionem attingit Comeſtor. Sed caue accipere hiſtoriatarum, pro ſtriatarum quod non cauit Dionyſ. Hugo, Rupertus, Lyranus, ac ne Abulenſis quidem; qui ſyncopen hic inuſitatam agnoſcit.

h. 3. Reg. c. 18

LXVII. *Euſdẽ pes & ſubiecti boues.* ADDIT etiam Villalp. huic mari baſim, qualem pedem craterum videmus, ipſamque baſim duodecim boum dorſis imponit. Improbante ſine ratione Torniello iis hominis altitudinem tribuit Eupolemus, licet boues non nominet, *labii porro baſes*, inquit, *fecit teretes opere fuſorio duodecim, ſtaturæ hominis altitudine, ſtatuitque eas ſub labrum, à dextris altaris.* Sed Scriptura boues nominat, eoſque ſolidos eſſe oportuit, ne pondus maris aqua pleni, in hanc illamue partem aliquo caſu atque impulſu euerti poſſet. Et quoniam non ingrediebantur in ipſum mare lauandi ſacerdotes; nam & id periculoſum erat in tanta aquæ vi; & indecorũ, ſi ſuperuenientes in aqua polluta lauarentur: Sub ipſis boum pedibus pollubrũ conſtituit, in quod aqua per canales è mari deriuaretur. Canales autem boum ori immiſſos vult Azor, [d] & Ioannes Benedictus, neque id difficile fuit, licet boues ſolidi eſſent, eademque lotis manibus, pedibuſque, per occultos meatus eiiceretur. Certe Eupolemus apud Euſebium ait Salomonem feciſſe coronam ad baſim huius maris, eminente cubito, vt ſacerdotes aſcendentes pedes manuſque abluerent; & quoniam aſcenſus quoque meminit Eupolemus, recte Villalp. huic pollubro, vnum atque alterum gradum ſuppoſuit. Quibus facile conijcere licet ſummum maris huius labrum ad duodecim à pauimento cubitos aſcendiſſe; pondus autem habuiſſe octo millium, ſexcentorum, & quadraginta talentorum, vt computat Villalp. [e]

a r. 8. 5 æta. n 3.

Pollubrum, canales.

d l. 6. c. 30 q 3. e l. 5. c. 38.

LXVIII. *Craſſitudo maris* AT duo hic dubia ſuperſunt de craſſitudine maris huius ſiue luteris: Nam hoc quoque modo appellatur [f] trium vnciarum dicitur craſſitudo eius. In 2. Paral. 4. 5. dicitur palmi vnius, at palmus etiam minor quatuor digitorum eſt. Reſpondeo vtrobique tam in hebræo quam græco haberi palmum, & tres vncias videri poſitas pro triente, quod quatuor vncias ſiue digitos habet. Alterum eſt quanta eſſet huius maris capacitas, quæ dicitur [g] cepiſſe duo millia ba-

f 1. Reg. 3.

& capacitas.

g 3. Reg. 7.

tos. 2.autem Paral. tria millia metretas, ſiue vt in hebræo eſt batos. Caiet.quem ſequitur Ribera, [a] & Serarius in hunc locum, vult minorem illum numerum pertinere ad aquam, qua in communi vſu impleri ſolebat, maiorem vero ſignificare aquam, quam omnino capere poterat. At durum eſt ſine dubio tam laxe dimenſam eſſe capacitatem huius maris in vno loco, vt tertia parte reuera fuerit maior quam dicatur, præſertim cum tertia iſta pars, non quid modicum ſit, ſed mille maximæ menſuræ.

a l.2.de tẽp c.16.

RESPONDEO igitur cum communi ſententia, quæ eſt Lyrani, Abulenſis, Dionyſ. Hug. Villalp. [b] Azoris, [c] duo fuiſſe genera batorum, alterum maius, quorum duo millia caperet mare, alterum minus, quod cum proprio careret nomine græco metretæ ab interprete appellatum fuit in lib. Par. eratque inter vtrumque proportio ſequialtera, vt duo maiores, tres minores batos æquarent. Itaque cum Ioſephus ait hoc mare cepiſſe batos tria millia (ſic enim habetur in græco, & recte vertit Rufinus batos, non recte Gelenius congios, nam metreta capit congios duodecim, & ſextarios 72. at congius ſex tantum ſextarios. Vide pluribus has menſuras apud Villalpandum loco citato) de minore bato intelligendus eſt.

b t.3.p.2.l.3. c.8.
c l.6. c.50. q.2

SEQVVNTVR luteres ænei, qui & labra, & conchæ, & pelues dici ſolent, lebetes etiam vocauit Chaldæus, Septuag. χυτροκαύλους, vel etiam κυθρογαυλεῖς, [d] qua etiam voce vtitur alicubi Ioſephus, Hebr. ciroth. id eſt conchas, quæ voces tum ab ipſo lauandi vſu, vel fine, tum à forma nomen acceperunt. Dicuntur enim conchæ, propter ſimilitudinem cum aliquo concharum genere. Audi enim Plin. [e] *In conchis*, inquit, *magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concauis, longis lunatis in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, leuibus rugatis, denticulatis, ſtriatis,* &c. Itaque exiſtimat Villalp. [f] Vas huiuſmodi fuiſſe patens, nec valde profundum marinæ conchæ inſtar; ſtriatum etiam ornatus gratia, & recuruo ſeu repando labio, ſicut & mare; & ſculptura ſub eodem. Formam eius rotundam ait Ioſephus λουτῆρας στρογγύλους, idque non male colligitur ex rotundo concharum pede. [g] Harum concharum diameter erat quatuor cubitorum, capacitas quadraginta batorum, non congiorum, vt iterum non recte vertit Gelenius. Non recte etiam Ioſephus, ibidem his luteribus altitudinem quatuor cubitorum tribuit, quod Torniellus [h] bene refutat ex comparatione cum mari æneo. Ideoque Villalp. vix vnius cubiti altitudinem ei tribuit. Hanc concham proxime ſuſtinebat pes vnus baſi adhærens, rotundus, cuius diameter in imo, erat pedis vnius cum dimidio, in ſummo pedis duntaxat, in quem pedem inſerebatur ipſa concha, quæ in eum finem in fundo habebat extrinſecus quoddam quaſi collum ſiue caput, quod iſti inſertum pedi concham retinebat firmiter ſuper baſim ſuam.

d 3. Reg. 7
e l.9.c.33.
f l.5.c.30
g 3.Reg.7. 31.
h an. 8.5. ætat. n.4.

BASIS autem hæc forma erat, iuxta Scripturam, Ioſephum & Villalp. Primo erectæ ſunt quatuor columnæ, per totidem angulos diſpoſitæ, quadrangulæ quibus latera baſium vtrinque inſerebantur; cum autem ipſa tota machina, ſeu baſis quatuor eſſet cubitorum longitudinis, vt ait Scriptura, [i] non quinque vt habet Ioſephus; latitudo etiam quatuor; hæ columnæ intrinſecus æneis craſſioribus laminis colligari debuerint. Quoniam vero hæc latera tripertita erant vt ait Ioſephus, duas interangulares adiecit columellas Villalpandus; in quarum incaſtraturas latera eminentibus cælaturis ornata, inſererentur, [k] effigie ſcilicet leonis, tauri, vel aquilæ, pro quibus maluit Villalp. quadriformes cherubinos cum palmis in ſimilitudinem hominis ſtantis; iuxta Scripturam adſculpere, [l] ſed opere valde eminente, vt non cælata, ſed appoſita per circuitum viderentur.

i 3.Reg.7. 27
k v. 28.
l v.36.

HÆC tota baſis tabulato tecta erat, ſiue pluteo quem cingebant coronulæ quo nomine peribolum intellexit, & pinxit Villalpand. ei ſimilem, quem in imo altari æneo excitauit; cui fauent Hebræi, qui clauſuras habent pro coronulis plexis. In medio hoc tabulato ſub pede luteris erant ſculpti leones, boues, & Cherubin, id eſt capita ſingulorum cum alis, quæ quaſi humeris pedem luteris ſuſtentarent. Poſtremo ſubter baſim inter rotas erant quaſi lora ex ære dependentia, id eſt, capita leonis, tauri, hominis, aquilæ in ſingulis lateribus ſingula, quales ſunt metopæ in zophoris doricis; quibus capitibus vtrinq; quaſi mutu

additi erant, vt à medio capite ad extremum mutulum, ſiue modiolum ſertum cum fructibus, foliiſque, quaſi quoddam lorum dependeret. Reliquæ ſunt ſingulæ, in ſingulis angulis rotæ, omnibus ſuis partibus conſtantes, quales in curru Cherubim viſebantur; ſuper quem erat arca Domini, vt innuit Chaldæus, altitudinis vnius cubiti cum dimidio, quæ ſicut erant æneæ, ita æneis axibus coniungebantur, ad machinam totam quaſi humeris ſuſtentandam, & cum opus foret circumferendam. Cum autem baſis alta dicitur tribus cubitis, intelligitur vna cum rotarum parte media, ipſa autem concha per ſe cum pede ſuo, vno fere cubito attollebatur.

Rota.

LXXIII. *Concharũ pondus.*

CÆTERVM pondus luteris cuiuſque, cum baſi ſua tota expendens Villalp. [a] colligit fuiſſe circiter duum millium talĕtorum Deni autem luteres viginti millium. Quo vero loco collocati fuerint ita refert Scriptura: [b] *Et conſtituit decem baſes quinque ad dextram partem templi, & quinque ad ſiniſtram.* Non dixit in dextra, vel ſiniſtra templi parte, quia non erant in templo, ſed in atrio, quod erat ad orientale latus templi, vt ait Chald. vel ad humerum templi, vt hebræus textus, & Septuaginta. At cum de columnis paulo ante loqueretur, non ad porticum templi locatas dixit, ſed in porticu. [c] Ex quibus quæ paulo ſuperius, cum Ioſepho diſputabamus, [d] facile confirmari poſſunt.

a l.5.c.39.6. *b 3. Reg. 7. 39.* *Situs.* *c 3. Reg. 7. 21.* *d n.59.*

LXXIV. *Muſach ſabbathi.*

EARVM diſpoſitionem vide in atrii interioris veſtigio apud Villalp. vbi videbis etiam mare æneum conſtitutum ad dexteram partem templi contra orientem ad meridiem, cui è regione ad ſeptentrionem opponit, quod vocat Muſach ſabbati, quo nomine quid intelligatur apud ipſum inuenire non potui.

Legitur autẽ 4. Reg. [e] vbi dicitur Achaz Muſach ſabbati, id eſt tentorium ſuſtuliſſe, ſub quo ait Vatabl. & Sa totum ſabbathum quieſcebant, qui hebdomadæ ſuæ munere perfuncti, poſtridie abituri erant; ſed illi ægre aſſentior, cum tot porticibus, & exedris atrium illud cinctum eſſet; in quibus ſacerdotes & cibum, & ſomnum capiebant.

e c.16. 18.

Lyranus refert ex Rab. Salom. fuiſſe hoc tentorium in porticu templi magnifice apparatum, in quo ſedebat Rex in diebus Sabbathi, & ſolemnitatibus magnis, cui expoſitioni aliquam vmbram præbent Septuag. Sed quidquid ſit ſatis conſtat hoc tentorium tempore Salomonis in templo, aut atrio non fuiſſe.

LXXV. *Octo menſæ pacificorum, & holocauſtorũ.*

QVATERNAS etiam menſas pacificorum, & totidem holocauſtorum ponit ex cap. 40. 39. Ezechielis Villalpandus, [f] quæ appoſitæ eſſent ad portam meridianam, & aquilonarem atrii interioris, in quibus hoſtiæ immolabantur, carnes diuidebantur, & ſecernebantur, quæ Deo, ſacerdoti, & offerenti obueniebant. Hæ menſæ de lapidibus quadris extructæ erant, longitudine cubiti vnius, & dimidii, parique latitudine, & altitudine cubiti vnius; [g] Accedebat etiam labiũ palmi vnius, quæ erat quadam dilatatio menſæ, vndique palmi vnius vltra longitudinem, & latitudinem ipſius menſæ, quæ cymatia ab architectis vocãtur. Addunt etiam hoc loco Rabini, & hebraïzantes vncinos vnde ſuſpenderentur hoſtiæ, & excoriarentur: de quibus vide Villalpandum. [h] Accedebant harum menſarum, ſicut & altaris, maris & luterum innumerabilia vaſa, & inſtrumenta. Regius etiam ille Salomonis ſuggeſtus, qui [i] dicitur poſitus in medio baſilicæ, id eſt in area orientali atrii Iſraëlitarum directe reſpiciebat altare holocauſtorum [k] cuius longitudo, & latitudo quinque cubitorum fuit, altitudo trium; materia ænea, ornamenta quæ regiam magnificentiam, & reliquam templi maieſtatem decerent, de quibus nihil eſt neceſſe pluribus agere, ne inſtituti noſtri iamdudum obliti eſſe videamur. [l]

f l.3.c.37. *g verſ.42.* *Earum inſtrumenta.* *h l.3.c.39.* *i 2.Par.6.13* *Suggeſtus Salomonis.* *k 3 Reg.8. 22.* *l vid. Rib. l. 2. de temp. c.21.*

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 6.

1 N.xxxiv. SEd quid eſt quod in iſtis locis, præter tres lapidum politorum ordines, fit etiam mẽtio vnius ordinis cedri? Nihil aliud hæc locutio ſignificat, vt docet Villalpandus l.5.c.9.& poſt eum Pineda de Salom. l.5.c.5.n.133. quam ſingulos ordines lapidum, & columnarum ſingulis ex cedro contignationibus, ſiue tabulatis fuiſſe diſtinctos. Vide etiam 1. Eſdr. 6.3.4. Vbi tres ordines tum lapidum, tum lignorum ponuntur. Adde Ioſephum, l.6.bel.c.6.circa latera vero inferioris templi, multa erant membra peruia, triplici tecto ſuſpenſa, & ad vtrumque latus, imo & ad omne latus.

2 N.xxxvii Quod multo apparatu docet Villalpandus, tum aliis in locis, tum denique l.3.cap.28.& 29.init. & fine. In reliquis vero porticibus, quæ cingunt quatuor angulares areas, & quæ ambiunt atrium Leuiticum, is gazophylaciorum numerus cõuenire non poteſt. Nam in illis triginta duo reperientur, in his autem tantum viginti & vnum.

3.N.xxxiix Vt ait Villalpandus l.5.cap. 60.vide tamen Ezech. cap.42.4.& ibi Villalpand. l.4.c.66. Sed præcipue ſecundum templi veſtigium, vbi vult viam fuiſſe in media porticu, ſecundum longitudinem; vtrinque autem fuiſſe cubicula.

4. N.IXL. Quos ſequitur Pineda, l.5.c.5.n.127.in quibus eſt etiam Barad.t.2.l.3.cap.29.& Azor.l.6.cap.53.q.1.fin.& Ribera, l.1.cap.16.n.21.& Viegas in cap.11.Apoc.ſect.3.n.9. Comeſtor tamen lib.3.Reg.c.16.atrium fœminis plane diuerſum aſſignat, quod eſſet ſub atrio Iſraëlitarum, & huiuſmodi videtur templum à Ioſepho lib.2.contra Apion.deſcribi, vbi teſtimonium appellat eorum qui id templum viderunt. Villalpand. l.3.c.28.citat quoſdã Rabinos, qui ſecundum tabulatum in atrio Iſraëlitarum eis attribuant.

5. N.XL. Ioſephus lib.15.cap.14. ſub fin. viros à ſuis coniugibus, non ſeparat in Iſraëlitico, ſicut nec lib.2.contra Apionem. Libro tamen 6. de bell. ca.6. neceſſario namq; ait, proprius locus religionis cauſa mulieribus deſtinatus muro diſcernebatur.

6. N.XLIII Illud porro γεισὸν, ſiue vt libro 6.bell.c.6.habetur γεισίον, à Ioſepho θριγκὸς vertitur, à Gelenio ſeptum, & lorica, à Rufino maceria, aut cancellus nuncupatur. Eam vocem γεῖσον videtur mutuatus Ioſephus à Septuag. qui ea non ſemel in Ezechiele, & Ieremia in fine vſi ſunt, vt cap.43.v.13.pro quo D.Hieronymus ibi definitionem, & paulo infra coronam vertit. Aquila vero Symmachus, Theodotio terminum. *Cuius verbi γεῖσος non poſſum ſcire rationem*, ait ibi Hieronymus, *nec cuius linguæ ſit dicere confidenter.*

Leo Caſtrus, Ariel arietem expiationis interpretatur in c.29.Eſaiæ, contra quem diſputat loco cit. Villolp. & cap. 77. ait hoc altare forma, & diſpoſitione leonem retuliſſe. Leonina enim crura inquit habebat pro pedibus: vnde emanaſſe exiſtimo, vt in veterum aris pedes, & leonini vngues effingerẽtur. Sed quoniam omnia inſtrumenta Salomonici templi Cherubinorum formis, vt poterant referta erant, altare quoq; bouillam faciem, cum leonina repræſentabat hanc pedibus, illam vero cornibus; vnde ſequitur, & ab Ariel vſque ad ſurſum cornua quatuor. Hæc ibi. 7.N.XLVI.

Scio Comeſtorẽ dicere hoc altare æneum factum ex lapidibus impolitis, & circumtectum ære. Alii lignis conſtructum, vt altare æneum, & deinde laminis æneis obtectum putant. Quidam dixerunt vacuum quidem fuiſſe altare, ſed repletum terra, vel etiam lapidibus. Sed lapides & terra, & ligna, in hac Salomonis magnificentia ſuperflue videntur inuenta; nec præceptũ Domini de huiuſmodi altari excitando ad omne tempus referendum eſſe docere poſſunt; cum datum eſſet peregrinantibus Iudæis, & prope quingentis annis templo cariturís. Vide tamen Ariſtæam, qui ait non ſectis, ſed crudis lapidibus hoc Salomonis altare confectum, apud Villalp.l.4.c.78. 8.N.IL.

Iuxta Scripturam, vt ſupra diximus, & in 2.Paralipo.7.7. Comeſtor, lib.3.Reg.cap.18. & 14.Beda lib.de templo Salomonis, cap.16. Hugo, in c.7.3. Reg. Azor, l.6.cap.51.q.1.Barad.l.3.c.31.Adrichom.in Ieruſ. n.88.Ribera, l.1.c.16.& ſeqq.Viegas in cap.11. Apoc.ſect.3. n.6. Villalp.in omnibus tabulis ſuis, Pineda, libro quinto, capite quinto, num.136. Torniellus quintæ ætat.anno 8.& paſſim omnes ad vnum. 9.N.LXI.

ANNVS MVNDI 3028. DILVVII 1372 QVINTÆ ÆTATIS 89. SALOMONIS 9. SADOCI PONTIFIC. 8. FVNDATI TEMPLI 6. ARCÆ IN SION 39. TROIÆ EXCISÆ 157. EVPALIS 38. ET VL. IMPERII ASSYRIORVM. 1097.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1025.

Eupalis mors.

AFFECTA iam valde, ac pene perfecta erat templi Salomonis fabrica, cum Eupales, ſiue Eupacmes Rex Aſſyriorum Euſebio trigeſimus quintus, Africanus trigeſimus quintus, in imperio, atque in viuis eſſe deſiit; cum regnum tenuiſſet annos triginta octo, in quo numero ambo conſentiunt, & cæteri deinceps Chronologi. Quo ipſo anno regnare cœpit ſextus Latinorum Rex Alba Siluius, Æneæ Siluii filius, apud eundem Euſebium in chron.

ANNVS MVNDI 3029. DILVVII 1373. 5ᵉ. ÆTATIS. 90. SALOMONIS 10. SADOCI PONTIF. 9. FVNDATI TEMPLI 7. ARCÆ IN SION 40. TROIÆ EXCISÆ 158. LAOSTHENIS I. IMPERII ASSYRIORVM 1098.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1024.

SVSCEPIT imperii Aſſyriorum habenas hoc anno Laoſthenes ordine trigeſimus primus Euſebio, Africano trigeſimus ſextus, vt proxime ſignificatum eſt; diſcrimine orto ex omiſſione quatuor Regum ab Euſebio, qua de re dictum eſt anno mundi 2921 qui fuit Thinæi primus, tenuit autem ex vtriuſque conſenſu annis quadraginta quinque. Memoratur hic annus abſolutæ fabricæ templi Salomonis. Nam dicitur [a] Salomon ædificaſſe domum Domini annis ſeptem; perfectionem nihilominus totius operis ad ſequentem annum pertinere iam ſexto Salomonis anno dictum; [b] iterumque initio ſequentis dicetur. Hoc autem tempore tanti operis magnificentia, & Regis, qui illud mundi miraculum conſtruebat maieſtas, ac ſapientia, longe lateque fundebatur.

[a] 3. reg. 6
[b] n. 1

ANNVS MVNDI 3030. DILVVII 1374. 5ª. ÆTATIS. 91. SALOMONIS II. SADOCI PONTIF. 10. FVNDATI TEMPLI 8. ARCÆ IN SION 41. ET VL. TROIÆ EXCISÆ 159. LAOSTHENIS 2. IMPERII ASSYRIORVM 1099.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1023.

OCTO huius anni menſes in perficiendo templo poſiti ſunt, vt initio anni ſexti Salomonis diximus, iiſque expleti ſunt ſeptem anni cum dimidio, quos tenuit ædificatio. Sed dimidium hoc Scriptura intermiſit in numero ſuo, etſi menſes illi ſex ex eius narratione neceſſario deducantur; [a] eodemque anno eius dedicatio celebrata eſt.

a 3. Reg. c 6. v. 37.

Interim autem dum templo, vel atriis, vel ſupellectili ſacræ extrema imponitur manus, illata ſunt vaſa in templum Domini. Id Scriptura teſtatur. [b] *Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ ſanctificauerat Dauid pater ſuus, argentum, & aurum, & vaſa, repoſuitque in theſauris domus Domini.* Idem totidem pene verbis habetur 2. Paral. 5. init. Vbi primum dicitur vniuerſa vaſa illata in domum Domini, poſtea vero congregatos maiores natu ad dedicationem. Quod autem intuliſſe dicitur, ſupponit curaſſe ea deferri ex loco in quo Hiram ea fabricatus fuerat, *In campeſtri regione Iordanis fudit ea Rex in argilloſa terra inter Sochoth, & Sarthan*, [c] vel Saredata. [d]

b 3. Reg. 7 51.

c 3. Reg. 7. 46.

d 2. Para. 4. 17.

RECTE elegit eum locum Rex pro ſua ſapientia, & rerum naturalum eximia cognitione, argilla enim quæ maxime, & præ metallis omnibus igni reſiſtit, fuſioni aptiſſima eſt: nec tamen prorſus, & inuiolabiliter reſiſtere, docet experientia; nam excocti lateres nimio ardoris incendio liqueſcunt, & defluunt, & ferri duritiem, & pondus frigefacta imitantur. Videntur porro illic tantum fuſa vaſa, quæ ex ære, ſiue aurichalco conſtabant, vt aperte Scriptura docet. Nam enumeratis omnibus vaſis æneis ſubdit, [e] *omnia vaſa, quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant. In campeſtri regioni* Iordanis *fudit ea Rex, in argilloſa terra*, &c. Deinceps autem vaſa aurea enumerat verſu 48. altare, menſam, candelabra, &c. Sic etiam in 2. Paral. [f] ait omnia vaſa, quæ fudit Hiram fuiſſe ex ære mundiſſimo; ſignificat nimirum Scriptura aurea vaſa, & argentea non fuiſſe fuſa, ſed conflata ex laminis aureis: itaque crebro legimus Regem veſtiuiſſe, texiſſe, operuiſſe auro, vel laminis aureis pleraſque res ex auro autem vel argento fudiſſe, nunquam; nimirum videntur hæ laminæ conflatæ Hieroſolymis. Hæc porro duo loca ſita erant olim in tribu Gad, trans Iordanem, vt videre eſt apud Adrichom. ibid. n. 43. & 44. etſi Abulenſis [g] ea cis Iordanem in tribu Iuda collocet. Sed Sochoth præ aliis eiuſdem nominis, celebris eſt Patriarcha Iacobo fundatore, [h] qui ibi tabernacula fixit, vnde loco nomen: vt notat ille Hieronymus.

e in 3. Reg. 7.

f 4. 16.

g in cap. 7. 3 Reg.

h Gen. 33. 17

NON eſt autem dubium quin multum temporis abierit, in traducendis tam vaſtis molibus columnarum, luterum cum baſibus ſuis, maris ænei, & duodecim boum fuſilium, altarium, & aliorum vaſorum id genus; quæ magnis machinis eguerunt, ſiue vt Iordanem traiicere, ſiue vt Hieroſolymam deferri, ſiue in ſummum templi montem eleuari poſſent. Sed tanta fuit induſtria Regis ſapientiſſimi, & peritiſſimorum artificum; tanta multitudo operarum, & machinarum copia, quibus in maximis trabibus, & ingentibus ſaxis, & columnis transferendis iam vſi fuerant toto ſeptennio, vt tota res præſtituto tempore fere præparata eſſet ad templi dedicationem, ſummo apparatu celebrandam. Fere dixi, quoniam omnia fuiſſe tantum abſoluta menſe Bul qui eſt 8. conſtat ex 3. Reg. [i] I

I. 67.
i cap. 8 2

IV. *Captata temporis ad dedicationem commoditas.*

ELEGIT hoc tempus Rex captata populi commoditate, vti fuſius diſputat Abulenſis, [a] ne is ſumptibus, & labore vexaretur, ſi iterum octauo menſe conuocaretur, qui etiam alioqui ſeptimo menſe Hieroſolymam ad feſtum tabernaculorum celebrandum debuit conuenire. Nam [b] *à quintodecimo die menſis ſeptimi*, inquit Moyſes, *quando cōgregaueritis omnes fructus terræ veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus, die primo, & die octauo erit Sabbathum, id eſt requies.* Satius autem fuit vno circiter menſe anteuerti dedicationem, licet modicum quid ad totius perfectam operis abſolutionem deeſſet, quam vel populum grauari, vel ſine populi frequentia dedicationem fieri, vel eam ad ſex menſes, vſque ad paſcha differri, cum populus iam intepeſcente feruore Hieroſolymam rediturus eſſet. Quamuis autem ſolemne eſſet toti populo, eo tempore Hieroſolymam locum a Deo electum conuenire, ſicut in Paſchate, & Pentecoſte: Rei tamen dignitas, & magnitudo poſtulabat, vt quamuis extraordinaria conuocatione populus minime fatigandus videretur, ſpecialis tamen à Rege conuocatio fieret, ad Encæniorum primam, maximamque celebritatem.

a 3 Reg 8. q.4.
b Leu.23 39.

V. *Conuocatur populus.*

POST *hæc*, inquit Scriptura, [c] *congregauit maiores natu Iſrael, & cunctos principes tribuum, capita familiarum de filiis Iſrael in Hieruſalem;* per iſtos autem tanquam per magiſtratus, etiam populum aduocauit. Vnde Ioſeph. [d] *Salomon Rex per literas iuſſit magiſtratus, ac ſeniores Hebræorum totum populum Hieroſolyma congregare, ad ſpectandum templum.* (Imo cohoneſtandam frequentia ſua conſecrationem eius) *& ad transferendam illuc arcam Deo ſacratam. Denuntiataque omnibus profectione Hieroſolyma ſeptima demum menſe conuenerunt.* A prima ſcilicet denuntiatione & indictione conuentus, vt vult Pineda, [e] quæ facta fuerit menſe Martio, qui erat Hebræis anni principium.

c 2.Par.5.
d l.8.c.2.
e l.10.c.5 n 155

VI. *Quādo, & quomodo.*

EA tamen non videtur fuiſſe Ioſephi mens; ſed nec Scripturæ, cum ait. [f] *Conuenitque ad Regem Salomonem vniuerſus Iſrael in menſe Ethanim, in ſolemni die; ipſe eſt menſis ſeptimus;* Anni ſcilicet in quem cadit ſolemnitas tabernaculorum. Nec opus fuit tam mature fieri denunciationem in regno non latiſſimo, ſatiſque potuit populus in Pentecoſtes feſto præmoneri in proximam tabernaculorum, quæ ſimul foret Encæniorum, ſolemnitatem, quo fit vt ſuperfluas illas Ioſephi literas putem, ad indicendam hanc celebritatem. Mallem Chaldæi præconem ad conuocandum in alterutra ſolemnitate populum; & præmouendum in tempus tabernaculorum. Hunc præconem ex Caldæo memorat Pineda loc. cit. ſed lo. cit. nondum inueni.

f 3.Reg 8.

VII. *An dedicatio inchoata die 15. menſis ſeptimi.*

DVBIVM eſt autem an octiduo ante feſtum Encæniorum, id eſt octauo die ſeptimi menſis cœpta ſit hæc noua ſolennitas, an decimo quinto, qui erat ex lege ſacer feſto tabernaculorum. Leuit. 23. [g] ſic vt feſtum vtrumque ſimul celebratum ſit. Et videri poteſt poſterior hæc ſententia, quam ſequitur Abulenſis, [h] ſatis conſentanea Scripturæ, quæ [i] habet Salomonem feciſſe ſolennitatem hanc ſeptem diebus, & in die octauo collectam; in die autem vigeſimo tertio menſis 7. dimiſiſſe populos ad tabernacula ſua: quaſi dicat, decimo quinto inchoauit, vigeſimo primo expleti ſunt ſeptem dies, vigeſimus ſecundus fuit dies collectæ vigeſimus tertius demiſſionis. Et ita videtur ſentire Beda in lib. de templo, [k] vbi allato proximo loco Paral. *Sicque poſt vnam ſeptimanam*, inquit, *adueniente menſe octauo, perfecta inuenta eſt domus Dei:* Operibus eius videlicet vniuerſis, & ipſa dedicatione prius completa, quam aduenirET menſis octauus, non autem quam inchoaretur feſtum tabernaculorum, de quo ibi nulla mentio. Ioſephus quoque ait [l] incidiſſe in hoc ipſum tempus ſcenopegiam, feſtum apud Hebræos ſanctiſſimum, & maximum.

g c.23.39.
h in c.8 3. Reg.q.1.
i 2.Par.7.9
k ca.17.
l l.8.ant c.2

VIII. *An potius octauo.*

NIHILOMINVS vera, certaque eſt prior ſententia, quam [m] ſecuti ſumus anno Moſis 81. Nam eodem loco Paral. habetur. *Fecitque die octauo collectam, eo quod dedicaſſet altare ſeptem diebus, & ſolennitatem celebraſſet ſeptem diebus, id eſt quatuordecim diebus.* Hæc ibi, eodemque modo in Hebræo, Græco, Chaldæo. Non potuerunt abſolui quatuordecim dies vigeſimo primo menſis, & dimitti populus vigeſimo tertio, niſi inchoaretur octauo menſis, non decimo quinto. Eademque eſt omnium interpretum ſententia, nec repugnat Beda, licet ibi de

m in 2 tom n.708.

tabernaculorum ſolennitate, quæ ad templum non pertinebat, tacuerit. Quod autẽ Ioſeph. de eodem tẽpore dixit de menſe, nõ de hebdomada intelligẽdũ eſt.

IX. *Iſne Septẽber, an Octeber.*

a 2. Par. 7. 9.

Octavo ergo die menſis 7. ſiue Ethanim, altaris halocauſtorũ dedicatio, ſimulque [a] ipſius templi inchoata eſt, id eſt, octauo Septembris, vt ait Sà ibidem: quod ſupponit nouilunium tunc incidiſſe in primam diem Septembris. At Sethus Caluiſ. contendit encænia facta primo Octobris feria tertia. Feſtum autem tabernaculorum octauo Octobris. Populum vero, qui die vigeſimo tertio ad ſua rediit, rediiſſe decimo ſexto Octobris feria quarta. Sed hæc pro diuerſitate Chronologiæ neceſſe eſt variari, vt vmbram moto corpore, & numeros auctis imminutiſue quibuſque rebus, ſicut & annorum periodis. Menſis porro Ethanim, ſiue fortium, qui ſic dicitur inquit Villalp. propter fructus arborum, & fruges quæ collectæ eo menſe reponuntur in horrea: fructibus ſiquidem confirmatur cor hominis, humana quoque vita roboratur. Ioſephus vocat Thouri in græco, & verſione Gelenii, Rufinus legit Theſeri, ex quo facile eſt ſuſpicari legendum eſſe Tiſri, quod vocabulum 7. menſis poſteriores Hebræi frequentarũt.

X. *Cogitur populus ad arcæ tranſlationem.*

b 3. Reg 8. 1. & 2. Par. 5. 2
c vt anno eius 10. n. 11 diximus, & 211. num. 14 1. Para. 13. 5. & c. 15 3.
d 2. Par. 5. n 5.
e an. 8. 5. ætat. n. 20.
f 3. Reg. c. 8. q. 5.
g 2. Pa. 7. 10

In die ſolenni.

Altaris, & templi dedicationem anteceſſit tranſlatio arcæ ex arce Sion, in Sanctum ſanctorum. Is enim quaſi primarius finis ponitur congregationis huius; [b] vt alias Dauid ad eandem tranſlationem populum ſemel iterumque conuocauit. [c] Quod autem dicitur veniſſe in die ſolẽni menſis 7. non eſt intelligendus dies ſolennis tabernaculorum, qui cadit in decimum quintum diem, ſed dies huius dedicationis, qui ab eo tempore factus eſt ſolennis, quæ eſt Vatab. ſententia [d] & Torniel. [e] licet eum diem Toſtat., [f] primum tabernaculorum, Diony. feſtum expiationis interpretetur: quod non cõuenit, quia ſic non celebrata fuiſſet dedicatio per 7. dies, cum id feſtum in decimum diẽ cadat, neq; id cum bis ſeptem diebus Scripturę recte congrueret. An autem iſtius dedicationis feſtum deinceps actum fuerit non liquet, licet Genebr. & Sigon. in vigeſimo tertio die ſeptimi menſis ponant encænia templi Salomonis, quo die non egit feſtum diem populus, ſed peractis omnibus ſe in viam dedit. [g] Hoc quidem certum eſt, feſtum Encæniorum, cuius eſt mentio in Euangel. non ad Salomonis, ſed Machabæorum dedicationem pertinere, quæ hyeme celebrabatur, & nono menſe, qui dicebatur Caſleu, vigeſimo quinto die menſis. [h] Illa vero in autumno menſe Ethanim, ſiue Tiſri octauo die menſis. Vide Riber. lib. 5. de templo, cap. 18. & Serar. in eum locum Machabæorum.

h 1. Mach. 4 52 59.

XI. *Transfertur arca cũ tabernaculo.*

i 3. Reg. 8. 3

Translationis huius pompa [i] ita deſcribitur. *Veneruntq; cuncti ſenes de Iſrael, & tulerunt arcam Sacerdotes; & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, & ferebant ea Sacerdotes & Leuitæ.* Arcã videlicet ferebant Sacerdotes; tabernaculum, & vaſa Sanctuarii Leuitæ, qui erãt numero plures, & dignitate inferiores, aut vt addit Vat. ex Hebræorum tradit, Leuitæ tulerunt arcam in Sancta, Sacerdotes in Sancta ſanctorum; quod dictum eſt propter illũ locum 2. Par. [k] *Portauerunt Leuitæ arcam, & intulerunt eã, & omnem paraturam tabernaculi:* vbi ſatius eſt nomen Leuitarum in genere accipere, vt Sacerdotes, & Leuitas comprehendit. Ad quod innuendum ſequitur, *Porro vaſa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo portauerunt Sacerdotes, cum Leuitis.* Hoc tabernaculũ fuiſſe id quod à Moyſe conſtructum olim fuerat, ſcribit Ioſeph. & cõſentit Abul. [l] & Villalp. Merito tamen diſſentit Sa, & illud de Dauidis tabernaculo interpretatur. Nam cum arca, quæ hoc tempore in templum transferebatur, eſſet in Sion, in Dauidico tabernaculo, vt dicitur 1. Par. [m] Tabernaculũ autem Moſis cum altari eſſet in Gabaon: [n] quis dubitare poteſt & arcã, & tabernaculum in quo erat, & omnia vaſa miniſterii illius eadem opera fuiſſe tranſlata? An autem eodem die, & tabenaculum Moyſis, & omnis ſupellex eius, quæ erat in Gabaon trãſlata fuerint in tẽplum, aut certe illo octiduo non inuenio traditũ; quod tamen probabile eſſe quiuis intelligit.

Vatabl. Sa.
k cap. 5. 5
l c. 8. 3. Reg.
m 15. 16.
n 1. Par. 16. 39. 40. & 2. Par. 1. 3. 5.

Dauidicóne, an Moſaico.

XII. *Pompæ ordo, & modus.*

Pompæ huius ordo, & modus, quantum ex Scriptura, & Ioſepho, Hebræorum traditione, & probabili coniectura colligi poteſt, hic fuit.

Tranſierunt præcones 7. die ſeptimi menſis, pridie celebritatis per mediam ciuitatem, cum tubis, populo denunciantes vt in diem ſequentem parati eſſent: [o] puri ſcilicet, & caſti, cum oblationibus ſuis, & feſtorum veſtimentorum appa-

o Ioſ 3. 2. Num. 10. 10

ratu. [a] Ad vitandam autem confuſionem in hominum infinita multitudine, quæ octauum iam annum expectabat hunc diem, *ab introitu Emath, vſque ad riuum Aegypti*, id eſt ab extremis Syriæ & Libani finibus a ſeptentrione, vſque ad Rhinocoruram, ad meridiem, & Ægyptum; quæ eſt tota latitudo terræ Iſraëliticæ, ſuus ſingulis tribubus aſſignatus eſt locus, & ordo, qualis forte quondam in deſerto, Deo & Moyſe authore in progrediendo ſeruabatur, cum arca Domini, tabernaculo, & vaſis eius, vt habetur [b] in li. Num. certis locis Leuitis, & Sacerdotibus intermixtis.

XIII. *Procedit Rex cum populo.*

Postridie veniunt Sacerdotes, & Leuitæ ad arcæ locum in Sion, cum Sadoco pontifice; veniunt optimates, & principes tribuum, cum primaria nobilitate ad Regem. Signo dato procedere cœpit tribus Iuda, cæterique ordine ſuo. *Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam.* [c] Vt olim Dauid 2. Regum; [d] eamque rite inuolutam, iuxta præceptum Domini. [e] Ex 2. etiam Paral. [f] colligit Pineda [g] præceſſiſſe cum tubis Sacerdotes, ſecutos vero Leuitas cantores cum organis, qui ſæpius verſiculum illum intercalarem iterarent. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.* Quibus ita cantantibus arca & populus conſiſtebant. Ibi enim ita legitur. *Sacerdotes ſtabant in officiis ſuis*; canendi ſcilicet tubis, & mox ſequitur: *& Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex, ad laudandum Dominum, quoniam in æternum miſericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus ſuas. Porro Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctuſque Iſrael ſtabat.*

Sacerdotes cum tubis, & Leuitæ canentes.

XIV. *Rex, & populus immolant.*

Per hæc autem ſtandi, vel quieſcēdi interualla, Rex & populus *immolabant oues, arietes, & boues abſq. vllo numero & æſtimatione.* Suppeditabant ſcilicet identidē Sacerdotibus victimas ad immolandū corā arca. Id confirmatur Dauidis exemplo, de quo legimus. *Cumque tranſcendiſſent qui portabant arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouē, & arietem; & Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominū.* Confirmatur ex Ioſeph. [h] *Aſcenduntque illò cum victimis, tam Rex, quam vniuerſus populus, ac Leuitæ; libaminibus, & multo hoſtiarum ſanguine viam perfundentes, & infinitam vim odoramentorum adolentes, vt circumquaque totus aer ſuauitate repletus, etiam longe remotis ſentiretur*, Multis ſcilicet aureis thuribulis vndequaque, ſed ad arcam maxime, thimiamata euaporantibus, crebris etiā altaribus, vel mēſis tota via ad huiuſmodi ſacrificia præparatis.

XV. *An etiam alia in pompa geſtata.*

Credibile etiam mihi admodum videtur Sacerdotes, & Leuitas, quorum erant multa millia, qui in ſacrificando, & canendo, non erant occupandi; ad cohoneſtandā hanc pompam, non ſolum arcam, ſed plurima etiam vaſa aurea atq; argentea, quæ non erant magni ponderis in humeris magnifice detuliſſe, & variis ornamentis decore inſignitos proceſſiſſe. Hi videlicet ferebant altare aureum. & aderant Sacerdotes, qui odorata thymiamata incederent; alii menſas cum panibus, reliquaq; ad eas pertinente ſupellectile. Hi candelabra, iſti luteres ferebant, hi phialas, iſti thuribula, omnia pro inſigni Salomonis ordinantis ſapientia conuenienter, ac decore.

XVI. *Decantatur in via pſal.*

Tradvnt etiam Hebræi veroſimiliter, vt ait Villalp. [i] Dauidem dediſſe pſalmum Salomoni filio de induſtria in huius diei celebritatem compoſitū, & iuſſu eius in ipſa via, à ciuitate Dauid in templum decantatum pſal. ſcilicet 118. qui videtur de ipſis Sacerdotibus arcā deferentibus, à Dauide cōſcriptus. Quibus dicitur; *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Qui videlicet ſancte, & immaculate non ſolum per viam deferunt arcam, imo potius diuinam legem arca incluſam; ſed prætcrea diuinæ legis præcepta corde circumferunt, & operibus repræſentant. Quare totus pſalmus in diuina lege celebranda conſumitur, totuſq; Deum in arca præſentem ſemper alloquitur.

Diuinum in ſupplicatione auxilium.

Notauit etiam Ioſephus loco citato diuino auxilio ita roboratos omnes in hac ſupplicatione, vt nemo laſceſſeret; ex quo conſtans eſſet omnium opinio aduentare Deum ad inhabitandum recens extructum, ac dicatum ſibi locum. *Nam* ait, *neq hymnos canentibus, neq; choreas ducentibus laſſitudo eſt oborta, dū ad templum peruenirent.* Alludit ad ſaltationem Dauidis. [k] Quod vt veriſimilius ſit, oportet longo circuitu arcis, & montis Sion, & inferioris ciuitatis ad tēplum iter eſſe ſuſceptū; quod etiam maxima multitudo populi, vel quoquo modo ordinati, requirebat.

XVII *Aſcenſus in templū.*

Ad templum autem cum perueniſſent ſeptem gradus in aditu atrii Iſraëlita-

[a] Iudith. 10 3.
[b] N. 10. 13. & ſeqq.
[c] 3. Reg. 8. 5
[d] 6 14 15.
[e] N. 4. 5. & ſeqq.
[f] c. 7. v. 6.
[g] l. 5. c. 5. n. 158.
[g] 2. Reg. 6. 13.
[h] l. 8 c. 2.
[i] l. 3. c. 34
[k] 2. Reg 6

rum, & octo in ingreſſu veſtibuli domus Dei inuenerunt, vt vulgo numerari ſo lent. At Villalp. [a] ſeptenos ponit in ſingulis portis atrii exterioris, octono in portis atrii interioris, denos in veſtibulo templi, omnes viginti quinque palmi vnius altitudine ſingulos, omnes autem calami vnius, qui ſex cubito rum eſt, & palmi; vt ſcilicet omnes gradus æquales eſſent ſtylobatarum altitu dini, & facile ab arietibus, & vitulis ſacrificandis conſcendi poſſent. Ex quo intelligas ita ab initio complanatam fuiſſe aream, vt tamen variis in locis gradi bus relinqueretur locus, qui quandam templo dignitatem conciliarent.

a t.2. l. 3. c 47.

In his gradibus conſcendendis, fortaſſe etiam ſubſtructionum gradibus quā plurimis, pſal. qui dicuntur cantica graduū num. 15. decantabantur; vt pleriq; titulo ipſo pſalmorum admoniti ſuſpicantur; quæ coniectura etiam iuuatur ex eo quod diximus pſalmum centeſimum decimum octauum, *Beati immaculati in via*, in ipſa via ab arce in templum fuiſſe decantatum. Ei viæ ſuccedunt templ gradus; ei etiam pſalmo, gradum cantica ſuccedunt, quæ non ſingula in ſingulis ſed omnia in omnibus gradibus decantata fuerunt. Plures quippe ſunt gradus quam cantica graduum; nec videtur ratio cur in aliquibus potius quam in aliis cantatum fuerit, etſi paulo aliter Villalp. Itaq; [b] quoniam coniectare licet, exi ſtimo in gradibus ſubſtructionum, in parte occidentali, quoniam vt ſupra dixi mus ex Ioſepho, ibi quadruplex, ideoque tantæ multitudini commodiſſimus patebat ingreſſus, in ipſo initio cantatum eſſe primum canticum gradum, qui eſt pſalm. 119. *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.* In medio mon tis Moriæ ſecundum, qui eſt pſa. 120. *Leuaui oculos meos in montes.* In ſummo au tem graduum illorum, ad peribolum, inſonuit tertium canticum. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Primus enim ingreſſus in domum Domini, eſt in primo illo peribolo totam fabricam vndique ambiente, vnde a ditus patebat in atria: itaque ſequitur, *Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Ieruſa lem*, &c.

b l.3. c.34.

INDE autem longo circuitu in via quæ peribolum inter, & murum atrii gen tium patet, per cubitos circiter mille, ventum eſt ad Orientalem portam atri gentium; tota autem illa via per ſtationes varias, & varia ſacrificia, decantata ſunt varia cantica ſequentia, & nominatim illud. *Beati omnes qui timent Dominum qui ambulant in viis eius.* In porta atrii gentium, ipſoque atrio videtur decantatum illud. *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius*: & infra, *Introibimus in ta bernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Et quoniam tunc Domi nus Deus erat Iudæorum, non autem gentium, ideo in atrio gentium conſe quenter canebatur. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ.* In de tranſibatur ad atrium Iſraëliticum; ad cuius ingreſſum, & ſeptenos gradu cantatum eſt ſequens canticum pſalm. 132. *Ecce quam bonum, & quam iucundum ha bitare fratres in vnum.* Nam Iſraëlitæ alienigenas non cenſebant in fratribus; eo autem iam in atrio gentium relinquebant, quia vltra progredi illius non lice bat.

INDE ventum eſt ad portam, qua patet aditus ad atrium interius Leuiti cum, vbi cantatum eſt ſequens canticum. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſer ui Domini.* Leuitæ ſcilicet & ſacerdotes, qui ſpecialiter diuino famulatui dicat erant, & hoc atrium ante Sancta fuiſſe, innuunt ea verba iſtius cantici. *In noctibu extollite manus veſtras in Sancta*, id eſt verſus Sancta, quia ipſi circumquaq; in por ticibus proxime cingentibus templum & atrium interius, diu noctuque per vi ces commorabantur. Poſtremo ſacerdotes cum arca in ipſum templum, con ſcenſis gradibus eius ingrediuntur, pſalmum ſequentem canentes cum Leuiti eis ex atrio, & orientali porticu, in qua erat cantorum ordinarius locus, ac cinentibus. *Laudate nomen Domini laudate ſerui Dominum; Qui ſtatis in domo Domini, i atriis domus Dei noſtri*, &c. Quem pſalmum excipit qui ſequitur 135. *Confitemini Do Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.* Quem ſatis conſtat ex 2 Paral. [c] in hac celebritate decantatum.

c cap 7.6

CVM *vero iam in adytum arca inferri deberet*, inquit Ioſephus, [d] *reliqua quidem mu titudo abſceſſit; ſoli vero baiulantes ſacerdotes inter duos Cherubinos eam depoſuerunt, qu effigies coniunctis alarum extremitatibus (ſic enim artifex eas fecerat) arcam velut ſu*

d l 8.c.2.

vmbella, aut tholo protexerunt. Sic ipſe, alludens ſine dubio ad illud Leuit. [a] *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando pontifex ſanctuarium ingreditur, vt roget pro ſe, & pro domo ſua*, &c. Sed extraordinarius fuit hic ingreſſus. Vnde non ſolum pontifex ingreſſus eſt Oraculum, ſed quotquot Leuitæ, aut potius Sacerdotes, arcam in illud intulerunt: numero fortaſſe duodecim, pro numero tribuum; vnde & vectes arcæ longiores fuiſſe putantur quam olim, adeo vt extra velum tumorem quendam, in velo facerent. Qua de re ſupra. Verum audiamus de hac arcę diſpoſitione Scripturam. [b] *Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum, in Oraculum templi, in Sanctum ſanctorum ſubter alas Cherubin, ſiquidem Cherubin expandebant alas ſuper locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes eius deſuper*. Eadem habentur 2. Paral. [c]

à Sacerdotibus & Leuitis.

[a] c. 16. 17.
[b] 3. Reg. 8. 6.
[c] c. 5. 7.

XXII. *Quam feſto apparatu.*

QVANTO autem id apparatu factum ſit, quam feſto tubarum clangore, quo tympanorum, & aliorum inſtrumentorum ſonore, qua ſacrorum hymnorum, & pſalmorum harmonia, in tanta Regis, totiuſque populi lætitia, & triumpho, facile quiuis æſtimare poteſt: ideoque magna ex parte à Scriptura prætermiſſa eſt huiuſmodi narratio.

Conijcere ergo poſſumus vbi aliqua mora poſita fuit, tum ad gradus veſtibuli ſanctuarii, tum ad medium templi, dum canuntur pſalmi 134. 135. & ad altare holocauſtorum in atrio ad id iam parato (Nam tanta moles tunc facile collocari ſuo loco non potuiſſet, ſicut nec mare æneum cum bobus ſuis) multam factam animalium cædem, redintegratum à pontifice Sadoco illum pſalmi locum, *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.* id eſt magis, magiſque ſanctificentur, vt digne Deo arcam tuam ferre poſſint; *Et ſancti tui exultent, propter Dauid ſeruum tuum, ne auertas faciem chriſti tui*, id eſt Salomonis Regis, aut Sadoci pontificis; nam vterque vnctus, & hic officio iſti ſanctiſſimo præerat. Sæpe autem iteratum, & redintegratum fuiſſe hunc pſalmi locum indicatur in 2. Par. [d] Idem in Salomonis oratione ponitur. Sed alio quoque loco ex Rabinis retulimus, carmen quoddam huic ſimile à Moyſe olim vſurpatum, quoties in deſerto caſtra mouenda erant.

131. 8.
[d] 2. Par. 6. 41.

XXIII. *An & prodigio.*

HÆC dum à Salomone, vel à pontifice, vel ab vtroq; recitantur, dicunt Hebræi Oraculi fores diuinitus clauſas, rurſum ſponte patuiſſe ad arcam admittendam, vt ſcribit Lyranus, [e] & Dionyſius in eundem locum, & fuſe Abulenſis. [f] *Sed generatio mala, & adultera ſignum quærit*, & ſignum hoc non datum eſt ei. Cur enim tunc tantum offenſionis indicium præbuiſſet Dominus, quando & Rex, & Pontifex, & Sacerdotes & Leuitæ & populus omnis ſanctificati, & deuotione repleti erant? Quomodo non omnia turbata fuiſſent? quomodo Scriptura penitus ſuper geminato miraculo tacuiſſet, quæ alterum longe minus de nebula implente domum Domini paulo poſt retulit? Itaque illud Abulenſis, & Pineda [g] merito reiiciunt. An autem tunc ex occaſione, ceremonia feſti expiationis, quod imminebat, celebrata fuerit, à pontifice iuxta legem; an potius in ſuum diem dilata, quoniam ſeptem diebus altare dedicabatur, affirmare non poſſum.

[e] in 2. Par. c. 6.
[f] q. 22. in c. 6. 3. Reg.
[g] l. 5. c. 5. n. 168.

XXIV. *Cãdelabra, & menſa in Sancto collocatæ.*

Altare in atrio.

ADDIT etiam Ioſeph. conſequenter, *Candelabrum autem, & menſam & altare aureũ ſtatuerunt in templo ante adytum, eiſdem locis in quibus in tabernaculo prius ſita fuerant, vbi quotidianas hoſtias offerebant. Cæterum altare æreum pro foribus templi eſt poſitum, vt apertius illis in conſpectu eſſet ſacrificiorum magnificentia.* Sed hic locus altaris ænei iam ſupra examinatus eſt, & pro ſingulis candelabris, & menſis dena ex Scriptura reſtituta ſunt. Addit autem reliquum vaſorum inſtrumentum omne in vnum congeſtum, intra templum eſſe repoſitum, quod facile concedi poteſt de vaſis, quorum vſus futurus erat in templo: at multa etiam vſui erant futura in atrio Leuitico, quæ credibilius eſt in circumpoſitis gazophylaciis repoſita fuiſſe.

XXV. *Egreſſus è Sanctuario.*

NON videntur diu in Oraculo immorati Sacerdotes, ne ſurrepente curioſitate mora fieret alicui curioſa; & perniciem crearet curioſitas. [h] Quamquam ea ſeptem totis annis, dum ſculperentur parietum ornamenta, & laquearia, ſatiari affatim potuit, ſed egreſſi ſunt, & oppanſum eſt velum. *Factum eſt autem cum exiſſent Sacerdotes de Sanctuario* (Oraculo ſcilicet in quod arcam intulerant) *nebula impleuit domum Dei*; totam nempe aulam ſanctam, & veſtibulum,

[h] Num. 4. 20.

a q.6 in c. 5. 3 Reg.

imo & atrium Sacerdotum, vt ait Abulenſis. [a] Illic enim maximum eorum miniſterium verſabatur circa infinitam vim ſacrificiorum. Dicit autem Scriptura. *Et non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam; impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Id Salomon agnouit indicium eſſe diuinæ præſentiæ, & ſignum acceptantis ſibi deſtinatam domum, ſicut olim in tabernaculo Moſis contigerat. [b] Hic Salomon; *Dominus dixit vt habitaret in nebula. Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum.* Hæc fuit quaſi aſpiratio quædam, & oratio, quam vocant iaculatoriam, præuia longioris mox ſecuturæ. Videtur autem conſtituere quandam antitheſim inter nebulam tenebroſam, & domum auro gemmiſque radiantem; nebulam leuem, & volatilem, & domum perpetuo duraturam. Referunt interpretes illud Leuit. [c] vbi Dominus dixit ſe in nube appariturum ſuper oraculum; fortaſſe etiam alludit ad illud Exodi. [d] *Cumque aſcendiſſet Moyſes operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus, ſeptimo autem die vocauit eum de medio caliginis, ingreſſuſque Moyſes medium nebulæ aſcendit in montem*, &c. Vel etiam ad illud Dauidis; [e] *inclinauit cælos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius*; &, *poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius*. Vt ſcilicet nebula quaſi tabernaculo ambiatur.

Nubes domum replet, & cur.

b Exod.40. c ca.16.2. d ca 24.15. e Pſal 17. 10.

XXVI. *Ex Ioſepho.*

CIRCA nebulam hanc diſerte philoſophatur Ioſephus lo. cit. *Poſtquam autem omnibus quæ ad arcam pertinebant ritè peractis Sacerdotes ſanctuarium exiuerunt, repente globus nebulæ non aſper, neque qualis hyberno tempore grauidus pluuia condenſatur, ſed diffuſus ac temperatus in templum influxit, & primo Sacerdotum viſum, vt vix ſe inuicem cernerent, obſcurauit; deinde in omnibus eam cogitationem excitauit, quod Deus in templum deſcendens, præſens ac libens hoc domicilium ſibi optaret. His talia volutantibus animo, Rex qui tum forte ſedebat, aſſurrexit, verbiſque & ſe, & Deo dignis, cæleſte numen eſt allocutus*, &c. Hæc ipſe. Omiſit autem illud Salomonis dictum de promiſſione Dei, in caligine habitaturi, quod Scriptura otioſum non putauit ſemel, iterumque narrare; [f] & iterum in 2. Machab. [g] vbi habetur apparuiſſe nubem cum Salomon petiit, vt locus ſanctificaretur magno Deo.

f 3 Reg.8 12. 2.Paral.6. 1. g cap.2. 8.

XXVII. *Oratio Salomonis ex eodem.*

SED totam etiam Scripturæ ſententiam mutauit Ioſephus, cum pro habitatione Dei in caligine, & domo illa nunc in ſempiternum à Salomone ædificata, ſic cæleſte numen verbis, ſe & Deo dignis allocutum ait. *Tu quidem*, inquit, *ſempiternam domum habes, Domine, nec ignoramus te tibi ipſi hanc vniuerſi molem condidiſſe, quæ cælo, aere, terra, & mari conſtat; quam totam imples, nec tamen ab ea caperis.* Hæc à ſequenti oratione in hunc locum tranſlata ſunt. pergit, *Hoc vero templum ideo nomini tuo adornauimus, vt in hoc ſacrificiis, ac precibus in cælum miſſis tibi propitio litaremus*, &c. Verum alia omnia hoc loco Salomon dicit. Nec hic mundus elementaris dicitur ſempiterna domus Dei, quippe *cælum & terra tranſibunt*, nec Deo condita eſt, ſed hominibus; licet vere Dominus dicatur omnia propter ſemetipſum operatus; ſed non habitationis gratia, vt vult Ioſephus.

Parum probata.

XXVIII. *Quæ hic à Salomone geſta dictaque.*

h 3.Reg.8.14.

VERVM omiſſo Ioſepho, redeamus ad Salomonem: qui dicitur conuertiſſe faciem ſuam, [h] *& benedixiſſe omni Eccleſiæ Iſrael, quæ ſtabat ad audiendum intenta.* Hactenus Salomon reſpiciebat verſus templum; occaſione autem nebulæ diuinitus obortæ, conuertit faciem ad populum, qui magna ex parte ad dorſum Regis ſtabat, eumque docuit Deum implere promiſſionem ſuam, qui dixerat ſe habiturum in domo, non quam ædificaſſet Dauid, ſed Salomon filius eius. Hæc fuſius habentur 3. Reg 8. [i] & 2 Paral.6. [k] vbi cum negat Deum elegiſſe quemque alium virum, in populi ducem, præter Dauidem, intelligitur de electione, quæ ad poſteros propagaretur, quod Sauli non contigit. Erat autem Rex in loco eminenti: Baſim vocat æneam vulgatus cum Septuag. [l]

i à verſ.15 ad 22 k à verſ. 4. ad 12. l 2.Paral.6. 13.

Baſis ſiue ſuggeſtum orantis.

Alij ex Hebræo concham vertunt, & labium; quod ſuggeſtum hoc regium, inſtar conchæ conſtructum eſſet. Qui tamen illud pictura exprimunt, nudam quandam baſim, & quadratam exhibent, latam quinque cubitos, tres autem altam. At magnificentius aliquid in tanto cæterarum omnium rerum ſplendore, ſi non materia, certe forma tanto regi præparatum fuiſſe veriſſimile eſt, idque Hebræa lectio ſatis innuit.

XXIX. *Vbi excitatum.*

m ca 8.2.

ERAT ea baſis *in medio baſilicæ*, id eſt, vt quibuſdam placet in atrio interiori, ſiue Leuitico. Nam in 3. Reg. [m] dicitur ſtetiſſe ante altare Domini; ſed baſilica ma-

gnum atrium Iſraëlitarum ſignificat inſtar baſilicæ longe magnificentiſſimæ, non autem atrium Leuiticum. Itaque omnino videtur dicendum eam baſim, ſiue ſuggeſtum excitatum fuiſſe in area orientali atrii Iſraëlis, ex quo loco vndique à populo videri poterat, & ipſe in templum ipſum intueri; & præterea recta ante altare holocauſtorum conſiſtere; præſertim cum laïcis qualis erat Salomon, de tribu ſcilicet Iuda, non Leui, ne ad atrium quidem interius nedum ad templum ipſum, penetrare liceret. Ex ipſa ergo Scriptura corrigendus eſt Eupolemus apud Euſeb. [a] cum de Salomone ait. *Fecit itidem æneam baſim duos altam cubitos prope labrum, vt in ea Rex dum Deo ſupplicaret inſiſteret, & à Iudæorum populo conſpiceretur.* At nec moles eius, nec locus cum Scriptura conſentit. Ibi ergo ſterit Rex cum allocutus eſt populum; vbi autem Deo preces fundere voluit, deinceps flexis genibus [b] contra vniuerſam multitudinem Iſrael, id eſt coram, ſiue in conſpectu, orauit [c] ſed conuerſo ad templum, vel oraculum vultu; quod clare Ioſephus expreſſit. *His affatus,* inquit, *multitudinem Rex, rurſus ad templum vertit oculos, & extenſa ad multitudinem dextra,* &c. Imo expandit manus ſuas in cœlum, vt libro Reg. & Paral. diſerte habetur. [d]

a l. 9. de præp c 4.

b 3. Reg. 8. 54. 2. Paral. 6. 13

c 8. 23 3. Reg.

d 3. Reg. 8 à n. 24 ad 54 & 2. Paral. 6 à n. 14 ad fin. cap.

XXX. *Oratio Salomonis ad Deum. Eius ſumma capita.*

EIVS oratio copioſior eſt: hæc eſt eius in pauca contractæ ſententia; omiſſa ea quam Ioſephus effinxit. Is enim in hac oratione nullo modo ſecutus eſt ſcripturam, ſed quod probabile ſibi viſum eſt in eam contulit. Id hiſtoricus merito faciet, cum diuinare neceſſe eſt; at cum conſtat quid dictum fuerit, quid opus eſt diuinare? imo cur liceat omiſſis certis, incerta atque adeo falſa ſectari? Laudat ergo in primis Salomon Deum à conſtantia, & fidelitate promiſſorum erga fideles ſeruos eius, & nominatim erga Dauidem, qui cum geminam accepiſſet à Deo promiſſionem, alteram de templo à filio ipſius ædificando, alteram de conſeruanda in eius familia regia dignitate, & prior adimpleta fuerit, poſtulat etiam vt poſterior impleatur. Secundò admiratur bonitatem Dei, qui ſibi ad habitandum dignetur eligere manu factam domum, cuius maieſtati ne cœli quidem omnes pares eſſe poſſint. 1. 2.

XXXI. *Quid populo ſuo petat.* *Quid alienigenis.*

NIHILOMINVS orat vt exaudiat orationem ſuam; vt videlicet ſe in templo hoc ſemper exorabilem præbeat populo ſuo, in dijudicandis iuramentis in fauorem innocentium, in reducendo populo exule, propter peccata ſua, in tollenda ſiccitate, fame, peſtilentia, bello, infirmitate, & omni calamitate à populo Iſrael vere pœnitente, & ad cor redeunte. Quarto orat pro alienigenis, qui fama diuinæ potentiæ exciti, venturi eſſent in templum ad orandum Deum, vt exaudiantur, ſicque in toto orbe terrarum nomen eius ſanctificetur; ex quo etiam ſignificabat ſe non ſolis Iſraëlitis templum condidiſſe, ſed exterarum etiam nationum rationem habuiſſe, vt & ipſæ in templo, loco ſibi deſtinato orare poſſent, in atrio ſcilicet gentium, quod non ab Herode ſolum, ſed à Salomone quoque extructum ſupra diximus. Quod Ioſephus innuit hoc loco; *Si ab extremis,* inquit, *orbis finibus aliqui venerint, aut vndecumque profecti in hoc loco boni quippiam impetrare à te voluerint, exoratus illis largire. Sic enim omnibus erit euidens quod & tu hanc ædem apud nos tibi extrui volaiſti, & nos, nec inhumani ſumus, nec alienigenis iniqui, ſed libenter ferimus te communiter omnibus tum opitulatorem eſſe, tum bonarum rerum omnium largitorem.* 3. 4.

XXXII. *Iudæorum in eos affectus.*

HÆC vtique contra mentem, & conſcientiam ſuam Ioſephus locutus videtur; & ad præſentem rerum ſtatum accommodate, quo ipſe cum tota gente ſua, ethnicis ſubiecti erant. Alioqui magis audiendus eſt D. Petrus [e] qui coram Cornelio, & multis gentilibus & Iudæis congregatis ait; *Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudeo coniungi, aut accedere ad alienigenam;* quod ſcilicet eos haberent pro immundis, & canibus. Quo alludit etiam Dominus ipſe, quando Cananeæ dixit, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus.* Quod ſi cæteros abominabantur, & quaſi λοιμικὴν νόσον auerſabantur: omnium tamen maxime Chriſtianos, quippe qui teſte Hieronymo in cap. 5. Eſaiæ in ea verba. *Væ qui trahitis iniquitatem; prouocati,* inquit *à Domino ad pœnitentiam & poſtea ab Apoſtolis eius vſque hodie perſeuerant in blaſphemiis, & ter per ſingulos dies in omnibus ſynagogis, ſub nomine Nazarenorum, anathematizant vocabulum Chriſtianum.* Hæc Hieronymus. Quæ alio quoque loco retulimus. [f] Sed redeamus ad Salomonem.

e Act. 10. 28.

Vn obiect malencontreux.

f in præfat. 2. tom. nu. 9.

XXXIII. *Oratio ceſſus templum.*

5. QVINTO petit vt ſanctificet hoc templum apud Dominum, vt dignetur confer-

re populo ſuo auxilium in bello, cum animo ad templum conuerſi orauerint.
Quod æque intelligitur de aliis periculis, & incommodis; itaque Ezechias cum
accepiſſet à Propheta de imminente morte nuntium, *conuertit faciem ſuam ad parie-*
tem templi, vt ait Chaldæus paraphraſtes. *Quod ſi propter peccata ſua victi, & capti fue-*
rint, vt conuerſi, & orantes verſus templum exaudiantur, & humaniter tractentur à dominis
ſuis; qui olim miſertus eſt eis, cum ab Ægyptiis, quaſi in fornace ferrea vexaren-
tur. Eius rei exemplum illuſtre præbuit Daniel, qui *feneſtris apertis in cœnaculo ſuo*
contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, confitebaturque co-
a Daniel. 6. v. 5. *ram Deo ſuo, ſicut & ante facere conſueuerat*, [a] Poſtremo petit vt in quacumque peti-
tione fiat exorabilis populo, quem teſte, & interprete Moyſe ſibi ex omnibus
6. gentibus elegit in populum.

7. DEINDE *ſurrexit* Rex *de conſpectu altaris Domini, vtrumque enim genu in terram fixerat.* XXXIV.
b 3. Reg. 8. 54. [b] Sed Ioſephus ait hæc locutum procubuiſſe in terram, & cum aliquandiu adora- *Surgit Rex,*
uiſſet, ſurrexiſſe, & hoſtias ad altare adhibuiſſe. Verum omittit quomodo poſt *& benedicit populo.*
has preces ad Deum fuſas, iterum conuerſus ad populum, ſit ei bene peccatus. Ei
enim à Deo poſtulat diuinam gratiam, atque auxilium præueniens, quo ſuauiter
inclinentur, & inducantur in bonum; tum exhortatur vt in diuino timore, & cul-
tu conſtanter perſeuerent. Inde hoſtias ad altare adhibuit, id eſt à Sacerdotibus
ingeſtæ ſunt ſuper altare holocauſtorum Regiæ hoſtiæ, & factum eſt prodigium
c c. 7. 1. quod 2. Paral. narratur. [c] *Cum compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo,* *Prodigium*
ad oſtendendam acceptam eſſe Deo Regis orationem, & grata ſacrificia, quæ *ignis.*
nunc primum ibi offerebantur, ſicut paulo ante nebula oſtenderat templum ip-
ſum Deo gratum eſſe. Ergo ignis Domini *deuorauit holocauſta, & victimas, & maieſtas*
Domini impleuit domum. Nomine maieſtatis, ſiue gloriæ Domini, non videtur hic
Scriptura intelligere ipſum ignem diuinitus ſuccenſum, ac demiſſum, etſi lega-
d Exod. 24. 17. mus; [d] *Erat ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, & quaſi ignis è*
denſa nube prorumpens, & emicans, vt patet Exod. 19. Et ratio eſt quia ignis hoc loco
e 2. Paral. 7. 2. 3. [e] à gloria, ſiue maieſtate Domini aperte diſtinguitur. Et cum gloria Domini tem-
plum repleuiſſe dicatur, ignis totum templum repleuiſſe dicendus eſſet, & nouo
miraculo ab eo violando abſtinuiſſe. Aliud ergo nomine gloriæ accipiẽdum eſt,
vt mox dicetur. Hic autem ignis tam hoſtias, quæ erant in altari, quam quæ in a-
trio circumfuſæ iacebant, inflammauit, atque abſumpſit.

SIC nimirum renouata ſunt antiqua miracula, Moyſis tempore perpetrata. Id XXXV.
f c. 2. 10. enim traditur in 2. Machab. [f] *Sicut & Moyſes orabat ad Dominum, & deſcendit ignis* *A Deo frequentatum.*
de cælo, & conſumpſit holocauſtum. Sic etiam Salomon orauit, & deſcendit ignis de cælo, & con-
ſumpſit holocauſtum. Habetur autem hiſtoria illa Moſaïca Leuit. 9. 24. Qualis nuper
g 3. Reg. 18. 38. Dauidi contigerat peſtifera lue finiente; qualis etiam contigit ſub Elia, [g] & ſub
ipſa mundi primordia in ſacrificio Abelis; vt diximus anno mundi 130. n. 2. & ſi-
cut in ſacrificio Moſis, & Eliæ coram vniuerſo populo res contigit, ita & hoc lo-
h 2. Paral. 7. 3. co habetur [h] omnes filios Iſrael vidiſſe deſcendentem ignem, & gloriam Domi-
ni ſuper domum, & corruiſſe pronos in terram ſuper pauimentum ſtratum lapi-
de, & orauiſſe, & laudauiſſe Dominum dicentes. *Quoniam bonus, quoniam in ſæculum*
miſericordia eius. Inhæſerat intercalaris hic verſus menti multitudinis, & illud ite-
rarunt. Confirmat Ioſephus, *Cum Rex altare ſolidis victimis repleuiſſet, litatum Deo ma-*
nifeſto argumento cognouit. Ignis enim ex aere emicans, omnibuſque inſpectantibus in altare de-
lapſus, collectas victimas abſumpſit. Ad quod prodigium populus haud dubiam coniecturam fe-
cit, in eo templo numen eſſe habitaturum, & præ gaudio procidens in ſolum vnanimiter ado-
rauit.

INVASIT ergo vniuerſum populum admiratio, & veneratione plenus timor. XXXVI.
Sed & ipſos Sacerdotes. Nam Scriptura l. c. ait non potuiſſe Sacerdotes ingredi *Populi admiratio,*
templum Domini (erant enim in atrio Leuitico, vbi ſacrificiis operam dabant) *& quæ*
eo quod impleſſet maieſtas Domini templum Domini, ſiue ob nebulæ denſita- *gloria Domini.*
tem viſum prohibentem, ſiue potius ob reuerentiam diuinæ præſentiæ, per ne-
bulam exhibitæ. Secunda eſt hæc ſplendida caligo implens domum Dei, inquit
i 2. Paral. c. 7. q. 8. Caiet. & ante eum Abulenſis: [i] prima enim orationem Salomonis anteceſſerat,
hæc autem completa oratione, ſimul cum igne aduenit. Maior etiam narratur
caligo hæc quam prima, eo quod iſta etiam ingreſſum in templum prohibebat.

Sic ipſe. Videtur nubes quædam lucida, & grato fulgore oculos perſtringens, aut etiam copioſior ignis templum innoxie vndique peruaſiſſe, non attactu conficiens, ſed conſecrans, atque purificans; qualis alibi laudatus ille poeticus, qui

---- ſummo de vertice viſus Iuli (Virg. 2. Æn.)
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

Qualis fuit pueris in Babylonica fornace conſtitutis, qui, Scriptura [a] teſte, *nihil poteſtatis habuit in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non fuit aduſtus, & ſarabala eorum,* (vocem Chaldæam bracas interpretatur Emanuel Sa.) *non fuiſſet immutata, & odor ignis non tranſiiſſet per eos.* (a Daniel. 3 v. 94.)

XXXVII. *Populi timor.* VIDETVR hic quoque Dominus terrorem ſui, ſicut & in monte Sinai, toti populo inferre voluiſſe, oſtentatione incendii, quod impune populum ſalutari metu, & rerum ſacrarum veneratione concuteret, ne inconceſſum ſibi locum templi, & atrii interioris deinceps attentarent; Sicut nec tum licuit in montem aſcēdere, aut præſtitutos limites transgredi, [b] quod ex parte Rabini in ſua chronologia obſeruarunt, [c] qui aiunt de hoc tempore accipiendum eſſe illud canticorum, [d] *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Diem enim deſponſationis volunt eſſe diem octauum, poſt ſeptem dies conſecrationum, qui dies collectæ hic dicitur; diem autem lætitiæ diem templi completi, & abſoluti. (b Exod. 19. 24. c 1. p c. 15. d ca 3 11.)

XXXVIII. *Multitudo ſacrificiorum.* QVONIAM vero hoc tam manifeſto prodigio viſus eſt Dominus grata habere Regis populique ſacrificia, tanto illi ſtudioſius eadem inſtaurarunt; adeo vt ſumma hoſtiarum aſcenderet ad boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia, vt habetur 3. Reg. [e] 2. Paral. [f] pars quidem in holocauſta ſoli Deo conſecrata eſt, pars autem ceſſit in hoſtias pacificas, in gratiarum actionem, quarum bona pars Sacerdotibus, & populo ſeruabatur. Corrigendus vero eſt Gelenius, qui pro viginti duobus boum millibus, quomodo habetur apud Rufinum, & in Græco textu, & in omnibus quoque Hebraïcis, Græcis, Chaldaïcis, Latiniſque ſcripturę codicibus; ipſe duodecim millia vitulorum ſubſtituit, quod Ioſephi erratum putauit Pineda. [g] Sed illud potius ei vitio vertendum, quod cum ſeptenos dies dedicationi ſcriptura tribuat, & totidem feſto tabernaculorum; [h] Nam ſeptem dies dedicationis altaris clarum eſt ad hanc noſtram ſolemnitatem pertinere, reliquos autem ſeptem ſolemnitati ordinariæ tabernaculorum; ipſe feſtum ſcenopegiæ per quatuordecim dies à Rege epulis cum vniuerſo populo celebratum ait, tam in textu Græco, quam apud vtrūque interpretem. Non conſtat autem quantum quæque tribus, in ſacrificia obtulerit; etſi enim 120. ouium millia in duodecim tribus diuiſa, tot enim erant, etiam ſecluſa Leuitica, decem millia ſingulis tribuant, & viginti duo millia boum, in eaſdem tributa, ſingulis aſſignēt mille octingentos triginta tres; conſtat tamen bonam harum hoſtiarium partem ex Regis peculio fuiſſe profectam; præſertim ſi Rex Hebræos omnes cum liberis, & vxoribus epulo excepit, vt ait Ioſephus. (*Erratum Geleny, & Ioſephi.* e 8. 6. f 7. 5. g l. 5. c 5. n 166 in fine h vt patet ex 2. Par. 7 9 & 3 Reg 8. 65.)

XXXIX. *Sacrificia fuiſſe ſeptiduo.* NON eſt autem exiſtimandum hæc omnia ſacrificia, vno eodemque die inchoata fuiſſe, atque perfecta; ſed ſeptem dierum ſpatio, quibus durauit hæc dedicatio. Nam tantæ lanienæ, neque locus neque tempus, neque perſonæ ſufficere vllo modo potuiſſent; quamuis præter altare holocauſtorum, etiam medium atrii inter altare & templi porticum ſanctificatum eſſet, [i] vt ſimul ibi ſacrificaretur, quamuis tota nocte arderet altare, [k] quamuis etiam non vnius tantum vicis Sacerdotes, & Leuitæ tunc miniſtrarent, ſed omnes ſanctificati eſſent, nec diſtinctio illa tunc ſeruata fuerit, vt ſcriptum eſt. [l] Nam quamuis totis ſeptem diebus ſacrificatum affirmemus, in ſingulos tamē dies ſupererunt ſacrificia boum trium millium centum & quadraginta duorum, & ſex præterea in aliquem eorum; ouium autem ſeptemdecim millium 142. & aliquot amplius. Maxima autem frequentia ſacrificiorum primi atque vltimi diei fuit, vt qui maxime ſolemnes eſſent. Denique ſeptem diebus tabernaculorum ſua etiam holocauſta Domino offerebantur. [m] (i 3. Reg 8. 64. 2. Paral 7. 7. k Leuit. 6. 9. l 2. Paral. 5 11. *Et permulta in ſingulos dies cadebant.* m Leuit. 23. 36. 37.)

XL. *Dies octauus collecta, &* SED quæ eſt iſta octaui diei collecta? Caiet. in 23. Leuit. & D. Thom. [n] Lyran. & Abulenſis in eundem Leuitici locum volunt eſſe octauum diem feſti taberna- (n q. 102. 1. 2. 4. ad 10.)

a v.36.& 2. Eſd.c 8.18.
culorum, qui cadit in 22. menſis ſeptimi, idque perſpicuum eſt ex 23. Leuit. [a] vbi dicitur dies octauus celeberrimus atque ſanctiſſimus, *eſt enim*, inquit, *cœtus*, *atque collectæ*. qua die fieret collectio pecuniarum, & rerum pro vſu diuini tabernaculi. Et iuuant hanc ſententiam verba Apoſtoli [b] qui collectam ita ſumit. At Azor, [c] & Ribera qui hæc ſtudioſius examinarunt, [d] volunt diem cœtus ſiue collectæ eum fuiſſe, quo relictis tabernaculis, ſimul omnes in tabernaculum Moyſis ſiue in templum conueniebant, gratias Deo ſolemnibus ſacrificiis relaturi, quod poſt longam illam quadraginta annorum peregrinationem, tandem in terram promiſſam omnes tribus ſaluæ perueniſſent. Ei autem ſententiæ etiam fauet, quod poſt dies azimorum etiam feſtum collectæ celebrabatur, vt patet Deuter. 16. 8.

quæ illius dies ratio.

b 1. Cor. 16. 1. c t. 1. l. 6. c. 38. d l. 5. de tẽp. c. 15 & 16.

XLI. *Tertia collectæ ratio.*

e l. 5 de tep. Heb. c. 13.

VERVM Sigonius [e] collectam refert tantum in gratiarum actionem frugum receptarum: quæ videtur ſatis aperta ſcripturæ ſententia. Nam in dicto loco Leuit. vbi primo fit collectæ mentio, feſtos dies tabernaculorum & collectæ celebrandos ait, quando congregarint omnes fructus terræ ſuæ, quaſi dicat in gratiarum actionem; ſicut ſeptem tabernaculorum dies erant in memoriam habitationis in tabernaculis in deſerto. Et rurſum Scriptura [f] in feſto tabernaculorum ad eandem collectam alludens ait. *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area, & torculari fruges tuas.* Et hæc mihi ſententia videtur probabilior; niſi malis omnes, quod tuto licet, amplecti; nam & colligebatur populus, & gratias de frugibus collectis agebat, eademque opera pecuniæ colligebantur. Collecta vero azimorum erat in gratiarum actionem de collectis primitiis in ſpem futuræ meſſis. Nam colligebatur manipulus inter fruges minus maturas, & ſic ab aliis ſeparabatur, vnde & manipulus ſeparationis vocatur à Theodoreto, [g] ex Septuaginta in quibus eſt δράγμα ἀφορίσματος, vel, vt alii codices habent, ἐπιθέματος, ſed de his ſatis.

f Deut. 16. 13.

g q. 32. in Leuit.

XLII. *Dimiſſio populi.*

h 2. Paral. 7. 10.

HOC ipſo die octauo denuntiata eſt populi dimiſſio in ſequentem vigeſimum tertium diem, quo quemque in ſua remigraſſe conſtat. [h] *Igitur in die vigeſimo tertio menſis ſeptimi, dimiſit populos ad tabernacula ſua lætantes; atque gaudentes ſuper bono, quod fecerat Dominus Dauidi, & Salomoni, & Iſraeli populo ſuo.*

Sacerdotum, & Leuitarum vices ad praxim redactæ.

i 1. Paral. 23. & ſeqq

Eſt tamen rationi in primis conſentaneum, & dignum prudentia, & pietate Salomonis, vt ante huius conuentus diſſolutionem in præſentia Sacerdotum omnium, & Leuitarum, qui tum Hieroſolymam confluxerãt, exequeretur ea Rex quæ de Sacerdotum, & Leuitarum vicibus à Dauide [i] conſtituta fuerant, quæ ad eam diem obſeruata non erant, dum templi abſolutio, quæ approperabatur, aduentaſſet. Quamuis ſi narrationis ſcripturæ ratio habeatur, tardius multo id factum videri poſſit; narratur quippe poſt alia, quæ poſt vigeſimum quartum Salomonis annum contigerunt, vt patet ex cap. 8. 2. Paral. Quod autem in eodem lib. dicitur. [k] *Nec adhuc in illo tempore vices, & miniſteriorum ordo inter eos diuiſus erat*, ex Hebræo explicandum eſt, vbi habetur ad verbum *non erat obſeruare diſtinctiones*, id eſt nondum erant in vſu, atque praxi. Hæc Salomonis executio habetur 2. Paral. [l] *Et conſtituit iuxta diſpoſitionem Dauid patris ſui officia Sacerdotum in miniſteriis ſuis, & Leuitas in ordine ſuo, vt laudarent, & miniſtrarent coram Sacerdotibus, iuxta ritum vnius cuiuſque diei, & ianitores in diuiſionibus ſuis per portam in portam: ſic enim præceperat Dauid homo Dei.* Id habetur fuſe 1. Paral. [m] vbi habetur, quæ quibuſque Leuitarum familiis portæ cuſtodiendæ ſorte obtigiſſent, vices autem & miniſteria Sacerdotum, iuxta Dauidis perſcriptum habentur, de quibus ſuo loco dictum eſt. [n]

k c. 5. 11.

l c. 8. 14.

m c. 9. & præſertim 26.
n 1. Paral c. 22. 29. & c. 9. 30. & c. 24.

XLIII. *Sacrificiorum fundatio à Salomone facta.*

ANTE eandem dimiſſionem, videtur etiam Salomon fundationem, vt vulgo vocatur, quorundam ſacrificiorum inſtituiſſe ſumptibus ſuis; hic enim calor nouæ deuotionis commodius hoc tempore potuit huiuſmodi voluntatem ingenerare, quo ſacrificia diuino igne ſuccendi vidit, & templum totum diuina præſentia magis, quam vlla alia cerimonia ſanctificari; quam alio deinceps tempore, quo noui ſumptus neceſſarii fuerunt regiis ædificiis, & deuotio ipſa refrixit. Sic autem habetur 2. Paral. 8. *Tunc obtulit Salomon holocauſta Domino, ſuper altare Domini, quod extruxerat ante porticum*, id eſt precium holocauſtorum, ſiue victimarum, nam ſequitur; *vt per ſingulos dies offerretur in eo, iuxta præceptum Moyſis in Sabbathis, & in Calendis, & in feſtis diebus ter per annum, id eſt, in ſolemnitate azimorum, hebdomadarum, & tabernaculorum.* Salomon igitur ſumptus dedit ordinarios in ſacrificia Paſchæ, Pente-

VNDATI EMPL. 8.

coſtes,& ſcenopegiæ,& præterea in ſingulos dies Sabbathi,& Calẽdarum. Quod notauit & Caiet. in eum locum, & verba ipſa diligentius conſiderata id exigunt, idque Hebræo,& Græco textui conſentaneum eſt; & ſic intelligendum eſt illud 3. Reg. [a] *Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, & pacificas victimas ſuper altare, quod ædificauerat Domino*, &c. Hic enim locus ex illo explicandus eſt.

INCHOATVR REGIA DOMVS.

a c.9.25.

XLIV. *Inchoatur regia domus.*

Hoc ipſo anno vndecimo regni Salomonis inchoatam quoque fuiſſe regiam neceſſe eſt. Nam ex 3. Reg. [b] conſtat eam tredecim annis ad perfectum vſque fuiſſe perductam,& intra viginti annos tam templum, quam regiam ædificatam fuiſſe; [c] cum ex altera parte ſex menſes vltra ſeptem annos templo inſumptos, ex ante dictis perſpicuum ſit; ſi inchoationem domus regiæ, in ſequentem annum differamus, intra viginti annos vtrumque ædificium perfectum non fuerit; aut octo templo, duodecim regiæ domui aſſignandi erunt, quod vtrumque contra ſcripturam eſt. Dicendum igitur ſicut ſeptem anni domus Domini, epimetro menſium aliquot aucti ſunt, ita tredecim annos regiæ, iiſdem menſibus fuiſſe diminutos. Primus enim illorum ab octauo menſe inchoatus, quinque tantum menſium fuit. Eandam chronologiam ſequitur Torniellus quintæ mundi ætatis anno 8. & alii.

b ca.7.1.
c 3.Reg.9.10.& 2.Paral.8.1. Nu.1.

XLV. *Qua ædifi- andi cau-*

Cvm ergo Salomon ex perfecto Dei templo magnam quandam animo voluptatem cepiſſet, vidiſſetque ſibi ex ſententia ædificandi ſtudium cedere, fortaſſis etiam non parum ſibi materiæ multiplicis ex templi reliquiis,& pecuniarum etiam in ſumptus ſupereſſe; animum ad regiam ædificandam adiecit. Acceſſit illa cauſa, quæ eius etiam pietatem in Deum teſtatur. Exiſtimauit enim vxori ſuæ, quamuis dilectæ,& ad Iudæorum ritus conuerſæ, quia origine erat Aegyptia, & forte à patria ſuperſtitione non ſatis aliena, habitationem in arce Dauidis, in qua multis annis arca Dei reſederat, permittendam non eſſe; maluitque ei regiam domum à fundamentis excitare, quæ tamen domui ſuæ in ſignum coniunctionis animorum, coniuncta eſſet. Huc ergo pertinent ea verba 2. Paral. [d] *Filiam vero Pharaonis tranſtulit de ciuitate Dauid in domum, quam ædificauerat ei.* Hæc tranſlatio poſtea ſuo tempore facta eſt, ſed anteceſſit, & ad hoc tempus pertinet quod ſequitur. *Dixit enim Rex, non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Iſrael, quia ingreſſa eſt in eam arca Domini.*

d c.8.11.

XLVI. *Quæ materia, atque idea ædifi-*

Et hoc quidem anno dici poteſt egiſſe Regem apud ſe, & cum peritis architectis, de idea huius palatii, ad quam non forma ſolum, ſed materia etiam pertinet; delectum etiam locum idoneum, præparatam aream totam, lapides parari, ac poliri cœptos. Non putarim tamen ineunte iam hyeme fundamenta iacta; imo neque excauata; ne inutiliter aliquot menſes vacua remanerent, & terris vtrimque, tum ſuopte pondere, tum hybernis imbribus degrauatis, iterum opplerentur.

Quod ad ideam attinet, Villalp. [e] ait mirabilem templi ſtructuram, modum præſcripſiſſe omnibus fabricis Salomonis. Cum enim diuinam ſapientiam noſſet domum illam fuiſſe architectatam; exiſtimauit eius proportiones in aliis ædificiis, quantum res ferret, eſſe obſeruandas, circa longitudines, latitudines, altitudines, diſtantias, columnarum, feneſtrarum, paraſtadum, ſemicolumnarum, contignationum, &c. Addit etiam varias areas, atque porticus, pluresque in ſingulis ambulationes, aliaque id genus, quæ diſtinctius explicanda in ſequentem annum differimus, ne bis eadem referre cogamur. Iiſdem vero architectis vſum, & eiuſdem Regis Tyrii opera, ſatis indicatur in fine totius ædificationis, cum eius labores,& ſumptus viginti ciuitatibus remuneratus eſt; ſed id ad decimum tertium ab hinc annum differendum eſt.

e t 2.l.5 c. 11.

XLVII. *n Salomon præter templum tres domos ædificarit.*

Illvd autem differri non poteſt, vnáne domus fuerit domus Regis, domus Reginæ, & domus ſaltus Libani, an vero tres, locis, habitatoribus, vſibuſque diſtinctæ. Communis multorum eſt ſententia fuiſſe tres, ita Comeſtor. [f] Lyranus, [g] & ibid. Dionyſius, Caiet. Hugo, Abulenſis, [h] Vatablus, Adrichomius, in ſua Ieruſalem, [i] & in ſua chronol. Genebr. quoque in chronol. Torniel. in ſuis annalibus. anno 8. quintæ ætat. in fine.

f l.3 Reg c. 22.23.
g in c.7 3. Reg.
h q.2.& 3.
i n 42.58.& 59.

Quæ videtur aperta Scripturæ ſententia. Nam de domo Regis initio cap. 7.

TRESNE DOMVS SALOMONIS, AN VNA.

3. Reg. ita loquitur. *Domum autem ſuam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vſque perduxit.* Subdit autem de altera domo. *Ædificauit quoque domum ſaltus Libani.* tum denique. [a] *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis.* Accedit ipſius Salomonis teſtimonium Eccl. 2. *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos*, non ergo vnam ſed plures, quæ tertio Regum diſtinctæ numerantur. Quæ fuit etiam Lorini noſtri ſententia, in eum Eccleſiaſtæ locum.

a v. 8.

XLVIII. *An vero vnicam.*

ALII è contrario cenſent vnicam tantum à Salomone domum ædificatam fuiſſe, ſed eam longe ampliſſimam, atque maximã, tribus partibus, quaſi totidem domibus diſtinctam; quod in magnis principum palatiis non raro cernitur. Ita ſentit cum Villalpando in ſua imagine Hieroſolymitana Pineda. [b] Et ſine dubio eadem eſt & Scripturæ, & Ioſephi ſententia. Nam in 3. Reg. [c] *Expletis*, inquit, *annis viginti, poſtquam ædificaui erat Salomon duas domos, id eſt domum Domini, & domum* Regis, &c. quemadmodum nomine vnius domus Domini, multa ædificia, plurimum à ſe forma, & magnitudine diſtincta comprehendit, & diuerſorum habitationi deſtinata. Ita domum Regis vocauit, cuius partes erant, tam quæ à Rege, quam quę à Regina inhabitabantur; & inſuper tertia pars ſaltus Libani, quæ vtriuſque recreationi ſeruiebat; nec poteſt negari, quin nomine domus Regis, illæ tres domus, aut tria eiuſdem palatii membra comprehendantur; alioqui doceant quo alio tempore domus iſtæ conſtructæ fuerint. Eadem eſt ſententia 2. Paral. [d] & totidem fere verbis comprehenſa. Eadem & 3. Reg. [e] vbi poſtquam dixit Salomonem domum ſuam ædificaſſe tredecim annis, & ad perfectum vſque perduxiſſe, alia duo membra ſubiunxit, quæ ad perfectionem, & integritatem eius pertinerent; quæ propter earum amplitudinem, & ſeparatos, quaſi in ſeparatis ædibus, habitatores, domos appellauit. Id Hebræa lectio ſatis confirmat, pro eo enim quod vertit D. Hieronymus, *ſed ad perfectum vſque perduxit*, Hebraïce legitur. *Et compleuit omnem domum ſuam;* quomodo habet etiam Chaldæus. Septuaginta vero, & Vatablus, *& perfecit totam domum ſuam*, tribus ſcilicet partibus prædictis conſtantem. Et Abul. [f] fatetur nomine huius domus tredecim annis perfectæ, tria ædificia comprehendi.

b l. 5 de reb. Salomo c. 6 n. 1.
c c. 9. 10.
Quod ex ſcriptura probatur.
d c. 8. v. 1.
e c. 7. 1.
f q. 3.

XLIX. *Ex Ioſepho.*

IOSEPHVS [g] domum ſaltus Libani, non domum, ſed aulam vocat, quaſi partem regiæ baſilicæ. *Nihil magis mirata eſt*, inquit, *Regina Saba quam aulam, cui cognomen ſaltus Libani.* Et eodem cap. paulo ſuperius, cum ſuſciperet regiam domum deſcribendam, ei menſuras eas, & partes, & ornamenta tribuit, quæ Scriptura domui Libani. Deinde addit huic ædificio coniunctam fuiſſe domum in vſum Reginæ factam, & alias aulas, quo ſe negotiis peractis, animi cauſa conferret [illegible] & [illegible], habitationes Ruff. Gelen. aulas vertit. Denique domuncula ad iudicandum, quam Theodoretus [h] Prætorii veſtibulum vocat, & partem domus regiæ; Scriptura domui ſaltus Libani attribuit.

g l. 8 c. 2.
h q. 24 in 3. Reg.

L. *Vbi constructum Regis palatium. In Sione ad templi latus meridianum.*

SED quis erat vniuerſæ huius baſilicæ, & regiarum ædium locus? Ex dictis iam perſpicuum eſt falli qui putarunt domum ſaltus Libani extra Ieruſalem fuiſſe, vt mox dicetur. Nam domus quoque Regis, & Reginæ, & prætorium extra vrbem ponenda eſſent, quod nemo dixerit.

Dico breuiter cum Villalpando, & Pineda [i] regiam Salomonis in montis Sionis orientali colle erectam fuiſſe, ſicut Dauidis regiam in occidentali; iuxta templum, & ad partem eius meridianam, interpoſita valle dicta Tyropæon, ſeu voragine ciuitatis Dauid. Vnde facilis fuit tranſitus a regia in templum, per ędificium Mello dictum, quod inſtar erat pontis, pari fere ſtructura excitatum, qua templi ſubſtructiones. Idque confirmatur ex variis Scripturæ locis, quæ hanc regiæ & templi vicinitatem aperte docent; qualis eſt, vt de aliis taceam, hiſtoria mortis Athaliæ, quæ ex regia audiuit vocem populi clamantis in templo, *Viuat Rex.* [k] Dicitur ibidem partem militum, quæ à Pontifice diſpoſita erat in variis templi locis, ad noui Regis defenſionem ad domum Regis fuiſſe collocatum; id eſt, ad portam, qua ex regia per Mello veniebatur in templum; vt ibid. Vatabl. ſignificat: cumque eiecta de templi ſeptis eſſet, vt interficeretur quamprimum extra templum iuſſu Ioiadæ, dicitur intraſſe portam equorum domus Regis, ibique interfecta. v. 15.

i t. 3. p. 1. l. 2. c. 2. & l. 3 c. 10 & Pineda l 5. c. 6. n. 2. & 3.
k 2. Paral. 23 12. & v. 5.

LI. *Quam prudenter electus is locus.*

RECTE autem electus eſt hic locus regiæ in mõte Sion, celſiore ſcilicet, & mu-

nitiore loco totius ciuitatis, vt ſic mons totus quaſi gemina arce regia Dauidis, & Salomonis palatio, ab occidente, & oriente protegeretur; ciuitatem etiam ſubiectam protegere poterant, & in officio continere. Quinetiam templo propter vinitatem præſidio eſſe, & Regi magnam adeundi templi commoditatem præbere. Accedebat quod ex regia facilis eſſet extra ciuitatem egreſſio per portam aquarum, & equorum, quæ admodum propinquæ erant regiis ædibus, vt patet ex dictis, & ex lib. 2. Eſdræ, [a] & ex imagine Villalp. vrbis Ieruſalem. Nec multum repugnat Ieruſalem Adrichomii, quod ad vicinitatem hanc portæ aquarum. *a c 3. n. 25 & 26.*

LII. *Cur dicta domus ſaltus Libani.* Ex his porro intelligitur domum ſaltus Libani, neque in Libano monte, neque ad Libanum fuiſſe, vt inde nomen acciperet, ſed vel quod ad eam Sionis partem vergeret, quæ nemoroſa eſſet, vnde 2. Paral. [b] dicitur armamentarium fuiſſe in loco conſitum nemore. Hebraïce habetur in ſaltu Libani. Vatabl. Pagnin. Regia, Caietanus, Septuaginta. Vel certe ita vocatam fuiſſe eam domum, quod quaſi Libanus cedris, ita cedrinis columnis frequentibus conſita eſſet; quæ eſt ſententia Theodoreti, [c] Procopii, Pinedæ, [d] Villalpandi. [e] Reliquus annus abiit in conquirenda, & congerenda, & deuehenda materia in montem Sion, precioſis ſcilicet lapidibus, & lignis cedrinis, & abiegnis ex monte Libano, vt patet ex 3. Reg. [f] laborantibus de more ſeruis Hiram Regis Tyri, cum ſeruis Salomonis, vt ab initio conuentum fuerat. [g] Quem contractum cum eo fuiſſe renouatum, & nouas quaſdam conditiones adhibitas [h] ſatis intelligitur; & nos ſuo tempore explicaturi ſumus.

b 9 16. *c q. 24 in 3. Reg.* *d 15. c. 6. n. 1.* *e t 2 l. c. c. 10.* *f c 7. & 9 v. 9. & 11. & c. 9 v. 11* *g 3. Reg. 5.* *h ex c. 9. 3. Reg.*

SCHOLIVM IN ANNVM SALOMONIS. II.

QVæ aliter Beda quoque interpretatur, libro de templo cap. 17. vt menſe octauo dicatur abſoluta plane domus Domini, includendo, etiã dedicationem, quę vſque ad vigeſimum tertium diem ſeptimi producta eſt, quando Rex populum dimiſit ad ſua. 2. Paral. 7. 10. cum vna tantum hebdomada de ſeptimo menſe remaneret, vt menſis octauus excluſiuè accipiendus ſit. *1. N. III.*

ANNVS MVNDI 3031. DILVVII 1375. 5e. ÆTATIS. 92. SALOM. 12. SADOCI PONT. 11. FVNDATI TEMPLI 9. TROIÆ EXCISÆ 160. LAOSTHENIS 3. IMPERII ASSYRIORVM 1100.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1022.

I. *Conſtructio ædium regiarum.* SVSCEPTÆ [i] regiarum ædium ædificationis hoc anno iacta videntur fundamenta, nec forte plane iacta ſunt, quamuis in principiis feruere ſoleat opus; conſtat tamen tam Regem, quam populum longe minus ad hoc opus ſtudii attuliſſe, & ipſum per ſe ſe magnum, atque operoſum fuiſſe. Vtriuſque teſtis eſt locuples Ioſephus [k] his verbis. *Abſoluta autem templi fabrica, quæ ſeptennio vt dictum eſt durauit, regiæ ſtructuram eſt aggreſſus, quam vix tertio decimo anno conſummauit. Neque enim tantam curam huic operi, quantam ædificando templo impendit. Sed illud quidem amplum licet, & pluſquam credi poſſet celebre, cooperante Deo intra iam dictum tempus perfectum eſt. Regia vero tametſi multum magnificentia cederet, quod neque materia eius tanto ante præparata fuiſſet, & Regi non Deo ſtrueretur domicilium, eo tardius ad finem eſt perducta. Et hæc tamen pro dignitate fortunarum Regis, ac gentis eſt ædificata.* Hæc Ioſeph. *i 3. Reg. 7.* *k l. 8. c. 2.*

II. *...arum fundamen...* Dvo autem ſunt quæ hæc fundamenta difficilia, & laborioſa reddiderunt, primum eſt fundatio Mello, alterum ipſa ædificii amplitudo. Vt primum intelligatur memoria repetendum eſt montem Sion à monte Moria longa, & profunda valle, ſeu voragine diſtingui, quę tyropœon, & Mello dicebatur, quę vallis à meridie habet montem Sion, à Septentrione montem Moria. Et ſicut ad la-

xandam vndique templi aream, ſubſtractiones in hac valle excitatæ fuerunt; ita & cum mons Sion à Dauide mœnibus cinctus eſt, in eadem valle crebræ anteri- (1. Reg. 5. 9.) des excitandæ fuerunt, quibus ea mœnia fulcirentur. At cum oportuit regiam ædificare, quæ in magnam celſitudinem aſſurgeret, turres etiam peraltas, validaſque diuerſis in locis ſupremæ contignationi imponeret: Iacienda fuerunt profundiſſima ex hac parte, validiſſimaque fundamenta.

III. *Pons inter ædes, & templum.*

ET quoniam commoditas quærebatur templum ex regiis ædibus adeundi, pons vnus excitandus fuit (geminum etiam Villal. ponit in typo Ieruſalem) templum inter, & regiam, qui ſimul vtrique præberet firmitatẽ, arcubus vtrique contra vtriuſque fundamenta, & ſubſtractiones obnitentibus. Huius autem pontis pilæ in infinitam quandam vallis, ſeu voraginis profunditatem, donec veniretur ad ſolidum, deiiciendæ fuerunt, & eo craſſiores, quo futuræ erant altiores; vt parum aut nihil templi ſubſtructionibus cederent, niſi quod hic paucæ, ibi plurimę fuerunt. Fuerunt autem hæ pilæ duæ, treſve, vtrinque ſuis anteridibus, ſiue eriſmis muniendæ; propter iugem, & perpetem aquæ decurſum, quæ extra vrbem in torrentem Cedron exonerebatur, quæ tantiſper fuit auertenda.

Eius pilæ in fundamenta.

IV. *Ædificatio Mello.*

ITAQVE maxima in his pecuniarum vis exhauſta eſt, tam populi ipſius, quam Salomonis. Hæc enim fundamẽta communibus quoque populi ſumptibus eum ædificaſſe, eoque facto non leuem populi contraxiſſe offenſionem, colligi poteſt ex 3 Reg.[a] vbi cauſa vna ſeditionis cõtra Salomonem poni videtur. *Quia ædificauit Mello, & coæquauit voraginem* non obruendo profunditatem, ſiue voraginem cõgeſtitia terra, atque lapidibus, ſed ædificando; cum ſcilicet vno, & altero ponte æquam fecit viam à regiis ędibus ad templum. Neque enim putandum eſt aquam, quæ in eam vallem, ex vtroque monte deriuabatur ibi retentam; quia tetram exhalaſſet templo & palatio mephitim: neque alio deriuatam, cum ea vtrique, dum ſemper decurreret, multiplicem vſum præbere poſſet. Alias expoſitiones ędificationis Mello leges in Pineda,[b] & Abulenſis;[c] ſed hanc puto commodiſſimam, facileque omnibus probatũ iri, de cauſa vero ſeditionis alio loco dicendum erit.[d]

V. *Nec differenda.*

AT inquies; dicitur[e] Salomon ædificaſſe Mello, cum vxor ſua venit in regiam ſibi recens ædificatam. Non ergo pertinet ad fundamenta, quæ à principio oportuit ædificata. Hoc argumento magis vrgebitur Villalp.[f] qui Mello putat fuiſſe templi ſubſtructiones, quæ ad eius fundamenta pertinuiſſe nemo dubitare poteſt. Reſpondeo ergo illud *tunc* non præciſè ad illam Reginæ commigrationem referri, ſed ad illam enumerationem ædificiorum, quę paulo ante præceſſerat, vel ad extructionem ipſiuſmet regiæ. Sic enim habet. *Filia autem Pharaonis aſcendit* (Pagnin. *deſcendit* quia arx Dauid erat excelſior reliquis omnibus Sionis locis, vbique tamen legitur *aſcendit*) *de ciuitate Dauid in domum ſuam, quam ædificauerat ei Salomon*; tunc (cum ſcilicet eam domum ædificaret) *ædificauit Mello.*

VI. *Quæ dimenſio fundamentorum, & ipſarum ædium.*

IAM vero fundamenta reliqua in longum, & latum patuerunt, quantum tres iſtæ domus cum atriis, porticibus, aulis, cubiculiſque; qua in re ſi doctorum & interpretum ſententias quærimus vt in difficili, & impedito negotio, & in quo diuinandum potius, quam diſſerendum eſt, quot capita, tot ſententiæ, reperiuntur; & cuique facilius eſt alienam refutare ſententiam, quam afferre ſuam, quæ authori ſuo, vel ſcripturæ plane ſatisfaciat. Si Villalpandi dimenſioni in typo Hieruſalem credimus, longitudo totius ædificii ad ducentos & quinquaginta circiter cubitos ſacros patuit, id eſt fere quingentos pedes, latitudo autem fere centum & triginta cubitorum fuit, ſed parum ei conſentit Pineda.[g] Neque ego circa iſtarum trium domorum diſpoſitionem inuenio, quod mihi ipſi ſatisfaciat; aut quod aliis ſperem facturum ſatis, nedum admirationem ſapientiſſimæ, potentiſſimæque Reginæ concitaturum. Sed neque id exigit, aut pollicetur argumentum meum. Itaque hanc architecturam perito cuipiam, & ingenioſo architecto relinquemus. Eſt porro hic annus Sabbaticus ordine ſexageſimus quartus, ex quo Hebræi tranſmiſſo Iordane in Chananitidem penetrarunt; nam inde ad templi fundationem 440. anni numerantur; ſic vt quadrageſimus, ſit primus iactorum fundamentorum annus. Hic eſt ergo 448. qui numerus 64. annorum ſeptenaria exacte continet; quem annum rite obſeruatum, annitente Salomone par eſt credere.

Sabbaticus 64.

a c. 11. 27.
b l. 5. c. 11. 8.
c 3. Reg. 11. q. 19.
d Salo. 38. n 25.
e 3. Reg. 9. 24.
f t. 3. l 2. c. 8.
g l 5 c. 7. de reb. Salom.

ANNVS MVNDI 3032. DILVVII 1376. 5ª. ÆTATIS. 93. SALOMONIS 13. SADOCI 12. FVNDATI TEMPLI 10. Troiæ excisæ 161. Laosthenis 4. Imperii Assyriorvm 1101.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1021.

I. PRimvs eſt hic annus qui duodecimo ſeculo imperij Aſſyriorum dat initium; in quo æque ſilentium à rebus geſtis, atque aliquot præcedentibus. Iactis porro ſuperiore anno regiarum ædium fundamentis, cœpta eſt hoc anno exædificatio: niſi malimus hunc quoque annum fundamentis tribuere, quæ diximus fuiſſe operoſiora, propter ædificationem Mello: & res lentioribus ſtudiis, & multo paucioribus operariis, quam templum vrgebatur.

ANNVS MVNDI 3033. &c. DILVVII 1377. QVINTÆ ÆTATIS 94. SALOMONIS 14. SADOCI 13. Fvndati templi 11. Troiæ Excisæ 162. Laosthenis 5. Imperii Assyriorvm. 1102.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1020.

I. *Nonus Iubilæus Moſaicus.* DEcimvs quartus Salomonis annus nono Iubilæo Moſaïco nobilitatur, nouies ſcilicet euoluto quinquaginta annorum ſpatio, ab ingreſſu populi ductore Ioſue, in terram promiſſam: cumque primus inciderit in annum mundi 2633. vt eo anno annotauimus; quadringentis inde annis tranſactis, oportet præſentem nono Iubilæo inſigniri. In hunc porro, & ſequentes aliquot annos; quoniam eos accuratius diſtinguere non poſſumus, referenda eſt tum integra & perfecta regiarum ædium ædificatio, tum amplificatio famæ, & opulentiæ Salomonis, de vtroque capite narratio ſuſcipienda, paucíſque expedienda eſt.

II. *Materia ædium regiarum.* Qvod ad primum attinet ideam triplicis huius palatij, neque ex ſcriptore ſacro, neque ex Ioſepho nobis efformare licet; licet tamen quæ ab vtroque afferũtur hac de re, proferre. Primùm omnia *lapidibus precioſis* ædificata eſſe, ait Scriptura; [a] ad refellendum Caiet. & ſi qui alii arbitrati ſunt totam domum ſaltus Libani fuiſſe ligneam. Lapides autem precioſos intelligo magni precii, raros, peregrinos, & è longinquo magnis ſumptibus aduectos, marmoreos, porphyreticos, parios, & id genus alios. Conſentit Ioſephus, qui ſcribit Reginæ domum, & alias aulas, quo ſe negotiis peractis animi cauſa conferebant, omnes fuiſſe quidem cedrinis tabulis conſtratas; nihilominus tamen partim ſaxo quadrato decem cubitali conſtructas, partim ita vt ſolent regiæ, vel templa incruſtatas precioſo marmore, quod è locis eo nomine celebribus apportabatur. Sed quid mirum parietes, feneſtras, portas, poſtes, limina, paraſtades, columnas, cum baſibus, capitellis, ſtylobatis, omnique epiſtyliorum, zophororum, & coronidum apparatu, precioſis lapidibus conſtitiſſe, cum de fundamentis legamus; [b] *Fundamenta autem de lapidibus precioſis, lapidibus magnis, decem, ſiue octo cubitorum.*

[a] 3. Reg. 7. 9.
[b] 3. Reg. 7. 10.

III. Lapides magnæ molis, ac precij.

HOC precium in magnitudine videtur ponere, vt fundamentum totum ſaxis ingentibus conſtaret, partim octo, partim decem cubitorum; id eſt duarum duntaxat menſurarum, & magnitudinum; huiuſmodi enim maioris eſſe precii quam minora nemo ignorat; difficilius enim tanta moles in lapidicinis inuenitur, & integra eruitur, defertur. Idque innuit cum de lapidibus qui è terra extabant, ſubdit. *Et deſuper lapides precioſi æqualis menſuræ ſecti erant.* Quomodo habent etiam Septuaginta: at ex Hebræo alii legunt. *Et ſupra à fundamento erant lapides precioſi, ſecundum menſuras lapidum dolatorum*; nulla facta mentione æqualitatis, vt notat Caiet. quaſi dicat, illorum pretium ex bonitate, & firmitate quidem, ſed præcipue ex magnitudine petitum fuiſſe; iſtorum vero ex pulchritudine, raritate, læuitate, colore, ſplendore, duricie, maculis, &c. Sed forte olim legebatur æqualis menſuræ ſectis, ſiue dolatis erant, ſicque vulgata lectio cum Hebræa, & Chaldæo paraphraſte plane congrueret; ſed nihil muto.

IV. Ornamenta parietum.

AD formam, & pulchritudinem eiuſdem regiæ pertinent illa Ioſephi eodem loco. *Difficile eſt enumerare amplitudinem, ac varietatem aularum, tam maiorum, quam mediocrium, tum quæ ſub terra latebant, quæue in aerem elegantiſſimè attollebantur. In ſumma totum ædificium è marmore candido, & cedro, & auro, atque argento conſtabat, diſpoſitis per parietes, & laquearia variis lapillis auro incluſis, quemadmodum & in ornatu templi factum fuerat.* Ita Ioſephus, quod innuere videtur Scriptura. [a] *Et tabulatis cedrinis veſtiuit totam cameram, quæ quadraginta quinque columnis ſuſtentabatur.* Certe ligneæ tabulæ niſi auro vel argento contegerentur, non magno eſſent ornamento aulis iſtis, & cameris, ad ſplendorem, & magnificentiam comparatis: vnde mox cum de eximia illa porticu, in qua erat tribunal, ageret, dixit eam tectam fuiſſe lignis cedrinis à pauimento, vſque ad ſummitatem.

a 3. Reg. 7. 3.

V. Et aulæorum.

ITAQVE quæ de obtectorum parietum artificio in templo dicebamus, hic proportione quadam intelligenda ſunt: quamquam etiam ad alium finem cedrinas tabulas parietibus appoſitas ſuſpicari poſſumus, vt ſcilicet aulæa precioſa, & picturæ, quæ ſuperponebantur, melius conſeruarentur, nec ab humore parietum aliquid vitii contraherent. De his ita Ioſephus. *Et tribus quidem ordinibus aulæis Babylonicis parietes prætexebantur, quartus vero ſculptorum admirabile ædificium oſtentabat; in quo effecta variæ arborum, ac plantarum ſpecies, frondibus, & foliis tanta ſubtilitate expreſſis, vt agitari quodammodo viderentur. Reliquum vero quod ſupererat vſque ad lacunar opere albario tectum, & diſcoloribus picturis erat variegatum.* Sic interpres non ſatis vbique fideliter; in textu certe nulla eſt aulæorum Babyloniorum, vel aliorum mentio; ſic enim legitur ἢ τὸ μὲν ἀπὸ αὐτοῦ κάλλος ὅτι τελεστιχίαν ἐν συνυφασμένον, τὸ δὲ μοῖρα γλυφέων περιεῖχε θαυμάζειν ἐπιστήμην. Significat parietes tribus quaſi verſibus precioſorum lapidum diuerſorum colorum fuiſſe diſtinctos, quorum verſus vnus, ſiue ordo mirificis ſculpturis conſtaret. His non admodum diſſimilia habet Plinius [b] vbi luxum ſeculi ſui accuſat. *Nunc vero*, inquit, *in totum marmoribus pulſa pictura iam quidem, & auro, nec tantum vt parietes toti operiantur, verum & interraſo marmore, vermiculatis ad effigies rerum, & animalium cruſtis.*

b l. 35. c. 1.

VI. Supellex Regiæ aurea, ex Ioſepho.

QVOD ad ſupellectilem regiam, neque à veritate, neque à Scriptura recedit Ioſephus cum ait. *Præter hæc erant & alia cubicula ad voluptatem facta, & porticus ad ornatum regiæ longiſſimæ, in quibus ſplendidiſſima triclinia referta auro, vt quæ aurea ſupellectili, ad omne regii conuiuii miniſterium, erant inſtructiſſima.* Audi enim Scripturam. [c] *Sed & omnia vaſa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani, de auro puriſſimo; non erat argentum, nec alicuius precii putabatur in diebus Salomonis.* Vox *potabat* laxius ſumenda eſt pro conuiuabatur, ſiue veſcebatur. Nam ſic locum illum interpretatur Scriptor. [d] ſacer. *Omnia quoque vaſa conuiuii Regis erant aurea, & vaſa domus ſaltus libani ex auro puriſſimo.* Vbi Septuaginta habent omnia vaſa domus Regis Salomonis fuiſſe aurea, & omnia item domus Libani; ne ſcilicet menſæ tantum ſupellectilem auream intelligamus.

c 3. Reg. 10. 21.

d in 2. Paral. c. 9. 20.

VII. Rurſum ex Ioſepho. Argenti vilitas.

ADDIT etiam Ioſephus aliquid. *Sed & pocula*, inquit, *ex auro ſolido parauit, & de lapide precioſo in vſum conuiuii ſingulari arte fabrefacta, reliquamque omnē ſupellectilem regiā ex auro fieri curauit. Nullū enim tū argēto in commerciis precium fuit.* At hoc nimiū eſt exaggerare hyperbolen. Non enim Scriptura de mercatoribus intellexit, cum dixit nullius

precij argentum æſtimatum eſſe in diebus Salomonis; ſed de rerum ornatu, qui à Principibus, vel optimatibus adhibebatur; vt qui argento domos ornaret, non ſatis ornaſſe ſibi videretur. Quo pertinet illa querela Plinij.[a] *Heu prodigioſa ingenia,* inquit, *quot modis auximus precia rerum, acceſſit ars picturæ* (ſculpturæ potius, ſequitur enim) *& aurum argentumque cælando carius fecimus. Didicit homo naturam prouocare: auxere & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines collocare iuuit, ac per obcœnitates bibere. Abiecta deinde ſunt hæc, & ſordere cæpere, & auri, argentique nimium fuit. Murrhyna, & criſtallina ex eadem terra effodimus, quibus precium faceret ipſa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria exiſtimata eſt, habere quod poſſet ſtatim totum perire, nec hoc fuit ſatis, turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices,* &c.

Plinius ſui æui luxum arguit. — a init. l. 33.

VIII. *Scuta aurea.* SED quæ de hac ſupellectile Salomonis in ſpecie tradantur videamus. Eupolemus apud Euſebium,[b] ait Salomonem clypeos aureos mille confeciſſe. Quorum ſinguli quingentorũ eſſent aureorum. Sed ſcripturæ ſtandum eſt, quæ ſic ait.[c] *Fecit quoque Rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo; ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius. Et trecentas peltas ex auro probato, trecentæ minæ auri vnam peltam veſtiebant, poſuitque eas Rex in domo ſaltus Libani.*[d] Eadem res non parua cum diuerſitate refertur. in 2. Paral. *Fecit igitur Rex Salomon ducentas haſtas aureas, de ſumma ſexcentorum aureorum, qui in ſingulis haſtis expendebantur. Trecenta quoque ſcuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur ſingula ſcuta; poſuitque ea Rex in armamentario, quod erat conſitum nemore.* Nam primo loco ſcuta ponuntur, poſteriore haſtæ; priore peltæ, poſteriore ſcuta; & illo loco trecentæ minæ auri, in totidem aureos in iſto commutantur. Ioſephus[e] conſentaneè libro Reg. *Fecit,* inquit, *ducenta ſcuta fuſilia, ſingula ſexcentos ſiclos pendentia, & trecentos clypeos, quorum ſinguli trecentas minas pendebant.* Sic Gelenius; ſed Rufinus pro ſcutis fuſilibus. *Conflauit,* inquit, *aurum vt ducentas laminas faceret.* Græce nunc legimus εἰς διακοσίων κατασκευὴν θυρεῶν *in apparatum ducentorum ſcutorum*: quę volũt eſſe maiora ſcuta oblonga, nã θύρα i.e. porta, vnde ea vox ducitur, lõgior eſt quã latior.

b l. 9. præpar. c. 4. — c 3. Reg. 10. 16. — d 2. Paral. 9. 15. — *Diuerſimode traduntur.* — e l. 8. c. 2.

IX. *Conciliatur diuerſitas.* TOTA difficultas vt recte notauit Pineda[f] pendet ex voce Hebræa צנה tſinnah, quæ cum eadem habeatur in lib. Reg. & Paral. priore tamen loco ſcutum vertitur, poſteriore haſta. verſio Vatabli vtrobique habet haſtas, quemadmodum Pſalm. 34. 2. vbi habemus, *apprehende arma, & ſcutum;* Septuaginta θυρεὸς, Pagninus, & cæteri *ſcuta.* Cum ergo videret interpres eam vocem aliquod armorum genus, ſed incertum ſignificare, modo generali nomine arma vertit modo ſcutum, modo haſtam, prout præſenti negotio conuenire animaduertit. Et quoniam vox Hebræa originem etiam refert ad id quod eſt acuere, perforare, penetrare, factum eſt vt ea voce intelligatur à pleriſque clypeus haſtatus, qui ſcilicet perlongum habebat vmbonem, quo tanquam haſta vel gladio tranſfigi poſſit hoſtis, & ſimul qui eo tegitur protegi.

f l. 5. de reb. Salom c. 6. n. 8. — Et ibid. Hier. — Prou. 22. 5.

X. *Scutorum precium.* QVOD ſi vnicuique ſcuto tribuamus ſexcentos auri ſiclos, id eſt 2500. aureos, tribuendo centum aureos cuius libræ, ducenta ſcuta conficiunt ſummam quingentorum millium noſtratium aureorum, ſiue 40. talentorum Hebraïcorum auri. Singula vero ſcuta valebunt bis mille quingentis nummis aureis. At difficilius eſt quod vni peltæ in lib Reg. 300. minæ tribuuntur, in Paral. vero trecenti aurei ſupple, ſicli, & mina continet viginti quinque ſiclos atticos, itaque vna ſumma eſt alia maior vicies & quater, mina vero Hebræa 60. ſiclos ex Ezech.[g] continet. Ideo ſumma illa Paralip. erat minor altera quinquagies & nouies. Itaque dicendum eſt ibi minam pro ſiclo poſitam eſſe, quomodo Ioſephus dicitur venditus viginti argenteis,[h] quod exponens Ioſephus[i] ait venditum viginti minis. Trecentæ igitur peltæ trecentorum ſiclorum ſingulæ 90000. id eſt nonaginta millia ſiclorũ aureorũ valẽt, id eſt, triginta talẽta auri, quæ in aurea moneta noſtra aſcẽdit ad trecenta ſeptuaginta quinque millia aureorum;[k] & ſingulæ peltæ, ſiue ſcuta minora, valebunt mille ducentis quinquaginta aureis nummis. Pineda porro refutat Villalpandum volentem proprie minam accipere; ex quo ſequatur ſingulas haſce peltas pondus habuiſſe duorum talentarum cum dimidio, ſiue etiam trecentarum duodecim, & amplius librarum noſtratium: quod pondus importunum fuiſſet militibus, qui tamen eas ferebant, Regem honoris cauſa in templum deducentes; vt patet ex Scriptura[l] ſecundi Paralip.

Mina pro ſiclo. — g c 45. 12. — h Geneſ. 37. 28 — i l. 2. ant. c. 3 — k vide Pined. l. 5 c. 6. n. 11 & 12. — *Peltarum valor, & pondus.* — l 2. Paral. 12. 11.

XI. *Salomonis ſolium.* SEQVITVR vt de ſolio Salomonis dicamus aliquid pro inſtituta breuitate; quan-

a 3. Reg 10. 20. & 2. Paral. 9. 19. — b l. 6. c. 8. — c cap. 7. 7. — d in 3. Reg. l. 10. 3. c. 30.

quam nihil videtur amplius de illo, aut magnificentius dici poſſe, quam quod Scriptura dicit. a *Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.* Quod facile explicari poteſt ad eam diem, vel referri ad exquiſitiſſimam artem, vt retulit Pine. b quod ſcilicet ſi apud Perſas, Græcos, aut Romanos aliquod ſolium aut maius, aut precioſius inueniatur; Salomonicum tamen omnia artificioſiſſima elegantia longe ſuperauit. Ad hoc porro tempus huius ſolii conſtructio referenda eſt, ſicut & reliqua ſupellex regiarum ædium: Nam ad eas pertinere facile intelligitur ex 3. Reg. c vbi porticus ſolii, in qua erat tribunal, pars earum ædium ponitur, & perſpicue Ioſephus hoc ſolium inter opera perfecta intra vigeſimum annum recenſet. Nec obſtat quod Rupertus d vocat hoc ſolium memorabilium operum Salomonis vltimum; quod ſcilicet vltimo loco à Scriptura recenſeatur, dum alia quoque recenſet, quæ ad Salomonis magnificentiam faciunt, non adhibita ratione temporis, quo quæque facta ſunt, quo modo narrata eſt ædificatio Regiæ, antequam tota ſupellex templi recenſeretur. *Quando constructũ.*

XII. *Vbi conſtitutum.* — e c. 7. v. 8. — f l. 8. c. 2. — g cap. 7. 6. — h l. 5. c. 1.

DICAMVS igitur primum quod ad ſitum huius ſolii, vel throni attinet, illum in *domuncula* collocatum fuiſſe, *in qua ſedebatur ad iudicandum*, vt dicitur 3. Regum. e Innuitur regium ſolium medium fuiſſe; hinc inde autem humiliores fuiſſe thronos, regiis conſiliariis, & principibus deſtinatos, ex quibus omnibus conflaretur iudiciale tribunal, pluribus iudicum ſedibus conſtans. Hæc domuncula ibidem dicitur, *erat in media porticu*, forma quadrata, longa, & lata triginta cubitos, vt ait Ioſephus, f quanta ſcilicet erat latitudo porticus maioris. 3. Reg. g Itaque media pars porticus erat huic domunculæ à dextris, media à ſiniſtris; vt hinc inde populo, cui ius dicendum erat, ſubſiſtere, & inambulare inter expectandum liceret. Eam domunculam, qua parte conſtituuntur ſolia iudicum, incuruatam, vt circuli fere tertiam partem referret, videtur affirmari poſſe ex Vitruu. h idque rationi valde conſentaneum eſt, vt iudices ex ſuis ſoliis conſultare inter ſe de re propoſita facile poſſent. Verum vt aliorum iudicum thronos, de de quibus nihil Scriptura tradit, omittamus, Salomonicum omnium pulcherrimum, & maximum videamus.

XIII. *Qua forma fabricatum.* — i 3. Reg. 10. 18. — k c. 9. 18. — l t. 2. l. 5. c. 61. — m l. 6. c. 1. 7. & 8.

FECIT *ergo*, ait Scriptura, i *Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte ſuperiori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde; non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.* In 2. Paral. k additur ſcabellum aureum, quo ſcilicet proxime adhærente ſedi regiæ, Rex pro hypopodio vtebatur. Villalp. l pollicetur ſe de hoc throno vberiorem aliquando commentarium, & exemplar exhibiturum, & quidem elegans & abſolutum, vt ſpero: circa illud interim Pineda multis philoſophatur. m Nos id rudi Minerua animo vtcumque deſignatum, non ſtylo, ſed verbis; auribus, non oculis, Scripturam, & Ioſephum ſectando exhibebimus.

XIV. *Eius membra ſingula Baſis.* — *Abacus.* — *Sex gradus.* — n l. 3. c. 3. — 3. 4.

PRIMVM igitur ſupra pauimentum ſtratum marmore fuerit plinthus quadrãgula, marmorea, aut ænea; qualis crepido altaris ænei, altitudine dimidii pedis, longitudine octo, decemue pedum, latitudine ſex. Addito ad vtramque oram, & angulos elegantibus quibuſdam limbis, & diuerſis in medio florum ornamentis (hac baſi quaſi podio quatuor columnæ marmoreæ, ſiue eburneæ, aut cedrinæ ebore conueſtitæ nitebantur, ſuis baſibus, & capitellis elegantiſſimis ornatæ, quibus ſuperpoſita erat abacus, quaternis tignis cedrinis contexta, & aſſeribus, indeque aureis laminis contexta, atque circumcincta in morem epiſtyliorum quam ornatiſſimorum, cui abaco thronus ipſe inſidebat) huic plintho retractionem ante initium graduum, duorum pedum tribuere poſſumus; ſequãtur deinde ſex gradus cedrinis tigillis, aſſeribuſque contexti, ebore autem ſectili conueſtiti, pedis vnius retractione, altitudine ſemiſſis. Etſi enim Vitruuius n retractiones graduum ſequiſpedales velit, altitudinem vero dodrantalem; id tamen de magnis ædificiis intelligendum eſt, in quibus longi gradus, non portas modo, ſed tota propylea late obeunt. His autem gradibus quatuor pedũm longitudo abunde ſufficit, vt vno vtrinque pede plinthus proueharur.

XV. *Et in iis leunculi.*

IN ſingulis gradibus duo leunculi ſtabant; anteriores videlicet pedes rectos habebant, poſteriores autem decore complicatos; hi gradus altitudinem prædi-

ctarum columnarum æquabant, ſic vt epiſtylium quaſi alterum gradum efficeret, etſi in gradibus non numerabatur, ſicut nec plinthus. Erat enim quaſi theatrum quadratum regio ſolio deſtinatum, in quo poſt duos treſue retractionis pedes, erat ſcabellum aureum eiuſdem cum gradibus menſuræ; niſi quis malit hoc ſcabellum fuiſſe quaſi baſim, ſiue plinthum aliam, cui non adiunctum, ſed ſuperpoſitum eſſet ipſum ſolium, vt totum etiam à vicinis, & remotis facilius cõſpici poſſet; ſolium inquam ipſum opere magnificentiſſimo, materia precioſiſſima ex cedro, ebore, auro, gemmiſque nobiliſſimis.

...abellum ...reum.

...lium ...ſum.

XVI. *...uo alii ...nes ad ...tera.*

AD eius latera adhærebant leones duo grandiores, vel leænæ, vt vult Caiet. ex vi vocis hebraicæ; quæ tamen paſſim quaſi ἐπικοίνως ſumitur. Erant autem in anteriores erecti pedes, poſterioribus ſub ventrem reflexis, & forte altero pede regiam ſedem ſuſtentabant, altero nitebantur. Brachiola vero cathedræ eorum capitibus decore iungebantur. Poſterior autem cathedræ pars, qua reclinabatur Rex dimidiatus erat iuuencus tergum ſuum reſpiciens, vt ait Ioſephus. At Septuaginta cum numero multitudinis vtantur, duorum ſaltem iuuencorum formam agnoſcunt Regis ſedentis dorſum excipientium. His vitulorum capitibus rotunda throni ſummitas erat impoſita, qua ſummitate conchiliatum faſtigium accipi poteſt, ſolido ex auro, ſummo artificio elaboratum, pyropis, ſmaragdis, & adamantibus vndique fulgurans, oculoſque perſtringens. Deniq; probabile eſt ex incuruo faſtigii huius apice coronam regiam infiniti pretii, & exquiſitiſſimæ pulchritudinis, capiti ex alto imminentem pependiſſe. Nec cancellos ingenioſe fabrefactos, qui totum hunc thronum vndique cingerent, aliquot pedum diſtantia defuiſſe.

...mmitas ...roni rotunda.

...orona in...pendens.

...ancelli.

XVII. *...auigatio...s Salomo...s in Thar...*

HIS temporibus claſſes Salomonis crebris curſibus, & velificationibus orientem ſolem, occidentemque, Africa circumnauigata perluſtraſſe, ex iis quæ 4. Salomonis anno extremo diximus intelligi poteſt; & ex his quæ hoc loco vtroque Reg. & Paral. traduntur confirmari. Cum enim vtrobique Scriptura memoraſſet ducentas illas ſiue haſtas, ſiue clypeos aureos, trecentas peltas, & thronum eburneum auro fulgentiſſimo conueſtitum, infinita denique vaſa, & omnem ſupellectilem domus Libani auream: præter parietes, & laquearia auro rutilantia; tum demum ne quis tantam auri copiam non ſolum admirabilem: ſed etiam incredibilem exiſtimaret, ſubdit. [a] *Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur: ſiquidem naues Regis ibant in Tharſis cum ſeruis Hiram ſemel in annis tribus, & deferebant inde aurum, & argentum, & ebur, & ſimias, & pauos.* Idem habetur in 3. Reg. [b] Addit Ioſephus [c] mancipia Æthiopica.

a 2. Para 9. 20.

b cap 10. 22

c l 8. c. 2.

XVIII. *... in Ophir.*

IISDEM operibus aureis, & impenſis infinitis, opem ferebat Ophiritica nauigatio, quæ longe breuior, & ſingulorum annorum fuiſſe dicitur, ex qua ſemel conſtat deuectum ad Salomonem aurum quadringentorum, & viginti talentorum, [d] ſiue 460. vt eſt in 2. Par. id eſt quinque milliones ſexcenta & viginti quinque nummorum aureorum millia; ambigui numeri litem dirimere noluit Ioſephus: nam vbi primum huius nauigationis meminit, [e] ait ſeruos Salomonis collectis circiter quadringentis talentis, retro ad Regem eſſe reuerſos. Verum ei ſummæ paulo poſt multa talenta adiecit, ait enim. [f] *Per idem tempus allatis ex aurea, ſicut vocat, terra gemmis.* (ſic enim ipſe Ophir vocat, vt ſupra diximus [g]) *& lignis pineis, ex hac materia Rex fulcra templi, ac Regiæ fecit, eiuſque parte vſus eſt ad inſtrumenta muſica, & nabla, quibus Leuitæ diuinos hymnos ſolent accinere; numquam enim ante hac tam elegans apportata fuerat:* & paulo poſt. *Eadem claßis attulit Regi auri talenta ſexcenta ſexaginta ſex.* (id eſt octo milliones, trecenta & viginti quinq; millia nummorum aureorum) *Non numerato quod priuatim negotiatores mercati ſunt. nec ea qua toparchæ, & reges Arabiæ dono illi miſerunt.*

d 3. Reg. 9. & cap. 8. lin.

e l. 8 c. 2.

f l. 8 c. 2.

g an. Salo. 4 n. 39. & ſeq

XIX. *...ondus au... annui ...alomonis.*

ALLVSIT autem ad illud 3 Reg. [h] *Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum: excepto eo quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, vniuerſique ſcruta vendentes: & omnes reges Arabiæ, duceſque terræ;* quæ totidem fere verbis repetuntur in 2. Paralipo. [i] Quamuis ergo dubium eſſe poſſit, an hæc ſumma ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum annuatim claſſe deuecta ſit, cum locus vnde afferretur, ibi taceatur. id tamen ſatis clarum videtur, tum ex eo quod ſecludit vectigalia regia, &

h ca. 10. 14.

i c 9. 13. 14.

verſ. 11.] principum, regumque munera, tum ex eo quod aliquot ante verſiculis claſſis meminit, quæ aurum, de Ophir portabat, id eſt aduehere ſolebat, quod mox explicatius dixit, *per ſingulos annos*. Nec abſurda eſt opinio Villalp. [a] quam probat Pineda [b] triplicem fuiſſe Salomonis claſſem, quarum ſingulæ tertio quoq; anno redirent confecto curſu. Singulis tamen annis vna rediret, & primam quidem claſſem quadringenta & viginti auri talenta deuexiſſe; alteram 450. tertiam vero creſcente hominum induſtria, effoſſorum multitudine, auri cupiditate, etiam copioſiorem prædam reportaſſe. Fieri etiam poſſet, vt publicani, quæſtores, & alii mercatores redemerint reditus nauigationis vtriuſque Salomonis, & pacti fuerint diuerſis annis diuerſam auri ſummam. 1

[a t. 2. l. 5. c. 46.] [b l. 4. c. 24. n. 4. vide tamen l. 4. c. 6. fin.] [1. ϭχ.]

XX. *Alii reditus.*

Alios reditus expoſitores aliqui, dum multa vndique conquirunt, obruunt potius, & obſcurant, quam illuſtrant. Satis enim clarum eſt eos, qui præerant vectigalibus, fuiſſe duodecim illos præfectos, qui recenſentur in Scriptura, [c] quibus præerat Adoniram: qui tam ex alienigenis, qui inter Iſraëlitas viuentes tributa pendebant, [d] quam ex ipſis Iſraëlitis, qui poſtea iugum duriſſimum ſibi diminui poſtularunt [e] regia vectigalia, & tributa exigebant.

[c 3. Reg. 4.] [d 2. Reg. 9. 20. 2 Par. 8. 9.] [e 3. Reg. 12. 4.]

Ex prapoſitis vectigalium.

Negotiatores accipio mercatores copioſiores, qui diuerſas regiones obeunt, variarum mercium magnam vim comparant, & eas deinde in patrio ſolo minoribus mercatoribus cum lucro vendunt; quales erant celebres illi negotiatores Tyri. [f] Scruta vendentes intelligo mercatores minores, qui varia & multiplicia genera mercium particulatim populo diuendunt, illos dicimus vulgo vendere, *en gros*, iſtos vero, *en detail*, & hoc fere modo interpretatur Pineda [g] ſcuta vendentes, vt ſcilicet intelligantur non tam qui vilia, & ſordida vendunt *præfractam ſtrigilem, & ſoleam dimidiatam*, quam varia & multiplicia vt illi, ſed non ſordida, & abiecta, vt iidem. Adde vt ea minutatim vendant, per vlnas ſcilicet, & palmos, per libras, & vncias. Iſti ergo mercatores vario vectigali theſauros Regis augebant, ſed minime certo, & conſtanti; ideoque nec nominatim recenſetur.

Negotiatoribus. *Scruta vendentibus*

[f Ezech. 27.] [g l. 4. c. 24. n. 6.]

XXI. *Et principum inuiſentium muneribus.*

Vicini denique principes, aut etiam remoti, amici, & fœderati crebro vel ipſi per ſe, vel per legatos Salomonem inuiſebant; ſiue vt certamen aliquod inirent ſapientiæ, quod memorat Ioſephus, [h] ſiue vt eius admirabili ſapientia fruerentur; ſiue vt anguſtiſſimum templum, mortalium omnium opinione magnificentius; ædes regias, & omnem earum apparatum contemplarentur. Quod nominatim de regina Saba legimus, quæ ſicut ingentibus donis Salomonem affecit, ita & reliqui principes; & reges eius amicitiam ingentibus muneribus celebrabant. Quod cumulate probatur ex 2. Paral. [i] *Omneſque reges terræ*, inquit, *deſiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent ſapientiam, quam dederat Deus in corde eius; & deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma, & aromata, equos, & mulos per ſingulos annos.* Hæc ibi, & repetuntur 3. Reg. [k] ſed hac de re paulo plura non ita multo poſt.

[h l. 8. c. 2] [i cap. 9. 23.] [k c. 10. 24. 25.]

XXII. *Ligna thyna.*

Cæterum quod ad pinea Ioſephi ligna, ſiue πεύκινα à Scriptura 3. Reg. [l] thyina vocantur, & 2. Paral. [m] Septuaginta in hoc loco πεύκινα, in illo autem πελεκητὰ, id eſt dolatilia vocant; Chaldæus ligna coraliorum. 2 Videtur D. Hieronymus thyina vocaſſe hæc ignota ligna, propter ſimilitudinem cum lignis ex Tya arbore, de qua ſic Plinius. [n] *Theophraſtus*, inquit, *qui primus à magni Alexandri ætate ſcribit, quæ circa vrbis Romæ quadringenteſimum quadrageſimum geſta ſunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex ea referens templorum veterum contignationes.* Tranſuerſas intelligit trabes qualia etiam fulcra domus Domini explicantur: ex quo valde proceram fuiſſe arborem intelligitur; ſed pergit. *Quandamque immortalitatem materiæ in tectis contra vitia omnia incorruptæ. Radice nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera.* Ita Plinius ex Theophraſt. vnde intelligas recte inſtrumenta muſica ex hac arbore confecta. Theophraſtes autem ipſe [o] ait hanc arborem in Ægypto naſci circa Ammonis delubrum, & in Cyrenæa regione, cupreſſo ſimilem ramis, & foliis, & trunco, & fructu; maxime vero ſicut cupreſſum ſylueſtrem. Alibi eam tradit proceram perpetui folii, iugis montium prouenientem; cui conſentaneum eſt eſſe frigidioris aëris amicam, & tarde fructus ſuos ferre ὀψίκαρπον καὶ φιλόψυχον, nec facile diſtorqueri, quæ omnia facile in abietem cadūt:

Tya arbor ex Plinio. *Et Theophraſto.*

[l c. 10. 11.] [m c. 9. 10.] [2. ϭχ.] [n l. 13. c. 16.] [o l. 5. c. 5.]

niſi quod læuis non ſit, nec admodum dolabilis.

XXIII. *Salomonis gloria.* MVLTA hinc poſſent de magnificentia Salomonis, & opulentia congeri, ſed quæ pro temporum ac rerum occaſione perſtrinximus, aut deinceps perſtringemus; poſſunt inſtituto ſufficere, plura dabit Pineda, toto pene opere ſuo; præſertim lib 4. vbi de eius diuitiis, & 5. qui eſt de ſplendore domus eius, & 6. in quo de regiis eius corporis atque animi ornamentis, vbi nihil intactum, & indiscuſſum reliquit; quod ad hoc nobile argumentum pertineret, in quo deſudauit etiam Villalpandus [a] qui Salomonis opes, Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum etiam reditibus; & opulentiæ confert, atque adeo præfert. [a] t. 2. l. 5. 44 vſque ad 54

Eius ſapientia, & opibus nixa. Nunc illud tantum dicamus, tam Salomonis ſapientiam, quam eius opulentiam, immenſam propemodum illi gloriam & famam apud omnes gentes conciliaſſe, tanquam omnium mortalium feliciſſimo; quoniam iis rebus maxime abundaret, quibus humana beatitudo contineretur, ſapientia, & diuitiis, quarum illa principem regeret, iſtæ protegerent; illa faceret admirabilem, iſtæ formidabilem; ambæ abſolutiſſimum principem: in quem multo rectius quadraret illa Lyſandri commendatio. *Recte vero te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt.* Laudauit ille virum præſtantem ingenio, atque imperii gloria: miratus eſt non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam eius, à quo eleganter ager vnus dimenſus eſſet, atque deſcriptus; præſertim qui purpura, nitore, ornatuque Perſico, multo auro, multiſque gemmis fulgeret. At Solomonis diuitiæ maiores, & ſapientia in omni rerum genere cumulatiſſima.

XXIV. *Admirationi eſt omnibus principibus, ac populis.* VERVM non vni alicui ſapienti admirabilis fuit Salomon, aut toti populo ſuo, tum longe florentiſſimo, atque innumerabili, aut reliquiis ſeptem antiquarum gentium Chanaan, quarum ſeruili famulatu toto regno vtebatur. [b] Quamquam etiam Hebræorum reges cum regibus Syriæ memorentur, [c] aut vicinis regibus Idumæis, Ammonitis, Moabitis, Syris, quos iam inde à parentis imperio retinebat tributis obnoxios, aut omnibus Arabiæ regulis, & terræ ducibus; [d] ſed plane omnibus totius mundi principibus, & monarchis, qui eo tempore imperabant. Id enim paulo poſt aperte dicitur his verbis. [e] *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ diuitiis, & ſapientia* (hæc ſunt fundamenta illa duo, quæ diximus humanæ felicitatis) *& vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat* DEVS *in corde eius, & ſinguli deferebant ei munera,* &c. in teſtimonium videlicet beneuolentiæ, & admirationis, tot tantiſq; dotibus præ cæteris Monarchis glorioſi. [b] 2. Par 8. 7. [c] 3. Reg. 10 fin. [d] 3. Reg 10 15. [e] verſ 23.

XXV. *Confirmatur ex Dauide.* QVO illud etiam pſalmi 71. 9. in ſenſu literali, atque hiſtorico refertur. *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent;* id eſt oſculabuntur in ſignum reuerentiæ, Sà. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Quia nimirum Chriſtus Dominus in Salomone repræſentabatur; & vtrique principes, tot licet diſtincti ſeculis, ſibi inuicem reſpondebant. Accedat etiam illud 2. Par. [f] *Exercuit etiam poteſtatem,* (Pagninus, *dominatus eſt*, Vatablus, *imperauit*, Septuaginta, *& fuit Dux*) *ſuper cunctos reges à flumine Euphrate, vſque ad terram Philiſthinorum, & vſque ad terminos Aegypti.* Id eſt, agnoſcebant eum ſe maiorem priorem ac præſtantiorem, & vt talem muneribus colebant, vt quod de Perſis 3 legimus commune Regis nomen, & Regis magni, & Regis Regum, eius proprium, aliis vltro deferentibus fieret; quaſi ei debitum, qui quoddam Regum miraculum, principum decus, flos Monarcharum, delitiæ orbis terræ merito cenſeretur: vt qui omnia Regum ornamenta cumulatius poſſideret vnus, quam ſingula vniuerſi: vnde ad eum munera honoris ergo, atque etiam ſubiectionis alicuius crebro deferebant, vt ſacer textus videtur exigere. Certe Sulpitius Seuerus iam ab ipſo acquiſitæ ſapientiæ initio, & iudicio de duabus mulieribus ſapienter dato, ait in admirationem ingenii prudentiæque eius, reges vicinarum gentium amicitiam ab eo fœduſque petiſſe, paratos imperata facere. [f] cap. 9 26. 3 X.

An & quatenus alii reges illi ſubiecti.

XXVI. *Deus eum in altum extulit.* SED quid mirum omnes reges terræ magnifice de Salomone ſenſiſſe, ac locutos eſſe? etiam ipſe Dominus Deus eius, qui erat cum eo, eum in altum extulit, ſublimem conſtituit, denique *magnificauit eum in excelſum*, vt dicitur 2. Paral. [g] vt illud quoque Dauidicum vſurpare poſſet. [h] *Feciſti me ſpectabilem ſuper omnes ho-* [g] cap 1. 1. [h] 1. Par. 17. 17.

ac 8.10.11. mines Domine Deus. Quippe qui in libro Sapientiæ, [a] cum illius eſſet candidatus, dicebat: *In conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me.* Cuius rei argumento eſſe poſſunt literæ quas Rex Tyri, & Aegypti Salomoni ſcripſerunt, vbi eum Regem magnum ſalutant, cum tamen eos Salomon amicos tantum patrios nominet; qua de re iam ſupra diximus. [b]

b an. Salo. 5 n. 133. & ſeq. Pined. l. 5. cap. 1.

XXVII *Multas duxit vxores.* HIS porro annis multas à Salomone ductas vxores, & concubinas, ſatis rationi conſentaneum eſt, neque enim credibile eſt eum antequam deprauaretur vnam tantum, atque alteram duxiſſe, matrem ſcilicet Roboami, & filiam Pharaonis. Nam exemplum habebat paternum Dauidis, qui, Deo minime improbante, plures duxit vxores, & concubinas, & plurimos ex eis liberos ſuſcepit. Et ſane cum à mulieribus Salomonis deprauatio profecta fuerit, eas iam in eius conſuetudinem magno numero admiſſas fuiſſe neceſſe eſt.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 14.

1. N.XIX VIdetur tamen miſcere nauigationem Tharſicam cum Ophirica, cum toto pene oceano diſtinctæ eſſent, vt ex Pineda ſupra anno Salomonis quarto n. 99. & ſequent. diximus. Et potuerit claſſis vna è ſinu Arabico ſoluens adire Ophir, ſiue Tapabranam, & Somatram, iuxta communiſſimam ſententiam, & intra vnum annum confecto curſu, eundem ſinum repetere. At claſſis quæ totam Africam circumluſtrabat, & per columnas Herculis in mediterraneum inuecta pelagus, Hiſpaniam adibat, non niſi tertió quoque anno multis ſtationibus vſa portum repetiit. Quamuis autem Pineda claſſem vnicam vtrumque iter triennio confeciſſe putarit, vt ſupra eodem anno, numero quadrageſimo ſecundo diximus, longe probabilius eſſe docuimus geminam fuiſſe, & ſuis temporibus in portum, vnde primum ſoluerant reuertiſſe. Libenter tamen illi de Tharſis patriæ gratificanti ſtudio gratulor, & vero etiam aſſentior rem ingenioſe admodum, ac diligenter examinanti dum probabiliora quis afferat. Lege eum libr. 4. cap. 14. & 15.

2. N.XXII Pagninus vno loco coralia vertit, alio autem vocem hebræam algumim retinuit, Vatablus & Kimhi Chaldæum ſequuntur, & putant eſſe quod vulgo dicimus *du breſil.* Addit tamen in ſecundo Paralipomenon, melius intelligi Ebenum. Pineda libro 4. capite decimo octauo, numer. ſecundo fuſe hanc difficultatem excutit.

3. N.XXV Aegyptii quoque titulum Regis regum ſibi vſurparunt.

Nam Diodorus Siculus libro primo antiquitatum, capite primo, ait Oſymandiam inſcripſiſſe ſepulchro ſuo: *Rex Regum Oſymandias ſum, ſi quis qualis fuerim & vbi iaceam noſſe velit, meorum aliquod operum exuperet.* Seſoſtris quoque multis in locis à ſe deuictis columnas erexit, in quibus ſacris Aegyptiorum literis inſcripſit hanc prouinciam armis ſubegit Rex regum, & Dominus Dominantium Seſoſtris. Idem.

ANNVS MVNDI 3038. DILVVII 1382. 5ª. ÆTATIS 99. SALOMONIS REGIS 19. SADOCI PONTIF. 18. FVNDATI TEMPLI 16. TROIÆ EXCISÆ 167. LAOSTHENIS 10. IMPERII ASSYRIORVM 1107.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1015.

I. *Annus ſabbaticus 65.* SEDVCIMVS, ac ſeponimus hunc annum Salomonis decimum nonum à reliquis, vt lectorem noſtrum anni Sabbatici ordine ſexageſimi quinti, in hunc incurrentis annum moneamus; quem ille medio in curſu regni florentiſſimi, rebus ad arbitrium eius nutumque ſecundiſſime fluentibus, in oculis domeſticorum, atque externorum principum, à quibus inuiſebatur ſtudioſe proculdubio obſeruauit: vel ad diuinæ legis ſanctitatem, atque humanitatem coram omnibus gentibus prædicandam.

II. ET hic eſt annus ipſe Laoſthenis 10. ab ortu magni Patriarchæ Abrahæ milleſimus, vt in Euſebii Chronicis notatum eſt; idque cum noſtra chronologia accuratiſſime congruit; qui Abrahamum natum volumus anno à diluuio 383. vt in primo huius operis volumine declaratum eſt.

ANNVS MVNDI 3039. &c. DILVVII 1383. QVINTÆ ÆTATIS 100. SALOMONIS 20. SADOCI 19. FVNDATI TEMPLI 17. TROIÆ EXCISÆ 168. LAOSTHENIS 11. IMPERII ASSYRIORVM. 1108.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 1014.

I. *Natalis annus Homeri.* EXCISÆ Troiæ annus 168. inſignis eſt natalibus Homeri Græcorum poëtarum longe celeberrimi. Hanc enim ſententiam inter innumeras de iis opiniones eligendum putauimus, quæ vt omnium fere antiquiſſima eſt, ita & optima cenſeri merito poteſt. Eſt autem Herodoti in libello de vita Homeri extremo, quam non ſolum obiter edidit, vt plerique, ſed ſtudioſius etiã confirmauit. *Cæterum*, inquit, *ætatem Homeri, ſi quis diligenter, recteque ratiocinetur, ex hiſce facile deprehendet. Nempe ab expeditione Græcorum, quam Agamemnon & Menelaus in Ilium habuerunt, annis centum poſt atque triginta Lesbus oppidatim habitari cœpit: cum antea nullam prorſus haberet ciuitatem.* Fuit is regni Dauidis annus vigeſimus ſecundus, & primus quarti millenarii ab orbe condito. *Poſt Lesbum habitatam annis viginti Cuma Aeolica, & Phricotis appellata, habitata fuit*: incidit iſte annus in primum Salomonis, qui eſt ter milleſimus vigeſimus à mundi ortu. *Porro à Cuna annis duodeuiginti in Smyrnam Cumani colonias deduxerunt, quo tempore natus fuit Homerus*; is eſt præſens annus Salomonis vigeſimus.

ALTERAM ſubdit temporis notam Herodotus non omnibus probatam. *Ab Homero autem nato*, inquit, *anni ſunt ſexcenti viginti duo ad Xerxis vſque ad Græciam traiectum, qui videlicet iuncto pontibus Helleſponto, cum exercitu ex Aſia in Europam penetrauit.* Verum in traiectus, qui ex Dionyſio Halicarnaſſeo, contigit anno primo

612. Olimp. 75. a præſenti anno diſtat duntaxat annis quingentis triginta quinque
535. ſeptem & 80. annorũ eſt allucinatio. Poſtremo concludit Herodotus centum &
87. ſexaginta octo annis poſt Troianum bellum Homerum extitiſſe; quem annũ vides in indice anni huius expreſſum. Huc reſpexit Euſebius in chron. Scaligeri qui hoc ipſo anno 168. à Troiano bello notat quoſdam ſcribere his temporibus Homerum & Heſiod. fuiſſe; in græco eius codice legitur κατὰ τούτους Ὅμηρος ἤκμαζε. Re-
a l. 17. c. 21. ſpexit & Gellius [a] & apud Gellium Caſſius in primo annalium. *De Homero & Heſiodo*, inquit ille, *inter omnes fere Scriptores conſtitit, ætatem eos egiſſe vel iſdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem; vtrumque tamen ante Romam conditam vixiſſe, Siluiis Albæ regnantibus*: exhibet Euſebius hoc tempore Albam Siluium, Æneæ Siluii filium, eiuſque regni annum vndecimum, pergit Gellius, *annis poſt bellum Troianum, vt Caſſius in primo Annalium de Homero atque Heſiodo ſcriptum reliquit, plus centum atque* 60. recte; plus enim dixit, propter illos 8 annos, qui 60. ſuperant.

TERTIAM addit Gellius ex Cornelio Nepote, temporis notam, quæ vereor vt ſatis cum vera chronologia conſentiat. *Ante Romam*, inquit, *conditam, vt Cornelius nepos in primo chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum & ſexaginta.* Sic ipſe. Rectius diceret ducentis circiter & ſexaginta; quo modo fortaſſe à Gellio, & Cornelio nepote ſcriptum fuit. Nam cum Dionyſio Hallicarnaſſeo, quem ſecuti ſumus in ſtabiliendo anno exciſæ Troiæ, 432. anni ab illa clade ad conditam
168. 264. vrbem numerentur; cum præſens annus ſit 168. vtique ad 432. reliqui ſunt 264
432. propter quos annos 4. adiecit particulam *circiter*, qua numeri comprehenduntur qui vltra decades excurrunt. Itaque Lypſius in ca. 5. l. 1. Vellei legi vult annis poſt bellum Troianum plus ducentis atque 60.

VERVM rectius omnino emẽdetur illa Cornelii Nepotis chronologia, ſi verbũ aliquod excidiſſe fateamur, quo Homerus mortuus diceretur hoc modo. Mortuus autem ante Romam conditam annis circiter centum & ſexaginta. Emendationem Iulio Solino acceptam fero, qui ca. 53. ſui Polyhiſtoris, *Smyrna*, inquit, *vnde præcipue nitet, Homero vati patria extitit, qui poſt Ilium captũ anno 272. humanis rebus exceſſit, Agrippa Syluio Tyberini filio Albæ regnante, anno ante vrbem conditam centeſimo ſexageſimo.* Sic ipſe. Ex quibus facile intelligimus rectiſſime Herodotum, Dionyſ. Hallicarnaſ. Cornelium Nepotem, & Solinum in ætate Homeri cõuenire. Nam Dionyſ. 432. annos numerat ab Ilio capto ad vrbem conditam Herodotus natalem Homeri annum vult eſſe 168. ab exciſa Troia. Solinus vult mortuum 272 ab eodem excidio, quibus ſi addas 160. efficies omnino 432 annos Dionyſij: Iſti
272. 160. 432. enim numerum illi duo adæquate conficiunt. Hinc etiam habes Homeri ætat
168 naſcit. 104. viuit. 160 an. V C ad 104. annos propagatum. Tot enim ab anno 168. captæ Troiæ, ad 272. eiuſdem numerantur.

432. p. 381 VARIAS opiniones antiquorum de Homeri ætate tam à Troicis temporibus quam à Ionica emigratione, quæ anno 140. ab exciſo Ilio contigiſſe perhibetur leges in Theſauro temporum in regibus Iuda, in vita Ioas, quæ maxima ex parte deſcripta ſunt ex Clem. Alex. l. 1. ſtromatum. [b] Et in Euſebii Chron. ſub anno Sa
b Græc. La. p 236. muelis 8. Nobis ea placet quam iam retulimus, quam video etiam Gordono noſtro placuiſſe in ſua chron. Cæterum quod Smyrnæum facit Homerum Solinus plurimum habet probabilitatis. Primo enim loco ponitur in celebri illo diſticho quod extat apud Gell. l. 3. c. 11. vbi hæc leguntur. *De patria quoque Homeri multo maxime diſſenſum eſt. Alii Colophonium, alij Smyrnæũ, ſunt qui Athenienſem, ſunt qui Aegypti dicant fuiſſe. Ariſtoteles tradit ex inſula Io natum. M. Varro in lib. de imaginibus primo, Homeri imagini hoc epigramma appoſuit.*

Capella Homeri candida hoc tumulum indicat
Quoi ara Ietæ mortuo faciunt ſacra. Iẽtas dicit incolas inſulæ Io, qui Homero aram excitarint, & illi quaſi Deo ſacrificarint. Itaque Varro cum Ariſtotele de patria Homeri conſentit. Diſtichum autem eſt quod ſequitur,

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι, περὶ ῥίζαν Ὁμήρου Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, ἴος Ἄργος, Ἀθῆναι.

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri;
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ius, *Argos, Athenæ.*

Quam litem non dirimit, ſed accendit Archilochus, in libello ſuo de temporibus, vbi ait variis temporibus ac locis octo Homeros extitiſſe.

ANNVS MVNDI 3042. DILVVII 1386. 5ª. ÆTATIS 103. SALOMONIS REGIS 23. SADOCI PONTIF. 22. FVNDATI TEMPLI 20. TROIÆ EXCISÆ 171. LAOSTHENIS 14. IMPERII ASSYRIORVM 1111.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 1011.

I. *Alia viſio Salomonis quando cōtigerit.*

AD huius anni vigeſimi tertii Salomonis finem refero ſecundam Domini apparitionem Salomoni factam, licet eam Torniellus ad annum ſequentem referat, repugnante Scriptura potius, quam conſentiente. Nam in 3. Reg. [a] & 2. Par. [b] recitatur hæc apparitio expleta quidem templi, & regiarum ædium ædificatione, ſed nondum expletis viginti annis. Vtrobique enim poſt narratam apparitionem, incipit Scriptura recitare quæ expletis viginti annis contigerunt. Non eſt ergo cur eius narrationis ſeriem nulla neceſſitate cogente deſeramus. Longe inconſultius Ioſephus tempus hoc duodecim annis anteuertit. Hanc enim apparitionem factam narrat abſoluta dedicatione templi, antequam regiæ ſtructuram aggreſſus eſſet.

a cap. 9. 1. b c. 7. 11.

II. *Nec Scriptura repugnat.*

AT inquies videtur ex Scriptura ipſa longe etiam amplius differenda viſio hæc. Nam 3. Reg. *Factum eſt autem*, inquit, *cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium Regis* (quo nomine tres prædictæ domus Regis, Reginæ, & Libani comprehenduntur) *& omne quod optauerat, & voluerit facere, apparuit ei Dominus*, &c. Atqui longe plura erant, quæ Salomon habebat in animo, vt Hieroſolymorum, & aliarum ciuitatum reparationem, &c. Reſpondetur ex 2. Paral. intelligendam Scripturam de eo omni quod voluerat facere Salomon circa vtramque domum, non autem vniuerſe. Sic enim ibi legitur. *Compleuitque Salomon domum Domini, & domum Regis, & omnia quæ diſpoſuerat in corde ſuo vt faceret in domo Domini, & in domo ſua, & proſperatus eſt*, id eſt ea proſpere, feliciterque perfecit. Quin & verba ipſa Domini rem minime dubiam relinquunt.

c 9. v 1.

c. 7. v. 11.

III. *Eius tēpus, locus, modus.*

SI de tempore huius apparitionis quærimus, dicendum eſt eam nocte contigiſſe; ſi de modo, ſicut apparuerat ei in Gabaon, quando ſapientiam diuinitus obtinuit, in ſomnis nimirum, vt fuerit locutio interior, non quæ aure externa ſentiretur. Si de loco nihil eſt cauſæ cur eam Hieroſolymis factam fuiſſe dubitemus. Ipſa porro Domini oratio reſponſio eſt ad poſtulationem à Rege in tēpli dedicatione tredecim annis ante factam. Sed cur tandiu dilata? An vt quo ſrecentior erat tam ſeria, & ſeuera monitio, & luctuoſæ deprauationi propinquior, hoc etiam potentior eſſet ad hominem in officio continendum? Cum alioqui minime neceſſaria videretur iſta reſponſio, quæ manifeſto ſigno diuinæ præſentiæ, & miraculo miſſi diuinitus ignis, ſatis aperte facta eſſet.

IV. *Et ſumma capita.*

QVATVOR porro capita continet hoc oraculum. Primo profitetur ſe Regis deprecationem exaudiſſe, & exorabilem fore ad afflicti populi preces, ſi eum cōtigerit iis calamitatibus premi, quibus ſolet Deus peccata hominū caſtigare. Secūdo [c] ſanctificaſſe ſe ait, ſibique conſecraſſe Salomonicum templum; per viſibilem ſcilicet ſuam in nube apparitionem, qua illius quaſi poſſeſſionem acceperit, & quidem in ſempiternum. Sed additur tertio loco conditio obſeruandæ diuinæ legis, & a Rege, & à populo: vt & regnum in domo Dauid ſolidetur, & populus beata pace ſub Dei ſui protectione frui poſſit. Poſtremo denique ſeuere proteſtatur, & ſerio interminatur, ea conditione violata, omnia peſſum ruitura; tēplum quippe, & populū à Deo derelictū, & abiectum iri, & vtrumq; exēplo ſummæ calamitatis omni poſteritati futurum. Quæ fuſius in citatis locis recognoſci poſſunt, & apud Ioſeph. [d] Ea porro comminatio totidem pene verbis,

c 2. Par 7 15; 14.

d 18. ant. c. 2.

olim à Moyſe prænuntiata fuerat, [a] & cum minæ fere in rem iam verſæ eſſent, iterata fuit à Ieremia propheta. [b]

a Deut. 29. 24.
b c. 22. 8.

V. *Migratio filia Pharaonis.*

Hoc ipſo tempore tranſtulit Salomon filiam Pharaonis de ciuitate Dauid, in domum quam ædificauerat ei; ne ciuitas Dauid arcæ præſentia ſanctificata, alienigenæ mulieris præſentia pollueretur; quod tamen non neceſſitatis, ſed arbitrii fuit. Nam domus in qua Salomon cum vxore habitabat, ſeiuncta erat à loco arcæ, vt alibi diximus. Et nunc abſente arca licebat etiam illum ipſum locum in quo arca collocata fuerat, ad prophanos vſus conuertere, quod ſi reuera illicitum fuiſſet vxorem Salomonis in domo Dauidis manere, in qua iam à viginti annis habitabat, non paſſus id eſſet Salomon vel vnum diem; ſed hæc ſeparatio ad abundantiam religioſæ obſeruationis pertinuit, non ad Dei offenſionem, aut legis violationem vitandam. [c] Tantus erat ergo Iſraëlitarum, vel in arcam Domini veneratio, vel in alienigenas auerſio animorum, vt in reginam dilectiſſimam, & ad veri Dei cultum iamdudum conuerſam, & regio ſanguine illuſtrem, poſt tot annos redũdaret. Sed iſthæc auerſio facile à Domino tolerabatur: quoniam familiaritas, & communicatio cum alienigenis, ad peccata longe grauiora pertrahebant. *Stulti*, videlicet, *dum vitant vitia in contraria currunt.*

an. Dauid. 11.
c vide Abu. q. 15. c. 9. 3. Reg.

VI. *Vbi primi regina manſerit.*

QVÆRES an manſerit regina hæc in domo Dauidis, an in ciuitate eius, interim dum ei palatium in regia baſilica extruebatur. Lyranus de ciuitate ait, [d] quoniam ibi clare dicitur aſcendiſſe, non de domo, ſed de ciuitate Dauid, in domum ſuam; & hic quoque dicitur tranſtuliſſe de ciuitate Dauid: idque affirmat Pineda, [e] qui ait reginam habuiſſe domum in ciuitate Dauid, extra palatium Dauidis, quoniam Rex dixit non habitaturam reginam in domo Dauid ſanctificata. Verum id facile explicari poteſt de perpetua habitatione, vt ſcilicet noluerit rex mulierem alienigenam, fixam, & perpetuam habere habitationem in ſanctificata domo; licet ad tempus in ea habitare permiſerit; vt ſentit Lyranus, & Abulenſis. Et confirmatur, quia hæc altera reginæ domus in arce, gratis, ac ſine probatione introducitur: ideoque intelligendum eſt eam, quod ordinarium eſt, cum ipſo rege manſiſſe.

d 3. Reg. 9. 24.
e l. 5. c. 6. n. 2.

ANNVS MVNDI 3043. DILVVII 1387. QVINTÆ ÆTATIS 104. SALOMONIS 24. SADOCI 23.

FVNDATI TEMPLI 21. TROIÆ EXCISÆ 172. LAOSTHENIS 15. IMPERII ASSYRIORVM. 1111.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 1010.

I. *Ratio temporis & res anni huius.*

PERSPICVIS, apertiſque verbis celebratur hic annus, vtroque illo Scripturæ loco; [f] vbi dicitur, *Expletis autem annis viginti, poſtquam ædificauerat Salomon duos domos, id eſt domum Domini, & domum Regis,* &c. Expletos autem viginti annos ſequitur vigeſimus primus, à iactis templi fundamentis, quem habes in huius anni indice. Idẽ ex hebræo confirmatur, *& fuit in fine viginti annorum*. Pagn. *Poſt viginti annos, vel elapſis viginti annis*, Vatab. *à fine viginti annorum*, Chald. *poſt viginti annos*, Septuag. ἐγένετο μετ' εἴκοσιν ἔτη ἐν οἷς ᾠκοδόμησε Σαλωμὼν, &c. Quæ porro ad hunc referamus annum duo occurrunt. Primum Tyrii regis merces; cui ſecundo coniuncta eſt ciuitatum quarundam, in primiſque ipſius Hieroſolymæ reparatio. Nouarum autem conſtructionem melius in ſequentes annos referemus, ſicut & Arabicam profectionem, & aduentum reginæ Sabæ. Stat enim ſeriẽ ſacræ narrationis conſtanter ſequi, niſi nos manifeſta ratio ordinem temporis mutare perſuadeat.

f 3. Reg. 9. 10 & 2. Par. 8. 1

II. *Eupolemus de mercede operariorũ Salomonis.*

HVC pertinent quæ Eupolemus apud Euſebium [g] ſcribit. *Remiſit autem Salomon tum Ægyptios, tum Phœnices, in ſuas quemque regiones, donatis vnicuique denis auri ſiclis*, id eſt, quadraginta nummis aureis noſtratibus, cum

g l. 9. de præpar. c. 4

duobus trientibus, quia tria millia ſiclorum ſunt in talento, quod valet centum viginti quinque libris auri: ſed pergit. *Porro Valphri Ægypti regi, olei metretas decies mille, dactylorum artabas mille, mellis vero vaſa centum, atque aromata miſit. Suroni vero Tyrum vſque miſit auream columnam quæ ſita eſt Tyri, in templo Iouis. Theophylus ait à Salomone Regi Tyrio miſſum eſſe aurum, quod reliquum fuit: A Tyrio vero ſimulachrum filiæ, ſeu ſtatuam toto corpore conſtantem, & columnæ item aureæ impoſitam, velamentum quoque aureum ſtatuæ impoſuit, quod columnam cingebat.* Hactenus Eupolemus. Aureæ columnæ in Iouis delubro dedicatæ meminit Menamder in Tyriorum annalibus apud Ioſephum. [a] Et Dius licet obſcurius. Verum de turba iſta Ægyptiorum, atque Phœnicum, iam ſupra [b] diximus eam parum probabilem videri. De columnis iſtis, ſtatuiſque aureis, mihi quidem valde ſuſpectis, lectoris eſto iudicium. [a] l.8.c.2.ib [b] an.Salo.5. n. 146. 147.

III. *Merces Hirami an data viginti vrbes.* Qvod ad mercedem Hirami regis attinet, cum Salomon recte pro ſua ſapientia intelligeret, vel mercenario deberi mercedem ſuam; vel amico, & benefactori gratitudinem, expletis iis operibus ad quorum perfectionem Tyrii regis opera ipſi neceſſaria fuit, quod hoc anno contigit, *dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ.* Quod factum vix poteſt Caiet. à ſacrilegio excuſare. *Sacrilegium enim videtur,* inquit, *ſub dominio Regis Ethnici dare populos ſanctos, & terram diuinæ hæreditatis*: cum cuiquam principi non liceat regni ſui partes detruncare, quas augere potius debeat, aut certe conſeruare. Itaque Dionyſius probabile putat hunc regem Tyrium ad fidem conuerſum fuiſſe, idque cõiicit ex diutina eius cum Dauide, & Salomone amicitia. Caiet. ſignificat id eum ex diuina inſpiratione feciſſe, quippe qui non reprehenſus ſit à Deo, in apparitione, de qua proxime egimus. Verum illa apparitio anteceſſit hanc largitionem, vt diximus.

IV. *Aut commutatæ cũ aliis.* Alii vt Abulenſis, [c] Vatablus, [d] Sa, Pineda, [e] & Torniellus, [f] permutationem quandam interueniſſe putant, vt Salomon viginti oppida Galilææ Hiramo dederit, Hiramus autem vice verſa ei totidem rependerit: cum ex 2. Par. [g] ſatis conſtet ciuitates quaſdam Salomoni ab Hiramo datas. Contingit enim aliquando huiuſmodi permutationes fieri, quæ ſint vtiles vtrique permutanti, præſertim ob loci vicinitatem, aliamue opportunitatem. Alii vt Ioſephus, & eum ſecuti nonnulli, putant datas quidem eas vrbes à Salomone, ſed quod diſplicerent, ab Hiramo eidem reſtitutas; quod Torniellus non admittit; veritum enim putat regem Tyrium Salomonis indignationem; ſed maior fuiſſet ex querela indignatio, quam ex reſtitutione, quæ haberet vtilitatem, & tamen conqueſtum eum ex Scriptura conſtat. [c] q.2 in c.8 2 Par. [d] ibid. [e] l.7 c 12. [f] an.21 5 ætat. n.2. [g] c 8.2.

V. *Aut potius datæ ad vſum aliquot annorum.* Dicendvm arbitror cum Abulenſi [h] Salomonem dediſſe viginti oppida, ad aliquot annorum vſum fructum duntaxat, vt ſcilicet inde tributa colligeret, donec lignis illis cedrinis, & abiegnis, & centum viginti talentis auri, aliiſue ſi qui ſupererant ſumptibus, & operarum mercedi ſatisfactum eſſet, & maxime illis auri talentis, quæ Scriptura dicit miſiſſe Tyrium Salomoni, non tamen poſt accepta oppida, ſed ante, vt *miſit*, quod habetur verſ. decimo quarto, per pluſquam perfectum *miſerat*, cum Vatablo, & Sa, interpretandum ſit. Nam quis poſſit ſibi perſuadere Regem Salomonem virum omnium ſapientiſſimum, viginti oppida in regno ſuo non maximo, tam paruo precio d ſtracturum fuiſſe; cui tanto plura talenta quotannis, ex vectigalibus, tributis, nauigationibus, negotiatione ſuppeterent? Et oppida, in medio prope regni ſui, vicino principi daturum, vt alias nouas hinc inde diſſipatas ædificaret. Aut Hiramum tam inopem fuiſſe conſilii, vt ſummum, & perpetuum dominium in viginti oppida, opportuna regno ſuo, loco prædictæ ſummæ ſibi contemnenda putaret. [h] q 8.in c.9 3.Reg.

VI. *Cur queſtus Hiram de Salomone.* Qvæstvm itaque potius arbitror quod ex oppidis non opulentis, neque fertili ſolo, ſed paluſtri, & vliginoſo, vt quidam interpretantur terram Chabul, vel arenoſo, & infertili, vt alii, aut denique vili, & contemptibili, [i] ſperatam vtilitatem ſe colligere poſſe non ſperaret, intra annos pactos atque conuentos. Nec obſtat denominatio Galilææ gentis; æque enim id nomen tribui poteſt vicinitati, aut temporariæ ſubiectioni, quam perpetuæ. Vicina enim erat Galilæa gentium, ſiue ſuperior Tyriis, Sidoniis, & vniuerſæ Phœniciæ, inferior [i] vide Pindam l.7.c 17.7.

autem Galilæa propinqua erat mari Geneſareth, quod etiam mare Galilææ ab ea dicebatur. Illa occidentalior erat, iſta orientalior. Porro terram Chabul, Adrichomius collocat in tribu Aſer, quæ Phœniciam ab occidente attingebat. Ioſephus hæc oppida non procul à Tyro diſſita fuiſſe ſcribit.

VII. Galilæa an recte dicta terra Chabul.

VERVM enimuero iis quæ de terra Chabul cum Scriptura diximus non ſatis conſentit Ioſephus [a] qui de vtraque Galilæa ſic loquitur. *Sed cum tanta ſint vtraque magnitudine, tantiſque gentibus alienigenis cinctæ, ſemper tamen omnibus belli periculis reſtiterunt. Nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi. neque aut formido vnquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupauit, quamquam totæ opimæ ; ac fertiles ſunt, omniumque generum arboribus conſitæ, vt etiam minime agriculturæ ſtudioſos vbertate ſua prouocent. Denique excultæ ſunt ab incolis totæ, nec pars vlla eſt earum otioſa ; quin & ciuitates ibi crebræ ſunt, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa ; vt qui ſit minimus ſuper quindecim colonorum millia habeat:* & mox, *Hæc enim vniuerſa colitur, tota fructuum ferax.* Ita Ioſephus; quæ ſi vera ſunt, valde fuit iniuſta Hirami querela, & iniuſta terræ Chabul denominatio, valde imperitus rerum, qui terram perluſtratam, ſatiſque conſideratam ſtulte contempſerit, & repudiarit. Ioſephus potius vanitatis, in commendenda vtraque Galilæa ſuſpectus redditur, quam ignorantiæ, qui eas quas gubernauit probe noſſe potuit.

[a] l. 3. de bel. Iud. c. 2.

VIII. Hiram dedit Salomoni ciuitates.

CERTASSE videntur principes iſti beneuolentia, atque muneribus; quando Hiram ita accepit à Salomone ciuitates, vt ei vice verſa alias dederit, eodem ſcilicet iure quo priores acceperat, quas Salomon liberaliter reſtaurauit. Nam quas Hiram Salomoni dedit deſertas fuiſſe, & ruinoſas ex ſecundo Paralipomenon 8. colligitur, vbi dicitur, ciuitates quas dederat Hiram Salomoni, ab eo ædificatas, & Iſraëlitis cultoribus repletas. Abundabat enim populo Iſraël ; & multiplicatus erat in infinitum diuturnitate pacis; etiam ſupra immenſum illum numerum, quem Dauid colligi iuſſerat, aliquanto ante mortem ſuam. Quibus etiam adiungebantur infinitæ proſelytorum myriades, quæ Salomoni in extruendis fabricis ſuis iam ſeruierant, & inſuper ſeruituræ erant. Sed hæc quæ ſerius facta credimus etiam differamus; ipſam Ieruſalem cogitemus.

IX. Salomon excitat muros Ieruſalem.

ABVLENSIS certe in tertio Regum [b] putat ſtatim poſt abſolutum templum, ante ædificatam domum regiam murum Hieroſolymitatum reſtauratum fuiſſe. At Pineda [c] ſtatim poſt abſolutum templum, & ædes regias, id eſt poſt viginti annos adepti regni (dicendum fuit inchoati templi manifeſto memoriæ lapſu) animum adieciſſe ait tam ad vrbana ædificia, quam ad externa. Quæ eſt etiam Montani apud eundem ſententia; quam etiam probabiliorem putamus, vt conſentaneam ordini narrandi Scripturæ, in 3. Reg. *Hæc eſt ſumma*, inquit, *expenſarum, quam attulit Rex Salomon ad ædificandum domum Domini & domum ſuam, & Mello & murum Ieruſalem*, &c. Inſeritur Mello, quia ad domum regiam pertinebat, vt ſupra diximus, & ſimul ad murum Ieruſalem, id eſt arcis Sion, & ad ipſum templum. Et rurſum 3. Reg. [d] *Donec compleret*, inquit, *ædificans domum ſuam, & domum Domini, & murum Ieruſalem per circuitum.* Ex quo nonnulla etiam coniectura duci poſſet, murum ciuitatis, vna cum domo regia ædificatum fuiſſe, quod non putat improbabile Pineda loco citato. Ordinem narrandi Scripturæ ſequitur etiam Ioſephus, qui poſt narrata opera à Salomone viginti annis perfecta: *Cæterum*, inquit, *Rex cum videret mœnia Hieroſolymorum turribus & propugnaculis, ad ſecuritatem egere, nec ea dignitati vrbis ſatis reſpondere, & muros inſtaurauit, & turres magnas in eis erexit.* Eupolemus autem apud Euſebium, [e] vrbem item Hieroſolymam mœnibus; turribus, foſſis communiuit.

[b] c. 3. 41.
[c] l. 5. c. 11. 1.
cap. 9. 15.
[d] cap. 3 1.
[e] l 9. præp. c. 4.

X. Quem illius murũ. An Sionis. Non videri.

CVM autem triplex eſſet Hieroſolymorum murus, non ſatis conſtat de quo Scriptura loquatur, & quem Salomoni tribuere debeamus. Sed ſi Ioſephum legamus, [f] facile erit dicere Scripturam de muro Sionis interpretandam eſſe. *Ciuitas*, inquit, *trino muro circundata erat, niſi qua vallibus inuiis cingebatur, ex ea namque parte vnius muri habebant ambitum.* Non ergo ſinguli hi muri totam cingebant ciuitatem ; ſed pergit mox. *Trium verò murorum vetuſtiſſimus quidem propter valles, imminentemque his deſuper collem, in quo erat conditus facile capi non poterat, ad hoc autem quod*

[f] l. 6. bel. c. 6.

loco præſtabat, etiam firmiſsime ſtructus erat Dauidis *& Salomonis, aliorumque interea Regum largiſsimis impenſis operi inſumptis.* At conſtat ex Scriptura Dauidem muris cinxiſſe montem Sion, ſiue ciuitatem Dauid, vt habetur 2. Reg. [a] nec videtur tam infirmo ſtruxiſſe opere homo bellicoſus, & cui prope ad extremam ætatem bellum cum variis hoſtibus gerendum fuit, vt tam cito inſtauratione indiguerit.

[a] cap. 5. 9.

XI. *An ſecundum.* — *etiam ſecundum videri.*

SECVNDVS *murus*, vt ait idem Ioſephus loco citato, *Septentrionalem tantummodo tractum ambiens, vſque ad Antoniam aſcendebat*; Concludebat ſcilicet montem Bezeta, qui ſitus erat à ſeptentrione templi; ex quo monte templo infeſtus eſſe poterat hoſtis. Et ſicut arx Dauidis, non ſuis tantum, ſed totius etiam Sionis muris protegebatur; ſic templum muris Bezetæ ex ea parte muniebatur, qua facilius adiri poterat, boreali ſcilicet. Hunc murum à Salomone excitatum ad templi cuſtodiam vult Villalpandus. [b] *Cui*, inquit, *veriſimile fiet prudentiſsimum, ac doctiſsimum Salomonem eam partem templi* (Septentrionalem ſcilicet) *eiuſque portas animalibus inferendis diu noctuque patentes, hoſtium incurſionibus propterea percommodam, quod non admodum accliuis atque arduus foret locus, ſine vlla anteriori cuſtodia vel muro reliquiſſe? præſertim cum vrbs ex ea parte artificibus ad varios templi vſus occupatis, mirum in modum excreuiſſet.* Hæc fere Villalpand. ſatis probabiliter; at ſi hunc murum eum eſſe putat, quem Scriptura à Salomone extructum ait, ex eo probabile non fit quod ille murus non *Hieroſolymam in circuitu cingebat*, vt Scriptura loquitur, ſed collem tamen vnum. Ideoque neque Pinedæ hæc eius ſententia probata eſt.

[b] t. 3. p. 1. l. 2 c. 15.

XII. *Tertius murus à Ioabo cõſtructus, Salomone inſtauratus.*

TERTIVS denique murus vocatur is, qui hunc etiã Bezetæ murum, & totum montem Acra, veteremque vrbem Salem vnico tractu ambit, vt ait Villalp. Sed horum duorum murorum extructionem refert Ioſephus ad Herodiana tempora. Tempore tamen Dauidis à Ioabo militiæ ipſius principe, iuſſu Regis fuiſſe ædificatum, aut Regiis, aut communibus potius populi expenſis, ſatis colligitur ex 1. Paral. [c] *Habitauit*, inquit, *Dauid in arce, & idcirco appellata eſt ciuitas Dauid, ædificauitque vrbem in circuitu à Mello vſque ad gyrum: Ioab autem reliqua vrbis extruxit*, 2. Reg. [d] *& ædificauit per gyrum à Mello, & intrinſecus*: nimirum ciuitatem Dauid, & montem Sion qui in Mello, & voragine terminabatur. Reliqua vero, quæ Scriptura à Ioabo ædificata dicit, vtique ad veterem ciuitatem Salem, quæ erat in Acra monte, monti Sionis, & ciuitati Dauidis coniungendam muro, referre fas eſt. Et ſane fruſtra Dauid montem Sion natura munitum cinxiſſet muro, reliquam ciuitatem, quæ hoſti facile patebat, mœnibus nudatam; aut ipſa antiquitate ſemirutis, quoquomodo circumdatam reliquiſſet; quæ eſt ſententia Villalp. [e] & Pinedæ. [f] Exiſtimo igitur cum eodem Pined. ibid. Salomonem murum qui vniuerſam Hieroſolymam muniebat, ædificaſſe; non quod illum à fundamentis erexerit; ſed quod nouam formam toti induxerit, nouamque pulchritudinis ſpeciem, ac nouis mœnibus per circuitum auxerit. Quæ eſt etiam Ioſephi ſententia, qui loco citato non ait ædificaſſe muros, ſed inſtauraſſe, quod non ſatis dignitati vrbis reſponderent.

[c] c. 11. 7.
[d] cap. 5. 9.
[e] t. 3. l. 2. c. 15
[f] l. 5. c. 11 n. 3 & 4.

XIII. *Quæ eius longitudo ex Ioſepho.*

QVÆRAT aliquis quam longus fuerit murus, qui totam Ieruſalem circuibat? Reſpondeo id ſatis à Ioſepho poſſe cognoſci. Nam ſic ait [g] *Omne autem ciuitatis in gyro ſpatiũ triginta tribus ſtadiis finiebatur.* Longe tamẽ maius ex eodem ipſo eius loco deducitur. Nã tribus in muris ipſe centũ & ſexaginta quatuor turres enumerat; & ſingulis ibidem viginti cubitos latitudinis tribuit, vnde fit vt omnes ſimul turres 3280. cubitos colligant. Earum interuallum, duas ſcilicet inter turres, fuit ducentorum cubitorum: nam ait, *eiuſmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat, earum autem interualla cubitos ducentos: medius vero murus in quatuordecim turres, & antiquus in ſexaginta diuiſi erãt.* Sic ipſe; ex quo intelligitur ſecundũ illum murum, collẽ tantum illum, quem dixi; [h] non autem ciuitatem totam cinxiſſe. Fuerant autem 165. interualla, quibus ſingulis cum ducentos cubitos tribueris; efficies triginta tria millia cubitorum, quæ coniuncta cum tribus millibus, ducentis & octoginta efficient 36280.

[g] l. 6. de bello c. 6.
[h] num. 11.

90.
14.
60.
164.
20.
3280.
165.
2.
33000.
3280.
36280.

XIV. *Ex ipſomet refellitur.*

Ex his cubitis tam multis efficienda ſunt ſtadia, quæ ſingula quadringentos ad ſummum continent cubitos. Vnde exiſtent nonaginta ſtadia & amplius, qui

numerus longe diſtat à triginta tribus ſtadiis. Nec mirum, inquies, nam primo quatuordecim turres cum ſuis ſpatiis, quæ Bezetham magna ex parte cingebant, tollendæ ſunt: quoniam non circundabant ciuitatem, ſed vnum tantum internum eius collem: at quatuordecim turres cum quindecim ſpatiis efficiunt 3280. cubitos. Secundo tollendum eſt totum ſpatium cum turribus ſuis, quod montem Sion ab inferiore ciuitate ſecludebat, quod fuit iuxta Villalpandi accuratiſſimam deſcriptionem, quindecim turrium, & ſexdecim ſpatiorum, id eſt, trium millium, & quingentorum cubitorum. Quæ duæ ſummæ conficiunt 6780. cubitos, id eſt, ſtadia fere ſeptemdecim, quæ ſi auferas à nonaginta ſtadiis, remanebant adhuc ſeptuaginta tria, & non triginta tria ſtadia.

1. rχ. CERTE Villalpandus nonaginta tantum turres, in toto circuitu Hieroſolymitano poſuit, amplectens montem Sion totum extrinſecus montes item Moriam, Bezethan, & Acram, in qua fuerat antiqua Salem. Id autem ſpatium, ſumpta latitudine turrium & interuallorum, quam Ioſephus aſſignauit, conficiunt quadraginta nouem ſtadia cum dimidio, id eſt, ſex milliaria, cum ſeſquiſtadio. Cui mediæ ſententiæ libentius ſubſcripſero, quam alterutri priorum; niſi forte placet Timochari conſentire. *Timochares autem qui Antiochi res geſtas conſcripſit, ait quadraginta ſtadiis circumduci Hieroſolymam, expugnatu difficilem; præruptis vallibus vndique circumclaſam.* Sic Euſebius.[a] Quid autem vel firmitatis, vel ornamenti additum ſit muro huic neque Scriptura, neque Ioſephus prodiderunt. XV. *Eadem longitudo ex Villalpando.*

a c. 4 l. 9. de præp.

DVM Hieroſolymorum mœnia reſtaurarentur Ieroboam in Regis familiam allectus eſt. Id affirmat Ioſephus.[b] *Cum patre orbatus*, inquit, *adoleſcens adhuc a matre educaretur; Salomon animaduerſa generoſa eius indole, præfecit eum fabricæ murorum, quando Hieroſolyma mœnibus cingebat. Eius operis curam tanta ſolertia geſſit, vt Rex comprobata hominis induſtria, præmio dignum ducens, eum Ioſephi tribui præficeret.* At ſcriptura potius ſignificat eum præfectum fuiſſe ædificationi Mello, de quo ſæpe iam dictum eſt, vt ex 3. Reg.[c] intelligi poteſt. Explicari poteſt Ioſephus, ita vt ſcripturæ conſentiat, quia Mello ad mœnia Sionis, ſed interiora pertinebant, & conſequenter Hieroſolymorum. Cæterum hic eſt ille Ieroboam, quo Dominus vſus eſt ad Hebræorum regnum in duas partes, ob Salomonis peccata, diſtrahendum; quique in partem ſibi ſubiectam, idololatriam immaniſſimo ſcelere inuexit, quod in omnem deinde poſteritatem infeliciſſime propagatum eſt: donec regnum ipſum vlciſcente tandem numine, ab Aſſyriis exſcinderetur. Sed hæc poſtea contigerunt. XVI. *Ieroboam in Salomonis familiam adſciſcitur.*

b l. 8. ant. c. 2.

c ca. 11. 27.

ALIVD etiã ſupplet Ioſephus à Scriptura prætermiſſum; viarũ ſcilicet publicarum curam. Nam ſic ſcribit.[d] *Diuina autem quadam diligentia, & prouidentia rebus in omnibus vtebatur, & cum eſſet elegantiarum amator, ne viarum quidem curam prætermiſit; ſed & harum quotquot Hieroſolyma regiæ ſedem ducebant, ſilice conſtrauit, tum vt vltro citroque commeantibus eſſent faciles, tum ad oſtendendam, hac quoque parte principatus ſui magnificentiam.* Addit Pineda,[e] incubuiſſe etiam Salomoni eam curam, quæ principi à Deo demandata eſt, vt curam gerat viarum publicarum, vt tuto à latronibus, & graſſatoribus omnibus iter facere liceat, quo refert illud. Pſ. 16. 15. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Pagnin. vias *diſſipatoris*, Vatabl. *graſſatoris*, id eſt, prohibui ne quis graſſatorem ageret, & vim alteri inferret; quæ fuit etiam Hieronymi mens, qui ibi vertit, *ego obſeruaui vias latronis.* XVII. *Cura viarum publicarum.*

d l. 8 c. 2.

e l. 5. c. 11. fin.

POSSVMVS etiam hunc elegantiarum amorem ad curam vicorum vrbis referre, vt ſcilicet per ædiles ſuos curaret; vt viæ eleganter, & vtiliter ſternerentur, diſtribuerentur, dirigerentur; foris, & platæis commodis in locis dilatarentur, publicis priuatiſque ædificiis magnifice ornarentur, vt ſignificatur 3. Reg.[f] *Et quicumque placuit vt ædificaret in Ieruſalem, & in Libano*, vbi Abulenſis ait eum multa Hieroſolymis ædificia excitaſſe, quod ibi ſedem, atque habitationem ſuam conſtituiſſet. Nimirum voluit vt tota vrbs tam ſplendido templo aliquo modo reſponderet, & quæ ante ſe patremque ſuum lateritia, aut lutea fuerat, marmorea euaderet. Verum hæc ſub hæc tempora inchoata, in plures annos propagari potuerunt. XVIII. *Et interiorum vrbis.*

f ca. 9. 19.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 24.

73. 33. ογ. λγ. עג. לג. NEc mendum natum videtur ex numerorum Græcorum, Latinorum, aut Hebræorum commutatione; nulla enim inter illos affinitas. Maior porro numerus efficit 9. miliaria cum ⅛ minor autem 4. cum ⅛. 1.N.XIV.

ANNVS MVNDI 3044. DILVVII 1388. 5ª. ÆTATIS 105. SALOMONIS REGIS 25. SADOCI PONTIF. 24. FVNDATI TEMPLI 22. TROIÆ EXCISÆ 173. LAOSTHENIS 16. IMPERII ASSYRIORVM 1113.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1009.

I. *Ratio temporis.* DIVTVRNITAS pacis, diuitiarum abundantia, magnificentia, & ſapientia Salomonis ſtudium ædificandi in eo pepererunt; vel auxerunt potius, cum diuinitus ad templi ædificationem deſtinatus, ab illis initiis vix vnquam videatur ab ædificatione ceſſaſſe. Cæterum tres fere annos, tam externis Salomonis ædificiis, cum Pineda, [a] quam variis eiuſdem profectionibus tribuimus; a l.8. c. vlt. hæc enim admodum coniuncta ſunt; vt ſicut domeſtica, & vrbana ædificia eum domi retinuerunt, ita etiam externa Regem abduxerint foras; idque conſentaneum videtur, antequam ſe otio altioroſo dederet; atque adeo ante aduentum Reginæ Sabæ qui poſterius à Scriptura narratur, quem temporis ordinem video à pleriſque omnibus chronologis retineri. 3.Reg 9. 15.16. 2.Paral 8. 23.&c.

II. *Externa ædificia Salomonis.* EXTERNA vocamus ædificia, ciuitates variis in locis à Salomone partim inſtauratas, partim etiam excitatas ex 3. Reg. [b] & 2. Paral. [c] & apud Ioſephum, [d] vbi multæ vrbes nominatim recenſentur, & plures in genere ſignificantur. Nam 2. Paral. in genere primũ ponuntur ciuitates quas dederat Hirã Salomoni, quas Salomon ædificauit, id eſt mœnia male materiata, & ruinoſa reſtituit: aliqua etiam ædificia publica, ex publico ærario refici curauit; vt eo nouos incolas facilius alliceret. *Et habitare ibi fecit filios Iſrael*; quæ ſunt illa ipſa viginti oppida, quæ Salomon dederat Regi Tyri, vt quibuſdam placet Ioſephum ſecutis; vel alia potius, quę ad Tyrios pertinebant, & inculta erant; quod ipſi toti percurſando mari, ſiue bello, ſiue mercatura exercenda, ſiue coloniis abducendis dediti, propriam regionem incultam relinquebant. Itaque ad ea Iſraelitarum coloniæ, iuſſu regis deriuatæ ſunt. Id autem non obſcure ſignificat Iſraelitas ibi antea non habitaſſe: cum tamen vtraque Galilæa maxime coleretur, vt ſupra ex Ioſepho retulimus. Vrbium autem iſtarum numerus ignoratur, ſicut vice verſa quid à Salomone repenſum fuerit Hiramo Regi, vt vult Caiet. Sed id ex Eupolemo, & Scriptura ipſa, ex aliorum, quos retulimus anno 24. Salomonis, interpretatione refutatur. b ca.9.15.& ſeq. c c.8.2.& ſeqq. d l.8.c.2.

III. *Ciuitates in Emath.* SECVNDO vniuersè ponuntur ciuitates munitiſſimæ, quas Salomon ædificauit: in Emath. ſic enim ſcribitur in 2. Paral. [e] *Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam; & ædificauit Palmyram in deſerto: & alias ciuitates munitiſſimas ædificauit in Emath.* Quem locum ſic Ioſephus illuſtrat. *Salomon autem Rex reliquias Chananæorum, quæ Libanum montem vſque ad vrbem Amathem colebant, & imperium eius detrectabant, ſub ditionem ſuam redactas, tributa pendere coegit; & per ſingulos annos certum numerum ſeruorum, & colonorum, qui per agros diſtribuerentur, exegit.* Et mox; *Chananæis vero, quos ad ſeruitutem adduxit ſexcentos præfectos præpoſuit, qui procuratores eſſent regii, & ſua cuique opera, atque negotia præſcriberent.* e c.8 3.4.

IV. *Et bellica expeditio Salomonis Contra Emath.*

HABETVR ergo hic non ſolum profectio, ſed bellica etiam expeditio Salomonis Libanum, & Syriam verſus. 1 Cum autem vrbs Emath, ſiue Amatha in ſortem tribui Nephthalim obtigiſſet, eam tamen Chananæi eius incolæ multis ſeculis retinuerunt, vt conſtat ex 3. Iudicum [a] donec Dauid bello deuictos Syros ſibi tributum pendere coegit. [b] Rex autem Emath muneribus pacem tum à Dauide petiit, & impetrauit, haud dubiè, ſub conditione tributi; quemadmodum & de reliqua Syria, Idumæa, aliiſque regionibus conſtat. Mortuo igitur Dauide, & Salomone primum adoleſcente, deinde pacificò regnante, ſubiectionem, & tributum cum Emathæi detrectarent, vt Ioſephus ait, bello à Salomone deuicti, vi capta ciuitate Emath, eademque inſtaurata, & præſidio munita, non ſolum tributum pecuniarium, ſed perſonale etiam pendere coacti ſunt. Sed eam poſtea Syri occuparunt, rurſumque Iſraelitæ eis abſtulerunt, vt infra dicetur. 2

1 σχ. | a v.3. | b 1.Paral. 18. | 2 σχ. | *Quam ſ... iugum me... ſit.*

V. *Profectio eiuſdem in Libanum*

INVENIO in Euſebii libro ſæpius citato ex Eupolemo, & aliam Salomonis profectionem in montem Libanum, quæ forte non vera, ſed ex huius occaſione introducta eſt: eam ita obſcurauit antiquus interpres Euſebii, vt nuſquam appareat. Ex Græco autem ſic fideliter vertimus. *Profectus vero Salomon cum patriis amicis ad montem Libani, cum Sidoniis, & Tyriis, cæſa prius iuſſu patris ligna, per mare in Ioppem tranſtulit, inde vero tereſtri itinere Hieroſolymam.* Verum Ioſephus, qui ex Dio antiquo ſcriptore his ſimilia narrat, aperte conſcenſum Libanum non à Salomone, ſed ab Hiramo tradit. Nec eſt veriſimile, vt ſupra dicebamus, Salomonem eo tempore Hieroſolymis abeſſe voluiſſe, quo maxime intererat eum domi adeſſe; & nihil erat neceſſe montem aliquot dierum itinere diſtantem per ſe ipſum adire: eodemque modo Eupolemum interpretabimur, licet in alteram partem inclinet Pineda. [c]

c l.5.c.9.n. 13.

VI. *Alia ciuitates munita.*

TERTIO in Græco ponuntur omnes ciuitates, quæ ſub poteſtate Salomonis erant quaſi reſtauratæ, & munitiores factæ. Sic enim legimus. [d] *Balaath etiam, & omnes vrbes fortiſſimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctaſque vrbes quadrigarum, & vrbes equitum, omnia quæcumque voluit Salomon, atque diſpoſuit, ædificauit in Ieruſalem, & in Libano, & in vniuerſa terra poteſtatis ſuæ.* In Libano puto explicandum cum Abulenſi; [e] in terra Emath ad radices Libani, iuxta ea, quę paulo ante diximus; quamuis hic Libanum D. Hieronymus ex traditione Hebręorum templum interpretetur; quod in eo multa eſſent ligna Libani, cui conſentit Pineda, [f] & gloſſa, & Hugo. Vatablus autem & Sà de domo ſaltus Libani agi volunt, non de monte Libano. Quæ autem eſſent vrbes quadrigarum, & equitum ex proprio nomine, aut loco non conſtat, ſed ex officio. Deſtinatę enim erant nutriendis Salomonis equis, tam qui curribus, quam qui equitibus ſeruiebant. *Habuit enim Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum, equitumque duodecim millia, conſtituitque eos in vrbibus quadrigarum; & vbi erat Rex in Ieruſalem.* Vt habetur 2. Paral. [g] quæ Ioſephus ſic explicat. [h] *Diſtributis*, inquit, *oppidatim curribus & in ſingula certo numero ad alendum præfinito, circa ſe quidem paucos reſeruauit, loca vero vbi alebantur, curruum oppida appellauit.* 2

d 2.Paral.8. 6. | e q.8. in c. 8.2.Paral. | f l.5.c.5.n. 4. | g c.a.9.25. | h l.8.c.2. | 2 σχ.

VII. *Salomonis currus.*

VERVM quod ad equos iſtos, currus, quadrigas, & equites, vt hoc ex occaſione dicamus, res difficultate non caret, quis eorum fuerit numerus, cum varius in diuerſis Scripturæ locis tradatur. Nam in allato loco Paralipom. quadraginta millia equorum, & duodecim millia curruum, equitumque traduntur: in libro autem Reg.3. [i] recenſentur quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium; & rurſus. [k] *Congregauit*, inquit, *Salomon currus & equites, & facti ſunt illi mille & quadringenti currus, & duodecim millia equitum.* Quæ verba repetuntur 2. Paral. [l] his Ioſephus lucem aliquam addit. Alludens enim ad illud Scripturæ. [m] *Omnes Reges terræ deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma, & aromata, equos, & mulos per ſingulos annos*; ſic vtrumque locum coniungit, *Mittebantur vaſa tam aurea, quam argentea & veſtes purpureæ* (non panni, aut tela, & materia veſtium, ſed veſtes ipſæ confectæ, vt notat Pineda,) *& omne genus aromata; equi præterea, curruſque, & muli ſubuehendis ſarcinis, qui vel robore, vel pulchritudine, Regi placituri videbantur, vt ad eum equorum & curruum numerum, quem iam ante habuerat, ex donatitiis quadringenti currus accederent. Habuit enim prius currus mille, equorum viginti millia. Hi cum pulcherrimi fuere, tum ad curſum exercitatiſſimi, vt collati ad cæteros, omnes poſt ſe relinquerent.*

i c.4 n.26. | k c.10.v. 26. | l c.1.14. | m 2.Paral. 9.24.

VIII. *Eiuſdem equites.*

DE equitibus autem quorum numerum, à Scriptura non ſemel expreſſum,

Ioſephus prætermiſit, ita ſubdit, *his decus addebant equites, flos iuuentutis, procera ſtatura, promiſſoque capillitio conſpicui, & tunicas ſerrana purpura induti: ad hæc ramentis auri capillum quotidie ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur; hi armati, & pharetris ſuccincti regium currum ſtipabant, quo ſublimis inuectus, & amictus veſte candida mane ſolebat vrbem egredi. Aberat Hieroſolymis duorum ſchenorum,* miliaria, opinor, intelligit, *prædium nomine Ettany, hortis, & inductis fontibus amœnum, ſimul & opulentum; in eum locum vectari delectabatur.* 3 — 3 σχ.

IX. *Antinomiæ conciliantur.*

SED iam ad equos noſtros, equiteſque redeamus, in quibus plurimæ ſunt difficultates, ex diuerſis linguis, atque locis, quos conciliare conabimur.

40. millia equorum. 4. millia ſtabulorum.

Primo quod vno loco dicitur Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis habuiſſe, [a] & in alio [b] quadraginta millia præſepia equorum, idem eſt ac ſi dixiſſet habuiſſe tot equos in ſtabulis, vel præſepibus; quæ ſtabula erant numero quatuor millia, vt habetur in Hebræo 2. Paral. dena ſcilicet in ſingulis ſtabulis. Idque probat Pineda, [c] Vatablus, [d] Sà, [e] nec repugnat Abulenſis. [f]

X. *Numerus verus curruum Salomonis.*

SECVNDO quod vno loco ponuntur duodecim millia curruum, in alio autem mille & quadringenti currus, ſic explicari poteſt, vt cum, [g] dicitur Salomonem habuiſſe quadraginta millia equorum in ſtabulis & curruum: equitumque duodecim millia: vox *curruum* non ad poſteriora, ſed ad priora referatur, gemino puncto poſt vocem curruum addito, hoc ſenſu: habuit Salomon quadraginta millia equorum, & curruum in ſtabulis, equitum vero duodecim millia. Et ſic habet verſio Vatabli, & Pagnini, iuxta textum Hebraïcum, cui hac in re ſeptuaginta conſentiunt; imo editio vulgata hanc ſuggerit expoſitionem, 3. Reg. [h] vbi pro equorum & curruum, habetur equorum currilium, id eſt, qui adhiberentur ad currus; & duodecim millia equeſtrium, qui ſcilicet equites ferrent, prout habet etiam Pagnini verſio in hoc loco. Sic Poëtæ Latini dicunt. *Calibem frænoſque momordit; pateris Libanus & auro;* & *maculis inſignis, & albo.* Planiſſima igitur veritas habetur 2. Paral. [i] *Facti ſunt ei mille & quadringenti currus, & duodecim millia equitum:* quomodo etiam in textu Hebræo, Græcoque legitur.

Et equitum.

XI. *Currus & quadriga idem.*

TERTIO quod vno loco curruum, alio quadrigarum fit mentio, pro eodem accipienda ſunt, vt in ſingulis quatuor equi collocentur. Nam ciuitates modo curruum, [k] modo quadrigarum vocantur, [l] & in Hebræo, & Græco, vtroque in loco eadem eſt dictio, quæ currum ſignificat ἅρμα ſcilicet, & רכב currus, receb à racab רכב quod eſt equitare. Et 3. Reg [m] *Egrediebatur,* inquit, *quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta.* 4 Idem repetitur 2. Paral. 1. fin. Ex quo ſequitur mille & quadringentos currus, habuiſſe equorum quinque millia, & ſexcentos: & tot etiam curules, ſiue curriles equos. At paulo ante poſuimus quadraginta millia equorum. Reſpondeo cum Pineda [n] quadraginta millia equorum currilium, etſi eſſent apta curribus, non tamen omnia adhibita fuiſſe curribus; ſed vſui fuiſſe ad equitandum, pugnandum, currendum, portanda onera, &c. Itaque plures erant, quam pro quadrigarum vſu. Qui autem dicti ſunt equeſtres, videntur tantum adhibiti ad equitandum. — 4 σχ.

XII. *Equi, & equites.*

QVARTO quod aliquot locis dicuntur duodecim millia equitum, alibi autem equorum equeſtrium, vbique equi nobiles, & generoſi, curſores, & bellatores intelligendi ſunt. Ita ſentit etiam Pineda [o] qui Hebræum nomen pharaſim, & Latinum equitum, pro iſtiuſmodi equis vſurpari docet in ſacris, prophaniſque libris, vt videre eſt apud eum. 5 Poſſunt tamē equites ſumi ſimpliciter pro equo ſimul, & eo qui inſidet, iuxta communiſſimum omnium linguarum vſum, & ita videtur intellexiſſe Ioſephus, qui Salomonis equites florem iuuentutis nominatim commendauit, vt ante retulimus. — 5 σχ.

XIII. *Eorum integer numerus. Equa.*

QVINTO in quatuor locis 3. Reg. & 2. Paral. quinquaginta duo millia equorum duntaxat numerantur; nam in illis quadraginta millibus, equi curruum, ſiue quadrigarum comprehenduntur; reliqua autem fuerunt illa duodecim millia, quæ proxime dixi. Idque ſatis perſpicuum eſt ex 3. Reg. [p] *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium,* ſcilicet equorum cum ſuis equitibus. In vtroque autem numero multas fuiſſe equas ex ſeptuaginta conſtat. Nam 2. Paral. [q] ponūtur quatuor millia θήλειαι ἵπποι εἰς ἅρματα id eſt fœminæ equę in currus: Itaque legitur in regiis, Sixtianis, & Aldinis codicibus, quæ aliqui po-

a 2. Paral. 9. 25.
b 3. Reg. 4. 26.
c l. 5. c. 10 n. 3.
d in 2. Paral. 9 n. 44.
e 3 Reg. 4. 26
f q. 7 16 c. 4. 3 Reg.
g 2. Par. 9. 25.
h c. 4. v. 26.
i c. 1. v 14
k 2. Reg c. 9. v. 19
l 2 Paral. c. 1 v. 14.
m c. 10. v. 29
n l 5. c. 10.
o l. 5. c 10 n. 5.
p c. 4. v. 26.
q c 9. v. 25.

ſtea ex antiquis in quadraginta millia, vt Græca Hebraïcis, & Latinis conſentirent videntur conuertiſſe, vt D. Athanaſius in Synopſi ſcripturæ libr. 10. & Cedren. in Comp. Addidit Ioſephus etiam mulos donatitios, recte cum ſcriptura. Quod autem pro quadraginta equorum millibus, viginti millia duntaxat poſuit, vt in eius Græco legitur, & apud Gelenium; quodque Rufinus ait dono data Salomoni duo millia equorum, cum iam haberet viginti millia, vtrumque repudiandum eſt; cum duobus diſertis ſcripturæ locis aduerſetur.[a] Sed de his equis, & curribus, & quadrigis, occaſione vrbium quadrigarum; in quibus & nutriebantur, & exercebantur cum nobili iuuentute, hæc ſufficiant. Niſi placet addere has vrbes per vniuerſas tribus ſparſas fuiſſe, iuxta duodecim præfecturas totius regni, de quibus 3. Reg.[b] Nutriebant enim eos equos duodecim præfecti prouinciarum, ſicut & neceſſaria menſæ Regis, ſuis quique temporibus, cum ingenti cura præbebant.

QVÆ VRBES INSTAVRATÆ. *Muli donatitij.* *Qui eorum curatores.*

a 3. Reg c. 4. v 26. 2 Paral. c. 9 v. 25. *b 3. Reg. c. 4. v 7. & 27.*

XIV. *Aſor inſtaurata.*

SINGVLÆ nunc inſpiciendæ ſunt vrbes, quæ à Salomone vel inſtauratæ, vel ædificatæ memorantur.

c c 9 v. 15.

Prima 3. Reg.[c] ponitur Heſer, Hebraïcè Haſor, quomodo etiam à Ioſepho nominatur, & Septuaginta, & Chaldæo paraph. quę in tribu Nephtalim ſita fuit; de qua non ſemel in lib. Ioſue, & Iudicum. Fuiſſe autem hanc vrbem opportuniſſimo loco ſitam, & pacis, bellique temporibus idoneam, illud indicat, quod antiquiſſimis temporibus regni caput facta eſt; deinde ſæpe capta, & euerſa; ſæpe recepta, & reſtaurata memoratur in ſacris literis, vt notauit Adrichom.[d] Quod autem ait de eiectis ex ea à Salomone Chananæis, non magis huic vrbi conuenit quam cæteris, quæ recenſentur deinceps; de quibus omnibus mox Scriptura dicit factos à Salomone tributarios, & ſeruilibus operibus addictos.

d in trib. Nepht. n. 17.

XV. *Mageddo vbi ſita.* *Munita.*

SECVNDA Mageddo tam à Scriptura, quam Ioſepho memoratur, quæ ſita in tribu Manaſſæ cis Iordanem, Philiſthæis contermina fuit. Ad riuum eius fluminis, qui & imperii Salomonis, & Philiſtæorum fines conſtituere dicitur,[e] vnde aquas Mageddo celebrat Debbora in cántico ſuo. In quo etiam prudentia Regis agnoſcitur, qui hanc vrbem quaſi propugnaculum inteſtinis hoſtibus populi ſui obiicere voluerit. Fuiſſe autem vrbem hanc olim munitiſſimam conſtat ex Ioſue.[f] Quia filii Manaſſe ibi dicuntur non potuiſſe expugnare Chananæos, loci illius habitatores: poſtea tamen reddidiſſe tributarios, quod forte dictum eſt intuitu temporum Salomonis, & Dauidis. Et non tantum ſeniorum Iſraelis & Iudicum; certe prolepſim ibi optimi quique interpretes agnoſcunt. In hanc vrbem, vt firmam, & munitam, fugit Ochoſias vulneratus à militibus Iehu regnum inuadentis, ibique mortuus eſt. Sed & Rex Ioſias tanto melior, quanto ille deterior, in hac ipſa vrbe interiit, vt habetur in 4. Reg.[g] Campus Mageddo, qui & planicies inferioris Galilææ dicitur, victoria Baraci, & Deboræ, contra Siſaram principem militiæ Iabin Regis Aſor, in Scriptura in lib. Iudicum celebratur. Vide Adrich. in tribu Iſſachar, n. 18. & in tribu Manaſſ. cis Iordanem, n. 43.

e 3. Reg. c. 4. v 21. c. 5. 19. Iudic. *f ca. 17. 11. 12.* *g c 2. 3. v. 29.*

XVI. *Gazer.*

TERTIA eſt Gazer, de qua ſupra, cum de nuptiis Salomonis cum filia Pharaonis; eo quod data dicitur à Pharaone in dotem filiæ ſuæ. Hic breuiter dico cum D. Hieronymo de loc. Hebr. imo cum Scriptura[h] hanc vrbem, quæ in tribu Ephraim ſita fuit, & Gazara a Ioſepho dicitur, eademque Leuitica, & vrbs refugii à Ioſue, firmam admodum, & munitam fuiſſe; adeo vt Ephraimitæ, qui armis, & viris potentes erant, inde Chananæos eiicere non potuerint; pacem tamen ab Iſraelitis cum tributo redemerint. Eius multa eſt mentio in lib. Ioſue, & Iudicum. Sed Gazerem benigniores inuenerunt Iſraelitas erga ſe, quam Ægyptios, de quibus 3. Reg.[i] ita legimus. *Pharao Rex Aegypti aſcendit, & cepit Gazer, incenditque eam igni, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit; & dedit eam in dotem filiæ ſuæ, vxori Salomonis.* Ioſephus ait omnes ad vnum habitatores interemptos.

h Ioſue c. 16. 10. *i c. 9. v. 16.* *A Pharaone capta.*

XVII. *Quæ belli cauſa.*

QVÆ cauſa belli huius fuerit, præſertim tam cruenti, non facile apparet, cum tamen in hac vrbe non ſoli Chananæi habitarent, ſed etiam Philiſtæi, vt habetur in 1. Paral.[k] Non eſt difficile ſuſpicari cauſam aliquam bello datam, à ſuperba Philiſtæorum gente, in ſuam ipſorum perniciem. Cumque nulla fiat in hoc bello mentio Salomonis, impeditum opinor aliqua pacis conditione cum hoſte finitimo. Pharaonem vero vel leuem belli occaſionem arripuiſſe, vt qui noſſet ſe gra-

k c. 20. v. 4.

tiam à genero ſuo, & filia initurum, dum ſpinam illam, in corpore regni eorum fixam, euelleret. Verum Salomon animaduertens locum illum, vel arte, vel natura munitum, alterum fore contra Philiſthæos propugnaculum, ciuitatem reſtaurauit, vt affirmat Ioſephus, [a] & deinceps vſque ad regni diuiſionem poſſedit. Huius vrbis crebra eſt mentio in libr. Machab. ſub nomine Gazara. Vide quæ ſupra diximus, anno Salomonis 3. nu. 118.

XVIII. *Bethoron gemina.*

QVARTA eſt Bethoron inferior, vt habetur in 3. Reg. [b] cui additur in 2. Paral. [c] Quinta ei cognominis Bethoron ſuperior, quæ erant locis, tributuſque diſiunctæ. Illa enim in tribu Beniamin ſita eſt, [d] iſta in Ephraim, [e] & in vrbibus refugij numeratur. [f] Illa inſignis eſt victoria Ioſue, cum Dominus in deſcenſu Bethoron exercitum quinque Regum Amorrhæorum lapidibus grandinis contrucidauit, [g] & rurſum, poſt aliquot ſecula, victoria Iudæ Machabæi, contra Seron principem exercitus Syriæ, [h] & iterum contra Lyſiam cum exercitu ſuo. [i] Etſi hæc Adrichom. tribuat ſuperiori Bethoron in tribu Ephraim n. 29. Vtriuſque fundatrix, aut potius reparatrix fuit Saraa quædam filia Ephraim; de qua 1. Paral. 7. [k] Has ergo ciuitates vetuſtate conquaſſatas reſtaurauit, ac muniuit Salomon. Quod ſignificat Scriptura cum ait, *Extruxitque Bethoron ſuperiorem, & Bethoron inferiorem ciuitates muratas, habentes portas, & vectes, & ſeras.* [l]

XX. *Balaath.*

SEXTA eſt Balaath, ſiue Baalath, ſiue Baleth Ioſepho; ab Adrichom. in tribu Dan ponitur. De qua præter iſtam Salomonis reſtaurationem nihil legimus; cætera obſcura manſerunt.

Palmira ex Ioſepho.

Septima, & vltima ſupereſt Palmira, de qua ſic Ioſephus, [m] *Ingreſſus deinde in deſertum, quod eſt ſuper Syriam eiuſque regionis potitus, vrbem ibi maximam condidit, duorum dierum itinere à ſuperiore Syria diſtantem, ab Euphrate vero vnius. Ad magnam autem Babylonem inde ſex dierum via protendebatur. Quare autem à reliquis cultæ Syriæ partibus, hæc vrbs tam procul habitetur, cauſa eſt hæc, quod mediterranea per deſertum petentibus, ibi demum fontes ac putei reperiuntur. Hac igitur vrbe extructa, & mœnibus validiſſimis cincta Thadamoram eam appellauit, quo nomine & nunc à Syris vocitatur, Græci Palmiram nominant.* Apud Septuaginta, & Chald. vox Thadmor retinetur, quæ deducitur à Thamar, id eſt, palma, quo etiam nomine Ezech. 47. dicitur. D. Hieronymus hic vſitatam Latinam vocem merito vſurpauit.

Eademque Thadamora.

Ex Plinio.

Palmira, inquit Plinius, [n] *vrbs nobilis ſitu, diuitiis; ſoli, & aquis amœnis, vaſta vndique ambitu, arenis includit agros. Ac velut terris exempta à rerum natura priuata ſorte, inter duo imperia ſumma Romanorum, Parthorumque, & prima in diſcordia ſemper vtrinque cura; abeſt à Seleucia Parthorum, quæ vocatur ad Tigrim, 537. millibus paſſuum, à proximo vero Syriæ littore 252. mill. & à Damaſco 27 propius.* Ita Plinius à Ioſephi menſuris longe diſtans; meminit eiuſdem Ptolemæus, qui ait fluuium iuxta eam præterlabi. Stephanus dictam ait aliquando Adrianopolim, D. Hieronymus in cap. 47. Ezech. ait hanc vrbem in ſolitudine miris opibus à Salomone ſtructam. Vide Adrichom. in Topogr. Manaſſ. vltra Iordanem. n. 73.

XX. *Profectio Salomonis ad Aſiongaber.*

RELIQVA eſt Salomonis profectio in portum rubri maris, de quo ita loquitur Scrip. [o] *Tunc abiit Salomon in Aſiongaber, & in Ailath, ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom.* Tertio Reg. [p] factæ claſſis à Salomone in Aſiongaber fit mentio, non autem profectionis ipſius; ſicut nec apud Ioſephum; qui ait Aſiongaber ſuo tempore vocari Berenicem. *Non procul,* inquit, *ab Elana vrbe, quæ regio tum in Hebræorum ditione cenſebatur.* Nec diſſentit Ioſephus à Scriptura, quæ tam Ailath, quã Aſiongaber in terra Idumææ conſtituit. Non enim ait Ioſephus eam regionem in terra Hebræorum, ſed in ditione fuiſſe; quia tum Hebræi dominabantur Idumæis à Dauide ſubiugatis. Celebris factus eſt locus Aſiongaber trigeſima ſecunda manſione Iſraëlitarum, olim per deſerta peregrinantium: & hoc tempore claſſe Salomonis, & Hirami.

XXI. *Quã adiit ipſe per ſe.*

Scio eſſe qui putent dici profectum eo Salomonem, quod certos homines illuc ſuo nomine miſerit; ſed nil vetat quo minus Scripturam in proprio, & primario verborum ſenſu accipiamus. Nec oportebat librum Paral. qui prætermiſſa ſupplet, phraſim Scripturæ mutare; ſatis enim intelligebatur eum illuc miſiſſe ſeruos ſuos, per quos claſſis ædificata fuerat: imo etiam clare dixerat ſeruos eius miſſos cum ſeruis Hiram Regis Tyrij: aliquid ergo amplius exprimere voluit cum ait. *Tunc abiit Salomon in Aſiongaber*, quaſi dicat; qui iamdudum eo miſerat ſuos,

a l. 8. c. 2.
b c. 9. v. 17.
c c. 8. v. 5.
d Ioſue 18. 13. 14.
e Ioſue 16. 5.
f Ioſue 21. 21.
g Ioſue 10. 11.
h 1. Machab. 3. 24.
i 1. Mach. 4. 29.
k v..o vide Serar. ... in Ioſue c. 1. quæ. 6.
l 2. Paral. 8. 5. nu. 8.
m l. 8. c. 2.
n l. 5. c. 25.
o 2. Paral. 8. 17.
p c. 9. v. 26.

tunc, poſterioribus ſcilicet temporibus, claſſe maiore apparatu, & na-
uium copia inſtructa; ipſe per ſeſe profectus eſt illuc, ad ſpectaculum Re-
ge minime indignum, vt etiam in rem præſentem, pro ſua admirabili ſa-
pientia, aliquid ſeruis ſuis, aut etiam Tyriis boni conſilii daret; conſentiunt
Pineda, [a] & Villalp. [b]

[a] l.3.c.20.4. [b] t.2.p.2.l 5.c.46. [c] c.7.& ſeq.

Illvd grauioris eſt difficultatis de qua accurate diſputat Pineda l.4.de reb. XXII.
Salomon. [c] vbi terrarum, & marium ſit Aſiongaber. Etſi enim vulgata editio
clariſſime doceat in littore maris rubri iuxta Ailath in Idumæa ſitam eſſe, qui-
dam tamen Becanus libr.5.& 6.ſuorum Hiſpanicorum totis neruis contendit, vt
Aſiongaber ex mari rubro transferat in mediterraneum, & communem, vt ait,
errorem, temporum antiquitate, & multorum ſcriptorum inolita, ſed falſa opi-
nione vagatum, propulſet. At eius machinæ ad tantum conatum ſunt infir-
miores. Quamuis enim doceat Idumæam ab occidente, ad mare quoque
mediterraneum pertinere, non poterit tamen probare eam à meridie ad mare
rubrum non protendi: cum ſcriptura in Hebræo perſpicue conſtituat Aſion-
gaber in terra Edon, & ſimul ad oram maris Suph, id eſt, rubri: ſic enim vocatur
ab Hebræis mare, in quo Aegyptii ſubmerſi ſunt, quod nemo vnquam dubitauit
eſſe mare rubrum, ſiue ſinum Arabicum. Transferat ergo Becanus mare rubrum
in mediterraneum, & vicerit.

Aſiongaber ſita in ſinu Arabico.

Eodem etiam transferenda eſt Ailath, ſiue Elath, [d] ſiue Elan ex Ioſepho, XXIII.
vrbs ex qua Elaniticus ſinus in orientali angulo maris Arabici, nominatur. Nam
Aſiongaber iuxta eam ſita fuit, Scriptura, [e] & Ioſepho teſtibus. *Quin & claſ-
ſem*, ait, *Rex in Aegyptio ſinu ædificauit quodam in loco ad mare rubrum, qui nominatur A-
ſiongaber. Hæc nunc Berenice vocatur, non procul ab Elana vrbe, quæ regio tum in Hebræo-
rum ditione cenſebatur.* Hæc Ioſephus. Mercator geminam facit Aſiongaber; nam
præter hanc veram, & vulgatam, alteram ad oram montis Seir in deſerti Pharan
medio ponit. Sed neminem inuenio, qui ei aſſentiatur, nec ipſe id probat. Ne-
que vero illa ratio efficax eſt: Tyrios, & Sidonios in mari mediterraneo domi-
natos, ideoque naues eorum in mari tantum mediterraneo, non etiam in Arabi-
co eſſe potuerunt. Quis enim neſcit Hiſpanorum, Luſitanorum, & Gallorum
claſſes non ſolum per mediterranea excurrere maria, ſed toto etiam oriente,
atque occidente volitare, multiſque locis portus habere proprios, &
ſuos?

[d] 2.Deut.8. αἰλὰνεν vocatur à Steph. [e] 3.Reg 9. fin.

Non in mediterraneo mari.

Aſiongaber an gemina.

Cæterum quamuis nullum præbeat indicium Scriptura Salomonem traie- XXIV.
cto nauibus ſinu Arabico, ad Pharaonem ſocerum adiiſſe, ſatis id tamen rationi
conſentaneum videtur, loci vicinitate ſuadente, affinitate prope cogente, nulla
re ad feſtinum reditum impellente. Id ſi concedimus, facile intelligemus quæ
cauſa Reginam Aegypti, & Aethiopiæ, vt ait Ioſephus, ad Salomonem adduxe-
rit, qua de re mox nobis agendum erit.

Salomon Aegyptum adierit.

Genebr. in Chron. Salomonis ait eum contra Idumæos maris rubri bellum
geſſiſſe, eiſque eripuiſſe Aſiongaber; at id non habetur in eo loco Paral. quem
citat, & quem ad finem eo profectus ſit, ex ipſa Scriptura perſpicuum eſt. [f] Et
iam inde à Dauidis regno, Idumæi ſubditi erant Hebræis, vt diximus ſuis
locis.

[f] 3.Reg.9.26.

SCHOLIÆ IN ANNVM SALOMONIS. 25.

1 N.IV. VOCATVR enim Emath à Diuo Hieronymo de locis Hebr. terminus Allophylorum in regione Damaſci, quæ eſt in Syria. Adrichom. in tribu Nephthal. numero 45. ait Emath vrbem fuiſſe ſitam in tribu Nephthalim, iuxta montem Libanum in finibus Damaſci, a qua regio circumiacens terra Emath appellatur, & in Euangelio, iuxta aliquorum interpretationem, Ituræa Luc. 3. 1.

2.N.IV. Ex dictis ergo patet Salomonem in Emath Suba, ſiue Soba, quæ pars eſt Syriæ profectum, eamque obtinuiſſe, id eſt, expugnaſſe, eique præualuiſſe, vt ex Hebræo Vatablus explicat, & Regia, & Pagninus, & Septuaginta; licet Caietanus textum Hebræum trahat tantum ad ciuitates ædificatas. Quæ porro fuerint hæ munitiſſimæ ciuitates, quas Salomon ædificauit in regione Emath, vt Syros in officio contineret, non liquet, vide tribum Nephthalim Adrichomii, & ciuitates quas circa Emath ponit.

3.N.VI. 3. Reg. 9. 10. *Et omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & erant abſque muris muniuit.* Verum quinam eſſent iſti vici dubium eſt. Nam in hoc ipſo loco Hebraïcè legitur; *& omnes vrbes theſaurorum, quas habuit Salomon.* In Chaldæo vrbes domus repoſitoriorum; deinde hæc ipſa narratio repetitur 2. Paral. 8. 6. vbi habetur. *Et omnes vrbes firmiſſimas quæ fuerunt Salomonis.* Hæc ipſa inquam, nam in Græco, & Hebræo, vtrobique eadem verba habentur. Vidit hanc diſcrepantiam Sa, nec ſuſtulit, nec ego ſane video quid dici poſſit, quam Diuum Hieronymum in alia quam nos exemplaria incidiſſe. Ioſephus cum de vrbibus Salomonis ageret, hunc locum non attigit. Sed alias vrbes voluptarias memorauit; ait enim. *Nec non & alias vrbes condidit ad ſeceſſus voluptarios aptos ob aëris temperiem, fructuumque vbertatem, & perennibus aquis irriguas.* Sed quot eæ fuerunt vrbes, vbi, & quando conditæ non exprimit; forte regias domos, quas in diuerſis locis excitare ſolent principes, augendæ magnificentiæ Salomonis gratia, in vrbes commutauit.

Verum longe minores hos ſchœnos eſſe neceſſe eſt, quam ex Herodoto, Plinio, Strabone traduntur, ſi Timochari apud Euſebium libr. 9. cap. 4. de præpar. Euangel. credimus, qui ait totam vrbem multis aquis adeo irrigari, vt hortos quoque multos extra vrbem aquis inde defluentibus irrigari contingat. Ab vrbe autem vſque ad quadraginta ſtadia magnam eſſe aquarum penuriam. Sic ipſe; quis autem putet Salomonem ad matutinam excurſionem, tantum iter per ſiticuloſa loca, recreationis cauſa conficere voluiſſe? Sed Timocharem frequentia pagorum, atque oppidorum circa Hieroſolymam videtur refellere, in quibus quis credat fuiſſe tantum aquas collectitias? Itaque ſchœnos pro miliaribus ſumptos poſſumus exiſtimare, fortaſſe enim quomodo milliaria apud Romanos lapidibus; ſic & apud Græcos aliquos, funibus, ſiue iuncis, nam vtrumque χοῖνος ſignificat, milliaria notabantur. 4.N.VIII.

Singuli ſicli pendunt ſemiunciam argenti; itaque ſexcenti ſicli, ſunt trecentæ vnciæ, quæ ſingulæ fere valent 55. ſolidos. (Nam octo, quas vocamus *vn mar*, æſtimantur 22. francis) quatuor ergo æquiualent octingentis viginti quinque francis, & ſinguli 206. & 5. ſolidos. 5.N.XI.

Et conſulendus Pagninus in radice פרש, & ibidem Mercerius. 6.N XII. פרש. pharas.

ANNVS MVNDI 3047. DILVVII 1391. 5ᵃ. ÆTATIS 108. SALOMONIS REGIS 28. SADOCI PONTIF. 27. FVNDATI TEMPLI 25. TROIÆ EXCISÆ 176. LAOSTHENIS 19. IMPERII ASSYRIORVM 1116.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1006.

a 3.Reg.10. 2.Paral.9. b l.8.c.4. c l.5.c.14.n. 12.& 35.

I. *Ratio temporis aduentus Reginæ Sabæ*

QVæ proxime de Salomonis [a] in Aegyptum profectione ſuſpicabamur, non leuiter nos monerent, vt in hunc annum, id eſt proximum quodque tempus, Reginæ Sabæ profectionem, ad Salomonem conferremus; ſi quidem placeret Ioſephi de hac Regina ſententiam ſequi: Quidquid ſit Pineda eius aduentum in hunc vigeſimum octauũ Salomonis annum retulit in Chronographia Salom. [b] quamuis alibi [c] putarit circa vigeſimum Salomonis annum veniſſe; ſed eum poſtea ordinata annorum deſcriptio ad veriorem ſententiam adduxit. Nec repugnat Torniellus, quamuis de ea quadriennio ante qui erat Salomonis 24. diſſeruerit, quod eius anni non viderentur exactius diſtingui poſſe. Scriptura profectioni Salomonis in Aſiongaber, ſtatim ſubiungit aduẽtum Reginæ huius. Nec vllum chronologum repugnantem inuenio, præter Marinum Victorinum apud Genebr. in chronol. qui exiſtimauit eam ad Salomonem veniſſe anno regni eius quarto, vel potius vndecimo ait Genebr. Nam 3. Reg. [d] templum iam erat ædificatum. Sic ipſe obiter; imo & regia domus, & ſaltus Libani. De templo quidem id perſpicuum eſt. Nam tertio Reg. [e] dicitur vidiſſe cum admiratione holocauſta, quæ Salomon offerebat in domo Domini. Quod repetitur 2. Paral. [f] quomodo ergo anno quarto illa venerit, cum templi fundamenta vix iacerentur. Sed iiſdem etiam locis manifeſta eſt mentio domus Salomonis, & habitaculorum ſeruorum; & Ioſephus conuiuia, quorum ſpectatrix, & particeps fuit Regina, in domo ſaltus Libani celebrata fuiſſe ait, eamque aulam maximè illi fuiſſe admirationi.

d c.11. e c.10.5. f c.9.4.

II. *Quæ fuerit hæc Saba.*

OPORTVIT etiam Salomonem ex Libano, & Aſiongaber, aliiſque locis tam vicinis, quam remotis reuertiſſe, iuxta digeſtam hactenus temporum ſeriem, vt eum opportune Regina Saba Hieroſolymis inueniret. Cæterum quæ fuerit hæc Regina, ſtudioſiſſime perquiſiuit, fuſiſſimeque diſſeruit Pineda, [g] nec mirum: nemo enim fere antiquorum, aut recentium ſacras literas tractauit, quin hanc quæſtionem attigerit; & omnes quidem Reginam Saba, cum Scriptura agnoſcunt; & Saba à meridie Hieroſolymis fuiſſe fatentur, cum videant eam à Chriſto Domino Reginam Auſtri fuiſſe appellatam. Sed Sabam alii in Aegypti, vel Aethiopiæ finibus, alii in extrema Arabia collocant; omnes enim opiniones ad hæc duo capita reuocantur.

g l.5.c.14.

III. *Quid Ioſephus de regibus Aegypti.*

h l.8.c.2.

PRIORI illi præit Ioſephus, [h] cuius ſententiam totidem verbis referam, licet paulo altius principium repetat, quoniam nonnullam animaduerſionem requirunt. Sic ergo habet. *Nunc quoniam video multos quærere, qui factum ſit vt omnes Aegyptiorum* Reges *à Minæo illo, qui Memphim condidit, quique multis annis auum noſtrum Abrahamum præceſſit, vſque ad* Salomonis *tempora, per mille trecentos & amplius annos Pharaones dicti ſint; à quodam Rege nomine deſumpto: operæpretium exiſtimo eorum ignorantiæ mederi, & manifeſtam huius appellationis cauſam reddere. Pharao* Regem *Aegyptiis ſonat. Opinor autem ipſos à pueritia nominibus aliis diſcretos, cum primum Reges creati fuerint, poteſtatis eius nomen patriæ linguæ vernaculum aſſumere. Nam & Alexandrini Reges aliis prius nominibus vocati, poſt aſſumptum regnum, vocati ſunt Ptolemæi, à primo huius vrbis Rege: & Romanorum* Imperatores *alioquin gentilia nomina habentes, Cæſares appellantur, Principatus & honoris vocabulo, poſthabito illo priore, quod à parentibus hæreditarium in eos demanauit.*

IV. *[P]ergit Ioſephus.*

E T *hinc eſt, ni fallor, quod Herodotus cum cccxxx. Reges poſt Minæum Memphis conditorem deinceps ſucceſſiſſe dixerit, nomina eorum non recenſuit, quia Pharaones vocati ſint omnes. Cum enim poſt hos mulier imperium arripuiſſet, nomen eius ponit Nicaulen: nimirum ea de cauſa quod ſoli mares huius appellationis eſſent capaces, & non etiam fœmina, oportuit peculiare ipſius nomen dicere. Ego vero in noſtra gentis commentariis reperi, quod poſt Salomonis ſocerum Pharaonem nemo Aegyptiorum Regum amplius hoc nomine ſit vocatus; & quod poſt illum venerit ad Salomonem iam dicta mulier, quæ tum Aegypti ſimul, ac Aethiopiæ regnum obtinebat. Sed de hoc paulo poſt dicemus.*

V. *[E]rrat in [n]omine [P]haraonum.*

ILLVD autem primum manifeſte falſum eſt, deinceps poſt ſocerum Salomonis Aegypti Reges non fuiſſe dictos Pharaones, idque ex Hebræorum commentariis. Is enim ex iiſdem commentariis manifeſti mendacii conuinciiur. Nam Eſaias qui ducentis annis poſt Salomonem fuit, optimates Aegyptiorum ſic alloquitur; [a] *Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens, quomodo dicetis Pharaoni, filius ſapientis ego, filius Regum antiquorum.* Et alibi [b] reprehendit Iſraëlitas, qui deſcendebant in Aegyptum ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis. *Et erit vobis,* inquit, *fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.* Rabſaces quoque, temporibus Ezechielis, id eſt ducentis, & octoginta circiter ab hinc annis, Regem Aegypti Pharaonem vocat, & baculo arundineo cōfracto comparat. Quid Ioſias Rex? Nonne à Pharaone Nechao 370. poſt mortem Salomonis annis occiſus eſt? Ieremias [c] Pharaonem Ephreæ in manus inimicorum ſuorum tradendum denunciat, ſicut Sedechias in manus Nabuchodonoſoris deuenerat; nec pauciora de Pharaone prophetat, Ezech. [d] imo ambo totis prophetiis ſuis Pharaones Aegypti Reges ingeminant. Quomodo ergo poſt Salomonis ſocerum Pharaonem nemo Aegyptiorum Regum amplius hoc nomine vocatus eſt? Aut quid cauſæ fuiſſe dicamus, cur vnius mulieris interuentu in regium ſolium, nomen hoc à regibus abiectum, vel abominatum fuerit?

a c.9.11. b c.30.2. c c.4.4. fin. d c.31.1.32 1.

VI. *[E]t in huius [R]eginæ [n]omine.*

FICTVM quoque eſt huius Reginæ nomen Nicaule, neque enim hoc nomen ab Herodoto ponitur, ſed Nitocris, idem quod Reginæ Babylonicæ. Cedrenus in Compendio hiſtor. ait enim à Gręcis Sibyllam dictam fuiſſe. Genebr. in Chronol. [e] ex hiſtoria Aethiopica, eam refert vocatam Makedam. *Illud* veriſimilius, inquit Pineda, [f] quod ſi fuit Regina Aethiopiæ, vt multi contendunt cui multis poſt ſeculis illa Candacea Regina ſucceſſerit, cuius fit mentio Actorū 8.27. etiam hæc Regina gauiſa fuerit communi illa Reginarum Aethiopię appellatione. Plinius enim [g] ait temporibus Neronis relatum eſſe, ad Meroëm regnare fœminam Candacem; *Quod nomen,* inquit, *multis iam annis ad Reginas tranſiit.* Euſebius etiam, [h] & Niceph. [i] aiunt Candacem Aethiopum Reginam vnum de ſuis ſatrapis Hieroſolymam miſiſſe: patrio quippe more gentem eam à muliere rectam fuiſſe. In libro Iuchaſin, ait Serarius, dicitur Nicolaæ; in Aethiopica legatione apud Damianum Goënſem, Magneda.

e an.3186. f l.5.c.14.n. 2. g l 6.c.29. fin. h l.2.hiſtor c.1. i l.8.c.6.

VII. *Et duratione regni Aegypti.*

CÆTERVM quod mille & trecentis annis ait Ioſephus, regnaſſe in Aegypto 330. Reges, Herodoti, ſiue Sacerdotum Aegyptiorum, quos ipſe refert, fabulam amplificauit. Ait enim Herodotus in Euterpe; *Poſt hunc* (Menam) *recenſebant è libro Sacerdotes nominatim, alios trecentos ac triginta Reges; in quibus tot ætatibus hominum, octodecim fuiſſent Aethiopes, & vna mulier alienigena, cæteri viri indigenæ.* At quomodo trecenti triginta Reges mille & trecentis, adde ſi lubet quinquaginta, fere annis regnaſſe dicuntur, cum illis temporibus vt plurimum 30. 40. 50. & amplius annos regnarent, vt videre eſt in Euſebii Chron. [k] at ſi ſingulis tantum triginta tribuamus annos, fient nouies mille, & nongenti anni. Quid quod Diodorus Siculus ex iiſdem Sacerdotibus, refert Aegyptios Reges indigenas 470. viros, mulieres 5. Aethiopes quatuor, non continuis, ſed diuiſis temporibus in Aegypto regnaſſe, pręter Perſas, atque Macedones? Nonne hæc varietas, & inconſtantia, præter iſtam temporis rationem, mendacii totam ſacrificulorum illorum ſacram, ſi ſuperis placet, narrationem coarguit?

k l.1.ant.

VIII. *An Pharao [c]ommune [n]omen Ae[g]ypti Re[g]um.*

QVOD autem ex Herodoto Ioſephus colligit omnes Aegyptiorum Reges dictos Pharaones, id ne de vno quidem probare poterit. Id enim nomen plane Herodoto ignotum fuit, ſicut & Diodoro Siculo, Plinio, & aliis fere

REGINA SABA UBI REGNARIT.

quibus ignotæ fuerunt ſacræ literæ. Nec Herodotus communi aliqua appellatione reges illos omnes comprehenſos ſignificat, imo illos omnes nominatim recenſitos à Sacerdotibus ſcribit; nec valde probabile eſt nomen Pharaonis ſignificare Regem; nunquam certe appellatiue ſumitur. & Diuus Hieronymus id nomen, non vt Ægyptium, ſed vt Hebræum interpretatur diſſipantem; ſiue diſcooperientem eum.[a] Id potius ex Manethone referendum fuit. In Euſebii enim Chronico ita legitur. *Aegyptiorum Reges omnes tunc Pharaones dicebantur: non hoc proprium habentes nomen, ſed pro dignitate Reges tum vtebantur hoc nomine. Sicut & apud nos*, inquit Euſebius, *Imperatores Auguſti appellantur; habebat autem vnuſquiſque Pharao proprium nomen. Hoc nos ex libris Manethonis Sacerdotis Aegypty lectum poſuimus*. Sic ibi.

IX. *Minæus Rex, vel Minas potius.*

NON omittam hunc Minæum Regem Ægypti, rectius Menam, cum Herodoto, & Diodoro Siculo dictum iri, pro quo hic aliqui deterius etiam legunt Amæum,[b] nec melius Rufinus, Ninum qui ante Abrahamum quidem fuit, quippe qui quadrageſimo tertio anno regni eius natus eſt, ſed Aſſyriorum Rex fuit, non Aegyptiorum. & Niniuem, non Memphim condidit. Et Herodotus quidē Menam facit Memphis conditorem. Sed Diodorus Siculus Vchoreum longe poſteriorem, qui ei 150. ſtadiorum ambitum dederit; & filiæ ſuæ nomine appellarit. Communior tamen veriorque videtur Euſebii ſententia in Chron. qui authorem Mempheos facit Apim, qui & Serapis dictus eſt, qui cum fratrem Aegialeum Regem præfeciſſet Achaiæ, ipſe cum populo ad Aegyptum nauigauit. Quæ eſt ſententia Clemētis Alexandrini,[c] quam refert ex Ariſtippo, & aliis, vt ibi videre licet. Verum Apis non plurimis annis ante Abrahamum Memphim condidit, ſed iuxta eundem Euſeb. anno vno ante mortem Iſaac. Deinde poſt aliquot ſecula, dum Iſraëlitæ in Aegypto peregrinarentur, Epaphus apud eundem legitur condidiſſe Memphim, id eſt, muris cinxiſſe, & reſtauraſſe.

X. *Vbi regnarit hæc Regina. Abul. Pineda, Salmer. Torniello, Barrio. An in Aethiopia.*

VERUM vt ad Reginam Saba redeamus, vult Ioſephus mulierem hanc Aegypti, ſimul & Aethiopiæ regnum obtinuiſſe, & ſocero Salomonis ſucceſſiſſe. Sed id pleriſque omnibus merito diſplicet, nec vllo fundamento nititur vel Scripturæ, vel rationis: & ex ſequentibus apertius refelletur. Alii ſolius Aethiopiæ Reginam affirmant, in qua Saba primaria prouinciæ vnius vrbs, & portus; nec toti Aethiopiæ, ſed particulæ tantum imperitaſſe; illis enim temporibus Reges admodum multiplicabantur. Id tamen infirmari poteſt, non ſolum quod à Chriſto Auſtri Regina dicitur, quaſi longe lateque ad auſtrum imperaret, (ſicut cum apud Danielem[d] Ptolemæus Aegypti Rex, dicitur Rex Auſtri, & Antiochus aquilonis; magni videlicet, ac præpotentes Reges,) ſed quod cum tanto comitatu, diuitiiſque ad Salomonem venerit. Pro hac Saba Aethiopica ad triginta quinque authores affert Pineda;[e] & rationes aliquot, ſcilicet vicinitatem Arabiæ, cum tamen Chriſtus hanc reginam ex finibus terræ veniſſe dicat, & quod Arabia non cenſeatur inter regiones auriferas, ſicut Aethiopia, cuius tota ora antiquis ignota, nihil pene aliud mercatui exponit quam aurum. Quod denique in Aethiopia, non in Arabia mulieres imperabant.

Et quæ pro ea faciant.

XI. *Aut in Arabia felice potius.*

AT ſententia, quæ ex Arabia Reginam hanc euocat, videtur probabilior, pro qua idem Pineda viginti quatuor authores citat, eamque ipſe vigeſimus quintus ſequitur; cui adde Torniel.[f] Sethum Caluiſ.[g] Sa,[h] Villal.[i] quibus ego libens ſubſcribo,[k] & duabus maximè rationibus confirmo, quarum prior à rei nomine, altera à re ipſa petitur. Prima ergo, quæ multorum eſt, ex conſtanti ſcriptura eius vocis ſumitur. Nam tam tertio Reg. quam 2. Paral. vox Saba cuius hæc Regina dicitur, per ש ſchin ſcribitur, & neceſſario ad Arabiam pertinet, teſte Pineda; adeo vt Saba per ש vulgatus interpres[l] Arabiam verterit, ſicut & Septuaginta; cum autem per ס ſamech ad Aethiopiam. Et ſane perquiſitis diligenter locis omnibus Scripturæ, in quibus de alterutra Sabæ prouincia fit mentio, eam differentiam perpetuo ſeruatam inueni. Nec proferri poteſt vllus locus, in quo Saba per ש ſchin ad Aethiopiam pertineat.

XII. *Et aromatum vis ingens.*

ALTERA ratio ex aromatibus ſumitur, quæ omnium conſenſu abundantiſſima, & omnium optima, in Arabia felice proueniunt. At ſcriptura de iis teſtatur

a in lib. de nom. Heb.
b Pontacus in not. in Chron. Euſeb col. 159.
c l. 1. Stro. c. 10.
d c. 11. 5. 6. 9.
e l. 5. c. 14. n. 21.
f an. mund. 3043 n 13.
g an. ante Chriſt 992.
h in c. 10. 3. Reg.
i in c. 27. Ezechielis. v. 22.
k vide Pined. l. 5 c. 14. §. 6.
l in Pſal. 71. 10. & 15.

nunquam talia, neque tam multa in Ieruſalem allata fuiſſe aromata, [a] imo Herodotus. [b] *Ad meridiem vltima è regionibus quæ habitantur, Arabia eſt, in qua ſola omnium naſcuntur thus, myrrha, caſia, cinnamomum & ledanum;* verum & illud conſiderandum quod ait Arabiam vltimam eſſe ad meridiem, è regionibus quæ habitantur, quibus verbis egregie illæ duæ Euangelii circumſtantiæ confirmantur. *Regina auſtri ſurget.* &c, *quia venit à finibus terræ.* [c] Sed hac de re iterum aliquanto poſt. Non erit opinor ingratum lectori ſi totum Scripturæ locum alia Diodori Siculi narratione illuſtremus, qua & Arabiæ felicis, & nominatim Sabæ aromata, aurum, gemmas, multipliceſque diuitias eclebrat.

a 3 Reg 10 10. & 2. Par. 9. 10.
b l. 3 verſus fin.
c Matt. 12. 42.
Plin.

XIII. Regio Sabæ qualis ex Diodoro.

Hos, inquit, [d] *ſequuntur Sabæi, gens Arabum populoſiſſima,* nec mirum quippe ditiſſima, & felici gaudens ſolo, ex quo etiam non mireris multum Reginæ noſtræ comitatum. Sed pergit. *Qui felicem Arabiam incolunt, eorum quæ apud nos ſunt pretioſiſſima ferētem plurima, omnique pecoris genere apprime copioſam. Odoribus inſuper ſuauibus, quos paſſim natura apud eos gignit, omnes ferme alias ſuperat nationes. Nam in maritimis locis balſamum, & caſia, quædamque herba natura ſingulari, quæ recens aſpectu oculos oblectat, inueterata ſubito fit debilior. Pars mediterranea ſyluas continet amœnas, in quibus magnæ ſunt thuris, & myrrhæ arbores, palmæ inſuper, & arundines, cinnamomum, & alia his odore ſimilia. Neque enim referri poſſet ſingulorum ſpecies, ac natura; adeo affluenter multa in eam odorifera natura exaggerauit. Diuina quædam res eſt, & quæ verba ſuperet, ſuauis ad noſtros ſenſus ab iis aſpirans odor. Et ſane longe quoque à continenti nauigantes, hanc odorum voluptatem percipiunt. Veris enim tempore venti à terra perflantes, ab huiuſmodi arboribus odores ad propinqua maris loca perferunt. Non enim remiſſam aromata, & vetuſtam, veluti apud nos accidit, vim habent, ſed ingentem recentemque, & quæ ad omnes ſenſus perueniat. Aura quidem ex optimis mixta odoribus ad maritima deſcendens multa ſuauitate nauigantes afficit, & confert valetudini, vt qui odores hos ſentiunt, ambroſiam, quam narrant fabulæ, (tanta enim odorum excellentia nullum ſibi nomen inuenit aptius) eſſe putent.* Et paulo poſt.

d l. 3 c. 5. verſus fin.

Inde expirans odor.

XIV. Saba, & eius Reges.

Hvivs *gentis metropolis eſt quam Saban appellant, ſuper montem ſita. Reges habet ex generis ſucceſſione, eos quibus multitudo honores diſtribuit, bonis, maliſque immixtos. Beatam namque vitam habere videntur, quod reliquis imperantes, rationem ab ſe geſtorum minime coguntur reddere; infelicem vero quod nunquam regiam exire queunt. Nam ſi palam prodirent, à turba hominum lapidibus, veteri quodam Deorum reſponſo, obruerentur.* Ex quo coniectura non contemnenda duci poteſt, quare Hieroſolymam Regina Saba, non Rex ipſe venerit. Nec profecto neceſſe eſt hanc Reginam ſiue marito regnaſſe, vt propterea ei regnum in Æthiopia quærere oporteat. Quanquam & apud Sabæos Reginas imperaſſe tradit Claudianus in Eutropi.

Ac Reginæ.

—— *Medis, leuibuſque Sabæis.*
Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna iacet.

Sed pergit de populi diuitiis dicere, quæ admirationem doni centum viginti talentorum auri, id eſt quindecies centenorum millium aureorum, facile tollant, nam quodque talentum eſt 12500. aureorum, cum ſit 125. librarum auri.

1500000.

XV. Sabæorum diuitiæ.

Hæc *natio non ſolum propinquis barbaris, ſed cæteris hominibus ditior atque opulentior habetur. Nam in mercaturarum commercio ex parui ponderis re, plurimum precij à mercatoribus in rerum commutatione capiunt. Ideoque cum nullam vnquam calamitatem ea gens ſit experta, auri autem argentique copia, præſertim Sabæ vbi regia eſt, ſuperſit, toreumata argentea, aureaque omnis generis poculorum habent; lectos inſuper, tripodaſque argenteis pedibus, cæteramque ſupellectilem vltra fidem ſumptuoſam. Magnis quoque columnis porticus fulciuntur, quarum capita tum argentea, tum aurea ſunt; laquearia vero, ac portæ aureis phialis, precioſis lapidibus intermixtis, totius domus ſumptuoſiſſimum ornatum oſtendunt. Alia enim auro, alia argento, quædam lapidibus ſplendent; nonnulla tum elephantorum dentibus ſunt exculta, tum multis præterea rebus aliis, quæ plurimi apud homines æſtimantur. Et hi ſane multis ſeculis perpetuam habuere felicitatem. At fuit enim ab eis penitus quod multos in præceps dedit, ambitio per auaritiam aliena poſſidendi.* Et alibi. [e] *Effoditur aurum in Arabia, quod apyron, id eſt ignis expers nominatur. Non enim ex ramentis per ignem excoquitur, vt alibi, ſed inter eruendum ſtatim purum putum inuenitur, par nucibus caſtaneis magnitudine, & colore tam flammeo, vt ſi precioſiſſimi lapilli artificum opera includantur, ornamenta pulcherrima efficiat.* Hactenus Diodorus.

Ac felicitas.

e p 93 Lat. Græc.

a l.2.c.12. CÆTERVM quod de balſamo in maritimis Arabiæ locis oriente dixit. Supra [a] paulo pluribus explicat, & quidem in Arabia deſerta naſci vult. *Fertilis eſt*, inquit, *ea palmis regio, quæ fluminibus, aut aquis fontium rigatur; naſcitur & in quadam eius conualle ad multa medicis vtile balſamum, maximum vectigal, cum nulla orbis pars alia eam plantam producat.* Sic Diodorus; quibus conſentanea ſunt quæ ſcribit Ioſephus, qui agens de muneribus ab hac regina Salomoni datis. *Aiunt etiam*, inquit, *quod balſami plantam, cuius hodieque ferax eſt noſtra regio, illius reginæ munificentiæ ferre acceptã oporteat.* Ex qua etiam fama coniectura non leuis ducitur reginam hanc ex Saba Arabica, non Æthiopica profectam. XVI. *Balſamũ.*

NEC dubium eſt eam ingentem quoque vim thuris, quod in altari thymiamatis Deo adoleretur, ſecum detuliſſe, quod felicis Arabiæ proprium eſſe tum illud Poëtæ probat. *Molles ſua thura Sabæi.* Et Plinius, [b] Thuris præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem vniuerſæ. Et Tibulli, XVII. *Thus.*

b l.12.c.14.

Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener è terra diuite mittit Arabs.

Tum maxime Diodori loco citato proxime, vbi inter alia; *Myrrham etiam & diis gratiſsimum, perque vniuerſum orbem diffuſum thus extrema Arabia ferunt. Coſtum inſuper, caſiam, cinnamomum, & alia huiuſmodi plura. Herba vero, & arbuſta odorifera adeo illic abundant, vt quæ cæteri raro ſuper Deorum altaribus ponunt, illi pro lignis in furnis comburant, & iis quæ apud alios habentur rara, Arabes ſeruorum lectos ſternant:* Hæc ibi. Ex quibus etiam regio, ex qua venerunt tres illi proceres, qui Chriſto Domino aurum, thus, & myrrham detulerunt, non obſcure declaratur. *Coſtus, Caſia, Cinnamomum.*

VERVM, aiunt, huic ſententiæ repugnat Arabiæ vicinitas; cum Ioſephus longinquam peregrinationem ab ea ſuſceptam affirmet. Videtur enim Iudæam contingere, nedum in extremis terræ finibus eſſe. Facilis tamen eſt reſponſio. Nam apud Ieremiam, [c] qui Hieroſolymis vaticinabatur, *vt quid mihi thus*, inquit Dominus, *de Saba affertis, & calamum ſuaue olentem de terra longinqua?* Et Ioël. [d] *Vendam filios veſtros, & filias veſtras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus eſt.* Vbi D. Hieronymus ait eos eſſe trans Indiam, de qua gente fuerit & regina Saba; alludit autem ad Sabam filium Iectam, qui regionem Indicam coluit, [e] & in c.60. Iſaiæ ait eam regionem eſſe trans Arabiam, quæ loca conciliat Pineda. [f] Ait enim Hieronymum intelligere non Arabes illos agreſtiores, & incultiores; qui deſertam, aut petræam Arabiam vagi incolunt, ſed vlteriores ad meridiem, & Indiam, & ad mare Indicum, qui ſcilicet Arabiam felicem inhabitant. Longinquitatis argumentum eſt illud Lucani, XVIII. *Arabia, an vicina Iudææ.*

c cap 6. 10.
d cap.3.8
e Geneſ.10. 26. vide t. 1. an. m. 1931. n. 105.
f l.5.c.14.n. 23.

Ignotum vobis Arabes veniſtis in orbem.

g ca.2.n.12. Adrichom. in Manaſ. [g] ait Arabiam, ex qua tres illi Reges ad Chriſtum venerunt, ſexentis leucis Gallicis Hieroſolymis diſtare. In tabulis Ortelii duo millia milliariorum Gallicorum ab extrema Arabia felice, quæ ſinum Perſicum inchoat, Hieroſolymam vſque numerantur; & omnino duplo maius ſpatium, quam diſtet Lutetia Venetiis reperio.

HACTENVS quæ fuerit hæc regina, & vnde venerit dictum eſto; nunc quæ viæ cauſa, quis apparatus, quæ Hieroſolymitana commoratio, quis reditus paucis dicendum eſt. Cauſam profectionis, & occaſionem refert Scriptura, in hæc verba 3. Reg. [h] *Sed & regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* Vberius Ioſephus. *Interim ad Aegypti, Aethiopiæque reginam mulierem ſapientiæ ſtudioſam, & cætera quoque egregiam, Salomonis virtutum, ac ſapientiæ fama delata, cupiditas eam inceſsit coram hominem viſendi: ſic enim fore vt experimento; non rumoribus crederet, qui ſæpenumero falſi, eo quod toti à fide renunciantium pendeant, paulo poſt euaneſcunt: decreuitque ſuſcepta longa peregrinatione illius ſapientia perfrui, & de rebus arduis cum eo diſſerere.* Sic explicauit Ioſephus illud, *venit eum tentare in ænigmatibus.* XIX. *Quæ cauſa viæ huic Reginæ.*

h ca.10. v.1

FAMAM perfacile accipere potuit à Salomonis claſſe, quæ totum ſinum Arabicum, totamque oram felicis Arabiæ quotannis præteruehebatur. Sed quoniam rumore tantum nuncio moueri principem non decet ad periculoſam, & longinquam peregrinationem, derelicta patria ſuſcipiendam; neque res fœmineæ leuitatis nota caritura videbatur, præſertim cum fama, ſubditorum Salo- XX. *Unde ei notus Salomõ. Eiuſdem legati.*

monis narratione; id eſt domeſtico præconio niteretur. Scribit Ioannes Barrius, & probat Pineda [a] ex Abiſſinorum monumentis reginam, priuſquam ſe in viam daret, veritatis explorandæ gratia Hieroſolymam diligentiſſimos nuncios delegaſſe, eoſque mandatis obitis, & Salomonis ſapientia, diuitiis, omnique magnificentia ædificiorum explorata ad reginam reuertiſſe, eamque incredibili cupiditate videndi, audiendique Salomonis incendiſſe.

a l. 5. c. 14. n. 26.

XXI. *Veniſſe in nomine Domini, quid. Lyrano. Dionyſio. Hugoni. Vatablo. Sa. Caiet. Abulenſ. Pinedæ.*

SED quæ eſt, inquies fama Salomonis, *in nomine Domini*? Sic enim habetur etiam in Hebræo, & Chaldæo. Lyranus id ad religionem refert. *Ex hoc patet*, inquit, *eam fuiſſe Dei cultricem, quamuis non teneret Moyſi legem, quia ad eam non tenebatur* Quam ſententiam non aſpernatur Dionyſius, & explicat illud, *in nomine Domini*, ſecundum Dei voluntatem, & diſpoſitionem. Hugo, bono animo, vel inſpirata à Spiritu ſancto. Vatablus; & Sa audita fama eorum quæ faciebat in nomine Domini, non idolorum ope; Caietan. diuulgatum ſignificatur, quod non humana diſciplina, non humano ſtudio, ſed diuino dono habebat Salomon tantã ſapientiam. Abul. [b] Audita fama Salomonis, & fama Dei Iſraël, quod faceret mirabilia præ omnibus diis, venit ad eum adorandum: nam eius deuotionem illa eius verba ſignificant. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti*, &c. Pineda [c] in nomine Domini. id eſt, nomine quodam prope diuino, & fama longe lateque ad vniuerſas regiones penetrante; & alibi [d] in nomine Domini exponit, quaſi dicat, *nomini Domini*, propter ל audiuit famam, quæ tota nomini Domini tribuenda eſſet, qui mirabilia in Salomone operaretur, ac nihil in illo niſi diuinum conſpiceretur.

b q. 3. in c. 10. 3. Reg.
c l. 6. ca. 2. n. 4.
d l. 5. c. 14. n. 7. Lamed.

XXII. *Baronij expoſitio de vaticinato Meſsia.*

BARONIVS [e] ſignificat ita eam veniſſe in nomine Domini, quaſi nomen Salomonis arbitraretur eſſe nomen Domini, illius ſcilicet, de quo olim Balaam vaticinatus fuerat. *Quæ obſecro*, inquit, *tanta cupido, tum illius, tum magorum, qui ex iydem, vt dictum eſt, progenitoribus deſcendebant, inceſsit animum de rege, qui in Iſraël regnaret peruestigando, niſi quod in illis regionibus Balaami oraculo erant admoniti. At quod illa credidit eſſe impletum in Salomone, qui & ipſe Chriſti venturi typum gerebat; iſti duce ſtella adhuc perquirendum putarunt Regem Iſrael, quem & feliciter inuenerunt.* Hactenus illuſtriſſimus Baronius, cuius ſententiam minus probant Torniell. & [f] Pineda. [g] Cuius hæc ratio me mouet, quod regina hæc non venit adoratura Salomonem quaſi Meſſiam, vt fecerunt Magi, ſed ſapientiam eius tantum auditura; quod Chriſtus quoque Dominus teſtatus eſt; alioqui ſi quid diuinum animo conceperat, illudque in Salomone requirebat, eluſa fuiſſet; nedum ſuperata eius expectatio, cum tamen eam dixiſſe conſtat, *Et probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit, maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiui.*

e An. t. 1. an. Chriſt. 1.
f An. 5. æ: e 11. n. 14.
g l. 5. c. 14. n. 58.

XXIII. *Defenditur qualẽ Meſsiam hæc regina ſuſpicaretur.*

AT pro Baronio dici poteſt reginam de Salomone, vt de Chriſto exiſtimaſſe De Chriſto tamen ſenſiſſe, non vt incarnato Deo, ſed vt maximo, ſapientiſſimoque principe, in quo victa fuit eius expectatio. Nec mirum mulierem eã de Chriſto habuiſſe opinionem, quam ſapientiſſimi Hebræorum tot ſeculis habuerunt, & quam nunc quoque mordicus retinent. Quod autem Magi Chriſtum Deum, & hominem agnouerint, & adorauerint, ſingularis cuiuſdam gratiæ fuit, quam ne Apoſtolis quidem ſta im communicatam conſtat, nedum mulieri peregrinæ. Accedit quod Vatici. ium Balaam, nihil diſerte de Chriſti diuinitate loquebatur. At ſtella nulla apparuerat, inquit Torniellus, quaſi vero non eſſet facile ſtellam metaphorice accipere, de illuſtriſſima gloria & ſplendore Salomonis, cum etiam Patriarchæ ſtellis repræſentati fuerint, [h] præſertim cum in eadem prophetia ſtatim ſubdatur, *Et conſurget virga de Iſraël*, quam virgam quis neget metaphoricè accipiendam? Quod autem idem putat eam vaticinii tanta vetuſtate obſoleti, & nihil ad ſe pertinentis, nullam habuiſſe cognitionem, non probatur. Quidni enim putaret æque ad ſe pertinere, ac tres Magi mille poſt annos putarunt, præſertim cum aliqua de Chriſto venturo, quamuis confuſa cognitio, vniuerſum mundum, præſertim orientem repleuiſſet. Vt propterea *expectatio gentium* diceretur.

h Geneſ. 37. 9.

XXIV. *Admittitur Baronij ſententia.*

ITAQVE exiſtimo hanc Baronii ſententiam eſſe admodum probabilem; cui nequaquã repugnat, imo conſentanea eſt Scriptura, cum ait eam veniſſe ad audiendam ſapientiam Salomonis, cum illa de Chriſto, vt dixi, tanquam ſapien-

tiſſimo principe ſentiret. At quomodo, inquies, eam Salomon in tanto errore reliquiſſet? At vnde conſtat vel illam aperuiſſe cogitationem ſuam, vel Salomonem agnouiſſe mentem eius? Quanquam vt vtrumque detur, nihilominus verum erit eius de Salomone conceptam opinionem, & expectationem experientia fuiſſe ſuperatam, & inſuper magnum myſterium edoctam fuiſſe. Sicque recte accipietur reginam eodem modo dici veniſſe in Iudæam *in nomine Domini*, quo modo [a] dicitur Simeon in ſpiritu veniſſe in templum, hic Chriſtum viſurus, & complexurus; illa Chriſti figuram viſura, & venturi veritatem agnitura: etſi id ipſa non cogitaret, cum ſe in viam dedit. Denique illud *in nomine Domini*, quod repetit Sapiens, [b] Salomon ipſe explicauit, *propter nomen Domini*, cum ait. [c] *Inſuper, & alienigena cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis*, &c.

a Luc. 2. 27
b Eccl 47. 19.
c 3. Reg 8. 41. & 2. Par. 6. 32.

XXV. *Conuerſio reginæ Sabæ ex Theodoreto.*

Cæterum opinionem de eius conuerſione ad veri Dei agnitionem & cultũ valde probabilem faciunt illa eius verba. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum*, &c. De quibus poſtea: & ea videtur ſententia Theodoreti, [d] qui non ſolum admirabilem mulierem vocat, cuius ſtudium Chriſtus laudauerit in Euangelio, ſed ex ſententia D. Pauli iis etiam annumerat, qui ſine lege iuſtificati ſunt; addens per Salomonem, qui eam excepit, laudauiſſe datorem ſapientiæ. Niſſenus quoque [e] ait hanc reginam Salomonem muneribus honorifice proſecutam, ad euangelicum aſpexiſſe miraculum; nimirum ex idololatria, & gentibus procul à vera cognitione habitantibus conuerſam. Iſidorus [f] ſiue vt aliis placet Beda, ait reginam Auſtri, & populi ſui, & paternæ domus oblitam, cum barbara gente cucuriſſe: in aperto peregrinam, in occulto optantem fieri ſanctorum ciuem. *Vnde non ſolum*, inquit, *præmio cæleſtis retributionis beata, ſed etiam poteſtate Apoſtolica de Iudæis adulteris iudicandis, ipſius ore iudicis digna cenſetur, quia Chriſtum in Salomone mirata, verum reginæ cæleſtis affectum in imagine myſtica Eccleſiæ prouidentis impleuerat.* Deinde Beda ſanctam, & electam fœminam vocat, vt ait Pineda. Legitur enim in commentariis eius in Euang. Lucæ, reginam Auſtri non dubitari electam eſſe, & cum bonis reſurrecturam. Sed de cauſa aduentus reginæ Sabæ hactenus.

d q. 32. in 3 Reg.
e hom. 7. in Cant.
f 3. reg. c. 5.

Niſſeno. *Iſidoro.* *Beda.*

XXVI. *Quo apparatu venerit Hieroſolymam.*

Advenientis apparatus, ita à Scriptura deſcribitur. *Et ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas precioſas, venit ad Regem* Salomonem; quæ eadem totidem pene verbis, & in 2. Paral. Et apud Ioſephum habentur. Veriſimile eſt eam maritimo itinere veniſſe vſque ad Aſiongaber maxima parte felicis Arabiæ circumluſtrata. Inde oneribus in camelos impoſitis, terreſtri itinere Hieroſolymam veniſſe. Quæ autem de comitatu, aromatibus, auroque dicuntur, ex iis facile intelliguntur, quæ ſupra ex Diodoro retulimus, qui & camelos Arabicos celebrat. 1 Addit & alia animantia duplicis naturæ, vt ſtruthiocamelos, & camelopardos, qui ab iis ambobus, à quibus ſortiuntur nomen, naſcuntur; addit & tragelaphos, & bubalos, & elephantorum greges, aliaque animantia dromadum forma, quæ plurimum viæ conficiunt, præſertim per deſerta, & aquis carentia loca. *In bello quoque duos*, inquit, *in certamen ſagittarios dorſo ferunt, contrariè inuicem inſidentes: alterum à fronte aduerſus hoſtem, alterum contra perſequentem pugnantes.* De gemmis Arabicis idem Diodorus [g] non pauca, quæ hic breuitatis cauſa omitto. 2 Nihil ergo mirum reginam Saba ex Felice Arabia profectam, maximam ſecum auri vim, aromatum, gemmarumque attuliſſe; multis militibus, multa nobilitate, multis curribus, & quadrigis Hieroſolymam quaſi triumphantẽ inuectam eſſe. Ait enim Ioſephus eam veniſſe Hieroſolymam ſplendido & opulento apparatu, & à Rege honorificentiſſime exceptam.

1. ex.
g l. 2. p. 94. græc. lat.
2. ex.

Animalia Arabica.

XXVII. *Quæ illic egerit.*

Iam vero quæ Hieroſolymis Salomonem inter & reginam tranſacta ſint, explicandum eſt ex Scriptura, quæ quatuor de regina tradit. Primo locutam eſſe *vniuerſa quæ habebat in corde ſuo*; obſcuras ſcilicet quæſtiones ex intimis naturæ arcanis petitas propoſuit, de quibus à Salomone diſputatum fuiſſe Scriptura tradit. [h] *Et diſputauit ſuper lignis à cedro*, &c. aut etiam ad fidei myſteria pertinentes, quandoquidem ad veri Dei cognitionem, & cultum traductam eſſe, ex dictis ſatis perſpicuum videtur. Inito quodam certamine quale Ioſephus ſcribit, inter

h 3. Reg. 4. 33. & 34.

Propoſuit quæſtiones.

eundem Salomonem, & Hiram interceſſiſſe. *Quæſtiones*, inquit, *ænigmaticas Tyrius Rex ad Salomonem tranſmiſit, rogans vt eas explicaret, & dubitationem ſibi omnem eximeret. At ille callens huiuſmodi rerum, ac natura prudentiſſimus nihil inexplicatum relinquebat, ſed omnia ratione peruincens, & perſcrutatus, eorum intellectum aperiſſime declarabat.*

Experimentum à Regina ſumptum. Recitat Cedrenus in compend. experientiam de Salomone à regina ſumptam; quæ etſi rabinicam redolent officinam, referenda tamen propter elegantiam videtur. *Poſtquam*, inquit, *coram cum Salomone eſt quæ voluit locuta, iſque ei omnia ſermone compoſito, & elegantiſſima interpretatione diſſoluit, denuo eum ſic tentauit; formoſos pueros, & formoſas pucilas, eodem veſtitu, & ornatu inſtructos coram eo conſtituit, petiitque vt inter ſexum internoſceret: Nam & ipſa Sibylla* (Sibyllam vocat, & à Græcis Sibyllam ait appellatam) *ob ingenij promptitudinem ſapientiamque, & rerum multarum peritiam, magni erat nominis, Rex omnes lauare faciem iuſſit; Itaque diſcrimen ſexus deprehendit, cum mares fortiter, ac valide facies tergerent, ſemellæ teneriter, & timide. Itaque Regina omnino ſtupeſacta, propter ea quæ ab ipſo, & eius familia, & à ſe ipſa erant facta dicit. Verus eſt ſermo quem in terra mea audiui*, &c.

XXVIII. *Admiratio eius ex ſolutione quæſtionum.* QVÆ autem Cedrenus de eleganti ænigmatum quamtumuis perplexorum, & forte alias cum ſapiẽtibus viris examinatorum diſſolutione refert, cum Scriptura aperte congruunt. *Et docuit eam Salomon*, inquit, *omnia verba quæ propoſuerat, non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere, & non reſponderet ei.* Non congruunt autẽ quæ Ioſeph.[a] de Abemdone quodam Tyrio refert, ex Dio hiſtorico, quaſi is Salomoni quædã *Abdemonis quæſita.* propoſuerit, in quibus ſoluendis cum Salomon hæreret, magna pecunia mulctatus ſit. Sed quænam eſſent, tam hæc quam ſuperiora ænigmata, noluit diuina ſapientia poſteritati tradi; mundum relinquens diſputationi ſapientum, hoc ſpirituali pane, in ſudore vultus ſui, veſcentium. Docuiſſe autem cum eximia prudentia ingenii acumine, & agendi facilitate, atque ſuauitate peregrinorum morum faſtidia deuorando, quoquo modo innuitur in verbis reginæ Salomonem laudantis. Nam vbi legitur.[b] *Maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor quem audiui.* Hebraice habetur, addidiſti ſapientiam, & bonitatem ſuper famam, ideſt benignitatem, morum ſuauitatem, elegantiam, vt notat Vatablus; *Reſpondebat ei Salomon*, ait Pineda,[c] *in omni patientia, & doctrina*, quod vtraque opus eſſet ad muliebres quæſtiones, & curioſitates. Sicut enim audiendi, & perdiſcendi auidiſſimæ ſunt, ita percunctandi, atque inquirendi; & cum natura ſua garrulæ ſint, ſemel data loquendi, & interrogandi optione, nullum ſtatuunt percunctandi finẽ.

XXIX. *Ex viſione templi, & ædium regiarum.* HÆC prima admirationis reginæ cauſa, in animum eius per aurium ſenſum illapſa eſt: ſed viſus non minorem ſuppeditauit ſtuporis materiam. Nam ſequitur. *Videns autem Regina Saba omnem Salomonis ſapientiam, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini; non habebat vltra ſpiritum.* Ioſephus nomine domus quam ædificauerat Salomon ædes regias intellexit, præcipue autem domum ſaltus Libani. *Magiſque etiam*, inquit, *admirabatur regiam tam elegantem, ac magnificam, & tam belle diſpoſitum ædificiorum ordinem, quod hic quoque ingenium regis contemplaretur. Sed nihil magis admirata eſt, quam aulam, cui cognomen ſaltus Libani*, &c. Cui videtur adhærere Comeſtor.[d] Villalp.[e] Hugo,[f] & Abulenſis.[g] At certum eſt templi fabricam multo magnificentiorem, & admirabiliorem extitiſſe: Vt propterea nomine domus à Salomone ædificatæ, templum κατ' ἐξοχὴν videatur intelligendum: quo modo intellexit Villalpand. tam in 3. Regum, quam 2. Par. vbi nomine domus tam ædem ſacram, quam regiam intelligi vult: cui conſentit Sà, idque ante vtrumque intellexerant Lyranus, & Dionyſius: Adrichom. quoque in chron. & Torniel.

XXX. *Et miniſtrantium vtrique.* NEC domos tantum admirata eſt, & diuinam omnium, & ſingularum partium proportionem, pulchritudinem, raritatem, ornamenta, omnemque magnificentiã; ſed ordines etiam omnium, qui tã in diuinis, quã regiis ædibus miniſtrabant; quomodo in tanta multitudine nulla confuſio, nulla miniſtrorũ perturbatio. Pincernæ, inquit, Comeſt.[h] ſimili cultu, & diſtincto ab aliis ornabantur, ſimiliter & panum latores, & dapiferi, vt in tanta multitudine miniſtrorum nullus dubitaret, quis cuius rei miniſterio fungeretur. *Cultu erant*, inquit Ioſephus,[i]

a l. 8. c. 2.
b verſ. 7.
c num. 43.
d l. 3. c. 26.
e t. 3. lib. 5. c. 10.
f in 3. reg. 10.
g Ibid.
h l. 3 reg. c. 26.
i l. 8. c. 2.

decentiſsimo, & per quam ſcite omnia miniſtrabant. Nomine porro holocauſtorum, tanquam ſacratiſſimorum operum, etiam reliqua ſacerdotum, Leuitarum, cãtorum miniſteria complexus videtur. Et licet textum Hebr. Septuag. cum D. Hieronymo de holocauſtis interpretati ſint, & Chaldea quoque paraphraſis, & Abulenſis, & verſio Vatabli, [a] & Tigurina. Pagnin. tamen, & aliquot Hebræorum clientes alij; nomine holocauſtorum, ſiue aſcenſionum 3 gradus intellexerunt, quibus ab ædibus regijs ad templum aſcendebatur. Vorago enim Mello media inter templum, & regiam tranſcendebatur ponte, & regia quadam porticu maximis ſumptibus, & artificio conſtructis, vt ſupra [b] dicebamus. Cui expoſitioni fauet, quod in ſacrificiis (ſi pietatem remoueas, & religionem, ex qua vilis per ſe lanıena, & nidor combuſtarum carnium, nobilis, & glorioſa cenſeri debet) nihil eſſe videbatur, quod reginę hecatombarum non inſolenti, admirationem moueret. Sed enim cum eam proſelytam agnoſcamus, diuinitus etiam internis ſenſibus affectam fuiſſe, ad eius cultum admirandum, admodum credibile eſt.

a in 3. Reg. 10. 3. ℞.

b an Salom. 24. n. 9.

Et holocauſtorum, ſiue aſcenſionũ.

XXXI. *Eiuſdẽ quadam eſtaſis, & ſtupor.*

HÆC igitur, aliaque id genus, in ſummam rapuerunt admirationem Reginã, adeo vt vltra ſpiritum non habuiſſe dicatur, præ rerũ, quas contemplabatur præſtantia, atque admirabilitate; ſed paulatim ſtupore ſubſidente, cum primum fari potuit in voces erupit, quibus animi ſui motum proderet, Regem laudaret, eius domeſticis gratularetur, domino benediceret. Spiritum hoc loco vocem, & orationem maluit interpretari Pineda, [c] eamque expoſitionem erudite probat ex variis Scripturæ locis. Prior tamen, vt communior expoſitio, ita & gratior. Quid enim vetat quo minus mẽtis ecſtaſis, quæ vocem adimere ſolet cum ſequenti oratione cohæreat, ſi, quod neceſſe eſt, tempus aliquod dicamus interceptũ. Quamquam illa phraſis nonnullam videtur habere exaggerationem. Itaque id videtur huic mulieri contigiſſe quod oratoribus, qui ab initio pallidi perhorreſcunt, & hæſitant, mox diſertiſſimi fiunt.

c l. 5 c. 14. n. 48.

XXXII. *Et oratio laudantis Salomonẽ.*

HÆC eſt, autem Reginæ oratio. *Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea,* [d] *ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua,* id eſt de tua, quæ ferebatur, eloquentia, quæ nihil aliud eſt, quam copioſe loquens ſapientia: *& non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis,* coram experientia didici, *& probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit; Maior eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor quem audiui,* id eſt viciſti famam virtutibus tuis, vt eſt in 2. Paral. [e] præſentia enim, & viua vox meliora, & maiora reddunt omnia. *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Nimirum huius vitæ felicitas, in poſſeſſione ſapientiæ poſita eſt, cuius illi participes fiunt, qui tibi aſſiſtunt. Cæteri autem miſeri, & pecudum inſtar cenſeri poſſunt. In hoc Regum loco Septuaginta legunt; beatæ mulieres tuæ, & beati pueri tui iſti. Quam lectionem plerique ſunt ſecuti, vt Ambroſius, [f] & Cedrenus lo. cit. & quicumque græcis exemplaribus vſi ſunt; quo ſignificatur Salomonem, plures iam vxores duxiſſe; quibuſcum non modicus erat concubinarum, & nobilium puellarum chorus, quas omnes hoc nomine beatas prædicat Regina, & tacite parem ſibi beatitudinem deſiderat.

d 3. Reg. 10. verſ. 6.

e cap 9. 6

f l. 2. de of. c. 10.

XXXIII. *Et Dei in ipſũ beneficentiam.*

VERVM illico aſſurgit ad maiora & digniora ſapientum deſideriis, atque laudibus, qui diuinorum beneficiorum admiratione incitati ad eorum authorem celebrandum vocem animumque conuertunt. *Sit,* inquit, *Dominus Deus tuus benedictus;* neque enim in terris humana induſtria talis ſapientia acquiri poteſt. eoque magis prædicandus eſt, quo ſe præſtitit liberaliorem, vt qui nullo tuo beneficio prouocatus ſapientiam dederit, *quia complacuiſti ei.* Eadem fere ſententia, qua Dominus inter orandum dicebat, *Confiteor tibi pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quia ſic placitum fuit ante te.* [g] Pergit autem Regina. *Et poſuit te ſuper thronum Iſrael: eo quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam.* Neque enim propter te ipſum factus es Rex, ſed in vtilitatem populi tui, in quo ſupremum magiſtratum geris.

g Matth. 11. 25.

XXXIV. *Et ſecundo Paralip.*

EADEM ſententia habetur alibi in Scriptura, [h] illa tamen verba eius loci, *quæ voluit te ordinare ſuper thronum ſuum, Regem Domini Dei tui,* non ſignificant Deum eſſe ſubditum Salomonis, Salomonem autem Regem Dei, ſed Regem dignum, eſſe electore, & authore Deo, dignum Dei vicarium; quippe qui in eius throno ſedebat. Ex quo loco id etiam confirmatur, quod alibi de Deo, ſpiritualiter apud

h 2. Par. 9.

Iſraëlitas regnante, diximus. Nec illud negligenter prætereundum eſt, Deum ex ſuo in populum amore, ei Reges ſapientes, ſibique dilectos largiri. Ait enim, *Quia diligit Deus Iſrael, & vult ſeruare eum in æternum, idcirco poſuit te ſuper eum Regem, vt facias iudicia, atque iuſtitiam.* Eadem fuit mens atque ſententia Hirami Regis Tyri, vt habetur 2. Paral. [a] *Quia dilexit Dominus populum ſuum, idcirco te regnare fecit ſuper eum.* E contrario ſcitum eſt illud. [b] *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

a c. 2. 11.
b Iob. 34. 30

XXXV. *Mutua munera vtriuſque.*

RELIQVA ſunt munera à Regina Salomoni tradita, de quibus Scriptura hæc tantum. *Dedit ergo Regi centum & viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas. Non ſunt allata vltra aromata tam multa,* neque talia, [c] *quam ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Sed magnificentia Salomonis nequaquam ſe à Regina Saba vinci paſſa eſt. Nam primo nihil petiiſſe à Regina legitur, quoniam ſciebat beatius eſſe dare quam accipere: hoc enim indigentis eſt, & imperfecti; illud autem abundantis, & perficientis; illud miſerum, & humanum; hoc beatum & diuinum eſt. Hinc illa potentium ingrati animi labes, ex eo nata, quod fateri accepiſſe, mortis inſtar putant, vt ait Cicero 2. Offic. Secundo quod vltro petenti nihil negauit. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Sabæ omnia quæ voluit, & petiuit ab eo*: cupidum eſt enim ingenium muliebre. [d]

c ex 2. Par
d Pro 30. 15

XXXVI. *An ſuſceperit ex ea filium.*

IN quibus licet etiam prolem numerare: Plerique enim putant eam ex Salomone concepiſſe filium, qui primum Melich, ſiue Meiler, deinde Dauid nuncupatus ſit: & imperio Æthiopico Pretre Ioannis, ſiue Abiſſinorum, quod ad hæc vſque tempora durat, initium dederit. In his eſt Genebrard. in Chronolog. aliique apud Pined. [e] rerum Æthiopicarum ſcriptores: Barrius maxime. [f] Verum quamuis huic rei probabilitatem aliquam afferat, quod vigeſimum octauum iam annum in regno habebat, ætatis autem quadrageſimum octauum, quo fere tempore amore mulierum alienigenarum labefactari cœpit; vt ſequenti anno dicemus; quodque ad hoc vitium, non mediocriter pronus erat, ne dicam præceps, vt docuit experientia, & quod mulieris familiari, & quotidiana conſuetudine vtebatur, & mulieris Reginæ egregiis, vt credere par eſt, animi corporiſque ornamentis inſignis; quæque eum modis omnibus admirabatur, vnde facile vtrique fuit primo in amore improbum, tum etiam in turpitudinem prolabi.

Id non improbabile.

e l. 5 cap. 14. n. 40.
f Decad. 3. l. 4 c 2.

XXXVII. *Contrarium probabilius.*

INIVSTVM tamen videtur Reginam boni apud antiquos omnes nominis, ſanctam & electam, admirabilem, ſine lege iuſtificatam, vt antiqui loquuntur, ſapientiæ amore flagrantem, denique ab ipſo Chriſto commendatam adulteriream facere, niſi prolato aliquo teſte, omni exceptione maiore. Nec ſatis pietati Salomonis integræ adhuc, & illibatæ conſentaneum videtur, vt quam Reginam ad veri Dei cultum recens traduxerat, eandem præter hoſpitij iura violata, turpiſſimo ſacrilegio polluere auderet. Denique hoc totum commentum euertit ſententia, quam vt certiorem verioremque ſecuti ſumus, de Arabica Saba non Æthiopica.

XXXVIII. *Salomonis erga reginam magnificentia.*

SALOMONIS erga Reginam magnificentia ex eo etiam agnoſcitur, quod non ſolum ſplendidis quotidie epulis, regio ſumptu, atque apparatu eam excipiebat, gratioſiſſimiſque ſermonibus, & multiplici abſtruſarum rerum cognitione, mirabilique iucunditate reficiebat: ſed multo etiam plura munera ei largitus eſt antidoralia, quam illa ad eum attuliſſet. Denique exiſtimauit habendam ſibi rationem regiæ magnificentiæ, & eius Regis, qui Regum maximus, potentiſſimus, ſapientiſſimus vbique gentium haberetur; quo referri poſſunt illa Scripturæ verba. [g] *Exceptis his quæ vltro obtulerat ei munere regio*, Hebraicè manu regia, ſiue regia magnificentia, ac liberalitate, Ioſephus. *Nec minora fuere, quæ ipſa à Rege recepit, optione etiam illi permiſſa, nihil enim roganti negatum eſt; ſed libentius, quam illa peteret, largiens, inſignem præ ſe tulit liberalitatem.* Ne quis autem miretur munerum illorum amplitudinem, quæ Arabica omnia dona ſuperarent, mox ſubdit Scriptura. *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum*; ex ſola videlicet nauigatione, ſtatim enim excludit vectigalia, & negotiationes, aliosque fontes diuitiarum eius.

g 3 Reg 10. 13.

XXXIX. *Quæue apophoreta.*

QVID autem dederit quis coniectura aſſequatur? Legimus apud Ioſephum,

Reginam maxime admiratam domum ſaltus Libani;ibi agitabantur cõuiuia, ibi tota ſuppellex erat aurea artificio elaboratiſſimo. Quid ſi eam à Salomone dono datam dicamus? vix crediderim regem Cleopatræ magnificentiæ ceſſiſſe. Ea vt refert Socrates Rhodius apud Athen. [a] cum obuiam Antonio in Ciliciam iuiſſet, regium ei conuiuium parauit, in quo vaſa omnia erant aurea, magnificeque gemmis ornata, & eleganti artificio elaborata. Erant præterea parietes purpureis aureiſque velaminibus obtecti. Hæc cum triclinia duodecim lectis ſtrauiſſet; Antonium, cum his quos voluit; Cleopatra conuocauit; qui cum ſpectaculi magnitudinem admiraretur, ſubriſit Cleopatra, atque omnia ei ſe largiri dixit. Antoniumque rurſus cum amicis; & ducibus ſuis in diem poſterum ad cœnam inuitauit, cumque multo ſplendidior, honorificentiorque hic conuiuii apparatus viſus eſſet, adeo vt prima illa exigua, friuolaque viderentur, rurſus hæc Antonio donauit; & thorum in quo quiſq. ducum conſederat, & pocula vt in menſas diuiſa fuerant, omnibus diſtribuit, auferreque iuſſit. Cum vero diſcederent, iis qui erant in dignitate conſtituti, lecticas vna cum lecticariis baiulis, reliquis autem equos ornamentis argenteis paratos donauit. Ex quibus licet coniicere quid à Salomone factum fuerit, quæ fuerint conuiuiorum, totiuſq. hoſpitii apophoreta, quaque magnificentia fuerit abeuntem proſecutus; præſertim cum in diebus Salomonis argentum pro nihilo reputaretur; quippe *tanta erat abundantia argenti Hieroſolymis, quanta & lapidum.* [b] Eius diſceſſum vno verbo perſtringit Scriptura. *Quæ reuerſa eſt, & abiit in terram ſuam, cum ſeruis ſuis.*

a l. 4. c. 7.

Cleopatræ qualia aduerſus Antonium.

b 3. Reg. 10. 27. & 2. Paral 9. 10.

QVANDIV Hieroſolymis manſerit incertum eſt. Pineda [c] forte anno integro manſiſſe ait, colligitque ex 3. Reg. [d] vbi dicitur vidiſſe holocauſta, quæ Salomon offerebat in domo Domini. At conſtat ex 3. Reg. [e] Salomonem offerre ſolitum, tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, & pacificas victimas ſuper altare, quod ædificauerat Domino. Verum quamuis domus hæc holocauſta, quæ vidit regina fuiſſe ſolẽnia, & ab ea viſa tribus vicibus, & in tribus ſolemnitatibus Paſchæ, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, non tamen inde colligitur commoratio nis annus vnus, ſed ſex duntaxat, vel ad ſummum ſeptem menſes. Nam in medio primi menſis celebrabantur Azyma, & in medio ſeptimi Tabernacula. Sed quid prohibet dicere Regem extra ordinem ſacrificaſſe?

c l. 5 c. 14. n. 47.
d cap. 10. 5.
e cap. 9. 25.

XL. *Quandiu Hieroſolymis manſerit.*

ADDVNT Æthiopicarũ rerũ ſcriptores addidiſſe Salomonem ampliſſimũ Iſraëlitarũ comitatũ. Refert enim ex iis Geneb. eum ſecũ duxiſſe 12. Iudæorum millia: millenos è ſingulis tribubus; quibus, inquit magno ibi numero propagatis, iã Æthiopes præſertim nobiles, ſe ex ſemine Iſraëlis eſſe gloriantur. Ob eamque cauſam etiam nunc circumciduntur, non quidem ob ſalutis neceſſitatem, vt ipſi obiicientibus Paulum reſpondent, ſed ob ſanguinis prærogatiuam. Hinc fortaſſe arrepta occaſio hiſtoriç, vel potius fabulç, de Iudæis fluuio ſabbatico in Æthiopia clauſis, & eorum imperio, ibi, ſi ſuperis placet, florentiſſimo, de quo inaniſſimas nugas ſcripſit Eldald. Danius, quem vertit, atque edidit Genebr. Profectionem tamen Iudæorum in eas regiones refert hic Rabinus; ad paulo vlteriora tempora, regni Hebræorum in duas partes ſub Roboamo diſtracti.

XLI. *Eius diſceſſus.*

COMMERCIVM aliquod ſiue munerum, ſiue literarũ interceſſiſſe Pineda putat inter Regem & reginã. Idque confirmatur ex Comeſtore, [f] ex quo alii plerique. *Tradunt quidam,* inquit, *eam reſcripſiſſe Salomoni, quod ei coram indicare timuit; ſe vidiſſe ſcilicet quoddam lignum in domo Saltus, in quo ſuſpendendus erat quidam, pro cuius morte regnum* Iud*æorum periret; & certis indiciis illud regi indicauit. Quod timens Salomon in profundiſsimis terræ viſceribus occultauit illud, cuius virtute aqua mota ſanauit ægrotos. Quod tamen in libris ſuis negant ſe habere Hebræi. Sed quomodo circa tempora Chriſti in probatica piſcina ſupernatauerit incertum eſt, & creditur fuiſſe hoc lignum crucis* DOMINICÆ. Hæc ibi, quæ fere repetit c. 81. hiſtor. Euang. vbi addit. *Sed hoc non eſt authenticum*; imo neq. probabile, & ſane paſſim ab interpretibus, qui Ioan. 5. de piſcina loquũtur, reiicitur. Et mirum eſt hoc myſterium declaratum fuiſſe mulieri proſelytæ potius, quam ſapientiſſimo principi, qui eam erudiebat; aut eum credidiſſe defodiendo ligno ſe crimen illud impedire poſſe, aut lignum impiorum voluntati defuturum. Verum alias quoque his non diſſimiles narrationes apocryphas leges apud Pined. [g] quæ ne iis quidem, qua ex Comeſtore retulimus, ſatis conſentiunt. Nam

f l 3 Reg. c. 26.

XLII. *Commerciũ literarum cum Salomone.*

g l. 5. extremo.

hoc lignum in templo viſum volunt. & de eo coram, Regem inter, & reginam actum.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 28.

1. N. XVI. ET quidem multiplicis generis tum depilorũ, tum villoſorum; *quorum nonnulli*, inquit, *gibbum duplicem in dorſo habent, a quo & dityli nominantur. Horum carnibus, lacteq. veſcuntur incolæ. Quidam ferendis oneribus apti ſupra decẽ frumenti medimnos; homines vero quinq. in lectis iacentes vehunt.* Et hæc inter alia, *non ſolum autem his in regionibus animalia ſpecie diuerſa, ſolis opere, virtuteq. fiunt: ſed lapides quoque natura varia tũ colore, tum ſplẽdore admodum lucido. Cryſtallus enim lapis ex aqua oritur pura, congelata, non quidem frigore, ſed diuini caloris vi, qua duritie ſeruet, variosq. ſuſcipiat colores. Smaragdi enim, berillique inter metalla ærea naſcentes, a ſuperis formam, coloremque capiunt: lapidibus etiam aureis ſolis æſtus eum colorem inducit. Quapropter & adulterinos quoque, arte hominũ colore addito, cryſtallos fieri tradunt. Carbunculorum inſuper varias ſpecies ſolis virtus efficit.* Et paulo poſt. *Itaque neque Parius, neque alius quiuis mirandus lapis, cum Arabicis eſt comparandus, quorũ & albedo ſplendida eſt, & pondus graue, nec cæteris cedunt leuore. Hanc ei prouinciæ proprietatem virtus ſolis, vt diximus elargitur. Calor enim condenſat, ſiccitas comprimit, ſplendor illuminat.* Ita Diodor. Plin. autem l. 37. c. 10. in Arabia gemmam ſelenitem commendat, ex candido tranſlucentem, melleo fulgore. quæ imaginẽ lunæ contineat, reddatque eã in dies ſingulos creſcentis minuentiſq; numero. Vide ibi apud eundem Antiphatẽ, Aromatiten, Aſpilaten, Hæmatitem, & alibi alias.

(2. N. XXVI, beside "tes vehunt. Et hæc inter alia")

3. N. XXI. In præaltum enim altare comburendæ victimæ ferebantur, aut proiiciebantur, vt ſupra ex Ariſtæa dicebamus; aut quia holocauſtorum odor aſcendebat in cœlum. Pined. l. 5. c. 14. n. 47. diuerſæ interpretationi occaſionẽ dedit, quod עלה ghalah aſcendere eſt, & in hiphil, aſcendere facere, offerre holocauſtum, ſacrificare: & עולה ghola holocauſtum ſignificat, & gradus.

ANNVS MVNDI 3048. DILVVII 1392. QVINTÆ ÆTATIS 109. SALOMONIS 29. SADOCI 28.

FVNDATI TEMPLI 26. TROIÆ EXCISÆ 177. LAOSTHENIS 20. IMPERII ASSYRIORVM. 1117.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1005.

I. *Initia ruinæ Salomonis.* HVnc & ſequentem annum ruinæ Salomonis Pineda tribuit [a] in ſua chronologia, etſi alibi [b] idololatriam eius ab anno vigeſimo ſeptimo regni ipſius inchoet; eoque locum Ezechielis [c] repugnante chronologia ir..itum trahat, de trecentis nonaginta annis idololatriæ Iudæorum, vt ſuo loco patebit. Sed poſteriores curæ ſapientiores. Nam capite illo vltimo chronologico, rebus, annisque accuratius inter ſe libratis, duos, treſue ad ſummum annos, non tredecim idololatriæ deprauati Salomonis tribuit; ſed de idololatria poſtea. (a l. 8. c. vlt. — b l. 7. c. 9. n. 5. — c c. 4. 5. 9.)

Nunc autem cum immenſa iampridem rerum abundantia, & otio, altiſſimaque pace vbique frueretur, omnibus eum Regibus, ac Principibus, pro quodam quaſi numine cœlitus delapſo venerantibus, omni obſequio, doniſque proſequẽtibus, in ſuperbiam abreptus eſt infelix. Vt autem intelligamus ſuperbiam initium eſſe omnis peccati, ſcribit Lyranus [d] Salomonem de ſua ſapientia confidentem, contra Dei legem nimium multiplicaſſe ſibi equos, & auri, argentique immenſa pondera; & vxores multas, etiam alienigenas, exiſtimando ſe non eleuatum iri in ſuperbiam equorum multitudine, & auri, argentique theſauris; neque alienatum iri animum eius à Deo per vxores alienigenas. Sed experientia docuit temerariam fuiſſe opinionem eius. (*Superbia.* — d in c. 30. Prouerb. init.)

II. *Et libido.* ABVNDANTE deinde otio, fabricis domeſticis externiſque, & peregrinationibus abſolutis, ſeſe voluptatibus impenſius dedere cœpit; dixitque in corde ſuo,

Vadam, & affluam diuitiis, & fruar bonis. Et vidi (ſed nimirum ſero) *quod hoc quoque eſſet*
vanitas. Diu enim impleuit illud, [a] *Omnia quæ deſiderauerunt oculi mei non negaui eis,*
neque prohibui cor meum (imo neque corpus) *quin omni voluptate frueretur, & oblectaret*
ſe in iis, quæ præparaueram, &c. Eandem malorum Salomonis originem agnoſcit
Sulpitius Seuer. *Interea,* inquit, *Salomon florens opibus, omnium qui vnquam fuerant Re-*
gum ditiſsimus, quique ſemper ordo rerum eſt, ab opibus in luxum, & vitia delapſus, cum aduer-
ſum interdictum DEI, *ex alienigenis coniugia ſumpſiſſet, &c.*

(a Eccl. 2.10)

CÆTERVM cum multa ſint quæ reprehendi in Salomone poterant, Scriptu- III.
ra tamen vnum crimen omnium maximum, quod accuſaret, elegit; ſcilicet quod
Deos alienos ſequeretur. [b] Ita cum multas cauſas, quæ infeliciſſimum principẽ
ad eam voraginem præcipitarunt, referre potuiſſet, in vnam tamen libidinem,
quaſi potentiſſimam cauſam ſtylum conuertit. *Rex quoque Salomon adamauit mulie-*
res alienigenas multas. [c] Alius quoque Sapiens ſermone ad eum conuerſo: [d] *Et*
inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti, vel iuxta græcum; *dediſti, in cor-*
pore tuo. Significans eum libidini, & nequitiæ mulierum corpus ſuum turpiter
mancipaſſe, vt in earum poteſtate eſſet, cum vice verſa, iure diuino, & naturæ,
ſub viri poteſtate illæ eſſe debeant.

(*Ex quibus cultus idolorum.*)

(b 3. Reg. 11 4. — c 3 Reg. 11.1 — d Eccl. 47. 21.)

SED lib. Reg. duo maxime in hoc mulierum amore reprehendit, quod alienige- IV.
nas amarit, & quod multas; quod vtrumq. lege Domini prohibebatur. [e] Prior re-
prehenſio fertur in hæc verba. *Filiam quoque Salomonis adamauit, & Moabitidas, &*
Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas; de gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis
Iſrael. Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſsime enim auertent
corda veſtra, vt ſequamini deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſsimo amore.
Poſterior reprehenſio continetur his verbis. *Fueruntque ei vxores quaſi reginæ ſeptin-*
gentæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor eius. De vtraque reprehenſione
eodem ordine aliquid dicamus.

(*Reprehenditur dupliciter in amore mulierum.*)

(e Deut. 7.3. 17.17.)

ET primum mirum eſt, hic verti vitio Salomoni, quod filiam Pharaonis duxe- V.
rit vxorem, vtpote alienigenam. Verum hac de re ſupra [f] ſuo loco ſatis dictũ vi-
detur. Plura ſuggeret Pined. [g] Hic tantum dicam, dari hoc loco ſuſpicionẽ non
leuem à Scriptura quaſi ea mulier ad priſtinam ſuperſtitionem redierit; cum pri-
ma in iis numeretur, quæ miſerum Salomonem ita dementarunt, vt eũ ad cultum
idolorum traducerent. Idque de ea ſibi perſuadet Pined. [h] & Serar. in opuſculo
de Salomonis peccato, & Abul. [i] ait non fieri hoc loco mentionem filiæ Pharao-
nis quaſi in ducenda illa in vxorem peccarit, ſed quia ei fuerit duplex occaſio ad
peccandum. *Primum,* inquit, *quia forte propter eam coluit idola, & fabricauit idolo eius tẽ-*
plum, ſicut idolis aliarum vxorum, vt patet in litera, licet non appareat an fabricauerit pro ipſa
templum, ſicut & aliis, ſatis tamen poſſet dici quod ſic; ſecundum quia dilexit eam ardentiſsimo
amore, &c. Ita Toſtat. Cum autẽ in iis omnibus locis, in quibus prohibentur He-
bræi accipere alienigenas, cauſa mox ſubdatur, ne ex huiuſmodi cõnubiis, ſequa-
tur religionis peruerſio; & hoc loco 3. Reg. ex euentu ipſo maxime condẽnentur
hæc Salomonis coniugia: ſatis innuitur ſublato tali periculo, rem non fuiſſe pro-
hibitam; exceptis tamen ſeptem gentibus Chananæis, quas nulla ratione ſibi ſo-
ciare debebant, [k] Illud autem ſublatum videbatur, cum alienigena conuer-
tebatur ad religionem veri Dei.

(*An & in connubio Ægyptiæ.*)

(f an. Salom. 3 n. 114. & 115. — g l. 7 c. 4. — h l. 7. c. 14. n 5 & 7. — i q. 5. in c. 11. 3. Reg. — k Deut. 7. 2. 3.)

VTRVM autem reliquæ vxores Moabitides, & Ammonitides, & Idumeæ patriã VI.
ſuperſtitionem abiecerint, obſcurum eſt; credibile tamen eſt eas ſaltẽ ad ſpeciem
eſſe conuerſas, vt tanti Regis, qui maxima ex parte iis gẽtibus dominabatur, con-
iugio honoratiſſimo, opulentiſſimoq. potirentur: mox tamen ad ingeniũ reuer-
tiſſe, & re ipſa docuiſſe, quã non ſine cauſa talia connubia Dominus vniuerſe pro-
hibuiſſet, etſi res in aliquibus periculo aliquando vacare poſſet; & Salomon æſtu
cupiditatis ebrius, facile ſibi earum conuerſionem perſuaderet. Multũ ergo pec-
cauit Salomon, qui non ſolum alienigenas duxerit, ſed quod ad Dei cultũ defi-
cientes non eiecerit; vt poſtea Eſdra. [l] procurante factum eſt, potiuſq. ardentiſ-
ſimo cum eis amore copulatus ſit, earum deos ſecutus ſit, templa denique idolis
earum, ad commune totius populi ſcandalum, extruxerit.

(*An cæteræ vxores conuerſæ ſint.*)

(l 1. Eſdr. 9.)

VERVM quã eſſe huius ardentiſſimi amoris cauſam dixerimus? Hebraice quidẽ VII.
epithetũ ardẽtiſſimi abeſt; ſubintelligitur tamẽ in emphatica illa voce copulatus

(*Amor Salomonis ardentior.*)

Cauſa duplex.

eſt ſiue adhæſit, amauit amore, quomodo deſiderio deſiderare, eſt ardentiſſime deſiderare. An quia *nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata?* in quibus erant iſta coniungia. Seneca, [a] *Quidquid enim domi eſt, leue eſt.* Elegantius Scriptura; eò enim ipſemet Salomon videtur reſpexiſſe, cum [b] mulierem ſtultam, id eſt impudicam & plenam illecebris, ait vecordi dixiſſe, *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus*, id eſt furto ſublatus, quique propterea in abſcondito editur, *ſuauior:* quod illa de libidine allegoricè intelligebat. Iſta vero illegitima, & inconceſſa fere ſuauiora ſunt; quia, vt ibi notauit Ianſen. quo quidque maiore cupiditate deſideratum fuit, ita maiori voluptate percipitur, propria enim fere vileſcunt, & aliena deſiderantur, & iam obtenta auidius ſumuntur, tanquam rara, & quæ non ſemper in prõptu ſunt; ſed præcipua ardoris cauſa in dæmone fuit. Dæmon enim, qui tantam ruinam Salomonis ex hoc ariete præſagiebat, etiam ardentiores libidinum faces infelicis Regis animo corporique, ad eas excipiendas prono, incendebat, intelligebat enim illo euerſo, innumerabiles eius exemplo ruituros in præceps. *Et ignorauit* [c] Salomon *quod ibi erant gigantes*, Dæmones ſcilicet, qui Deo à principio, ſicut gigãtes in fabulis, ſe oppoſuerunt, qui illũ amorem inflammabant, nec vidit *profundis inferni conuiuas* iſtos luxurioſos eſſe deſtinatos.

[a] l. 3. de benef.
[b] Prouerb. 9. 17.
[c] Prou. 5. 18.

VIII. *Peccat in vxorũ multitudine.*

ETSI autem alienigenarum tantum Scriptura meminit, quod in iis maior culpa, & periculum; indigenarum tamen & domeſticarum amore deuictum fuiſſe Ioſephus auctor eſt. I*nſaniens*, inquit, *in mulieres, & in rebus venereis immodicus, non contentus ſuæ regionis mulieribus, multas externæ originis duxit.* Theodoretus etiam eum ſecutus. [d] *Nam cum effectus eſſet libidinoſiſſimus, habet quidem conſuetudinem cum multis mulieribus; non fuit autem contentus indigenis fœminis, ſed præter legem duxit etiam alienigenas.* Idem ſentit Suidas verbo Aſtarthe. Sed in has vilis, & remiſſus amor fuiſſe videtur, qui in alienigenas erat ardentiſſimus, quod illæ per legem Moſis conceſſæ eſſent, iſtæ prohibitæ.

[d] q. 35. in 3. Reg.

IX. *Et quare, & quanta ea fuerit.*

QVOD ad multitudinem attinet, nemo eſt qui intemperantiſſimam libidinẽ, & deflorandarum virginum pruriginem, probroſiſſimam, [e] quæ in ea ſe prodit non accuſet, qui matrimonij bonum, & finem violatum nõ agnoſcat, etiam multiplicationis prolis; cuius tamen ſolius cauſa quondam polygamia populo Iudaico à Deo permiſſa fuerat. Itaque tantum vnicum legimus eius filium, & filias duas; cum Dauidis, & Roboami muneroſiſſimam prolem reperiamus, idque notauit, & reprehendit Abulenſis. [f] Excreuit paulatim hic numerus, ad ſeptingentas quaſi Reginas, & trecentas concubinas: rem omnibus retro ſeculis, apud omnes gentes inauditam. Puduit ſine dubio Ioſephum huius pudendæ turpitudinis; ideoque pro ſeptingentis quaſi Reginis, ſeptuaginta ſubſtituit; ſic enim apud Ioſephum legunt Rufinus, Comeſtor, Lyranus, Diony. Hugo, Abulenſis. Nunc tamen ita legitur. *Sed hæc Salomon contempſit, voluptate irrationabili victus, ductiſque vxoribus è principibus, viriſque illuſtribus prognatis ſeptingentis numero, & concubinis trecentis, &c.* Quomodo in Græco nunc etiam perſpicue, & ſine ambiguitate legitur.

Ex Scriptura.

Ioſepho.

[e] Vide Pined. l. 7. c. 5. n. 8.
[f] q. 3. in c. 11 3. Reg.

X. *Hieronymo.*

AVGETVR etiam hæc inſania apud D. Hieron. [g] *& alter*, inquit, *in tantum ſecutus eſt libidinem, vt ſeptingentas haberet vxores, & trecentas concubinas, & adoleſcentulas, & ſcorta paßim, quorum non erat numerus.* Eum locum deprauauerat Eraſm. Ioſephum malens, quam Scripturam ſequi. Alluſit autem Hieron. ad illum Cãtici locum. [h] *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.* Quem tamen locum ſic poſſumus cum millenis coniugibus conciliare, vt dicat ſponſus inter ſeptingentas primarias vxores clariſſimo genere ortas, ſexaginta pulchritudinis palmam tuliſſe; & inter trecentas concubinas minoris dignitatis vxores, octoginta eminuiſſe, puellas autem virgines nullo certo, ac definito numero Regi ſeruari ſolitas: ſicut Aſſuero quærebantur virgines, & aſſeruabantur, ſuo tempore ad Regem introducendæ, [i] Inter omnes tamen eminet, & infinito interuallo antecedit ea quę pulchra eſt vt luna, electa vt ſol, ſpecioſa vt aurora cõſurgens, vnde ſtatim ſequitur, *vna eſt columba mea, perfecta mea vna eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ*, quam alię omnes ſponſi iudicio, inuidia poſtpoſita acquieſcentes, *laudauerunt, & beatiſsimam prædicauerunt.*

[g] epiſt. 131.
[h] cap 6. 7.
[i] Eſther. c. 2. 2.

XI. *Ratio differentiæ vxorum.*

RATIO porro huius multitudinis, vtique ex Salomonis intemperantia petẽda eſt; ſed diuerſitatis earum, vt aliæ eſſent quaſi reginæ; aliç concubinæ cenſerẽtur,

aliæ adoleſcentularum nomine comprehenderentur, cauſa videtur fuiſſe, vt ſentit etiam Abulenſis,[a] quod cum rex eſſet ad concupiſcendum profuſus, quaſcumque vidiſſet, audiſſetue procerum filias pulchritudine præſtantes, eas illico ambiret; & cum earum cupitis amplexibus, niſi eas in vxores duceret, potiri non poſſet, eas duceret, & reginarum inſtar ob parentum dignitatem haberet; quod in nuptias alioqui non conſentirent; idque facile à Salomone cupiditate cæcato extorquebant.[b] Cum autem Rex eadem cupiditate ferretur in alias inferioris conditionis puellas, eas prolis tantum cauſa ſibi ſociabat minime inuitas, & erant concubinæ, ſibique id honori ducebant. Aliæ denique erant adoleſcentulæ; quæ non genere, ſed forma commendabiles à Rege accipiebantur, libidinis vnius cauſa, quas pro arbitrio accipiebat, dimittebatque; vt propterea nullo certo numero definirentur.

a in c. 11. 3. Reg. q. 10 & ſeqq.

b Abul q. 11

Concubinarum.

HISTORIA porro prophana horum temporum apud Euſebium ſilet, & quidem ad annos non paucos.

ANNVS MVNDI 3050. DILVVII 1394. 5ª. ÆTATIS. 111. SALOM. 31. SADOCI PONT. 32. FVNDATI TEMPLI 28. TROIÆ EXCISÆ 179. LAOSTHENIS 22. IMPERII ASSYRIORVM 1119.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1003.

I. *Salomon opes in mulieres profundit.*

POSTERIORES omnes Salomonis anni ex prudentibus coniecturis ordinandi ſunt, cum certiores non occurrant, quos ſequamur duces. Dictat autem ipſa ratio, & experientia, hominem hinc opulentum, atque magnificum, inde mulieroſum, & ſexcentis imo mille fœminarum nexibus implicatum, & iis nexibus quos infelix rumpere formidet, nullum largiendi facturum finem, donec theſauri exinaniantur; quod cum fateri nolit ambitio, iis reparandis quo iure, quaue iniuria inſudandum fuit.

Hunc ergo, & ſequentem annum cum Pineda[c] ad fœminarum obſequium referemus; quatenus non corpori tantum animoque Salomonis erat noxium, ſed rei etiam publicæ cœpit eſſe pernicioſum. *Prodigit*, inquit Pineda, *infinitam diuitiarum vim in pellicum obſequium, & in voluptates conſectandas; habeſcit mente, torpeſcit ſenſu. Tangitur auaritia, & coaceruare ſibi incipit aurum, & argentum.*[d] Hæc ipſe, recte corrigens ordinem alterius loci,[e] vbi dixerat Salomonem poſt idololatriam, & effrenatam libidinem, præcipitem ruiſſe in auaritiam. Imo vero ante idololatriam, ne Salomonem repente peſſimum factum fuiſſe dicamus. Cæterum totum hunc locum, diligentiſſime ab eo amplificatum, pauca magis neceſſaria, huicque loco & tempori aptiora; mutuando perſtringam.

c l. 8. c. vlt.

d Eccl 2. 8.

e l. 7. c. 13. n. 4. fin.

Ante idololatriam.

II. *Qui adhuc eas recte collocarat.*

NON meretur igitur vllam reprehenſionem Salomon, ſed magnam potius laudem, cum immenſas opes terra, marique, tum ex ſuorum vectigalibus; tum ex tributis, & muneribus exterorum congerit; & confert ad templi fabricam, aut ædium regiarum, ad ſanctæ vrbis amplificationem, & honorem, ad publica ædificia, & pacis ſtabilimentum; ad popularium ſuorum felicitatem, ad legitime dilatandos imperii fines, ad vrbes vel reſtaurandas, vel condendas; quod ſuperioribus annis præſtiterat; quibus fecit vt tanta eſſet abundantia Hieroſolymis auri, & argenti, quanta lapidum; quia tunc non colligebat ſibi Rex, ſed populo; iuxta illud.[f] *Præbuitque Rex argentum, & aurum in Ieruſalem quaſi lapides.* Colligebat, inquam, populo, cui præbebat: inſtar ſtomachi, in quem cibi ingeruntur, per vniuerſum corpus diſtribuendi. Quemadmodum autem quæ partes circa ſtomachum, & viſcera ſunt, plus adipis colligunt, ſic qui circa Regem verſantur opulentiores fiunt; ſed ita tamen, vt nemini omnino ciuium, quamuis ignobiliſſimo, ſuus ſanguis, ſuus victus deſit.

f 2. Par. 1. 15

III. *Vt earum cupiditates expleat.*

Verum publicis iam operibus, & impenſis perfectis, cum nihilominus congregare perſeuerauerit, & non Reip. ſed *ſibi* coaceruarit, neque ad honeſtum aliquem finem, *ſed vt in concupiſcentiis ſuis inſumeret*, [a] & inexplebilem fœminarum impudicarum famem exaturaret, hoc nimirum magnis eius culpis annumerandum eſt. Quod ſi vnius aliquando vel alterius iſtiuſmodi muliercularum ſiti, vix magni theſauri pares eſſe potuerunt: *Nam*, vt inquit Seneca ingemiſcens, *Non ſatis muliebris inſania viros ſubiecerat, niſi bina vel terna patrimonia auribus ſingulis pependiſſent.* Quid de ſeptingentis Salomonis vxoribus quaſi reginis, de trecentis concubinis, de adoleſcentulis, quarum non erat numerus æſtimari poteſt? Quos theſauros, quę vectigalia, quæ principum munera, quas negotiationes, quas claſſes ſuffeciſſe dixerimus, ad earum luxum, auaritiam, ludos, conuiuia, famulatū, familiam, deorum cultum, ſacrificia, donaria, proprium ornatum, omnemque mundum muliebrem? Hæc autem omnia perſpicue comprobabuntur ex iis quæ poſtea de tributorum grauiſſima indictione dicentur, quorum tunc longe maxima neceſſitas incubuit, cum vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis fana extruere, ornare, dotare oportuit.

a. Iacob. 4. 3

l. 7 de benefic.

ANNVS MVNDI 3052. DILVVII 1396. QVINTÆ ÆTATIS 113. SALOMONIS 33. SADOCI 32. Fvndati templi 30. Troiæ excisæ 181. Laosthenis 24. Imperii Assyriorvm. 1121.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1001.

I. *Incipit tributa vexare populum*

Principes male profuſi ne in fundo quidem ad ſeram parcimoniam confugiunt, ſed ad multa tributa, & vectigalia, ad ſubditorum expilationes, & vexationes: cum pernicioſorum effectorum cauſas excindere oporteret, eas fouere miſeri, & amplificare pergunt. Sic miſeri Troiani cum præclare intelligerent diuturnas calamitates ſuas ob vnam Helenam raptam, retentamque eſſe inuectas, non induxerunt animum, infamem à ſe mulierem expellere, ſed ea retenta bellum fouere, & extrema quæque pati maluerunt. Salomon hoc anno, vt bene coniectat Pineda, vexat populum iniquis exactionibus, & grauiſſimis tributis, vel potius vexationes ſub hoc tempus inchoatas, in ſequentes annos, quibus inſanire perrexit, propagauit. Neque enim vnicum vexationis annum redolent illæ populi ad Roboamum querelæ. [b] *Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis, tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi*: ſed perſeuerantem adhuc ſarcinam, & præ ſuo pondere ceruices moleſtiſſimè deprimentem. Neque enim ſolent principes, aut qui apud eos omnia poſſunt, ſemel onera, ob vrgentem aliquam neceſſitatem in populum impoſita, etiam illa ſublata ſubleuare, ſed ea retinent, & in perpetuum conſtabiliunt.

Pergitque deinceps.

b 3 Reg. 12. 4.

II. *Tributorū præfecti.*

Sit ergo hic annus initium vectigalium, vel recens impoſitorum, vel veterum amplificatorum. Huic periniquo perque odioſo muneri ex parte præerat Ieroboam. *Conſtituerat* enim *eum Salomon præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph*, duarum ſcilicet tribuum Ephraim [c] & Manaſſe, quæ præfectura ei poſtea defectionis occaſionem præbuiſſe creditur; & viam ad impium regnum muniuiſſe. Tributis autem iam ab initio regni Salomonis vniuerſe præerat Adoniram filius Abda, vt habetur in 3. Reg. [d] qui videtur toto regni Salomonis tempore huic numeri præfuiſſe; initio autem regni Roboami, à populo deficiente à nouo rege, interfectus traditur. [e] Nam qui ibi dicitur Aduram, à Septuaginta dicitur Adoniram, fortaſſis etiam hic alius ab illo fuit. Nam Pineda illum in Hiſpania mortuum ac ſepultum tradit, cuius ſepulchrum Sagunti fertur inuentum,

c 3. Reg. 11. 28.

e 3. Reg. 12. 18.

f 5. c. 13. n. 22.

annis ab hinc centum, & quadraginta, Chriſti 1480. cum hic in Iudæa lapidibus obrutus fuerit, ſed nobis hac de re iterum, initio regni Roboami, ſermo recurret. De iſtis autem tributis, & oneribus populi quid diſtinctius dicam non habeo. Ex præſenti porro ſtatu rerum ſatis intelligi poteſt annum ſabbaticum, qui in hunc Salomonis trigeſimum tertium cadit, aut neglectum, aut ægre, ac maligne obſeruatum fuiſſe, notum enim eſt ægro capite membra non valere. *Annus ſabbaticus.*

ANNVS MVNDI 3053. DILVVII 1397. 5^a. ÆTATIS 114. SALOMONIS REGIS 34. SADOCI PONTIF. 33. FVNDATI TEMPLI 31. TROIÆ EXCISÆ 182. LAOSTHENIS 25. IMPERII ASSYRIORVM 1122.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1000.

HI ſunt luctuoſiſſimi; maximeque deplorandi Salomonis anni, quibus à ſumma corporis intemperantia, ad ſummam animi impietatem & idololatriam prolapſus, impie nefarieque vixit, templa idolis ædificauit, & infinitis populi ſceleribus aditum muniit. Huic perditiſſimæ vitæ dementati principis, Abulenſis ſecutus Hebræos [a] ſex minimum annos tribuit, quoniam vix breuiori tempore templa tam multa idolis conſtrui potuerunt; cum præſertim & Rex ipſe magnificus eſſet natura ſua, & iis fanis Reginarum gratiam demereri vellet. Eadem ſententia eſt Lyrani in hoc c. 11. & Tornielli. [b] Pineda [c] ait ædificandis templis, & incredibili ſtultitiæ, & furori idololatriæ, ſat multos eſſe duos, vel tres annos, imo, proh dolor! nimium multi ſunt; addiderim tamen annum vnum, ne fabricis quantumcumque approperatis tempus deſit. Sethus Caluiſius vnum tantum annum tribuit, chartacea opinor templa excitata Hieroſolymis putat à Salomone, Regum omnium magnificentiſſimo, qui viginti annis duas ædificauit domos, Deo alteram, alteram ſibi. I. *Ratio temporis.*

a 3.Reg. 11. q.14.
b an. 32. quintæ ætat.
c l.8.c.4.

SCRIBVNT Hebræi in Chron. maio. cap. 18. hoc tempore natum eſſe Ioiadem ſummum Pontificem, qui ſub Rege Ioas annos natus centum, & triginta mortuus eſt. [d] *Oriente*, inquiunt, *diebus Salomonis libe, & ruina, natus eſt ſimul Ioiada, qui eam corrigeret*, non illam ipſam quidem, ſed aliam illi non diſſimilem, Iorami ſcelere, & Athaliæ furore, vel inuectam, vel confirmatam, atque amplificatam. Ab anno vero 34. regni Salomonis, ſi quis centum, & triginta annos numeret, vltimus cadet in annum Ioas Regis Iudæ vigeſimum octauum, & fundati templi annum centeſimum ſexageſimum. Vt eo anno Deo fauente declarabimus, nam aliquot Regum anni nonnullam habent difficultatem. II. *Ortus Ioiadæ.*

d 2.Paral. 24.15.

SALOMON igitur cum quotidie profundius in lutulentam nequitiam immergeretur, & interim, ipſo minime ſentiente, alieni comederent robur eius, prorſus elanguit. Nam vxores alienigenæ verum Dei cultum primo neglexerunt, deinde abiecerunt, denique patriam ſuperſtitionem, cultumque nefarium idolorum poſtliminio reuocarunt; vidit id Salomon, diſſimulauit, paſſus eſt, denique approbauit; ratus fortaſſe langueſcente iam Dei timore, & obtorpeſcente ſapientia, Dei cultum cuique liberum eſſe relinquendum. III. *Salomonis lapſus in idololatriam.*

Poſtquam huc ventum eſt, facile fuit, & pronum ad deteriora gradum facere. Iſtarum Reginarum vna aliqua, quæ regi maxime in deliciis fuit, filia Pharaonis fortaſſe, (nam hæc prima inter alienigenas, quæ Salomonem perdiderunt, nominatur) [e] non minus artificioſa, quàm flagitioſa oratione poſtulauit templum ſibi aliquod excitari, in quo Deo ſuo ritu patrio famulari poſſet.

e 3.Reg.11. 1.

IVSTINVS libro de veritate Chriſtianæ religionis, agens de Salomone ait eum mulieris Sidoniæ cauſa ad ſimulachrorum cultum eſſe delapſum, quia Scriptura IV. *Cuius maxime opera.*

in eius idololatria deſcribenda à cultu Aſtarthes Deæ Sidoniorum incipit, [a] intelligens non quidem eum ab vnica tantum muliere ad impietatem perductum, de plurimis enim id conſtat, ſed ab vna aliqua, eáque Sidonia huic malo initium datum. Sic & Tertul. [b] *Salomon, audeo dicere,* inquit, *etiam quam habuit in Deo gloriam, amiſit, per mulierem in idololatriam vſque pertractus.* Plurium tamen mulierum alibi meminit. [c] *Reycitur Salomon, ſed iam à mulieribus alienis poſſeſſus, & idolis Moabitarum, & Sidoniorum mancipatus.* Eodẽque modo l. de præſcrip. c. 3. D. Baſilius in epiſtola ad Chilonem anachoretam. *Salomoni,* inquit, *quid attulit commodi frugis exuberans adeo opulentia infuſæ ſapientiæ, quando is demum per mulierculæ, quam ad inſaniam vſque deperibat, illices complexus, ex cordatiſſimo adoleſcente, per ætatem in ſenium degergentem vecors factus, & in idololatriam prolapſus concidit.* Quæ ego eodem modo quo Iuſtinum interpretor. Sed Aegyptiam tamen induxi potius, propter cognitum Regis, & confeſſum omnibus præcipuum in filiam Pharaonis amorem. Vergebat porro eius ætas in ſenium, quoniam iuxta noſtram chronologiam, annum agebat quinquageſimum quartum, vt mox dicetur.

An Sidonia.

[a] Reg. 11. 5. 33.
[b] l. 5 cont. Marc. c. 9. fin.
[c] l. 16. 2. in Marc. c. 23.

V. *Aut potius Aegyptia.*

ILLE iamdudum captiuus, & implicatus laqueis, quos ipſe ſibi nexuerat, negare non audet, aut frigide negat, diſſimulat, verecundatur, differt. Populi motus ad ortum nouorum rituum, nouæque religionis obtendit, qualem iam tot annis nemo publice Hieroſolymis viderat. Illa dies, noctéſque apud eum plorat, conqueritur, obſecrat, Aegypti Regem deprecatorem adhibet; inſtant & reliquæ mulieres eiuſdem Dei cultores: iugiter ei adhærent, nec ſpatium ad quietem tribuunt. Denique *defecit anima eius*, non minus quam Samſonis, [d] *& vſque ad mortem laſſata eſt.* Non enim contra vnam aliquam mulierculam promiſſæ pecunię ſtudio incenſam; ſed contra reginas pleraſque, idolomania inſanientes pugnãdum fuit. Et illam quidem frigidiorem reddere potuit non dubia ſeruitus, vel mors imminens viro fortiſſimo, & quem nouerat amantem ſui. Iſtæ nihil Salomoni mali, ſed plurimum potius boni obuenturum, dæmone promittente, ſibi perſuadebant, & illi denique perſuaſerunt.

[d] Iud. ca. 15.

VI. *A qua denique expugnatur.*

VINCITVR igitur, dat manus, iubet ædificari templum; etſi enim non legimus templum Aegyptiæ vxori excitatum, legimus tamen fanum Chamos idoli Moabitarum, & Moloch Ammonitarum; & in eundem modum reliquis alienigenis vxoribus factum. [e] Itaque Abulenſis ſex templa ædificata putat, ſingula ſingulis nationibus, aut populis, diuerſa idola colentibus, de quibus Salomon vxores acceperat alienigenas. [f] Sed ecce tibi reliquarum vxorum examina in tot turbas, quot deos diuerſos colebant, diſtincta, Salomonem inuadunt, orant, obſecrant, queruntur, indignantur, denique exorant, impetrant, ædificant & ipſæ ſuis quæque locis: materiam celeriter vndique corrogant, fundamenta iaciunt, muros excitant, opus vrgent, & quidem ſtudio contentioſiſſimo, labore pertinaciſſimo, diligentia incomparabili. Dæmon quippe & opifices, & architectos, & reginas, & regem ipſum iam habebat in poteſtate. Quid multa, fana perficiuntur, ornantur, excitantur aræ, idola cuduntur, ſuis adytis collocantur; à reginis primo, tum earum rogatu, à rege inuiſuntur, honorantur, inceſtis denique ſacrificiis coluntur. Hic Salomonis nequitiæ, & pudendæ pręuaricationis probabilis curſus fuit. Quippe, vt ait Scriptura, [g] *Cum iam eſſet ſenex deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos. Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius. Sed colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum & Moloch idolum Ammonitarum;* &c. Verum hic nonnulla explicanda ſunt paulo amplius.

Et mox à reliquis.

[e] 3. Reg. 11. 7. 8.
[f] 3. Reg. 11. 1. q. 16.
[g] 3. Reg. ca. 11. v. 4.

VII. *Qui nunc Salomon ſenex.*

ET primo occurrit ſenilis ætas, in qua multum laborant qui duodecimo anno ætatis Salomonem Regem factum volunt. Coguntur enim eum ſenem dicere, in ipſo propemodum flore ætatis, ſexto ſcilicet & quadrageſimo vitæ anno; aut celerius etiam prout pluribus ante mortem annis deprauatum dixerint. At iuxta ſententiam quam ſecuti ſumus, quartum & quinquageſimum agebat annum; quo tempore iuſtior eſt, probabiliorque ſenectus. Idque affirmat Abulenſis, [h] qui Salomonem circiter viginti annorum fuiſſe dicit cum regnare cœpit, nunc autem fere quinquaginta quinque annorum fuiſſe. Recte autem dicit ſenem, & ſenectutem in eo ob intemperantiam maximam acceleratam fuiſſe; *Quia,* inquit, *homines valde venerei, ante ſenectutem ſunt ſenes. Imo in ipſa iuuentute deſiccantur, & decolo-*

[h] q. 14 in c. 11. 3. Reg.

rantur, & cito moriantur. Additque mirum eſſe quod tandiu viuere potuerit, cauſamque refert in naturalia remedia, quorum erat ſcientiſſimus Salomon, quibus vires corporis, ac vigor fouerentur, & cito flacceſcere prohiberentur. Sed hac de re iam ſatis anno primo Salomonis [a] diſputatum eſt.

a n 7.

VIII. *An idola animo coluerit.*

SECVNDVM dubium eſt an ad ſpeciem tantum externam Salomon idola coluerit; interius nihilominus in vera fide, & religione perſiſtens, an vero etiam fidei in corde ſuo iacturam fecerit, & ex animo idola adorauerit, errore mentis deprauatus. Et profecto poſterior pars videtur ipſa Scripturæ aperta ſententia. Ait enim, *deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos*; vbi & internus error, & externa erroris profeſſio declaratur. In omnibus linguis habetur deprauatio cordis, declinatio, auerſio cordis. Chald. *Vxores eius errare fecerunt cor eius poſt errores gentium.* Quæ verba non externum tantum cultum, ſed plane internum, qui cordis eſt, ſatis docent. Et paulo poſt. [b] *Igitur iratus eſt* Dominus *Salomoni, quod auerſa eſſet mens eius à Domino Deo* Iſrael. Non corpus ergo tantum, ſed mens ipſa idololatriæ ſordibus polluta eſt. Nec Scriptura aliis in locis aliter regibus idololatris, tam regni Iudæ, quam Iſraelis idololatriam impingit, quam hoc loco Salomoni. Quos ait ſecutos deos alienos, coluiſſe deos gentium, eis ædificaſſe fana, plantaſſe lucos, non fuiſſe cor eorum rectum, aut perfectum coram Deo, nō ſecutos vias Dauid patris ſui, non cuſtodiſſe pactum Domini. Quæ ſingula cum ſufficere putentur ad idololatriæ aliquem condemnandum; quomodo omnia contra Salomonem à Scriptura pronuntiata eius infidelitatem dubiam relinquent?

b ca. 11. v. 9.

IX. *Ex Ioſepho.*

IOSEPHVS quoque qui dixit Salomonem hoc primum dediſſe amori mulierum, vt ritus earum imitaretur, quo magis illis hoc argumento fidem amoris, & beneuolentiæ faceret: ſponte tamen idola poſtea coluiſſe, & cultum Dei ſui neglexiſſe affirmat. Ait enim, *Aetate deinde prouectior, & mente iam paulatim ſeneſcente, magis etiam patriæ religionis oblitus, cultum Dei ſui neglexit, & mulierum exterarum ritibus aſſueuit.* Et Hieronymus de neglecto Dei cultu conſentit. Nam epiſtola 132. ad Vital. *Alter in tantum ſecutus eſt libidinem, vt ſeptingentas haberet vxores,* Et mox, *neglectoque Deo patrum ſuorum, extruxerit idola gentium plurimarum, & fuerit, non vt prius* Iedidia *id eſt amabilis Domini, ſed amator mulierum.* Conſentit D. Hieronymo. S. Auguſtinus. [c] *Salomon qui vxores magis ad libidinem, quam ad propaginem habuit, improbatus eſt, & reprehenſus, vt appellaretur amator mulierum, & inde ad profundum idololatriæ lapſus, atque demerſus, eadem veritate proderetur.* Non conueniunt opinor, hæc verba in Salomonem ſuperficie tenus idololatram? Idem D. Auguſtinus. [d] *Attendat*, inquit, *& aſpiciat Salomonis domum plenam mulieribus alienigenis, colentibus deos falſos, & ipſum ab eis Regem, aliquando ſapientem, in eandem idololatriam ſeductum, atque deiectum.* Quæ verba non ſatis videntur conuenire ſimulanti, quem ſeducentem potius dixerimus, quam ſeductum.

Hieronymo.

Auguſtino.

c l. 22. contra Fauſt. c. 81. to. 6.

d l. 17 de Ciuit c. 8.

X. *Alia eiuſdem Auguſtini ſententia.*

IDEM tamen Auguſtinus [e] non ſemel ſignificat Salomonem foris tantum egiſſe idololatram; intus autem non fuiſſe ſeductum; in eoque ſimilem facit Adæ, ſicut & Abulenſis l. c. qui ſeductus non fuerit, etſi vxori conſenſerit in eſu pomi. *Ita Salomon*, inquit ipſe, *vir tanta ſapientiæ nunquid nam credendum eſt quod in ſimulachrorum cultu crediderit aliquid eſſe vtilitatis? ſed mulierum amori ad hoc malum trahenti reſiſtere non valuit; faciens quod ſciebat non eſſe faciendum, ne ſuas quibus deperibat, atque diffluebat mortiferas delicias contriſtaret.* Et rurſum. [f] *Nec Salomonem*, inquit, *credibile eſt errore putaſſe idolis eſſe ſeruiendum, ſed blandiciis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum.* Hæc ibi, quibus non diſſimilia ſcribit in titulum Pſal. 126.

e l. 11 de Geneſ ad lit. c. vlt. to. 3.

f l. 14. de Ciuit. c. 11.

XI. *Videri etiam interius.*

VERVM hæc facile ſuperioribus conciliari poſſunt, ſi dicamus Salomonem quidem à principio foris tantum in gratiam fœminarum fuiſſe idololatram; mox autem Deo miſerum Regem deſerente, tale ſcandalum vindicante, & mentem, vt ſolet, obtenebrante libidine, idololatriam, quam profitebatur, etiam intus admiſiſſe, & dæmonibus ſub idolorum imagine diuinitatem aliquam tribuiſſe. Itaque Proſper Aquit. [g] dicit Salomonem fornicatum mente & corpore, Domino ipſum deſerente; Baſilius ſupra relatus ait eum vecordem factum, & in idololatriam prolapſum concidiſſe. Theodoretus in 3. Reg. [h] *Ex his*, ait, *perſpicuum eſt quod ipſe quoque coluit idola.* Accedunt quæ paulo ante ex Scriptura, Ioſepho, Hieronymo, Auguſtino retulimus. Plura congerit Pineda, [i] qui poſteriorem

g p. 2 de prædict. c. 27.

h in 3 Reg. q. 36

i l 7. c. 9.

ſententiam nobiſcum amplectitur.

XII. *An eis templa, & ſtatuas erexerit.*

TERTIO dubium eſt an fana, altaria, ſtatuas idolis conſtruxerit. Nam primo id nuſquam habetur in Hebræo, Græco, vel Chaldæo; ſed loco fanorum, & templorum habetur excelſum ὑψηλὸν, Theodoretus, & Procopius τὰ τεμένη, & 4. Reg. [a] ſcriptũ eſt Ioſiam deſtruxiſſe excelſa, quę ædificauerat Salomon idolis, non templa. Excelſum autem non ſignificat fanum, ſed lucum potius, aut nemus in montibus, & excelſis locis plantatum, ad honorem numinis. Deinde Ioſephus nihil meminit templorum idolis extructorum. S. Iræneus [b] in accuſatione Salomonis id tantum affert, quod permittebat vxoribus ſuis erigere idola in Iſraël, quem ſecutus Vatablus. [c] *Secutus eſt Salomon cultum idolorum: hoc eſt permiſit vt vxores ſuæ Sidoniæ extruerent arás idolis ſuis.*

[a] c. 23 v. 13
[b] l. 4. c. 45.
[c] 3. Reg 11 n. 8.

XIII. *Ita videri.*

NIHILOMINVS dicendum eſt Salomonem idolis vxorum ſuarum templa ædificaſſe; eaque etiam excelſorum nomine intelligi, idque ſatis clarum eſt ex prædicto loco quarti Regum, vbi non dicuntur excelſa plantata, & ſucciſa, ſed ædificata, & deſtructa; imo excelſa aperte à nemoribus, & lucis diſtinguuntur, poſtquam enim dixit polluiſſe, & prophanaſſe excelſa, quæ ædificauerat Salomon, ſubdit contriuiſſe ſtatuas, ſuccidiſſe lucos, & repleuiſſe ea loca oſſibus mortuorum; & Septuaginta pro excelſis ibi legunt, *& domum quæ erat in facie Ieruſalem*, 1. *&c.* Denique quæ hoc loco 3. Reg. Hebræa lectio vocat excelſa, explicatius infra 3. Reg. [d] vocat fana, ſiue domos excelſorum: vel domos excelſas, templa excelſa, & magnifica. Sic [e] dicitur Ieroboam feciſſe domum excelſorum, ſiue fanum, aut fana, vitulis aureis. Et cum paſſim in hoc ipſo libro legamus ſacerdotes excelſorum, certe prophanorum templorum ſacrificuli intelliguntur. Non enim Sacerdotes erant, ſine ſacrificiis, nec ſacrificia ſine altari, nec altaria ſine templis, aut fanis. Vnde in 4. Reg. [f] dicitur populus adhuc immolaſſe, & adoleuiſſe incenſum in excelſis, quod crebro in Scriptura repetitur. [g] Denique τέμενος non tantum partem agri Deo conſecrati, ſed delubrum ipſum, ac fanum ſignificat. Salomon igitur in impietate ſua ædificauit fana idolorum, & circum ea nemora, lucoſque plantauit, vel iam plantata dicauit idolis. Et ne templa eſſent inania, in fanis erexit altaria, in altaribus impoſuit ſtatuas Moloch, & Aſtarthe [h] &c. & ante eas cultum idolis exhibuit. Id enim eſt *colere Aſtarthem*, & *ſequi deos alienos*; eaque phraſis vbique eum ſenſum habet, vt ſignificet eis ſacrificatum eſſe per illos impietatis miniſtros.

1. εχ.
[d] c. 11. v. 32
[e] c. 12. v. 31.
[f] c. 12 v. 3.
[g] c. 14 v. 4. c. 15 4 35. c. 16 4. & alibi paſſim.
[h] 4. Reg. 23. 14.

XIV. *Male accuſatur à Ioſepho.*

QVOD ad Ioſephum attinet, iniquior eſt hoc loco in Salomonem, ipſamque veritatem, cum imagines boum, ſub mari æneo, leonum in ſolio eburneo, crimini Salomoni vertit. Vbi enim reprehendiſſet, quod mulierum exterarum ſuperſtitioſis ritibus aſſueuiſſet, ſubdit. *Quamuis iam ante quoque à præſcripto legum diſceſſerat, quia æreas boum effigies baſi maris illius addiderat, ſicut ſolio ſuo leonum poſt appoſuit. Nam neque illa fas erat facere.* Verum nequaquam diſceſſit à præſcripto legis hac in re Salomon, quippe vel pueris notum eſt non ſimpliciter prohibita fuiſſe Iudæis ſculptilia, vel ſimilitudinem cuiuſpiam rei creatæ, ſed adorationis cauſa, vnde ſtatim eodem loco ſubditur, [i] *non adorabis ea neque coles*; quod eodem modo, atque ordine præceptum habetur Deuter. 5. 8.

[i] Exod. 20 5.

XV. *Boues, leones, & Cherubinos Salomonis non fuiſſe populo ſcandalo.*

QVONIAM vero in populo rudi, ac ſtupido non ſolum malum, ſed etiam occaſio mali auferenda erat, fuit etiam ſapientiæ Salomonis ita boues, & leones, & Cherubinos, & id genus alia variis in locis, & operibus adſculpere, vt ſeruire potius ornamento & vtilitati, vel vſui aliarum rerum viderentur, quam vt ipſis honorem aliquem deferri crederent. Non enim boues ſolitarii erant, eminenti aliquo loco affixi, vt ſpectari poſſent, & coli, ſed deiecti erant ad famulatum, vt muli, vel aſini oneribus ferendis addicti. Et leones adſtabant illi quidem ſolio, ſed in gradibus vtrinque, quaſi milites ſtipatores corporis Regis, ſitu & poſitione humili, non ſuperba, nec quaſi honorem diuinum ambientes, ſed humanum homini ſuo modo deferentes. Cherubini quoque, vt alibi dictum eſt, arcæ vndique ſupplices erant, eique famulabantur alis ſuis, & populum non ad ſui, ſed ad communis Domini venerationem, & cultum vultu, manibus, omnique geſtu incitabant. Quod ſi boues, & leones Ioſephus reprehendendos putat, reprehendat & Cherubinos, quibus non vnius, ſed quatuor animalium inerant formæ, vt Ezechiel au-

thor eſt. Quod ſi Cherubinos Salomonis reprehendit, arguat & Moyſis, & Dei, qui iubeat violari legem quam tulit. Aut potius intelligat non violari legem, cum lex ipſa ex fine ſuo modificata ſeruatur. Sed inepti ſumus qui lumen cerni ab excæcata natione, & ducibus eius cæcis poſtulamus; quos huc zelo non ſecundum ſcientiam prouectos putamus, dum non ſolum Caij ſtatuam, vel Tiberij, [a] ſed auream etiam aquilam, non minus audacter quam inſipienter, è porta templi deturbarunt. [b]

[a] [illegible].2.de [illegible]ll.c.8.
[b] [illegible].17.ant.c.

XVI. *Quot fana erexerit.*

QVARTO dubium eſt quot fana, & quot idolis Salomon ædificarit. Et primo conſenſus communis eſt cum Scriptura dicit eum vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis erexiſſe fana, non intelligi vt ſingulis ſingula, quis enim credat trecenta, aut quadringenta templa, quot forte habuit alienigenas vxores ædificaſſe? ſed tot fana quot erant diuerſi dij, qui à diuerſis nationibus, & vxoribus colerentur; verbi gratia, vnum Deo Moabitarum, alterum Sidoniorum, &c. Secundo aliqui putant vnum tantum fanum excitatum fuiſſe, ſed in eo diuerſis diis diuerſa altaria erecta fuiſſe. Ideoque ſingulari numero fanum à Scriptura [c] dici, & domum à Septuaginta. [d] Et Ethnici alias Pantheon omnibus diis conſtruxerunt. Petrus Comeſtor [e] ait ædificaſſe tria fana idolorum circa Hieroſolymam; primum Aſtarthæ, ſecundum Chamos, tertium Moloch. Idque ſatis confirmatur ex 3. Regum. [f]

[c] [illegible].Reg.11.
[d] [illegible]4.Reg. [illegible].13.
[e] [illegible].3.Reg.c. [illegible]
[f] [illegible]c. 23.v.13.
[g] [illegible]q 16. in c. [illegible]3 Reg.

XVII. *Sex videri cum Abul.*

ABVLENSIS ſex ad ſummum templa excitata ſentit, pro totidem mulierum nationibus, quæ memorantur à Scriptura, [g] ſcilicet Aegyptiarum, Moabitidarum, Ammonitidarum, Idumæarum, Sidoniarum, & Hetthæarum; qui numerus videtur admodum probabilis, partim quia mediocris eſt, & conſentaneus reliquæ ætati Salomonis; partim quia is videtur ſuggeri à Scriptura. Nihilominus ſine dubio plurium nationum vxores habuit Salomon; certe Clemens [h] Alex. Tyriam habuiſſe ſcribit filiam Irami Regis. Ioſephus etiam Tyrias, & Sidonias numerat, ſiue vxores ſiue concubinas; Idem credibile eſt de Syris, & Palæſtinis, Arabibus & Chaldæis, vt omittam Amorrhæas, Pherezæas, Gergeſæas, & id genus alia antiqua nomina; quarum nationum mulieres Salomoni connubio iunctas, templa ſua ab eo impetraſſe, Pineda videtur exiſtimare, [i] qui addit vnius nationis, aut Dei potuiſſe eſſe plura templa.

[h] [illegible].1.ſtrom. [illegible]11.
[i] [illegible].7.c.10.n.

XVIII. *Nullum tamen Hieroſolymis.*

QVINETIAM veriſimile putat multiplicatis aris, & altaribus eiuſdem Dei, ſiue in monte oliuarum, ſiue Hieroſolymis, ſiue publice in platęis, ſiue priuatim domi plenam extitiſſe Hieruſalem. Sicut & Iſaiæ tempore. [k] *Et poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum.* Verum hæc de temporibus Achaz, & Manaſſæ accipienda ſunt, cum iam ſolutis habenis idololatria bacchabatur. Nec videntur de his paucis Salomonis annis poſſe probabiliter dici, ſicut nec illa Ezechielis. [l] *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ.* Aut illa Ieremiæ. [m] *Secundum numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda, & ſecundum numerum viarum Ieruſalem poſuiſti aras confuſionis, aras ad libandum Baalim.* Nec crediderim vllum à Salomone fanum idolis excitatum Hieroſolymis, neque enim id Scriptura ſiluiſſet, quæ in Achaz id ſcelus ſtudioſe accuſat. [n]

[k] [illegible]c.57.v.8.
[l] [illegible]c.16.v.25.
[m] [illegible]c.11.v.13.
[n] [illegible]2.Paral. [illegible]8.24.

XIX. *[illegible] circa eam.*

Ad montem Oliueti.

QVINTO dubium eſt quis fuerit iſte mons contra Ieruſalem, ſiue è regione Ieruſalem, ſiue ſuper faciem Ieruſalem. Nam à meridie habuit hæc ciuitas montem Eroge, & montem Acheldema; ab occidente montem Gion, & montem Caluariæ. Ab oriente montem Oliueti; à ſeptentrione colles minus nominatos, in quibus Aſſyrij, & Romani aliquando caſtra poſuerunt. Communis ſententia eſt fuiſſe excitata hæc templa in monte Oliueti ad dexteram eius partem, qui propterea *mons offenſionis* dictus eſt. [o] Pagninus pro monte offenſionis, habet montem Oliueti. Chald. *ab Auſtro montis Oliuarum.* Vatabl. *ad dextram montis vaſtationis*, vel deſtructionis, id eſt Oliueti, ita enim dicitur ob idololatriam, quæ ibi exercebatur. Conſentit Caietanus, [p] Sa, Dionyſius, Hugo, Lyranus, Comeſt. [q] Abulenſis, Adrichom. in ſua Ieruſalem, [r] qui etiam in parte aquilonari montis Oliueti, ponit alium montem ſcandali vltra torrentem Cedron, quatuor ſtadiis Hieroſolymis diſtantem, in quo etiam fanum Chamos idoli Moabitarum; [ſ] ſed ibi idolum hoc vocatur offenſio, vel ſcandalum, nec in monte ponitur, & Villalp. in ſua Ieruſalem vnicum montem offenſionis ab auſtro montis Oliuarum ponit; & Pined. [t] templum Chamos in eodem monte Oliuarum collocat.

[o] [illegible]4 Reg 23. [illegible]3.
[p] [illegible]3.Reg.11.
[q] [illegible]& 4.Reg. [illegible]23.
[r] [illegible]3.Reg.7. [illegible]27.
[ſ] [illegible]n.190 191. [illegible]ex 4. Reg. [illegible]23.
[t] [illegible]l.7 c.31. [illegible]in.

XX. *Quæ fuerint hæc idola. Aſtarthe. Chamos. Moloch.*

SEXTVM dubium eſt quæ fuerint hæc idola, dico breuiter, plura enim ſuggeret Pineda, [a] & Serrar. [b] in opuſculo de peccato Salomonis [c] Aſtarthem à pleriſque dici Iunonem, ab aliis Venerem, à nonnullis etiam lunam, ſiue Reginam cœli; Chamos autem Moabitarum idem putatur, qui apud alias gentes Bacchus, à Græco κῶμος, quaſi ſit deus comeſſationis, & compotationis; denique Moloch æſtimatur Saturnus filiorum deuorator, & carnifex incendiarius, de quo alibi dictum; vtrique certe ſacrilegos patres miſeros filios ſacrificaſſe conſtat. Paulus autem à Palatio [d] exiſtimat Salomonem filios ſuos diis alienis obtuliſſe, & conſecraſſe idolo Moloch.

a l.7.c.11 b in cap. 2. Iudit q. 8. c n. 4. d apud Pined. l. c. n. 8

XXI. *An eis filios Salomon conſecrarit.* *Non videri.*

INDVE non inepte colligit, inquit Pineda, ex Eccleſiaſtico [e] vbi de Salomone dicitur. *Profanaſti ſemen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos.* Vt vel ex eo maxime ſcelere videatur tum in Salomonem, tum in illius poſteritatem ira diuina cõcitata. Sane non alium legimus Salomonis filium præter Roboamum, ac duas præterea filias, vt ſi alios ex tot vxoribus, & coniugibus ſuſcepit, malos male perdidiſſe videatur inſana parentis religio, & funeſtus ille; ac nefarius Molochius ignis. Ita Pineda, verum refugit, atque horret animus tantum facinus de Salomone credere; quod videtur Scriptura non diſſimulatura, ſicut de Achaz memoriæ prodidit, [f] & de Manaſſe; [g] neque locus ille Eccleſiaſtici multum vrget. Nam *profanaſti inducere iracundiam ſuper liberos tuos*; recte explicari poteſt, profanaſti, inducendo iracundiam Dei contra illos, qui exemplum patris poſtea ſecuti, facti ſunt idololatræ; vt propterea tractarentur à Deo, non quaſi filii Dauid dilecti ſui, ſed quaſi profani filii Eſau, vel Saulis; at prædicta profanatio non inducit ſuper liberos iracundiam, ſed commiſerationem, iracundiam autem ſuper patres.

e c.47 v.22. f 4. Reg.16. 3 g 4. Reg 21. 6.

XXII. *An magiæ diabolicæ deditus fuerit.* *Ita videri ex Pineda. Del rio.*

SEPTIMO dubitari poteſt, an magiæ quoque deditus fuerit Salomon, quandoquidem aientem partem Scriptura non tradit, ſicut nec negãtem; & alioqui Magia, & idololatria cognatæ ſunt artes, vt alibi à nobis traditum eſt, [h] vel Apoſtolo teſtante & coniungente veneficia, idolorum [i] ſeruituti; & in 4. Reg. [k] Manaſſis artes magicæ cum idololatria copulantur. Nec ſatis intelligo qui fieri poſſit vt homo (niſi ſit plane plumbeus, qui nudis lignis, & lapidibus diuinitatem tribuat) deos, ſiue dæmones in idolis adoret, conſulat, audiat, obtemperet, nec eadem opera ſit Magus. Et ſane Pineda [l] cenſet Salomonem magicas artes, & inſuper vaniſſimas alias idolorum ſuperſtitiones coluiſſe. Delrio [m] ait ea quæ recitat Ioſephus [n] de dæmonibus eiectis, vi radicis incluſæ in annulo, à Salomone indicatæ, & incantationibus ab eodem inuentis, ait, inquam, ea vel falſa eſſe, vel in illud referenda tempus, quo ſe idololatriæ; & omni ſuperſtitioni immerſerat.

h to.1.an. m.250.n. 11.& Schol. 6. i Galat.5. 20. k c 20 v. 5.6. l l.7.c.12 n. 2. m l.1.c.3. n l.8.c 2.

XXIII. *Ex Hebræis, & Fran. Georg.*

FRANCISCVS Georgius multa in ſuis problematis de Salomonis magia cum Rabinis fabulatur. Vbi inter alia [o] ait eum non contentum ſapientia ab altiſſimo donata, voluiſſe ſibi aſciſcere ſapientiam, & aſtutiam ſerpentinam; aduocando Aſmodæum, vt Hebræi dicunt, Aſtarthem, Chamos, Melchon, ſiue Moloch, & alias immundas formas, quibus erexit ſtatuas. *Vnde ab ipſis, inquit, iubente Deo deceptus eſt.* Et infra problem. 136. vbi adorationem idolorum Salomonis, tum excæcationi ex amore mulierum tribuit, tum cupiditati ſciendi. *An, inquit, non adorauit idola, veluti numina, ſed vt magiam perficeret, quam moliebatur, ad poteſtates idolis illis præſidentes confugit, tanquam ad ſecundas cauſas, & miniſtros decreta cœlorum exequentes. Et in hoc plurimum errauit, quia ab illis impetrare ſupplex curauit, quod à ſolo Deo dandum recognoſcere debebat.* Sic ille.

o to.1. ſect. 1 probl. 77

XXIV. *An exutus regno, & traditus Sathanæ.*

DENIQVE [p] ex quodam Zohar ait Salomonem traditum eſſe Sathanæ, in interitum carnis vt ſpiritus ſaluus fieret, Aſmodæo videlicet, qui ipſum regno eiectum per aliquot annos in deſerto detinuit, vnde componens Eccleſiaſten, dixit; *fui Rex in Ieruſalem*, ac ſi tunc non eſſet. Sic & Nabuchodonoſor regno expulſus fuit, vt Daniel refert. Tunc autem Aſmodæus effigiem, & ornamenta regia indutus, pro Rege iura reddebat. Et problemate ſequenti narrat quomodo captus ſit Salomon ab Aſmodæo, dum ille hunc viciſſim magica operatione capere vellet. Sed hæc plena ſunt rabinici furfuris, quos hic Georgius ſecretiores Theologos vocare videtur. Nec difficulter conuelli poſſent, niſi ſatius eſſet repudiari, atque contemni.

p to. 1. ſect. 9. problem. 486.

XXV. *Eiuſdem magia confirmatur.*

I d certe non parum probabile arbitror; hominem infatuatum, & diuina ſapientia per inſanam mulierum conſuetudinem deſtitutum, ad diabolicam confugere voluiſſe, & per eos curioſa, & inconceſſa ſcrutatum fuiſſe. Id videtur ſignificare Cyprianus epiſt. 7. ad Rogatianum. *Salomon*, inquit, *& Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt, recedente ab eis diſciplina dominica, receſſit & gratia*; Datæ nimirum ſapientiæ. Coniungit Salomonem Sauli, quem amiſſa gratia ad phytoniſſam, [a] & dæmones confugiſſe conſtat. Et libro de vnitate Eccleſiæ. *Salomon poſtquam dereliquit viam* Domini, *perdidit & gratiam Domini*; quæ ſcilicet propria Salomonis, & ei ſingulariter conceſſa fuit. Sed hac de re diligentius aliquanto poſt. Quinetiam quibuſdam placet eum ſacrilega hæc etiam ſcripto tradidiſſe. Quanquam longe credibilius ſit nefarios poſtea homines dæmonibus addictos, ſapientiſſimi quondam Regis mendicato nomine, honorem ſcriptis ſuis affingere voluiſſe. Putat etiam Pineda valde probabiliter plurimas iſtarum vxorum Salomonis idololatriæ deditarum, etiam veneficiis operam dediſſe, vt ſibi Salomonem ſingulæ præriperent, & præ aliis addictum haberent: quod inter eas tanto maius certamen erat, quo plures de vno eodemque infatuato homine, & omnibus malis artibus apprime obnoxio, & opportuno decertabant; itaque & mille veneficiis implicatum fuiſſe.

a 1. Reg. 28. 7. 8.

Fuiſſe etiam maleficiis implicatum.

XXVI. *Deplorandus Salomonis ſtatus.*

H i c deplorandus Salomonis ſtatus late per omnes circumquaque regiones fama deferente diuagatus eſt; meritoque ab omnibus, qui dudum eius ſapientiam, & felicitatem admirati erant, potuit illud Ieremiæ vſurpari. [b] *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus.* Annon dixerit ſapiens illa Regina Saba: [c] *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo* Dominus *principem Sion, proiecit de cælo in terram inclytum* Iſrael, *& non eſt recordatus Amabilis ſui, in die furoris ſui.* Num tacuit ille Rex Tyrius, admirator, & prædicator diuinæ prouidentiæ, & beneuolentiæ in populum ſuum, cui talem principem prouidiſſet? Nonne viciſſim nunc lamentans dixit. *Præcipitauit* Dominus *nec pepercit, omnia ſpecioſa* Iacob, id eſt, *deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda* (protegit enim ſapientia) *& deiecit in terram, polluit regnum, & principes eius*, & Salomonem Regem eius. Communis certe eſt antiquorum Patrum ſententia; quorum ſuffragia ſtudioſe collegit Pineda, [d] Salomonem fœdiſſima iſta libidine, atque idololatria, tum diuinam illam ſapientiam, tum gloriam, & exiſtimationem, quæ ea nitebatur amiſiſſe. Nec ſane mirum, ſubducto fundamento, ædificium abire in præceps; & qui contempto Domino, à quo glorificabatur, ſe impuriſſimis voluptatum, & dæmonum ſordibus addicunt, ignobiles, atque adeo infames vbique euadere. De amiſſa ſapientia primùm dicamus.

b Thren. 4. 1.
c Thren. 2. 1.
ibid.
d l. 7 c 19. Eccl. 7. 13.

XXVII. *Amiſit ſapientiam. Ambroſius. Auguſtinus.*

Amissam à Salomone ſapientiam teſtatur Ambroſius. [e] *Salomon*, inquit, *ſapientiam nec principio ſui habuit, nec in fine poſſedit. Neque enim habere ſe credidit quod popoſcit, & poſtea auerſus à* Dei *cultu, non quaſi ſapiens, ſed quaſi inſipiens lapſus eſt, vt offenderet; offendit in tantum, vt etiam quod meruerat amitteret.* Diuus Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana, [f] Dauidem cum Salomone comparans ait, libidinis peccatum apud Dauidem quaſi in hoſpitio fuiſſe, apud Salomonem autem regnum poſſediſſe. *De quo*, inquit, *Scriptura non tacuit culpans eum fuiſſe amatorem mulierum.* Septuaginta [g] φιλογύναιον vocant, ſicut Theodoretus, Chryſoſtomus, & cæteri patres, qui iis vſi ſunt) *cuius tamen initia deſiderio ſapientiæ flagrant, quam cum amore ſpiritali adeptus eſſet, amore carnali amiſit.* Huc pertinet S. Cyprianus, quem ante retuli; [h] addatur & Proſper. Aquit. [i] *Salomon*, inquit, *dum à præceptis Domini declinaret, & vitam in ſenectute, & ſapientiam ſimul amiſit, vt pacifico Chriſto* Domino, *quod Salomon interpretatur, omnia illa quæ figurata fuerant, ſeruarentur.* Et in fine capitis. *Cæterum ipſe elatus, in ſenio fornicatus mente, & corpore*, Domino *ipſum deſerente, male obiit.*

e c. 6 apol. 2. Dauidis.
f to. 3. c. 21. fin.
g 3. Reg. 11 1.
h n. 25.
i p. 2. de prædict. c. 27.

Cyprianus. Proſper.

XXVIII. *Ex Iſidoro.*

Isidorvs de vita, & morte Sanctorum, cap. 34. *Salomonis principia*, inquit, *bona fuerunt, nouiſſima autem mala. Nam poſt miram virtutum gloriam amore deprauatus fœmineo, acceptam ſapientiam perdidit, & in profundum idololatriæ flenda ruina demerſit.* Addo Gregorium. [k] *Salomon*, inquit, *qui poſt tantum ſapientiam, vſque ad idololatriam cecidiſſe deſcribitur, nihil in hoc mundo, prius quam caderet, aduerſitatis habuiſſe memoratur. Sed conceſſa ſapientia funditus cor deſeruit, quod nulla vel minima tribulationis diſciplina cuſtodiuit.* Attulimus ſupra S. Baſilium epiſtola ad Chilonem, vbi eum vecordem factum ait.

k 3. p. paſtor. curæ admon. 27.

Gregorius.

Baſil.

XXIX. *Quamque id congruè.* EXPERTVS eſt igitur Salomon ſapientiam, quæ libenter in animam bonam, & corpus incoinquinatum ingreſſa fuerat, noluiſſe habitare *in corpore ſubdito peccatis.* Et qui fieri potuit vt diuinæ, atque humanę ſapientiæ habitus infuſi in tot infidelitatis, & ſtultitiæ & incontinentiæ actibus non perirent, aut certe ab ipſo, datore delerētur? Quomodo ſapiētia cum vecordia, cū cæcitate mentis, cum hebetudine ſenſuum perſeueraret? Denique prędicta Sanctorum verba, Ambroſij præſertim, & Gregorij, ea ſapientia quam diuinitus acceperat, funditus priuatū fuiſſe aperte docēt, vt non dicendū videatur eam tantum quaſi graui ſomno conſopitā fuiſſe, niſi forte etiam fides per idololatriam ſopita tantum dicenda ſit, non extincta. *vide Abul ſupra anno Salom 3 n 100.*

XXX. *Redditur ſtolidus.* POSTQVAM ergo, inquit Pineda, neceſſarijs intelligendi inſtrumentis Salomon diuinitus deſtitutus eſt, ſtulteſcere cœpit, & quaſi ſemiſomnis obſtupeſcere, bardus, & ſtolidus, miſerabili quadam veri ignoratione, & mentis inſcitia, atque tarditate. Dignum impio ſapiente ſupplicium, vt qui ſapientia ad impietatem abuſus fuerat, ſapiētiam amitteret in impietate ſordeſcens. Hæc ipſe; vbi etiam deinceps fide non indignum ducit, ad duplicem hanc Salomonis inſipientiam naturalem ſcilicet, atque ſupernaturalem; etiam tertiam additam eſſe, dæmoniacam, atque veneficam. *Etiam veneficiis.* Qua magicis artibus ab vxoribus eo deductus ſit inſaniæ, & fatuitatis, vt velut viliſſimum mancipium, aut bellua potius impuriſſima, illarum voluptatibus, & arbitrio obſecundaret, idque refert ex libris quibuſdam plumbeis Granatenſibus Arabicè ſcriptis miræ antiquitatis, his annis repertis.

XXXI. *Fit infamis domi foriſque.* NIHIL ergo mirum ſi tantum mutatus ab illo Salomone, etiam gloriam, & exiſtimationem omnem apud domeſticos, & ſubditos primo, deinde apud alias circumquaque nationes amiſit; præſertim cum iſta libidinum vorago, & cætera inde orta mala non paucorum dierum, ſed multorum annorum fuerint: & infamia celerius latiuſque diffundatur, quam gloria, quæ eſt hominum in maleloquendo, & audiendo procliuitas. Itaque D. Thomas lib. 3. de regimine Principum.[a] *Salomon*, inquit, *magnificatus eſt ſuper omnes Reges, qui fuerant ante eum; & vniuerſa terra deſiderabat audire ſapientiam eius. Sed ſecundæ res, vt dicit D. Auguſtinus prædicto Regi fuerunt noxiæ, qui lapſus in luxuriam, ruit in idololatriam, ex quo factus eſt abominabilis populo, in tantum, vt ſerui eius rebellarent, ei diripientes ſpolia ſuæ regionis, & vaſtantes terram abſque reſiſtentia aliqua, cum tamen prius omnes ei obedirent ad nutum.* Tertul. etiam ſupra citatus ait Salomonem, quam habuit in Deo gloriam, id eſt Dei glorioſiſſimis muneribus fundatam, amiſiſſe. Nec alia eſt Diui Irenæi mens.[b]

a cap 8.

b l 4 c. 45.

XXXII. *Non defuiſſe monitores.* HIS temporibus non dubium eſt tam ſummum ſacerdotem Sadocum, quam Natham Prophetam, qui multum apud Regem gratia, & authoritate poterat, ſi adhuc in viuis fuit, aut certe Ahiam Silonitem, non ſemel Salomonem monuiſſe, rogaſſe per omnia diuina, atque humana iura, obſecraſſe vt reſpiceret ſe, & à tam perdita vita reſiliret, ſed fruſtra omnia

—— *nec voces vllas tractabilis audit.*

Nondum enim inſonuerat grandiori clamore Dominus, ſine quo ſurdę ſunt peccatorum aures ad pœnitentiam.

XXXIII. *An populus Salomonem exautorare potuerit. Non potuiſſe.* QVÆRAT aliquis an hoc rerum ſtatu Salomone in profundam vitiorum, atque ipſius idololatriæ voraginem prolapſo, liceret populo in ipſum inſurgere, ac regno eū abdicare? Reſpondeo cum Abulenſi,[c] id populo nulla ratione licuiſſe. Cum enim Iſraëlitis ius non fuerit eligendi Regem, ſed approbandi, ſiue acceptandi duntaxat, quem Deus elegiſſet, multo minus eum iam electum exautorare potuerunt, quia maior in abdicando poteſtas, quam in inſtituendo requiritur. Itaque patienter expectare debuerūt, vt à Deo remedium tanto malo afferretur. Hinc illa tanta Dauidis in Saulem quantumlibet crimino ſum obſeruantia, tantus illius violandi metus, & cautio, quantam illa verba ſignificant. *Viuit Dominus,*[d] *quia niſi Dominus percuſſerit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut in prælium deſcendens perierit, propitius ſit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Chriſtum Domini,* qui ſcilicet à Deo vnctus, & factus eſt Rex.

c q. 35 & 36. in c 11 3. Reg.

d 1 Reg. 26 10.

XXXIV. *An propter idololatriam.* NON videtur tamen eadē ratio idololatriæ; quoniā Dominus cuilibet poteſtatem fecerat interficiēdi, eum à quo ad cultū idolorū induceretur, quātauis ille ſibi affinitate iunctus eſſet;[e] ſicque iam à Deo dānatum puniebant. Itaque exiſtimare videtur Abulenſis Salomonē ob publicam idololatriā à populo deponi potuiſſe;

e Deut 13. v 6. & c 17. 2. q. 35. cit.

non depoſuiſſe autem fortaſſe, ne contra quam Dominus conſtituerat, regnum in Dauidis poſteritate non maneret. Quæ ratio parum eſt efficax, tum quia ſupererat Roboam, qui patri ſucceueret, tum quia non iuſſerat Dominus vt regnum maneret in familia, ſed prædixerat. Nihilominus quia Dominus iam iudicem agere cœperat filiorum Dauid, & nominatim de Salomone dixerat, ſe eum peccantem viſitaturum in virga virorum, nec miſericordiam ab eo ſublaturum, non poterant Iſraelitæ cauſæ Salomonis ſeſe ingerere; ſicut neque poſtea, cum Deus ſententiam alteram tulit contra Salomonem, de eius regno diuidendo, de quo deinceps agetur. *Non potuiſſe.*

SCHOLIVM IN ANNVM SALOMONIS. 34.

1.N.XIII. SIc Leuit. 26. 30. dicitur, *deſtruam excelſa veſtra, & ſimulachra confringam*, vbi non recte Pagninius vertit *imagines*, Vatablus ait vocem Hebræam ſignificare ædes conſtructas in honorem ſolis, aut cultum idolorum, vt notauit Pineda l. 7. c. 10. verum Vatablus non agit ibi de voce excelſorum, ſed ſimulachrorum, pro quo eius verſio habet *Solaria*.

ANNVS MVNDI 3057. DILVVII 1401. 5ᵃ. ÆTATIS 118. SALOMONIS REGIS 38. SADOCI PONTIF. 37. FVNDATI TEMPLI 35. TROIÆ EXCISÆ 186. LAOSTHENIS 29. IMPERII ASSYRIORVM 1126.

ANNVS ANTE CHRISTVM 996.

CVM peccata Regis multiplicarentur in dies, ſtupor mentis & corporis augeretur, voluntatis peruicacia in malis ſuis obrigeſceret, ſcandalum domi, foriſque creſceret; piorum denique ſeruorum Domini monita in ventos irrita funderentur, iratus eſt ipſemet Dominus, & non ſolum remedium efficax, & medicinam tam deploratæ ægritudini; ſed grauiſſimam etiam pœnam nefandis criminibus adhibere voluit, quæ in præſens tempus inchoata, in totam poſteritatem deplorabili calamitate propagaretur. I. *Dei in Salomonem ira.*

IGITVR *iratus eſt Dominus Salomoni, quod auerſa eſſet mens eius à Domino Deo Iſrael, qui apparuerat ei ſecundo*, atque vt videtur tertio; nam prima fuit in Gabaone, vbi ei apparens in ſomnis optatam illi ſapientiam largitus eſt; [a] altera fuit in medio curſu ædificandi, ad eum animandum in ſuſcepto opere promouendo, atque perficiendo; [b] tertia fuit perfecto iam opere vniuerſo, [c] dicitur enim Dominus apparuiſſe Salomoni ſecundò, ſicut apparuerat ei in Gabaon, id eſt per viſionem nocturnam, qualis non fuit, quę ordine ſecunda fuit, ſed forte per Angelum, vel aliquem Prophetam facta eſt, vt putat Abulenſis. [d] Hoc ergo modo hic exprobrando Salomoni diuinæ familiaritatis gratiam, ei dicitur ſecundo apparuiſſe. Quanquam illud *ſecundo* poteſt reſpicere præceptionem quæ ſequitur, quæ ſemel iterumque facta Salomoni reperitur. [e] Itaque ſequitur. II. *Et apparitiones.*

a 1. Reg. 3. 5. 2. Paral. 1. 7.
b 3 Reg. 6 v. 12.
c 3 Reg. 9. 2.
d q. 3. & 4. in c. 9. 3. Regū.
e c. 6. & 9. 3. reg.

ET *præceperat de verbo hoc ne ſequeretur deos alienos, & non cuſtodiuit quæ mandauit ei Dominus.* Diuinæ quidem iracundiæ, ſiue imminentis animaduerſionis, quam ira ſignificat, cauſa fuit auerſio mentis eius à Deo, in quo odium quoddam, & indigniſſimus tantæ maieſtatis contemptus includitur; ſed iram vehementer exaggerat circumſtantia ingratitudinis Salomonis, quem Deus apparitione, colloquio, & familiaritate ſua dignatus fuerat; quem grauiter, paterneque de hac ipſa culpa vitanda, & Dauidem quoque iampridem, cum multa pœnarum interminatione, præmonuerat; cui tantam ſapientiam, gloriam, diuitiaſque contulerat; quem ad excitandum ſibi templum præ ipſius parente elegerat, illudque iam excitatum ſibi acceptum præſentia ſua, verbis, miraculiſque declarauerat. III. *Atque animaduerſionis cauſa. Ingratitudo Salomonis.*

IV. *Reprehenditur à Deo.*

DIXIT itaque Dominus Salomoni. [a] *Quia habuiſti hoc apud te*, ſiue quia ita te geſſiſti, *& non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi; diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum*, qui te Regem conſtituit, & viuens ſuo in ſolio collocauit, vt in cuius dedecus hæc regni diſtractio videretur redundare; *de manu filii tui ſcindam illud; nec totum regnum auferam, ſed tribum vnam dabo filio tuo*; præter eam ſcilicet in qua ipſe natus eſt, vt ſcilicet Iudam regat, & Beniamin; *Propter Dauid ſeruum meum*, qui apud me promeritus eſt, ne penitus de ipſius ſtirpe regnum auferam *& Ieruſalem quam elegi* in caput regni populi mei, & domicilium ſanctitatis, quod nolo per Ieroboamum ad Ephraimitas transferri. Hic aliquot declaranda occurrunt; quando hæc dicta ſint, à quo dicta, quo euentu, & fructu, denique an hac pœna ſola Salomonis culpa punita ſit.

a 3.Reg. 11. 11.

V. *Tempus reprehenſi diuinitus Salomonis.*

QVOD ad tempus attinet, putat Torniellus anno quintę ætatis 36. hanc obiurgationem, & prædictionem regni bipertito diſcindendi, anno penultimo regni, vitæque Salomonis contigiſſe. Pineda [b] vero anno regni circiter trigeſimo ſecũdo, vt reliquis octo annis maximas moleſtias animo, & corpore ſuſtineret. Idem tamen in ſua chronologia [c] hanc obiurgationem ad finem anni trigeſimi ſeptimi Salomonis refert. Trigeſimo octauo vult ſuſcitatos Salomoni aduerſarios; trigeſimo nono ipſum reſipuiſſe; quadrageſimo denique defunctum eſſe, quæ videtur plurimum rationi cõſentanea diſtributio. Nam prima non ſatis tribuit temporis pœnitentiæ, & ſcribendis libris, & publicis damnis, & ſcandalis reparandis. Secunda nihil de pœnitentiæ tempore, vel probabiliter determinat. Maneat igitur tertia, in qua tamen finem trigeſimiſeptimi anni retuli ad initium trigeſimi octaui, quod typographi vitio, numerum trigeſimum octauum paulo depreſſius quam par erat, aut mens eſſet authoris poſitum putem. Sed omnino res modica eſt. Ioſephus certe ait non multum temporis poſt hanc Prophetæ denunciationem eſſe elapſum, cum Salomonis hoſtes exorti ſunt. Non videtur itaque hæc diuinæ iræ ſignificatio aut differenda vlterius à nobis, aut à Deo ipſo dilata, vt ne miſero Regi deeſſet pœnitentiæ tempus, ſine qua in æternum periturus erat; & quidem tempus ſatis diuturnum, ad publicum ſcandalum aliqua ex parte minuendum; nec videtur etiam anteuertenda, ne rebus hactenus expoſitis tempus deſit; aut tam ſeuera denuntiatione illi facta diuinitus, in ſua impietate perſeueraſſe credatur; quod nos minime exiſtimamus. Sic Dauidem eius patrem in grauem culpam prolapſum, non niſi poſt annum per Prophetam admonuit: & dilatione ipſa tanto efficacius prodidit humanæ infirmitatis exemplum. Denique Abulenſis [d] ait Salomonem iam aliquanto tempore peccauiſſe in cultu idolorum, in eoque fuiſſe obſtinatum, cum Deus in illum huius ſententiæ fulmen intorſit.

b l.7.c.18. n.7.
c l.8.c.vlt.
d q.17. in c. 11.

VI. *A quo ea facta fuerit.*

QVOD ad nuntium attinet, Ioſephus ait ad eum veniſſe Prophetam miſſum à Deo, dicentem neque clam eſſe eius impietatem, neque diutius impunitam fore. Comeſtor facete ait fuiſſe Nathan, vel alium. Dionyſius quoque, & gloſſ. cum Hugone. Caietanus Prophetam non nominat, Abulenſis [e] exiſtimat Deum illi, indigno iam reddito, plurimis turpiſſimæ vitæ, & idololatriæ ſceleribus, neque per ſe in ſomniis, vt antea, neque per Angelum loqui dignatum; ſed per Ahiam Silonitem, qui mox prædixit Ieroboamo regnum. Pineda [f] vero putat Deum ei nunc tertio apparuiſſe, tum quia eodem modo nunc dicatur Dominus Salomoni locutus, quo ſupra: [g] tum quia vix auſus eſſet palam Propheta aliquis Dei minas Salomoni intentare: tum quia ſi per Prophetam aliquem illi loqueretur Deus, non tacuiſſet Scriptura, vel Prophetæ ad illum orationem, vel illius reſponſionem aliquam; & vel pœnitentis, vel impœnitentis animi ſignum aliquod.

e 3.Reg.c. 11.q.17.
f l.3.c.1 n. 5.
g c.3 & 9.

VII. *Non videri à Deo ipſo factam reprehenſionem.*

NON puto tamen Deum nunc tertio egiſſe cum Salomone, eique apparuiſſe, quoniam ſi ipſe per ſeſe, aut per Angelum Salomoni appariuſſet, eo vultu, ac voce, quam minæ illæ exigebant, fregiſſet vtique hominem Deus, dediſſetque manus, & abiecta peruicacia, ad pœnitentiam confugiſſet. Nunc autem videtur in malitia perſtitiſſe, quia nullum hic extat veſtigium pœnitentiæ, & quia Ieroboam interficere voluit, eo quod Deus eum in Regẽ deſtinaſſet. [h] ſicut Saul Dauidem. Nec ſane eadem eſt Scripturæ phraſis hoc loco, quæ ſuperioribus;

h 3.Reg.11. v.40.

Salomonis mœror.

Nam hic tantum dicitur dixiſſe Dominum Salomoni; ibi autem quinquies, aut ſexies, dicitur Dominum apparuiſſe Salomoni, idque confirmatur ex Theodoreto, [a] qui cum de hac ipſa re ageret, non ter ſed bis tantum reuelationem ei factam fuiſſe ait, & prohibitum cultum deorum, non per alium Prophetam; ſed per ipſummet Deum. Deinde grauiſſimas etiam minas legimus à Prophetis, malis regibus impune intentatas. Quibus enim verbis Helias inſectatus eſt Achabum, & Iezabelem? [b] Quibus item alius Propheta Regem Amaſiam? [c] Quibus Semeias [d] Roboamum, & Achias [e] Ieroboamum? Denique ex Scripturæ ſilentio non admodum firma coniectura duci poteſt; multa enim in libris Regum prętermiſſa, in libris Paral. ſupplentur, vbi nihilominus multa quoque alia tacentur, tanquam aliis in libris, qui non extant, memoriæ commendata. Itaque Abulenſi, & Torniello anno quintæ ætatis 36. de Ahia Propheta libentius aſſentior, vt totum hoc negotium de regni diuiſione tam Salomoni, quam Ieroboamo denuncianda, eidem Prophetæ commiſſum fuerit.

Sed ab Ahia Propheta.

VIII. *Quis eius fructus.* *Non emendatio ſed animi mœror.*

FRVCTVS porro tam triſtis vaticinii, id enim tertium à nobis propoſitum fuit, nullus extitit in præſens: neque enim ad pœnitentiam hoc anno confugit, vt iam diximus, ſiue deſperatione animi, quod putaret immutabilem atque irreuocabilem eſſe Dei ſententiam aduerſum ſe; ſiue quia nondum ſatis edomitus malis, non didicerat humiliari ſub potenti Dei manu. Quamuis autem iãdudum animo ſibi male conſcio vehementer angeretur, hæc eſt enim pœna quę nunquam *antecedentem ſceleſtum deſeruit*, ſed ſemper *poſt equitem ſedet atra cura*. His tamen auditis nuntiis vehementer increuit, & multarum aliarum comitatu aucta eſt. *His auditis*, ait Ioſephus, *Salomon vehementer perturbatus indoluit, omni felicitate, qua hactenus ſuſpiciebatur, in contrarium vergente*; deficiente nimirũ ſapientia, fama, diuitiis, animi tranquillitate, domeſtica, atq; externa pace; & quod caput eſt, diuina beneuolentia, & familiaritate, in immortale odium, & immutabile puniendi decretum commutata.

IX. *Ipſius Salomonis teſtimonio.*

MERITO itaque Pineda [f] ad incredibilem animi eius triſtitiam, qua pene vſque ad mortem, & vitæ abiectionem cruciabatur, refert illud Salomonis. [g] *Idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus.* Mala inquam vniuerſa aduerſum ſe conſurgentia; ideo in Hebræo, & Græco habetur. *Quia malum ſuper me, opus quod fit ſub ſole.* Et vtrobique abeſt particula *idcirco*; nec minus de ſeipſo locutus eſt paulo poſt. [h] *Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit.* Et rurſum, [i] conferens ſtatum ſuum præſentem cum præterito. *Homini bono*, inquit, *in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, & ſcientiam, & lętitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam, vt addat, & congreget, & tradat ei qui placuit Deo.* id eſt cui viſum fuerit Deo. Sic enim illud explicat Lorinus cum multis.

X. *Ex inſipientia filij Roboami.*

ET videtur Salomon iterum alludere ad hæredem ſuum Roboamum parum ſapientem & ad curam coaceruandi ſibi diuitias, eo intẽtiorem, quo magis à mulieribus exhauriebantur. Et quod ad Roboamum quidem attinet, eum patri multam triſtitiæ ſegetem ſuppeditaſſe, eodem loco paulo ante ſatis aperte docuerat, cum diceret, *deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit.* Non videtur id plane ignoraſſe Salomon, ſed noluit male ominari, ſperans eum in virum ſapientem aliquando euaſurum, ſperans, inquam, ſed in ſpem præter ſpem; vt ſolent patres. Quid enim de eo ſperare poterat, quem quadrageſimo fere iam anno vitæ nõdum ſapere animaduertebat? Aut quem ſperare poterat eum, qui in regia tam corrupta impietate, & nequitia diu fuerat educatus? Quantus autem miſero patri mœror, ex mille vxoribus vnicum habere filium, eumque ſapientiæ, & pietatis expertem: *rudem & corde pauido, & imminutum à prudentia.*

Eius denique vnici.

XI. *Et diuiſione regni.*

SED nihil Salomonem vehementius afflixit, quam denunciata regni diſtractio, & promiſſionum omnium, ſibi patrique ſuo factarum, vt iure metuere potuit, irritatio. Vidit ſententiam irreuocabilem, & damnum irreparabile, nimirum omnino ſcindendum eſſe regnum, nec vnquã deinceps fortaſſe ſchiſma tollendum. Vtrumque enim videtur includi in geminatione illa, *diſrumpens ſcindam regnum tuum.* Vidit non particulam regni aliquam, ſed ipſas decem regni partes ſibi eſſe perituras. Vidit tantum naufragium non poſt aliqua ſecula venturum, ſed im-

Marginal references: a q 45. — b 3. Reg. 21. 19. & ſeqq. — c 2. Paral. 25. 16. — d 2. Paral. 11. — e 3 Reg 14. — f l. 7. c. 18. n. 2. — g Eccleſ. 2. 17. — h v. 13. — i v. 26.

minere iam, & prope eſſe in ianuis, vt qui ſe animi corporiſque viribus deficere cerneret. Vidit poſtremo hanc tantam regni florentiſſimi labem, tot lites, imo inteſtina bella inter vtramque regni partem, ſuorum eſſe peccatorum pœnam, nec potuit quin ægerrime ferret; etſi nondum dolore, qui eſt ſecundum Deum, ſed propter infamiam fortaſſe nomini ſuo inurendam.

XII. *Cuius culpa illa contigerit, an etiam Dauidis.*

CÆTERVM Lyranus, [a] & Hugo, [b] & Rabini aliqui, imo & ex eorum mente Diuus Hieronymus [c] hanc regni ſciſſionem ex culpa quoque Dauidis, tanquam altera cauſa partiali, contigiſſe putant; quod poſſeſſiones Miphiboſethi iniuſte cum Siba partitus eſſet. Verum, vt recte notat Caiet. id ſcripturæ non conſonat, quæ meritum Dauidis allegat pro obice, tum ne tolleretur totum regnum à filio Salomonis, tum ne Salomone viuente ſcinderetur. Quod vtrumque Ioſephus quoque confirmat. [d] Sed hac de re pluribus egimus ſupra, anno Dauidis 31. De Roboamo potius dubitandum erat, cuius imprudentia, & ſtulta reſponſio populum in furorem egit, vt à Dauidis familia deſciſceret. Verum hæc occaſio tantum fuit, cauſa non fuit. Itaque licet Roboam ſapienter reſpondiſſet, neque populus efferatus eſſet, alia tamen occaſione prouiſum, ac pronunciatum ſchiſma contigiſſet. Deus autem propter culpam Salomonis, non dedit ſapientiam Roboamo. [e]

Et Roboami.

a in 3. Reg. 11.
b ibid et 2. Reg. 19. 29.
c in lib. qq. Hebr. ex quo gloſſa 2 Reg 19 eſt ſumpta.
d l. 8. c. 2.
e vide Abul. q 20 in c. 11.3.Reg.

XIII. *Deus Salomoni ſuſcitat hoſtes.*

NON diu diſtulit Dominus comminationem ſuam in rem ipſam conuertere, & turbulentiſſimos deprauati ſceleribus animi motus, externis quoque motibus vehementius quatere, ac conturbare. Tres quippe aduerſarios ei ſuſcitauit, qui in eius perniciem conſpirarent. Primus fuit Adad, ſecundus Razon, tertius Ieroboam.

Adad Idumæum.

Quod ad primum attinet, rem paulo longius repetit ſcriptura, occaſionem ſcilicet fugæ eius, quo tempore vaſtata eſt Idumęa à Ioab, quod ſupra docuimus anno Dauidis 15. contigiſſe. Vbi diximus infantulum delatum potius in Aegyptum ab amicis patriis, quam fugæ ducem fuiſſe. Inde anno Salomonis tertio in Idumæam venit, trigeſimum circiter, vt ait Abulenſis, [f] agens annum, vbi cum bona venia Salomonis, interuentu Pharaonis, qui vtrumque ſibi affinitate coniunxerat, videtur in Idumæa regnaſſe tributarius, eadem lege ac conditione tributi, quam impoſuerat Dauid; [g] nihil enim ab eo tempore in Idumæa mutatum, aut turbatum inuenitur.

Eius hiſtoria.

nu. 17.
f q. 24 in c. 11.3.Reg.
g 2 Reg 8. 14.

XIV. *Mora à Ioſepho relata.*

NEC arbitror aſſentiendum Ioſepho [h] exiſtimanti eum vſque ad poſtrema hæc Salomonis tempora à Pharaone in Aegypto retentum, vixque tandem nunc commeatum extorſiſſe. Nam ſi ipſimet credimus, Pharao iamdudum mortuus erat, eique Regina Saba ſucceſſerat, quæ ab aliquot iam annis venerat ad Salomonem. Deinde cum hoc tempore Adad ageret annum ætatis ſexageſimum octauum, vel ſeptuageſimũ tertium (Si enim anno Dauidis [i] regni decimo quinto cum vaſtata eſt Idumæa, & Adad fugit in Aegyptum, quinquennis vt vult Abulenſis, aut decennis fuit, vt mauult Pineda, cum Dauid regnauerit ab eo tempore viginti quinque annis, & Salomon triginta octo, eum oportuit ſexageſimum octauum, vel ſeptuageſimum tertium annum ætatis agere) quę ætas parum idonea eſt excurſionibus, & latrociniis, cum Razone, quæ ei Ioſephus tribuit. Sic enim ait; *Aderus impetrato à ſuo Rege commeatu in Idumæam reuertitur, & cum non poſſet gentem ſuam ad defectionem à Salomone perpellere, eo quod validis præſidiis impoſitis in officio contineretur, nec liceret impune res nouas ibi moliri, profectus inde, in Syriam ſe contulit, vbi cum incidiſſet in quendam Razarum,* (Razonem Scriptura vocat) *qui deſciuerat à Sophenæ Rege Adrazaro* (id eſt Adarezer Rege Zoba) *& eas terras cum latronum manu incurſionibus populabatur, ſocietatem cum homine iniit, cuius ope occupata ea parte Syriæ, Rex declaratus, Iſraelitarum ditionem crebro irrumpendo viuo adhuc Salomone, rapinis omnia miſcebat, & cædibus.* Hæc ipſe.

h l. 8. c. 2. ſub fin.
i vide autem Dauid 15. n. 17.

XV. *Duos aduerſarios commiſcet.*

VERVM ſine dubio res diſparatas commiſcet, & confundit Ioſephus, vt Pineda etiam notat, [k] vnde tranſiens ad tertium aduerſarium Salomonis Ieroboam, quaſi Adad, & Razon vnus eſſent, ait. *Et quaſi parum eſſet Hebrais vnus hoſtis externus, domi extitit, qui Salomonem infeſtaret.* Deceptus ſane videtur Ioſephus ſcripturæ loco ancipiti. [l] *Eratque Razon aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis, & hoc eſt malum Adad, & odium contra Iſrael, regnauitque in Syria.*

k l. 7. c. 21. n. 3.
l 3 Reg 11. 25.

1. σχ. a 17 c. 22. n. 1.

Quorum verborum ſententia hæc eſt, vt recte vidit Vatablus, & probat Pineda, [a] & Sa, Razon afflixit Iſraëlem, & afflictio eius addita eſt, quaſi malum malo, afflictioni, quam Adad ex ſua parte intulit Iſraëlitis, *& regnauit*, nimirum Razon in Syria, quam occupauit cum ſuis, vt ante dixerat eum regnaſſe in Damaſco, quæ erat metropolis Syriæ. Adad vero Idumæum regnaſſe in Syria, meræ nugæ; Idumæam quoque eſſe partem Syriæ, quomodo hic Syria ſumitur, ſcilicet Damaſcena, nugæ quoque, licet id putet Caietanus. Nam Idumæam inter, & Syriam Damaſci, quæ trans Libanum erat Iſraëlitis, interiecta erat tota regio Iſraëlitarum quam longiſſime patuit, à Dan videlicet, vſque Berſabææ.

XVI. *Adad regnauit in Idumæa.*

b v. 22.

SED quid opus pluribus? Cum in Septuag. Sixti, & Aldi ſtatim poſt ea verba; [b] *Sed obſecro te, vt dimittas me*; vel ad verbum, *quia dimittens dimittes me*: id eſt omnino conſtitutum eſt mihi obtinere à te dimiſſionem; poſt illa, inquam, verba ſubditur in græcis; *& reuerſus eſt Adar in terram ſuam, hoc eſt malum quod fecit Adar, & aggrauauit, ſiue afflixit Iſrael, & regnauit in terra Edom*, nimirum cum vxore ſua, quæ erat ſoror Taphnes reginæ Ægypti; & filio ſuo Genubath, qui tum vel cum patre regnabat, vel ei erat ſucceſſurus; regnabat autem vt ſupra dixi, cum bona venia Salomonis, & tributarius, donec vltimis hiſce temporibus infatuatum, & contemptibilem factum Salomonem vexauit, negando vt arbitror tributa, aut minuendo, quæ ille augere volebat: quo forte alludunt Septuag. illo verbo ἐβαρύνθη ἐπὶ Ισραήλ.

XVIII. *Razon Salomonis ſecundus aduerſarius.*

c v. 23.

NEC à meridie tantum ſuſcitauit Dominus aduerſarios Salomoni. Sed à ſeptentrione quoque Razonem, de quo ita Scriptura: [c] *Suſcitauit ei quoque Dominus aduerſarium Razon, filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum ſuum, & congregauit contra eum viros, & factus eſt princeps latronum, cum interficeret eos Dauid, abieruntque Damaſcum, eratque aduerſarius Iſraeli cunctis diebus Salomonis.* Hiſtoria breuiter perſtringitur, ideoque etiam obſcurius, quam ſic illuſtrandam puto.

XIX. *Hiſtoria eius.*

d 1.7.c.22.n. 4.

CVM Dauid regni ſui anno decimo quarto contra regem Syriæ Adarezer bello decerneret, Razon vnus de ducibus Adarezer, inclinata iam acie, & victoria ad Dauidem vergente, fugit ex prælio relicto Domino. (Vat. [d] Caiet. Sà, diſſentiente Pin.) moxque reliquis fugitiuis ad ſe congregatis, factus eſt princeps eorũ, contra Dauidem tum Syriæ victorem, non quidem vt aperto contra eum marte pugnarent, ſed vt latronum more circumcurſarent, & prædas agerent, & clandeſtina conſilia cum indigenis agitarent; quo modo etiam Damaſcum Syriæ Metropolim occuparunt, Dauidique eripuerunt, qui eam paulo ante, [e] cæſis viginti duobus Syrorum millibus, belli fortunam ſecutus inuaſerat: locorũ quippe, & viarum periti, & indigenarum natiua beneuolentia, & fauore ſubnixi, audax licet facinus aggreſſi ſunt, & perfecerunt. Eundemque regem Syriæ Damaſci conſtituerunt. [f] Itaque cum bellum Dauidi redintegrandum eſſet contra Syros: & illi metu fortiſſimi, & feliciſſimi bellatoris, pacis conditiones, ipſimet Dauidi vtiles, offerrent, (admittebant enim præſidium Iſraëlitarum, & tributum offerebant;) [g] placuit Dauidi conditio, & Razonem ipſe quoque regem Damaſci eſſe permiſit.

e 2. Reg 8. 5. 6.

f 3. Reg. 11. 24.

g 2. Reg 8. 6

Stetitque in fide, tam ipſe, quam filius eius Dauidis tempore, & Salomonis alta adhuc pace, & rerum omnium copia abundantis, intentus ſemper in occaſionem excutiendi iugum, ſibi ab Iſraëlitis impoſitum: (fuit enim ſemper Syrorum infidum genus,) quod contigit poſtremis Salomonis temporibus, cum ſiue ipſe per ſe, & ſuos, ſiue etiam communicato, cum Adado Idumæo conſilio, vt vult Ioſephus, & Lyranus, aliique, qui eum ex parte ſequuntur, ambo odium ingenitum in Iſraëlem declararunt, tributum vterque negando, forte etiam præſidiũ Iſraëlitarum exterminando. Vt Salomon contra quem primo bellum moueret, non haberet, homo præſertim mulieroſus, corpore inualidus, animo ignauus, bellorum inſolens, & ſuis nunc parum charus.

XX. *Confirmatur ea hiſtoria.*

HÆC mihi narratio Scripturæ accommodatiſſima viſa eſt; etſi enim filii Razonis mentionem feci, nullo perſpicuo Scripturæ fundamento, ratio tamen temporum nepotem potius videtur exigere, quam excludere filium. Nam ſi Razoni, vt par eſt, triginta annos damus cum pugnauit contra Dauidem, ſub rege Ada-

rezer domino ſuo. Quomodo enim factus eſſet princeps exercitus, & conſtitutus rex Damaſci à ſociis, niſi virtus militaris diu iã explorata ei fauiſſet? Id enim nobilitati tributum eſſe non apparet: non enim de ſemine regio dicitur, vt Adad, ſed filius Eliada; priuati ſcilicet cuiuſpiam. Ad triginta annos, adde viginti ſex Dauidis, & triginta octo Salomonis, ad nonaginta quatuor peruenietur. Sed annoſus ſenex multæ experientiæ, multarumque palmarum gladiator non ignobilis; vt qui latronum princeps aliquando fuerat; odium retinens in Iudæos, conſilio agebat, & ea moliebatur, quæ ſui exequerentur, licet ipſi vt primario authori à Scriptura tribuantur.

XXI. *Tertius aduerſarius Ieroboam.*

NEC ſatis fuit Salomonis malis à dextris, & à ſiniſtris nouos habere aduerſarios, qui inueterato in ſe, populumque ſuum odio flagrarent; etiam inteſtinum, & domeſticum Dominus ſuſcitauit hoſtem, qui iugulum ipſum regni peteret, & ad quem collati reliqui, ludus foret. Ideoque diligentius rem totam Scriptura explicat. Primo quod eius genus, ſecundo quæ defectionis cauſa, tertio quomodo delatum ei diuinitus fuerit regnum in decem tribus; additur poſtremo eius in Ægyptum fuga, quæ nobis ſigillatim expedienda ſunt.

XXII. *Eius tribus quæ malis exemplis abundat.*

DICITVR ergo Ieroboam filius Nabathi & Seruæ, de tribu Ephraim, & Sareda ciuitate, que tribus ſæpe ſuperius ambitionis notata eſt, & ingenii turbulenti; vt patet in libro Iudicum, [a] cum Gedeoni victori, optimeque de tota gente merito prope vim inferrent: [b] cum eius ſeptuaginta filios ingratiſſimi, & crudeliſſimi occiderunt, [c] contra Iephte ſeditionem mouerunt, parati incendere domum eius. [d] Michas ex Ephraim primus idolorum conflator in Iſraël. [e] Seba filius Bochri Ephraimita manum ſuam leuauit contra regem Dauid, ſicut & Ieroboam dicitur leuaſſe manum contra Salomonem hoc loco. Ephrathæi, [f] Samaritæ ſeptuaginta filios Achabi inſontes occiderunt. Denique omnes ad vnum Reges Iſraël, qui fere fuerunt è tribu Ephraim impii, & idololatræ, fuerunt omnes imitatores, & ſucceſſores iſtius Ieroboami filii Nabath. Videtur hæc tribus alte demiſiſſe in pectus illud Geneſ. [g] *Conſtituit Ephraim ante Manaſſem.* Et illud Moyſis benedicentis omnes tribus. [h] *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Hæc eſt quæ æmula ſemper fuit tribus Iudæ, vt ſicut ſub ea tribus Beniamin paſſim comprehendebatur; ita ſub Ephraim reliquæ tribus; & nomine tribus, vel domus Ioſeph, Ephraim maxime intelligitur.

a ca. 8 1. b cap. 9 1. c ca. 12. 1 d ca. 17 1 e 2. Reg. 20. 21. f 4. Reg. 10 g c. 48 20 h Deut. 33 17.

XXIII. *Quis eius pater.*

HVNC Nabath patrem Ieroboam eundem eſſe cum Semei tradit Hieronym. in tradit. [i] & inde quidam apud Lyranum putarunt hunc eſſe Semei, quem iuſſit Salomon interfici, eiuſque matrem odium ei ſemper, & vindictæ appetitum contra Salomonem inſtillaſſe. At longe falluntur, maleque nituntur tam fragili fundamento ſimilitudinis nominis: cum conſtet maledicum illum fuiſſe de cognatione Saul, [k] de oppido Bahurim, quod erat in tribu Beniamin; ex qua etiam oriundus erat Saul: at Nabath fuit de tribu Ephraim, vt dictum eſt. Iuuari etiam ſe putant ex eo quod mater eius dicatur vidua, quaſi occiſo Semei facta fuiſſet vidua; quo argumento nihil inconſultius.

i init. 3. Reg. v. 8. k 2. Reg. 16 5

XXIV. *Quæ mater.*

VERVM, de matre hoc addendum videtur ex Septuaginta ſenioribus Romanæ, atque Aldinæ editionis. Nam 3. Reg. [l] aliqua inſeruntur, quæ in regiis non habentur, quæ ad verbum ſic habent. *Et nomen matris eius Sartra mulier meretrix.* Et ita legit Lucifer Calaritanus, libro de regibus apoſtaticis, idque non ſemel: *nam cum eſſet*, inquit. *filius ancillæ, cum ſe meminiſſet ortum de meretrice*, &c. Quod deinceps ſæpius repetit, (ſupra autem conſentiens hebræo & latino, eam vocauerant viduam.) *Et dedit eum Salomon in principem virgæ*, aut ſceptri, ſiue tribus, aut ſcytalæ, vt habet Romana, *ſuper tributa domus* Ioſeph. *Et ædificauit ei Salomon Sarria in monte Ephraim*, cognominem ſcilicet matri, *& habebat trecentos currus equorum.* Videtur hæc fuiſſe vna de vrbibus quadrigarum Salomonis. Non recte autem Flaminius habet triginta currus, in græco enim legimus τριακόσια ἅρματα non τριάκοντα. *Hic ædificauit arcem in tribulis domus Ephraim: hic circunclusit ciuitatem Dauid, & elato erat animo in regnum, & quærebat Salomon ipſum interficere*, &c.

l cap. 12.

XXV. *Cauſa defectionis.*

CAVSA defectionis perobſcurè traditur in hæc verba. [m] *Et hæc eſt cauſa rebellionis aduerſus eum, quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis* Dauid *patris ſui.* Nondum apparet hic cauſa rebellionis, ſed multo minus in verbis ſequenti-

m v. 27. & 28.

bus. *Erat autem Ieroboam vir fortis, & potens, videnſque Salomon adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium conſtituerat eum præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph.* Nulla hic quoque rebellionis cauſa ſe prodit; inueſtiganda tamen eſt. Et quod ad ædificationem Mello attinet, de qua multa Villalpandus, & Pineda; iuxta ea quæ alibi diximus; exiſtimo ædificationem Mello fuiſſe ſubſtructiones erectas inter ædes regias, & templum, ſuper quas erat excitata regia porticus, qua Rex adibat in templum, quam etiam ipſa regina Saba admirata eſt: ſubiecta vero erat Vorago Mello. Videtur autem peculiare quoddam tributum multum reclamanti, ac repugnanti populo impoſitum, ob ſumptus huius molis, quem eo facto multum Salomon offenderit; & ea offenſione Ieroboam poſtea callidè vſus ſit ad auertendum magis, magiſque populum à Salomone. Huic enim fabricæ prępoſitus erat Ieroboam, vt ait Ioſephus, aut vt vult Pineda, [a] tributis propter impenſas illius ædificii indictis. Cumque in hoc opere induſtriam ſuam Regi probaſſet, idoneum iudicauit qui duarum tribuum quæſtor eſſet; Ephraim ſcilicet, & Manaſſe. Quo munere eo facilius fungi poterat, quo magis erat notus, & charus Ephraimitis popularibus ſuis. Fuit autem paulo poſt officium iſtud idoneũ mediũ ſollicitandæ defectionis, ſi quando tamẽ eam ſolicitaſſe dicendus eſt.

Ædificatio Mello.

a l.7.c.23. n.7.

XXV. *Ieroboam quando primum de defectione cogitarit.*

EXISTIMO enim nihil Ieroboamum de defectione cogitaſſe, antequam eum Propheta de diuino decreto certiorem feciſſet, eamque eſſe Scripturæ, & Ioſephi ſententiam, cui ſubſcribit Pineda, [b] etſi contra ſentiat Abulenſis, [c] & eum ſecutus Torniellus, [d] tantum abeſt vt id à puero matre ſollicitante cogitarit; Cum enim Scriptura dixiſſet Ieroboamum præpoſitum fuiſſe tributis domus Ioſeph, ſubdit, *factum eſt igitur in tempore illo vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inuenirent eum Ahias*, quaſi dicat, cum ad munus ſuum fungendum, Hieroſolymis deſcendens veniret in patriam, ei occurrit Propheta. Id ipſum totidem fere verbis habet Ioſephus. Itaque monitus Ieroboam de diuino decreto occaſione ſui officii, captare potuit occaſionem perficiendi, id quod ſibi diuitus promittebatur. Nec obſtat quod Scriptura cauſam rebellionis ait fuiſſe ædificationem Mello, quæ ne proxima quidem occaſio fuit. Nam ſcriptor ſacer propoſito hoc tertio Salomonis aduerſario, rem ab altiore principio exorditur, recenſens operam Regi ab eo nauatam, primum in ædificatione Mello, ante annos aliquot. Deinde agnita eius induſtria in priore negotio; in quæſtoris officio, quod agebat hoc tempore. Cõfirmatur autem hæc loci huius expoſitio, ex proximis duabus narrationibus, in cauſa Adadi, & Razonis, quam vtramque Scriptura ab ipſo fonte, ac capite accerſendam putauit; Itaque occaſionem ponit defectionis Ieroboami tractationem regii negotii, cum à Propheta de diuino circa regnum decreto edoctus eſt. Irritus ergo videtur, atque inanis labor quærendi in Mello cauſam defectionis, quæ in Prophetę vaticinio agnoſcenda eſt Eam itaque promiſſionẽ, vt veram cauſam defectionis ex parte Ieroboami, conſideremus.

b l.7.c.23. n.9.
c 3. Reg.11. q.29.
d an.16 ſ æcat. ſubſinē.

XXVI. *Occurſus Ahiæ & Jeroboam.*

FACTVM *eſt igitur in tempore illo* [e] (quo ſcilicet Deus ſuſcitabat aduerſarios Salomoni) *vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inueniret eum Ahias Silonites Propheta in via* (verſus tribum Ephraim) *opertus pallio nouo: erant autem duo tantum in agro.* Dicat aliquis vix eſſe credibile Ieroboamum, virum fortem, & potentem, regis domeſticum, & familiarem; & perquam honorato munere fungentem, ſolitarium iter feciſſe, cum ne Propheta quidem ſocio aliquo, vel famulo caruiſſe videatur. Reſpondet recte Ioſephus. [f] *Ad quam tribum Ioſeph cum Hieroſolymis egreſſus iter faceret, obuiam ei fit Propheta, nomine Achia Silunte oppido oriundus. Is ſalutatum eum de via paulum ſeduxit in rus quoddam diuertens, in quo cum nemo alius aderat*: Secutus eſt Ioſephus Septuaginta, apud quos abductum de via à Propheta legimus. Voluit nimirum Dominus ſecretam eſſe hanc regni denunciationem, ad periculum vtriuſque vitandum. Diceret enim Propheta, vt quondam Samuel, *Audiet Salomon, & interficiet me.* Nam & Sancti Prophetæ timuerunt animæ ſuæ; etiam generoſus ille Elias, qui poſt occiſos quadringentos Prophetas Baalis, timens Ieſabelis denunciationem, fugit in deſertum; & dicebat ad Dominum gemens. *Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* [g] Vtrũque tamen Dominus ſi non à metu Salomonis, certe à manu liberauit, de vtroque enim multa eſt, etiam poſt mortem Salomonis, mentio.

e 3.Reg.11. 29.
f l.8. ant.c. 2.fin.
Seorſim agunt.
g 3.Reg.19. 10.

XXVII. *Propheta pallium ſuũ diſcindit.*

PERGIT Scriptura. *Apprehendenſque Achias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes;* Rebus prius, quam verbis Prophetare cœpit, vt ſæpe alii Prophetæ. Voluit inexpectata rei nouitate hominem ſuſpenſum reddere, & apprehendere negotium hic ſerium agi, & regnum nouum adhuc & integrum, & ſtatu, ſi vnquam alias florentiſſimo, quamprimum miſere lacerandum, & à proprio Domino abſtractum, traditum iri alteri, qui nullum ad id ius haberet. Ait enim ad Ieroboam. *Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus; porro vna tribu remanebit ei*, vltra ſcilicet tribum Iudæ, ad quam ille pertinet, *Propter ſeruum meum David, & Ieruſalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael.* Non potuit Propheta pallium bipertito duntaxat diuidere, & quidem ſic, vt pars vna quintuplo maior eſſet altera, & maiorem partem Ieroboamo tradere? potuit vtique, ſed docere voluit Ieroboamum, fore vt decem illæ tribus niſi pietate, & Dei cultu retineantur, facile diſtrahi, & diſſipari poſſe, quemadmodum poſtea diſtractæ penitus, & diſſipatæ ſunt.

XXVIII. *Decem ſciſſura regni Iſraelis.*

HAS decem ſciſſuras interpretatur etiam Rupertus [a] de decem familiis, à quibus ſublatum ſit regnum Iſraeliticum. Nam primo abſciſſum eſt à familiâ Dauid per Ieroboam, ſecundo à domo Ieroboam, in qua filius tantum eius regnauit poſt eum, à Baaſa occiſus; tertio à domo Baaſa ad familiam Zambri, qui occidit filium Baaſa, & regnauit pro eo; quarto à Zambri ad Amri, qui illum ad incendium compulit; quinto ab Amri, cuius familia regnum tenuit vſque ad Iehu, qui eam internecione deleuit; ſexto familia Iehu regnum poſſedit vſque ad quartam generationem. Sellum enim interfecit Zachariam, poſtremum in ea familia regem, & regnauit pro eo: ſeptimo ſolus Sellum è ſua familia regnauit, & occiſus à Manahem vita, & regno caruit; octaua ſciſſura fuit regnante Manahē & filio eius, nona familia regnum inuadente, cum Phacee filius Romeliæ occiſo filio Manahem, regnauit pro eo, decima & vltima fuit Oſee filii Ela, qui regnum occupauit occiſo Phacee, & mox in Aſſyrios cum populo ſuo tranſlatus eſt. Sicque pallium decies ſciſſum vetuſtate conſumptum eſt.

a l. 5. c. 4.

XXIX. *Ob peccata Salomonis.*

SED redeamus ad Prophetam cauſam huius ſchiſmatis referentem, vt ea moneatur ipſe, & exemplo alieno ſapiat, [b] *Eo quod dereliquit me, & adorauit Aſtarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon, & non ambulauit in viis meis vt faceret iuſtitiam coram me, & præcepta mea, & iudicia ſicut David pater eius. Nec auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam cum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter David ſeruum meum quem elegi, qui cuſtodiuit mandata mea, & præcepta mea. Auferam autem regnum de manu filii eius, & dabo tibi decem tribus, filio autem eius Salomonis dabo tribum vnam.* Valde enim erant coniunctæ, & quaſi permixtæ tribus Iuda, & Beniamin, adeo vt ipſa Ieruſalem, imo & templum ipſum, vt ſupra dicebamus, ad vtramque tribum pertineret, & vtraque pro vna cenſeretur, & modo tribus vna, modo duæ nominarentur. Conſtat vtique duas ſciſſuras pro duabus tribubus factas fuiſſe, & apud Prophetam remanſiſſe, itaque ſeptuaginta paſſim habent δύο σχίσματα.

b verſ. 33.

XXX. *Reliquam hic vaticinium.*

Pergit Propheta, vt remaneat lucerna David ſeruo meo, Ideſt regia poſteritas de ſemine David, quæ luceat in populo Dei meritis, & claritate Dauidis. *Cunctis diebus corã me, in Ieruſalē ciuitatē quã elegi, vt eſſet nomen meũ ibi.* Quibus diebus ſcilicet Reges Hieroſolymis erunt in hoc populo, vt explicat Hugo. Cum ergo infra dicitur non cunctis diebus affligendam domum Dauidis ſignificatur eam ſuperfuturam reliquis decem tribubus, ſicut reuera eo regno extincto, regnum Dauidis durauit vſque ad interitum & deſolationem ciuitatis, & templi, & regni vniuerſi ſub Nabuchodonoſore, & Sedechia vltimo rege Iuda. *Te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſrael.* Vides quam ſæpe Dauidis merita in hoc ſchiſmate proferuntur; quaſi cauſa ob quam totum regnum non ſit ſublatum Salomoni. Videtur etiam addi meritum ciuitatis Ieruſalem; quod ſcilicet in tanta ciuitate multi erant viri ſanctiſſimi, & maximi apud Deum meriti, qui eum toto corde colebant, & diligebant, & propter perditam Salomonis vitam dies noctesque lacrymas fundebant coram Deo, à quo ſanam mentem Regi impetrare conabantur.

REGNVM PRÆDICITVR IEROBOAMO. XXXI. *Diuiſio ob populi vniuerſi parata.*

AT, inquies, cum regni diuiſio propter peccata Salomonis facta ſit, quare ea recidit in maximum populi damnum; oriente hinc idololatria maximę partis populi, & tot bellis inteſtinis, quæ inter vtrumque regnum deinceps ſunt conſecuta. Reſpondeo, etiam populum magna ex parte fuiſſe corruptum, tam Regis imitatione, quam propria malitia; ad quam ipſos quoque otium, delitiæ, & rerum omnium abundantia pertraxit; ſicut ergo regina Saba [a] & Hiramus [b] Rex Tyri recte colligebant Deum beneuolum eſſe erga populum Iſraeliticum, qui ei tantum, tamque ſapientem regem præfeciſſet. Ita vice verſa rectè colligimus populum fuiſſe valde deprauatum, cui tam profligatæ vitæ principem præeſſe paſſus ſit, & mox vtrumque per vtrumque punierit. Regem, ei maximam populi partem auferendo; populum, ei dando principem per quem in maximas calamitates incideret.

a 3.Reg.10.9
b 3.Reg 5.7

XXXII. *Oſtenditur ex Ruperto.*

IDQVE iuſte a Deo factum eſſe contendit Rupertus. [c] Quare ergo, inquit, talem populo ſuo regem acquiſiuit? *nimirum rationabiliter hoc, & cum iudicio fecit, eademque iuſtitia, qua Regem petentibus Saulem dedit; quem qualis futurus eſſet, ignorare non potuit.* Nam & tunc Samuelem, imo in Samuele Deum abiiciebant, ipſo dicente. *Non enim te abiecerunt, ſed me.* Et in primordiis regni Dauidici, ſubtraxerunt ſe totis ſeptem annis, non approbantes electionem Domini; & deinceps ſemper dubij, ſemper infidi fuerunt ipſi Dauidi. Quem aduerſus illum rebellantem non ſuſciperent, qui Abſalon filium aduerſus patrem conſtituerunt ſuper ſe regem? Poſtquam ille periit, protinus auſum buccina perſonare ſecuti ſunt Seba filium Bochri dicendo, *non eſt nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Iſai.* Nunc quoque inuidiam prodiderunt, occaſiones quærendo aduerſus Roboam, & dicendo, *pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis*; cum per illius ſapientiam diuites facti fuiſſent, & inclyti. Itaque Deus tanquam iudex reos tali tradidit Regi, qui volentes ſcinderet à domo Dauid, volentes inquam ſcinderet à ciuitate Dauid, diuideretque à templo Dei, à cultu vnius, & ſolius Dei veri, & cupitis faceret ſeruire ſimulachris. Hæc ferè Rupertus.

c l.5 Reg c.3

XXXIII. *An Ieroboam iam nunc regem agere potuerit.*

SED alterum hic occurrit dubium, an Ieroboam tradito ſibi regno iam tunc vti potuerit, & ſe inuito Salomone, gerere pro Rege. Reſpondetur non potuiſſe; quia licet in præſentia decem ei ſciſſuræ pallii traditæ ſint, non fuit tamen hæc traditio, quaſi miſſio in poſſeſſionem, ſed teſtificatio certitudinis, vt tam certus eſſet iam nunc, ſe regem fore decem tribuum, quam certo haberet in poteſtate decem partes pallii; res enim tota ad futurum refertur, vt verba ipſa clare loquuntur. DABO tibi decem tribus; &, *te autem aſſumam, & regnabis ſuper omnia, quæ deſiderat anima tua, eriſque Rex ſuper Iſrael.* Itaque ſicut olim Dauid reprobato Saule ius habuit ad regnum, ita nunc reprobato Salomone ius acquiſiuit in decem tribus Ieroboam; ſed nec ille viuo Saule regnum inuadere potuit, nec iſte viuo Salomone; ſed debuit vterque expectare dum diuina prouidentia aditum ſibi ad regnum, prædeceſſoris ſui morte, aperiret. Itaque ſi Ieroboamus, hac nixus prophetia, populares ſuos ad defectionem ſollicitauit contra Salomonem, vt ait Ioſephus, grauiter peccauit, & à Salomone, tanquam maieſtatis reus, capite iure plecti potuit, vt qui legitimo Regi iniuriam faceret. Non enim Ieroboam ius vllum in regnum habuit, niſi quod ei dabat Rex regum Deus, & pro tempore quo dabat.

XXXIV. *Promittitur ei regia ſucceſſio ſub conditione.*

RELIQVA eſt Prophetiæ concluſio, promiſſionem habens regiæ ſucceſſionis in familia Ieroboam, cum conditione tamen ordinaria obſeruandæ diuinæ legis. [d] *Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi*, quod ſcilicet non fecit Saul, quem propterea repuli, ne eſſet Rex ſuper Iſrael, non enim fas eſt in prouincia proregem eſſe, qui regi non obtemperet, *cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit Dauid ſeruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem*, id eſt firmiter fideliterque ſubſiſtentem; neque fallentem expectationem, & deſiderium tuum, defectu poſterorum, longa ſerie in regio throno ſuccedentium, *quomodo ædificaui* DA*uid domum*, par enim eſt vt imitando fidem, & virtutem Dauidis, pari quoque cum Dauide præmio, & felicitate doneris, *& tradam tibi Iſrael, & affligam ſemen Dauid ſuper hoc*, æmulatione ſcilicet regni noui, & ſtolonis in damnum arboris excreſcentis.

d c.11.v 38.

XXXV. *Quandiu Iſrael Iudã afflicturus eſſet.*

VERVNTAMEN *non cunctis diebus.* Poſt annos enim ducentos, & quinquaginta ſex ceſſatura erat omnis Iſraelitarum aduerſus Iudæos contentio, atque æmulatio; illis ad Aſſyrios in perpetuam captiuitatem abductis; hæc obſcure ſignificantur Ieroboamo, quæ ad Iudæorum conſolationem, & ſpem pertinebant. Solent enim paſſim Prophetæ in omnibus grauioribus malis denunciandis, ſemper aliquid ſpei ad extremum adiungere; hic autem tacitam ſpem Meſſiæ, qui ex tribu Iuda, ipſaque Dauidis familia naſciturus erat, dari putant Caietanus, Lyranus, Abulenſis, Dionyſius cum Hebræis, etſi eorum alia erat intentio, qui temporalia tantum cogitabant & ſapiebant, vt in ipſis etiam apoſtolis patuit, cum à Chriſto poſt reſurrectionem quærerent, *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael*, nondum quippe Spiritum ſanctum è cœlo receperant. Non ergo cunctis diebus manſura erat iſta diſſentio, atque regnorum æmulatio, quoniam in Meſſia de ſemine Dauidis venturo, omnes tribus ſub eiuſdem fidei Chriſtianæ profeſſione colligendæ erant; & ad eas, etiam nationes omnes aggregandæ.

XXXVI. *Andeinceps Ieroboam in Salomonem inſurrexerit.*

a l. 8. c. 2 et.

QVÆ vero hanc prophetiam ſecuta ſint accipe ex Ioſepho. [a] *His Prophetæ verbis erectus ad ſpes magnas Ieroboamus, cum eſſet alioqui inquieto, & ambitioſo ingenio, quamprimum in ſuam prouinciam peruenit, non immemor præſagij Prophetici, ſollicitare populum cœpit, vt à Salomone deficeret; ipſique principatum deferret.* Pineda & [b] Torniellus, [c] Ioſephum ſequuntur, Comeſtor, [d] & gloſſa quædam; quin etiam Abulenſis [e] exiſtimat Ieroboamum etiam ante Prophetiam in Salomonem inſurrexiſſe, propter regnandi cupiditatem; Et habet hæc ambitio aliquod in ſcriptura fundamẽtum, in illis verbis, *regnabis ſuper omnia, quæ deſiderat anima tua*, quaſi iam regnum deſideraret. Illud etiam nonnullum eſt ambitionis indicium, vt notauit Pineda, [f] quod nihil ab eo dictum, actumue ſcribatur, quod animi modeſtiam, & demiſſionem oleat; quod tamen minime deſideratum in Saule fuit, [g] ſed quod amplificauerat Ioſephus de ſollicitatọ populo, auxit etiam Pineda, [h] cum ait Salomonis nomine, ac vita in dies in deterius labentibus, ſeditionem ortam, & adultam in duabus tribubus, præſertim in Ephraim. Re autem ad Salomonem delata coniurationis caput Ieroboam voluiſſe interficere; at Ioſephus tantum ait eius conatibus, & inſidiis cognitis Salomonem voluiſſe eum comprehenſum occidere.

b l. 7. c 23
c an. 36. z. 1. 5. n. 2.
d l. 3. Reg c. 17.
e q 3. in c. 11 3. Reg.
f l. 7. c 23. n. 9.
g 1 Reg 9. 21.
h Ibid.

XXXVII. *Non videri, licet eum voluerit occidere Salomon.*

VERVM Scriptura hanc voluntatem occidendi Ieroboam non videtur referre ad ſeditionem aliquam ſatam, aut ortam, aut adultam, ſed ad ſolam Prophetiam in fauorem Ieroboami editam. Cum enim interminatus eſſet Deus ſe decem tribus ſeruo eius daturum, nec eum nominaſſet, & haberet Salomon plurimos præſtantes viros in obſequio ſuo, neſciebat in quem caſurum erat oraculum; audito autem facto Ahiæ, & Ieroboami, attentum enim & omnia arrectis auribus ſubauſcultantem reddiderunt illæ minæ, tum demum vt Saul Dauidem, ita & Salomon Ieroboamum occidere voluit. Itaque nulla, vel inſidiarum, vel ſeditionis mentione facta, ſtatim poſt prophetiam Ahiæ ſubditur. *Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam, qui ſurrexit, & aufugit in Aegyptum*, vbi particula *ergo* æquiualet copulatiuæ, quæ in Hebræo eſt, & Græco, & innuit hanc voluntatem Salomonis natam ex prophetia, qua cognouit æmulum ſuum, vel filii ſui. 2.

XXXIIX *Et dicitur leuaſſe manum contra Regem.*

i 3. Reg 11 26. 27.

QVOMODO ergo, inquies, dicitur Ieroboam leuaſſe manum contra regem, & rebellaſſe, [i] ſi populum non ſollicitauit, aut commouit contra Salomonem? Reſpondeo hoc ipſo cenſeri, diciue rebellaſſe, & maieſtatis crimen incurriſſe, ſcriptura ad hominum ſenſum, & captum ſeſe accommodante, quod Prophetæ regnum promittenti acquieuit, nec repudiauit; ſed æmulum ſe potius legitimi Regis exhibuit. Eſt enim ambitio valde delicata, & ſuſpiciones pro neceſſariis argumentis accipit, omiſſiones pro criminibus, cogitata pro factis. Denique quæ ille poſtea perpetrauit tam ambitioſa, ſeditioſa, ac ſcelerata fuerunt, vt etiam anteriora in deteriorem ſemper partem accipiantur. Nam ne ſuperiora quidem illa ſcripturæ verba, regnum ab eo deſideratum ſatis probant, Hebraice enim habetur, *quæ deſiderabit anima tua*; Chaldaice, *quæ volueris*, Vatablus, *vbicumque libuerit*, denique illud deſiderium non alligatur vlli definito tempori: idemque eſt ac ſi diceret præficieris ſuper omnia deſiderabilia.

XXXIX. *Bonum fuiſſe ante regnum.*

CERTE Dionyſius in hoc cap. 11. ait eo tempore quo Deus ipſi prædixit, quod promoueret eum in regem ſuper decem tribus, videri fuiſſe dignum, & bonum. Idemque habet Auctor faſciculi temporum; quin & Bellarm. quoque [a] ait Ieroboamum, cum regnum accepit, bonum fuiſſe; & electione diuina, ac totius populi conſenſu & vocatione legitime regnare cœpiſſe. Et D. Auguſtinus [b] ait in diuiſione regni nullum vel regis Iſraëlis, vel populi fuiſſe peccatum, ſed voluntatem Dei vindicantis impletam: idque ex eo probat, quod Deus per prophetam Semeiam à ſe factum fuiſſe ait verbum hoc; [c] Denique Serarius idem ſentit in opuſculo de Salomonis peccato. [d]

a l. 2. de amiſſ. grat. c. 13.
b l. 17 de Ciuit. c. 21.
c 3. Reg. 12 24.
d n. 9. & 15.

XL. *An Salomon perſecutus ſit prophetam.*

QVÆRAT aliquis an Ahiam quoque prophetam perſecutus fuerit Salomon. Si qua enim culpa, huius rei cauſa in Ieroboamo fuit, certe Ahias propheta eius author fuit; nec minus æſtimari potuit mortis reus. Itaque Paraphr. Chaldæa [e] ait illum quoque à Salomone ad mortem quæſitum, eumque à facie Salomonis fugiſſe in Ægyptum, puta cum Ieroboamo, qui eandem periculi aleam adierat. Idque nec Franciſco Lucæ diſplicet, nec mihi. Sacrilega eſt enim ambitio, & cruenta, vt experta eſt tota ciuitas Nobe cum Pontifex imprudens Dauidem recepiſſet. Erat autem Salomon hoc tempore, vitæ profligatiſſimæ, & cruentæ idololatriæ Molochi addictus, vt etiam filios per ignem traduxiſſe exiſtimetur à Pineda, vt ſupra diximus; qui [f] tamen putat nihil huiuſinodi à Salomone, quãuis deprauatiſſimo, attentatum fuiſſe in ſanctum prophetam, quod id à Scriptura taceatur, nec vnquam legatur in ſanctos homines efferatus. Et inter ipſa peccata, inquit, etſi à carne non abſtinuit, à ſanguine tamen abſtinuit. Verum Salomon tunc pro ſua perturbatione animi, Ahiam non ſanctum hominem, ſed ſceleſtiſſimum proditorem, vt futuri ſchiſmatis authorem exiſtimare potuit.

e in 8. cant. verſ. 12.
f l. 7. c. 23.

XLI. *Fugit Ieroboam in Ægyptum.*

FVGIT ergo Ieroboam *in Aegyptum, ad Seſac regem Aegypti*, vt ait Scriptura, [g] *& fuit in Aegypto ad mortem Salomonis*: id eſt circiter biennio. Fuiſſe autem hunc regem alium à ſocero Salomonis, ſatis conſtat, tum quia ei non auſus eſſet Ieroboam ſe credere, tum quia ſi Ioſepho credimus, Regina Saba ſucceſſit Pharaoni ſocero Salomonis, quando & Pharaonum nomen extinxit; ſed eius opinio ab omnibus contempta, & exploſa eſt. Hic autem Seſac, aliquot annis poſt in Iudæam infeſtus venit, & triſtia reliquit ſuæ expeditionis monimenta, vt ſuo loco dicetur. Nunc ad Salomonis conuerſionem orationem conuertamus. Nam prophana res muta eſt, atque elinguis apud Euſebium hoc tempore.

g 3. Reg. 11 40.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS, 38.

1. N XV. EIque omnino fauet textus Hebræus, vbi pro *& hoc eſt malum Adad*, habetur apud Pagninum & Chald. Paraphraſt. *& cum malo quod fecit Adad.*

2. N. XXXIIX Et ita ſentit Dionyſius, & ſubdit, *etſi ab hoc voluit eum occidere Salomon, vt litera ſonare videtur, fuit hac magna excæcatio, ambitio, impatientia; quaſi vellet & poſſet impedire propoſitum Dei de regni diuiſione.*

ANNVS MVNDI 3058. DILVVII 1402. 5ª. ÆTATIS 119 SALOMONIS REGIS 39. SADOCI PONTIF. 38. FVNDATI TEMPLI 36. TROIÆ EXCISÆ 187. LAOSTHENIS 30. IMPERII ASSYRIORVM 1127.

ANNVS ANTE CHRISTVM 995.

I. *Liber geſtorum Salomonis.*

HVivs, & ſequentis anni res geſtæ Salomonis, hoc verborum compendio à Scriptura [a] comprehenduntur. *Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & ſapientia eius, ecce vniuer. à ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis.* Omnes interpretes hunc librum extare negant, aiuntq; in Hieroſolymitana euerſione, & deflagratione periiſſe. Sixtus Senenſ. [b] ait ipſummet Salomonem, vel vt alii putant Oſai prophetam conſcripſiſſe vitam, atque omnia geſta Salomonis, eumque librum Chaldæos, vna cum aliis ſanctis libris, combuſiſſe. Pineda tamen [c] putat non combuſtum à Chaldæis, ſed ſuperſtitem fuiſſe poſt captiuitatem Babylonicam, quando libri Regum ab Eſdra fuerunt reſtituti. Quoniam demonſtratur, & quaſi digito indicatur, cum dicitur, *ecce vniuerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis, quaſi dicat præ manibus haberi, & in medio eſſe*, ſic ipſe. Et reuera ſi iam tum periiſſet, dicendũ fuiſſet ſcripta fuerant, non ſcripta ſunt. Nihilominus in 2. Parali. tres alii ſcriptores de rebus geſtis Salomonis traduntur, Nathan propheta, Ahias Silonites, & Addo videns in ſua viſione contra Ieroboam.

[a] 3. Reg. 11. 41. 2. Par 9. 29
[b] l. 2. bibliot
[c] l. 1. de reb. ſal. c. 1. n. 6.

II. *Quis liber verborum regum Iudi, & Iſrael.*

Vervm hoc de libro Salomonis egit Pineda lib. 1. de rebus Salomonis, [d] vbi valde probabiliter aſſerit librum verborum dierum Salomonis partem videri eius chronologiæ, quæ ex præſcripto Reipubl, & regni Hebræorum texebatur, à tempore primorum dierum, & Regum, vſque ad nouiſſimos; qui dicebatur *Liber verborum dierum Regum Iuda, & Iſrael*, qui deinceps in libb. Regum, & Paralip. crebro citatur. In eum autem referebantur à Scribis, aut ſenioribus ſynagogæ, pro tempore exiſtentibus, quæ à regibus memoria digna gerebantur. Eius voluminis primum caput, vel liber, de rebus Salomonis erat, qui hoc loco Regum citatur. De hoc ipſo volumine agit Sixtus Senenſ. lib. ſecundo Bibliot. verbo, *Regum liber.* Vbi tamen vnicum authorem libri eius memoret, repugnante Pineda, qui eius multos ſcriptores fuiſſe merito tradit; qui non vno ſeculo conſcriptus fuerit; ſed ſucceſſiue à variis quæ ſuo tempore contingebant, accurate, & fideliter annotantibus. Ex quo etiam libro compendio ſcriptos eſſe poſteriores duos Regum libros, & ſecundum Paral. vel à Ieremia, vel ab Eſdra, Sixtus eodem loco tradit. Is ſi nunc liber extaret, aut certe liber Addo, qui priora, & nouiſſima Salomonis perſcripſit, plura, & certiora de Salomonis pœnitentia, vel perditione tradi poſſent. Is enim vtique pœnitentiam Regis huius non omiſerat; quam tamen Dominus, ad iuſtum terrorem mortalium, ex ſacris literis noluit eſſe plane exploratam; nunc per coniecturas eundem erit. Hoc argumentum diligentiſſime tractauit Pineda lib. 8. de rebus Salomonis: ex quo nonnulla more, iudicioque noſtro, quantum ſatis eſſe huic inſtituto putamus, delibabimus.

[d] c. 1. n. 4.

III. *Pœnitentia Salomonis an recte aſſeri poſſit.*

Qvoniam vero reliquos hoſce Salomonis annos, conuerſioni & pœnitentiæ ipſius tribuendos putamus, videndum nobis eſt an ea aſſeri poſſit; tum de tempore, & modo ipſius aliquid dicendum erit. Et quoniam in hoc coniecturali iudicio teſtibus in primis agendum eſt, eos primum ſemouendos putamus, qui neutram in partem quicquam aſſerunt, aut æque pro vtraque parte loquuntur; nihil enim illi conducunt ad controuerſiam definiendam; vt propterea perinde ſit, ac ſi ab hoc iudicio penitus abfuiſſent.

Authores in ea re ambigui.

In hoc numero ſunt, vt de recentioribus primo dicamus, Torniellus in ſuis

a an. 37 ſ. ætat. b l. 4. c. 45. c t. 1. l. 5. c. 9 d l. 2. contr. Marc. c. 23.

annalibus, [a] Feu ardentius in [b] D. Iren. [b] Barad. [c] qui fuſe pro vtraque parte argumenta diſſoluit; aitque certam Salomonis culpam eſſe, pœnitentiam autem incertam. Pamelius [d] allatis locis D. Cypriani, & Tertulliani adhuc ſub iudice litem eſſe ait. Maldonat. in hac ipſa eſt claſſe, vt infra dicemus; Ianſenius in capite trigeſimo Prouerbiorum, controuerſiam hanc tangit tantum, & pœnitentiam ipſe quoque incertam dicit. Ioannus Picus Mirandul. quæſtione ſeptima ſuæ apologiæ, cum faſciculo temporum, ait neſciri ab Eccleſia ſtatum Salomonis. Verba authoris, vbi ait de Origene, hæc ſunt. *An autem ſit ſaluatus an non; Domino cognitum relinquimus. Grandis labyrinthus diuerſis texitur de Samſone, Salomone, Traiano, & iſto Origene, an videlicet ſaluati ſint an non; quæ quia ſine periculo neſciuntur, nec etiam Eccleſia certificata eſt de his, Domino totaliter committenda ſunt.* Hæc ibi, quibus ſimillima in reuelatione B. Mechtildis habentur.
e Hebr. 11. c. 32. & 33. Verum Samſonis ſalus explorata eſt in Scriptura, [e] ſicut & Traiani damnatio, vt plerique copioſe demonſtrauerunt, cum illuſtriſſimo Baronio tomo ſecundo, anno eius 1. numero 17. & tomo octauo numero 30. fuſiſſime; quem etiam vide de Origene, tomo 2. anno Chriſti 256. & alibi:

IV. *Alii in eadem claſſe.*

IN eadem ambiguorum, & incertorum claſſe ponit Pineda, Tertullianum, Diuum Auguſtinum, Cyrillum Alexandrinum, Gregorium Niſſenum, Iſidorum, Bernardum, Chyſoſtomum, Rupertum, Hugonem à Sancto Victore, D. Antoninum, Ioſephum, Suidam, quoniam eorum verba ab alterutra parte commoda interpretatione eludi poſſunt. Quanquam de Diuo Auguſtino, Tertulliano, nonnulliſque aliis hoc mihi videor vere eſſe dicturus, eos aliquanto in Salomonem ſeueriores videri, dum eos impugnant qui prophetias, quæ primo & per ſe Chriſtum Dominum intuentur, non de Chriſto, ſed de Salomone duntaxat
f cap. 8. prolatas eſſe contendunt, vt patet ex lib. 17. de ciuit. [f] & Iuſtino in Dialogo cũ Tryphone. Ad eundem numerum Pamelium ſecutus merito aggregare potuit, & D. Cyprianum, quem tamen inter aduerſantes Salomonis ſaluti principem
g an. Salo. 38. n. 25. poſuit. D. Cyprianus ad confeſſores, epiſtola 7. quem ſupra retulimus, [g] nihil ſeuerius habet de Salomone, quam vt annumeret iis, qui aliquandiu in via Domini ambulauerunt; & datam ſibi gratiam tenere non potuerunt. *At recedẽte*, inquit, *ab eis diſciplina dominica, receſſit & gratia.* Ita ſane; at num ait in perpetuum receſſiſſe? Nonne eadem oratio quadrare poteſt in Dauidem, Manaſſem, Samſonem; & pleroſque martyres, qui ſemel ad idololatriam vſque pertracti, iterum ad certamen excitati, coronam obtinuerunt? nonne quotidianum id eſt in hac hominum infirmitate?

V. *Etiam S. Cyprianus.*

NEC altero Cypriani teſtimonio, ex lib, de vnitate Eccleſiæ, aliud continetur diuerſum à præcedente. *Poſtquam dereliquit*, ait, *Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ſicut ſcriptum eſt. Et excitauit Dominus Satanam ipſi Salomoni.* Con-
h 3. Reg. 11. ſtat ex Scriptura, [h] quos ſuſcitauerit Dominus aduerſarios Salomoni, & num animæ eius hoſtes fuerint, an temporariæ pacis perturbatores, ſed pergit; *& ideo ſcriptum eſt, tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam; quod vtique Dominus, non minaretur, niſi quia recedente iuſtitia, recedat neceſſe eſt & corona, cum ſcriptum ſit, qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Hinc infert Pineda ex ſententia diui Cypriani Salomonem amiſiſſe coronam iuſtitiæ, quæ non datur, niſi poſt mortem. Verum quamuis dici poſſit hæc poſtrema verba nihil ad Salomonem pertinere, ſed eſſe nudam exhortationem ſancti martyris ad illos confeſſores, ex verbis Apoſtoli, & Chriſti mutuatam: tamen vt concedamus etiam in
i 1. p. q. 23. a. 6 ad. 1. illis cauſam Salomonis agi, reſpondebit diuus Thomas [i] coronam hanc eſſe alicuius, non tantum ex prædeſtinatione diuina, ſed ex merito gratiæ. *Quod enim meremur*, inquit, *quodammodo noſtrum eſt; & ſic ſuam coronam aliquis amittere poteſt, per peccatum mortale ſequens.* Sed poteſt etiam recuperare per pœnitentiam. Et de hac corona locutum credimus D. Cyprianum.

VI. *Qui Salomonem periiſſe putẽt. Theodoret.*

k l. 2. Moral. c. 2. NIGRVM calculũ in Salomonẽ ferunt, 1° D. Greg. Nã [k] ex circunſtãtia nocturni tẽporis, æternę dãnationis mortẽ in Iuda, diuite auaro, Salomone, Sodomitis aperte colligit. Theodor. quoque licet aliquibus in locis dicat contra Salomonẽ, quæ non multũ vrgent, ſupra id tamen ad Rom. 11. *ſine pœnitentia ſunt dona Dei*, eum Sauli, & incredulis Iudæis aggregat; qui propter ingratitudinẽ ſuã gratia diuina

priuati ſunt, & quidem finaliter, ſicut alii quibus aggregatur. Clarius Proſper Aquit. [a] *Salomon*, inquit, *elatus in ſenio, fornicatus mente, & corpore, Domino ipſum deſerente male obiit.* Quam ſententiam, atque adeo ipſa verba tranſtulit Ado in Chronicum ſuum, in 4. ætate. Eucherius, Beda, Angelomus, Rabanus, vno ore in Salomonis impœnitentiam propendent, quod idolorum fana excitata non euerterit, quæ multis poſt annis à religioſiſſimo Rege Ioſia deſtructa ſunt: quos ſequitur Abulenſis [b] qui ita fatetur vtramque in partem diſputari poſſe, cum pro neutra parte ſententia lata ſit ab Eccleſia, vt tamen dicat certiſſime aſſeri poſſe Salomonem non pœnituiſſe. Idem exiſtimat Pererius, [c] & quidem non obiter, ſed quaſi ex profeſſo argumentum hoc tractans. Idem & Bellarm. [d] lib. 1. de verbo Dei, cap. 5. vbi de libris eius canonicis.

Proſper. Ado. Eucherius. Angelomus Rabanus. Abulenſis. Pererius. Bellarmin.

a l. 2. de prædict. c. 27. b 2. Reg. 7. q. 13. c diſp. 17 in c. 8. epiſt. ad Rom. d l. 1. de verbo Dei, c. 5.

VII. *An & Maldonat.*

PINEDA ad hanc claſſem refert aliquot alios, [e] in quibus, & Maldon. in c. 1. Matth. [f] qui ait Salomonem multo peiora feciſſe, quam aliquot Reges Iuda, vt qui idololatriam non ſolum vt illi non deleuerit, ſed primus inuexerit. Et ſubdit. *Quod autem iſti cum domo Achab coniugia copulauerint, male fecerint, peius tamen feciſſe Salomonem fatendum eſt, qui non ex familia Achabi; qui etſi malus, tamen eiuſdem erat populi, & peccati pœnitentiam egit:* [g] *Sed ex alienigenis idololatris, non vnam vt iſti, ſed multas vxores duxerit, quarum eſt impietatem imitatus.* Vbi innuit Maldonat. Salomonem non egiſſe pœnitentiam. Sed id nimis obſcurum eſt, & præter intentionem authoris, vt arbitror, qui nolebat ſuum proferre de Salomone iudicium, ſed infirmare rationem minus idoneam, cur Euangeliſta Matthæus tres Reges in Chriſti genealogia prætermiſerit. Itaque eum in dubiis potius, quam in aduerſariis Salomonis, quod ad hunc quidem locum attinet, ponimus.

e l. 8. c. 1. ſect. 10. 3. in ſi. f num. 8. g 3. Reg. 21. 29.

VIII. *Quæ pro cõdemnatione faciant.*

NITITVR autem hæc ſententia his maxime rationibus, prima, quod ſoleat Scriptura, poſt recenſita alicuius peccata, etiam pœnitentiam ſubiungere, ſi ſuorum illum peccatorum pœnituit. At id nuſquam à Scriptura in cauſa Salomonis factum, cum tamen id maxime exigeret & perſonæ ratio, & magnitudo peccatorum; & gloria Dei, quæ in magnis peccatoribus conuertendis elucet. Secunda, Quod qui prauii ſunt aliis ad peccatum, magnum præſertim, & ruinæ plurimorum cauſa ſunt, miſere perire ſolent; Deo ſcelus eorum inexpiatum in hac vita relinquente, vt de omnibus hæreſiarchis facile conſtat, & de Ieroboamo, qui peccare fecit Iſraël; quidni id dicatur de Salomone, qui peccare fecit Iudam, & excitauit templa, & aras, & ſtatuas, & lucos idolis; & oppoſuit templo Dei, cum ſumma illius iniuria. Vnde oritur tertium argumentum.

IX. *Idola non ſuſtulit.*

NAM quos vere peccati pœnitet, quantum in ſe eſt peccandi occaſionem, quam aliis dederunt auferunt. At Salomon idola, & fana eorum à ſe erecta non abſtulit, quod facile potuit, nondum corroborata idololatria, & ſumma pollens authoritate apud ſuos; quare ſicut toto vitæ illius tempore idola perſtiterunt, imo ad ipſa Ioſiæ tempora, vt ex quarto Reg. [h] aperte conſtat, ita & ipſe in peccato ſuo perſtitiſſe ac deceſſiſſe cenſendus eſt. Quarta ratio, Prædixit Deus per Dauidem Salomoni fore, vt ſi derelinqueret Dominum, ab eo proiiceretur *in æternum*. Septuaginta, *in finem*, primo Paralipom. [i] Itaque illa altera promiſſio, quæ huic repugnare videtur. [k] *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea.* Videtur de ſucceſſione regia, qua priuatus eſt Saul, accipienda; quam Dominus miſericorditer Salomoni tribuit in gratiam Dauidis. Ipſius autem perſona in æternum proiecta à facie Domini.

h cap. 23. i c. 28. 9. k 2. Reg. 7. 15.

X. *Patroni ſalutis Salomonis.*

ANTEQVAM videamus quid his reſponderi poſſit. Quinam pro Salomone ſtent, quidue pro ipſo afferant conſideremus. Primus patronorum eſt ſanctus Hieronymus, qui ipſos Septuaginta teſtes, omni exceptione maiores ſecum in iudicium adducit, [l] qui conferens templum Salomonis, & Ezechielis, *Non ſolum*, inquit, *cultores eius, & aditui, ſed & ipſe fabricator eius Salomon peccauerit, & offenderit Deum, licet poſtea egerit pœnitentiam, ſcribens Prouerbia, in quibus ait, nouiſſimè ego egi pœnitentiam, & reſpexi vt eligerem diſciplinam*, &c. Quæ verba Diuus Hieronymus ex Septuaginta tranſtulit, quæ etiam nunc leguntur in editione Sixti. [m] Rurſus cap. primo in Eccleſiaſ. in ea verba, *Ego Eccleſiaſtes fui Rex.*

Septuag. cũ Hieronym.

l 14. Ezech. in medio. m Prou. 24. 30.

PATRONI SALVTIS SALOMONIS.

Libenter vſurpat Hebræorum ſententiam aſſerentium librum Eccleſiaſtæ Salomonis eſſe pœnitentiam agentis, quod in ſapientia, diuitiiſque confiſus, per mulieres offenderit Deum. Hebræorum autem traditio habetur in Chronologia eorum maiore capite decimo quinto. *Interea*, inquit, *ſub ſenium Salomon prope mortem Spiritum ſanctum habuit inhabitantem, & dictauit Prouerbia, Canticum canticorum, & Eccleſiaſtem* Hæc ibi.

XI. Ex eodem.

RVRSVM Hieronymus.[a] *Si Paulus timet, quis noſtrum poteſt eſſe ſecurus? Si Dauid amicus* DOMINI, *& Salomon amabilis eius, victi ſunt quaſi homines, vt & ruinæ nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad ſalutem exempla præberent, quis in lubrica via lapſum non metuat?* Sic Hieronymus; vbi aperte Salomonem Dauidi aggregat, eique tam in ruina, quam in pœnitentia ſupparem facit. Libro ſecundo etiam in Iouinianum, excellentium virorum texit catalogum, qui & peccauerunt, & reſipuerunt. In quibus Dauidem primum recenſet, tum Salomonem, Manaſſem, Ioſiam, Ioſedech, Moyſem denique, & Aaronem. In ſecundum item Eccleſiaſt. in ea verba, *Magnificaui opera mea*, Paraphraſi vtens in perſona Salomonis, inter alia ſic habet. *In quamcumque voluptatem me cupido traxiſſet, infrenis ferebar, & præceps, putabamque hunc eſſe fructum laborum meorum, ſi ipſe in libidine, luxuriaque conſumerer. Tandem in me reuerſus, & quaſi de graui ſomno euigilans, aſpexi ad manus meas, & opera mea plena vanitate, plena ſordibus, plena ſpiritus erroris intuitus ſum*, &c. fuſius. Quid eſt reſipiſcere, & pœnitentiam agere, ſi hoc non eſt?

[a] t.1. epiſt 9 quæ eſt de viduitate ſeruanda.

XII. Alter eiuſdem patronus Ambroſius.

ALTER Salomonis patronus eſt diuus Ambroſius, qui variis in locis Salomonem ſemel, iterum, tertio ſanctum, & iuſtum vocat, quod nimirum poſt peccatum reſipuerit, nec opinor, inuenietur ex patribus, qui Sanctum vocet aliquem, quem male vitam finiiſſe crediderit; habita ſcilicet ratione temporis quo iuſtus fuit; niſi forte quis Saulem, & Iudam Iſcariotem ſanctos vocare audeat: Nã inquit Hieron. *Iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit.* De multis ſufficiat vnus Ambr. locus[b] vbi Samſonis Dauidis, & Salomonis lapſus refert, & pœnitentiam prædicat, & iuſtos vocat. *Miſerere mei*, inquit Dauid, *quoniam infirmus ſum, ſi* DAVID *infirmus, tu fortis es? Si Salomon lapſus eſt, tu immobilis es. Si Paulus primus peccatorum, tu potes primus eſſe Sanctorum? Ergo ſi errauerunt iuſti errauerunt tanquam homines, ſed peccatum ſuum tanquam iuſti agnouerunt. Si iuſti pœnæ atrocioris exceperunt ſententiam, tu quemadmodum tibi ſpem impunitatis proponis*, &c.

ep. ad Ruſt

[b] 2. Apol. Dauid. c.5.

XIII. S. Iſidorus.

DIVVS Iſidorus Sanctum non vocat, in catalogo tamen Sanctorum enumerat,[c] quem ſecutus eſt Petrus à Natalibus Epiſcopus. Diuus Hilarius in pſalmum 126. Sanctum Salomonem vocat. *Volunt plures*, inquit, *Sanctum Salomonem ædificationi ciuitatis & templi quod condiderat prophetaſſe*. Et in Pſalmum 52. *Ne per Aaron*, inquit, *&* DAVID *& Salomonem, ac plerosque alios iſtius bonitatis* DEI *exempla percurram, quibus increpitis, & mutationum offenſis ob fidei tamen meritum affuit venia procliuis.* Addit & de Moyſe, & Petro, quorum etiam pœnitentia flexus Dominus, eos in priſtinam gratiam recepit, & honore affecit.

S. Hilarius

[c] l. de vita, & morte Sanctorum c.34.

S. Epiphan.

Sanctus Epiphanius, Hæreſi quadrageſima ſecunda ſub initium, contendit æque errare Marcionem, qui dicebat Chriſtum deſcendiſſe ad inferos vt ſaluaret Cain, & Chore, & Dathan, & Abiron, & Eſaü, & omnes gentes, quæ non nouerunt Deum Iudæorum. Abel autem, & Enoch, & Noë, & Abraham, & Iſaac, & Iacob, Moyſem item, Dauidque ac Salomonem illic relinquiſſe, &c. Contendit inquam Marcionem æque errare eripiendo ex inferis Cain, Core, Dathan, & Abiron, quam ibi deſerendo Abelem, Dauidem, Salomonem. At certum eſſe Chore cum ſociis eſſe in inferis, ergo & Dauidem cum Salomone & cęteris eſſe inde liberatos. Diuus Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 2. *Vides quod pulchrum eſt confiteri? Cernis quod pœnitentibus datur ſalus. Et Salomon ceciderat. Sed quid, inquit, poſtea ego pœnitentiam egi* Eodem teſtimonio Septuaginta interpretum vtitur, quo poſtea Hieronymus ad probandum Salomonis pœnitentiam. Ex quo intelligi poteſt Sanctos illos Eccleſiæ patres, qui verſionem Septuaginta virorum pro Scriptura habebant, eam ſententiam pro Scripturæ ſententia accepiſſe.

S. Cyrillus.

Diuus Irenęus[d] Dauidem, & Salomonem inter eos ponit, qui poſt peccatum

[d] l.4. ca.45.

congruam à Deo acceperunt correptionem, & cum carnis concupiſcentiæ ſeruiuiſſent, affecti ſunt ignominia. *Et illis*, inquit, *curatio, & remiſſio peccatorum mors Domini fuit.*

XIV. *Bachiarius.* AFFERT etiam Pineda teſtimonium Bachiarii, & Tichonii, qui fuerunt Diuo Auguſtino ætate ſuppares, quorum opuſcula habentur in bibliotheca Patrum, qui non ſolum pro Salomonis pœnitentia teſtimonium proferunt, ſed oppoſitas etiam obiectiones refellunt. Quorum non pigebit verba deſcribere. Bachiarius igitur epiſtola ad Ianuarium de recipiendis lapſis ſic habet; quamuis hæc ipſa verba integre legantur apud Bedam in fine tomi ſeptimi. *Salomon ille mirabilis, qui meruit, aſſiſtrici Dei, hoc eſt ſapientiæ copulari, in alienigenarum mulierum incurrit amplexus, & vinculo libidinis illaqueatus etiam ſacrilegij errore ſe polluit, quia ſimulachrum Chamos Moabitico idolo fabricauit. Sed qui per Prophetam culpam erroris agnouit nunquid miſericordiæ cœleſtis extorris eſt? Ac forſitan dicas, nuſquam eum in canone lego pœnituiſſe, neque miſericordiam conſecutum. Audi ergo frater pœnitentiam eius, quæ non inſcribitur publicis legibus, fortaſſe ideo acceptabilior iudicatur; qui non ad faciem populi, ſed in ſecreto conſcientiæ, Deo teſte pœnituit. Veniam autem ex hoc conſecutum eſſe agnoſcimus, quia cum ſolutus fuiſſet à corpore, ſepulcum illum inter Regum Iſraelitarum corpora Scriptura commemorat; quod tamen alibi peccatoribus Regibus abnegatum eſſe cognoſcimus, qui vſque in finem vitæ ſuæ in propoſiti peruerſitate manſerunt. Et ideo quia inter Reges iuſtos meruit ſepeliri, non fuit alienus à venia, veniam autem ipſam non potuit promereri ſine pœnitentia.* Hactenus integrum Bachiarii teſtimonium.

XV. *Tichonius.* REDDAM & Tichonii ex eiuſdem biblioth. tomo 6. ex libello de ſeptem regulis, in regula enim 3. quæ eſt de promiſſis & lege, ſic diſputat: *Quid dicimus de Salomone? Cum Deo eſt, an poſt idololatriam reprobatus eſt? Si cum Deo dixerimus impunitatem ſpondebimus idolorum cultoribus. Non enim dicit Scriptura pœnitentiam egiſſe Salomonem, aut recepiſſe ſapientiam*, amiſerat quippe in idololatria, *ſi autem reprobatum dixerimus, occurrit vox Dei quæ dicit, nec terræ quidem regnum auferre Salamoni propter Dauid; ſicut ſcriptum eſt, in libro Regum.* & paulo poſt. *Quid enim prodeſt* Dauid *ſi propter eum filius eius regnum terræ conſequeretur, cœleſte perditurus? Quo manifeſtum eſt cum Deo eſſe Salomonem, cui regnum quidem terræ ablatum non eſt propter Dauid*, id eſt, ne regnum quidem terrenum, nedum cœleſte. Quod Dauid multo magis deſiderauit filio ſuo.

XVI. S.*Gregor.* Thaumar*turgus.* ACCEDAT Gregorius ille Thaumaturgus, qui in ſua metaphraſi in Eccleſiaſten, quæ habetur tomo 1. Bibliothecæ patrum. In perſona Salomonis, ſicut & diuus Hieronymus, loquens cap.2. inter alia ſic ait: *Nam cum omnibus oculorum illecebris, & impotentibus, petulantibuſque cordis deſideriis vndique incurſantibus, totas habenas permiſiſſem, ac voluptatum ſpei me ipſum dediſſem, miſeris omnibus deliciis animi voluntatem adſtrinxi: Meæ namque cogitationes eo infelicitatis prolapſæ ſunt, vt hæc honeſta, & egregia, digna que quæ facerem arbitrarer. Tandem vero expergefactus, atque oculis reſtitutus, ea quæ in manibus habebam flagitioſa ſimul, acerbitatiſque plena eſſe perſpexi, ſpirituſque non boni opificia. Neque enim vllum hominum ſtudium, vitæque inſtitutum comprobandum mihi nunc videtur, nec recto iudicio expetendum.* Sic Gregorius reddit illud. *tædiut me vitæ meæ*; ſed pergit. *Proinde collectis & ſapientiæ bonis, & ſtultitiæ malis, magna eum virum admiratione perſecutus fuerim, qui cum præceps ferretur temereque vagaretur, poſtea mente recepta ad virtutem, officiumque rediit* Et paulo infra, *Quare vitam omnem meam execrari cœpi, quam in rebus vanis traduxeram, atque conſumpſeram. &c.*

XVII *Aliique plurimi.* S.*Thomas.* S.*Bonaduentura* *Vincentius.* CONSENTIT nimirum Neocæſarienſis Gregor. communiſſimæ illi traditioni Hebræorum de Eccleſiaſte à Salomone pœnitente conſcripto, quam D. quoque Hieronymus, vt diximus, amplexus eſt in eiuſdem lib. comment. eique ſubſcribit D. Thomas, [a] D. Bonaduentura in proœmio Eccleſiaſ. Vincentius in ſpeculo hiſtor. [b] Albinus in gloſſ. ord. init. eiuſdem libri: & repetitur in fine eiuſdē. Aſſentitur etiam Dionyſius, Hugo Carenſis &c. Salutem denique Salomonis plerique ex recentibus tuentur, Genebr. in Chronologia, Delrio fuſe, & ex profeſſo, in præfat. in cantica. Franciſcus Georgius tomo quinto problem. ſectione 1. numero 10. tangit Comeſtor, [c] Ioannes Arboreus in Theoſophia, [d] & alii, quos citat Pineda, [e] & ſequitur, re omnium ſtudioſiſſime, & diligentiſſime examinata; quibus adde Serarium in opuſculo de pœnitentia Salomonis n.12.

a l.1. de regim. pri. c.8
b c. 87.
c l.2. reg. c. 10.
d l.7. c.10.
e l 8. c.1. n. 44.

QVÆ PRO SALVTE SALOMONIS FACIANT.

XVIII. *Rationes pro ſalute Salomonis.*

NITITVR hæc poſterior ſententia his maxime rationibus. Prima,verſio Septuaginta interpretum magnæ authoritatis eſt,ſemperque fuit in Eccleſia Dei;eo quod diuino ſpiritu afflati in hoc opere ab omnibus ſanctis Patribus dicantur. At in ea Salomon ſe pœnitentiam egiſſe profitetur. [a] Nam cum de ſe ſub figura agri,& vineæ hominis pigri egiſſet,qui eam permittit ſylueſcere; & ſpinis, atque vrticis repleri,& maceriam eius diſſipari,ſubdit, *Nouiſſime ego egi pœnitentiam, reſpexi vt eligerem diſciplinam.* Nimirum exuberantia voluptatum in quas profuſus fuit abundantia diuitiarum,& ſtudium coaceruandi auri,& argenti,quibus quaſi ſpinis ſemen ſapientiæ patris familias ſuffocatur,denique apoſtaſia à fide per idololatriam,à patris pietate,à Nathani diſciplina,à peculiari diuinæ prouidentiæ cuſtodia,(ſic enim diſſipatam maceriam interpretatur Gregorius, [b] vbi hunc ipſum locum explicat) hæc ,inquam , omnia Salomonis animum ſimillimum tali agro,& vineæ reddiderunt:donec euigilans, & quaſi de profundo ſomno aperiẽs oculos,vt aiunt Gregorius,& Hieronymus, *egit pœnitentiam, & reſpexit vt eligeret diſciplinam.* Nec fas eſt credere Salomonem ibi reprehendere negligentem patrem familias,& eius perſonam ſuſtinere,& non ſuam, qui in eadem erat naui , imo eodem,& periculoſiore voluebatur in ſalo. Et quis non oderit ſapientem , qui ſibi non ſit ſapiens:Quis ſuis agris ſitientibus,contemptis ſuis irriget alienos?

a Prouerb 24.32.

b lib 27. mor.c.20.

XIX. *Confirmatur eius pœnitentia.*

DENIQVE vt ſupra dixi,ſancti Cyrillus Hieroſolym. Hieronymus , & Iſidorus, vt refert Abulẽſis,aut certe Beda,apud quem id legitur in fine tomi ſeptimi, eum locum de pœnitentia Salomonis accipiunt, & deinceps multi recentiores pietate,& eruditione præſtantes,Serrarius in opuſculo de pœnitentia Salomonis nu.12. Pineda, [c] & Delrio in præfatione in Cantica , [d] vbi illa quoque verba Prouerb.30. *Stultiſſimus ſum virorum,& ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam,& non noui ſcientiam Sanctorum,* verba Salomonis pœnitentis eſſe contẽdit, cum Hieronymo , & aliis Hebræis apud Lyranum in eum locum. Et recte meo quidem iudicio, cum Septuaginta ea tranſtulerint in caput 24. Prouerbiorum, vbi eius pœnitentia memoratur; nec obſtat quod ea verba dicuntur , ibi eſſe viri *cum quo eſt Deus,* & qui Deo ſecum morante confortatur , quæ non videntur peccatori Salomoni conuenire; Deus enim eſt cum vere pœnitente , nec quiſquam poteſt,niſi cum diuina gratia vere pœnitere,quæ cum illo habitat, & eum roborat,& veram ſui cognitionem præbet, vt ſe ſtultiſſimum virorum agnoſcat : nemo quippe mortalium vnquam à tanta ſapientia ad tantam inſaniam deuolutus eſt;pergit. *Sapientia hominum non eſt mecum* ; & recte , nam qui ſe libidini ita dedunt, qui diuinitatem in ligno & lapide agnoſcunt,ij beſtiæ ſunt, & caudices,non homines,nedum ſapientes. *Non didici ſapientiam, & non noui ſcientiam Sanctorum.* Quia nimirum mature diuina ſapientia , & ſcientia , quam Deus dat Sanctis ſuis præuentus,& imbutus eſt, vt experientia non eſſet ei neceſſaria. Nunc autem gemit ſe vtraque priuatum,niſi Deus miſereatur;nec ſecundum peccata illius faciat ei. Vide etiam Baradium circa hunc locum. [e]

c l.8.c.1.n. 45.
d ſect.3.

e to.1.l.5.c. 9.med.

XX. *Ei ſalus ex diuinis promiſſionibus.*

ALTERVM fundamentum quo nititur Salomonis ſalus,ſunt diuinæ promiſſiones ipſi factæ. Illa nominatim,quæ vltro à Deo parenti eius Dauidi facta eſt. [f] *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* id eſt , Iam nunc eum mihi deſtino in filium, quem amem vt filium,cui prouideam vt filio,cuius caſtigem peccata, non vt hoſtis,ſed filii,quem pater ex amore corripit. Vnde ſequitur , *qui ſi inique aliquid geſſerit arguam eum in virga virorum,*id eſt,temporalibus pœnis, quales ſolent homines inferre,qui occidere poſſunt corpus, *poſtea autem non habent quid faciant* , vt qui animam non poſſunt mittere in gehennam,non autem *plaga inimici, & caſtigatione crudeli,* [g] qualem expertus eſt Saul,quem communiſſima ſententia periiſſe putat,vt alibi diximus. [h] Quod autem ſancti Patres hanc promiſſionem de Chriſto Domino fere interpretantur, non impedit quominus de Salomone quoque ad literam accipiatur. Præſertim cum aliqua ipſi ſoli,& maxime conueniant,vt, *ſi aliquid iniquè egerit,* &c, *ipſe ædificabit mihi domum,* &c.

f 2. Reg 7. 14.

g vt dicitur Ierem 30. 14.
h an.mund. 2979 n.127. & ſeqq.ad 135.

XXI. *Et circumſtantiis mortis eius.*

TERTIA probatio petitur ex circunſtantiis mortis eius. Nam primo,vt notauit Bachiarius , cum in ſepulchro Regum Iſraëlitarum ſepultus ſit , quod Deus non permiſit impiis regibus contingere, voluit etiam innuere Salomonem conſortio illorum frui in cœlis,quorum corporibus iunctus eſſet in terris. Deinde il-

la phraſis, *Dormiuitque Salomon cum patribus ſuis*, quæ eſt in libro Regum, & in lib. Paralip. repetitur, piorum dormitionem ſignificat, præuiam reſurrectionis iuſtorum, *intelligi enim datur*, ait Ambroſius, [a] *quod patrum ſimilis fuerit fide; vnde claret non ad ſepulturam corporis, ſed ad conſortium vitæ relatum.* De Dauide loquitur, & mox ſimilia de Iſaac. 1. Tertio quia, vt rectè notat Pineda [b] dicitur Roboam cum populo Iuda ambulauiſſe in viis Dauid, & Salomonis, annis tantum tribus; viæ igitur Salomonis, perinde ac Dauidis probantur; quod dici non poſſet, ſi poſtremos annos totos in nequitia, & idololatria poſuiſſet, in eaque deceſſiſſet. Poſſet forte dici ambulaſſe in viis Dauid, & Salomonis, quia à principio bene egit, vt Dauid, in fine male vt Salomon, ſed hoc non ſapit ſimplicitatem ſtyli ſacri; & cum viæ Dauidis aliquando fuerint malæ, Salomonis autem aliquando bonæ, tota comparatio ambigua eſſet, & æque in vtramque partem trahi poſſet; ſed reſpexit Scriptura finem vtriuſque bonum, cui Roboami initia reſpondebant.

a l. 1. de Abel. c. 2.

1 ex. b 2. Paral. 11. 17.

Via Salomonis in exemplum poſitæ.

XXII. *Obiectio de viis Manaſſe.*

AT inquiunt, Ammon impius dicitur ambulaſſe in viis Manaſſe, qui tamen pœnitentiam egit; quia ſcilicet priores eius vias ſecutus eſt, non poſteriores; Ita & Roboam priores vias Salomonis imitatus intelligitur. Reſponderi poteſt Manaſſem notiorem fuiſſe improbitate ſua, quam pœnitẽtia; ſiue quia improba eius vita diuturnior, vt quibuſdam placet, ſiue potius quia emendatio eius, & pœnitentia nihil admodum illuſtre foris habuit, malitia vero omnem modum, & mediocritatem exceſſit; ſiue quia pœnitentia eius nihil admodum vtilitatis reipubl. attuliſſe videbatur; at culpæ eius, in totius regni interitum redundaturæ erant. Dicitur ergo Ammon in viis Manaſſes ambulaſſe, quia viæ illæ ratione reatus pœnæ, coram vltrice Dei iuſtitia remanere cenſebantur. Adde quod ambiguum illum locum de viis prioribus aut poſterioribus Manaſſes declarauit Scriptura [c] dicens, *Et non eſt reueritus faciem Domini, ſicut reueritus eſt Manaſſes pater eius.* Denique nunquam Scriptura mentionem facit viarum Regis alicuius in laudem, niſi eas ille laudabili fine concluſerit. Vnde quia Aſa à principio ſancte vixit, deinde vero à rectitudine virtutis defecit, [d] non dicitur Ioſaphat ambulaſſe in viis eius: ſed in viis Dauid patris ſui. [e] Bona igitur initia Roboami, ambulantis in viis Dauid, & Salomonis, bonum etiam exitum Salomonis, & idololatriam ab eo, ſi non plane exterminatam, abiectam certe, & condemnatam aperte declarant.

c 2. Paral. 33. 23.

d 2. Paral. 16. 10.

e 2. Paral. 17. 4.

XXIII. *Alia probatio quod ſit in ſacris ſcriptoribus.*

ADDAMVS quartam probationem, ne paucioribus rationibus Salomonis ſalus, quam impœnitentia fulciatur. Ea eſt D. Bonauenturæ. Sine exemplo eſſe, vt Scripturæ ſanctæ author aliquis particularis perierit, non dico peccarit, & quidem grauiter: ſed malo fine vitam concluſerit. Idque ſatisfacere poteſt reſponſioni D Auguſtini in Pſal. 126. vbi ait diuina prouidentia factum eſſe, vt ſancti libri ab homine peccatore ſcriberentur, vt quidquid boni per Salomonem dictum eſſet, Deo tribueretur; peccatum vero hominis, homini. Ad hanc enim prouidẽtiam peccatum permiſſum ſufficit, nec eſt neceſſaria impœnitentia. Itaque ad Salomonem quoque pertinet 2. Petr. [f] *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines.* Addamus & quintam ex plumbæis libris Granatenſibus Arabicè ſcriptis, in quibus pœnitentia Salomonis apud Pinedam [g] apertiſſime habetur, in hæc verba. *Et fleuit ſcelus ſuum fletu vehementi, & condonatum eſt illi, & obiit fidelis & ſecurus.* De quorum autoritate & fide, ibidem pluribus Pineda noſter.

f c. 1. 21.

g l. 8. c. 1. n. 73.

XXIV. *Aliæ coniectura.*

ADDE quaſi auctarium quod pro eo toties, tam ſerio, ac religioſe orauit Dauid, quem pro amore in Deum ſuo, exauditum fuiſſe, in re omnium maxima, credere par eſt: quod tota ferme vita ſua, & actionibus, Salomon Chriſti Domini perquam illuſtris, atque expreſſa figura fuerit, vt in eius morte docebimus. Et agnoſcunt omnes patres; quod ipſemet Dominus per Prophetam Nathan nomen ei impoſuerit, [h] Amabilis Domini, qui amor de electione ad beatitudinem merito intelligitur vt eximio priuilegio eo nomine indicato. Dei enim amor, ſecundum præſentem iuſtitiam, vulgare quiddam eſt. Denique [i] pleraque ſunt quæ Pineda, & alij in perſona Salomonis dicta exiſtimant, vt illa v. 18. *Cum adhuc iunior eſſem, priuſquam oberrarem, quæſiui ſapientiam*, &c. Quidni etiam illud ei tribuamus. *Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo.* Et iterum. *Manus meas extendi in altum, & inſipientiam eius* (animæ meæ) *luxi. Animam meam direxi ad illam, & in agnitione*, mei ipſius ſcilicet, vel vt eſt in Græco, in purificationem, *inueni eam.*

h 2. Reg. 12. 25.

i c. 51. Eccli.

Poſſedit eum ipſa cor ſicut *ab initio, propter hoc non derelinquar.* Vt impleatur in Salomone etiam illa Moyſis benedictio, [a] *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.*

a Deuter. 33. 25.

XXV. *Concluditur Salomonis ſalus.*

HIS ergo pro vtraque parte diſputatis, puto nemini obſcurum eſſe cui parti victoria prudenter aſſignari poſſit; ei ſcilicet quæ mitior eſt, quæ diuinæ miſericordiæ eſt congruentior; cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, præſertim cum grauiſſimi quique, qui Salomonem damnare ferebantur, rem in dubio relinquant; qui reliqui ſunt; pauci ſint, nec contra ſentientibus, aut numero, aut merito præferendi; præſertim cum eorum rationes non ęgrè diſſolui poſſint. Primum quidem, quoniam ab authoritate negante petitum eſſe, quantumcumque aliunde fulciatur, negari non poteſt: tum etiam quoniam authoritas Septuaginta inſtar ſcripturæ eſt; tum præterea quia aliquorum pœnitentia dubia non eſt, licet non fuerit tradita à Scriptura. Vt Adami, vt Samſonis, & Lothi, Bethſabææ, & aliorum. Denique eo argumento id tantum efficitur, Salomonis pœnitentiam per Scripturam certo, & euidenter probari non poſſe, ex quo non efficitur im pœnitentem obiiſſe, quod probandum fuit.

Satisfit obiectis.

XXVI. *Quam diſtet ab hereſiarchis Salomon.*

AD ſecundam reſpondeo non eſſe parem rationem hæreſiarcharum, & id genus peſtium, qui ſponte ſua *ſectas introducunt perditionis, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum,* 2 vt aiunt Petrus, & Iudas Apoſtoli; & Salomonis noſtri, quem D. Auguſtinus ipſe ſcribit coactum idolis ſacrificaſſe. Nam lib. 14. de Ciuit. cap. 11. *Nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe idolis eſſe ſacrificandum, ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum.* Et in præfat. in Pſal. 126. *Vſque adeo,* inquit, *laqueus illi fuit illa cupiditas, vt à mulieribus etiam idolis ſacrificare cogeretur,* vt per imprudentiam, & aliud agens & prope inuitus aliis peccandi. occaſionem dederit. At illi *ſubdoli operarij iniquitatis*, ſponte peruerſa ſentiunt & loquuntur, *vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Nec ſimilis eſt cauſa Ieroboami, *qui peccare fecit Iſrael,* qui certo conſilio introduxit idololatriam in regnum ſuum; Salomon autem ex accidente vt diximus.

2 ep.

XXVII. *Quibus aggregandus Salomon.*

MAGNIS potius illis viris aggregandus eſt Salomon, qui in grauiſſima peccata lapſi, Deo miſerante reſipuerunt, Dauidi ſcilicet: vel Moſi, & Aaroni, aut Heli, aut Manaſſi etiam ſi placet. Conferatur alioqui optimo Imperatori Magno Theodoſio, qui ſeptem millia hominum illegitimo ſupplicio trucidari iuſſit: Mauricio, nimium in captiuorum redemptione tenaci: Eudociæ Theodoſij iunioris coniugi, quæ in hæreſim Eutychianorum lapſa eſt. Liberio Papæ cum Arianis communicanti, & in Athanaſij damnationem, licet inuito ſubſcribenti (vt ſcribit Athanaſius ipſe ad ſolitar. & ipſemet Liberius in epiſtola ſua, apud Baronium) [b] Cyrillo Alexandrino ſeditioſum monachum occiſum pro martyre veneranti. D. Cypriano rebaptizanti. Oſio Cordubenſi Epiſcopo, Vincentio Capuano, Athanaſium ſua ſubſcriptione proſcribentibus.

b an. Chriſti 357.

XXVIII. *An, & quare idolorum fana non diruerit.*

AD tertiam reſpondet Baradius, Salomonem vel poſt pœnitentiam prophana illa templa diruiſſe, vel iuſtam aliquam habuiſſe cauſam cur nō diruerit. Nam ſi ea vſque ad Ioſiam ſteterunt, ab Ezechia Rege euerſa non ſunt; qui tamen omnia idolorum fana dicitur euertiſſe; quæ cauſa pro Ezechia reddetur, pro Salomone valebit. Præterea Manaſſes veram egit pœnitentiam, & tamen dicitur Ioſias altaria, quæ ipſe extruxerat in duobus atriis templi, euertiſſe: ſi Ioſias deſtruxit, ergo Manaſſes verus pœnitens, ea iuſta de cauſa non deſtruxit. Idem de Salomone dicemus, non deſtruxiſſe templa, quia mutauit in alios vſus, vel quia clauſit; ſic ipſe. Placet tamen magis alia eius reſponſio. Salomonem quidem euertiſſe templa illa, ſed poſt Ezechiam rurſum fuiſſe ædificata, in iiſdem veſtigiis, atque fundamentis. Propterea itaque dici Salomonis, quia eodem in monte excelſa illa poſita erant, in quo Salomon quondam fana idolis vxorum ſuarum fabricatus fuerat. Conſentit huic reſponſioni Pineda. [c] Sed aliam etiam adde valde probabilem, [d] cum ab vxoribus, & à principibus, & à populo ipſo ad idola ſuapte natura prono, impeditum eſſe ab excelſis, & delubris euertendis, neque tam difficile fuiſſe populum ſuo exemplo ad idola colendo impellere, quam reſipiſcendo ab eadem inſania proprio exemplo reuocare; proniores quippe ſumus in malum, quam in bonum, præſertim cum iam delirare præ ſenio putaretur, & haberi contemptui præ mulierum inſano amore cœpiſſet. Sed hac de re iterum aliquanto poſt.

c l 8 c. 1. n. 69 & 70.
d n 68.

XXIX. *Interpretatio prædictionum.* IAM quod poſtremo loco dicebatur non difficilem habet reſponſionem; dicimus enim ea verba non prædictionem, ſed comminationem continere, parentis filium mature præmonentis de futuro periculo, & perterrefacientis adoleſcentem magnitudine mali propoſita, atque exaggerata. Promiſſa autem per Nathan miſericordia, tam de regia ſucceſſione, quam de æterna felicitate intelligitur, ex oppoſita comparatione cum Saule, quem communiſſima ſententia, vt ante dixi, [a] perſuaſum habet vtraque fuiſſe priuatum. [a] n. 20.

XXX *Pœnitentiæ tempus.* QVOD ad tempus huius pœnitentiæ attinet, Pineda in chronologia Salomonis, eam hoc anno regni trigeſimo nono inchoatam ponit, & ſequenti cum vita terminatam, cui libens ſubſcribo. Sufficiunt enim hi duo anni ſcribendis tribus libellis, quos ex ante dictis ponimus à pœnitente fuiſſe conſcriptos; idque ex chronico Hebræorum confirmatur, vbi habet non tantum ſub ſenium, ſed etiam prope mortem. Sufficiunt etiam parando ſepulchro, denique vt publice apud omnes domeſticos, ſubditos, externos, longe, lateque poſitos, ad quos infamia Salomonis peruenerat, conſtare poſſet, Salomonem nequitiæ ſuæ, atque idololatriæ pœnitere, male facta damnare, in patria religione, patris ſui fide, veri, & vnius Dei cultu reliquam vitam velle ducere, & emigrare.

XXXI. *Modus ac diſpoſitiones eius.* QVOD ad modum pœnitentiæ attinet, iſthæc in ea interueniſſe valde probabiliter affirmare poſſumus; mox à ſeuero Prophetæ vaticinio perturbatiſſimæ conſcientiæ ſtimulos diuinitus excitatos, qui neque noctu, neque interdiu vllam quietem permitterent. Secundo conjectos mentis oculos in turbatum iam reipub. ſtatum, tribus ſimul aduerſariis diuinitus excitatis, & in poſterum, non ita multo poſt, irreparabili ſchiſmate lacerandum. Tertio luctuoſiſſimam peripetiam agnoſcebat erga ſe, ſapientiam, gloriam, magnificentiam, pietatem, pudorem, in ſummam dementiam, infamiam, vilitatem, & contemptum, impietatem, ac nequitiam eſſe commutata. Quarto ſentiebat varias corporis intemperantiſſimi ægritudines, quæ ſimul imminentem mortem nunciabant, tum de ſeueriſſimo Dei iudicio perterrebant. Quinto reſonabant frequentes ad aurem regiam voces Prophetarum, Sacerdotum, & piorum omnium, qui aliquid apud eum authoritate, vel gratia poterant; præſertim autem audiebatur Sadocus ille primus templi Pontifex longa canitie venerabilis, quique Salomonem in Regem inunxerat.

XXXII. *Vera conuerſio.* *Paraphraſ. Pſal. 28.* SEXTO & poſtremo affuit valentiſſima illa vox, quaſi ingens tonitru, efficax illa vocatio. *Surge qui dor[mi]s, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* [b] *Vox Domini ſuper aquas* tribulationis eius, *Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas* gemituum, lachrymarum, & lamentationum animi vere pœnitentis. *Vox Domini in virtute*, ſine qua prædictæ omnes diſpoſitiones irritæ erant, & inanes, imo cæcitatem maiorem potius, quam lumen allaturæ. *Vox Domini in magnificentia*, quæ magnifice triumphat de omnibus, qui in Regis perniciem erant coniurati, eumque omni ope, & induſtria, pudore, metu, deſperatione, peccandi conſuetudine in tantis malis conſtrictum tenebant. *Vox Domini confringentis cedros* iſtas, & puncto temporis vincula omnia dirumpentis. *Vox Domini intercidentis*, & diſſipantis igneas carnalium voluptatum flammas; vox Domini admiratione commouentis vicinas ethnicorum gentes, quæ more ferarum deſertæ viuebant, ſuper tam inopinata conuerſione Salomonis, *vox reuelantis condenſa*, denudantis lucos, & excelſa deijcientis, omnemque idololatriam è monte Olibeti exterminantis; *vt in templo eius omnes dicant gloriam.* [b] Epheſ. 5. 14.

XXXIII. *Exponuntur uberius ex patribus.* CESSIT igitur Rex hactenus obduratus huic potētiſſimæ inſpirationi, nō inſpirationi, ſed voci vehementi, non voci, ſed tonitruo cœleſti, & è regali ſolio abiectus in terram, exclamauit cum Paulo, *Domine quid me vis facere?* vel cum parente Dauide potius, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Hic tandem experrefactus*, vt ait Gregorius Neocæſar, *atque oculis reſtitutus, ea quæ in manibus habebat flagitioſa, & acerbitatis plena eſſe perſpexit.* Vel vt Hieronymus, *tandem in ſe reuerſus, & quaſi de graui ſomno euigilans, aſpexit ad manus ſuas, & opera ſua plena vanitate, plena ſordibus, plena ſpiritus erroris. Accuſauit*, inquit Nyſſenus, [c] *vitæ ſuæ inſtitutum, & ſuæ vitium ſuperbiæ, quod ſe dediſſet voluptatibus, & animæ perturbationibus, & in vita ſua paſſus eſſet illa morborum genera, de quibus dat conſilium.* Denique, vt inquit Chryſoſtomus homilia [c] homil. 1. & 4. in lib. Eccleſ.

ad concubinarios, ad ſe reuerſus, & quaſi ex vmbroſa quadam abyſſo, ad lumen veræ ſapientiæ reſpicere valuit, tum ſublimem illam, & cœlis dignam emiſit vocem, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Nec vocem ſolum emiſit, ſed vti ex plumbæis illis laminis dicebamus, *fleuit ſcelus ſuum fletu vehementi, & condonatum eſt illi. Percuſſit femur ſuum*, ait Ierem. [a] *confeſſus eſt, & erubuit, quia ſuſtinuit opprobrium turpiſſimæ ſenectutis ſuæ.*

a c 31.19.

XXXIV. *Pœnitentiam publicè agit.*

VERVM quoniam non oportebat, quod publicæ vtilitatis intererat, ſecretis cubiculi parietibus contineri; ſed fructus digni pœnitentiæ publicè agendi erāt; cauſa cum Deo tractata Salomon ad retractanda vitæ turpiſſimæ ſcelera coram vniuerſo populo, ſeſe ardentius excitat, concionem conuocat, ex omnium ordinum hominibus; ibi deplorat vanitatem vanitatum, idololatriam, omnium mendaciorum & vanitatum maximam, atque ſceleſtiſſimam. Ibi lugens confitetur vniuerſam vanitatem delitiarum, voluptatum, diuitiarum; ibi fallacem felicitatem famulorum, cantorum, fœminarum, quarum vnam de mille non repererit quæ prudens eſſet, quæ modeſta, quæ pudica, quæ fortis, quæ timens Deum. Ibi demonſtrat vanitatem palatiorum, hortorum, vinearum, precioſæ ſupellectilis, gloriæ, & exiſtimationis, ipſius denique ſcientiæ atque ſapientiæ, quæ timore Domini deſtituta ſit.

XXXV. *Exhortatio ad populum.*

DENVNCIAT ſibi certum eſſe à tanta, tamque multiplici vanitate reſipiſcere, idololatriam exterminare, nequiſſimis voluptatibus nuncium remittere, diuinam miſericordiam implorare, totum ſe pœnitētiæ dedere; orare vt qui ſibi peccandi, vel comites fuiſſent, vel miniſtri, iidem ſe placandæ diuinæ iuſtitiæ, quæ regno vniuerſo ingentem calamitatem intentabat, ſocios exhiberent. Denique concludens, *Finem*, inquit, *loquendi pariter omnes audiamus; Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* Finitam concionem variæ excipiunt voces, varii animorum motus, piorum applaudentium, & laudantium Dominum; impiorum murmurantium, atque frementium. Indignantur reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ tam inopinato perculſæ malo, & omnia ſuſque deque miſcere parant, ſi ſuos ipſis deos Salomon auferre moliatur; excitant vniuerſæ, ſuæ impietatis adminiſtros, ſacrificulos, famulos, cognatos, amicos, qui perquam numeroſum exercitum conficiebant.

XXXVI. *Retardatur ab euertendis delubris.*

3 ex.

IIS quoque optimates quamplurimi adiunguntur, & principes populi, ac tribuum, qui totius populi defectionem, templi Dei violationem aliquam, aut deiectionem in vltionem iniuriæ in delubra deorum illatæ, mortem denique imminentem denuncient; niſi aut mentem mutet, vel certe hoc tam audax inceptum euertendorum templorum, ad aliquod tempus differat. Idque omnino factum videtur, præſertim cum non vigeret vltra ille Salomon, ſapientia, ætate, potentia, amicis, exiſtimatione florens: & quod caput eſt, peculiari Dei prouidentia, ac protectione communitus. Hæ igitur cauſæ videntur idoneæ, non ſucciſorum lucorum, atque templorum; vt ſcilicet dum rei executio in dies trahitur, ſuperueniens Regis interitus, ſanctam Regis iuſſionem diſiecerit. Sed aliquid etiam probabilius in hac re dicamus.

XXXVII. *Aut ea potius euertit.*

NAM vero ſimillimum eſt non tam facile maiorem aut populi, aut optimatum partem idololatria corruptam fuiſſe; Sed minimam potius, aulicam ſcilicet illam otioſam, mulieroſam, delitiis, ſuperbiæ, curioſitati mancipatam; eam autem quæ multos annos cum Dauide, multos cum Salomone caſte, ſancteque traduxerat, ſtetiſſe animis totam, & diuino intus operante numine, & zelo diuini honoris, legis, ac templi ſacroſancti animoſius æſtuante; pontifice, ſacerdotibus, ac Leuitis agentibus, operam omnem regi atque pontifici, omnem induſtriam, ac ſtudium prolixe obtuliſſe, & vero etiam contuliſſe. Atque ita euertiſſe ſtatuas, diſiecisſe aras, ſuccidiſſe lucos, templa diſturbaſſe: neque tamen complanaſſe penitus, aut funditus eruiſſe: ſed reliquiſſe, Domino permittente, quæ forent in poſterum Salomonis peccati, & reſipiſcentiæ teſtes. Eas, inquit Pineda cum Baradio S. Ezechias ſine peccato contemnendas cenſuit. S. Ioſias ingenti animi, ac pietatis ardore delendas, & locum illum polluendum, ad deteſtationem præteritæ impietatis ſanctiſſimè curauit.

XXXVIII. *Affligit corpus ſuum.*

INTEREA nemo qui in Salomonis pœnitentiam conſentiat, dubitare poterit,

quin is non minus quam Achab ſciderit veſtimenta ſua, operuerit cilicio carnem ſuam, ieiunauerit, dormierit in ſacco, & ambulauerit demiſſo capite. Quin cum Dauide laborarit in gemitu ſuo, lauauerit per ſingulas noctes lectum ſuum, lacrymis ſuis ſtratum ſuum rigarit: quin ieiunio ieiunauerit, & ingreſſus ſeorſum, luce, & hominum conſuetudine abſtinens, iacuerit ſuper terram. Fecerit fortaſſe quod poſtea ſerui Benadad, [a] qui impetrandæ à Rege Achab miſericordiæ gratia, conſilium inierunt dicentes; *ecce audiuimus quod Reges domus Iſrael clementes ſint; ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad Regem Iſrael; forſitan ſaluabit animas noſtras. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis, & venerunt ad Regem Iſrael,* & voti compotes facti ſunt.

[a] Reg. 20. 31.

XXXIX. *Hebræorum ea de re traditio.*

HEBRÆORVM certe traditio eſt Salomonem ſolemni pœnitentium ritu quinquies tractum per plateas Ieruſalem pœnitentiæ cauſa, & cum quinque virgis, aut virgarum manipulis veniſſe in templum; ibique à legis peritis vt verberaretur poſtulaſſe, ſed illis renuentibus manum mittere in Chriſtum Domini, à ſe ipſo acriter flagellatum fuiſſe. Ita Pineda. Eam apud D. Hieronymum traditionem haberi, refert Viualdus: Abulenſis autem, apud D. Ambroſium: in apocrypho ſcilicet, qui inſcribitur de Salomonis pœnitentia. Eam ego apud Bedam [b] legi in hæc verba. *Aiunt libri Hebræorum Salomonem quinquies tractum fuiſſe per plateas Ieruſalem, cauſa pœnitentiæ. Item aiunt eum veniſſe in templum quod ipſe ædificauerat, cum quinque virgis, de quibus quatuor dedit quatuor legis peritis, vt verberaretur ab illis; qui communi dixerunt conſilio, quod in Chriſtum Domini manum non mitterent, vnde fruſtratus ab illis, à ſe depoſitus eſt à regno.*

[b] in fin. to 7.

XL. *Qualis videatur.*

DICES prædictam traditionem non videri à Beda ſcriptam, cum in com. in 3. Regum [c] his parum conſentanea de ipſius deflenda ſubuerſione dicat; quem ait vehementer à ſancta Scriptura argui, atque condemnari, nihilque de pœnitentia eius, vel in eum indulgentia Dei commemorare, &c. Reſpondeo hæc nihil repugnare; Rabinos illa tradere, Scripturam eadem tacere; adde quod libellus iſte forte Bedæ non eſt, nam totidem verbis inuenitur apud Iſidorum, ſicut & plerique alii libelli eodem volumine contenti; & eam de Salomone ſententiam, vel alter, vel vterque ab Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap. 88. mutuari potuit.

[c] c. 6. to 8.

XLI. *Tres libros conficit.*

CÆTERVM illa traditio licet non plane improbabilis ſit, nec omni veritatis fundamento carere videatur; in traditionibus tamen Hebraïcis Hieronymi non habetur: nec in chronico Hebræorum, ſed hæc tantum. *Interea ſub finem Salomon prope mortem Spiritum ſanctum habuit inhabitantem, & dictauit libros iſtos, Prouerbia, Canticum Canticorum, & Eccleſiaſten.* Hæc ibi. Et Eccleſiaſten quidem, qui eſſet quaſi publica confeſſio, & deploratio criminum ſuorum; Prouerbia, vt ex iis quæ experientia didicerat, & diuinitus quondam acceperat populum erudiret, & moriturus bene viuendi regulas conſcriberet. Adiecit denique Canticum, vt turpitudinem omnem deteſtatus, inquit Pineda, ad ſublimiores animi delicias, & Chriſti Ieſu, & Eccleſiæ nuptias amores ſuos, Deo reuelante, transferret. Addit etiam filiam Pharaonis adhuc ſuperſtitem, etiam ſtudium pœnitentiæ cum Rege amplexam. Id quidem veriſimile eſt, & ſuadet ſingularis in eam Salomonis amor, vtique mutuus; ſed in Seder holam non habetur. Arbitror autem ſi facta eſt in muliere Aegyptia iſta mutatio, id primo quoque tempore quo conuerſus eſt Salomon, contigiſſe; vt quæ diuinorum Chriſti, & Eccleſiæ myſteriorum repræſentandorum conſors erat, Salomonis etiam ſanctitatis & pœnitentiæ particeps fieret.

Filia Pharaonis probabilis pœnitentia.

SCHOLIA IN ANNVM SALOMONIS. 39.

1. N. XXI. SCriptura exemplis abundat, vt patet Geneſ. 47. 30. de Iacob. Deut. 31. v. 16. de Moyſe. 2. Reg. 7. 12. de Dauide. Sicut & 3. Reg. 1. 21. & 2. 10. & 11. 21. de Ioſaphat, de Ezechia, de Manaſſe pœnitente, de Ioſia, &c. licet de impiis etiam vſurpetur, qui quaſi mortui, & non dormientes non reſurgunt in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.

2. N. XXVI. Iſtorum tamen etiam aliquando non nemo reſipiuit, vt de Berengario legimus, & Eutychio Patriarcha, quem Gregorius magnus moribundum ad rectam traduxit fidem. Vide de Abaillardo, Gilberto Porretano, & Henrico quos D. Bernardus conuicit; quæ habentur in eius vita, & copioſe apud Baronium, anno Chriſti 1140. 1147. 1148.

3. N. XXXVI. Quomodo Abdas quidam Epiſcopus apud Perſas cum zelo, non ſecundum ſcientiam πυρεῖον, id eſt ignis templum euertiſſet, gentiles commouit ad omnes Chriſtianorum Eccleſias tota Perſide incendendas, & atrociſſimam inſuper à Rege Varane perſecutionem exercendam, Niceph. l. 14. c. 19.

ANNVS MVNDI 3059. DILVVII 1403. 5ª. ÆTATIS 120.

SALOM. REG. 40. & VLT. SADOCI PONT. VLT.

FVNDATI TEMPLI 37. TROIÆ EXCISÆ 188. LAOSTHENIS 31. IMPERII ASSYRIORVM 1128.

ANNVS ANTE CHRISTVM 994.

I. *Periodus regni Salomonis.*

CLARISSIMVM eſt in Scriptura de hoc vltimo Salomonis Regis anno teſtimonium, duobus ipſius locis ſine vlla vel ambiguitate, vel varietate confirmatum, in omnibus Latinis, Græcis, Hebraïcis, Chaldaïcis codicibus: regnaſſe videlicet Salomonem in Ieruſalem ſuper omnem Iſraël quadraginta annis; quod Eupolemus, & Euſebius, & omnes deinceps chronologi ad vnum ſecuti ſunt. Clariſſimum quoque eſt Ioſephi ei repugnantis, & ab omnibus animaduerſum, à multiſque reprehenſum mendacium. Sic enim habet. [a] *Salomon autem iam admodum ſenex moritur, exactis regni annis octoginta, vita vero nonaginta quatuor.* Quomodo etiam in Greco ſine vllo notarum compendio habetur; quo modo legerunt Theodoretus, [b] & Procopius, & Comeſtor, [c] & Zonaras, [d] Puduit tanti mandacii Rufinum, quod manifeſte à Scriptura redargueretur; itaque pro octoginta, quadraginta ipſe ſubſtituit.

II. *Periodus vitæ euſdem. Falſa apud Ioſephum.*

QVONIAM vero anni vitæ eius non tam clare in Scriptura traduntur; fideliter hoc alterum Ioſephi erratum Rufinus repræſentauit, ſatis tamen clare habetur, puerum, & quidem adhuc paruulum, & delicatum Salomonem creatum eſſe Regem, [e] adeo vt plerique ex antiquis patribus duodennem regnare cœpiſſe ſcripſerint, D. Clemens, D. Ignatius, D. Hieronymus, alii. Plerique item eo fundamento poſito, deſudant interpretes in ponendo initio deprauationis eius per mulieres, quod ſeni contigiſſe Scriptura teſtatur. Nec videtur idonea Theodoreti conciliatio, licet eam amplexus ſit Comeſtor, numeraſſe Scripturam eos tantum annos quibus ille pie vixit; Ioſephum autem omnes, cum ipſemet Theodoretus [f] dicat Salomonem neque longiorem habuiſſe vitam quam cæteros homines, neque perueniſſe ad ſenectutem patris. Cũ ergo Dauid ſeptuagenarius obierit, quomodo potuit Salomon quartum & nonageſimum annum expleuiſſe? Accedit quod tota ſequentiũ annorum chronologia, & nominatim tẽporis quo tẽplum ſtetit falſa futura ſit, quadraginta ſcilicet annis abũdans. Deniq; quomodo credibile eſt intemperantiſſimam ſenectutẽ tamdiu durare potuiſſe? Verũ fuiſſe

[a] l. 8. ant. c. 2.
[b] q 37. in lib. 3. Reg.
[c] l. 3. Reg. c 27.
[d] to. 1 annal.
[e] 1. Paral. 29. 1.
[f] 2. Reg. q. 22.

hunc ſexageſimum ætatis annum communis eſt nunc opinio, quam præter Lyranum, & Abulenſem, ſequitur Pineda, [a] Baradius [b] in concordia Euang. Torniellus ei ſexaginta quatuor annos tribuit; quia anno vigeſimo quinto ætatis eum regnare cœpiſſe putat, & natum Dauidis anno quadrageſimo ſeptimo, quod nos poſuimus quinquageſimo primo contigiſſe.

a l. 8. c. 1. n. 6. & c. 4. in fin.
b to. 1. l. 5. c. 10.

III. *Perſeuerat pœnitentiam agens.*

Hoc porro tempore quæ recte præterito anno inchoata fuerant circa Salomonis pœnitētiam, aliorumque multorum, quos ſe illi comites dediſſe Deo cooperante credibile eſt, magno ſtudio perficiuntur. Salomon in primis præteritę vitæ deteſtationem, veram in Deum conuerſionem publice priuatimque verbo, ſcriptis, factis proteſtatur; iuxta ea quæ ſuperius ex probabili Hebræorum traditione retulimus. Quod autem aiunt ſcipione nixum oſtiatim mendicaſſe, & in circulis, & compitis Hieroſolymorum clamaſſe. *Ego Salomon fui olim Rex ſuper Iſrael*; merito Serarius, & Pineda reijciunt, præſertim ſi id ab eo non voluntate factum dicant; ſed neceſſitate. Et ſubit animum illa ſuſpicio, ne id a Rabinis, quorum multa Romæ, & Conſtantinopoli ſemper fuit copia, ad ſimilitudinem eorum, quæ Beliſario contigerunt, excogitatum fuerit.

IV. *Sibi ſepulchrum parat.*

Hæc ergo pœnitentiæ opera dum maxime agit Salomon, eoque ſtudioſius, quo minus ſibi viæ, ac vitæupereſſe intelligebat; ſicque diuino iudicio præparat animam ſuam, moribundi etiam corporis curam non neglexit. Sibi enim ſepulchrum iuxta parentem ſuum in monte Sion conſtrui curauit, qui deinde factus eſt regalium ſepulchrorum locus, in quem Regum Iuda, poſterorum Dauidis mortua corpora inferrentur. Separatum tamen eius ſepulchrum videtur ſignificare Dio in Hadriano, [c] vbi de Iudæorum defectione agens, ob quam pene deleti ſunt vniuerſi, & regio ad ſolitudinem redacta eſt. I*d eis*, inquit, *antequam bellum gereretur fuerat denunciatum, ex eo quod monumentum* Salomonis, *quem illi ſumma reuerentia colunt, ſua ſponte diuiſum corruerat.* Verum res Hebræorum non fuerunt ethnicis vſque adeo exploratæ; illud potius animaduertendum eſt, quod tradat Salomonem, ſumma à Iudæis veneratione coli; quod valet ad roborandam Hebræorum de Salomonis ſalute aſſertionem τὸ γὰρ μνημεῖον τοῦ Σαλωμῶντος, ὃν ἐν τοῖς σεβασμίοις ἄγουσι, refert enim venerationem ad Salomonem, non ad ſepulchrum, cuius tamen honos ad perſonam redundaret.

c l. 69 Hadriani vt vult Euſeb. 16.

V. *Conditoria Regum Hebræorum.*

Exhibet Pineda [d] ex Daniele Barbaro Patriarcha Aquileienſi veſtigium quoddam excauatæ rupis, ſiue id arte factum fuerit, ſiue natura, in qua ſub ingreſſum minor quædam cella rotunda viſeretur, quatuor in circuitu ſepulchrorum capax; ex qua pateret aditus ad multo maiorem, rotundo etiam ſchemate figuratam; quæ nouem vtrinque loculis capiendis aptata eſſet: Inde poſtremo vlterius ad tertiam cellam primæ ſupparem perueniretur, in qua tribus eſſet ſepulchris locus, in qua Dauid conditus eſſet, in qua ſibi etiam Salomon quietem vſque ad nouiſſimum diem deſtinaret. Quod ſi illa delubra, inquit Pineda, Regum conditoriis, & cadaueribus deſtinata erant, certe non vago, & incerto numero à ſapientiſſimo Salomone facta eſſe exiſtimare oportet; ſed prænotione aliqua futuri: præſertim cum rei euentus, atque numerus ſuccedentium Regum, numero illi delubrorum, ſiue reconditoriorum ex æquo reſpondeat; cum à Dauide vſque ad vltimum Sedechiam vnus & viginti Reges omnino numerentur; pergit autem in tertia illa cella Dauidem, Salomonem & Roboamum collocare. Tum in ampliore illa octodecim ſuccedentes Reges, in aditu denique ipſo quatuor loculos Bethſabææ matri, & tribus vlterinis fratribus aſſignat.

d l. 8. c. 3.

VI. *Improbantur.*

Verum conſtat non omnes Reges in regũ ſepulchris fuiſſe conditos; id certum eſt de Ioramo, [e] & de Achaz; [f] item de Ozia, [g] & de Manaſſe. [h] Et vice verſa Ioiada ſummus Pontifex in ſepulchris regum conditus eſt; vnde parum certa fuerit illa ſapientiſſimi regis prænotio; & fieri etiam poteſt, vt iſta quæ dicitur Prophetia, & prænotio ex poſt facto ſumpta fuerit. Itaque parum probabilis eſt tota iſta traditio; quod non negat ipſemet Pineda. [i] Quid quod ager regalium ſepulchrorum, cuius Scriptura meminit in morte Oziæ, [k] non in mõte Sionis, ſed in oppoſita parte ciuitatis, ad ſeptentrionem etiam nunc oſtenditur peregrinis, vt ſpectatores ipſi nobis ex conſtanti incolarum fama retulere; quem ſitum Villalpandus in ſua Hieroſolymorum imagine retinuit. Adrichomius autem in ciui-

e 2. Paral. 21. fin.
f 2. Paral. 28. fin.
g 2. Paral. 26 fin.
h 2. Paral. 33. 20
i l. 8. c. 3. fin.
k 2. Paral. 26. 23.

Mors Salomonis, et forma.

tate Dauidis in arce, collocat eadem ſepulchra. Nimirum hîc erat locus ſepulturæ ordinarius, ille extraordinarius. Vide de eodem ſepulchro Villalpandum, [a] qui illud præfert Mauſolæo, propter immenſas diuitias in eo incluſas, iuxta ſententiam Ioſephi. [b] Sed ea de re in fine anni ſecundi Salomonis iam ſatis dictum eſt. Repete autem memoria, ſtudioſe lector, quæ de Dauidis, & Salomonis ſepulchro ex itinerario Beniamini in vltimo Dauidis anno diximus, Salomonis ſecundo. [c]

a to. 2. p. 2. l. 5. c. 61.
b l. 7. ant. fin.
c n. 69. 70. &c.

VII. Salomonis mors.

Mortvvm Salomonem fuiſſe variis afflictum morbis ex intemperantia ortis, aut diuina etiam vindicta immiſſis, quibus præterita peccata lueret, atque expiaret ſatis conſtans, ac probabilis opinio eſt, quã ſequitur Pineda; [d] accedente præſertim multiplici animi mœrore, tam de culpis ante actis, quam de pœna, quam in maximum totius regni malum ſciebat redũdaturam. Neque vero dubium eſt quin morti proximus Roboamum filium iam grãdem natu ad ſe aduocarit, multaque ſapienter præmonuerit, de timore, & cultu Dei, de funditus exterminanda idololatria, de vitandis mulierum illecebris, de ſubditorum beneuolentia retinenda, aliiſque id genus; quæ in altum pectus demiſſa non fuerunt, vt declarauit euentus; quod ipſemet, vt ſupra dicebamus, iam præſentiebat, cum diceret, [e] *Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboraui, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit.*

d l. 8. c. 3.
e Eccleſ. 2. 18.

VIII. Mortui elogia ex Ioſepho.

Mortvvs eſt igitur Salomon regni anno quadrageſimo, vitæ autem ſexageſimo, vel currentibus vel expletis; nam quaſi expleti à Scriptura, quæ fere annorum particulas negligit, numerantur. A qua chronologia totis triginta quatuor annis abeſt Ioſephus, [f] qui hoc eum elogio proſequitur. *Moritur*, inquit, *Salomon omnium regum feliciſſimus, & opulentiſſimus, atque prudentiſſimus, excepto peccato, ad quod iam ſeneſcens à mulieribus eſt pertractus. De quo & conſecutis mox Hebræorum calamitatibus ſatis dictum eſt.* Rectius Rufinus, opportunius explanabo, nondum enim id, niſi ex parte expoſitum eſt. In Græco legimus εἰς καιρὸν ὕπρον ἔδοξέ μοι διασαφῆσαι. Non diſſimile huic elogio habetur 2. Eſdræ. [g] *Nunquid non in huiuſmodi re peccauit Salomon Rex Iſrael? & certe in gentibus multis non erat Rex ſimilis ei, & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Regem ſuper omnem Iſrael, & ipſum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ.* Cumulatius hæc omnia Eccleſiaſt. c. 47. vbi eius laudem hac concluſione terminat. *Et inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua, profanaſti ſemen tuum inducexe iracundiam ad liberos tuos, & incitari ſtultitiam tuam, vt faceres imperium bipertitum.*

f Ioſeph. l. 8. ant. c. 3.
g c. 13. 26.
vide Pined. l. 7. ca. 7. n. 2. & ſeqq.

Ex Scriptura.

IX. Quæ forma corporis eius.

Qvod ſi ſpeciem eius quandam, & figurã corporis quærimus, fuit is vt à ſponſa deſcribitur in Cãticis, & fuſius explicat Pineda, [h] colore candido, & rubicũdo, natura calida, & humida, ſed paulo calidiore; cæſarie denſa, capillis aureſcẽtibus, & modice criſpantibus, ſicut elatæ palmarum, oculi iuſtæ magnitudinis, implentes orbem ſuum, ſplendentes ac cælij leni, placidoque intuitu. Genæ eﬄoreſcentes, atque hilares, ſicut lilia mixta roſis; labia eius tenuia, & mollia, vt rubentia Syriæ lilia; os ipſum afflans ſuauis odoris halitum; manus delicatæ, molles, articulatæ, quaſi torno politæ; digiti longiores, deductiora brachia; pectus, & thorax candida, velut pixis eburnea, moderatæ magnitudinis, & formæ; crura illius quaſi columnæ marmoreæ, vel Pariæ candidiſſimæ; pedes ſicut baſes aureæ elaboratiſſimæ, mediocri magnitudine, inceſſus firmus, & conſtans. Statura procera, & erecta, vox ſuauiſſima, dignus qui ſpecioſum forma præ filiis hominum repræſentaret. Sed pleraque horum ſuperuenientes anni, vitaque, Salomoni ademerunt.

h l. 6. c. 4.

X. Eiuſdem laus.

Verum quoniam tam bona, quam mala Salomonis hactenus explicata ſunt, prior gloria cum poſteriore dedecore; prior ſapientia, cum poſteriore dementia, angelica adoleſcentia cum nequiſſima ſenectute, religioſiſſima iuuẽtus cum propudioſa canitie; & priorem laudem pœnitentia ſubſecuta coram Deo aliquo modo renouauit, priora certe merita intermortua reſtituit, age pro elogio, eum vt Chriſti Domini figuram repræſentemus, vt ea gloria optimam longiſſimamque eius vitæ partem illuſtret; maculoſam autem ſuo fulgore obumbret, atque obtegat. Præſertim cum patres omnes Salomonem pleriſque in rebus Chriſti Domini figuram geſſiſſe fateantur, & res ipſa pene emiſſa voce loquatur.

XI. *Ex comparatione cum Christo in nomine.*

CHRISTVS ergo Dominus innumeris Prophetarum vocibus prænunciatus eſt; Dominus per Nathan Prophetam Dauidi Salomonem promittit, & qualis futurus eſſet multo ante denunciat, & natum vocare iubet Iedidiam, amabilem Domino; intuens in primis in illum filium ſuum dilectum, in quo ſibi bene complacuit. Sed & Salomonis, ſiue pacifici nomen, eum perſpicue repræſentat, qui venit mundum reconciliaturus Deo. Quoniam *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* [a] *Orietur*, ait S. Dauid, *in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis.* [b] *Ipſe eſt pax noſtra*, ait Apoſtolus, [c] & ab Eſaia ca. 9. dicitur *princeps pacis*. Tertium etiam Eccleſiaſtæ, ſiue concionatoris nomen, illud Saluatoris officium innuit, quod ab Eſaia celebratur. [d] *Ad annunciandum manſuetis*, vel, *euangelizare pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam.* Quod Salomoni quoque non male quadrat, dum pœnitentiam agens, etiam populum ſuum inuitabat ad pœnitentiam, & indulgentiam à diuina miſericordia pollicebatur.

a 2. Cor. 5. 19.
b Pſal. 71.
c ad Epheſ. 2.
d c. 61. 1.

XII. *Ortu, celebritate, titulis.*

SALOMON natus, ſumma Bethſabææ matris cura, & Nathani, qui ei nō natura, ſed beneuolentia, & prouidentia pater erat, aliquot annos educatus eſt. Chriſtus quanta maxima dici poteſt ſolicitudine, & cura à matre ſanctiſſima, & Ioſepho, qui ei erat inſtar patris, educatus eſt. In filiis Dauidis omnium maximus & notiſſimus Salomon. Filius Dauidis Chriſtus, & in ſanctiſſimi Regis poſteris nullus, hoc filio Dauidis illuſtrior, notior, nominatior; noſtrum filiū Dauidis pauperes, & diuites, docti, indoctique, in euangelio celebrabant. Dictus Salomon Rex magnus, Rex regum; noſter Salomon, *primogenitus mortuorum & princeps regum terræ.* [e] *Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex regum.* [f] Habet idem in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium.* [g] Denique *hic erit magnus*, ait Angelus, *& filius altiſſimi vocabitur.* [h]

e Apoc. 1. 5.
f Apoc. 17. 14.
g Apoc. 19. 16.
h Luc. 1. 32.

XIII. *Indole, moribus, ac ſpecie.*

PRÆCLARA fuit Salomonis indoles, placidiſſimi mores, ſpecies digna imperio. Quem alium canit Eſaias formoſum in ſtola ſua, niſi Chriſtum mitē, & humilem corde? Quem ſponſa depingit, qualem ante deſcripſimus, niſi eum qui pluſquam Salomon eſt? Promiſſum eſt à Deo, & à Dauide patre regnum Salomoni; [i] ſed ei ſuperbus Adonias regnum molitur eripere. Promiſit Dominus regnum Salomoni noſtro per Angelum ſuum dicens. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*; Sed Herodes callide ei & regnum, & vitam eripere meditatur.

i 2. Reg. 12. & 3. Reg. 1. 13. 17.

XIV. *Inunctione.*

SEMEL atque iterum inunctus eſt in regem Iudaicus Salomon; & primo inter paucos, & quaſi priuatim, deinde in conſpectu omnium tribuum, in generalibus Iſraëlitarū comitiis. Salomon noſter vnctione diuinitatis in vtero virginis paucis conſciis inunctus eſt; & ius accepit regiæ dignitatis in res omnes creatas. Secundo autem in reſurrectione, cum dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, quæ manifeſtata eſt ab Apoſtolis Chriſtum Dominū prædicātibus apud omnes tribus terræ, & iterum in comitiis illis generalibus omnium filiorum Adam, cum veniet in maieſtate, & gloria iudicare viuos, & mortuos.

XV. *Regni amplitudine.*

SALOMON viuo patre factus eſt Rex, & ſedit coram ipſo in ſolio eius; dixitque Dauid. [k] *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis.* Chriſtus Rex noſter viuo, & in æternum regnante patre factus eſt Rex; & princeps electorum omnium, & impletum eſt illud eiuſdem Dauidis, *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Salomon dominatus eſt à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, id eſt à mari rubro ad mare mediterraneum; & ab Euphate vſque ad extremam Palæſtinorum oram: vel à mari Indico, quod ſingulis annis aurata claſſe petebat, vſque ad terminos orbis terrarum, columnarum Herculis, & freti Gaditani, vnde omnes Reges terrarum illi munera deferebant. Dominatus eſt Chriſtus Dominus per vniuerſum orbem terrarum, & eum Regem, ac Dominum etiam nunc agnoſcunt, quicumque veritatis lumen aſpexerunt: vltra omnes terminos marium, atque terrarum, & omnes regiones quæ ſub cœlo ſunt; eique non ſolum munera offerunt, vt quondam ſapientes illi Magi; ſed ſe ſuaque illi accepta ferunt, in eoque ſpem ſuam omnem collocant: ei quippe dixerat Dominus. [l] *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

k 3. Reg. 1. 48.
l Pſal. 2.

XVI. *Sapientia.*

SALOMONIS ſapientia qua donatus fuit ab initio regni ſui, quaque mortales

omnes ſuperabat, admirabilis fuit vniuerſo mundo; adeo vt omnes reges terrarum deſiderarent videre faciem Salomonis, vt audirent ſapientiam eius. [a] Chriſtus Dominus Patris æterna ſapientia, ab inſtanti incarnationis diuinitate donatus, factus eſt deſideratus cunctis gentibus; & multi reges & prophetæ ſeculis omnibus deſiderauerunt videre vultum eius, in quem deſiderant etiam ipſi angeli conſpicere; cuius ſapientia omnem hominum ſapientiam ſtultitiæ coarguit, quæ cum ſit ad cætera perſpicax, aut verum Deum, vltimum veriſſimumque rerum omnium finem, non norit, aut vtcumq; notum, debito cultu atque honore non colat; ſed veritatem in iniuſtitia detineat, adeo vt gloriabundus Apoſtolus [b] dicat, *Vbi Sapiens? vbi Scriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? nonne ſtultam facit Deus ſapientiam huius mundi?*

[a] 2. Paral. 9. 23.
[b] 1. Cor. 1. 20.

XVII. *Diuitiarũ copia.*

Salomon poſſedit diuitias innumerabiles, quas ei ex plurimis regnis congeſſit pater, vt Deo templum magnificentiſſimum excitaret. Sed & ipſe innumerabiles acquiſiuit, quibus non ſolum templum, ſed regias etiam ædes ſibi, ac reginæ ædificauit, & ipſam Hieroſolymorum ciuitatem inſtaurauit. Immenſæ ſunt veri Salomonis ſupernaturales diuitiæ, infinita [...]na gratiarum, quæ in omnes omnium ſeculorum electos, diſperſa per partes, in Chriſtum congeſta ſunt vniuerſa, & in eius gratiam aliis omnibus data, vt omnes de plenitudine eius acciperent, vt ædificaret Eccleſiam Sanctorum, & electorum omnium in cœleſti Ieruſalem; ſed & ipſe innumeram meritorum meſſem conſecutus eſt, quibus & ſibi gloriam, & nominis exaltationem, & Eccleſiæ ſuæ regias in cœlo ædes condidit, & vacuas angelorum ſedes in cœleſti Hieroſolymorum ciuitate reparauit.

XVIII. *Coniugio, & vxoribus.*

Accepit Salomon in vxorem filiam regis Pharaonis alienigenam, nigram, ſed formoſam, quam præ cæteris omnibus dilexit. Accepit Chriſtus ſponſam eccleſiam non naturam angelicam, diuinæ naturæ magis cognatam, ſed humanam peccati fuligine deformatam; ſed intuitus eſt non ſolum in natiuam pulchritudinem, quam reparaturus erat, ſed in ſupernaturalem & diuinam, quam erat inſuper additurus, pro ſingulari ſuo in eam amore. Vnde Paulus ad Epheſios [c] *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.* Nec aliena eſt à comparatione, vxorum Salomonis multitudo, quando omnes iuſtorum animæ ſponſæ ſunt Ieſu Chriſti, quarum aliæ aliis in maiorem ſunt dignitatem euectæ, & præſtantioribus ornatæ monilibus gratiarum. In quibus omnibus eminet illa columba, illa electa, illa mater pulchræ dilectionis, & ſanctæ ſpei, illa regina ſanctorum omnium, *vna Dei pariter filia, ſponſa, parens.*

[c] cap. 5. 25.

XIX. *Constructione templi.*

Condidit templum Salomon, ædificauit Chriſtus Eccleſiam, ſed hæc comparationis particula, tam ampla eſt, tamque late patens, vt infinitum ſit iter ad omnia, & minime neceſſarium, præſertim cum eam viam confecerit iam Hugo de Sancto Victore lib. 7. Allegoriarum, [d] vbi ſigillatim quæcumque ad templum pertinent ad Chriſtum refert. Rupertus quoque, & Dionyſius in 3. Reg. Iſidorus item, vel Beda, nam idem in vtriuſque operibus habetur liber. Congeſſit non pauca Baradius. [e] Diligentiſſime autem Ribera lib. 1. de templo; [f] & alii apud Pinedam. [g] Verum nobis propoſitum non eſt templum aut Eccleſiæ, aut Chriſto conferre; ſed Salomonem, vt hic templi ſpecioſiſſimi in monte ſancto per ſeptem annos conditor fuit. Ille Eccleſiæ ſanctæ; cuius eſt incomparabilis pulchritudo in monte ſancto Dei, vbi conſtruitur cum admirabili ſplendore, & gloria; ſed extra Ieruſalem viui lapides multis aduerſis rebus expoliuntur, per huius vitæ durationem, quæ ſeptenario dierum circuitu tota decurritur, expectans vt in octauo conſacretur.

[d] in 3. Reg. c. 3.
[e] t. 2. l. 3. c. 10. & ſeqq.
[f] à ca. 19 ad 26. & toto fere l. 2.
[g] l. 6. c. 16.

XX. *Et ſtudio vidēdi, & audiendi eum.*

Regina Saba ſtupore, & admiratione defixa ſtetit in contemplatione Salomonis, & omnium operum eius, & in eius diuina ſapientia audienda. Et dixit, *Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, viciſti famam virtutibus tuis. Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te in omni tempore; & audiunt ſapientiam tuam.* Nonne huc reſpexit Dominus, cum diceret [h] *Beati oculi qui vident quæ vos videtis; dico enim vobis quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.*

[h] Luc. 10. 23.

COLLATIO SALOMONIS CVM CHRISTO.

Quid illa? *Nunquam ſic locutus eſt homo; ſicut hic homo, & , Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Denique docuit parabolas Salomon; & Chriſtus, *ſine parabolis non loquebatur eis.* Sed quanta erit aliquando, Deus immortalis! omnium ſanctorum admiratio, in contemplatione regis Salomonis, omnium electorum principis, ſedentis ad dexteram Patris, & aſpectu ſuo oculos ipſorum animoſque infinito, & inexplicabili gaudio complentis. Vere media pars non eſt audita, quia *nec oculus vidit*, &c.

XXI. *Opibus ſubditorum.* DEDIT Salomon Hieroſolymis auri, & argenti copiam tantam, vt argentum pro nihilo computaretur, adeo vt immenſam pene vim auri, & argenti in templi fabricam, & ornamenta ipſi quoque contulerint. Vt pecunia corporum, ſic meritum, & gratia, diuitiæ, & redemptio eſt animarum. Atqui tam copioſa eſt apud Dominum redemptio, tam facilis in Eccleſia remiſſio peccatorum, & acquiſitio gratiarum, vt fere pro nihilo redimere poſſimus, & ditare animas noſtras: modica contritione, vna lacrymula, viuido deſiderio placendi Deo, quod puncto temporis emicet atque euolet in cœlum; perexigua etiam oratiuncula, à purgatoriis incendiis pio amicorum ſuffragio liberemur. Cumque primis ſeculis tam Naturæ, quam Moſaicæ legis perpauci eſſent, qui eximia ſanctitate florerent; noſtro Salomone diuitiarum ſuarum theſauros affatim profundente, pro patribus nati ſunt filii, qui illos & numero, & merito longe poſt ſe relinquerent. Vt de ipſis illud vſurpari poſſit. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* [a]

XXII. *In omnib. bonis exceditur à Chriſto Salomon.* NEC mirum eſt tanto interuallo in omnibus bonis Salomonem à Chriſto Domino ſuperari, quantum oculi animorum, aut eximia quadam fide, aut lumine gloriæ illuſtrati rectiſſime iudicant; adeo vt plerique Sanctorum, maximam partem eorum, quæ Scriptura de Salomone Chriſti figura tradidit [b] Salomoni negent conuenire, quia tantulus in eis reperitur Salomon ad Chriſtum collatus, vt ne appareat quidem. Conuenire tamen aliquo modo neceſſe eſt, typum cum prototypo, imaginem cum corpore, vt vere à veritate dicatur, *& ecce pluſquam*

Ex S. Iren. *Salomon hic. Plus autem, & minus*, inquit S. Irenæus, [c] *non in iis dicitur, quæ inter ſe communionem non habent, & ſunt contrariæ naturæ & pugnant aduerſum ſe; ſed in iis quæ eiuſdem ſunt ſubſtantiæ, & communicant ſecum, ſolum autem altitudine, & magnitudine differunt, quemadmodum aqua ab aqua, & lumen à lumine, & gratia à gratia. Maior eſt igitur legiſlatio quæ in libertatem; quam quæ data eſt in ſeruitutem, & ideo non in vnam gentem, ſed in totum mundum diffuſa eſt; vnus autem & idem Dominus, qui pluſquam templum eſt, & pluſquam Salomon, & pluſquam Ionas donat hominibus, id eſt ſuam præſentiam, & reſurrectionem à mortuis.* Vult nimirum ſanctiſſimus martyr Irenæus, Chriſtum cum Salomone in naturæ vnitate, in adiunctis, & circunſtantiis, in virtutibus, rebuſque geſtis aliquo modo communicare; vt perſonarum comparatio recte poſſit inſtitui, ſed ita tamen, vt oceanus cum riuulo, ſol cum facula, gratia vnigeniti Dei; cum peccatoris priuilegio componatur.

Sed æquum eſt vt Salomonem noſtrum breui epitaphio decoremus. Locum enim habet in magnis viris, & mirabilia vtramque in partem facta ſunt in eo.

[a] Pſal. 138. 17.

[b] 2. Reg. 7. Pſ. 44. 71. 88.

[c] l. 4. c. 22.

EPITAPHIVM SALOMONIS.

XXIII. *Epitaphiũ Salomonis.*

IACET IN HOC NON MAGNO SAXO MAGNVS ILLE SALOMON, REX HEBRÆORVM CLARISSIMVS, MAGNI DAVIDIS FILIVS, CVI NVLLVM IN REGIBVS PAREM SOL VIDIT IN TERRIS: SIVE SAPIENTIAM, GLORIAM, MAGNIFICENTIAM, SIVE STOLIDITATEM, DEDECVS, TVRPITVDINEM CONTEMPLERIS. HIC EST ENIM ILLE DILECTVS, ILLE AMABILIS DOMINI, QVI FLVVIORVM INSTAR EX AMOENISSIMO ILLO PRIMÆVÆ INNOCENTIÆ DOMICILIO PRODEVNTIVM, DIVINA HVMANAQVE SAPIENTIA IN OMNEM POSTERITATEM EXVN-

DAVIT: IN VERISSIMVM ILLIVS TYPVM, IN QVEM EFFVSI SVNT OMNES THESAVRI SAPIENTIÆ, ET SCIENTIÆ DEI. ILLE PVER TENELLVS, ET INGENIOSVS SORTITVS ANIMAM BONAM, ELECTVS E MVLTIS FRATRIBVS, QVI IN SOLIO DOMINI RESIDERET, QVI ADMIRABILEM SACROSANCTI TEMPLI, ÆDIVMQVE REGIARVM FABRICAM ANIMO CAPERE: ET STVPENDA MAGNIFICENTIA FVNDARE, CONSTRVERE, CONSVMMARE POSSET. HIC EST ILLE TAM IMMENSIS AFFLVENS DIVITIIS, VT ARGENTO PRETIVM, HONOREMQVE SVSTVLERIT: TANTA INCLYTVS GLORIA, EIVS VT EX ORE ATTONITI PENDERENT REGES, ET BEATOS PRÆDICARENT QVI EIVS CONSPECTV, ET COPIOSE LOQVENTE SAPIENTIA FRVERENTVR.

SED ô LVCTVOSAM, ET FORMIDANDAM RERVM INCONSTANTIAM! XXIV. Lapſus eius.
SVB EXTREMVM PENE IVCVNDISSIMÆ NAVIGATIONIS CVRSVM, IN BLANDOS SYRENVM SCOPVLOS IMPEGIT, ET LVCTVOSISSIMVM NAVFRAGIVM FECIT INFELIX. PERIIT ILLA GLORIA, ILLA SAPIENTIA, ILLE SALOMON PERIIT. CONCIDIT ILLVD GAVDIVM, ILLÆ DELICIÆ, ILLE STVPOR, ET PRODIGIVM ORBIS TERRÆ: ET QVI NVTRIEBATVR IN CROCEIS, AMPLEXATVS EST STERCORA: ET IN VNIVS DEI SOLIO, ETIAM IDOLORVM TETERRIMA MONSTRA COLLOCAVIT. DONEC RESPICIENTE DOMINO, SE IPSE RESPEXIT, SIMVLQVE QVI CECIDERAT SVRREXIT, ET QVI PERIERAT INVENTVS EST. OMNEM ENIM ILLAM INSANIAM EXECRATVS, IN OPTATVM PŒNITENTIÆ SINVM CONFVGIT: A QVA, VT PAR ERAT EXCEPTVS, ET VIRGA VIRORVM CASTIGATVS, SPEI ÆTERNAE VITAE RESTITVTVS EST: ÆTATIS ANNO SEXAGESIMO, REGNI QVADRAGESIMO: QVO VITA RELIGIOSE PERFVNCTVS, IN HAC SIONIS ARCE CVM DAVIDE PARENTE SEPVLTVS EST. SVB ANNVM AB ORTV RERVM TER MILLESIMVM QVINQVAGESIMVM NONVM.

Hoc anno, vel aliquanto fortaſſe ante Sadocus Pontifex defunctus videtur. XXV.
Nam ſtatim ſub nouo rege, nonus ponitur pontifex Achimaas filius Sadoci, in Sadoci mors
Chronic. hebr. minore, & apud Genebr. vt ſequenti anno, Deo bene propitio,
dicetur; prius tamen æquum videtur, vt, ſubducta in portum nauicula, aliquantulum
reſpiremus. Diu quippe nos tenuit iſta nauigatio. Soluimus enim, ſi re- Anacephalæoſis.
cte meminiſti candide, atque erudite lector, placetque mecum ſpatia tertiæ
nauigationis huius remetiri: Soluimus inquam cum Heli ſummo ſacerdote, po- Heli.
pulique principe, innocente illo quidem, ſed in domeſtica diſciplina remiſſiore,
ac ſolutiore: vnde luctuoſiſſima Hebræi populi clades conſecuta eſt. Inde in Sa- Samuel.
muelem incidimus, eundem iudicem, ac prophetam, qui difficillimis Reip. temporibus,
ad eius gubernaculum nauarchus ſedit, & placidam exhibuit, etiam æ-
ſtuante oceano, tranquillitatem. Deinde conuerſa eſt rerum facies, nauis gu-
bernatore mutato, regia inducta eſt adminiſtratio, & quæ Dei erat, facta eſt
Saülis; parum aut Samuele, aut ipſo Deo mutationem probante; quo nihilo- Saul.
minus facto propitio, aliquot annis floruit Hebræum nomen, rege per circum-
quaque poſitos populos victricia ſigna circumferente.

Sed is dum ſe diuinæ iuſſioni parum exhibet obſequentem, & importuna vel XXVI. Eius lapſus
miſericordia, vel cupiditate victus eſt, Amalecitanam indulgentiam in dome-
ſticam cladem conuertit. Fit regni tutor ac curator, qui rex dudum fuerat, inun-
gitur Dei iuſſu Dauid, & ad regnum euocatur; adoleſcens gigantem proſternit; Dauid.
in omnium oculis, atque ore verſatur. Hinc illæ lacrymæ, hinc ferocem vidi-

mus, ac barbaram aduerſus innocentiſſimum generum æmulationem, qui vice verſa cùm ſocero cruentiſſimo, incredibili patientia, atque animi æquitate certabat; illo in dies in paratum exitium præcipitante, in quod denique incidit infelix; ſeque, familiamque regiam perdidit vniuerſam: niſi quod ad exiguum tempus Iſboſethum, quaſi ſtolonem ad radicem legitimæ arboris ſuccreſcentem offendimus; eodemque breui ſucciſo, Dauid vniuerſæ regionis Hebræorum tenuit principatum, breuique omnes circumquaque populos Iſraëlitarum imperio fortiſſimus Imperator ſubiecit: & ad quadrageſimum vſque annum miræ felicitate Rex optimus gubernauit. *...boſeth.*

...XVII. ...lomon. DENIQVE ad Salomonem peruenimus, pulcherrimum, atque delicioſiſſimum regum florem, Dauidis parentis corculum, ſapientiæ miraculum, prodigium magnificentiæ, tẽpli incomparabilis conditorem, exẽplar gloriæ tã illuſtris, vt ei neq; priora ſecula, neq. peſtriora potuerint exequari: ſed proh dolor: in ipſis pene adhæſit metis, & deprauatus à Syrenis, ad inſaniã inæſtimabilem, infamiã, turpitudinem fœdiſſime delapſus, eo miſerante qui ſe illi patrem futurum ſpoponderat, emergens denique, illud patrium exclamauit: *Niſi quia Dominus adiuuit me, paulo minus in inferno habitaſſet anima mea.* Huc vſque, candide lector, propitio Domino aut nauigando, aut ſcribendo peruenimus, vbi fauente ſanctiſſima Triade, tertio volumini operis noſtri cum gratiarum actione debita imponimus finem. Vtique multis nominibus debita, quandoquidem Spiritu illo diuino, vt orabamus ab initio, vela nauigationis noſtræ ſinuante, annis centum, & ſexaginta decurſis, in optatum denique portum inuecti ſumus: cùm eodem propediem lentato paululum in vnda remo, iterum ſoluturi. *Pſalm. 93 17*

FINIS.

DEO OPT. MAX. LAVS ET GLORIA,
& gratiarum actio, in omnem æternitatem,
Amen.

INDEX
COPIOSVS ET ACCVRATVS
RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ HOC TERTIO ANNALIVM ECCLESIASTICORVM Tomo continentur.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Particulæ, quæ ſubinde iterantur, & compendij cauſæ præciſæ ponuntur, hæc ſignificat. Præ. Præfationem ad Lectorem, quæ in numeros ſuos, ſicut & opus vniuerſum diuiditur, an.mun. vel A.M. vel a.m. Annum Mundi notant. Interdum An.Sa. An. Da. An. Sal. Annum Saulis, Annum Dauidis, Annum Salomonis ſignificant. Sch. vel x Scholia quæ minore charactere toto in opere inſerta, ſingulis fere annis reperies, & numeris annorum reſpondent. N. vel Nu. aut n. numeros indicat, in quos tam Præfatio, quam Anni ſinguli diuiduntur. Vbi annus non notatur ad proxime præcedentem recurrendum eſt. Vbi plura capita eidem titulo ſubijciuntur, verbi gratia Abiathar, in 6. capita mox diſtribuitur, numero ſingulis capitibus ad marginem adiecimus, vt citius inueniretur quod quæritur, quando in hoc ipſo indice eò Lector remittitur. Cætera per te facile, candide Lector intelliges, & Authori ſi places bene precabere, qui in gratiam tui, moleſtiſſimo hoc indicis conficiendi labore perfunctus eſt.

A

ABACVS Solij vel Throni Salomonis, an.m.3033.nu.14.

ABDEMON Tyrius diſſerit cum Salomone, proponendis ænigmaticis quæſtionibus, a. mund.3047.num.28.

ABEL magnus ciuitaſne, an lapis potius, a.m. 2940.n.59.& 60.

ABELA ciuitas, a.m.3010. n.55. ibi Seba obſidetur à Ioabo, n.56.2.Reg.c.20.v.15.

ABIALBON decimus quintus in fortibus Dauidis, a.m.3016.n.31.

1. ABIATHAR filius Achimelechi Pontificis, fugit è Nobe, a.m.2974.n.34. quomodo elapſus, 38. cum Ephod venit ad Dauidem, ibid. quem inuenit in Ceila. 43. cladem Nobes Dauidi nunciat, n.44. quem beneuole accipit, 45. & conſolatur, eiuſque ſe protectorem ſpondet, n.46.

2. *Abiathar* fit Pontifex, an.mund. 2975.num.1. gerit Pontificatum toto in regno Dauidis, & non ſimul cum Sadocho.n.4.& 5. & an. 2995.n.5.& a.m.3009.n.27. cõſiliarius quoque Dauidis, a. 2980.n.20. Hebrone miniſtrat dum Sadoc Gabaone, ib. & a.2995.n.5.

3. *Abiathar* cõnſulit Dominum pro Dauide pugnaturo contra Philiſthæos in valle Raphaim, a.m.2988.nu.10. An filium habuerit Achimelechum, an tantum patrem. 2995.n. 6.& 2973. n.93.2.Reg.8.17.

4. *Abiathar* & Sadoc Dauidem fugientem Abſalonem ſequuntur cum arca, a.m. 3009.n. 23. conſulit Dominum pro Dauide, ibid. nec reſpondet. 24. remittitur cum arca in vrbem, cum mandatis, nu.26.

Abiatharis Pontif. oratio pro populo peſte laborante, a.mun.3017.n. 29. fauet Adoniæ regnum ambienti, a.m.3020.n.13.& qua ſpe, ibid. 5.

Abiathar Pontificatu ſpoliatur, a.m.3021.n.73. & 74. & eum cum veſtibus Pontificiis Sadoco cedit, ibid. Eijcitur Hieroſolymis, a.m. 3021.n.14. an iure, nu.15. Cur iterum poſtea nominatus, an.m.3022.n.125. 6.

ABIEZER princeps turmæ nonæ militiæ Dauidis, a.m.2980.nu.10. numeratur ſeptimus in fortibus Dauidis, a.m.3016.n.28.

ABIGAIL vxor Nabalis Carmeli, a.m.2977.nu. 1.
22. diſcit quæ ab eo dicta aduerſus Dauidem, n.34.& militum innocentiam, & gratiam, n.35. munera parat Dauidi, 36. cumque adit, ſalutatque, 37.& cauſam mariti ſapienter agit. 38.

Abigailis demiſſio animi, an.m.2977.nu.40.& 2.
charitas, ibid.& ſapientia in accuſando marito, n.41. Dauidem exorat, cui & dat munera, num.38.& 44. redit ad virum ebrium, 45. Nubit Dauidi, num.48.& 49. parit Cheleabum, qui & Daniel, a.m.2981.n.2.

ABISAGA Sunamitis quæſita ad calefaciendum Dauidem, a.m.3019. n.7. quæ & vxor 1.
eius facta eſt, ibid. cur notatum non cognitam fuiſſe à Dauide, n.8. ea hiſtoria eſt non parabola, ibid.

2. *Abiſag* coniugium an nouum ius ad regnum daturum eſſet Adoniæ,a.m.3022.n.4. miniſtrat regi Dauidi.3.Reg.1.15.

1. Abisai Dauidis nepos princeps inter Triginta fortes, a.mun.2974.n.8. vult Saulem dormientem interficere,an.m.2978.n.8.& poſtea maledicum Semei,an.m.3009.nu.48.& rurſum 3010.n.13.

2. *Abiſai* cum fratre Ioabo pugnat contra Idumæos,eóſque vincit, an.m.2994.n.4. & 5. occidit 18. millibus,n.7. particeps coniurationis aduerſus Abnerem.2 Reg.ca.3.v.30. pugnat feliciter contra Syros. 2.Reg.10 24.

3. *Abiſai* præmittitur à Dauide contra Sebam tyrannum, a.m.3010.n.42. cum domeſticis copiis, n.43. eius virtus in ſalutem Dauidis in acie periclitantis,a.m.3014.n.3.occidit gigantem , ibid. Primus eſt in ſecunda triade fortium,a.m.3016.n.17.& 18.

Ablactatio triplex à quibuſdam introducitur,a.m.2903.n 2.

1. Abner patruelis Saulis,an.mun.2962 n.44.& 2965.n.16. Qui ignoraret Dauidem cum Goliatho certantem,a m.2971.n.44. Introducit Dauidem victorem ad regem. nu.53 Increpatur à Dauide, a.m 2978. n.15. indeque nata videtur offenſio,n.15.& 25.

2. *Abner* ſchiſmati poſt mortem Saulis initium dedit,a.m.2979.n.103. cur parum æquus in Dauidem,ibid. eius mater an Pythoniſſa,n. 66. & ſchol.6.

3 *Abner* cupiebat fœdus inter Dauidem & Iſbotethum,& quare.a.m.2982.n.2. & 5.eius prudentia,n.4.venit cum militari manu in Gabaonem, nu.6. frigida eius rei à Ioſepho cauſa,ibid. Petit gladiatorium certamen,n. 7 in eoque peccat,nu.8.

4 *Abner* parcit Aſaëli inſtanti , & mox eum inuitus occidit,a.m.2982.n.12. Collem occupat,n.14. & finem prælii petit 15. cunctatur requirere fœdus,an.mund.2983.n.4.& cur, ibid.

5. *Abner* accipit Reſpham concubinam Saulis, a.mun.2985.n.3. Iraſcitur in Iſboſethum arguentem,n.4.iniuſte atque arroganter,n.5. & minatur in Dauidem regnum transferre, num.5. an cum peccato id factum, num.6. & 8.

6. *Abner* mittit nuncios ad Dauidem de transferendo ad ipſum regno,a.m.2985.n 8.& ſollicitat populum vt deficiat ad Dauidem, n. 13. & 14. idque perſuadet etiam tribui Beniaminitæ,nu.15.venit Hebronem ſpecie deducendæ Micholis,n.16.

7. *Abner* à Dauide peramanter accipitur,an.m. 2985.n 17. & init cum eo fœdus priuatum, & publicum parat,ibid.videtur illi promiſſus militiæ principatus , nu.17. dimittitur à Dauide,nu.18.

8. *Abner* per fraudem à Ioabo reuocatur, an.m. 2985.n.24.nomine Dauidis, nu.25.cumque cum Abiſai per proditionem interficit, nu. 25.diuinum in ea cæde iudicium.26.eius ſepultura & funus,num.30.& 31.Epitaphium Abneris.n.32.

Abraham non arguendus infidelitatis in petitione ſigni,a.m.2962.n.92. an & quomodo decimam à Noë generationem conſtituat.Præf.n.19. reſpondens Noëmo, vt Semus Adæ,ibid.

Absalon tertius Dauidis filius, ex Maacha fi- 1.
lia Tholmai regis Geſſur. 2. Reg.3. 3. Ei innoteſcit violatio Thamaris ſororis.a.mun. 3000.n.20. & premit rem ſilentio,ib.& an. 3001.n.2.parat vindictam, a.3002.n.1. & 2. captat loci opportunitatem & temporis 3.

Abſalon inuitat Dauidem cum tota familia,a. 2.
m.3002.n.5. obtinet Ammonem cum fratribus,quos excipit magnifice,n.6. Iubet Ammonem interfici,n.7 moxque ad auum fugit cum ſociis,n.11.& triennio exulat.a.mund. 3003 Qui luctur eum perſe qui pater,n.2.

Abſalonem ceſſat perſequi pater,a.m.3005.n. 2. 3.
& 3.finis exilii Abſalonis.n.1.curat ſuum reditum Ioabi interuentu, ibid.eius reducédi rationes,n.14 & 15. Redit Dauidis indulgétia, & ab eius arcetur conſpectu , nu.20. & quare,ibid.

Abſalon patris conſpectu biennio caret, a.m. 4.
3006.n.2.quam id graue illi eſſet,nu 3. Non fuit tamen cõſilio eius cum excluſus eſt à facie patris,n.4.Quid eum conſolaretur,n.5.

Abſalonis pulchritudo,a.m.3007.n. 4. & cæ- 5.
ſaries,eiuſque pondus. &c.n.5. & ſeqq. Eius liberi,n.9. breuis quidem.10. fatigat apud Ioabum pro obtinendo patris conſpectu,n.11. Cunctantis agrum incendit n.12. Admittitur à patre cum amplexu & oſculo, n.14 15.

Abſalon patet in populo defectionem,a.mun. 6.
3008.n.1 ex ambitione, n.3.& deſiderio vltionis,ibid.eius ambientis ſtudia,nu.5. Quæ illi populi animos demererent,n.6 præter tum comitas,ibid.& ſtudium iuuandi populi quod prætendebat,cũ querela de rege, n.7.

Abſalon populum à rege alienat, a.m.3008 n. 7.
8.facit ſibi currus &equites,9.10.an à Dauide propterea reprehenſus,n. 1.& ſeq.ordo rei ab eo geſtæ,a.3009 n.8.fit rex in Hebron& inúngitur,& accipit iuraméntũ fidelitatis,n.9.

Abſalon ingreditur ciuitatem cum exercitu,a. 8.
m.3009. n.50. Dauidi vitam & regnũ ablaturus,ibid.& n.56.qui exceptus,ibid.temerè ſidit Chuſai,n.70.fine. tranſit Iordanem, n.81.parat prælium in patrem,n.85 & quam immaturam,ibid.

Abſalon in prælio vincitur,a.m.3009.94.quo- 9.
modo perierit eius exercitus.n.94.an etiam diſcerptus à feris,n.95. Ipſe capillis ne alligatus,an [illegible] an vtriſque,n. 96.97. diuinum in eo iudicium,& métis cõfuſio,n.98.

Abſalon à Ioabo tribus lanceis confoditur , a. 10.
m 3009.n.101.eius ſepultura.102.bene conueniens lapidatio, n.102. eius epitaphium, num.103.& Dei in eum iudicium, ibid.eius damnatio à multis aſſerta,num.104. & 119. mors eius Dauidi nunciatur,n.117.

Abulensis Epiſcopus laudatur,a.m.2963.n.7. 1.
eius lapſus in domo Saulis in comitio, n.13. & circa Maſphat,ibid. Improbatur in cauſa Iabeſitarum,nu.33.34.35. & in exercitu Hebræorum parato in omnem euentum,ante Saulem,a.m.3964.n.7.& ſeqq.

2. *Abulenſis* refutatur cum mutare vult phraſin editionis vulgatæ, an.mund.2972.ſchol. 2. & an.mun. 2973.ſchol.1. non fuiſſe Græcæ linguæ peritiſſimum, ſchol.7. Improbatur in duobus pontificibus ſimul, an.mun. 2975.num.2.& ſeqq. non optimus geographus.2993.nu.1 & 99.ſchol.5 & ſchol.3. declamat contra Dauidem.

3. *Abulenſis* nõ bonam aliquot vocum notationem refert, *ἐπινίκιον* vocem Hebræam putat, a.m.2990.ſch.1.& verſus lyricos non ſolum a lyra, ſed etiá à lyrim, quod eſt varietas deducit, ib. vide & Etymon Satrapæ, & triumphi, a.m.2979.ſch 5.& manubrii a.3021.ſc.4.

Accaronitæ arcam queruli recipiunt, an.m. 2940.n.34. & congregant Satrapas ad concilium pro ea dimittenda, n.34.& 41.

Acclamationes populi, a.m.3020.n. 41 & 42.

Achias pontifex rege Saule, a.m.2962.n.8. An idem cum Achimelech, vterque dicitur filius Achitob, ibid. vide etiam, an.m 2973.n. 92.cur ad eum fugit Dauid, a.m.2973.n.92. & Achimelech an idem cum Abiathare, n. 93.vide ſupra *Abiathar*, n.3.

Achimaas ſocer Saulis, pater Achinoam vxoris eius, 1.Reg.14.50.

Achimaas alter filius Sadoci Sacerdotis 2. Reg 15. 27. Nunciat Dauidi cõſilium Achitophelis, 2.Reg.17.17.21.& mox mortẽ Abſalonis, a.m.3009.nu.113. eum Ioab mittere cunctatur, 113.tandemque dimittit, nu. 114. nunciat victoriam diſſimulata morte, 116.

1. Achimelech, vide *Achias*. cum ſuis à Saule Nobe acccerſuntur ad cædem, an.m.2974.n.26. Dei in eos iudicium, ibid. Accuſantur à rege, n.27.& qualis iſthæc accuſatio, n.28.

2. *Achimelechi* defenſio cum laude Dauidis, an. mund.2974.n.29.repellit coniurationis crimen, excuſat ignorantiam, n.30.iubetur interfici cum ſuis, nu.31.occiduntur à Doëgo, n.33. mirabilis eorum patientia, ibid. dicti martyres, ibid. quomodo in Ephod occiſi. nu.34.

3. *Achimelech* cum ſuis ſuſpicati ſunt regis iram, a.m. 2974.n.34.idque ex fuga Abiatharis cũ Ephod pontificio colligitur, ib.& ſch. 4. & plenius, num.38. non fuiſſe eum cum patre quando occiſus eſt, ibid.& fugit ad Dauidem, &c.vide *Abiathar*, n.1.

Achinoa Dauidis vxor, a.m.2977.n. 50. quota, ibid. mater Amnonis primogeniti Dauidis, 2.Reg.3.2. quando peperiſſe videatur, a. m. 2981.n.2.& 3.

1. Achis rex Gethæorum aditur à Dauide profugo, a.m 2973.nu.111.cur præ cæteris Palæſtinis, n.113. in fi.reijcit inſaniam ſimulantem, n.121. Achis & Achimelech an vnus & idem, an.2973.ſchol.15. An Dauid inſanierit coram ſacerdote, ibid.

2. *Achis* rurſum aditur à Dauide cum ſuis, a.m. 2979.n.6. à quo peramanter accipitur, n.7. Datque ei Siceleg non ſolum ad habitationem, ſed ad proprietatem, n.10. Ducit Dauidem ad bellum contra Saulem, nu.29. & qui ei operam ſuam promittat, n.30.

3. *Achis* conciliatur Dauidi parte prædarum, 2979.n. 20. laudat Dauidem apud Satrapas Philiſthæorum, n.46. ſed ipſum eorum voluntate dimittit, n. 49.& 53. eius prudentia apud Dauidem, n.49.eum conſolatur, n.51.

Achitob, nepos Heli, eius ſucceſſor in pontificatu, a.m.2940, n.9. & 10. pater Achimelech.1.Reg. 22.9.11.12.

Achitob pater Sadoci pontificis præficitur tabernaculo fœderis in Gabaon, ann. mund.2975.num.4. cui filius in officio ſuccedit, ibid.

Achitophel Dauidis conſiliarius ab initio regni.2980 n.18. Soceri Vriæ pater, ibid.& a.m.2998.n.7.Eius filius Eliam, qui & Ammiel, ibid.cum Abſalone conſpirat, 3008.n. 4. & quare, ibid. oderat Dauidem propter facinus in Vriam & Bethſabeam, ibid. 1.

Achitophelis conſilium ineundæ tyrannidis, a. m.3009.nu.8.9.ſe aperte dat Abſaloni, nu.9. eius conſilium de concubinis Dauidis, nu. 61.quo fine ſuſceptum, n.62 65.modis omnibus ſceleſtum, n.63.eiuſdẽ prudẽtia, n.64. 2.

Achitophelis alterum conſilium de ſtatim perſequendo & opprimẽdo Dauide, a.m.3009. n.65.quam vtile id foret, nu.66.laqueo ſibi vitam eripit, n.78.& quibus de cauſis, n.79. & quam iuſta hominis mors, 80. quam ſimilis Iudæ proditori, ibid. 3.

Acrisia ſiue *Acraſia* hoſtium inter ſe pugnãtium in pugna Ionathæ contra Philiſthęos, an.m.2964.n.67.

Adad fuit quaſi cognomen regum Syriæ, an. m.2993.in ſchol.

Adad ex Idumæa fugit, an. mund.2994.n.17. redit ex Ægypto, an.3022. num.23.tota eius hiſtoria, a m.3057.n.13.regnauit in Idumæa, n.16.ſuſcitatur aduerſarius Salomoni, n.13. & ſeqq.

Adami lex quid, a.m.2990.nu.68. Adami cum Dauide ſimilitudo, ibid. eiuſdem Adami cum Semo. Præf.n.19. Adamóne ſapientior Salomon, a.m.3022. n. 62. videri Adamum, ibid.etiam in politica, n.96.

Adarezer rex Syriæ, arma ad Euphratem tulit, a.mund.2993.n.3. Quæ cauſa belli eius contra Dauidem, n.4. Rurſum bellum gerit contra Dauidem, an.m.2997.nu.3.& 4. vincitur, n.6.7.& ſeqq.

Adeodatus an Dauid, an potius Elchanam, a. m.3014.nu.9.& 10. qui fuit vnus de fortiſſimis Dauidis, ibidem. idem filius ſaltus, & Bethlehemites, ibid. vide *Elchanan*.

Adino primus fortium Dauid, a.m. 3016.n.11. An idem qui Ieſbaam filius Hachamoni, ib. & ſch.1.appellatiuis vocabulis propriorum loco tãHebr. quam Latine appellatur, ib. primus eſt in priore triade fortiũ.ib.v. *Ieſbaam*.

Adiuratio. vide *Iuramentum*, ſiue *Iuſiurãdum*.

Admiratio aulicorum Dauidis, poſt mortem filii eius, a.m, 2999.n. 22. Admiratio reginæ Sabæ, a.m. 3047.n.28.29.31.

Adonias filius Dauidis & Haggith.3.Reg.1.5.& a.m.2981.n.6.inſoleſcit, & regnũ ambit, a.m. 3019.nu.9.nixus primogenitura, prioribus fratribus mortuis, n.10. & 3020.nu.12. quæ ambitionis eius præſidia, n.12.13.&c. 1.

2. *Adonias* ſui ſtudioſos conuocat, a.m. 3020.n. 16. ſacrificat in ſua inauguratione, &c vbi, ibid. conuiuium, inunctio, acclamationes, n.17.& 18.

3. *Adonias* diſcit quæ circa Salomonem facta fuerant, a.m.3020.n.48. fugit ad altaris aſylum, n.49.& quonam, ibid. veniam obtinet à Salomone, 50. Adeſt comitiis cum cæteris regis filiis, an.m.3021.n.7.& quam ob cauſam, ibid.

4. *Adoniæ* noua coniuratio, eiuſque cauſa, & eiuſdem fautores, a. m.3022.n.1. quærit Abiſag coniugem intentione non recta, n.4. morti addicitur à Salomone, a.m.3022.n.11. an iniuſtè, nu.12.13. videri iuſte, ibid.

Adoniram præfectus tributis, a.m.3022.n.128. idem videtur cum Aduram ſub Roboamo. 3.Reg.12.18.

Adoptio improbatur in patre filios naturales habente, a.m.2969.n.35.

1. Ædes regiæ Salomonis tria domicilia continent, Regis, Reginæ, & ſaltum Libani. 3030. n.47.48. ideoque dici domum vnam, n.48. & 49. quando inchoatæ. 3030.n.44. quæ ædificandi cauſa, num.45. quæ materia, atque idea ædificij 46.

2. *Aedium* fundamenta iacta, a.m.3031.n.1. & 2. pons inter eas & tẽplum, n.3. materia earum pretioſa, a.m.3033.n.2.& 3. ornamenta parietum, & aulæorum, n.4.& 5. Ædificia externa Salomonis, a.m.3044.n.2.

Æditvi in templo, iidem Ianitores, & Præpoſiti theſaurorum, a.m.3021.n.41.

Ægyptivs famulus Amalecitarum, deſertus ab hero. an.m.2979.n.106. inuenitur à Dauidicis, & ad eum adducitur, 106.107. cur à Dauide iuramentum exegerit, n.108. cur timeret, nu.109. vnde ſciret locum vbi erant Amalecitæ, ibid.

Ægyptii an in templo Salomonis operarij fuerint, a.m. 3022.nu.137.& 146. non videri, ibid. De regibus Ægypti Ioſephi narratio, a. m.3047.nu.3.& 4. examinatur, nu.5.& 6. de duratione regum Ægypti fabuloſa, n.7. an Pharao commune eorum nomen, n.8.

Ænigmatvm peritia Salomonis, a.m.3022.n. 83. data Salomoni diuinitus 84. eam ſcientiam exercuit, ibid. cæteroſque mortales ſuperauit, ibid. vide & an.m.3047.27.& 28. de quæſtionibus reginæ Sabæ.

Ætates mundi digeruntur, an. m. 2939. finis quartæ, n 1. Initium quintæ, a.m. 2940. n.1. deſcriptio durationis omnium mundi ætatum, n.1.& 2. cur quinta à primo Samuelis inchoëtur, n.3. reliquarum duratio, n.2.

1. Agag rex Amalecitarum capitur à Saule, & ſeruatur, a.m.2968.n.18. vide etiam 1964.n. 33. An ex auaritia ſeruatus, vel ſuperbia, vel potius miſericordia Saulis, a.m.2968.nu.18. 19.& 42.

2. *Agag* an præ cæteris reus eſſet, an.m.2968.nu. 41. Siſtitur Samueli, n.68. tremens; eiuſdemque gemitus ac cædes, n.69. an membratim diſſectus fuerit, ibid.

Agaræi, & *Agareni*, eorumque ſocii in bello contra Iſraëlitas, a.m.2965.n.12.

Agricvltvra à regibus culta, a.m.2963.n.38. apud varias gentes, ibid. Agricolarum voluptates. a.m.3006.n.5.

Ahiam vigeſimus primus numeratur in fortibus Dauidis, a. m.3016.n.33.

Ahias Propheta obiurgat Dei iuſſu Salomonem, a.m.3057.nu. 4.7. occurrit Ieroboamo, ſeductumq; alloquitur de regno, 26. ſcindit pallium 27. & edit vaticiniũ diuiſionis, n.29. 30. an Salomõ prophetã perſecutus ſit. n.40

Ahiezer venit ad Dauidem in Siceleg. 2980. n.10. alius eſt ab Abiezer, ibid.

Ahilvd erat à Commentariis Dauidi, & quod officium, a.m.2995.n.3.

Ahizar Præpoſitus domus Salomonis, & quod officium id foret, a.m.3022.n.128.

Alienigenæ, qui à Septuaginta interpretibus dicuntur ἀλλόφυλοι, propriè intelligũtur Philiſthæi paſſim in lib.6. Regum. pro alienigenis vniuerſe orat Salomon in dedicatione templi, a.m.3030. n.31. Iudæorum in eos affectus, n.32.& a.m.3042.n.5.

Altare thymiamatis, eius nomina & ſitus, a. m.3024.n.91. fuiſſe in aula ſancta, extra oraculum, ib. Salomonicum an idem cum Moſaïco, n.92. diuerſum videri, nu.93. quæ eius forma & fabrica, n.94. eius forma ex Villalpando, nu. 95. ibi ſacerdotes ſuffitum faciebant mane & veſperi, ibid. 1.

Altare holocauſtorum vbi ſitum, & quæ eius nomina, a.m.3025.n.47.& 61. quare dictum Ariel, ibid. & ſchol. 7. Quæ eius materia, & pondus, n.48. quæ forma, n.49.& ſeqq. eius partes, n.50.&c. eiuſdẽ cornua qualia, n.63. 2.

Altare in area Iebuſæi excitatur, an.m.3017. in figuram Eccleſiæ Gentium, n.31.& in Ramatha à Samuele, 1.Reg.7.17.& in Aialon à Saule, 1. Reg. c.14.35. & à Dauide coram arca 3. Reg.1.50.51.& in Hebron, an.m.2986.nu.33. cum ordinarium eſſet in Tabernaculo in Gabaon, 1.Paral.16.n. 39.& 40. 3.

Amalecitarvm bellum quãdo contigiſſe videatur, a.m.2968.n.1. eius author Deus, n.2. qui id cõmittit Sauli, ib. cauſa belli ex parte Dei, & Amalec.nu.3.6.41. vult eos fieri anathema, n.7.8.9.14. cur dicti peccatores, n.39. 1.

Amalec ciuitas quæ, a.m.2968.n.12. Ipſum bellum eius quale, n.16. qui termini illatæ vaſtitatis, n.17. quam fœda eius ſpecies, nu.23. præda reſeruata in ruinam Saulis, vtpote ſacrilega, n.40. vide *Saul* & *Anathema*.2. 2.

Amalecitæ prædatur Dauid, cum maneret in Siceleg, a.m.2979.n.17. Et ipſi viciſſim Siceleg, n.58.59.60. cur id à Deo permiſſum, nu. 61.& Dei in Iſraëlitas prouidentia, ibid. Epulantes à Dauide cæduntur, n.110. delentur, paucis effugientibus, n.112.& 113. 3.

Amalecitas quo iure Dauid deprædatus ſit, an. m.2979.nu.17.& 139. eorum cædes ex Ioſepho, n.113.& ſchol.11. Amalecita an Saulem occiderit, a.m.2979.n.122. non videri. 123. 4.

Amasa Dauidis nepos, venit ad Dauidẽ in præſidio Moabitico, a.m.2974.n.8. cum triginta de ſuis, ib. idẽ & Amaſai. Adhæret Abſaloni in cõiuratione, fitq; ab eo militiæ princeps, a.m.3009.n.81. quæ eius origo, & genus, n.82 1.

2. *Amaſam* Dauid allicit ad ſe finito bello, etiam promiſſione præfecturæ Ioabi, an.m. 3009.num.133.Iudæam tribum Dauidi conciliat,nu.136.cum Pontifice & Sadoco,ibid. cogit exercitum contra Sebam tyrannum, a.m.3010.n.41.

3. *Amaſa* adducit collectas copias ad Abiſai qui anteceſſerat, quorum erat Ioab, à quo per proditionem occiditur,a.m.3010.n.46.non plane innocens 47.ei mortuo inſultatur,n.51.quid cadaueri factum,n.53.eum luget Dauid,n.49.& 50.& eius funus,n.54.

Ambitio ſæua,& ſuſpicax,a.m.2969.nu.10.& 20.& 3009.nu.39. Ambitio Ioſephi, an.m. 2962.n.52.Ambitio Saulis,an.m.2972.nu.3. Dauidis,3009.n.39. Abſalonis,& Adoniæ, Ioabi quoque qui ea motus occidit Abnerem,& Amaſam,vide ſuis locis.

Amicitia, vide *Ionathas*. requirit vitæ cõſuetudinem,an.m.2971.n.59.

Ammiel pater Bethſabeæ, qui & Eliam dicitur,a.m.2998.n.7.vide & ſchol.1. vbi videtur anagrammatiſmus.

1. Ammonitarum bellum contra Iſraëlitas & nominatim Iabeſitas,an mund. 2963.num. 26.quando contigerit,ibid. An Naas rex eorum bis inuaſerit Hebræos, ibid. & nu. 68. quæ belli cauſa,num.27.& 28.obſidet Iabæſitas,n.29.& 30.dat inducias,n.34.an imprudenter,ibid.

2. *Ammonitæ* vincuntur à Saule,an.mund.2963. num.44. & vaſtantur, num.51. exoritur nouum bellum eorum contra Dauidem, an.m.2996. n. 1. occaſio & cauſa eius ex legatorum violatione,num.2.& ibid. de Hebræorum cum eis amicitia,an licita.

3. *Ammonitæ* bene olim meriti de Dauide, an. mund.2996. num.3. temerarium eorum de Dauide iudicium,num.5,& calumnia,ibid. parant bellum ad reſiſtendum Dauidi, nu. 10.ſtatim,n.11.conducunt militem mille talentis, & quid illi valeant, n.10.quatuor auxiliorum genera contrahunt,n.12.

4. *Ammonitarum* copiæ,& currus,a.m.2996.nu. 13. cur ad ſuam vrbem caſtra locent, nu.14. eorum conſilium in prœlio ineundo,n.15.irritatur à Ioabo diuidente copias ſuas, n.16. quamprimum fugiunt viſa Syrorum fuga, n.18.bellum interrumpitur,ibid.

5. *Ammoniticum* bellum renouatur,a.m.2997.n. 2.euocant iterum auxilia Syrorum,ibid.qui iterum vincuntur,nu.6.& ſeq. quantum in Dauidem deliquiſſent, a.m. 2999.n.38.

6. *Ammonitæ* in Rabba vrbe ſua obſidentur, vaſtitate prius agris illata,a.m.2998.n.4.ex deſperatione fortes, ibid. capitur vrbs, & cedit in prædam,an.mund. 2999.nu.33. ſeueriſſime puniuntur,num.37.& 38.an omnes, & quam congrua pœna, n.39. nec penitus exciſi,n.40.vide etiam an.m.2996. num.7. vide *Rabba*.

1. Amnonis facinus quando contigerit, an. m. 3000.n.7.amat ſororem,n.9. fingit ægritudinem, n.12. impetrat à patre vt inuiſatur à Thamare,nu.13.vim infert ei, nu.14.eius amor ſtatim verſus in odium, & vnde, n.16. non arguitur à Dauide, n.22.& 23.

2. *Amnon* cæditur temulentus iuſſu Abſalonis, an. mund. 3002. num. 7. & miſere perit, ibidem.inde tumultus & fuga timentium, num.8. quanta cum fratris culpa cæſus, nu. 9.

Amor ingenioſus,an. mun.2998. num. 17.& 24. & ſimulator, num. 25. verſus repente in odium, & vnde,an. mund. 3000. nu. 16.

Anacephalæosis tertij tomi, in eius concluſione, an. mund. 3059. num. 25. 26. & 27.

1. Anathema Saulis, ſui potius execratio vetantis cibi ſumptionem, an. mund. 2968. ſchol.1.

2. *Anathema* Domini in Amalecitas,an.m.2968. num. 7. in totum populum, & omnia eorum bona, num.8.9.14.in fine, & an. 2969. nu. 18.vnde Saul cum toto exercitu factus eſt ſacrilegus,ibidem. Non fuit perpetuum hoc anathema, vnde & Dauid eos ſine culpa deprædatus eſt,an. mund.2979. num. 17.

1. Angelorum bonitas in exemplum ſumitur à Scriptura,an.m.2979.n.52.ſic & ſapientia, poteſtas, pulchritudo, caſtitas, immortalitas,ſanctitas,ibid. eorum apparitiones tam bonæ,quam malæ, tam bonis, quam malis factæ terrificæ ſunt,nu.94.

2. *Angeli* peſte percutientis apparitio Hieroſolymis,an.m.3017.n.24.viſus in monte Moria,in area Iebuſæi, ſublimis in aëre, n.26.à quibus viſus,27.ab Ornan,& Dauide,27.28. quem per Prophetam monet de ſacrificio, n.30. 2.Reg.24.18.

3. *Angelica* ſcientia comparata cum Salomonica, an. mund. 3022. num. 60. an eorum naturas nouiſſet Salomon, numer. 98.

Anguli populi qui dicantur in Scriptura 1. Reg. 14. v. 38. ann. mund. 2964. num. 105.

Animalia Arabica diuerſi generis, an.mun. 3047.n.26.& ſchol.1. & 2.

1. Annæ matris Samuelis triſtitia in Silo, an. mund. 2900. num. 15. & 16. eiuſque cauſæ, ibid. nec tamen inuidiæ accuſanda, nu. 15.fin.ſumpto cibo adit domum Dei, num. 20. vbi orauerit,n. 21.eius oratio & votum, nu.23.& 24.

2. *Annæ* patientia in obiecta ſibi ebrietate, an. mund.2900.num.27. 29. 30. 31. eiuſdem æquanimitas, & conſtantia, num.35. An aſcenderit ad purificationem die 40.an.mun. 2901.num.4.non aſcendiſſe,& quidem ſine culpa,n.5.

3. *Anna* parit Samuelem, an.mun.2901. num.1. cum lactat cum gaudio,an.mund.2902.nu. 1.& veneratione, n.2. proprio lacte nutrit, num. 3. ablactat & offert Domino anno 3. mundi 2903.n.3.4.& ſeqq. ordo rei geſtæ,n. 11.12.13.

4. *Anna* inſignes virtutes prodit, ann. mund. 2903. num. 11. 12. 13. offert filium in totam vitam, num. 13. 14. hymnum gra-

tulatorium, & Propheticum canit, nu.15. domum redit, nu.16. relicto Samuele in Silo, num.17. magna cum laude fortitudinis. 18.

5. *Anna* Deo benedicente, & remunerante oblatum Samuelem, alios ſuſcipit liberos, a.m.2907.n.1.& 6. & quo numero, n.6.& 7. quinque ne an ſeptem, ibid. aſcendit in Silo & inuiſit crebro filium, nu.6.

Anni ſeruitutum Iſraëlitarum incluſi in annis Iudicum, a.m.3023.n.4. Anni Sabbatici, & Iubilæi; vide ſuis locis. & *Chronologia*, & *Ratio temporis*. Anni Dauidis expanſi, an.m. 3009. ſchol.1. ibidéque Saulis & Iſboſethi.

Annona quotidiana Salomonis, an.m.3022. n.129.130.131.

Antæ, & Anterides, & Coſtæ murorum templi, a.m.3024.n.12.

Anterides ſubſtructionum templi, a.m.3023. nu.25.& 26.

Antiquorum ſimplicitas, nominatim in muneribus, an.m.2971.nu.18.& 2962. nu.52. & an.2970.n.13.

Aorasia, vide Acriſia, an.m.2964.n.67.

Aphec quæ, & vbi, an.m.2979.n.43.

Apparitiones tam bonæ quam malæ, tam bonis quam malis exhibitæ natura terrificæ, an.m.2979.nu.94.

Aquæ effuſio an eſſet ſacrificium, an.m.2946. nu. 11. potuit tamen offerri Deo. Aqua ciſternæ Bethlehem deſiderata à Dauide, an. 2988.n.32. eam noluit bibere, & quare, nu. 36. ſed eam libauit Domino, ibid.

Arabia fœlix regio Reginæ Sabæ, a.m.3047. num.11.& 12. qualis ea regio ex Diodoro Siculo, nu.13.& ſeqq. valde remota à Iudæis probatur, nu.18.

Arabica animalia diuerſi generis ex eodem, an.m.3047.26.& ſchol.1.& 2.

Arabica lingua Salomonis, an.m.3022.n.63. & nouum eius alphabetum, ibid. ex Pineda.

Arach ciuitas, eadem putatur cum Edeſſa, an. m.3009.n.32. inde dictus Chuſai Arachites, ibid.

Arapha gigas ex quo plerique alij, 2.Reg.21. 16.& ſeqq. an.m.3014.n.4. putatur Orpha, inepte, ibid. vide & ſchol.1.

1. Arca Domini defertur in caſtra ab Hebræis laudabiliter, a.m.2939.n.11.& 14. effertur ab Heli ex oraculo, & deducitur ab eius filiis, nu.15. Excipitur cum læta vociferatione, & timore Philiſthæorum, nu.16.& 17.

2. *Arca* fœderis ab eiſdem capitur victis Iſraëlitis, a.m.2939.n.19.& 20. cur id Deus permiſerit, n.21. quamdiu manſerit in Silo, n.1.& 41. de ea reuelatio quædam ex Rabbino, an. m.2940.n.12.

3. *Arcam* Philiſthæi cur impune videant, capiant, auferant an.mund.2940.nu.14. mox tamen affliguntur ab ea, & cur. nu.15. Prior eius cum Dagone pugna, num.17.& 18. poſterior, num.19. rurſum poſt annos 48. Deus vindicauit arcam in diis Philiſthæorum, a. m.2988.nu.12.

4. *Arca* vexat Azotios, an.m.2940. quo morbo, ibid. & Accaronitas, n.34. & paſſim omnes Philiſthæos, n.35. nō permittit Deus arcam ab ipſis confringi, aut comburi, n.35.

Arca variæ ſedes, a.m.2940. num.38. quamdiu apud Philiſthæos manſerit, n 39. an in agris ſub dio, n.40. concilium de arca remittenda cogitur, nu.41. & qui in eo fuerint, ibid. & ſchol.4. 5.

Arca parant iniuriam expiare donariis aureis anorum & murium, an.m.2940. n.42. & 43. quam illi exequuntur, nu.48 eius reſtitutio mirabilis, n.49. & 50. an opera dæmonum interuenerit, nu.51 6.

Arca deducitur in agrum Bethſames, an. m. 2940. nu.52. quo tempore, nu.53. ibi ſacrificatur ante arcam, nu.56. cæſis præter legem vaccis. A quibus, n.56.& 57. quamdiu manſerit apud Bethſamitas, n.69.70.71. 7.

Arca defertur in Cariathiarim, an.m.2940.n. 73. Vide Cariathiarim; Cur non reducta in Silo, a.m. 2741. num 5. an 20. tantum annis manſerit in Cariath. a.m.2960.n.2.& ſchol. 1. an potius vſque ad Dauidem, nu.3. 8.

Arca an fuerit in Maſphath, an. m.2960. n.4. non fuiſſe, ibid. & an.2963. num.3. quamdiu manſerit in Cariathiarim, an. m.2989. nu.7. cur tranſlata in Sion, nu. 8. conſuluntur ad tranſlationem maiores natu, & conſentiunt, n.9.10.14. 9.

Arcæ transferendæ conuocatur populus, a.m. 2989.nu.11. Leuitæ, & Sacerdotes, nu.12. cur tandiu illic relicta, n.13. aufertur è domo Abinadab, nu.16. plauſtro imponitur, num.16. non ſine culpa, nu.17. cur id factum videatur, nu.17.& 18. 10.

Arcæ transferendæ ordo & modus pompæ, a. m.2989.n.19.& 20. periclitatur à caſu, nu.21. Oza eam retinet, & occiditur in veſtigio, n. 21.& 22. defertur ad Obededom, num.30. & ſeqq. an cum culpa, ibid. 11.

Arca cur non delata in Gabaon, a.m. 2990. n. 2. ſed in Sion, manente Gabaone tabernaculo, n.3. ordo tranſlationis, n.5. intra Sionis arcem poſita, nu.5.& 6. An in palatio regis, n.6. aut potius in ſeparata domo, nu 7. cuiuſmodi ea eſſet, n.8. 12.

Arca in ſolemnitatibus à ſacerdotibus ferebatur, a.m.2990.nu.11.& 12. alioqui id erat officium Caathitarum, n.13. eius deferendæ pompa, n.23. Leuitarum 7. chori, nu. 20.21. 22. eos Deus iuuiſſe dicitur, n.24. 13.

Arcæ quis in Sione cultus, a.m.2990.nu.28. ibi ſacrificatur, ſed non ordinarie, & legitimis ſacrificiis, n.29. defertur ad obſidionem, an. m.2998.n.16. defertur ad Dauidem fugientem, à quo humiliter remittitur, a.m. 3009. n.23.24.&c. 14.

Arcæ præſentia quam vtilis, a.m.3009.n.27. fi. Scabellum pedum Domini, a.m.3021.n. 49. cum pompa defertur in templum, an. m. 3030.n.12.& ſeq. an & alia delata, n.15. vt tabernaculum, Dauidicum an Moſaïcum, nu. 11. ſacrificia, & cantica toto itinere, n.13.14. &c. 15.

Arca in Oraculo deponitur, an. mund. 3030. num. 21. quam feſto apparatu, num. 22. an & prodigio oraculi diuinitus clauſi, & 16.

ſponte patentis, num. 23. improbatur. ibid. cætera ſuis locis collocata. nu. 24. Impoſita quadrigæ Cherubinorum 3024. nu. 54 quæ in ea eſſent, num. 86. 87. 88. nihil præter tabulas legis. & explicatur Paulus, num. 89.
Architectvræ peritia in Salomone, an. m. 3022. num. 81.
Arcvs triumphalis Saulis deletis Amalecitis, ann. m. 2968. nu. 32. dicitur & Manus. ibid. an cum culpa vanitatis, num. 33. potuit ſine culpa, num. 34. An à Dauide erectus victis Idumæis, 2994 num. 10. ita videri, nu. 11.
Area, ſiue Areæ vide Atrivm.
Arevna, qui & Ornan Iebuſæus, capta Sionis arce ſeruatur, ann. mun. 2987. num. 15. videt angelum percuſſorem, ann. mun. 3017. num. 27. An fuerit Ethnicus, num. 32. aditur à Dauide 33. eius liberalitas vnde orta, num. 34.
Argenti vilitas tempore Salomonis 3033. nu. 7. quomodo ſit intelligenda, ibid. Argenti & auri quanta vis à Dauide ad templum præparata. ann. mun. 3017. num. 43. ſchol. 6.
Ariel, vide *Altare.*
Ariolos è terra ſuſtulit Saul, ann. mun. 2979. num. 37. vide *Magi.*
Arithmeticam tenuit Salomon cum cæteris Mathematicis, ann. mund. 3022. num. 73.
Arma, & ferri omne genus ſublatum Hebræis à Philiſthæis, ann. mun. 2964. nu. 39. & 40. & quam id mirum, ibid. & vnde id factum videatur, num. 42. & 43.
Arreptitivs Saul, ann. mun. 2969. num. 53. & ſeqq. Arreptitiorum pudor, num. 56. agnoſcitur, is morbus in Saule, ann. mun. 2970. n. 1. Arreptitij in quibus ſimiles prophetis an. mun. 2971. nu. 70. per eos fit diuinatio 2979. num. 69.
Asael Ioabi frater. Præfectus quartæ turmæ, ann. mun. 2980 num. 7. Quando venit ad Dauidem, ibidem. Perſequitur Abnerem 2982. cum vult habere captiuum, n. 11. occiditur ab eo, num. 12. iacet in via. nu. 14. eius ſepultura, num. 18. Primus 30. fortium Dauidis, 3016 num. 25.
Ascanii filius, an. m. 2905. num. 2.
Asiongaber adita à Salomone, ann. m. 3044. num. 20. & 21. vbi ſita 22. 23. an gemina 23.
Asor quæ in 3. Reg. 9. 15. dicitur Heſer, in Hebræo vero Aſor. à Salomone inſtaurata eſt, a. m. 3044. num. 14.
Astrologiæ, ſiue *Aſtronomiæ* peritus Salomon, ann. m. 3022. num. 74. eáque latè patens, ibid. diſpoſitionem ſtellarum continet, num. 75. In ea ſcientia præceſſit orientales, num. 76. Aſſyrios & Ægyptios, 78. 79
Asylvm quî cæde non violetur, an. mun. 3022. num. 21. nimirum in voluntariis homicidis, qualis fuit Ioab. ibid.
1. Atrivm gentium in templo, atria ſancta, omneque ædificium ambiebat, ann. mun. 3025. quomodo diuiſa ibid. Areæ ædificij 8. num. 32. Area templi ipſius, ibid. de Atrio gentium, ſiue profano vide & ann. mundi 3025. num. 11. 12. & ſeqq.
2. *Atrium* Iſraëlitarum non adibatur à gentibus, ſub pœna capitis, a. m. 3025. nu. 14. vnum fuit diuiſum in multas areas, ſiue atria à Dauide celebrata, nu. 24. & 25. eius nomina, nu. 26. & forma quadrata 27. non rotunda, 28.
Atrij Iſraëlitarum ſitus, & diſſectio, an. mund. 3025. num. 29. Ea fuit quadriporticus cum 9. areis, num. 30. & tribus portis in Meridie Septentr. & ortu. ibid. Eius murus ſimilis muro atrij gentium, num. 31. duæ eius oræ, ſiue extrema, nu. 32. 3.
Atrij Iſraël, duo fuerunt columnarum ordines in ſingulis porticibus, an. m. 3025. num. 33. Interna externaque facies huius atrij. 35. eiuſque ornamenta, & trabeatio, ibid. pauimentum & gazophylacia, num. 37. 4.
Atrium fœminarum, ann. mund. 3025. nu. 40. 5.
Atrium Leuiticum, ſiue Sacerdotum, ann. m. 3025. num. 41. ab Iſraëlitico diſtinctum, ibid. Eius forma, & an ſanctuarium ambiret, nu. 42. & qua ratione, num. 43. quæ in eo eſſent, altare, luteres, mare æneum, &c. num. 46. 6.
Avaritia in Amalecitana præda pernicioſa, an. mun. 2968. nu. 21. & 22. & ſacrilega, ibid. vide Amalec, nu. 2.
Avlicorvm virtutes propriæ, an. m. 2970. n. 9. & ſeqq. quæ in Dauide eminebant, etiam cum aulam adijt, & frequentauit. Ibid.
Avri, & Argenti quanta vis ad templum à Dauide parata, an. mun. 3017. num. 43. & ſchol. 6. Terra auri, vide *Cherſoneſus.*
Avrificina Salomonis, ann. m. 3022. num. 81. Aurea vaſa, vide *Vaſa.*
Azariæ Sadoci filij quod eſſet officium, a. m. 3022. n. 124.
Azarias alius, nu. 126. vide & ſchol. 6.
Azmoth Bauramites decimus ſextus in fortibus Dauidis, an. m. 3016. nu. 32.
Azoti Philiſthæi, morbo ſedis affliguntur. an. m. 2940. num. 25. quam iuſtus, ac grauis, nu. 26. Eorum villæ muribus ebullierunt, nu. 27. qui terræ frugibus, hominibuſque infeſti, n. 28. & 29. Dimittunt à ſe arcam Domini, n. 31.

B

Baalath, vrbs inſtaurata à Salomone. 3. Reg. 9. 18. an. m. 3044. num. 19.
Baalhazor Abſalonis villa. 2. Reg. 13. 23. ann. m. 3002. num. 3. quo modo dicatur eſſe iuxta Ephraim nu. 4, & quid eo nomine intelligendum, ibid.
Baana & *Rechab* fratres ſicarij 2. Reg. c. 4. 2. principes latronum, ibid. ann. m. 2986. num. 4. & ſeqq. de rege Iſboſetho occidendo certi, cum adeunt, quo loco, quo tempore, quo modo. num. 10. & 11. cumque confodiunt, & obtruncant, n. 12. 1.
Baana cum fratre deferunt Iſboſethi caput ad Dauidem, ann. m. 2986. n. 13. & 14. vtriuſque oratio expenditur, ibid. obiurgantur à Dauide, num. 14. præciſis manibus ac pedibus aguntur in crucem, nu. 15. 2.
Babylonii magi, an. mun. 3022. ſchol. 3. iidem Chaldæi, ex Diodoro Siculo, & Cicerone.
Badan, idem qui *Barac*, vnus de Iudicibus He-

bræorum.1.Reg.ca.12.11.ann.mun.2963.nu. 66.& ſchol.6.

Bahvrim oppidum in tribu Beniamin, vbi habitauit maledicus Semei, ann.mun.3009. ſchol.6.

P.Ioan. Balmesivs Societatis Ieſu Theologus, ann.m.2976.ſch.1.

Balsamvm in Arabia naſcitur, Diodor. Sicul. inde plantam regina Saba detulit ad Salomonem. Ioſephus, ann.mund.3047.16.

1. Banaias princeps tertiæ turmæ Dauidis, a.m. 2980.num.7.ſacerdos fuit, ibid. egregiè ſe geſſit in bello Moabitico, an. m. 2992.nu.8. in quo duos leones dicitur occidiſſe, num. 20. anni 3016. pugnauit cum altero, 21. an laudabiliter.22.

2. *Banaias* idem ſecundus in ſecunda triade fortiſſimorum Dauidis, an.mun.3016. num.19. inermis armatum Ægyptium occidit, num. 23. eius genus, fortitudo, prudentia, nu.19. dux regij ſatellitij, ibid.

3. *Banaias* ſtudet Salomoni contra Adoniam, 3. Reg.1.8.a.m.3020. bene precatur Dauidi n. 31. cur adſit inaugurationi Salomonis n. 36. iuſſu eius Ioabum occidit, an.m.3022.num. 22. fit princeps militiæ eius loco. 3. Reg. 4.4.

Banaias alter princeps turmæ vndecimæ, an. m.2980.nu.11. 1.Paral.27.14.idem decimus tertius in fortibus Dauid, cognométo Pharatonites 2.Reg.23.30.an.m.3016.n.31.

Barac, vide *Badan*.

Barbæ eraſio in opprobrium, an.m.2096.n.8. idque in more poſitum Moabitis in luctu. ibid.vide & n.9.

Bases columnarum templi, an.mun.3024. n. 79. *Baſes* luterum, ann.mund.3025.nume.71.

Baſis ſolij Salomonis, an.m.3033.nu.14.

Batorvm duo genera, an.m.3025.n.69

Belial filij dicuntur variis peccatis obnoxij tam in genere, quam in ſpecie, an. m.2900. nu.32.& an.m.2963.n.22.

Bellvm ſine gladiis, ann.m.2964.46.ſtipitibus ac pugnis geſtum, vnde & pugnæ nomen, ibid.

Bella domini quæ dicta, an.m.2965.num.14. Id Dauidi dixit Abigail. 1.Reg.25.28.an.m. 2977.38.43.

Belli immunitas quibus data, an.m.2973.n.9. potuit quis cedere priuilegio, vt Dauid.n. 9.& 12.

Bellvm Saulis vltimum contra Philiſthæos, a. eius vlt.n.38.& ſeqq.

Bellvm quî vtrimque iuſtum eſſe poſſit, a.m. 2979 n.139.

Bellvm gladiatorium, quale induxit Abner, an legitimum, ann.mund.2982. num.7.& 8. ab eo excitatum ciuile bellum.n.1.

Bellvm Iloticum, a.m.2987.ſchol.vlt. ab Agis rege Lacedæmonum contra agreſtem multitudinem, ibid.

Bella non reddebant Dauidem inhabilem ad ædificandum templum, a.m.2990.n.56. vide & ſchol.7. cur ea Deus excitari voluerit, an.m.2991.n.3.4.5.& 2992.n.1.

Bellvm Dauidis contra Idumæos, a.m.2994. n.1.eius cauſa quæ, num.2. pugnæ locus, nu. 3.quomodo, & per quos geſtum, num. 4.& ſeqq.

Bellvm ciuile Abſalonis paratur, an.m.3008. n.1 eius cauſa prima, Deus vltor peccati Dauidis; & ambitioſus Abſalon, n.2.& 3.exarſit anno quadrageſimo ab inuncto primum Dauide, an.m.3009.n.4.& fuſe ſchol. 1.vbi anni eius κγʹ πλατ.

Bellvm ciuile luctuoſum, a.m.3009. n. 85.paratur prælium Dauidis in Abſalonem, quis copiarum numerum 88. committitur prælium in ſaltu Ephraim, nu.93.

Bellica expeditio in Emath, an.m.3044.nu. 4.quam ſibi ſubiugauit, ibid.

Bene-Asen decimus octauus in fortibus Dauidis, a.m.3016.nu.31.

Benedictio menſæ, & quorum ſit, an.m.2962. n.56.

Berzellai ortus, & anni, a.m.2931.n.2.mittit ad Dauidem profugũ munera, a.m.3009. n. 84.comitatur reuertentem, an. m.3010.nu. 30.& domum remittitur, ib. retinetur eius filius, num.31.de eius ætate vide ſchol.5.fuit Galaadites, ei gratus Dauid. 3021.85.

Berzellai alter. Molathites, pater Hadrielis, cui nupſit Merob.2.Reg.21.8.an.mun.3013. n.13.

Besor, ſiue Boſor torrens, ann.m.2979.num. 105.

Bestiarii, ſiue pugnatores cum feris, infames, a.m.3016.n.22.& quatenus huiuſmodi pugna laudabilis, ibid.

Bethchar, ſiue Bethchor, domus agni, viculus ad quem vſque Iſraëlitæ ſub Samuele perſecuti ſunt Philiſthæos, ann.mun. 2960. n.21.

Bethel etiam ſacrificij locus, a.m.2962.n.94. & 95.

Bethlehemi ciſterna, & ibi ſtatio Philiſthinorum, a.m.2988.n.31.

Bet-maacha vrbs, vbi ſita, &c.a.m.3010.n.55. & ſchol.6.

Bethoron gemina, inſtauratur ac munitur à Salomone, an.m.3044.n.18.

Bethsabææ filij quatuor an ſuſcepti omnes à 1.
Dauide, a.m 2989.n.2.& 3.ita videri, nu.4. & 5.non lauit in ſuo ſolatio, an.m.2998.nu. 5.vbi habitaret, nu.6.eius genus, patria, &c. nu.7.Dauidi cedit 9.emundatur & concipit n.10.an ſterilis fuerit, ibid.

Bethſabæa nunciat Dauidi ſe concepiſſe. a.mun. 2.
2998.nu.11.quod inde illi periculum, & Dauidi, n.12.eius pro viro mortuo luctus, nu. 26.an diuturnus? non videri. n. 26.27. breui ducitur à Dauide.n.28.& 29.an præter conſuetudinem, ibid.

Bethſabæa non acceperat libellum repudij ab 3.
Vria eunte ad bellum.an.m.2998.ſchol.2.in luctu fuit pro infantulo.an.m. 2999.nu.23. quam conſolatur Dauid, regnum promittens filio ex ea naſcituro, ibid. ex Hebræorum traditione, num.24.

Bethſabæa pro Salomone naſcituro vota nun- 4.
cupat, a.m.2999.num.24.concipit Salomonem, n. 28.vbi & quando eum peperit. a. m.

3000.n.2.& 3. educat cum magna ſollicitudine,n.4.proprio lacte,ibid.
5. *Bethſabea* pro filio contra Adoniam ſatagit apud Dauidem,a.m.3020.n.20.& 23.eius periculum ſi Adonias fiat rex, nu.25.regi gratias agit.28. Aditur ab Adonia, & decipitur, an.m.3022.n.5.& ſeqq.
1. Bethsamitarvm agrum arca fœderis ſponte adit,an.mund.2940.nu.52. quo tempore anni,n.53.eorum lætitia,n.54.& 55.ibi ſacrificatur,& à quibus,n.56.videri à Philiſthæis, num.57.
2. *Bethſamitarum* luctus,eiuſque cauſæ,a.m.2940. n.63.examinantur,nu.64.65. quot occiſi, n. 67.& 68. quamdiu apud eos arca manſerit, nu.70.& 71.
Bethsan oppidum vbi ſitum,an. m.2979.poſtea dicta Scythopolis,num.145.& ſchol.12. fuiſſe in tribu Manaſſe cis Iordanem,ibid.
Bonni vigeſimus ſeptimus in fortibus Dauid, an.m.3016.nu.35.
Bor-hasan, legendum, pro *Chorhaſan*, a.m. 2979.ſchol.13.
Boves ſubiecti mari æneo,a.m.3025.n.67.
Brachmani magi, an. mund. 3022. ſchol.4. ex Ammiano Marcellino.
Ivn. *Bruti* ſimulatio ſimilis Dauidicæ, an. mund.2973.ſchol.16.

C

Cædes ſui ipſius ethnicis glorioſa, a. m. 3009.n.90. Execranda tamen ex Auguſt.& Ioſepho ipſo,n.91. eius etiam voluntas peſſima contra Ioſephum, n.91.& 92. & ex ipſa ratione,n.80.vbi de Achitophelis morte.
Cæsaries, ſiue *coma* Abſalonis quando detonſa,a.m.3007.& quod eius pondus,nu.5. 6.& pretium 7.8.& ſchol.1.& 2.
Caietanvs videtur iniquior Dauidi,a.mund. 2979.n.31.& 32.refutatur,n.34.
1. Cainan iuniorem retinendum eſſe,Præf.nu. 7. S. Lucam eum à Spiritu ſancto didiciſſe, non ab Hebræorum libris,n.8.& potuit ab aliis libris non ſacris,nu.9.non additus priuata temeritate ab Ethnicis,n.13. aut Hæreticis,n.14.15.aut Catholicis,n.16.
2. *Cainan* non irrepſit per imprudentiam, Præf. num. 15. Sed additus à Spiritu ſancto per Septuaginta,nu.16.cur eum patres aliqui omiſerint 18.cur Epiphanius in eo varius, nu. 22.noſter tamen eſt, ſicut plerique alii antiqui,num.23.
3. *Cainan* Hæretici,& Hebraïzantes impugnant, Præf. nu. 25. quem retinent optimi quique ſcriptores,& maximè è Societate Iesv,n. 26.conſentanea Concilio Trident.27.& rectæ rationi.28.
Calvitivm pudoris & luctus, a.m. 2996.n.8. & ſchol.3.
Canalicvli in columnis videntur quas dicimus *cancelures*, quæ & *Striæ*, quibus reſpondent *virgæ*,a.m.3024.n.78.
Cancelli circa Salomonis ſolium,a.m.3033. nu.16.& circa altare holocauſtorum,an.m. 3025.nu.55.
Candelabra aurea in aula ſancta,intermixta menſis,an.mund. 3024. num. 99. & 100. decem fuerunt,ibid.ſingula talenti pondere.In ſingulis lucernæ 7.ad formam Moſaïci,nu.100.
Canes ſe aliqui viri magni dixerunt, an.m. 2976.n.25.In contemptum ſumitur,præſertim ab Hebræis,a.m.2995.n.17.
Cantores,& Pſalmiſtæ,dicuntur prophetare, & prophetæ,a.m.2962.n.100.eorum religioſi conuentus à Samuele inſtituti,num. 101.eorum principes Aſaph,Heman,& Idithum,ibid. & 3021.nu.33.vtebantur muſicis inſtrumentis,a m.2961.n.100. 1.
Cantorum 4.millia in templo,a.m.3021.n.18. & ſynagogis,ibid.Eorum officium,& canendi tempora,num.23. & 32. quæ eorum cantica,ibid. & nu.36. Eorum vices 24. vicibus ſacerdotum reſpondebant,n.33. 34.35. pro numero filiorum trium principum, quibus & parebant,nu.34. 2.
Cantorum ſors quælibet duodecim habuit doctores muſicos,a.m.3021.n.35. ſortitio cantorum quomodo facta,n.35. cantabant voce & organis.36.cur prophetare dicerentur, ibid.quando cantarent, & an quorumlibet ſacrificiorum tempore,nu.36. 3.
Cantorum habitatio in templo, in exedris ad orientem, vt recta ad Sanctuarium reſpicerent,an.m.3025.nu.45. de ſeptem cubiculis quina media ipſis deſtinata,ibid. 4.
Canvs Melchior fallitur in chronologia,dum 20.annos Samueli eripere conatur, quibus iudex fuit,an.mund.1960.ſchol.1. eo quod chronologiam fundati templi 3.Reg.6.molitur euertere,quem etiam refutamus,ibid. an.m.3023.nu.5.
Capitella columnarum, ſeu paraſtadum templi,a.m.3024.nu.79. quanta eſſe debeat altitudo capitelli,a.m.3024.n.72.
Capræ ſylueſtres, an. Saulis 15. nu.7. qui eſt mundi 2976. vide *Ibices*.
Cariathiarim arca fœderis defertur,an.m. 2940.num.73. & 2941. nu.1. & quamdiu ibi manſerit, ibid. cuius authoritate eo delata, ibid.Quæ fuerit ea vrbs, & cur electa,nu.2. Ibi arca in colle poſita,n.3. & commiſſa Leuitæ,nu.4. 1.
in *Cariathiarim* an 20. tantum annis manſerit, a.m.2960.n.2.an potius vſque ad Dauid,nu. 3.vide & ſchol.1.Cariathiarim an dicta collis Dei,1963.96. non videri. 97. Inde aufertur,an.m.2989.num.15.& 16.cur ibi tamdiu fuerit,nu.13. 2.
Caricæ, palathæ, ficus exſiccatæ,idem.an.m. 2977.nu.36.
Carmelvs geminus,a.m.2968.nu.35.& 2977. nu.20.& 21.
Casia in Arabia felice,a.m.3047.n.17.
Castella porticuum atrii Iraëlitarum, a.m. 3025.n.39.in ſingulis erant angulis arearum, ibid. Eorum numerus, & cui vſui eſſent, quæue altitudo ſingulorum,nu.39.
Ceila vrbs obſidetur à Philiſthæis, 1. Reg.23. 1.vbi ſita,a.m.2974. nu.39. Ceilani euocant ad ſe Dauidem,ibid. ad eam Dauid bis con- 1.

ſulto Domino proficiſcitur, n.40.& victoriam obtinet, liberatque Ceilanos, n.43. Illic eum adit Abiathar, ibid.

2. *Ceilani* Dauidem tradituri erant Sauli, quamuis liberatorem ſuum, an.mund. 2974. nu. 54. an in neceſſitate potuiſſent eum licet innocentem tradere Sauli, nu.55 itaque inde abit Dauid 56. An Saul in ipſos iratus fuerit. num.57.

Ceila inſula in orientali oceano, ad promontorium Comorinenſe putatur Taprobana, an.m.3023 nu.42.

Celeres Romanorum videntur ſimiles curſoribus Abſalonis, & Adoniæ, an. m. 3008. num.10.

Cellæ, vide *Cubicula*, & *Exedræ*.

Cene, locus in deſerto Ziph, aut eiuſdem ſylua, vbi morebatur Dauid, an.m.2975.nu.7. & 11.

Censvræ etiam iniuſtæ ligant, an.m.2964.n. 104.

Centvriones vocati ad comitia inaugurandi Salomonis, a.m.3011.n.6.

Cerethi, & *Phelethi*, quinam, a.m.2995. nu.7. eorum officium, &c.n.8.

1. Certamen ſingulare Philiſthæi Hebræis offerunt, a.m.2970.n 5. Id Dauid optat, & admittit rege permittente, an. m.2971.n.22.25. 28.non peccaſſe Dauidem admittendo certamen, n.29. fuiſſe id opus Dei.

2. *Certamen* ſingulare quod iuſtum, nu.30. quod iniuſtum, num 31. an 2971 neque à principibus permittendum, ib.& ſeuere prohibitũ, ibid. vide & ſchol. 2. quam diuerſa pugnæ conditio in Dauide & Goliatho, n.36 certatur, nu 45.

3. *Certamen* gladiatorium inter milites Ioabi, & Abneris, an.mun.2982.n.7. an peccauerint. n.8 omnes pereunt, nu.9. Cæſorum numerus, num.18.

Chaldæorvm aſtrologia, & prædictiones, a. mund.3022.ſchol.3.ex Diodoro Sicu.liberaliter de multis annorum millibus mentiuntur, ibid.

Chananæi populi quanto in odio Deo, a.m. 2968.n.3.4.5.

Charitas etiam in Pythoniſſa laudata, an.m. 2979.nu.96.

Chileab filius Dauidis ex Abigaile, quando mortuus, a.m.3018.ſchol.2.& an.3021.nu.7. vide *Daniel*.

1. Chervbini cælati in templo, & prominentes cum palmis, &c.a.m.3024.n.49. & quomodo diſpoſiti, n.50. idque tam in templi Oraculo, quam in aula ſancta, nu.50. eorum 4. facies quomodo accipiendæ, a.m.3024.nu. 50.& 51.

2. *Cherubinorum* quæ actio, & geſtus, a.m.3024 n. 53. eorum quadriga arcam ferens, n.54. Cherubini Salomonis, & Ezechielis, ca. 1. qui differant, nu.56. male arguuntur à Ioſepho ſicut & reliquæ figuræ, nec fuerunt ſcandalo populo, a.m.3053.n.14 15.

Chersonesvs non eſt aurea terra apud Ioſephum, a.m.3023.n.41.

Chonenias princeps cantorum, an.m. 2991. ſch.1.laudatur.1.Paral.c.15.2..17. & ca.26.29.

Chor asan, vel potius *Borhaſan*, a. mun.2979 ſchol.13.

Chorræi qui, & vbi habitarent, an.m.2960. nu.25.

Christvs Dominus ſacerdos fidelis promittitur, an.mund. 2912.n.13. verus Iudex, Legifer, Rex, an. mund. 2900. num. 1.2 3. Pſalmus ſecundus de eo, & de Dauide, & vtroque in ſenſu hiſtorico, an.mun.2988. num. 3. promittitur Dauidi, an.m.2990. nu.63. & ſchol.5. 1.

Chriſti Domini cum Samuele ſimilitudo, a.m. 2977.a.num.10.vſque ad 18. cum Dauide, a. m. 3021. n.92. vſque ad 108. cum Salomone, a.m.3059.à num.10. vſque ad 22. 2.

Christiani ſummo odio ſunt Iudæis, an.m. 3030.n.32.

Chronologia & diſtributio annorum Dauidis, Saulis, & Iſboſethi, in annos ſingulos expanſa habetur, an.m.3009.ſchol.1. Chronologia Chaldæorum quam vana, an. 3022. ſchol.3. 1.

Chronologia noſtra ſingulis fere annis confirmatur, vbi datur ratio tẽporis; nominatim vero, a.m.2911.n.1.& 2912.n.1.& 2913.n.1.& 2.& 2930.ex regno Sicyoniorum, nu.vnico. & 2931.n.1.ex regno Aſſyriorum. Et in ortu Berzellai, a.m.eod.n.2. 2.

Chronologia eadem cõfirmatur ex iubilæo Moſaico, a.m.2933. Et in annis Heli, a.m.2939.n. 28.& ſchol. 5. Et in quatuor ætatibus mundi. 2940.num.1.cui reliquæ adduntur, nu.2. Chronologia annorum Saulis & filiorum eius n.76.& 77. 3.

Chronologia rerum cum Dauidis ortu concurrentium, a.m.2950.n.2. Chronologia circa magiſtratum Samuelis, a.m.2960.n.1. inepta Rabinorum chronologia circa annos Saulis & Samuelis orta ex male poſitis annis Arcæ in Cariathiarin, a.2969.ſchol.1.& 2978.nu.1. & confirmatur an.vlt.Saulis, n.2. 4.

Chronologia fundati templi cæteras regit, 3. Reg.6.an.m.3023.num.1. omnes pene habet conſentientes, n.2. Qui ab ea diſſentiant, n. 2. Ioſephus, n.4. Clemens Alexand.ibidem. Canus, n.5. refutatur, n.6. num ei Paulus repugnet in Actis, nu.7. 5.

Chvsai Arachites amicus Dauidis, a. m.2980. n.18.& conſiliarius, ibid.& 1.Paral.27.33. videtur fuiſſe proſelytus, an. m.3009.nu.31.& 32. vnde tam venerit ad Dauidem, num.33. quando miſſus eſt ab eo in vrbem vt diſſiparet conſilium Achitophelis n.34. 1.

Chuſai vrbem ingreditur acturus Dauidis negotia, an.mund. 3009.num.36 adit Abſalonem, nu.59. à quo amice obiurgatur, atque ironicè, ibid. cui reſpondet Chuſai politice, n.60. in quo nec peccauit, nec mentitus eſt, nu.35.& 60. 2.

Chuſai repudiat, ac refellit conſilium Achitophelis, a.m.3009.n.67. & 68. dat proprium, nu.69. quod probatur, & quare, ibid. an hic mentitus fuerit, aut peccarit, n.70. non videri, ibid. Curat moneri Dauidem, nu.71.& ſuadet vt ſtatim Iordanem traijciat, n.71. 3.

Chvsi nuncius mortis Abſalonis apud Dauidem,an.mund.3009.num.113.an idem Chuſi amicus Dauidis, ibid. & 116. & an id nomen appellatiuum, ſchol.12. nunciat mortem,n.117.

Ciborvm diſtributio,& fractio panis in conuiuiis,a.m.2962.n.57.

Cibvs cum ſanguine prohibitus, ann. mund. 2964.num.96.& 97. ei culpæ prouidet Saul poſt prælium & ieiunium,n.99.

Cinæi in bello Ammalecitano Saulis periculo eximuntur,1.Reg.15.6.& quare,a.mund. 2968.nu.14.15.male à Ioſepho Secimitæ dicuntur,n.15.

Cinnamomvm ex Arabia felice, a.mun.3047. nu.17.

Cinnyra quid,& vnde dicta,an.mund.2970. ſchol.1.

Circvncisionem Philiſthæi execrabantur,an. m.2972.n.12 & 19.circunciſus ne fuerit infans Dauidis ex Bethſabæa ſuſceptus, an.m. 2999.n.20.

Cisterna in Geſira, ſiue Sira,non Syra,an.m. 2985.ſchol.4. ciſterna Bethlehem,an.2988. nu.31.

Civitas proprie quid,a.m.2968.n 12.

Civitas Dauid,arx Sionis,a.m.2987.nu.17.& ſeq. Salomon conſtruit ciuitates in Emath. a.m.3044.nu.3.& 4.aliæ ciuitates ab eo munitæ,n.6.vrbes quadrigarum, ibid. & deinceps.

Clamores lætitiæ ſiue Acclamationes,an.m. 3020. n.41.& 42.

Classis Salomonis: ei parandæ adijcit animum, a.m.3023.n.40.eam inuiſit in Aſiongaber,a.m.3044.n.20.& 21.

Clavi aurei colligantes laminas aureas oraculi,a.m.3024.nu.46. argenteos facit Eupolemus,n.47.

Clavdvs & Cæcus non intrabunt in templum,Prouerb. 2.Reg.5.8.a.m.2987.n.16.& ſchol.1.

Clementia regni firmamentum eſt, a. mun. 2976.nu.20.

Cleopatræ reginæ Ægypti apophoreta, an. m 3047.n.39.

Cochlea gemina ad vtrumque veſtibuli templi latus, a.m.3024. n.18.Cochleę,4.ad porticum gentium,3025.22.Cochleæ 16.in atrio Iſraëlitarum, vide figuram veſtigii templi, vt adirentur ſuperiores contignationes, & caſtella,n.36.& 39.

Codri regis Athenarum initium regni, a.m. 2964. ſchol. vltimo. Eius mors ex oraculo vltro quæſita, an. mund.2985.in fi. & ſchol. 8.

Collectæ dies octauus, & quæ diei illius ratio,a.m.3030.nu.40.& 41. tripliciter explicata,ibid.

Collegia, ſiue Domus doctrinæ à Samuele inſtituta,a.m.2973.n.31.vide *Naioth*.

1. Colvmnæ duæ primariæ, æneæ, a.m. 3024.n. 65. earum ſitus & nomina, ibid. in quibus fallitur Torniellus,n.65.& 67.de earum altitudine diſputatur, num.66. & ſeqq.quis earum ambitus,nu.69.& 70.altitudo capitellorum quæ,n.71.& 72.

Columnæ æneæ cauæ erant, & craſſo auro tectæ,a.m.3024.n.73.earum ſtylobatæ,& tota altitudo,nu.74.ornatus trabeationis earum mirabilis fuit, n.74. earum pōdus tam æris, quam auri,ex Villalp.n.75. 2.

Columnarum craſſitudo ad altitudinem relata in ordine Hetruſco,Ionico, Dorico,&c.a. mund.3024.nu.70.Columnæ,& earum apparatus maxime ornabant templum, num. 78. 3.

Columna porticus Gentium earum ordines, diſtantia,craſſitudo,a.m.3025.n.20.quis earum numerus 21. Columnæ non rotundæ affixæ parietibus,vide *Paraſtades*. 4.

Cometa qui diu apparuit anno Chriſti.1618. quid portenderet,a.m.2968.n.64.

Comitia apud Hebræos indicta, regis primùm creandi cauſa,an.mund.2962. nu.116. quo tempore celebrata,2663.nu.1. qua frequentia,n.2.quo loco,& an coram arca Domini,n.3. cur habita in Saulis inauguratione,n 4.quæ tum Samuelis oratio, nu.5.& 6. dimittuntur,n.22. 1.

Comitia renouantur in Galgalis, poſt victos à Saule Ammonitas, a.m. 2963.n.54.ante dimiſſionem eorum rex obtinet à populo militare præſidium,a.m.2964.nu.6.dimittuntur comitia,n.11. 2.

Comitia vniuerſi populi in Hebron, ad deferēdum Dauidi regnum,a.m.2986.n.17.Omnes ſe Dauidi dedunt,ibid. Quid populum moueret,aut retardaret, nu.18.& 19.quando,quoque ordine venerint, num.20.21.& c.30. 3.

Comitia ſub mortem Dauidis num gemina fuerint,ann.mund.3018. num.7.& 8.ad annum ſecundum Salomonis pertinere, nu. 9.indicuntur toto regno,an.3020.num. 54. iis præſidet Dauid,& non Salomon, & cur. 3021.n.48. 4.

Comitia ante mortem à Dauide conuocata, a. m. 3020. maxime ad confirmandum Salomoni regnum,n.54.& ſi rex ab eis non penderet.55.aliæ comitiorum cauſæ,an.m.3021. n.2.habita poſt dictum iam & conſecratum regem,n.1.habita Hieroſolymis, n.3. qui ad ea conuocati,n.4.& ſeqq. 5.

à Commentariis quod officium,a.m.2995.n. 3.& 4.

Concilivm ſeniorum vbi haberetur, a.mun. 3025.n.46.

Concvbinæ Dauidis ab Abſalone inceſtantur,a.m.3009.n.61. à Dauide concluduntur quaſi moniales, a.m.3010.n.40.& 41. Concubinæ Salomonis,a. m. 3048.num.9.& 10. ratio differentiæ vxorum & concubinarum eius,n.11.

Conditoria regum Iuda,a.m.3059. nu.5.improbantur,n.6.

Conivrationis Saul accuſat ſuos, a.m.2974. num.16.potuit eſſe iuſta de non reuelando Dauide,n.17.imo & defendendo, n.18. non de præſtando ei fauorem ad inuadendum Saulem,nu.19. Coniurationis crimen valide repellit Achimelech à ſe,& à ſuis n.20.

CONIVRATIO Adoniæ, Ioabi, & Abiatharis contra Salomonem, an.mund.3022.num.1. confirmatur ex Ioabi facto, num.3. Et poſtea ſuſcitante Domino, Ieroboami, Adadi, Razonis.3.Reg. 11.14.21.26.an.m. 3057.n. 13.& ſeqq.anno Salomonis 38.

CONSILIARIORVM officium, a.mun.2996.n.6. male à ſeruis Hanonis Ammonitæ exercitum, n.5.nec impunè,conſeqq.

CONSVLENS Dominum an per ſe interrogaret,an per ſacerdotem, an.m.2964.n.103.& 2974.n.53.

CONSTANTIAM populo Dauid à Deo petit,an. m.3021. nu.68.

1. CONTIGNATIONES templi duæ,prior altitudinis 50.cubitorum, poſterior, 40.a.m.3024. n.20.25.& 26. Contignatio ſecunda an. eodem,nu.26.quid conuenirent,quidque different, nu.26.& 27.ſecunda aſſurgebat tantum ſupra interiorem templi parietem, n. 27.

2. *Contignationis* ſecundæ intercolumnia,trabeatio. & peribolus,a.mun.3024.28.Contignatio tertia,& eius altitudo,n.30.

CONVENTVS religioſi à Samuele inſtituti, a.m. 2962.n.101.

CONVIVIVM in Calendis,a.m.2973.n.74.Ordo conuiuarum, ibid. & ſeſſio antiquis vſitata. ſchol.10.

CORAM Domino,varie accipitur,a.m.2963.n. 3.& 2969.n.11.& 2986. nu.33. epulari coram Domino.3021.78.

CORONAM Dauid accipit in Rabbath Ammonitarum,regiſne,an potius idoli, an.m. 2999.n.33.& 34. vide & ſchol. 6. Corona & diadema regium,a.m.3020.nu.44.impoſita Salomoni in eius inauguratione;pependiſſe in ſolio,3033.n.16.

CORREPTIONIS defectu peccat Dauid, tam arca Amnonem,a.m.3002.n.22.23.24.quam circa Adoniam, a.m.3018.n.13. & 14. eadem indulgentia animos fecit Abſaloni, a.mun. 3008.n.11.12.13.

COSTÆ in muris templi quæ, a.m.3024.nu.12. deſinunt foris in paraſtadas,ibid.

COSTVS planta aromatica,an. mund.3047.nu. 17.

R.P.COTONVS ſapiens monitor principum, a. mund.2970. n.5. horum fautor Annalium, ibid.

CRATICVLA altaris holocauſtorum,an.mund. 3025.n.57.an habuerit annulos,ibid.

CREDVLITAS non facilis in iis à quibus abhorremus,an.m.2973.ſchol.9.credulitas vulpecula fefellit Dauidem in cauſa Miphiboſethi,a.m.3009.n.39.

CREPIDO gemina altaris holocauſtorum, an. mun.3025.n.50.earum ornatus, ibid. & nu. 51.

CRVDELITAS non in malam partem per auxeſim accepta, an. mund. 2968.n.17.eſt tamen reipſa ſemper in vitio, ſicut & ſuperbia,ibid.

1. CVBICVLA intra templi Salomonici parietes,a. m.3024.n.12. interior domus ab Ezechiele dicitur,ca.41.9.Eorum triplex ordo, nu.13. numerus,capacitas,diſtinctio,num.14.Tabulata non inſerta, ſed nixa parietibus, nu. 15.

Cubiculorum eorundem ſecundus ordo, an.m. 2.
3024. num.16. Tertius, num.17.adibantur gemina cochlea in veſtibulo, nu.18. Eorum vſus geminus,oratio,& conſeruatio rerum ſacrarum, an.m. 3024.nu.19. ornatus, num. 61.

Cubiculorum numerus in atriis ſiue porticibus Iſraelis,a.m.3025.38. 3.

CVBITVS quantus,a.m.2971.nu.8.an vllus geometricus,n.9.

CVMÆ in Italia quando conditæ,a.m.3004,n. 1.Cumana Sibylla,n.2.

CVRIOSITAS Bethſamitarum quam ſeuere punita,a.m.2940.n.64.& 66. & quidem iuſte,ibid.

CVRRVVM Philiſthæorum numerus explicatur,a.m.2964.n.15.

CVRRVS item & quadrigæ Salomonis,a.mun. 3044.n.7.& ſeqq. eorumque equites, ibid.

D

DAGON idolum primarium Philiſthæorũ. 1.Reg. ca. 5. eius cum arca gemina pugna,& clades, an.m.2940.num.17.& ſeqq. An manibus pedibuſque truncatus, nu. 21. eius ignominia poſteritati propagatur, num.22.dum limen non calcant, ibidem.& ſchol.2.

DAMASCENA Syria à Dauide ſubiugatur, an. mund.2993.n.8.& 9.&c. ſeries regum eius, ibid.

DANIEL, qui & Chelcab filius Dauidis ex Abigail, & de eo fabula,a.m.2981.ſchol.1. De eius morte coniectura, a. mun. 3008.n.3. & 3018. ſchol.2.

DAVID naſcitur,an.mund.2950.nu.1.tempora cum eius ortu concurrentia, n.2. & ſchol.1. ſacrone an communi oleo primùm vnctus,an. Saulis.1.n.81.Laus Dauidis,a.mun. 2964. n. 28.qui à Saule differat in regno inchoando, ibid. geſta Saulis propter Dauidem recenſentur.2965.n 3. 1.

Dauidis in bonum Saul retinet poſſeſſionem regni,a.m.2968.n.54. prædicitur regni tranſlatio in eum,n.65.non tamen nominatim, ibid.Quando primum inunctus,a.m 2969. n.1.abundanti gratia donatus, n.7. quo fuerit tum vnctus oleo,n.7.& 8. 2.

Dauidis prima conſecratio an fuerit cum omnium ignoratione, & quæ id ſuadeant, an. mun.2969.num.24.videri contrarium 25.& notam fuiſſe patri,& omnibus fratribus,n. 25.& 26. quot illi numero 30.31. Dauidem fuiſſe octauum, nu.31. In illis nullus Ionathan,n.33. 3.

Dauid 20.annorum cur dicatur paruulus,a.m. 2969.n.36.euocatur ex agro dilato communi prandio,nu.37.introducitur,38. Eiuſdem pulchritudo,ibid. Deus iubet Samuelem illum inungere,39.quæ vnctionis effecta, nu. 42. 4.

in *Dauide* dirigitur Spiritus Domini,a.m.2969. 5.

45.quis

45. quis ille Spiritus, & quæ directio, n. 45. & 46. varii Dauidis ſpiritus, nu. 47. & quam in eo diuturni, n. 48. redit ad paſcua, n. 57. & a. m. 2970. n. 12 & ibi eius opera, an. m. 2969. n. 5 :. & ſeqq.

6. *Dauid* paſcens oues pugnat cum vrſis & leonibus, a. m. 2969. nu. 58. & ſchol. 2. 3. eius ſpirituales occupationes in deſerto, n. 60. & 61. eius pietas innoteſcit, nu. 61. Recte bellator dicitur quando primum adiit Saulem, a. m. 2970. n. 7. eius ætas confirmatur, n. 8.

7. *Dauidis* dotes exemplo ſunt aulicis, an. m. 2970. n. 9. cur Deus voluerit eum maturè in aula verſari. n. 11. eius modeſtia, n. 12. & a. m. 2971. n. 15. Eiuſdem inſtitutio, robur, prudentia, familiaritas cum Deo, a. m. 2970. n. 9. & 10. & quî Deus cum Dauide, ibid.

8. *Dauid* qua occaſione videtur remiſſus ad parentem, n. 17. a. m. 2970. Ab eo miſſus in caſtra, & quando, an. m. 2971. nu. 16. cum commeatu ſuper aſinum, ib. venit in caſtra cum nondum pugnaretur, n. 19. currit ad locum certaminis, & ibi alloquitur fratres, n. 20.

9. *Dauid* de Goliatho edocetur, & regis edicto, a. m. 2971. n. 21. ſignificat optatum ſibi certamen, n. 22. reprehenditur à fratre, ib. & ſeq. quam modeſta eius defenſio, n. 24. pergit nihilominus idẽ certamẽ ambire, 25. idq; apud Regem petit, ib. cur puer à rege dicatur, 26.

10. *Dauid* coactus narrat egregia ſua facinora, a. m. 2971. 27. eius in Deum fiducia, ibid. agilitas corporis, n. 32. quibus armis indutus à rege, n. 33. non quæ Saul ferre ſolebat, ibid. ſed paſtoritiis, n. 35. cur funda vſus, ibid. Goliatho inſultat, n. 38. & 39. eiuſque prædicit interitum, ibid. cum fiducia in Deo, n. 40.

11. *Dauid* quomodo in hoc certamine ignotus Sauli, an m. 2971. n. 41. & ſeqq. quod eius tabernaculum ad quod arma Goliathi detulit, n. 52. Introductus ad regem fit regi & Ionathæ carus, n. 54. fit belli dux, n. 59. prudentia, & fortitudine præſtat, & fit omnibus gratus, n. 60. eius & Sauli triumphus, n. 61.

12. *Dauid* bis lancea petitus deſerit Saulem, an. m. 2972. n. 3. fit ab eo Tribunus, n. 5. eius in tribunatu prudentia, & felicitas, n. 5. 6. & amabilis manſuetudo, nu. 7. patienter fraudatur promiſſa Merobe, n. 11. Ad alteram ſororem animum applicat, n. 12.

13. *Dauidi* Michol offertur cõditione pecuniæ, vel præputiorũ, a. m. 2972. n. 13. 15. excuſat paupertatem, & Saul petit præputia, n. 15. mala intentione, ibid. Admittit Dauid conditionem, 17. & eam quam primũ exequitur, ib.

14. *Dauid* reconciliatur Sauli opera Ionathæ, a. m. 2973. n. 5. & ſeqq. nec redit ad intimam amicitiam, n. 8. hæret anceps an bellum adeat, n. 10. adit, & feliciter illud conficit, n. 11. Pſallit iterum coram Saule, & periculũ mortis ſponte adit, n. 13. & ictum lanceæ vitat, n. 14

15. *Dauid* domi ſuæ cuſtoditur occidendus, an. m. 2973. iuridice ne an potius priuata vi, nu. 17. commendat ſe Deo, & pſalmum ſcribit parans fugam, n. 19. fugit, n. 21. cur ad Samuelem potius, quam ad patrem, ib. & n. 28. & quare, ibid. Eius fuga innoteſcit Sauli, n. 33.

Dauid fugit è Naioth, an. m. 2973. n. 41. reconciliatur Sauli per Ionathan, ibid. ſed prius apud eum cõqueritur Dauid, n. 43. eius laus, n. 44. Saulis noua inſidiæ illi innoteſcunt, n. 48. vnde queritur apud Ionathan, n. 49. 16.

Dauidis prudentia ad expiſcandum Saulis in ſe animum, a. m. 2973. nu. 52. 53. &c. non captat omen ex eius verbis, num. 54. eius ad Ionathan oratio plena affectuum, n. 55. quomodo petat interfici à Ionatha, nu. 56. triduum latet in agro, vel ſpelunca, n. 67. 17.

Dauid latet ad lapidem Ezel, quomodo viuat, quidque agat triduo, an. m. 2973. n. 71. 72. 73. Dicitur contemptim filius Iſai. ibid. nu. 75. eius humilitas & in amicum reuerentia, n. 86. Non commendat Ionathæ ſuos in digreſſu, n. 87. & quæ illi luctus cauſæ, n. 88. & 89. 18.

Dauid cur non ſtatim longius abierit, a. mun. 2973. n. 91. cur ad Pontificem venerit, potius quam ad Samuelem, n. 91. An ſolus venerit fuſe, n. 94. 95. 96. 97. Diſſimulat probabiliter fugam ſuam, n. 98. arma quærit, & cur eſſet inermis, n. 108. & ſchol. 14. 19.

Dauidi cur datus gladius Deo conſecratus, a. m. 2973. n. 105. 110. prudenter adit Philiſthæos, n. 111. 112. 113. ſine comitatu, & quid factum eius ſociis, n. 114. inſinuat ſe in regiam Gethæi ſatrapæ, nu. 115. redditur ſuſpectus, 116. cur dictus rex terræ, n. 117. 20.

Dauid apud Gethæos timet, ac furorem ſimulat, a. 2973. n. 118. 119. quatuor ſigna edit inſaniæ, ibid. & ſchol. 15. quî dicatur ferri ſuis manibus, 119. id explicat S. Auguſt. de S. Euchariſtia, n. 120. Pſalmum edidit in Geth, nu. 122. 123. & vota, ibid. 21.

Dauid vbi euaſit è Philiſthæis, pſalmum edit gratulatorium trigeſimum tertium, a. mun. 2973. nu. 124. fugit in ſpeluncam Odollam, 125. quo plerique ad eum, de ſuis alieniſque confugiunt, obærati, amaro animo, timentes à Saule, n. 126. & ſeqq. 22.

Dauid cum ſociis adit Moabitas, & quare, a. m. 2974. n. 2. cur nõ perſtiterit in ſpelũca Odolla, ibid. admiſſionem petit à rege, atque impetrat, n. 3. quãdiu ibi mãſerit, 5. quis eius ibi victus, 5. forte ex præda, forte ex ſtipẽdiis, ib. 23.

Dauid in Moabitide augetur ſociis de Beniamin & Iuda, an. m. 2974. n. 6. fere ducentis, ibid. eius erga eos humanitas & prudentia, n. 7. ſe dedunt Dauidi, n. 9. ab eoq; recipiuntur, eique perpetuo deinceps adhærent, ib. Adeſt parentibus ſuis ibi morientibus, n. 12. 24.

Dauid venit in terram Iuda, & in ſaltum Hareth, a. m. 2974. n. 13. eius laus, n. 29. & 30. Euocatur inde Ceilam, cur & contra quos, n. 39. Eo cupit ire, ſed reuocatur à ſuis, nu. 40. & 41. Itaque bis Dominum conſuluit, n. 40. & 42. Adit Ceilam, quam victis Philiſthæis ouans ingreditur, n. 42. 25.

Dauidis manſuetudo, audito nuncio cladis Nobe, an. m. 2974. n. 45. & prudentia, ibid. Scribit Pſalmum 51. contra Doëg, n. 47. Reſcit cogi contra ſe copias à Saule, num. 52. Deum conſulit an tradendus ſit hoſti, ibid. abit cum ſuis à Ceila, n. 56. 26.

27. *David* venit in Ziph, a.m.2975.n.7. Quid ibi agat, n.9. & 10. & in deſerto Maon, n.20. ibi tãtum non captus eſt à Saule, n.22. ſeruatus gratias agit Deo, n.25. vt ſalute erepta è ſum mo periculo, ib. an deſperarit de ſalute.ſch.3

28. *Dauidis* mirum cum Saule certamen, a. Saulis 15. mundi 2976.n.1. & 2.& in eum reuerentia, ibid. monetur de Saulis aduentu, n.8. ſe in ſpeluncam abdit cum ſuis, n.9. à quibus in citatur ad occidendum Saulem, nu.10. vaticinium in Dauidis fauorem quando datũ, n.11.

29. *David* in voluntate cædis Saulis nutat, a.mund. 2976.n.12.13.14.22. quo dicatur Dominus ei dediſſe poteſtatem cædis illius, nu.12. præſcindit oram chlamidis eius, nu.15. reuocata cædis voluntate, nu.16. improbantibus ſuis, ac frementibus, n.17. quos mitigat, n.18.

30. *David* cur non ſit allocutus Saulẽ in ſpelũca, a. m.2976.n.19. ſed foris, n.20. eius in Saulem querela, n.21.& ſeq. fuſe, & in eundem lenitas, n.21.& 23. cur patrem vocet, n.23.& 26. eiuſdem animi demiſſio, n.25. iurat Sauli pro eius poſteris, n.33. non redit ad ipſum, n.34.

31. *David* nuncios ad Nabalem mittit, a.m.2977.n. 20.23. Dauidis in eũ comitas, n.25. Nabalem adit iratus, n.28. nec ſine culpa cladẽ intẽtat toti eius familiæ, n.29.30.31.32. malũ eius iuſiurãdum, n.33. reuocatur ab Abigaile, n.44.

32. *David* lætatur de Nabalis morte, a.m.2977.n. 47 & quatenus, ib. Eius cum vidua Abigaile cõiugium, n.48.& 49. diſcit rurſum Saulem in ſe armatum, a.m.2978 nu.4.& eum clam adit, 5. an temere, vel potius Dei inſtinctu, 6.

33. *David* cum vnico ſocio in eius caſtra penetrat, & cur, an.m.2978 nu.7. non patitur Saulem dormientem à ſocio interfici, n.8 & 9. iuratque ſe eum non interfecturum, n.12. & quæ vis iuſiurandi eius, ibid. haſtam & ſcyphum aquæ accipit ſopitis omnibus, n.14.

34. *David* Abnerem excitat, & obiurgat à longe, a. m.2978.n.15. queritur apud Saulem, n.21.22. eius lenitas, &c. n.29. iudicẽ appellat Deum, ibid. & 1 Reg. c.24.n.16. Cogitat Philiſthæos, ſtatuitque adire cum ſuis, nu.30.31.& 34. vt ſpem eripiat Sauli ipſum comprehendi. ib.

35. *David* adit Philiſthæos, a.m.2979.n.4. & cauſæ eo migrandi, n.4.5.& ſeq. cur noluerit habitare cum rege, n.7.8.9 An prædatus ſit apud Philiſthæos n.14.& ſeq. quod eius prædãdi, 17.18. An mẽtitus fuerit apud Achis, 21.22.35

36. *David* qui promittat operam ſuam Gethæo regi, a.m.2979.nu.30. defenditur contra Caietanum, n.34. quid in bello facturus fuiſſe videatur, n 31.& 35. remittitur à Philiſthæis, n. 47 49. 53. ad eum aliqui à Saule deficiunt, Manaſſitæ, n.63.& 64.

37. *David* peruenit in Siceleg. a. m.2979.n 100.& 101. deflet cum ſuis vaſtitatem Siceleg. ibi etiã manet dies aliquot n.170. conſiliũ capit perſequendi latrones nu.103. conſulit Dominum.104. perſequitur Amalecitas, 105. à ſeruulo Ægyptio rem ediſcit, n.107.

38. *Dauidi* ſe ducem ſpondet Ægyptius a.m 2979. nu.108. iuramentum cur requiſierit ab eo, ibid. Amalecitas delet, n.110.& 112.& ſpoliis ditatur, n.136. an iniuſtis, n.137. Eundẽ nuncius adit de prælio, an Doëgi filius, 150. prædã in amicos diſtribuit, 152. 155. & quare, 157.

39. *David* an rex fuerit viuo Saule, a.m.2979.n.168. vbi alia loca notantur, omnium annorum diſpoſitio, nu. 169. nuncius cladis ad eum die tertio peruenit, n.170. refert mortem Saulis & Ionathæ n.171.172. quam prudenter, 174. eum interfici iubet, 177. Dauidis in ſacram vnctionem reuerentia, 178.

40. *David* an iure nunciũ occiderit, a 2979.n. 179. 180 181. iuſtum videri, ibi. Luget Saulem & Ionatham, n.176. Cõſulit Dominum de migratione ex Siceleg, 192. iubetur ire in Hebrõ, ib. vbi cõſilia de regno ei⁹ agitãtur, 195.& ſeq.

41. *David* Hebrone à populo depoſcitur in regem, a.m.2979.n.198. Acquieſcit eorum voluntati, n.199.& inungitur ſecundo, nu.200.& cur, ib. mittit ad Iabæſitas legatos, nu.201.& quare 202. ordinat militiam ſuam, a. 2980. n.2.& ſeq. & domeſtica negotia n.12. & ſeq.

42. *Dauidis* quæſtores, & cõſiliarii, a. m. 2980 n 14. 15.16.& ſeq. eius familia augetur, a m. 2981. n 2.& filiis, ib. dicit tertiam vxorem, & cur, n.3. familiæ totius ſchema, n.12 varii Dauidis filii, ibi 1.& ſchol.1.& a.m.2983.n.7.

43. *David* gratioſus apud omnes an. m.2981.n. 2.3. eius cum domo Iſboſethi cõcertatio quam diuturna, a.2983. n.2. roboratur, aduerſario ſenſim deficiente, n.3.4. vide & an.2985.n.2. Admittit legationẽ Abneris pro vnione vtriuſq; regni bene vſus mala eius volũtate, 9.

44. *David* repoſcit ab Iſboſetho Micholem, an.m. 2985.n.10.& quã obrem, ib.& n.11. promittit Abneri militiæ principatũ, 17. eũque dimittit ad fœdus publicũ ineũdum, n.18 parictia Dauidis aduerſus Ioabũ, 24.& ſinceritas, ib.

45. *Dauidis* dolor ſuper morte Abneris quantus, & quam iuſtus, a.m.2985.n 27 prouidet omni ope ne conſcius putetur cædis, & quare, 28. eius in Ioabũ imprecatio, ib. publice luget Abnerẽ, 30.& honorat exequiis, & ſepultura, n.30.31. etiam epitaphio, ib. & ieiunio, n.33.

46. *Dauidis* in cæde Abneris innocentia populo innotuit, a.m. 2985.n.34. laudat etiã priuatim Abnerẽ, 34. cur in reos non animaduerterit n.35. ſed diſtulerit, n.36. Eius lenitas, & iuſtitia cõtra ſicarios, a.2986 n.15. cur magis honorauit Abnerẽ mortuũ quam Iſboſethũ, 16.

47. *Dauidem* tribus omnes expoſcunt, a.m.2986.20 vſque ad 30. & vltra, Tria vſurpãt apud eum argumenta, n.31 32. init cum eis fœdus, n.33. diuina eius electio in regem, n.32.& 34. eius ſanctuariũ in Hebron, n.33. inungitur tertio, n.34. populũ triduano cõuiuio excipit, n.35.

48. *David* deſtinat Ieruſalem in regni caput, an.m. 2987.n.3. conſilium capit de Sionis arce occupanda n.3. expeditio in eam arcem, n.4. fit ciuitas David, nu.17. regiam extruit, & murum, n.17 decore, ac magnifice, n.18. & 19.

49. *David* Philiſthæis in ipſum frementibus, & arma parantibus pſalmum ſecundum edit, a. 2988.n.3.& ſeq. vbi & de ipſo ad literã obiter exponitur. conſulit populum de bello, n.9. Fit in præſidio Odollam, ibid. vincit Philiſthæos, n.11. pie, ac modeſte Deo victoriam tribuit, ibid. & iterum, n.24.

50. *Dauid* cupit aquam ex Bethlehem, an.m.2988. n.32. An cum culpa, ibid. & n.33. an probare voluerit ſuorum fortitudinem, aut licuerit eo modo probare, n.34. acceptam aquam bibere noluit, n.36. & cur, ibid. & ſchol 3. in tempore huius hiſtoriæ falluntur Gregor. & Theodoret. n.29. & ſchol. 3.

51. *Dauid* in morbum incidit, an.m.2988. n.38. cur immiſſus, ibid. Agit de arca fœderis in Sion transferenda, a.m.2989. n.9. & ſeqq. conſentiunt omnes, n.14. cur eam permittat plauſtro imponi, n.18. ludit & ſaltat coram Domino, n.20.

52. *Dauid* contriſtatur in morte Ozæ, a.m.2989. n.28. & cur, ibid. & timet arcam ad ſe adducere, n.29. nec immerito, ibid. deferri iubet ad Obededonem an cum culpa, n.30. eius diſcit felicitatem, a.m.2990. n.3. & curat arcam ad ſe deferri, n.4. monet principes Leuitarũ, 18.

53. *Dauidis* veſtes in ſupplicatione, a.m.2990. nu. 26. eius ad arcam tripudium, n.27. ſacrificat apud arcam, n.29. & populo benedicit, nu. 30. & liberaliter accipit, n.31. officia Leuitica diſtribuit Gabaone & Hieroſolymis, nu. 32. redit domum, n.35. excipitur à Michole cum increpatione, n.36.

54. *Dauidis* quæ in ſaltando nuditas, a.m.2990. nu. 36. & 37. non inhoneſta, licet à Toſtato arguatur, n.37. & 38. Reprehendit Dauid Micholem, & defendit factum ſuum, nu.41. & mulieri exprobrat patris eius reprobationẽ n.42. nec ſine commotione animi, ibid.

55. *Dauid* de templo ædificando cogitat, a.m.2990. n.45. & ſeq. conſulit Nathanẽ prophetã, n. 50. qui Dominus cum Dauide, n.51. An negetur illi ædificatio templi ob effuſum ſanguinem, n.54.55. & ſeq. quæ vera cauſa, n.57

56. *Dauidis* fama, a.m.2990. n.58. adit oraculũ oraturus, & an ſederit orans, n.65. gratias agit Deo, &c. n.66. & ſeqq. inſtanter à Deo petit ſtabilitatem promiſſionum, n.70.71. exauditus eſt in vtilitatem nepotum, n.72.

57. *Dauidi* quid circa templum diuinitus conceſſum, a.m.2990. n.73. eius votum de templo excitando, aut præparando, num.74. accipit ideam eius à Deo eius architecto deſcriptum, n.76.

58. *Dauid* bello iterum vacat, contra Palæſtinos, a.m.2991. n.1. & ſeqq. a.m.2992. cõtra Moabitas, a.m.2993. contra Syros. An Dauid ad Euphratem arma tulit? n.2. An potius Adarezer, n.3. Syriam Damaſci Dauid occupat, nu.9. dicitur etiam Meſopotamia, n.16. & quæ inde præda, ibid.

59. *Dauidis* felicitas, a.m.2993. n.13. Regis Thou ad eum legatio, n.14. cum muneribus, n.15. quæ Dauid ſeponit, ac deſtinat Deo, n.15. filii Dauidis qui dicantur ſacerdotes, a.m.2995. nu. 9. ſchol.1. cogitat Idumæam. 2993. nu.16. in quo implentur prophetiæ, a.m.2994. n.1.

60. *Dauid* in clade ab Idumæis per fraudem accepta ſcribit Pſal.59. quod ſibi ex victoria nomen fecerit, an.mund.2994. n.10. An arcum triumphalem erexerit, ita videri, num.11. & confirmatur ex eo Pſalmo, ibid.

61. *Dauid* inquirit de poſteris Ionathę, a.m.2995. n. 10. Mittit legatos cõſolatores ad Hanon regẽ Ammonitarũ, a.m.2996. n.4. mittit cõtra eos coperes, duce Ioabo, 14. & rurſum, a.m. 2997. n.5. pugnet contra eos, vincetque, n.6.

Dauidis adulterium, a.m.2998. n.1.2. ratio loci, & temporis, n.5.11. De Bethſabæa inquirit, n.7. committit adulterium, n.9. callide agit cum Vria, n.13. Dimittit domum, nu.14. & rurſum monet, num.15. inebriat eum vt domum vel imprudens eat, n.17. 62.

Dauid aliis viis fruſtra ſuſceptis de eius cæde conſilium init, a.m.2998. n.19. & litteras ad Ioabum ea de re mittit, n.19.20. ei mors nũciatur, n.24. Quid reſponderit Ioabo, n.25. Ducit Bethſabæam, n.29. an cum culpa? non videri, n.30. imo ex iuſtitia, & debito, ibid. 63.

Dauid ſuſcipit filium adulterinũ ex Bethſabæa, a.2999.1. ſub tempus veris, & magno cũ gaudio, ib. eius ſẽtẽtia in diuitẽ parabolicũ, n.4. in ipsũ retorquetur, n.5. pro Vria amiſit 4. filios vltore Deo, n.4. & pro corrupta Bethſabęa, Deus 10. cõcubinas fœdari permiſit, 4. 64.

Dei in Dauidem ſententia, an.m.2999. n.5. quæ eius culpam imminuere videantur, num. 6. Quæ contra peccatum augeant, n.7. multiplex ingratitudo, n.7.8. An Saulis vxores acceperit, n.7. Grauitas peccati Dauidis ex variis capitib. & maxime ex perſona Vriæ, n.11. 65.

Dauidis peccati pœna multiplex, a.m,2999. nu. 12. Agnoſcit peccatum ſuum, & fatetur aliter quam Saul, n.13. Dei in Dauidem præ illo fauor, ibid. vitam & veniam obtinet, nu. 14. & 15. filius morbo corripitur, nu.16. pro eo Dauid orat, ieiunat, &c. n.17. & 18. 66.

Dauidis filius móritur in primam parentis pœnam, a.m.2999. n.19. Eius æquanimitas, nu. 20. An infans fuerit circunciſus, ibid. vide & ſchol.1. An Dauid templum adierit, 21. non factum immundum, ibid. cur ab eius morte non luxerit, n.22. 67.

Dauid iurat pro regno naſcituri Salomonis, an. m.2999. n.24. & ſeptiduo Pſalmos aliquot edit, nu.25. & ſeqq. eius ægritudo, num.26. recepta ſanitate gignit Salomonem, n.28. & adit ad Ioabum cum nouis copiis contra Ammonitas, 32. 68.

Dauid expugnat Rabba Ammonitarum metropolim, a.m.2999. nu.33. accipit coronam, regiſne, an potius idoli, n.34. an legem Moſis in eo violarit, n.35. an crudelis in Ammonitas, nu.37. & 38. & quam grauiter in eum deliquiſſent, n.38. 69.

Dauidis aduerſæ res, a.m.3000. n.1. & viciſſitudo lætorum, & triſtium, nu.8. diſcit inceſtum Amnonis & contriſtatur, nu.21. An reus omiſſæ iuſtitiæ, n.22. ita videri, n.23. videri tamen corripuiſſe, num.24. filiorum mors illi nunciatur, a.m.3002. n.9. & luctus eius, ib. 70.

Dauid recipit filios ex fuga, a. mun. 3002. n.12. plorat ſuper morte Amnonis cum filiis & aulicis, & merito, n.13. & quam luctuoſa eorum cõditio, ibid. perſequitur Abſalonem, & quomodo, a.m.3003. n.2. ceſſat, 3005. nu. 2.3.4. quomodo mitigatus eius animus, ib. 71.

Dauid veniam dat filio parabolico, a.m.3005. n.9. an recte, ibid. & n.10. & gratiam ibreiu- 72.

rando confirmat, n.11.perſuadetur reditum Abſalonis, nu.18.& donat iniuriam ſibi factam,ibid.admittit denique ad conſpectum & oſculum,a.m.3007.n.14.

73. *Dauid* laxior in reprimendo Abſalone,a.mun. 3008.n.11.videtur diſſimulaſſe,&bene interpretatus eſſe,partim etiã ignoraſſe,nu.12.13. Quomodo non animaduerterit fraudem Abſalonis votum fingentis, a.m.3009.n.7. Audit defectioné,& fugæ cõſilium cap.161.

74. *Dauidis* in fuga multiplex eius virtus apparet, an.m.3009.nu.11.& 12. Amor populi,timor Dei, demiſſio animi, patientia, fiducia in Deum,ibid.componit Pſalmum 3.& fugam propere init cum ſuis, n.14.relinquit domi concubinas,n.15.quid factum vxoribus,ib.

75. *Dauid* fugit in incertum, a. m. 3009.n.16. cum amicis,& quis abeũdi modus,n. 17.flet cum populo ſuo,& deſerta petit,n.21.22.remittit Arcam Dei Hieroſolymam cum egregiis virtutum notis,nu.24.25.27.non flet ex animi infirmitate,n.28.ſed ex virtute,ibid.

76. *Dauid* hoc tempore egregia Chriſti figura,a.m. 3009.28.petit à Deo infatuari conſilium Achitophelis,n.29.idque iuſte;edit pſalmum in eundem ib.eique ſuſcitat æmulum Chuſai.30.vrbi ex Oliueto vale dicit.31. obuium habet Chuſai, quem remittit contra Achitophelem,num.34.an dederit Chuſai conſilium mentiendi,n.35.

77. *Dauid* credulus in Miphiboſethum peccat,an. m.3009.n.39.deceptus Sibæ artificio,n.40. iuſta Dauidis ſententia ſublata calumnia, n. 42. nihilominus reus fuit inconſulti iudicii,nu.43.conuitiis à Semei afficitur in pœnam,n.44.& ſeqq.& maxime, 47.

78. *Dauidis* admirabilis patientia,an.m.3009.n.48. 49.50. Pſalmus ab eo in eam ſentẽtiam editus,n.51.patientia & humilitas cordis, n.54. quieſcit in Bahurim,n.57.&meditatur pſalmum 142.nu.58.Ad eum nuncii mittuntur, n.72.monent de tranſitu Iordanis, 75. Adit Manahim,n.81.

79. *Dauidis* amici dant ei munera, a.m. 3009.n.83. qui illi fuerint,n.84.Copias ſuas ad prælium diuidit tripertito,num.86. non permittitur exire ad prælium, n.88.acquieſcit, & ſerio iubet ſeruari Abſalonem,89.& 100.ſcilicet ad pœnitentiam, n.100.

80. *Dauidi* nunciatur mors Abſalonis.a.m.3009.n. 113.117.qui modũ eius nõ inquirit,ſed luget nu.118.& quare maxime,nu.119.120.luget & populus,121.reuocatur à luctu à Ioabo, 123. 124.vel inuitus 125.eius manſuetudo, 126.ſui copiam omnibus facit,ib.& a.m.3020. n.55.

81. *Dauid* diſponit reditum ſuum in regnum 3009. n. 127.& 128. populum per amicos ſollicitat vt eum requirant, nu.128.& 129.reconciliationis cum Dauide neceſſitas, n.130.ſollicitat nominatim tribum Iuda, 132. per Abiatharem & Sadocum,ibid.& nominatim Amaſan,133.Ioabum abdicare conatur,134.135

82. *Dauidis* in regnum reſtitutio quo ordine facta, a.m.3010.n.2.aliqua in ea Dauidis errata,n. 4.& 37. tranſit Iordanem,nu.9. dat veniam Semei etiam cum iureiurãdo,n.14.an poſtea illud violauerit, hominemve feſellerit, nu. 15.

Dauidis lapſus in iudicio Miphiboſethi,a.mun. 3010.n.23.& 24. & plures culpæ ex diuerſis, n.26.& 27.nec periurus,ſed iniuſtus fuit,n. 27.excuſationes ad purgandum Dauidem, ſchol.3.Gratus fuit in Berzellai,& Machir, n.32.videtur nimiũ fauiſſe tribui Iuda,n.37. 83.

Dauid Hieroſolymam venit, & concubinas ſuas ſegregat à ſe,a m.3010.n.40.concluditque, n.41. eius ſollicitudo pro duce militiæ contra Sebam,42.& luctus in cæde Amaſæ n,49.& 54.& neceſſaria diſſimulatio, n.50. nec tamen Ioabo pœnam condonauit, ſed diſtulit,ibid. 84.

Dauidis luctus in funere Amaſæ,& pœnitentia in Ioabi cauſa,a.m.3010.num.54.An ex eius culpa fames contigerit,a.m.3011.n.6.tertio anno vrgente fame conſulit Dominum,an. m.3013.n.3.agit cum Gabaonitis de piaculo famis,n.7. 85.

Dauid cunctatur dedere Gabaonitis filios Saulis,a.m.3013.n.9.tandem acquieſcit, n.10.an ſine eius culpa,num.11. num violarit iuſiurandum factum Sauli, & Ionathæ,12. diuinitus ab vtroque ſolutus fuit, humanitus à priore,ibidem. 86.

Dauidis humanitas in cadauera filiorum Saulis,a.m.3013.n.18.& 19. Dauidis periculum, & virtus Abiſai,a.m.3014.n.3.prohibetur à ſuis à prælis, nu.5.eius occupationes in ſenectute,an.m.3016.n.1.liberatum ſe prædicat de omnibus inimicis,num.3.canit canticum, quod eſt Pſalmus 17. eiuſdem verba nouiſſima,n.5. 87.

Dauid ex elatione populum ſuum numerari iubet,a.m.3016.n.41.& 43.ea punitur,num. 44.Agnoſcit culpam, an.m.3017.n. 8. mittitur ad eum Propheta,n.9.eique datur optio,& cur, n.10. conſentit in pœnam, ac ſe permittit Deo, nu.12. peſtémne elegerit an famem,n.13. 88.

Dauid videt Angelum percuſſorem, ac Deum orat,a.m.3017.n.28.& qui cum eo,n.29.eius in populum ſuum charitas, ibid. monetur de excitando altari,& ſacrificando, n. 30.31. adit Areunam,33. agit de emptione ſacrificii, & loci, ibid. nec vult offerre ſacrificia gratuita,35. 89.

Dauid emit boues & aream, an.m.3017.& quo pretio,n.36.& parat templo materiam,nu. 39. de pretio vide pluribus, ſchol. 5. an imprudenter, an. m.3019.n.3.Dauidis cum Salomone colloquium.1.Paral.22.6.quo pertineat,a.3018.n.6. 90.

Dauidis frigus vnde ortum, an.m.3019.n.2.& 3. an ex multa eius triſtitia, num.3. & fortaſſe morbo, n. 5. quod ei quæſitum à Medicis remedium, nu.6. & 7.eius in Adoniam indulgentia,a.m.3019.n.13.& 14. quæ & caſtigata eſt,ibid.quomodo excuſari poſſit, nu. 14.& a.m.3020.n.19. 91.

Dauidis reliqua vita in regno Salomonis computatur. an.m.3020.nu.6.an vltra 70.annos vixerit ,ibid. eius pro Salomone iuſiurandum,num.22.23.renouatur,num.28. euocat 92.

eos per quos initiandus erat regno,num.29.
mandatque fieri regē cum cæremoniis,n.30
93. *Dauid* ſalutat nouum regem,eique benedicit,
n.37.cum magna lætitia,Deoq; gratias agit,
ib.eius oratio in comitiis,a.m.3021.nu.11.&
ſeq.agit de diſtributione Leuitarũ & Sacer-
dotum,n.13.& ſeq.præeſt comitiis, 48. eius
ad populũ oratio, n.49. eũque monet,n.53.
94. *Dauidis* ad Salomonem oratio, a.m.3021.n.54.
quem animat ad ſuſcipiendum opus tem-
pli,nu.57.eique aſſignat adiutores,ibid.Da-
uidis in templum noua liberalitas,a.mund.
3021.nu. 60. eius peculium,ibid.cur populi
auxilia corrogarit, nu.65.petit populo con-
ſtantiam,& filio ſanctitatem,n.68.
95. *Dauidis* præſens lætitia, a.m.3021.n.79. & Pſal-
mus in ea,ib.eius teſtamentũ quādo condi-
tũ,n.80.eius ad Salomonē adhortatio, n.81.
mādat filio Ioabi cædē,n.82.gratus in bene-
factores,n.85.mandat mortem Semei,n.86.
96. *Dauidis* mors in quod tēpus inciderit,a.m.3021.
n.88.regni tempus,ib.commendatur à Do-
mino,n.89.regum omnium clariſſimus fuit,
n.90.& eorum exēplar,ib. Angelis ſuppar,
91.Chriſto Domino ſimillimus,92.& ſeq.ad
107.vbi habes compendium vitæ Dauidis.
97. *Dauidis* ſepulchrum cur Hieroſolymis,a.mun.
3021.n.108.An theſauri illuc illati,n.109.non
videri,num.114.Quid de ſepulchro Dauidis
Beniaminus Hebræus,n.110.111.112 quæ ma-
gica ludibria redolent,num.113.Epitaphium
Dauidis,n.115.
1. DEDICATIO cedrinæ domus Dauidis,a.mund.
2988.n.37.ad eam pertinet Pſalmus 29.ibid.
2. *Dedicatio* templi Salomonis quando facta,a.m.
3030.nu.4.cur ſeptimo menſe,ibid. Ad eam
populus conuocatur,n.5.quādo & quomo-
do,n.6.an inchoata decimo quinto die ſep-
timi menſis,n.7.an potius octauo,nu.8.iſne
September vel October,n.9.
DEFECTIO Sebæ in populo caſtigata,a.m.3016.
n.41.& 42.
DESERTVM Maon, & Ziph.Saulis,an.14.n.20.
& ſchol.1.
DESPERATIO;vide,a.m.2979.n.92. in deſpera-
tione Saulis,& n.120.periculoſa, a.m.2982.
n.15.agit in rabiem,a.m.3009.ſchol.7.
1. DEVS iudex,legifer & rex noſter,a.m.1900.n.
1. 2.3. peccata quæ directe ſunt contra eum
grauiora eſſe,2911.n.5. non mutat cōſilium
aut ſententiam, an.m.2912.nu.9.eius minæ
contra Heli,&domum eius,per virum Dei,
n.2. & ſeqq. & quæ denunciantur Samueli,
2913.n.10.& ſeqq.
2. *Deo* quare ſemper confidendum , a.m.2939.n.
12.13.cur permiſerit arcam capi,n.21.eius in
ea conſeruanda prouidentia,a.m.2940.nu.
35. Pugnat pro Hebræis ad Samuelis pre-
ces,a.m.2960.n.21.& 22.eiuſque victoria,n.
23.quibus armis pugnarit,n.24.25.
3. *Deus* iraſcitur contra populum qui regem pe-
tat,a.m.2962.n.25.conſentit tamen,nu.26.
& 41.Hebræi eius peculium,nu.27.28.29.&
nihilominus diſſuadet, 32.& tamen id eis
vertit in bonum,nu.59.Deus pater ſiue do-
ctor Prophetarum,n.111.
Dei amor in homines quî ab humano differat, 4.
an.m.2963.n.6.Dei vita,n.14. Dominus rex
Hebræorum,n.68.& a.m.2962.n.27.eorum
habet peculiarem curam , & promittit ha-
biturum, quod de veris Iſraëlis intelligen-
dum eſt,a.m.2963.n.77.
Deo æque omnia facilia , a.m.2964.nu.57.Deus 5.
conſulebatur extenſis manibus, a.m.2964.
nu.72.an per Pontificem , an per ipſum qui
interrogabat,n.103.vide ſupra *Conſulens.*
Deus male iurata videtur cōfirmare,a.m.2964. 6.
nu.104. Dei ira in Amalecitas,Chananæos,
&c.a.m.2968.n.3.4.5. Eiuſdem obſcura iu-
dicia in populos,n.6. Eius pœnitentia mi-
rabilis circa Saulem,nu.25. & ſeqq.explica-
tur ab Auguſt.& aliis,ſchol.7.
Deum non mutari ex Tertulliano, a.m.2968.n. 7.
27.28.Cur humani affectus Deo tribuantur,
n. 29. fert ſententiam conditionatam præ
uiſis amicorum meritis ac precibus , nu.31.
Dei prouidentia in ſingulari certamine Da-
uidis cum Goliatho,a.m.2971.n.36.& 48.
Dei multiplex prouidētia circa Dauidē, a.2974 8.
n.9.& 2979.48.& Iſraelē,61.& a.m.2986.19.
Deus quomodo per Ephod reſpōderet.Dei
ſciētia cōditionalis,n.54. cur permiſerit va
ſtari Siceleg,a.2979.61. & filios Saulis occi-
di,n.117.non ſeruit magiæ,&quomodo ali-
quando interueniat, an.m.2979.n.84.85.86.
Deus cur paſſus ſit Samuelem Sauli reſponde- 9.
re,a.m.1979.nu.89.Dei in Saulem æquitas,
n.146.in Abnerem iudicium, a.m.2985.nu.
26.Dei ius in electione principum,a.mund.
2986.n.34.
Deus fit Dauidi belli author cōtra Philiſthæos, 10.
a.m.2988.nu.10.terret hoſtem,& vincit per
Dauidem,n.10.&.11.Iterum fit belli author,
& modum pugnandi definit, nu.14.eius in
Dauidem prouidentia & beneuolentia,nu.
16.fuſe. Alia eius de Philiſthæis victoria,24.
Dei iudicium in prouidendo ne adulterium 11.
Dauidis celetur, a.m.2998.n.18. eius in Da-
uidem ſententia, & pœna vtrique crimini
denunciata, an.m.2999.5. multiplex Dei in
eum beneficentia, n.7.8.9. quæ Nathan illi
exprobrat.Propenſio Dei ad benefaciēdum
Dauidi,n.9. Quæ ſint illa maiora quæ Deus
Dauidi promittebat,n.9.& ſchol.2.
Dei iudiciũ in Amnonis inceſto, a.3000.n.13.in 12.
ſuſcitādo Semei contra Dauidē, a.3009.47.
in perturbando Abſalone morituro,n.98.&
aliis mortis eius circunſtantiis,n.103,qui re-
gat malas voluntates in malo opere,n,55.56.
Dei iudicium in cæde Amaſæ, a.m. 3010.n.47. 13.
& filiorum Saulis, a.m.3013.n.11. Deus pro-
tector miſerabilium & vltor, a.3013.nu.5.7.
11.Deo puniendos viri boni ſe exhibent,an.
m.3017.n. 12.& ſchol.1.
Deus nocte apparet Salomoni,a.m.3022.43 qua 14.
forma,ibid.mutuum colloquium, nu.45.&
ſeqq.gratum illi Salomonis deſiderium,nu.
47.& liberalitas in ipſum, ibid. Eum Deus
in altum extulit, a.m.3033.26.ei apparet ite-
rum 3042.n.1.eius viſionis locus,tempus,&
modus,n.3.ſumma capita, n.4.& 3057.nu.2.
Dei in Salomonem deprauatum ira, a. mund. 15.

3057.nu.1.& 2. tres eius apparitiones, ibid. quæ iræ cauſa, n 3. reprehenditur à Deo, n. 4.& quando,n.5.& per quem,num.6.non à Deo ipſo,nu.7.ſed ab Ahia Propheta, ibid. tres illi hoſtes ſuſcitat,a.m.3057.n.13.& ſeq. Adad.13. Razon,18. Ieroboam,21.

Diadema,& corona,a.m.3020.n.44.

Dialectica diuinitus infuſa Salomoni, a.m. 3022.num.82.in qua periti pueri Babylonii, ibidem.

1. Dissimvlat Saul prudenter ſe audire quæ contemptim de ſe dicebantur, a.m. 2963.n. 25.& 2971.nu.72. maligna Saulis diſſimulatio,ibid Samuel item diſſimulat, a.m.2969. n.10.11.21.Dauidis apud Pontificem,non ſine mendacio,a.mun.2973.n.98. & apud regem Achis.ſupra *Dauid*,n.35.& 36.

2. *Diſſimulatio* Saulis in cogendis copiis contra Dauidem,a.m.2974.n.51.& in adeundo,n. 57.& Dauidis in ſtudio tegendi adulterii,& inducendi Vriam ad adeundam domum ſuam, vide ſupra *Dauid* 62. cum Ioabo poſt occiſum ab eo Amaſan, an.mund.3010. nu. 50.

3. *Diſſimulatio* Dauidis in Amnonis facinore, ſupra *Dauid* 70. in curribus & equitibus Abſalonis.ſupra *Dauid*.73. In ambitione Adoniæ,3.Reg.1.v.6.a,mun.3019.n.13.& 14.vide ſupra *Dauid*. n.91. Iabeſitarum diſſimulatio, a.m.2963.n.42.

Divinatio multiplex à magis vſurpata, a.m. 2979.n.68.& 69.

Doctores cantorum 12. per ſingulas ſortes, numero 288.a.m.3021.n.35.& alii Leuitæ,n. 45.

1. Doeg an ſuggeſſerit primum Sauli de Dauide ex malo in eum affectu,a.m.2970. n.6. non videri, n. 7. An inimicus Dauidi tam mature, ibid. cur eſſet in tabernaculo apud Pontificem,a.m.2973.n.106.Quæ eius potentia, aut officium,a.m.2973.n.107.

2. *Doëg* delator Dauidis & Achimelechi apud Saulem,a.m.2974.n.23. & ſeqq.quæ eius in hac delatione culpa.n.25.eiuſdem adulatio, ibid.& n.32.Pſalmus contra eum, n.47. An fuerit Saulis armiger in prælio Gelboë, an. m.2679.n.120.

3. *Doëg* iuſſu Saulis ſacerdotes occidit, 1. Reg.22. n.18.a.m 2974.n.33.Non vult occidere Saulem id iubentem,a.m.2979.n.121.an eius filius nuncius ad Dauidem de morte Saulis, n.150.151.173.175.non videri,ibid.

Domata Iudæorum quæ,a.m.3024.n.2.ex S. Hieronymo.Tecta plana cum circumpoſito peribolo.

Domvs Salomonis & Reginæ, & ſaltus Libani, a.m.3030.nu.47.& 48. treſne domus,an vnica.ibid.& 49.Domus ſaltus Libani vnde ſic dicta,n.52.

Dominivm triplex,a.m.2962.n.35.

Donaria templi à quibus præcipue data,an. m.3021.n.42.

Dvdia princeps ſecundæ turmæ Dauidis,an. m.2980.n.6.

Dvellvm, vide *Certamen* ſingulare, num.1.& ſeqq.

E

Ecclesiæ poteſtas non diſtincta à laïca in veteri lege,ex Abulenſi,a.m 3022.n.15.

Edessa,eadem cum *Arath*, an.mund.3009.n. 32.

Edictvm Saulis in cauſa Goliathi,an.m.2971. n.13.vtile & glorioſum, ibid. ſed irritũ Dei prouidentia, nu. 14. Edictum alterum eiuſdem de non guſtando cibo ante profligatum Philiſthæum.1.Reg.14.an.m.2964.nu. 78.an culpabile,n.79.80.81.videri iuſtum,n. 82.& ſeqq. 1.

Edictum Saulis quo eraſit magos, & aridos de terra.1.Reg 28.9.a.m.2979.n.72.& 73.propterea Saulem à vexatore dæmone liberatum videri,n.73.occultum eius mandatum de interficiendo Dauide,1.Reg.19.a.m.2973. nu.2. 2.

Edixit Dauid vt filii Iuda artem ſagittandi docerentur.2. Reg. 1. v. 18. Edictum Saulis de corripiẽdis armis contra Ammonitas, pœna propoſita.1.Reg.11.7. Dauidis de numerando populo.2.Reg.24. 3.

Egla vxor Dauidis, 2. Reg.3.5. putatur à quibuſdam Michol,a.m.2981.nu.7.non fuiſſe, n.9.ſed mulierem ignobilem, ibid.cur nominatim dicatur vxor Dauidis,ibid.

Elcana pater Samuelis, 1. Reg. 1.1. maritus Annæ & Phenennæ, num.2.illam diligit,& conſolatur. v.5.& 8.aſcendit in Silo,a.mun. 2900. n.11.cum familia ſua,num.12 quas illi partes diſtribueret, ibid. veniſſe in Silo ſacrificandi,an & miniſtrandi cauſa,vt qui eſſet Leuita. 13. Dat vnam partem Annæ, & qualem,n.14.eam conſolatur,nu.17. Aſcendit anno 2901.2. & conſentit Annæ differenti aſcenſum,6.

Elchanam qui & *Adeodatus*,vnus de fortiſſimis Dauidis occidit gigantem Goliathum, 2.Reg.21.19. an.mund. 3014.n.10.& a.3016. num.26.eſt ſecundus 30. fortium,ibid.filius Dodi, &c.vide *Adeodatus*.

Eleazar ſecundus in priore triade fortium Dauid,a.m.3016.n.13.quid inſigne ab eo geſtum,n.14.rigor manus eius,n.15.

Electio diuina ad regnandum, Saulis,1. Reg. 10. 24. Dauidis, c. 13.14.c.15. 28.c.16. 1.12. 2. Reg.3.18. c.5.2.1. Paral.11. 2.3. Salomonis.3. Reg.1.30. 1.Paral. 22.9.10.& ca. 28.5. Ieroboami,3. Reg.11.31 35.37.38.Roboam,&c.filiorum Dauidis, 2. Paral.13.5.vide a.m.3021. nu.51.

Eli,vide *Heli*.

Eliab frater Dauidis primogenitus qualis, a. m.2969.nu. 22.& 23. Quid de eo Ioſephus, ibid.& num.27.& 29.reprehendit aſperius Dauidem,an.mund. 2971.nu.22.an ex inuidia,ibid.reprehendit ſuperbiæ,& curioſitatis,nu.23.

Eliaba decimus ſeptimus in fortibus Dauidis,a.m.3016.n.32.

Eliam qui & Ammiel pater Bethſabææ, filius Achitophelis,a.m.2998.n.7.in fortibus Dauidis,n.8.ordine,23.a.m.3016.n.34.

ETICA quartus in fortibus Dauidis, a.m.3016. nu.26.
ELIPHELET vigeſimus ſecundus in fortibus Dauidis numeratur, a.m.3016.33.
ELOQVENTIA Salomonis, a.m. 3022.n.64. flumini comparata, n.65. eiuſdem admirabilitas, n.66.
EMATH vrbs & prouincia vbi ſita, a.m.2933.n.14. eius rex Thoü legat filium ad Dauidem, ibid. vide & ſchol.4. Eo profectus eſt Salomon, ann.mund.3044. num.4. & ſchol.1. & 2.
EMISSARII Saulis iidem qui ſerui expediti, an. m.2974.n.32.
EMMA, aut potius *Maon* deſertum, an.mund. 2977.21.
ENDOR oppidum quodnam, & vbi ſitum, an. mund 2979.num.70. Ibi Pythoniſſa Saulis, ibid. quantum diſtet à montibus Gelboë, n. 71.
ENGADDI deſertum, & ciuitas, vis vocabuli, a. m.2976.n.3. res geſta in eius ſpelunca, num. 14.
EPHESVS ab Ionibus condita in Aſia, a.mund. 3007. n.1. & 16. ab Androclo filio Codri, a. m.3011.n.5. Eius varia nomina 3007.nu.16. antiquitas, præſertim templi, ibid. quando reſtaurata, ibid. num. vltimo.
EPHRAIM ſaltus, in quo victus, atque occiſus eſt Abſalon, an.mund.3009.nu. 93. vbi ſitus, & vnde nomen acceperit, ibid. Ibi cæditur exercitus Abſalonis ad 20. hominum millia, n.94.
EPHRÆM, ſiue Ephrem oppidum iuxta Baalhazor, a.m.3002.n.4.
EPHRAIMITÆ ſeditioſi fuerunt, a. m.2963.nu. 23. malis exemplis abundat, an. m.3057. nu. 22.
EPHOD lineum Sacerdotibus, & Leuitis, atque adeo laïcis commune, reſpondet hodierno ſuperpelliceo, an.m.2974.n.34.2907. nu.4. erat quaſi ſignum clericatus.
EPHOD Pontificium quomodo ſeruatum in Nobe, an.mun.2974.n.34. quomodo per illud Dominus reſponderet interrogantibus, n.52.
EPINICIVM in pſalmis quid, ann.mund. 2950. ſchol.1.
EPISTOLÆ Hirami & Salomonis, Vafris item regis Ægypti, an.m.3022.n.134.135. vſque ad 141.
EPITAPHIVM Samuelis, Saulis, Ionathæ, Abneris, Abſalonis, Dauidis, Salomonis, vide ſuis locis, vbi de morte eorum.
EPITHALAMIVM Salomonis, an.m. 3022.n.122. qui eſt Pſalmus 44.
EQVI, equites, & currus, & quadrigæ Salomonis explicantur, an.m.3044.nu.7. & ſequen. fuſe.
ERISMÆ ſubſtructionum templi, a.m.3023.n. 25. & 26.
ESSENI qui eſſent, a.m.3021.n.8. & ſchol.1. fuſe, ex Ioſepho.
ETHANIM menſis, vnde dictus, 3030. n.9. qui & Tiſri, ibid. & n.10.
1. ETHAI Gethæus, filius regis Geth Philiſthæi, a.m.3009. n.18. ſecutus eſt Dauidem factus proſelytus, ibid. Qui eius fratres ſiue ſocii, nu.18. Dauid ei reditum ſuadet in Hieruſalem, n.19. nec perſuadet, nu.20. itaque Dauid admittit eum ſocium, ibid.
Ethai Dauid confidit, ita vt ei tertiam copiarum ſuarum partem committat, a.m.3009. n 86. & quamobrem, ibid. 2.
EVCHARISTIA figurata in panibus propoſitionis, apud Theodoretum, a.m.2973. ſchol. 12. Et in Dauide ferente ſe ſuis manibus ex Auguſt. a.m. eodem. n.120.
EVGVBINVS notatur de ſuſcitato Samuele, an. m.2979.n.83.
EVNVCHI in comitiis Dauidicis, quinam eſſent, a. m.3021.n.8. & 9. videri cubicularios, nu.9.
EVSEBIVS Cæſarienſis omiſit 4. reges Aſſyriorum, a.m.2921.n.1. & 2.
EXAMPÆVM apud Herodotum quid, a.m.3016. ſchol.
EXCELSVM maximum apud Gabaon, a.mund. 3022.num.30. alia excelſa, ibid. & 2962.nu. 100. & qui in iis Prophetæ, ibid. excelſum Samuelis, &c. an. mund.2962. num.55. qui reges ea non ſuſtulerint, ibidem. vide de Salomone, an.mund.3058.num.8. & 9.36. & 37.
EXECRATIONES, & vis earum, a.m.2985. n.29. frequentes reperiuntur in Scriptura per illa verba Hæc faciat, & hæc addat. Heli, 1. Reg.3.17. vel Maledictus, &c. Saulis, 1.Reg. 14.24. & 44. Ionathæ, 1.Reg.c. 20.v. 13. Dauidis, 1.Reg.25.22. Abneris, 2.Reg.3.9. Dauidis, 2.Reg.3 v. 29. & 35. & 39. & ca.19.13. &c. & in montes Gelboë, 2.Reg. 1.a.m.2979.n. 184.
EXERCITVM an Hebræi habuerint ordinarium ante Saulem, a.m 2964.n.7. & 8. non videri, ibid. & nu.9. Exercitus pro multitudine non militari, n.9.
EXILIA, & fugæ excellentium virorum, an.m. 2973.n.29.
EXORCISMI Salomonis, a.m.3022.n.93.
EXPEDITIO Salomonis in Emath, a.m.3044.n. 4. & ſchol.1. & 2. Et in Aſiongaber, num. 20.
EZEL lapis, ſiue ſpelunca, ad quam Dauid triduo abſconditur, a.m.2977.n.68.

F

FACIES templi orientalis, a.m.3024.nu. 9. & eius ornamenta, ibid.
FAMA, & gloria Dauidis, a. m.2988.n.24. & an.2989.n.1. vide ſupra *Dauid* n.56. Salomonis, a.mund.3033.n.33.34. & ſeqq. vide *Salomon*, n.22.
FAMES triennii tempore Dauidis, a. m.3011.n. 6. an cum Dauidis culpa coniuncta; non videri, ibid. conſulit Dominum, à quo diſcit cauſam eius, a. m. 3013.nu.3. cur populus ea vexatus, nu.6. ſeptemne anni famis, an tres Dauidi in pœnam propoſiti, an.mund.3017. nu.11.
FENESTRÆ templi, a.m.3024.n.20. dis oraculum

caruit,n.24.earum elegantia, num.77.proportio ac reſponſus, nu.77.earum cancelli aurei,ibid. Ferri omne genus ſublatum Hebræis,a.m.2964.n.39.& 40.& quam id mirum,ibid.& vnde id factum videatur, n.42. & 43.

Fidei myſteria Salomoni reuelata, a.m.3022. n.99.quæ maxime,ibid.

Flentium locus, ann. mund.2988.num.22.& ſchol.2.

Fletus Dauidis cum populo ſuo,ſuper morte Abſalonis,an.m.3009.nu.21.& quod ſubiectum lachrymarum, ibid. an fuerit mollis animi.n.28.

1. Foederis conditiones,an.m. 2971.n.58. Alterum fœdus Ionathæ & Dauidis, a.m.2973. n.63. quid differret à priore contractu, inito ſtatim à morte Goliathi, ibid. an ictum cum ceremoniis, nu.64.eius renouat memoriam Ionathas, a.m.2973.n.71.tertio renouatur,2975.n.14.

2. *Fœdus* Dauidis cum populo, cum factus eſt rex totius populi, a.m.2986.nu.33. eiuſdem cum Abnere,2. Reg.3.20.21.an. m. 2985.nu. 17.

3. *Fœdus* à Salomone cum Deo & populo initum,a.m.3020.nu.45.& 46.renouatum,an. 3021.n.76.

Fons Rogel ad torrentem Cedron,a.m.3009. n.72.

Fornix Oraculi templi, altitudinis, 10. cubitorum, a.m. 3024.nu.23.fornix triumphalis Saulis,a.m.2968. n.32. & Dauidis, ſupra *Dauid*,n.60.

1. Fortes Dauidis ad eum regem conſtituendum conueniunt, a.m.2986.nu.29.Eorum aliqui fuerunt inter principes turmarum, a.m.2980.n.5.&c. diſtincte recenſentur,an. m.3016.nu.6.& multis ſeqq. Appendix fortium,a.m.3016.n.38.& ſeqq.

2. *Fortiſsimorum* duo ternarii, a.m.2986.nu.29.& 3016.n.7. iuuant Dauidem vt fiat rex ſupra totum Iſraëlem, ibid. quam arduum eorum facinus in petenda aqua ex Bethlehem,an. m.2988.31.& quando allata,n.29.&quo.30. qui fuerint,tres ſcilicet prioris triados, an. 2988.n.35.& ſchol.4.

3. *Fortes* Dauidis quot numero, & an tantum 30.an.m.3016.n.6. extra eos Dauid & Ioab, etſi ambo fortiſſimi, nu.8.adſunt regni comitiis ad creandum regem Salomonem, a. m.3021.n.10.

4. *Fortitudo* an quomodocumque probari poſſit,a.m.2988 n.34.

Foſſa circa altare holocauſtorum, a.m.3025. n.52.cum ſuo peribolo, n.55. ſiue corona,& cui vſui,n.55.

Fractio panis in conuiuio, an.mund. 2962. nu.57.

Frenum tributi quid,a.m.2991.n.2.& 7.videri vrbem Geth,ibid.

Frigus Dauid, & infirmitas præmatura vnde orta videatur,a.mun.3019.num.2.3.& ſeqq. videri ex mœrore frequenti & diutino, ibidem.

Fructuum Leuiticorum diſtributio,a.mund. 3021. n.27.

Fuga Dauidis à facie Abſalonis laudatiſſima, a.m.3009.n.11.& ſeqq.

Funiculi duo Moabitarum, a.m.2992.n.4.& ſeqq.

Fundamenta templi Salomonis quando iacta.vide ſupra *Chronologia*,n.5. quam operoſa fuerint,a.m.3023.n 28.& 34.quanto tempore confecta,n.34.& 35.primi lapidis deiectio,n.39.

G

Gabaa locus Arcæ in Cariathiarim,an.m. 2941.n.3.& 2962.n.93.& 2989 n.15. vox eſt appellatiua,fuit enim collis,ibid.

Gabaa Beniamin patria Saulis, in ea ſtatio Prophetarum,& Philiſthæorum,a.m.2962. n.97.cur dicta collis Dei,n.98.

Gabaon excelſum maximum, a.m.3022.n.30. 31.vbi ſitum,n.32. Eo videtur inuitatus Salomon,nu.33.ibique mille hoſtias ſacrificauit,n.34.Ibi certamen gladiatorum in Agro robuſtorum,ibi occiſus eſt Aſaël, 2.Reg.2. 16.& ca.3.30.

Gabaonitæ à Saule vexantur,a.m.2979.nu. 23.24.25.quæ illa vexatio,n 24. ex zelo imprudenti & crudeli,nu.26. Gabaonitas Dominus vlciſcitur,an.m.3013.n.5. Expetunt à Dauide familiam Saulis exſcindi,nu.8.tandem 7.petunt,& impetrant, nu.10.cur in 7. acquieſcunt,ibid.

Gad Propheta,a.m.2974.n.10.& 11.Dauidem in Moabitide diuinitus monet redire in tribum Iuda,n.10.

Gaditæ ex tribu Gad,plerique egregii ſe adiunxerunt Dauidi à principio in ſpelunca Odolla,a.m.2973.n.31.

Galaaditæ,& eorum tranſmigratio,a.mun. 2965.n.15.quando contigerit,ibid.& qui eo nomine comprehenſi,ibid.

Galgala iubetur adire Saul,a.m. 2962.num. 107.ibi comitia renouantur, an. 2963.num. 54. & cur, ibid. Ibi Saul præpropere ſacrificauit.lib.1.Reg.13.9.10.&c.

Galilæa gentium vnde dicta videatur, a. m. 3042.nu.6.terra Chabul, ibid. an conueniat talis denominatio,n.7.

Gallim gemina in Scriptura,a.m. 2977.n.50. & 3016.n.27.

Gareb trigeſimus primus fortium Dauidis, n.3016.36.

Gazer oppidum Ephraim non fuit in poteſtate Iſraëlitarum,a.m.2988.n.28.vide & n. 23. ceſſit in dotem filiæ Pharaonis, & quomodo,an.m.3022.n.119. & an.3044.nu.16.à Pharaone capta, & quæ belli cauſa, num. 17.

Gazophylacia, Cubicula, Exedræ, Thalami, Cellæ idem,an.mun. 3025.38. Gazophylacia atrii Iſraëlitici vbi ſita.3025.n.37.quę eorum amplitudo & vſus, num. 38. eorum numerus in atrio Iſraëlitico,n.38.

Gebele an locus in Idumæa, an potius ex mendo facta vox, ann.mund.2994.num.6. & 7.

Gelboe montes, vbi, a.m.2979.n.43. qui maledicantur à Dauide, n.184. & valuit in locum execratio poſt multa ſecula, ibid.

Gedeon minime arguendus infidelitatis, a.m. 2962.n.92.

1. Gentium porticus, & Atrium, a.m.3025.n.10. à Salomone conſtructa, n.11. à Ioſepho admittitur, ibid. & ab aliis Scriptoribus, n.12. & ratione, n.13. & Scriptura, n.14. manſit ad poſteriora tempora, 15. eius menſuræ, n.16. cur non traditæ ab Angelo Ezechielis, n.16

2. *Gentium* porticus cuiuſmodi eſſet, a.m.3025.n. 17. quæ diſpoſitio muri eius, nu.18. paraſtadum foris, & intus ſemicolumnarum, & feneſtrarum interiectarum, n.18. altitudo, 19. columnæ, &c. vide ſuis locis. fuit duarum contignationum, a.m.3025.n.21.

3. *Gentium* porticus tota altitudo fuit cubitorum ad 40. a.m.3025. n.21. Superior contignatio par colũnis cum inferiore, n.22. habuit peribolum & tectum cum trabeatione colũnarũ, n.22. ornatus tecti eius & pauimenti, n.23.

Genvflectio in oratione, a.m.2900. ſchol.3. Dauid tamen ſediſſe legitur, 2. Reg.7.v.18. a.m.2990.n.65. ex Auguſt.

Geographia & Hydrographia eiuſdem, a.m. 3022.n.80.

Geometria Salomonis, a.m.3022.n.73.79.

Gerzæos deprædabatur Dauid cũ moraretur in Siceleg, & quo iure, a.m.2979.n.16.18.

Gesionis crudelis interitus, a.m.3009. ſchol.7.

Gessvræos prædatus eſt Dauid, an.m.2979.n. 16.18. & 1981.n.3. gemina Geſſur, ibid. Geſſur regnum Tholmai, a.m.3002.n.11.

1. Gethæi dant cõſilium circunducendi Arcam Domini, a.m.2940.n.31. ad eos deducitur, n. 32. qui & ipſi affliguntur, n.33. Situs Gethæorum, n.32. faciunt ſibi ſedes pelliceas, nu.33. mittunt arcam ad Accaronitas, 34. non erat cur odiſſent Dauidem, a.m.2973.n.133.

2. *Gethæos* cur præ cæteris adierit Dauid profugus, an.m.2979.n.5. & 6. res ibi geſta, n.7. & ſeqq. Rex eorum an idem cum eo quem Dauid adierat ignotus, n 6 & an. Saulis 12. n.111.112. vide *Achis*, n.1. & 2.

3. *Geth* Palæſtinorũ intellecta nomine freni tributi, a.m.2991.n.7. eius recuperandæ gratia Philiſthæi bellum ſuſcipiunt, a.m.3014.n.12.

Gigantes noui ex Philiſthæa contra Dauidem inſurgunt, a.m.3014.n.2. eorum genus, n.4. Gigas alius excelſus, 24. digitorum, n.12.

Gihon mons & fons vbi ſitus ad Ieruſalem, a.m.3020.n.37. ibi inungitur Salomon, nu. 38.

Gison in templo ſeptum, & vbi poſitum, an. m.3025.n.43. eius longitudo, & altitudo, n. 44. & ſchol 6.

Gladivs Goliathi Deo dicatus, a.m. 2973.nu. 110. datus Dauidi ad tempus, ibid. Gladius late ſumitur in ſcriptura, an.m.2979. ſchol. 14. Gladius regius in conſecratione regis, a. m.3020.n.44.

Gloria quam dilecta principibus viris, a.m. 3022.n.49. peruerſus eius amor, ibid. Gloria Salomonis, a.m. 3033.n.23. eius ſapientia & opibus nixa, ibid.

Gloria Domini quæ, an.m.3030.nu.36. nimirum ſplendida caligo implens domum Domini, aut innoxius ignis, & c. ibid.

Gob quis locus? videtur Gazer, a.m.3014.n.6. ſiue Gezer vrbs Philiſthæorum, ibid.

Goliathvs an ſpurius, a m.2971.n 6. & 7. eius patria & ſtatura, n.7. & 8. Ex Ioſepho & aliis n.9. pondus armorum eius, n.10. prouocat Hebræos ad ſingulare certamen, num.11. ex ſuorum, non item Hebræorum conſenſu, ibid. eius iactantia, & Hebræorum metus, nu.12. 1.

Goliathus procedit in aciem, a.m.2971.n.36. cõtumelioſus eſt in Dauidem, n.37. eique maledicit, n.38. & addit minas, ibid. lapidis ictu proſternitur, n.45. imo & occiditur, nu.47. cur illi caput præciſum, nu. 48. quam iuſtum eius ſupplicium, ibid. 2.

Goliathi caput quaſi in triumpho circumlatum defertur Hieroſolymam, n.51. arma vero ad tabernaculum Dauidis, n.52. 3.

Goliathi frater, ſiue alter Goliath debellatus, & occiſus ab Adeodato, an.m.3014.n.8. & 9. 2. Reg.21.19. 4.

Gradvs ad portam orientalem Templi, an.m. 3024.n.76. pretioſo è lapide: eorum altitudo trium cubitorum, par podio columnarum, n.76.

Gradvs ſubſtructionum, a.m.3025.n.8.

Gradvs altaris holocauſtorum, an.m.3025.n. 58. An id contra legem, n.59.

Gradvs ſolii Salomonis, a.m.3033.n. 14. & in iis leunculi, n.15.

Grammatica Salomonis, & Arabicæ linguæ cognitio, a.m.3022.n.63.

Gratiæ diuinæ vis, an.m.2999.n.13. Dauidem in peccato iamdudum obdormientem excitat, & conuertit, ibid.

Gratiarvm actio iuſta apud Deum, etiam poſt dona noſtra, a.m.3021.n.66. & 67.

Gratus Dauid in benefactores, a.m.3021.nu. 85.

Gratitvdo grata Deo, a.m.3022. ſchol.1. potentes fere ingrati, ibid.

S. Gvalbertvs quo maximè facinore nobilitatus, a.m.2976.n 29.

H

Habitvvm tres perfectiones in Salomonis ſapientia, a.m.3022.n.59.

Hæretici cur libros ſacros fingant, aut deprauent. Præf.n.14.

Hæresiarchæ aliqui reſipuere, an. m. 3058. ſchol.2.

Hanon rex Ammonitarum filius Naas, inſipiens, & contumelioſus in Dauidem, an.m. 2996.n.6. & 7. vide & ſchol.1. vide & Ammonitæ, n.3. & ſeqq. eius frater Sobi, ſuffectus à Dauide victore in eius locum, an.m. 2999.n.40.

Hareth ſaltus in quo immoratus eſt Dauid, a.m.2974.n.13.

Harmoniæ vis, a. m. 2970.n.3. contra bilem atram, ibid. an & contra dæmones, n.4.

Hastæ aureæ Salomonis, a.m. 3033 n.8. & 9.

1. Hebræi bellum parant in Philiſthæos, a.m. 2939.n.5 & in primo prælio vincuntur,n.6. & ſuam cladem mirantur n 7.& 8.quid cō ſilii capiant,n.9.An imprudenter arcam adduxerint,n.10.an laudabiliter potius,nu.11. & recte in ea confiſos fuiſſe,n.13.

2. Hebræi iterum maiore clade vincuntur & fugiunt,an.m.2939 n.19.& 20. Quis ſtatus Reipub.Hebræorum mortuo Heli,a.mun. 2940.n.11.tributa pendunt Philiſthæis, an. m.2947. nu.3. Conuertuntur ad Dominum opera Samuelis,a.m.2960.n.5.6.& ſeqq.

3. Hebræorum pœnitentia,a.m.2960.n. 10. Prohibiti erant à Philiſthæis conuenire, indeque natum bellum,n.17.Excutiunt iugum Philiſthæorum,& recipiunt ciuitates ſuas, nu. 27. An inermes contra Philiſthæos pugnarint,a.m.2960.ſchol.3.

4. Hebræi regem petunt, & quæ pro ea cauſa faciant,an.m.2962.n.9.& ſeqq. Explicatur ea petitio,n.14.ad Dei iniuriam pertinuiſſe,n. 18.19.20.Hebræi peculiariter populus Dei, & eius peculium, an.m.2962.n.19.27.28.29. perſiſtunt in petendo rege,n.40. Theocratia apud Hebræos.ſchol.4.

5. Hebræorum mœror & metus in bello Ammonitico, a.m.2963. n.36.quantus exercitus,n. 40. & 41. aſſumunt animos contra Philiſthæos, an.m.2964,n.13.& conuocantur ad Saulem,n.14.eorum mox timor,fuga,latebræ,defectio, n.17.& 74.75. Philiſthæorum cauſa,& rurſum,n.37.

6. Hebræi inermes,& quam id mirum, 2964.n.39. & 40.an omnes,n.45 neque plane inermes fuiſſe,n.46.vincunt Philiſthæos,n.77.idque diuinitus. Eorum obedientia erga Saulem, a.m.2968.n.57.An tributa penderent Philiſthæis ſub tempus Goliathi,a.m.2970.n.3.

7. Hebræi erant paſſim inermes, an.m.2973.n.108. Quomodo Hebræi populus ſempiternus, an.m.2990. ſchol.8. Hebræi an omnes regi ſuo tributarij, an.m.2980.n.13. conueniunt omnes vt Dauidem regem conſtituant, an. mun.2986.n.20.& ſeqq. quibus rationibus moti,n.31.& 32.

8. Hebræi nunc à Deo reiecti, obſtinati & profugi,a.m.2990. ſchol.8.vide Iſraelitæ,& Iudæi.

Hebron cur primum à Dauide electa regni ſedes,an.m.2979.n.193.aditur ab eo,n.194. ibi conſilia de regno agitantur,n.195.& ſeq. locus fuit ſanctuarij cum Dauid ibi regnaret, a.m.2986.n.33. Eo voti cauſa proficiſcitur Abſalon,a.m.3009.n.5.

Heddai decimus quartus in fortibus Dauidis,a.m.3016.n.31.

Heled vndecimus in fortibus Dauidis, an. m. 3016.n.30.

Heles quintus in fortibus Dauidis filius Phalti,a m.3016.n.27.

1. Heli ſuccedit Samſoni Iudici, & Achitobo Pontifici,an mund. 2900.n.5.& 7. & quare,ibid.Ex Ithamare ortus,num.5. cur mutata in eo Pontificum familia, n. 6. & iuncta vtraque dignitas in eadem perſona, nu.7.

2. Heli cur non numeratus cum iudicibus,an. m. 2900.n.8.& 9.ſed adiunctus regibus,nu.9. & 10. eius parentes ignoti, ſicut & priora ipſius geſta,n.10.eius filii,n.11.reprehendit Annam ebrietatis,n.27. & vnde orta ſuſpicio, num. 28.an temerarium id iudicium, ibidem.

Heli Annam beneuole dimittit,a.m.2900.33.an 3.
bene precatus,an prophetans,n.34.Rurſum accepto à matre Samuele mulieri bene precatur,a.m.2903.n.19.

Heli audit querelas de filiis ſuis,an.m 2911.n.2. 4.
qui filios arguit,n.3. nec emendat, nu.6.nimia eius indulgentia, nu.7.accuſatur à ſanctis patribus,nu.8.vir Dei ad illum arguendum mittitur,an. mund.2912. nu.2. & quis, ibidem.

Heli arguitur à viro Dei,& quæ ſumma expo- 5.
ſtulationis, a.m.2912. n.3. & 4.denunciatur illi pœna,n.6. & ſeqq. & domui eius, n.8. & quæ pœna in particulari, nu.10.& ſeqq. Inſtruit Samuelem quî ſe gerat erga vocantem Dominum,a.m.2913.n.9.

Heli exquirit à Samuele quid didicerit à Do- 6.
mino,an.m.2913.n.13.& 14.& acquieſcit diuino iudicio,n.15.magna cum laude,ibid.& ſatisfactione,n.17.quibuſdam repugnantibus,n.18.quibus ſatisfit, n.19.

Heli educit Arcam Domini è Sanctuario,a.m. 7.
2939. n.15. eius pro ea ſollicitudo, n.24. addiſcit cladem acceptam, & à caſu extinguitur,n.25.& 26. & quis mortis modus, n.27. ex infirmitate,non ex impatientia, ibid.anni vitæ,& magiſtratus eius,n.28.

Heli æternam ſalutem qui negant,a.m.2939.n. 8.
24. & 30. contrariam ſententiam probabiliorem videri,n.31.qui ei faueant,n.32.eumque laudent, nu.33.explicantur aduerſariorum ſententiæ, n.34. & 35. Quid de eius filiis,n.36.& 37.

Heli quis in pontificatu ſucceſſor,a.m.2940.n. 9.
8.familia Heli, nu.10.ſeruitus inducta Hebræis à morte Heli,a.m.2964.n.43. & ſeqq. exemplum punitæ inobedientiæ, ſicut & Saul,a.2968.n.49.ei confertur Dauid indulgentia in filios.vide Dauid,n.70.& 91.

Helles princeps turmæ ſeptimæ militaris Dauidis, a.mun.2980.n. 9.idem in fortibus Dauidis, ibid.& a.m.3016.n.27. in Hebræo tam in 2. Reg.23.26. quam 1. Paral.27.10.eſt Cheles,ſed cognomina nonnihil differunt.

Henricus quartus Rex Francorum nō inunctus oleo Rhemenſi, ſed Turonenſi, apud Carnutes, a.mun.2962.n.59.idem prodigio curandarum ſtrumarum in fide confirmatus, ibidem.

Heraclidarum reditus, ſiue deſcenſus quando contigerit, an.m.2905.n.1. & 2950. nu.3.

Heſiodi natalis,a.m.3059.n.2.

Heſrai vigeſimus quartus in fortibus Dauidis,a. m.3016.n.34.

Heuila, ciuitáſne,an deſertum, a.m.2968.nu. 12.

Hieroſolyma electa à Dauide in ſedem regni,a.mun.2987.n.3.an occurrerit Dauidi è bello Abſalonico reduci, a.m.3010.n.17.&

quomodo, n.20. An plagam peſtis ſenſerit, a.m.3017.n.22.ita videri, ibid.vide & n.24.& *Ieruſalem.*

Hira princeps turmæ ſextæ Dauidis, a.mund. 29..n 8 idem ſextus fortium Dauidis, patria Thecuites, a.m.3016.n.28.

Hiram rex Tyri, amicus Dauid, eius opera in ædificando vtitur, a m.2987.n.19. Eiuſdem cum Salomone amicitia, ann.mund.3011. nu.134.& legationes, 135. 136. epiſtolæ mutuæ, ibidem.& 140.quæ illi merces data, a. m.3043.nu 3. & ſeq.cur conqueſtus, num.6. Dedit Salomoni ciuitates, ann.mund 3042. nu.8.

Hiram architectus inſignis, an m.3022.n.141. genus eius, num.142. Hebræum fuiſſe non Tyrium, ibid. eius multiplex induſtria, nu. 143.

Historiæ cognitionem à Deo accepit Salomon, a.m.3 22.n.70. Hiſtorici tempore Dauidis,& Salomonis, ibid. Non recte negatur Hiſtoria Salomoni, n.71 infuſa momēto, ib.

Holdai princeps duodecimæ turmæ militaris Dauidis, a.m.2980.n.11.1.Paral.27.15.

Holocaustum integrum quid, an.m.2960.nu. 20. vide *Sacrificium.*

Homeri natalis, a.m.3039.n.1. quantum ſuperet Xerxis expeditionem in Græciam, nu.2. quantum anteceſſerit vrbem conditam, num. 3. quot annis mortuus ante Romæ fundamenta, nu.4. eius vitæ periodus 104. anni.n.4.quæ patria, n.5.lettræ dum faciunt, ibidem.

Horæ apud Hebræos tarde in vſu, a.m.2962. nu.59.

Horrhæi populi qui, a.m.2960.n.25.

Humani affectus cur Deo tribuantur, a.mun. 2968.n.29.

Humilitatis efficacitas apud Deum, homineſque, a.m.2973.nu.55.vide tamen annum 3022.ſchol.1.

I

1. Iabesitæ cur Ammonitis infeſti, a.m. 2963. n.27.& 28. Obſidentur à rege Naas, nu.29. conditiones fœderis ab eo datæ, n 29.inducias à rege petunt, & ab Hebræis auxilium, n.32.videntur contempſiſſe Saulem, n.24.& 32.

2. *Iabeſitæ* Saulem non contempſerunt, ſed eum adierunt auxilii cauſa, an.m 2963.n.33. & 35. eorum nuncij redeunt die 6.nu.41. egregia eorum diſſimulatio cum Naas, nu.42. liberantur à Saule, n.44.

3. *Iabeſitarum* nobile facinus aduerſum Saulem, a.m.2979 n.158.& gratitudo.159.rapiunt ſuſpenſa regis & filiorum corpora, 160.& tumulant, n.161. Dauidis ad eos legatio, n.201. cui miſſa, n.202.

Iahiel conſiliarius Dauidis, & doctor filiorum eius, a.m.2980.n.17.vide *Nathan*, n.3.

Ianitorum, 4. millia in templo Salomonis, a. m.3021.n.18. Ianitorum familiæ duæ, & earum principes, n.37. quinque loca cuſtodiæ, & quot in ſingulis ianitores, num.38. ſors circa portas, num.39. & tempus miniſterii per 24. ſortes, ſeu vices, vt vicibus ſacerdotum, & cantorum iidem ſemper reſponderent, n.40.

Ibices aues in celſis rupibus, an. Saulis 15. nu.7.

Idolum Michæ quando ſublatum è tribu Danidica, a.m.2960.n.7. 1.

Idola vanitas & nihil, & quare, a m.2963.nu.76. an nomine ſilentium intellecta, a. m. 2988. ſchol.2 Idolum lachrymarum, ibid. 2.

Idolorum ſpolia an liceret accipere, a.m.2999. n.3; vbi apparet ſtupor Rabbinorum, n 36. Idolum Melchom, ibid. 3.

Idola quæ à Salomone culta, a. m.3053.num. 20. an ea pœnitens ſuſtulerit, a.m.3058.nu. 28. videri ſuſtuliſſe, nu.36. & 37.vide *Inobedientia.* 4.

Idumæorum cum Dauide bellum, a.m.2994. n.1.eius cauſa ex coniectura, nu.2.permiſſu Dei, n.3.Quis belli dux Dauid, Ioab, an Abiſai, n. 4.videri Abiſai, n.4.& 5.quis cæſorum numerus, n.6.conciliantur Scripturæ, nu.7. & 8.vide a.m.2974.ſchol.3. 1.

Idumæi coniurant contra Hebræos, ac deficiūt, & occidunt præſidium Dauidis, a.m.2994. n.8.& iterum à Ioabo ſubiugantur, n.8.9. monumentum victoriæ, n.10.& 11.Idumæorum & Adadi fuga, n.17.tributum illis impoſitum, nu.18.quam diuturnum fuerit id bellum, n.18. 2.

Iebusæi habitatores terræ, a.m.2987.n 4.eiectine ex occupata Sionis arce, nu.12.an potius occiſi, n.13.irrident Dauidicos, n.8.claudi, & cæci eorum etiam occiſi, n.15.

Iecur capræ inductum in lectum Dauidis, a. m.2973.n.24.improbatur, n.25.& ſeqq

Ieiunii vis, an.m.2960.n.22.ibi notata in Hebræis contra Philiſthæos, ſub Samuele pugnantibus. Ieiunium victoriarum parens, ſub Saule contra eoſdem, an.m.1964.n.88 rigida eius obſeruatio, n.89.& 90. 1.

Ieiunia funere Saulis & Ionathæ a Dauide ſociiſque vſurpatæ, a.m.2979.nu.163.& pro mortuorum quiete, ibid. & 176. In funere Abneris, an.m.2985.n 33.pro moriendo infantulo ieiunat, non pro mortuo, nec tamen ieiunium pro defunctis improbat, an. m.2999.n.22. 2.

Ieroboam in Salomonis familiam allectus, a. m.3043.n.16. Deus eum ſuſcitat Salomoni aduerſarium, a.m.3057.n.21.eius tribus, nu. 22.quis eius pater, nu.21.quæ mater, 24.quæ defectionis cauſa, 25. quando primum de defectione cogitarit, nu.25.& quæ eius vera cauſa, n.26. 1.

Ieroboam accepto Ahiæ oraculo, an ſtatim regnare potuerit.a.m.3057.nu.33.promittitur illi regio ſucceſſio ſub conditione, n.34.an deinceps in Salomonem inſurrexerit, n.36. & 38.non videri, 37.bonum fuiſſe ante regnum, n.39.fugit in Ægyptum, n.41. 2.

Ierusalem in 4.partes diſtributa, a.m.2987.n. 5.per occupationem ita dicta. ſchol.1. Eius muros ædificat Salomon, a.m.3043.nu.9.an murum Sionis?non videri, nu.10.an ſecun-

dumtaxat videri,n.11.&nihilominus tertium
inſtauraſſe 12.eius ambitus,n.13.& 15.
Iſboam princeps primæ turmæ Dauidis,a.m.
2580.nu.5. primus in priore triade fortium
Dauidis,a.m.3016.n.11.videtur etiam dictus
Adino,ibid.illuſtre eius facinus,n.12.De il-
lius nominibus,vide ſchol.1.
Iethrahaam filius Dauidis ex Egla, a m.2981.
nu.7.
Igaal filius Nathan vigeſimus ſextus fortium
Dauidis,a.m.3016.n.35.
Ignis prodigium in dedicatione templi,an.m.
3030.n.34.A Deo frequentatum,n.35.
Ignorantia principum pernicioſa, a.m.2978.
n.26.& 27.
Ilium à filiis Hectoris receptum fertur,an.m.
2900.ſchol.7.
Imprecatio Hebræorum, a.m 2913.n.15. vide
ſupra *Execrationes.*
Incantationum vis,a.m.2970.n.1. vide *Diui-
natio.*
Infantis in vtero commoratio quanta,an.m.
3000.n.3.
Ingenia præſtantia ſtudioſius excolenda, an.
m.3005.n.22.& 3009.n.34.
Inimicis ignoſcere magna laus, & virtus he-
roïca,an.m.2976.n.28.& 29. quanta vis eius,
an.mund.2978.num.25.& ſchol.2. Inimico
veteri non fidendum, ann.mund. 2979.nu.
48.
Initia,vide *Primitiæ.*
Inobedientiæ vitium an æquetur Idolola
triæ,a.m.2968.n.46.& 47. quantum ſit ma-
lum ex Gregor.n.49.punita diuinitus in re-
gibus,& pontificibus,ibid.
Inspiratio Dei eximit à lege,an.m.2964.n.52.
requirit certitudinem, n.53. Duplex diuina
inſpiratio , & quæ certior,num.54. excuſat
omina,n.60.
Inter vox,diuerſimode vſurpata,an.m.3016.
ſchol.3.
Inuidia Saulis in Dauidem, vide *Saul*, præ-
cipue,a.m.2973.n.12.& 45.Eliabi, 2971.n 23.
Ioabi in Abnerem & Amaſam,vide *Ioab*,n.
2.& 10.
1. Ioab conſiliarius Dauidis,& princeps militiæ
eius, &c.an.m.2980.n.4.& 21.acquieſcit fi-
niendo certamini,an.m.2982.nu.16.& canit
receptui,n.17 an fratris mortem diſſimula-
ret,n.16. fuit violentior in Dauidem, an.m.
2985.n.7.
2. *Ioab* fœdus inter Abnerem & Dauidem para-
tum diſturbat, an.m.2985.n.18. an vindictæ
cauſa, nu.19.an potius inuidiæ & ambitio-
nis,n.19.& 20.redit ab excurſione,20.diſcit
quæ contigerant,ibid.Adit Dauidem eum-
que increpat inſigni confidentia,&c.n.22.
3. *Ioabi* calliditas & prætextus ad celandam in
uidiam ex qua occiſurus erat Abnerem,an.
m.2985.n.23 cum cum fratre Abiſai interfi-
cit,n.25.reuocatum nomine Dauidis,n.24.
& 25. quem Dauid execrationibus onerat,
28.& 29.Ioabi pater,n.28.& ſchol 5.
4. *Ioab* prior inuadit in arcem Sionis,an m.2987
nu.11.& quomodo , ibid. quid is muro ex-
ſtruxerit, nu.20. An & quomodo belli dux
fuerit contra Idumæos,an.m.2994.n.4.re-
bellantes opprimit cæde,12.millium, n.8.&
9.ibi ſex menſibus graſſatus cædibus,nu.9.
Ioab contra Ammonitas cum fratre mittitur, 5.
a.m.2996.n.14. eius conſilium & pruden-
tia,n.15 & 16.Fiducia in Deum, num.16.fu-
gat Syros , n.17.morti obijcit Vriam,an.m.
2998.nu.21.non ſine culpa ſua, ibid. Daui-
dem ad victoriæ laudem euocat, a.m.2999.
nu.32.
Ioab Dauidem euocat cum nouis copiis con- 6.
tra Ammonitas,a.m.2999.n.32. Captat oc-
caſionem reconciliandi Abſalonem patri,
a.m.3005.n.4.cur vſus externa muliere,n.5.
eam inſtruit, n.6.eius in hac cauſa pruden-
tia,n.13.14. rex eum conijcit authorem pa-
rabolæ,n.16.& 17.
Ioab adit Abſalonem,a.m 3005.n.19.gratiis re- 7.
gi actis,ibidem.eumque reducit ad patrem,
non tamen ad conſpectum,nu.20.Cuncta-
tur venire ad Abſalonem eo legato ad pa-
trem vti cupientem, an.m.3007.n.11. & 12.
exuſta ſegete venit ad eum,num.13.collo-
quium mutuum,n.13.
Ioab regem adit nomine Abſalonis, a.m.3007. 8.
nu.14.præeſt exercitui contra Abſalonem,
an.m.3009.n.87.ei nunciatur pendens Ab-
ſalom,nu.99.qui interfectum cupit,ibid.&
tribus lanceis confodit, nu.101.magna cum
culpa, ibid. noluit deferri Hieroſolymam,
nu.102.
Ioab Dauidem lugentem acerbe obiurgat, an. 9.
m.3009.nu.123.& timore iniecto reuocat à
luctu,n.124.admodum licenter,n.125.vnde
orta tanta licentia , ibid. Cur eum Dauid
abdicare vellet ab officio,an.m.3009.n.133.
134.135.
Ioab amat parcere multitudini, an.m.3010.nu. 10.
44.occurrit Amaſæ,n.45.eumque dolo in-
terficit,nu.46.graui cum ſcelere, & qua ex
cauſa,n.48.qui recuperat militiæ principa-
tum,ibid.& copias ſibi adiungit,vel inuito
Dauide,n.48.49.52.
Ioab an in præmium victoriæ potuerit veniam 11.
cædis Amaſæ obtinere,a.m.3010.n.50.Abe-
lam obſidet,56.Sebam expoſcit,cuius ei ca-
put deijcitur, nu.59.canit receptui,& redit
Hieroſolymam , nu.56. retinet occupatam
dignitatem,n.60.
Ioab iubetur numerare populum, a.m.3016.n. 12.
45.quod ipſe regi diſſuadet, n.46. ſed fru-
ſtra,itaque egreditur cum ſociis ad cenſen-
dum populum,n.47.quod facit inuitus,nec
integre numerauit.1. Paralip.ca.21.v.6.a.m.
3017.n.3.
Ioab fauet Adoniæ contra Salomonem, ann. 13.
mund.3020. num. 13. & quæ eum moue-
rent, ibid. turbatur audita voce tubæ , nu.
48.quantum moleſtiæ Dauidi attulerit, an.
m.3021.num.82. iubetur occidi ob duorum
principum cædem,n.83.& in cautelam,nu.
84.
Ioabi punitio cur tamdiu dilata , an. mund. 14.
3021. num.85 nouæ coniurationis accuſa-
tur,ann.mund.3022.num.18.& 19. fugit in
tabernaculum Sionis,ibidem.iubetur à Sa-

lomone

lomone interfici,nu.20. occiditur à Banaia,
nu.22.
IOIADA filius Banaiæ conſiliarius Dauidis, an.
mun.298 .nu.19.
IOIADÆ pontificis ortus cadit in an.mun 3015.
nu.2.
IONADAB filius Semmaa fratris Dauid, mini-
ſter [illegible] 3000. nu. 11. inquirit ægritudi-
nem Amnonis,& conſilium dat,n.12. con-
firmat Dauidem, nuncians ſolum Amno-
nem occiſum,a.m.3002.n 1 . idem videtur
dici Ionatham,2.Reg.21.21.vbi dicitur per
cuſſiſſe gigantem,ann.m.3014. nu.12.13. pu-
tatur idem Nathan ſchol. 4. non numerari
in filiis Iſai,an mun.2969 nu.31 & 33.
IONATHAM frater Iſai & patruus Dauidis,
eiuſdemque conſiliarius,an.m 2980.nu.16.
IONATHAN Sage filius Ararite 18.in fortibus
Dauidis,ann.mun.3016.num.33.
1. IONATHAS filius Saulis primogenitus, 1.Reg.
14.49.vide a.m.2965. nu. 16. vbi ſchema fa-
miliæ Saulis. Delet præſidium Philiſthæo-
rum,an.mun.2964 nu.12.& ſchol.2.inuadit
eorum caſtra per abrupta loca,num.48.ſuis
inſciis,& an prudenter,nu. 49.
2. *Ionathas* in audaci facto excuſatur à culpa in
ſpiratione diuina, an.m. 2964.n.50.adfuiſſe
autem probatur, n.51. quare inſciis ſuis rem
aggreſſus,nu. 55. quam difficilis locus,num.
56.57.63.inchoat ſub auroram,nu 61.62.cæ-
dis initium,num. 64. & 65. in quo poſitum
miraculum,66.67.
3. *Ionathas* an ſine culpa in eſu mellis, ann. mun.
2964.n.85 eius præuaricatio per ignoran-
tiam,nu.91.eius oculi illuminati ibid.arguit
præceptum patris,nu.92.non rectè, nec ta
men contemnit, ibidem, & rurſum nu.99.
& 115.
4. *Ionathas* ſortitione deprehenditur,an.m.2964.
nu.114.deplorandus eius caſus, ibid.à patre
morti addicitur,nu.116.non rectè ibid.libe
ratur à populo num. 117.cum iureiurando,
nu.119 120.vtente compenſatione,nu.118.&
quam iniuſta fuiſſet ea cædes,nu.118. Iona-
thæ pœnitentia, nu.121.
5. *Ionathæ* & Dauidis amicitiæ origo, & cauſæ,
an.mun.2971.nu.54. & 55. quam neceſſaria
deinceps Dauidi, ibid. vtriuſque ſimilitu-
do,nu.53.& an.mund.2979.nu. 186. & ſeqq.
Cur veſtes ei dederit ſuas, an.mun. 2971.n.
56.cur & arma,nu.57.
6. *Ionathæ* & Dauidis amicitia fœdere ſancitur,
ann.mund 2971.nu. 58.an cum ceremoniis,
ibid.firmatur vitæ conſuetudine,n.59. Inci
tatur à patre ad Dauidem occidendum, an.
mun.2973.num. 2.fruſtra, nu.3. reuelat rem
Dauidi,nu. 4. & diſſuadet efficaciter patri,
nu.5.& 6.
7. *Ionathæ* ætas,an.m. 2973.nu.6 Dauidem intro
ducit ad Saulem & ei reconciliat, num.41.
& ſeqq. quæ reconciliatio non habetur in
Scriptura, ibid. Ionathas nouam Dauidis
querelam infirmat,mox credit,numer. 49.
& 50.
8. *Ionathæ* & Dauidis conſilia ad patefaciendam
Saulis contra Dauidem voluntatem, an.m.
2973. & ſeqq. cur foras egrediantur ſimul
num.59 cum execratione promittit Dauidi
ſe renunciaturum ei animum Saulis,nu.61.
prænunciat ei regnum, n.62. iuratque ipſi,
num.65.
Ionathas excuſat apud patrem abſentiam Da 9.
uidis,an.m.2973.nu.77.reſiſtit ſeuerius pa-
tri,n. 80. & eius odium immutabile agnoſ-
cit,81. Abit ex eius conſpectu iratus, ieiu-
nus,& confuſus,num.82.& adit cum puero
Dauidem in ſpecu latentem,nu.83.
Ionathas emittit ſagittas, an. m 2973. nu.84.& 10.
remittit in vrbem puerum, ibid. quam ſuſ-
pecta eſſet hæc eius actio, n. 85.colloquitur
cum Dauide,eumque dimittit 86.cum mu-
tuis lacrymis,nu.87. & quæ earum cauſæ,n.
88.& 89.
Ionathas minus præſtitiſſe videtur pro Dauide 11.
quam oportuit, an.m.2974.n.20.& 21.pro-
ptereaque iniuſtam fuiſſe Saulis de ipſo
querelam,ibid. Ionathas quærit Dauidem
in deſerto Ziph.an.m.2975.n.11.eumque in
uentum confirmat,& pecunia iuuat.
Ionathas vnde noſſet regnaturum Dauidem,a. 12.
m.2975.n. 12. & ſe ſecundum in regno fore,
nu.14.primus potius futurus erat, ibid. vide
etiam an.m.297 .nu.32. Occiditur in mon-
tibus Gelboë,an m.297 .nu.115.& 135.
Ionathas cum fratribus cur ante ora parentis 13.
extinctus,an.m.2979.n.117. quomodo non
rapta eorum corpora nu.143. eius ſatis pro-
babilis ſalus,an.m.2979.n.135.eius & paren-
tis epitaphium,n.174.& 175.
Ionathæ & Dauidis ſimilitudo, an.m.2979.nu. 14.
186.multiplex & eximia decora,nu.187.188.
189. Dauidis in eum amor, 190. quæ magna
eius laus eſt,ibid.
IONATHAS filius Abiatharis pontificis nuncius
ad Dauidem 2. Reg. 15. 27.nunciat Adoniæ
creatum regem Salomonem. an m.3020. n.
48.& 3.Reg.14.2.
IONICA emigratio,ann.m.3011.n.1. quod tem-
pus eius,nu.1.quæ eius cauſæ, nu.2. non fa-
cta Ione duce,n.3.ſed Nileo potius,cum re-
liquis Codri filiis,nu.5.
IORDANIS inundatio,ann.mun.2963.nu.73.
IOSEPHVS Iudæus plures omiſit pontificesHe- 1.
bræos,ann.mun.2900.num. 5. deprauat, ac
mutat oblationem Annæ offerentis Samue-
lem, ann.mund.2903.numer.8. in filiis eius
textus ipſius diminutus eſt, ann. mund.
2907.numer.8. Samuelem ab anno 13. vult
cœpiſſe prophetam agere, ann.mund. 2913.
nu.1.& 2.
Ioſephus examinatur in hac Samuelis hiſtoria, 2.
an.m.2913.n.20. & 21.in qua nonnulla con
fudit,plurima prætermiſit,ibid. Arguit He-
bræos imprudentiæ in afferenda in aciem
arca domini,ann.mund.2939. num.10.& 11.
non rectè ibid.
Ioſephus videtur Dagonis ignominiam diſſi- 3.
mulare, an.mund. 2940.nu.24. labitur circa
circunductionem arcæ per ciuitates. Phili-
ſthæorum,n.27.Quę peccet circa reſtitutio-
nem arcæ,num.61.& 62. Deprauat comitia
in Maſphath,& cauſam eorũ,& idololatriæ

timide parcit,an.m,2960.nu.15.& 16.
4. *Ioſephus* victoriam Domini de Philiſtheis quomodo amplificat,an.m.2960. n.24.& ſeqq. Errat in filiis Samuelis ſuo loco adſcribendis,nu.29. Quæ peccet in aduentu Saulis ad Samuelem referendo,ann.m.2962.nu. 62.in ſignis Saulis datis à Samuele,nu.95.
5. Fl.*Ioſephus* bellum Ammoniticum ſupra fidem modumque auget,an. m.2963.nu.31.nec fideliter narrat,nu.45.id oſtenditur,n.46.47. & ſeqq. Belle expreſſit clementiam Saulis in ſui contemptores,an.m.2963.nu.53.
6. *Ioſephus* non recte expreſſit Samuelis orationem in Galgalis,an.mun.2963.nu.79. male etiam explicat culpam Saulis in Galgalis, a. mun 2964.n.34. & Saulis interrogationem per Achiam cum turbata eſſent caſtra Philiſthæorum,nu.72.
7. *Ioſephus* parum conuenientem orationem tribuit Ionathæ morituro ob mel deguſtatũ, an.mun.2964.nu.115. Arguitur circa hiſtoriam Agagi ſeruati, an.mun.1968.num 41. & 42.non ſatis fauet precationi, ann. mun. 2968.in ſchol. 4.
8. *Ioſephus* non bene exponit hiſtoriam Dauidis primum uncti, an.mun.2969. nu.41. nec eius pugnam cum leone,n.59.centum præputia mutat in ſexcenta capita Philiſthæorum,an.mun.2972.nu.20.& 21.
9. *Ioſephus* non recte narrat vltimum ictum lanceæ Saulis,aut Dauidis fugam,ann.m.2973. nu.14.15.eius capræ iecur refellitur, nu. 25. & 26. ſimulachrum Dauidis à Michole poſitum diſſimulat,& quare, nu.27. diſſimulat & petitos à Dauide panes,n.99.
10. *Ioſepus* in ſaltu Hareth fallitur,ann.mun.2974. n.13.& in referendo delatore Doëgo, n. 24. multa peccat in referenda cæde ſacerdotum,an.m.2974.nu. 37. apud eum pro Ieſimon legitur Simon,an. m.2975.ſchol. 1. vel potius pro Maon,ibid.
11. *Ioſephus* Saulis lachrymas non bene refert,ann. mun.1976.nu.27.putat ſola mala voluntate non peccari,ann.m.2977.nu.31. Imprudenter facit Nabalem ignarum Dauidis, ſchol. 3. Errata eius circa ingreſſum nocturnum Dauidis in caſtra Saulis,ann.m.1978. num. 18.& 19.
12. *Ioſepus* non videtur intellexiſſe fugam Iſraëlitarum de ſuis ciuitatibus ſub mortem Saulis,an.m.2979.n. 147. & 148.funus à Iabeſitis curatum male narrat, nu.162. diſſimulat conſultam à Saule pythoniſſam, numero 166.
13. *Ioſephus* filios Dauidis & vxores eius fœde deprauat,an.m.2981.nu.6. & in filiis Micholis peccat,nu.10. Errat in certamine ab Abnere excitato,an.m.2982.n.19.& ſeqq.ibidem ſex errata notantur.Male ducentos Iſacharitas facit prophetas,a.m.1986.n.25. & ſch. 4.ex Theodoreto.vide nu.26. de Zabulonitis. 27 de Nephthalitis, & ſchol.3. de Leuitis.
14. *Ioſephi* chronologia fallax de expugnata Sione,ann. mund. 2987. num.2. Errat in Areunæ conſeruatione,nu 13.& 14.& in exercitu Philiſthæorum augendo, ann. mund. 2988.num.8 & aliis circa idem bellum, nu. 27.& 28.
Ioſephus peccat circa tranſlationem arcæ, ann. mun.2989.n.36. & 37. male denudat Dauidem,ibid. & ſchol.3.& nimis modeſtam facit Micholem,ibid. Errat in copiis Syrorum pugnantium contra Dauidem, ann. mund. 2993.nu.6.& 12. 15.
Ioſephus male parat bellum Ammoniticum, a. m.2996.n.11.hominem in regionem mutare videtur, num.12. & vice verſa locum Syriæ vertit in regem, ann.mun.1997.ſchol.1.errat in Syrorum copiis, nu.4. non recte narrauit Vriæ cædem,nu.23. 16.
Ioſephus ait Dauidem ſeptiduum non comediſſe,an.m.2999.nu.17.vocat Salomonem minimum natu.ibid.ſchol. 4. & ann.m.3000. ſch 1.peccat in hiſtoria Amnonis occiſi, a. mun. 3002.nu. 12. & in filia Abſalonis vxore Roboami,an.mun.3007.n.9. 17.
Ioſephus male interpretatur illud, *Infatua conſilium Achitophel*,ann.mun.3009. nu.34. tollit Dauidis quietem in Bahurim, nu.57.aliquot alia eius errata,ann.m.3009. nu.76.& 77. circa eandem hiſtoriam Abſalonis parantis perſequi patrem,ibid. 18.
Ioſephus ait Dauidem comminatum ſe ſibi manus illaturum,ann.m.3009.nu 90. graui calumnia,num. 91. improbum eius conſilium in morte ſuis ſuadenda,num.92.in prophetis, & ſomniorum coniectoribus ſe numerat num.92.reus 39.cædium ibid. 19.
Ioſephus male repræſentat Ioabum obiurgantem Dauidem,ann. m.3009. nu.125. peccat & in expeditione contra Sebam,an.m.3010. nu.44.vnum bellum pro alio ſubſtituit,an. mun.3014.nu.11.non recte ratiocinatur circa electam à Dauide peſtem,an.mun. 3017. nu.14. 20.
Ioſephus maxime imminuit aurum & argẽtum à Dauide in templum paratum, an.m.3017. n. 44. vice verſa nimis auget numerum ſacrificiorum in Salomonis inauguratione,a. m.3021.n.70.vide & n.77. eius chronologia arguitur de Hircani tempore,nu.113. 21.
Ioſephus improbatur circa theſauros ſepulchro Dauidis infoſſos, ann. m. 3021.nu.114. male reprehendit maiores ſuos negligentiæ in ædificando templo,ſchol.2.nec recte refert iudicium Salomonis de meretricibus,an.mun.3022.nu.113.114.115.peccat & in eius officialibus,nu.131. 22.
Ioſephus peccat in chronologia fundati templi, an.m.3023.n.2.& 3. & ſchol.1.anni eiuſdem. ſecum pugnat circa totius templi porticus circumquaque ductas,nu.20.& 21. male diſtribuit templi contignationes, an.mun. 3024.num.25.& totius templi altitudinem, nu.30.& 31. 23.
Ioſephi octo errata circa templi fabricam, ann. m.3024.num.33. & ſeqq. ignarum ſe prodit architecturæ, nu. 34. male meritus de templo, cum pleroſque ei nimium tribuentes in fraudem induxerit, nu. 38. abſurde auget magnitudinem lapidum,nu.39. 24.

Annalium Eccleſiaſticorum.

25. *Ioſephus* quater errat in Cherubinis templi, an. mun.3024.nu.56. auget in immenſum vaſa templi, & tamen pro decem menſis panum propoſitionis vnicam ponit, nu.96.97.100. 101.& ſchol.4. & nihilominus diuerſa vaſa in ſua enumeratione præteriit, nu.102.

26. *Ioſephus* fallitur in numero columnarum, ann. mun 3025.nu.21. videtur falli in loco altaris, num.51.52.& maxime in eius magnitudine, num. 64. aliiſque in rebus, ibid. orationem dat Salomoni parum probabilem, ann. m. 3030.num. 27.

27. *Ioſephus* fallitur in duratione feſtiuitatis dedicati templi, an.mund.3030.num.38. an recte commendet Galilæam, an.mun.3042.nu.7. errat in ambitu murorum Ieruſalem, nu.13. & 14. de Pharaonibus errat quoque, an.m. 3047.numc.5. & in nomine reginæ Sabæ, & aliis, nu.6.7.8.

28. *Ioſephus* male accuſat Salomonem ob boues & leones in templo figuratos, an.mun.3053. numer.14.& 15. male refert Hiſtoriam Adad Idumæi, ann. mund.3057.nu.14. & 15. denique multum aberrat à vero in annis Salomonis, ann.mun.3059.nu.1.& 2.

Ira an ſacerdos Dauidis, & cuiuſmodi, ann.m. 3010.nu.60.

IRA Iethrites trigeſimus in fortibus Dauidis, a. m.3016.nu.36.

IRRISIONES Iebuſæorum in arce Sionis, an.m. 2987.nu.8. vide *ludibria*.

1. ISAI ſiue Ieſſe patris Dauidis coniugium, & ortus primogeniti eius, an.mund. 2913.nu. 1. Eius familiæ ſchema, an.m. 2969.nu.35.& an.m.2971.nu.15. mittit filium ad Saulem, a. m.2970. num.13. cum muneribus, quorum Ioſephum puduit, ibid.

2. *Iſai* grandæuus, an.m.2971. num.15. mittit Dauidem in caſtra ad filios, cum muneribus, & mandatis, numer.18. deducitur cum vxore à filio in Moabitidem, an.m.2974. nu.4.& 4. honoratur à rege Moabitarum, ibidem.

3. *Iſai* & vxor eius an occiſi à rege Moabitarum, an.mun. 2974. n.4. quid denique ei factum & vxori eius, numer.11. Dauid eis morientibus adeſt, & pietatis officio fungitur, num. 12. eorum laus, ibid.

ISBI-BENOB, gigas victus à Dauidicis, ann.m. 3014.ſchol.1.

1. ISBOSETH, filius Saulis quando natus, an.mun. 2940.nu.77. eius regnum, ann. mun.2964. num.3.& ann.mun.2979.num.167.& 203.& ſeqq.& 210. ratio nominis, & temporis regni eius, nu. 204.& 205. quibus regionibus præfuerit, nu.206.207.

2. *Isboſethus* an biennium tantum regnauerit, an. m.2979.n.208. videri ſeptem annis cum dimidio, quandiu Dauid in Hebron, ibid. nec repugnare ſcripturam, nu.210. qualis fuerit, nu. 211. longa concertatio inter vtrumque regem, an.m.2983.n.2.

3. *Isboſethi* regnum legitimum, an.mun. 2980.n. 1. quæ illud ſuſtentarent aduerſus Dauidem, an.m.2984.n.5. iure iraſcitur in Abnerem, an.m.2985.num.3. eius imprudentia, & timor, nu. 7. conſentit reddere Micholem Dauidi, n.12. Abneris morte turbatur, ann. 2986.nu.1.

Isboſethi interficiendi conſilia, an.mun.2986.n. 4. 3. ordo & modus rei geſtæ exquiritur, nu.4. & ſeqq. quis videatur, num.8. quando occiſus, nu.11. confoditur & obtruncatur, nu.12. ſepelitur opera Dauidis, nu.15.& 16.

Iſraelis & Iudæ diſtinctio, longe ante regnum 1. Roboami, ann. m.2972. ſch. 1. Iſraëlitarum ingenium mobile, ingratum, temerarium, ann.mund.2979.nu.102. fugiunt relictis ciuitatibus, num.147.& quinam hi fuerint, & vbi, n.148.& 149. Dauidi ſe dedunt mortuo Isboſetho, an.m.2986.nu.17.& 18.

Iſraelitis quomodo propior Dauid, quam Iu- 2. dæis, an.mun.3010.nu.35. & vice verſa, ibid. eorum ingenium malum, an.mun.3057.nu. 31.& 32. quandiu eſſet afflicturus Iudam, nu. 35 quis eorum in alienigenas affectus, ann. m.3030.n 31.& 32. maximéq; Chriſtianos, ib.

Iſraelitarum regnum inchoatum à Ieroboamo fuit diuini iuris, an.m.3021.n.51. populi eius 3. multitudo, an.m.3022.n.46.

ITHAI duodecimus de fortibus Dauidis, a. m. 3016 nu.30. ſiue *Ethai*, ibid.

ITVRÆI populi ſocij Agarenorum contra Iſraëlitas, ann.m.2965.nu.12.

IVDÆA pro Idumæa, vel vice verſa, an.m.2974. ſchol.3. *Iudæi*, vide *Iſraëlitæ, Hebræi*.

IVDÆ Iſcariotæ & Achitophelis comparatio, an.m.3009.n.80.

IVDÆ tribus cum reliquis contentio ſuper reductione Dauidis, an.m.3010. n.33. & ſeqq. parum idonea, atque legitima, ibid. altera reſponſio ferocior ex qua orta ſeditio, & qualis fuiſſe videatur, nu.36.

IVDICVM numerus in repub. Hebræorum, ann. m.2900.n. 9. eorum in gubernando moderatio, an.m.2961.nu.39.

IVDICVM Leuiticorum ſex millia ſparſa per totum regnum, ann.m.3021.nu.16.17.& 43. qui differrent hi iudices à præpoſitis, num.43.

IVDICIVM temerarium Ammonitarum de Dauide, an.m. 2996. nu.5. & Ioabi de Abnere, an.m.2985. nu.22.

IVGERVM quid, an. m.2964.ſch.8.

IVLVS ſacerdos Aſcanij filius, ann.mund.2905. nu.2.

IVRA regni quæ, in 1.Reg.8.11.& quomodo accipienda, an.m.2961.nu.33.& ſeqq.

IVRAMENTI obſeruatio, an.m.2964.nu.78. an 1. Saulis iuſiurandum fuerit culpabile, n. 79. & ſeqq. videtur probatum à Deo, nu. 104. fuit præceps, num.107. & irritum 116. Ionathas iureiurando à populo liberatur, ann. 2964.nu.119.120.

IVSIVRANDVM Dauidis factum Sauli & Iona- 2. thæ diuerſum, a.m.2995.n.11. Iuſiurandum vt obliget, an.m.3013.num.12. an fieri poſſit in tentione diſſimulata, an.m.3021.nu.87.

L

LACEDÆMONIORVM regum initium, an.m. 2961.num.9. Duæ familiæ regiæ Spartæ, & qui ex vtraque reges, nu.9.

LACTABANT Hebrææ mulieres filios ſuos, an. m. 2902. nu. 3. quamque id ſit rationi conſentaneum, nu 4.

LAPIDES vſui fuerunt non raro altarium loco, an. m. 2940. nu. 57. & 58. Iudicum 6. 20. Lapis adiutorij, a. m. 2960. n. 23. & 25. Lapis Ezel. 1. Reg. c. 20. 19. Lapis Mercurius, aut viatorius, ann. mun. 2973. nu. 68.

LAPIDVM templi præſtantia, & magnitudo, an. m. 3024. nu. 39. & 40. porphyretici, ophitici, &c. ibid. iis etiam pauimentum ſtratum, ib.

LATRONES propriè qui, an. m. 2986. n. 9.

LAVDATIONES funebres, an. mun. 2979. n. 184. Saulis, & Ionathæ 185.

LEGATORVM Dauidis violatio, an. m. 2996. nu. 7. & ſeqq. iubentur ſubſiſtere in Iericho, n. 10. Legati à populo ad Dauidem reducendum, an. mun. 3009. nu. 130. 131.

LENTICVLA quid, & vnde dicta, an. m. 2961. nu. 85. vide & ann. m. 3020. num. 39. cornu olei, ibid.

LEONES Moab, qui, an. m. 2992. n. 8. & 9. Leones ad latera ſolij Salomonis, an mun. 3033. n. 16. Leunculi ad gradus, nu. 15.

LESBVS inſula quando habitari cœpta, an. mun. 3001. num. 1.

1 LEVITÆ an ingrederentur in atrium ſacerdotum, a. m. 2900. n. 21. & ſchol. 2. & 2903. n. 13. eorum propriæ veſtes, an. m. 2907. nu. 5. Leuiticum miniſterium quomodo æternum, an. mund. 2990. num. 9. an portarint arcam cum tranſlata eſt in Sion. num. 10. & 11.

2 *Leuitarum* familiæ, ann. m. 2990. nu. 15. & ſeqq. officia eorum duobus in locis conſtituit Dauid, in Sione & Gabaon num. 32. quæ ibi canerentur, & quibus reditibus ſuſtẽtarentur, nu. 33. & 34. antequam templum excitaretur, ibid.

3 *Leuitarum* miniſteria à Dauide poſtremo inſtituta, an. m. 3021. nu. 13. numerantur, & quadripertito diſtribuuntur, n. 14. in varia templi miniſteria 24. millia. Iudicum 6. millia, num. 15. & 16. diſtributi ſunt per totum regnum, num. 17. A quo anno numerati Leuitæ 3021. num. 19.

4 *Leuiticorum* fructuum diſtributio, ann. m. 3021. num. 28.

LEX Adam, an. m. 2990. nu. 68. Lex regni, an. mun. 3020. nu. 46.

LIBAMINA ſacrificiorum quibus rebus conſtarent, ann. mund. 2960. nu. 11. in iis aqua non numerata, ibid.

1 LIBER traditionum Hebraïcarum an S. Hieronymi ſit, ann. mun. 2973. ſcholio 2. Liber Iuſtorum quis, ann. mun. 2979. nu. 183. Liber geſtorum Salomonis, ann. mund. 3058. nu. 1. Liber verborum regum Iuda, & Iſraël, ann. m. 3058. nu. 2. Liber Addo prophetæ, ibid.

2 LIBRI tres à Salomone pœnitente compoſiti, ann. m. 3058. nu. 41. librorum ſacrorum diuerſitas in græcis, vnde nata videatur. Præf. num. 17.

LIBERALITAS Dauidis & optimatum in templum, ann. mund. 3021. num. 60. 61. & ſeqq. iuncta cum lætitia, num. 64. & 66.

LIGNA thyina, an mun. 3033 nu. 22. Lignum fabuloſum in domo ſaltus Libani viſum à regina Saba, ann. mun. 3047. nu. 42.

LITERÆ in damnum tabellarij, quales Vriæ & Bellerophontis, an m. 2998. n. 20.

LOCA religioſa votis celebrata, vt Hebron, an. mun. 3009. nu. 5. vide & ann. mun. 2589. n. 15. vide *Excelſum*. Loci ſanctitas cuiuſmodi cæde non violaretur, an. mun. 3022. nu. 21.

LODABAR ciuitas trans Iordanem, an. m. 2995. nu. 13. & 3009. nu. 24.

S. LVCÆ euangelium dicitur à quibuſdam redundare tribus generationibus, Præf. nu. 1. id ex S. Irenæo non doceri, num. 3. neque ex Africano, nu. 5. Patriarchæ qui in dubium vocantur extant apud antiquos patres, n. 6. qui apud Lucam agnoſcunt 77. generationes, ibid.

LVCERNÆ templi an interdiu accenſæ, ann. m. 2913. nu. 4. & 5. & ſchol. 2. vide *Candelabrum*.

LVCTVS indicia, ann. m. 2996 nu. 8. quam diuturnus luctus viduæ, ann. m. 2998. nu. 26. & 3005. nu. 6. rurſus indicia luctus, an. 3000. n. 18. & 19. vide & numer. 120. & ſchol. 14. anni 3009.

LVDIBRIA male vitauit Saul, ac ne vitauit quidem, ann. mun. 2979 num. 125. 129. 130. 143. & 146.

LVDOVICVS 12. Rex Francorum, eiuſque dictum egregium, an. mun. 2978. nu. 12.

LVDOVICVS 13. Rex Francorum multiplici virtute illuſtris oſtenditur in dedicatione huius tomi. Et rurſum ann. m. 2961. n. 31. & de eius inunctione, n. 87. Eiuſdem eximia continentia, a. m. 3007. nu. 2. & 3. præfertur Dauidi, ibid.

LVTERES ænei, qui & conchæ, eorum forma & capacitas, ann. m. 3025. nu. 70. earum baſes. 71. & reliquus apparatus, rotæ, lora, &c. nu. 72. pondus & ſitus, nu. 73.

LVXVS Romanorum, an. m. 2962. nu. 52. à Plinio arguitur, an. mun. 3033. n. 7.

M

MAACHA, vxor Dauidis, mater Abſalonis & Thamaris, an. mun. 2981. num. 4. Abſalon non habuit filiam Maacha, vxorem Roboami, ann. mun. 3007. nu. 9.

MAGI à Saule occiſi, ann. mun. 2979. nu. 37. diuina lege prohibiti, nu. 57. & 65. Magia vide *Deus*. nm. 8. Magia naturalis Salomonis, an. mun. 3022. nu. 93. an Dæmones expulerit, n. 93. vide ſchol. 4. Magia diabolica Salomonis, an. mun. 3053. nu. 22 23. 25.

MACHATI, an. mun. 2979. ſcho. 3.

MACHIR nutricius Miphiboſethi, an. m. 2995. nu. 13. mittit munera Dauidi 3009. n. 84. gratus in eum Dauid, ann. mund. 3010. numer. 32.

MAGEDDO vrbs inſtaurata, & vbi ſita, an. mun. 3044. n. 15.

MAHANAIM vrbs trans Iordanem, ann. mun. 2979. num. 207. & ſchol. 17. Dauid eam adit fugiens Abſalonem. ann. m. 3009. nu. 75.

MAHARAI, ſiue *Marai*, princeps turmæ decimæ Dauidis, an. mund. 2980. nu. 10. idem in

fortibus Dauidis decimus, ann. mun.3016.
n.30.

Maledicta Dauidis in Ioabum, ann. mun.
2985.nu.29.vide *Execrationes.*

Maleficiorvm varij modi,an.m. 1979. n.68.
per ſigna, per hydromantiam, per circulos,
per corpora mortua, per arreptitios, num.
69.

Manvs pro arcu, aut columna, aut ſimili mo-
nimento Hebæis,ann.mun 2968.n.12.

Maon deſertum, pars deſerti Ziph.an: mun.
2975.num.20.In eo moratur Dauid, & tan-
tum non capitur à Saule,num.21.& ſeqq.&
ſchol.1.& ann.m.2977.num.20.& 21.defor-
matum in Emma,ibid.

Mare æneum,eiuſque forma,ann.mun.3025.
nu.65.cælaturæ,ac ſtriæ,66.pes, & ſubiecti
boues,67.pollubrum, & canales eiuſdem,
nu.67. craſſitudo maris, & capacitas,num.
68.& 69.

Mariæ virginis ſcientia comparata cum Sa-
lomonica,ann.m.3022.n. 61.

Masphath gemina, Iuda & Galaad, ann. m.
2960.num.8.

Maternæ charitatis exemplum illuſtre in
Reſpha,an.mun.3013. nu.16.

Medicina Salomonis,ann.mun. 3022. nu.92.
ex qua alij hauſerunt,vt ait Anaſtaſius, ib.

Medon filius Codri claudus, & rex, ideoque
noluit ei frater parere,an. mun.3010. ſchol.
4.& ann.mun.3011.nu.2.

Melchon idolum,ann.mun.2999.nu.36.

Mello quid,ann.mun.2987.num.18.. Vorago,
eiuſque fundatio,ann.mun.3031.nu.2. & 4.
an eius ædificatio cauſa vel occaſio defe-
ctionis populi, 3057.num.25.non videri,nu.
26.

Menas rex Ægypti, qui & Mineus,ann.mun.
3047.nu.9.

Mendacivm vitandum in cælanda veritate
exemplo Samuelis, ann. mund.1969.num.
10.& 11.

Mensæ benedictio,ann.mun.2962.n.56.ſede-
re ad menſam ſolebant Hebræi, ann. mun.
2969.num.41.vide & ſchol.10.in ann. 2973.

Mensæ octo pacificorum,& holocauſtorum,
earumque inſtrumenta,ann.m.3025.nu.75.

Mensæ panum propoſitionis,ad latus ſepten-
trionale altaris incenſi,an,mun. 3024.n.96.
& pro vna Moſaïca decem cõſtruxit Salo-
mon. ibid.quæ in iis panum & vaſorum di-
ſtributio.n.98.Menſæ intermixtæ candela-
bris,& earum magnificentia.99.

Mensvræ in Scriptura celebratæ, Modius,
Satum,Ephi, Amphora, Hin,Gomor, &c. a.
mun.2903.nu.9.& 10.

Mercvrivs lapis,an.m.2973.nu.68. vide *lapis.*

1 Merob filia Saulis natu maior ſpondetur Da-
uidi in coniugem,a.m. 2972. n.7.& 8.quam
congruum id matrimonium, num. 8. cum
vtriuſq; conſenſu,ibid,mox traditur à patre
Hadrieli,iniuſtiſſime,n.9.Quis ille Hadriel,
num.10.

2 *Merob* quinque liberos Hadrieli parit, ann. m.
2972 10.qui poſtea crucifixi. 2.Reg.21.8.9.
vbi dicuntur filij Micholis, ann. mund.
3013.num.14.& quam ob cauſam,ibid.

Mesopotamia gemina,an.m.2993.n.17.trans
Euphratem & in Syria Damaſcena. ib. & a.
mun.2996.num. 12.

Messias obſcure ſignificatus,ann.m 3016.n.5.

Metaphysica Salomoni infuſa, ann.m.3022.
nu.98.

Meteora cognita Salomoni,an.m.3022.n. 91.

Michæ idolum ſublatum è tribu Dauidica,
a.m.2960.n.7.vide & ann.mun.3013.nu.2.

Micha filius Miphiboſeth quando natus, an.
mun.2995.nu.22.eius poſteri,ibid.

Michol altera Saulis filia,diligit Dauidem, a. 1
m.2972.n.12. ad eam Dauid animum appli-
cat,ib.qua conditione eam offerat Saul.nu.
13.& 14. Denique datur Dauidi, 22. mutuus
coniugum amor,ibid. Excipit ex fuga Da-
uidem,an.mun.2973.num.18.

Michol elapſum à Saule Dauidem excipit, a.m. 2
2973.n.18.eique fugam laudabiliter ſuadet,
ib. præparat eam,nu.21. Micholis fallacia,
& cui fini.n. 22. fingit probabilem Dauidis
ægritudinem,num.22. prudenter valde ex-
cuſat ſe,nu.23.

Michol an mentiendo in gratiam mariti me- 3
ruerit,ann.m.2973.ſchol.3. Quota Dauidis
vxor,an.m.2977.nu.50.& 51.an in die mor-
tis pepererit,an.m.2981.num.8.& 10. Datur
Phalti vxor,& quid ab illa peccatum, an.m.
2977.nu.50.& 51. an eadem cum Egla 2981.
nu.7.& 8. Sterilis ibid.

Michol cur omiſſa in vxorem Dauidis catalo- 4
go,an.m.2981.nu.11.redditur Dauidi, an.m.
2985.n.12. vide & ſchol.2.ſaltantem coram
arca Dauidem contemnit, an. m.2990.n.27.
& increpat,num.36. quæ eam excuſent, &
quæ accuſent,nu.39.

Michol punita diuinitus,a.m.1990.n.39.pecca- 5
uit maxime in modo, & arguens quod erat
laudabile, nu.40. Dauid eam reprehendit
commotior,n.41.Micholis ſterilitas,nu.43.
& quæ eius cauſa,num.44.licet illis filij tri-
buti videantur, 2.Reg.21.an.m.3013.nu.14.

Miletvs in Aſia conditur ab Ionibus, ann.m.
3011.nu.4.

Militvm rigida obedientia,an.m.2964.n. 90.
ſub Dauide diſciplina,an.m.2977.nu.24.&
25.vide tamen ann.m.2979.nu.102. Militia
Dauidis quomodo ordinata, an. m.2980.n.
2.& ſeqq.militiæ principes diuerſi, num. 4.
militia ordinaria in 12. turmas diſtributa. 1.
Par. 27.a.2980.

Miphiboseth filius Saulis ex Reſpha cõcubi- 1
na,2.Reg.21.8.crucifixus à Gabaonitis. v. 9.
cum ſex aliis cognatis ibid.an.m. 2975. n.6.

Miphiboſeth nepos Saulis, filius Ionathæ debi- 2
lis pedibus,naſcitur,an.m.2975.nu.6. clau-
dus fit,an.mun.2979.nu.191.& 2995.n.12.vbi
maneret,n.13.euocatus à Dauide timet, nu.
13.& quare, num. 14. reddit illi Dauid bona
Saulis,n.15.

Miphiboſeth recuperat bona ſibi miſericordi- 3
ter à Dauide data,an.m. 2995. n.15. & 16.fit
conuiua Dauidis, num. 16. eius animi de-
miſſio, numer.17. quo modo alendus, nu-
mer. 18. ſupra menſam regis, num.21.apud

Dauidem per calumniam à Siba ſeruo ſuo accuſatur.2.Reg.16.3.a.3009.nu.38.

4 *Miphiboſeth* occurrit Dauidi ad eum reducendum,an.m.3010.n.8. & 16. ratio temporis, 17.diuturnitas eius luctus, & neglectus ſui. n.u18.& 19.agit cum Dauide, & Sibam accuſat,num.21.regem autem excuſat.22.magis humiliter quam vere 23.

5 *Miphiboſethi* æquitas animi in Dauidem , ann. mund.3010.num.25. videtur renunciare ſatisfactioni,ad quam tenebatur Dauid, ibid. filium habuit Micham , & multam ex eo poſteritatem,vide ann.mun.2995.n.22. Rabinorum in eum inſulſa , atque improba calumnia.ann.mun.3010.nu.28.

Mina pro ſiclo accepta , ann. mund. 3033.nu 10.

Mineus rex Ægypti,vide *Menas*,ann.m.3047. num.9

Misericordia Saulis importuna, an.mund. 2968.num. 19. regibus quandoque noxia,a. mun.3005.nu.9

Moabitas adit profugus Dauid , ann. mun. 2974.nu.2.quamdiu ibi manſerit, nu.5.quibus de cauſis inde migrarit,nu.10.

Moabitici belli cauſa inquiritur , ann. mun. 2992.num. 1. & 3.funiculi eorum varie explicantur,num.4.5. & 6.duo eorum leones qui,num.8.& 9.luctus eorum, ann.m.2996. num.8.

Mobonnai, vide *Sobochai.*

Modius,vide *Menſura.*

Monialium inſtar Dauidis concubinæ concluſæ,ann.mun.3010.nu.41.

Monimenta erecta bono fine, an.mun.2968. nu.34.Monimentum Abſalonis. 2.Reg 18. 18.ann.mund. 3009.num 105. & ſeqq. quis eius locus,numer. 108. vide *Titulus* & *Manus.*

Monomachia vide *Certamen* ſingulare.

1 Mons Moria,in quo area Iebuſæi, electus à Deo ad locum ſacrificij, ann. mun.3017.nu. 31.emit eum locum Dauid, num.36. ibique ſacrificat, & Deus ignem de cœlo mittit, n. 37.& ſæpius deinceps ibi ſacrificatur,num. 38. electum à Deo locum Dauid populo ſignificat,ibid.

2 *Mons moria* quando Dauidi oſtenſus deſtinatus ſacrificijs,ann.mun.3017.num.39. & an. 2990.num. 75. Mons moria ad Beniamini tribum potius pertinet,quam Iudæ,ann.m. 3023.num.15. & 16. vndique decliuis, num. 18.quæ illi ad 4.ventos poſita.ibid.

3 *Montis* moriæ vertex ad aream templi dilatatus,ann.mun.3023. 20 eoque fine vndique ingentes ſubſtructiones excitatæ, ibid. de ratione nominis vide etiam ſchol. 2. & nu. 11.& 12.

Moralis ſcientia Salomonis,ann.mun.3022. num.94.

Morbus Dauidis,ann.mun.2999.n.26.

Moria vide *Mons* moria 1.2.3.

Mortem an occupare liceat in neceſſitate moriendi. ann. mund.2979. num.134. mors ab amico , & ab inimico quantum differat, ann.mund.2973.n.56.ſibi illata qualis , ann. mund.2979.num.129.

Mosem in ſcientia politica Salomon ſuperauit,ann.mun.3022. num.95 Moſis nepotes æditui, ſiue præpoſiti theſauris, ann.mun. 3021.nu.41.

Muli donatitij Salomonis, ann. mund. 3044. num.13.

1 Mulierum cantica Sauli ingrata , ann. mun. 2971.n.61.imprudenter cecinisse. num. 64. propter comparationem inſtitutam , ibid. cur in eas non iratus Saul.num. 66. diſtincti earum chori , num. 69. mulier vitro virum rapiens mater Ionathæ , ann.mun.2973.nu. 78.

2 *Mulieres* præ viris ad ſuperſtitiones pronæ, ann. mun. 2979.num. 66. ſolæ ventriloquæ, ibid. Mulier bona precioſa res & rara.2985 num.12. Mulier ſapiens reconciliat Abſalonem patri,ann.mun.3005.num.7.& ſeqq. alia item in Abela. agit cauſam ciuitatis, an. mun.3010.num.56.& 57.

3 *Mulieres* quæ contendunt coram Salomone, ann.mun. 3022. num.104. an fuerint meretrices,num.105.earum diſputatio,num.106. & ſeqq.vide & ſcho. 6. eiuſdem anni. Mulierum atrium in templo,an.mun. 3025. nu. 40.& ſchol. 4.& 5. Mulier bona morti eripit nuncios Dauidis.ann.3009.75.

1 Munera iudicibus interdicta , ann. mund. 2961. numer.7.& 2963. numer. 61. an prophetæ conſulti ea acciperent , ann. mund. 2962.nu.50.& 51.munera Dauidis ad Iudæos ex præda miſſa,a.m.2979.n.155.& quam ob cauſam,num.157.

2 *Munera* antiquorum permodica,atque ſimplicia,ann,mun.2962.nu.52.& ann.mun.2970. num.13.& 2971.num.18. indicia grati animi, an.mun.2962.num.53. & beneuolentiæ, vide munera Ionathæ data Dauidi,ann.mun. 2971.n.56.

3 *Munera* Salomoni data, ann.mun.3033.num.21. munera mutua Salomonis,& reginæ Sabæ, an.mun.3047.num.35.38.& 39.

Mures in Azotiorum , & cæterorum Philiſthæorum villis ebulliunt, frugibus, hominibuſque infeſti,an.mun.2940. num. 27.28. 29.quam conueniens ea plaga,num.30.mures aurei in expiationem culpæ,num.42. & ſeqq.an plures quinque nu. 45. & 46. quid illis factum,ſch.6.

Murus Hieroſolymorum triplex, ann. mun. 3042. exſtructus, aut inſtauratus à Salomone,num. 9. & ſeqq. quæ eius longitudo ex Ioſepho,num.13.refellitur. num.14. ex Villalp. num. 15. quot illius turres, num. 13.& 14.

Musach ſabbati,ann.mun.3025. num.74.

Musicæ ſiue harmoniæ vis contra atram bilem,& dæmones , ann.mund. 2970. num.3. & 4.

Musica Salomoni diuinitus indita, ann.mun. 3022.num.72.

Myrina vrbs condita in Aſia, ann.mun.3003. num.3.an eadem cum Smyrna , ibid. à quibus condita.ibid.Myrina Amazonum regina,ibid.

Mysteria fidei Chriſtianæ , quæ Salomoni videantur reuelata, ann. mund. 3022.num. 99.

N

Naas rex Ammonitarum, vide *Ammonitæ*, moritur,ann.mun. 2995. num.13. vnde amicus Dauidis,ibid.& ann.mun. 2996. num.3.benemeritus de Dauide,ibid.

Naas etiam vocatur Iſai pater Dauidis, ann. mun.3009.ſchol.10.

Nabal Carmelus maritus Abigail, ann. mun. 2977. eius mores num. 22. contumelioſus, & inurbanus,num.26.& 27. ebrioſus ibid. eius præcipua contra Dauidem culpa. nu. 30.ſtupor & ebrietas,num.45. mors, num. 46.

Naharai 29 fortium Dauidis, an.mun.3016. nu.36.vide *Pharai*.

Naioth quis locus,2973.n.31.Domus doctrinæ apud Samuelem,ibid. ibi aliquandiu latuit Dauid ibid.ibidem & Saul cum ſuis ſatellitibus prophetauit.

Naphæi populi,ſocij Agarenorum contra Iſraëlitas,ann.mun.2965.num.12.

1 Nathan propheta quis, a. mun. 2990.n.49. nõ filius Dauidis, ibid. cum Dauid de templo vt amicum conſulit , non vt prophetam,num.50.decipitur, nu.51.accipit à Deo oraculum, & quæ eius ſumma, 52. explicatur,num.53.& ſeqq.eius filij,3016.nu.35.

2 *Nathan* propheta dicitur à Rabbinis præuidiſſe adulterium Dauidis, ann. m.2998.ſchol. 2. mittitur à Deo ad Dauidem, ann. mund. 2999.num.2.quem arguit in parabola,num. 3.vt rei conueniat, ibid.explicatur tota eius oratio,nu.6.7.& ſeqq.

3 *Nathan* propheta videtur fuiſſe magiſter Salomonis,ann.mun.3006.num. 8. eundem & Ionathan fuiſſe Hebræi putant, ann. mun. 3014.ſchol. 4.fauet Salomoni vt fiat rex,an. mun. 3020. num.15. res Adoniæ diſturbare parat,num.19.interuentu Bethſabeæ. num. 20.

4 *Nathanem* quæ erga Salomonem mouerent, ann.mun.3020.num.20. Regem adit, & rei ſtatum inculcat , num. 26. eius cum Rege familiaritas, num. 27. inungit cum Sadoco Salomonem , num.34. Alius quidam Nathan in officialibus Salomonis, ann.mund. 3022.num.116.& 122.

1 Navigatio in Ophir & Tharſis quando à Salomone inſtituta,an.mund.3023.nu.36.non tempore templi ædificationis, ibid. Adiecit animum mature Salomon parandæ claſſi, num. 40. ſed tardius videtur nauigaſſe, ibid.& ann.mun.3033.num.17.& 18.

2 *Nauigatio* in Tharſis quomodo fieret triennio,ann.mund.3023.num.43. & ann. mun. 3033.num.17.& ſchol.1.

Negotiatores, & Mercatores magnum Salomoni vectigal reddebant,ann.mund.3033. num.20.

Neomenia vnde dicta,ann.mund.2973.ſchol. 7.fuiſſe feſtum vnius diei,aut duorum ex multorum vſu,quando nec ieiunabatur.ſchol.8.

Nicavle, aut *Nitocris* an nomen Reginæ Sabæ,ann.mun.3047.nu.6.

Nilevs Codri filius, Medonis fratres,dux Ionicæ emigrationis,ann.m.3011. nu.3.

Nitocris,vide *Nicaule*.

Nobe oppidum ſacerdotum ; ſed gemina fuit Nobe,ann.mun.2973. num. 90. & 91.in citeriore habitauit pontifex Achimelech.Ad eam tranſlatum tabernaculum è Silo, ann. mun.2941.num.6.& 7. An in ea vexati Gabaonitæ à Saule,ann.mun.2979.num.24. 1

Nobe Saulis iuſſu funditus deletur. 1. Reg.22. 19.ann.mun.2974.nu.35. 2

Nodabæi populi, pugnæ Agarenis ſocij contra Iſraëlitas,ann.mun.2965.nu.12.

Nubes implet domum Domini in dedicatione eius, ann. mun. 3030. & quidem bis,primum num.25.ſecundo num. 36. cum flamma innoxia ibid.

Numeratio populi an prohibita , ann. mun. 2968.num. 11. quando ſub Dauide contigerit,ann.mun.3016.num.1. & 2. occaſio eius, num.41.cur ipſe populus qui numerabatur punitus,num.41.& 42.quæ in hac numeratione Dei actio,& quæ dæmonis nu.44. 1

Numerando quis locorum ordo,ann.mun.3016. num.47.& 48. & ann.mund. 3017. num. 1. quis rei gerendæ modus.num.3. Quis collectus numerus, & modus conciliandi varia ſcripturæ loca.nu.4.& ſeqq. 2

Numerus Leuitarum, à quo ætatis anno captus ſit,vigeſimo,an trigeſimo, ann.mund.3021. nu.19. 3

Nuncii ad Dauidem profugum Ionathas , & Achimaas,ann.mun.3009.nu.72.& 73.quos ſerui Abſalonis perſequuntur , numer.74. qui abdunt ſe in puteum, num.75.& à muliere officioſo mendacio morti eripiuntur, an.mun.3009. nu.75. Dauidem monent de traijciendo Iordane 75.

Nuptiæ per coëmptionem,ann.mund. 2972. num.16. Dauidis cum Bethſabæa an illegitimæ,an.mun.2998.num. 30. non videri,licet eas adulterium conciliaſſet.ibid. nec ob eas culpandus Dauid,nu.31. non fuiſſe valde celebres,num.31.

Nuptias Abiſagæ petit Adonias, ann.mund. 3022.nu.5.& 6.an licitæ eſſent, num.9.

Nuptiæ filiæ Pharaonis cum Salomone, ann. mund.3022.num.116. quando initæ, & cui fini, ibid. A Dauide conciliatæ,num.116.an hæc affinitas illegitima, num. 118. dos illius, num.119.tempus,tituſque nuptiarum , occurſus ſponſi & ſponſæ , num. 120. 121. locus,122.

O

Obededom Leuita hoſpes arcæ,an. mund. 2989.num.30.cum fructu,31.eius felicitas,32.conditio,genus,patria, 33. cur dictus Gethæus,33.34.vbi habitaret,35.princeps inter ianitores,1. Paral.26.ann.mun. 3021. nu. 37. &39.

Obedientia militaris rigida, ann.mun. 2964

nu 90.eius neceſſitas vt res Deo placeat, n. 10 ?.obediendo Deo etiam peccatur, an. m. 2968.nu.22. & 40. potior eſt ſacrificiis, nu. 43.ex Ioſepho, & quomodo id verum, nu. 44 & melior Sauli,nu.45.

2 *obedientia* quatenus melior ſacrificiis, aut contra,ann.mun.2968.nu 46. & an inobedientia æquetur idololatriæ,nu.46. Obedientia duplex,48.inſignis Dauidis obedientia, an. mun.2974.nu.11.& 29.

Ocvli Ionathæ quomodo illuminati, ann. m. 2964.nu.91.& 92.

Odolla,vide *Spelunca.*

Oeconomica ſcientia Salomonis, an.m.3022. n.97.eam mirata eſt regina Saba.97.

Officiorvm regiæ domus Salomonis diſtributio,ann.mun.3022. num.123.& ſeqq.cur facta, 123. in domo Dauidis initio regni, an. m.2980.nu.1.& ſeqq. circa militiæ turmas, & domeſtica officia.nu.12. & ſeqq.

Olei lenticula vel cornu,an.mun.3020.nu.39. quod foret oleum hoc.ſchol.2.

Omen an captare liceat, a.m. 2964.n.59.& an captarit Ionathas,nu.60. an Dauid,ann.m. 2973.nu.54.

Operarvm, ſiue operariorum numerus in templo,ann.mun.3022.n. 144. de eo numero Scripturæ conciliantur, numer.145.vide *Proſelyti.*

Ophir regio vbi ſita,ann.mun.3021.nu.60.& 3023.n.41. videtur eadem cum Samarra,& Taprobana,nu.42.vide & ann.mund.3033. numer.18. & ſchol. 1. vide ſupra *Nauigatio*, num.1.

1. Ophni,& Phinees filij Heli, ann.mund.2900. nu.11. Ophni videtur fuiſſe primogenitus, ibid.malitia eorum,ann.mun.2907.nu.9.& ſacrilegium triplex, ibid. fornicationes & adulteria, nu. 10. quid aleret eorum audaciam,ann.mun.2911.n.2.

2. *Ophni* & Phinees peccata quî directe contra Deum,ann.mun. 2911.nu.5. non corriguntur admonitione paterna,& quare,nu.6.de ipſis Heli accuſatur à propheta,ann.mund. 2912.num.5. Ophni patris grandæui munia obire potuit, an.mun.2931.nu.5.

3. *Ophni* & Phinees deducunt arcam in caſtra,an. mun.2939.nu.15.an priori prælio adfuerint, nu.15.occiduntur, num.20.& 22.an æterna morte perierint,nu.36.& 37.eorum peccata in Achimelecho & 85.ſacerdotibus, puniuntur,an.mun.2974.nu.26.& 31.

Oracvlvm templi,& alia eius nomina, ann. mun. 3024 num. 21. vide *Sanctum ſanctorum*, quæ in eo eſſent,nu.9.

1. Oratio an ſedendo à Dauide facta, an.mun. 2990.nu.65.tota plena affectuum, vide ſupra Dauid num. Oratio quantumuis irrita cur fidenter iteranda, ann.mund.2939. nu.12.

Ornan Iebuſæus,vide *Areuna.*

Oscvlvm an ceremonia vnctionis regum, an. mund.2962.nu.88.cui vſui ibid. & cur à Samuele datum Sauli,nu. 89. ſymbolum pacis & charitatis, ibid. index veniæ,ann.mund. 3007.nu.14.& 15.in perfecta reconciliatione Abſalonis,& ann.mun.3020.58.in Salomonis inauguratione priore.

Ostiorvm templi ornatus, ann.mund.3024. nu.62. an argentea, aut potius lignea auro conueſtita, cum cherubinis. & palmis humili thoreumate,ibid.eorum ſeræ,& peſſuli an aurei,63.valuæ geminæ, nu. 64. limina quadrangula, non fornicata, ibid. in valuis oſtiola ibid. 1

Oſtium orientale quam ornatum, ann.m.3024. nu. 76. eius amplitudo, habuit impoſitum arcum octo cubitorum,nu.76.aliæ duæ portæ quales,ibid. 2

Oſtia tria atrij Iſraëlitarum ab ortu, ſepten. & meridie,an.mun.3025.nu.30.an etiam quartum ab occidente,nu.31.ſingulorum oſtiorum thalami ſeni, nu.33. eorum forma, nu. 34.vide *Porta.* 3

Oza Leuita ſuſtentat arcam labentem, an.m. 2989.n.21.& diuinitus occiditur,nu.22. An quia temere tetigit, aut potius quia plauſtro impoſuit,num.23.24. cur ſolus occiſus 24.quo mortis genere 25.an igne diuino 26. an perierit?non videri,nu.27.& ſch.5.

P

Pacifici hominis prudentia, ann.m.2979. nu.49.

Palathæ quid,ann.mun.2977. nu. 35. maſſæ ficuum deſiccatarum,an.mund.3009.n.37.

Pallii Samuelis fortuita ſciſſio ceſſit in ſignum,an.mun.2968.nu.62.63. & 64. Sciſſio pallij Ahiæ prophetæ in ſignum diuiſionis regni.3.Reg.c.11.30.an.mun.3057. nu.27.& ſeqq.fuſe.

Palmvs duplex,an.mun.3025.n.55.

Palmira quæ ciuitas,& vbi ſita,an. m.3044. Salomonem habet authorem, nu.3.& 19.

Panes propoſitionis à laïcis in neceſſitate edi poterant,ann.m.2973.n.100.& 101. etiam à non mundis, nu.102. quî dicantur ſanctificari in vaſis,an.mun.2973.ſchol. 13. tam ſacerdotes quam Leuitæ erant ſuper panes propoſitionis,ſed diuerſo modo, an. mun. 3021.nu.21.& ſeqq.

Panvm & phialarum diſpoſitio in mēſis propoſitionis,an.mun.3024.n.98.

Parabola Nathani,an.m. 2999.n.3. Thecuitis 3005.nu.5. vtilitas parabolæ, ibid. an.nu. 12.& 13.Parabolarum ſcientia data Salomon an. m.3022.recte aptetur,num.85. vſurpatæ paſſim Hebræis, ibid. Adeo vt Chriſtus Dominus ſine parabolis non loqueretur eis.

Parastades quid,an.m.3024.nu. 9. diſtabant vbique à ſe mutuo octo cubitis,in quo ſpatio erant feneſtræ cum ſuis ornamentis, n. 9.interius eis coſtæ reſpondent, ſiue anterides,num.12.Paraſtadum modus,& ſtriata forma,ann.m.3024.nu.78.

Parentvm violatores maledicti, an.m.3009. nu.107.

Partes ſacrificij Elcanæ Hebræi veſtes interpretantur,an.m.2900.nu.12.

Patientia Dauidis,an.mund. 3009. num.48. 49. 51.54.

Pavimenti templi ornamenta,an.m.3024.nu.
61.auro tectum fuit in Sancto,& in Sancto
ſanctorum,nu. 60. ex Ioſepho & Scriptura,
ibid.

Peccata in proximum ſunt etiam in Deum,
an.m.1911.nu.4.quæ in Deum directe fiunt,
ſunt grauiora,nu.5.

Peccatvm dicitur etiam malum ex peccato
ortum,an.m.2964.n.106.peccantis perſonæ
ratio habenda,nu.108.

Peccatoris reconciliati imago,an.m.3007.n.
15. Peccatores ſe fore aiunt Bethſabæa &
Salomon,ann.m.3020.nu.25.

Pecvlivm Dauidis quid,ann.m.3021.n. 60.

Peltæ aureæ Salomonis,ann.mun.3033.nu.8.
& 9.earum valor,& pondus numer.10.vide
Scuta.

Peribolvs ſiue lorica aut corona totius æ-
dificij templi,an.mun.3024.n. 2.& 3025.nu.
9.cui fini.a.3024.n. 3. vbi & alia eius nomi-
na;eius forma ex ſtylobatis & cancellis, 4.
cum ſphæris, ibid. eius longitudo, nu-
mer.5.

Peribolvs ſecundæ contignationis, ann. m.
3024.nu.28.& ipſius tecti,num.81. Periboli
totius ædificij portæ ab occaſu quatuor,
an.m.3025 nu.8.

Pertvrbationvm, ſiue Paſſionum humana-
tyrannis,an.m.2976.n.30.

Pes, ſiue pedes apud Hebræos qui vſurpen-
tur,an.mun.2976.ſch.1.

1. Pestisne electa à Dauide in optione data, an.
m.3017.n.13.immittitur à Deo, nu.15. fuiſſe
mere ſupernaturalem, ibid. quandiu dura-
rit,num.16.quidam putant vnum diem, aut
etiam dimidium,nu. 16. videri omnino tri-
duum,num.17.& 18. qui ab ea immunes,an
Ieruſalem,num.21.& 22.

2. *Peſtis* modus ex Ioſepho, an.mun.3017.nu.23.
ex Abulenſi ordo rei geſtæ,nu.24. & 25.nu-
merus occiſorum fuſe expenditur, num.19.
20.21.eius finis,nu.26.& 30.Deo per ſacrifi-
cium placato,nu 37.

Petitionis callidum genus quo vſa Bethſa-
bæa ad Salomonem pro Adonia,ann. mun.
3022. nu.8.

Phaltiæl maritus Micholis, an.m. 2977.nu.
50.& 51.eam diligit,& flẽs comitatur abeun-
tem. 2.Reg.3.v.16.

Pharai, qui & Naharai 25. in fortibus Daui-
dis,an.mun.3016 n.34.

Pharan Arabiæ deſertum, ann.mund.2977.
nu.10.

1. Pharaonis filiam ducit Salomon, an. mund.
3022.n.116.an ille Vaphres, nu.117. Epiſtola
ab eo,& ad eum, nu. 137. Iſti Salomon ædi-
ficat domum,an.mun.3030.n. 45.in eam de-
migrat,an.m.3042.nu.5. vbinam prius man-
ſerit, nu. 6. an neceſſaria fuerit hæc migra-
tio,ibid.

2. *Pharaonis* filia an Salomonem ad idola pertra-
xerit,an.mun 3048.nu.5.& 3053 num.4.& 5.
eiuſdem pœnitentia, ann mund. 3058. nu-
mer.41.

3. *Pharaones* reges Ægypti quando ita dicti,an.m.
3047.nu.3.& 5.ex Ioſepho,dat Gazer in do-
tem filiæ,vide *Gazer.*

Phemonoe Sibylla,an.mun.3004.nu.2.

Phenenna vxor Elcanæ,æmula Annæ, & ex-
probratrix,ann.mun.2900.num.15.& 16.de
eius filij certatim morientibus Hebræo-
rum fabula, ann.mund. 2907. nu.7. impro-
batur,num.8.

Philisthæorvm bellum contra Hebræos 1.
ſub mortem pontificis Heli,an.m.2939.nu.
2.eiuſque cauſæ,nu.2.& 3. eius apparatus ex
vtraque parte,nu.4.& 5.prius prælium cum
clade Iſraëlitarum,num.6. timent ad Arcæ
Domini aduentum, num.17. qui reſumunt
animos,nu.18.

Philiſthæi altero prælio vincunt Hebræos, ann. 2.
m.2939.n.19. & cur Arcam impune vident,
tangunt,auferunt,an.mun.2940.n.14.Ho-
noris cauſa in templo Dei ſui eam collo-
cant,num.15. cur nihilominus mox afflicti,
numer. 15. eorum pœnæ ſimiles Ægyptiis,
num.47.

Philiſthæi conſilium capiunt ſuper reſtitutio- 3.
ne Arcæ,ann.mun. 2940.nu.41.& ſeqq. &
ſchol.4.Eis Hebræi tributa ſoluunt,ann.m.
2947.n.3.vide & an.mun.2960.nu.2. & 6.&
17.Adeunt Hebræos in Maſphat.numer.18.
contra eos Dominus pugnat, & vincit, nu.
21.22.23.

Philiſthæi Phœnices habent commilitones, & 4.
Tyrios nominatim,an.m.2960.n.24. an diu
quieuerint ab Hebræis vexandis, nu.26. an
tributum eis pependerint, an.mun.2961.n.
2.& an.m.2962.nu.61. contra eos Dominus
regem parat,nu.60.& 61.

Philiſthæi ſtationem ſiue præſidium habebant 5.
in Gabaa, ſignum ſeruitutis Hebræorum,
an.mun.2962.n.99. eorum præſidium dele-
tur,an.mun.2964.nu.12.contrahunt copias
contra Iſraëlitas,nu.15.& 16.& quot currus,
num.15.prædones ex caſtris excurrunt, nu-
mer.38.

Philiſthæi quando videantur armis priuaſſe He- 6.
bræos,an.mun. 2964.nu.42.& ſeqq. locum
mutant ad pugnam,nu.47.ſeipſi non noſci-
tantes interimunt,nu.57.affecti ſtupore, &
confuſione mentis,n. 68. tribus plagis pro-
ſtrati,nu.70.diuinitus vincuntur, nu. 77. &
ſpoliantur,93.94.

Philiſthæi bellum inſtaurant, an.mun.2971.nu. 7.
2.quæ cauſa, ibidem,quæ occaſio,nu.3.Dei
in eo conſilium ibid. ſtant oppoſitæ acies
multis diebus, nu.5. offerunt Hebræis ſin-
gulare certamen, num.5. mortuo Goliatho
diffugiunt,n.49. & eos Hebræi perſequun-
tur,& quouſque, nu.50. cæſorum numerus
ex Ioſepho,ibid.

Philiſthæorum Accaronitarum ducenta præpu- 8.
tia Dauid accipit,an.mun.2972.nu.17. exe-
crantur circunciſionem,n.12. & 19.bellum
inde natum videtur,ann.mun.2972 nu.24.
Et rurſum aliud,an.m.2973.num. 9. Iterum
aliud contra Ceilanos,an.m. 2974.nu.39.&
ſequent.vincuntur,nu. 42.

Philiſthæi per regnum Saulis effuſi, impediunt 9.
ne capiatur Dauid,ann.mun.2975. nu.23.vi-
dentur fuiſſe prædones, quos compeſcui,

Saul,nu 26. Bellum contra Saulem poſtre-
mum parant,an.m.2979.num.28. quæ eius
cauſæ nu.28.& 29.
10. *Philiſthæorum* reguli ſtant in acie, an.m.2979.n.
41.& 44.quæ copiæ ibid.eas luſtrant, n.44.
feliciter pugnant,nu.114. ſpolia detrahunt,
nu.143.vicem reddunt pro Goliatho,num.
144.Imprudenter quieſcunt,an.m.2981.n.2.
& 2983.nu.6.
11. *Philiſthææ* ſitus, an.m.2979.ſchol.4. Philiſthæi
inſurgunt in Dauidem, an.m.2988.n.1. quæ
belli cauſa, n 4. vincuntur,n.11.& idola ſua
deſerunt, n.12. Reſumunt animos ad alte-
rum prælium num. 13. & certamen eodem
loco repetunt,14.
12. *Philiſthæi* à Dauide vincuntur,modus victoriæ,
rei geſtæ ſumma, ann. mund.2988.num.17.
& 18.& 19.an ab Angelis percuſſi, n. 21.quo
fuga compulſi,nu.23. Quomodo ſtationem
haberent in Bethlehem, ann. mund.2988.
nu.31.
13. *Philiſthæi* rurſum à Dauide inuaduntur, ann.
mund.2991.num.5.tributarij fiunt,num.7.
alia bella 4.cõtra eoſdem, incerti fere tem-
poris, primum, ann. mund.3014.2. qua de
cauſa, 2.cur à Deo permiſſum ibid.alterum
bellum contra eoſdem in Gob,nu.6.
14. *Philiſthæorum* tertium bellum ſiue prælium,an
à Dauide confectum, ann. mund.3014.n.9.
non videri,ibid. Quartum vbi geſtum, &
qua de cauſa, nu. 12. omnia fere geſta con-
tra gigantes,ann.mund.3014.nu.3.&c.patet
in ſingulis.
Phinees & frater Ophni, filij Heli, miniſtrant
in domo Domini, ann.mund.2900. num.
11. An conuitio affecerit Annam, numer.
29. ſchol. 4. An pontifex viuo patre, ann.
mund.2933. num.5. moritur cum fratre,vi-
de *ophni*.
Phinees vxor in cladis nuncio parit, an. mun.
2939.num.38.an ſeptimeſtrem, numer.39.&
vitalem, ibid. dat filio nomen è re nata, &
moritur,numer. 40. eius pro ſuis elogium,
num.41.
Phoenices an in templo laborarint, an.mun.
3022.nu.47.
Physiologiæ ſcientia Salomonis, ann. mun.
3022.nu.86.& 88.quam ſcripto tradidit,nu.
87. ſed ſcripta perierunt, ſicut & aliæ eiuſ-
dem diſputationes, ibid. eam ſcientiam illi
notam probatur,num.88.& 89. & in ſpecie
nouit naturas animalium cicurum & agre-
ſtium,num.90.vim ventorum & Meteoro-
logica,num.91.
Physiognomia Salomonis, ann. mund.3022.
nu.91.
Pignus fidei & amicitiæ, ann.mund.3021.nu-
mer.76.
1. Plvvia in prodigium à Samuele data, ann.
mun.2963.num.71.& 74. in meſſe nulla in
Chananitide, ibid.& num.73. Pluuiam in
Græcia ad preces Aeaci datam fabulantur,
num.74.
2 Plvviæ defectus in populo ad triennium ob
violatos à Saule Gabaonitas,quæ mox data,
crucifixis 7.filiis eius. 2. Reg.21.ann.mund.
3013.num.16.
Podivm columnarum quid, ann. mund.3014.
num.26.& 79.
Poena fit naturæ vitium,ann.mun. 2990. nu. 1
44. Pœnæ exemplares quales eſſe debeant,
vt iuſtæ ſint,ann.mund.2999.nu.38. Pœna-
rum ſenſum quid maxime mitiget, ann. m.
3017.nu.10.
Pœnitentia non ſolet auferre pœnam, ſed cul- 2
pam, ann. mund. 2968. numer.59. vide &
ſchol. 8.
Pœnitentia Salomonis fuse probatur autorita- 3
tibus,& rationibus, ann.mund. 3058. num.
10.& ſeqq. Pœnitentiæ eius tempus, num.
30.modus ac diſpoſitio eius.num.31.eius ve-
ra conuerſio, nu.32. exponitur ex patribus,
num.33.
Pœnitentiam publice egit Salomon, ann.mun. 4
3058.num. 34. & populum ad pœnitentiam
inuitat,num.35. affligit etiam corpus ſuum,
num.38. Ea de re Hebræorum traditio, nu.
39.& 40.tres libros ſcribit,nu.41.
Poesis Salomonis, ann.mun. 3022.numer 67.
carmina,odæ,tragœdiæ, comœdiæ,Satyræ,
&c.68.69. Poëtarum antiquitas,& laus,an.
mun.3022.nu.69.
Politica quædam conſilia iniuſta,an. mund.
2971.nu.67. Politicam ſiue ſcientiam re-
gendæ Reipub. maximè cupiuit, poſtula-
uit,obtinuit,ann.mund.3022.num.95.
Pollvbrvm maris ænei, ann. mund.3025.nu.
67.
Pons inter templum ædeſque regias, ann.m.
3031.nu.3.
Pontificvm catalogus non idem qui filio- 1
rum Aaronis per Eleazarum,an.mun.2900.
nu.5.cur mutata familia,nu.6.Aaronis pro-
genies interrupta, ibid. Achias ſub Saule
pontifex,ann.mun.2962.n.8.regni 1.ſemper
fuerunt vncti oleo ſacro, ann. mund.2962.
nu.81.
Pontifices an duo fuerint tempore Dauidis,ann. 2
mund.2975.num.2.& ſeqq.& 2995.num.5.
Sadoc ſcilicet & Abiathar,& admittitur ſo-
lus Abiathar;vide & ann.mund.3020.num.
33.34.35.de ſingulis pontificibus vide ſuis lo-
cis Heli, Achitob, Achias; qui & Achime-
lech, Abiathar, Sadoc.
Popvli timor in dedicatione templi, ann. m.
3030.nu.36.& 37. eius dimiſſio, die 23.ſepti-
mi menſis,nu.42.
Porta pro vrbe plerumque ſumitur in Scri-
ptura,an.m.2962.n.63.
Portare peccatum alicuius quid,ann.mund.
2668 nu.60.& ſchol.6.
Porticvs gentium in templo operoſæ funda-
tionis,ann.mun.3023.num.28.& quare,nu.
29. quomodo recte ac ſolide fundata, num.
30.Porticus Salomonis quæ,& vbi,ann. m.
3025.num.15.
Porticvs atrij Iſraëlitici ornamenta, & for-
ma,ann.mund.3025.numer.35.tria eiuſdem
tabulata, 60. cubitorum, cũ ſuis columna-
rum ordinibus,36.vide ſupra *Atria*.
Posse pro audere non raro in Scriptura poſi-
tum,a.mun.3009.ſchol.8.

Præda Amalecitana varia, ann. mund. 1968. n.
20. & ſchol. 2. quæ præda iniuſta, ann. mund.
2979. num. 137. & 139. ratio eam diuidendi ex
lege Dauidis, nu. 141. 142. & Romanorum,
ibid.

Prædam ſuam Dauid dono mittit ad pleroſ-
que gratitudinis ergò, ann. mund. 2979. nu.
152. & ſeqq. quanta ea fuerit, nu. 152. & quæ
Dauidis portio, num. 153. quî facta videatur
diſtributio num. 154. & quæ dicatur præda
Domini, nu. 154.

Prædictiones tam comminatoriæ, quam im-
mutabiles ex euentis agnoſcuntur, ann. m.
1968. n. 66. vide *Propheta* & *Prophetia*.

Prælia quatuor Dauidis & ſuorum contra
Philiſthæos, ſub finem regni eius, a. m. 3014.
n. 1. & ſeqq.

Præpositi theſaurorum, vide *Quæſtores*.

Præpositi Leuitæ, quomodo à Iudicibus dif-
ferrent, an. m. 3021. n. 43. eorum opera an ru-
ſtica, nu. 44. ſparſi per tribus, num. 46. diuiſi
erant locis, ibid.

Praesidia militaria cui vſui, an. m. 2962. n. 99.
& 2964. nu. 10. Saulis trium millium, an. m.
2964. num. 6. quare, & quando inſtitutum,
ibid. populi ſumptibus educatum, nume. 6.
& 7.

1 Primitiae apud Hebræos regibus offereban-
tur. Ideo Baana & Rechab Iſboſethum in-
terfecturi ſpicas tritici, ait Hieron. in tra-
dit. in 2. Reg. c. 4. quaſi cauſa primitiarum
tulerunt, vt honorem regi deferre viderен-
tur, & eorum dolus nequaquam depræhen-
deretur. hæc ibi, vide & an. mund. 2962. nu-
me. 95.

2 *Primitiæ* dicuntur electa quæque, ann. m. 2968.
nu. 11. dicta ſunt etiam initia, nu. 35.

1 Principes mali cur tolerandi exemplo Saulis,
a. m. 2968. nu. 53. Principis aut regis ſpiritus
multiplex, exemplo Dauidis, a. m. 2969. nu.
45. ratio eos admonendi, an. mund. 2970. n.
5. multa periculoſe ignorant propter adula-
tores, an. m. 2978. nu. 26. & 27.

2 *Principes* à Deo puniuntur ſublatis ſanctis vi-
ris, a. m. 2979. num. 36. A Deo eſt principum
electio, a. m. 2986. n. 34. Principes pœnas lui
turi ſunt neglectæ iuſtitiæ, an. m. 3025. nu. 5.
vide Sap. 6. v. 5.

3 *Principes* & reges inuiſebant Salomonem cum
muneribus, an. mun. 3033. nu. 21. an & qua-
tenus illi ſubiecti, num. 25. in eos Prophetæ
ſæpe ſeuerius verbis egerunt, a. m. 3057. n. 7.

Principiorvm vis quanta ad agendum, an. m.
2964. n. 117.

Prologvs, ſiue Proluſio in hiſtoriam regum
quæ tomo tertio inchoatur, an. m. 2900. nu.
1. 2. & ſeqq. Proluſio in quintam mundi æ-
tatem, an. m. 2940. nu 1. & 2.

Promissiones iuratoriæ quid requirant, ann.
mund. 3021. nu. 187.

1 Prophetae, qui & Cantores, an. m. 3021. n. 36.
& an. m 2961. n. 100. & 102. inter eos aliqui
veri prophetæ, nu. 102. Prophetia cantico
rum ſpiritualium duplex, an. m. 2973. nu. 34.
quare voluerit Dominus tot nuncios Sau-
lis, ipſumque prophetare, nu. 35. quomodo
mutati fuerint, num. 14.

Prophetæ an munera acciperent. an. m. 2961. nu. 2.
50. dicuntur inſanire, a. m. 2971. n. 69. in quo
ſimiles arreptitiis, n. 70. Prophetica ſcientia
comparata cum Salomonica, a. m. 3022. nu.
59. Prophetæ aliquando in principes ſeue-
rius egerunt, an. m. 3057. n. 7.

Proselyti qui, an. m. 3017. nu. 40. contempti
ab Hebræis, ibid. magno numero à Dauide
coacti ad parandam templi materiam, nu.
41. vide & ſchol. 4.

Prvdentia hominis pacifici, ann. m. 2979. nu.
49. prudentia præpoſtera, ac tyrannica, an.
m. 2971. n. 67.

Psalmos quando maximè ſcripſerit Dauid, a. 1.
mun. 2969. nu. 60. & 61. An plures pſalmo-
rum authores, n. 62. An vnus potius Dauid,
nu. 63. & 65. Pſalmorum plerique cantores
non authores, numer. 64. modus atque vſus
pſalmorum ex S. Chryſoſt. n. 63.

Pſalmus 55. editus in Geth, & qua ex cauſa, ann. 2.
m. 2973. n. 123. aliqua illius paraphraſis, ibid.
Rurſus Pſalm. 33. eadem ex cauſa, num. 124.
Pſalm. 51. contra Doëg, ann. m. 2974. nu. 47.
Pſal. 62. & 53. in deſerto Ziph. ann. m. 2975.
n. 9. & 19.

Pſalmus 143. aduerſus Goliathum, ann. m. 2971. 3.
n. 74. eodem pertinet & Pſal. 151. nu. 75. Pſal-
mus 2. quando editus, & contra quos, ann.
mun. 2978. nu. 3. & ſeqq. qui de Dauide quo-
que explicatur, nu. 4. 5. & ſeqq. Pſalm. 29. in
dedicatione domus ſuæ, nu. 37.

Pſalmus 123. cum Dauid effugiſſet præter ſpem 4.
Saulis manus, an. m. 2975. nu. 25. & ſchol. 4.
Pſal. 115. ſchol. 3. Pſalmus 56. editus in metu
aduentatis Saulis, ann. mund. 2976. nu. 8. &
35. quo etiam Ianſenius plures alios retu-
lit. ſcho. 3. quo & refer ann. m. 2978. nu. 1.

Pſalmos aliquot ſcribit, nominatimque deci- 5.
mum, & duodecimum, an. m. 2978. nu. 31. 32.
& 33. Pſalmus 59. ad quod tempus pertineat,
ann. m. 2993. nu. 16. paraphraſis eiuſdem, nu.
12. & ſeqq. cur triſtis ſit, nec titulo reſpon-
deat, ſchol. 2.

Pſalmos rurſum aliquot Dauid ſeptiduo com- 6.
ponit, an. m. 2999. nu. 25. nimirum Pſalmum
31. & 37. num. 27 Pſalm. 3. quando editus, an.
m. 3009. n. 13. Pſalm. 54. quando, n. 29. qui ex
parte explicatur, nu. 30.

Pſalmus ſeptimus quando compoſitus, ann. m. 7.
3009. n. 51. & ſeqq. explicatur. Pſalmus item
38. nu. 53. Item Pſalmus 142. num. 58. & Pſal-
mum decimus ſeptimus, ann. mun. 3016. nu.
4. denique Pſalmus 71. an. m. 3021. n. 79. an
Dauidis vltimus, ibid.

Pſalmus 44. qui eſt Epithalamium, an. m. 3021. 8.
numer. 122. quomodo Chriſto, & Salomoni
quoque conueniat, ibid.

Pveri ſapientia celebrati, an. m. 3020. nu. 5.

Pvgna à pugnis dicta videtur, a. m. 2664. n. 46.

Pvrgatorivm ex Hieronymo colligitur, an.
m. 2989. nu. 27. vide quoque, an. mun. 3005.
num. 21.

Pythonissam Saul in rerum deſperatione
adit, an. mun. 2979. nu. 37. contra Dei, ſuam-
que ipſius legem, nu. 57. & 65. quæ illa mu-

ber.nu.66. An mater Abneris ibid. & ſchol. 6.vnde ductum id nomen,ann.mund.2979. nu.67.

PYTHONISSA hæc non fuit ventriloqua, n.68. ad necromanticas potius pertinuit, nu.69. fi.& 71. Callide ſe excuſat à diuinatione, n. 72.putauit ſe quemlibet ex inferis euocare poſſe nu.71.ſed vide nu.80. Cur exclamarit viſo Samuele,nu.86.

PYTHONISSA quî cognouerit Saulem, ann.m 2979.nu. 86. cibum dat regi languenti, eiuſque ſociis, propterea que laudatur valde à Petro Damiano,nu.96.

Q

QVADRIGA Cherubinorum arcam ferens,an.m.3034.nu.54.

QVADRIGÆ.& currus Salomonis, a. m.3044. nu. 7.& ſeqq.

QVÆSTORES tributorum, & prouentuum Dauidis,an.m.2980.nu.14.& 15.euocati ad comitia de confirmando regno Salomoni, an. m.3021.nu.6.diuerſi fuerunt,ibid.

Quæſtores templi theſauris præpoſiti ad ianitores pertinebant,an.m.3021.nu.41. ijdemque Æditui,ibid.

QVARANIENÆ deſertum. an.mun 3009. n.22.

1 QVERELA Dauidis in Saulem, an.m.2976. nu. 21.& ſeqq.Et an.m.2978.nu.21.22.& ſeqq.

2 *Querela* Philiſthæorum, apud Achis Gethæum regem,contra Dauidem,an.mun.2979. nu. 46. & 47. & rurſum Dauidis de ſua dimiſſione,eaq; neceſſaria,n.50.& diſſimulata,ib.

3 *Querela* Abſalonis de Dauide patre apud populum.an m.3008 nu.7.

4 *Querela* magiſtratus ad populum pro reſtitutione Dauidis,ann.mund.3009 nu.130.& Iſraëlitarum contra Iudam non abſurda, apud Dauidem,a.m 3010.nu.33.& 34.

5 *Querela* de Adonia regnum occupante, tam Bethſabeæ quam Nathani prophetæ, apud Dauidem,3.Reg.ca.1.&a.m.3020.n.23.& 24.

QVIES terræ quomodo accipienda ſit in libro Iudicum,an.mun.3023.nu.8.

R

1 RABBATH metropolis Ammonitarum obſidetur,an.m.2998.nu.4.obſidio cur in vere ſuſcepta,ibid.& v.4. Eius expugnatæ tempus, ann.mun.2999.nume.29. vnicam vrbem fuiſſe,nu.30. nec bipertitam, nu.31.

2 *Rabbath* cur dicta ciuitas aquarum, an.m.2999. n.31.& ſchol.5.capitur & diripitur, num.33. Dauid in ciues ſeueriſſime animaduertit, nu.37.an etiam crudeliter,ibid.& ſeqq.

1 RABBINORVM fabulæ de filiis Phenennæ,a.m. 2937.nu.7.de Saulis fuga in capta arca,ann. m.2939.nu.22. De iudicio Samuelis contra idololatras,ann.m.2960. nu.13. De ſomnio Saulis ſuper regno,a.an.mun. 2962.nu.54.

2 *Rabbinorum* fabulæ de enumeratione populi à Saule,ann.mund.2963. ſchol 4. cur Amalecitarum pecora Deus diſperdi iuſſerit, ann. mund 2968. numer. 11. de ſciſſo Samuelis pallio num. 63. de nuncio Saulis pialtem illi ſuggerente,an.m.2970.nu.6.& 7.

Rabbinorum inuenta non inepta, de Arca, ann. mun. 2940 num. 12. de Philiſthæis ante arcam ſacrificantibus, nu. 57. de vxore & ſorore Achis furioſis, ann.mund. 2975.numer.121. 3.

Rabbinorum de veſtibus Saulis Dauidi aptatis fabula,an.mundi,2971. nu.34. de galea Goliathi,ſchol.4.Rabbini deſperaſſe Dauidem mentiuntur,an.mun.2975.num.21.ſchol.3. inepti in maledictione Semei,an.mun.3021. ſchol.5 4.

Rabbinorum ſtupor, in lege ſpoliorum interpretanda,an.m.2999.num.36.conſentaneus illi,quem arguit Dominus, Matth.23.16.17. Et ann.mun.3006.nu.7. & in Ioſepho circa cædem ſui vitandam,ann. mund.3009. numer.92. 5.

Rabbini inepti in muliere quæ erat in Abela, an.m.3010 num.57.& ſchol.8. & in Arapha, ann.m.3014.nu.4.Inepte explicant titulum, Abſalonis,ann.mun.3009.nu 105.106. & in cauſa Miphiboſethi,ann.mun.3010.nu. 27. 28. 29. alia Rabbinorum fabula de ligno crucis,an.m 3047.nu.42. 6.

RAMA quadruplex in Scriptura, an.mun.2073. ſchol. 4.& ann. mund. 2974. numer. 15. & ſchol.2.

RAPHAIM vallis, quæ & gigantum dicta eſt, an.mun.2988.nu.8.

RAZON filius Eliada Syrus fugitè bello, quod contra Dauidem gerebatur an. mund.2993. nu.8.fuit vnus de tribus Salomonis aduerſariis,an.mun.3057. nu 18 hiſtoria eiuſdem 3.Regum c.11.23.explicatur,an.m.3057. nu. 18.& 19.

RECHAB & Baana fratres ſicarij, exponitur hiſtoria 2.Regum 4.a.m.2986.n.4. & ſeqq. vide *Baana*.

RECONCILIATIONIS imago,an.m. 3007. nu.15. Eadem turioſe & criminum magnitudine impedita,an.m.3009.nu.62.& ſchol.7.

REDITVS regij Dauidis,an. m.2980 nu.12. Reditus annui Salomonis,an.m.3033.nu.19. & 20.ex vectigalibus, & negotiatoribus, & ſcruta vendentibus,nu.20.

REFECTORIA templi ad atrium Leuiticum,an. m.3025.nu.45.

REGNI lex quæ ſit,an.m.2963.n.20.& an. 2962. nu. 33 & multis ſeqq. regni firmamentum clementia.2976.nu.20. Ad regnandum tria ius dabant apud Hebræos electio Dei, ſucceſſio primogenituræ, & diſpoſitio paterna,ann.mund.3019.numer.10.& 11. & 3020. nu.24.

REGNVM Iſraëlitarum diuinum, ann. mund. 3021.nu.51.eius diuiſio denunciata,an.mun. 3057.nu.4. & 11.& nu.26.& 27.an etiam culpa Dauidis contigerit,nu.12.ob peccata Salomonis,nu.27.& ipſius populi,nu.31.& 32. Regnum humanum non tollit diuinum, ann.mun.2982.nu.30.

REHI quis, 3. Reg. 1. fauet Salomoni contra Adoniam,ann.mund.3020.nu.15.

Religiosi conuentus à Samuele inſtituti, an. mun. 2962. nu. 101.

Religviarvm veneratio, ann. mun. 2977. nu. 17. & 18.

Remissio pœnæ, an. m. 3010. nu. 50.

Renga quæ vrbs, an. mun. 2979. nu. 42.

Repvdii libellus dicitur datus vxoribus ab euntibus in bellum, an. m. 2971. ſchol. 1.

Respicere ſe, ſiue reſipiſcere, ann. mun. 2960. ſchol. 2.

Respha Saulis concubina, eam accipit ſibi Abner, Iboſetho indignante, an. mun. 2985. nu. 3. duo eius filij traditi à Dauide ad crucem, an. mun 3013. nu. 13. eius humanitas in cadauera filiorum, nu. 16. quandiu ſuſpenſa fuerint, ibid.

Restitvitvr Dauid regno ſuo, ann. m. 3010. num. 2. quo ordine ibid. quis idoneus eius modus, nu. 5.

Retractiones murorū templi, an. m. 3024. n. 15. 27. 28. vide *Vitruuium*, n. 34. Natura ſuperiora ædificiorum minuenda docet, ibid.

1 Rex non poteſt habere ſubditos in omnibus obſequentes, an. m. 2974. n. 21. 32. 33. Regem petunt Iſraëlitæ, an. m. 2962. n. 9. & ſeqq. & ann. 2963. nu. 64. & ſeqq. qua occaſione, nu. 68. inuide tamen & ingrate petunt, ann. m. 2963. nu. 17. cum iniuria Dei, num. 18. & 19.

2. *Regia* iura fuſius explicantur, an. m. 2962. nu. 33. 34. 36. & ſeqq. regis electio diuina, n. 39. Quomodo rex electus è Beniamin, n. 43. Regem inungere quorum eſſet, nu. 79. Regum Galliæ priuilegium, nu. 87.

3. *Regum* initiandorum ceremoniæ, an. m. 2962. n. 88. 89. 90. & an. m. 2963. n. 17. & 18. regibus datæ primitiæ, nu. 95. anni 2963. vide ſuprà *Primitiæ*. Regum authoritas, an. mun. 2962. nu. 106. ætas, an. m. 2963. n. 10.

4. *Regibus* fauſtæ acclamationes deferuntur, ann. m. 2963. num. 14. fœdus ineunt cum Deo & populo, nu. 19. mutua eorum officia, nu. 21. Regum patientia, diſſimulatio, manſuetudo, an. m. 2963. n. 25. per regem quaſi minus aliquod numen iuratur, nu. 63.

5. *Reges* patres populi, nu. 71. etiam mali tolerandi, tales enim patres toleramus, & Deum etiam punientem, etiam verbera infligentem non blaſphemamus, niſi forte inſanimus, & vinculis conſtringendi ſumus. Sic Dauid Saulem tulit, ann. mund. 2968. num. 52. & 53.

6. *Regiorum* virorum paucitas, ann. m. 2969. nu. 9. reges Dei vicarij 10. Regius ſpiritus quis eſſet, quamque multiplex, n. 45. qui maxime in Dauide ſe prodit, ibid. Reges non ſine munere adeundi, an. m. 2970. nu. 13. beneficium cum accipiunt, dare ſe putant, numer. 16.

7. *Reges* quaſi montes & columnæ ex Iobo, ann. mun. 2973. nu. 43. Reges antiqui multorum gregum poſſeſſores, nu. 107. A Rege acceptam iniuriam non licere ſubdito bello perſequi, an. m. 2974. num. 19. licere tamen ſe defendere ab inuadente, per ſe & alios, nu. 18.

8. *Regiæ* perſonæ debitam reuerentiam docuit Dauid ſtupendis exemplis, præſertim 1. Regum 24. 4. & ſeqq. & ca. 26. v. 9. vide & ann. mun. 2979. num. 121. duo ſimul reges apud Hebræos, & vterque legitimus, ann. mund. 2980. num. 1.

Regum conſilia non male interpretanda, an. m. 2985. nu. 21. & 22. Regis eligendi quæ rationes Iſraëlitis, ann. m. 2986. nu. 31. & 32. Reges male impunitatem dant criminibus, ann. m. 3022. nu. 20. & an. mun. 3009. nu. 9. è contrario debent Deum imitari, nu. 15. 9.

Regis regum titulus Salomoni attributus eſt, an. mun. 3033. nu. 25. & aliis regibus, ibid. & nominatim Perſarum & Ægyptiorū, ſchol. 3. vide *Princeps*, de virtutibus in regibus laudatiſſimis, vide Epiſt. ad Reg. in ipſo huius tomi aditu. 10.

Roboami filij Salomonis ortus, an. m. 3018. n. 1. & 3019. nu. 1. cum communi gaudio, ibid. Roboami inſipientia mœror patris, ann. m. 3057. nu. 10. An in eo cauſa diuiſionis regni, nu. 12.

Rogel fons prope Ieruſalem vbi latebant nuncij Dauidis, ann. mund. 3009. num. 72.

Rvbenitarvm bellum contra Agaræos ſibi vicinos quando videatur contigiſſe, ann. m. 2965. num. 10. Eorum ſocij, & copiæ, n. 11. cauſa belli, nu. 13. eiuſque iuſtitia, nu. 14. victoria, numer. 15. præda, & regio occupata, ibid.

Rvpicapræ, vide *Ibices*, ann. Saulis, 15. n. 7. qui eſt annus mundi, 2976.

S.

Sabæ regina quando Salomonem adierit, ann. mun. 3047. num. 1. Quæ fuerit. Ægyptiam putat Ioſephus, nu. 3. & ſeqq. vbi fuſius refutatur. Eius nomen, nu. 6. vbi regnarit, n. 10. An in Æthiopia, & quæ pro ea opinione faciant, nu. 10. aut potius in Arabia felice, n. 11. & 12. 1.

Sabæ reginæ quæ cauſa viæ, ann. mund. 3047. n. 19. vnde illi notus Salomon, nu. 20. Quid eſt veniſſe in nomine Domini, nu. 21. An putarit Salomonem eſſe Meſſiam, nu. 22. non eſſe id improbabile, num. 23. & 24. eius ad verum Deum conuerſio, nu. 25. 2.

Sabæ regina quo apparatu venerit Hieroſolymam, ann. mun. 3047. n. 26. quæ illic egerit, 27. Salomonem tentauit, 27. & 28. quænam fuerit admirata, nu. 28. 29. 30. quæ ipſius admiratio 31. laudat Salomonem, nume. 32. & Dei in ipſum magnificentiam, n. 33. & 34. 3.

Sabæ regina an ſuſceperit ex Salomone filium, ann. mun. 3047. nu. 36. Id non improbabile, nu. 37. contrarium probabilius, ibid. quandiu Hieroſolymis manſerit, nu. 40. eius diſceſſus, nu. 41. commercium literarum cum Salomone, nu. 42. 4.

Sabæorvm diuitiæ, an. mun. 3047. nu. 14. & 15.

Sacerdotes in Ephod lineo coram Saule trucidantur, an. mun. 2974. num. 33. & 34. quam barbare, ibid. quot numero, nu. 35. & 36. Sacerdotum & Leuitarum miniſteria à Dauide diſtributa, ann. mund. 3021. num. 13. vtro-

rumque circa eandem rem, diuerſum miniſterium,nu.21.& 22.

2. *Sacerdotum* prima diuiſio in Eleazaræos, & Ithamaritas,an.m.3021.n.24. illorum erant familiæ ſedecim,iſtorum,octo,ſicque factæ ſunt 24.vices,ibid. ſingulæ ſingulis hebdomadis in orbem miniſtrabant,nu.26.

3. *Sacerdotales* inter vices facta ſortitio, an.mund. 3021.n.26.quomodo facta,& quare, n.27. & 28.quæ diſtributio fructuum inter eos, nu. 28.quando inciperet eorum miniſterium,n. 29.vbi habitarent eo tempore,nu.30.& 31.

4. *Sacerdotes* tempore vicis & miniſterij ſui templo non egrediebantur, & quare, a.m.3021. nu.31.circa atrium Leuiticum, an.m.3025.n. 45.Eorum iuriſdictio,an.m.3022. nu.15.cui ius in eos,nu.16.regi ſubiectos in lege veteri, ſicut & laicos putat, Abulenſis,ibid.

5. *Sacerdotum* vices 24.numerantur.1.Paral.24.Sacerdos Dauid, quod officium,ann. mund. 3010.nu.60.

1. Sacrificium in reſtitutione Arcæ, vbi, quando,& à quibus factū,an.m.2940.n.56.& 57. Aquæ effuſio an ſacrificium, an.m.2960.n. 11.cur variis in locis ſacrificatum ſeorſim ab Arca,& Tabernaculo,ann.mund.2961.n.6.

2. *Sacrificia* materialiter conſiderata qualia, ann. mund.2968.n.44. An poſſint conferri obedientiæ virtuti, ibid. niſi fiant de re permiſſa,ſunt ſacrilegia, non ſacrificia,n.45.Sacrificio alij adſtant,alij participant, ann.mun. 2969.nu.14.

3. *Sacrificiorum* duo modi in tranſlatione arcæ,an. mun.2990.n.25.ſeruire Deo,idem quandoque quod ſacrificare,an.mund.3009. ſchol. 2.Sacrificia gratuita non offerenda, ann.m. 3017.nu.35. Sacrificio Dauidis Deus placatur,nu.37.emittit cœlitus ignem,ibid.

4. *Sacrificia* pacifica & holocauſta,ante Salomonis vnctionem,ann. mun.3021.n.70.quæ Ioſephus nimis amplificat, ibid.id eſt Sacrificia in comitiis populi ſub Salomonis & Sadoci conſecrationem.Inde ſub tempus impetratæ ſapientiæ mille hoſtias ſacrificat, a.m. 3022.24.

5. *Sacrificiorum* multitudo in dedicatione templi, ann.mund.3030.nu 38.videntur fuiſſe ſeptidui,num. 39. fundationis eorum à Salomone,num.43.

1. *Sadoc* pontifex promittitur,ann.m.2912.nu.14. & 15. An fuerit pontifex vna cum Abiathare,an.mund.2975.nu.2.non videri,nu.3 ſed tantum regnante Salomone, ibid. Præficitur à Saule Tabernaculo Gabaone, n.4.non fuiſſe ſimul duos pontifices,nu.5.

2. *Sadoc* venit ad Dauidem in Hebron, adhuc puer egregiæ indolis. 1.Par.12.28.rurſum ad eum fugientem Abſalonem,an.m.3009.nu. 25.remittitur in vrbem cum mandatis, nu. 26. eius filius mittitur ad Dauidem 2. Regum,17.16.17.

3. *Sadoc* ſtudet Salomoni, contra Adoniam, ann. mund.3020.num.15. cum eſſet Sacerdos,an & pontifex,num.33.& ſeqq. conſecratur in comitiis Salomonis in pontificem, ann. m. 3021.nu.71. & quibus ceremoniis, num. 72. num bis inunctus,ibid.& 73.74.

Sadoc à quo conſecratus videatur, ann.m.3021. 4. nu.73.74. Salomonem ſecundo inungit, n. 75.eius filius Azarias,an.mund 3022.nu.124. quod eius officium, ibid. Sadoci pontificis mors contigit ſub extrema Salomonis, an. m.3059.nu.25.

Salomon & eius fratres quo ordine geniti, ann. 1. m.2989.nu. 2. & ſeqq. an & quomodo vnigenitus,num.6.promittitur Dauidi,& eius caſtigatio,an.m.2990.nu 64.concipitur,an. m.2999. nu.28. non fuit minimus natu Dauidis,ſchol.4.

Salomon naſcitur,an.m.3000.num.2 natiuitatis tempus, & locus, nu.2.3. & 4.circa paſcha, 2. & Hieroſolymis,ibid. educatur magna cura,num.4.nominatur, nu.5.à quo, ibid.gemino nomine, nu.6. rurſum de eius educatione,an.mun.3001.nu.3. à lacte amouetur, an.mun.3002.n.14.

Salomon ingenioſus,& eius puerilis educatio,a. 3. mun. 3005.nu.22.& 23.qui pædagogus, ann. mun.3006.nu.6.videtur Nathan,nu.8.ducit vxorem,an.mun.3018.nu.1. Ammanitidem, Dauide conſcio,atque authore ibid.quamnam,quare,& quam feliciter,nu.1.& 2.

Salomon qui dicatur puer paruulus, cum iam 4. adoleuiſſet,an.mun.3018.nu.5. Ei debitum regnum electione diuina,an.m.3019.nu.10. & 11.& diſpoſitione paterna,ibid. eius modeſtia in ambitione Adoniæ, nu.12. in eum florentem, labentem & reſurgentem proluſio. 3020.1.2.

Salomonis res geſtæ primo eius anno,nu.3.& 11. 5. regnat viuo patre Dauide, nu.3. & regnum adminiſtrat,nu.4.& 5. probatur ex Scriptura & ratione, ibid. tum damnando tum abſoluendo fratrem regnum ambiētem, ibid.

Salomon non duodecimo, ſed vigeſimo primo 6. ætatis anno regnum capeſſit,a.m.3020.n.7. quam abſurda illa ſententia,n.8.irrita illius fundamenta,nu.10.explicantur patres, n.11. & 12. fautores eius vt rex fieret, num.15.& ſeqq.eius periculum,nu.25.

Salomon fit rex,an.m.3020. quibus ceremoniis, 7. n.32.omnium ordinum frequentia,ibid. Aſcendit mulā regiam,& deducitur in Gihon, n.37.ibiq; inūgitur. 38.& quomodo ib. excipitur oſculo ibid.fauſta comprecatio.n.39.

Salomonem regem ſalutantis populi clamores, 8. a.m.3020.n. 41 & 42. ſedet in throno regio, 43.eius diadema & corona 44. dat veniam Adoniæ,n.50.ſtudioſus ſapientiæ,n.51.quā do eam obtinuerit, nu.52.poſt mortem patris; ante autem, etiam naturali ſapientia præditus,nu.52.& 53.

Salomonis diuina electio ſicut & Dauidis, a. m. 9. 3021.n.50.Deo inſtar filij dilectus,nu.52.qui dicatur proijciendus in æternum,a.m.3021. n.54.& 55.electus ad templi fabricam, n.58. quî vnus dicatur,& tenellus,ibid.

Salomon ſecundo conſecratus in comitiis à Sadoce pōtifice, a.m.3021.n.75.& quare, ib.& 10. nu.76.arguit matrem nuptias Adoniæ procurantem, a.m.3022. n.10. quem morti addicit,n.11.an iniuſtè,nu.12. excuſatur, nu.13.

11. *Salomonis* in Abiatharem pontificem clementia, an. m. 3022. nu. 17. in Semei prudentia, vetantis hominem turbulentum vrbe exire ſub pœna capitis, num. 24. & 25. incenſum eius ſtudium in ſapientiam, nu. 28. tempus eius poſtulatæ, nume. 29.
12. *Salomon* petit ſapientiam in Gabaone, an. mun. 3022. nu. 30. ibi ſacrificat, nu. 34. & orat ante tabernaculum, expanſis manibus, palam, cum lacrymis petens ſapientiam, nu. 34. & 35. petentis oratio, nu. 36. & ſeqq. vbi & explicantur rationes impetrandi, n. 38. 39. 40.
13. *Salomoni* dormienti apparet Dominus, & qua forma, an. mund. 3022. num. 43. mutuum in ſomnis colloquium, nume. 44. 45. & 58. non petit vitam, neque diuitias, num. 48. neque gloriam vel honorem, nu. 49. neque vltionem de inimicis, nu. 50.
14. *Salomon* ſapientiamne vniuerſalem poſtularit, ann. mun. 3022. num. 54. videri particularem, nu. 55. & ſeqq. quem latè patuerit, 57. qualis fuerit, nu. 59. in ſpecie quam late patuerit, nu. 63. circa Grammaticam, & linguam Arabicam, ibid.
15. *Salomonis* Sapientia comprehendit præterea Poëſim, Eloquentiam, Hiſtoriam, Mathematicas, Phyſicam, omneſque illius partes, Moralem, Metaphyſicam, Theologiam, fidei myſteria, aliaque, de quibus vide ſuis locis. & quidem indelebiles accepit, & quare, ann. mun. 3022. nu. 100.
16. *Salomon* euigilat, an. m. 3022. nu. 101. an vere petierit Sapientiam, ibid. an potius ſibi viſus ſit petere, vt dormientibus vſuuenit, nume. 101. eius gratus animus, nu. 103. datæ ſapientiæ experimentum in duabus mulieribus, nu. 104.
17. *Salomonis* iudicium de mulieribus quādo contigerit, an. mun. 3022. nu. 104. quales fuerint hæ mulieres, nu. 105. veritatem elicit, num. 109. & pro vera matre pronnuciat, num. 110. populo admirante, num. 111. fuiſſe mirabile iudicium probatur ex patribus, 112.
18. *Salomonis* annona, an. mun. 3022. n. 129. & ſeqq. Generi eius, n. 131. regni termini, 132. literæ eius ad Vaphrem, & Hiromum, & eorum ad Salomonem, n. 135. & ſeqq. ædificanti ipſi à Deo nuncius, ann. m. 3025. nu. 6. An Ahias Silonites, & cur, & quo tempore, nu. 7.
19. *Salomonis* porticus, an. mun. 3025. num. 15. Salomonis & Ezechielis idem altare, nu. 56. Suggeſtus in templo 75. & 3030. nume. 28. & 29. eius oratio in dedicatione, & geſtus orantis, nu. 29. orationis ſumma, capita. n. 30. 31. 32. & ſeqq.
20. *Salomon* ab oratione benedicit populo, ann. m. 3030. nume. 34. fundauit diuerſa ſacrificia in diuerſos feſtos dies, nu. 43. incipit ædificare ædes regias, nu. 44. quæ ædificandi cauſa, nu. 45. quæ materia & forma ædium, num. 46. vbi conſtructæ, nu. 50.
21. *Salomon* quam prudenter locum elegerit in Sione è regione templi, ad conſtructionem ædium regiarum, ann. m. 3030. nu. 50. & 51. Incipit ædificatio, ann. m. 3031. nu. 1. & ſeqq. vide *Aedes* & *Domus*.
Salomonis aurum annuum, an. mun. 3033. num. 19. alij reditus, nu. 20. gloria eius opibus & ſapientia nixa, nu. 23. & 24. admirationi eſt omnibus principibus & populis, nume. 24. adeo vt rex magnus, & rex regum diceretur, ibid. cum Deus in altum extulit, 26. 22.
Salomon multas ducit vxores, ann. mun. 3033. n. 27. ei apparet Dominus, an. mund. 3042. n. 1. & 2. vbi, quando, quomodo, num. 3. ſumma viſionis capita, nu. 4. quomodo dederit Hiramo ciuitates, aut ab eo acceperit, a. mun. 3043. nu. 3. & ſeqq. & nu. 8. 23.
Salomon ædificat muros Ieruſalem, ann. mund. 3043. nu. 9. & ſeqq. vias publicas curat, nu. 17. & interiora vrbis, 18. Eius expeditio contra Emath, quam ſubiugauit, an. mun. 3044. nu. 3. & ſchol. 2. aliæ ciuitates ab eo munitæ, nu. 6. 24.
Salomonis profectio in Libanum, ann. m. 3044. nu. 5. currus eiuſdem, nu. 7. eorum numerus, ſicut & equitum ambiguus, nume. 7. & ſeqq. adit Aſiongaber, nu. 20. & 21. an & Ægyptum, nu. 24. ſoluit omnia dubia Reginæ Sabæ, an. mun. 3047. nu. 28. 25.
Salomonis ruinæ initia, ann. mund. 3048. nu. 1. & 2. ex ſuperbia, & libidine, ibid. ex quibus idolorum cultus, num. 3. reprehenditur dupliciter in amore mulierum, numer. 4. an & in connubio Ægyptiæ, numer. 5. an cæteræ ipſius vxores ad fidem conuerſæ, numer. 6. 26.
Salomonis amor ardentior, ann. mund. 3048. nu mer. 7. & quibus de cauſis, ibid. peccat in vxorum multitudine, num. 8. & ſeqq. profundit opes in mulieres, an. mund. 3050. nu. 1. 2. & 3. tributis populum vexat, an. mund. 3052. nu. 1. 2. 27.
Salomonis vita perdita, ann. mund. 3053. numer. 1. & 26. labitur in idololatriam, nume. 3. cuius maxime opera, nume. 4. Sidoniæ, an Ægyptiæ, numer. 5. quomodo vere hoc tempore eſſet ſenex, numer. 7. an idola animo coluerit, nu. 8. & ſeqq. ita videri, nu. 8. & 11. 28.
Salomon idolis vxorum ſuarum templa, & ſtatuas erexit, ann. mund. 3055. numer. 12. & 13. quot erexerit templa, videri ſex, nu. 16. & 17. nullum tamen Hieroſolymis, ſed circa montem Oliueti, numer. 18. & 19. Quæ coluerit, 20. an eis etiam filios cõſecrarit, n. 21. 29.
Salomon an Magiæ diabolicæ deditus, an. mun. 3053. nu. 22. an exutus regno, & traditus Satanæ, nu. 24. fuiſſe multis maleficiis implicatum, nu. 25. eius ſtatus deplorandus, nu. 26. amiſit ſapientiam 27. quamque id congruè, ac merito, nu. 29. 30.
Salomon redditur ſtolidus, an. mund. 3053. etiam veneficiis, nu. 30. fit infamis domi, foriſque, nu. 31. & fruſtra monetur à ſuis, 32. An ex authorari potuerit à populo ſuo, nu. 33. non potuiſſe, ibid. an propter idololatriam, nu. 34. non potuiſſe, ibid. 31.
Salomonis ingratitudo, an. m. 3057. nu. 37. animi eius tædium ac mœror, n. 8. & 9. ex ipſi ſapientia Roboami, nu. 10. & imminente diuiſione regni, nu. 11. cur Ieroboamum occidere voluerit, nu. 37. an & Prophetam Ahiam ſit perſecutus, nu. 40. 32.

33. *Salomonis* pœnitentia an rectè aſſeri poſſit, ann. m.3058.n.3.authores in ea re ambigui,n.3.4. 5.7.Qui periiſſe putent, nu.6. quæ pro aſſerenda damnatione faciant,num.8. & 9. Eius ſalutis patroni, nu. 10.11. vſque ad 17.rationes pro ea,nu.19.20.ad 25.

34. *Salomonis* ſalus concluditur,an.m.3058.nu.25.& deinceps ſatisfit obiectis. quibus peccatoribus aggregandus,num.27. An &cur idola non diruerit,nu.28.& 36.videtur reuera diruiſſe,nu.37.

35. *Salomon* quandiu regnarit, & vixerit, an.mun. 3059.n.1.& 2. perſeuerat pœnitentiã agens, n.3.ſibi ſepulchrum parat, n.4. in diuorum numero habitus eſt ab Hebræis,ib. ex Dione,denique mœrore & ærumnis confectus moritur,nu.7.

36. *Salomonis* mortui elogia ex Scriptura, & Ioſepho,an.m.3059.n.8.quæ forma corporis, n. 9.eius laus, nu. 10. comparatur in pleriſque Chriſto Domino,num.11.& ſeqq. ad 22.eius Epitaphium,num.23.& 24.

SALTATIO Dauidis corã arca defenditur, a.m. 2990.n. 38. Etiam Romanis honorata religioſa ſaltatio,ibid.vide & ſchol.4.

SALTVS Hareth in quo moratur Dauid,an.m. 2974.n.13.inde euocatur Ceilam.nu.39.Saltus *Ephræm*,vide *Ephrem*,& ita de cæt.

SAMAOTH princeps quintæ turmæ militaris Dauidis,an.mund.2980.nume.8.

1. SAMVEL propheta cur regibus adiungatur,an. m. 2900.n.9. & 10. hoc anno concipitur, n. 18.& 19.& 36. Nazaræus & vini abſtinens ex matris voto, nu.24. an eo Samuel obligari potuerit,num.25. non niſi id ratum habuiſſet poſtea Samuel,ibid.

2. *Samuelis* ortus,& ratio nominis eius,ann.mun. 2901.n.1. cur non delatus in Siluntem quadrageſimo die,nu.3.lactatur à matre, 2902 n.1.& ſeqq. Ablactatur 3. ætatis anno 2903. nu.3.eodemque offertur Deo in Silo, n.4.5. 6.& quod pro eo ſacrificium,n.5.& ſeqq.

3. *Samuelis* quis puerilis veſtitus,a.m.2903.ſchol. 2.initia miniſterij eius, an.m.2907.n.1.qualia eſſent,quique eius mores,n.2.,atque indoles, nu.3.num promiſſus Samuel à propheta qui arguebat Heli,ann.m.2912.nu.14. non videri,ibid.

4. *Samuel* origine Sacerdos non fuit,ann.m.2912. n.14 & an.2940.n.7. Dici tamen poteſt extraordinarius ſacerdos,cum ita à pleriſque patribus appellatus ſit, n.6.7.& 8.vide ann. 2950.n.19.& a.m.1962.n.54.& 2977. nu.12.

5. *Samuel* prophetare incipit anno ætatis decimo tertio,an.m.2913.nu.1.& 2 & vbinam nu.6. ſemel, iterumque à Deo vocatur,nu.7.nulla ei ſpecie apparente,numer.8.Egregia eius obedientia,num.9.eiuſdem variæ deinceps prophetiæ,an.mund.2926.nu.1.

6. *Samuel* ducit vxorem , ſuſcipitq; ex ea mature liberos,an. m. 2926.nu.1.& ratio temporis, ibid.& an.m.2940.nu. 4. clareſcit vaticiniis in Silo,a.m.293:.n.2.& 3.eius anni iungun tur annis Saulis,a.m.2939.n.1.& 2940.nu.3.

7. *Samuel* idoneus ad principatum, ann.m. 2940. nu.4.Eligitur ac ſufficitur Heli iudici,nu.5. & 13.an & pontificii nu.6.non videri, nu.8. populi in Samuele fiducia, nu.11. populum excolit,an. mun. 2947.nu.1.& 2.

Samuel an iudex eſſe inceperit , anno arcæ in Cariathiarim vigeſimo,an.m. 2960. num.1. exhortatio eius ad populum , n.6. vbi habita,n.7. quo fructu,nu.8.ſublatæ ſcilicet idololatriæ,ibid. Iudicem agit in populo, nu. 12.ac ſeqq. 8.

Samuel orat ac ſacrificat pro populo , ann. m. 2960.nu.19.& quo iure,ibid.& quo fructu, 21.pacem obtinet, & recipit amiſſas ciuitates,num.26.& 27.& multis cladibus afflixit Philiſthæos,ibid.& ann. mund.2961.num.1. & 2. 9.

Samuelis filij Iudices,an.mund.2960.nume. 28. quando inſtituti,ibid.à patre, nu.29.& ann. 2961.numer. 3.videntur biennio Remp. ſub patre rexiſſe,ann.mund.2960.n.28.Ipſe interim populum regit & viſitat annuatim,a. m.2961.n.3.& 4. 10.

Samuel habitat in Ramatha, an. mun. 2961.nu. 5.ibique ſacrificat, nu.5. & 6. filij eius declinant à via recta, nu. 7. & 8. quæ in ipſis arguantur,ibid.& an.mun.2962. nu.15.obiurganter à patre,ibidem. 11.

Samuelis & Saulis anni coniunguntur,an.mun. 2962.num.2.& 3.ſunt autem omnino 40. & qui ita ſentiant,ibid.& ſeqq.Eum cum filiis pene exauthorant, n.16. Ei diſplicet peti regem à populo,nu.21.& 22.eius nihilominus modeſtia,n.23. 12.

Samuel Deum conſulit ſuper petitione regis, ann.mun 2962.nu.24.eius reſponſio 25.laus Samuelis,n.49.cur Videns ſiue propheta,n. 53 eius excelſum,nu.55. ei Saulis aduentum Dominus reuelat,nu.58.& 62. Cui caſu occurrit,ibid. 13.

Samuelis occurſus explicatur,an.mun.2962.nu. 63.vocat Saulem ad conuiuium, n.64.quod ipſe parauerat ciuibus,ibid.& nu.68.numerus conuiuarum, n.69. reuelat Sauli ipſum regem fore an.mund.2962.nu.65.& 66. 14.

Samuel Saulem in conuiuio honorat, & famulum eius propter eum,an.m.1962. num.68. eum domi ſuæ hoſpitio excipit,num.73.dat illi tria ſigna,nu.92.& ſeqq. Inſtitutor religioſorum conuentuum , ann. mund. 2962. nu.101. 15.

Samuel indicit regni comitia,an. m.2962.num. 116.an ſcriptor fuerit libri regum. ſchol. 8. conſulit Dominum in comitiis ob Saulis abſentiam,an.mun.2963.nu.12. qui eum reuelat, nu.13. Samuel intereſt bello Ammonitico,nu.39. 16.

Samuel renouat comitia in Galgalis , a.m.2963. nu.54.ibique iterata omnia quæ ad conſtituendum regem erant neceſſaria, nu. 55.& 56.Quæ cauſæ ex parte Samuelis,nume.57. coram rege & populo innocentiæ ſuæ teſtimonium petit,nu.57.& 60.& ſeqq. 17.

Samuel à populo teſtimonium accipit innocentiæ ſuæ,an.m. 2963.nu.62.& 63. Eius in comitiis oratio, nu. 58. Samuelis filii,nu.59. opportune populum reprehendit ob petitũ regem,n.64.& ſeqq.& conſolatur,n.69. 18.

19. *Samuel* confirmat prodigio orationem ſuam, a.m.2963.n.71.& populum terret,n.75.promittit ei diuinum auxilium, n.77.& preces ſuas,quas ille petierat,n.78.

20. *Samuel* præſtituto tempore venit in Galgala,& Saulem obiurgat, an.m.2964.n.23.& 24.arguit Saulem ſtultitiæ,n.25.aſcendit cum eo in Gabaa, n.35.& 36. Enucleatur peccatum Saulis in præda Amalecitana,an.m.2968.n.24.vbi,& quando,ibid.

21. *Samuelis* triſtitia pro Saule præuaricatore, & clamor ad Deum,an.m.2968.n.30.& 31.eius in regem veneratio,aut ſeueritas,nu.38.occurſus,n.36. & ſchol.4. vnde illi authoritas, n.38.accuſat regem, n.40.eius communionem auerſatur,n.61.

22. *Samuel* retinetur à Saule cum ſciſſura pallij,an.m.2968.n.62.interficit Agag,an per ſeipſum n.69.Samuel abit à Saule,& ſe luctui dedit, n.70. ignarus definitiuæ ſententiæ Dei,nu.71.& 72. quam diuturnus fuerit luctus, nu.73.

23. *Samuelis* luctus & preces pro Saule, a.m.2969. nu.2.3.4.5. & 6. iubetur à Deo ceſſare à luctu,nu.6.mittitur ad vngendum Dauidem, n.7.timet ſibi & futuro regi, num.10.quem nondum cognoſcebat,n.12.& quare,ibid.

24. *Samuel* excipitur à Bethlehemitis cum veneratione,& timore, a.m.2969.n.13.eius ad Iſai, & filios eius ex probabilitate oratio,n.15.& ſeqq.vngit Dauidem,num.39.& monitis inſtruit, n. 40.redit in patriam,nec vltra Saulem adit,n.50.

25. *Samuel* excipit Dauidem ex fuga, an.m.2973.n.28.qui Saulem plangit,& Dauidem conſolatur,num.29.& 30. abit cum eo in Naioth, num.31. vbi inſtituebat iuuentutem, num.31.

26. *Samuelis* mors quando contigerit,a.m.2977.n.1.biennio ante Saulem,nu.2.& ſchol.1. & 2. qua ætate ſua, n.3. quæ mortis cauſa videatur, n. 4.5.&c. eius multiplex ac diuturnus mœror,ibid.moritur,n.6.

27. *Samuelis* ſepultura,& funus,a.mund.2977.n.7. quantus quamque iuſtus omnium ordinum pro eo luctus, n.7.8.9. Quot & quantis rebus typus Chriſti fuerit,an.m.2977.n.10.& ſeqq.eius lipſanorum tranſlatio,n.17. & 18.

28. *Samuelis* templum & epitaphium,a.m.2977.n.18.& 19. eius mors cur à Scriptura iteratur, an.m.2979.n.36. nihil Sauli ſciſcitanti viuus reſpondiſſet, n.36. ſicque is nihilominus Pythoniſſam adiiſſet,n.37.

29. *Samuel* non reuixit opera Pythoniſſæ,a.mund.2979. n. 75. ſed eius anima vere excitata ab inferis, nu 76. probatur ex Scriptura & patribus, nu.77.78.79.& 80. non tamen arte magica, n.81.& 82. ex Tertul. Theod. Auguſt.

30. *Samuelis* animæ quidam phantaſma ſubſtitutum putant, an.m.2979.n.82.excitatam veram animam, diuina virtute, & quomodo, n.83.probatur ex patribus,num.83. 84.& 85. nec Deus propterea ſeruit magiæ, numer.36.

Samuel quomodo, iuxta Hebræos apparuerit vt agnoſceretur à Pythoniſſa,an.m.2979.n.87.an ſolus veniret,ibid. Agnoſcitur à Saule,nec videtur,num.88. Adoratur,ibid.eius quies, n.89. cur Deus permittat eum Sauli reſpondere n.89. 31.

Samuel obiurgat Saulem,a.m.2979.n.91.& quomodo ad deſperationem inducat, n.92.Denunciat Sauli cladem in proximum diem, n 93.eius ab eo digreſſio,n.94. 32.

SANCTA ſecunda templi pars,oraculo, proxima,eiuſque nomina,a.m.3024.n.11.eius gemini parietes cum interioribus cubiculis, n.12. & 13. In Sancto erat altare thymiamatis,&c.n.91.quomodo diuiſum ab oraculo, nu.22. 1.

Sanctum ſanctorum,quod & oraculum,& alia eius nomina, an.m. 3024.n.21. vt diuiſum à Sancto,nu.22.eius menſuræ, ibid.porta interiecti parietis quanta,n.22.fornix oraculi,10.cubitorum, nu.23.luminibus & feneſtris caruit,n.24. 2.

Sancti ſanct. ornamenta, an.m.3024.nu.45.parietes eius tecti laminis aureis,ibidem.quas quaternas aurei claui connectebant, n.46. Oraculi murus qui ornatus,n.57.in eo erãt vrna cum manna,virga Aaronis, Arca,& liber Moſis,n.90. An & thuribulum?ibid. 3.

SANCTIFICARI in aliquo quid ſit,a.mun.2973. ſchol.13.

SANCTVARIVM & Arca fœderis in Silo manſit annis 350.an.m.2939.n.1 Sanctuarium & altare Dauidicum in Hebron, an.m.2986.n.33.& poſtea in Sionis arce, a.m.2990.n.5.6. & ſeqq.

SANGVINIS effuſio an reddiderit Dauidem ædificando templo inhabilem,an.m.2990.n.56.

SAPIENTIAM quando acquiſierit Salomon, a.m.3022.n.27. eius neceſſitas, n.41. & difficultas,n.42.Sapientia vniuerſalis, & particularis, n.54.& 55. Salomonis ſapientia fuit receptio multorum habituum diuinitus infuſorum,n.59. 1.

Sapientia infuſa qualis fuit Salomonis, quantum differret ab acquiſita propria induſtria,a.m.3022.n.59.quomodo à Prophetica, & angelica cognitione, nu.59.& 60.an cum Chriſti, aut B. Virginis ſapientia conferri potuerit,ibid.aut Adami,n.62. 2.

SAPIENTIA Salomonis indelebilis, & quare,a.m.3022.n.100.

SARAIAS Scriba Dauidis,a.m.2995.n.7.

SARRITÆ,vide *Saritæ*,a.m.2979.ſchol.2.

SATISFACTIO requiſita iure naturæ, eiuſque lumine cognita,a.m.2940.n.42.& 44.

SATYRÆ non ignotæ Salomoni, a. m.3022.n.69.

SATVRNVS idem putatur cum Melchon, a.m.2999.n.36.eius ſtatua,ibid.

SAVLIS ætas cum arca tranſlata eſt in Cariathiarim, a.m. 2940.n.76. eius filij quatuor, ibid. eius anni regni iunguntur annis Samuelis,a.m.2962.n.2.& 3. regnauit octodecim annis,non duobus tantum, n.6. & 7.& ſchol.1. 1.

2. *Saul* regnare cœpit, an.23. Samuelis, a.m.2962. eius tribus, & genus, n.43. & 44. familiæ tabella, num.44. & an. Saulis, 4.n.16. eius præſtantia, & virtus, n.45.46. 47. animi demiſſio, n.46. qua occaſione adierit Samuelem, n.48. & 49.

3. *Saulis* aduentus reuelatur pridie Samueli, an. m.2962.n.58. & 59. eius ſomnium de regno ex Rabbinis, nu.64. miratur ſibi promitti regnum, num.67. Dormit in ſolario, num. 74. & 75. edocetur à Samuele de regni adminiſtratione, n.75.

4. *Saul* dimittitur à Samuele, an.mun.2962.num. 76. mox inungendus, inſcio famulo, num. 77. & quare, ibidem. cur ſecreto inunctus à Samuele, numero. 78. & 79. cæremoniæ regum initiandorum, an in eo obſeruatæ, num. 90. quibus verbis conſecratus, nu.91.

5. *Saul* ſigna de futuro ſuo regno accipit, ann. mund.2962.num. 92. & ſequentib. & num. 106. an proprie propheta, num.102. an potius diuinarum laudum præco, num. 103. quî mutatus dicatur in virum alterum, ibid. & nu. 109. vbi duplex immutatio traditur.

6. *Sauli* ſpiritus propheticus per modum tranſeuntis datus, ann. mund. 2962. num. 102. 104. & 105. quid per vnctionem adeptus, num.110. Ei mandatur deſcenſus in Galgala, & quare, num.107. & 108. eum prophetantem populus admiratur, num.103. & 110.

7. *Saul* venit in excelſum orandi cauſa, an.mund. 2962. num. 112. venit domum, agit cum patruo Ner. num.113. nec ſecretum regni prodit, num.114. & quare, num. 115. Saulis ætas cum electus eſt rex, ann.mund.2963.nu.10. eius modeſtia, ibidem. abeſt à comitiis, nu. 11.

8. *Saulis* altera inunctio probatur, ann. mund. 2963 num.17. & cæteræ ceremoniæ, num. 17. & 18. ſacrificia, epulæ, fœdus, num. 19. Redit domum pene ad priuatam vitam, n.22.37. & 38. & contemnitur à quibuſdam, nu.22. & 23. non à maiore parte populi, nu. 24.

9. *Saulis* prudentia in diſſimulando, an. m. 2963. nu.25. & clementia, ibid. & ſchol.2. In Ammonitas bellum parat, nu.39. Dei ſpiritu & ira repletur, ibid. & ſuos conuocat pœna propoſita, nu. 39. conueniunt, n.40. & quo numero, ibid.

10. *Saul* adit cum exercitu Ammonitas, a.m.2963. copiaſque diuidit, num.43. hoſtem inuadit, pugnat, vincit, n.44. vaſtat regionem, nu.51. hic contemptores Saulis depoſcuntur ad pœnam, n.52. Saule clementer repugnante, ibid.

11. *Saul* tertio inungitur, cæteraque in Galgalis circa ipſum fiunt, a.m.2963.n.55. & 56. regni eius duo primi anni quales, a.m.2964.nu.1. & 2. non regnaſſe tantum biennio, n.5. vide etiam, a.2977. obtinet à populo præſidium, nu.6. & ſequent. fuſe, quod diuidit inter ſe & filium, n.11.

Saul expectat Samuelem in Galgalis ſeptiduo, ann.mund.2964. num. 18. eius patientia & longanimitas inſignis, ibid. An ſacrificauerit, nu.19. non videri, num.20.21. & 22. Occurrit Samueli, & quare, n. 23. obiurgatur à propheta, at ille excuſat multiplicem neceſſitatem, ibid. 12.

Saulis regnum quomodo ſtabilitum iri dicitur, ann.mund.2964.num.26. & 29. prædicitur amittendum, num.27. tota vita rex legitimus fuit, ibidem. & num.33. Hæc prima eius culpa non fuit integra cauſa abdicationis eius, num. 31. ſed Amalecitana indulgentia. Antitheſis vtriuſque culpæ, n. 32. 13.

Saulis caſum Balaam prædixit, an.m.2964.n.33. Sauli innoteſcit clades Philiſthæorum à filio, nu. 70. conſulit Dominum, nec accipit reſponſum, n.71. & 72. accurrit ad prælium, nu.73. & pugnat cum ſuis, ibid. augetur copiis, n.74. 14.

Saul iubet cum execratione ſuos ſine cibo perſequi Philiſthæos, a.mund.2964.n.78. an cum culpa, n.79. & qui ita ſentiant, n.80. & ſeqq. iuſtum fuiſſe mandatum probatur, n. 82. & 83. nec fuiſſe cauſam peccati populo, n.84. 15.

Saul an cum culpa Ionatham occidere voluerit, a.m.2964.n.85. eius zelus laudatiſſimus, num.86. Ædificat altare Domino, num.100. optat perſequi hoſtem, n.101. conſulit Dominum, n.103. nec reſponſum accipit, num. 104. congregat populum, vt deprehendatur cauſa ſilentii, n.106. 16.

Saul imprudenter iurat, a.mund.2964.n.107. & 108. orat Deum pro ſortitione, n.112. morti filium addicit, n. 116. non recte, ibid. multa Saulis geſta compendio traduntur, a.mun. 2965.num.1. & 2. & quare, num.3. eius regnum deuictis hoſtibus confirmatur, nu. 4. 17.

Saulis bellum contra Moabitas, an.m.2965.n.5. & Ammonitas, n. 6. an idem cum ſuperiore, ibid. contra Idumæos, n.7. quatenus hęc bella eſſent à Deo prohibita, ibid. contra Syros, n.8 contra Philiſthæos, n.9. & Amalecitas, ibid. 18.

Sauli diuinitus bellum mandatur contra Amalecitas, a.m.2968.n.2. qui id parat, n.10. eius copiæ, ibid. inſidiis agit, nu.13. vaſtat regionem, n.16. & 17. ſeruat regem Agag ex importuna miſericordia, num.19. conſeruat & ſpolia, & animalia, n.20. & 21. 19.

Saul ex auaritia, non ſtudio ſacrificandi optima quæque conſeruat, a.m.2968.num.21. & 22. dum vilia tantum diſperdit, etiam obediendo peccat, n.22. & 40. redit in patriam & per Carmelum tranſiens venit in Galgala, n.23. 20.

Saulis peccatum Samueli reuelatur, a.m.2968. num.24. eius reprobatio ſtupenda, n.25.30. & 31. an peccarit erigendo fornicem triumphalem, num.33. & 34. excuſat culpam apud Samuelem, n.36. & 37. & auget negando, n. 41. & 42. 21.

Saul peccauit ſacrificando, a.mund.2968.n.45. 22.

quam culpabilis eius inobedientia, nu.48. congrua eius pœna, n.49. amiſit ius regni, n.50. non poſſeſſionem, n.51. nec tenebatur ſe eo ſpoliare, ibid. conueniens fuit retineri ab eo poſſeſſionem, n.52.& 53.

23. *Saul* cur poſt diuinam reprobationem toleratus,& alii mali principes, a.m.2968.n.53. fit quaſi regni procurator, n.54.64.& 65. quantam omnino iacturam nunc Saul fecerit,& ſibi & ſuis, n.55. factus inuidus, imbellis, arreptitius, ibid.

24. *Saul* culpam admiſſam agnoſcit, ann. mund. 2968. nu. 56. an iuſtus eius à populo timor, num. 57. humanis rationibus mouetur ad culpam fatendam, num.58.& 67. vide etiam an.mund.2999.num.13. vrget Samuelem, vt honoretur apud ſeniores, an.m.2968.num. 67.

25. *Saul* deſeritur à ſpiritu Domini, an.m.2969.nu. 51.& inuaditur à malo ſpiritu, ibidem. An is eſſet melancholia, n.52. an potius dæmon, & qui ita ſentiant, n.53.54.& 55. eius malum non tam cito agnitum, aut confeſſum, nu. 56.

26. *Saulis* malum agnoſcitur, an.mund.2970.nu.1. eique proponitur pſaltæ remedium, nu.2. ſapiens & vtile remedium, n.3. acceptatur à Saule, n.5. Is de Dauide monetur, nu.6. an à Doëgo, ibidem. non videri, nu.7. euocatur Dauid à Saule, num. 12. venientem beneuole excipit, n.14. & retinet ad tempus, n. 15.

27. *Saulis* & Hebræorum metus à Goliatho, an.m. 2971.nu. 12. & 13. eius edictum vtile & glorioſum, num.13. permittit Dauidi ſingulare certamen, nu.28. eumque prudenter armat, ibidem. nec peccat permittendo hoc certamen, n.30.& 32.

28. *Saul* pluribus de cauſis ignorauit Dauidem certantem cum Goliatho, ann.mund.2971. n.41. & præſertim, n.44. eius ira iuſta, ſed in mulieres, non in Dauidem, n. 64.65.& 66. cur in eas non iratus, n.66. imprudenter Dauidi infenſus, num. 67. prodit dolorem ſuum, n.69.

29. *Saul* inſanire cœpit vt arreptitius, a.m.2971.n. 70. lanceam in Dauidem primò intorquet, n.71. ſciens & volens,& cur in inſania, ibid. intorquet iterum, n.72. intorquet tertio, a. m. 2973.n.14.

30. *Saulis* odij in Dauidem ordo,& modus, an. m. 2972.n.2.& ſeqq. ſtatuit eum perdere aliena manu, quamque id callidè, n.4. Tribunum creat malo animo, n.5.& 6. malo item Merobem filiam ſpondet, n.7. & Micholem, n. 12.

31. *Saul* Dauidi iniuſtiſſime fidem frangit, an. m. 2972.n.9. promiſſa, nec data Merobe, ibid. Promittit Micholem, ſub conditione centum præputiorum, n.15.17.& 19. cur petierit præputia, n.19. poſt eas nuptias magis timet Dauidem, n.23.

32. *Saul* miſere cruciatur inuidia, an. mund.2973. nu. 1. quæ erumpit foras, nu. 2. Ignorabat adhuc fœdus à Ionatha cum Dauide initum, nu.3.& 6. vult filium & filiam adminiſtros cædis Dauidis, nu.3. placatur à filio,& iurat ſe non occiſurum Dauidem. An peierarit, n.7.

Saulis recrudeſcit liuor, a.m.2973.n.11. rurſum à dæmone corripitur ob inuidiam, nu. 12. lanceam tertiò mittit in Dauidem, n.14. iubet obſideri Dauidis domum nocte,& mane interfici, n.16. ſed à filia ſua deluditur, n. 22.& 23. 33.

Saulis nuncij apud Samuelem prophetant, an. m.2973.nu.34.& ipſe quoque, n.36.& 37. citius cæteris ac vehementius, ibid. nudauit ſe, an omni veſtitu, an regio tantum, 38. ibi tota die iacuit, cecinitque, n.40.& quid ea ratione figuraret, ſchol.5. 34.

Saul mox reconciliatur iterum Dauidi, opera Ionathæ, a.m.2973.nu.43.& 44. redit ad ingenium, nu.45. infelix eius vita ob inuidia, mœrore,& metu, nu.46. itaque Dauidem iterum morti deſtinat, ibid. iraſcitur in Ionatham,& lanceam intentat,& contumeliis afficit, n.78.& 81. 35.

Saul contendit apud Ionatham Dauidem neceſſario occidendum, a.m.2973.n.79. vexat familiam Dauidis,& ad fugam compellit, n. 126. & 127. Diſcit Dauidis reditum in ſaltum Hareth, an.m.2974.n.14. eius querela apud ſuos, n.15. quæ deinceps expenditur, n. 16 17.&c. 36.

Saulis querela de coniuratione ſuorum contra ſe, iniuſta oſtenditur, an.m.2974.n.20.& 21. An ſciuerit fœdus Dauidis & Ionathæ, n.22. accuſat pontificem, nu.27.& 28. quam male,& peius condemnat ad mortem, n.31. & quam iniuſte, ibid. præpoſtere miſericors & crudelis, n.35. 37.

Saul nouas in Dauidem turbas concitat, a. m. 2974. n. 48. quam inconſultus,& ingratus in Dauidem, nu.49.& 50. Deum ſibi fauere putat contra Dauidem, contra quem copias diſſimulanter cogit, nu. 51. & mox cognita eius fuga exire diſſimulat, n.57. 38.

Saul cur non fuerit iratus in Ceilanos qui ope Dauidis vſi fuerant, an.m.2974. n. 57. non ceſſat perſequi Dauidem, a.m.2975.n.8. ratione eius caligante, n.13. Eum quærit in deſerto Ziph, nu.11. vnde conijceret eum regem fore, n.13.& a.m.2976.n.31.& 32. 39.

Saul cum Ziphæis Dauidem perſequitur, a.m. 2975.n.18. Dum illum maxime comprehenſurus videbatur, trepido nuncio reuocatur, n.22. & 23. quod mirum eſt à Saule factum fuiſſe, nu.23. quomodo id factum fuerit, nu. 24. 40.

Saul re bene geſta contra Philiſthæos redit ad Dauidem, an. Saulis 14.n.26. qui eſt mundi, 2975. Inquirit Dauidem in Engaddi, an. mun.2976.nu.6.& ſuper abruptiſſimas petras, nu 6.& 7. ſubit Dauidis ſpeluncam imprudens, num.9. nec aduertit abſconditos, ibidem. 41.

Saul lachrymatur ad iuſtiſſimam Dauidis querelam, a.m. 2976.n.26. quam ingratus in illum, n.27. quod fatetur ipſemet, 28. eiuſdem inconſtantia,& imprudentia, nu.30.& 31.& culpæ in Dauidem, ibidem. vnde noſſet 42.

Dauidem regnaturum,n.32.

43. *Saul* Dauidi commendat ſuos, & exigit ab eo iuſiurandum,a.m.2976.n.33.Redit ad ingenium,a.m.2978.n.2.quam imprudenter, n.3.nec cohibet Ziphæos,nu.3.ſed exit contra Dauidem,n.4.qui eum dormientem deprehendit,n.14.

44. *Saul* agnoſcit Dauidis vocem, nouumque beneficium, an.m.2978.n.20.& culpam ſuam fatetur,n.25.vexat Gabaonitas, a.m.2979.n.23.24.&c. multo eſt criminoſior Dauide,n.32.& 33.eius culpa in Amalecitano bello, n.34.

45. *Saulis* ſollicitudo in Philiſthæo bello,a.mund.2979.n.36.quid ſingulis diebus geſtum, nu.38.& ſeqq.eius copiæ,nu.43.expaueſcit viſis hoſtilibus copiis,n.54.& quare,ibid.recurrit ad Deum, nec exauditur,num.55.& 62. quomodo conſuluerit,n.56.

46. *Saul* adit Pythoniſſam, deſperato diuino reſponſo,a.m.2979.n.65.& quando,n.66.cur mutato habitu,nu.70.nocte,& ieiunus,nu.71.eam alloquitur,n.71.& iureiurando maſe confirmat,nu.74. neque eo poſtea tenebatur,ibid.

47. *Saul* maleficos eraſit è terra,a.mun.2979.n.72. quando,& quo fructu, nu.73.an malo fine, ibid petit euocari Samuelem,n.74.putauit id fieri poſſe,n.71. Eum agnoſcit,& adorat, nec videt,nu.88.amborum colloquium,nu.90.obiurgatur à Propheta,ibid.

48. *Saulis* derelicti cauſa,an.m.2979.n.91.an futurus eſſet à morte cum Samuele, nu.93.eius deſperatio,n.92.& 93.animo linquitur,audito Propheta,& in terram corruit, nu.94. aditur à muliere,& ſociis,num.95.à quibus conſolatur,ibid.

49. *Saul* ſemimortuus vrgetur à Pythoniſſa,& ſuis ad capiendum cibum, a.m.2979.nu.96.quibus acquieſcit,moxque recedit cum ſuis,n.97.& nocte eadem pridie prælij redit in caſtra, num. 98. & quare,ibidem.in quo animi eius magnitudinem laudat Ioſephus,nu.99.

50. *Saul* pugnat contra Philiſthæos, & vincitur,a.m.2979.nu.114.cæduntur filij eius cum robore exercitus,nu.115.cur eos à prælio non ſubduxerit,n.116.vrgetur à Philiſthæis,vulneratur à ſagittariis,& fugit,nu.118.vbi vulnus acceperit, num.119.an in equo fugerit, ibidem.

51. *Saul* moribundus acceſſit armigeri manum ad propriam cædem, a.m.2979.nu.120.& quis ille,ibid.Incumbit gladio proprio,n.121.an habuerit cædis adiutorem Amalecitam,n.122.& 151.an & quomodo Saulis demus tota extincta dicatur,n.124.

52. *Saulem* in ſui cæde grauiter peccaſſe, a.mund.2979.nu.124. Quæ pro eius ſalute facere videantur, nu.125. & 126. Qui eum condemnent,n.127.& 128.refeiluntur quæ eius ſaluti fauere videntur,n.127.130.& ſeqq.vrilitiones non vitauit,& opprobria,n 129.

53. *Saulis* cadauer quomodo non raptum à ſuis, a.mun.2979.n.143.capite truncatur, quod circumfertur,vt dudum Goliathi caput, nu.144.quale funus eius,ibid. & 146.à Iabeſitis corpus eius & filiorum rapitur, & ſepelitur,n.161. Dauidis ſuper eum planctus,nu.182.

Saulis malus zelus cur punitus præ aliis eius peccatis, an.m 3013.n.5.tota eius familia à Gabaonitis ad cædem depoſcitur, nu.8. an iuſte tradita fuerit, nu.10. aut cum Dauidis culpa, num.11.qui ex filiis addicti ſupplicio, permiſſu Dauidis,n.13. 54.

Saulis ſeptem filij à Gabaonitis in crucem acti, a.m.3013.nu.15. vbi, & quando,ibid. Saulis, & filiorum, & nepotum oſſa relata in ſepulchrum paternum,n.20.Sepulchrum Cis & Saulis,ibid. 55.

Scaliger, qui & Burdo, confidenter accuſat Cteſiam ſine teſte,an.m.2921.nu.1.itemque Euſebium ſuper omiſſis regibus Aſſyriis, n.1. & 2. Retrograda Scaligeri chronologia non bene ipſi cedit,nu.3. fallitur in Dercylo apud D.Auguſt. 1.

Scaliger in Myrina Velleï fallitur.a.m.3003.n.3. item in aſſerendo Cumas ante Troica conditas, an.m.3004.n.1. male inchoat tempus miniſterij ſacerdotum in ipſorum vicibus, a.m.3021.n.29. 2.

Sceptrvm regium Salomonis an.m.3020.nu.44.

Sciendi deſiderium quam innatum hominibus,& vt ſe prodat,a.m.3022.n.51.infinitum in homine,n.51.& 52.rectum in Salomone, quamque ſapiens,n.52.

Scissio pallij Samuelis à Saule facta, a.mund.2968.n.62.& 63.ceſſit in ſignum,n.64 ſicut ſciſſio pallij Ahiæ Prophetæ tempore Salomonis,a.m.3057.n.27.

Schoeni notæ ſpatij,ſiue menſuræ,a.m 3044.ſchol.4.

Scribæ,& doctores Leuitæ,a.m.3021.n.45.vbi docerent tam ipſi quam ſacerdotes,ibid.

Scrvta vendentes qui,a.m.3033.n 20.

Scvta aurea regiæ Salomonis, a. m.3033.n.8. diuerſimode traduntur, ibid. conciliantur loca,n.9.eorum pretium,n.10.

Scytala quid,a.m.2985.ſchol. 6.

Scythopolis,quæ & Bethſan cis Iordanem,a.m.2979.ſchol.12.

Seba defectionis populi à Dauide anteſignanus,an.m.3010.n.38.quis hic eſſet, ibid.eius defectionis populus poſtea punitus, an.m.3016 nu.42 Percurrit tribus ad eas auertendas à Dauide, an. m.3010.n.55.obſidetur in Abela,n.56.capite truncatur,n.59.

Selec vigeſimus octauus fortium Dauidis,an.m.3016.n 35.

Selmon nonus in fortibus Dauidis, a.m.3016.nu.3.

Semei quo loco,qua tribu,qua familia eſſet oriundus, a.m.3009.n.44. Dauidem maledictis aggreditur,& lapidibus,impie, imprudenter atque impudenter, n. 45.& 46.inhumaniter, ibid. An Deus ei præceperit,& quatenus,n.55.& 56. 1.

Semei propere adeſt ad reducendum Dauidem an.m.3010.n.7.proſternitur coram Dauide, & veniam petit.nu.10.11.& 12.repellitur ab 2.

Abiſai, improbante Dauide, nu. 13. qui dat ei veniam ad tempus. 14.

3· *Semei* cædes à Dauide teſtamento mandatur, ann. mund. 3021. nu. 86. an cum periurio? n. 87. non videri, ibid. quæ Semei maledictio iuxta Rabbinos, ſchol. 5. prohibetur à Salomone vrbe exire, an. mun. 3022. nu. 24. & 25. & nominatim tranſire torrentem Cedron, nu. 25.

4· *Semei* impoſitæ à Salomone pœnæ conſentit, ann. mun. 3022. nu. 26. eius mors pertinet ad annum Salomonis ſextum, numer. 2. qui eſt mundi 3025. Eius ſerui fugiunt ad regem Achis in Geth, nu. 3. quæ fugæ cauſa, ibid.

5· *Semei* quomodo non timuerit egredi Hieroſolymis, an. m. 3025. nu. 4. Reuerſus euocatur à Salomone ibid. obiurgatur nu. 5. & iubetur occidi à Banaia, ibid. ne domus Dauid rea fiat neglectæ iuſtitiæ, ibid. Alter Semei. 3. Reg. 1. an. m. 3020. nu. 15.

SEMMA tertius in priore Triade fortiſſimorum Dauidis, an. m. 3016. num. 16. & ſchol. 2. eius facinus egregium, 2. Reg. 23. 11.

SEMMA alter tertius inter triginta fortes, ann. 3016. n. 26. & nu. 20.

SENSVS literalis non vnicus vno in loco, ann. m. 2988. n. 4. & ſchol. 1.

SEPTVAGINTA interpretes potuerunt omiſſa in Hebræo ſupplere, vt Spiritu ſancto pleni, in Præf. num. 11. & 12. id docent Auguſt. Hieronymus, Epiphan. &c.

SEPVLCHRI paterni amantes antiqui, an. mun. 3013. nu. 19. Sepulchrum Cis & Saulis, num. 20. Sepulchrum Dauidis cur non in Bethlehem, ſed Hieroſolymis, an. m. 3021. nume. 108. an theſauri illuc illati à Salomone, nu. 109. improbatur, nu. 114.

de SEPVLCHRO Dauidis quid Beniamin Hebræus, à magicis ludibriis non aliena, an. m. 3021. nu. 110. 111. 112.

SERVORVM ratio quæ apud Hebræos, a. mun. 2995. num. 12. Serui Semei fugitiui occaſio mortis heri, ann. m. 3025. 3. 4. 5. Seruus Miphiboſethi quam noxius hero, vide *Siba*.

SERVIRE Deo, aliquando eſt ſacrificare, an. m. 3009. ſchol. 2.

SERVITVS duplex, an. m. 1962. nu. 38. vide *Dominium*.

SESSIO in conuiuiis, ann. mund. 2973. ſchol. 10. fuſe.

SESSIO Salomonis in throno Dauid, an. mund. 3020. nu. 43. indicio iudiciariæ poteſtatis, ibid.

1. SIBA libertus & proſelytus, ann. mund. 2995. n. 12. Saulis & Miphiboſethi famulus, num. 18. & procurator, num. 20. occurrit Dauidi fugienti cum muneribus, an. mund. 3009. nu. 37. quæ offert, & mox herum falſo accuſat, nu. 38. perinepta calumnia, ibid.

2. *Sibæ* artificium in accuſando hero, an. mund. 3009. nu. 40. & impudentia, nu. 41. & malus animus ibid. gratias agit diſſimulanter, nu. 43. venit ad reducendum Dauidem, ann. m. 3010. nu. 8. & mox coram eo cum domino cauſam agit, vide *Miphiboſeth*.

SICELEG oppidum datur Dauidi ab Achis, an. mund. 2979. num. 10. quandiu ibi manſerit num. 12. 13. eo plerique ad Dauidem confugiunt, nu. 11. vaſtatur ab Amalecitis, num. 58. qua occaſione, nu. 59. an careret propugnatoribus, num. 60. & 100. retinetur à Dauide migrante, nu. 194.

SICLI pondus vnum & idem, ann. mun. 3007. ſchol. 1.

SICYONIORVM regni initium, finis, duratio, an. mun. 2930.

SIGNA mutationum regnorum, an. mun. 2968. numer. 64. Signa tria Sauli data à Samuele. 1. Reg. 10. ann. mun. 2962. numer. 92. & ſeqq. & 106.

SILO ſedes Tabernaculi, habitatio Heli, eius luctus capta fœderis Arca, ann. m. 1939. nu. 23. 40. 41. Silo à Domino deſerta, an. m. 2941. nu. 5. & 6. redacta in ſolitudinem, nu. 8.

SILOE quid & vbi, ann. mun. 3020. nu. 37.

SILVIVS poſthumus filius Æneæ frater Aſcanij, ann. mund. 2905. num. 2. vide ann. 2919. nume. 3.

SIMMICHAR an Iudex, an. mun. 2900. nu. 8. vnde ea vox, ibid.

SIMVLATIO Vlyſſis & Bruti confertur ſimulationi Dauidis ad regem Achis, a. mun. 2973. ſchol. 16.

SINVS & tubi circa altare holocauſtorum, ann. m 3025. n. 52. & 53.

SIONIS montis magnitudo, ann. mun. 2987. nu. 6. & 18. oppidum id fuiſſe per ſe, & arcem habuiſſe, nu. 7. obſidetur à Dauide irridentibus Iebuſæis, nu. 8. eius pars inferior occupatur, nu. 9. proponitur præmium occupanti arcem, nu. 10. occupatur à Ioabo, numer. 11.

SMYRNA gemina, ann. mund. 3003. nu. 3. an eadem cum Myrina, ibid.

SOBACHVS princeps militiæ Adarezer, ann. m. 1997. nu. 4. occiditur, & à quo, nu. 7.

SOBI Ammonita ſubſtitutus Hanoni, an. mun. 2999. nu. 40. dat munera Dauidi, ann. mun. 3009. nu. 8.

SOBOCAI princeps turmæ octauæ Dauidis, an. m. 2980. num. 9. numeratur octauus in fortibus Dauidis, an. mun. 3016. n. 29. percuſſit Saph Araphæum gigantem, an. mund. 3014. numer. 6. idem dicitur & Mobonai. 3016. 29.

SOCRATES moriens propinat pulchro Critiæ, ann. mun. 2976. nu. 23.

SOCHO gemina, ann. mun. 2970. nu. 4.

SOLIDVS in pecunia cuius precij, an. mun. 3021. nu. 62.

SOMNVM ne ceperit in ſolario Saul apud Samuelem, an. mun. 2962. n. 74. & 75. & 2978. num. 14. Sopor Domini irruit in Saulem & omnia caſtra eius, an. m. 2978. num. 14. & 19. per ſomnia an conſuletur Dominus, ann. mund. 2979. num. 56. & 57. non videri, ibid. Somnium Salomonis cui vſui, ann. mund. 3022. n. 102.

SONITVS in cacumine pyrorum qualis, & cur editus, & à quibus, ann. mun. 2988. num. 19. 20. 21.

SOPHIRA an Ophir, an. mun. 3023. nu. 41.

SOPOR, vide *Somnus*.
1. SORS, & Sortitio, an.mun.2963.nu.7.8.& ſeqq. circa regis creationem. an licita in peccato inquirendo, ann.mund. 2964. nu.109. non licita, niſi Deo inſpirante, nu.110. qualis fuit hæc Saulis, ibid. Sors conſultoria quando licita, ibid.
2. *Sortitionis* modus, ann.mund. 2964. numer.111. quam incerta, imo fallax deprehenſio peccati, num.111. Sortitio inter vices Sacerdotales & leuiticas multiplex facta, an.mund. 3021.nu.26.quomodo facta, & quare, nu.27. & 28. Sortitio cantorum, numer.35. Ianitorum 39.
SPELVNCA Odolla vnde dicta, ann.mund.2973. nu.125. Ad eam fugit Dauid è Geth, ibid. eodem ad eum alij confluunt, primum cognati, nume.125. cur ab ea migrarit, ann.mund. 2974.nu.2. vide etiam, ann.mund.2988.nu. 9.& 30. Spelunca Saulis, vide *Saul*, numer. 41.
SPIRITVS Domini directus in Dauid, & quis ille fuerit, ann.mund.2969.num.42. an gratiæ, & charitatis, aut prophetiæ, num. 42.& 43. an ſpiritus fortitudinis, nu.44. aut ſpiritus principis, num.45.
SPIRITVS ſanctus diuerſa diuerſis ſacris Scriptoribus dictare potuit, in Præf.num.10. ſic etiam ſuggeſſit ſeptuaginta interpretibus, num.10.
SPONSVS & Sponſa, vide *Nuptiæ*.
STARE non ſemper eſt eſſe erecto corpore, an. mun.2900. ſchol.3. ſic S. Paul dixit in gratia, & in fide ſtare; & Domino ſuo ſtare aut cadere; ad Rom.5.11. & 14. ſic alibi ſtare perfectum, ſtare in vno ſpiritu, ſtare & tenere traditiones, &c.
STATER, ann.mund.2962.num.53. vide *Siclus*.
STATIO in ieiunio vſurpata, ann.mund. 2964. num.87.
STIPENDIIS propriis videntur Hebræi militaſſe, an.mun.2971.n.17. præter conductitios; neque Paulum repugnare, ibid.
STRIÆ & virgæ in paraſtadis, ann. mun.3024. nu.78.
STYLOBATÆ columnarum quid, ann. mund. 3024.nu.74.
SVBDITVS an culpæ remiſſionem officiis promereri poſſit, ann.mund.3010. nu.50. vide *Rex*, *&* *Princeps*.
SVBSTRVCTIONES templi cuiuſmodi eſſent, & quo fine excitatæ, an.mund.3023.num.19.& 20. non omnes pari altitudine, nu.23. earum craſſitudo, num.25. procurſus in imo quantus, num.26. vt à ſe diſtarent, nu.27.
SVBTERRANEA templi loca, ann. mund. 3023. nu.33.
SVCCESSIO, ſiue poſteritas Dauidica, quî dicatur in æternum duratura, ann. mund. 3021. num.55.
SVMATRA, eadem cum Taprobana, & Ophir, ann.mun.3023.nu.42.
SVNA oppidum, quodnam & vbi, ann.mund. 2979.nu.42.
SVPELLEX regiæ Salomonis aurea, ann.mund. 3033.nu.6. & 7. Supellex templi conſideratur, an.mun.3024.nu.86.
SVPERBIA vera ſtultitia eſt, & iniuſtitia, ann. mund.3017.nu.8.
SVPRA, pro deinceps, ann.mun.2979. ſchol. 11. ſicut *ἐπάνω*, ibid.
SVRITÆ, vide *Sarrita*.
SYLVA fletus, ann.mund.2988. nu. 22. vide & ſchol.2.
SYMMACHVS, Theodotio, & Aquila, interpretes græci ex Hebræo, quales fuerint in Præfat.nu.16.& 17.
SYRIA Soba, & Syria Damaſci, ann.mun.2993. nu.1. cauſa belli Dauidis contra eos, nu.2.& 4. Apparatus, locus, copiæ, num. 4.5.7. vincuntur Syri Soba, nu.5.& Damaſceni, num. 8.& 9.
SYRI à Ioabo fuſi fugatique, ann.mund. 2996. num.17. redintegrant bellum, ann. m.2997. nu. 1. quod eſt tertium eorum bellum contra Dauidem. ibid. euocati ab Ammonitis, n.2. eorum copiæ, nu.4. pugnant, & vincuntur, nu.6.

T

TABERNACVLVM fœderis è Silo tranſlatum in Nobe, ann.mun.2941.num.6. & 7. Tabernaculum nouum Dauidis, ann.m. 2987. ſchol.2. & ann. mun.2990.nu.5. ibi ius aſyli, nu.8.
TABVLATA cubiculorum quæ intra templi parietes, incumbebant retractionibus murorum, an mun.3024.nu.15.
TAPROBANA inſula in indico mari, eadem quæ Sumatra, & Ophir, ann. mund. 3043 nu.42.
TECTVM templi, vide *Templum*, nu.11.
TEGVLÆ vide *Templum*, nu.11.
TEMPLVM cogitat Dauid, ann.mun.2990. n.45. 1.
quæ occaſio, nu. 46. cauſa pietas Dauidis, nu.47.& 48. quid illi conceſſum circa templum, nu.73. templum illi demonſtratum, & quando, nu.75. Exemplum & ſcriptura templi data Dauidi, diuinitus numer. 75. & 76.
Templi materia à Dauide parata, ann. mund. 2.
3017.n.42. eaque multiplex & diuerſis temporibus diuerſa, ann.mund.3018.4. & 3021. 59. Templi donaria diuerſa, an.mund.3021. nu. 42. ei ædificando Salomon deſtinatus, ann.mund.3021.nu. 12. caruiſſe poſſeſſionibus, nu.44.
Templi deſcriptio diuinitus accepta, ann. mun. 3.
3021.nu. 56. oſtenſa principibus populi, nu. 57. Dauidis ad ipſum apparatus, nu.59.& liberalitas, nu.60. & optimatum eius, nu. 61. & 62. quanta fuerit ea ſumma, in ære gallico, nu.63.
Templi materia à Salomone quoque paratur, 4.
ann.mund.3022. num.133. quo anno fundatum templum, an.mun.3023. n. 1.2.& ſeqq. quo menſe, nu.9. anni ſacri, nu.10. non anni Salomonis, vt quidam putant, ibid. locus Mons Moria, nu.11.
Templi longitudo, & latitudo intra & extra 5.
muros, ann.mund.3023.nu.32. eius loca ſub-

terranea,nu.13. Templum ſtricte ſumptum ſine atriis & porticibus,fuit tripertitum,diuiſum in veſtibulum , Sancta & Sanctum ſanctorum,ann.3024.nu.6.

6. *Templi* varia nomina,an.m.3024.nu.6.ſingulas partes vide ſuis locis. Templi facies orientalis,num.9.tota fabrica ſimul promouebatur,n.10. Altera templi pars Aula, ſiue ſancta,n.11.gemini totius templi parietes, cum interiectis cubiculis,nu.12.13.

7. *Templi* tertia pars omnium intima,quæ oraculum,& Sanctum ſanctorum,an.m. 3024. n. 21.altitudo interius 30.cubitorum, exterius 50.nu.25.Templi ſecunda contignatio,ann. mund.3024. n.26.vt conueniat cum prima, vtque differat,nu.16.& 17.

8. *Templi* tertia contignatio , fuit tantum ſupra veſtibulum,habuitque turrim, an. m.3024, nu.30. quæ eius manſuræ,& tota eius altitudo.ibid. omnium partium templi altitudo non fuit æqualis,neque 120.cubitorum, nu.30.& 31.

9. *Templi* materia pretioſa & lapides ipſi magni pretij,an.mun.3024.nu.39. eorum ſtructura mirabilis narratur,ſupra fidem,nu.42.43. 44. ornatus ſingularis ex proportione mirifica,quæ prodit architectum Deum, numer.44.

10. *Templi* parietes qua forma conueſtiti , & quæ in eis cælata,an.mun.3024.nu. 48.& 49.Teſtitudinis templi,maximéque oraculi ornamenta,nu.58. & 59. nulla in templo contra artem peccata admittenda,nu.71.

11. *Templi* externa ornamenta,an. mun.3024.nu. 76. & ſeqq. quam elegans circa ipſum trabeatio,nu.80.rectum peribolum ſiue coronam videtur habuiſſe, nu. 81. tegulis æneis contectum, nu.82. opere ſquamato, & quo pondere,ibid.

12. *Templi* tecto quæ impoſita dicantur ex Ioſepho,& Eupolemo , a. m.3024.n.83. 84.85.in dedicatione nube diuinitus repletum , ann. mun.3030.nu.25 & 26.& iterum , nu. 36.an & innoxius ignis,qui dicatur gloria Domini,ibid.

Templi Dianæ antiquitas, an.mun.3007.n.16.

Termini regni Salomonis, an.m.3022.nu.132.

Terræ ſanctæ longitudo & latitudo, a.mun. 1963.n.49.

Terræ motus dubius in clade Philiſthinorum,an.mun.2964.n.69.

Teſtudinis oraculi, reliquique templi ornamenta,an.mun.3024.nu.58.& 59.

Teutæi Regis Aſſyriorum mors, an. m. 1920. an ei Thinæus ſucceſſerit,vel aliqui interiecti fuerint,an.mun 1921.

Thabor montis & viri proprium nomen, an. m.2.6:.nu.94.

Thadamora,vide *Palmira*.

Thalami ſeni , ſiue cubicula ad tria oſtia atrij Iſraëlitarum, an.m.3025.nu.34.quis eorum ordo & forma,& via interiecta,ibid.

1. Thamar ſoror Abſalonis, qua ætate ſua violata eſt,an.mun.3000.n.7.inuitatur à fratre ad facinus,nu.13.verbis non ſatis reſiſtit,nu. 14. nec clamorem adhibet neceſſarium, ib. opprimitur, n.14. An potuerit nubere Amnoni,nu.15.

Thamar ab Amnone eiulans expellitur,ann.m. 3000.nu.17.propalatur flagitium, n.18. eius luctus apud Abſalonem,nu.19.& 20.& miſera conditio. nu.21. celibem deinceps eam viuere oportuit,ibidem,& ann.mund.3001. nu.1. 2.

Thapſa locus trans Iordanem ad orientem ſitus, an. mun.3022.n.13.

Tharſis quæ, & in eam nauigatio triennij, a. m.3023.n.43.vide *Nauigatio*.

Thecuitis mulier ſapiens,ex oppido Thecua, an.mun.3005,num.5.& ſchol.1. de ipſo oppido. Eam Ioab inſtruit,vt agat cauſam Abſalonis, mulier id mox apud regem fatetur, nu.16.17.

Theocratia apud Hebræos,vide *Hebræi* 4.

Theodoſius iunior pulchrè à ſorore deceptus,an.mun. 3022.nu.8.

Theſaurorum præfecti, vide *Quæſtores* & *Ianitores*. Theſaurorum in templo duo genera,an.mun. 3021. n.42.

Theſmophori variarum gentium, an.mund. 2900.n.2.

Tholmai rex Geſſur, auus Abſalonis, ann.m. 3002.nu.11.

Thou regis Emath ad Dauidem legatio , ann. m.2995.nu.14.

Thronus,Salomonis,an.m.3033.n.11. quando conſtructum, ibid. vbi conſtitutum 12. qua forma fabricatum , nu.13. eius membra ſingula 14. 15. 16.ſummitas in orbem conformata,nu.16.

Thus Sabæorum,an.mun.3047.nu.17.

Thyina ligna,an.m.3033.nu.22.

Titulus Abſalonis,an.mun.3009.num.105.& 106.cur eius meminerit Scriptura , nu. 107. ibi lapidum aceruus accumulabatur in dies,ibid.vbi ſitus ille titulus,num.108.quæ huius tituli forma, an columna, nu. 111.aut ſtatua,pyramis,vel arcus, 112 videri columnam cum inſcriptione,ibid.

Tonſio ouium celebris, ann.mund. 3002.numer.3.

Tornielus non videtur aſſecutus mentem Abulenſis,an.m.2973.ſchol.6.in templi columnis æneis improbatur, an.m.3024.in ſitu,nu.65.& aliis,nu.67.68.72.

Toſtatus,vide Abulenſis.

Trabeatio circa templum decem cubitorum,ann.m.3024.n.20.ea continentur Epiſtylium,Zophorus,& Coronis,ibid.& n.25. Secundæ contignationis minor trabeatio, n.26. & 28. quam elegans circa totum templum,an.m.3024 n.80. 1.

Trabeatio duarum columnarum ænearum, ann. mun.3024.nu.71. 2.

Trabes cubiculorum quomodo non hærebant muris templi,an.m.3024.n.13.& 15.

Traditionum hebraïcarum, liber an D.Hieron.an.m.2973.ſchol.2.

Tragœdiæ & Comæd. an cognitæ Salomoni,ann.mund.3022.nu.68.

Triades duæ fortiſſimorum Dauidis , an. m. 3016.:n.7. prior ibid. poſterior , nu.17.qui in

ca,ibid.vtri tulerunt aquam ex ciſterna Bethlehem.17.

Tribvnal Salomonis iudiciale,a.m.3033.n.12.

Tribvs Beniamin modica,& quare,a.m.2962. n.67.& an.m.2963.nu.9.

Tribvs Iuda occupat reductionem Dauidis, an.3010.n. 6. contra eam queruntur cæteræ tribus,n.33.quæ reſpondet aſperius, nu.34. & cauſa eſt defectionis duce Seba. ibid.

Tribvs omnes veniunt in Hebron vt faciant Dauidem regem,an.m.2986.nu.10. & ſeqq. Tribuum principes ſiue duces vocati ad comitia regni,an.m.3021.n.4.

Tribvni, qui & Chiliarchæ vocati ad comitia,an.m.3021.n.6.

Tribvtane penderent regibus ſuis omnes Hebræi,an.m.2980.n.13.non videri,ibid.Salomon iis populum ſuum vexat, a.m.3052. n.1.Tributorum præfecti ſub eo,nu.2.

Trimi infantes oblati Deo,an. m.2903.n.5. & 6.& in templo parentum ſumptibus educabantur,nu.7.

Trivmphvs Saulis & Dauidis,an.m.2971.n.61. triumphus Toſtato vnde dictus,an.m.2979. ſchol.5.

Tvbi circa altare holocauſtorum, ann.m.3025. nu.53.& cui vſui,ibid.

Tvnica talaris honori fuit,an.m.2996.nu.9.& an.3000.n.18.& ſch.2.

Tvrmæ duodecim, & earum principes totidem in Dauidis militia,an.m.2980.nu.2.alij erant à principibus tribuum, num.2. illi recenſiti comitiorum tẽpore,a.m.3021.nu.47.

Tvrris ſupra veſtibulum templi qua magnitudine & forma,ann.m.3024.nu.32. Turres in concurſu porticuum,vide *Caſtella*.

Tyrii auxilio fuerunt Philiſthæis pugnantibus contra Hebræos, a.m.2960.n.22.& 24.

V

Vallis Raphaim,&gigantũ,a.m.2988.n.8.

Vallis Salinarum & ſylueſtris,ann.mun. 2994.num.3.

Vallis regis quæ,& vbi,ann.m.3009.nu.108. eadem eſt cum valle Cedron & Ioſaphat,n. 109. gemina fuit, quas Ioſephus confudit, num.110.

Vasa menſarum propoſitionis, ann.m.3024. num.98. Vaſa templi aurea, & argentea ex Ioſepho,an m.3024.n.101.& alia ab eo prçterita.nu.102. Hieroſolymam deferuntur è loco vbi fuſa erant, an.mun. 3030.n.1.ænea tantum fuſa trans Iordanem, n.2.

Vasa aurea non fuſa, ſed conflata & laminis confecta,an.m.3030.n.1. omnium vaſorum tranſlatio operoſa,nu.1.

Velvm templi,ſiue Aulæum geminum,an.m. 3024.n.61.

Ventriloqvi,an. Saul.vltimo,an.m.2979.n. 37.66.67. Pythoniſſa quam conſuluit Saul non fuit ventriloqua,nu.68.

Ventorvm vis Salomoni cognita, an. mund. 3022.nu.91.

Ver bello gerendo idoneum, an.m.2998.nu.3.

Verva Ioſephi aurea ſuper totum templum improbantur,an.mun.3024.nu.83.& 84.

Vestibvlvm templi,eiuſque nomina, ann.m. 3024.cur dicatur porticus, nu.6.eius longitudo,& latitudo,num.7. erant in eo portæ tres, & earum menſuræ, ibid. eius facies orientalis nu.9.qualis turris quæ ſuper veſtibul[illegible] nu.32.

Vestibv[illegible]nteriora ornamenta, a. m.3024.n. 61. v[illegible]tur inauratum non laminis conueſtitum aureis,ibid.

Vestis Samuelis qualis, an.m.1907. n.4.& an. 1
m.2903.ſch.2. veſtes, ſacræ an è ſanctuario efferrentur,a.m.2974.n.34. qua veſte ſacerdotes & Leuitæ induti per vrbem incederent, ibid. veſtes Dauidis in ſupplicatione, ann.mun.2990.nu.26.

Veſtes pro partibus ſacrificij Elcanæ Hebræi 2.
interpretantur,an.mun. 2900.n.12.

Via prophanum ambiens atrium,ann.mund. 3025.nu.9.

Vias publicas,& vrbanas curauit Salomon, a. m.3043.n.17.& 18.

Vices ſiue claſſes ſacerdotales 24. ann.mund. 3021.an eſſent numero pares, nu 25. earum nomina deinceps recenta,ibid.ſingulæ ſingulis hebdomadis in orbem miniſtrabant. num.26. quare & quomodo inter eas facta ſortitio,nu.27.& 28.

Vicis miniſterium quo tempore inciperet, a. m.3021.nu.19.Vices cantorum, nu.34.& 35 Vices ianitorum,num.40.Quando omnes vices ad praxim redactæ, an.m.3030.nu.42

Vicissitvdo lætorum & triſtium Dauidis,an. mun.3000.nu.8.

Videns,vide *Propheta*.

Vidvæ luctus quantus,an.m.1998.nu. 26.vide & an.m.3005.n.6.

Vindemia pro menſe,ann.mun.2964.ſchol.6.

Virga virorum, quæ,an.m.2990.n.64.& an. m 3058.n.10.

Virginvm accurata cuſtodia, an. m.3000.nu. 10.Virginum cubicula in templo,an.mund. 3025 nu.46.

Vita Dei,an.mun.2963.nu.14.

Vivat rex; acclamatio maxime in eius conſecratione vſurpata,an.m.2963.n. 14.15.16. & rurſum,an.m.3020.nu.41. & 47. & quando addatur proprium nomen,ibid.

Vltio,& eius deſiderium, vt licitum, ann.m. 1976.nu.14. vltio de inimicis non poſtulata à Salomone,an.m.3022.n.50. quanti ſit magnis viris,ibid.

Vltra quomodo acceptum in Scriptura, an. m.1960.nu.26.

Vlyssis ſimulatio Dauidicæ ſimilis, an.mun. 2973.ſchol. 16.

Vncia pro ſiclo poſita ſicut didrachmum pro tetradachmo apud Septuag.ann.mun.3014. ſch.2.

Vnctio regum quorum eſſet,ann.m.2962.nu. 1.
79.cum aliis ceremoniis, ib. an fieret oleo ſacro,num.80.& quale id eſſet, ibid. & ideo vnctio ſacroſancta, ibid. & à Dauide vſque adeo honorata & formidata, 1.Reg.24.7. & ca.26.9.& 2.Reg.1.16.ann.mun.2979. numer.178.

2. *Vnctione* reges aliquando oleo communi, ann. mun.2962.num.81. Vnctio ſacra an priuilegium regum Iuda, nu.82.an in vſu apud exteras gentes,n.83.fuſe in vtramque partem, nu.84.85.quis vnctionis modus. 86. in regibus & pontificibus,ibid.

3. *Vnctio* fit à ieiunis, an.mund.2969.nu.37. qualis prima vnctio Dauidis, n.7.8.facta coram fratribus,nu.39.Vnctionis effecta,num.42. Tertia eiuſdem vnctio, an.m.2986.num.34. Prima præcipua fuit,ibid.vide ſchol.7.Vnctionis regiæ ſignificatio & modus, 3020. nu.40.

VNGVENTVM Moſaïcum quam diuturnum, a. mund.2962.nu.87.Vnguenti confectio non Leuitica ſed ſacerdotalis, an.m.3021.n.22.ex lib.1.Paral.c.9.30.

VOLVNTATIS vis in tolerandis aduerſis, an.m. 3017.nu.10.

1. VOTVM Annæ matris Samuelis, quale, & an iniuſtum,a.mun. 2900.nume.24.& 25.vide *Samuel*,nu.1.

2. *Vota* edit Dauid in periculo ſuo apud regem Gethæum, an.mun.2973.nu.123. Voti prætextus ad ambitionem Abſalonis,an.mund. 3009.nu. 5. quæ illud ſuſpectum redderent, nu.6.

VRBES 20.an Hiramo datæ, an cõmutatæ,aut potius ad vſum & fructum aliquot annorum traditæ,an.m.3043.n.3.4.5.

1. VRIAS domum habuit vicinam palatio Dauidis,ann.mund.2998.num.6. cur dictus Hethæus,n.8.accerſitur vt celetur adulterium, nu.12.13.agit cum eo Dauid,num.13.an eſſet armiger Ioabi, ibid. dimittitur in domum ſuam,nec eam adit,nu.14.

2. *Vrias* pernoctat ad fores palatij,an. mun.2998. num.15.& iurat ſe domum non iturum, nu. 16.licet fatuus videri poſſet, nu.18. defert ad Ioabum, contra ſe literas,nu.20.ad murum pugnans occumbit apud Rabba, numer. 21. & 22.

3. *Vriæ* perſona multum auget Dauidis culpam, an.mund.2999. numer.11. pro eo declamat Abulenſis contra Dauidem,ſchol.3. numeratur in fortibus Dauidis, 32.an.mund.3016. nu.37.

VRINA,aqua pedum,an.m.2976.ſchol.1.

VRSA raptis catulis,an. m.296 9.ſchol.3.

VVLGATA editio defenditur,an.mun.2968.nu. 13.& 2973.ſch.1.

1. *Vxores* alienigenæ ductæ à Dauide, ann. mun. 2981.nu.4.quatenus id lege vetitum,num.5. quæ quarta,& quinta Dauidis vxor, num.5. & 6.de eiſdem vide ann.mun.2983. num.7. & 2989.nu.1.vxoribus Dauidis in fuga quid factum,a.m.3009.n.15.

Vxores alienigenas permulti duxerunt, ann.m. 3022.nu. 118. vxores Salomonis an conuerſæ,an.mun.3048.num.6.peccauit in ardentiore vxorum amore, & earum multitudine,nu.7.& 8.quæ fuerit multitudo,numer. 9.& 10. 2.

Vxorum, & concubinarum Salomonis differentiæ ratio,an.m.3048.num.11.Opes in eas Salomon profundit,ann.mun.3050. nume. 1.2.3. 3.

X

XErxis expeditio in Græciam quantum diſtet à natali Homeri,ann.mun. 3039.nu.2.

Z

ZABVD amicus regis Salomonis,an.m.3022. nu.127.

ZACHARIÆ quomodo ſorte obuenit incenſum,an.m.3021.nume.18.cur non exiit ante expletum miniſterij tempus,nu.31.

ZEBEDÆI coniux callidè à Domino pro filiis petit,an.m.3022.n.8.

Zelus Saulis laudatiſſimus in filio morti addicendo,an.mun.2964.n.86.confertur Abrahæ, ibid. & rurſum, nu. 116. confertur Iephthe,ib.eiuſdem zelus contra Gabaonitas malus,an.m.2979.num.23.&c. condemnatur,nu.26.& 3013.n.4.

ZELVS animarum in Dauide, ann.m.3009.nu. 32.colligendis proſelytis,an.3017.nu.32.Zelus iuſtitiæ in parabola Nathani proditur, 2.Reg.12.v.5.6.Zelus imprudens, a.m.3058. ſch.3.

ZELVS Abiſai pro Dauide contra Semei maledicentem,an.mund.3009.nu.48.2. Reg.16. 9.& in eundem veniam petentem, 2. Reg. 19.21.& an.m.3010.nu.13.

ZIPH,ciuitas,mons,ſylua, deſertum, an.mun. 2975.num.7.in Iudæa ſitum,in finibus Idumææ, ibid. Dauid apud Ziphæos moratur, nu.7.id referunt Ziphæi ad Saulem, nu.15. & quo fine, ibid. cúmque ſe capturos pollicentur,nu.16.

ZIPHÆI iubentur à Saule diligentius inquirere Dauidem,ann.mund. 2975. numer.17. & 18.& ipſe mox eos ſequitur,numer.18.irrito euentu, n. 20.& 21.

ZIPHÆOS deſerit Dauid, ſibi nunc neceſſario inimicos,ann.mun.2976.num.4. Nunciant Sauli Dauidem eſſe in Engaddi.nu. 5. quem rurſum in Dauidem incitant,ann.m. 2978. nu.2.& 3.

ZOELETH ſaxum extra Ieruſalem,3.Reg.1.9.a. m.3020.n.16.

FINIS.

INDEX
LOCORVM SACR. SCRIPTVRAE
IN HOC TERTIO ANNALIVM TOMO
VEL DEDITA OPERA, VEL EX occaſione explicatorum.

LECTORI S.

Particulæ quæ ſubinde iterantur, & compendij cauſa præciſæ ponuntur hæc ſignificant. A.M. ſiue a.m. vel an.mu. Annũ mundi. ſch. ſiue ſchol. ſcholium, quod proxime præcedenti anno ſubiectum reperies. Ex libris Regum, & Paral. pauca tantum notata habes, quæ præcipue notanda viſa ſunt, cætera ſuis locis exponuntur omnia. Bene vale.

Ex Geneſi.

Cap.22.2. *Vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum, Anno mundi 3023. num 12. & ſcholio 2.*

17. *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, a.m.2962.n.63.*

C.25.23. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, an.m. 2994.n.1.*

C.44.27 *Vos ſcitis quod duos genuerit mihi vxor mea, a.m.2981.n. 7.*

Ex libro Exodi.

C.18.v 18. *Stulto labore conſumeris tu, & populus iſte qui tecum eſt, a.m 3022.n.95.*

C.20.10 *Aduena qui eſt intra portas tuas, a.m. 2962. nu.63.*

v.26. *Non aſcendes per gradus in altare meum, ne reueletur turpitudo tua, a.m.3025.n.59.*

C.21.14 *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, a.m.3022.n.21.*

C.22.18 *Maleficos non patieris viuere, a.m.2979.n. 72. & 74.*

v.21. *Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum, a.m.3013. n.5.*

C.30. 23 *Sume tibi aromata prima myrrha, & electæ quingentos ſiclos, a.m.3020. ſchol.2.*

Ex Leuitico.

C.19. v. 31. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, ponam faciem meam contra eam, a. m. 2979. n. 65.*

C.23.24 *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra, a.m.3021.n.29.*

Terra quoque non vendetur in perpetuum quia mea eſt, ann. mund. 3021. numer. 52. C.25. v. 33.

Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, an.mund.3009. n. 112. C.26. v. 1.

Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, an.m.2973. n.110. C.27.28

Ex Numer.

Tolletur propter Agag rex eius, a.m.2964. n. 33. C.24.v. 7.

In diis eorum exercuerat vltionem, an.mund. 2940.n.47. Ca.33.v. 4.

Ex Deuteron.

Sculptilia eorum igne combures, non concupiſces aurum & argentum, de quibus facta ſunt, a.m.2999.n.35. C.5.v.25

Conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, an.m.2962. nu.11. C.17.14

Eum conſtitues regem quem Dominus *Deus tuus elegerit, a.m.2962.n.39.* v.15.

Non inueniatur in te, qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, a.m.2979.n.65. C.18.10.

Aut quærat à mortuis veritatem, a.m.2979. n.69. v.11.

Maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, an. m.3009.n.103. C.21.23.

Non permanebit cadauer eius in ligno, &c. a. m.3013.n.17. v.28.

Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ann.mund.3024. n.2. C.22. 8.

C. 23. 6. Non facies cum eis pacem, nec quæres eis bona, &c. a. m. 2996. n. 2.
v. 12. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, a. m. 3009. n. 6.
C. 28. v. 7. Per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient, a. m. 2988. n. 11.
C. 32. 27 Dominus noſter excelſus, & non manus noſtra fecit hæc omnia, ann. mund. 2988. n. 24.
v. 35. Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore, a. m. 3022. n. 50.
C. 33. 12. Beniamin amantiſſimus Domini, habitabit confidenter in eo, a. m. 3025 n. 13.

Ex lib. Iudicum.

C. 8. v. 23. NOn dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus, a. m. 2962. n. 29.

Ex 1. Regum.

1. Reg. 1. 22. NOn vadam, donec ablactetur infans, a. 2901. n. 3.
C. 2. v. 5. Donec ſterilis peperit plurimos, a. m. 2907. n. 7. & 8.
C. 2. 25. Et non audierunt vocem patris ſui, quia voluit Dominus occidere eos, a. m. 2911. n. 6.
C. 3. 18. Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat, a. m. 2913. n. 16. & ſeqq.
C. 6. v. 14. Vaccaſque impoſuerunt ſuper ea, a. m. 2940. n. 56.
C. 7. v. 2 Multiplicati ſunt dies, erat quippe iam annus vigeſimus, a. m. 2960. n. 1. & 2.
C. 9. 16. Hac ipſa hora quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te, a. m. 2962. n. 58.
v. 25. Strauitque Saul in ſolario, & dormiuit, an. m. 2962. n. 73. & 74.
C. 10. 27 Ille vero diſſimulabat ſe audire, an. m. 2963. ſchol. 2.
C. 12. v. 2. Porro filij mei vobiſcum ſunt, ibidem. n. 59. & 60.
C. 13. v. 4. Erexit ſe Iſraël aduerſus Philiſthæos, an. m. 2964. n. 13.
v. 13. Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini, a. m. 2964. n. 25.
C. 14. v. 24. Maledictus vir qui comederit panem vſque ad veſperam, a. m. 1964. n. 78.
C. 15. v. 11. Pœnitet me quod conſtituerim Saul regem, a. m. 2968. n. 25.
v. 25. Sed nunc porta quæſo peccatum meum, an. m. 2968 n. 60.
C. 16. v. 13. Et directus eſt Spiritus Domini à die illa, an. m. 29 9. n. 42.
C. 17. 55 De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? an. m. 2971. n. 41.
C. 18. 21. In duabus rebus gener meus eris, a. m. 2972. n. 13.
C. 19. v. 3. Iuxta patrem meum in agro, vbicumque fueris, a. m. 2973. ſchol. 1.
C. 20. 25. Cumque ſediſſet rex ſuper cathedram ſuam, a. m. 2973. ſchol. 10.
Sed & ipſa hodie ſanctificabitur in vaſis, an. m. 2973. ſchol 13. C. 21. 5.
Cum Dauid reſciſſet, quia præpararet ei Saul clam malum, a. m. 2974. n. 51. C. 23. 9.
Apparet enim quod ſtulte egerim, & ignorauerim multa nimis, a. m. 2978. n. 26. & 27. C. 26. 21.
Videntes viri Iſrael qui erant trans vallem, a. m 2979. n. 147. 149. C. 31. 7.

Ex ſecundo Regum.

NVnquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? a. m. 3021 ſchol. 2. C. 7. 5.
Qui ſi iniquè egerit, arguam eum in virga virorum, a. m. 3058. n. 20. C. 2. v. 14.
Iſta enim eſt lex Adam Domine Deus, a. m. 2990. n. 68. v. 19.
Perrexit vt dilataret imperium ſuum vſque ad Euphratem, a. m. 2993. n. 2 & 3. C. 8. v. 3.
Rex & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno, a. m. 3002. n. 12. C. 13. 36.
Si autem dixerit mihi non places, præſto ſum, a. m. 3009. n. 25. C. 15. 26.
Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps, a. m. 3016. n. 9. & 1. C. 23. 8.
O ſi quis daret mihi aquam de ciſterna Bethlehem, a. m. 2988. n. 32. C. 23. 15.
Immiſit peſtilentiam de mane vſque ad tempus conſtitutum, a. m. 3017. n. 15. C. 24. 15

Ex 3. Regum.

DEduceſque canos eius, (Semei) cum ſanguine ad inferos, an. mund. 3021. nu. 86. C. 2. 9.
Euigilauit Salomon, & intellexit quod eſſet ſomnium, a. m. 3022. n. 101. Ca. 3. 15.
Et fuerunt carmina eius quinque & mille, vel quinque millia, ibid. n. 67. C. 4. 32.
Factum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno, a. m. 3023 n. 2. & ſeqq. C. 6. v. 1.
Fecit quoque mare fuſile decem cubitorum, a. m. 3025. n. 65. C. 7. 23.
Et omnes vicos qui ad ſe pertinebant, & erant abſque muris muniuit, a. m. 3044. ſchol. 3. C. 9. 10.
Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, a. m. 3030. num. 43. v. 25.
Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te, a. m. 3059. n. 20. C. 10. 8.
Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis, a. m. 3033. n. 11. v. 20.
Omnia vaſa quibus potabat rex Salomon erant aurea, ibid. n. 6. v. 21.
Cumque aſcendiſſet Ioab ad ſepeliendum eos qui fuerant interfecti, an. mund. 2994. n. 9. C. 11. 15.
Factum eſt vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inueniret eum Ahias, a. m. 3057. n. 25. & 26. v. 29.

C.18.42 *Poſuit (Elias) faciem ſuam inter genua ſua, a.m.2900.ſchol.3.*

C.20.42 *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, a.m.3005.n.9.*

Ex primo Paralip.

C.5.v.20 *TRaditique ſunt in manus eorum Agarei, a.m.2965.n.15.*

C.9.32. *De filiis Caath ſuper panes erant propoſitionis, a.m.3021.n.21.*

C.23.29. *Sacerdotes autem ſuper panes propoſitionis, a.m.3021.n.20.& 21.*

C.28.5. *Sederet in throno regni Domini, an.m.2962. nu.30.*

v.11. *Omnia venerunt ſcripta de manu Domini ad me, a.mund.2990.n.76 & 3021.nu.56.*

C.29.23 *Seditque Salomon ſuper ſolium Domini, a.m. 2962.n.30.*

Ex ſecundo Paral.

Ca.3.v.4. *POrro altitudo (veſtibuli) centum viginti cubitorum erat, a.m.3024.n.30.*

C.8.12. *Tunc obtulit Salomon holocauſta Domino ſuper altare Domini, a.m.3030.n.43.*

C.9.v.15 *Fecit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, a.3033.n.8.*

Ex libb. Eſdræ, Eſther, & Iob.

2 Eſdræ 8.10. *MIttite partes his qui non præparauerunt, a.m.2905.n.12.*

Eſth. c. 15.16. *Vidi te Domine quaſi Angelum Dei, a.mun. 2979.n.48.*

Iob.c. 30.20. *Mutatus es mihi in crudelem, a.m.2968.nu. 17.*

Ex lib. Pſalmorum.

Pſal 2.1. *QVare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania, an.m.2988.num.3.*

v.8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.a.m.3021.n.98.*

Pſal.3.1 *Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? a.m.3009.n.13.*

Pſa.6.1. *Domine ne in furore tuo arguas me, &c.a.m. 299[illegible].n.25.*

Pſa 7.1. *Domine Deus meus in te ſperaui, ſaluum me fac &c.a.m.3009 n.51.*

v.5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam, &c.an.m 1977.num.42.*

Pſ.10.1. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra, &c.an.m.2978.num.32.*

Pſ 12.1. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem, &c.a.mund.2978.n.33.*

Pſ.26 1. *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, &c. a.m.2986.ſchol.6.*

Pſ.28.1. *Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum, a.m.2990.n.29.*

Pſ.29 1. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c.a.m.2988.n.37.*

Pſa.33.1. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius, a.mund.2973.n.124.*

Pſ.34.12 *Retribuebant mihi mala pro bonis, &c.an.m. 2976.n.27.*

Pſ.38.2. *Poſui ori meo cuſtodiam cum conſiſteret peccator aduerſum me, a.m.3009.n.53.*

Pſ.44.1. *Eructauit cor meum verbum bonum, &c. a. m.3022.n.122.*

Pſ.50.1. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam, a m.2999.n.25.*

v.14. *Spiritu principali confirma me, a.m.2969.nu. 45.*

v.16. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, a.m.2998 n.25.*

Pſ.51.1. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate, a.m.2974.n.47.*

Pſ.53.1. *Deus in nomine tuo ſaluum me fac, &c. an. m 2975.n 19.*

Pſ.54.1. *Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris, &c.a.m.3009.n.29.*

v 13. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, ibid.*

Pſ.55.1. *Miſerere mei Deus quoniam conculcauit me homo, a.m.2973.n.123.*

Pſ.56.1. *Miſerere mei Deus, miſerere mei, &c. an. m. 2976.n.8.*

Pſ 58.1. *Eripe me de inimicis meis Deus meus, an. m. 2973.n.19.*

Pſ.59. tit. *Et conuertit Ioab, & percuſſit Idumæum, an. m.2994.n.8.*

v.1. *Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, a. mun. 2993.n.16.*

v.6. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus, a.m 2994.n.11.*

Pſ.62.1. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo, a.mun. 2975 n.9.*

Pſ.71.1. *Deus iudicium tuum regi da, &c.a.m 3021. n.79.*

v.9. *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent, a.m. 3033.n.25.*

Pſ.77.60. *Et repulit tabernaculum Silo, &c.a.m.2941. n.6.*

v.68. *Sed elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit, a.m.3021 n.51.*

Pſ.87.16. *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea, a.m.3019.n.2.*

Pſ.98.6. *Samuel inter eos qui inuocant nomen eius, a.m.2940.n.8.*

Pſ.123.1. *Niſi quia Dominus erat in nobis, &c.an.m. 2975.n.25.*

Pſ.127.3. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, an. mund.2981.num. 2.*

Pſ.131.10. *Propter Dauid ſeruum tuum, ne auertas faciem Chriſti tui, a.m.2990 n.72.*

Pſ.133.1. *Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri, a.m.3025.n.24.*

Pſa.142.1. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe, &c. ann.mund.3009 num. 58.*

Index Scripturarum

Ex libro Prouerbiorum.

Pro.c.4.3. VNigenitus coram matre mea, & docebat me, a.m.3005.n.23.

Ca.8.15. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, a.m.2986.n.34.

C.9 17. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior, a.m. 3048.n.7.

C.18.22. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, a.m.2985.n.12.

C 20.28 Roboratur clementia thronus eius, an mund. 297?.n.10.

C 24.30 Nouiſſimè ego egi pœnitentiam, & reſpexi vt eligerem diſciplinam, an.m.3058 n 10. & 18.

C.30.2 Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum, a m. 3058 n 11.

Ex Eccleſiaſte, & Cant.

C.1 2. EGo Eccleſiaſtes fui Rex ſuper Iſrael in Ieruſalem, a.m.3059.n.3.

v.16. Magnus effectus ſum, & præceſſi ſapientia omnes, qui fuerunt ante me in Ieruſalem, a.m.3022.n.62.

C.2.1. Vadam & affluam diuitiis, & fruar bonis, &c.a.m.3048.n.2.

v.4. Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, &c. a.m.3030 n.47.

v.17. Idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, a.m 3057.n.9.

v 19 Habiturus heredem poſt me, quem ignoro vtrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, an. m. 3057.n 10.& 3059 n 7.

C.7.14. Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit, a.m.2976.n 30.

Cant. 2. 11 Iam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit, a.m.3022 n.120.

Ex libro Sapientiæ.

Ca.6. 5. CVm eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, a.m.2962.n.30.

Ca 7 4. In inuolumentis nutritus ſum, & curis magnis, a.m 3000.n.4.& 3001.n.3.

v.7. Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, a.m.3020.n.51.& 3022.n.28.

v 15. Mihi dedit Deus dicere ex ſententia & præſumere digna horum, a.m.3022.n.64.

v.17. Ipſe dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram, a.m.3022 n.80.88.

v.18.19 Commutationes temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, a.m 3022.n.74.

v. 20. Naturas animalium, iras beſtiarum, & vim ventorum, a.m.3022.n.90.

Ca. 8.7. Sobrietatem enim & prudentiam docet, & iuſtitiam & virtutem, ann mund.3022.n. 94

v.8. Scit præterita, & de futuris æſtimat, a mund. 3022.n.70.

v.10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores, a.m.3022 n 66.

v.11. In conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me, a.m. 3033. n.26.

v.18. Circuibam quærens, vt illam mihi aſſumerem, a.m 3020 n.51.

v.19. Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam a.m 3000.n.6. & 3020.n. 53.

Ca.9 4. Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, &c. fuſius, a.m.3022.n.38.& ſeqq.

C.19.4. Vt quæ deerant tormentis repleret punitio, an. m.3025.n.5.

Ex libro Eccleſiaſtici.

C.4.35. NOli eſſe ſicut leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, &c.a.m.3025.n.3.

C.10. 8. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, a.m.3025.n.5.

C.12.10. Non credas inimico tuo in æternum, &c.a.m. 2979.n.44.

C.24.36 Qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis, a.m.2963.n.73.

C.35.16. Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, a.m.3013.n.7.

C.42.9. Filia patris abſcondita eſt vigilia, &c. an.m. 3000.n.10.

C.46.23 Et poſt hoc dormiuit & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, an.m. 2979.n. 76

C.47.3. Cum leonibus luſit quaſi cum agnis, an.mund. 2969.n 58.

v.4. Nunquid non occidit gigantem, & abſtulit opprobrium de gente? a.m.2971.n.29.

v.22. Profanaſti ſemen tuum inducere iracundiam, &c.a m.3053.n.21.

C.51.18. Cum adhuc iunior eſſem, priuſquam aberrarem, a.m. 3021 n.28.

Ex Eſaia.

Ca.15.2. MOab vlulabit, & in cunctis capitibus eius caluitium, a.m.2996.n.8.

C.33.22. Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter, &c.a.m.2900.n.1.2.& 3.

C.36.12. Bibant vrinam pedum ſuorum, an. m. 2976. ſchol.1.

C.54.11. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, a. m.3024 n 41.

Ca 56.3. Et non dicat Eunuchus, ego lignum aridum, a.m.3021.ſchol.1.

v.7. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis, a.m.3025.n.14.

Ex Ieremia.

Ca. 2. 2. REcordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, ann.mund. 2979.num. 126.& 132.

v.37. Manus tuæ erunt ſuper caput tuum, a.mun. 3000 n.19.

C.7.4. *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt, a.m.3024.n.11.*

C.30.14 *Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli, a.m.2968.n.17.*

C.48.37 *Omne caput caluitium, & omnis barba raſa erit, a.m. 2996.n.8.*

C.51. 16. 17. *Mendax eſt conflatio eorum, nec eſt ſpiritus in eis; vana ſunt opera, & riſu digna, a.m. 2963.n.76.*

Ex Ezechiele, & Ioële.

C.7.17. *OMnia genua fluent aquis, an.m. 2976. ſchol.1.*

C.40.v. 20. *Murus forinſecus in circuitu domus vndique, a.m.3024.n.3.*

Ioël.2. 14. *Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat? a.mund. 2968.n.71.*

Ex Matthæo.

Ca.12.5. *SAbbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant, & ſine crimine ſunt, a.m. 2973. n.105.*

C.15.26. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus, a.m.3030.n.32.*

C.19.12. *Et ſunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, a m.3021 ſchol.1.*

C.20.20 *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedei, petens aliquid ab eo, a.m 3022.n.8.*

C.22.30. *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo, a.m.2979.n. 48.*

C.25.6. *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, a.m.3022.n.120.*

C.28.18 *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, a.m.3021 n.98.*

Ex Luca.

Ca.1.23. *VT impleti ſunt dies officij eius, abiit in domum ſuam, a.m.3021.n.31.*

C.10.23 *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, &c. an. m.3059.n.20.*

Beatus venter qui te portauit, & vbera, &c. a.m.2902.n.3. C.11.27

Pater peccaui in cælum & coram te, &c. ann. m.3007.n.15. Ca.15.v. 20.

Ex Actis Apoſt.

OBedire oportet Deo magis quam hominibus, a.m.2974.n.33. C.5.29.

Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo, &c. a.m.3030 n 32. C.10.28

Sorte diuiſit eis terram ipſorum, quaſi poſt 450. annos, a m.3023.n.7. C.13.20

Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, a.m.3021.n.8[illegible]. v.22.

Ex Pauli Epiſt.

ET non ſolum qui ea faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, a.m.3009.n.92. Ro.1.32.

Scimus quia nihil eſt idolum in mundo, a.m. 2963.n.76. 1.Cor.8. 4.

Deus exaltauit illum, & donauit ei nomen, &c. a.m.3021.n.98. Phil.2.9

Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium, a.m.2990.n.64. Heb.1.5

Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, a.m.3009.n.54. C.6.10.

Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, ann.m. 3024.n.86. & ſeqq. Ca.9.4.

Ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, a.m.2979.n.130. C.11.36.

Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, a.mund. 3009.n.50. 1.Pet.2. 23.

Ex Ioannis Epiſt.

FIlioli nouiſſima hora eſt, an.mund.2940. n.2. 1.Ioan. 2.18.

Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis, a.m.2911.n.5. Ca.5.16.

FINIS.

Errata de quibus viſus eſt monendus lector beneuolus.

ANno mundi 1900.num.26.totius,lege totum.a.m.1902.n.3.præcipi,l.præripi.1903.7.l. educabantur, 8.l. poſtquam.1907.1.colloquiis.1911.3.contrahant.1912.7 inquit.9.mutor.12.prælibatio.1913 4. repugnante. 5.veſpertinum.6.nemini.7.diuinitus.ſch.1.apparent.1939.23.captiuitatem.29 præditum,34.cenſendi. 1940. 20. humeris,21.pedibuſque,36.cum transferrent.quidem.37.mortis.38.Salomon.42. dimittere.43.contingeret. 44. deſit,ſiue.48 immitterent.56.conſecratæ.66 vacat.73.didicerant,a.m.1941.1 ferme 6. tranſlatam.9 deinceps exhibitus.1947.2.domus.3.toti populo.1950 3.pertinet.1960.3.manſiſſe tantùm. 5. habeat. 24. libro Eccleſiaſtici 1962.17.luſtrauerat.28 ſeruituti.35.in bonum.37.vineas.44 generationum.46. præditus.92 animaduertitur 94. Hebræa,rectiſſimè.113.prodigio.1963.1 mediam.24 intemperanter.31 ſolueret.56.fere. 59 populo.70. timueritis.ſcho.6.nomine Badan.1964.claſſicum,11.Beniaminis.13.fœtidam.19.accedere, 28. cor diuinum. 33. illico. 42. quo bellum,44 diuexare,certi.52.abſurda iubeat 55 digeſtam.82.fata.84.calet enim,86 puniendo.100.longe.115. ipſum hodie.118.illum agi reum.1965.12.qui tamen nunquam cis.1968. 18. Iſraëlitarum. 20. regem Agag. ipſe quidem.22.legem.68 tremorem autem.1969.1.afflatus.5.luctu 8.quid opus.15.reditus eius 20 proterit.26.ita,32. mirum.55.interpretes.57.claruit.58.non vanitatis.1970.12 hominum luce.1971.6 ſpurius dictus. 23. iuuenis. 26. Philiſthæo 29.impellente,32 leonum,quibus toties 36. armigero.51. affixum.70. ſiue illa. 1972. 22. Procopius. 1973.14.adminiſtratam 65 vſque adeo.83.in domum ſuam.88 fleuerunt pariter 91.horarum.94.nominatum. ſch. 3.locutam ſch.12.myſticam.1974.1.vniuerſam 9.parabantur.1975.7.hunc montem.9. apparui tibi laudes. 1976. 8.Deum orat.18.inuito Dauide 23.ætate.a.m.1977.xxxv1.Munera parat.1978 14. tolle haſtam 19. & ſomnia.24. alienus.28 vniuerſam.31.toto numero 32.præſidium eſt.33.nonum,eximam,placere.1979 17.cædes.37.à Saule occiſi.41.Idque ſentit Abul.& conijci n.48.49.50.& ſeqq.vſque ad 58.corrigendi.63.quidam.152. refertam. 161 inſtinctu.175.Chriſtum 1074.n.167.Initium regni Dauidis.168.iuſtiſſimis.182.ſiue artem. 184 cecinit 200. regem eum.1980.13 ſaltem ditatum.14.Quæſtor tributorum.1986.17 ἐπταυχένιοι.18 vniuerſus numerus exacte.33.dele, Sanctuarium &.1988.2.rem minime 4.quæ aut de 13.Philiſthæos cito 18.gyrare.fragore 30.cum hæc.34.Hieronymi.1989.1.in donum 28.diuinæ.1991 7.pleraſque alias 1993.5 patuiſſe.11.ceu trophæum.1994.9. coniunge.18. Ioſephus ſi qui ſch.1.cum titulus 1995.5 apud regem.11.vtrorumque.19 editionibus.7 omnium. 1997.1.copias. 1998.13 comite.22.collocaturus.affore 3000.19 & vellet.quod 21 eam in futuram.23.contriſtare.3001.1.ab orbe 3003.3.in Aſia.3004.1.initiis fere trecentis 3005.2.Amnon.reſederat.6.ad eum.7.poteſtate interfecit.16. loquere. 3008.14 ſecula,3009.16.quidam.27.& Abiathar ambo pontifices.32.prior.46. mitiſſimo ac ſubditorum 47. timeret.49.inunctus.53.ſuis denunciat.68 aliquod damnum.73 peruenissent ad oppidum Bahurim latebris. 80. ad illius mortem iniuſtiſſimè. 94.à tergo 96.non eſt.περιπλέκει.99. vidit 104.parricidali.110 non fere. vtrumque.114. vt victoriam.116.incolumis.120.capillitium.127.poterat.136. in manus reddat. 3010 53. πᾶς ὁδὲ.3013. 9. ſe iureiurando.18.Hæc hiſtoria à Ioſepho deprauata ſilentio.3014.2.Hieronymi.9. filium ſaltus. 12. vir ſtaturæ ſch.2.videtur,quia.modicum quid.3016.6.exemiſſet.28.& ſuppliciis 3017.9 mortium.29.aſſentior. 34. ſanctificatus.3019 1.totamque.3 mulam.3020.22 idem ſolutiore.27 exiuit,conſtituendo,40. intinctum 3021.2. ſe mortuo. 12. regnum eius.14.recenſita,70 & 80 millia.18 non eſſent.19.collectum.20 neque minor 21.coquerent. 24. inuentæ ſunt.27.conijcerentur,quartam vſque. 47 præfecturam,48 effœtum.59.aut alterius colore.67.manu tua.75 dicebamus.85 armata.88.eiuſque tempus 91.vno elogio. 3022. 22 Banaiam. 28 Incenſus Salomonis amor in ſapientiam 31.ſententia.39 pertinet 67 quinque millia.70.ob oculos.81. dialecticæ 85. & parabolarum. 92. plantarum 114.diceretur.142 loci vicinitas ſch 4 Brachmanarum.3023 7.quaſi poſt 450 annos. 13 ſacram ædem.27.quia inter porticum 30. congeſtitijs 34 plurium annorum.3024.3 ex ſacræ hiſtoriæ 6.quoniam licet , pronaon. 12 erat vacuum.17 video neceſſitatem,prætterquam lignei.95.baſim quadratam 97. numerum decem 99 veſtigio.3025.5 luiturus.46.Paralipomenon.75.erat quædam 3030.34.bene precatus. 3031 4.vno & 3033.11 aut maius.23 indiſcuſſum.3039.2.iuncto.3043.16.pertinebant 3047.12 celebrat 22 Magi 3050.1 hebeſcit.3053 32.grandiori.3057.31 peccata 3058.2.memorat.3059.24.ceciderat.25.nouus.27 poſteriora,in admonitione ad lectorem lin.2 ſignificant.

Digitized by Google

Dig[illegible] oogle

Digitized by Google